IN IUDICES COMMENTARIJ LITTERALES, MORALESQUE AUCTORE R.P...

Manuel : de Najera

Digitized by Google

С.З.Я

6
39 N
29

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

R. P.

EMMANVELIS DE NAXERA,

COMMENTARII IN IVDICES.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN IVDICES COMMENTARII LITTERALES, MORALESQVE

CARMELITANI SCALZI DI S. MARIA DELLA SCALA

AVCTORE

R. P. EMMANVELE DE NAXERA,
TOLETANO, SOCIETATIS IESV,
olim in Collegio Complutenſi ſacrarum Litterarum
Interprete, pòſt in Matritenſi pro Scholis
Regiis Politicorum Magiſtro.

TOMVS PRIMVS.

Cum quatuor Indicibus. I. Paragraphorum moralium. II. Ad Conciones copioſiſſimo, III. Sacræ Scripturæ. IV. Rerum & Verborum.

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODIT.



S. Maria de Scala

LVGDVNI,
Sumptibus LAVRENTII ANISSON.

M. DC. LVI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO SAPIENTISSIMOQVE VIRO,

D. MATTHÆO CHAPPVYS,

DOMINO DE TOMASSIN,

In Præſidiali Curia Lugdunenſi Conſiliario Regio.

QVOD tuo potiſſimùm Nomini conſecratum Opus iſtud eruditiſſimum R. P. Emmanuelis Naxeræ, nunc primùm prodeat in vulgus, (VIR CLARISSIME) nemini profectò accidet mirum, qui & præclaras animi tui dotes exploratas habuerit, quíque partem aliquam nouerit eorum quibus me planè tibi deuinxiſti beneficiorum. Et vero haud ſcio an alterius nomen ſpectare deceret in fronte Commentarij in Librum Iudicum, quàm Iudicis integerrimi, Sapientiſſimi Senatoris. Neque enim in diſceptandis modò forenſibus Cauſis, æquitatem tuam prædicant omnes, ſed in literariis etiam hiſce Lucubrationibus æſtimandis, exquiſitum tuum ac delicatiſſimum Iudicium, nemo vnus eſt Lugdunenſium, quin ſuſpiciat. Quare optanda vel maximè ſcriptori extero illa ſors erat, vt in manibus oculíſque tanti Iudicis, iſte ſui fœtus ingenij lucem videret, vt duplici & Doctrinæ & Auctoritatis tuæ patrocinio tutum, nec maleuolorum calumnias, nec ſciolorum morſus pertimeſceret. Tu verò quos in iſto atque in omni ſcientiarum genere profectus feceris, Teſtis rara illa ac lectiſſima librorum ſupellex, quibus vndecumque curioſo labore conquiſitis, non tam inaurata illa tui Muſæi loculamenta, quam aurea verè Ingenij tui decora omnium in ſe oculos conuertunt, conciliant amorem, faciunt admirationem. Præſertim cùm ea ſit morum ſuauitas tuorum, candor animi, vitæ ac cultûs moderatio cæterarumque virtutum decus quæ cum præclara illa ſcientia iunctim emicant, vt egregium ac conſpicuum Senatoris abſolutiſſimi exemplar citra controuerſiam audias.

Iudices igitur affero tibi rei iudiciariæ Iuriſque conſultiſſimo, non illos quidem exauthoratos aut debiles, ſed vtrâque potentiâ inſtructiſſimos, Ciuili alterâ, alterâ Militari, vt Pallas olim à ſolertiſſimis Poëtis armata fingebatur. Nam quæ duæ Artes ſartam tectam ſeruare poſſunt Reipub. rationem, in iis Heroës ſacri, Im-

peratores iidem inuictiſſimi atque Iudices planè Diuini, vel ipſo Numine teſte ita excelluerunt, vt per vnam populos rebelles coërcere, hoſtilemque impetum retundere, per hanc vero ciues probis moribus imbuere, optimis legibus inſtitutiſque regere ac moderari facilè poſſent. Sed vtra poteſtatum potior fuerit ex facili æſtimare licet; Ad illam enim leges nunquam confugiunt, niſi vbi Iure dicundo nequeat optata quies obtineri. Tu cùm eam partem adamaueris quâ Ciuitates, Regna, Reſpublicæ, otio, Opibus ac rerum omnium fælicitate florent, Iuſtitiam ſcilicet, placidum Themidis Tribunal; habebis in hoc libro quæ ſubceſiuis horis pari animi gaudio atque vtilitate relegas. Refricabunt iſta memoriam eorum quæ iam vſu ac longa meditatione didiciſti; nec pigebit volumen tibi nuncupatum ſubinde euoluere, vt te ipſe hoc quaſi ſpeculo contempleris, quemadmodum olim Valentinianus Auguſtus, Vegetij librum de Re Militari; Adrianus Imperator, Ælianum de Inſtruendis Aciebus; Iuſtinianus tuus, Codices Tribonianos; opera ſibi conſecrata, non ſine voluptatis ſenſu terere ſolitos, memoriæ proditum eſt. Iam vero quantum lucis ac ſplendoris acceſſerit difficillimis hiſce Scripturæ ſacræ voluminibus ſtudio ac labore R. P. Emman. Naxeræ, aliorum eſto iudicium. Certè Conſtat ex iis quæ à nobis hactenus edita ſunt Authoris iſtius operibus, non vnum aliquem eſſe de numero, ſed virum caſtigatiſſimi iudicij, eruditionis infinitæ, ingeniique ſingularis, ſeu libeat penitiores ſacræ Paginæ ſenſus expromere, ſeu loca obſcuriora ſemel educta in lucem, rurſum obnubere grato Allegoriarum ſipario, ſeu denique fœcundam ſacris Oratoribus concionum Syluam profundere. Neque enim ſtrigoſus iſte & macilentus Commentator, ſed ſucci plenus, ac rerum vberrimo fonte lætiſſimus, qui Diuinæ Scripturæ veritati, non literali tantum face præluceat, ſed morali atque Anagogico ſenſu exornatam, grauiſſimis rationibus corroboratam, illuſtratam ſimilitudinibus, & petitis ex politiori literatura pigmentis quaſi teſſellatam, mira ſuauitate condiat, omni hominum generi profuturam. Dabis igitur VIR CLARISSIME, vt me pridem tuo in ære conſtitutum expediat vir omni ſcientiarum gaza ditiſſimus, & quoniam tot obſtrictus nominibus, ſoluendo non ſum, accipies quanuis ab alieno homine, meum tamen, & meæ in te gratitudinis & obſeruantiæ pignus æternum.

Addictiſſimus & ſtudioſiſſimus
Tui

L. ANISSON.

Digitized by Google

Cenſura ſapientiſſimi Patris Magiſtri, F.Franciſci de Arcos, olim in Academia Toletana Primario ſacræ Theologiæ Profeſſore, ſupremæ Inquiſitionis Senatus Cenſoris, & ſacræ Religionis ſanctiſſimæ Trinitatis in Toletana Prouincia Prouincialis, Concionatoriſque Regij.

D*E mandato Domini Alphonſi de Las Riuas, & Valdes Viſitatoris Eccleſiaſtici, & Vicarij in Matritenſi villa, vidi hos libros* Commentarios in Iudices, *ſcriptos à* R.P.M. Emman. de Naxera, *in ſuo Collegio Complutenſi olim ſacræ Scripturæ interprete, & in Matritenſi in Scholis Regiis Politicorum Magiſtro, nihilque inuenio litura dignum, quod ſacræ Fidei dogmatibus, aut ſanctitati morum contrarium ſit, immo ad animos componendos, expurgandaque vitia aptiſſimos, ſuoque Auctori toto terrarum orbe celebratiſſimo dignos, ideo cenſeo prælo, qui mandentur digniſſimos. Datum Madriti in Conuentu ſanctiſſimæ Trinitatis, die ſecunda Septembris, anni* 1655.

Franciscvs de Arcos.

N*Os el Licenciado Don Alonſo de Las Riuas y Valdes, Viſitador Eccleſiaſtico, y Vicario de eſta villa de Madrid, y ſu partido, &c. Por la preſente damos licencia paraque por lo que à nos toca ſe pueda imprimir el libro intitulado* los Commentarios ſobre el libro de los Iuezes, *compueſto por el* P. Manvel de Naxera, *de la Compañia de* Iesvs, *atento, que ſomos informados, que en el no ay coſa contra nueſtra ſanta Fè, buenas, y loables coſtumbres. Dado en Madrid a dos de Septiembre, de mil y ſeiſcientos y cinquenta y cinco años.*

Licenciado Ribas.

Por ſu mandado,

Francisco Martinez Arcilla.

Facultas R. P. Franciſci de Monte-mayor, Prouincialis Societatis Iesv in Prouincia Toletana.

E*Go Franciſcus de Monte-mayor, Prouincialis Societatis* Iesv *in Prouincia Toletana, poteſtate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre noſtro Goſſuino Nichel, eiuſdem Societatis Præpoſito Generali: facultatem facio, vt primus Tomus* Commentariorum in Iudices, *à* P.Emman. de Naxera *conſcriptus, & eiuſdem Societatis grauium, doctorumque hominum iudicio approbatus typis mandetur. In cuius fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Matriti die decima Iunij, anno Domini milleſimo, ſexcenteſimo quinquageſimo tertio.*

Franciscvs de Monte-mayor.

APPROBATIO.

N*Os infra ſcripti facultatis Pariſienſis Doctores fidem facimus, viſum à nobis, librum qui inſcribitur,* R.P. Emmanvelis de Naxera, Societatis Iesv, Commentariorum in Iudices Tomus primus, *nihilque in eo ab Eccleſiæ Cathocæ, Apoſtolicæ & Romanæ Fidei, ſanctorúmque Patrum ſana doctrina alienum contineri. Lugduni die* 30. *Octobris* 1655.

Fr. Petrvs Robbe', Ord Prædicatorum.

Fr. Michael Micard, Franciſcanus.

Digitized by Google

SVMMA PRIVILEGII Chriſtianiſſimi Regis.

CAVTVM eſt, authoritate Regis, nequis in Regno ſuo aliiſve locis ſuæ ditioni ſubiectis, intra quinque proximos annos, librum qui ſic inſcribitur: R. P. EMMANVELIS DE NAXERA, Societatis IESV, Commentariorum in Iudices Tomus primus, abſque LAVRENTII ANISSON, Bibliopolæ Lugdunenſis permiſſu imprimat, aut diuendat; à die publicationis horum exemplarium: qui ſecus fecerit mulcta indicta, provt amplius in Diplomate Regio continetur, mulctabitur. Datum Pariſiis 3. Nouembris 1655.

De mandato Regis

Signatum.

CRAMOISY.

Digitized by Google

INDEX PARAGRAPHORVM MORALIVM

CARMELITANI SCALZI DI S. MARIA DELLA SCALA

Littera N,*cum adiuncto numero marginalem deſignat* : P,*paginam denotat.*

Capvt I.

IN vitia pugnandum eſt dum recenter exorta: nam agrè expugnantur adancta.num.14. *pag.8*

Perfecti,etſi varijs exterius ſint occupationibus implicati, precibus interiùs ac virtuti vacant adſcripti.num.18. *p.10*

Ad virtutes ſalubribus dirigimur monitis ; ſed tendimus laciores exemplis.n.24. *p.12*

Diuinæ electionis eſt in optimi prædeceſſoris locum ſufficere, qui dignis poſſet munus actionibus adimplere.n.28. *p.13*

Redditum militari virtuti præmium ingens eſt ad militarem virtutem accendendam motiuum,n.34. *p.15*

Ea Reſpublica facile inimicos detriumphat,quæ periculoſas ambitionis,aut ſeditionis leges ignorat. num.39. *p.17*

Qui ad eligendum diuino oraculo deſiderat inſtrui,nulla ambitionis,aut cupiditatis vmbra procurauerit deturpari.n.43. *p.18*

Glorioſos maiorum conſeruant titulos virtute ſimiles,amittunt degeneres.n.47. *p.20*

Bona electio res Dei eſt.n.51. *p.21*

Dignitatibus ante preces debet ornari, quem conſtat virtutibus refulgere.n.56. *p.23*

Milites ſolùm de virtute fortes,de faſtu inueniuntur audaces.n.62. *p.25*

Ea ſolet eſſe aliquorum ambitio, vt domus familiaque contempſerint detrimenta, vt Principum aut Magnatum frequentarint palatia. n.68.p.26

Non diſſimili gloria fulget, qui ſanis doctrinis expugnat vitia,& qui hoſtilia armis euertit caſtra. num.73. *p.28*

Fraterna charitas & concordia validiſſima in hoſtes arma, & ſerpentinæ fraudis incantamenta. num.79. *p.30*

Plurimum debemus militibus, per quos nobis contingit otium, & certaminis ignoramus periculum.n.84. *p.32*

Illos tangere minus ſolet ambitionis pruritus, quibus maior meritorum ornatus.n.89. *p.33*

Pœnitentia ſine dolore,pudoris diſpendium, mœrori coniuncta ſceleris probatur excidium.n 95. pag. 35

Videtur ferè non fuiſſe, quod exiguo tempore reperitur duraſſe.n.101. *p.107*

Nonnulli ſuorum cauſis non ſtudent ignaui, cùm extraneas curare ſoleant diligentiſſimi.n.106 p.39

Optimus Reipublicæ adminiſter ſtudioſius curat munus implere, quàm ſibi plauſum,aut commodum elucrari.n.113. *p.41*

Quærere laboris conſortem inuenitur humanum, aſciſcere gloriæ ſocium habetur ſemper diuinum. num 118. *p.43*

Laude adæquè videtur dignum pœnis malos afficire,& templa muneribus exornare.n.124 p.44

Potentiores ſua ſe potentia tuentur ; infirmiores vel ob leuiora acriùs peccata puniuntur.n.129. pag 46

Qui in egeſtate nititur refulgere, non poterit non peccare.n.133. *p.47*

Regia obſcuratur dignitas,ſi hoſtile illam temerauerit ferrum,aut quid eius ceſſerit in ſpolium. num.138. *p.49*

Plures iuſtitiæ ſeueritatem commendant,ſi culpa puniatur aliena ; abrodunt, ſi pœnas dederit propria n.143 *p.51*

Nobilis ingenuuſque meliùs ad virtutem allicitur oſtenſo præmio, quàm imentato ſupplicio. num. 148. *p.53*

Miſerum eſt laborem priuari fructibus, & dinexari laboribus.n.154. *p.55*

Calamitas de patientia ſæpè lenitur, de impatientia exaſperatur.n.160. *p 57*

Regiam dignitatem dedecorat crudelis ſæuitia, nobilis commendat clementia.n.165. *p.58*

Poſt mortem viuunt ſtrenui,mortem ſuam anteceſſerunt ignaui.n.170. *p.60*

Peccatores ſuis artibus pereunt,& quod in alios malignißimè architectantur, in ſe præter opinionem moliuntur.n.175. *p.62*

Quiſquis ſceleris ſedulò meditatur extrema, in virtutem exinceps non capiet arma.n.181. *63*

Bello fugere ferè ſemper inglorium : ſtrenuo viro vincere aut cadere dignum.n.186. *65*

Vitiorum ante oculos habere ſupplicia accendit contra appetitus in arma.n.191. *p. 67*

Plus apud homines valet leuis defectus ad notam,quàm plurima virtus ad famam.n.196.p 69

Homines aliquando malitia dæmonem ad ſpeciem

ciem vincunt,quando ille fugit notitiam , cùm ipſi in maleſactis oſtement pompam.n.200. p.71

Qui blandius ſibi indulget , frequenter in alios durius deſæuit.n.204. 72

Grauius ipſa morte lentum ac diuturnum tormentum.n.209. 74

Cordatus ſuperior ſtudet ea præcipere , ad quæ ſubiectos faciliùs nouerit inclinari.n.214. 75

Non ſemel quæ vires adduntur corpori,adduntur etiam & crimini.n.219. 77

Non adeò nobilis maiora ſibi impendi ſemper exambit officia , cùm nobilior non ſic magna requiſierit obſequia.n.225. 79

Legis non ſemel iniuria homini ſeruatur promiſſum,cùm aliquando violetur nulla occaſione cogente Numini votum.229. 80

Sapientia non tam eſt prolixæ ſpeculationis fructus,quàm virtutis , mortificationiſque partus. n.234. 82

Ingenuo viro petere moleſtum , vt dilargiri iucundum.n.239. 84

Viget in fœminis ad petendum acutiſſimum ingenium,& mirum ſæpè artificium.n.245. 85

Mulieris ingenium auerſatur ſæpè poſſeſſa ſimulato faſtidio,& vero acquirendi voto.n.249. 87

Vitio aliquando miniſtris vertitur ambientium non expedire negotia,cùm ambitores ipſi extiterint ſibi obſtacula.n.255. 89

Prudens ſolùm de morte cogitat , dum finis appetit,quantumuis ad dignitates aſcitus ; imprudens dignitates ſuſpirat,etiam in ipſo occaſu ambitioſus. num.259. 90

Optima Politice, vbi non diſtribuit magiſteria pro libito affectus ; ſed ſudor cathedrarum acquirit gradus.n.263. 92

Mirum eſt , ſi doctus non dedignetur addiſcere, & aures aliis præbere.n.268. 94

Indecens videtur infami legi ſubiicere , ſi quis cognatos poſſit prouidenter extrahere.n.273. 95

Cognatis præ reliquis eſt exhibendum officium, in his præcipuè,quæ pertinent ad virtutis augmentum.n.278. 97

Cognati amicique recedent , ſi premat calamitas,aderunt,ſi fulgeat felicitas.n.284. 99

Ille præ aliis veritatis ac virtutis magiſter eſt diligendus,qui triumphis & virtutibus emicat laureatus.n.288. 100

Virtus in exordio micat non ſemel feruentior,ſed paulatim tempore elanguet remiſſior. n. 293.102

Dei fauor eſt,ne attulerit præſumptionis naufragium,reprimere proſperitatis exceſſum.n.298.104

Iuramentorum fides eſt religioſè ſeruanda , & ſemper fideliter cuſtodienda.n.303. 105

Indecorum prorſus eſt magna minimis obſcurare , & leui errore glorioſè patrata perdere. num.309. 107

Nihil eſt peccatori ſe vilius.n.312. 109

Alia vitia plurimos , inſana diuitiarum vota ſubiugauere vniuerſos.n.317. 110

Felices poſteri, quibus parentum virtus aſciſcit auxilia , & generoſè repudiata legauit præmia. num.325. 112

Etſi iuſtorum multiplici calamitatum genere erudierit vitam, poſt mortem Deus nominis curat ſtudioſiſſime famam.n.328. 114

Iuſti internis gaudiis exultant pleni, etſi externo cortice ſordeſcant horridi , iniqui intus marceſcunt horridi,exteriùs reſplendent fulgidi.n.332. pag.116

Caſtitas cultores ſuos æternis coronat lauris , & temporalibus cumulat non ſemel diuitiis.num.337. pag.117.

Vt inglorium eſt religioſis viris pietatem à ſæcularibus edoceri , ſic eſt glorioſum vel ad debellandam malitiam felici malitiæ ignoratione ducta-ri.n.341. 119

Nulla eſt perſpicacia , quam quid non poſſit latere,& eius curioſitatem fruſtrari.n.347. 121

Improbi ea arte ſe aliquando , ne deprehendantur,abſcondunt,vt inuenire nequeat induſtria , aut indagare prudentia.n.351. 122

Suam apud ſæculum merita ſortiuntur etiam fortunam : aliquando remunerantur exiguo magna, & ampliſſimo præmio exigua.n.356. 124

Propriam vtilitatem obligationi præferens , qui in amicum recipiatur indignus ; fidelis æſtimationem meretur,etſi contrarium.n.361. 125

Ferè nulla in totum poſſunt latere ignorata: quia curioſitas ſemper intenta.n.365. 127

Plures circa propria inueniuntur cæci , circa aliena acutiſſimè inoculati.n.368. 129

Securior degit fragilitas cautâ ſolicitudine armata,quàm fortitudo,ſi deſtituta.n.373. 130

Ea mortales premit cæcitas & ambitio , vt non tam curent vitam moribus excolere, quàm gloriam nominis æternare.n.377. 132

Sæpè à Republica potentioribus manat imbecillo calamitas, & miſerorum incommodo ſuorum ſolitant conſulere augmento.n.381. 134

CAPVT II.

Iuſtè Angelus appellatur concionator vitia feriens,nec munus aliò detorquens.n.7. 140

Lenius non ſemel curandum eſt, dum acriùs deſæuit vitium , ne auxilietur irritationi remedium. num.12. 142

Pœnitentia homines excudit ad ſpeciem ipſis Angelis ſuperiores.n.16. 143

Ea morum puritate ſacerdos niteat,ſi aliis cupit vtilem inſpirare doctrinam , vt naturam oculis repræſentet Angelicam.n.30. 145

Magnum Dei beneficium eſt concionator vitia carpens ,grande flagellum aures ſuauitate demulcens.n.25. 147

Cùm ob exigua geſtiamus erga homines videri gratos,ob beneficia ingentia videri negligimus erga Deum ingratitudine obſcuros.n.29. 149

Plures adſpirante fortuna obſcurantur abuſi: quia odium ſibi conflant antiqua obſcura ſortis nullatenus recordati.n.32. 150

Ingens beneficium à laboribus, vitaque periculis liberari;ſed grandius à culparum labibus expediri. n.35. 152

Superior ſit ab omni adſectionis ſuſpicione remotus,vt omnibus poſſit eſſe proficuus.n.40. 154

Pecunia tam non ſolum didicit vitia defendere; ſed auſa eſt nobilitare.n.44. 159

Deus parcus eſt in beneficiis collatis recenſendis, largiſſimus in præſtandis.n.48. 157

Sic cæcutiunt homines , vt ea ipſa,quæ ſeueritas poſſet decreuiſſe ſupplicia,ſibi exambierint vt commoda.n.53. 159

Grandis Numinis fauor eſt,peccandi occaſiones arcere:nam ſi occaſio inuitet,fragilitas humana non rarò corruet.n.57. 161

Superioris reſplendet plurimum excellentia,dùm animi morbos ſanat faciliori medicina.n.63. 162

Non

Paragraphorum Moralium.

Non tam grande ambitioni ſupplicium eſt propriis commodis diſpoliari, quàm ipſis inimicos augeri. n.67. p. 164

Maioris apud homines valent caduca, minoris æterna. n.72. 166

Concionatorem nobilitant non ſubtilitatis, ingeniique plauſus; ſed pœnitentia in auditoribus fructus. n.76. 167

Ad repellendam calamitatem minus valet, vel ſtrictiſſimum naturæ vinculum, quàm ſuſpiriorum ac lachrymarum ſuffragium. n.83. 169

Magnum Dei beneficium eſt, ſi peccatum ſequatur pœna, nec in longa differatur ſæcula mulcta. num.88. 171

Sacerdos dum ſapientia ſanctitateque culpæ aut vitæ à proximis arcet periculum, Angeli meretur elogium. n.92. 173

Qui purè ſyncereque Dei gloriæ, & proximorum utilitati deſeruit, metas quodammodò naturæ humanæ tranſiluit. n.100. 174

Qui à Deo relictus ruinæ ſuæ non ſentiebat diſpendia, meliori luce utens doloroſa fundit ſuſpiria. num.103. 176

Prudentes admonitorem venerantur ut Angelum, imprudentes oderunt ut inimicum. num.108. pag.177

Caſtitas & longiſſima vitæ vena, & immortalitatis eſt officina. n.112. 179

Quæ quis honeſtè egit in vita ad miſerorum auxilium, æternum petitur in morte elogium. n.117. pag.180

Magna defunctorum in Eccleſia felicitas poſſe Dominico Sacramento expiari, quò reatus facilè conſtat abſolui. n.121. 182

Quæ in Purgatorio acri ſoluerentur flammarum ſupplicio, facillimo fideles poſſunt impedire remedio. n.125. 183

Seuerè à Deo punitur, qui quod ad defunctorum expiationem pertinet, protelare cognoſcitur. num.129. 185

Eccleſiæ ſuffragia valent plurimum, ut Purgatorij ſoluatur pœna. n.133. 187

Quæ apud nos reputantur ſæpiſſimè exigua, grauiſſima in Purgatorio ſoluuntur pœna. n.139. pag.188

Iuſtorum mors euaneſcit in umbram, iniquorum vita in veræ mortis tranſit ſubſtantiam. num.145 190

Pro lege & ſalute ſuorum laborat ſuperior auaritia non pollutus; legi verò refragatur infectus. num.152. 192

Magna Reipublicæ ſalus maturis, prudentibuſque hominibus gubernari, grande naufragium ab immaturis, & iuuenibus regi. n.157. 194

Creſcit peccandi reatus, quando nullus peccandi fructus. n.161. 195

Oppoſitum parentis exemplum filij condemnat delictum. n.165. 197

Deus non inuitatus benefacit, à nobis compulſus punit. n.172. 199

Eximia perfectio eſt perduci ad impotentiam ſceleris, ut cumulata malitia, ad impotentiam honeſtæ actionis. n.176. 200

Exaggeratior calamitas ludibrio haberi, & aduerſariorum furori tradi. n.181. 202

Duriſſima probatur malitia, quam nulla potuit corrigere pœna. n.186. 204

Qui Apoſtolorum loco ſufficitur, totum ſe proximi utilitatibus impendiſſe tenetur. n.191. 205

Qui à Deo ad apicem dignitatis eligitur, omnibus probatur beneficus, ut qui ambitionis aſcendit artibus, inuenitur nocivus. n.196. 207

Sic nonnulli deſipiunt criminum famulatui addicti, ut libertatem repudient, & ſeruitutem anhelent. n.202. 209

Peccati via ſubiectis aſpera, ſuperiori inuenitur aſperrima. n.207. 210

Homines ad vitia ſemper propenſi, virtutes aliquando colunt adacti. n.211. 212

Hominibus pluris eſt vitium utilitati coniunctum quàm diuinum ſine humana utilitate præceptum n.215. 214

Cùm Deus in hac vita punit peccata, ad ſpeciem videtur iratus; ſed reuera probatur benignus. num.218. 215

Virtus nondum reſplenduit cumulatè perfecta, quouſque & opportunitate & exemplo in contrarium vocantibus conſtitit imperturbata. num.223. pag.217

CAPVT III.

Militia ſi rectè geritur, felicitatis eſt vena, & ſalutis officina. n.7. 223

Non ſemel Deus incipientibus omnia mollit, & poſteà rerum difficultates ad profectus conſummationem oſtendit. n.12. 225

Miſerum eſt non ſolùm vitiis ſe tradere; ſed pugnare in vitia neſcire. n.16. 226

Felicitas & otium fœcundi parentes criminis, & progenitores erroris. n.20. 228

Non ſemel nutriuntur filij à parentibus ultionis deſiderio, & inimicorum odio. n.25. 229

In eam peccatores deuenerunt ſæpiùs amentiam, ut mala ſua non ſolùm noluerint fugere; ſed ambitiosè ſuſpirauerint æternare. n.29. 231

Quod ſæpè in ſeipſam detrimentum imprudens architectata eſt malitia, vertit in commodum prouidentia. n.33. 233

Ea eſt hominum amentia, ut in ipſis quærant ſecuritatem periculis, & commoda ſuſpirent in detrimentis. n.38. 234

Grande peccatoris ſupplicium, ſi improbum nanciſcatur infelix votum. n.43. 236

Ex matribus facilè filiorum prævidetur ingenium, & ex filiis maternum agnoſcitur inſtitutum. num.48. 237

Improborum amicitia calamitatum eſt vena, nobilitatis nota, & criminis officina. n.53. 239

Libido regnorum depopulatrix, ac dedecoris eſt nutrix. n.57. 240

Improba ſuperbia abiectionis eſt officina, vera humilitas honeſta altitudinis vena. n.62. 242

Hiſtorici ferè ſemper viuentibus adulantur, nec exactè veritati obſequuntur. n.67. 243

Durius eſt ibi extremis adurgeri miſeriis, ubi lautis maiores exundauere diuitiæ. n.71. 245

Magna calamitatis pars eſt cauſam ignorare, ut remedij illam ſcire. n.75. 246

Virtutis via citò deſeritur in vitiorum tramite prolixum tempus inſumitur. n.80. 248

Principes virtutibus ſibi emunt victorias, vitiis fabricauere catenas. n.85. 250

Angelorum ſolicitudine diffugiunt ſæpiſſimè aduerſa, & aſciſcuntur felicia. n.90. 251

Princeps populi eſt ſalus, dum priùs armatur in

vitia, & poſtea in aduerſarios apprehendit arma. num.95. p.253

Oratio non ſolùm eſt criminum medela; ſed etiam calamitatum temporalium eſt medicina. num.99. 255

Eximium ſuperiorem cudit rationabilis tolerantia,& ſagaciſſima prouidentia.n.103. 256

Sibi hoſtis eſſe probatur, qui vires oratione non abſtulit inimico: nam oratio eſt calamitatis depultrix,& fortunæ conciliatrix.n.107. 258

Vbi vitia ſibi ſuppetias ferunt, longum captiuitatis tempus producunt.n.111. 260

Qui quanta vitiis ſoluantur tributa, expendit, ſceleris iugum excutere ardenter ſatagit.num.116. pag.261

In grande vergit Reipublicæ commodum exactoribus carere, & venali illorum indulgentiæ obuiari.n.122. 263

Mirum eſt à populo ſoluta integra ad Principem peruenire, vt dilargita à Principe incorrupta ad accepturos deſcendere.n.129. 265

Sapè Deus inſtrumentis parum ad ſpeciem aptis mundi confundit ſapientiam, & ſuam oſtentat miris operibus efficaciam.n.133. 266

Optima Politice dignos deligit;minùs laudabilis conſanguineos ſolùm præponit.n.138. 268

Frequentiſſimum eſt aulicis & vulnus infligere, & manum prorſus abſcondere.n.143. 269

Laudabilis aſtutia obarmetur in culpam: quia impia ſagacitas obarmatur in gratiam.num.148. pag.271

Diuino zelo inflammatus,vt patienter in ſe tolerare diſcit offenſam, ſic in Deum vindicare geſtit iniuriam.n.154. 272

Sit aliquando munus vitij venenum, virtutis auxilium,cum ſapè criminis auxilium, & virtutis fuerit venenum.n.158. 274

Nulli tutò ſecretum committitur, præcipuè ſi gratia aut lucrum de proditione ſperatur.n.162 pag.276

Natura humana vt ſecretum inueſtigandi eſt auidiſſima,ſic effundendi percupida.n.167. 278

Ægrè patitur Deus dicatum ſibi locum culpis inſici,aut vel alieno crimine maculari.n.171. 279

Citiùs gratia Principum promeretur muneribus,quàm virtutibus.n.176. 281

Non ſemel grauiorem Numinis ſuſtinet iram irrogata ſacris locis irreuerentia,quàm ipſi Numini illata iniuria.n.180. 283

Ardorem ſæpe inſpirant contra peccata, dum ſacra inuiſuntur loca.n.185. 284

Vt dæmon ſomniis vti ſolet in virtutem pro armis, ita in vitium Deus pro armis vtitur ſomniis. num.189. 286

Diſcat virtutis amator à peſſimis, vitiorum omnia abolere veſtigia, vt illi virtutum deterunt monimenta n.195. 288

Vitia omni ſecreto ſunt corrigenda, & correctio cunctis celanda.n.199. 289

Patet facilior mendaci ad Principem aliquando aditus;veridico eſt difficilior acceſſus.num.204. pag.291

Vt nullus eſt locus, in quo vitium non aggrediatur virtutem, nullus etiam ſit, in quo virtus non aggrediatur improbitatem.n.209. 293

Dei verbum magna attentione eſt auſcultandum,& reuerenter audiendum.n.214. 294

A Deo electus ſuperior proprio labore ſubiectorum procurat commoda; imò aliquando ſuo illorum arcet pericula.n.218. 296

Manum admoueat operi,qui ſubiectos cupit parere virtuti.n.222. p.297

Vitia non ſolùm ſunt deterenda; ſed ad illa etiam itinera præoccupanda.n.227. 299

*Non rarò alta poſſidentes ſunt crimini tributarij humiles de vitiis triumphant glorioſi.n.231.*301

Plus deterendis Chriſti inimicis valet ſimplicitas ſapientia deſtituta,quam ſapientia, ſimplicitate priuata.n.236. 302

Prudens ſuperior aliquando diſtrictionis vtatur gladio aliquando leuiori ad virtutem incitarit ſtimulo.n.242. 304

Facilè imminens vitium propellitur; difficulter, ſi iam corda poſſedit, abigitur. numero 247. pag.306

Glorioſius eſt Principi appetentia mala impedire,quàm iam experta repellere. numero 251. pag.308.

Qui Dei ſpiritu agitur, magna & aliis inacceſſa ſemper aggreditur.n.255. 309

CAPVT IV.

Qui ſub ſpontanea paupertate degit, facilè virtutes colit, & alios ad colendam virtutem trahit. num.6. 317

Magnum peccati ſupplicium elabi in reprobum ſenſum.n.10. 318

Apud bonum Principem minus valent conſanguinitatis iura, plus virtutum merita.numero 15. pag.320

Qui elabitur à perfectionis faſtigio, demergi ſolet grandi vitiorum naufragio.n.19. 321

Decet maieſtatem per ſeipſam remunerare, & per alios decet punire.n.24. 323

In curia crimina ſecuriùs degunt,& impugnantium vires certiùs eludunt.n.30. 325

Ad recuperandam mundialem gloriam omnis dulceſcit moleſtia, cùm torpeat ad virtutem recuperandam ignauia.n.35. 326

Senſus volaticis oblectationibus fallit, & laboribus duriſſimis terit.n.39. 328

Sumptuoſior miniſtrorum pompa non dubia eſt ſubiectorum miſeria.44. 329

*Qui humanam ſtudioſè colit prudentiam, rationis ac virtutis deſerit normam. numero 49.*331

Facilè peccatores amittunt vel venti flatibus, quod magnis ſibi comparauere laboribus. num.54. pag.333

Sibi ipſi probatur offenſior, qui inuenitur Numini durior.n.59. 334

Sapè calamitas orationis eſt magiſterium, & virtutis aſylum.n.65. 336

Indecorum eſt virtute ab imbecillioribus vinci: nam illorum præſtantia ignauiæ ſemper eſt nota. num.72. 338

Optimus Reipublicæ adminiſter nunquam denegat aditum;ſed omnibus apertum exhibet oſtium. num.77. 339

Quò quis Deo coniungitur ſtrictior, alios non ſolùm iuſtos; ſed perfectos deſiderabit ardentior. num.81. 341

Non poteſt non florere Reſpublica, vbi dignitas non tam tribuitur generis nobilitati,quàm animorum virtuti.n.85. 343

A carnis abſtineat prorſus deliciis,qui reſplendere exambit Sancti Spiritus priuilegiis.num.89. pag.344

Prudens fœmina omnem accuratè pudicitiæ vitabit notam; imò iniqua etiam ſuſpicionis audaciam.n.95. p.346

Qui ſub crucis degerit umbra, non poterit carere victoria.n.99. 348

Non adeò reſplendet dignitas de adſtantium pompa, vt de leuata calamitoſi miſeria. num.104. pag.349

Iuſti ita incerti ſunt, vt confidant; ita confidunt, vt obſecuritatem non torpeant.n.109. 351

Laudabilia ſæpè ſordeſcunt, ni congrua ſede potiantur.n.115. 353

Non ſemel ex gua recula magnam obſcurauit gloriam, & impediuit æternam.n.120. 354

Omni ſe muniat ſtudioſè cautela, qui contra vitium inſtruit certamina.n.125. 356

Qui à Deo eligitur, propriam ſpernit gloriam, vt à ſuis depulerit maculam.n.129. 357

Quæ diuini ardoris igne proferuntur mirantia verba, citò auditorum inflammant corda.num.133 pag.359

Felicitati ſuæ detraxit, quiſquis inuitantèm occaſionem in tempus futurum miſit.n.140. 361

Qui ad proximorum ſalutem à Domino deſtinatur, inter confinia vitiorum non læditur.num.144 pag.363

Vbi agnoſcitur virtutis præſtantia, deligendi non officiat abſentia.n.148. 364

Prudens ſuperior vitabit in præcipiendo, quidquid ſuperbiæ redolet faſtum, ne exacerbaris contra obedientiam ſubiectum.n.152. 366

Non ſemel qui indignior, ſolet tumere ambitioſior, vt benemeritus lucere demiſſior. numero 157 pag.368

Non leuis dolor eſt cogi ad exhibendum extraneis, quod parabatur dilectis.n.162. 369

Priuata ſtudia in Prælato penitus agnoſcantur excluſa: quia iam non priuatus; ſed omnibus adæquè promotus.n.167. 371

Accuratiùs debent muniri, quos vitiorum confinio conſtiterit propinquare.n.172. 373

Validiùs, animoſiuſque ibi pugnatur, vbi virtus, militiaque remunerata videtur.n.177. 374

Non ſemel per tarditatis vitium incurrit obſtaculum, quod ſapienter conſtat fuiſſe diſpoſitum. num.182. 376

Stabilem procudit filiis fortunam, qui legis impleri exactè procurat formam.n.187. 378

Magnis Deus præparat triumphis, quem laborioſis exercet præliis.n.191. 380

Creſcere debet in illo meritum, qui ad illuſtrius promouetur officium.n.197. 382

Primum magnatum debet eſſe ſtudium incorruptum & ſapientem ſibi deligere conſiliarium. num.202. 383

Ad reportandos de hoſtibus triumphos, plus ſæpè valent prudentis conſilia, quàm ferocientis militis arma.n.207. 385

Singularitas quia plurimis ſemper odioſa, quantum fas erit, à prudentibus ſemper fugienda.n.211. pag.386

Sanctorum conſortium magnum felicitatis præſagium, & magnum contra calamitates auxilium. num.215. 388

Non ſemel dicatum virtuti tempus, vanitati ac crimini ſoluitur, cum vanitati adſcriptum rarò aut nunquam virtuti ſoluatur.n.219. 389

Deſpicabilis eſt, & à ſociorum numero diſpungendus, qui ſe ſubtraxit tempore laboris, & accurrit ſolum felicitatis.n.224. pag.391

Miſer ſubditorum ſtatus, ſi imperet truculenta ſæuitia, nec ſe valeat tueri impotentia.n.227. 392

Vt opportunum temporalibus negotiis tempus vana ſuperſtitione ſeruatur, ita virtuti religioſa ſuperſtitione obſeruetur.n.232. 394

Quiſquis ſaluti ſtudet conſulere, geſtiat ſuperbum factum deponere.n.237. 396

Munera dignitate prædito oblata ſæpiſſimè inſidia probantur honori, & pericula dignitati. num.241. 397

Culpis aſſuetus, inſtante periculo non ſibi benè conſulit perturbatus.n.245. 399

Quò quis degit in fœminæ conſortio ſecurior, eo mortem incurrere ſolet perìculoſior.n.249. 400

Non ſemel amicorum vxores fuerunt ſcandala, dum grato vultu miniſtrant oblectamenta. num.253. 402

Teterrimus noſter aduerſarius aliis armis fugatur; ſed cruce Chriſti confoditur.n.258. 404

Apud ſæculum pluris æſtimantur diuitiis copioſi, quam dotibus virtutum præclari.n.262. 405

Qui nimis duris prægrauatur tributis, opportunam occaſionem nactus iugum rumpet, & in prægrauantem ardebit.n.266. 407

Quæ obſequioſa à fœminis ſæpè exhibentur officia, inſidioſa probantur dona.n.270. 409

Vt ingenuo viro iucundum eſt liberaliter dilargiri, ita duriſſimum mendicare.n.274. 410

Generoſus non ſolùm curat rogata concedere; ſed vota aggreditur vincere.n.278. 412

Voluptatem non ſolum manet in poſterum ſupplicium; ſed admixtum habet etiam tormentum. num.283. 413

Fœmina ad mendacium inuenitur exprompta & ad fallendum parata.n.288. 415

Fœminæ pulchellæ aſpectus eſt honeſti vigoris faſcinum, virtutis delirium.n.294. 417

Vehemens deſiderium moras non ſuſtinet; ſed in opus prodire geſtit.n.299. 418

Non carent maritatæ glorioſo triumpho, ſi vt fas eſt inſeruierint matrimonio.n.304. 420

Facillimo negotio Virginis ope adipiſcitur, quod aliàs nec magnis laboribus obtinetur. numero 309. 422

Non ſemel gloriæ ambitio virtuti inſeruit, & ad magna facinora inducit n.313. 423

Fœminæ dum domi abſconditæ fugiunt oculos, & glorioſos potiuntur triumphos.numero 317. 425

Non ſemel morti proximus ignauo oculos tradit ſomno, qui euanido dicauit oblectamento.num.321. pag.426

Leuis eſt adflictio, cui ſpatium determinatum taxatur, duriſſima cui nunquam tempus adſcribitur.n.325. 428

Capvt V.

Tunc cumulatè plenus reſplendet triumphus, cùm obſequioſa humilique gratiarum actione honoratur Deus.n.10. 435

Securè degit eius in domo vitium, ſi fœmina publicum non erubeſcat, nec miſcere colloquia cum viris fugiat.n.15. 436

Qui prodigit honeſtè ſalutem, & conſeruat vitam, & reportat ſæculis decantandam victoriam. num.20. 438

Prudens faciet expromptus, quod velit nolit efficere

e 3

Digitized by Google

efficere tenetur coactus.n.25. pag.440

Iuſti in aliorum factis ſolùm intuentur glorioſa,& neſciunt prorſus obſcura.n.29. 441

Pro virtute labor,etſi aliquando periculum afferat, ſolum eſt ad plauſum, cùm careat diſcrimine ad detrimentum.n.34. 443

Non ſemel grauius à vicinis, quàm à remotis vrget periculum, & à coniunctis ſanguine detrimentum.n.39. 444

Non ſemel vt maiorum obſeruentur conſilia, diuina contemnuntur præcepta.n.45. 446

Imprudenter ſibi parat excidia, qui molitur iuſtis aduerſa.n.48. 448

Quæ in paſſione Domini charitatis flamma relucet, vel duriſſima ad opera virtutis compellit. num.52. 449

Ni vitium prorſus depellatur,pax & tranquillitas non fulcitur.n.56. 451

Faſtoſa magnorum potentia grandi inualidorum ſæpè innutritur iniuria.n. 60. 453

Studioſiſſima dæmones diligentia ſatagunt ad orationem viam impedire, & orationis tempora ſuffurari.n.64. 454

Vitiis ſubiectus cogitur per anfractus incedere, & ſemper anxiis timoribus trepidare.n. 70. 456

Laudabilis nouitas,quæ virtutem promouet, & vetuſtatem depellit,n.75. 458

Maria Sanctiſſima inuiſo ſæculis triumpho de originali reſplenduit, & eximiis ſemper gratiæ prærogatiuis emicuit.n.80. 459

Laudabilius eſt bellum pati honeſtè reſiſtendo, quàm pace frui inhoneſtis iuſſis obtemperando. num.85. 461

Celeritatis,promptitudiniſque beneficio putatur gratia, quod non ſemel exigebat iuſtitia. num.91. pag.463.

Non exigua ſubiectis calamitas denuntiatur, dum ſuperior inops ad pompam dignitatis eligitur. num.96. 464

Facilè ex glorioſis geſtis oritur elationis tinea,& ipſis eſt indecora parentibus nota.num.101. pag.466

Princeps curet dignos ſic muneribus ac laudibus exornare, vt caueat diſcordiam æmulationis ingerere.n.108. 467

Nonnulli opportunè, importunéque ſuas ſuorumque laudes interferunt, & facinora produnt. num.111. 469

Qui laude probatur dignus, nunquam alienæ laudis inuenitur auarus.n.115. 471

Nonnullis opportuna occaſio elabitur, dum prolixius quid faciendum ſit,conſulitur.n.119. 472

Non minus laude eſt dignus, qui ſcriptis mores informat,ac qui aduerſarios fortiter pugnando debellat.n.123. 474

Non ſemel inuenitur,qui vt exiguæ ſuæ vtilitati conſulat,totam periclitari rempublicam ſtultiſſimè ſinat.n.128. 475

Dum peccatores ſomniatis confictiſque proſperitatibus ſibi imponunt,in duras veraſque calamitates incurrunt.n.132. 477

Non eſt infelix qui ipſo adoleſcentiæ flore infirmitate præciditur; ſed qui hoſtili ferro obtruncatur.n.136. 478

Vt Numinis fugiatur ira, vel maxima ſalutis amplectenda ſunt detrimenta.n.139. 480

*Mariæ infauſtum dæmoni fatum eſt; citiùs aliquando perit vel cum eius vmbra præliatus, quàm cum ipſa omnipotentia congreſſus.n.143.*482

Vitiorum arma parum valent in corporis adflictatione munitos,& aſperitate obarmatos.n.147. pag.483

Securam vitio molitur ſtragem,qui pueros erudit ad ſalutem n.152. 485

Non ſemel fœminæ, dum ad ſpeciem gratius blandiuntur, firmiuſque promittunt,fallere certius diſponunt.n.157. 487

Etſi aliquando inimicus indulgeat, non erit ad vtilitatis commodum; ſed ad doloris augmentum. num.161. 488

Stultiſſimus inuenitur, qui ad ſalutem aliena confidit cura,ſi propria reſoluatur ignauia. n.166. pag.490

Amor etiam quæ cenſet impoſſibilia,ſolet expaueſcere detrimenta.n.171. 491

Neſcio quo pulſu corda euentum ſolitant præſagire,& quodammodò prænuntiare.n.175. 493

Infauſta denuntiandi pruritu nonnulli anteuertunt tempora,& præſagiunt aliis ingrata.n.180. pag.495

CAPVT VI.

Non ſemel qui aliis fuerunt auctores ad culpam, carnifices deputantur etiam ad pœnam.n.23.p.508

Miſerrimus eſt qui temporalium caret vſu,& inardeſcit affectu: felix qui caret affectu & potitur vſu.n.29. 509

Qui tremendis adſtant Euchariſtiæ myſteriis non ſolùm mundentur à culpa,ſed etiam à cogitationum fallacia.n.35. 511

Peccatum comitatur ſalutis, & diuitiarum diſpendium, vt virtutem non ſemel incolumitas & aurum.n.39. 512

Qui ob peccatum alicui ſubiicitur, eius ſæpè proximos & amicos ſuſtinere cogetur.n.44. 514

Non minus aliquando virtutis fructus deperdit elationis ſuperbia, quàm libidinis ſpurcitia. num.48. 515

Vnio ſiue ad bonum ſiue ad malum ferè inuictas ſortitur vires, & aduerſariorum eludit artes. num.53. 517

Vulgus ſub peccati iugo gemit captiuum,ſi Eccleſiaſticus diuitiarum ſolùm curet augmentum. num.58. 519

Nequitia dæmonis ſummo ſtudio curat virtutis ſemina opprimere; curet iuſtus in ſemine crimen delere n.62. 520

Iniuſta rapina eſſe ſolet iuſtæ poſſeſſionis naufragium,& diuitiarum excidium n.67. 522

Miſerabilis eſt apud quem diu immorantur ſcelera,& incolæ ſunt peccata.n.70. 523

Si auaritia inficiat Prælatos, miſerabilis vaſtitas conſumet ſubditos.n.74. 525

Calamitas eſt orationis ſchola, & oratio multorum, pœnitentium præcipuè, felicitatis eſt vena. num.79. 526

Dum in hac vita Dominus peccatum carpit,lætiorem adducere fortunam intendit.n.82. 528

Non eſt opus ingenuum graui obiurgatione corripere; ſed eſt ſatis admiſſos errores oſtendere. num.87. 529

A diuitiarum copia & mundiali tumultu inuitus etiam receſſus eſſe ſolet ſupernæ lucis illictum, & felicitatis exordium.n.91. 531

Qui alios cupit ad pœnitentiam adducere,omni ſtudioſè

Digitized by Google

ſtudioſè conetur vitio carere.n.96. pag.532

*Sæpe exigua nitorem perfectionis infuſcant, & gratiam auſteritatis dedecorant.n.*101. 534

*Quidquid Deo ſeruit, & homini prodeſt.n.*106. pag.535

*In Domino fiducia fructus producit & animo dulciſſimos, & etiam ſaluti commodos.numer.*110. pag.537

*Ille dignitatis culmina dignè aſcendit, qui ſolicita perſpicacia ſub virtutis colore obrepentia vitia dignoſcit, ſtudioſeque diuidit.n.*115. 538

*Chriſti Domini crux, paſſioque Angelorum eſt requies, & quaſi feriatio ab anxia ſolicitudine. num.*119. 540

*Qui vtilitatem amat Reipublicæ, nunquam permittit otioſos, quos egregiis dotibus agnouerit exornatos.n.*123. 541

*Superior facilè ad virtutem ſubiectos trahit, & interna puritate nitens, & externa mortificatione pallens.n.*128. 543

*Cœleſti pane nobilitatus Numini probatur coniunctus, & cunctis ſpiritibus venerandus.num.*134. pag.544

*Ea ſolùm nobilitas apud Deum lucet ſplendida, quæ virtutibus probatur ornata.n.*138. 546

*A Magnatibus honorari calcar eſt ad tentanda egregia facinora, & de hoſtibus reportanda trophæa.n.*141. 547

*Cœleſti epulo innutrito ſatis non eſt adoriri fugam; ſed tenetur de vitiis reportare victoriam. n.*145. 548

*Solerti conuenit diligentia ſemel & iterum explorari, qui debet dignitatibus anteferri.num.*149. pag 550

*A ſuis prouidenter arcet periculum à Deo electus vt de hoſtibus reportarit trophæum, num.*153. p.551

*Pietas erga parentes depellit infauſta, & affert fortunatiſſima.n.*157. 553

*Quò quis virtutibus inuenitur excultior, Reipublicæ probatur commodior.n.*162. 554

*Non eſt inconſultè cuique Spiritui fides præſtanda, ſed diligentia adhibenda.n.*167. 556

*Sapiens conſulit conſcientiam laudatus, ne delinquat laudatione ſuperbus.n.*172. 557

*Virtute ornatior ſemper inuenitur humilior destitutus dotibus intumeſcit ſemper ſuperbior.n.*176. pag.559

*Ea debet cœleſtis menſa conuiua ſanctitate reſplendere, vt cenſeatur inter cœleſtes ſpiritus habitare.n.*180. 560

*Durum eſt expectare tormentum.n.*185. 562

*Miniſtri ſanctitas ſacrificium commendat, & gratiam citiùs implorat.n.*189. 563

*Dei ſeruis exhibitum obſequium probatur Domino ſacrificium.n.*193. 564

*Contrariis non ſemel Deus diſpoſitionibus vtitur ad omnipotentiæ pompam, & ad homini ingerendam fiduciam.n.*199. 566

*Nil patiaris apud te manere ex his, quæ ſemel decreuiſti Domino conſecrare.n.*202. 567

*Eam exigit puritatem oblatum Domino ſacrificium, vt Angelus etiam ad ſpeciem vereatur attactum.n.*206. 568

*Non ſemel initiare ſolet diſtantia, quod exaugurabat affinitas & præſentia.n.*210. 570

*Quod nos Domino reconciliat, felicitate & ſalute donat.n.*214. 571

Nonnulli ſibi adulantur in futurum ſpebus, quo liberiùs modò deſœdentur criminibus.numero 219. p.573.

*Qui vitia oppugnare aggreditur, prouida contra pericula defenſione muniatur.n.*224. 574

*Dei honoris zelotipus vitij arma in virtutis vertet auxilia: quia non ſemel improbus virtutum auxilia in vitiorum conuertit arma.n.*229. 575

*Etiamſi reſpublica extremis calamitatibus affligetur, vitio cultus expenſis ſumptuoſis præſtatur. num.*232. 577

*Hominem dæmones luxuriæ voluptate ſubornant, vt ſemper captiuum ad plura delicta trahant num.*236. 578

*Difficillimo negotio celatur, quod ſeruorum interuentione perficitur.n.*239. 579

*Sæpè cognati virtutis fuerunt impedimenta, & religionis obſtacula.n.*243. 581

*Sic iniurias altari temploque illatas diuina vindicta vlciſcitur, vt ſi diſſimulet, diuinitate quodammodo exaugurari putetur.n.*247. 582

*Illuſtriora ſunt nomina quæ virtus excudit, quàm quæ vetuſtiſſimæ originis imperturbata ſeries ad poſteros deriuauit.n.*250. 584

*Qui Dei monetur Spiritu, contentus non eſt per ſe ſolum in vitia irruere; ſed ſocios ſatagit congregare.n.*254 585

*Quiſquis ſuperioris aſcendit faſtigium, non fidat tantum ſuæ electionis conſcientiæ; ſed ſatagat apud alios florere ſanctitatis notitia.n.*257. 586

*Qui ſuo non proſperit generi, à Deo electus non videtur ad triumphos reportandos, & aduerſarios terendos.n.*260. 588

*Nunquam deeſt, qui felicitatis tempore aliquid ſugat; ſed deeſt qui indigentiæ tempore impendat. n.*265. 589

*Maria vti Dei mater ſpeciali ſemper priuilegio refulget, & creaturas reliquas honoribus antecedit.n.*268. 591

Sine Virginis ope hoſtis difficulter vincitur, eius auxilio facillimè debellatur. numero 272. pag.592

*Facilè ſuſpicioni accedimus ad aliorum notam, cum non ſic accedamus ad famam.n.*275. 594

INDEX

INDEX
Ad Sacras Conciones de Tempore, & de Sanctis.

C, *Caput denotat, eiuſque ordinem prior numerus, poſterior,* N, *adiunctus, numerum marginalem.*

Dominica Prima Aduentus.
Lucæ 21.

1. E*RVNT ſigna in Sole,& Luna & ſtellis*,&c. Sol vt hominibus pœnitentiam ſuadeat, lugubrem pœnitentiæ habitum prouidenter aſſumit:nam virtus meliùs quàm monitis, viſis perſuadetur exemplis. cap.1. numer.24. toto §. pag.12

2. *Erunt ſigna*,&c.Sol,Luna & ſyderũ cohors in homines ob perpetrata flagitia armantur, & cùm didicerint ſeruili timore areſcere; tot adhuc viſis prodigiis non didicerunt ſcelera detrectare; imò ſe premunt, citiſſimè amittendæ telluris ſtudio. Ecqua huius obſtinatæ adeò peruicaciæ cauſa eſt? Ipſa certè inueterata, & adulta in ſceleribus conſuetudo. In vitia pugnandum eſt, dum recenter exorta: difficulter namque expelluntur adulta.cap.1. n.14.toto §.p.8

3. *Erunt ſigna*,&c.Sol, vt dolorem prodat,luminum deponit pompam, & lucis obſcurat gratiam: vt diſcant homines pœnitentiam conſtare & dolore interno, & ſqualore exteriori: & quidem externa ſolùm pœnitentia eſt pudoris diſpendium; at mœrori coniuncta ſceleris probatur excidium. cap.1. n.95. toto §.p.35

4. *Erunt ſigna*,&c. Cœlorum aſtra, vt quæ in temporum indices ſunt creata, ſplendorem deponunt, & futuras terroris cauſas hominibus manifeſtant: vt ſuperiores, & alta poſſidentes edoceant munus diſpendio etiam fulgoris ſtudioſiùs implere, quàm plauſum lucendo ſibi eluctari. c.1.n.113.toto §. p.41

5. *His ita fieri incipientibus*,&c. Monet ſuos Dominus manentia iuſtos cogitare præmia, vt reſumant animos contra tot irruentia pericula, & quamuis timorem extorqueant obſcurata ſydera,vult recurrere ſuos ad præmia: nam nobilis virtutis alumnus meliùs ad virtutem allicitur oſtenſo præmio,quàm intentato ſupplicio.c.1.n.148.toto §.p.53

6. *Leuate capita veſtra*.Inter tot inſanientium calamitatum volumina iuſti interiori pace fruuntur, & oblectantur: iniqui è contra anguntur timidi, & timent aridi: ſic namque euenit ſæpè vt iuſti exteriùs etiam afflicti exultent interiùs læti; iniqui verò exteriùs non ſemel læti interiùs dirè premantur afflicti.c.1.n.331.p.116

7. *Virtutes cœlorum mouebuntur*. Certè contra inſenſatos armatæ, vt qui noluerint ſalubres pendere lachrymas pœnitentiæ,inutiles ſoluant dolori. Profectò qui olim ad ſcelera alliciebant exemplis,iam auertunt ſuppliciis. Et quidem facilè contra appetitus apprehendit arma, qui appetituum ſedulè expendit ſupplicia.c.1.n.191.toto §.p.67

8. *Areſcentibus hominibus præ timore & expectatione*. Vt duriùs diſcrucientur,non ſolùm timore anguntur; ſed appetentium malorum expectatione, & imaginatione torquentur. O quam ſæuum tormentum eſt non celeriter conſumi; ſed lentis pœnis cruciari? Grauius certè ipſa morte eſt lentum ac diuturnum tormentum. cap.1. num. 209. toto §. p.74

9. *Et in terris preſſura gentium*, Sic peccatores cæcutiunt, vt rerum non erudiantur occaſu; imò tunc inſaniori inardeſcant appetitu:iuſti vti prudentes, ad cœleſtia, capita leuant; iniuſti vti cæciſſimi, terrena ſolum ſuſpirant:id inter prudentem & ſtultum diſcrimen eſt: prudens, dum finis appetit, cogitat ſolùm cœleſtia: imprudens ambit humana. cap.1. n.259.toto §.p.90.

10. *Et in terris preſſura gentium*. Curant inſani fugientes creaturas retinere, nec ſe ipſos curant ſeruare: nec mirum: nihil namque eſt peccatori ſe abiectius & vilius, c.1.n.312. toto §.p.109

11. *Videbunt filium hominis*. O vtinam modò meditatione cogitent, quem in peccatores poſteà oculis irarum videbunt. Et quidem malorum finis virtutum ſchola eſt:nam quiſquis ſceleris meditatur ſedulè extrema, in virtutem non capiet arma.c.1.n.182. toto §. p.64

12. *Videbunt filium hominis*.Tenebris iam impediti. (Sol namque obſcurabitur) Deum ſolum videbunt: Et quidem quod indignationis videbatur indicium, indulgentiæ diuinæ eſt clariſſimum teſtimonium. Grandis Numinis fauor eſt, ne occaſio inuitet,creaturas

ab

ab aſpectibus ſubmouere: ea namque eſt humana fragilitas, vt non rarò corruat, ſi opportunitas occaſionis alliciat. c. 2. n. 57. toto §. p. 161.

13. *Videte ficulneam, & omnes arbores*, &c. Cur ficulneam in exemplum delegit? Fortè, quia, vt maioribus noſtris viſum eſt, ficulnea & ſceleri miniſtrauit, & ſceleris pœnam tulit. Magnum profectò Dei beneficium eſt, ne in æternum defeatur ſæculum mulcta, præſentanea peccatum puniri pœna. c. 2. n. 88. toto §. p. 171

14. *Hæc ita fieri incipientibus.* Adigit homines timoribus ad virtutem, vt ſi fortè ad vitia ſemper propenſi, virtutes timore colant adacti. c. 2. n. 211. p. 212

15. *Et in terris preſſura gentium.* Se homines premunt armiſque in ſeipſos inſurgunt, vt terrena poſſideant, quæ debuiſſent auerſari, & ad pœnitentiam confugere: verùm in eam peccatores deuenerunt amentiam, vt calamitatem ſuam non ſolùm noluerint fugere: ſed ambitiosè ſuſpirauerint æternare. cap. 3. n. 29. toto §. p. 231

16. *Areſcentibus hominibus pro timore.* Qui voluptuoſis olim oblectabantur illecebris, modò voluptatem euanidam duro perſoluunt timore: & quidem ſi quantis ſe tributis exponant, agnoſcerent, fucatas illecebras deteſtarentur: nam qui tributa vitiorum expendit, caras delicias effugiet. c. 3. n. 116. toto §. p. 261.

17. *Areſcentibus hominibus præ timore & expectatione.* Omnis hominis ſenſus tormentis duriſſimis diſcruciantur: auditum torquet horriſonus maris ſonus, oculos angit Sol luminibus viduatus: vt nouerint homines ſenſum volaticis oblectationibus fallere, & duriſſimis laboribus premere. c. 4. n. 39. toto §. p. 328.

18. *Præ confuſione ſonitus maris & fluctuum.* Confuſa fluctuum volumina præfixos terminos tranſgrediuntur, & quæ magnis homines acquiſiuere laboribus, exiguo momento temporis diſſipantur. Facilè namque peccatores amittunt, vel venti flatibus quod magnis ſibi comparauere laboribus. cap. 4. n. 54. toto §. p. 333

Dominica ſecunda Aduentus.
Matthæi 11.

1. *CVm audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti*, &c. Ioannes veritatis patronus dura compede vincitur, & ſqualenti carcere detinetur: adulterium triumphat, & vitium securè regnat: in curia namque crimina ſecuriſſimè degunt, & impugnantium vires facilè eludunt. c. 4. n. 30. toto §. p. 325

2. *Mittens duos*, &c. Diſcipulorum amore ſub interrogationis ſpecie illos Chriſto molitur adiungere, ne ſibi ipſis aduerſentur, dum in Chriſti doctrinam duriùs armantur. Etquidem ſibi ipſi inimicus probatur, qui Chriſti Domini aduerſarius inuenitur. c. 4. n. 54. toto §. p. 334

3. *Cùm audiſſet Ioannes in vinculis.* Vinculis conſtrictus ſtudioſiùs veritatem indagat, & Chriſti ſibi gratiam ſolicitat: ſæpè namque calamitas eſt orationis magiſterium, & virtutis aſylum. c. 4. n. 65. toto §. p. 336

4. *Cùm audiſſet Ioannes in vinculis.* Erubuit, ſi fas eſt dicere, Ioannes alumnos ſuos mira Chriſti facinora elogiis non celebrare, quando virtutis non adeò ſtudioſi fauſtis iteratiſque acclamationibus prædicabant, & laudibus digniſſimis extollebant: & quidem indecorum eſt, virtute ab imbecillioribus vinci: nam illorum præſtantia ignauiæ ſemper eſt nota c. 4. n. 71. toto §. p. 338

5. *Mittens duos de diſcipulis ſuis.* Ioannes vti virtute eximius diſcipulos ſuos, quos tantiſper animaduertebat aduerſos, Chriſto adiungere ſtudioſè molitur: nec mirum: nam quò quis Deo coniungitur ſtrictior, alios ad virtutem trahere deſiderabit ardentior. capit. 4. n. 81. toto §. p. 341

6. *Cùm audiſſet in vinculis*, Baptiſta ille turbis omnibus miris laudibus in eremo celebratus, dum in vitia pugnat, infami compede detinetur conſtrictus: eſt enim in vitia certaminis præmium improborum pati iniquiſſimum odium. Hinc opus eſt omni ſe ſtudioſè munire cautela; quiſquis contra vitium inſtruit certamina. cap. 4. num. 125. toto §. p. 356.

7. *Mittens duos de diſcipulis.* Vt quos diſcipulos Chriſti doctrinæ aduerſari videbat, omni æmulationis nota purgauerit, non timet facet Baptiſta ignorationis ad ſpeciem opinionem ſubire: nec mirum: erat enim à Deo electus: & qui à Deo eligitur, vel propriam ſpernit gloriam, vt à ſuis depulerit maculam. c. 4. n. 129. toto §. p. 357

8. *Cùm audiſſet Ioannes in vinculis.* Studioſè curauit Herodes Ioannem arcere; ne ſi ignitis eius verbis feriretur, reſipiſceret, & ad virtutum caſtra tranſiret: & quidem quæ diuini ardoris igne proferuntur micantia verba; citiſſimè audientium inflammant corda. c. 4. n. 133. toto §. p. 359.

9. *Cùm audiſſet in vinculis.* Deſiderabat Ioannes diſcipulos ſuos Chriſto Domino adiungere, & modò inuitante occaſione ſub ſpecie interrogationis delegat: rapuit opportunam occaſionem, ne ſi differret, amitteret: & quidem felicitati ſuæ detraxit, quiſquis inuitantem occaſionem in tempus futurum miſit. c. 4. n. 140. toto §. p. 361.

10. *Renunciate Ioanni quæ vidiſtis, & audiſtis.* Satis non fuit ad præſtandam Chriſti facinoribus fidem fama atteſtante audiuiſſe; ſed opus fuit & oculis ſpectaſſe: facilè namque ſuſpicioni accedimus ad aliorum notam, cùm non ſic accedamus ad famam. cap. 6. n. 275. toto §. p. 594.

11. *Cùm audiſſet in vinculis.* Herodes, ne propudioſæ libidini quid negaret, Chriſti præcurſorem ferreis catenis conſtrinxit: ſolent namque dæmones luxuriæ voluptatibus hominem ſubornare, quò faciliùs poſſint ad ſcelera perpetranda plurima impellere, cap. 6. n. 236. toto §. p. 578

12. *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Vt detentis inferno Patribus aliquam poſſit conſolationem afferre, ſciſcitatur an per ſeipſum

Digitized by Google

ipſum citoque deſcenſurus ſit Chriſtus: non curauit carceris lenire moleſtias; ſed ſuſpenſæ expectationis anguſtias: eſt namque durum expectare tormentum. c.6. num.185. toto §.p.562

13. *Mittens duos de diſcipulis ſuis.* Profectò miraculi ad inſtar fuit Ioanni incarcerato diſcipulos adſtitiſſe, nec auolaſſe. Certè nunquam deeſt qui felicitatis tempore aliquid ſugat, cum frequenter deſit, qui indigentiæ tempore impendat. c.6.n.265.toto §. p.589

14. *Cæci vident, claudi ambulant.* Dum Domino accedunt, qui olim iniqua fortuna oppreſſi, ſalute & felicitate donantur: & quidem quod nos Domino reconciliat felicitate, & ſalute donat. c.6.n.214.toto §.p.571

15. *Cæci vident, claudi ambulant.* O quàm felix erat illa reſpublica, vbi Ioannes lucebat virtutibus exornatus, & Chriſtus Dominus diuinis perfectionibus cultus. Certè cæci recipiebant viſum, & claudi ſolidabantur ad greſſum: nam Reipublicæ ſemper probatur commodior, qui virtutibus inuenitur excultior. c.6.n.162.toto §.p.554

16. *Cæpit Ieſus dicere ad turbas de Ioanne.* Vt alios ad virtutem erudiret, Baptiſtam Chriſtus Dominus dignis laudibus commendauit: à magnatibus namque honorati, calcar eſt ad tentanda egregia facinora, & de hoſtibus reportanda trophæa. cap.6.n.141.toto §. p.547

17. *Mittens duos de diſcipulis ſuis.* Non detrectarunt parere diſcipuli; ſed expromptì ad exequenda inuolauere mandata: nec mirum, cùm mitterentur à Ioanne & interna puritate micanti, & externa preſſura pallenti: facilè namque ſuperior ad virtutem ſubiectos trahit, ſi interno puritatis candore niteat, & externa mortificatione corporis palleat. cap.6. n.128.toto § p.543

18. *Mittens duos de diſcipulis ſuis.* Vt vidit Ioannes diſcipulos ſuos magiſtri zelo Chriſti plauſum gratis auribus non excipere, curauit citiſſimè delegare, ne ſi æmulatio ſerperet, ægrè medicinam admitteret. Certè nequitia dæmonis ſummo ſtudio curat virtutem in ſemine opprimere: vnde & iuſtus curare debet in ſemine crimen delere. cap.6. n.62.toto §.p.520

19. *Mittens duos de diſcipulis ſuis.* Vt vidit Ioannes diſcipulos ſuos elatione tantiſper tangi, curauit humili interrogatione elationem delere, ne, vt Herodes ob libidinis ſpurcitiam, & ipſi virtutis fructum amitterent ob ſuperbiam: ſolet namque virtutis fructus deperdere elationis ſuperbia, vt libidinis infamia c.6.n.48.toto §.p.515

20. *Cæci vident, claudi ambulant.* Fortè illorum comitabatur peccatum ſalutis etiam diſpendium; at dum Chriſto accedunt, viſu donantur, greſſuque fruuntur: comitatur namque virtutem non ſemel ſalubritas, vt peccatum etiam aduerſitas. c.6. n.39. toto §. p.512

Dominica Tertia Aduentus.
Ioannis 1.

1. TV *quis es?* Audierant quis eſſet Ioannes, & tamen eo erga Chriſtum odio tenebantur, vt quem hominem nouerant, in Deum initiare ſatagerent, cùm contrarium humanus complectatur frequentiſſimè vſus: facilè namque accedimus ſuſpicioni ad aliorum notam, cùm ægrè accedamus ad famam. c.6.n.275.toto §. p.594

2. *Ego vox clamantis in deſerto.* Iudæi Ioannis originem & nobilitatem maximi habentes illum ad diuinitatis faſtigium ſatagebant euehere; at ille ſolum ſe vocem clamantis nouit, & glorioſa ſtemmata ſanguinis ignorauit: & quidem glorioſius nomen protulit, cum ſe clamorem aſſeruit: illuſtriora namque ſunt nomina, quæ virtus excudit, quàm quæ vetuſtiſſimæ originis imperturbata ſeries ad poſteros deriuauit. c.6.n.250.toto § p.584

3. *Tu quis es?* Cognati Ioannis Sacerdotes, Leuitæque interrogationibus pulſant, vt à veritate deflectant: nec mirum, cùm cognati ſæpiſſimè fuerint ad virtutem impedimenta, & ad ſanctitatem obſtacula. c.6. n.243. toto §.p.581.

4. *Medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis.* In Chriſti laudem & notitiam conuertit veram ſacerdotum inuidiam, affectatamque ignorantiam: erat namque Ioannes diuini honoris zelotypus: eaque zeli eſt induſtria, vt vitij arma in virtutis vertat auxilia: quia non ſemel improbitatis aſtutia virtutum auxilia in vitiorum conuertit arma. c.6.n.229.toto §. p 575

5. *Ego vox clamantis in deſerto.* Qui Eliam ſpiritu vicit, qui Prophetas prophetali ſpiritu ſuperauit, nihil in ſe laude dignum cognoſcit; ſed dum humilior, virtutibus probatur ornatior, dotibus deſtitutus intumuiſſet fortè ſuperbior: nam frequenter virtute excultior probatur humilior, & intumeſcit dotibus deſtitutus ſuperbior. c.6.n.176.toto §.p.559

6. *Miſerunt ab Ieroſolymis Sacerdotes, & Leuitas ad Ioannem.* Ipſa Sacerdotum & Leuitarum malitia ad virtutem præbet vtiliſſima documenta: in Meſſiam inauguraturi Ioannem, quis ſit; ſciſcitantur, ſtudioſè inquirunt; ſæpeque interrogant: vt noueris, ſolerti diligentia ſemel & iterum explorari; qui debet dignitatibus anteferri. cap.6. nu. 149. toto §. p.550

7. *Tu quis es?* Ioannem tentant, & ſub honoris ſpecie calamitatem conciliant, nituntur namque dignitatis, quam habere non poterat, injicere deſiderium, vt torqueatur, dum caret vſu, & inardeſcit affectu: miſerrimus namque eſt, qui temporalia, dignitateſque diſcupit ardenti affectu, cùm careat vſu. c.6. n.29.toto §.p.509.

8. *Confeſſus eſt, & non negauit.* Ambitioſi Ioannem ambitione pertentant, & tentaminum arma feliciter inueniuntur retuſa: nec mirum, aggrediebantur namque Baptiſtam corporis afflictatione munitum, & aſperitate obarmatum

tum

Digitized by Google

rum : & quidem vitiorum vires non præualent in corporis afflictatione obarmatum, & aſperitate detritum. cap.5. num.147. toto §. p.483

9. *Ego vox clamantis in deſerto.* Verus virtutis aſſecla ſolidè maluit in ſe ſubſiſtere,quàm ad ſomniatam fictamque dignitatis gloriam inuolare: aliter namque ſibi aſciſceret infortunium, dum volaticum inquiſiſſet augmentum. Et quidem peccatores dum ſomniatis confictiſque proſperitatibus ſibi imponunt, in veras duraſque calamitates incurrunt. c.5. n.132.toto §.p.477

10. *Medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis. Ipſe eſt qui poſt me venturus eſt*,&c. dum Ioannes Chriſti Domini merita euulgat,dum elogiis digniſſimis laudat, laude probatur dignus, & virtutibus exornatus : nec enim alienæ laudis inuenitur auarus, qui probatur laudibus dignus. cap.5. num. 115. toto §. p.471

11. *Medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis.* Deſpiciebant Chriſtum, quia carpentarij filium putabant : extollebant Baptiſtam, quem magni honorabiliſque Sacerdotis filium habebant : apud ſæculum namque pluris habentur diuitiis auit nobilitate clari, quàm dotibus virtutum exculti. c.4. n.262. toto §. p.405

12. *Tu quis es ?* Sacerdotes Ioannis vtpote de genere Sacerdotali cognati illum ſatagebant extollere, & dignitatibus anteferre. O quàm miſero in ſtatu verſabatur reſpublica, vbi conſanguinitas erat pro meritò ! Profectò optima politice dignos deligit, minus laudabilis conſanguineos ſolùm præponit. c.3. n.138.toto §.p.268.

13. *Ego vox clamantis in deſerto.* Qui ſe Prophetam negauit, à Domino vti pluſquam Propheta extollitur, & Angelus prædicatur: nam vti improba ſuperbia abiectionis eſt officina,ita vera humilitas eſt honeſtæ altitudinis vena.c.3.n.62.toto §. p.242

14. *Ego vox clamantis in deſerto.* Certè Ioannis virtus modo reſplenduit conſummatior, & emicuit illuſtrior, dum opportunitate, & ambitionis exemplo in contrarium vocantibus conſtitit immota, & vicit imperturbata: tunc namque ſolum virtus reſplendet cumulatè perfecta, cùm nec vitij opportunitate mouetur, nec improbo exemplo pellicitur. c.2.n.223.toto §.p. 217

Dominica Quarta Aduentus.
Lucæ 3.

1. F*Actum eſt verbum Domini ſuper Ioannem.* Dei verbum illum concionatorem elegit, qui non ſolùm peccatores terrefaceret ſermone; ſed alliceret etiam virtute, qui non ſolum corrigeret monitis; ſed traheret etiam exemplis : nam licèt ad virtutes ſalubribus dirigamur monitis, tendimus auidius exemplis.c.1.n.24.toto §. p.12

2. *Super Ioannem Zacharia filium.* Originis nobiliſſimæ glorioſum conſeruauit titulum; imò adauxit ſplendorem virtute eximia, & vita omnibus admiranda : Zachariæ prodiçur filius : quia origini reſpondit virtute nobilitatus : ſolum namque glorioſos maiorum conſeruant titulos virtute ſimiles, amittunt degeneres.c.1.n.47.p.20

3. *Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem in deſerto.* Degebat in receſſibus ab omni ambitionis ſpecie prorſus remotus ; verùm dignitates fugientem diuina quæſiuit electio : dignitatibus namque ante preces debet ornari, quem conſtat virtutibus refulgere. c.1.n.56. toto §. p.23

4. *Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem.* Non ſe ipſe intruſit ; ſed aſcitus electuſque prædicauit : nec mirum, cum tot meritis reſplenderet exculrus. Certè non ſolet tangere ambitionis prurirus, quos maior nobilitat meritorum ornatus c.1 n.89.toto §.p.33.

5. *Prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.* Eam pœnitentiam deprædicabat, quæ peccatorum maculas depelleret, & pœnitenti proficeret:pœnitentia namque ſine dolore eſt pudoris diſpendium,mœrore coniuncta ſceleris probatur excidium. c.1.n.95.toto §.p.35

6. *Baptiſmum pœnitentiæ.* Non prædicabat compto ſtylo, vt ſibi lucraretur plauſum; ſed ita vt Deo prædicatio pareret fructum:vt reipublicæ adminiſtros inſtrueret, & exemplis informaret : bonus namque reipublicæ adminiſter ſtudioſiùs curat munus implere, quàm ſibi plauſum aut commodum eluctari. c.1.n.113.toto §.p.41

7. *Omnis mons & collis humiliabitur.* Qui montis adinſtar eminebant, peccatorum pondere dejiciuntur & elocantur : & quidem vti prudentiſſimus Ioannes montium deiectionem proponit : vitiorum namque ante oculos habere ſupplicia vocat contra appetitus ad arma.c.1.n.191.toto § p.67

8. *Super Ioannem Zachariæ filium.* Ad virtutem veritatemque edocendam deligitur virtute excellens & vitæ inſtituto nitens : ille namque præ aliis veritatis ac virtutis magiſter eſt deligendus, qui triumphis & virtutibus emicat laureatus. c.1.num.288. toto §. p.100

9. *Verbum Domini ſuper Ioannem in deſerto.* Deſerto ad ſpeciem ſqualebat horridus ; ſed diuino interiorique alloquio lætus,cùm Herodes, Philippuſque ac Lyſania, dum exteriùs ſplendebant læti, interna ambitione inflammarentur aduſti : id namque inter iuſtos iniuſtoſque diſcriminis eſt, vt iuſti internis gaudiis exultent pleni, etſi externo cortice ſordeſcant horridi; iniqui intus marceſcant horridi,dum exteriùs reſplendent fulgidi.c.1. n.332.toto §.p.116.

10. *Zachariæ filium.* Apud Matthæum appellatur Angelus Baptiſta,& meritò,quando conſtat prædicationis munus impleuiſſe & Numini obſecundaſſe : & quidem iuſtè appellatur Angelus concionator vitia feriens nec munus aliò detorquens.cap.2.num.7.toto §. p.140

11. *Omnis vallis implebitur.* Qui olim vallis omni virtute nudata, iam pœnitentiam amplexus ad montium altitudinem eleuatur: nec mirum, quando pœnitentia non ſolùm homi

homines olim abiectos montibus excudit æquales; ſed ipſis Angelis ad ſpeciem ſuperiores.c.2.n.16 toto §.143

11. *Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem.* Ioannes vti Angelus puritate ad prædicandum deligitur, & iam eius doctrinâ vel mons tumidiſſimus humiliatur. Certè qui aliis cupit vtilem inſpirare doctrinam, naturam vitæ puritate repræſentare debet Angelicam.c.2.n.20.toto §.p.145

13. *Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem.* Afflictæ magnis calamitatibus, tot tyrannis ſubiectæ Reipublicæ miſertus Dominus grande contulit beneficium, dum Ioannem in vitia delegauit acerrimum: eſt namque magnum Dei beneficium concionator vitia carpens,vt grande flagellum aures ſuauitate demulcens.c.2 n.25.toto §.p.147

14. *Omnis mons & collis humiliabitur.* Quàm nobilitarunt concionantem Ioannem mons humiliatus & vallis impleta! Certè minus honoraret celebertimus plauſus, magiſque commendauit copioſus fructus: nam concionatorem non nobilitat ingenij ac ſubtilitatis plauſus; ſed pœnitentiam ſingultus. c.2.n.76.toto §.p 167.

15. *Omnis mons humiliabitur.* Superbientis montis deiectio non eſt in ſupplicus numetanda;ſed in beneficiis cenſenda:eſt namque magnum Dei beneficium, ſi peccarum temporalis ſequatur pœna,nec in longa differatur ſæcula mulcta.c.2.n.88.toto §.p.171

16. *Prædicans baptiſmum pœnitentiæ.* Sic vitiorum obiurgatorem Ieroſolymitæ ſunt veneTati,vt ad audiendum exirent,nec labori parcerent: & quidem ſuam hoc facto commendauere prudentiam: prudentes namque cordatum admonitorem venerantur vt Angelum; imprudentes oderunt vt inimicum. c.2.n.108.toto §.p.177

17. *Procurante Pontio Pilato Iudæam, tetrarcha autem, &c.* Ingens reipublicæ refertur calamitas,dum ab Herodis filiis certè iuuenibus, ambitioſiſque gubernata deſcribitur: magna certè reipublicæ ſalus eſt maturis prudentibuſque hominibus gubernari,grande naufragium ab ambitioſis & iuuenibus regi.c.2.n 157.toto §.p.194

18. *Procurante Pontio Pilato Iudæam, &c.* Quam miſera lugebat Reſpublica, vbi ambitio occupabat dignitatis faſtigium, & tyrannis poſſidebat gubernaculum: nam vt omnibus probatur beneficus à Deo dignitati adſcriptus,ita nociuus omnibus ambitioſus. c.2.n.196.toto §.p.107

In Natiuitate Domini.

Ioannis 1.

1. IN *principio erat verbum.* Dei verbum ſibi humanitatem conciliauit, vt quam excæcatus ambitione homo ſimilitudinem ſuſpirauerat, feliciter obtinuerit, vt videas non ſemel, quod in ſeipſam imprudenter detrimentum fuerit architectata malitia,verti in peccatoris commodum diuina ſollicitante miſericordia c.3.n.33.toto § p.233

2. *Et verbum erat apud Deum.* Non ſolùm paternum ac regale thronum deſeruit; ſi fas eſt dicere, vt humanitatis indueret habitum; ſed ibi extremam paupertatem amplexus eſt, vbi Dauid eiuſque parentes vti Principes exundauere diuitiis: voluit namque patientiæ ſaginari voluptate: durius namque eſt externis ibi adurgeri miſeriis, vbi lautis maiores exundauere diuitiis.cap.3.num.71. toto §.p.245

3. *In ipſo vita erat.* Profectò non videbatur algore, ac paupertatis ærumnis vita producenda; ſed ſalus omnino periclitata; & tamen Deus de paupertate producit honorem, de præſepis vilitate plauſum, de morte ad ſpeciem vitam: ſæpè namque Deus vt mitis operibus ſuam oſtentauerit efficaciam, inſtrumentis parum aptis vtitur mundi confundens ſapientiam.c.3.n.133.toto §.p.266

4. *Et lux in tenebris lucet.* In præſepio brutalis concupiſcentiæ theatro lux & cæleſtis panis emicat, vt dum homines brutorum more humanum exambiunt hordeum, cæleſte inuenerint triticum: oportuit namque laudabili aſtutia obarmari in culpam: quia impia ſagacitas ſæpè obarmatur in gratiam. c.3.n.148.toto §.p.271

5. *Et lux in tenebris lucet.* Vt terras prorſus depellat caligines,fulgentiſſima lux in ipſis præſepij tenebris collocatur:docuit virtutis amatores omnia vitiorum abolere veſtigia: nam criminis aſſeclæ ſtudioſè virtutum deterunt monimenta. c.3.n.195.toto.§.p.288

6. *Et lux in tenebris lucet.* Ipſo in præſepio brutalitatis loco, & ignobilitatis theatro vitium aggreditur Chriſtus Dominus: oportuit namque vt omni loco aggrederetur improbitatem,quando nullus eſt locus, in quo vitium non aggrediatur virtutem.c.3.n.209. toto § p.293

7. *Et lux in tenebris lucet.* Depellit ſuperbiæ tenebras humilitatis ſplendore,& cupiditatem oppugnat mira paupertie: oportet namque vt manum admoueat operi, qui ſubiectos cupit parere virtuti. c.3.n.222.toto §.p.297

8. *In propria venit, & ſui eum non receperunt.* A ſuis non receptus (nec enim ei locus erat in diuerſorio)ſpontaneè pauper delitеſcit in præſepio; vt faciliùs homines ad virtutes trahat: nam qui ſub ſpontanea paupertate degit:facilè virtutes colit, & alios ad colendam virtutem trahit.c.4.n.6.toto §.p.317

9. *Et Verbum caro factum eſt.* O quàm probatur Dei Verbum,dum ad recuperandam Numinis gloriam, omnem non reſpuit moleſtiam! Quàm mundi contrarius probatur vſus! Certè mundialibus ad recuperandam euanidam gloriam omnis dulceſcit moleſtia, cùm torpeant ad virturem recuperandam damnabili ignauia.c.4.n 35.toto §.p.326

10. *Et ſui eum non receperunt:* humilis & pauper degit,vt homines eius inopia ditentur, & lætiori fortuna vtantur: docens ſuis operibus reipublicæ adminiſtros euanidam reſpuere pompam, ſi lætiorem populis cupiunt fortunam: ſumptuoſior namque miniſtrorum pompa eſt non indubia ſubiectorum miſeria.c.4.n.44.toto §.p.329

11. *Et ſui eum non receperunt.* A ſuis non receptus

Digitized by Google

ceptus in loco omnibus aperto inuenitur natus: ſe namque ab exordio exhibuit Reipublicæ optimum curatorem: & quidem optimus reipublicæ adminiſter nunquam denegat aditum;ſed omnibus apertum exhibet oſtium.c.4.n.77.toto § p 339

12. *Et vita erat lux hominum.* Vt Chriſtus Dominus ſuam commendaret dignitatem, vitam exhibuit miſeris,lucem cæcis: nec enim adeò reſplendet dignitas de adſtantium pompa, vt de leuata calamitoſi miſeria.c.4. n.104.toto §.p.349

13. *Et lux in tenebris lucet:* Se diuinum probauit præſepio lucens, & inter tenebrarum caligines mirè ſplendens: nam laudanda ſæpè ſordeſcunt, ni congrua ſede potiantur. c.4.n.115,toto §.p.353

14. *Et Verbum caro factum eſt:* Certè caro factum eſt, vt in carne damnaret peccatum: propriam ſpreuit gloriam, vt ab hominibus depulerit maculam: quo ſuam dignitatem, virtutemque commendauit, docuitque eum à Deo eligi,qui propriam ſpernit gloriam,vt à ſuis peccati depulerit ignominiam. cap.4. n.129.toto §.p.357

15. *Et Verbum caro factum eſt.* Depoſuit ad ſpeciem factum,vt hominibus afferret remedium, docens alienæ ſtudioſum ſalutis factum deponere, vt virtuti poſſit conſulere. c 4.n.237.toto §.p.396

16 *Et ſui eum non receperunt:* Nec mirum,cùm non fulgeret opibus,etſi diuinis reſplenderet virtutibus: nam apud ſæculum iniquum rerum æſtimatorem pluris habentur diuitijs copioſi, quàm virtutum dotibus exornati. c.4.n.262.toto §.p.405

17. *Illuminat omnem hominem venientem.* Tenebrarum detriumphator omnes candida luce perfundit, & à periculis arcet: ſummis virtutibus excultus omni homini probatus eſt commodus: & quidem reipublicæ extitit ſemper commodior,qui virtutibus exornatior.c.6.n.162.toto §.p.554

18. *Et Verbum caro factum eſt.* Iam caro, dum Deo homines coniungit,felicitatis probatur vena, & ſalutis eſt copia: nam quod nos Domino reconciliat, felicitate & ſalute donat.c.6.n.214.toto §.p.571

In Circumciſione Domini.
Lucæ 2.

1. P*Oſtquam conſummati ſunt dies octo,vt circumcideretur puer.* Sic diuina erga homines arſit charitas, vt circumciſionis notam ſubierit, & famæ iacturam ſi fas eſt dicere, auxerit: nam quantumuis Ieſu nomen prodiderit dignitatem, circumciſio iniecerat ſuſpicionem; eaque eſt hominum peruerſitas vt facillimè accedant ſuſpicioni ad aliorum notam, cùm ſint difficiles in ad aliorum ſpectantibus famam cap. 6. num. 275. toto §. p.594

2. *Vt circumcideretur puer.* Certè egregium potuit Euangeliſta proferre originis nomen, verùm ante circumciſionem nomen non retulit;poſt circumciſionem explicuit, vt nos edoceret eſſe illuſtriora nomina virtute parta,quàm maiorum facinoribus ſolùm elaborata,& hæreditario iure poſſeſſa. c. 6. n.250. toto §.584

3. *Poſtquam impleti ſunt dies octo, vt circumcideretur puer.* Non diſtulit in futurum; ſed debito tempore adimpleuit præceptum: in quo ſe plus homine comprobauit: homines namque ferè ſemper ſtultis ſibi adulantur in futurum ſalutis ſpebus, quo liberiùs modò defœdentur criminibus.cap. 6.numero 219. toto paragrapho. p.573

4. *Vocatum eſt nomen eius Ieſus.* Circumciſionem, quæ in aliis erat cum Domino reconciliationis teſſera,comitatum eſt nomen, in quo & ſalutis & felicitatis eſt copia: nam quod nos Domino reconciliat, felicitate & ſalute donat.cap. 6 n. 214.toto § p.571

5. *Vocatum eſt nomen eius Ieſus.* Sanè hoc cæleſte nomen omnibus eſt fœcunda ſalutis vena, & felicitatis ſcaturigo copioſa: omnibus proditur puer hic commodus, dum virtutibus refertur excultus: & quidem qui virtutibus exornatior, omnibus inuenitur vtilior.capite 6.numero 162.toto §.p.554

6. *Quod vocatum eſt ab Angelo.* Cœleſtis ſpiritus nomen detulit,vt puerulum omnibus commendaret: à cœlo honoratus præceptis Dominicis inuenitur obſequentiſſimus: & quidem à magnatibus honorari calcar eſt ad tentanda egregia facinora,& de hoſtibus reportanda trophea.cap.6.numero 141.toto §.p.547

7. *Vocatum eſt nomen eius Ieſus.* Chriſti Domini obedientiam ſecuta ſunt & nominis honor,& claritatis ſplendor: virtutem namque non ſemel comitatur ſalus & honor, vt peccatum diminutiarum, & ſalutis diſpendium.capite 6.numero 39.toto §.paragrapho p.512

8. *Vt circumcideretur puer.* Dum puerulus circumciditur,Ieſus, quod dæmonum ſonat ſtragem, cæleſti approbante Spiritu nominatur. Certè qui puerulum circumcidit, Ieſum etiam appellauit, vt conſtet omnibus puerulos erudientem ad ſalutem inferre vitiis ſtragem. capite 5.numero 152.toto §.p.485

9. *Vt circumcideretur puer.* Profectò circumciſio ſalutis videbatur detrimentum; at Chriſtus, etſi omnis culpæ expers, detrimenta non timuit, vt circumciſionem amicitiæ cum Deo teſtimonium oſtenderet: & quidem vt Numinis fugiatur ira, vel maxima ſalutis amplectenda ſunt detrimenta.cap. 5.numero 139.toto paragrapho p.480

10. *Vocatum eſt nomen eius Ieſus.* Nouo nomine & cælitus allato refulget, nec nouitatem abhorret; eſt enim laudabilis nouitas, quæ virtutem promouet & vetuſtatem depellit. c.5.n.75.toto § p.458

11. *Vocatum eſt nomen eius Ieſus.* Ante circumciſionem, quæ in aliis erat culpæ exilium, non ſuſcepit nomen ſalutis & proſperitatis

Digitized by Google

exordium,quo nos doceret, nec pacem , nec tranquillitatem, aut ſalutem poſſe fulciri, dum permittitur vitium regnare. c. 5.n.56. toto §.p.451

12 *Vocatum eſt nomen eius Ieſus.* Dum circumciſus,illuſtri adeò nomine reſplendet nobilitatus, nos edocet pro virtute laborem, etſi aliquando videatur afferre periculum, ſolum eſſe ad augendum plauſum,non ad vitæ detrimentum.c.5.n.34.toto.§.p.443

13. *Vt circumcideretur puer,vocatum eſt nomen eius Ieſus.* Circumciſionem non expreſſit etſi depulſæ ignobilitatis notam,nomen retulit, quod æternam pariebat famam:iuſti namque in aliorum vita ſolum intuentur glorioſa,& prorſus neſciunt obſcura.cap.5.numero 29. toto §.p.441

14 *Vocatum eſt nomen eius Ieſus.* Dum ſubit circumciſionis periculum,ſecurum in nomine ſortitur remedium : vt noueris honeſtè deſpicientem ſalutem non amittere vitam; ſed decantandam ſæculis fulcire gloriam. c.5 n.20.toto §.p.438.

15. *Poſtquam conſummati ſunt dies octo,vt circumcideretur puer.* Circumciſionem non expreſſit ; ſed dies octo expectaſſe ad ſanguinis effuſionem explicuit : mora namque erat grauius tormentum, & circumcidi erat gaudium : nam vehemens deſiderium moras non ſuſtinet; ſed in opus prodire geſtit. cap.4. n.299.toto §.p.418

16. *Quod vocatum eſt ab Angelo.* Profectò ni Angelus detuliſſet,mundus eo honore pauperrimum puerulum non donaſſet:apud ſæculum namque ſolum honori habentur diuitiis copioſi , non virtutum dotibus clari. c.4.n.262.toto §.p.405

17. *Poſtquam conſummati ſunt dies octo.* Tempus circumciſioni adſcriptum exactiſſimè eſt obſeruatum : nec mirum , cùm ille puer eſſet Deus , apud homines namque tempus virtuti adſignatum vanitati non ſemel penditur,cùm vanitati adſcriptum rarò aut nunquam virtuti ſoluatur. cap.4. numero 219. toto §.p.389

18. *Vt circumcideretur puer.* Non egebat circumciſione,voluit tamen circumcidi , ne haberetur ſingularis : ſingularitas namque quia plurimis ſemper odioſa quantum fas erit, à prudentibus ſemper fugienda. cap.4. n.211.toto §.p.386

19. *Quod vocatum eſt ab Angelo.* Cæleſtis politice quò faciliùs allexerit ad obſequium, præmium demonſtrat & ſapientiſſimè parat: nam validiùs & animoſiùs pugnatur in vitium,vbi virtutis allexit præmium.c.4.n.177. p.374

20. *Vt circumcideretur puer.* Profectò vti à Deo electus propriam ſpreuit gloriam , vt à ſuis circumciſus depulerit maculam : & quidem qui à Deo, eligitur, propriam non attendit prudenter famam, vt à ſuis culparum depulerit ignominiam, capite 4.num. 129. toto § p.357

In Epiphania Domini.
Matthæi 2.

1. ECce *Magi ab oriente venerunt.* Sanè allecti non ſolùm ſyderis luminoſo iuabre;ſed etiam edita actione: antecedebat namque eos vſque dum veniens ſtaret ſupra vbi erat puer. Certè ad virtutes dirigimur monitis, ſed tendimus lætiores exemplis.c.1.n.24.toto §.p.12

2. *Vidimus ſtellam eius.* Viderunt ſtellam, qui nulla ambitionis aut cupiditatis vmbra deturpabantur obſcuri : Ieroſolymitæ non ſpectarunt,obcæcabantur namque ambitioſi: & quidem qui ad eligendum diuino oraculo deſiderat inſtrui,nulla ambitionis aut cupiditatis vmbra debet obſcurari.c.1.num.43. toto §.p.18

3. *Vidimus ſtellam eius & venimus.* Vbi veritatem eligunt, & mendacium repudiant , ſe fatentur ſplendore cæleſti doctos , & micante ſydere ductos. Et iure quidem : nam bona electio res Dei eſt.c.1.n.51.toto §.p.21

4. *Vidimus ſtellam eius & venimus.* Venerunt vt regem conſalutarent , latebat ille puerulus ; ſed inuolauit Magus honeſtiſſimè ambitioſus. Et quidem tunc verè Magus hoc eſt ſapiens : nam debet ad dignitatem quæri, quem conſtat virtutibus exornari. c.1.n.56. toto §.p.23

5. *Et venimus adorare.* Profectò magi,vt communis opinio fert,reges erant , & tamen regem recens natum adorare non renuunt:detrectauit Herodes, in regnum intruſus & ambitione obſcuratus : & quidem non rarò minus ſolet tangere ambitionis pruritus, quibus maior eſt meritorum ornatus.cap.1. n.89.toto §.p.33

6. *Vidimus ſtellam eius.* Benè eius probabatur ſtella , quæ non ſtudebat ſibi commodum aut plauſum lucrari ; ſed alliciendo magos munus implere : optimus namque reipublicæ adminiſter non tam curat commodum , quàm implere moliatur officium. c.1.n.113.toto §.p.41

7. *Interrogate diligenter de puero :* noluit appellare regem;ſed puerulum : fortè quia ſine pompa humana conſtabat natum,quantumuis micanti aſtro conſtaret natum ad regnum : plus namque valet apud homines leuis ſuſpicio ad notam , quàm eximia virtus ad famam.c.1.n.196.toto §.p.69

8. *Vidimus ſtellam eius.* Stellarum cultores aſtro vocante ducuntur : nam cordatus ſuperior ſtudet ea præcipere , ad quæ ſubiectos faciliùs agnouerit inclinari.c.1, n.214. toto §.p.75

9. *Venimus adorare eum.* Plus ſanè cæleſte de Magis , quàm de ſtella ſignum eſt : non renuerunt namque cum haberentur doctiſſimi , ſplendenti eloquentia ſyderis edoceri: & quidem ingens miraculum eſt , ſi doctus non dedignetur addiſcere,& aliis aures præbere.c.1.n.268.toto § p.94

10. *Interrogate diligenter de puero :* ſuſpirabat ſibi regium nomen fulcire , non curabat verita

Digitized by Google

veritatem excolere : ea namque mortales premit cæcitas,& ambitio,vt non tam curent vitam moribus excolere , quàm gloriam nominis æternare. capite 1. numero 377. toto §.p.132

11. *Interrogate diligenter de puero , &c. Vt & ego veniens.* Iam puerulo ab Herode periculum creabatur : ardebat namque ſuam felicitatem recèns nati detrimento fulcire,& effuſo ſanguine augere. Certè de more à reipublicæ potentioribus manat imbecillo calamitas: nam miſerorum incommodo moliuntur ſuo conſulere augmento.c.1. n.381.toto §.p.134

12. *Vidimus, & venimus.* Grandius accepere Magi beneficium de errorum idololatriæ tenebris liberari , quàm de Herodianis artibus , & fraudibus periculoſis educti: nam licet ingens beneficium ſit à vitæ periculis liberari , grandius eſt à culparum labibus expediri. capite 2.numero 35. toto §.p.152

13. *Stellam eius.* Cœleſti iubare omnes ſtella perfundit , & ad veritatem trahit eo ipſo tempore,quo Herodes ferocienti temeritate deſæuiit, & recenter natos occidit : nec mirum : à Deo namque electus probatur omnibus vtiliſſimus,vt qui ambitionis aſcendit artibus,omnibus inuenitur aduerſus. cap.2. n.196.toto §.p.207

14. *Vidimus & venimus.* Quàm ingenti ſtella oculos alliciebat luminis gratia , quando Magis ſuaſit idololatriæ abiurare delicta: ſic namque homines deſipere ſolent, vt libertatis veritatem repudient , & vitiorum ſeruitutem anhelent. c.2.numero 202. toto §.p.209

15. *Vidimus , & venimus.* Mira res : viam virtutis ſemel ingreſſi non citò deſeruerunt;ſed feliciter conſummarunt : intrantes namque domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius : cùm virtutis via citiſſimè ab hominibus deſeratur, in vitiorum tamen ſcopuloſis tramitibus prolixum tempus inſumitur.c.3.n.80.toto §.p.248

16. *Vidimus & venimus.* Grande miraculum Principum,Magorumque gratiam impetraſſe virtutis fulgoribus,non muneribus, cùm apud ſæculum magnorum gratia citiùs promereatur muneribus,quàm virtutibus.cap.3. n.176.toto §.p.281

17. *Reſponſo accepto in ſomnis.* Non ſemel dæmon pro armis contra virtutem vtitur ſomnus : ob id ergo Deus in vitium vſus eſt ſomniis pro armis , ſomniant Herodis fraudem , vt illam fruſtrentur, & diſcunt ſomnio obedire præcepto : vtitur namque ſæpè Deus in vitium pro armis ſomnus: quia dæmon ſomniis vtitur contra honeſtatem pro armis capite 3.numero 189.toto §.286

18. *Vbi eſt qui natus eſt ?* Syderis ſplendor curialium criminum caliginibus obſcurabatur,& an natus fuiſſet Chriſtus,ignorabatur: viſa eſt in oriente ſtella; ſed non apparuit in curia:in curia namque cæleſte lumen cluditur, & crimen ſtudioſiſſimè colitur.c.4. n.30.toto §.p.315

19. *Et intrantes domum.* Audis intraſſe ; ſed pulſaſſe non reperies : Chriſtus namque veluti in publico naſcebatur erudiens optimos reipublicæ adminiſtros nunquam aditum denegare;ſed omnibus ſe facilem exhibere.c.4.n.77.toto §.p 339

20. *Vidimus & venimus.* Deprædicantur felices: quia opportunam occaſionem rapuerunt , nec in poſterum protelarunt : & quidem felicitati ſuæ inuidet, quiſquis inuitantem occaſionem in tempus futurum trahit.c.4.n.140.toto §.p.361

21. *Obtulerunt munera.* Satius dixiſſet:Rependerunt tributa : cur ergo quod regi pendebatur tributum,maluit appellare donum?Quia celerrimè ſoluerunt & expromptiſſimè ; & quidem celeritatis promptitudinis beneficio putatur gratia , quod non ſemel exigebat iuſtitia.c.5.n.91 toto §.p 463

22. *Vidimus ſtellam eius.* Cœleſti prodigio rex pauperculus denuntiatur omnibus vtiliſſimus : & quidem cæleſti ſigno opus fuit: nam de more non exigua ſubiectis calamitas denuntiatur,dum inops ad dignitatis pompam deligitur.c.5.n.95.toto §.p.464

Dominica infra octauam Epiphaniæ. Lucæ 2.

1. CVm factus eſſet Ieſus annorum duodecim. Templo remanens ſanctiſſimæ Matris & nutritij opus ſubtraxit notitiæ, vt nos edoceret virtutis opera cognatos & parentes celare : nam ſæpè cognati virtutis fuerunt impedimenta & Religionis obſtacula. c.6.n.243.toto §.p.581

2. *Audientem eos , & interrogantem illos.* Sapientia illuſtrior , & virtute clarior ad ſpeciem addiſcebat humilior : ſic namque accidit,vt inueniatur ſemper humilior dotibus eximiis ornatior , cùm intumeſcat dotibus deſtitutus ſuperbior. cap.6. num.176. toto §.p.559

3. *Dolentes quærebamus te.* Ea Maria calamitate afflictata anxiis pulſabat cælum ſuſpiriis , & dum dolebat , felicitatem ſibi parabat : adinuenit,quia dolenter quæſiuit. Profectò calamitas eſſe ſolet orationis ſchola , & oratio felicitatis eſt vena cap.6.n.79. toto §.p.526

4. *Dolentes quærebamus te.* Et cur quærit vt amiſſum , quem agnoſcebat vti Deum non poſſe puerorum detrimenta ſubire , & ignorando deerrare : vt amori aduletur , prudentiæ ad ſpeciem refragatur ; amor namque ſi inardeſcat viuidior , etiam quæ cenſet impoſſibilia,ſolet pertimeſcere detrimenta. c.5.n.171.toto §.p.491

5. *Aſcendentibus illis Ieroſolymam.* Puerum Ieſum ſecum ducebant parentes , vt ſuo exemplo erudirent futuros patres. Certè qui pueros cæleſti doctrina erudit, & ad religionis opera manuducit , egregiè aduerſatur criminibus ; imò ſecuram vitio molitur ſtragem , qui pueros excolit ad ſalutem.cap.5. n.152.toto §.p.485

6. *Neſciebatis quia in his , quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe.* Non attendit parentum hu-

Digitized by Google

manorum vota, vt diuina obſeruaret præcepta,quod puerulum publicabat pluſquam humanum : frequenter namque diuina non attenduntur præcepta, vt parentum obſeruentur vota & conſilia. cap.5.numero 45. toto §.p.446

7. *Ego & pater tuus dolentes quærebamus te.* Ægrè dolebat mater timens ne forte quod Herodis tentauerat truculentia,ſuorum moliretur etiam ſæuitia: nec enim ſemel grauius à vicinis, quàm à remotis vrget periculum,& à coniunctis ſanguine detrimentum. c.5.n.39.toto § p.444

8. *Dolentes quærebamus te.* Profectò dolor hic Virgini accidit,dum præceptis religioſa obediuit; verùm etſi tantiſper vſſerit ad lamentum, doctorum ſapientiumque promeruit audire plauſum. Ingens gaudium fuit doloris præmium, & puer ab omnibus egregiè dilaudatus anxietatis fuit lucrum: nam exortus à virtute labor,etſi videatur aliquando afferre periculum, ſemper deſiuit in plauſum. cap. 5. numero 34. toto paragrapho. p.443

9. *Poſt triduum inuenerunt illum in templo.* Etſi Deus ſuos tantiſper adflictationibus exerceat, adflictationis tempora taxat. Hinc iuſtorum ſemper eſt vmbratilis calamitas, & leuiſſima aduerſitas: eſt namque lenis adflictio, cui ſpatium determinatum taxatur: duriſſima,cui nunquam tempus adſcribitur. c.4.n.325.toto §.p.428

10. *Aſcendentibus illis Ieroſolymam.* Secum duxerunt filium, cùm exactè implere legem curarunt, & ob id ad noſtrum exemplum, etſi tantiſper ſubductus, à ſapientibus reſplenduit laudatus: vt nouerint Patres ſtabilem ſe filiis procudiſſe fortunam, dum legis exactè implere procurant formam.cap.4. n.187.toto §.p.378

11. *Dolentes quærebamus te.* Dolenter inquirunt Deum, dum amiſſum inquirunt filium: pulſabant cælum ſuſpiriis, & quærebant Deum vigilantiſſimis deſideriis: eſt namque ſæpè calamitas orationis ſchola, & virtutis etiam vſura.c.4.n.65.toto §.p.336

12. *Poſt triduum inuenerunt illum.* Filius à Sanctiſſimis parentibus tantiſper affuit ſubductus; ſed gaudium citò cumulauit inuentus: nec enim poterat facilè amitti, quod conſtabat virtutibus poſſideri; at è contra peccatores ſolent amittere vel leuiſſimis venti flatibus, quod magnis ſibi comparauere laboribus. cap.4. numero 54. toto §.p.333

13. *Dolentes quærebamus te.* Amiſſum ad ſpeciem Deum inquiſitio ſedula exambit,& ambitio cæleſtis quærit, quam Virgo Sanctiſſima à mundialium moribus inuenitur aliena,quando apud ſæculum ad recuperandam euanidam gloriam omnis dulceſcit moleſtia, cùm torpeat ad virtutem recuperandam ignauia cap. 4.numero 35. toto paragrapho. p.326

14. *Dolentes quærebamus te.* Anxius dolor, & oratio lachrymoſa non ſolùm quærentibus attulit Deum,ſed etiam reſtituit filium: vt orare diſcas & quærere: oratio namque non ſolùm eſt criminum medela;ſed etiam calamitatum temporalium eſt medicina.c.3. n.99.toto §.p.255

15. *Quærebant inter cognatos & notos, & poſt triduum,* &c. Non deſtiterunt piiſſimi parentes quærere, & ſtudio vigilantiſſimo per dies aliquot veſtigare: quod apud mundiales aliter accidiſſe videas: virtutis namque via tempore breui deſeritur: in augendis vitiis prolixum tempus inſumitur.c.3. n.80.toto § p.248

16. *Cùm factus eſſet Ieſus annorum duodecim.* Vſque ad annum duodecimum ſuam non ſubtraxit præſentiam; iam verò tantiſper ſubductus doloris ingeſſit cauſam: ſolet namque Deus initio ſuis omnia mellire; iam verò proficientibus ad virtutis cumulum difficultatibus adurgere. cap.3. numero 12. toto §.p.225

17. *Inter cognatos & notos.* Egentem derelictumque puerum inter notos & cognatos non inuenerunt, fortè cognatorum quilibet ſecum exambiret ducere, ſi fulgeret ditiſſimus, & facultate copioſus: cognati namque & amici recedent, ſi premat calamitas,aderunt,ſi fulgeat felicitas. c.1.n.284. toto §.p.99

18. *Audientem illos, & interrogantem eos.* Pluſquam homo probabatur, qui præ omnibus ſapiens non dedignabatur ad ſpeciem addiſcere,& ſapientes auſcultare: ſuo eruditulos exemplo Chriſtus confundit: mirum namque eſt ſi doctus non dedignetur addiſcere,& aures aliis præbere. c.1.num.268. toto §.p.94

19. *In his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe:* patris ſui negotiis ſtuduit priùs, & poſteà cauſis extraneorum attendit, vt multorum confuderit imperitiam: ſunt namque nonnulli, qui ſuorum cauſis non attendunt ignaui, cùm extraneorum cauſas curare ſoleant diligentiſſimi.c.1.numero 106. toto §.p.39

20. *Dolentes quærebamus te.* Non poterat non inueniri interno dolore quæſitus, & externa ſolicitudine procuratus: ſine dolore quærere eſſet laboris diſpendium non adinuentionis lucrum:vt agnouerint homines, pœnitentiam ſine interno dolore eſſe inutile pudoris diſpendium, vt mœrore coniunctam peccatorum excidium.c.1.n.95. toto §.p.35

Dominica II. poſt Epiphaniam. Ioannis 2.

1. N*Vptiæ factæ ſunt.* Adeſt nuptiis Chriſtus,& coniuges de egeſtate triumphant, & cæleſti vino conuiuas inebriant. Certè matrimonium non caret glorioſis triumphis, ſi virtutem coluerint coniuges. c.4.n.304.toto §.p.420

2. *Deficiente vino.* Maria ſolertiſſimè defectui ſuorum, vt plures æſtimant, ſuccurrere ſtuduit,& fuſis precibus impetrauit: aliter non ſemel videris accidiſſe:ſunt namque plurimi, qui ſuis non attendunt ignaui cùm

Digitized by Google

cùm extraneis prouidere ſoleant diligentiſſimi.c.1.n.106.toto §.p.39

3. *Deficiente autem vino.* Quærunt Patres vnde Maria defectum cognouerit, ſentiuntque ex conuiuatum agnouiſſe muſitatione: obmurmurabant fortè ob exiguum vini defectum, qui lautum menſarum non laudauerant apparatum Et quidem ſolemnis hominibus conſuetudo eſt; vt plus valeat leuis defectus ad notam, quàm plurima virtus ad famam.cap.1.numero 196.toto paragrapho. p.69

4. *Deficiente autem vino.* Et cur Sponſus non petiuit, vt ſuppleretur defectus, qui conuiuium exhibuerat omnibus largus: fortè vt noueris quam ſit ingenuo viro moleſtum petere,& iucundum dilargiri. c.1.num.239. toto § p.84

5. *Deficiente autem vino dicit mater Ieſu ad eum.* Mater defectum retulit, quem ſponſus fortè ignorauit: plures namque circa propria inoculati. cap.1. numero 368. toto §.p.129

6. *Fili vinum non habent.* A coniugibus inuitata gratam ſe exhibuit, & largiſſimis muneribus exornauit; verùm Chriſtus nondum beneficiorum ſuorum aduentaſſe horam aſſeruit, illam ſcilicet, qua culpam ſanguine expelleret, & eucharistico vino ſitientes inebriaret: nam licèt aliquale ſit beneficium à laboribus ærumniſque liberari, cumulatius eſt à culparum labibus expediri.c.2.num.35. toto §.p 152

7. *Vinum non habent. Quid mihi & tibi?* Voluit Chriſtus Dominus teſte D.Thoma in catena ab indigentibus exorari,vt nos doceret ad depellendam calamitatem præ naturæ vinculo orationis intereſſe ſuffragium. c.2.n.83.toto §.p.169

8. *Vinum non habent.* Orat mater, vt temporali calamitati ſubueniat, & quidem oratio non ſolum eſt criminum medela; ſed calamitatum etiam temporalium medicina.c.3. n.99.toto §.p.255

9. *Dixit mater eius miniſtris. Quodcumque,* &c. Opus ſanè fuit monere miniſtros, vt Dominicis exactè præceptionibus obedirent, ne vini defectus omnibus appareret: eſt namque mirum, ſi à populo ſoluta integra ad Principem conſtet peruenire, vt dilargita à Principe incorruptè per miniſtros ad accepturos deſcendere. cap.3. num.129. §.p.265

10. *Implete hydrias aqua.* Quæ ab ingenio diſcordant, hic præter opinionem concordabant: aqua namque quam vinum conſtat adulterare, hîc viſa eſt excellentiſſimum parturire. Et quidem Deus inſtrumentis parum ad ſpeciem aptis vtitur, vt confundat mundi ſapientiam, & ſuis oſtentet miris operibus efficaciam.c.3.n.133.toto §.p.266

11. *Neſciebat vnde eſſet.* Sic Dominus defectum ſuppleuit, vt defectus notitiam etiam architriclinum celaret ſuo nos erudiens exemplo debere defectus corrigi, & ſimul cunctis celari.c.3.n.199.toto p.289

12. *Deficiente vino:* mater ſolerti prouidentia appetenti vini obuiauit defectui: maluit quam expertam inopiam repellere, ne illam conuiuæ experirentur, prouidenti ſtudio impedire: glorioſius namque eſt appetentia mala impedire, quàm iam experta repellere. c.3.n.251.toto §.308

13. *Quodcumque dixerit vobis, facite.* Secura de pietate filij filium rogauit, & rogans miniſtros ſedulè admonuit honeſtam incertitudinem certitudine laudabili ad ſpeciem confundit: iuſtis hic frequens mos eſt: ita incerti rogant, vt ſecurè fidant, ita fidunt, vt ſecuritate non torpeant.c.4.numero 109. toto §.p.351

14 *Vinum non habent.* Plurima & quidem ſaporatiſſima fercula fortè habebant; verùm tantillum deficiente vino lautiſſimum dehoneſtabatur conuiuium,& ipſa pompa vergebat ad probrum: nec enim ſemel exigua fecula magnam obſcurauit gloriam, & æternam depulit famam. cap. 4. numero 120. toto §.p.354

15. *Et erat mater Ieſu ibi.* Quàm felices fuerunt nuptiæ de Virginis præſentia, & de Chriſti eiuſque Apoſtolorum circumſtantia! non poterat lætitiam vini impedire defectus,quam Sanctorum ſtabiliebat concurſus: eſt namque ſanctorum conſortium indubium felicitatis præſagium, & magnum contra calamitates auxilium.cap.4.num.215 toto §.388

16 *Vinum non habent.* Quiecebant vino, refragante tempore, citiſſimè vino generoſiſſimo ſunt potiti, nec mirum quando preces effudit Virgo: facillimo namque negotio Virginis ope obtinetur, quod alias nec magnis laboribus impetratur.c.4. numero 309. toto §.p.422

17. *Vinum non habent.* Chriſtum Dominum, vt opem ferat, precatur, & miniſtros vrget ad opus,ne fidentes Virginis cura, inerti refragentur miraculo ignauia. Certè ſtultiſſimus probatur, qui ad ſibi neceſſaria alienâ ſolùm confidit curâ, ſi propria reſoluatur ignauia.c.5.n.166.toto §.p.490

18 *Quodcumque dixerit vobis facite.* Mater poſt preces ſecutam oſtentauit fiduciam: nec enim poterat fructu carere, quæ à Domino didicit ſperare: & quidem in Domino fiducia fructus producit & animo dulciſſimos, & vtilitati commodos.c.6 n.110.toto §.p.537

19. *Vocatus eſt autem Ieſus, & diſcipuli eius.* Etſi multis aduenerit comitatus, de leuata reſplenduit cumulatius miſeria: nec enim adeò reſplendet dignitas de adſtantium pompa, vt de leuata egentis miſeria. cap.4. n.104 toto §.p.349

Dominica in Septuageſima. Matthæi 20.

1. **E***Xiit primo mane conducere operarios.* Qui Patris ad inſtar operabatur,opus ſuum feſtinat implere, & operarios vocare; & quidem ad virtutes etſi ſalubribus dirigamur moniris,tendimus latiores exemplis. c.1.n.24.toto §.p.12

2. *Exiit primo mane.* Vt anteuerteret

operariorum otium,aut in ipſo ſemine ignauiæ oppugnaret vitium : docuit in vitia pugnandum , dum recenter exorta : nam difficulter expugnantur adaucta.c.1.n.14.toto §. p.8

3. *Conuentione autem facta.* Præmium obtulit , quo facilius ad labores alliceret : nam redditum virtuti præmium ingens eſt ad virtutem accendendam auxilium.c.1.n.34.toto §.p.15

4. *Conducere operarios* : Non miſit famulos,vt eligerent ; ſed ipſe electurus proceſſit : nam bona electio res Dei eſt. c.1.num.51. toto §. p.21

5. *Conuentione autem facta.* Præmio moti ſunt ruſticani , quid ſi ingenui ? quandoquidem meliùs allicitur ingenuus oſtenſo præmio, quàm intentato ſupplicio. c.1.n.148. toto §. p.53

6. *Inuenit alios ſtantes in foro otioſos.* Horum otium,vt placet Diuo Thomæ in catena, erat voluptatibus indulgere , ſceleraque ſectari: nec lucem verebantur ; imò ipſo in foro gloriabantur ſceleribus : & quidem aliquando nonnulli ad ſpeciem dæmonem impudentia vincunt : nam ille fugit notitiam , cùm ipſi malitiæ oſtentauerint pompam.c.1.num. 200.toto §.p.71

7. *Quid ſtatis tota die otioſi ?* Profectò ipſum otium ingens cenſeri potuit tormentum, quandoquidem adſtabant ſpectantes,nec durius eſt præſtolatione tormentum.c.6.n.185. toto §.p.562

8. *Conducere operarios in vineam ſuam.* Ea iuſſit,ad quæ agnouerat inclinati : cordatus namque ſuperior , ad quæ ſubiectos faciliùs nouit propendere, ſtudet prouidenter præcipere. c.1.n.214.toto §.p.75

9. *Conuentione autem facta.* Præmia non diſtribuit affectus ; ſed luctatus eſt ſudor : optima namque Politice non attendit pro impertiendis præmiis voluntatis affectum ; ſed ſudoris laborem.c.1.n.263.toto § p.92

10. *Pares illos nobis feciſti.* Criminationem repulit familias pater , teſtatus æquitatis ſeruaſſe legem , ne quis putaret quod apud ſæculum , apud patrem familias etiam contingere : & quidem apud ſæculum merita ſortiuntur etiam fortunam : nam aliquando eximio præmio donantur magna , & ampliſſimo remunerantur exigua. c.1.n.356. toto §. p.124

11. *Quid hic ſtatis tota die otioſi ?* Leniter carpſit, quos prolixo otio conſtitit indulgere : nam vt prudens nouit lenius aliquando remedium deſæuienti vitio applicandum , ne augeatur ipſa ægritudo medela,& exaſperante creuerit medicina: c.2.n.12.toto §.p.142.

12. *Pares illos nobis feciſti.* Criminabantur ruſticani patris affectionem ; ille verò recurrit ad æquitatem & iure quidem : ſuperior namque ab omni affectionis ſuſpicione debet eſſe remotus , vt omnibus poſſit eſſe proficuus.c.2.n.40.toto §. p.154

13. *Primo mane.* O quàm beneficus erga vocatos operarios probatur, quando prima luce allexit , & otiandi occaſionem prouidenter remouit, eſt namque ingens beneficium occaſiones arcere : nam ſi occcaſio inuitet, fragilitas humana non rarò corruet. c.2.nu.57. toto §.p.161

14. *Ex denario diurno.* Satius videbatur inuitaſſe denario æterno ; verùm vti prudentiſſimus agnouit apud homines caduca haberi pluris, æterna minoris. c.2. num.72. toto §. p.166

15. *Quid hic ſtatis tota die otioſi ?* Illos carpſit, quia otio indulgentes nullum percipiebant fructum ; imò ſtandi ſuſtinebant laborem : & quidem creſcit malitiæ reatus , ſi nullus ad peccandum allexit fructus.c.2.nu.161.toto §. p.195

16. *Exiit primo mane.* Non inuitatus,non interpellatus : nec mirum : nam ad benefaciendum exibat : aliter accideret , ſi fuiſſet irroganda aliqua pœna : nam Deus non inuitatus benefacit, à nobis compulſus punit.c.2. à n.172.toto §.p.199

17. *Quid hic ſtatis tota die otioſi?* Imò non otioſi, ſed malitiæ pœnis diuexati, & addicti ; at ſic nonnulli deſipiunt , vt veram libertatem repudient,& vitiorum ſeruitutem anhelent. c.2.n.202.toto §.p.209

18. *Quid hic ſtatis tota die otioſi ?* Ipſi ad vitiorum otium etſi laborioſum , inuolauerant ſpontanei , ad vtiliſſimam vineæ culturum contenderunt obiurgatione compulſi, quod ſæpiſſimè videris accidiſſe : rarus namque virtutem colit niſi adactus, cùm inuolet ad vitia propenſus. cap.2. num. 211. toto §. p.212

19. *Quid hic ſtatis tota die otioſi ?* Ambiebant inſipientiſſimè otia ſua & detrimenta protelare , vti honeſtam vitæ culturam reſpuere : in eam namque peccatores ſæpè deuenerunt amentiam , vt non ſolum nolint detrimenta ſua fugere ; ſed ambitioſè ſuſpirauerint æternare.cap.3.num.29.toto §. p.231

20. *Quia ego bonus ſum.* Vtrumque neceſſarium fuit ad optimi patrisfamilias commendationem , & lucem anteuertere prouidentia , & armari ad criminationes iniquas laudabili tolerantiâ : eximium namque ſuperiorem componunt & prouidentia ſagaciſſima , & tolerantia nunquam turbata. capite 3. numero 103.toto §. pagina.256

Dominica in Sexageſima.
Lucæ 8.

1. E*Xiit qui ſeminat, ſeminare.* Vocabat tempus, alliciebat opportunitas,& ſeminare exiuit,ne impediretur, ſi in futurum differret: ſibi namque inuidit , quiſquis inuitantem occaſionem in tempus futurum traxit. c. 4. n.140.toto §. p.361

2. *Aliud cecidit ſecus viam , & aliud cecidit ſupra petram.* Æqua manu campis ſparſit ſemina , vt fructuum afferrent lucra : nam dum præficitur agrorum culturæ , omnia arua generali reſpicit adfectione : dedecet namque prælatum ſingularis adfectio : iam enim non eſt priuatus; ſed omnibus adæquè promotus. c.4.n.167. toto §.p.371

3. *Aliud*

Digitized by Google

3. *Aliud cecidit ſecus viam* : fundum viæ vicinum priùs cæleſti ſemine communiuit, alijs aruis ſemina poſteriùs ſparſit:vt ſuo nos doceret exemplo debere ſolicitiùs muniri, quos vitiorum confinio conſtiterit propinquare.c.4.n.172.toto §.p.373

4. *Et conculcatum eſt, & volucres cæli comederunt illud.* De viæ conſortio grande fundo promanauit periculum, de iuſtorum confinio ſecurum reſultaret augmentum: Sanctorum namque ſocietas grande eſt contra calamitates auxilium, & ſecurum felicitatis præſagium.c.4.n.215.toto §.p.388

5. *Exiit qui ſeminat ſeminare.* Obſeruato quidem opportuno tempore ſeminando : nam fas non eſſet virtuti cœleſtique ſemini tempus religioſa ſuperſtitione non obſeruare, quando conſtat à plurimis opportunum temporalibus negotiis tempus ſuperſtitione vaniſſima deligi. c.4.n.252.toto §.p.394

6. *Et ſimul exortæ ſpinæ*,&c. Virtus à voluptatibus ſuperatur, & voluptas arcanè ſpinoſa deſcribitur : vt noueris prauitatem non ſolùm manere in poſterum ſupplicium; ſed admixtum ſemper habere tormentum.cap.4.n.283 toto §.p.413

7. *Exiit qui ſeminat, ſeminare.* Quo tempore non explicuit : quia Solem aureuertiſſe conſtabat:nam vehemens deſiderium moras non ſuſtinet; ſed in opus prodire geſtit.c.4.num.299.toto §.p.418

8. *Secus viam, & conculcatum eſt, & volucres cæli comederunt illud.* Priùs retulit à viatoribus conculcatum, & poſteà auido rapacium alitum roſtro diſcerptum : viciniores erant fundo prætergredientes, remotiores cœlorum aues, & frequenter grauius periculum ſolet promanare à vicinis, quàm à diſtantibus & remotis. c.5.n.39. toto §. p.444

9. *Exortæ ſpinæ ſuffocauerunt.* Diuitiæ in ſpinis adumbratæ teneram frugem deuorarunt & conſumpſerunt : nec enim poterat ſuperba ſpinarum pompa ſine diuini ſeminis laceratione intumeſcere, & ſine paruuli grani ſuffocatione nutriri, quando frequenter diuitum faſtoſa potentia inualidorum innutritur iniuria.c.5.n.60. toto §. p.453

10. *Et volucres cæli comederunt illud.* Superbia in volucribus deſignata fructibus obuiauit, vt etiam luxuria adumbrata ſentibus impediuit : nec enim minus aliquando virtutis deperdit fructum elationis ſuperbia, quàm libidinis ſpurcitia c.6.n 48 toto §.p.515

11. *Et volucres cæli comederunt illud.* Non iam fructus protraſos, ſed granum : nequitia namque dæmonis ſummo ſtudio curat ipſo in ſemine virtutem opprimere : curet ergo iuſtus crimen in ſemine etiam delere. cap.6. n.62.toto §. p.520

12. *Aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum.* Bona terra ſentibus prorſus carens copioſum retulit fructum,quo honeſtè rumerent horrea, & pauperum depelleretur miſeria : reipublicæ namque inuenitur commodior, quiſquis virtutibus protinus excultior c 6.n 162.toto §. p.554

13. *Simul exortæ ſpinæ ſuffocauerunt.* Fundus pendebat humorem innutriendis ſpinis,cùm fouendis humore careret granis : improbis namque celeberrimus mos eſt vitio nanquam deeſſe; imò ſumptibus alere eo ipſo tempore, quo paupertem conſtat affligere. c.6. n.232. toto §.p.577

14. *Simul exortæ ſpinæ ſuffocauerunt.* Terram id eſt hominem, ſpinis, hoc eſt voluptatibus corrumpunt dæmones,vt nunquam proferat fructum,& ſi cœleſte acceperit granum : neſciunt namque homines inſeruire virtutibus, ſi carnis ſubornentur voluptatibus, c.6.num. 236.toto §. p.578

15. *Volucres cæli comederunt illud.* Quàm fundo acceſſerunt volucres dum acceptis ſeminibus diteſcebat; at dum volucres non comedunt, nec accedunt : nunquam deeſt,qui felicitatis tempore aliquid fugat, deeſt tamen ſemper, qui indigentiæ tempore impendat. c.6.num. 265.toto §. p.589

16. *Simul exortæ ſpinæ.* Si ſemel ſpinis permittatur oriri, facile non erit cœleſtia ſemina non ſuffocari.Certè in vitia pugnandum eſt, dum recentia : nam ægrè expunguntur adaucta.c.1.n.14.toto §.p.8

17. *Natum aruit.* Dum exiguo tempore floruit, ſemen hoc in amiſſi ſeminis cenſu inuenitur relatum : videntur namque non fuiſſe quæ exiguo tempore reperiuntur duraſſe. c.1.n.101.toto §. p.37

18. *Exiit qui ſeminat, ſeminare.* Et cur omne ſemen optimæ telluri non commodauerit; ſed degeneri etiam commiſerit? Quia commendare omnibus erat officium, bonæ committere lucrum, & optimus Reipublicæ adminiſter ſtudioſiùs curat munus implere, quàm diuitias ſibi elucrari. c.1.n.113.toto §. p.41

19. *Natum aruit.* Quàm miſera erat illa tellus, quæ nec culturæ excuſabat labores,nec laborum nitebat fructibus. Certè dum caret fructibus, & diuexatur laboribus inuenitur miſerrima : eſt namque extrema calamitas laborum priuari fructibus, & diuexari laboribus. c.1.n.154.toto §.p.55

20. *Fructum afferunt in patientia.* Imò non ſolùm patientia protulit fructum ; ſed laboris etiam molliuit tormentum:nam labor de patientia ſæpè lenitur,de impatientia exacerbatur. c.1.n.160.toto §.p.57

Dominica in quinquageſima.

In feſto 40.Horarum.

Lucæ 18.

1. A*ſſumpſit Ieſus duodecim.* Secum ducit Apoſtolos,nec inſtruere vult ſolùm monitis; ſed exemplis : nam licèt interſint monita, fortius trahunt ad virtutem exempla. c.1.n.14.p.12

2. *Tertia die reſurget.* Reſurrectionis retulit præmium, ne auerſarentur conflictum : ingens namque eſt ad promouendam virtutem motiuum, redditum virtuti præmium.cap.1. n.34.toto § p.15

3. *Aſſumpſit duodecim.* Voluit plures ſibi patienti adeſſe, ne minus virtuti liceret, quàm ambitioni, omnia detrimenta Apoſtoli con-

temnunt,vt cœleſti Principi adſtent,quando mundiales per pericula adeſſe Principi non refugiunt. Certe ea eſſe ſolet aliquorum ambitio, vt domus familiæque contempſerint detrimenta,vt Principum aut Magnatum ſtipauerint latera.c.1.n.68.toto §. p.26

4. *Tertia die reſurget.* Qui ſtrenuè decertauit, poſt mortem vixit : qui viriliter decertare contempſit, adhuc viuens mortem ſuam anteceſſit, & maturauit : poſt mortem namque ſuam viuunt ſtrenui ; at mortem ſuam anteceſſerunt ignaui.c.1.n.170.toto §.p.60

5. *Illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur.* Eccleſia cœleſti Spiritu gubernata eo tempore, quo intemperans edacitas, & immetata heluatio vigere ſolet, quas ob parentum gulam pœnas Chriſtus Dominus ſoluerit, deſcriptas retulit, vt ſic ab ingluuie homines arceret : nam quiſquis intemperantiæ meditatur extrema, contra temperantiam his diebus non capiet arma. c.1.n.182. toto §.p.64. & n.191.toto § p.67

6. *Aſſumpſit duodecim.* Dum crux appetebat, diſcipulos aſſumpſit, cùm Petrus poſt reſurrectionem ad micantem luminibus inuolarit, & alij diſcipuli inflatis velis tetenderint, nec mirum cognati amicique difficulter accedent, ſi premat calamitas, inuolabunt, ſi alliciat felicitas.c.1.n.284.toto § p.99

7. *Tertia die reſurget.* Crucifixi honori conſuluit Deus, & qui in vita pœnis ſordebat, poſt mortem oculos luminibus clariſſimis euocabat;nam Deus licèt iuſtorum multiplici calamitatum genere erudiuerit vitam,poſt mortem adauget famam & gloriam. c.1. nu. toto §.328.p.114

8. *Nihil horum intellexerunt.* Quàm ſe Chriſti Apoſtolos probabant, qui alienas iniurias non præuidebant : cùm frequenter homines, licèt erga ſe inueniantur cæci,circa alios præcipuè calamitoſos, inueniantur perſpicaciſſimi. c.1.n.368.toto §.p.129

9. *Ecce aſcendimus Ieroſolymam.* Plura beneficia retulit,vt ad gratitudinem traheret,præcipuè quando cæcus ob corporalem receptum viſum magnificabat : indecens namque eſſet, dum ſecus ſequebatur ob receptum viſum,ni illi adſtarent Domino ob vitæ & honoris diſpendium ; verùm neſcio qua homines teneantur amentia, cùm geſtiant ob exigua homini videri gratos, & negligant acceptis ingentiſſimis beneficiis, erga Deum ſordere ingratitudine obſcuros.c.2.num.29. toto § p.149

10. *Reſpice,fides tua te ſaluum fecit.* Cæcus diu luminis gratia priuatus faciliimè viſum recepit, & peritia cœleſtis medici claruit : reſplendet namque ſuperioris excellentia, dum ſanat morbos facili medicina. c.2.n.63. toto § p.162.

11. *Cæcus quidam ſedebat ſecus viam.* In hoc cæco peccatorem deſignari teſtantur Patres, & quidem cæcitas, etſi videri potuit ſupplicium non tam fuit pœna, quam fuit gratia; eſt namque magnum Dei beneficium ſi peccatum ſequatur pœna, nec in futurum manſerit mulcta.c.2.n.88.toto §.p.171

12. *Sequebatur illum magnificans Deum.* Qui à Deo remotus cæcitatis ſuæ non ſenſerat pœnam, iam proximior clamat, & accepto lumine exultat : nam qui à Deo relictus ruinæ ſuæ diſpendia non ſentit, meliori luce fruens doloroſa ſuſpiria fundit, & ſe liberatum gaudet.c.2.n.103 toto §.p.176

13. *Tertia die reſurget.* Quam citò mors euanuit, & tranſiuit in vitam, quando iniquorum gaudia & ſalus adhuc in ipſa vita auolant morti ſimillima. Certè iuſtorum mors euaneſcit in vmbram, iniquorum vita in mortis tranſit ſubſtantiam.c.2.n.146.toto §. p.190

14. *Ad illudendum & flagellandum:*vti durius morte tormentum retulit inimicis ludibrio haberi, & illorum furori tradi : exaggeratior namque calamitas eſt haberi ludibrio, & tradi aduerſantium odio.cap.2.num.181.toto §. p.202

15. *Aſſumpſit duodecim,& ait illis : Ecce aſcendimus,* &c. Diſcipulos ſuos, qua tenerentur lege, ſuo mirè informauit exemplo : nam qui Apoſtolorum munere honoratur ſe totum animarum ſaluti impendiſſe tenetur. c.2. n.191. toto §. p.205

16. *Clamauit dicens, Ieſu fili Dauid,* &c. Mira res : ſuam auerſatus cæcitatem clamauit, & cœleſte lumen ambiuit, quando ita deſipiunt plures, vt ſalutem repudient, & ſeruire vitiis anhelent. cap.2. num.202. toto §. cap.2. p.209.

17. *Et qui præibant, increpabant eum.* Impeditus,& interpellatus clamauit, & clamans inſtitit, quo ſuam cumulatiùs conſtantiam ornauerit : reſplendet namque virtus cumulatè perfecta, dum aduerſus exempla & obſtacula conſiſtit imperturbata. c.2. num.223. toto §. p.217

18. *Cùm appropinquaret Iericho, cæcus quidam ſedebat ſecus viam.* Iuxta Iericho cæcus quærebat commoda, qui (erat enim cæcus hic Adamus) Iericho tendens ſalutis & felicitatis paſſus fuerat detrimenta : reſtitutus lumini à Iericho diſcedit, & poſt Chriſtum vadit : ea non ſemel homines tenet amentia, vt in ipſis quærant ſecuritatem periculis, & voluptatem ſuſpirent in detrimentis. cap. 3. n.38.toto §.p.234

19. *Poſt tres dies reſurget.* Tempus Paſſioni dicatum Paſſioni ſoluit, vt doceret homines ſoluere dicatum virtuti ; verùm ea nos tenere ſolet inſania, vt tempus virtuti dicatum ſoluamus heluationi & crimini,cùm adſcriptum heluationi,nunquam aut raro ſoluatur virtututi.c.4.n.219.toto §.p.389

20. *Domine, vt videam.* Cæcus ad orationem recurrit. Ipſa calamitate edoctus, & infortunio compulſus : eſt namque calamitas aliquando orationis magiſterium, virtutis aſylum.c.4.n.65.toto §. p.336

21. *Clamauit dicens: Ieſu fili Dauid,* &c. Oratione & ægritudinem depulit, & veram ſibi felicitatem aſciuit : eſt namque oratio criminis medela, calamitatiſque medicina. cap.3. num.99. toto §. p.255. & num.107.toto §. p.258

Feria

Digitized by Google

Feria Quarta Cinerum.
Gen.3.& Matth.6.

1. *Memento homo.* Et cur vocetur puluis, qui viuit caro? Fortè homo de viuentium cenſu expungitur, vt quàm vita ſit vapor leuiſſimus declaretur: nam quod exiguo tempore reperitur duraſſe, videtur ferè non fuiſſe.c.1.n.101.toto §.p.37.

2. *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Quàm timendum eſt diuinum tribunal, vbi audiuit, hominum caput & creaturarum Princeps: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Certè apud ſæculum potentiores ſua ſe potentia tuentur, infirmiores ob leuiora acriùs peccata puniuntur. c.1.n.129.toto §.p.46

3. *Puluis es.* Et cur non audit: *Peccator es?* Quia fortaſſe eſt idem, dum de puluere conſtructus Deitate fulgere diſcupiuit ambitioſus: nec enim poterit non peccare, qui in egeſtate nititur refulgere. c.1.n.133.toto §. p.47

4. *Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.* Oſtendit præmium, nec filios vrget ſupplicio: nobilis namque ingenuuſque ad virtutem melius allicitur oſtenſo præmio, quam intentato ſupplicio. cap.1.num. 148. toto §. p.53

5. *Exterminant enim facies ſuas.* Quàm miſerandi ſunt hypocritæ, quos manet virtutis labor, cùm pereat fructus: miſerrimum eſt laborum priuari fructibus, & diuexari laboribus, cap.1.n.154.toto §.p.55

6. *Exterminant enim facies ſuas. Puluis es.* Quibus artibus Deum niſus eſt homo dignitate diſpoliare, inuentus eſt diſperire, vt hypocritæ, quibus tormentis emere conantur virtutem, ſibi parent improbitatem: peccatores namque ſuis artibus pereunt, & quod in alios malignè architectantur, in ſe præter opinionem moliuntur. cap.1.n.175.toto §. p.62

7. *Puluis es, & in puluerem reuerteris:* Quod ambitionem ſupplicium manſerit, ante oculos proponit, vt ſupplicio frænati ad vitia non cucurrerint cæci: nam quiſquis ſceleris ſedulè meditatur extrema, in virtutem non capiet arma c.1.n.181. toto § p.63.& n.191. toto §.p.67

8. *Vnge caput tuum, & faciem tuam laua:* ea iubet, quæ homines poſſent deſiderare: nam cordatus ſuperior ſtudet ea præcipere, ad quæ nouit ſubiectos faciliùs inclinari, cap.1. n.214.toto §.p.75

9. *Tu autem cùm ieiunas.* Ieiunium præcipit, vt vires corporis vtiliſſimè frangat: nam ſæpè quæ vires adduntur corpori, adduntur etiam & crimini.c.1 n.219.toto §. p.78

10. *Memento homo:* Vult mortem ante oculos ſemper habere, & de fine nos cogitare; & quidem prudens de morte cogitat vel florente vitæ dignitate, imprudens ſuſpirat vitæ commoda in ipſa morte.c.1.n.259.toto §. p.90

11. *Exterminant enim facies ſuas.* Quàm ſunt infelices hypocritæ, dum magna infuſcant minimis, & perdunt euanidis: prorſus namq; indecorum & infauſtum eſt magna minimis obſcurare, & leui errore glorioſè parta perdere.c.1.n.309.toto §.p.107

12. *Vt appareant hominibus ieiunantes.* Viſum moliuntur eludere, & intuentium animos fallere; verùm expectatione fruſtrantur: nam ſæpè laborare hypocriſi deprehenduntur. Certè rara ſunt, quæ latere poſſint penitus ignorata: quia inuigilat multorum curioſitas ſemper intenta. cap.1. num.365. toto §. p.127

13. *Vt appareant hominibus ieiunantes.* Cæciſſimi virtutem vanitate corrumpunt, & inutili ambitione deperdunt; ea verò mortales premit non ſemel amentia, vt non tam curent vitam moribus excolere quàm gloriam moribus æternare. c.1.n.367.toto §. p.128

14. *Tu autem cùm ieiunas,* &c. Ieiunio & pœnitentia ad filiorum dignitatem aſcendunt, & qui nondum olim famuli glorioſo titulo appellantur iam filij: nam pœnitentia homines excudit ipſis Angelis ad ſpeciem ſuperiores.c.2.n.16.toto § p.143

15. *Quia puluis es.* Qui olim Dei ſimilitudo audiebat, iam puluis deſpicitur, & de viliſſima origine ſuggillatur: fortè honore imaginis ſplenderet, ſi originis notitiam non abieciſſet: plures namque odium ſibi & vituperium conflant antiquæ obſcuræ ſortis prorſus obliti, qui honorem ſtabilirent, recordati.c.2.n.32.toto §.p.150

16. *Exterminant facies ſuas.* Squalore ſordent, horridi ſqualent, & exambiunt vt vanitatis commoda quæ illis ſeueritas poſſet decreuiſſe ſupplicia; ſic aliquando deſipimus, vt quæ nobis poſſet ſeueritas decernere ad pœnam, euanidam exambiamus ad gloriam. c.2.n.53. toto §.p.159

17. *Vt appareant hominibus ieiunantes.* Leuiſſimus aut nullus fructus peccatorum amentiam exaggerat, & hypocriſim condemnat: creſcit namque peccandi reatus, quando peccandi nullus eſt fructus c.2.n.161.toto §. p.195

18. *Et in puluerem reuerteris.* Qui morte non corrigitur, obſtinatus prorſus probatur: eſt namque ferè obfirmata malitia, quam mortis corrigere non potuit pœna. c.2.n.186.toto §.p.204

19. *Tu autem faciem tuam laua.* Vt virtutem ſuam cumulatiùs adornent, monet hypocritarum refragari exemplis, & contradicere factis: tunc namque virtus reſplendet cumulatiùs perfecta, cùm exemplis in contrarium vocantibus conſiſtit imperturbata. c.2.num. 223.toto §. p.217

20. *Receperunt mercedem ſuam.* Certè merces vernularum labori redditur, & ſeruulorum ſudoribus deputatur: cur ergo mercedem retulit ſolutam hypocritis, dum gloriolam captant, & haberi magnos ſuſpirant? Quia non potuit abiectio à tergo non ſequi ſuperbiæ tumorem, & tumoris ſuperbiam: Eſt namque elatio abiectionis officina, vt humilitas honoris eſt vena. capit. 3. numer.62. toto §. p.242

21. *Theſaurizate vobis theſauros in cœlo:* monet miſerorum ærumnas miſericordia leuare, vt grandi in cœlo poſſint dignitate fulgere; imò

Digitized by Google

imo non ſolùm in cœlo; ſed etiam in mundo: nec enim adeò reſplendet dignitas de adſtantium pompa, vt de leuata calamitoſi miſeria. c.4.n.104.toto §.p.349

Feria Sexta poſt Cineres. Matthæi 5.

1. E*Go autem dico vobis: diligite inimicos veſtros.* Salubria Chriſtus Dominus præbet conſilia; ſed quia ex difficilioribus virtutibus eſt inimicorum dilectio, adiunxit etiam exempla: *Qui Solem,* inquit, *ſuum oriri facit ſuper bonos & malos*, id eſt ſuper amicos & inimicos: & quidem etſi ad virtutes ſalubribus dirigamur monitis, allicimur validiùs exemplis.c.1.n.24.toto §.p.12

2. *Vt ſitis filij Patris veſtri.* Cœleſtis pater ingratos ſuſtinet, inimicis benefacit: Ergo homines,ſi filiorum honorari voluerint titulo,conformari tenentur exemplo; aut ſi non conformantur exemplo, glorioſo nobilitari non poſſunt titulo: nam maiorum ſolùm conſeruant titulos virtute ſimiles, amittunt degeneres,c.1.n.47.toto §. p.20

3. *Diligite inimicos veſtros.*Ne,dum vindictam exambiunt, peccent, venia ſibi gloriam monuit acquirere: & quidem non ſemel, quod in alios ad vltionem peccator architectatur, in ſe præter opinionem molitur. c.1. n.175. toto §.p.62

4. *Vt ſitis filij Patris veſtri.* Honorem filiationis veniæ decernit, vt qui vltione ſuſpirant gloriam, nouerint maiorem ſibi conciliare parcendo, quàm malitiam malitia remunerando: ea tamen mortales premit cæcitas, vt non tam curent vitam moribus nobilitare, quàm in ſæculo gloriam acquirere. c.1.num. 377.toto §. p.132

5. *Audiſtis quia dictum eſt antiquis. Ego autem dico vobis.* Lata lege vltionem Chriſtus condemnat, ne antiquitate intruſa, & conſuetudine honorata, audeat non ſolùm defendi; ſed, ſi fas eſt dicere, apud homines nobilitari: ſunt enim aliqua, quibus obarmata vitia non ſolùm non expugnantur; ſed ſuſpiciuntur. c.2.n.44.toto §.p.256

6. *Qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos.* Quàm perſtrictim beneficia retulit, quàm largè contulit! Verùm ſemper Deus in recenſendis beneficiis inuenitur parcus,in præſtandis probatur largiſſimus.c.2.num.58. toto §.p.157

7. *Benefacite his qui oderunt vos.* Cœleſtem proponit patrem, quem filij imitentur: & quidem Deus humanæ fragilitatis conſcius occaſiones arcet, ne ſi occaſio inuitet: fragilitas humana corruerit: ergo prudens filius inimicos diligit & benefacit,vt odij inimicitiæque occaſiones præcideret: & quia nouit ſe non facile iniuriæ parcere, ſtudet iniuriæ occaſionem prorſus arcere: nam ſi occaſio inuitet, humana fragilitas corruit. c.2.n.57. toto §. p.161

8. *Qui Solem ſuum oriri facit.* Deus inimicis benefaciens filioſque ſuos veniam edocens contra ipſos filios ſtat, ſi monita ſpreuerint & exempla: oppoſitum namque parentis exemplum exaggerat filiorum delictum. c.2. n.165.toto §.p.197

9. *Ego autem dico vobis.* Quàm ſe optimum Chriſtus probauit patrem,iniuriarum veniam filiis ſuadens,& quàm ſe improbos probauere nonnulli, dum ab incunabulis filiis ingerunt vltionis deſiderium, & inimicorum odium! res ſanè commiſeratione digniſſima: nutriuntur ſæpè filij à parentibus ad vltionis pompam, & ad vindicandam iniuriam. c.3. n.25.toto §.p.229

10. *Vt ſitis filij Patris veſtri.* Et quod grandius grauiuſque ſe vindicantis ſupplicium, quàm amittere filij elogium! Certè vltio pro voto ſuccedens potuit eſſe vltoris pœna & ſceleris mulcta: eſt enim non ſemel grande ſupplicium, ſi improbum ſucceſſerit votum.c.3.n.53.toto §. p.239

11. *Audiſtis quia dictum eſt antiquis. Ego autem dico vobis.* Quàm prolixis ſæculis culta eſt vltionis inſania? ab antiquis olim edocta ad diſtantiſſimos eſt poſteros deriuata; at venia à Chriſto Domino præcepta non adeò religioſè perſeuerat exculta. Certè virtutis via citò deſeritur, in vitiorum tramite prolixum tempus inſumitur. c.3. num.80.toto §. p.248

12. *Diligite inimicos veſtros.* Non ait: Diligite Dei patris veſtri inimicos; verùm homines vltionem Deo aduerſantem diligunt, & veniam reſpuunt, quo non filij; ſed extranei probantur: nam qui filius, patienter diſcit in ſe tolerare offenſam; geſtit tamen Numinis depellere iniuriam, cap. 3. num.154. toto §. p.272

13. *Neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua.* Admonet omni cautela non vulganda celare, & nec ſiniſtræ manui committere: quia natura humana vt inueſtigandi ſecretum eſt auidiſſima, ſic effundendi eſt percupida. c.3. n.157.toto §.p.274

14. *Qui Solem ſuum oriri facit.*Fecit ipſe,quod docuit: nam qui ſubiectos cupit parere virtuti,opus eſt,vt admoueat manum operi.c.3. n.221.toto §.p.297

15. *Vt ſitis filij Patris veſtri.* Profectò inimicis parcere moleſtum eſt; verùm hæc moleſtia deuoranda eſt,vt recuperetur filij & imaginis amiſſa gloria. O ſi dulceſceret ad filiorum honorem recuperandum moleſtia, vt ad mundialem recuperandam gloriam deuoratur ſæpè malitia;verùm hominibus pro mundiali gloria omnis dulceſcit moleſtia,nec pro vera gloria ſuperare nouit difficultates ignauia.c.4.n.35.toto §.p.326

16. *Cùm facis eleemoſynam,*&c. Reddendum à Patre teſtatur,quod miſeris exhibetur,& quidem qui indigenti ſubuenit, ad filij dignitatem accreſcit:minùs certè reſplendet dignitas de adſtantium pompa, quàm de leuata calamitoſi miſeria. c.4.n 104.toto § p.349

17. *Neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua:* Monuit, ne mendico benefaciens adaugeret tormentum, ſi mendicitati opitularetur in publico: nam vt iucundum eſt liberaliter dilargiri; ſic eſt duriſſimum mendicare. cap.4. n.274 toto §. p.410

18. *Audiſtis quia dictum eſt antiquis.* Contra anti

Digitized by Google

antiquorum conſilium Numinis deprælíatur præceptum : *Ego autem dico vobis*; verùm cedit non ſemel abiectum præceptum maiorum conſilio.c.5.n.45.toto §.p.446

19. *Benefacite his qui oderunt vos.* Non ſolùm præceptum auxiliatur vincenti ; ſed etiam commoditati : nam qui de inimici venia ſplenderet glorioſus, de vltione non ſemel cogitur montium latebris deliteſcere timidus. Certè vitiis ſubiectus cogitur per anfractus incedere, & anxius ſemper timoribus trepidare.c.5.n.70.toto §.p.456

20. *Ego autem dico vobis.* Non timet vetuſtati nouitatem opponere : nec enim de inimico diligendo doctrina minùs perfecta eſt, quia antiquis incognita, & poſt multa ſæcula tradita. Profectò nouitas non eſt fugienda; imò illa ſemper laudanda, quæ virtutem præmouet, & vetuſtatem depellit.c.5.nu.75. toto §. p.458

21. *Benefacite his, qui oderunt vos.* Certè vt poſſint ſalute frui, & diuitiis inimico donando iniuriam gaudere : nam vt comitatur peccatum ſalutis & diuitiarum diſpendium, ita virtutem non ſemel ſequitur incolumitas & aurum.c.6.n.39.toto § p.512

Dominica Prima Quadrageſimæ. Matth.4.

1. *DVctus eſt Ieſus à Spiritu.* In montium latebras tendit Dominus à ſacro Spiritu ductus, vt homines doceat tumultus fugere, & vtiliſſima receſſus otia ſectari: & quidem ſic prodeſt ſe turbæ ſubducere, vt etiam à mundiali tumultu inuitus receſſus eſſe ſoleat ſupernæ lucis illicium, & felicitatis exordium.c.6.n.91.toto §.p.531

2. *Dic vt lapides iſti.* Vel vnicum verbum extorquere dæmon deſiderat, vt ieiuniorum aſperitatem infuſcet, & infuſcatam infamet. Et quidem ſummo ſtudio virtutis allectæ inuigilandum eſt, vt à minimis etiam vitiis abſtineat : nam ſæpè exigua nitorem perfectionis infuſcant, & gratiam auſteritatis dedecorant.c.6.n.101.toto §.534

3. *Vt tentaretur à Diabolo* : Imò etiam vt eximius doctor haberetur ſæculo : & quidem ſolus dæmon vitiis potuit ſtudere, cùm ſuperiorem vidit interna puritate, & externa mortificatione radiare. Profectò ſuperior ad virtutem quodammodò cogit, ſi interna puritate fulgeat, & externa mortificatione palleat.c.6.n.128.toto §.p.543

4. *Dic vt lapides iſti panes fiant.* Prima tentamina pane moliuntur ſeparare : quia homines Deo pane nouit ſtrictiſſimè adiungi: tentare cupit nequam Spiritus ; ſed neſcit: nam cœleſti pane nobilitatus Numini probatur coniunctus.c.6.n.134.toto § p.544

5. *Cum ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Heroicis voluit lucere virtutibus: vt agnoſcerent omnes reipublicæ dicari commoditatibus: nam quò quis virtutibus inuenitur excultior, reipublicæ probatur commodior.c.6.n.162.toto §.p.554

6. *Hæc omnia tibi dabo ſi cadens adoraueris me.* Quàm ſuperbit indignus, & quàm humiliter ſuffert ſe tentari digniſſimus. Et quidem virtute ornatior, ſemper inuenitur humilior; deſtitutus dotibus intumeſcit ſemper ſuperbior.c.6.n.176.toto §.p.559

7. *Angelis ſuis Deus mandauit de te.* Non infrequens pugnare ſolitat hæc tentatio : multi namque non fugiunt ruinam, quia futuram ſibi promittunt medelam, & ſpem virtutis antidotum retorquent ad virtutis venenum. Multi profectò ſibi adulantur in futurum ſpebus, quò liberiùs modò defœdentur criminibus.c.6.n.219.toto §.p.573

8. *Et acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei* : victori ſanè accedunt, qui non accellerant indigenti : non quòd aliquod Angelos obſcuret vitium; ſed quòd arcanis factis humanum nobis mirè depingant vſum : ſanè nunquam deeſt, qui felicitatis tempore aliquid ſugat ; ſed deeſt qui indigentiæ tempore impendat. c.6.n.265.toto §.p.589

9. *Si filius Dei es.* Audierat Patrem inclamantem, viderat ſpiritum ſpecie columbæ deſcendentem : nec tamen Chriſtum Deum credidit ; at dum eſurientem vidit hominem reputauit : facilius namque ſuſpicioni accedimus ad aliorum notam, veritati difficillimè ad famam.c.6.n.265.toto §. p.589

10. *Vade Sathana.* Dum parat Chriſto periculum, ſibi adauxit imprudenter tormentum, & abiectionis opprobrium, vt iam conſtaret ſibi parare excidia, qui molitur iuſtis aduerſa. c.5.n.48.toto §.p.448

11. *Poſtea eſuriit.* Ecce Dei Filius inuenitur fameſcens ab hominum conſortio ſeparatus, & à dæmone impetitur, vt oſtendat Deo charis contingere multoties acerba, nec ſemper eſſe conſequentiam criminis ducta. c.6.num. 259.p.587

12. *Acceſſit tentator.* Blandiendo ſanè, vt læderet, cibum auferendo, vt diſpoliaret. Certè qui blandiuntur, lædunt.c.6.n.5.p.500

13. *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* Hac voluit tentatione dignoſcere, an plus homine Chriſtus eſſet, dum magni æſtimat caduca, aut pluris habet æterna : nam de more homines ſuſpirant euanida, & minùs æſtimant ſolida.c.2.n.72.toto §.p.166

14. *Dic vt lapides iſti panes fiant.* Perſonatus homo ſe cibi deſiderio teneri confeſſus eſt: lapides namque obtulit in panem vertendos, allegata vtriuſque ſuſtentatione, vt placet hic Caietano ; verum cibi cupidus probatur miſerrimus: eſt namque miſer ſummopere qui temporalium carens vſu, immodico inardeſcit affectu. cap. 6. num. 29. toto §. p.509

15. *Statuit eum ſupra pinnaculum templi.* Ad altitudinem euexit, putans faciliùs ad vitium poſſe pertrahere : nouerat namque dæmon alta poſſidentes non ſemel eſſe criminibus tributarios; humiles verò triumphare glorioſos.c.3.n.231.toto §. p.297

16. *Si cadens adoraueris me.* Dum pulſat ambitione non imprudenter caſum coniungit : nam ambitioſi aut cadunt aut eliduntur.c.2. num. 207.p.210

17. *Hæc omnia tibi dabo.* Adorari vult indigniſſimus, cùm hic adorationem non extorſerit, qui

qui benemeritus. Videas non ſemel inſolenti ambitione indignum pulſari, benemeritum verò intra modeſtiæ limites contineri. c.4.n.157.toto §.p.368.

18. *Mitte te deorſum.* In ipſis periculis ſecuritatem quærere perſuaſit, & licèt hic fuerit expectatione fruſtratus, homines plures fefellit ſubdolus: ea namque plures tenentur amentia, vt in ipſis quærant ſecuritatem periculis, & ſuſpirent commoda in detrimentis.c.3.n.38.toto §.p.234.

19. *Si cadens adoraueris me.* Certè ſi caderet, non ſolum cogeretur ſathanam ſuſtinere, adorareque;ſed plurimis aliis obſequi,& miniſtrare: nam qui ob peccatum alicui ſubjicitur, ſæpe eius proximos & amicos ſuſtinere cogetur.c.6.n.44.toto §.p.514.

20. *Acceſſit tentator.* Variis tentationibus permiſit impeti,quem à Patre tenerrimè conſtat amari: vt noueris Deum durius aliquando educare, quæ tenerius probatur diligere. c 2. n.88.p.171.

21. *Si cadens adoraueris me.* Dum improbo adorationem ſuadebat conſilio, ad virtutem accendebat exemplo: ipſe namque,dum ſibi indebita rapere diſcupiuit, ſupplicia ingentiſſima adaggerauit. Et certè qui vitiorum non eſt oblitus ſupplicia, facilè capiet contra appetitiones inſanas arma. c.1.n.191.toto §. p.67

22. *Et cum ieiunaſſet,*&c.*acceſſit.* Nunquam in Chriſtum dæmonis valerent arma; verùm dum in lucidum & ieiuniis munitum irruit, calamitatem ſuam promouet: nam vitiorum arma parum valent in corporis afflictatione munitos, & aſperitate obarmatos. c.5.n.147. toto §.p.483

23. *Hæc omnia tibi dabo.* Auaritia tentat, vt à virtute dejiciat; o quàm triumpharet,& ſubiectis calamitatem afferret, votum dæmon infeliciſſimum conſecutus! Certè pro lege & ſalute ſuorum laborat ſuperior auaritia non pollutus; his omnibus refragatur infectus.c.2.n.152.toto §.p.192

Feria 4. poſt Dominicam primam. Matth.12.

1. *Tunc reſponderunt Ieſu quidam de Scribis, & Phariſæis.* Viderant truculentiſſimum depelli dæmonem, ſalute donari hominem: non tamen his perſuadentur, vt crediderint qui inuida illà murmuratione: *In Beelzebub eijcit dæmonia,* acceſſerunt vt tentarint: id nãque hominum eſt ingenium,vt facillimè ſuſpicioni accedant,& quidem euanidę,ad aliorum notam, cùm nec miraculis credant ad famam c.6.n.275.toto §.p.594

2. *Tunc reſponderunt quidam.* Tunc Scribæ & Phariſæi Dominum aggrediuntur tentare, cùm eius virtutem dæmonem agnouerant fugere: & quidem dæmon obturatis ſenſibus ſui cuiuſcebat præbere notitiam; at Scribæ malignitatis oſtentant pompam: vincunt namque ad ſpeciem homines malitia dæmonem, cùm ipſi in malefactis oſtentent pompam, & ille fugiat notitiam. c.1.n.200.toto §.p.71

3. *Signum non dabitur ei.* Et quare? Quia generatio mala & adultera ſignum quærit. Certè non erat vertendum Chriſti otio ab illis poſtulata non expedire; ſed illorum erat crimini dandum non impetrare. Vitio non ſemel miniſtrorum vertitur non expedire negotia,cùm multoties ipſi ambitores extiterint ſibi obſtacula. cap.1.numer.255. toto §. p.89

4. *Magiſter volumus à te ſignum videre.* Errarunt,dum noua ſigna quæſierunt; at ſe geſſere prudenter, dum magiſtrum eligunt de dæmone triumphatorem: ille namque præaliis veritatis ac virtutis magiſter eſt deligendus, qui triumphis & virtutibus emicat laureatus.c.1.n.288.toto 2.p.90

5. *Volumus à te ſignum videre.* Signum quærunt non auiditate noſcendi; ſed ſtudioſirate tentandi, & qui ob inſigne miraculum ſe exhibere debuiſſent gratos, oſtendunt inuidos. Et quidem ob exigua geſtimus erga homines videri gratos, cùm ob magna negligamus erga Deum videri ingratitudine obſcuros.c.2.n.29.toto §.p.149

6. *Niſi ſignum Ionæ Prophetæ.* Grande beneficium contulerat dæmonem abigens; ſed grandius promittit, peccatum morte depellens: exaggeratius namque beneficium eſt à culparum labibus expediri, quàm à corporeis laboribus liberari. cap. 2. numero 35. toto §. p.152

7. *Volumus à te ſignum videre.* Ecquod ſignum? In Eliæ modum, reſpondit Diuus Thomas in catena, ignem de cœlo ruere.Elias ignem attulit, vt quinquagenarium adureret, & Scribæ ſimile depoſcunt ſignum: ſic namque cæcutiunt homines, vt ea ipſa, quæ ſeueritas poſſet decreuiſſe ſupplicia, ſibi exambierit vt commoda. cap. 2. num. 53. toto §. p.159

8. *Volumus à te ſignum videre.* Quaſi ſignum non fuerit dæmonem abigi, & obcæcatum animum veræ luci reſtitui: apud improbos æſtimatores plus valent caduca, minus æterna.c.2.n.72.toto §.p.166

9. *Volumus à te ſignum videre.* Viderant homines ob peccata viſum & loquelam amittere, & dæmone exagitari, & tamen inſiſtunt culpis addicti, & inuidiæ prorſus traditi. Et quidem duriſſima probatur malitia, quam nulla potuit corrigere pœna.c.2.n.186.toto §.p.204

10. *Signum non dabitur ei.* Et quare non conceditur miraculum? Vt tribuatur beneficium: eſt namque grande peccatori ſupplicium, ſi improbum nanciſcatur infelix votum. cap.3. n.43.toto §.p.236.

11. *Volumus à te ſignum videre.* Dum ſuperbiam ructant, generatio adultera audiunt: improba namque ſuperbia abiectionis eſt officina,vt humilitas gloriæ vena. cap.3. n.61. toto §.p.242

12. *Volumus à te ſignum videre.* Cùm animo geſtauerint odium,reuerenter accedunt quaſi ad obſequium: eſt namque aulicis & politicis frequentiſſimum & vulnus infligere, & aſtutè manum abſcondere.c.3.n.143.toto §. p.269

13. *Niſi ſignum Ionæ Prophetæ.* Dum quærunt ſignum

Digitized by Google

ſignum ad Chriſti dignitatem noſcendam, poſtulato opportunius exhibuit, nempe Ionæ ſignum: Ionas namque proprio incommodo nauis conſuluit periculo, & à Deo electus agnoſcitur, qui proprio labore ſubiectorum procurat commoda; imò aliquando ſuo illorum arcet pericula. cap.3.n.218. toto §.p.296

14. *Generatio mala & adultera.* Qui indulgens cæco cæcitatem depulerat, & modò aſperè ſcribas tractat: prudens namque ſuperior diſtrictionis in duros vtitur gladio, leniori incitat alios ad virtutem ſtimulo. c.3. nu.241. toto §.p.304

15. *Volumus à te ſignum videre.* Ignem deſcendere poſtulabant in ſe ipſos imprudenter crudeles, nec poterant non eſſe ſibi ipſi aduerſarij, qui inueniebantur Numini duri.c.4. n.59.toto §.p.334

16. *Volumus à te ſignum videre.* In arenam deſcendunt, cùm Dominus depellit dæmonem: nec enim poterat non ſuſtinere impugnantium malitiam, qui inſurgebat in culpam. Certè neceſſum eſt omni ſe munire cautela, qui depellere aliorum molitur vitia.c.4.num. 125.toto §.p.356.

17. *Niſi ſignum Ionæ Prophetæ.* Suadebant vt miris ſignis ſibi conciliaret gloriam;at Chriſtus illud promiſit ſignum, quod à ſuis depelleret maculam: à Deo namque electus;vt à ſuis depulerit maculam, propriam ſpernit honeſtè gloriam.c.4.n.129.toto §. p.357

18. *Viri Niniuitæ ſurgent.* Non ſine dolore hoc protulit Chriſtus, quando Ionæ adinſtar ſalutem paratam dilectis cogebatur offerre extraneis: eſt certè grauis dolor cogi ad exhibendum extraneis, quod parabatur dilectis. cap.4.n.162.toto §.p.369

19. *Regina Auſtri ſurget in iudicio:* Ecce Auſtri regina inuolat Salomonis ſapientiam celebratura, cùm Scribæ, & Phariſæi, quod in Iona adumbratum, crucis Chriſto Domino pararint tormentum. Certè aliquando grauius à vicinis, quàm à remotis vrget periculum,& à coniunctis ſanguine detrimentum. c 5.n.39.toto §.p.444

20. *Niſi ſignum Ionæ.* Vt duriſſima Scribarum corda ad virtutem alliceret, ſuæ charitatis in paſſione adumbrata in Iona clariſſimè oſtendit: nam quæ in paſſione Domini flamma charitatis relucet, duriſſimos etiam ad opera virtutis compellit. cap. 5. num.52. toto §. p.449

21. *Niſi ſignum Ionæ Prophetæ.* Noluit, vt exiguam vtilitatem luctaretur ſibi aliud ſignum, quam Ionæ dare: Ionæ dedit ſignum, quia exambiebat omnibus commodum: vtinam hoc exemplum imitarentur miniſtri; verùm non ſemel inuenitur, qui vt exiguæ ſuæ vtilitati conſulat, totam periclitari Rempublicam ſtultiſſimè ſinat.c.5.n.128.toto §.p 475

Feria 6. poſt Dominicam primam.
Ioannis 5.

1. *Erat dies feſtus Iudæorum,& aſcendit Ieſus.* Dies Domino conſecratus, hominum ſaluti inuentus eſt opportunus: nam quidquid Deo ſeruit, & homini prodeſt. c.6 nu. 106.toto §.p.535

2. *Triginta & octo annos habens.* Opus fuit miraculo & quidem ingenti, vt tot annis confirmata depelleretur infirmitas:niſi Chriſtus miſericordiæ pompam oſtentaſſet, poſt triginta & octo infirmitatis annos homo ſanitatem non recepiſſet. Certè in vitia pugnandum eſt, dum recenter exorta:nam ægrè impugnantur inueterata. cap.1.num.14.toto §.p.8.

3. *Tolle grabatum tuum, & ambula.* Qui ſalutem paralytico fuerat dilargitus, ſe ſubduxit,non agnitus: vt optimos reipublicæ admoneret miniſtros, non ſibi plauſum quærere, & munus accuratè perficere. c.1. nu.113. toto §. p.41

4. *Alius ante me deſcendit.* Non carebat labore; ſed laboris vtilitate, quo illum cumulatior calamitas diuexaret: duriſſimum namque eſt laborum priuari fructibus, & diuexari laboribus.c.1.n.154.toto § p.55

5. *Triginta & octo annos habens in infirmitate ſua.* Ad patientiam recurrit, ne calamitatem exaſperaret: patientia namque calamitas delinitur, impatientia exaſperatur.c.1. nu.160. toto §.p 57

6. *Iam noli peccare*, &c. Quas ob peccata pœnas tulerat, illum à peccato auertebant:& quidem ante oculos vitiorum habere ſupplicia, accendit contra appetitus in arma.cap.1. n.191.toto §.p.67.

7. *Quis eſt ille homo, qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum?* Quamuis aſpexerint miraculum feciſſe, criminabantur Chriſtum, vt qui Sabbathum ad ſpeciem tantiſper violaſſet: plus namque apud homines valet leuis defectus ad notam, quàm plurium virtus ad famam. c. 1. n.196.toto §.p 69

8. *Alius ante me deſcendit.* Ipſe, vt teſtatur Auguſtinus apud Diuum Thomam, ſibi impedimento erat, vnde contigit, vt tot annos ſalutem deſiderando conſumeret, quod eius vertendum erat ignauiæ, non Angeli incuriæ. Certè aliquando vertitur miniſtris vitio non expedire negotia, cùm ipſi ambitores exciterent ſibi obſtacula. cap.2.num.255. toto § p.89

9. *Hominem non habeo.* Certè homo iſte Melchiſedech adinſtar videtur, ſine patre, ſine matre, & ſine genealogia: nec mirum cum premeretur paupertate & infirmitate. Profectò cognati, amicique recedent, ſi premat calamitas; aderunt,ſi fulgeat felicitas, c.1.num. 284 toto §.p.99.

10. *Noli amplius peccare.* Ab infirmitatis ærumnis liberauerat, & à culpis etiam retrahit, quò beneficium cumulatius adornet: nam licèt ingens beneficium ſit à laboribus vitæque periculis liberari, grandius tamen eſt à culpatum labibus expediri cap. 2. num.35. toto §.p.152.

11. *Tolle grabatum tuum, & ambula.* Vt omnem redeundi occaſionem præcideret,grabatum iuſſit auferre: & quidem grandis fauor eſt occaſiones tollere: nam ſi occaſio inuitet, fragilitas humana non rarò corruet. c.2. n.57.toto.§.p.161.

ô Trigin

Digitized by Google

12. *Triginta & octo annos habens in infirmitate ſua.* Vt textus innuit, parta eſt à peccatis infirmitas: & quidem beneficium fuit puniri, vt fuit etiam liberari: eſt namque magna Dei miſericordia, ſi decernatur peccatis temporalis pœna, ne in longa ſæcula ſoluatur mulcta. capite 2. numero 88. toto §. pa-p.171

13. *Vis ſanus fieri?* Qui peccatis compulſus infirmitatem inflixerat, ſalutem obtulit ſpontaneus: Deus namque benefacit non inuitatus, cum puniat ſemper compulſus. c.2.n.172. toto §.p.199

14. *Vis ſanus fieri?* Rogat prudenter: plures namque ſic deſipiunt criminum famulatui addicti, vt ſanitatem repudient, & ſeruitutem anhelent, c.2.n.202. toto §. & c.3. num. 29. toto §.p.231

15. *Noli amplius peccare.* Latæ tot annis infirmitatis cauſam expreſſit; vt penitus calamitatem abigeret: magna namque calamitatis pars eſt eius cauſam ignorare, vt remedij, ſcire. c.3.n.75. toto §. p.246

16. *Angelus autem Domini deſcendebat ſecundum tempus.* Angeli ſolicitudine, ſaluti homines reſtituebantur, & ægritudines pellebantur, Angelorum namque ſtudio nobis aſciſcuntur felicia, & auertuntur acerba, c.3. n.90. toto §.p.251

17. *Noli amplius peccare.* Quamuis Chriſtus Dominus, qui ſalutem paralytico tribuit, non conceſſit curatoris notitiam; at dum futura peccata ſalubri conſilio auertit, agnoſci non recuſauit: eſt namque glorioſius Principi appetentia mala impedire, quàm iam experta repellere. cap.3. numero 251. toto §. p.308

18. *Tolle grabatum tuum, & ambula.* Qui per ſeipſum paralyticum ſanitati reſtituit, ſordeſcentem illum conuiuam miniſtrorum manibus illigauit: decet namque maieſtatem per ſe ipſam benefacere, & non per ſe, ſed per miniſtros punire. cap.4. num. 24. toto §. p.323

19. *Tolle grabatum tuum.* Voluit, vt humerus onere tereretur, vt viderent omnes, quàm ad recuperandam temporalem ſalutem onus libenter ſubiret, nec laborem detrectaret, quando ad ſalutem animæ torpet ignauia, & excuſatur moleſtia. capit.4. numero 35. toto §. p.326

20. *Triginta & octo annos habens:* vitiis indulgens tot prolixos labores ſuſtinere compulſus eſt: diſparuit citò voluptas, per longos annos diuexauit aduerſitas: ſenſus namque volaticis oblectationibus fallit, & laboribus duriſſimis terit. capit.4. numero.39. toto §. p.328.

Dominica ſecunda Quadrageſimæ.
Matth.17.

1. *Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem, &c.* Delegit digniores virtute reſpecta, non conſanguinitatis cauſa: optima namque politice dignos deligit, minus laudabilis conſanguineos ſolum præponit. cap. 3. numero 138. toto paragrapho p.268.

2. *In montem excelſum ſeorſum.* Vt pluribus placet, locus ille aureis Ieroboami vitulis fuerat temeratus, & ob id Chriſtus ſua præſentia conſecrauit, & idololatriæ tenebras depulit: nam ſi nullus eſt locus, in quo vitium non aggrediatur virtutem, nullus eſſe debet, in quo virtus non aggrediatur improbitatem. capite 3. numero 209. toto §. pagina 293

3. *Ipſum audite.* Etſi ſitientes audirent, auidiùs tamen & ſtudioſiùs audire monentur, vt noueris Dei verba ſumma attentione auſcultanda, & reuerentibus auribus excipienda. c.3.n.214. toto §.p.294

4. *Acceſſit, & tetigit eos.* Se à Deo electum ſuperiorem probauit, dum proprio labore ſuorum procurauit commoda; imò ſuo illorum arcuit pericula: nam à Deo electus proprio labore ſubiectis conſulit, & propriæ vitæ periculo pericula ſubiectorum depellit. capite 3. numero 218. toto §. pagina 296

5. *Hic eſt Filius meus dilectus.* Sanè ſe filium prodidit, dum alta poſſidens virtuti ſtuduit, legemque impleuit, cùm homines, ſi poſſederint celſa, inueniantur ſæpè criminis tributarij, nec de vitiis triumphent glorioſi, c. 3. n.231. toto §.p.301

6. *In montem excelſum ſeorſum.* A Domino ducti inacceſſa aliis inueniuntur aggreſſi: nam qui Dei Spiritu agitur, magna & inacceſſa aliis aggreditur. capite 3. numero 255. toto §.p.309

7. *Bonum eſt nos hic eſſe.* Timebat Petrus curiam intrare: quia verebatur Chriſtum ibi occidendum, & eius magiſterium prorſus improbandum: in curia namque ſecuriùs crimina degunt, & vires veritatis eludunt. c.4. n.30. toto §. p.325

8. *In montem excelſum ſeorſum.* Mira res: ardua inſcenderunt, & pro virtute ad confragoſa inuolarunt: nam licèt ad mundialem gloriam omnis dulceſcat moleſtia, ad virtutem omne aſperum horret ignauia. capite 4. numero 35. toto paragrapho pagina 326

9. *Petrum, & Iacobum, & Ioannem.* Paucis diſcipulis ſtipantibus refulſit, & populi ſalutem ſtudioſiſſimè accelauerit: imò dum Solis iubare ſplenduit, à Patre agnitus eſt filius, & populi ſalus deprædicatur: nec otioſum fuit Patris teſtimonium ad depellendum omnis ſuſpicionis dubium: nam frequenter ſumptuoſior miniſtrorum pompa non eſt ſalus reipublicæ; ſed miſeria. c.4. nu. n.44. toto §.p.329

10. *Reſplenduit facies eius ſicut Sol.* Sol omnibus lucet, & omnibus patet: ergo dum culmine fulget, ſplendorem Solarem refert: miniſtros edocens nunquam negare aditum, ſed ſe omnibus expediendis negotiis præbere expromptos. c.4.n.77. toto §.p.339

11. *Acceſſit, & tetigit eos.* Dum diſcipulos leuat, dignitatem ſuam melius exornat: nec enim reſplendet adeò dignitas de adſtantium pompa, vt de leuata imbecilli

Digitized by Google

imbecilli miſeria c.4.n.104.toto §.p.349

12. *Cum eo loquentes.* De paſſione profectò agebant, & cùm Chriſtus propria poſſet frui gloria, ardentiùs diſcupiebat à ſuis depellere maculam: nam qui à Deo electus & filius, vel propriæ gloriæ detrimento ſuos diſcupit liberare peccato. c.4.n.129.toto §.p.357

13. *Faciamus hic tria tabernacula.* Errauit Apoſtolorum Princeps erga Moyſem & Eliam ſpecialiter affectus: debent namque à Prælato priuata ſtudia prorſus abeſſe: nam qui omnibus refulget præpoſitus, omnibus debet eſſe proficuus. c.4.n.167.toto §.p.371

14. *Moyſes & Elias cum eo loquentes.* Sole refulgens, & alta poſſidens ſibi collaterales deligit digniſſimos, edocens primum magnatum eſſe debere ſtudium, incorruptum & ſapientem ſibi deligere conſiliarium. c.4.num. 202.toto § p.383

15. *Faciamus hic tria tabernacula.* Ambiuit ſanctorum conſortium ad felicitatem ſtabiliendam, & calamitatem fruſtrandam: Sanctorum namque conſortium eſt felicitatis fulcrum, & calamitatis exilium c.4.n.215.toto §.p.388

16. *Cum eo loquentes.* Qui eximia candicabat luce ad detriumphandum prorſus aduerſarium agebat cum ſodalibus de Paſſione: nam licèt terrentimus aduerſarius virtutis armis feriatur; ſed cruce prorſus Chriſti confoditur. c.4 n.258 toto § p.404

17. *Faciamus hic tria tabernacula.* Geſtit prodire in opus, vt deſiderio adulcetur, & amori blandiatur: vehemens namque deſiderium moras aut otium non ſuſtinet; ſed in opus prodire geſtit. c.4.n.299.toto §.p.418

18. *Transfiguratus eſt ante eos,* vt honeſtè ſplendeſcere ambirent, quò virtuti fortius militarent: nec enim ſemel honeſta gloriæ ambitio virtuti inſeruit & facinora magna ſuadet. c.4.n.313.toto §.p 423

19. *Bonum eſt nos hic eſſe.* Petrus tuendæ ſalutis deſiderio ſalutis inſeruiebat obſtaculo: prodigere namque honeſtè ſalutem opportunius medium eſt ad conſeruandam vitam, & reportandam victoriam. c.5. num.20. toto §. p.438

20. *Bonum eſt nos hic eſſe.* Errabat, dum ſibi pacem & tranquillitatem nondum deleta paſſione culpa promittebat: & quidem, ne vitium prorſus depellatur, pax & tranquillitas non fulcitur. c.5.n.56.toto §.p.451

21. *Faciamus hic tria tabernacula.* Apoſtolorum Princeps, dum Eliam Moyſemque remunerare cupit, Ioannem & Didacum non attendit: & fortaſſis ob id eſt ab Euangeliſta ſugillatus: ita namque Princeps dignos debet muneribus ac laudibus exornare, vt caueat diſcordiam æmulationis ingerere, c.5.n. 108.toto §. p.467

22. *Faciamus hic tria tabernacula.* Et quare? Quia bonum eſt nos hîc eſſe. Profectò optimi miniſtri non implebat formam, qui periclitari ſinebat rempublicam: inuenitur tamen non ſemel, qui vt exiguæ ſuæ vtilitati conſulat, periclitanti reipublicæ non attendat. c 5.n.128.toto §.p 475

Feria 4. poſt Dominicam ſecundam. Matth. 20.

1. *ACceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi.* Etſi Chriſtus Dominus adeò grauibus afflictationibus, mortiſque inſtantis meditatione fuerit occupatus, fratrum expediuit petitionem, & permiſit acceſſum: vt reipublicæ doceat adminiſtros nunquam denegare aditum; ſed negotia tractantibus permittere acceſſum. c.4.n.77.toto §.p.339

2. *Non eſt meum dare vobis.* Regiæ ſuæ potentiæ ſuffragatur, dum ſe non poſſe aſſerit: nam regnantis ſententia de actibus debet ſumi, non affectione notari. capite 6.numero 141. p.547

3. *Ecce aſcendimus Ieroſolymam.* Ieroſolymam petit, munus ſuum impleturus, & quamuis Iericho, vt refert alius Euangeliſta, fuerit plauſum lucratus, hoc prætetit quaſi exigui momenti; illud ſuſpirat quaſi momenti grauiſſimi: vt ſuo exemplo reipublicæ informauerit adminiſtros, vt ſtudioſiùs curent munus implere, quàm ſibi plauſum acquirere. c.1. n.113. p.41

4. *Ad illudendum & flagellandum.* Primo loco ludibria retulit, poſtea flagella: ingenuo namque ſumma calamitas eſt ludibrio haberi, & aduerſariorum furori tradi. c.2. nu.181. toto §.p.202

5. *Et crucifigendum, & tertia die reſurget.* Crux peperit Chriſto Domino immortalem reſurrectionis gloriam, & nunquam leuandam attulit aduerſario ruinam: dæmon namque licèt aliis virtutum armis fugetur, cruce penitus confoditur. c.4.n.258.toto §.p.404

6. *Dic vt ſedeant hi duo filij mei.* Dum audiunt paſſionem, Hebræorum regnum iam prorſus agnoſcunt labi, prorſuſque perire: ob id thronos in nouo regno ſibi diſcupiunt, & quamuis ambiendo errauerint thronum, prudenter agnouerunt excidium: nam qui molitur iuſtis aduerſa, indubia ſibi parat excidia. capit.5.numero 48.toto paragrapho p.448

7. *Filius hominis tradetur.* Non Apoſtoli traduntur: ſed Dominus, Patri eximiè charior & pretioſior: vt ſuis in laboribus à Deo reſpirent dilecti, dum vident Deo chariſſimis contingere acerba, & exagitare duriſſima. c.6.n.259 toto §.p.587

8. *Dic vt ſedeant hi duo filij mei.* Audiunt reſurrectionem, & temporales, vt apud Diuum Thomam placet Chryſoſtomo, thronos ſuſpirant: apud homines namque magis valent caduca, minus æterna. c.2. n.72. toto §.p.166

9. *Non eſt meum dare vobis.* Regnum Chriſti odorati thronos exambiunt, & ambitione cœleſti regimini contradicunt: optima namque Politicæ dignitates non dilargitur pro libito affectus: ſed pro ſudoribus impendit gradus. c.1.n.263.toto § p.99

10. *Non eſt meum dare vobis.* Suſpirabat crucem omnibus profuturus: hinc ab omni affectionis nota voluit eſſe remotus, vt erudiat ſuperiores.

priores ab omni affectione ſe præbere remotos, ſi omnibus voluerint eſſe proficuos. c.2. numero 40.toto paragr.pp.154

11. *Neſcitis quid petatis.* Non ſolùm probantur imprudentes; ſed ambitione ad ſpeciem infelices: eſt namque miſer qui temporalium inardeſcit affectu,cùm careat vſu.cap.6. n.29.toto §.p.509

12. *Tertia die reſurget.* Non timuit tantum afflictionum referre cenſum,& explicare diſcipulis numerum: quia & tempus taxauit, & reſurrectionem promiſit: lenis namque eſt adflictio, cui ſpatium determinatum taxatur: illa fugienda ſolùm, cui nunquam tempus adſcribitur. c. 4.n.325. toto paragr. p.428

13. *Dic vt ſedeant.* De Chriſti morte & ſanguine ſibi volunt thronos conſtruere: inueniuntur namque plures miniſtri, qui alieno ſudore & ſanguine viuunt. cap.6.n.44.toto §.p.514

14. *In regno tuo.* Non callebant Chriſti regnum ſtabile & inconcuſſum futurum,quando ambitionem ingerebant, thronoſque ſuſpirabant: nam ea ſolùm reſpublica inimicos detriumphat, quæ periculoſas ambitionis leges ignorat.cap.1.n.39.toto paragr. p.17

15. *Poteſtis bibere calicem.* Vt Principis lateri adhæreant,nihil non audent; imò relinquere matrem deſolatam non timent: ea namque ſolet eſſe aliquorum ambitio, vt familiæ contempſerint detrimenta,vt Principum aut magnatum frequentarint palatia. c.1.n.68. toto §.p.26

16. *Cum filiis ſuis.* Non acceſſit Petrus; ſed mater: illos namque minus ſolet tangere ambitionis pruritus, quibus maior meritorum ornatus.cap.1. numero 89.toto paragr. p.33

17. *Dic vt ſedeant hi duo filij mei.* Videtant, vt teſtatur in catena Diuus Thomas, ſe aliis prælatos, & ad munia præcipuè electos: & ob id vlteriora exambiunt: nihil namque poſſeſſum delectat, quia ad vlteriora ſemper ambitio hiat. capite 1. numero, 249. p 87

18. *Non eſt meum dare vobis.* Non annuit votis:quia ipſi dignis ſe nondum adornauerant meritis. Certè non ſemel miniſtrorum vitio vertitur non expedire negotia, cùm ſæpè candidatorum retardent exigua merita.c.1.n.255.toto.§.p.89

19. *Poteſtis bibere calicem? Dicunt ei: Poſſumus.* Dum exambiunt gloriam, non horreſcunt paſſionis Chriſti ignominiam: nec enim ſemel honeſta gloriæ & dignitatis ambitio virtuti inſeruit, & egregia ad facinora cogit.c.4.n.315.toto §.p.423

20. *In regno tuo.* Nolunt adeſſe collaterales in cruce; quam audiunt; ſed in regno quod præuident: cognati namque & amici tardò adſunt,dum premit calamitas;cùm importunè ſe ingerant, dum fulget felicitas.cap.1. n.284.toto §.p.99

21. *Neſcitis quid petatis.* Certè importuno tempore acceſſerunt, dum quas ob Adami ambitionem Chriſtus pœnas tulerit, audiunt: ſolus namque paſſionibus obcæcatus non irruet contra ambitionem in arma, dum ambitionis videt ſupplicia. cap.1.num.191. toto § p.67

22. *Neſcitis quid petatis.* Grandius beneficium,nempe liberari à culpis,obliti, temporale commodum anhelauere ambitioſi: & ob id rectè ſugillati ſunt ignorantes: eſt namque grandius beneficium à culparum labibus expediri, quàm à vitæ laboribus liberari.c.2.n.35 toto §.p.153

23. *Tertia die reſurget.* Exagitatum duris ſuppljciis & ſuppliciorum tormentis clariſſimo reſurrectionis lumine donat,& præmij pompam pater oſtentat: nam licèt Deus multiplici iuſtorum calamitate erudiuerit vitam, poſt mortem honoris æternat pompam, & nominis curat famam. c 1.numero 328. toto §.p.114

Feria 6. poſt Dominicam. II.
Matthæi 21.

1. H*Omo erat paterfamilias, qui plantauit vineam.* Vineam plantat,non plantatam emit: quia à colonis ſtudioſè voluit excoli: opus namque eſt ſuperiori manum admouere operi,ſi ſubiectos cupit obedire virtuti.c.3.n.222.toto §.p.297

2. *Venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius.* Vt acquiſierint caduca,perpetrare horrenda non verentur ſcelera, & deſpiciunt immortalia: magis namque apud homines valent caduca, minoris æſtimantur æterna. cap.2.numero 72. toto paragrapho. p.166

3. *Apprehenſis ſeruis eius alium ceciderunt, &c.* Tot accepta beneficia compenſare nituntur iniuriis, & ſoluere contumeliis: neſcio quo teneamur furore, non detrectamus accepta à Domino beneficia turpi ingratitudine denigrare, cùm ob exigua geſtiamus erga homines nos gratiſſimos exhibere.c. 2. n.29.toto § 149

4. *Locauit eam agricolis.* Dum inops agricola diuiti poſſeſſione pompam nutrit, iam ſeruulis calamitatem diſponit: nec enim exigua miſeris calamitas denuntiatur, dum qui heri inops, ſibi æternare pompam molitur.c.5.n.96.toto §.p.464

5. *Et habebimus hæreditatem eius.* Somniabant ſe copioſa hæreditate ditandos, & luxerunt perditi, & petierunt ab hæreditate ſecluſi: ait namque: *Malos malè perdet, & vineam ſuam locabit aliis agricolis.* Profectò dum peccatores ſomniatis confictiſque proſperitatibus ſibi imponunt, in duras veraſque calamitates incurrunt. cap.5.n.132. toto §.p.477

6. *Alium occiderunt, alium verò lapidauerunt.* Patrifamilias digniſſimi ſerui pœnitentiæ fructus requirebant, & colonorum ingratitudinem condemnabant; at dum contra vitium inſtruunt certamina, ingratorum ſuſtinent odia. Certè opus eſt omni ſe munire cautela religioſè inuehendo in vitia. capite 4. numero 125. toto paragrapho. p.356

7. Eie

7. *Eiecerunt extra vineam, & occiderunt.* Se ſaxis duriores exhibuerunt, dum patientis Chriſti Domini flamma non ſunt emolliti, & ad virtutem allecti: ea namque in Paſſione charitatis relucet flamma, vt vel duriſſimos ad virtutis compellat opera. c. 5. nu. 52. toto §. p. 449

8. *Miſit alios ſeruos.* Adhuc exaſperatus non ſæuit; ſed clementer tempus indulget: dedecet namque regiam dignitatem ſæuitia; nobilis commendat clementia. c. 1. nu. 165. toto §. p. 58

9. *Dabitur genti facienti fructus eius.* Vt duriùs ambitionem torqueret, non ſolùm commodis diſpoliauit; ſed eis lucere inimicos conceſſit: nec enim tam grande ambitioni ſupplicium eſt commodis diſpoliari, quàm ipſis inimicos augeri. c. 2. n. 67. toto §. p. 167

10. *Et habebimus hæreditatem eius.* Sic amentes delirant, vt hæreditatem ſibi velint æternare, eo ipſo opere, quo probantur amittere: ea namque eſt hominum amentia, vt in ipſis quærant ſecuritatem periculis, & commoda ſuſpirent in detrimentis. c. 3. num 38. toto §. p. 234

11. *Cùm autem tempus fructuum appropinquaſſet.* miſit ſeruos, ne quid ex his, quæ Domino promiſerant, apud vineæ remaneret colonos: & quidem ingens hoc beneficium erat; eſt enim periculum quid retinere ex his quæ ſemel decreuiſti Domino conſecrare. c. 6. nu. 202. toto §. p. 567

12. *Cùm autem tempus fructuum appropinquaſſet.* Tempus dicatum pendendis fructibus, perpetrandis eſt in ſumptum criminibus. Certè dicatum vanitati ferè nunquam impendi videas virtuti! itaque raró aut nunquam vanitati adſcriptum tempus virtuti ſoluitur, cùm frequenter virtutis tempus vanitati ſoluatur c. 4. n. 219 toto §. p. 389

13. *Malos malè perdet.* Vbi ſuſpicati ſunt de aliis loqui ſeueritatem in alios armarunt; at cùm intellexerunt de ſeipſis parabolicè fuiſſe locutum, tenere voluerunt: ſunt namque plures, qui iuſtitiæ ſeueritatem commendent, ſi culpa puniatur aliena; at non ita, ſi pœnas dederit propria. c. 1. n. 143. toto §. p. 51

14. *Et habebimus hæreditatem eius.* Ecce colonos omnes diuitiarum poſſedit inſania: alia certè vitia plurimos; at diuitias acquirendi vota ſubiugarunt vniuerſos. c. 1. n. 317. toto §. p. 110

15. *Eiecerunt extra vineam, & occiderunt.* Fortè noluerunt intra ſepis clauſtra occidere, vt malitiem ſuam in aperto poſſent oſtendere: ita namque aliquando à ratione homines degenerarunt, vt criminia oſtentent ad pompam, cùm ipſe dæmon vereatur in malefactis notitiam. capite 1. numero 200. toto §. p. 71

16. *Venite occidamus eum.* Vota impleuerunt; ſed ad implendo infelicitatem ſibi luctuoſiſſimam conciliarunt. O quàm grande peccatori ſupplicium eſt, improbum nanciſci votum, & conſequi deſiderium! c. 3. n. 43 toto §. p. 236

17. *Et habebimus hæreditatem eius.* Deus hæreditatem imperitus eſt, vt ad virtutem copioſis fructibus allicerentur ditati; at ad vitium, & crimen fructus degenerarunt detorti; pluries namque improbus virtutum auxilia in vitiorum conuertit arma cap. 6. n. 219. toto §. p. 575

18. *Miſit ſeruos ſuos.* Ad diuites, & dignitatibus honoratos miſit; ſed delegationis merces fuit cædes: ſæpè namque ſublimium dignitas eſt inualidorum calamitas. c. 5. nu. 60. p. 453

19. *Cum autem tempus fructuum appropinquaſſet.* Opportunam fructus ſoluendi occaſionem deſpexerunt, & deſpicientes ſe hæreditate priuarunt: ſuæ equidem felicitati detrahit, quiſquis inuitantem occaſionem in futurum tempus remiſit. c. 4. num. 140. toto §. p. 361.

20. *Et habebimus hæreditatem eius.* Dum auaritia polluuntur, hæreditate priuantur: eſt namque auaritia diſcordiæ mater, & radix inopiæ. c. 5. n. 128. p. 475

21. *Miſit alios ſeruos.* Quàm patienter tulit iniuriam, ne diſtrictione puniret: voluit namque edocere ſuperiores debere leni antecedenti patientia ſeueritatis diſtrictionem commendare, & inuitè ſe venire ad puniendum oſtendere. c. 4. n. 59. p. 334

22. *Et habebimus hæreditatem eius.* Non timent deteſtandis fœdari criminibus, ſi copioſis diteſcant fructibus: nolunt namque apud ſæculum æſtimari virtutibus clari; ſed diuitiis copioſi. capite 4. numero 261. toto §. pagina. 405.

Dominica tertia Quadrageſimæ. Lucæ 11.

1. *Erat Ieſus eiiciens dæmonium, & illud erat mutum.* Iam diu dæmon miſeri illius hominis poſſidebat arcana, & ob id retulit Euangeliſta grandi Dominum pugnaſſe efficacia: hoc namque innuit illud verbum *erat.* Et quidem ſuo facto nos docuit quàm ægrè vitia expugnentur inueterata, vt pugnemus, dum recenter exorta. cap. 1. num. 14. toto §. p. 8

2. *Cum fortis armatus cuſtodit,* &c. Militiæ comparauit vitia depellere: nec enim diſſimili gloria fulget, qui expugnat vitia, & qui aduerſariorum euertit caſtra, c. 1. num. 73. toto §. p. 28

3. *Et illud erat mutum.* Hoſpitij merces lingua carere fuit: & quidem magna Dei prouidentia factum eſt, vt careret linguæ vſu, qui impurato agitabatur Spiritu, vt dum vitiorum ante oculos habemus ſupplicia, contra vitia prenſemus arma. c. 1. n 191. toto §. p. 67

4. *Erat Ieſus eiiciens dæmonium.* Qua medicina depellebat? Non quidem aſpera; ſed benigna, & ob id fortaſſe benigna, quia grandis vitiorum copia: oportet namque aliquando grandi infirmitati lene adhibere remedium, ne remedij aſperitate accreuerit damnum. capite 2. n. 12. toto paragrapho p. 142

Digitized by Google

5. *Et illud erat mutum* : neſciebat quibus ſe tradiderat, pugnare in vitia, aut euomere lingua venena: miſer equidem quia admiſit, miſerior, quia pugnare confeſſione prorſus ignorauit. Miſer eſt, qui ſe vitiis ſubiecit, & qui pugnare neſciuit. c.3 num.16.toto §. p.226

6. *Et illud erat mutum*; imò & ſurdum & cæcũ: & ob id ad noſtram eruditionem certamen negotium Chriſto faceſſiſſe, illo verbo *erat* ſaltem innuit Euangeliſta: vbi ſuppetias ferunt vitia, difficili premunt catena. c.3.n.111. toto §.p.260

7. *Locutus eſt mutus.* Nullum manſit antiquæ infelicitatis veſtigium: mutus loquitur, cæcus videt, & ſurdus audit: congruum namque fuit, vt ſicut vitium nullum reliquerat ſalutis veſtigium, ita virtus nullum vitiorum permitteret monimentum.c.3.n.195.toto §. 288

8. *Erat Ieſus eijciens dæmonium.* Dum tacet locum prodit myſterium: vt noueris virtutem omni loco debere aggredi improbitatem: quia nullus eſt locus, quo improbitas non aggrediatur virtutem. c.3. num.209. toto §. p.293

9. *Reuertar in domum meam, vnde exiui.* Plenam nondum Chriſtus oſtendit ſalutem, ſi depulſo vitio pateat regreſſus, nec occluſus prorſus ſit aditus. Certè ſi plena velis lætari ſalute, ſcito ſatis non eſſe vitium depellere; ſed opus viam etiam præcludere. cap.3. n.217.toto §.p.299

10. *Erat Ieſus eijciens dæmonium.* Dæmonis amator miſer homo ſic conabatur retinere, vt renueret ſalutem admittere: difficultas namque certaminis, quam Euangeliſta innuit illo verbo *erat*, non tam oriebatur à dæmone, quàm ab homine: ſic namque vitia amamus, vt captiuos nos tenere velimus.c.2.nu.201. toto §.p.209

11. *In Beelzebub Principe dæmoniorum eijcit dæmonia.* Iam pariter inimicos, criminatoreſque, dum vitia expugnare aggreditur. Certè opus eſt in aliena vitia pugnanti contra criminationes armari, & prouida defenſione muniri.c.6.n.24.toto §.p.574

12. *Et aſſumit ſeptem alios*, &c. ſemel depulſus animos non deponit; ſed ſocios ad ſecuritatem aſciſcit, vnio namque ſiue ad bonum ſiue ad malum ferè inuictas ſortitur vires, & aduerſariorum eludit artes. c.6. n.53. toto §.p.517

13. *Aſſumit ſeptem alios*, &c. Dum aditum vni permiſit, ſocios ſecum allatos hoſpitio cogitur recipere, & alere: vt noueris alicui ob peccatum ſubiectum cogi ad eius ſuſtentandos proximos & amicos.c.6.num.44.toto §. p.514

14. *Et illud erat mutum.* Salutem amiſit, vbi animo dæmonium excepit: comitatur namque peccatum ſalutis & diuitiarum diſpendium, vt virtutem non ſemel incolumitas & aurum.c 6.n.39.toto § p.513

15. *Et illud erat mutum.* Id eſt dæmon ille, qui ſuaſit malitiam, ſurditatis, & priuationis linguæ vſus intulit pœnam; multoties namq; qui fuerunt culpæ auctores, ad pœnam inueniuntur carnifices.c.6.n.23.toto §.p.508

16. *Et illud erat mutum.* Studioſiſſimè curarunt dæmones lingua priuare, ne poſſet in orationem prorumpere: ſumma namque diligentia ſatagunt dæmones orationem impedire, & orationi dicata tempora ſuffurari.c.5. n.64.toto §.p 454

17. *Locutus eſt mutus.* Gratias profectò Seruatori ſuo egit, felicitatemque ſuam gratitudine cumulauit: nec enim plenus reſplendet triumphus, quouſque gratiarum actione honoretur Deus.c.5.n.10.toto §. p.435

18. *Et illud erat mutum.* Peccatis has ſenſuum infirmitates contraxit, & excipiens corde dæmonium omnium ferè ſenſuum amiſit vſum: & quidem voluptatem culpamque non ſolùm manet in poſterum ſupplicium; ſed præſentaneum cogitur ſuſtinere tormentum.c.4.n.283.toto §.p.413

19. *Et illud erat mutum.* Quam duris ægrimoniis diuexabatur, qui fortaſſe breuiſſimis & volaticis oblectationibus fuerat vſus. Certè voluptas citiſſimè fugit, & laboribus duriſſimis terit. capite 4. numero 39.toto §. p.328

20. *In Beelzebub Principe dæmoniorum.* Non adeò erat miſer, qui corde exceperat dæmonium, vt qui virtutem ſugillabat vt vitium: eſt namque magnum peccati ſupplicium elabi in reprobum ſenſum. cap.4.n.10. toto §.p.318

21. *Locutus eſt mutus.* Et quid locutus? Agebat medico ſuo gratias, doloroſa fundebat ſuſpiria, & antequam peruerſitatem deterebat vtili pœnitentiâ. Profectò qui non ſentiebat culparum diſpendia, meliori iam luce vtens doloroſa fundit ſuſpiria.c.2.num. 103.toto §. p.176

Feria 4. poſt Dominicam tertiam. Matth.15.

1. *Qvare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem Seniorum*, &c. Qui non animaduertebant Dei ſe præcepta violare, criminabantur diſcipulos cibum non lotos ſumere: plures namque inueniuntur erga ſe cæci, erga alios inoculati. cap.1.num.366, toto §. p.128

2. *Non enim lauant manus ſuas.* Si vera fuiſſet, ſpernenda non eſſet hæc criminatio: erat enim indecorum magna minimis obſcurare, & leui errore virtutis ſplendorem corrumpere. Certè aliquando magna minimis obſcurantur, & leui culpa facinora glorioſa inficiuntur.c.1.n.309.toto §.p.107

3. *Traditionem maiorum.* Ob leuem traditionem Chriſti diſcipulos carpunt, qui Numinis præcepta prætergrediuntur; at infrequens non eſt in alios duriùs deſæuire, qui probatur ſibi indulgere. cap.1. numer.204. toto §. p.72

4. *Non enim lauant manus ſuas.* Leuiſſimus erat defectus, etſi traditioni refragarentur, manus non lauare, & eximia illorum fulgebat virtus, quandoquidem liquebat dæmones pellere, & infirmos ſanare; adeò verò nonnulli ſunt peruerſo ingenio, vt plus

Digitized by Google

plus apud illos valeat leuis defectus ad notam,quàm eximia virtus ad famam.cap.1. n. 196.toto §.p.69

5. *Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei?* In ſe impudenter concinnarunt criminationem, dum moliuntur ſugillare Chriſti diſcipulos: ea namque eſt peccatorum infelicitas, vt ſuis artibus pereant: & quidem quod in alios maligniſſimè architectantur, contra ſe præter opinionem moliuntur. c.1. n.175.toto §.p.62

6. *Traditionem ſeniorum.* Vt Apoſtolorum culpam exaggerent, contrarium in maioribus præceſſiſſe teſtantur exemplum: oppoſitum namque maiorum exemplum arguit acriter poſterorum delictum.cap.2. num. 165. toto §.p.197

7. *Non enim lauant manus ſuas,cùm panem manducant.* Magiſtrum criminari tendebant; ſed ne ſe proderent diſcipulos incuſarunt: frequentiſſimum namque aulicis vitium eſt vulnus infligere.& manum prorſus abſcondere.c.3.n.143.toto §.269

8. *Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei:* Suam quodammodò oblitus cauſam,ob Numinis illos arguit iniuriam: & quidem qui diuino zelo inflammatus, propriam patienter ſuffert offenſam; ſed in Deum carpere geſtit iniuriam. capite 3. numero 154. toto §.p.272

9. *Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem?* Non geſtiebant corrigere; ſed confictis defectibus infamare. Certè aliter ſe gererent,ſi emendare diſcuperent: vitia namque omni ſecreto ſunt corrigenda, & correctio cunctis celanda.c.3.n.199.toto §.p.289

10. *Quare & vos tranſgredimini?* Dum ab Ieroſolymis recedunt,correptionem culparum audiunt: in curia Numinis violantur præcepta, extra curiam vmbratilis & leuiſſima denigrat culpa. Certè curia eſt criminum vena,& eludit virtutis arma. cap.4. num.30. toto §.p.325

11. *Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri vel matri,&c.* Contra diuinum præceptum filiis conſulebant Deo offerre munera, negare patribus alimenta, vt nutrirent faſtum, de oblatis ambiebant lucrum:: & quod ſibi acquirebant lucrum, erat pietatis erga patres diſpendium: ſemper namque ſumptuoſior miniſtrorum pompa fulcitur ſubiectorum miſeria.cap. 4.numero 44.toto paragr. p.329

12 *Tranſgrediuntur traditionem ſeniorum.* Chriſti diſcipuli de ſingularitate accuſantur: & quidem Phariſæorum criminatio nobis doctrina eſt: docemur namque,quam ſingularitas ſit odioſa, & à prudentibus ſit fugienda.c.4.n.211.toto §.p.386

13. *Non enim lauant manus ſuas; cum panem manducant.* Non dixerunt:cum panem ſuum manducant; ſed cùm manducant panem: quaſi dicant,vt habeant panem,impuris manibus ſunt, & indigni prorſus miniſtri, & arcendi. Certè dum dignitate præditus accipit,inſidias parat honori,& pericula dignitati.c.4.n.241.toto §.p.397

14. *Non enim lauant manus ſuas.* Ipſa criminatione ſe produnt,& diuini præcepti ſe corruptores oſtendunt: nam ſi eſſent iuſti, defectus alienos non viderent honeſtè cæci: iuſti namque in aliorum factis ſolùm intuentur glorioſa, & neſciunt prorſus obſcura.c.5.n.29.toto §.p.441

15. *Acceſſerunt ad Ieſum ab Ieroſolymis.* Qui vicini,quam putabant culpam, notarunt, & Apoſtolos criminatione impetierunt: nec enim rarò grauius à vicinis, quàm à remotis manat periculum, & à coniunctis ſanguine detrimentum.c.5.n.39.toto §.

16. *Propter traditiones veſtras.* Ecce diuina tranſgrediuntur præcepta, vt obſeruitent maiorum conſilia, quod frequens apud homines eſt, quandoquidem vt accepta à maioribus inuiolatè ſeruentur conſilia, non reſpuunt Numinis violare præcepta. cap.5. n.45.toto §.p.446

17. *Non lauant manus ſuas cùm panem manducant.* Quaſi dicant: Menſæ tuæ adſident manibus prorſus impuri: & quidem ſi vera eſſet criminatio,non erat contemnendum delictum:nam qui adſtant Euchariſticæ menſæ, non ſolùm debent mundari à culpa; ſed vel à leuiſſima culpæ nota.cap.6. num.35. toto §.p.511

18. *Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei?* Phariſæi auaritia inflammati ſuadebant filiis patribus non præbere alimenta; ſed altaribus ſacrificia: conſumebantur parentes inopia, quia ſibi auaritia quærebat lucra. Et quidem ſi auaritia inficiat prælatos,luctuoſa miſeria conſumet ſubditos. c.6. n. 74. toto §.p.525

19. *Non lauant manus ſuas.* Chriſti diſcipuli alios ad virtutem informabant, & doctrina alliciebant: quod vt Scribæ impedirent,culpis vociferantur infectos, & impuritate obſcuros,& quidem qui alios cupit ad pœnitentiam adducere, omni debet vitio carere. c.6. n.96.toto §.p.532

20. *Non lauant manus.* Ob leuem ad ſpeciem defectum Apoſtolorum auſteritatem dehoneſtare,& virtutem moliuntur abrodere: & quamuis oppoſuerit crimen inuidia, nobis criminatio fuit pro ſchola: vt noſcamus quàm exigua nitorem perfectionis infuſcent, & gratiam auſteritatis dedecorent.c.6. n.101 toto paragrapho.p.534

Feria 6. poſt Dominicam III. Ioannis 4.

1. *IVxta prædium, quod dedit Iacob filio ſuo.* Hic campus olim Sichem illa ciuitas, quæ ob libidinem diſpoliata eſt ciuibus: libido namque regnorum eſt depopulatrix, ac dedecoris nutrix.c.3.n.57.toto §.p.240

2. *Patre noſtre Iacob.* Quàm impudenter ſe Iacobi filiam vocabat,quæ ſpurcitiæ indecorè ſeruiebat: glorioſos namque maiorum titulos ſolùm conſeruant virtute ſimiles, amittunt degeneres. cap. 1.numero 47. toto §.p.20

3. *Meus cibus eſt,vt faciam voluntatem eius, qui me miſit,&c.* Quàm felix erat illa reſpublica

Digitized by Google

blica, vbi non tam quærebatur commodum, quàm perfici curabatur officium. Profectò à Deo electus adminiſter reipublicæ ſtudioſiùs curat munus implere, quam ſibi commodum eluctari. c. 1 n. 113. toto § p. 41

4. *Venit mulier de Samaria.* Vt mulier libidinem abiuret, expectat Deus, vt ad puteum Iacob recurrat. Certè hic campus eſt Iacob adſcriptus, quando regionis illius Princeps ob ſtuprum illatum Dinæ eſt vita mulctatus: & quidem qui ante oculos vitiorum habet ſupplicia, facilè auerſatur ſcelera. c. 1. n. 191. toto § p. 67

5. *Da mihi aquam.* Non ſine myſterio Ioannes tempus hoc paſſionis tempori reſpondere notauit: *hora*, inquit, *erat quaſi ſexta:* nec mirum iam prælibaret paſſionem, qui poſtulauit: ingenuo namque viro, vt dilargiti eſt iucundum, ſic petere peracerbum. c. 1. n. 239. toto § p 84

6. *Domine da mihi hanc aquam.* Honoris adiunxit titulum, cùm poſtulauit, vt faciliùs obtineret: viget equidem in fœminis ad petendum acutiſſimum ingenium, & mirum ſæpè artificium. c. 1 n. 245 toto paragrapho. p. 85

7. *Da mihi hanc aquam, vt non ſitiam.* Forte etſi aquam impetraret, ad puteum etiam recurreret: oſtendit putealis aquæ faſtidium, vt alterius aquæ obtinuerit votum: mulieris namque ingenium auerſatur ſæpè poſſeſſa ſimulato faſtidio, & vero acquirendi voto. c. 1. n. 249. toto paragrapho. p. 87

8. *Venit mulier haurire aquam.* Quò voluptati indulgeat, extrema exercere officia non refugit: ſe ſpernit, vt voluptati ſe tradat. Certè nihil eſt peccatori ſe vilius. c. 1. num. 312. toto §. p. 109

9. *Sedebat ſic ſupra fontem.* Externè fatigatus; ſed interno gaudio perfruitus: mulier mundiali aqua externè diteſcens, ſed anxietatem internam ſubiens: premebatur hydria, qua explebat ſitim, & agitabatur conſcientiæ ſtimulis: ob id namque inquiſiuit adorationis locum, etſi copioſis frui videretur gaudiis. Profectò iuſti internis gaudiis exultant pleni, etſi exteriùs defatigati; iniqui interius cruciantur defatigati, etſi exteriùs videantur læti. c. 1. n. 332. toto §. p. 116

10. *Haurire aquam.* Quàm erat inops, quæ libidinis victima, & cognationis infamia! fortè ſi caſtitati inſeruiſſet, diuitiis & honore exundaſſet: caſtitas namque cultores ſuos æternis coronat lautis, & temporalibus cumulat non ſemel diuitiis. c. 1. numero 337. toto §. p. 117

11. *Virum non habeo.* Quàm errabat cæca, dum ſua putabat latere delicta, quando nulla poſſunt latere ignorata: quia curioſitas ſemper intenta. c. 1. numero 368. toto paragrapho. p. 129

12. *Bene dixiſti, quia non habeo virum.* Quàm leniter conſcientiam exulceratiſſimam curauit, & quàm patienter ad pœnitentiam allexit! Et quidem aliquando dum acriùs deſæuit vitium, lenius eſt applicandum remedium. capite 2. numero 12. toto paragrapho. p. 142

13. *Patre noſtro Iacob, qui dedit nobis puteum.* Ob exiguam aquam vti patrem ſuſpiciebat Iacobum, quæ ob vitam & ſalutem, exiguam aquam recuſabat præbere Deo: ſic namque accidit: ob exigua ſumus erga homines grati, cùm ob magna erga Deum delinquamus ingratitudine obſcuri. c. 2. numero 29. toto §. p. 149

14. *Neque veniam huc haurire.* Totum mulieris ſtudium erat laboribus liberari, Dei totum culparum conſtrictam compedibus expedire: grande quidem beneficium eſt labores depellere; ſed longè grandius culpam expungere. c. 2. n. 35. toto §. p. 152

15. *Venit haurire aquam: hora autem erat quaſi ſexta.* Ecce vt amaſio ſeruiat, nec ſolis recuſat flammam, nec hydriæ reſpuit moleſtiam: & quod grandius illi poſſet ſeueritas decreuiſſe ſupplicium, quam ardoribus adurere, & ignobilibus oneribus prægrauare? Verùm ſic cæcutiunt homines, vt ea ipſa, quæ ſeueritas poſſet decreuiſſe ſupplicia, ſibi exambierint vt commoda. c. 2. num. 53. toto §. p 159

16. *Da mihi hanc aquam.* Mira res: cæleſtem exambit aquam, & incipit aſpernari terrenam, quando de more apud homines pluris æſtimantur euanida, minoris æterna. cap. 2. n. 72. toto §. p. 166

17. *Quia hic eſt Saluator mundi.* Iam meliora ſapientes Chriſto plaudebant, eiuſque doctrinam mirè honorabant. Certè concionatorem nobilitat pœnitentiæ in auditoribus fructus, pluſquam ingenij, & ſubtilitatis plauſus. c. 2. n. 76. toto §. p. 167

18. *Haurire aquam.* De inopia peccatorum mulier exaggerabat reatum: creſcit namque peccati reatus, quando nullus peccatum ſequitur fructus. c. 2. n. 161. toto §. p. 195

19. *Patre noſtro Iacob.* Ad ſuam confuſionem ſe Iacobi prodidit filiam: nam oppoſitum parentis exemplum exaggerat filiorum delictum. c. 2. n. 165. toto §. p. 197

20. *Neque veniam huc haurire.* Iam oculorum caliginem depellebat, quæ mala ſua fugere non detrectabat: & quidem in eam peccatores deuenerunt ſæpiùs amentiam, vt errores noluerint fugere; ſed ſuſpicauerint æternate. c. 3. n. 29. toto §. p. 231

21. *Patre noſtro Iacob, qui dedit nobis puteum: & ipſe ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius.* Patrem refert copioſis gregibus abundaſſe, quando ipſa aquæ indiga, & miſeria diuexata: ad ſupplicium ibi adurgebatur inopia, vbi eius maiores reſplenduerunt abundantia: durius namque eſt ibi adurgeri miſeriis, vbi maiores exundauere diuitiis. c. 3. n. 71. § toto §. p. 245

22. *Da mihi hanc aquam.* Ad orationem mulier recurrit, vt inopiam depellat: & quidem oratio non ſolùm eſt criminum medela; ſed calamitatis eſt medicina. cap. 3. num 99. toto §. p 255

23. *Haurire aquam.* Plurima ſanè voluptati laborum impendebat tributa, dum candentibus Solis flammis aduſta, & hydriæ onere prægrauata: fortaſſe ſi expendiſſet anteà labores, non ambiret voluptates: nam qui vitiorum expendit tributa, eorum auerſatur oblectamenta. c. 3. n. 116 toto §. p. 261

Dominica

Dominica IV. Quadrageſimæ.
Ioannis 6.

1. *SEquebatur eum multitudo magna: quia videbant ſigna quæ faciebat*: vt nouerunt infirmitatum cauſam eſſe Chriſtum non ſequi,& remedium propinquare, inuolarunt felices & alacres. Magna namque calamitas pars eſt cauſam ignorare, vt remedij illam ſcire.c.3.n.75.toto §.p.246

2. *Facite homines diſcumbere.* Grande miraculum fuit paucis panibus tot homines ſaturare;neſcio verò an grandius fuerit à Principe dilargita per miniſtros illibatè integréque ad populum perueniſſe: eſt namque mirum à populo ſoluta integrè ad Principem peruenire,vt etiam dilargita à Principe,incorruptè ad accepturos deſcendere.cap.3.n.129.toto §.p.265

3. *Facite homines diſcumbere.* Muneribus allexit homines ad virtutem:oportuit namque, vt aliquando munus eſſet virtutis auxilium, cùm toties fuerit venenum. c.3. n.158.toto §.p.274

4. *Cum ſubleuaſſet ergo oculos.* Propriis manibus panes frangit,& ſubiectorum commoda proprio labore ſolicitat: vt doceat ſuperiores propria fatigatione ſubiectorum inuigilare commodis, & depellendis ſtudere periculis.c.3.n.218.toto §.p.296

5. *Diſtribuit diſcumbentibus.* Vt Apoſtolis perſuadeat turbis elargiri, ipſe dilargitur Apoſtolis,vt admoueat manum operi, qui ſubiectos cupit parere virtuti. c.3.num.222.toto paragrapho.p.297

6. *Diſtribuit diſcumbentibus*:Per ſe panes multiplicat,vt ſequentes remunerauerit,qui per ſe non ſolet viria punire. Profectò maieſtatem decet per ſe ipſam largiri præmia,& non inferre ſupplicia.c.4 n.24.toto § p.323

7. *Quia videbant ſigna quæ faciebat.* Ægroti non recuſant maria tranare, & montium confragoſa conſcendere: ad recuperandam namque ſalutem omnis dulceſcit moleſtia, cùm ad virtutem torpeat ignauia. c. 4.n.35. toto §.p.326

8. *Vt raperent eum, & facerent eum regem.* Nondum ipſis reſplenduerat rex,dum tot illum turbæ comitabantur;at reſplenduit,dum miſeriæ fameſque depellebantur: rutilat namque illuſtrior dignitas de leuata calamitoſi miſeria, quàm de comitantium pompa. c.4.n.104.toto §.p.349

9. *Sequebatur eum multitudo.* Ægri ſequebantur ægritudinis depulſorem, & ne ſalutis auolaret occaſio, omni vſque ad montes contendebant ſtudio. Profectò felicitati ſuæ detraxit,quiſquis inuitantem occaſionem in tempus futurum miſit.cap 4.num.140. toto §.p.361

10. *Cùm ſubleuaſſet oculos Ieſus, & vidiſſet quia multitudo,&c.* Non vidit diſcipulos tantùm ſuos alimento carentes; ſed oculos ad omnem multitudinem extendit: vnde inde ſatagebant Principem conclamare: priuata namque ſtudia à Prælato penitus agnoſci debeat excluſa,quandoquidem non iam priuatus;ſed omnibus adæquè promotus. cap.4. n.167.toto §.p.371

11. *Vnde ememus panes?* Curauit, qui non egebat conſilio ſibi adhærentis conſilium examinare, vt doceret quanti interſit magnatum, ſapientem & incorruptum deligere conſiliarium.c.4 n.242.toto §.p.398

12. *Fugit in montem*: erat rex, & timebat ſibi tunc à populo oblatum in criminationis cauſam poſteà vertendum: accuſarunt namque illum quòd ſe regem faceret:vt noueris munera dignitate prædito oblata eſſe honoris inſidias, & pericula dignitati.c.4.n.241. toto §.p.397

13. *Vt facerent eum regem.* Viderant ſigna quæ faciebat ſuper his qui infirmabantur;nec tamen ſunt conclamare regem conati; modò tamen inaugurare regem contendunt. Et quare? Quia pane agnouerunt copioſum: apud ſæculum namque pluris æſtimantur diuitiis copioſi,quàm dotibus virtutum præclari.c.4.n.262.toto §.p.405

14. *Vt facerent eum regem.* Modò ad dignitatis pompam conantur euehere, quia diuitiis viderant abundare;anteà verò dum inſpexerunt inopem,inaugurare non cogitarunt in Principem, & quidem de more non exigua ſubiectis calamitas denuntiatur, dum inops ad pompam dignitatis eligitur. cap.5.n.96. toto § p.464

15. *Vnde ememus panes?* Ad noſtram doctrinam conſuluit;conſultationis tamē tempus prolixè non traxit:ſunt enim nonnulli,quibus opportuna occaſio elabitur, dum prolixis conſultationibus tempus teritur. cap.5. n.119.§.p.472

16. *Vt autem impleti ſunt.* Ecce Chriſtum ſequentes non ſolum à morbis eximuntur; ſed copia panis diteſcunt: nam vt peccatum comitatur frequenter ſalutis & diuitiarum diſpendium, ita virtutem vtriuſque lucrum.c.6.n.139.toto §.p.512

17. *Colligite quæ ſuperauerunt fragmenta.* Sic voluit diſcipulos ſuos à cupiditate alienos,vt de reliquiis viuerent, & panibus indigentes cibarent: aliter namque non adeò felix ditaretur populus,& depelleret calamitatem indigus. Certè vulgus gemit ſub peccati iugo captiuum,ſi Eccleſiaſticus diuitiarum ſuſpiret augmentum.c.6.n.58.toto §.p.519. & n.74.toto §.p.525

18 *Hic eſt verè propheta.* In ſolitudine agnoſcunt, quem in mediis populis non nouerunt. Certè à diuitiarum copia & mundiali tumultu non ſolùm ſpontaneus, ſed inuitus etiam receſſus eſſe ſolet ſupernæ lucis illicium.c.6.n.91.toto §.p.531

19. *Multitudo maxima venit ad eum.* Fidentes ſe ſalutem adepturos, nec expectatione fruſtrati ſunt: in Domino namque fiducia fructus producit & animo dulciſſimos, & etiam ſaluti commodos. c.6.numero 110. toto paragr.p.537

20. *Fugit in montem.* Quia virtutibus omnibus exornatus, auerſatus eſt dignitatem: qui caret dotibus, ſolet reſpirare ambitionem. Profectò qui dignus, inuenitur humilior, qui indignus, intumeſcit ſæpè ſuperbor-

perbior.cap.6.numero 176.toto paragrapho. p.559

21. *Hic eſt verè propheta.* Et quare vri cæleſtem ſunt demirati? Quia egeſtatis tempore non fugit; ſed copioſo pane ſubuenit: apud ſæculum namque nunquam deeſt qui felicitatis tempore aliquid ſugat, deeſt tamen qui indigentiæ tempore impendat. c.6.n.265.toto §.p.589

Feria 4. poſt Dominicam IV. Ioannis 9.

1. *Vidit hominem cæcum à natiuitate.* Aliis cæcis verbo lucem reſtituit, huic lutum appoſuit, & ad fontem miſit: & quare? quia vitium cum ipſa inoleuit natura: in vitia pugnandum eſt, dum recenter exorta, expunguntur namque difficulter inueterata. c.1.n.14.toto § p.8

2. *Fecit lutum.* Oportebat illum operari, munuſque implere: ob idque non recuſauit miſcere lutum, etſi ob id nouerit creandum ſibi ab aduerſariis periculum: optimus namque reipublicæ adminiſter ſtudioſiùs curat munus implere, quàm ſuæ vtilitati conſulere. c.1.n.113.toto §.p.41

3. *Non eſt hic homo à Deo, qui ſabbathum non cuſtodit.* Exigui luti commixtio apud Phariſæos grande adeò opus infamabat: nec ſolùm non ſuſpiciebant miraculi patratorem; ſed Dei criminabantur vt hoſtem: valet namque plus apud homines leuis defectus ad notam, quàm eximia virtus ad famam. cap.1. n.196.toto §.p.69

4. *Vade, & laua.* Deſiderabat homo ille luto oculos liberare, & hoc illi Chriſtus præcipit: cordatus namque ſuperior ſtudet ea aliquando præcipere, ad quæ ſubiectos nouerit inclinari. c.1.n.214.toto.§.p.75

5. *Tu diſcipulus illius ſis.* Cæleſtem nolunt audire doctrinam, quia Moyſis tenebant cathedram: mirum namque erit ſi doctus velit addiſcere, & aures aliis præbere. c.1.n.268. toto §.p.94

6. *Ille verò dicebat: quia ego ſum.* Vti prudens antiquam non ignorabat fortunam, etſi modò felix reſplendeat: certè plures ſibi odium conflant dum lætiore fortuna vſi, antiquæ videntur ignari. c.2.n.32.toto §.p.150

7. *Abij, & laui, & vidi.* Quàm excellentem probabat medicum, qui facillima medicina tam inueteratam depulerat ægritudinem. Certè eſt laudandæ peritiæ, grauiſſimo ſubueniri morbo, parabili facilique remedio. c.2.n.63.toto §.p.162

8. *Vidit hominem cæcum.* Non rogatus lumen refudit, & miſerum felicitate donauit. Certè Deus ſæpiſſimè benefacit non rogatus, nunquam tamen punit niſi compulſus. cap.2. n.172.§.toto §.p.199

9. *Lutum fecit.* Certè lutum aptius videbatur oculis obturandis, quàm aperiendis; at ſæpè Deus inſtrumentis parum ad ſpeciem aptis vtitur, vt confundat mundi ſapientiam, & ſuam oſtentet miris operibus efficaciam. c.3. n.133.toto § p.266

10. *Alij autem, nequaquam; ſed ſimilis ei eſt.* Non videbatur iam ipſe; ſed prorſus alius: ſuo namque facto virtutis aſſeclas docuit Deus penitus adeò vitia delere, vt nulla maneant veſtigia, quando iniqui nulla permittunt probitatis monimenta. c.3.n.195.toto §.p.288

11. *Lutum fecit.* Proprio labore, imò & periculo ſubiecti conſulebat ſaluti, quo facto probabatur diuinus, & à Deo ad hominum ſalutem electus: à Deo namque miſſus & electus probatur, qui proprio labore miſerorum procurat commoda; imò aliquando ſuo illorum arcet pericula. cap.3.num.218. toto §.p.296

12. *Quia propheta eſt.* Chriſti æmulos diſcruciabat rudis homo ſapientia deſtitutus; ſed ſimplicitate ornatus: valet namque plurimum ad euertendos improbos ſimplicitas etſi mundiali eruditione deſtituta, nec ſic triumphat ſapientia ſimplicitate priuata. c.3.n.236.toto §.p.302

13. *Non eſt hic homo à Deo.* Quam graue æmuli patiebantur ſupplicium, quando permiſſi ſunt in reprobum labi ſenſum. Certè grauiſſima pœna peccati eſt aliter quàm fas eſt, de rebus cenſere, & de iudicio præſumere. capite 4. numero 10. toto paragrapho. p.318

14. *Vade & laue.* Ad inſtar miraculi fuit cæcum non recuſaſſe greſſus, vt obediret Chriſto; imò fortè non poneret, ni oculos ſperaret: pro ſalute namque omnis dulceſcit moleſtia, ad virtutem torpet ignauia. c.4. n.35. toto §.326

15. *Cæcum à natiuitate.* De vetitæ arboris aſpectu hæc cæcitas nata eſt: ſenſus namque volaticis oblectationibus fallit, & laboribus duriſſimis terit. c.4. numero 39.toto paragr. p.328

16. *Quia propheta eſt.* Suſpiciebat vri dignitate eximium, qui eius calamitatem leuarat, quamuis omnis pompa carere videtur: & quidem ſplendidiùs emicat dignitas de leuata calamitoſi miſeria, quàm de ſtipante lateri pompa. c.4.n.104.toto §.p.349

17. *Abij, & laui, & video.* Fortè ſi in poſterum ad fontem recurrere diſtuliſſet, lucem non obtineret: rapienda eſt felicitatis occaſio: plures namque, dum imitantem occaſionem non rapiunt, felicitati & ſaluti obſtacula magna ponunt. capite 4.num.140. toto §.p.361

18. *Quis peccauit, hic aut parentes eius?* Non in totum hæc interrogatio videatur imprudens: ea namque erudimur culpam non ſolùm manere in poſterum ſupplicium; ſed admixtum habere ſæpè tormentum. c.3.n.285. toto §.p.413

19. *Non eſt hic homo à Deo.* Se iniuſtos prodebant, dum in raro adeò miraculo ſolùm adſpiciebant quid ad ſpeciem obſcurum, non glorioſum. Certè iuſti in aliorum actionibus ſolùm intuentur glorioſa, & neſciunt prorſus obſcura. capite 5.numero 29. toto § p.441

20. *Adducunt eum ad Phariſæos.* Quia virtutem fatebatur, ad tribunalia deferebatur; at inquiſitio maligna, quæ videbatur Chriſto creare

Digitized by Google

creare periculum, indubium peperit plauſum: vt noueris virtutis opera, etſi aliquando videantur ſubire periculum, eſſe ad plauſum, non detrimentum. cap. 5. num. 34. toto §. p. 443

21. *Itaque vicini, &c.* A vicinis nimium inquirentibus creatum eſt cæco periculum, dum ad tribunalia ducitur, & à Principibus, quid factum, exploratur. Certè non ſemel grauius à vicinis, quam à remotis vrget periculum, & à coniunctis ſanguine detrimentum. c. 5. n. 39. toto §. p. 444

Feria 6. poſt Dominicam IV. Ioannis 11.

1. E*Rat quidam languens Lazarus.* In Lazaro peccatorem adumbrari conſtans Patrum opinio eſt: ergo dum indulget euanidis voluptatibus, duriſſimis diſcruciatur doloribus: peccatores namque ſomniatis ſibi deliciis imponunt, & in veras calamitas incurrunt. capite 5. numero 132. toto paragr. p. 477

2. *Lazarus mortuus eſt.* Non erat infelix Lazarus, etſi in adoleſcentiæ flore præciſus, quia virtute moriebatur ornatus: non deplorandus eſt, qui in adoleſcentiæ flore Dei amicus moritur; ſed qui dum vitiis indulget, hoſtili ferro obtruncatur. c. 5. n. 136. toto §. p. 478

3. *Maria autem erat, quæ vnxit, &c.* Iam morti fatalis erat Maria, quæ Dominum vnxerat: & ob id fortè à Domino contra infernum vocata. Citiùs namque perit aliquando mors cum Mariæ vmbra præliata, quàm cum ipſa omnipotentia congreſſa. c. 5. num. 143. toto §. p. 481

4. *Miſerunt ergo ſorores eius.* Chriſtum ſanè orantes, vt calamitati ſuccurreret: ni calamitas premeret, non mitterent, nec orarent. Certè calamitas eſt orationis ſchola, & oratio multorum felicitatis eſt vena. c. 6. n. 79. toto §. p. 526

5. *Miſerunt.* Fidentes ſanè remedium infirmitati obtenturas: & quidem licèt tantiſper fuerit dilatum, denique à Domino fuit conceſſum: fiducia namque fructus producit & animo dulciſſimos, & etiam ſaluti commodos. c. 6. n. 110. toto §. p. 537

6. *Amicus noſter dormit.* Et cur non ait: Nobiliſſimis, & decantandis maioribus natus? Quia tunc ſolùm apud Deum nobilitas lucet ſplendida, cùm virtutibus probatur ornata. c. 6. n. 138. toto §. p. 546

7. *Maria erat quæ vnxit Dominum.* Quem hoſpitio exceperant, quem vnguento vnxerant, vocant, vt calamitoſo tempore illis ſubueniat, quod non facerent, niſi plus homine credidiſſent: homines namque ſolùm adeunt felicitatis tempore, vt fugant, non indigentiæ tempore, vt impendant. cap. 6. num. 265. toto paragr. p. 589

8. *Lazarus amicus noſter dormit.* Poſt mortem adhuc videtur viuere, quandoquidem ſomnum refertur capere: nec mirum: erat enim ſtrenuus, & Chriſti amicus, poſt mortem quidem viuunt ſtrenui, mortem ſuam anteceſſerunt ignaui. c. 1. n. 170. toto §. p. 60

9. *Dormit.* Mortuus erat; ſed quia Dei amicus, mors ſolùm erat vmbratilis, non ſolida: ni amicus eſſet, eſſet ſolida, non vmbratilis: iuſtorum namque mors euaneſcit in vmbram, iniquorum vita in veræ mortis tranſit ſubſtantiam. c. 2. n. 146. toto §. p. 190

10. *Miſerunt.* Non miſit Lazarus, qui morti erat proximus. Certè dum peccatoris vmbram gerit, & cæcitatem peccatoris ignauus ad ſpeciem oſtendit: morti namque proximus ignauo oculos ſolet tradere ſomno, qui euanido dicauit oblectamento. cap. 4. n. 321. toto §. p. 426

11. *Nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc.* Imò vt ſe optimum Reipublicæ Principem oſtenderet, poſtpoſito proprio periculo conſuluit muneri, & pergit opitulari ſubiecto: optimus namque Reipublicæ adminiſter ſtudioſiùs curat munus implere, quàm ſibi commodum elucrari. cap. 1. n. 113. toto §. 41

12. *Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, &c.* Quia tantiſper tardauerat, eius iam amicitiam criminabantur: potentiam adſtruunt, vt ingratitudinem ſugillarint, & quamuis aſſerant nati cæci claraſſe oculos, ob id non confitentur eximium; de tarditate verò ſuſpicantur ingratum: plus namque apud homines valet leuis defectus ad notam, quàm plurima virtus ad famam. cap. 1. n. 196. toto §. p. 69

13. *Miſerunt ergo ſorores.* Non poterat ibi mors præualere, vbi fraterna charitas nitebatur illi obuiare. Certè charitas fraterna & concordia in quoſuis hoſtes ſunt validiſſima arma, & ſerpentinæ fraudis incantamenta. c. 1. n. 79. toto §. p. 30

14. *Dormit.* Et quare mors ſomnus appelletur? Quia exiguo tempore durauit, & quod exiguo tempore reperitur duraſſe, videtur ferè non fuiſſe. c. 1. n. 101. toto §. p. 37

15. *Ecce quem amas, infirmatur.* Prudentiſſimæ ſorores fratris egerunt cauſam, & morbi ſolicitarunt medelam: nonnulli ſtylum vertunt, ſuorum cauſis non attendunt ignaui, extraneas curare ſolent diligentiſſimi. c. 1. n. 106. toto §. p. 39

16. *Tollite lapidem.* Vult, vt quàm Lazarus ſordeat, videant, & quàm peccatum pœna ſequatur, attendant: nam quiſquis ſceleris ſedulò meditatur extrema, in virtutem non capiet arma. cap. 1. num. 181. toto §. p. 63. & n. 191. p. 67

17. *Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati facere vt hic non moreretur?* Opponebant Chriſto amicum à morte non exemiſſe, qui extranei oculos potuit claraſſe: videtur namque debitum legi non ſubiicere, ſi quis cognatum aut amicum prouidenter poſſit extrahere. c. 1. n. 273. toto paragrapho. p. 95

18. *Vado vt à ſomno excitem.* Amico Lazaro præ aliis exhibere curat officium: ſic namque lex amicitiæ petebat: vt noueris amicis & cognatis præ reliquis exhibendum officium in his præcipuè quæ pertinent ad virtutis augmen

augmentum. c.1. numero 178. toto paragr. p.97

19. *Erat quidam languens Lazarus à Bethania* Dum vixit, infirmitate Lazarum amicum exercuit:poſt mortem amici elogio honorauit: nam licèt Deus iuſtorum multiplici calamitate erudiuerit vitam, poſt mortem ſtudioſè conſectuat famam. c.1.num.328.toto §.p.114

20. *Nunc quærebant te lapidare,& iterum,&c.* Amicitiæ legem propriæ Chriſtus vtilitati præpoſuit, & ſe digniſſimum qui habeatur amicus,ſuis factis oſtendit. Certè propriam vtilitatem obligationi præferens qui in amicum recipiatur, indignus: fidelis meretur æſtimationem vel dum contrarius.c.1.n.361. toto §.p.126

21. *Lazarus amicus noſter dormit.* Oſtentat amicum,quem prodidit morti traditum: & quidem grandius erat beneficium amicitiam nullis impeditam culpis fuiſſe, quàm vitam nullis diuexatam morbis durâſſe. Certè beneficium eſt à laboribus, vitæque periculis liberari;ſed grandius à culparum labibus expedıri.c.2.n.25.toto §.p.147

22. *Vt à ſomno excitem eum.* A morte excitaturus veniebat;noluit tamen mortem nominare: eſt namque Deus in collatis beneficiis referendis parcus,in præſtandis largiſſimus. c.2.n 48.toto §.p.157

23. *Vt vidit eam plorantem.* Lachrymæ reſurrectionem perſuaſerunt,& licèt amicitiæ lex pulſaret affectum, ſuſpiria ferè impulerunt ad beneficium. Certè ad calamitatem pellendam minus valet quoduis aliud naturæ vinculum, quàm ſuſpiriorum ac lachrymarum ſuffragium.c.2.n.83.toto §.p.169

Dominica in Paſſione.
Ioannis 8.

1. QVis ex vobis arguet me de peccato? Ad ſalutis viam alios vocaturus, & ad pœnitentiam adducturus ſe prorſus vel leui culpa carere oſtendit:& certè qui alios cupit ad pœnitentiam adducere, omni debet vitio carere c.6.n.96.toto §.p.532

2. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Vt ſe reipublicæ vtiliſſimum oſtenderet, omnibus virtutibus exornatum probauit: nam quò quis virtutibus inuenitur excultior, Reipublicæ probatur commodior.c 6.n.162.toto §.p.557

2. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Vt ſe reipublicæ vtiliſſimum oſtenderet, omnibus virtutibus exornatum probauit: nam quò quis virtutibus inuenitur excultior, Reipublicæ probatur commodior.cap.6.n.162.toto §.p.557

3. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Benè nouerat ſe omni carere macula:voluit tamen quia ſuperior, apud alios florere ſanctitatis notitia, vt qui faſtigia tenent, contenti ſolùm non ſint teſtimonio conſcientiæ; ſed apud alios attendant famæ.c.6.numero 257. toto §.p.589

4. *Nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu?* Et vnde in hanc deuenerant ſuſpicionem? Fortè ex illa parabola Samaritani: ad aliorum namque notam vel leuiſſimæ ſuſpicioni accedimus; ad famam, nec miraculis fidem præſtamus. c.6.num.275.toto paragr. p.594

5. *Ego autem non quæro gloriam meam.* Quia virtutibus florebat, ambitionem prorſus ignorabat: tangere namque non ſolet ambitionis pruritus, quos illuſtrior virtutum exornat cenſus.c.1.n.89.toto §.p.33

6. *Ego non quæro gloriam meam.* Non quærebat ſibi gloriam; ſed quærebat illorum animas: à Deo namque electus reipublicæ adminiſter totus eſt in munere implendo,non in plauſu ſibi conciliando. c.1.n.113.toto §.p.41

7. *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Dei præcepta conculcabant; & tamen nullis afficiebantur ſuppliciis, & lapidibus volunt obruere, quem audax verbum exiſtimabant iactaſſe: & quæ huius diſcriminis cauſa eſt? Quia Chriſtus pauperrimus & illi potentes: & quidem potentiores ſua ſe potentia tuentur, infirmiores acriter ob leuia puniuntur.c.1.n.129.toto §.p.46

8. *Nonne bene dicimus nos?* Dum illos carpebat,illum infamabant,cùm extulerint plauſibus, dum aliorum vitia correxit: aiebant olim:*Ecce palàm loquitur: numquid cognouerunt quia hic eſt Chriſtus?* Itaque exiſtimabant Chriſtum eſſe, dum aliena carpebat vitia,& Samaritanum vocant,dum illorum arguit ſcelera:plures iuſtitiæ æquitatem commendant,ſi puniatur aliena,abrodunt ſi pœnas dederit culpa propria. cap.1.n.143. toto §.p.51

9. *Ego dæmonium non habeo.* Quàm patienter opprobria ferr, leniterque reſpondet! ad patientiam confugit, vt nos leniendæ calamitatis modum doceret: aſpera namque de patientia ſæpè leniuntur, de impatientia exacerbantur.c.1.n.160.toto §.p.57

10. *Tulerunt ergo lapides.* In Chriſtum ferunt lapides;ſed ipſi lapide conteruntur, reſtante Chriſto: *Super quem ceciderit, conteret eum:* peccatores namque ſuis artibus pereunt, & quod in iuſtos architectantur, in ſe præter opinionem moliuntur. cap.1.num.175.toto §.p.62

11. *Tulerunt ergo lapides.* Quàm duri in Chriſtum,qui vt ſibi indulgerent, veritati refragabantur! iam de more eſt, vt qui indulget ſibi blandior,in alios deſæuiat durior.cap.1. n.204.§.p.72

12. *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Nec Chriſto credebant,nec verba Numinis auſcultabant: ructabant namque ſapientiam, & quia ſe mentiebantur doctiſſimos,dedignabantur audire, & doctrinam vel Numinis auſcultare.c.1.n.268. toto paragr. p.94

13. *Numquid tu maior es patre noſtro Abraham?* Culpam ſuam exaggerabant,dum ſe Abrahamum parentem ſortitos fuiſſe adſerebant: oppoſitum namque parentis exemplum exaggerat filiorum delictum. c.2.num.165. toto §.q.197

14. *Patre noſtro Abraham.* Indignè ſe appellabant

labant Abrahamitides, quando incredulitate degeneres. Certe generoſos maiorum ſolùm conſeruant titulos, qui virtute ſimiles, amittunt degeneres. c. 1. n. 47. toto §. p. 20

15. *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Ipſa interrogatio eſt interrogationis ſolutio: oppoſitum quidem eſſet miraculum: homines namque præcipuè Principes veritatem toruo aſpiciunt ſupercilio; ſi aliter, tribuendum erit miraculo. c. 3. n. 208. p. 293

16. *Patre noſtro Abraham.* Gloriam nobilitatis conſeruare contendunt, & generis ſplendorem exambiunt, qui audire veritatem refugiunt: ea premit homines cæcitas & ambitio, vt non curent moribus vitam excolere; ſed gloriam nominis aut generis æternare. c. 1. n. 367. toto §. p. 128

17. *Si veritatem dico vobis.* Oſtentat omni ſe carere macula: quia cæleſti illos imbuere deſiderabat doctrina, docens magiſtros ea puritate nitere, vt ſi fas eſt, naturam repræſentent Angelicam, ſi cupiunt vtilem inſpirare doctrinam. cap. 2. num. 20. toto paragr. p. 145

18. *Si veritatem dico, quare non creditis?* Qui veritatem dicebat, ſe abſcondit lapidibus impetitus, vt doceat omni ſe debere cautela munire, qui decernit contra vitia pugnare. c. 4. n. 125. toto §. p. 356

19. *Nonne benè dicimus nos.* Quàm feuera mulcta puniebantur, qui ſic adulterata iudicia efformare permittebantur! grandius namque peccatoris ſupplicium eſt in reprobum tradi ſenſum. c. 4. num. 10. toto paragr. p. 318

20. *Abſcondit ſe.* Adhuc iniuriis laceſſitus fauere hominibus non deſtitit, & ne infeliciſſimum lapidationis nanciſcerentur votum, miſericorditer ſe ſubtraxit: grande namque peccatoris eſt ſupplicium improbum nanciſci votum. capite 3. numero 45. toto §. p. 236

Feria 4. poſt Dominicam Paßionis. Ioannis 10.

1. *IN porticu, &c.* Dum celebrantur encænia, hoc eſt templi renouatio, antiqua ſubit memoriam templi ob peccatum deſtructio; imò ipſa deſtructio religioſam conſulebat renouationem: vitiorum namque ante oculos habere ſupplicia contra vitia accendit in arma. c. 1. num. 191. toto paragr. p. 67

2. *Quouſque animam noſtram tollis?* Querebantur prolixa dilatione vexati, nec Chriſtum quæ toties rogauerant, expedire; at non erat Chriſti culpa; ſed illorum amentia. Loquor, inquit, vobis, & non creditis: non ſemel ſugillantur miniſtri, vt qui non expediant negotia, cùm ambitiores exciterint ſibi obſtacula. capite 1. numero 255. toto §. p. 89

3. *Multa bona opera oſtendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?* Beneficiis affecti deſipiebant, nec videri ingratiſſimi detrectabant. Certè cùm ob exigua erga homines ſimus grati, negligimus erga Deum ob beneficia maxima videri ingratitudine obſcuri. c. 2. n. 29. toto §. p. 149

4. *Multa bona opera.* Certè vnum & quidem ingens ex illis operibus erat illorum non demulcere aures; ſed carpere errores: profectò magnum Dei beneficium eſt concionator vitia carpens, durum flagellum audientium aures ſuauitate demulcens. cap. 2. n. 25. toto §. p. 147

5. *Facta ſunt encænia.* Gratias agebant Deo, quia de dura captiuitate extracti templum poſſidebant. Certè dum captiui, ſuam non ſentiebant ruinam; iam verò liberi antiquam recognoſcunt miſeriam: meliori quidem luce vtens deiciat vitia, qui à Deo relictus ſua non ſentiebat diſpendia. c. 2. n. 103. toto §. p. 176

6. *In porticu Salomonis.* Conſtruxit Salomon templum ad Dei gloriam, & vt eſſet aſylum ad ſubleuandam inualidorum miſeriam, & iam eſt æternum eius elogium, quod ad miſerorum fabricauit auxilium. cap. 2. numero 117. toto § p. 180

7. *Facta ſunt encænia in Ieroſolymis.* Dum felicitate vtebantur, Chriſtum circumdabant, & premebant. Certè aliquando felicitas fœcunda eſt mater criminis, & vena errorís. c. 3. n. 20. toto § p. 228

8. *In porticu Salomonis.* Salomon dum templum fabricat, ſibi emit famam, alij Principes, vt teſtantur modò encœnia, vitiis ſibi fabricauere catenam. Certè qui Deo inſeruiunt Principes, ſibi emunt victorias; qui vitiis, fabricauere ſibi catenas. cap. 3. num. 85. toto §. p. 250

9. *Facta ſunt encænia.* Concurrebat populus, vt oraret, & gratias Numini redderet: oratio namque non ſolùm eſt criminum medela; ſed temporalis calamitatis eſt medicina. c. 3. n. 99. toto §. p. 255

10. *Facta ſunt encænia.* Concurrebant, quò triumphum cumularent ad gratias Numini agendas, fruebantur iam libertate inimicis depulſis; ſed vt reſplenderet plena, gratiarum egebat actione: tunc namque cumulatè reſplendet triumphus, cum obſequioſa, humilique gratiarum actione honoratur Deus. c. 5. n. 10. toto §. p. 435

11. *In porticu Salomonis.* Quia nouerat ſe ab inimicis impetendum, & dehoneſtandum, egreſſus è templo deambulabat in porticu: ægrè namque patitur Deus dicatum ſibi locum culpis inſici, aut crimine maculari. c. 3. n. 171. toto §. p. 279

12. *In porticu Salomonis.* Noluit iniurias templo illatas ad ſpeciem videre, ne cogeretur punire, aut apud aliquos non haberetur Deus, dum non vindictam ſumit iratus: ſic namque iniurias templo illatas Deus frequenter vlciſcitur, vt ſi diſſimulet, carere diuinitate putetur. c. 6. n. 247. toto §. p. 582

13. *Facta ſunt encænia.* Tota religione templi renouationem celebrabant, totaque modeſtia officiis ſacris adſiſtebant: & quidem iure: nam aliquando grauiorem Numinis ſuſtinet iram irrogata ſacris locis irreuerentia, quàm ipſi Numini illata iniuria. capite 3. n. 180. toto § p. 283

ā 14. Facta

14. *Facta ſunt encænia.* Voluit Deus, vt ſacra inuiſerentur loca, quò frequentantes ardorem conciperent in peccata: inſpirant namque ardorem in vitia, dum ſacra inuiſuntur loca. c. 3. n. 185. toto §. p. 284

15. *Quouſque animam noſtram tollis?* Vel in ſacro loco aggreditur iniquitas Chriſtum: & quidem iniquorum audacia iuſtis eſſe debet doctrina. Vt nullus eſt locus, in quo vitium non aggrediatur virtutem, nullus ſit, in quo virtus non aggrediatur improbitatem. c. 3. n. 209. toto §. p. 293

16. *Oues meæ vocem meam audiunt:* Et quidem ſumma attentione, ſummaque reuerentia: Dei namque verbum attentè eſt auſcultandum, & reuerenter audiendum. c. 3. n. 214. toto § p. 294

17. *Et nemo poteſt rapere de manu Patris mei.* Nullus poteſt accedere, vt rapiat; quia omnis ad rapiendum via præcluſa eſt: vt ſuo exemplo nos doceat Pater vitia deterenda; imò & itinera præoccupanda. c. 3. num. 227. toto § p. 299

18. *Et nemo poteſt rapere.* Non ait, raptas extrahet; ſed ne rapiantur, vitabit: ſuperiori namque glorioſius eſt, ne mala obuenerint, impedire, quàm iam experta repellere. cap. 3. n. 251. toto §. p. 308

Feria 6. poſt Dominicam Paſſionis. Ioannis 11.

1. *Collegerunt Pontifices & Phariſæi concilium.* Dum vniti, & impia concordia confœderati in Chriſtum inſurgunt, iam palàm ambulare non audet, vt nos doceat vnionem ſiue ad bonum ſiue ad malum ferè inuictas ſortiri vires, & aduerſantium eludere artes. capite 6. numero 53. toto §. p. 517

2. *Venient Romani, & tollent locum noſtrum.* Non poterant non pati inimicorum adſultus, qui ſic ambitionis addicebantur cæciſſimè legibus: ea namque reſpublica inimicos ſolùm detriumphat, quæ periculoſas ambitionis, aut ſeditionis leges ignorat. c. 1. n. 39. toto §. p. 17

3. *Venient Romani & tollent locum noſtrum & gentem.* Timebant amittere lucrum & plauſum: calamitoſiſſimi ſanè adminiſtri reipublicæ: optimus namque reipublicæ adminiſter ſtudioſiùs curat munus implere, quàm ſibi commodum aut plauſum ſtabilire c. 1. n. 113. toto paragr. p. 41

4. *Venient Romani, & tollent locum noſtrum & gentem.* Quibus ſe artibus moliebantur tueri, maturauerunt periclitari: nam ob Chriſti mortem à Romanis ſunt ingenti pœna mulctati, & ferè attriti. Profectò peccatores ſuis artibus pereunt, & contra ſe imprudenter moliuntur, quod malignè in alios architectantur. cap. 1. num. 175. toto §. p. 62

5. *Tollent locum noſtrum.* Concilium omne facultatum corrupit deſiderium: alia vitia plurimos, inſana habendi vota ſubiugauere vniuerſos. c. 1. n. 317. toto paragr. p. 110

6. *Tollent locum noſtrum & gentem:* Toti erant in ſe conſeruandis, & honorificis titulis ſtabiliendis, vtque fierent voti compotes, non fugiebant virtutem opprimere; imò de medio moliebantur auferre: ſic nonnullos cæca premit ambitio, vt deſpiciant mores excolere, & ſolùm inhient gloriam euanidam æternare. c. 1. n. 377. toto §. p. 132

7. *Expedit vobis, vt vnus homo.* Improbi miniſtri Chriſti morte & æquitatis iniuria ſibi ſolicitant commoda: ſæpè à reipublicæ potentioribus manat imbecillo calamitas, & inualidorum incommodo ſuo ſolitant conſulere augmento. c. 1. n. 381. toto §. p. 134

8. *Tollent locum noſtrum & gentem.* Æterna non curarunt; ſed temporalia cogitauerunt: pluris namque apud homines habentur caduca, minoris æterna. c. 2. n. 72. toto §. p. 166

9. *Tollent locum noſtrum & gentem.* Sub ſpecie prouidentiæ aduerſabantur manifeſte æquitati: nec laborabant pro ſalute ſuorum ambitione tincti, & æmulatione infecti: pro lege & ſalute ſuorum ſolùm laborat ſuperior auaritia non pollutus, legi & ſaluti refragatur infectus. c. 2. n. 152. toto §. p. 192

10. *Multa ſigna facit:* Chriſto debebant procurare ſalutem, vt vti miraculorum patrator illos à Romanorum iugo liberaret; & Romanorum timore illi vitam moliuntur auferre: ſic namque peccatores deſipiunt, vt libertatem repudient, & ſeruitutem anhelent. c. 2. n. 202. toto §. p. 209

11. *Venient Romani.* Ne quas habebant, amitterent commoditates, Numinis præcepta violant, & innocentiæ fontem morte turpiſſima damnant: hominibus namque pluris eſt vitium vtilitati coniunctum; quàm diuinum ſine humana vtilitate præceptum. c. 2. numero 215. toto §. p. 214

12. *Expedit vobis.* Ea eſt diuina miſericordia, vt de peccato peccatum damnauerit, & morte, qua ſibi conciliabant calamitatem, largitus peccatoribus ſit ſalutem: nam quod ſæpe in ſeipſam imprudenter malitia architectata eſt detrimentum, prouidentia vertit in commodum. c. 3. n. 33. toto §. p. 232

13. *Ab illa ergo die, &c.* Improbi conſilij ſupplicium fuit, quod malignè moliebantur, conſequi, cædemque inferre: eſt namque grande peccatori ſupplicium improbum nanciſci votum. c. 3. n. 43. toto §. p. 236

14. *Expedit vobis, vt vnus homo moriatur.* Quàm ſine conſilio illorum erant conſilia! ob peccata ſubiectione mulctabantur, & ſceleſtiora flagitia ad remedium moliebantur: iam miſeri & profectò calamitoſi: eſt namque magna calamitatis pars eius cauſam ignorare, vt remedij ſcire. cap. 3. num. 75. toto §. p. 246

15. *Venient Romani.* Ne ſubiectionis ſubeant catenas, ſceleſtiſſimas inuolauerunt ad culpas, exoculati prorſus & cæci: Principes namque virtutibus emerunt ſibi victorias, vitiis fabricauere catenas. c. 3. num. 85. toto §. p. 250

16. *Collegerunt Pontifices & Phariſæi concilium.* Aſtutia & conſilio armabantur in gratiam, vt perpetrarent ſine obſtaculo culpam: & quidem illorum malitia per doctrina nobis eſt, vt

vt ſcilicet laudabilis aſturia obarmetur in culpam, quandoquidem impia ſagacitas obarmatur in gratiam.c.3.n.148.toto §.p.271

17. *Venient Romani.* Vt conſilia ſua colorarent,ſeque ſuperiores optimos mentirentur, appetentia,vt illi dicebant, pericula moliuntur auertere:nec expectant incuſſam plagam ſanare, docuerunt improbi prudentius eſſe appetentia mala impedire,quàm iam experta repellere.cap.3. numero 251.toto.paragr. p.272

18. *Ab illa ergo die, &c.* Ecce in quam profundum ſcelerum barathrum Pontifices & Phariſæi deuenerint, qui olim erant virtutum ſchola & religionis theatra. Certè aliquando elapſus à perfectionis faſtigio, demergi ſolet miſero vitiorum naufragio.c.4. n.19.toto §.p.321

19. *Tollent locum noſtrum & gentem.* Studebant ſuam alere pompam,& fulcire vanitatis inſaniam. Ergo non poterat non periclitari veritas & iuſtitia: nam ſumptuoſior miniſtrorum pompa eſt indubia ſubiectorum miſeria.c.4.n.44.toto §.p.329

20 *Collegerunt concilium.* Dum humanæ prudentiæ regulis gubernabantur,eximiè à veritatis, & rationis decrrabant ſcopo. Et certè qui humanam ſolùm colit prudentiam, rationis ac virtutis deſerit normam. c.4.n.49. toto §.p.331

21. *Multa ſigna facit:* Qui contra vitia, cæleſtia producebat miracula, capitoſa incurrebat pericula. Profectò omni ſe debet munire cautela, qui contra vitium inſtruit certamina.c.4.n.125.toto §.p.359

Dominica in Palmis. Matthæi 21.

1. CVm appropinquaſſet Ieſus Ieroſolymis. Chriſtum, quem magnis Deus exercuerat laboribus, eximiis etiam nobilitat plauſibus: vt noueris magnis Deum præparare triumphis,quem laborioſis exercet præliis.c.4.n.191.toto §.p.380

2. *Soluite,& adducite mihi.* Qui ſaluti conſulebat, ſuperbam auerſabatur pompam, & aſinæ inſidens intrabat curiam humilis & modeſtus: vt diſcat faſtum deponere, quiſquis vult ſaluti conſulere.c.4.num.237.toto §.p.396.

3. *Plurima autem turba ſtrauerunt veſtimenta ſua.* Certè ne dubitaretur ſupernum eſſe ac cæleſtem triumphum, pauper & humilis à populo conclamatur, & magnus habetur, cùm apud ſæculum parui æſtimetur virtute clarus,magni diuitiis copioſus.cap.4.n.262. toto.§.p.405

4. *Hoſanna filio Dauid.* Dum pergit prodigere honeſtè ſalutem, reportat ſæculis decantandam victoriam, & immortalem ſibi procudit famam:nec enim ſemel, qui honeſtè prodigit vitam, conſeruat ſalutem, & reportat ſæculis decantandam victoriam.c.6. n.20.toto §.p.507

5. *Et confeſtim dimittet eos.* Quàm prudens ille homo probatur,qui exprompte Domino obtemperauit, & quod Dominus auferre poſſet,incunctanter obtulit: prudens namque facier expromptus,quod velit nolit, efficere tenetur coactus. cap.5. num. 25.toto §.p.440

6. *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Dum agnoſcunt mortem pro hominum ſalute oppetere, non renuunt largitis veſtimentis nudari. Certè quæ in paſſione Domini charitatis flamma relucet, vel duriſſimos ad opera virtutis compellit.c.5.num.52. toto §.p.449

7. *Rex tuus venit tibi manſuetus ſedens ſuper aſinam, &c.* Populo probabatur venire, qui humiliter agnoſcebatur incedere: faſtoſa namque miniſtrorum potentia grandi inualidorum nutriri ſolet iniuria.cap.5.num.60. toto paragr.453

8 *Cadebant ramos de arboribus.* Dum Chriſtus vitium prorſus expungere aduentat,iam populus victoriam pacemque ſibi promittens acclamat, palmiſque oſtentat: & quidem in vitium prorſus depellatur, pax & tranquillitas non fulcitur cap.5. numero 56. toto §.p.451

9. *Venit tibi manſuetus.* Virtutibus ſplendens ſine timore vel inter inimicos ingreditur, lucem fugit qui criminibus maculatus. Certè virtus colenda eſſet, etſi nullum alium ob præmium, ob imperturbatam conſcientiæ ſecuritatem: vitiis namque ſubiectus cogitur per anfractus incedere, & ſemper anxiis timoribus trepidare.c.5.num.70.toto §.p.456

10. *Et confeſtim dimittet eos.* Certè Domino debita ſoluebat tributa, gratuita non præſtabat obſequia; at dùm expromptè ſoluit,liberaliter quodammodò præſtitit: celeritatis namque & promptitudinis beneficio putatur gratia quod exigebat aliquando iuſtitia.cap.5. numero 91.toto paragr. p.463

11. *Venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam.* Prophetico teſtimonio comprobat Euangeliſta pauperem regem populi vtilitatibus aduentaſſe: nec enim ſolet eſſe exigua ſubiectis calamitas inops ſuperior ad faſtigium elatus, & ad pompam oſtentandam ipſa dignitate compulſus.c.5.num.96. toto §.p.464

12. *Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Clamant Chriſtum ad ſalutem cunctorum aduentare, non tamen omittunt virtutis opera exercere, & palliis ac ramis viam ſternere: eſt enim ſtultus; qui ad ſalutem ſuam aliena ſolum confidit cura, ſi propria reſoluatur ignauia.cap.5. numero 166.toto §.p.490

13. *Soluite, & adducite mihi.* Apoſtoli ſoluerunt, qui adeò erant à diuitiarum cupiditate alieni, vt propriis veſtibus ſolum ornarent nudi. Certè populus ſub peccati iugo gemit captiuus, ſi nimio diuitiarum deſiderio inflammetur.eccleſiaſticus. capite 6. numero 58.pag.519.& 74.toto paragrapho. p.525

14. *Et adduxerunt aſinam & pullum:* Non retulit Euangeliſta ad Dominum iterum remiſſos, quaſi hoc cenſuerit otioſum;

Digitized by Google

nec enim poterant grandiori vtilitate non illi deſeruire, quæ poſſeſſor nouit Domino deuotus offerre: nam quidquid Deo ſeruit, & homini prodeſt.cap.6.numero 106.toto §.p.535

15. *Fecerunt ſicut præcepit illis Ieſus.* Dum miniſtros delegat, ne deturpatos aliqua cupiditate putaremus, non otioſè adiunxit Euangeliſta impleuiſſe ſolùm iuſſa, & attuliſſe Domino oblata: mirum namque eſt à populo ſoluta integrè ad Principem peruenire, vt dilargita à Principe incorruptè ad accepturos deſcendere.c.3. numero 129.toto §.p.265

Feria 2. Maioris Hebdomadæ Ioannis 12.

1. *FEcerunt ei cœnam.* Dum cœna Chriſto inſtruitur, & Lazarus aſſediſſe refertur: nec enim poterat homini non ſeruire, quod Domino conſtabat offerri: nam quidquid Deo ſeruit, & homini prodeſt cap.6. numero 106.toto p.535

2. *Sinite illam.* Approbauit mulieris obſequium, & fucatum pietate damnauit vitium. Certè ille dignitatis culmina dignè aſcendit, qui ſub virtutis colore obrepétia vitia dignoſcit.c.6.n.115.toto §.p.538

3. *Accepit libram vnguenti, &c.* Vnguenta vanitatis officia conuertit in Domini obſequia: Dei namque honoris amans vitij arma in virtutis vertet auxilia: quia non ſemel impiobus,vt hic Iudæ accidit, virtutum auxilia in vitiorum conuertit arma. capite 6. n.229.toto §.p.575

4. *Quare hoc vnguentum non veniit?* Suſpicatus eſt Iudas vnguentum otioſè effuſum, & iam videntur reliqui eius opinioni acceſſiſſe, & obſequium Mariæ improbaſſe. Certè facillimè ſuſpicioni accedimus ad aliorum notam, cùm non ſic accedamus ad famam. capite 6. numero 275. toto paragr. p.594

5. *Maria ergo.* Etſi conuiuij ſolicitudinibus fuerit occupata, vacauit Chriſto vngendo, & obſequio miniſtrando; perfecti namque externis etiam occupationibus implicati,interiùs vacant virtuti addicti.c.1.n.18. toto §.p.10

6. *Maria ergo accepit libram vnguenti.* Non quæſiuit Maria ad vnctionis laborem ſororis auxilium, Martha ſuſpirarat eius ſuffragium. Certè inſolitum Mariæ probatur ſtudium: nam vt aſciſcere gloriæ ſocium habetur diuinum, ita conſortem laboris quærere apud humanos eſt ſolitum.cap 1.n.118. toto §.p.43

7. *Sinite,vt in diem ſepulturæ meæ ſeruet illud.* Fideliſſimus Mariæ probatur amor, dum officium exhibet, quem cruci tradendum videt: cognati namque & amici de more recedent, ſi premat calamitas, & ſolum adſunt,ſi fulgeat felicitas.cap.1.num.284.toto §.p 99

8. *Fur erat.* Diuitiarum amor vel Apoſtolum vexit;alia vitia plurimos, inſana diuitiarum vota ſubiugauere vniuerſos. c.1. num. 317. toto §.p.110

9. *Vt in diem ſepulturæ meæ ſeruet illud.* Iam pretioſa aſſeruantur ſepulto, ſi aſperrima oblata ſunt crucifixo: nam etſi iuſtorum multiplici calamitate erudiuerit vitam, poſt mortem Deus conſulit diligenter honori. c.1.n.328.toto §.p.114

10. *Quare non veniit?* Gratitudinem Mariæ erga Deum Iudas criminatur: fortaſſe ſi erga ſolum hominem, dilaudaret; erga homines videri volumus grati, negligimus ſæpè erga Deum videri ingratitudine obſcuri.c.2. n.29.toto §.p.149

11. *Quare non veniit?* Plurimi æſtimauit vnguentum, & minimi vendidit Chriſtum: nam apud homines pluris æſtimantur caduca,minoris æterna.c.2.n.72.toto.p.166

12. *Vnxit pedes Ieſu.* Quæ olim ad profanos vſus vtebatur vnguento, iam conſecrat Chriſto:nec mirum:vtebatur namque ſplendidiſſima luce. Certè qui à Deo remotus ſua non ſentit diſpendia, melion luce iam vtens contraria prodit in opera.c. 2.n. 103. toto §.p.176

13. *Sinite illam.* Dum Chriſto offert vnguentum, famæ ſuæ ad futura ſæcula extendit plauſum,teſtanteDomino: *In toto mundo dicetur,& quod hæc fecit.* Certè quæ quis honeſtè egit ad alienam leuandam miſeriam, æternam poſt mortem illi adducere ſolet famam. c.2 n.117.toto §.p.180

14. *Effudit:* imò & alabaſtrum fregit, ne iam in alios poſſet vſus conuertere;quod eximiæ perfectionis fuit: eſt namque eximia perfectio,perduci ad impotentiam ſceleris, vt cúmulata malitia ad impotentiam honeſtæ actionis.c.2.n.176.toto §.p 200

15 *Sinite illam.* Cumulatè reſplenduit Magdalena virtutibus exornata, dum tot obmurmurantibus conſtitit imperturbata & immota: tunc namque virtus reſplendet perfecta,cùm vel exemplo in contrarium vocante conſiſtit imperturbata. c. 2.num.223. toto §.p.217

16. *Fur erat.* Miniſter ſuffurabatur, & ob id fortaſſe Maria per ſeipſam fudit vnguentum: eſt namque mirum,ſi à populo oblata ad Principem peruenerint incorrupta.cap.3. n.129 toto §.p.265

17. *Fur erat:* Qui olim Apoſtolus, iam fur audit. Certè aliquando qui perfectionis reſplendebat faſtigio,grandi,ſi decidat, agitari ſolet vitiorum naufragio. c.4.n. 19. toto §.p.320

De oratione Chriſti in horto. Lucæ 22.

1. *ABba pater,omnia tibi poſſibilia ſunt* Patrem iure appellat, dum hominem, quem pater formauit,ipſe reformat: glorioſos namque maiorum conſeruant titulos virtute ſimiles,vt amittunt degeneres.cap.1. n.47.toto § p.20

2. *Non mea voluntas,ſed tua fiat.* Ratio impleri exigebat officium,natura vitæ diſcupiebat commo-

commodum ; verùm Chriſtus poſtpoſuit commodum , vt impleret officium : docens reipublicæ adminiſtros minoris habere commoda,pluris officia c.1.n.113.toto §.41

3. *Et factus in agonia.* Ad orationem recurrit, vt calamitatem depelleret : oratio namque non ſolùm eſt criminum medela : ſed calamitatum temporalium eſt medicina.c.3. n.99.toto §.p.255.& n.107 toto §.p.258

4. *Factus in agonia prolixius orabat.* Ipſa calamitas erat orationis magiſterium , & ad orationem motiuum. Certè calamitas orationis eſt ſchola,& oratio virtutum arma. p.c.4. n.65.toto §.p.336

5. *Apparuit autem illi Angelus de cælo.* Oranti apparuit, iam veri victori gratificatus : nam arma orationis ſemper victricia.c.5.num.64. p.454

6. *Factus in agonia.* Patri hoſtiam offert vel ante crucis ſacrificium, orationem ſcilicet: eſt namque oratio excellentiſſima hoſtia.c.6. n.4.p.499

7. *Dixit illis : Orate.* Multorum exambit orationem, quam dæmon ſtudioſo conatu impedire molitus eſt,docens nos hoc facto,qui aliena non egebat oratione preces multorum eſſe felicitatis venam , & calamitatum efficaciſſimam medicinam, c.6.num.79.toto §.p.526

8. *Et factus in agonia prolixius orabat.* Ipſe orabat,Apoſtoli namque dormiebant:clauſerunt oculos , ne viderent anguſtiam , qui explicarunt in Thabore , vt aſpicerent pompam. Certè cognati , amicique recedent , ſi premat calamitas,aderunt , ſi fulgeat felicitas.c.1.n.284.toto paragr.p.99

9. *Prolixius orabat.* Non languebat tempore; imò viuidior fundebatur oratio prolixitate: quàm aliter nobis contingit!Micat aliquando in exordio virtus & oratio feruida ; ſed paulatim tempore languet remiſſa.c.1.num. 293.toto parag.p.102

10. *Apparuit illi Angelus confortans eum.* Conclamauit victoriam,& æternam poſt mortem famam;nam etſi Deus iuſtos labore erudierit in vita,poſt mortem remunerat& gloria & fama.c.1.n.328.toto §.p.114

11. *Apparuit Angelus confortans eum.* Non egebat Chriſtus Angeli ope,vt qui erat Angelorum fortitudo;verùm ad noſtram eruditionem,dum exteriùs horret proprio ſanguine tinctus , interiùs dicitur confortatus : vt noueris iuſtos,quamuis externo cortice forſ- deſcant horridi , interiùs ferè ſemper lætari, & eximia fortitudine communiti c.1. 332. toto §.p.116

12. *Factus in agonia prolixius orabat.* Se oratione armat , vt nos ſolicitudinem doceat. Certè aliquando ſecurior degit fragilitas oratione & ſolicitudine armata,quàm fortitudo,ſi deſtituta c.1.n.374.toto §.p.130

13. *Fiat voluntas tua.* Quàm ſe filium probauit,qui Patris voluntatem ſaluti,& vitæ præpoſuit. Certè apud mundiales pluris æſtimantur caduca;minoris æterna.c.2.n.72.toto §.p.166

14. *Prolixius orabat.* Patrem appellans ad orationem recurrit:vt ad depellendam calamitatem nos erudiat plus non ſemel valere lachrymarum & orationis ſuffragium, quàm ipſum naturæ vinculum. cap.2.num.83.toto §.p.169

15. *Fiat voluntas tua.* Dum ſe totum Dei gloriæ,& ſaluti proximorum impendit,ſe Patris filium clariſſimè prodit , & plus homine oſtendit. Certè qui purè ſynceréque Dei gloriæ,& proximorum vtilitati deſeruit,humanæ naturæ metas tranſiliuit.cap.2.n.100. toto §.p.174

16. *Fiat voluntas tua.* Poſtpoſuit omnem humanam vtilitatem præcepto,& ſe totum Paternæ voluntati commiſit. Certè hominibus pluris eſt vitium vtilitati coniunctum, quàm diuinum aliquo detrimento præceptum.c.2.n.215.toto §.p.214

17. *Pater,ſi vis,transfer calicem iſtum.* Videtur calicem obuiare Patris titulo , aut Patris titulum calici;& tamen Chriſtus ſe fatetur filium , & ad delendum peccatum hominum angoribus grauiſſimis diuexatum. Certè de ipſa agonia probatur Pater , & benigniſſimus : nam dum punit in hac vita peccata, ad ſpeciem videtur iram fouere ; ſed tenera probatur paternum animum oſtentare..cap.2. n.218.toto §.p.215

18. *Orabat :* in horto , quia Adamus diuinis refragatus fuerat præceptis in paradiſo:nam, vt aliquando vitium virtutem aggreditur ſacro loco , ita virtus vitium aggredi debet & delicioſo & profano. c.3. num.209. toto §.p.293

De Bono Latrone.
Lucæ 23.

1. **D**Omine memento mei. Cumulatè boni latronis reſplenduit virtus, dum ſocij exemplo non vacillauit turbata;imò conſtitit firma.c. 2.n.218.toto.§.p.215

2. *Hodie mecum eris in paradiſo.* Qui torcular calcauit ſolus,paradiſum ingreditur aſſociatus. Quærere laboris conſortem inuenitur humanum;aſciſcere gloriæ ſocium iure probatur diuinum.cap.1. num.118.toto paragr. p.43

3. *Neque tu times Deum.* Prudenter carpit ſocium, vt qui crucem ferat , & fructus crucis amittat: eſt enim extrema calamitas priuari fructibus,& diuexari laboribus. cap.1.n.154. toto §.p.55

4. *Nos quidem iuſtè.* Minus patitur,dum patienter patitur : nam calamitas patientia lenitur,impatientia augetur,cap.1.n.160.toto §.p.57

5. *Nos quidem iuſtè.* Dum videt dura cruce puniri peccata,animitus iam auerſatur ſcelera. Et certè quiſquis ſedulè meditatur extrema,animitus reſpuet vitia.c.1.num. 181. toto §.p.63

6. *Memento mei,dum veneris in regnum tuum.* Adeò ſacrum in ſe conceperat odium , vt grauius morte bonus latro ſibi exambierit tormentum : grauius namque ipſa morte eſt lentum ac diuturnum tormentum. c.1.num. 209.toto § p.74

7. *Hodie mecum eris in paradiſo.* Cherubim ante paradiſi fores ſtare audio, & latronem ingreſſum video. Profectò pœnitentia homines excudit ad ſpeciem ipſis Angelis ſuperiores c.2.n.16.toto §.p.143

8. *Memento mei dum veneris in regnum tuum.* Non aiebat,vt ſocius, de præſenti ſupplicio eripe me,ſed magis,de futuro iudicio libera me: agnoſcebat namque cæleſti luce illuſtratus grandius eſſe beneficium à culpis liberari, quàm à laboribus expediri. c.2.n.35. toto §.p.152

9. *Hodie mecum eris in paradiſo.* Non ſolùm latronem paradiſo donauit; ſed cælo: ſed Deus parcus eſt in beneficiis recenſendis, largiſſimus in præſtandis. c.2.num.48.toto § p 157

10. *Memento mei.* Iam ſentit, quàm cæcè vixerit: nec mirum: nam proximi Solis illuſtrabatur ardenti luce: qui olim cæcus animæ ſuæ non ſentiebat diſpendia,meliori luce iam vtens doloroſa fundit ſuſpiria cap.2. n.103.toto §.p.176

11. *Neque tu times Deum.* Duriſſima improbi latronis probabatur malitia, quam nondum crucis contexit pœna: & quidem grauiſſima eſt pertinacia, quam nulla corrigit mulcta. c.2.n.186.toto §.p.204

12. *Domine, memento mei.* Ad orationem recurrit,vt animæ,& calamitati mederetur: eſt enim oratio & criminum medela, & aduerſitatis efficaciſſima medicina c.3. numero 99. toto §.p 255

13. *Memento mei.* Tranſiuit ad Chriſtum, dum agnouit, quanta tributa penderentur ſceleri. Certè qui vitiorum expendit tributa,ad virtutis tranſibit caſtra. cap.3.n.116. toto §.p.261

14. *Nos quidem iuſtè.* Iam diuino zelo inflammatus ſuam non ſentiebat pœnam, & in Deum vindicare geſtiebat iniuriam. Perfecti patienter tolerant in ſe offenſam, in Deum vindicare moliuntur iniuriam.c.3.num.154. toto §.p.271

15. *Memento mei.* Crucem animoſus ſuſtinet, & vſque ad finem mundi ſuſtinere paratus eſt: nam vti diuino iam ſpiritu polleſſus ad magna,& aliis inacceſſa inueniebatur paratus. c.3.n.255.toto §.p.309

16. *Hodie mecum eris in paradiſo.* Blaſphemanti latroni non ait:te detrudam in infernum: decet maieſtatem per ſeipſam remunerare, & per ſeipſam non punire.c.4.n.24. toto §.p.323

17. *Memento mei.* Vt virtutem recuperet, vſque ad finem mundi tormentum non refugit ſuſtinere,quod hominum ſtudiis inuenitur prorſus contrarium: ad recuperandam mundialem gloriam omnis dulceſcit moleſtia,ad virtutem torpet ignauia. c.4.num.35. toto §.p.326

18 *Nos quidem iuſtè.* Duriſſima cruce diſcruciabantur, ob euanida gaudia: ſenſus namque volaticis oblectationibus fallit, & laboribus duriſſimis terit. c.4.n.39.toto paragr. p.331

Feria 5. in Cœna Domini. Ioannis 13.

1. *EXemplum enim dedi vobis.* Amore flagrans ſuo exemplo diſcipulos ad contra vitia pugnandum accendit: nec enim contentus eſt perſeipſum irruere; ſed alios nititur inflammare. Certè qui Dei mouetur ſpiritu,non eſt contentus vitia per ſe depellere;ſed ſocios ſatagit aggregare.c.6.n.254. toto §.p.585

2. *Sciens quia à Patre exiuit,ſurgit à cœna.* Sciebat ſe Dei filium; voluit tamen eximiis virtutibus apud alios eadem florere notitia: vt nouerit qui dignitatis faſtigium aſcendit, non ſolùm conſulere propriæ conſcientiæ; ſed inuigilare famæ.c.6.n.257. toto paragr. p.586

3. *Cœna facta:* Omnes diſcipuli aſtiterunt conuiuium celebranti, & defuerunt omnes calamitatem patienti.Certè nunquam deeſt, qui felicitatis tempore aliquid ſugat, deeſt tamen qui indigentiæ tempore impendat. c.6.n.265.toto §.p.589

4. *Et cœna facta.* Cæleſti epulo diſcipulos ſibi voluit ſtrictè coniungere: quia dæmon epulo olim niſus eſt ſeparare. Vitij arma in virtutis vertit auxilium:quia virulentiſſimus hoſtis auxilium in virtutis vertit venenum. c 6.n.219.toto §.p.575

5. *Cœpit lauare.* Quia erant tremendo Euchariſtiæ ſacrificio acceſſuri, omni ſolicitudine vel leuiſſimam maculam voluit depellere: eam namque exigit puritatem Euchariſtiæ ſacrificium, vt vel Angelus vereatur acceſſum.c.6.n.206.toto §.p.568

6. *Cœpit lauare.* Omni macula expuncta Euchariſtiæ miniſtros voluit lucere: nam licèt miniſtrorum culpa ſacrificij gratiam non imminuat,ſanctitas mirè commendat:cap.6. n.189.toto §.p.563

7. *Si non lauero te,non habebis partem mecum.* Ab Euchariſtiæ communione Petrum Apoſtolorum apicem ſecludit, niſi à Domino lotus miro candore reſplendeat,puritateque fulgeat,quò nos doceat cæleſtis menſæ conuiuam ea ſanctitate debere ornari, vt poſſit inter cæleſtes ſpiritus recenſeri.cap.6.n.180. toto §.p.560

8. *Dicit ei Petrus: Non lauabis mihi pedes.* Petrus,non Iudas expauit: nec mirum,quia Petrus ornabatur virtutibus,& virtute ornatior ſemper inuenitur humilior, cùm virtute deſtitutus intumeſcat ſemper ſuperbior. c.6.n.176.toto §.559

9. *Domine,tu mihi lauas pedes.* Conſcientiam ſuam conſuluit tanto Domini fauore fruitus,ne ſibi inuideret ſuperbus. Certè ſapiens conſcientiam ſuam attendit beneficio donatus,ne delinquat elatione ſuperbus c.6.num. 172.toto §. p.557

10. *Sciens quia à Deo exiuit,& ad Deum vadit.* Euchariſtiam ſumpſit ad Deum perrectutus, & contra inimicum ſtatim prodit in campum,vt reportauerit triumphum,vt nos doceat epulo cæleſti innutrito ſatis quodammodò

Digitized by Google

modò non eſſe adoriri fugam; ſed teneri ad de vitiis reportandam victoriam.c.6. n.145. toto §. p.548.

11. *Cœpit lauare pedes.* Vel pedis maculam molitur abſtergere, ne Apoſtolorum virtus de exigua obſcuretur macula, & dedecoretur culpa: exigua namque non ſemel nitorem perfectionis infuſcant, & virtutis gratiam dedecorant.c.6.n.101.toto §.p.534.

12. *Cœpit lauare.* Quos iam in hominum vitia armabat, omni vitio carere cupiebat: nam qui alios ad pœnitentiam cupit adducere, omni oportet vitio carere. c.6.n.96.toto §.p.532.

13. *Cœpit lauare pedes.* Quàm omni munditia voluit ornatos, quos cæleſti epulo decreuit ali! Profectò qui tremendis adſtant euchariſtiæ myſteriis, non ſolùm à culpa; ſed quantum fas eſt, alieni eſſe debent à cogitationum fallacia.c.6.n.35.toto §.p.511.

14. *Cùm diabolus iam miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas.* Diſcipulum inuaſit Dæmon, vt magiſtro crearet periculum: nec enim ſemel grauius ſtruitur periculum à vicinis, & amicis, quàm à remotis. c.5. num.39.toto §. p.444.

15. *Surgit à cœna.* Sacris amoris æſtibus inflammatus non quieſcit; ſed in opera prorumpit, imò minatur Petro, ſi differat, aut lotionem impediat; vehemens namque deſiderium moras non ſuſtinet; ſed in opus prodire geſtit.c.4. n.299.toto §. p.418.

16. *Cœpit lauare.* Accuratius modò ſuos munire diſcupit, quia proximare iniquiſſimus aſpicit. Certè accuratiùs debet muniri, qui in vitiorum confinio tenentur eſſe. c.4.n.172. toto §.p.373.

17. *Cœpit lauare pedes.* Non vnius; ſed omnium: ſuperior namque, quia iam non priuatus, lucere omnibus debet promotus. cap.4. n.167.toto § p.371.

18. *Si non lauero te.* Quàm Petrus ſibi refragaretur, ſi inuitantem occaſionem eluderet, & in futurum tempus protraheret. Certè felicitati ſuæ detraxit, quiſquis inuitantem occaſionem intempus futurum miſit. cap.4. n.140.toto §.p.361.

19. *Ponit veſtimenta ſua.* Non dedignatus veſtes deponere, & auctoritati, ſi fas eſt dicere, iniuriam inferre, vt diſcipulorum abſtergat maculas. Certè qui à Deo eligitur, propriam ſpernit gloriam, vt à ſuis depulerit maculam.c.4.num.129. toto §. p.357.

Feria 2. in Reſurrectione. Lucæ 24.

1. **D***Vo ex illis ibant.* Iam duo diſcipuli ſe à cæterorum conſortio incipiebant ſeparare: & ob id Chriſtus feſtinauit citò reducere: vt nos doceret in vitia pugnare, dum recenter exorta: nam expugnantur difficulter inueterata.c.1.n.14.toto §.p.8.

2. *Duo ex diſcipulis.* Dum fraterna charitate conſtabat coniungi, non poterant à Domino contra dæmonem non deſignari: fraterna namque charitas & concordia ſunt validiſſima in hoſtes arma & ſerpentinæ fraudis incantamenta.cap.1. num.79. toto §. p.30.

3. *Oculi eorum tenebantur.* Specie peregrini apparebat, vt meticuloſos diſcipulos reuocaret, qui poterat eximia gloria lucere, & reſurrectionis pompa micare; verùm optimus reipublicæ adminiſter ſtudioſius curat munus implere, quam plauſum ſibi lucrari.c.1.n.113. toto §. p.41.

4. *Appropinquans ibat cum illis*: vt ad gloriæ ſuæ conſortium adduceret, requiſiuit, & quamuis peregrini ſpecie apparebat humanus, opere probabatur diuinus: quærere namque laboris conſortem inuenitur humanum; ſed gloriæ ſocium diuinum. cap.1. n.118. toto §. p.43.

5. *Eum tradiderunt Summi Sacerdotes.* Iniqui turpiſſima morte iuſtum damnarunt, ſua infeliciter potentia protecti, & diuitiis armati: potentiores namque ſua ſe potentia tuentur, inualidi non ſemel contra rationem, aut ob peccatum leue puniuntur. c.1.n.129.toto § p.46.

6. *O ſtulti, & tardi corde.* Dum carpuntur, non agnoſcunt, dum panem porrigit, vidēt. Certè ingenuus facilius ad virtutem allicitur præmio, quàm ſupplicio. c.1.n.148.toto §.p.53.

7. *Nos autem ſperabamus.* Dolebant ſe expectationis fructibus priuatos, & odio inimicorum expoſitos. Certè miſerum eſt laborum priuari fructibus, & diuexari laboribus. c.1. n.154. toto §.p.55.

8. *Appropinquans ibat cum illis.* Clementiſſimum ſe exhibuit, cùm diſcipuli ad ſpeciem à fide deficientes fugam adorirentur. Regiam certè dignitatem commendat clementia, & obſcurare ſolet ſæuitia.c.1.n.165. toto §. p.58.

9. *O ſtulti.* Carpit vti ſtultos: putabant namque Chriſtum magnum prophetam fuiſſe; ſed iam priuatum plauſibus gloriam denudaſſe: quod eximiæ erat ſtultitiæ: poſt mortem namque viuunt ſtrenui; mortem ſuam anteceſſerunt ignaui. c.1.num.170.toto §.p.60.

10. *Nos autem ſperabamus*: quia, vt ipſi putabant, promiſſionem ſuam tantiſper diſtulerat, iam quodammodò deſperantes fugiebant, etſi potentem prophetam in ſermone & opere nouerant: plus namque apud homines valet leuis defectus ad notam, quàm plurima virtus ad famam.c.1. n.196.toto §.p.69.

11. *Appropinquans ibat cum illis.* Diſcipulis propinquauit, vt ad virtutem reduceret; docuitque amicis & cognatis præ reliquis exhibendum officium in his præcipuè quæ pertinent ad virtutis augmentum. c.1. n.278. toto §.p.97.

12. *Duo ex diſcipulis ibant.* Calamitatis tempore diffugiebant; qui felicitate ridente propinquauerant: cognati namque & amici recedent, ſi premat calamitas, aderunt, ſi fulgeat felicitas.c.1.n.284.toto §.p.99.

13. *Oculi eorum tenebantur.* Etſi Chriſtus ſpecie peregrinus, intus reſplendebat glorioſus, vt ita ſuos diſcipulos erudiret, doceretque iuſtos interius exultare, etſi externo cortice non videantur lucere.c.1.n.332.toto §.p.116.

14. *Nos autem ſperabamus, quia ipſe redempturus eſſet Iſraël.* Putabant temporale regnum

reparaturum ; at Chriſtus peccatum expunxit,vt beneficium augeret:grandius namque beneficium eſt, à culpis expediri , quàm ab aliis laboribus liberari. c.2. n.35. toto §. c.152.

15. *Quòd redempturus eſſet regnum.* Diſcupiebant temporale regnum reſtitui:quia fortaſſe non nouerant , vt cæleſte aperiretur, deſiderare : pluris namque apud homines valent caduca,minoris æterna.c.2. num.72. toto §. p.166.

16. *Mane nobiſcum.* Secum detinere ſtudent illum ipſum,à quo ſe cæcos & ſtultos audierant:prudentes namque admonitorem venerantur vt Angelum, imprudentes oderunt vt inimicum.c.2.108. toto §.p.177.

17. *Et ita intrare in gloriam ſuam.* Oportuit amplecti mortem immortalis gloriæ patentem. Profectò iuſtorum mors euaneſcit in vmbram , vita iniquorum in veræ mortis tranſit ſubſtantiam. cap.2. num.146.toto §. p.190.

18. *Nonne oportuit Chriſtum pati ?* Certè vt quod in virtutem architectabatur malitia, contra virium verteret prouidentia : ſolet namque prouidentia vertere in ſalutis commodum , quod malitia conciliauerat detrimentum.c.3. n.33.toto §.p.233.

Dominica in Albis.
Ioannis 20.

1. *ET fores eſſent clauſæ.* Quos egregios milites Chriſtus armare in vitia deſiderabat,inuiſit,& quale præmium ob egregiam pugnam ſibi redditum fuerit, oſtendit:nam virtutis præmium ingens eſt ad virtutem accendendam motiuum. capite 1. n.34. toto §.p.15.

2. *Vbi erant diſcipuli congregati.* Fraterna charitas & concordia Chriſtum traxit,& gloriam intulit : nec enim poterant iam triumphis non frui,quos conſtabat fraterna charitate ligari:fraterna namque charitas & concordia eſt validiſſima in hoſtes arma , & ſerpentinæ fraudis incantamenta.c.1.n.77.toto §.p.29.

3. *Venit Ieſus & ſtetit in medio.* Venit, vt in gloriæ conſortium admitteret,& dum quærit ſtudioſus, probatur ſine dubio diuinus:laboris conſortem quærere eſt humanum ; ſed gloriæ diuinum.c.1.n.118.toto §.p 43

4. *Et fores eſſent clauſæ.* Lucem timebant qui iuſti , cùm perpetrata Chriſti morte non timerent qui iniquiſſimi ; at potentes ſua ſe fortuna tuentur , infirmiores ſine cauſa vexantur.c.1.n.129. toto §.p.46.

5. *Stetit in medio eorum.* Vt oſtenderet gloriam,& ſic vocaret ad arma:alliciuntur namque homines ad virtutem meliùs oſtenſo præmio,quàm intentato ſupplicio c.1.n.148. toto §.p.53.

6. *Stetit in medio eorum.* Viuus & glorioſus: nam poſt mortem viuunt ſtrenui, ante mortem moriuntur ignaui. capite 1.num.170. toto §.p.60

7. *Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum.* Qui fixuras credidit non aſpiciens,gloriam non credidit audiens : facilè namque ſuſpicioni accedimus ad aliorum notam, cùm non ſic accedamus ad famam. capit.6. n.275.toto §.p.594.

8. *In medio eorum.* Vt illis citiùs impertiretur beneficium : debemus namque amicis & cognatis exhibere præ aliis officia in his præcipue quæ pertinent ad virtutis augmenta.cap.1.n.278.toto §.p.97.

9. *Vidimus Dominum.* Iam curauit Deus, vt poſt mortem haberetur Dominus, qui in vita aliquando audiuit Samaritanus : nam licèt Deus calamitatibus iuſtorum erudiat vitam, poſt mortem curat ſtudioſiſſimè famam. c.1. n 328.toto §.p.114.

10. *In medio eorum.* Nulli ſpecialiter inclinatus, ſed omnibus ſanè proficuus : & quidem ſuperior, vt poſſit omnibus eſſe beneficus,ab omni ſit affectione remotus.c.2.n.40. toto §.p.154.

11. *Niſi videro fixuram clauorum.* Agnouit Thomas prophetali ſpiritu,vt placet Chryſologo,quæ ſuſtinuit ad ſubueniendum miſeris vulnera, ad ſplendoris manſiſſe crementa: & certè quæ quis honeſtè egit in vita ad miſerorum auxilium, æternam patiunt in morte elogium. capite.2. num.117. toto §. p.180.

12. *Stetit in medio.* Non vocatus;imò,ſi fas eſt dicere , oſtiis occluſis impeditus. Sanè Deus ſpontaneè benefacit,coactè punit. c.2. n.172.toto §.p.199.

13. *Vbi erant diſcipuli congregati* , & orationibus quidem intenti:vt calamitatem depellerent,& meliorem ſibi fortunam conciliarent : eſt namque oratio calamitatis depultrix,& fortunæ conciliatrix.cap.3.n.107.toto §.p 258.

14. *Infer digitum tuum huc.* Non timuit examinari curioſéque diſcuti:nam veritas ſolùm erubeſcit abſcondi. capite 5. numero 207. p.292.

15. *Dominus meus,& Deus meus.* Clamat vulneribus honeſtis emiſſe ſibi victoriam. Profectò Principes ſibi emunt virtute victoriam, vitio catenam. capite 3 n 85.toto §.p.250.

16. *Vide manus meas* , &c. Qui acceptis vulneribus honeſtè prodegit vitam , iam oſtendit vitam & gloriam. Certè qui honeſtè periculum ſalutis amplectitur,non ſemel conſeruat vitam , & reportat ſæculis decantandam victoriam. capite 5. numero 20. toto §.p.438.

In Litaniis Maioribus.
Lucæ 11.

1. *QVis veſtrum habebit amicum ?* Aduentat amicus;ſed vt petat:& quidem qui à Deo petit, ei honeſtè adulatur;verùm ſi ad hominum mores adaptes, aderunt felicitatis tempore amici, vt aliquid ſugant ; non aderunt aduerſitatis , vt impendant. c.6. n.265. toto §.p.589.

2. *Amicus meus venit ad me de via.* Quàm hic amore

amore probabatur dignus,qui,ne legi amicitiæ deficeret, lectum, & ſomnum reliquiſſe non tenuit. Certè qui propriam vtilitatem præfert obligationi politicus,qui in amicum recipiatur, inuenitur indignus. c.1,n.361. toto §.p.126

3. *Amicus meus venit ad me de via.* Iſte non carebat amico, nec amicitia, quando amici ſic vigilabat in cauſa.Profectò multi non carent amico;ſed carent amicitia.c.2.num.100. p.74

4. *Amicus meus venit ad me de via.* Quàm felix fuit viator talem ſortius amicum! infelix eſſet, ſi ſortiretur contrarium: improborum namque amicitia calamitatum eſt vena, & nobilitatis nota capite 3.numero.53.toto §. p.239

5. *Non habeo.* Ad amicum cucurrit egeſtate oppreſſus:nam de illo benè præſumpſit:vera namque amicitia etiam in egeſtate ſeruanda; at plures amici inde fugiunt, vnde probantur. c.3.n.158. p.274. & c.4.n.224. toto §. p.391

6. *Accommoda mihi tres panes.* Prudenter recurrit ad orationem,vt depelleret egeſtatem: oratio namque eſt calamitatis depultrix, & fortunæ conciliatrix.cap.3.num.107.toto §. p.258

7. *Non habeo.* Dum premitur egeſtate & obligatione, amicum exorat:calamitas namque eſt orationis magiſterium,& virtutis aſylum. c.4.n.65.toto §.p.336

8. *Accommoda mihi tres panes.* Mirum eſt, dum tenderet, non impeditum fuiſſe, & variis cauſis tardatum: ſatagunt namque dæmones ad orationem viam impedire, & orationis tempora ſuffurari. cap.5.n.64.toto §. p.454

9. *Accommoda mihi.* Citiùs obtinuiſſet,ſi non ſingularis oraſſet:nam oratio multorum eſt felicitatis vena, & impetrandi energia c.6. n.79.toto §.p.526

10. *Accommoda mihi tres panes.* Amicus ſolus accedit, vt famelico ſuccurrat: amicus alter ſeruorum pompam oſtentat: *pueri mei mecum ſunt in cubili*; verùm non minus reſplendet alter de famelici cura, quàm alter fulgeat de pompa. c.4. n.104. toto §.p.349

11. *Non poſſum ſurgere.* Vt ſibi indulgeat, alium vult fame perire: frequenter namque qui ſibi indulgentior, probatur cæteris durior.c.1.n.204. toto §.p.72

12. *Accommoda mihi tres panes.* Quàm eximia charitatis exarſit flamma, qui petendi deuorauit moleſtiam! Certè ingenuo viro petere moleſtum,vt dilargiri iucundum. c.1.n.239. toto §.p.84

13. *Accommoda mihi tres panes.* Amicitiæ titulo petit, & iure: nam cognatis & amicis præ reliquis eſt exhibendum officium, in his præcipuè quæ pertinent ad virtutis augmentum. c.1.n.278.toto §.p.97

14. *Dabit quotquot habet neceſſarios.* Non explicuit quot dedit:nam Deus in beneficiis recenſendis eſt parcus, in præſtandis largiſſimus.c.2.n.48.toto §.p.157

15. *Propter improbitatem.* De ſolicitudine in temporalibus acquirendis precandi Dominum condemnat ignauiam;ſed iam de more eſt pluris apud homines valere caduca,minoris æterna.c.2.n.72.toto §.p.166

16. *Accommoda mihi tres panes.* Amicus, qui pro amico ſolicitat,Chriſti,vt placet D.Thomæ,figuram gerit:& quidem qui pure ſynceteque proximorum vtilitati deſeruit, metas quodammodò naturæ humanæ tranſiluit. c.2.n.100.toto §.p.174

17. *Quis veſtrum habebit amicum?* Qui ſemel ad opitulandum amico reliquit lectum, in ſæcula veri amici ſortitur elogium:illi peperit æternam famam,quod honeſtè egit ad miſeri ſubleuandam miſeriam.c.2.n.117.toto §. p.180

In die Aſcenſionis.
Marc. 16.

1. *Recumbentibus vndecim diſcipulis*,&c. Secretò correxit, nempe dum domi prandent,non in publico, quò nos doceret culpam prudenter corrigendam, & correctionem cunctis celandam.c.3.num.199.toto §. p.289

2. *Exprobrauit.* Qui crucis armis hoſtilia euerterat caſtra, gloriam ſuam cumulat doctrina expugnando vitia:nec enim minori refulget gloria,qui optima tradit præcepta,ac qui hoſtilia armis euertit caſtra. c.1.num.76.toto §. p.29

3. *Euntes in mundum prædicate.* Fraterna charitate & concordia voluit muniri, vt vitia poſſent depellere, & ſerpentinæ fraudis incantamenta vitare. cap.1. num.79. toto §. p.30

4. *Quia his qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt.* Crediderunt aſſerentibus crucem, referentibus non crediderunt reſurrectionem: facillimè namque credimus quæ ad aliorum notam,difficulter quæ ad famam. c.6 n.275.toto §.p.594

5. *Euntes in mundum.* Socios aggregat, qui per ſe iam vitia depulerat. Certè qui Dei mouetur ſpiritu contentus non eſt ſolùm per ſe in vitia irruere;ſed ſocios ſatagit congregare.c.6.n.254.toto §.p.585

6. *Linguis loquentur nouis.* Et cur non vetetur linguarum gerere nouitatem? Quia laudabilis eſt nouitas,quæ virtutem promouet, & vetuſtatem depellit. cap.5. num.75. toto §.p.458

7. *Si mortiferum quid biberint, non eis nocebit.* Iam contra pericula obarmat, dum monet pugnare in ſcelera:nam qui vitia aggreditur, prouida opus eſt defenſione muniatur cap.6. n.214.toto §.p.574

8. *Et Dominus quidem Ieſus.* Dum cælos petit,iam non ſolùm Ieſus; ſed Dominus, & deſiderantibus oculis ſolerter conſpectus; non ſemel initiare ſolet diſtantia, quod exaugurabat præſentia cap.6.num.210 toto §. p.570

9. *Exprobrauit incredulitatem.* Ad hominum ſalutem delegaturus omni voluit vitio carere. Reipublicæ ſanè ſemper probatur vtilior, qui culpis eſt defæcatior. c.6. n.162.toto §. p.554

Digitized by Google

10. *Euntes in mundum.* Quos egregiis dotibus agnouit ornatos, latitare non eſt paſſus otioſos: nam qui vtilitatem amat reipublicæ, numquam permittet otioſos, quos egregiis dotibus agnouerit exornatos. c. 6. n. 123. toto §. p. 541.

11. *Exprobrauit.* Vt clararet oculos ad aſpiciendam gloriam, in illorum inuectus eſt culpam: & quidem dum Deus peccatum in hac vita carpit, lætiorem adducere fortunam intendit. c. 6. n. 82. toto §. p. 528.

12. *Quia his, qui viderant eum ſurrexiſſe.* Certè ſi non crediidiſſent infauſta referentibus, non mirum: nam nonnulli ad infauſta anteuertunt tempora, & exaggerant aliis ingrata. c. 5. n. 180. toto §. p. 495.

13. *Et Dominus quidem Ieſus aſſumptus eſt in cælum.* Certè pro virtute labor peperit plauſum, & in cælo thronum: virtus, etſi aliquando videatur afferre periculum, ſolùm eſt ad plauſum & thronum. c. 5. n. 34. §. p. 443.

14. *Et Dominus quidem Ieſus.* Illuſtriſſima fulget pompa, & decantanda ſæculis fama: quia exiguo tempore priuatus eſt vita: vt diſcas prodigere honeſtè ſalutem: hoc namque parit vitam, & reportat decantandam victoriam. c. 5. n. 20. toto §. p. 438.

15. *Aſſumptus eſt in cælum.* Nobiliſſimum ſuum triumphum à diſcipulis voluit adſpici, vt gloriam honeſtè ſtuderent ambire. Certè gloriæ ambitio virtuti non ſemel ſeruit, & ad facinora illuſtria cogit. c. 4. n. 313. toto §. p. 423.

16. *Aſſumptus eſt in cælum.* Reſplendere voluit pompa, qui virtutum radiabat præſtantia, vt vel ſic homines ad eius amorem & æſtimationem alliceret: nam apud ſæculum pluris æſtimantur diuitiis copioſi, quàm dotibus virtutum præclari. cap. 4. num. 262. toto §. p. 405.

17. *Aſſumptus eſt in cælum.* Ambitioſa quidem Angelorum circumſtantia cælum aſcendit, qui latronibus aſſociatus ſuſtinuit crucem: nam quem Deus laborioſis exercet præliis, nobiliſſimis præparat triumphis cap. 4. n. 191. toto §. p. 380.

18. *Omni creaturæ.* Dum ad thronum aſſumitur, iam omnibus proſpicere ſatagit, vt prælatos doceat omnibus inuigilare proficuos, dum ſe pro omnibus adæquè agnoſcunt promotos. c. 4. n. 167. toto §. p. 371.

19. *Si mortiferum quid biberint.* Inter ipſa vitia & pericula reſplendent illæſi: qui ad plurimorum ſalutem ſunt deſtinati: & quidem qui ad multorum ſalutem à Domino delegatur, inter confinia vitiorum non læditur. c. 4. n. 144. toto §. p. 363.

20. *Prædicate Euangelium omni creaturæ*: quò ſuam gloriam cumulatius adornet, miſerorum calamitatem leuari præcipit: & certè non adeò reſplendet dignitas de adſtantium pompa, vt de leuata calamitoſi miſeria. c. 4. n. 104 toto §. p. 349.

21. *Prædicate omni creaturæ.* Dum eximiam oſtentat pompam, ſtudet depellere inualidorum miſeriam: quod Chriſti Domini proprium eſt, quandoquidem ſumptuoſior aliquorum pompa eſt indubia ſubiectorum miſeria. capite 4. numero 44. toto §. p. 329.

In die Pentecoſtes.
Actorum. 2.

1. ERant omnes diſcipuli pariter in eodem loco. Profectò precibus intenti, & orationi dicati, quantumuis adurgerentur variis ſolicitudinibus, & inimicorum odiis; at perfecti, etſi variis ſint ſolicitudinibus implicati, precibus interius ac virtuti vacant adſcripti. c. 1. n. 18. toto §. p. 10.

2. *Pariter in eodem loco.* Fraterna nempe charitate vniti, & concordia armati: fraterna namque charitas & concordia ſunt validiſſima in hoſtes arma, & ſerpentinæ fraudis incantamenta. c. 1. n. 79. toto §. p. 30.

3. *Sonus tamquam aduenientis ſpiritus vehementis.* Vt in bono vinceret malum, oſtentauit charitatis pompam, quando peſſimi prauitatum affectauere iactantiam. Certè aliquando homines ad ſpeciem dæmonem vincunt: ille fugit notitiam: ipſi in malefactis affectant gloriam. c. 1. n. 200. toto §. p. 71.

4. *Cœperunt loqui variis linguis*, &c. In virtutis ſchola claruerunt ſapientia, & clariſſima ſcientiarum notitia: ſapientia namque non tam eſt prolixæ ſpeculationis fructus, quàm felix virtutis partus. c. 1. n. 234. toto §. p. 82.

5. *Cœperunt loqui variis linguis.* Orationi deditos, & virtutibus exornatos diuinus amor magiſtros cæterorum delegit: eſt namque præ aliis deligendus magiſter, qui emicat virtutibus exornatus, & orationi quodammodò adſcriptus. c. 1. n. 288. toto §. p. 100.

6. *Diſpertitæ linguæ tamquam ignis.* Tota charitate, gratiæque nitore reſplendebat lingua vtilem aliis doctrinam inſtillatura, vt doceret debere ad ſupernam quodammodo tranſire naturam; qui aliis cupit inſpirare cæleſtis doctrinæ ſcientiã. c. 2. n. 20. toto § p. 145.

7. *Cœperunt loqui.* Ecce Spiritus Sancti plauſus homines inflammare, & ad diuinas laudes decantandas allicere. Certè magiſtrum concionatoremque non tam nobilitant ingenij & ſubtilitatis plauſus, quàm pœnitentiæ in auditoribus fructus. c. 2. n. 96. toto §. p. 173.

8. *Et cœperunt loqui.* Rudes anteà homines illiteratique confundunt mundi ſapientiam: ſolet namque Deus inſtrumentis parum ad ſpeciem aptis ſuam oſtentare energiam, & confundere ſuperborum ſapientiam. cap. 3. n. 133. toto §. p. 266.

9. *Cœperunt loqui.* Audacter pericula calcant, & aduerſariorum odia non curant: Dei namque iam agebantur ſpiritu: & qui Dei ſpiritu agitur, difficilia, & inacceſſa aliis aggreditur. capite 3. num. 255. toto §. p. 309.

10. *Vbi erant ſedentes.* Iam innouatur mundus, & mundialis honeſtè inuertitur conſuetudo: audent namque iam in curia virtutes, & impugnantium eludunt vires, cùm tamen de more crimina ſecurè degant, & vires impugnantium eludant. c. 4. n. 30. toto §. p. 325.

11. *Tamquam*

Digitized by Google

11. *Tanquam aduenientis ſpiritus vehementis.* Citiſſimè tranſit ſonus aures ad ſpeciem feriens: manſit diu amoris flamma corda demulcens, vt omnino ſe ſpiritus veritatis contrarium oſtenderet fallaciæ ſpiritui: ventus namque ſuperbiæ vitiorumque volaticis oblectationibus fallit, & laboribus duriſſimis terit. c.4.n.39. toto § p.328

12. *Et cœperunt loqui.* Iam incipiunt ardenter diſcupere in aliis virtutem, & docere perfectionem: nec mirum: cæleſti namque flamma feliciter iam poſſeſſi; & quidem quò quis Deo coniungitur ſtrictior, alios non ſolùm iuſtos deſiderat; ſed perfectos. c.4. n.81. toto § p.341

13. *Cœperunt loqui.* Sic cæleſti inflammabantur charitate, vt quò ab hominibus depellerent maculam, propriam ſpreuerint vitam. Certè qui à Deo electus, & cæleſti igne inflammatus, propriam ſpernit gloriam, vt à ſuis depuleri maculam. c.4. n.129. toto §. p.357

14. *Et cœperunt loqui.* Profectò verba flammantia, quibus auditorum traherentur corda, & depellerentur vitia: quæ diuini ardoris igne proferuntur micantia verba, citò auditorum inflammant corda. c.4. n.133. toto §. p.359

15. *Spiritus vehementis*, &c. *& cœperunt loqui.* Dum cæleſti flamma feliciter aduruntur corda, feſtinanter proferunt verba, & accinguntur ad opera: vehemens namque deſiderium moras non ſuſtinet; ſed in opus prodire geſtit. c.4.n.299. toto §. p.418

16. *Et factus eſt repentè de cœlo ſonus.* Spiritus diuinus, vt qui omnium vtilitatem deſiderat, quos egregiis dotibus videt exornatos, contra errores hominum armat. Certè qui vtilitatem amat reipublicæ, nunquam permittet otioſos, quos egregiis dotibus agnouerit exornatos. c.3.n.123. toto § p.263

17. *Et cœperunt loqui.* Vt iam ſalubrem doctrinam fundetent, & ſtupendis miraculis homines ad veritatem attraherent. Profectò qui virtute reperitur excultior, reipublicæ reperitur commodior. cap.6. num.162. toto §. p.554

18. *Et cœperunt loqui.* Cæleſti flamma correpti ſe intra ſe continere non poterant: hoc namque amoris ingenium eſt, vt ſe intra ſe cohibere non valeat; ſed in opera protumpat. c.5.n.171. toto §. p.491.

In feſto Sanctiſſimæ Trinitatis.
Matth. 28.

1. EVntes ergo docete, &c. Non ait: Nomen meum extendite, facinora buccinate, plauſum mihi acquirite; ſed, docete. Certè qui optimus reipublicæ adminiſter, dum poteſtatem accipit, ſolicitius curat munus implere, quàm plauſum ſibi eluctari. cap.1. n.113. toto §. p.41

2. *Data eſt mihi omnis poteſtas*, &c. Quàm cæleſtis poteſtas probabatur, quæ miſerorum militabat commodis, non periculis, quando non ſemel à reipublicæ potentioribus manans imbecillo calamitas & miſerorum incommodo aggregare ſolent diuitias. c.1.n.381. toto §. p.134

3. *Baptizantes eos*, &c. Poteſtatem dedit ægritudines depellendi, ſalutem vitamque inſtaurandi; baptiſmi tamen beneficium præfert: nam licèt magnus ſit fauor à laboribus vitæque periculis liberari; grandior eſt à culparum labibus expediti. cap. 2. num. 35. toto §. p.152

4. *Docete omnes gentes.* Dum ſe poteſtate præditum aſſerit, gentes omnes docere cupit: vt ſuperiores doceat, eſſe ab omni affectionis ſuſpicione alienos, vt conſtet omnibus eſſe proficuos. c. 2.n.40. toto § p.154

5. *Baptizantes eos.* Quam reſplendet poteſtatis huius excellentia, quando facili adeò medicina vel grauiſſima medicatur ſcelera. Profectò reſplendet plurimum ſuperioris excellentia, ſi graues ſanet morbos facili medicina. cap.2. n.63. toto §. p.162.

6. *Data eſt mihi omnis poteſtas*, &c. A Deo electus omnibus inuenitur proficuus, ſi aliis accepiſſet poteſtatem artibus inueniretur contrarius. Certè qui à Deo eligitur, omnibus probatur commodus, qui ambitionis aſcendit artibus, inuenitur nociuus. c.2. n.196. toto § p.207

7. *Baptizantes eos.* Quò agnouerint Patrem, Filium, ac Spiritum Sanctum, aqua vult mundari, & ablutos omni prorſus vitio carere: ſapientia namque non tam eſt prolixæ ſpeculationis fructus, quam virtutis partus. cap. 1. n.234. toto § p.82

8. *Baptizantes eos.* Vult omnia vitiorum felici naufragio deleant veſtigia, ne minus liceat virtuti, quàm conceditur prauitati: vitiorum antiſtites omnia virtutum deterunt monimenta: ergo virtutis miniſtri, vitiorum omnia ſtudeant abolere veſtigia. c.3.n.195. toto §. p.288

9. *In cælo & in terra.* Et cur non addidit, in inferno? Quia decet maieſtatem per ſe ipſam benefacere, non punire. c.4. num.24. toto §. p.323

10. *Euntes in mundum vniuerſum.* Dignum erat, vt ad recuperandam Chriſto gloriam non torpeient ignauia, quando mundialibus pro euanida gloria omnis dulceſcit moleſtia. c.4.n.35. toto §. p.326

11. *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti:* monet, vt contra mundialem prudentiam myſterij Trinitatis veritatem edoceant: & certè qui ſequi vult virtutis veritatiſque normam, reſpuere debet humanam & mundialem prudentiam. c.4.n.49. §. p.331

12. *Data eſt mihi omnis poteſtas. Euntes ergo docete.* Non oſtentat poteſtatem de ſeruorum circumſtantia, aut de adulatorum pompa; ſed de hominum leuata miſeria: clarius namque prodit dignitatem miſeria leuata, quàm adſtantium copia. capite 4. numero 114. toto §. p.352

13. *Euntes ergo. Et ecce ego vobiſcum ſum*, &c. Promittit auxilium, dum delegat ad ſalutem cunctorum: nam ad proximorum ſalutem à Domino deſtinatus, inter vitiorum labes ſæpè inuenitur illæſus. cap.4. num. 144. toto §. p.363

14. *Docete*

Digitized by Google

14. *Docete omnes gentes*: Non oſtentantes ſuperbum faſtum; ſed cunctorum ſalutis ſtudium: prudens namque, ne exacerbatis ſubiectum, vitabit quidquid ſuperbiæ redolet faſtum. c.4.n.152.toto §.p.366

15. *Omni creaturæ.* Accepta poteſtate omnibus conſulit: quia vti ſuperioris forma, dum iam non priuatus, omnibus prouidet ad dignitatem promotus. cap.4.numero 167.toto §.p.371

16. *In nomine Patris,& Filij,& Spiritus Sancti.* In ipſa ſingularitate Deitatis, ſingularitatem perſonarum non admittit, vt omnibus ſit documento: nam cùm ſingularitas ſit ferè ſemper odioſa, quantum liceat, eſt diffugienda. c.4.n.211.toto §.p.380

17. *Docete omnes gentes.* Se Deitate gaudere oſtendit, dum pauperculos diſcipulos facit ſuſpici, & fidem apud mundiales habere: apud ſæculum namque æſtimantur diuitiis copioſi, non virtutibus clari c.4. num.262. §.p.405

18. *In nomine Patris,& filij & Spiritus Sancti.* Trinitatis myſterium antiquiſſimis dilucidè adeò non traditum, & tamen Chriſtus nouam doctrinam prodit: eſt namque laudabilis nouitas, quæ veritatem promouet, & vetuſtatem depellit. c.5. numero 75. toto §.p.458

19. *In nomine Patris,& Filij,&c.* Dum non ſibi vni gloriam quærit; ſed perſonis Trinitatis omnibus ambit; ſe prodit diuinum: quærere namque laboris conſortem, inuenitur humanum; ſed gloriæ ſocium probatur diuinum. c.1.n.118.toto §.p.43

In feſto corporis Chriſti. Ioannis 6.

1. *Caro mea verè eſt cibus.* Vt homines alliceret, menſam appoſuit, & diuinitatis ſuæ diuitias in Euchariſtia oſtentauit: nam licèt paſſionis tempore homines aufugerint, conuiuij tempore accedent: nunquam deeſt, qui felicitatis tempore aliquid ſugat, ſæpè qui indigentiæ tempore impendat. c.6.n.265.toto §.p.589

2. *Caro mea verè eſt cibus.* Etſi afflictatus approximaret morti, homini tamen exhibuit conuiuium, & præſtitit expenſis ſumptuoſis obſequium, ne minus liceret amori, quàm prauitati. Profectò etſi quis extremis calamitatibus affligetur, ſumptuoſis expenſis vitium alere non cunctatur. cap.6.num. 232. toto §.p.577

3. *Caro mea verè eſt cibus.* Carnem, quæ olim erat vitio pro armis, in arma vertit virtutis: nam Dei honoris zelotypus virij arma in virtutis vertet auxilia. c.6.numero 229.toto §.p.575

4. *Qui manducat hunc panem, viuet.* Cœleſtè epulum, dum nos Deo ſtrictè coniungit, felicitatem & vitam promouet. Certè quod nos Deo reconciliat, felicitate & ſalute donat. c.6.n.214.toto § p.571

5. *Caro mea verè eſt cibus.* Vt homines Deus felicitet captiuos ad virtutem trahat, voluptate ſubornat, vitij ingenium imitatus quodammodò. Certè dæmones voluptate ſubornant, vt ſemper captiuum teneant. c.6.n.236. toto §.p.578

6. *Caro mea verè eſt cibus.* Vt ſummam puritatem ſuadeat, carnem Domini oſtendit ſacrificium, & hominis epulum. Certè eam puritatem exigit oblatum Domino ſacrificium, vt Angelus vereatur ad ſpeciem attactum. c.6.n.206.toto §.p.568

7. *Caro mea verè eſt cibus, &c* Nihil ſibi reliquit ex his, quæ homini præparare decreuit, nos erudiens, vt nil patiamur apud nos manere ex his quæ ſemel decreuimus cœleſti Numini conſecrare. c.6.n. 202. toto paragr. p.567

8. *Caro mea verè eſt cibus.* Se ſuis manibus obtulit, vt qualem in miniſtro ſanctitatem Euchariſtia requirat, doceret. Profectò miniſtri ſanctitas ſacrificium commendat, & gratiam citiùs implorat. capite 6.numero 189. toto paragr.563

9. *In me manet, & ego in illo.* Prorſus apparere debet diuinus, qui hoc epulo innutritur cibatus, aut ſaltem ea debet cæleſtis menſæ conuiua ſanctitate candicare, vt poſſit inter cœleſtes ſpiritus recenſeri. c. 6.n.18. toto paragr.p.560

10. *Non ſicut patres veſtri manducauerunt manna.* Qui manna manducauerunt, fugam de Ægypto ſunt adorti, qui Chriſti manducant carnem, triumphis debent ſplendeſcere redimiti. Certè cœleſti epulo innutrito ſatis non eſt adorri fugam; ſed de vitiis tenetur reportare victoriam. cap.6. numero 145. toto §.p.548

11. *In me manet.* Panis beneficio: nam cœleſti epulo nobilitatus non ſolùm eſt cunctis ſpiritibus reuerendus; ſed Numini quodammodò inuiſceratus. c.6.n.134. toto paragr. p.544

12. *Caro mea verè eſt cibus.* Quàm aſſumpſit carnem, ad ſalutem hominis obtulit: nam quidquid Deo ſeruit, & homini prodeſt. c.6.n.106.toto §.p.535

13. *Viuet in æternum.* Epulum hoc ſalutis vitæque inuenitur ſcaturigo: decebat namque, vt comitaretur virtutem ſalutis lucrum, vt culpam comitatur diſpendium. c.6. n.39. toto paragr.p.512

14. *Non ſicut manducauerunt patres veſtri manna.* Mortui ſunt, quia dum manducabant, fallaces Ægypti delicias cogitatione voluebant: ergo vt viuas, opus eſt delicias omnes obliuioni ſepultas tradas. Certè qui tremendis adſtant Euchariſtiæ myſteriis, decens eſt non ſolùm abſtineant à culpa; ſed à cogitationum fallacia. cap.6. num.35.toto paragr.511

15. *Non ſicut manducauerunt patres veſtri manna.* Nouo epulo antiquis illibato innutrit: nec ob id deſpiciendum, ſed venerandum: eſt enim laudabilis nouitas, quæ virtutem promouet, & vetuſtatem depellit. c.5. n.75. toto paragr.p.458

16. *In me manet.* Communicata diuinitate allicit, quia ſerpens diuinitate promiſſa allexit, vt excellentiæ ambitio gloriæ inſeruiat, & facinora ſuadeat. c.4.n.313.toto §.p.423

Pro

Digitized by Google

PRO SANCTIS.

In feſto S. Andreæ Apoſtoli. Matth.4.

1. A*Mbulans Ieſus iuxta mare Galilææ vidit,* &c. Chriſtus Dominus quærit Andream, Andreas dignitatem non ambit. Certè dignitatibus ante preces debet ornari, quem conſtat virtutibus refulgere. c.1.n.56.toto §. p.25

2. *Vidit duos fratres.* Quærebat milites contra vitia, ob id deſignauit ad arma, quos vidit vnitos concordia: fraterna namque charitas & concordia ſunt validiſſima in hoſtes arma, & ſerpentinæ fraudis incantamenta. c.1.n.79. tot.§.p.30

3. *Erant enim piſcatores.* Non ait: Mittebant retia in mare, quia pauperes; ſed, quia piſcatores: bonus namque reipublicæ adminiſter ſtudioſius curat munus implere, quàm ſibi commodum elucrari. c.1.n.113.toto §.p.41

4. *Faciam vos fieri piſcatores hominum.* Ad piſcationem vocat, quos propenſos ad piſcationem aſpexerat: nam cordatus ſuperior ſtudet ea præcipere, ad quæ ſubiectos facilius nouerit inclinari. c.1.n.214.toto §.p.75

5. *Faciam vos fieri piſcatores hominum.* Vidit Andream eximiis virtutibus exornatum, & ob id delegit virtutis ac veritatis magiſtrum: ad id namque ille eſt deligendus, qui virtutibus emicat laureatus. c.1.n.288.toto §.p.100

6. *Faciam vos fieri piſcatores hominum.* Non ſolum hominum piſcatores fecit, ſed miraculorum patratores; ſed dæmonum expulſores; at Deus parcus eſt in recenſendis, largiſſimus in beneficiis præſtandis. c.2.n.48.toto §.p.157

7. *At illi relictis retibus.* Mira Andreæ perfectio, qui ab exordio cæleſtia præpoſuit humanis quando apud homines pluris æſtimantur caduca, minoris æterna. c.2.n.72.toto §.p.166

8. *Faciam vos fieri piſcatores hominum.* Non ait oratores diſertiſſimos: non ait, dabo vobis floridum, & calamiſtro cultum ſtylum; ſed piſcatores: nec enim concionatorem nobilitant plauſus; ſed fructus. c.2.n.76.toto §.p.174.

9. *Faciam vos fieri piſcatores hominum.* Andreas ſe totum proximorum ſaluti impendit, & animarum piſcationi dicauit: nam qui Apoſtoli officio donatur, ſe totum proximi vtilitatibus impendiſſe tenetur. c.2.n.191.toto §. p.172

10. *Faciam vos fieri piſcatores.* Andreas vt qui à Domino electus, omnibus probatur proficuus; ſi ambitionis aſcenderet artibus, inueniretur incommodus. c.2.n.196.toto §.p.207

11. *Relictis retibus.* Vtilitatem deſpiciunt, vt diuinum exequantur præceptum, quando plurimus vileſcit diuinum ſine humana vtilitate præceptum, & ambitur vitium, ſi vtilitati coniunctum. c.2.n.215.toto §.p.214

12. *Venite poſt me.* Quos paupertate vidit oppreſſos, & otij prorſus ignaros, elegit vti virtute conſpicuos. Certè ſæpè felicitas & otium ſunt fœcundi parentes criminis, & progenitores erroris. c.3.n.20.toto §.p.228

13. *Mittentes rete in mari.* Piſcatores elegit ad cæleſtem diſſeminandam doctrinam, & ſapientium confundendam ſuperbiam, & quidem inſtrumentis parum ad ſpeciem aptis mundialem confundit ſapientiam, & oſtentat ſuam in operando energiam. cap.3. n.133.toto §.p 266

14. *Vidit duos fratres*, Et duos ſibi cognatos vidit etiam; ſed Andream prætulit, & ſuperiores edocuit non præponere conſanguineos; ſed præferre dignos. cap.3. num.143.toto §. p.269

15. *Faciam vos fieri piſcatores.* Non recuſant piſcationis moleſtias, vt lucrentur hominum animas: proprio labore, qui à Deo electus, aliorum procurat commoda; imò aliquando ſuo ſolitat arcere pericula. c 3. n.218.toto §. p.296

16. *Et faciam vos fieri piſcatores hominum.* Salutis conſtituit miniſtros faſtu pompaque carentes. Certè ſumptuoſior miniſtrorum pompa ſubiectis non ſolet prænuntiare lætam fortunam; ſed miſeriam. c.4.n.44.toto §.p.329

17. *Relictis retibus.* Non extraxerunt præceptum, aut miſeruot in futurum: ſibi namque inuidit, quiſquis inuitantem occaſionem in futurum tempus protraxit. cap.4. n.140.toto § p.361

18. *Piſcatores hominum.* Et quo calamo hanc aggreſſuri ſunt piſcationem? Profectò crucis: nam licet aliis virtutibus dæmon oppugnegnetur, cruce prorſus debellatur. c.4. n.258. toto §.p.404

In feſto Præſentationis Beatæ Mariæ Virginis. Lucæ 11.

1. E*Xtollens vocem quædam mulier.* Diuino ſane ſpiritu pulſata Virginem laudat, aliter in eius non deueniret notitiam: à teneris namque vnguiculis ſtudioſè adeò ſe abſcondit, vt aliquorum improbitatem imitari videretur ad virtutem. Certè improbitas ea ſe arte aliquando, ne deprehendatur, abſcondit, vt inueniri nequeat induſtria, aut adſpici diligentia c.1.n.351.toto §.p.122

2. *Beati qui audiunt verbum Dei.* Quàm pauci his temporibus deprehenduntur beati, cùm apud plures magis æſtimentur caduca, minus æterna. c.2.n.72.toto §.p 166

3. *Beatus venter, qui te portauit.* Certè dum remota ab oculis, eximiis celebratur laudibus mater: & quidem non ſemel initare ſolet abſentia, quod exaugurat aſpicientis malitia. c.6.n.210.toto §.p.570

4. *Beatus venter, qui te portauit*; imò & beatus venter, qui Mariam portauit: curarũt namque eius parentes non tam poſteritatis æternare gloriam, quàm optimæ filiæ excoli in templo virtutibus vitam: diuerſiſſima alios parentes poſſidere ſolent ſtudia: non curant vitam moribus excolere; ſed gloriam poſteritatis & nominis æternare. cap.1. numero 377. toto §. p.132

5. *Beatus venter, qui te portauit. Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt.* Dei ſolicita

 diligentia

diligentia amoris probatur flamma:nam quod tenerius amatur, diligentius cuſtoditur. c.2. n.63.p.162

6. *Beatus venter,qui te portauit.* Laudat Virginalis vteri ſecretum,vbi humanos vitauit aſpectus ab hominibus ſemotus.Certè aliquando humanus aſpectus eſt honeſti vigoris faſcinũ,virtutis deliriũ.c.4.n.294 tot.§.p.417

7. *Qui te portauit.* Vt virtutem Deique verbum cuſtodiret,ab oculis humanis abſcondit.Certè de humano aſpectu ſcintillæ contra virtutem conflantur, & excutiuntur. c.4. n.296, p.418

8. *Qui audiunt verbum Dei.* Maria templi ſecreta petit,vt verbum diuinum audiat;imò vt carne puriſſima veſtiat. Certè Dei verbum magna attentione eſt auſcultandum & reuerenter audiendum.cap.3.n.214. toto §.p.194

9. *Beatus venter, qui te portauit.* De filio allaudat matrem:quia fructus editus prodit auctorem.c.3.n.48.p.237

10. *Beatus venter,qui te portauit,& vbera,* &c. Agnouit Chriſti ad benefaciendum ingenium prudens fœmina,& ex maternis viſceribus ſuxiſſe proclamat. Profectò ex matribus facilè filiorum præuidetur ingenium , & ex filiis parentum agnoſcitur inſtitutum. cap.3. n.48.toto §.ibid

11. *Beatus venter, qui te portauit.* Chriſti clamat beatitudinem, vt qui optima parente progenitus , & ad virtutem formatus. Certè qui filios ad perfectionis excolit formam, ſtabilem procudit fortunam.c.4.n.187.toto §. p.378

12. *Beatus venter, qui te portauit.* Laudat Virginem ex fructu , non ex aſpectu : nec enim Virgo humanis ſe oculis permittebat;ſed in templo ſe Numini conſecrabat.Certè Virgo, quæ non reſpuit videri,nequit à culpa excuſari.c.4.n.249.p.400

13. *Beatus venter,qui te portauit.* Ad depellendam inimicorum ſuſpicionem,Chriſtum ſcilicet artibus ad ludibrium inuentis dæmonem depuliſſe , prudens fœmina ingenium producit matris, vt quæ veritatis fuerit fons, & ab aliis fœminis longè diſtans : aliæ namque ad mendacia expromptæ , & ad fallacias paratæ.c.4.n.288.toto §.p.415

14. *Beati qui audiunt verbum Dei.* Matrem allaudat, quòd abſcondita ab hominum oculis Dei audierit verbum,& de imbecilli ſexu reportauerit triumphum. Certè quæ fœminæ fugiunt oculos, ſibi compatauere glorioſos triumphos c.4.n.317.toto §.p.425

15. *Beati qui audiunt verbum Dei.* Virginis deprædicatur beatitudo, quòd ſitienter diuinum verbum audierit,& in templi penetralibus degens humanos oculos, & ſermones vitarit:ſic apud illam habitauit Verbum , inhabitaſſet,ſi è contrà, vitium. Certè ſecurè degit apud fœminam vitium, ſi publicum non erubeſcat, & cum viris colloquia miſcere exambiat.c.5.n.15 toto §.p.436

16. *Et vbera, quæ ſuxiſti.* Laudat matrem virginei lactis munere Deum ſibi deuinxiſſe,brachiiſque geſtaſſe : opus namque erat vt aliquando munus vitij deprædicaretur venenum, cùm ſæpè criminis ſit auxilium. cap.3. n.158.toto §.p.274.

17. *Et vbera, quæ ſuxiſti.* Probat diſertiſſima mulier Chriſtum ad hominum ſalutem deuotum : quia cæleſti Virginei lactis munere agnouerat ſubornatum : nam ſi gratia Principum promeretur muneribus citiùs,quàm virtutibus,hic non poterat non Chriſti promereri gratia dicato templo munere, & eximia matris virtute.c.3.n.176.toto §.p.281

In feſto Immaculatæ Conceptionis Deiparæ.

Marc. 1.

1. DE *qua natus eſt Ieſus.* Vt Euangeliſta probet Mariam glorioſis priuilegiis gaudere , maternitatis teſtatur titulis exornati; dum quodammodò idem Mariæ & Chriſto titulus , ſimilis puritatis eſt gradus : ſolùm namque glorioſos conſeruant titulos virtute ſimiles,amittunt degeneres. c.1.n.47. toto §. p.20

2. *De qua natus eſt Ieſus.* Matrem ſine culpa elegit,vt Deus haberetur : bona namque electio res Dei eſt. c.1.n.51.toto §.p.21

3. *De qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus.* Qui extraneorum ſalutem ſtudioſe adeò curauit,non potuit matris ſpernere,quia ad ſpeciem appareret ignauus. Certè vitio nonnullis vertitur, ſi ſuorum cauſas tractent ignaui, extraneorum diligentiſſimi. c.1. n.106. toto §.p.39

4. *De qua natus eſt Ieſus.* Mariam legi non ſubiacuiſſe perſuadet filij potentia : nam magnates ſua ſe contra legem potentia ſæpè tuentur,infirmiores legibus obligantur. c.1. n.129.toto §.p.46.

5. *De qua natus eſt Ieſus.* Oſtentat regem ſæculis omnibus decantandum , vt probet matrem nullum temeraſſe delictum:regia namque obſcuratur dignitas, ſi hoſtile illam temerauerit ferrum,aut quid eius inimico ceſſerit in ſpolium.c.1.n.138.toto §.p.49

6. *De qua natus eſt Ieſus* : Dum eximium adeò fructum Euangeliſta profert , omnem ſuſpicionem depellit , verùm facilè ſuſpicioni accedimus ad aliorum notam, difficulter vel miraculis fidem præſtamus ad famam. cap.6. n.275.toto §.p.594

7. *De qua natus eſt Ieſus.* Congruum non videtur Mariæ carnem contraxiſſe peccatum,quando verbum eius aſſumpſit carnem ad facilè debellandum delictum.Certè ſine Virginis ope hoſtis difficulter depellitur; ſed per illam facillimè debellatur.c.6.n.272. toto §.p.592

8. *De qua natus eſt Ieſus.* Matrem prodit , vt prærogatiua ſingulariſſima teſtetur ornatam. Maria namque maternitatis iure ſpeciali priuilegio refulget, & creaturas reliquas honoribus antecedit.c.6.n.268.toto §.p.591

9. *De qua natus eſt Ieſus.* Certè malignitas forſitan auderet Chriſtum negare Deum,imò & à Deo electum,ni matris honori proſpexiſſet, quandoquidem qui ſuo non proſpexit generi,non videtur à Deo electus ad triũphos reportandos , & aduerſarios terendos cap.6. n.260.toto §.p.588

De

Digitized by Google

Ad Sacras Conciones.

10. *De qua natus eſt Ieſus.* Carnem ex maternis viſceribus traxit, quam in cibum hominibus obtulit, & patri ſacrificium dicauit: ergo Maria Chriſti carnem decenter manibus ſæpiſſimè contrectaſſe, omni probat puritate floruiſſe: eam namque exigit puritatem carnis Domicæ ſacrificium, vt Angelus omni macula carens ad ſpeciem vereatur attactum. c.6.n.206.toto §.p.568

11. *De qua natus eſt Ieſus.* Qui pietatem erga parentes edocuit, factis nullatenus contradixit; imò virtutem ſuam pietate illuſtrauit. Profectò pietas erga parentes depellit infauſta, & affert fortunatiſſima.c.6.n.157. toto §.p.553.

12. *De qua natus eſt Ieſus.* Qui naſcebatur ad reportandum de dæmone triumphum, à matre ſine dubio auertit, periculum quandoquidem à ſuis prouidenter arcet periculum à Deo electus, vt de hoſtibus reportarit trophæum.c.6.n.153. toto §.551

13. *De qua natus eſt Ieſus.* Certè teſte Paulo, vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia. Ergo ne Chriſtus minus ad matris felicitatem faceret, debuit in femine crimen arcere: nam dæmon ſummo ſtudio curat opprimere virtutum femina: ergo Chriſtus & peccati vicit exordia.c.6.n.62.toto §.p.520

14. *De qua natus eſt Ieſus.* Qui vir pientiſſimus filius optimam matrem tenerrimo amore dilexit, obſcurari graui adeò damno nullo modo permiſit, quando verus amor etiam quæ ceſſet impoſſibilia, ſolet expaueſcere detrimenta.c.5.n.171.toto §.p.491

15. *Virum Mariæ.* Maria vtpote nata ad dæmonis excidium, nullatenus eius ſubiuit iugum: adeò namque infauſtum dæmoni fatum eſt, vt citius aliquando pereat cum vmbra Virginis præliatus, quàm cum ipſa omnipotentia congreſſus.c.1.n.143.toto §.p.51

16. *Virum Mariæ.* Maria Sanctiſſima inuiſo ſæculis triumpho de originali reſplenduit, & eximiis ſemper gratiæ prærogatiuis emicuit. c.5.n.80.toto §.p.459

17. *De qua natus eſt Ieſus qui vocatur Chriſtus.* Qui extraneos natus eſt à peccati legibus vindicare, non potuit matrem ſubiicere, quandoquidem indecens videtur infami legi ſubiicere, ſiquis cognatos poſſit prouidenter extrahere.c.1.n.273.toto §.p.95

18. *De qua natus eſt Ieſus.* Qui ad regalem thronum eſt natus, non potuit non malum, etſi appeteret, impedire, nec expectauit depellere, quandoquidem glorioſius eſt Principi periculum apperens impedire, quàm expertum malum repellere.c.3.n.251. toto §.p.308

In feſto Expectationis B. Mariæ. Lucæ 1.

1. AD *Virginem deſponſatam*, &c. Ad Virginem mittitur Angelus orationi deditam, & cæleſti contemplationi dicatam, nec domeſticis occupationibus ab oratione impeditam. Certè perfecti, etſi variis exterius ſint occupationibus implicati, orationi interius vacant adſcripti. c.1.n.18. toto §. p.10

2. *De domo Dauid.* Conſeruabat parentis titulum, quæ parentem non ſolùm imitabatur; ſed ſupergrediebatur virtute: glorioſos maiorum conſeruant titulos virtute ſimiles, amittunt degeneres.c.1.n.47. toto §.p.20

3. *Et ingreſſus Angelus.* Quærit Angelus dignam, Maria non ſuſpirat dignitatem. Certè dignitatibus vel ante perces debet ornari, quem conſtat virtutibus refulgere.c.1. n.56. toto §.p.23

4. *Ecce ancilla Domini.* Quàm diſtabat ab ambitione, quæ copioſa reſplendebat virtute! Illos profectò tangere non ſolet ambitionis pruritus, quibus maior meritorum eſt cenſus. c.1.n.89.toto §.p.33

5. *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Virginitatis votum illibatum ſeruare ſtuduit, & ſuis reſponſis Deo promiſſa religioſè ſeruare edocuit; verùm è contra apud homines ſæpè contingit: legis iniuria homini ſeruatur promiſſum, nulla occaſione violatur Numini votum c.1.n.229.toto § p.80

6. *Fiat mihi.* Ardet deſiderio in fine, quæ in principio exarſerat voto: quod proprium Virginis eſt: nam apud alios, etſi virtus in exordio emicet feruens, exiguo tempore remittitur languens.c.1 n.293.toto §.p.102

7. *Et regnabit in domo Iacob.* Vt virginitatem Deo promiſſam excolat, poſteritatis, famæque apud ſæculum gloriam non ſuſpirat, quando ea mortales premit cæcitas & ambitio, vt non tam curent vitam moribus excolere, quàm gloriam nominis æternare.c.1. n.377. toto §.p.132

8. *Et regnabit in domo Iacob in æternum.* Æterna promittit Angelus, quia Virgo reſpuit caduca, & anhelat ſtudio ſummo immortalia: vt quam ab humana conſuetudine diſtet, agnoueris: nam apud homines pluris valent caduca, minoris æterna.c.2.n.72.toto §.p.166

9. *Fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Ad ardentiſſima confugit ſuſpiria, & inflammatiſſima vota, quæ iam mater electa, nam ad repellendam calamitatem & lætam conciliandam fortunam non minus quā naturæ vinculū, valet deſideriorum ſuffragiū c.2.n.83.toto §.p 169

10. *Fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Sacra impatientia poſſidendi filium orat, vt velociſſimè adueniat: vehemens namque deſiderium ſe intra ſe cohibere nō valet.c.5.n.171.§.p.491

11. *Fiat mihi.* Vehemens amor fortunatæ anxieratis occaſio extitit: & ſanè hic accidit erga virtutem, quæ accidere ſolent erga corporis commoditatem. Certè minus amor anxietatem parit, partamque enutrit. cap.3. n.33.§. p.233

12. *Fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Veluti felici deſiderio excruciata anxia mittit ad cælum ſuſpiria: nam dilatio anxiā morā animum expectantis diſcruciat.cap.4. n.177. § p.374

13. *Fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Grandi ardore inflammata moras non ſuſtinet; ſed filium ambit: vehemens namque deſiderium mora diſcruciatur, & prodire in opus molitur.c.4.n.299. toto §.p.418

14. *Fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Vt feli-

Digitized by Google

ciſſima ſua tormenta ſopiat, iam filium aduentare ardentiſſimis ſuſpitiis anhelat. Certè durum eſt expectare ma[rt]yrium. c.6. n.185. toto §.p 562

15. *Fiat mihi.* Non differt; ſed ambit, quando inueniuntur plures, qui ſibi in futurum adulantur ſpebus, quo liberius modò defœdentur criminibus. c.6. n.219. toto §.p.573

16. *Fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Maternitatem cum virginitate coniungere anhelat, Dei Spiritu plena & impulſa: nam qui Dei Spiritu agitur, magna & aliis inacceſſa ſemper aggreditur. c.3.n.255.toto p.309

17. *Quomodo fiet iſtud?* Promiſſum examinat, ne incauta incurrat. Certè non eſt in conſultè cuique ſpiritui fides præſtanda; ſed diligentia adhibenda. c.6. n.167.toto §.p.556

In Feſto S.Thomæ Apoſtoli. Ioannis 20.

1. *NIſi videro,* &c. Vnde Thomas videbatur obſcurandus, agnoſcitur manifeſtè plaudendus: repræſentata namque vulnera fidei non obſtiterunt; ſed aſpiciens vulnera credidit, cùm apud homines plus valeat leuis defectus ad notam, quàm plurima virtus ad famam. c 1.n.196.toto §.p.103

2. *Dominus meus, & Deus meus.* Tetigit vulnera; ſed vulnerum etiam aſpexit præmia: ergo iam non refugit militare; imò ſatagit fidei ſeruire: redditum namque virtuti præmium validum eſt ad virtutem accendendam motiuum. c.1. n.34.toto §.p.15

3. *Niſi videro fixuram clauorum;* Vt poſſet prædicatoris munus implere, prædicandam voluit veritatem examinare: *Prædicatorum hæc in gentibus requirebat,* inquit Chryſologus: ergo non petiuit gloriæ videre pompam, quod ſibi erat commodum; ſed vulnus clarum veritatis indicium: optimus namque Reipublicæ adminiſter ſtudioſius curat munus implere, quàm commodum ſibi venari. cap.1.n.113. toto §.p.41

4. *Mitte manum tuam.* Noluit priuari Thoma, qui alta pro Thoma acceperat vulnera: eſt namque infauſtum, laborum priuari fructibus, & diuexari laboribus. c.1.n.154. toto §. p.55

5. *Affer manum tuam.* Quàm clementer cum diſcipulo agit, qui toruo poſſet ſupercilio ferire; at dignitatem regiam obſcurat ſæuitia, & commendat mirè clementia. c.1.n.165.toto §. p.58

6. *Niſi videro fixuram clauorum.* Certè quæ Chriſtus paſſus eſt vulnera, hominum erant peccati ſtipendia: ergo egregius miles, vt irrueret contra hominum appetitus in arma, vulnerum aſpexit veſtigia. Certè vitiorum ante oculos habere ſupplicia accendit contra vitium in arma. c.1. n.191.toto §.p.67

7. *Dominus meus & Deus meus* Tangens vulnera promulgat elogia; ni adeò virtute eximius foret, de gloria viſis vulneribus dubitaret: plus namque apud homines valet vmbratilis defectus ad notam, quam experta virtus ad famam. c.1.n.196.toto § p.69

8. *Mitte in latus meum.* Qui latus dicauit vulneri, indulſit clementiſſimè dubitanti. Qui ſibi indulgeret, in dubium ſæuiret. Certè qui blandus ſibi indulget, frequenter in alios ſæuit. c.1.n.204 toto §.p.72

9. *Noli eſſe incredulus; ſed fidelis.* Diuina prouidentia factum eſt, ne Thomas pateretur ſuperbiæ naufragium, vt pateretur ad ſpeciem incredulitatis defectum: eſt namque aliquando Dei fauor, ne attulerit præſumptionis naufragium, excellentiæ reprimere exceſſum. c.1. n.298.toto §.p.104

10. *Et mittam manum meam in latus eius.* Nec interanea potuerunt latere: quia curioſitas laborauit examinare. Certè pauca poſſunt latere ignorata quia curioſitas ſemper intenta. c.1.n.365.toto §.p.127

11. *Affer manum tuam.* Proprio labore, & veluti vulneris reſulcatione Thomæ procurat commodum, vt ſe oſtentarit diuinum: à Deo namque electus proprio labore ſubiectorum procurat commoda; imò aliquando ſuo illorum arcet pericula. c.3.n.218.toto §.p.192

12. *Affer manum tuam.* Non denegat aditum; ſed pectus exhibet diſcipulo apertum, vt quem Eccleſiæ conſtituebat principem, ſuo edoceret exemplo: ſalutaris namque adminiſter reipublicæ nunquam denegat aditum; ſed omnibus apertum exhibet oſtium. c.4.n.77. toto §.p.339

13. *Affer manum tuam.* Vt Thomas innumeros Indos ad lumen veritatis adduceret, proximior aliis Chriſto appropiauit: & quidem Deo ſtrictius coniunctus alios deſiderauit ad veritatem adducere, diuino zelo inflammatus c.4. n.81.toto §.p.341

14. *Niſi videro.* Ad cognoſcendam Chriſti gloriam, venerandamque dignitatem, ſibi vulnera præſentari depoſcit: nec enim adeò reſplendet dignitas de ſumptuoſa pompa, vt de leuata calamitoſi miſeria. c.4. n.104. toto §. p.349

15. *Et Thomas cum eis.* Apoſtolorum conſortium magnum Thomæ fuit ad Dominum videndum auxilium: nam Sanctorum ſocietas calamitatis eſt delinimentum, & felicitatis præſagium. c.4.n.215.toto §.p.388

16. *Affer manum tuam.* Non vult, vt vel tantiſper differat: quia ſecum habere Thomam Chriſtus anhelat, & vehemens deſiderium moras non ſuſtinet; ſed in opus prodire geſtit. c.4.n.299. toto §.p.418

17. *Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum.* Agnouit Thomas vti prudentiſſimus Chriſti vulnera in ſalutis tranſiiſſe venam, & ita diſcupit videre plagam, vt cumulatam deprædicauerit gloriam. Profectò qui prodigit honeſtè ſalutem, ſibi producit vitam, & ſæculis decantandam victoriam. c.5. n.20.toto §. p.438

18. *Affer manum tuam.* Chriſtus Dominus vt hominum amator Thomam quæſiuit, & ad prædicandum delegit: nam qui vtilitatem amat Reipublicæ, nunquam permittet otioſos, quos egregiis dotibus agnouerit exornatos. c.6.n.123.toto §.p.541

Digitized by Google

Feſtum S. Ioannis Euangeliſtæ vide in fine huius Indicis. In Conuerſione Sancti Pauli Apoſtoli.
Matth. 19.

1. *ECce nos reliquimus omnia.* Paulus incipit Chriſti Domini Eccleſiam perſequi, & tunc ab inceptis auertit, & iam de æmulo in diſcipulum tranſit:vt noueris in vitia pugnandum, dum recentes exorta: ægiè namque depelluntur inueterata. c.1. n.14. toto §.p.8

2. *Et ſecuti ſumus te.* Elegit Chriſtus Paulum, vt pro ſe homines edoceret, quod ad magnam Pauli laudem ſpectat: eſt enim diuinæ electionis in optimi prædeceſſoris locum ſufficere, qui dignis poſſit munus actionibus exercere. cap.1.num.28.toto § p.13

3. *Ecce nos reliquimus omnia.* Reliquit Paulus à Deo vocatus; imò Chriſtus cælum reliquit, vt ad Apoſtolicum munus illum vti eximium vocaret, & ſe Deum de Pauli electione vel apud cæcos adſtrueret:bona namque electio res Dei eſt.c.1.n.51.toto.§.p.21

4. *Et ſecuti ſumus te. Quid ergo,* &c. Profectò Chriſtus explicare poteſt Pauli gloriam:nam mortalium fugit prorſus eloquentiam:expugnauit doctrinis vitia.Certè reſpublica Chriſtiana non minus debet Pauli doctrinæ,quàm illam defendentium Imperatorum enſi: fulget namque æquali gloria, qui ſanis doctrinis expugnat vitia,& qui hoſtilia armis euertit caſtra.c.1.n.77.toto §.p.29

5. *Quid ergo erit nobis?* Præmio alliciuntur, & Paulus cæleſti circumfuſus luce virtuti inſeruit: nobilis namque & ingenuus melius ad virtutem allicitur oſtenſo præmio, quàm intentato ſupplicio. c.1. num.148.toto §.p.53

6. *Et ſecuti ſumus te.* Quem Paulus perſequebatur crucifixum,ſecutus eſt Dominum:quia inter ſplendores cæleſtes agnouit viuum: & quidem mirum fuit,non refragari, quam videbat,luci ob patibulum:cùm apud homines plus valeat,cuiuis defectus ad notam, quàm plurima virtus ad famam. c.1. n.196.toto §. p.69

7. *Et ſecuti ſumus te.* Mira res: Paulus ſequitur Chriſtum, & Ananiæ instar magiſterium, cùm eſſet doctrinis excultus, ob eloquentiamque celebratus:& quidem miraculi ad inſtar eſt, ſi doctus non dedignetur addiſcere,& aures aliis præbere.c.1.n.268.toto §.p.94

8. *Et ſecuti ſumus te.* Deiectus eſt ſecutus: & quidem Dei fauor fuit, ne Paulus magnitudine miraculorum virtutiſque aliqua tingeretur elatione obſcuratus, vt præter opinionem erraret cæcus:eſt namque Dei fauor, ne attulerit præſumptionis naufragium, magnitudinis reprimere exceſſum. c.1.n.298.toto §.p.104

9. *Et ſecuti ſumus te.* Certè ſecutus eſt Paulus potentem ſuis vel proprio incommodo opitulantem:nam ſi Chriſtus ſolùm eſſet homo potens, ſuis non conſuleret; ſed ſors noceret: à republicæ namque potentioribus manat imbecillo calamitas,& premit aduerſitas. c.1. n.381. toto §.p.134

10. *Et ſecuti ſumus te.* Blandè traxit Paulum, vt ſequeretur,eo tempore quo Paulus deſæuiebat,vt Chriſto aduerſaretur:lenius non ſemel curandum eſt, dum acrius ſæuit virium, ne auxilietur irritationi remedium.c.2.n.12. toto §.p.142

11. *Et ſecuti ſumus te.* Neceſſum eſt,vt ſequatur Chriſtum, qui alios ad veritatem cupit adducere: & ob id Paulus in cælum raptus, quia magiſter gentibus cunctis futurus: ea namque puritate nitere debet, qui aliis ſalutarem tradit doctrinam,vt naturam oculis repræſentet Angelicam.c.2.n.20.toto §.p.145

12. *Et ſecuti ſumus te.* Imò non tam ſecutus, quam tractus eſt Paulus:ſacra namque ambitione illum quæſiuit Deus vti eximium Eccleſiæ ſuæ beneficium:eſt namque magnum Dei beneficium concionator vitia carpens, grande flagellum aures ſuauitate demulcens. c.2.n.25.toto §.p.147

13. *Quid ergo erit nobis?* Imò iam præmium acceperunt, dum ſecuti:eximium namque beneficium contulit Paulo,cùm ab erroribus liberauit,non adeò grande,cùm periculis vitæ exemit:nam licèt beneficium ſit à vitæ periculis liberari,grandius eſt à culparum labibus expediri.cap.2.num.35.toto §.p.152

14. *Reliquimus omnia.* Occaſiones abſtulit, dum à mundo auulſit, & quidem grandi miſericordia: nam ſi occaſio inuiter, fragilitas humana, non carò corruet. c.2. n.57. toto §. p.161

15. *Et ſecuti ſumus te.* Chriſtum nobilitabat Apoſtolorum ſequentium turba, & Paulum hominum ſequentium veritatem caterua: concionatorē namque nō ſic nobilitat plauſus quàm fructus.c.2.n.76.toto §.p.167.

16. *Et ſecuti ſumus te.* Ita Paulus ſecutus eſt Chriſtum, vt ſolum Dei gloriæ,& proximorum ſtuderet ſaluti: & quidem qui ſic deſeruit,metas naturæ humanæ tranſiluit. cap.2. n.100.toto §.p.174

17. *Et ſecuti ſumus te.* Paulus ſecutus eſt gemens tempus quod perſecutioni impendit; doloroſa fudit illuſtratus ſuſpiria, qui cæcus non ſentiebat diſpendia. c.2.n.103.toto.§ p.176

In Feſto Purificationis.
Lucæ 2.

1. *POſtquam impleti ſunt.* Licèt Maria Virgo purificationis legi non eſſet ſubiecta,maluit implere,vt doceret homines à legum impletione promanare vitam, & fulciri tranquillitatem:lex namque tranquillitatis eſt vita.c.1.n.143.p.51

2. *Poſtquam impleti ſunt:* legi paruit, vt adularetur honeſtè Numini,& ad noſtram eruditionem oſtenderet conſulere proli ſtabilem namque procudit filiis fortunam, qui legis impleri exactè procurat formam. c.4. n.187. toto §.p.378

3. *Poſtquam impleti ſunt.* Cæleſtis Principis mater legi non reſtagatur; ſed legi ſine lege ſubiicitur. Certè Principi ſolus dicendus eſt proprius,qui legibus probatur eſſe tranquillus.c.4.n.15.p.320

4. *Poſtquam impleti ſunt.* Purificationis lex ſordes ſupponebat:ergo filius matrem prouidenter exemit: indecens namque videretur pœnali legi ſubiicere, qui cognatos potuit prouidenter extrahere.c.1.numero 273.toto paragr.p.95

5. *Par turturum, &c.* Maria Sanctiſſima vti paupercula non oſtentauit in oblatione pompam; ſed paupertatis ſeruauit regulam. Certè qui in egeſtate nititur refulgere, non poterit non peccare.cap.1.numero 133.toto §.p.47

6. *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis, &c.* Totam puritatis gloriam periculo ad ſpeciem obiecit,dum legem cuſtodiit:apud homines namque plus valet vel vmbratilis defectus ad notam,quàm plurima virtus ad famam.c.1.n.196 toto §.p.69

7. *Et vt darent hoſtiam pro eo.* Suam gratitudinem publicis muneribus conteſtata eſt Virgo Sanctiſſima: nec enim denigrari poterat ingratitudinis nota; at nos cùm ob exigua videri erga homines geſtiamus grati,ob magna erga Deum negligimus videri ingratitudine obſcuri.c.2. numero 29.toto paragr. p.149

8. *Lumen ad reuelationem gentium, &c.* Caſtitas luminis inuenta eſt ſcaturigo, & æternæ gloriæ fons: vt puritatem colas,quæ ſine dubio eſt vitæ vena, immortalitatiſque probatur eſſe officina. capite 2. numero 112. toto §.p.179

9. *Tulerunt puerum.* Anxiis votis præſtolabatur Virgo Sanctiſſima tempus, vt puerum poſſet deferre, & ab illa immunditiæ ſuſpicione liberari. Quam aliter hominibus accidit!Sic deſipiunt, vt virtutis libertatem repudient, & immunditiæ ſeruitutem anhelent.c.2.n.202.toto §.p.209

10. *Poſtquàm impleti ſunt dies purgationis.* Geſtiebat Sanctiſſima Virgo illam impuritatis ſuſpicionem à ſe depellere, & ambitioſa honeſtate puritatem æternare, quando ea homines tenet amentia, vt vera mala non ſolùm noluerint fugere; ſed ſuſpirent æternare.c.3.n.29.toto §.p.231

11. *Lumen ad reuelationem gentium, &c.* Vt vidit honeſtiſſimam matrem prudentiſſimus ſenex,laudauit puerum:& quidem frequenter ex matribus filiorum præuidetur ingenium,& ex filiis maternum agnoſcitur inſtitutum capite 3.numero 48.toto paragrapho p.237

12. *Lumen ad reuelationem gentium.* Humillima Virgo dignum inuenit plauſum, & quidem non poterat non laudari, quam eximia conſtabat humilitate fulgere:eſt namque humilitas elogij & altitudinis vena,vt ſuperbia dedecoris officina.capite 3. numero 62.toto §.p.242

13. *Par turturum.* Exiguis muneribus; ſed copioſis intrat templum gratos ſibi Numinis oculos allectura virtutibus:humani Principes alio modo ſolent acquiri: citiùs namque eorum gratia promeretur muneribus, quàm virtutibus. cap.3. numero 176. toto §.p.281

14. *Et vt darent hoſtiam pro eo.* Legem impleuit,qui legem impleri iuſſit: opus namque eſt,vt admoueat manum operi,qui ſubiectos cupit parere virtuti cap.3.numero 222. toto §.p.297

15. *Lumen ad reuelationem gentium.* Gentes ſuæ plebi præpoſuit: nam apud bonum Principem valent minus conſanguinitatis iura,plus virtutum merita.c.4.num.15. toto §.p.320

16. *Tulerunt puerum.* Ad recuperandam munditiæ opinionem non detrectauit virgo itineris moleſtiam, nec fugit offerre hoſtiam: mundiales imitata honeſtiſſimè, nam licet torpeat ad virtutem ignauia, ad mundialem gloriam omnis dulceſcit moleſtia.c.4. n.35. toto §.326

17. *Dies purgationis.* Perrexit labori non parcens, vt vel vmbratilis immunditiæ vitaret notam,fœminas docens etiam iniquæ ſuſpicionis obuiare audaciæ,ſtudioſo cultu pudicitiæ.c.4.n.95.p.346

18. *Tulerunt puerum.* Puerum templo præſentant,vt iam bellum crimini indicant, patreſque doceant, ſecuram vitio moliri ſtragem,ſi pueros erudiuerint ad ſalutem. cap.5. n.152.toto §.p.485

In die S.Matthiæ Apoſtoli. Matthæi 11.

1. CONfiteor tibi Pater. Gratias agit Chriſtus quòd abacto proditore eius locum ſortiatur Mathias, & quidem res Dei propriiſſima eſt bona electio.c.1.numero 51. toto §.p.21

2. *Reuelaſti ea paruulis.* Non ait: Qui mihi conſanguinitatis titulo iunguntur; ſed, qui virtutibus proximantur; & quidem in Mathiæ electione optimam Politicem Dominus edocuit,poſtponens conſanguineum, & præferens Mathiam virtutibus clarum: optima namque Politice dignos deligit, minùs laudabilis conſanguineos ſolùm præponit.c.3.n.138.toto §.p.268

3. *Reuelaſti ea paruulis.* Humilitate quidem paruulus fuit Mathias, magnus virtute, vtpote qui ſuam electionem probauit diuinam:à Deo namque eligitur, qui proprio labore ſubiectorum procurat commoda; imò aliquando ſuo illorum arcet pericula. cap.3. n.218.toto §.p.296

4. *Et reuelaſti ea paruulis.* Paruulos eleuat, ornatos meritis, à ſapientibus, & prudentibus abſcondit: & quidem electio de meritis eſſe debet.c.4.n.85.toto §.p.343

5. *Et reuelaſti ea paruulis.* Dum Mathias paruulus à Deo eligitur, omnibus proficuus probatur:nam qui à Deo ad apicem dignitatis eligitur, omnibus probatur beneficus; qui ambitionis aſcendit artibus, inuenitur nociuus.c.2.n.196.toto §.p.207

6. *Et reuelaſti ea paruulis.* Reuelauit oraculum Apoſtolis Mathiam deligendum, & dum vti paruuli,

Digitized by Google

paruuli, ambitionis & cupiditatis Apoſtoli ignorant legem, in eligendo vitant terro-rem. Profectò qui ad eligendum diuino oraculo deſiderant inſtrui, nulla ambitione aut cupiditate cauerint deturpari. c. 1. n. 43. toto §. p. 18

7. *Et ſtatuerunt duos.* Apoſtoli Euangelici paruuli duos ſtatuunt, verùm, etſi abſens eſſet Mathias: ad dignitatem aſſumeretur: nec enim debet officere abſentia, vbi agnoſcitur virtutis præſtantia. cap. 4. numero 148. toto paragr. p. 364

8. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Vt ad veram aſcenderint altitudinem, imitari docet humilitatem: vera namque humilitas honeſtæ altitudinis vena, improba ſuperbia abiectionis eſt officina. c. 3. num. 62. toto p. 242

9. *Quia mitis ſum, & humilis corde.* Vt de vitiis triumphent glorioſi, Apoſtolos deſiderat humiles: & quidem alta poſſidentes non rarò ſunt crimini tributarij; at humiles de vitiis triumphant glorioſi. cap. 3. numero 231. toto §. p. 301

10. *Diſcite à me, &c.* Qui Chriſtum imitantur virtute, apud ſeipſos vileſcunt humilitate: & quidem virtute ornatior, ſemper inuenitur humilior: deſtitutus dotibus intumeſcit ſuperbior. c. 6. n. 172. toto §. p. 557

11. *Et reuelaſti ea paruulis.* Non exambierunt faſtigia; ſed vel recuſantibus ſunt donata: nec mirum: erant enim digni, & vri digni, non exambiebant demiſſi; ſi indigni, tumerent fortè ambitioſi. c. 4 n. 157. toto §. p. 368

12. *Iugum enim meum ſuaue eſt.* Virtus, etſi ad ſpeciem aſpera, reipſa inuenitur commoda: & quidem virtus ſolidæ comes eſt voluptatis. c. 3. n. 85. p. 250

13. *Reuelaſti ea paruulis.* Reuelauit Apoſtolis, vt Mathiam ſtatuerent vel reluctantem: & quidem ante preces dignitatibus debet ornari, quem conſtat virtutibus refulgere. c. 1. n. 56. toto §. p. 23

14. *Abſcondiſti hac, &c,* Mundi ſapientes, dum induſtria ac labore fidunt, ſapientiam ſolidam non inueniunt: vera namque ſapientia non tam eſt prolixæ ſpeculationis fructus, quàm humilitatis, mortificationiſque partus. c. 1. n. 234. toto §. p. 82

15. *Et reuelaſti ea paruulis.* Reuelationem ambierunt non tumore; ſed virtute: & quidem honeſta ambitio eſt virtutibus ſibi nomen facere, & cæleſtem dignitatem acquirere. c. 1. n. 377. p. 132

16. *Tollite iugum meum ſuper vos.* Chriſti iugum ſuauiſſimum eſt: definit namque in gloriam; mundialis voluptas ſatis eſt pœnalis, quandoquidem, vt Iudæ accidit, tendit ſemper ad ignominiam. Profectò ſi vitiorum attenderemus extrema, nullatenus ſequeremur vitia. capite 1. numero 181. toto paragr. p. 134

17. *Reuelaſti ea paruulis.* Reuelauit Apoſtolis: vt Matthiam ſtatuerent, & iuſtum alium, nam vti iuſti, ab ambitione inueniebantur remoti: illos profectò non ſolet tangere ambitionis prurirus, quibus maior meritorum ornatus. c. 1. n. 89. toto §. p. 33

In Feſto S. Ioſephi Deiparæ ſponſi. Matthæi 1.

1. *CVm eſſet deſponſata, &c.* Eximia Ioſephi virtus probatur, dum oculis non crediciſſe refertur, quando plus apud homines valet leuis defectus ad notam: quàm plurima virtus ad famam. cap. 1. numero 196. toto §. p. 69

2. *Ioſeph, fili Dauid.* Dum Angelus paterno honorat titulo: ſimillimum adſtruit merito: nam glorioſos maiorum titulos ſolùm conſeruant virtute ſimiles, amittunt degeneres. c. 1. n. 47. toto. §. p. 20

3. *Voluit occultè dimittere eam.* Ad patientiam prudenter confugit, vt quam ſuſpicabatur: calamitatem leniret: ſæpè aduerſitas patientia lenitur, impatientia incrementatur. c. 1. n. 160. toto §. p. 57

4. *Voluit occultè dimittere eam.* Dum non deſæuit durior, probatur ſibi non pepercisse indulgentior: ferè ſemper qui ſibi indulget, in alios ſæuit. cap. 1. numero 204. toto paragr. p. 72

5. *Voluit occultè dimittere eam.* De iniuria dubius noluit legi ſubiicere; ſed abſentia mederi calamitati. Certè indecens videtur ignominioſæ legi ſubiicere, ſi quis quæ ad illum pertinent, poſſit prudenter extrahere. cap. 1. n. 273. toto §. p. 95

6. *Hac autem eo cogitante.* Dum fugam parat, ab Angelo inſtruitur. Et certè dubitare permiſſus eſt, ne nimius virtutis exceſſus aliquos afferret præſumptionis adſultus. c. 1. n. 298. toto §. p. 104

7. *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt.* Caſtus triumphauit de periculo, cæleſti inſtructus oraculo: nam caſtitas cultores ſuos æternis coronat lauris; imò aliquando temporalibus cumulat etiam diuitiis. cap. 1. n. 337. toto §. p. 117

8. *Inuenta eſt in vtero habens.* Etſi myſterium Sancto Spiritu fuerit operatum, Ioſephum non latuit prorſus ignotum: vt noueris ferè nulla poſſe prorſus latere ignorata, quia curioſitas ſemper intenta. cap. 1. numero 365. toto §. p. 127

9. *Ecce Angelus Domini.* Grande beneficium Virgini contulit Ioſephus, dum periculo non tradidit, ſed grandius Ioſepho Chriſtus, dum à culparum labibus expediuit: c. 2. n. 35. toto §. p. 152

10. *Hac autem eo cogitante.* Eximia Ioſephi virtus probatur, dum vrgenti adeò occaſione ſubſtitiſſe refertur: grandis namque Numinis fauor eſt lapſus occaſionem præcidere: nam ſi occaſio inuitet, humana fragilitas corruet. cap. 2. numero 57. toto paragrapho p. 161

11. *Hac autem eo cogitante.* Orabat ſine dubio dubius, vt Deus implexis adeò negotiis lucem afferret, & calamitatem deterſerunt ſuſpiria: prodeſt namque ad calamitatem depellendam plus orationis, & lachrymarum ſuffragium, quàm ſtrictiſſimum naturæ vinculum. c. 2. n. 86. toto §. p. 170

12. *Hæc autem eo cogitante.* Æſtuabat Ioſephus ſecum diſputans, vtque iuſtus, non tam propriam dolebat offenſam, quàm Numinis ſentiebat iniuriam. Nam diuino zelo inflammatus patienter in ſe tolerare ſolet offenſam; ſed in Deum vindicare geſtit iniuriam. c.3.n.154.toto §.p.272

13. *Hæc autem eo cogitante.* Somnio vtitur Deus ad virtutem; quia aliquando dæmon ſomniis vtitur ad prauitatem. c.3.num.189. p.286

14. *Voluit occultè dimittere eam.* Dimittere voluit, vt puniret: dulciſſimi namque Sponſi abſentia pœna erat duriſſima; occultè tamen dimittere voluit, ne delictum proderet. Profectò vitia omni ſecreto ſunt corrigenda, & correctio cunctis celanda. c.3. numero 199. toto §.p.289

15. *Hæc autem eo cogitante.* Deuenit Ioſephus in rei adeò implexæ difficultates, vt ipſa difficultas virtutem proderet, & Deo ſtrictiſſimè coniunctum oſtenderet. Certè quem Deus magnis præparat triumphis, & laborioſis exercet prœliis. c.4. numero 191. toto §.p.380

16. *Hæc autem eo cogitante.* Citiſſimè accurrit Angelus, ne ſi tardet, diſpoſitioni cæleſti obuiet: & quidem non ſemel per tarditatis vitium incurrit obſtaculum, quod ſapienter fuerat diſpoſitum. cap.4. numero 182.toto §.p.376

17. *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Nutritij officium Ioſephi promulgat meritum: debet namque in illo creſcere meritum, qui ad illuſtrius promouetur officium. c.4.n.197.toto §.p.382

18. *Hæc autem eo cogitante.* In difficili, arduoque negotio non deſipit perturbatus, quia virtutibus erat aſſuetus. Profectò culpis aſſuefactus, in periculis benè ſibi non conſulit cæcus. c.4.n.245.toto §.p.399

In feſto Annuntiationis B.M. Virginis.
Lucæ 1.

Adi Feſtum Expectationis.

1. *AD Virginem.* Virginitas Deum traxit & Virginem miris prærogatiuis donauit. Certè caſtitas cultores ſuos æternis coronat lauris, & temporalibus cumulat non ſemel diuitiis. c.1.n.337.toto §.p.117

2. *Quomodò fiet iſtud, &c.* Adeò eximiam vtilitatem voti obligationi poſtpoſuit, quò amore probetur digniſſima, & à Domino dignè electa: nam qui propriam vtilitatem obligationi præfert, amore inuenitur indignus, fidelis æſtimationem meretur, vel dum contrarius. c.1.n.361.toto §.p.126

3. *Et ingreſſus Angelus ad eam. Turbata, &c.* Quàm ſecura degebat, quæ fortitudini, & ſolicitudinem & ſecretum adiunxit, quando vel fragilitas degit ſecurior, ſi cauta ſolicitudine armata, quàm fortitudo, ſi deſtituta. c.1. n.373.toto §.p 130

4. *Ecce ancilla Domini. Fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Se offert Dei gloriæ, & proximorum ſaluti, vt humanæ naturæ metas tranſgreſſa reſplendeat: nam qui purè ſynceréque Dei gloriæ, & proximorum vtilitati deſeruit, metas quodammodò naturæ humanæ tranſiluit. c.1.n.100.toto §.p.174

5. *In æternum.* Non potuit non æterna gloria famaque fulgere, quam conſtabat puritate Angelos ſuperare: eſt namque caſtitas longiſſimæ vitæ vena, gloriæque officina. cap.2. n.112.toto §.p.179

6. *Quomodò fiet iſtud?* Quàm eximia puritate lucebat, quæ veluti ad impotentiam amittendæ redacta, & illam violandi neſcia! Certè tunc perfectio lucet eximia, cùm perducitur ad impotentiam ſceleris, vt cumulata malitia, cùm deuenit ad impotentiam honeſtæ actionis. c.2.n.176.toto §.p.200

7. *Quomodò fiet iſtud?* Quæ omnibus eligebatur ad vitam, omni ſe prodit interrogatione ambitionis ignaram. Certè qui ambitionis aſcendit ad dignitatem artibus, inuenitur nociuus, prodeſt omnibus, qui à Deo electus. c.2.n.196.toto § p.207

8. *Et regnabit in domo Iacob.* Vel regni vtilitate oblata adhuc Maria puritatis inuenitur ſtudioſa, vt longiſſimè probetur ab hominum conſuetudine aliena. Certè hominibus pluris eſt vitium, ſi vtilitati coniunctum, quàm diuinum ſine humana vtilitate præceptum. c.2.n.215.toto §.p.214

9. *Ecce ancilla Domini.* Quæ virginitate placuit, humilitate concepit: eſt namque vera humilitas cæleſtis altitudinis vena, vt ſuperbia abiectionis officina. cap.3. num.62.toto §.p.242

10. *Ad virginem.* Quæ à carnis prorſus decreuit abſtinere deliciis, Sancti Spiritus nobilitata claret ſingulariſſimis priuilegiis: & quidem qui exambit reſplendere Spiritus Sancti prærogatiuis, à carnis debet abſtinere prorſus illecebris. c.4.n.89.toto §.p.344

In Feſto Inuentionis Sanctæ Crucis.
Ioannis 3.

1. *HIc venit ad Ieſum nocte.* Nocte venit, ne deprehenderetur in die: nam in curia crimina ſecurè degunt, & virtutes euitantur. c.4.n.30.toto §.p.325

2. *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem.* Ad crucis remittit vmbram, vt iam potiatur Nicodemus victoriam. Certè qui ſub crucis degit vmbra, non poterit carere victoria. c.4.num.99.toto §.p.348

3. *Ita exaltari oportet filium hominis.* Oportuit quidem, vt homo viueret, & dæmon periret. Certè aliis armis fugatur; ſed Chriſti cruce prorſus confoditur. c.4. n.258. toto paragr. p.404

4. *Vt omnis, qui credit in ipſum, non pereat.* Crux vitam refudit, anxietatem depulit: eſt namque Angelorum requies, & quaſi feriario ab anxia ſolicitudine. cap.6. numero 119. toto paragr. 540

5. *Sed habeat vitam æternam.* Iam homo Angelorum amicus inuenitur & ſocius: eſt namque crux Angelorum cum hominibus amici-
tia

Digitized by Google

tiæ interpretes.capite 6. numero 120. ibid.

6. *Vt non pereat; ſed habeat vitam.* Aliæ arbores vnico fructu nobilitantur;at crux multiplices affert fructus.cap.6. numero 128.toto §.p.543

7. *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem.* Dæmon ſerpentis aſſumpſit faciem contra virtutem, & Chriſtus eadem ſpecie depulit prauitatem. Suis artibus peccatores non ſemel pereunt, & quod maligne in alios architectantur, in ſe præter opinionem moliuntur.c.1. n.175.toto §.p.63

8. *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto.* Virtutem ambienti ſceleris oſtendit ſupplicium, ſcilicet mortem, Chriſtique crucem: & quidem vitiorum ante oculos habere ſupplicia accendit contra appetitus in arma c.1. n.191.toto §.p.67

9. *Scimus quia à Deo veniſti magiſter.* Elegit magiſtrum, quem virtutibus agnouit clarum:ille namque præ aliis veritatis ac virtutis magiſter eſt deligendus,qui triumphis & virtutibus emicat laureatus,c.1.numero 184. toto §.p.99

10. *Vt omnis,qui credit in ipſum.* Quem cruce Pater afflixit,multitudine credentium nobilitauit: nam etſi iuſtorum cruce erudiuerit vitam, de cruce illis immortalem producit gloriam.c.1.n.328.toto §.p.114

11. *Ita exaltari oportet filium hominis.* Exaltatus conſuluit miſeris,& inauguratus ex cruce hominum prouidit commodis, quando à Reipublicæ potentioribus manat imbecillo calamitas, & miſerorum incommodo proprio ſolitant conſulere augmento. cap.1. n.381.toto §.p.134

12. *Nemo enim poteſt hæc ſigna facere.* Mirum fuit,vt ſe erga Deum oſtenderet gratum, etſi crucis agnouerit beneficium: nam cùm ob exigua erga homines ſimus grati, ob magna erga Deum delinquimus ingratitudine obſcuri.c.2.n.29.toto paragr.149

13. *Vt omnis, qui credit in ipſum, non pereat.* Moyſes ſerpentem exaltauit, vt corporalem vitam inderet,Chriſtus ſerpens factus eſt, vt animæ mortem depelleret,& beneficium cumulatiſſimè ornaret:nam licèt ingens beneficium ſit à laboribus, vitæque periculis liberari, grandius eſt à culparum labibus expediri.c.2.n.35.toto §.p.152

14. *Sed habeat vitam æternam.* Plurima nobis beneficia defluxerunt à cruce; at Chriſtus perſtrictim retulit: eſt enim parcus in recenſendis,largiſſimus in præſtandis. cap.2.n.48. toto §.p.157

15. *Vt omnis, qui credit in ipſum, non pereat.* Declarat crucis vtilitatem; vt alliciat ad virtutem:nam homines,niſi temporale commodum acquirant, nullatenus ad virtutem anhelant. Imò pluris eſt apud homines vitium vtilitati coniunctum, quàm diuinum ſine humana vtilitate præceptum.c.2.n.215. toto §.p.214

16. *Vt omnis, qui credit in ipſum, non pereat.* Quod contra virtutem dæmon excogitauit in ligno, inuentum eſt prauitatis venenum: homines ligno ſibi ipſis architectati ſunt detrimentum,ſed prouidentia vertit in grande commodum.c.3.n.33. toto §.p.233

17. *Exaltari oportet filium hominis.* Exaltatum ſe in cruce adſerit, & lignum humiliationis officina inuentum eſt gloriæ vena. Profectò humilitas eſt honeſtæ altitudinis mater, ſuperbia abiectionis eſt nutrix.c.3.numero 62. toto §.p.242

18. *Exaltari oportet.* In cruce exaltatus eſt Chriſtus: virtute namque ſibi emit victoriam, vt peccatores vitiis ſibi ſolitant fabricare catenas.c.3.n.85.toto §.p.250

In Feſto S. Ioannis Baptiſtæ. Lucæ 1.

1. NEquaquam; *ſed vocabitur Ioannes.* Cognati Ioannis nomen reſpuebant,etſi oraculo traditum,quia non antiquum;at mater inſtitit, & nouitatem vetuſtati prætulit: eſt namque laudabilis nouitas, quæ virtutem promouet,& vetuſtatem depellit.cap.5. n.75.toto §.p.458

2. *Ioannes eſt nomen eius.* Reſpuebant cognati nomen gratiam denuntians, & exambiebant æternate nomen familiæ: ea namque premit mortales ſæpè cæcitas & ambitio, vt non curent virtutem; ſed familiæ aut nominis ſplendorem.c.1.n.377.toto paragrapho. p.132

3. *Ioannes eſt nomen eius.* Ipſe Ioannes nomen ſibi virtutibus excudit, & maiores ſuos vincere procurauit, ambitioſus quidem honeſtè: eſt namque honeſta ambitio nomen virtutibus ſibi facere.c.1,n.377. ibid.

4. *Ioannes eſt nomen eius.* Ad Ioannis laudem ſatis eſt eius nomen: nam cui eſt honor in nomine,fruitur perpetua laude. c.6.n.250. p.584

5. *Ioannes eſt nomen eius.* Mater prudentiſſima nomen indidit à filij virtute excuſum; non admiſit à parentibus deriuatum: illuſtriora namque ſunt nomina, quæ virtus excudit, quàm quæ vetuſtiſſimæ originis imperturbata ſeries ad poſteros deriuauit. c.6. n.250. toto §.ibid.

6. *Ioannes eſt nomen eius.* De glorioſa familia natus reſpondit origini, dicatus prorſus virtuti:& quidem moribus debet eſſe ſemper excultus,qui de illuſtri familia natus. cap.6. n.268.toto p.591

7. *Apertum eſt autem illico os eius.* Qui omnibus vox naſcebatur,à parente incepit, vocemque reſtituit:cognatis namque præ reliquis eſt exhibendum officium, in his præcipuè, quæ pertinent ad virtutis augmentum. c.1.n.278.toto §.p 97

8. *Quis putas puer iſte erit?* Profectò erit Angelus vitia ſemper feriens,nec alio munus detorquens.c 2.n.7.toto §.p.140

9. *Quis putas puer iſte erit.* Ioannes, quia totus natus eſt ad virtutem, & ad docendam corporis afflictionem, omnibus miraculi ad inſtar eſt, & quidem pœnitentia homines excudit ad ſpeciem ipſis Angelis ſuperiores. c.2.n.16.toto §.p.143

10. *Quis putas puer iſte erit?* Angelus ſanè: natus namque eſt ad ſalutarem ſpirandam doctrinam: & quidem ea puritate niteret debet

bet, qui aliis cupit vtilem inſpirare doctrinam, vt naturam oculis repræſentet Angelicam. c.2.n.20.toto §.p.145

11. *Quis putas puer iſte erit?* Plus homine ſuſpicabantur: nec ratio deerat, quandoquidem Ioannes ſyncerè militauit Dei gloriæ, & proximorum ſaluti. Et profectò qui adeò gloriosè munus exercuit, metas quodammodò naturæ humanæ tranſiluit. c.2. num.100. toto §.p.174

12. *Quis putas puer iſte erit?* Profectò immortalis famæ, & nunquam periturae gloriæ: caſtitas namque eſt vitæ vena, gloriæque officina. c.2.n.112.toto §.p.179

13. *Manus Domini erat cum illo.* Quàm eximia erat Ioannis perfectio, dum diuina manu poſſeſſus, & vitio prorſus negatus: eximia ſanè perfectio eſt perduci ad impotentiam ſceleris, vt cumulata malitiam ad impotentiam honeſtæ actionis. c.2. num.175. toto §.p.200

13. *Super omnia montana, &c.* Omnibus hilarem Ioannes timorem infundebat natus, & ad virtutem alliciebat ab exordio prodigioſus: nam à Deo electus omnibus probatur proficuus. cap.2. num.196. toto paragrapho p.207

15. *Ioannes eſt nomen eius.* Dei Spiritu plenus iam à principio magna aggreditur, & miracula operatur. Certè qui Dei ſpiritu agitur, magna & inacceſſa aliis ſemper aggreditur. c.3.n.255.toto §.p.309

16. *Nemo eſt in cognatione tua.* Humanam colebant prudentiam, & obſcurabant nominis gratiam. Certè rationis & virtutis deſerit normam, qui humanam nimiùm colit prudentiam. c.4.n.49.toto §.p.331

17. *Etenim manus Domini erat cum illo.* Ioannes totus Angelicus eximiis priuilegiis fulget ornatus vt qui exambit ſancti Spiritus reſplendere prærogatiuis, à carnis diſcat abſtinere prorſus illecebris. cap.4. numero 89. toto §.p.344

18. *Quis puer iſte erit?* Sanè Angelus, quia præcurſor, & quia nouo donatus munere, & nomine glorioſo virtutis indice: creſcere namque debet in illo meritum, qui ad illuſtrius promouetur officium. c.4. num.197. toto §.p.382

19. *Nam & manus Domini erat cum illo.* Venerantur puerum, vti à Domino poſſeſſum, nec nobilitate, & diuitiis recordantur eſſe copioſum, quod non de ſæculi venit vſu: nam apud ſæculum pluris æſtimantur diuitiis copioſi, quàm dotibus virtutum præclari. c.4. num.262.toto paragr.p.405

In Feſto Apoſtolorum Petri & Pauli. Matthæi 16.

1. **V***Os autem quem me eſſe dicitis?* Omnes ſciſcitatur Chriſtus; & tamen Petrus geſtit reſpondere. & totus ad amorem natus Dominum ſitit deprædicare. Profectò vehemens deſiderium moras non ſuſtinet; ſed in opus prodire geſtit. cap.4. numero 299.toto §.p.418

2. *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Petrus, vtpote laude dignus, Chriſti Domini laudis vti vulgus, non fuit ignarus. Et certè rarò eſt alienæ laudis auarus, qui laude inuenitur dignus. c.5.n.115.toto paragr.p.471

3. *In partes Cæſareæ Philippi.* A mundiali tumultu diſtans diuina luce illuſtratur, & diuino ſpiritu inſtruitur: nam à mundiali tumultu vel inuitus receſſus eſſe ſolet ſupernæ lucis illicium, & felicitatis exordium. c.6. n.91.toto paragr.p.531

4. *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Quam dignè dignitatis inſcendit faſtigium, qui mundialibus opinionibus non acceſſit, & veritatem oculis imperturbatis agnouit. Certè dignitatis culmina dignè aſcendit, qui ſolicita perſpicacia ſub virtutis colore obrepentia vitia dignoſcit, ſtudioſeque diuidit. capite 6. n.115.toto paragr.p.538

5. *Super hanc petram.* Populi amans Chriſtus Dominus Petrum ad dignitatem euexit: non permiſit otioſum, quem vidit egregiis dotibus exornatum. c.6. num. 123.toto paragr. p.541

6. *Tu es Petrus filius Bariona.* Oſtendit Chriſtus Dominus penitus Petrum inſpexiſſe, & ſtudioſè exploraſſe, quò nos doceat oportere ſemel & iterum explorari, qui debet dignitatibus anteferri. cap.6.num.149.toto.§.p.550

7. *Portæ inferi non præualebunt.* Quàm inconcuſſa petra Eccleſiam ſuper ſe conſtructam ſuſtentat, dum Spiritus Sancti filius denunciatur, & proficuus omnibus exhibetur. Certè quo quis virtutibus inuenitur excultior, reipublicæ probatur commodior. c.6. n.162. toto.§.p.554

8. *Tu es Petrus.* Nomen nouum indit, quod virtus Petri procudebat, & ad gloriam digniſſimè conciliauerat: illuſtriora namque ſunt nomina, quæ virtus excudit, quàm quæ vetuſtiſſimæ originis imperturbata ſeries ad poſteros deriuauit. cap.6.n.250.toto paragr. p.584

9. *Filius Bariona.* Quem ad dignitatem eligit, Sancti Spiritus prodit filium, vt eximiis virtutibus oſtendat ornatum, vt faſtigium aſcendentem edoceat, oportere apud alios florere ſanctitatis notitia, nec immaculata ſolùm gaudere conſcientia. cap.6. numero 257. toto §.p.586

10. *Tu es Petrus.* Profectò meruit dignis elogiis à Domino celebrari, quando non acceſſit opinioni; ſed ad Chriſti gloriam famulatus eſt veritati, quando reliqui indecoræ ſuſpicioni facilè accedimus, nec gloriam atteſtantibus fidem miraculis damus. capite 6. n.275.toto §.p.594

11. *Et portæ inferi non præualebunt.* Inferorum adſultibus non concutitur, qui ad ſalutem omnibus eſt deſtinatus. Certè ad proximorum ſalutem à Domino deſtinatus inter confinia vitiorum inuenitur illæſus. c.4.n.144 toto §.p.363

12. *Tu es Petrus, &c.* Non præualent inferi: quia dignitas collata eſt virtutibus exornato, non generis nobilitate conſpicuo: & quidem floret reſpublica, vbi dignitas non tribuitur ob generis nobilitatem; ſed ob virtutem. c.4.n.85 toto §.p.343

13. *Tu*

Digitized by Google

13. *Tu es Petrus:* & cur non elegit aliquem ex cognatis; ſed Petrum? Quia apud bonum Principem minus valent conſanguinitatis iura, plus virtutum merita. c.4.num.15. toto §.p.320

14. *Tu es Chriſtus.* Dum cæleſti pulſu mouetur, quæ cæteris ignota profert, & inacceſſa cæteris adit: & quidem magna, & aliis inacceſſa ſemper aggreditur, qui Dei ſpiritu agitur. c.3.n.255. toto §.p.309

15. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Onus ſubſtructionis ſuſtinet, & firmiſſima petra alios fulcit ad firmitatem: ſuperior namque à Deo electus proprio labore ſubiectorum procurat commoda; imò aliquando ſuo illorum arcet pericula. cap.3.n.218. toto §.p.296

16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram.* Prodeſt omnibus, vt à Deo ad dignitatem electus; noceret, ſi aſcendiſſet ambitioſus: à Deo electus probatur omnibus commodus; qui ambitionis aſcendit artibus, inuenitur nociuus. c.2.n.196. toto §.p.207

17. *Quia caro & ſanguis non reuelauit tibi.* Dum aſcendit dignitatem electus, à ſanguinis, carniſque paſſionibus prædicatur etiam remotus: nam ſuperior ab omni affectionis ſuſpicione debet eſſe remotus, vt omnibus eſſe poſſit proficuus. c.2.n.40. toto §.p.154

18. *Filius Bariona.* Quali patre natus ſit, inſerit, ne odium ſibi diſſimulatione affectauerit. Profectò nonnulli, dum antiquæ ſortis videntur obliti, odium ſibi conflant ſuperbi. c.2.n.32. toto §.p.150

19. *Ædificabo Eccleſiam meam.* Quàm eſt decantadus Petrus, & dignitatis faſtigio ſplendens, & omnium veri firmiſſima petra ſecuritatem ſuffulciens, quando non ſemel à reipublicæ potentioribus manat imbecillo calamitas, & miſerorum ruina adaggerant ſibi commoda. c.1.n.381. toto §.p.134

In Viſitatione B. Mariæ Virginis. Lucæ 1.

1. E*xurgens Maria.* Dei ſpiritu plena magna aggreditur, & inacceſſa adire non grauatur: nam qui Dei ſpiritu agitur, magna, & aliis inacceſſa ſemper aggreditur. cap.3. num.255. toto §.p.309

2. *Et ſalutauit Eliſabeth.* Quæ maior erat dignitate, non grauatur domum adire, & officium minori facere. Profectò illos tangere non ſolet ambitionis gloriæ pruritus, quibus maior meritorum ornatus. c.1.num.89. toto §.p.33

3. *Et ſalutauit Eliſabeth.* Suorum cauſam egit ſtudioſa, vt virtutum curaret augmenta: inueniuntur nonnulli cognatorum vtilitatis obliti, extraneorum ſtudioſi. c.1.n.106. tot.§.p.39

4. *Abiit in montana.* Et quidem, vt Ambroſio placet, læta pro officio: nam licèt domi manere eſſet commodum, munus ſuadebat militare in peccatum: ergo Maria ſuo exemplo docuit reipublicæ adminiſtros ſtudioſiùs curare munus implere, quàm ſibi commodum eluctari. c.1.n.113. toto § p.41

5. *Salutauit Eliſabeth* non ambiuit ſibi impendi officia; imò ambiuit inferiori exhiberi obſequia. Profectò non multùm nobilis maiora anhelat ſibi impendi obſequia; qui nobilior, non ſic exambit officia. cap.1.num.225. toto §.p.79

6. *Salutauit Eliſabeth.* Sibi ſcilicet cognatam: cognatis namque præ reliquis eſt opitulandum, in his præcipuè quæ pertinent ad virtutis augmentum. c.1.n.278. toto §.p.97

7. *Abiit in montana.* Vt cognatæ Ioannique calamitate tunc culpæ laboranti ſubueniat: quàm aliter videas accidere, cognati, amicique recedent, ſi premat calamitas, & adſunt ſolùm dum fulget felicitas. c.1.n.284. toto §.99

8. *Exultauit infans in gaudio in vtero meo.* Ad ſpeciem videbatur vinculis conſtrictus, & loco ſtricto anguſtiatus, exultabat tamen lætiſſimus: iuſti namque internis gaudiis exultant pleni, etſi externo cortice videantur afflicti; iniqui intus premuntur afflicti, etſi exteriùs læti. c.1.n.332. toto §.p.116

9. *Exultauit infans in vtero meo.* Nempè à culpæ macula liberatus: ingens profectò beneficium eſt à vitæ periculis liberari; ſed longè excellens à culpæ maculis expediri. capite 2. n.35. toto §.p.152

10. *Vt audiuit vocem ſalutationis ſuæ.* Quàm reſplenduit Virginis excellentia, dum abegit morbum facillima medicina. Profectò ſuperior dum ſanat morbos animi faciliori medicina, maiori reſplendet excellentia. c.2.n.63. toto §.p.162

11. *Beata quæ credidiſti.* Quàm beata reſplenduit Virgo; dum totam ſe obtulit ad Dei gloriam, & dum pertexit ad proximorum ſalutem! Profectò qui purè ſynceréque Dei gloriæ, & proximorum vtilitati deſeruit, metas quodammodò naturæ humanæ tranſiluit. c.2.n.100. toto §.p.174

12. *Intrauit in domum Zachariæ.* Sponte pertexit non vocata, non precibus importunis allecta: Deus namque ex ſe benefacit, ex nobis punit. c.2.n.172. toto §.p.199

13. *Exultauit infans in vtero.* Qui ſe à peccatorum vidit abſolutum catenis, gaudium manifeſtauit tripudiis. Certè inueniuntur plures criminibus adeò addicti, vt libertatem repudient, & ſeruitutem anhelent. capite 2. n.202. toto §.p.209

14. *Exultauit infans in vtero meo.* Mater laudat, & filius exultat: ex matribus namque filiorum præuidetur ingenium, & ex filiis maternum agnoſcitur inſtitutum. c.3.n.48. toto §.p.237

15. *Exultauit infans in vtero meo.* Exultat vitiis minatus: quia iam Dei zelo inuenitur plenus: vult prodire, & contra hominum peccata præliari. Qui in carcere ligatus non ſic ſolutionem ambiebat; at vt perfectiſſimus didicit in ſe patienter tolerare offenſam; in Deum tamen vindicare geſtiuit iniuriam. c.3.n.154. toto §.p.272

16. *In montana Iudææ.* Labori non parcit, vt Ioannem à culpa liberet: nam veri à Deo electa hominum regina, proprio labore ſubiectorum procurat commoda. c.3.n.218. toto §.p.296

17. *In montana.* Ecce Ioannes dum alta habitat,

tat,& peccati compedibus illigatur;at Virgo humilia incolens triumphis redimitur: & quidem non tatò alta poſſidentes ſunt crimini tributarij,humiles de vitiis triumphant glorioſi c.3.n.231.toto §.p.301

18. *In montana Iudaæ.* Virgo honeſtè ambitioſiſſima nulli moleſtiæ parcit, vt Ioannem virtuti adſcripſerit: frequenter ad mundialem gloriam omnis dulceſcit moleſtia, ad virtutem ferè ſemper torpet ignauia.cap.4.n.35. toto §.p.326

19. *Abiit in montana.* Profectò ſine pompa, ſine apparatu,ſine ſumptu, vt quæ ſubiectorum curabat commoda:& quidem ſumptuoſior miniſtrorum pompa non dubia eſſe ſolet ſubiectorum miſeria.cap.4. num.44. toto §.p.329

In Feſto S. Mariæ Magdalenæ.
Lucæ 7.

1. *ATtulit alabaſtrum vnguenti.* Sanè quod vanitati dicabatur tributum, vt iam inſeruiret virtuti: mira res: nulla temporum aduerſitas aut calamitas ad formæ nitorem ſumptus prohibuit,aut expenſas inutiles retardauit. Profectò etſi reſpublica extremis calamitatibus affligeretur, vitio cultus expenſis ſumptuoſis præſtatur. c 6.num.232.toto §.p.577

2. *Alabaſtrum vnguenti.* Quam iam Magdalena perfectionis culmen attigerat! vitij arma in virtutis vertit auxilia, ſi aliquando virtutum auxilia in vitiorum conuertit arma. c.6. n.229.toto §.p.575

3. *Hic,ſi eſſet propheta.* Viderat miracula plurima, & quia tangi ſe patitur Christus iam eius virtutem arrodit iniquiſſimè Phariſæus: & quidem hic mos frequens hominibus eſt: facilè ſuſpicioni accedimus ad aliorum notam,cùm non ſic accedamus ad famam. c 6. n 275.toto §.p.594

4. *Vt cognouit.* Non diſtulit; ſed celeriter ad medicum inuolauit: plures equidem adulantur ſibi tractis in futurum ſpebus, quò liberiùs defœdentur criminibus.c.6.n.219. toto paragr.p.573

5. *Et ſtans retro.* Quæ iam virtute ornabatur, oculos extimebat modeſta:Phariſæus non ſic virtutibus cultus tumeſcebat arrogantia. Profectò virtute ornatior ſemper inuenitur humilior, virtute deſtitutus intumeſcere ſolet ſuperbior.c.6.n.176.toto §.p.559

6. *Mulier.* Et cur eius non refert nobilitatem, quando clariſſimis atauis erat prognata. Quia ea ſolùm nobilitas apud Deum lucet ſplendida, quæ virtutibus probatur exculta. c.6.n.138.toto § p.546

7. *Attulit alabaſtrum vnguenti.* Fidens ſibi à Domino indulgendum:& quidem falſa non eſt: nam in Domino fiducia fructus producit & animo dulciſſimos, & etiam ſaluti commodos.c.6.n.110.toto paragr p.537

8. *Capillis capitis ſui tergebat.* Pedes vnguento delinitos capillis tergebat, vt vnguentum idem inſeruiret Domini pedibus, & Mariæ crinibus. Certè quidquid Deo ſeruit,& homini prodeſt.c.6.num.106. toto §.p.535

9. *Hic ſi eſſet propheta.* De leui mulieris attactu obſcuratam exiſtimat perfectionem: & quidem Phariſæi malitia Dei ſeruis eſt pro eruditionis ſchola:ſæpe namque exigua nitorem perfectionis apud prophanos infuſcant,& gratiam auſteritatis dedecorant. c.6. n.101 toto §.p.534

10. *Hic ſi eſſet propheta.* Mulierem alioqui nobiliſſimam deſpicit. quam aliter eximio honore coluiſſet; comitatur namque peccatum honoris & diuitiarum diſpendium, vt virtutem ſalus & honor. c.6.n.39.toto §.p.512

11. Mulier quæ *tangit eum.* Non timuit Maria amore exæſtuans pro virtute laborem, & rigidam Phariſæi ſubire cenſuram; at dignum inuenit plauſum,vbi videbatur ſubire detrimentum vt noueris pro virtute laborem etſi videatur ad ſpeciem afferre periculum, conciliare ſemper plauſum.c.5.n.34.tot.§.p.443

12. Mulier quæ *tangit eum,* Non vidit officioſè vngere;ſed audacter ad ſpeciem tangere: nec mirum,nam Phariſæus. Profectò iuſti in aliorum factis ſolùm intuentur glorioſa, & neſciunt prorſus obſcura.c.5.n.29. toto paragr. p.441

13. *Vt cognouit.* Non ſuſtinuit moras ardentiſſimo deſiderio inflammata: vehemens namque deſiderium moras non ſuſtinet; ſed in opus prodire geſtit.cap.4. num.299. toto §.p.418

14. *Vt cognouit.* Ne ſuæ inuideret felicitati,inuitantem rapuit occaſionem,nec diſtulit: & quidem qui opportunitatem differt,non ſemel ſuæ felicitati detraxit.cap.4.n.140. toto paragr.p.361

15. *Hic ſi eſſet propheta.* Imò quia erat propheta, vt à Magdalena depelleret maculam, propriam apud Phariſæum ſpreuit gloriam. Certè qui à Deo eligitur, propriam ſpernit gloriam, vt à ſuis depulerit maculam. capite 4. numero 129. toto paragrapho p.357

16. *Vt cognouit.* Aditum inuenit facilem: nam Chriſtus Dominus, vt reipublicæ erudiret miniſtros, nunquam denegauit aditum; ſed ſe omnibus exhibuit facilè inueniendum.capite 4.num.77.toto paragrapho p.339

17. *Vt cognouit.* Humana ad ſpeciem Magdalenæ refragabatur prudentia; at ad ſpeciem imprudentia commendauit amoris flammam. Profectò qui humanam nimis colit prudentiam; virtuti inferre ſolet iniuriam. c.4.n.49.toto §.p.331

18. *Lachrymis cœpit rigare.* Dolet, & ſuſpiriis delet, quæ ambitioſè antè adamauerat: nam quæ à Domino derelicta ruinæ ſuæ non ſentiebat diſpendia, meliori luce vtens doloroſa fundit ſuſpiria. c.2.num.103.toto §.p.176

In

In feſto S. Iacobi Apoſtoli.
Matthæi 20.

1. *Acceſſit ad Ieſum mater filiorum Zebedæi. Neſcitis quid petatis.* Veluti iniuriam intulerunt Chriſti prouidentiæ, quandoquidem Iacobus miris virtutibus exornatus nequibat non reſplendere ad dignitatem electus: debet namque ante preces dignitatibus exornari, quem conſtat virtutibus refulgere. cap. 1. num. 56. toto paragrapho, p.23

2. *Ad dexteram tuam.* O quàm egregia virtute luxit Iacobus, dum, vt adhæreret Chriſto, matrem non dubitauit relinquere, & omnem miſſam familiam facere. Certè ea ſolet eſſe aliquorum ambitio, vt domus familiæque contempſerint detrimenta, vt Principum aut magnatum frequentarint palatia. capite 1. numero 68. toto paragrapho, pagina 26.

3. *Vnus ad dexteram.* Neſcierunt quanta virtutum pompa ſplenderent, & quodammodò ambiendo obſcurarunt: illos namque tangere minus ſolet ambitionis pruritus, quibus maior meritorum ornatus. cap. 1. n.89. toto §. p.33

4. *Neſcitis quid petatis: poteſtis bibere?* Quos ad Apoſtolatus gloriam elegerat, docuit factis electionem probare, & non tam commodum, quàm muneris adimpletionem ſitire: optimus namque reipublicæ adminiſter ſtudioſiùs curat munus implere, quàm ſibi plauſum, aut commodum elucrari. capite 1. numero 113. toto paragrapho, pagina 41

5. *Hi duo filij mei, vnus ad dexteram,* &c. Quàm probatur Iacobus in ipſa petitione ad ſpeciem diuinus, quando non refugit gloriæ ſocium; ſed admittit germanum. Certè quærere laboris conſortem inuenitur humanum, aſciſcere gloriæ ſocium habetur ſemper diuinum. cap. 1. num. 118. toto paragr. pag.43

6. *Poteſtis bibere calicem?* Nouit Chriſtus Iacobum ad mortem crucemque inclinari, & ob id præcepit haurire: nam cordatus ſuperior ſtudet ea præcipere, ad quæ ſubiectos faciliùs nouerit inclinari. c.1.n.214. toto §. pag.75

7. *Acceſſit mater filiorum.* Et cur non ipſi. Quia ingenuo viro petere moleſtum, vt dilargiri iucundum. c.1. n.239. toto §. p.84

8. *Acceſſit mater.* Et cur non filij? Quia viget in fœminis ad petendum acutiſſimum ingenium, & mirum ſæpè artificium. c.1.n.245. toto §. p.85

9. *Non eſt meum dare vobis.* Et quare? Quia optima Politice non diſtribuit dignitates pro libito affectus; ſed ſudor acquirit gradus. c.1.n.263. toto paragr. p.92

10. *Calicem quidem meum bibetis.* Obligationem ſuæ Iacobus vtilitati prætulit, nec bibere calicem exhorruit, & ob id Chriſto tenera dilectione coniunctus. Certè qui propriam vtilitatem obligationi anteferr, eſt qui in amicum recipiatur, indignus. c.1. n.361. toto paragr. p.126

11. *In regno tuo.* Veluti humanam indolem exuit Iacobus, quando in cæleſti regno fulgere cupiuit: nam apud homines magis valent caduca, minus æterna. c.2. n.72. toto §. p.166

12. *Bibere calicem.* Mors vti vitæ alimentum proponitur: & quidem iuſtorum mors euaneſcit in vmbram, iniquorum vita in mortis ſolidæ tranſit ſubſtantiam. cap.2. n 146. toto paragr. p.190

13. *Calicem quidem meum bibetis.* Vt omnibus proſit Iacobus, armis ſcilicet & doctrinis. Certè qui ad Apoſtolicam dignitatem eleuatur, ſe totum proximi vtilitatibus impendiſſe tenetur. c.2.n.191. toto §. p.205

14 *Calicem quidem meum bibetis.* Iacobus non ſolùm Chriſto inſeruiuit bibendo; ſed arma in aduerſarios vibrando: & quidem militia ſi rectè geritur, felicitatis eſt vena, & ſalutis officina. c.3.n.7. toto §. p.213

15. *Calicem quidem meum bibetis.* O quàm Iacobus Chriſtiani populi probatur ſalus, dum vitia oppugnat moriendo, & vitiorum aſſeclas depræliando. Certè populi probatur ſalus, qui priùs armatur in vitia, & poſteà in aduerſarios apprehendit arma. c.3.n.95. toto paragr. p.253

16. *Sed quibus paratum eſt à patre meo:* Ideò ſugillantur de inſcitia, quia in Chriſti regno ob conſanguinitatem deſiderabant præponi: cùm cæleſtis politice dignos ſolùm deligat, & mundialis conſanguineos ſolùm præponat. capite 3. num. 138. toto paragr. p.268

17. *Calicem quidem meum bibetis.* Deo charus proprio labore ſubiectorum emit iam commoda, ſi ſibi anteà procurabat ſubſellia. c.3. n.218. toto §. p.296

18. *Quem ego bibiturus ſum.* Vel Chriſti calicem non recuſat diuina charitate inardeſcens: nam qui Dei ſpiritu agitur, magna & inacceſſa alijs ſemper aggreditur. c.3.n.255. toto §. p.309.

In feſto S. P. Noſtri Ignatij.
Lucæ 12.

1. *Sint lumbi veſtri præcincti.* Præcincti inueniuntur, lucerniſque ardentiſſimis inſtructi, quod externa opera deſignat, & nihilominus latent quaſi ab omni occupatione remoti: perfecti namque etſi varijs exteriùs ſint occupationibus implicati, precibus interiùs ac virtuti vacant adſcripti. c. 1. n.18. toto §. p.10

2. *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes.* Cingulum deſignat militiam, lucerna doctrinam: cur ergo coniunxit doctrinam armis? Quia non diſſimili gloria fulget Ignatius, dum ſanis doctrinis expugnat vitia, & dum hoſtilia armis euertit caſtra. cap.1.n.73. toto paragr. p.28

3. *Faciet illos diſcumbere.* Præmium proponit ingenuis: nam ingenuus nobiliſque meliùs ad virtutem allicitur oſtenſo præmio, quàm intentato ſupplicio c.1.n.148. toto §. p.53

4. *Faciet illos diſcumbere.* Si pulſare eſt mortem adſtantem oſtendere, quomodò ad menſam aſſident læti? quia poſt mortem viuunt ſtrenui, mortem ſuam anteceſſerunt ignaui. c. 1. n.170. toto §. p.60

5. *Et lucernæ ardentes.* Dum ſtrictè cingi imperat, lucernam arſuram prænuntiat: vt noueris in Ignatio, eiuſque filiis ſapientiam non tam eſſe prolixæ ſpeculationis fructum, quàm virtutis mortificationiſque partum. cap. 1. n.234. toto §. p.82

6. *Sint lumbi veſtri præcincti.* Conſtringi iubet caſtitatis cingulo; attamen non imperat, ſe tradere emendicationis tormento. Certè vtrumque fecit Ignatius, quò virtutem ſuam cumulatiùs ornaret: illi namque vti ingenuo erat emendicare moleſtum, vt dilargiri iucundum. cap. 1. num.239. toto paragrapho, p.84

7. *Sint lumbi veſtri præcincti:* Mirè præcinctus & diuexatus interno delibutus gaudio iucundabatur Ignatius: iuſti namque internis gaudiis exultant læti, etſi externo cortice videantur afflicti. cap. 1. num. 332. toto §. p.116

8. *Sint lumbi veſtri præcincti.* Pœnitentia illos excolit, & veluti in homines alios excudit: ea namque eſt pœnitentiæ virtus, vt alumnos ſuos reddat ipſis Angelis quodammodò ſuperiores. c. 2. n 16. toto § p 143

9. *Sint lumbi veſtri præcincti.* Summa puritate diſcipulos ſuos nitere admonet, quò aliis poſſint lucernæ luminibus prælucere: ea certè puritate nituit Ignatius ſalubrem diſcupiens omnibus inſpirare doctrinam, vt naturam oculis repræſentaret Angelicam. capite 2. numero 20. toto paragrapho, pagina 145

10. *Expectantibus Dominum ſuum.* Non aliquid aliud; ſed Dominum. Et certè Ignatius dum ſyncerè, puréque Dei gloriæ, & proximorum vtilitati deſeruit, metas quodammodò naturæ humanæ tranſiluit. c. 2. n. 100. toto paragr. p.174

11. *Expectantibus Dominum ſuum.* Nihil Ignatius expectat niſi Dei gloriam, quando apud homines æſtimantur ſolùm caduca, & depretiantur æterna. cap. 2. num. 72. toto paragr. p.166

12 *Beati ſunt ſerui illi.* Nondum aduentarat Dominus, & iam ſerui omnis culpæ viuebant expertes in mundo, ac ſi degerent in cælo. Certè eximia perfectio eſt perduci veluti ad impotentiam culpæ, vt cumulata malitia ad impotentiam honeſtæ vitæ. c. 2. num. 176. toto paragr. 200

13. *Et vos ſimiles hominibus.* Quos in Apoſtolorum locum ſufficiebat, totos veluti ſeruos proximorum vtilitatibus conſecrabat Et certè Ignatius, eiuſque filij, quos ad Apoſtolicæ vitæ vocauit Dominus inſtitutum, totos ſe proximi vtilitatibus & gloriæ Domini impendere debere cognoſcunt. c. 2. n. 191. toto §. p. 205

14. *Lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Lucem omnibus communicare monet, & à nociuis deſideriis arcere. Certè Ignatius ſplendenti voce miſerum illum negotia libidinis gerentem redaxit, & dum fruſtrauit voto, grandi ornauit beneficio: eſt namque grande peccatori ſupplicium, ſi conſequatur improbum votum. cap. 3. num. 43. toto paragr. p.236

15. *Et lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Prudentiæ lucem vult contra culpam armari: & quidem Ignatius ad lucrandas animas laudabili vtebatur aſtutia: eſt enim honeſta aſtutia, quæ obarmatur in culpam, vt impia ſagacitas obarmatur in gratiam. cap. 3. num. 148. toto paragr. p.271

16. *Et lucernæ ardentes.* Ardebat Ignatius zelo diuino inflammatus, & cùm ſibi illatis gauderet iniuriis, in Deum diſtorquebatur offenſis. Profectò qui diuino zelo inflammatur, ſuam patienter nouit tolerare offenſam; ſed in Deum vindicare geſtit iniuriam. cap. 3. num. 154. toto paragr. p.272

17. *Expectantibus Dominum ſuum.* Non ſolùm Ignatius expectat; ſed ad religioſè viſitanda loca à Chriſto Domino conſecrata inuolat: nec id ſine prouidentia factum: nam dum ſacra inuiſuntur loca, ardorem ſæpè inſpirant contra peccata. capite 3. numero 185. toto paragrapho, pagina 284

18. *Expectantibus Dominum ſuum.* Cinctus expectat, qui ſpeciali ſpiritu non mouetur; at vehementi amore inflammatus non ſolùm expectat Dominum; ſed geſtit elucrari Domino mundum. Profectò qui vehementi ſpiritu agitur, magna & aliis inacceſſa ſemper aggreditur. cap. 3. num. 255. toto parag p.309

19. *Sint lumbi veſtri præcincti.* Dum vult diſcipulos præcingi, quo alios trahant, iubet rebus omnibus renuntiare: & quidem qui ſub ſpontanea paupertate degit, facilè virtutem colit, & alios ad colendam virtutem trahit. cap. 4. num. 6. toto paragrapho. pag. 317

20. *Lucernæ ardentes.* Vt alios ſcilicet ad virtutem illuſtrent. Profectò quàm arderet Ignatius, alios ad virtutem alliciendi probauit vehementiſſimum deſiderium, & quidem quò quis Deo coniungitur ſtrictior, alios non ſolùm iuſtos; ſed perfectos deſiderabit ardentior. cap. 4. num. 81. toto paragr. p.341

In Feſto Aſſumptionis B. Mariæ Virginis.

Lucæ 10.

1. Q*Va etiam ſedens ſecus pedes Domini.* Maria nulla occupatione impediebatur, quominus Ieſu contemplando ſemper vacaret, quò perfectionis doceat ſtudioſos nullis externis occupationibus implicatos contemplationem deſerere; ſed ſtudioſè ſemper vacare. c. 1. n. 18. toto §. p.10

2. *Non eſt tibi curæ.* Martha querula Mariam ambit ad laboris conſortium, at Maria ad gloriæ communionem ſororem deſiderat, quò digna ſit Mariæ Virginis vmbra. Et quidem laboris

Digitized by Google

boris conſortem quærere inuenitur humanum; ſed aſciſcere gloriæ ſocium prorſus ad ſpeciem diuinum. c. 1. num. 118. toto parag. p. 43

3. *Non eſt tibi curæ quòd ſoror mea.* Tenebatur Maria cognationis titulo Marthæ ſubuenire; & tamen ad orationem confugit, vt oſtendat ad impetrandum auxilium, licèt naturæ proſit vinculum, intereſſe plurimum orationis, & ſuſpiriorum naufragium. c. 2. num. 83. toto §. p 169

4. *Optimam partem elegit.* In omnibus elegit optimum, vnde eximia gloria coronatur, & proficua cunctis hominibus inuenitur. c. 2. n. 196. toto §. p. 207

5. *Audiebat verbum illius.* Suo nos docebat Mariæ exemplo Dei verbum magna fore attentione auſcultandum, & reuerenter audiendum. cap. 3. num. 214. toto paragrapho p. 294

6. *Optimam partem:* Maria namque vti Deo coniunctior deſiderabat Martham turbatione liberari, & Chriſto Domino propiùs accedere: vnde Maria dum hodie in cælis Deo magis approximat, & noſtram vtilitatem deſiderat. Profectò qui Deo ſtrictior coniungitur, alios deſiderat non ſolùm iuſtos; ſed etiam perfectos. cap. 4. num. 81. toto paragr. p. 341

7. *Non eſt tibi curæ, quòd ſoror mea.* Certè non rationabiliter queritur: Maria namque ſuam gloriam efficit hominibus tributariam; imò hodie non tam reſplendet eius pompa de circumfluenti Angelorum ſatellitio, ac de impertito calamitoſis remedio: profectò dignitas minus reſplendet de aſtantium copia, quàm de leuata miſeri ærumna. c. 4. n. 104. toto §. p. 349

8. *Sedebat.* Modò ſedet ſublimiori throno, quæ in vita exagitata eſt ingenti laborum numero: quia qua Deus laborioſis exercet præliis, magnis in cælo præparat triumphis. c. 4. n. 191. toto §. p 380

9. *Reliquit me ſolam miniſtrare.* Inter varios occupationum fluctus Martha opem Mariæ prudentiſſimè exorat: nam facillimo negotio Virginis ope adipiſcitur, quod alias nec magnis laboribus obtinetur. c. 4. num. 309. toto §. p. 422

10. *Reliquit me ſolam.* Martha otium criminatur Mariæ, à Chriſti conſortio auellere tentans. Et quidem turbata, dum exhibere exoptat officium, iucundius Chriſto Domino, Mariam ſcilicet, impedit imprudenter obſequium; verùm non ſemel grauius à vicinis, quàm à remotis viget periculum, & à coniunctis ſanguine detrimentum c. 5. n. 39. toto §. p. 444

11. *Optimam partem elegit.* Dum Maria ſitienter ebibit diuina colloquia, Martha ſacro otio pericula molitur; at inde maior Mariæ natus eſt plauſus, dum illam ſecum habere Chriſtus deſiderat ſtudioſus. Certè etſi aliquando pro virtute videatur imminere periculum, ſolùm deſeruit ad plauſum. cap. 5. n. 34. toto §. p. 343

12. *Optimam partem elegit.* Profectò optimam hominibus, dum aſſumpta in cælum pro nobis orat, optimam Angelis, dum ſuo aſpectu exhilarat, & ad torquendos etiam dæmones optimam: eſt namque Maria infauſtum dæmoni fatum, citiùs aliquando perit cum eius vmbra præliatus, quàm cum ipſa omnipotentia congreſſus. cap. 5. num. 145. toto §. p. 482

13. *Non eſt tibi curæ, quod ſoror mea*, &c. O quàm turbata in querelas prorupit! nam dum Maria ſtrictiùs Chriſto coniungitur, vtilitatibus hominum ſtudioſiùs applicatur: & quidem quidquid Deo ſacratur, & hominis ſaluti addicitur. cap. 6. num. 106. toto paragr. p. 535

14. *Non eſt tibi curæ;* imò curæ erat Deo Mariam ſecum habere, vt Marthæ efficaciùs poſſet opitulari. Dum Maria eligitur ad triumphum, à ſuis prouidenter arcet periculum. c. 6. n. 153. toto §. p. 551

15. *Non eſt tibi curæ.* Dum erat curæ eximiis Mariam virtutibus, & perituris nunquam lauris ornare, vt humano generi poſſet ſubuenire. Et quidem quò quis virtutibus inuenitur excultior, republicæ probatur commodior. c. 6. n. 162. toto §. p. 554

16. *Secus pedes.* Quàm humiliter iuxta pedes ſedet ſupra Angelorum choros eleuanda, & ad coniunctiſſimum Trinitati thronum euehenda: at quia virtute ornatior, inuenitur ſemper humilior. cap. 6. num. 176. toto §. p. 559

17. *Non eſt tibi curæ.* Maria dum nos Deo reconciliat, vires miniſtrat, ſalute & felicitate donat: minus ergo attentè quæritur Martha: quia ſemper Virgo miniſtrat auxilia. Et certè quod nos Domino reconciliat, felicitate & ſalute donat. cap. 6. num. 214. toto paragr. p. 571

18. *Non eſt tibi curæ.* Degenerabat à ſorore, quæ Mariam à tam ſacro otio moliebatur auertere: Maria ſe verè ſororem, & hominum exhibebat matrem, dum ſe ſtudebat Domino conſecrare; at ſæpè cognati fuerunt virtutis impedimenta, & religionis obſtacula. cap. 6. num. 243. toto paragr. p. 581

19. *Non eſt tibi curæ* Non poterat Maria vti à Deo electa ad cladem teterrimo inferendam hoſti, ſuo non proſpexiſſe benigna generi: nam qui ſuo non conſulit generi, non videtur à Deo electus ad triumphos reportandos, & aduerſarios terendos. c 6. num. 260. toto §. p. 588

20. *Optimam partem elegit.* Quidquid optimum, Mariæ nunquam dubitabis conceſſum: nam vti Dei mater ſpeciali ſemper priuilegio refulget, & creaturas reliquas honoribus antecedit. c. 6. n. 268. toto §. p. 591

In feſto S. Bartholomæi Apoſtoli. Lucæ 6.

1. EXiit *Ieſus in montem orare.* Non indigebat receſſu, vt oraret, nec oratione, vt eligeret; verùm vt nobis formam præſcriberet, mundialem fugit tumultum: & quidem vel inuitus receſſus eſſe ſolet ſupernæ lucis illicium, & felicitatis exordium. c. 6 num. 91. toto §. p. 531

2. *Et erat pernoctans in oratione.* Oratio dæmonis tormentum eſt:nec mirum Bartholomæum exitialem dæmoni fuiſſe, qui ferè ſine intermiſſione refertur oraſſe. Profectò ſtudioſiſſima dæmones diligentia ſatagunt ad orationem viam impedire, & orationi tempora ſuffurari.capite 5. num.64. toto paragrapho pag.454

3. *Et erat pernoctans.* Orationæ ad eligendum armatur, nec defecit hoſtia, quando ipſa oratio eſt excellentiſſimum ſacrificium cap.6. n.4.p.499

4. *Elegit*,&c. Diuinitatem ſuam prodidit, cùm Bartholomæum delegit:nam bona electio res Dei eſt. capite 1. num.51. toto paragrapho pag. 21

5. *Bartholomæum* , &c. Qui adeò refertur electus,omnibus probatur eſſe proficuus:nam vt qui ambitionis aſcendit artibus , inuenitur ſæpè nociuus,ſic à Deo electus probatur omnibus commodus. cap.2. num.196. toto §. p.207

6. *Et cùm dies factus eſſet.* Diem expectauit,vt noſcerent omnes elegiſſe non ignoratos;ſed cognitos:& quidem electio de ſcientia proueniens ſemper laudabilis. cap.3. num.133. pag.266

7. *Elegit Bartholomæum* , Quem tanto munere dignum agnouit. Diuina politice dignos deligit, humana conſanguineos ſæpè præponit. c.3.n.138.toto §.p.268

8. *Bartholomæum.* Apoſtolatus gloriam illuſtrauit, proprio vitæ periculo hominum arcens pericula , & proprio labore procurans commoda:& quidem à Deo electus probatur,qui talis proximis inuenitur. c.3. n.218. toto §. p.296

9. *Bartholomæum.* Dum à Deo electus refertur, eximiis meritis exornari probatur:nam digna electio de meritis venit. capite 6. num.268. p.591

10. *Et erat pernoctans.* Etſi Bartholomæus adeò magnis occupationibus, illuſtrandis hominibus adſtringeretur , nihilominus orationi ſemper vacabat : perfecti namque etſi variis exterius ſint occupationibus implicati, precibus interius ac virtuti vacant adſcripti. c.1. n.18.toto §.p.10

11. *Et Bartholomæum.* Caſtitatis cultorem , & pudicitiæ magiſtrum:certè æternauit laudes, qui caſtitatis edocuit leges : caſtitas namque gloriæ vena & immortalitatis eſt officina. c 2.n.112.toto § p 179

12. *Bartholomæum*, &c. Noſter Apoſtolus nullo dignitatis eſt deſiderio inflammatus ; ſed à Domino ad dignitatis culmen electus : nam quem conſtat virtutibus refulgere dignitatibus ante preces debet ornari. c.1.n.56.toto §. p.23

13. *Et Bartholomæum*,&c.Quia virtutum ornabat Apoſtolum noſtrorum ſumma , ambitionis non obſcurabatur vel leuis nota :& quidem illos tangere non ſolet ambitionis pruritus, quibus maior meritorum ornatus. c.1. n 80.toto §.p.33.

14. *Bartholomæum.* Dignè Dei eſt electus Apoſtolus qui inuicto animo duriores ipſa morte ſuperauit cruciatus : Bartholomæo pellis detrahitur, & lento tormento occiditur:& quidem grauius ipſa morte lentum ac diuturnum tormentum eſt.capite 1. numero 209.toto §. p.74.

15. *Et Bartholomæum.* Quem martyrio dicauit, & æterna gloria redimiuit:nam etſi iuſtorum laboribus erudiat vitam , poſt mortem Deus nominis æternat famam cap.1.num.328.toto §.p.114

16. *Et Bartholomæum.* Humanus ſtatuitur , ne diuinus putetur,dum totum ſe Dei gloriæ,& proximorum conſecrat vtilitati:nam qui purè ſyncereque Dei gloriæ, & proximorum vtilitati deſeruit , metas quodammodò naturæ humanæ tranſiliuit.cap.2. num.100. toto §. p.174

17. *Et Bartholomæum.* Diuino inflammatus zelo ſe tormentis expoſuit,vt caſtitatem doceret: non eſt paſſus pudicitiæ inferri iniuriam,qui excoriationis tulit patientiſſimè offenſam. Profectò quodammodò probatur diuinus,qui ſuam tolerat offenſam , nec in Deum ſuffert iniuriam, capite 3. numero 154. toto parag. p.272

18. *Bartholomæum.* Certè dæmonũ peſtem;igneis namque dæmonem illigauit catenis, vt protſus aboleret vitiorum veſtigia , & virtutum iaceret ſemina. Profectò vti eximius virtutis amator à peſſimis dicit vitiorum abolere veſtigia:illi namque virtutum detetunt monimenta capite 3.num.195.toto paragrapho p. 288

19. *Et Bartholomæum.* Certè Deo coniunctiſſimum,& eximiæ perfectionis patronum:non ſolùm docuit Iphigeniam virtutem colere; ſed perfectionem ambire. Certè quò quis Deo adhæret ſtrictior,alios non ſolùm iuſtos; ſed perfectos deſiderabit ardentior. c.4.n.81. toto p.341

In feſti Sancti Auguſtini Epiſcopi & Doctoris.
Matth. 5.

1. *Vos eſtis ſal terræ,vos eſtis lux mundi.* Docet luminis adinſtar doctores pugnare in vitia : & quidem Auguſt. experientia didicit,quam validas requirant vires, ſi inueterata,quæ facilius repelluntur recenter orta. cap.1.n.14.toto §.p.8

2. *Lux mundi.* Supra montem fabricata ciuitas incolas protegere ſolet muris, lumen depellit tenebras radiis : & quidem celebrandus eſt,qui ſalubribus doctrinis expugnat vitia,vt qui hoſtilia armis euertit caſtra.c.1.n.73.toto §.p.28.

3. *Vos eſtis lux mundi.* Quanta Deus Auguſtinum dignatus ſit gratia,eius declarat malitia: gloriabatur namque olim de malefactis, qui reſplendet modò radiis clariſſimis. Profectò aliquando homines malitia dæmonem vincunt, quando ille fugit notitiam,cùm ipſi in malefactis oſtentent pompam. c.1. n.200. toto §.p.71

4. *Vos eſtis lux mundi.* Sal lumini coniungitur nam dũ humilitate euaneſcit,ſapiẽtiæ ſplendores producit:& quidẽ Auguſt.ſapiẽtia eius virtutem mortificationemque prodit:nam ſapientia

Digitized by Google

pientia cæleſtis non tam eſt ſpeculationis fructus, quàm virtutis partus c.1.n.234.toto paragrapho pag.82

5. *Vos eſtis lux mundi.* Quàm ſe lucem Auguſtinus probauit, dum ſe Ambroſio tradidit erudiendum. Certè niſi adeò humilis, fidei myſteria diſcere recuſaret: eſt namque miraculi ad inſtar, ſi doctus non dedignetur addiſcere, & aures aliis præbere. capite 1.numero 168. toto parag.pag.94

6. *Vos eſtis lux mundi.* Adeò Auguſtinus emicuit, vt opus fuerit nonnullis nebulis, quas poſteà retractauit, vanitatis periculo occurrere, ſuperbiæque obuiare. Certè Dei fauor eſt, ne præſumptionis attulerit notam, reprimere laudabilem exundantiam. capite 1. numero 298. toto §.p.104

7. *Vos eſtis lux mundi.* Qui ſe mundi lucem agnouit Auguſtinus, prorſus mulierum conſortium fugit, vt ſuo exemplo doceret ea Doctorem debere puritate nitere, ſi aliis cupit vtilem inſpirare doctrinam, vt naturam oculis repræſentet Angelicam. capite 2. numero 20. toto parapho pagina 145

8. *Vos eſtis lux mundi.* Certè Angeli appellantur ſtellæ, & Doctores iure etiam appellantur luces: nam dum ſapientia ſanctitateque à proximis arcent pericula, Angelorum merentur elogia. cap.2. num.92. toto §.pag.173

9. *Vos eſtis lux mundi.* Certè Auguſtinus quodammodo naturæ humanæ metas tranſiluit, & cæleſte lumen reſplenduit, dum purè ſyncereque Dei gloriæ & proximorum vtilitati inſeruiuit. capite 2. numero 100. toto §.p.174

10. *Vos eſtis lux mundi.* Sanè Auguſtinus de tenebris lux ſplendiſſima rutilauit, etſi olim ruinæ ſuæ non ſentiebat diſpendia, ad lucem tranſlatus doloroſa fudit ſuſpiria. c.2. n.105. toto §.p.176

11. *Lux mundi.* Qui olim tenebræ, lumen effectus eſt, vt ſic quam ad ſpeciem habuit ad virtutem impotentiam, poſteà ſortiretur ad culpam: eſt namque eximia perfectio perduci ad impotentiam ſceleris, vt cumulata malitia ad impotentiam honeſtæ actionis.c.2.n.176. toto §.p.200

12. *Vos eſtis mundi.* Lux omnibus prodeſt, & Auguſtinus vti candidiſſima lux à Deo in Eccleſiæ empyreo locata, omnibus ſpargit doctrinæ ſplendorem. Certè à Deo ad apicem dignitatis electus omnibus probabatur proficuus: qui ambitionis aſcendit artibus, inuenitur aduerſus. capite 2.numero 196.toto §. p.207

13. *Vos eſtis lux mundi.* Certè Dei gratia mirè reſplenduit in Auguſtino, dum Eccleſiæ conſtituit lumen: ſic anteà deſipiebat criminum famulatui addictus, vt libertatem repudiaret, & inſeruire vitiis ambiret. c.2. n.205.toto §. p.209

14. *Vos eſtis lux mundi.* Auguſtinus, quem putabat Manichæorum lucem: adiuit, & exiguam eius ſcientiam deprehendens ſectam illam incepit deſpicere: & ipſo medio, quo videbatur peruertendus, vt lumen eſſet Eccleſiæ, eſt mirabiliter reuocatus: nam ſæpè quod in ipſam detrimentum imprudens architectata eſt malitia, vertit in virtutis commodum prouidentia.c.3. n.33.toto §.p.233

15. *Vos eſtis lux mundi.* Quàm candidiſſima fuerit lux Monica, apparet in Auguſtino, quem Eccleſiæ peperit gemitibus, vt mundo doloribus. Profectò ex matribus facilè filiorum præuidetur ingenium, & ex filiis maternum agnoſcitur inſtitutum. cap.3. n 48. toto §. p.237

16. *Vos eſtis lux mundi.* Adeò clarum lumen Auguſtinus effectus eſt, vt antiquæ caliginis nullam permiſerit vmbram; imò cum ipſa caligine, quod proprium lumini, acerrimam inſtituit pugnam. Certè diſcere debet virtutis amator à peſſimis vitiorum alumnis omnia virij abolere veſtigia, quia illi omnia virtutum deterunt monimenta.cap.5.num.195.toto §. p.288

17. *Vos eſtis lux mundi.* Profectò Auguſtinus vti lumen nulli afflicto denegabat aditum; ſed cunctis oſtium exhibebat apertum, docens Prælatos, reipublicæque adminiſtros aditum non denegare; ſed ſe omnibus faciles exhibere.c.4 n.77.toto §.p.339

18. *Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita.* Certè Auguſtinus ciuitas fuit plurimos ſecum habens, quos ad religioſam auſteritatem inſtruxit, & habitare in montibus docuit: quia Deo coniungebatur ſtrictiſſimè, alios deſiderabat non ſolùm iuſtos; ſed exambiebat perfectos.c.4. n.81.toto §.p.341

In Natiuitate B. Virginis Mariæ. Matth. 1.

1. *Liber generationis Ieſu Chriſti.* Refertur qualis fuerit filius, vt agnoſcamus & matrem: nam ex matribus filiorum præuidetur ingenium, & in filiis maternum agnoſcitur inſtitutum.c.3.n.48.toto §.p.237

2. *De qua natus eſt Ieſus.* Quæ naſcebatur ad virginitatem edocendam, oſtenditur Deo coniunctior, & tot heroibus ſuperior. Profectò caſtitas cultores ſuos æternis coronat lauris; imò & temporalibus cumulat non ſemel fortunis.c.1.n.337.toto §.p.117

3. *De qua natus eſt Ieſus.* Verbum vnum protulit, & omnia dixit. Certè Dei moris eſt re conferre magna, & in referendis plurima non inſumere verba.c.2.n.48.toto §.p.157

4. *De qua natus eſt Ieſus.* Vel in ipſa natiuitate iam puella non refertur parentum; ſed Dei; & quidem iam metas quodammodò naturæ humanæ tranſiluit, quæ ſolùm gloriæ Numinis militauit.c.2.n.100 toto §.p.174.

5. *De qua natus eſt Ieſus.* Veluti interciſa generationis ſerie Euangeliſta clarè non dixit Mariam tot Regibus prognatam; ſed omnibus peperiſſe medelam: nec enim adeò reſplendet dignitas de maiorum aſtantiumque pompa, vt de leuata miſerorum ærumna.c.4. n.104.toto §.p.349

6. *De qua natus eſt Ieſus.* Vt congruam ſibi ſedem pararet, Mariam conſtruxit: nec in alio ex tot progenitoribus ſic reſplenduit: ergo quia laudabilia, ni congrua ſede potiantur,

toto ſplendore non lucent, Mariam ſibi ad lucendum Dominus fabricauit. cap.4.n.115. toto § p.353

7. *De qua natus eſt Ieſus.* Quàm inenarrabilem felicitatem Mariæ eius conciliarunt parentes, dum ex ſe promptam ad omnem erudierunt virtutem! Profectò ſtabilem procudit filiis fortunam, qui legis format ad regulam. capite 4.numero 187. toto paragr. p.378

8. *De qua natus eſt Ieſus.* Vt Euangeliſta nobis explicet, quantis Maria recèns nata, quamque heroicis emicuerit virtutibus, ad Dei matris dignitatem declarauit electam, & ſic explicuit virtutum ſummam: nam creſcere debet in illo meritum, qui ad illuſtrius promouetur officium. c.4. num.197. toto §.p.382

9 *De qua natus eſt Ieſus.* Mariam carpentarij vxorem in immediatam elegit matrem, qui tot reges diuitiis copioſiſſimos pertranſiuit, quo facto & matris declarauit excellentiam, & diuinitatis ſuæ clarauit notitiam: nam ſi homo purus, pluris æſtimaret diuitiis copioſam, quàm virtutum dotibus claram. capite 4.numero 262. toto paragr. p.405

10. *De qua natus eſt Ieſus.* Nondum refertur filia, & iam Dei mater refertur: vt ſic noueris, quàm vehementi deſiderio illam ad matrem concupiuerit Deus: vehemens namque deſiderium moras non ſuſtinet; ſed in opus prodire geſtit.c.4.numero 299.toto §.p.418

11. *De qua natus eſt Ieſus.* Vel tot præclaris viris & fœminis nondum mundus obtinebat Verbum carnem aſſumere, & ad hominum remedium prodire; at vbi Virgo refertur nata, & iam naſcendi produntur Numinis vota: vt noueris facillimo negotio Virginis ope homines conſequi, quod alias vel magnis laboribus non poſſent obtinere. cap. 4.numero 309.toto paragrapho p.422

12. *De qua natus eſt Ieſus.* Statim ac Maria naſcitur, iam dæmoni bellum infertur, Ieſuſque auditur: eſt namque Maria exitiale inferis fatum, non adeò citò aliquando perit dæmon cum ipſa omnipotentia congreſſus, vt cum vel eius vmbra præliatus.c.5. n.143.toto §.p 548

13. *De qua natus eſt Ieſus.* Vt Maria digna nobilitate ſplenderet tot regibus progenita & nata, opus fuit vt virtutibus micaret exculta: nam ea ſolùm nobilitas apud Deum lucet ſplendida, quæ virtutibus, probatur ornata. cap.5. num.138. toto paragr. p.268

14. *De qua natus eſt Ieſus.* Quàm cæteris virtutibus anteceſſit, quæ ad dignitatem matris euecta! Profectò cùm ſolerti conueniat diligentia ſemel & iterum explorari, qui debet dignitatibus anteferri, vt habes, vt habes capite 6.numero 149. toto paragrapho pag.550. vbi conſtat Mariam electam, etiam creaturis reliquis agnoſcitur antelatam.

15. *De qua natus eſt Ieſus.* Cùm Maria nata eſt hominum ſalus & felicitas: nam dum nos, carnem præbens verbo, cum Deo quodammodò reconciliat, felicitate & ſalute donat. capite 6.numero 214. toto paragr. p.571

16. *De qua natus eſt Ieſus.* Grande nomen obtinuit Maria, dum refertur tot regibus nata; ſed grandius, dum mater ob virtutem effecta: ſunt namque illuſtriora nomina, quæ virtus excudit, quàm quæ nobilis origo conceſſit.cap.6.numero 250.toto paragr. p.584

17. *De qua natus eſt Ieſus.* Vt Mariæ prærogatiuas veluti ſummatim referret, matrem Euangeliſta declarauit: & quidem ab ipſo exordio, vt quæ Deo parabatur mater, ſpecialibus priuilegiis refulſit, & creaturas reliquas honoribus anteceſſit. c.6.n.268. toto §.p.591

18. *De qua natus eſt Ieſus.* De Maria naſci voluit Chriſtus, non quòd ad detriumphandos dæmones eius indigeret ope; ſed vt oſtenderet, ſine Maria Dæmones difficilè vinci, & eius præſentia facillimè debellari. c.6.num.272.toto §.p.592

In Feſto S. Michaelis Archangeli. Matthæi 18.

1. Q*Vis maior eſt in regno cælorum?* Statim ac exorta eſt inter Apoſtolos maioritatis ambitio, ſtatuit paruulum. Certè, vt apud Diuum Thomam placet Patribus, ſeipſum: & ſtatim ac in cælo ſerpentina ambitio exorta, Michaelem oppoſuit, docuitque in vitia pugnandum, dum recenter nata, ne expugnentur ægrè, ſi inolita.c.1.numero 14. toto §.p.8

2. *Statuit paruulum.* Seipſum ſtatuit, & ſerpenti Michaelem oppoſuit ſui quodammodò vicarium, & pro ſe ſuffectum: vnde Michaelis virtus elucet: diuinæ namque electionis eſt in optimi prædeceſſoris locum ſufficere, qui dignis poſſit munus actionibus adimplere.c.1. numero 28. toto paragr. p.13

3. *Niſi efficiamini ſicut paruuli.* Vt inimicos detriumphent, docet Michaelis ſecutos exemplum omnes ambitionis ſeditioniſque ignorare leges: ea namque reſpublica facilè inimicos detriumphat, quæ periculoſas ambitionis, aut ſeditionis leges ignorat. c. 1. n 39.toto §.p.17

4. *Quis maior eſt?* Dum à ſe quodammodò diſſident, inimico victoriam præbent. Michael expugnauit facilè fraterna charitate & concordia ſociis Angelis coniunctus, & fœderatus: fraterna namque charitas & concordia eſt validiſſima in hoſtes arma, & ſerpentinæ fraudis incantamenta. c.1. n.79. toto.§.p.30

5. *Angeli eorum.* Non eſt facile referre quanta nos paruuli debeamus Michaeli, vt qui hoſtem abegit, & ſerpentem detriumphauit: dubium non eſt plurima nos debere militibus, per quos nobis contigit otium, & certaminis, ignoramus periculum. c.1.n. 84.toto §.p.32

6. *Angeli*

6. *Angeli eorum.* Vt noueris quantis Michael prærogatiuis refulgeat, agnoſce nulla ambitione tactum; ſed humilitate ſemper fulcitum. Certè qui luciferum, Michaelem non tetigit ambitionis pruritus, quia grandior Michaelis meritorum ornatus. c.1.n.89. toto §.p.33

7. *Angeli eorum.* Dum Apoſtoli de maioritate agunt, Angelorum Chriſtus Dominus mentionem ingerit: nam Michael non curauit faſtigia inſcendere; ſed munus perficere: & quidém optimus reipublicæ adminiſtet ſolùm curat munus implere, non faſtigium aut commodum expiſcari. c.1.n.115. toto §.p.41

8. *Angeli eorum.* Sub Angelorum cuſtodia ſtatuit paruulos, vt contra potentiam defenderentur. Profectò potentiores ſua ſe potentia tuentur, imbecilliores premuntur. c.1. n.129. toto §.p.46

9. *Angeli eorum.* Vel puſillos ait Angelorum ſolicitudine ignorare pericula, quando Apoſtoli, ſummateſque incauta ambitione incurrere videbantur naufragia. Profectò ſecurior degit fragilitas, dum cauta ſolicitudine armatur, quàm ipſa fortitudo, ſi cura ſolicita deſtruitur. c.1. numero 373. toto paragrapho p 130

10. *Angeli eorum.* Quàm probantur Angeli, à quibus imbecillo non manat calamitas; ſed felicitas, cùm non ſemel à reipublicæ potentioribus imbecillo manet miſeria, & inualidorum incommodo ſua procurauerint commoda. c.1.n.361. toto paragrapho p.129

11. *Angeli eorum.* Certè puſillorum videntur Angeli, quandoquidem inualidis procurant ſalutem, & præ hominum filiis hominibus diſcupiunt felicitatem. cap. 2. num. 127. toto §.p.184

12. *Angeli eorum.* Plura debemus Angelis, quorum ſolicitudine diffugiunt ſæpiſſimè aduerſa, & aduentarunt felicia. c. 3. num. 90. toto §.p.251

13. *Angeli eorum.* Docet Michaelem, vt qui ambitionem ignorauerit, omnibus beneficum eſſe, Apoſtoloſque non futuros, ſi ambitione obſcurentur, nec humilitate fulciantur. Profectò qui à Deo ad dignitatem eligitur, vtiliſſimus vel paruulis comprobatur, at ambitioſus nociuus omnibus inuenitur. c.2 n.196. toto §.p.207

14. *Quis maior eſt.* In ipſa humilitatis ſchola de dignitatibus agunt, quando vel exemplis in contrarium vocantibus pro humilitate debuiſſent eſſe, vt ſtetit Michael, cui Luciferi nec nocuit adſultus, nec peruertere potuit exemplum. Profectò Archangeli reſplenduit virtus cumulatè perfecta, dum tot exemplis in contrarium vocantibus conſtitit imperturbata. capite 2 n.213. toto paragr. p.217

15. *Angeli eorum.* Michael cùm dæmone deprælratus paruulis felicitatem & vitam peperit prouidus: & quidem militia ſi rectè geritur, felicitatis eſt vena, & ſalutis officina. c.3 n.7. toto §.p.223

16. *Sicut paruulus iſte.* Vt conſequantur vota, proponit humilitatis exempla: & quidem qui ſuperbit ambitioſus, vt ſerpens cogitur deliteſcere obſcurus; at Michael & Angelorum exercitus, dum veræ humilitatis ſequuntur regulam, & glorioſam conſequuntur victoriam. Profectò improba ſupetbia abiectionis eſt officina, vera humilitas ſtabilis altitudinis vena. cap. 3. n.61. toto §.p.242

17. *Hic maior eſt.* Certè Michael, eiuſque Angelicus exercitus virtutibus ſibi fabricauere victorias, dæmon eiuſque ſatellites ambitioſo tumore ſibi elaborarunt catenas. Profectò Principes ſibi virtutibus emunt victoriam, & vitiis conciliant ſæpè ignominiam. capite 3. numero 85. toto paragrapho p.250

18. *Sicut paruulus iſte.* Docet humilia ſectari, quò poſſint ſtabili felicitate fulgere. Ecce Lucifer dum alta montium nititur occupare; cogitur ad profundiſſima ruere; at Michael, dum ambitionem ignorat, triumphorum ſibi famam æternat: & quidem non tarò alta poſſidentes inueniuntur crimini tributarij, humiles de vitiis triumphant glorioſi. capite 3. numero 231. toto paragrapho p.301

19. *Angeli eorum.* Non dubitat Michael Angelique pro virtute & paruulorum defenſione certamen ingredi, & cum dæmonibus depræliari, at ille labor æternum attulit plauſum, & depulit detrimentum. Certè labor pro virtute, etſi periculum videatur afferre, ſolùm eſt ad plauſum, caret namque diſcrimine ad detrimentum, c.5. num. 34. toto §. p.443

20. *Angeli eorum.* Humiles oſtendit Angelos, vt paruulos reddat ſecuros, nutriri namque ſæpè ſolet inualidorum iniuria faſtoſa magnorum potentia. capite 5. numero 60. pag. 453

In Feſto S. Hieronymi Eccleſiæ Doctoris.

Euangelium expenſum eſt in Feſto Sancti Auguſtini; hic pauca addenda.

Matthæi 5.

1. *VOs eſtis Sal terræ.* Eximia ſapientia ornatur Hieronymus veritati ſemper addictus: & quidem non fuit humanus hiſtoricus; ſed diuinus: humani namque hiſtorici ferè ſemper viuentibus adulantur, nec exactè veritati obſequuntur. cap. 3. n. 67. toto §.p.243

2. *Vos eſtis lux mundi.* Splendore lucis viuunt mortales, & mira Hieronymi eruditione fruuntur homines. Certè ſudore ſuo multis vitam tribuit, cùm alieno plures ſudore viuant. c.6.n.44.p.514

3. *Vos eſtis lux mundi.* Certè ſacra ambitione fecit Hieronymus, vt Chriſti optimi Principis cæleſti adhæreret palatio, quæ mundiales ſolent efficere, vt Principum adſtent in ſodalitio. Certè ea ſolet eſſe aliquorum ambitio, vt domus familiæque contempſerint

detrimenta, vt Principum aut magnatum frequentarint palatia.c.1.n.68.toto §.p.26

4. *Vos eſtis ſal terræ.* Hieronymus ſuo conceptu ſemper humillimus ſalis ad inſtar, etſi Eccleſiæ ſemper fulgor ſplendidus;at illos minus tangere ſolet ſuperbiæ & ambitionis pruritus,quibus meritorum maior eſt cenſus. c.1.n.89.toto §.p.33

5. *Vos eſtis lux mundi.* Qui in cælo lucent, ſe indignos exiſtimant, adeóque ab honoribus ſolicitandis ſibi diſtant, vt Hieronym.oblatos reſpuat; indignior non ſemel ſolet tumere ambitioſior, benemeritus lucet demiſſior.c.4.n.157.toto §.p 368

6. *Vt videant opera veſtra bona.* Certè Hieronymi opera totus mundus vidit iureque probauit: & cum virtutum ſumma fulgeret, ſe auſteritate pœnitentiaque formabat in Angelum. Sanè pœnitentia ſic homines nobilitat,vt ipſis ad ſpeciem Angelis ſuperiores reddat.c.2. n.18.toto §.p.144

7. *Lux mundi.* Etſi Hieronymus ſemper lux fuerit mundi,non defuerunt cæci,qui iniqua terraque lingua illum molirentur obſcurare; at Deus magnis exercuit prœliis,quia immortalibus præparauerat triumphis. c. 4.n.191. toto §.p.380

8. *Ciuitas ſupra montem poſita.* Vt inimicorum adſultus fortitudinem oſtendit non ſemel ciuitatis;ita tentatio excellentiam virtutis. Ergo Hieronymus eximiè eſt tentatus, vt agnoſceretur firmiſſimus: nam tentatio prodit virtutem.c.3.n.1.p.220

9. *Lux mundi.* Etſi Hieronymus mundum totum erudierit luminibus, non minus informauit virtutibus. Et certè norma doctrinæ eſt factis docere,& exemplis erudire.c.2. n.23 p.146

10. *Lux mundi.* In lucem non ſemel armantur tenebræ;ſed vincuntur, & in Hieronymi caſtitatem dæmones; ſed eximiè debellantur: coronauit namque caſtitas Hieronymum æternis lautis,& deterendis nunquam elogiis.c.1.n.337 toto §p.117

11. Vos eſtis *lux mundi.* Lux non ſolùm illuminat; ſed inflammat: ergo Hieronymus; quia cæleſtis lux plures inflammauit, & ad perfectionem allexit. Et certè quo quis Deo coniungitur ſtrictior,alios deſiderat non ſolùm iuſtos;ſed omnino perfectos. c.4.n.81. toto §.p.341

In Feſto S. Franciſci de Aſſis. Matthæi 11.

1. CO*nfiteor tibi pater, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus.* Sapientes & prudentes vera ſapientia non ſemel priuantur,humiles fruuntur: ſapientia namque non tam eſt prolixæ ſpeculationis fructus, quàm virtutis partus. cap.1. num.234. toto §.p.82

2. *Reuelaſti ea paruulis.* Non ſemel Deus paruos deligit vti Franciſcum ad Luciferi ſuperbiam confundendam,& humilitatem nobilitandam. O quoties Deus inſtrumentis parum ad ſpeciem aptis mundi confundit ſapientiam, & ſuam oſtentat miris operibus efficaciam.c.3 n.133.toto §.p.266

3. *Et reuelaſti ea paruulis.* Humiles cæleſtia myſteria agnoſcunt,& quæ aliis denegantur, humilibus conceduntur: eſt namque humilitas honeſtæ altitudinis vena, vt ſuperbia abiectionis eſt officina. cap. 3.num.62.toto §.p.242

4. *Reuelaſti ea paruulis.* Humilitas veræ ſapientiæ & virtutis eſſe ſolet menſura: & quidem virtute ornatior ſemper inuenitur humilior,deſtitutus dotibus intumeſcit ſemper ſuperbior.c.6.n.172.toto §.p.592

5. *Et reuelaſti ea paruulis.* Triumphauit de mundo Franciſcus glorioſus vtpote humilitate conſpicuus. Certè alta poſſidentes ſæpè ſunt crimini tributarij, humiles de vitiis triumphant glorioſi.c. 3.n.231.toto paragr. p.301

6. *Et reuelaſti ea paruulis.* Quam humilis probatur Franciſcus, dum non refugit mendicare,qui olim magna generoſè nouerat dilargiri.Profectò ingenuo viro eſt moleſtum petere vt iucundum dilargiri.c.1.n.239.toto §.p.84

7. *Et reuelaſti ea paruulis.* Nouit Franciſcus quæ ſuſpirat mundus, contemptu digna: & quæ obliuiſcitur,ſacra ambitione quærenda, diuitias abiecit, cùm tamen, etſi alia vitia plurimos,inſana diuitiarum vota ſubiugauerint vniuerſos. c.1.n.317.toto §.p.110

8. *Et reuelaſti ea paruulis.* Qui paruulus ad ſpeciem & ſordidus, intus exultat apud Deum magnus,& virtute excultus. Profectò iuſti internis gaudiis exultant pleni, etſi externo cortice & habitu humiles & plagis horridi.c.1.n.332.toto §.p.116

9. *Tollite iugum meum.* Caſtitatis iugum mirè tulit Franciſcus ,& ob id æternis coronatur lauris, & in ſumma paupertate temporalibus exundat diuitiis: nam caſtitas lautis coronat,& diuitiis ſæpè cumulat.c.1.n.337. toto §.p.117

10, *Tollite iugum meum.* Chriſti iugum, dum homines auſteritate expolit, ipſis Angelis, vt Franciſcus probat, ſuperiores ad ſpeciem procudit.c.2.n.16.toto §.p.143

11. *Tollite iugum meum.* Contra carnis iugum, iugum puritatis oppoſuit,vt Franciſcus, qui de humilitate cæleſtem hauſerat ſcientiam, de candore vtiliſſimam omnibus inſpiraret doctrinam. Certè qui alios cupit ad virtutem inſtruere, oculis debet Angelicam puritatem repræſentare.c.2.n.20.toto §.p.145

12. *Tollite iugum meum.* Chriſti iugum Franciſcus amplectitur, & fideli iudicij trutina rerum pretia penſat æquiſſimus, quando apud homines maioris valent caduca, minoris æterna.c.2.n.72.toto §.p.166

13. *Niſi cui Filius voluerit reuelare.* Certè ſe Filius Franciſco reuelauit; imò in Franciſco ſe excudit: nam dum Franciſcus ſyncere, puréque Dei gloriæ, & hominum ſaluti deſeruit, metas quodammodò naturæ humanæ tranſiluit.c.2.n.100.toto .§ p.174

14. *Inuenietis requiem animabus veſtris* Franciſcus animæ quærit requiem, non corpori vel poſt mortem:nec enim iacet;ſed ſtat;verùm dum poſt mortem mortificationem ambit, mortem iuſtorum vitæ ſortiri proprieta-

Digitized by Google

tes oſtendit.cap.2.num.146.toto paragrapho p.190

15. *Inuenietis requiem animabus veſtris.* Eam inuenit animæ requiem Franciſcus, vt iam Chriſti vulneribus Chriſto viueret conſecratus:non poterant Franciſci manus extendi ad praua,quæ gerebant impreſſa vulnera:& quidem eximia perfectio eſt perduci ad impotentiam ſceleris, vt cumulata malitiâ ad impotentiam honeſtæ actionis. c.2.n.176. toto §. p.200

16. *Tollite iugum meum.* Vt Chriſti portaret iugum, hominum depoſuit ingenium:diuitias contempſit, & paupertatem ambiuit, quando apud homines pluris eſt vitium vtilitati coniunctum, quàm diuinum ſine auro præceptum. capite 2. numero 215. toto § p.214

17. *Tollite iugum meum.* Vt ſuaue Chriſti iugum oneroſum aliquomodò ſibi redderet,ibi Franciſcus non erubuit emendicare, vbi eius parentes conſtabat ampliſſimis facultatibus refulgere ;& quidem durius eſt paupertatis ibi adurgeri miſeriis,vbi lautis maiores abundauere diuitiis. capite 3. numero 71. toto §. p.245

18. *Et reuelaſti ea paruulis.* Plus deterendis Chriſti inimicis valuit Franciſci ſimplicitas ſapientia mundiali deſtituta,quàm multorum ſapientia ſimplicitate priuata. cap.3. n.236. toto §.p.302.

In feſto SS. Apoſtolorum Simonis & Iudæ Ioannis 15.

1. HÆc *mando vobis, vt diligatis inuicem.* Quos in veritatis hoſtes armabat,fraterna charitate muniebat: nam fraterna charitas & concordia validiſſima in hoſtes arma, & ſerpentinæ fraudis probantur incantamenta. c.1.n.79.toto §.p.50

2. *Hæc mando vobis,vt diligatis inuicem.* Vt ardentiores in vitia redderet, charitate voluit eximios:nam quò quis Deo coniunctior,alios ad virtutem trahere deſiderabit ardentior.c.4. n.81.toto §.p.341

3. *Scitote quia me priorem vobis*, &c. Vt ad virtutis adurgeat opera, oſtendit quanta charitas illi ſuaſerit vulnera:& quidem quæ in Paſſione Domini charitatis flamma relucet, nos ad virtutem compellit. cap.5.numero 52.toto §. p.449

4. *Me priorem vobis*, &c. Ad virtutes dirigit monitis, & informat etiam exemplis : plus namque vrgent exempla, quam monita. c.1.n.24.toto §.p.12.

5. *Scitote quia me priorem vobis.* Suam patientiam ante oculos proponit, vt qua labores emolliant,ad patientiam erudiat:nam calamitas de patientia lenitur,de impatientia incrementatur.capite 1.num. 160 toto paragrapho p.57

6. *Ego elegi vos.* Dum à Domino probantur electi,& omnibus declarantur proficui:vt qui ambitionis aſcendunt faſtigia, inueniri ſolent aduerſi.capite 2.num.196. toto §.p.207

7. *Ego elegi vos.* Dei electio Apoſtolorum declarat merita : nam cæleſtis Politice dignos diliget minus laudabilis conſanguineos ſolùm præponit. capite 3. numero 138.toto §. p.268

8. *Ego elegi vos.* Ad labores inſtruit, dum ſe illos elegiſſe oſtendit:nam qui à Deo electus, proprio labore proximorum ſolicitat commoda;imò aliquando ſuo illorum arcet pericula.c.3.n.218.toto §.p.296

9. *Ego vos elegi de mundo.* Mirum non eſt Simonem & Iudam ſalutis diſpendio ſtuduiſſe hominum commodo,&bellum indixiſſe delicto :à Deo namque electus propriam ſpernit gloriam, vt à ſuis depulerit maculam. cap.4. n.129.toto §.p.357

10. *Ego vos elegi de mundo.* Simonem & Iudam elegit veritatis & virtutis magiſtros, quia eximiis virtutibus agnouerat exornatos : ille namque præ aliis veritatis ac virtutis magiſter eſt deligendus, qui eximiis virtutibus emicat exornatus. capite 1.num.188.toto §. p.100

11. *Si mundus vos odit.* Mundiali odio Apoſtolorum permittit Deus cruciari vitam ; ſed nominis æternat famam : poſt mortem namque Deus honorat æterna fama, quos laborum afflixit copia. cap.1.numero 318.toto §. p.114

12. *Si mundus vos odit.* Mundus miniſtrum Apoſtolorum infamauit ; ſed comperta caſtitas cumulauit laudis, & oſtendit celebrandum elogiis : caſtitas namque ſuos cultores immortalitati dicat, gloriaque coronat.capite 1.numero 337.toto paragrapho p.117

13. *Mundus vos odit.* Odit mundus ſanctos, ſæpeque factioſis cauſis infamat, Simoni Iudæque opus fuit patrare miracula,vt miniſtro ſuo obiecta depellerent crimina : ea namque improbi arte aliquando ſe abſcondunt,ne deprehendantur,vt inuenire nequeat induſtria, aut indagare prudentia.cap.1. num.351. toto §.p.122.

14. *Me priorem vobis odio habuit.* Cùm tot à Chriſto Domino, eiuſque Apoſtolis homines acceperint beneficia, depoſuerunt nullatenus odia. Profectò erga Deum negligimus videri ingratitudine obſcuri : erga homines videri volumus grati. cap. 2. num.29. p.149

15. *Iugum meum ſuaue eſt.* Et quare ? Quia ipſa virtutis moleſtia virtute ipſa emollitur, & periculum tranſit in plauſum, vt contigit horum Apoſtolorum miniſtro.cap.5.num.34. toto §.p.443

16. *Iugum enim meum ſuaue.* Quia inſeruitur Domino, qui malitiæ fraudes poſſit euincere, & innocentes defendere, vt hic contigit; verùm etſi grande fuerit beneficium liberare Apoſtolorum proſelytum à periculo vitæ, grandius fuit liberare à laboribus culpæ.c.2. n.35.toto.§.p.152

17. *Ego vos elegi.* Certè,vt ſe totos proximorum vtilitatibus agnonerint conſecratos, electos monet Apoſtolos:nam qui dignitate Apoſtolica ornatur,totum ſe proximi vtilitatibus impendiſſe tenetur.cap.2.n.191.p.205

Mundus

Digitized by Google

18. *Mundus vos odit.* Idolorum ſacerdotes inſano odio Simonem & Iudam perſequuntur, quia vtilitate temporali priuantur, & hominibus pluris eſt virium vtilitati coniunctum, quàm diuinum ſine vtilitate præceptum. capite 2. numero 215. toto §. p.214

In feſto omnium Sanctorum. Matth. 5.

1. BEati pauperes. Profectò paupertas virtutum nutrix eſt: vnde qui ſub ſpontanea paupertate degit, facilè virtutes colit, & alios ad colendam virtutem trahit. c.4.n.6.toto §. p.317

2. *Beati pauperes.* Qui paupertatem ſtudioſè colunt, virtuti inſeruiunt: nam paupertas virtutis cognata eſt. capite 4. numero 7. ibidem.

3. *Beati pauperes.* Certè paupertas eſt ſchola virtutum, vt pecunia vitiorum; imò pecunia non ſolùm didicit vitia nutrire; ſed cauſa eſt nobilitate. capite 2. num. 44. toto paragrapho p.156

4. *Beati pauperes.* Qui paupertatem colunt, ſe cælicolas quodammodò oſtendunt: nam etſi alia vitia plures, inſana diuitiarum vota vniuerſos inflammant mundiales. c.1.n.317. toto §.p.110

5. *Beati pauperes.* Certè pauperes apud Deum beantur; at ab hominibus contemnuntur: apud ſæculum namque pluris æſtimantur diuitiis copioſi, quàm dotibus virtutum præclari. capite 4. num. 262. toto paragrapho p.405

6. *Beati pauperes ſpiritu.* Profectò quia beati, pauperes clarioris inueniuntur ſpiritu, ſpiritu non inflantur, quia humilitate excoluntur, & certè illos tangere non ſolet ſuperbiæ & ambitionis pruritus, quibus maior meritorum ornatus. capite 1. numero 89. toto §. p.33

7. *Beati pauperes ſpiritu.* Qui inueniuntur pauperes, ſe patientia ad ſuſtinendas ærumnas atinent: potentiores ſua ſe potentia tuentur; pauperes iniuſtè ſæpè premuntur. capite 1. numero 129. toto paragrapho p.46

8. *Quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Præmium oſtendit, vt ad virtutem alliciat, non minatur contrariam viam tenenti ſupplicium: nam ingenui melius ad virtutem alliciuntur oſtenſo præmio, quàm intentato ſupplicio. cap.1. num.148. toto paragrapho p.53.

9. *Pauperes ſpiritu.* Non beatificat inopes; ſed ſpiritu pauperes; imò miſer eſt, qui paupertate adurgetur, & caret ſpiritu. O quàm inuenitur infortunatus qui laborum priuatur fructibus, & diuexatur laboribus. capite 1. numero 154. toto paragrapho pagina.55

10. *Beati mites.* Manſueti, dum interius non exacerbantur, pace & tranquillitate fruuntur. Profectò internè exultant læti, etſi externè videantur afflicti. c.1.n.332 toto §.p.116

11. *Beati qui perſecutionem patiuntur.* Profectò patientia ipſas calamitates lenit, impatientia adauget: ergo qui patienter ærumnas ſuſtinent, & beatitudinem acquirunt, & dolores emolliunt. cap.1. num.160. toto paragrapho p.57

12. *Beati qui perſecutionem patiuntur.* Et quare? Quia æternam conſequentur & gloriam & famam: multiplici calamitate iuſtorum Deus exercet vitam; ſed æternat nominis famam. capite 1. num.328. toto paragrapho p.114.

13. *Beati mundo corde.* Non ſolùm in futuro ſæculo caſtitatis cultores beantur; ſed in præſenti etiam felicitate ſæpè fruuntur: nam caſtitas cultores ſuos æternis coronat lauris, & temporalibus cumulat non ſemel diuitiis. capite 1. num.337. toto paragrapho p.117

14. *Beati qui lugent.* Ipſe luctus eſt calamitatis exilium, & cæleſtis vitæ exordium. Profectò ad repellendam calamitatem plurimum valet ſuſpirium, & lachrymarum iuuat ſuffragium. capite 2. num.83. toto paragrapho p.169

15. *Beati mundo corde.* Vel in hoc mundo caſtitatis cultores inueniuntur beati, & in plurimum longæui: eſt namque caſtitas vitæ vena, & immortalitatis eſt officiana. c.2.n.112. tot.§.p.179.

16. *Beati pacifici.* Profectò qui colit pacem, bellum diabolo infert: nam pax diaboli bellum eſt. c.6.n.53.p.517

17. *Beati pacifici.* Honeſta laudatur pax, non illa, quæ vitiis ſubiicitur, & ne patiatur bellum, inhoneſtè obſequitur: nam laudabilius eſt bellum pati honeſtè reſiſtendo, quàm fallaci pace frui iniquis iuſſis obtemperando. c.5. n.85. toto §.p.461

18. *Beati miſericordes.* Qui miſericordia ſplendent, beati deprædicantur: & quidem minus nobilitat adſtantium pompa, quàm leuata calamitoſi miſeria. c.4. n.104. toto §.p.349

19. *Beati miſericordes.* Qui egenis præbet auxilium, immortale ſibi excudit elogium. c.2. n.117. toto §.p.180

Pro Commemoratione omnium fidelium defunctorum. Ioannis 5.

1. MOrtui audient, &c. Poſt mortem referuntur audire, & quidem iuſti poſt mortem viuunt; iniqui dum ſuperſtites, iam ſunt mortui. c.1.n.170. toto § p.60

2. *Et qui audierint, viuent.* Victuri ſunt cum Domino iuſti: ergo vt cum Domino viuant, proſunt Eccleſiæ ſuffragia, & fidelium auxilia: & quidem cognatis & amicis debetur officium, præcipue quando ſpectat ad immortalitatis augmentum. cap.1. num.178. toto §. p.97

3. *Procedent, qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ.* Qui bona fecit ad indigentium auxilium, vitæ ſibi immortalis procurat commodum. Ergo qui in reſurrectionem vitæ cupit

Digitized by Google

cœpit procedere, ſtudeat in Purgatorio degentibus ſubuenire: & quidem quæ quis honeſtè egit in vita ad indigentium auxilium, æternum potitur in morte elogium. capite 2. numero 117. toto paragrapho pagina 180.

4. *Procedent.* Iam vinculis abſoluti, & Eccleſiæ ſuffragiis promoti: magna eſt certè defunctorum in Eccleſia felicitas poſſe Dominico Sacramento expiari, quo reatus facilè conſtat abſolui. capite 2. numero 121. toto §. p. 182

5. *Procedent in reſurrectionem*, &c. Certè facillimo expediti remedio, oratione ſcilicet, aut eleemoſyna, aut indulgentia, quæ in Purgatorio ſoluerentur acri flammarum ſupplicio, facillimo fideles poſſunt impedire remedio. c. 2. n. 125. toto §. p. 183

6. *Procedent.* Ergo neceſſum eſt viam expedire proceſſuris, nec tantam felicitatem ob ignauiam illis differre. Profectò à Deo ſeuerè punitur, ſi quis ad defunctorum expiationem pertinentia protelare cognoſcitur. c. 2. n. 129. toto §. 185

7. *Procedent.* Et quidem ſuffragiorum auxilio: Eccleſiæ namque ſuffragia valent plurimum, vt purgatorij ſoluatur pœna. cap. 2. num. 133. toto §. p. 187

8. *Procedent.* Iam purgatis vel leuiſſimis culpis: & quidem quæ apud nos videntur exigua, grauiſſima in Purgatorio ſoluuntur pœna. c. 2. n. 139. toto §. p. 188

9. *In reſurrectionem vitæ.* Ecce iuſtorum mors tranſit in vitam, iniquorum vita in mortem tranſit. c. 2 n. 146. toto §. 190

10. *In reſurrectionem vitæ.* Vitam ſibi procudunt, qui orationibus pro animabus attendunt. Certè oratio animarum eſt medela, & orantibus ad depellendam temporalem calamitatem eſt medicina. c. 3. n. 99. toto §. p. 255

11. *In reſurrectionem vitæ.* Reſurgent ad vitam, iam flammis acerrimis purgati, & ad reatus ſoluendos aduſti, vt videas ſenſum volaticis oblectationibus fallere, & laboribus duriſſimis adurgere. cap. 4. numero 39. toto §. p. 328

12. *Procedent in reſurrectionem.* Certè non ſolùm procedent ad adquirendam ſibi; ſed ſuis etiam deuotis gloriam: & profectò magna eſt leuanti gloria leuata indigentis miſeria. c. 4. n. 104. toto §. p. 349

13. *Procedent.* Iuſti dum congrua ſede potiuntur, viuunt; ſed, ne potiantur, leuiſſimis reculis impediti degunt: non ſemel exigua recula magnam obſcurauit gloriam, & ad tempus impediuit æternam. c. 4. n. 120. toto §. p. 354

14. *Procedent.* Nondum fruuntur gloria; ſed acri aduruntur flamma: vnde qui animabus non ſubuenit indigentiæ tempore, gloriæ tempore earum non vtetur fauore: eſt namque deſpicabilis, & ab amicorum numero diſpungendus, qui ſe ſubtraxit tempore laboris, & accurrit ſolùm felicitatis. c. 4. n. 224. toto §. p. 391

15. *Procedent.* O quàm vehementi deſiderio adurgentur ad procedendum, & aſpectum Numinis ſpeculandum! ſuo quidem deſiderio cruciantur: nam vehemens deſiderium moras non ſuſtinet; ſed in opus prodire geſtit. capite 4. numero 299. toto paragrapho p. 418

16. *Procedent.* Et quidem grati, ſi quis citò pro illis ſuffragia offerat, & ſuæ curæ commiſſa non differat: nam celeritatis promptitudiniſque beneficio ab illis habetur gratia ſuffragium ipſum, quod exigebat iuſtitia. capite 5. numero 91. toto paragrapho pagina 463

Feſtum Præſentationis inuenies poſt Feſtum Sancti Andreæ.

In feſto S. Ioannis Euangeliſtæ.
Ioannis 21.

1. *Vidit illum diſcipulum, quem diligebat Ieſus, ſequentem.* Petrus diuino amore exæſtuans quodammodò Ioanni cedit, & præeuntem ſuſtinet: vehemens namque adeò erat Ioannis deſiderium: vt moras non ſuſtineret; ſed in opus ſacra ambitione prorumperet. c. 4. n. 299. toto § p. 418.

2. *Hic autem quid?* Adeò eximius eſt Ioannes, vt & Petro ſit admirationi: nihil Ioannes exambit, & prærogatiuis omnibus lucet: debet namque dignitatibus ante preces ornari, quem conſtat virtutibus refulgere. c. 1. n. 56. toto §. p. 23

3. *Hic autem quid?* Non eſt facile, quantus ſit Ioannes, exprimere: vnde Petrus addubitat, & interrogat: quod ſi deſiderat ſcire, ſapientiam nouerit quodammodò hauſiſſe Chriſto Domino adhærentem, & eius pectore indulgenter cubantem. Certè ſapientia non tam eſt partus prolixæ ſpeculationis, quàm fructus virtutis. cap. 1. num. 234. toto paragrapho p. 82

4. *Sic eum volo manere.* Putauerunt Apoſtoli Ioannem ſemper victurum, & quodammodò falſi non ſunt: poſt mortem namque viuunt ſtrenui, vti mortem ſuam anteceſſerunt ignaui. c. 1. n. 170. toto §. p. 60

5. *Hic autem quid?* Certè Eccleſiæ magiſter à Deo electus, & abſtruſiorum myſteriorum notitia donatus: eſt namque virtutis, veritatiſque magiſter deligendus, qui eximiis virtutibus emicat laureatus. cap. 1. num. 288. toto § p. 100

6. *Quòd diſcipulus ille non moritur.* Putauerunt mortis leges honeſtè calcaturum, qui eximia caſtitate lucebat: caſtitas namque cultores ſuos & æternis coronat lauris, & temporalibus non ſemel diuitiis. c. 1. num. 337. toto §. p. 117

7. *Recubuit ſupra pectus.* Sanè ad abſtruſiora admiſſus, & ipſis inuidenda Angelis notitia donatus. Certè huius aquilæ nil latuit perſpicaciam, cùm nulla ſit, quam quid non poſſit latere, & eius curioſitatem fruſtrari. capite 1. numero 347. toto paragrapho pagina 121

8. *Qui recubuit ſupra pectus eius.* Eo puritatis candore Ioannes emicuit, vt Chriſti Domini pectore recumbere mereretur, & inde doctrinam

nam ſugere, quam poſſet omnibus hominibus inſtillare: ea certè puritate nitere debet ad cæleſtem tradendam doctrinam, vt naturam oculis repræſentet Angelicam. c. 2. n. 20. toto §. p. 145

9. *Hic autem quid?* Profectò Ioannes veluti humanæ naturæ metas tranſgreſſus syncerè Deo & proximis inſeruiuit: plus videtur quàm humanus, qui ſolum Dei gloriam & proximorum ſalutem ſitit honeſtè ambitioſus. c. 2. n. 100. toto §. p. 174

10. *Quòd diſcipulus ille non moritur.* Et quare? Quia eximiè caſtus & purus: caſtitas namque eſt longiſſimæ vitæ vena, & immortalitatis eſt officina. c. 2. n. 112. toto §. p. 179

11. *Qui in cœna recubuit.* Sacro ſomno didicit militare in vitia: nam ſæpè dæmon contra virtutem immittit ſomnia: ergo Deus arcanum Ioanni ſomnum largitus, de dæmone triumphauit vltus. Certè dæmon ſomniis ſolet vti contra virtutem pro armis, & Ioannes contra vitium arcanis vſus eſt ſomniis. c. 3. n. 189. toto §. p 286

12. *Hic autem quid?* Agnouerunt omnes Ioannem eximiis radiare ſancti Spiritus priuilegiis, & ideò eius magnitudinem ſciſcitantur. Certè qui reſplendere cupit ſancti Spiritus prærogatiuis Ioannis ad inſtar opus eſt renuntiet carnis illecebris. cap. 4. n. 89. toto §. p. 344

13. *Sequentem.* Vidit Ioannes ſequendi opportunitatem, nec expectauit imperium; ſed geſtiuit exhibere Domino officium, ſuo nos docens exemplo occaſionem imitantem arripere: detrahit namque ſuæ felicitati quiſquis in futurum miſit inuitantem occaſionem. c. 4. n. 140. toto §. p. 361

14. *Et non dixit, quia non moritur.* Apoſtoli arbitrati ſunt Ioannem ſingulariſſimo gaudere priuilegio; at ille ſuſpicioni occurrit, & ſingularitatem ad noſtram eruditionem prudenter fugit: ſingularitas namque à prudentibus ſemper fugienda, quia plurimis ſemper odioſa. c. 4. n. 211. toto §. p. 386

15. *Hic autem quid?* Facile non eſt, qualis ſit Ioannes exprimere. Certè quos vtiliſſimos toti Eccleſiæ produxit fructus, eius excellentiæ deprædicant nobis gradus; nam quò quis virtutibus inuenitur excultior, & reipublicæ probatur commodior. c. 6. n. 162. toto §. p. 554

16. *Qui & recubuit in cœna.* Euchariſtiam accepit, & ſecurè ſupra pectus Domini recubuit: quod ipſis Angelis quodammodò ſuperiorem oſtendit, quandoquidem Angelus ad ſpeciem timet contingere, quod Domino ſacrificium noſcit offerri. cap. 6. n. 206. toto §. p. 568

17. *Sequentem.* Nil mirum ſciſcitati fuerint Apoſtoli: *Hic autem quid?* Quandoquidem Ioannes patienti Chriſto adhærens hominum dediſcit vſum, & contrarium amplexatur ſtylum: nam cognati amicique recedent, ſi premat calamitas, aderunt ſi fulgeat felicitas. c. 1. n. 284. toto §. p. 99

18. *Supra pectus eius.* Nil mirum quodammodò ſibi Ioannem inuiſcerauerit Chriſtus: nam præ cæteris diligebat, & quod tenerius amatur, diligentiùs cuſtoditur. c. 2. num. 63. pag. 162

19. *Sequentem.* Sic Ioannes amabat Chriſtum, vt nequiuerit ſui amoris notas non dare, & cæteris Apoſtolis anteire: amor namque ſe intra ſe cohibere non valet. cap. 5. num. 171. toto §. p. 491

LIBER

Digitized by Google

LIBER IVDICVM.

CAPVT PRIMVM.

VERS I. POST mortem Ioſuë conſuluerunt filij Iſraël Dominum,
dicentes: Quis aſcendet ante nos contra Chananæum,
& erit dux belli? 2. Dixitque Dominus: Iudas aſ-
cendet: ecce tradidi terram in manus eius. 3. Et ait
Iudas Simeoni fratri ſuo: Aſcende mecum in ſortem
meam, & pugna contra Chananæum, vt & ego per-
gam tecum in ſortem tuam. Et abiit cum eo Simeon.
4. Aſcenditque Iudas, & tradidit Dominus Chananæum ac Pherezæum in ma-
nus eorum: & percuſſerunt in Bezec decem millia virorum. 5. Inueneruntque
Adonibezec in Bezec, & pugnauerunt contra eum, ac percuſſerunt Chananæum
& Pherezæum. 6. Fugit autem Adonibezec: quem perſecuti comprehenderunt,
cæſis ſummitatibus manuum eius ac pedum. 7. Dixitque Adonibezec: ſeptua-
gintá reges amputatis manuum ac pedum ſummitatibus colligebant ſub menſa
mea ciborum reliquias: ſicut feci, ita reddidit mihi Deus. Adduxeruntque eum
in Ieruſalem, & ibi mortuus eſt. 8. Oppugnantes ergo filij Iuda Ieruſalem, ce-
perunt eam, & percuſſerunt in ore gladij tradentes cunctam incendio ciuitatem.
9. Et poſteà deſcendentes pugnauerunt contra Chananæum, qui habitabat in
montanis, & ad meridiem, & in campeſtribus. 10. Pergenſque Iudas contra
Chananæum, qui habitabat in Hebron (cuius nomen fuit antiquitus Cariath Arbe)
percuſſit Seſai, & Ahiman, & Tholmai. 11. Atque inde profectus abiit ad ha-
bitatores Dabir, cuius nomen vetus erat Cariath Sepher, id eſt, ciuitas litterarum.
12. Dixitque Caleb: Qui percuſſerit Cariath Sepher, & vaſtauerit eam, dabo
ei Axam filiam meam vxorem. 13. Cúmque cepiſſet eam Othoniel filius Cenez
frater Caleb minor, dedit ei Axam filiam ſuam coniugem. 14. Quam pergen-
tem in itinere monuit vir ſuus, vt peteret à patre ſuo agrum. Quæ cùm ſuſpiraſ-
ſet ſedens in aſino, dixit ei Caleb: Quid habes? 15. At illa reſpondit: Da mihi
benedictionem, quia terram arentem dediſti mihi: da & irriguam aquis. Dedit
ergo ei Caleb irriguum ſuperius, & irriguum inferius. 16. Filij autem Cinæi
cognati Moyſi, aſcenderunt de ciuitate palmarum, cum filiis Iuda, in deſertum
ſortis eius, quod eſt ad meridiem Arad, & habitauerunt cum eo. 17. Abiit au-
tem Iudas cum Simeone fratre ſuo, & percuſſerunt ſimul Chananæum, qui habi-
tabat in Sephaath, & interfecerunt eum. Vocatumque eſt nomen vrbis, Horma,
id eſt, anathema. 18. Cepitque Iudas Gazam cum finibus ſuis, & Aſcalonem,
atque Accaron cum terminis ſuis. 19. Fuitque Dominus cum Iuda, & monta-
na poſſedit: nec potuit delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abunda-
bant. 20. Dederuntque Caleb Hebron, ſicut dixerat Moyſes, qui deleuit ex
ea tres filios Enac. 21. Iebuſæum autem habitatorem Ieruſalem non deleuerunt
filij Benjamin: habitauitque Iebuſæus cum filiis Benjamin in Ieruſalem, vſque in
præſentem diem. 22. Domus quoque Ioſeph aſcendit in Bethel, fuitque Do-
minus cum eis. 23. Nam cùm obſiderent vrbem, quæ priùs Luza vocabatur,
24. Viderunt hominem egredientem de ciuitate, dixeruntque ad eum: oſtende
nobis introitum ciuitatis, & faciemus tecum miſericordiam. 25. Qui cùm oſten-
diſſet eis, percuſſerunt vrbem in ore gladij: hominem autem illum, & omnem
cognationem eius dimiſerunt. 26. Qui dimiſſus, abiit in terram Hetthim, &

Digitized by Google

ædificauit ibi ciuitatem, vocauitque eam Luzam: quæ ita vocatur vſque in præſen-
tem diem. 27. Manaſſes quoque non deleuit Bethſan, & Thanac cum viculis
ſuis, & habitatores Dor, & Ieblaam, & Mageddo cum viculis ſuis, cœpitque Cha-
nanæus habitare cum eis. 28. Poſtquam autem confortatus eſt Iſraël, fecit eos
tributarios, & delere noluit 29. Ephraim etiam non interfecit Chananæum,
qui habitabat in Gazer; ſed habitauit cum eo. 30. Zabulon non deleuit habi-
tatores Cetron, & Naalol: ſed habitauit Chananæus in medio eius, factuſque eſt
ei tributarius 31. Aſer quoque non deleuit habitatores Accho, & Sidonis, Ahala-
lab, & Achazib, & Helba, & Aphec, & Rohob. 32. Habitauitque in medio
Chananæi habitatoris illius terræ nec interfecit eum. 33. Nephthali quoque
non deleuit habitatores Bethſames, & Bethanath: & habitauit inter Chananæum
habitatorem terræ, fueruntque ei Bethſamitæ, & Bethanitæ tributarij. 34. Ar-
ctauitque Amorrhæus filios Dan in monte, nec dedit eis locum, vt ad planiora deſ-
cenderent. 35. Habitauitque in monte Hares, quod interpretatur teſtaceo, in Aia-
lon, & Salebim. Et aggrauata eſt manus domus Ioſeph, factuſque eſt ei tributa-
rius. 36. Fuit autem terminus Amorrhæi ab aſcenſu ſcorpionis, petra, & ſupe-
riora loca.

§. I.

Commentarius Litteræ.

Verſ. 1. Poſt mortem Ioſuë conſuluerunt filij Iſraël Dominum dicentes: Quis aſcendet ante nos contra Chananæum, & erit dux belli?

1. SVBLATO ſtrenuiſſimo duce, iuſtiſque perſolutis iam vniuerſi Iſraëlitarum proceres de ſufficiendo viro omnibus numeris abſoluto conſilia ſeriò agitant: erat ſanè res non parum difficilis: quia & anteceſſoris veſtigia ſequi ſtrenuum requirebat, & tot hoſtibus bella inferre audacem etiam deſiderabat: *Nullatenus de eius fide dubitatur,* aiebat Caſſio-
Caſſiodor. dor. 7. var. 29. *qui ad cuſtodiam ciuitatis eligitur: quia probatæ conſcientiæ conſtat eſſe credendum, qui fuerit pro ſecuritate multorum.* Multorum ſecuritas probatam optat conſcientiam; & tamen ſaucia conſcientia Martiam comitari ſolet militiam. *Neſcio quo pacto* (iterum audis Caſſiodorum 1. var. 11.) *aſſiduè dimicantibus difficile eſt morum cuſtodire menſuram.* Itaque neceſſum erat eligere virum aſſiduè dimicantem, & mores optimos excolentem: cúmque hac in re magno periculo erretur, quæſtionem deferunt ad oraculum, ecquis poſt Ioſua fuerit eligendus, interrogant. Septuaginta Interpretes ſic habent:
Septuaginta. *Et factum eſt, poſtquam defunctus eſt* IESVS, *& interrogabant filij Iſraël per Dominum, dicentes: Quis aſcendet nobis ad Chananæos, dux ad bellandum aduerſus eos?* Sanctes Pagninus ita reddit
Pagnin. ex Hebræo: *Fuit poſt mortem Ieoſua, interrogauerunt filij Iſraël Dominum dicendo: Quis aſcendet ad Chananæum in principio ad pugnandum*
Chaldaica. *cum eo.* Conſonat Chaldaica Paraphraſis. *Et fuit poſtquam mortuus eſt Ieſu, & petierunt filij Iſraël in dicto Domini ad dicendum. Quis aſcendet nobis ad Chenaghananæum in anteriori ad ineundum bellum in illum?* Plurimum intererat, vt hoc primum bellum ſtrenuè adeò gereretur, vt inimici conſternerentur timore, & Hebræi animarentur hoſtibus allata clade. Ergo, quod mirum eſt, omni ſepoſita ambitione, concordique electionis optimæ deſiderio Deum conſulunt: nam vt Plinius in panegyrico: *Benè ac* Plinius.
ſapienter maiores inſtituerunt, vt quemadmodum rerum agendarum, ita dicendi initium à precationibus caperetur, quòd nihil ritè, nihilque prouidenter homines ſine deorum immortalium ope, conſilio, honore auſpicarentur. Nil auſpicatur feliciter, qui Deum non conſulit. Procopius coacta tribuum omnium comitia in Silo putat: quia ibi erat Dei tabernaculum, vt conſtat Ioſuë 18. Quantum interceſſerit temporis inter Ioſuë mortem, & conſultum oraculum, dubium eſt. Abulenſis quæſt. 1. putat exiguum temporis fuiſſe elapſum: *Satis eſt veriſimile quòd iſta fuerint pauco tempore poſt mortem Ioſuë.* Abulenſ. R. Salomon ait præcauiſſe ſeniores, ne ſi inconſulto oraculo ducem eligerent, quod vrbem Hai expugnantibus, iterum illis accideret: prudentis namque eſt vitare ſcandalum, vbi alter offendit; cúmque bella vndique perſtreperent, citò oraculum conſuluiſſe, & de eligendo duce cogitaſſe. Abulenſis quæſt. 2. motiuum ad conſulendum teſtatur triplex: primum erat negotij arduitas: eligendus namque erat Princeps, ex cuius moribus populi ſtatus dependet: eſt namque, vt aiebat Panegyriſta, Princeps reipublicæ Plinius.
ſtatus. Secundum erat, ne Deum offenderent, ſi adeò magni momenti negotia arbitrio ſuo tentauerint definire. Tertium motiuum fuit tribuum vitare diſſenſiones, litéſque ciuiles: quælibet namque tribus iniuſtè ſe arbitraretur neglectam, aliámque non tam meritis, quàm affectione prælatam. Ergo vt omnis criminationis cauſa penitus tolleretur, oraculum prudenter conſulitur. Quod ſi inquiras, cur Iſraëlitæ in dubium verterint eligendum, cùm quadrageſimo nono Geneſis fuerit iam prophetali digito deſignatum, Iudam ſcilicet deſignandum: reſponderi poteſt, quòd licèt Iſraëlitæ citò cognoſcerent populi Principatum Iudæ promiſſum; dubitabant tamen de temporis opportunitate, & ob id os Domini interrogabant: & quidem opportuna temporis circumſtantia plurimum conducit, aut nocet. Vertunt hîc in dubium Interpretes, an quæreretur Princeps, qui pro toto populo bellum iniret, an ſolùm quæ tribus bellum deberet aggredi ad ſortem ſibi adſcriptam perfectè poſſidendam, & occupandam. Lyra, & Hebræi

Digitized by Google

Hebræi putant hîc ducem pro generalitate non fuiſſe electum; ſed quænam tribus ante alias pro terra ſibi adſcripta pugnatura foret, dubitatum. Canus lib. 11. cap. 5. ad argument. 12. Abulenſis quæſtione 4. Glycas part. 2. Baptiſta Gramaye lib. de Iſraëlis ariſtocratia pagin. 54. exiſtimant quæſtionem fuiſſe de vniuerſali duce, qui Ioſue inſtar tribus omnes regeret, & circa mores, præliumque Iſraëlitas omnes erudiret. In medio opinionem relinquo: quia pars quælibet grauiſſimos patronos habet. Pro illa prima ſtant, vt dicebam, Hebræi, Lyra, ſanctus Auguſtinus quæſtione 2. Procopius, Caietanus, Serarius, Arias Montanus, Maſius in cap. 11. Ioſue. Pro ſecunda quos iam retuli.

Canus. Abulenſ. Glycas. Gramaye.

Hebr. Lyra. Auguſt. Pro op. Caietan. Serarius. Montan. Maſius.

§. II.

Commentarius Litteræ.

Verſ. 2. & 3. Dixitque Dominus: Iudas aſcendet: ecce tradidi terram in manus eius. Et ait Iudas Simeoni fratri ſuo: Aſcende mecum in ſortem meam, & pugna contra Chananæum, vt & ego pergam tecum in ſortem tuam. Et abiit cum eo Simeon.

2. Ioſeph. Abulenſ. Montan. Caietan.

RESponſum editum per Phinees tunc ſummum Pontificem autumat Ioſephus lib. 5. antiquit cap. 1. Per Hurim, & Thumim alij omnes Hebræi, quibus aſſentiunt Abulenſis, Arias, Caietanus. Et quia iam de hoc conſulendi modo aliàs egimus, ad alia modò tranſimus. Interrogatus ergo Dominus per ſacerdotem vti interpretem, internuntiumque, quod citatus Ioſephus prophetiam vocat, reſpondit Iudam debere eligi, vt gereret Principatum, & depelleret Chananæum: *Iudas aſcendet.* Nonnulli peculiarem aliquem hic deſignari, putant, vt vidimus; ſed citato loco eos D. Auguſtinus refellit: ſuamque ſententiam confirmat: quia Scriptura patres, originemque non tacuiſſet, vt in aliis conſueuit, ſi ſingularis dux inauguratus eſſet. Addit: vti Simeon non pro peculiari aliquo accipitur, ſic nec accipi Iudam. Alij putant Calebum fuiſſe delectum; ſed cum de illo nulla Imperatoris geſta niſi tantum ad ipſum vti priuatum pertinentia facinora referantur, credendum eſt in Principem non adſcitum: aliter namque primus eſſe ac numerari ſemper debuiſſet. Concedit hoc Hiſtoria ſcholaſtica, & Abulenſis quæſtione 14. *Ex hoc patet quòd Caleb erat dux belli, cum propoſuerit capienti præmium vrbem, contra quam pugnabatur.* Negant plures, qui arbitrantur Iudicum regimen ab Othoniele incepiſſe. Ita Auguſtinus quæſtione 2. & colligi videtur ex Eccleſiaſtico cap. 46. verſ. 11. & 12. dum Calebi mentionem faciens Principatum hunc accepiſſe non refert; imò iudices ab eo diſtinguit. Quæ cauſa fuerit, ob quam Iudæ tribus primatum fuerit adepta, reddunt Rabbini; quia ſcilicet cùm hæreret adhuc populus ſuſpenſis olim vorticibus, dubitaretque mare ſicco, ſecuroque veſtigio traiicere, hæc tribus prima iter aggreſſa eſt, animos reliquis addens facto, & compellens exemplo. Ergo quia iuſtum erat, vt prima fulgeret præmio, quæ intrepido effulſit animo, dignitatis modò reſplender faſtigio: *Optamus nobis*, aiebat Caſſiodorus 7. var. 37. *Deo auxiliantes ſubiectos varia dignitatum prærogatiua gloriari, deſideramus probabile genus hominum impreſſa gratia dignitatis ornare, vt laudabilius vnuſquiſque poſſit viuere, cum ſe honores reuerendos cognouerit recepiſſe. Sic enim & ad virtutis ſtudia decenter aſcenditur, & à bonis ciuibus Reſpublica plùs amatur.* Certè decenter aſcendit, qui honeſtis alios laboribus ſuperauit, & vnius rationabile præmium cunctis ad virtutem patet eſſe incentiuum: vt è contra virtus neglecta cunctis inuenitur ignauia. Noſter Serarius 1. cap. putat hanc tribum primatum fuiſſe ſortitam: tum quia huic tribui, adhortatore Calebo, maius erat religionis ſtudium, & religioſius Numini præſtabatur obſequium. Adhæc ex hac tribu oriturus erat Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cuius meritis & virtute Chananæi omnes, id eſt, virtutum hoſtes erant profligandi, & penitus deterendi. Ergo ob futurum filium iam tribus tota primis honoribus refulgebat, & alias tribus dignitatibus ſuperabat.

Hiſtor. Scholaſt. Abulenſ.

Caſſiod.

Vnius virtus neglecta cunctis inuenitur ignauia.

Serarius.

§. III.

Commentarius Litteræ.

Verſ. 3. & c. vſque ad 7. Et ait Iudas Simeoni fratri ſuo: Aſcende mecum in ſortem meam, & pugna contra Chananæum, vt & ego pergam tecum in ſortem tuam, &c.

HIc tribum tribum allocutam tradit Interlinearis: nec enim priuatus quiſpiam in auxilium ſuppetiaſque adeò obnixè vocaretur. Cur peculiariter Simeon appelletur frater, cùm omnes eodem patre, radiceque deſcenderint, in dubium vocari poteſt. Putant interpretes in terræ ſortitione, poſſeſſioneque tribus has extitiſſe vicinas adeò, vt Simeonitæ ferè intra Iudæ ſortem, ſinumque fuerint recepti, vt patuit Ioſue 19. Abulenſis quæſt. 5. ſpecialem dilectionem cauſam adſignat: *Aut fortè vocantur fratres, quia ſe ſpeciali amore diligebant, mutuiſque officiis ſe ſe iuuabant.* Et quidem etſi ſanguinis cognatio fraternitatis præbuerit titulum, de amore conſtat vigere vſum: quid enim prodeſt eodem vtero degiſſe, ſi Eſau & Iacob perpetuis litibus altercantur, & continuis altercationibus impetuntur? Aut quid nocet affinitate ſolum Dauidem Ionathamque fuiſſe coniunctos, quando illorum animos ſic amor obſtrinxit, vt Ionathas coronam contempſerit, vitamque, vt Dauidi conſuleret, obieciſſe periculis non dubitarit? Cognatio plus amore conſtat, quàm ſanguine. Muſæ eo nomine ſunt honoratæ, non quia ab eodem Ioue progenitæ; ſed quia ſibi ſemper charæ. *Quia vnà ex beneuolentia, & charitate ſororia* ſcribit Plutar. de pietate erga fratres, *perpetuò agunt, ita appellarunt muſas.* Itaque degunt ſimul non tam ob ſanguinis vinculum, quàm ob charitatis votum. 3.

Abulenſ.

Plutarch.

Digitized by Google

Certè ipſa cognatio, ſi deſideretur charitas, odia creat, & frequentioribus diſcriminibus parat. *Fratres ſi genuina coniunctione exceſſerint,* addit Plutarchus, *tum triſtiùs recolliguntur, tum ſi recollecti ſint, ſanioſam & ſuſpectam trahunt iſtæ reconciliationes cicatricem.* Itaque Simeon & Iudas coniunctiſſimi dicuntur fratres, non ob ſpecialem ſanguinis titulum; ſed ob peculiare amoris, & beneuolentiæ obſequium. Hinc etiam conſtat, quantum ſocietas, & animorum valeat vnio ad propulſanda pericula, & ad reportanda de hoſtili manu trophæa: *Omnibus viribus,* ait Stobæus de amore fraternit. cap. 84. *annitendum eſt, vt fratribus decenter vtamur: magis enim, quàm partes corporis ad auxilium mutuum fratris compoſiti eſſe videntur, ſiquidem oculi ſimul aliquid intuentur, vterque alteri præſens; & manus præſenti manui ſubuenit; fratrum verò opera mutua multò latiùs patet: negotia enim communia peragunt, & commoda ſua ſedulò inuicem promouent.* Simeon promouet Iudæ commoda, & Iudas Simeonis ſolicitat incrementa. O quàm feliciſſimè auſpicabantur bellum, dum vniri & concordia aduerſus hoſtes procedebant ligari! Certè Eccleſia etſi exigua numero, multiſque, & fortiſſimis hoſtibus impetita, ab exordio triumphis effloruit, & trophæis reportatis glorioſa triumphauit: quia & cor vnum & ſtudium idem: *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna.* Ad quæ verba Chryſoſtomus homil. 12. in cap. 6. Matthæi, ſic ait: *Cùm in corpora illi eſſent multa diuiſi; concordia tamen vnum fecit ex plurimis.* Non poterant inimicos non vincere, quos adeò conſtabat animitus concordare.

Stobæus. Act. 4. v. 32. Chryſoſt.

4\. Reſplenduit etiam hîc Iudas laudanda humilitatis præſtantia, & eximia Simeon obedientia. Et ob id vtriuſque virtus triumpho nobilitata eſt: ſtatim namque ac aſcenderunt vniti, referuntur Chananæi ab eorum militibus profligati. *Tradidit Dominus Chananæum ac Pherezæum in manus eorum.* Plus illis largitus eſt Dominus, quàm petierant: deſiderauerant namque Chananæum vincere, & Pherezæum etiam contigit ſuperaſſe. Hebræos regiones has vti olim ſibi adſcriptas à dominis non abſtuliſſe; ſed à violentis recuperaſſe, tradit Auguſtinus ſerm. 105. de tempore, & nos eius verba in Ioſue commentariis tranſcripſimus. Itaque Chananæi olim per violentiam expulſis fratribus, id eſt, filiis Sem terram eorum iniuſta vi occuparunt & poſſederunt. Ergo in Chananæos, qui de fratribus effecti ſunt hoſtes, fratres inſurgunt vniti, & concordi animo fœderati, vt qui fraternitatis legem violarant, ibi experirentur ſupplicium, vbi perpetrarant peccatum. Hoc in bello captus eſt Adonibezec, Rex ſcilicet, qui etſi bellicoſus, potenſque, vt tot triumphi reſtabantur, olim floruerit, iam fortuna verſa, vt vidit exercitum profligatum, ſe fugæ commiſit; & quidem, vt apparet, plus vitæ ſtudioſus, quàm honoris auidus: præſtaret namque in acie concidiſſe, quàm indecorè fugiendo vitam ſeruaſſe: *Androclidas Lacon crure captus,* ſcribit Plutarch. in apophthegm. *centuriauit ſe inter bellatores: cùm reiicerent eum quidam quòd mancus foret: atqui non fugientem inquit; ſed loco inſiſtentem cum hoſtibus confligere oportet.* Hæc fuga adhuc infelix fuit: nec enim effugit aduerſariorum manus, cùm fugienti peperit decus. Adonibezec nomen commune fuiſſe regionis illius Principibus, autumant plures: alij ſpeciale huius regis infeliciſſimi arbitrantur, cuius calamitas eò vrſit durior, quò felicitas arriſerat lætior: ſeptuaginta namque reges ſubiugarat, & quale ſibi capto infligendum eſſet, ſupplicio captis inflicto docuerat. Ex bellici iudicij ſententia putat Arias Montanus pollices manuum pedumque præciſos in opprobrium ignauiæ ac fugæ.

Plutarch.

§. IV.

Commentarius Litteræ.

Verſ. 7. Dixitque Adonibezec: ſeptuaginta reges amputatis manuum ac pedum ſummitatibus colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias, &c.

Mira Adonibezec ſuperbia, iactantiaque apparet, dum ad potentiæ ſuæ pompam, 5.
fortitudiniſque oſtentationem viros quidem ſpectabiles in omnium relinquebat oculis; ſed miſerrimos, & nouis quotidie ærumnis infeliciſſimos: eius etiam apparebat crudelitas, & edacitas, dum tot proceres, reguloſque alioqui delicatiſſimos, & olim delicioſos exiguis ciborum reliquiis victitare cogebat, aut ſuperfluiſſimis ſuſtentabat. Illuſtriſſimum nobis præbet cæleſtis vindicta exemplum in Adonibezec ſupplicio, vt dilucidè conſtet improbos, qua alios pœna diuexarunt, eadem iudicari punirique. Hîc monemur qualis ſit ſuperbiæ, arrogantiæ, faſtus, inſolentiæque exitus, quandoquidem qui ſecundis rebus numerat inſolentiſſimus, iacebat modò ferreis catenis oppreſſus, & pedum ac manuum ſummitatibus mutilus. Delectabatur olim lautiſſimæ menſæ ſaporatis ferculis, & luctuoſis miſerorum regum ſpectaculis: ludi ac ioci materiam ducebat tot reges manibus pedibuſque carentes eo ipſo tempore, quo natura aliquo oblectamento refici debuiſſet, miſerabilius vrgeri, & grauiorem morte vitam ſuſtentare: ergo modò talionem perſoluit, & indigna oblectamenta dignis doloribus luit. Adeò conſpicua fuere hæc diuinæ prouidentiæ iudicia, vt tyrannus ipſe agnouerit, & clariſſima confeſſione manifeſtauerit: *Sicut feci, inquit, ita reddidit mihi Deus,* ſeu, vt in Hebræo eſt, *Elohim:* quod nomen æquum deſignat iudicem, quaſi dicat, æquiſſimo Dei iudicio hanc mihi pœnam inflictam agnoſco, quandoquidem ego ſimiliter regibus inflixeram pœnam. Diſputat Abulenſis quæſt. 9. an Hebræi legem violauerint ſeruando Adonibezec viuum: habebant namque in præceptis Chananæos omnes delere, nullumque viuere permiſiſſe, vt apparet Deuteronom. 20. Reſpondetque non peccaſſe: quia non inflixerant illa vulnera vti iuſtam æquamque pœnam; ſed vt poſteà occidendus, priùs illam ſatis indecoram regi pateretur infamiam: textus indicare videtur ad vnius Dei cognitionem, fidemque veram perueniſſe cladibus fractum, qui Deum non nouerat victoriis inſolentiſſimus: nec enim ſemel quod mortalium oculis

Digitized by Google

oculis habetur calamitas, vera ſolet eſſe felicitas: vt è contra quæ putatur felicitas, extrema ſolet eſſe calamitas. *Patitur hoc improuida mortalium plerumque conditio,* ſcribit Caſſiodorus 7.
Caſſiodor. var. 47. *Vt cùm lædere putatur, conſulat, & cùm conſulere videtur, affligat; ſed illud magis eſt eligendum, quod prodeſſe cognoſcitur: nam venena ipſa ſi iuuare probantur, accepta ſunt: è contra refugienda eſt ſuauitas mellis, quæ inferre dignoſcitur læſiones.* Plus Adonibezec profuit fortuna irata, quàm proſpera: in proſpera namque intumuit inſolentiſſimus ac Dei ignarus; in aduerſa verò Deum agnouit, & inflictam pœnam æquo animo tolerauit. Mortem oppetiit in Ieruſalem, id eſt, in eius campis, vbi tunc Iſraëlitarum figebantur tentoria: nec enim ciuitas refertur, dum moritur, expugnata.

Verſ. 8. Oppugnantes ergo filij Iuda Ieruſalem ceperunt eam, & percuſſerunt in ore gladij, tradentes cunctam incendio ciuitatem.

6. Iam diu aduerſus Chananæos proditum fuerat Numinis decretum, cuius ſupplicij ſe populus modò præbet miniſtrum: & licèt Ieruſalem copioſo milite, omnique bellico ſubſidio armata aduerſus hoſtium adſultus, & varios bellorum caſus ſtaret; Hebræi tamen diuino præſidio fiſi rem aggrediuntur ad ſpeciem temerariam; ſed reuera prudentiſſimam. Caput regionis, Principemque vrbem priùs oppugnare nituntur: quia regia ciuitate capta facilius erat vrbes reliquas ſubiugare, & incuſſo hoſtibus metu illorum audaciam, viresque minuere. Prior hoſtium patuit telis, quæ cæteris micuit excellentior, & reſplenduit præſtantior. Populo ea Caſſiodori verba 7. var. 44. poſſumus
Caſſiodor. adaptare, ſcilicet: *Neſcio quid grande de ſe videtur promittere, qui loca deſiderat publica poſſidere.* Multa Hebræi de ſe videntur promittere, cùm prima illa loca adnituntur viriliter occupare: augeſceret namque ignauiæ dedecus, ſi adeò celebri reportata victoria manus laſſeſcerent, aut vires ad minora deficerent. Hæc ipſa ciuitas, quæ à Iuda expugnata traditur verſ. 21. à Benjaminitis expugnata etiam refertur: *Iebuſæum habitatorem Ieruſalem non deleuerunt filij Benjamin*
Caietan. Caietanus, vt difficultati ſatisfaciat, cenſet derelictam fuiſſe Ieruſalem à filiis Iuda, & à Benjaminitis tunc poſſeſſam.
Lyra. Lyra putat partem ciuitatis à Iuda occupatam,
Abulenſ. partem Benjaminitis adſcriptam. Toſtatus quæſtione 24. arbitratur Benjaminitas cum filiis Iuda conueniſſe, ſcilicet, vt reſeruata Benjaminitis proprietate tribus Iudæ habitare poſſet curiam; ſi tamen hoſtes depelleret, & loca illa munitiſſima viriliter expugnaret. Capta facillimè refertur ciuitas exundans nuper hominum copia, & criminum inſolentia: nec enim poterat diu ſtare, dum conſtabat ſibi ipſi criminibus bellum inferre. Hæc victoria magnam gloriam peperit Iudæ: creuit namque
Plutarch. triumphus, dum copioſior inimicus. *Pædaretus*, vt ſcribit Plutarchus in apophthegm. *dicenti multos eſſe hoſtes: igitur decus, inquit, referemus maius: plures enim interficiemus.* Hoc accidit Iudæ tribui: interfecit namque plurimos hoſtes ferri violentia, & ardenti ciuitatem aduſſit flamma. Adhæc poſt Bezec expugnatam, victoriamque de Principe acceptam, poſt Ieroſolymorum cladem & incendium aliæ victoriæ referuntur, quas impedire non valuerunt nec montium arduitas, nec gigantum proceritas: *Deſcendentes pugnauerunt contra Chananæum, qui habitabat in montanis, & ad meridiem in campeſtribus, pergenſque Iudas contra Chananæum, qui habitabat in Hebron*, &c. Victoria hæc hic repetitur, ne rei difficultas ſcrupulum ingerat; ſed quiſque ſine dubio agnoſcit quàm facilè, feliciterque ſuccedant iuuante Numine, quæ humanas vires ſuperare videbantur. Hinc etiam clarè elucet à paucis viris fide ac ſpe incenſis breuiſſimè poſſe confici, quæ à plurimis virtute deſtitutis nullatenus quirent præſtari. Vitium in cauſa ſæpè eſt, ne deterantur inimici, & terga verterint aduerſarij.

---

§. V.

Verſ. 12. Dixitque Caleb: Qui percuſſerit Cariath ſepher, & vaſtauerit eam, dabo ei Axam filiam meam vxorem.

Ciuitatem hanc plurimis nominibus fuiſſe 7.
appellatam conſtat: hìc vocatur Cariath-ſepher, id eſt eſt, litterarum ciuitas: ita Septua- Septuag.
ginta Interpretes πόλις γραμμάτων: Dabir, & Cariath ſenna: cur libri, aut litterarum vrbs fuerit appellata, quærunt interpretes. R. Dauid R. Kimhi.
Kimhi putat ibi ſitam fuiſſe ſcholam, ad quam vndique confluerent ſcholaſtici, vt ſcientias diſcerent; & quamuis hæc ciuitas Chananæorum idiomate non diceretur Cariath-ſepher, hoc ab Hebræis nomen impoſitum fuit, vt proprio ſibi idiomate exprimerent id ipſum, quod alio idiomate nouerunt ſignificatum. Lyra & Lyra.
Abulenſis quæſtione 5. in Ioſue 15. putant lit- Abulenſ.
teras ibi tamquam in celebri academia traditas, aut ſaltem olim inuentas. Annuit Driedo Driedo.
lib. 4. de dogmat. variis pag. 38. Maſius in 15. Maſius.
Ioſue putat ita appellatam, quòd ibi multa vetuſtatis monumenta aſſeruarentur. Quam ſententiam fulcire videtur paraphraſis Chaldaica, dum ait: *Nomen Dabir ab antiquo Chiriath Ar-* Chaldaica.
che. Arias Montanus bibliothecam publicam Montanus.
fuiſſe putat. Hanc vrbem expugnandi modum refert textus ſcilicet pulcherrimæ puellæ nobiliſſimæque coniugio in præmium propoſito. Certè Mars accenditur præmiorum ſpebus, quæ ſi deſint, animus languet, & virtus corruit: *Æquitati conuenit*, aiebat Caſſiodor. 7. var. 30. Caſſiod.
vt vnuſquiſque ad fructum militiæ emenſo tempore debeat peruenire. & laboris recipiat præmium pro compenſatione meritorum. Annuit Onoſander de re militari cap. 9c. *Vbi honor fortibus vi-* Onoſand.
ris habetur, pœnæque non negliguntur ignauorum, ibi bona ſpe complere exercitum neceſſe eſt: alios enim metus à peccatis deterret, alios ad fortia facinora ambitio impellit Et D. Ambroſius lib. 1. de Cain c. 4. *Apud ignauos nulla ſunt inſignia virtu-* Ambroſ.
tis, apud ſapientes prima habentur Itaque apud ſapientiæ ſcholam virtutis producta ſunt præmia. Et certè fors non eſſent Othonieles, ni adfuerint Calebi iuxta illud: *Sint Mecœnates, non deerunt, Flacce, Marones.* Puella ergo in præmium

propoſita eſt, cuius pulchritudo animos accen- Iudith. 10. debat ad pugnam iuxta illud Iudith. 10. *Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, vt non pro his meritò pugnare contra eos debeamus?* Ad eximiam oris gratiam accedebat, quòd erat Calebi apud omnes celeberrimi honoratiſſimique viri filia hæreſque. Propoſito ergo præmio Othoniel filius Cenez eo animo in hoſtes irruit, vt ciuitatem expugnauerit: nec intelligendum eſt, quòd ipſe ſolus euerterit; ſed quòd primus hoſtes profligarit, ſuoque exemplo ſequentes alios accenderit. Ita Abulenſis Abulenſ. quæſt. 14. *Oppugnata ciuitate fidem ſuam liberauit Calebus, & Axam tradidit.* De hoc matrimonio iam actum eſt Ioſuë 15. capite, ideoque modò abſtineo. Vtque videas nihil ſatis eſſe humanæ concupiſcentiæ, vrbis expugnator, Axæque ſponſus, dum ad eius domum nuptiali pompa duceretur, ſponſam monuit, vt agrum à parente ſuo peteret. O quàm benè verèque Seneca. aiebat Seneca lib. 7. de benef. cap. 26. *Adſpice quemadmodum immenſæ hominum cupiditates hient ſemper, & poſcant: non miraberis ibi neminem reddere, vbi nemo ſatis accipit.* Hiauit ad alia Othonielis cupiditas, & Axa viro ſuo patens ſuſpiriis patris animum perculit, & ſuſpirij cauſam ſciſcitari ſuaſit. Textus Chaldæus aliter Chald. habet: *Et fuit in intrando eam, & induxit eum ad petendum à patre ſuo poſſeſſionem.* Septuaginta Septuag. interpretes ita reddunt: *Factum eſt in ingreſſu eius, & incitauit eam Gothoniel ad petendum à patre ſuo agrum, & murmurauit, & clamauit de ſubiugali.* Nondum celebratum eſt coniugium, & iam de ſoceri auaritia à genero ob- Vatablus. murmuratur, & filiæ clamor auditur. Vatablus Lyra. tranſtulit: *Inſtigauit eum.* Lyra ad caput 15. Ioſue vtrumque putat accidiſſe, ſcilicet quòd Axa initio adulandi deſiderio ſponſum ad petendum mouerit; poſteà verò Othonielem cenſuiſſe hæreditatem certiùs, citiùſque obtinendam, ſi à filia peteretur, & ob id illam incitaſſe, & perſuaſiſſe. Quam opinionem amplecti non renuam: primum namque conſulebat mulieris cupiditas, ſecundum viri ſagacitas. Itaque Axa, dum ad ſponſi domum traduceretur, ipſo in iti- Chald. Pagnin. Vatabl. Caietan. nere ſuſpirauit. Chaldæus, Pagninus, & Vatablus legunt: *Deſcendit de aſino*, ſeu, *delapſa eſt de aſino.* Caietanus in cap. 15. Ioſue putat finxiſſe ſe ægram, & veluti exanimem: quid enim tam proprium fœminæ, quàm commentum? Euripid. Vnde Euripides in Iphigenia: *Callidæ ſunt mulieres in inueniendis dolis.* Certè in aperto eſt mulierum aſtutia ad affectus mentiendos, vultuſque mutandos. Ecce Axa altiſſima ſuſpiria mittit, decoloratur, rubet, palleſcit, animi deliquium fingit: & hoc totum vt petat, vt accipiat, vt, ſi fas eſt dicere, rapiat. Abulenſis q. 15. ait hoc feciſſe quaſi verecundia victam, & pe- Abulenſ. tendi difficultate obturbatam: *Fecit hoc, vt tolleret ſibi verecundiam: nam quòd ipſa inciperet petere nullo præcedente verbo patris ſui, erat ſibi magnus rubor.* O felicia tempora vbi fœminæ adeò petere recuſabant! Certè his temporibus ſatis verterunt ſtylum: prima namque aliquarum verba ſunt *Da:* ſecunda *tribue:* tertia *largire:* & cum finita ſint poſtulandi verba, infinita ſunt à fœminis poſtulata. Calebus filiæ ſuſpiriis perculſus duo amœna loca, ſuperius videlicet & inferius irriguum ſtatim largitus eſt: vnum poſtulauit, & duplex irriguum datum eſt: neſcit namque liberalitas cupiditatis vota non viciſſe, Hebræus. & ambitum ſuperaſſe. In Hebræo habetur: *Dedit ei canales ſuperiores, & canales inferiores*, id eſt, eos agros, qui canalibus irrigabantur: nam cùm terra illa aquæ penuria laboraret, opus erat induſtria ad vndas colligendas & deriuandas. Ergo filiæ deliquium donis curatum eſt, & acceptis muneribus reaſſumpſit etiam ſpiritus. Hæc omnia relata putat Arias Montanus, vt Montan. nouerimus quantum vnica tribus promiſſis, iuſſiſque diuinis fidem & obſequium præſtans fuerit aſſecuta, quandoquidem adeò prædiuiti hæreditate floruit, vt non ſolùm ſibi ſatis abundéque haberet, ſed Simeoni fratri plura porrigeret; imò hoſpitibus iuuandis, amicis alendis, fouendiſque adeò exundarit, vt ſecum Cinæos admiſiſſe nullatenus fugerit.

Verſ. 16. Filij autem Cinæi cognati Moyſi aſcenderunt de ciuitate palmarum cum filiis Iuda in deſertum ſortis eius.

8. Arias Montanus Moyſi ſocero plura fuiſſe nomina putat, vocarique apud Ieremiam c. 35. Montanus. Rechab, hîc Cinæum, alibi Ietro. Eius filij, Cinæi ſcilicet, ex antiqua gentis conſuetudine non vrbes habitabant: ſed in tentoriis degebant, pecoribus armentiſque alendis occupati, religioniſque, & officiorum communione Iſraëlitis amicè ſemper coniuncti. Hi initio ſua fixere tabernacula in Iericho agris: quæ vrbs ex illarum copia palmarum nomen ſortita eſt; verùm cum & ipſi iam numero aucti, & Hebræi ſubiugatis hoſtibus ad interiora fuiſſent extenti, ad Iudæorum gremium inuolarunt: erat namque hæc tribus ingenio liberalior, & ad fouendas amicitias expromptior. Nec illos ſua fefellit opinio, quandoquidem ſic illorum commodis & ſecuritati proſpexit, vt locis commodiſſimis collocarit. Abulenſ. quæſt. 17. diſputat quomo- Abulenſ. dò filiis Ietro in ciuitate palmarum habitare permiſſum fuerit, quandoquidem illorum pater nec Moyſis acceptauit promiſſa, nec impleuit deſideria. Promiſerat Moyſes, ſi ſecum veniret, acquirenda telluris optima; at ille maluit ad propria redire, quàm ad aliena pergere, vt patet Exodi 18. & Numer. 10. Difficultati reſpondet noluiſſe cum Hebræis pergere, dum graua dubiaque perſtrepebant bella; at poſtquam vidit Hebræis feliciſſimis hoſtes cedere, tunc poſteros ſuos ſeriò admonuiſſe, vt ad illos inuolarent: Itaque tota cognatio Ietro ſe contulit ad Iſraëlitas iam triumphis coronatos, etſi comitari noluerit periculo ad ſpeciem obnoxios. Et quid tam frequens, & apud ſæculum vſitatum? Certè modò ſe cognatos iactabant, qui anteà fortè cognationem non agnoſcebant. Fauſtus, cùm Pompeius, Cæſarque diſſiderent, ſic, vt refert in apophthegem. Plutarchus, aiebat: *Quem* Plutarch. *fugiam, habeo; non habeo, quem ſequar.* Verè dixit: nullus enim dubiis in rebus alium ſequitur; ſed ſolùm in felicibus comitatur. Hebræi putant aſcendiſſe cum filiis Iuda ad diſcendam legem: ibi namque erat Othoniel non ſolùm præliis decantatiſſimus; ſed legis etiam eruditione præclarus. Hoc tamen non placet Abulenſi q. 18.

§. VI.

Digitized by Google

§. VI.

Commentarius Litteræ.

Verſ. 17. Abiit autem Iudas cum Simeone fratre ſuo, & percuſſerunt ſimul Chananæum, qui habitabat in Sephaat, & interfecerunt eum: vocatumque eſt nomen vrbis Horma, id eſt, anathema, &c.

9. QVàm Deo grata fuerit ea fratrum fides ſibi inuicem data feliciſſimis ſucceſſibus declaratur, & ad futura ſæcula exemplar imitandum tranſmittitur. Quærit Abulenſis q. 19. cur Sephaath ciuitas anathemate fuerit mulctata. Aliqui reſpondent Iudæos priùs victos ſe voto obſtrinxiſſe, ſcilicet ſi expugnarent ciuitatem illam, eam ſe penitus deleturos, nec quidquam accepturos. Et ſanè plena tunc ſolùm reſplendebat victoria, cùm victores non denigrabantur cupiditatis inſania. Non probat hanc ſententiam Toſtatus, cum textus victoriam retulerit quaſi vnico impetu partam, & ſine labore adeptam: putat ipſe anathemati datam ad reddendum gratias Deo: quia ſatis exiguo, aut nullo eorum labore eam tradiderat ciuitatem, quod ex textu colligit; ait namque: *Percuſſerunt ſimul Chananæum:* illud namque verbum *ſimul*, ſpeciale Dei auxilium autumat innuere, & facilitatem belli explicare. A Toſtati ſententia ſto; non tamen placet omnino eius coniectura: vox namque illa *ſimul*, non tam facilem belli ſucceſſum, quàm inter Simeonem & Iudam explicare videtur vinculum: quaſi dicat: *Percuſſerunt ſimul*, id eſt, vniti, & eodem animo colligati. Maior difficultas eſt, quomodò Iudas Gazam potuerit capere, cùm 1. Reg. 6. conſtet ad illas quinque ciuitates Philiſthinorum pertinuiſſe. Nonnulli reſpondent Iudam non cepiſſe Gazam; ſed Gazæ confinia. Ita Lyra: & quidem in rebus moralibus, ſi confinia conſtent ſubiecta, facilè habetur ipſa ciuitas ſubiugata. Alij putant modò captam fuiſſe, poſtque ab allophylis inſtauratam, cùm & bellum eſſet continuum, & varius belli euentus & caſus. Abulenſis q. 20. putat captas has ciuitates fuiſſe, nec obſtare quod infrà cap. 3. dicitur, à Deo ſcilicet fuiſſe relictas ad Hebræorum eruditionem: quia quod cap. 3. ſcribitur, accidit ante hoc ipſum, quod capite primo refertur.

Abulenſ. Lyra. Abulenſ.

Verſ. 19. Fuit Dominus cum Iuda, & & montana poſſedit: nec potuit delere habitatores vallis: quia falcatis curribus abundabant.

10. Adiuuiſſe Dominum Iudam narratur ad montana poſſidenda: in Scripturæ namque phraſi idem eſt fuit Dominus cum Iuda, ac illum adiuuit. Ita 1. Reg. 18. & Geneſ. 39. at arcano aliquo meo videri myſterio coniungitur Dei auxilium, & vallis habitatorem nullatenus expugnatum: quaſi aliquando eluceat auguſtior Dei fauor, ſi ſuperbiæ, vanitatiſque occaſionem præciderit exiguos hoſtes permittendo ad eruditionis materiam, ad ſuperbiæque medicinam, quàm ſi omnino plenam largiretur victoriam, & cumulatiſſimam palmam. Theodoretus quæſt. 5. exiſtimat Rechab monuiſſe Iudam vallem fugere vti mari vicinum: nam qui mari ſunt proximi, omnis ferè nationis homines excipiunt, quorum degeneri conuerſatione, & conuictu mores facillimè corrumpuntur, aut deprauantur; verùm cùm in præceptis haberent habitatores omnes illos expungere, non eſſet prudentiæ conſentaneum timore criminis crimen incurrere, & ne poſteà culpa defœdarentur, modò fœdari. Meliùs igitur Auguſtinus quæſt. 5. *Quis non intelligat etiam hoc ipſum ad id pertinuiſſe, quod erat Dominus cum Iuda, ne totum repentè obtinendo extolleretur.* Annuit etiam Hugo. Et quidem fortaſſis vanè elata, victoriiſque inſolens tribus illa in profundum præcipitaretur ſuperbiæ, ni fræno cohibita, & triumpho non reportato frænata. Theodoret. Auguſt.

Verſ. 20 Dederuntque Caleb Hebron, ſicut dixerat Moyſes. Qui deleuit ex ea tres filios Enac.

Septuaginta ſic habent: *Dederunt ipſi Caleb Chebron, ſicut locutus eſt Moyſes, & hæreditauit inde tres ciuitates filiorum Enac.* Textus Hebræus: *Illinc expulit tres filios Anac.* Chaldaica paraphraſis: *Extirpauit inde tres filios fortium.* Parta victoria, & Hebron in populi poteſtatem redacta adſcripta eſt Calebo, vt Dei adimpleretur mandatum, Ioſueque promiſſum. Certè iure ciuitas illi data eſt, quando factis comptobauit, quod olim dixerat: eſſe ſcilicet facile, qui tantò timori populo erant, panis ad inſtar gigantes deuorare, Numiniſque auxilio prorſus extinguere. Hic vbi gigantes referuntur deleti, Iebuſæi à Benjaminitis traduntur etiam permiſſi: & fortè hæc duo coniunguntur, vt maior Benjaminitarum appareat culpa, & cunctis conſtet ignauia. Toſtatus putat Iebuſæum non fuiſſe deletum ob illud fœdus olim celebratum inter Abraham & Abimelec, à quo Iebuſæi traxere originem. Alij arbitrantur tributorum cupiditate eos reliquiſſe: ſemper namque cupiditas legi aduerſatur, & ſibi ipſi ſtudio cæciſſimo obnititur: Auaritiam ſcribit Caſſiodorus 4. var. 39. radicem eſſe omnium malorum lectio diuina teſtatur: hic auaritiæ nota Benjaminitas aſpergi, inde colligo quòd textus non ait non potuiſſe eiicere; ſed cum illis habitaſſe. 11. Septuag. Hebr. Chald.

Verſ. 21. Domus quoque Ioſeph aſcendit in Bethel, fuitque Dominus cum eis.

Ioſephitæ quamdiu diuinis promiſſis ac monitis ſatisfacere ſatagebant, feliciſſimos euentus ſortiti ſunt, vt iam illud Iacobi oraculum Geneſ. 49. *Filius accreſcens Ioſeph*, omnibus conſtaret impletum, Deique promiſſum fideliter perſolutum. Belli verò conficiendi ratio ac ſeries fuit, vt vrbem, quæ priùs Luza vocabatur, obſidione cinxerint. Erat ciuitas illa diuini in Iacobum beneficij collati inſigne monumentum, & filiis conferendorum ſecurum pignus. Luza nucem ſignificat, à quarum copia vrbs nomen ſortita eſt. Hæc ciuitas eis putabatur incantamentis 12. Geneſ. 49.

Digitized by Google

protecta,vt nullatenus eius aditus inueniri poſ-
ſet induſtria, aut ſolicitudinis diligentia. Ita
Abulenſ. Hebræi apud Abulenſem quæſt. 24. At ridicula
iſta ſunt; verum autem eſt meo videri non in-
quiſiſſe portæ, communiſue aditus noritiam;
ſed alicuius ſecretioris partis, qua faciliùs poſ-
ſent ciuitatem impetere, ibique imparatos op-
primere. Res è voto contigit: tunc namque
quidam de ciuitate egreſſus, ab eiſque captus
ſub vitæ ſuæ,ſuorumque pacto, qua parte ciui-
tas faciliùs poſſet impeti, oſtendit, & ſalutis
Plutarch. amore ciues ſuos tradidit. *Si quæras*, aiebat Plu-
tarchus de garrulitate, *qui teterrimus, & peſti-*
Proditor grauior peſte. *lentiſſimus ſit: nemo alium præterito dicat pro-*
ditore: tectum ſuum ornauit Euticrates, vt De-
moſthenes ait, materia Macedonica. Homo hic
captiuitate ſuorum ſuam adornauit libertatem,
ſi dici poteſt ornamentum quod grande adeo
illi inferebat probrum. Ergo hic homo percuſſa
iam vrbe in ore gladij, cum omni cognatione,
ſubſtantiaque ſua dimiſſus ſe in Hetthim con-
tulit,ibique extructa denuò ciuitate Luzæ voca-
bulum æternauit. Itaque conſeruandi vocabuli
inuentus eſt auidiſſimus, cùm ſeruandæ ciuita-
tis fuerat nullatenus ſtudioſus: adeò deſipiunt
homines,vt magna deprețient,& parui momen-
ti ſtudioſiùs negotia curent. An licuerit Hebræis
huic homini vitam concedere interpretibus
quæſtio eſt: nam cùm edictum Chananæos om-
nes prorſus deterendos iuberet,videbantur iuſſis
diuinis contraire,dum hominem iſtum, eiuſque
familiam adnitebantur ſeruare. Difficultatem
Abulenſ. verſat Abulenſis quæſt. 25. teſtaturque poſt ra-
tiones in contrarium allatas potuiſſe ei vitam
concedere: tum quia pactum fuit interpoſitum,
tum quia naturaliter tenemur benefactori reſ-
pondere; nec in his circumſtantiis diuinum in-
telligendum erat præceptum, & iam exemplum
præceſſerat in Rahab, & tota eius cognatione.
Si autem obiicias non licuiſſe cum Chananæis
inire fœdera: fateor generaliter ita eſſe; ſed
Ariſtotel. prudentiæ aſſeruatur teſte Ariſtotele 5. Ethicor.
vti epicheia, quando ſeruare ad vnguem legem
grande impedit bonum,aut inducere poteſt ma-
lum. Homo iſte videtur debiliorem vrbis par-
tem oſtendiſſe,& iterum ad ſuos, ſuaque colli-
genda ad vrbem inuolaſſe: aliter namque nec
Hebræi poſſent promiſſis ſtare, nec promiſſis
ille gaudere, quandoquidem in ipſa ciuitatis
inuaſione inuolante enſe,& audente milite non
erat facile eius cognatis parcere,& ad fidem ab-
ſoluendam diſcernere. Itaque meo iudicio ho-
mo iſte aliquod accepit ſignum, per quod eius
domus totaque cognatio intra ipſam recepta
periculum euaderent, & promiſſam miſericor-
diam reciperent. Et licet ſatis clementer cum
illo actum eſſet,ſi ea tempeſtate cum natis vxo-
reque incolumibus exire liceret,noluerunt Ioſe-
phitæ anguſtis terminis beneficium ſuum clau-
dere; ſed eò vſque extendi, quoad miſericordiæ
ſignificatio contingere poſſet. Notabat inge-
Montan. nioſè Arias Montanus extruxiſſe vrbem, qui
obſcuro forſitan loco ſua in vrbe habebatur
olim. Audi eius verba: *Qui in patria antè obſcu-*
ro forſitan loco,& gradu ferè extremo, ſaltem non
adeò conſpicuo,ac nobili fuerat, vtpote,qui explo-
ratoribus ſolus ex vrbe ac ſingularis prodiens oc-
currerat: nunc iam deinceps noua condendæ vr-
bis, patriique tuendi nominis author, Princepſque
dicatur. O quanta à cognatione, patriaque ſua
diſtantes ſolent audere, qui natali ſemper ſolo
affixi nec moliebantur facinora, nec imitanda
cæteris præſtabant exempla.

Verſ. 27. Manaſſes quoque non dele-
uit Bethſan & Thanac cum viculis
ſuis,& habitatores Dor,&c.

Cuiuſque gentis,familiæ, vrbiſve luctuoſam 13.
calamitatem,aut inuidendam felicitatem ex vir-
tute aut vitio promanare certiſſimum eſt,vt cæ-
ciſſimum delirium exiſtimare varias ſortes im-
prudenti fortunæ arbitrio contingere: nam vt
quidam verè ſapiens aiebat, quiſque ſuæ eſt fa-
ber fortunæ. Hoc Manaſſenſibus accidit, qui
dum cupiditate tributorum viuere contra ius
Chananæos permittunt,& ſocietatem cum illis
amicitiamque contrahunt, ingentem ſibi cala-
mitatem crearunt, & culpam cladibus non exi-
guis perſoluerunt. Vtque conſtet Chananæos
ſeruatos non ob vrbes accuratè munitas,& om-
ni militari ſubſidio inſtructas;ſed ob Manaſſen-
ſium ignauiam, & auaritiam, dilucidè prodit
textus, non viculos expugnaſſe, nec homines
ruſticos ac imbelles depellere voluiſſe. In hanc
culpam incidiſſe omnes ferè tribus oſtendit
textus,& dum ſub Iſraëlis nomine omnes inclu-
dit,& dum peculiaribus nominibus tribus re-
cenſet: & quia nil notatu dignum inuenio, ad
caput 2. tranſeo.

§. VII.

In vitia pugnandum eſt dum recenter exorta; nam ægrè expugnantur adaucta.

NOn diminutionem malorum in bono viro 14.
deſidero; ſed vocationem: nulla debent
eſſe vitia,non parua:nam ſi vlla,etſi exigua ſint,
creſcent, & illorum augmenta ſunt notiſſima
habentis damna. Grandis ſuffuſio oculorum
corrumpit aciem, viſumque excæcat, modica
turbat. Si recens natus degener permittatur af-
fectus repentinis ſucceſſibus creſcet, & rationis
vires veluti quodam torrēte rapidiſſimo obruet.
Habet pecuniæ quis cupiditatem,ſed modicam:
habet ambitionem,ſed non concitatam: tantiſ-
per inardeſcit iracundia,ſed iracundiæ non poſ-
ſidetur inſania. Profectò huius peſtilentis mor-
bi initia facilè medicinam admittunt; ſed ſi cre-
uerint, difficulter parebunt arti. Vt enim nul-
lum animalium rationi obtemperat, quantum-
uis mite & domeſticum: quia brutalis natura
ſurda eſt ſuadenti: ſic improbi affectus, quia
à ratione ſemper detorti, faciliùs rumpuntur,
quàm ad rationis rectitudinem reducantur. Ti-
gres leoneſque nunquam feritatem exuunt,
quantumuis aliquando tantiſper ad ſpeciem de-
ponant: nunquam bona illis fides adhibenda
eſt: nam præter ſpem, etiam cùm deficit cauſa,
quæ ad ſpeciem deferbuerat mitigata, toruitas
exaſperatur natiua. Quàm benè Seneca epiſt. 85. Seneca.
Nunquam bona fide vitia manſueſcunt: deinde ſi
ratio proficit,ne incipient quidem affectus: ſi inui-
ta ratione cœperint,inuita perſeuerabunt: facilius
ſte

Digitized by Google

eſt enim initia illorum prohibere, quàm impetum
Vitiorum impetus difficillimè regitur. *regere.* Vt fons paruus, qui initio facilè poterat obturari, ſi ſucceſſibus augmenta capiens in flumen excreuerit, ciuitates aliquando repentè obruit, ita vitium dum naſcitur tenerum, edomari poteſt; at ſi creſcat, inuenitur duriſſimum nec iam recipiet temperamentum: facilius eſt ſuſtuliſſe, quàm regere. Hinc ſapientes ſolerter inuigilant, vt ipſis in cunabulis nequiſſimos vitiorum extinguant partus, & erumpentes expugnarint affectus. Demortuo Ioſue Iſraelitæ Deum conſulunt, totique ſunt in creando duce contra Chananæum: *Quis aſcendet ante nos contra Chananaeum, & erit dux belli?* Non miraret, ſi ad inferendum aliis gentibus bellum ſtrenuum ducem requirerent; at expugnare Chananæum, non adeò glorioſa videbatur victoria, nec ſolicita dignum cura: nam ſi conſulas Hugonem
Hugo. Carenſem, Chananæus primos deſignat vitiorum motus: *Chananæus,* inquit, *interpretatur negotians, & ſignificat primos motus, per quos diabolus negotiatur animam deiicere in peccatum:* Si ergo debilis adeò Chananæus, vt qui cunabulis degens, & exiguo robore erumpens, cur aduerſus illum ſolicitum adeò ſtudium, & copioſo inſtructum milite prælium? Quia totum in primis motibus, reſpondet Hugo, criminis negotium eſt: ſi Chananæus procedat, adauctiſque viribus grandis præualeat, plurimum laboris; imò plurimum faceſſet diſcriminis; at ſi ipſo in exortu impetatur, faciliùs vincetur. O quàm cæleſte probatur conſilium in Chananæum accendere prælium, quandoquidem qui modò facilis triumphus, fors poſteà miſerabilis eſſet caſus.
Seneca. Redeat iterum Seneca: *Si ipſis permiſiſti incipere, cum cauſis ſuis creſcent, tantique erunt,*
Nunquam ſeruant perniciosa modum. *quanti fient. Adiice nunc quod iſta, quantumuis exigua ſint, in maius excedunt, nunquam perniciosa ſeruant modum, quamuis leuia initia morborum, ſerpunt, & ægra corpora minima interdum*
Ægra corpora exigua etiam mergit acceſſio. *mergit acceſſio.* Quàm verè, & diſertè dixit! Dementiæ genus eſt perſuadere ſibi facilè deſtruenda augmenta, quorum deſpexerimus principia: cùm facilius ſit excludere, quàm admiſſa ſemel depellere. Diſcamus hanc à vitio philoſophiam: in virtutis armatur vigilanter exordia, & totas colligit vires, vt extinguat probitatis initia.

15. Orto iuſtitiæ ſole ſtella eius fulgoribus illuſtrata tetram depulit Magorum caliginem: illi clariſſima ſyderis perſuaſi eloquentia inuolant cæleſti luce lucem cæleſtem inquiſituri. Curiam Ieroſolymorum ingreſſi rogant quo loco nouus rex fuerit à ſubditis adorandus, & oblatione munerum ſuſpiciendus: *Vbi eſt qui natus eſt rex*
Matth. 2. v. 2. *Iudæorum?* Recens natum Herodes audit, & gelido pauore concutitur, & extremo metu obturbatur: *Audiens autem Herodes rex turbatus eſt.* O imbellem regem, qui puerum timeat, & recens natum expaueat! Rationabili ſanè percuteretur timore, ſi fluuiatiles vndas calcare vidiſſet, ſi tartarorum leges fractas ſpectaſſet; aſt qui ardeat furor in tenellum, & viribus ſatis exiguum? Iniuria roboris eſt expaueſcere inermem, & fortitudinis nota arma cogere in imbecillem: & Herodes ſibi turbatur iniurius, & notam inurit fortitudini inglorius? Proh vafertimam Herodis aſtutiam! Ortu obturbatur, & extinguere ſtatim cogitat: quia tenero in exordio pernicioſum ſibi ſuſpicatur exitium, & grande iam præuidet, ſi excreuerit, detrimentum.
Ita Bernardus in allegor. Tilman. *Herodiana* Bernard.
malitia eſt naſcentem velle extinguere religionem: ſi quid ergo ad ſalutem pertinens, ſi quid religionis oritur ei, quicumque reſiſtit, cum Herode naſcentem perſequitur Saluatorem. Herodes refuga gentis alienæ Iudaicum inuaſit regnum, libertatem ſuſtulit, ſancta ſacrilegus profanauit, & quidquid cultus, quidquid virtutis, iniquiſſimus aboleuit; at etſi tot criminum turmis inſtructus, duriſſimiſque ſcelerum muris armatus, initia virtutis timet, illaque extinguere iniqua prudentia ſolertiſſimus ardet. *Herodiana malitia eſt naſcentem velle extinguere religionem.* Non adeò probaretur improbus, ni in virtutis exordia deſæuiret armatus; at dum ſolicitè adeò obſtat principiis, addictiſſimus inuenitur peccatis. Diſce à malitia perfectionis normam, & eius adi ſtudio meliori ſcholam. Arma cape in primos vitiorum motus, quando armatur Herodes in primos virtutis partus.

Hinc fortaſſis tota gigantis pernicies: eminebat robore, corpore prominebat, eaque vel 16.
immetatum corpus progrediebatur ſuperbia, vt nulla à virtute timeret damna: terribilis adſpectu, voce terribilior, & feris vultu ferocior Hebræorum optimos ad certamen prouocabat: viſo hoſte acies Iſraëlitarum exanimabantur, & honoris detrimento obſcuris montium latebris abdebantur. Quid tunc? Dauid puerulus certaminis prouocationem ad ſe rapit, & intrepidus in aduerſarium inſurgit; verùm monſtrum illud hoſtem deſpicit, & in hoſtem deſpectum lentiſſimo gradu inſurgit: *Cum inſpexiſſet Philiſthæus, & vidiſſet Dauid, deſpexit eum: erat enim adoleſcens:* Deſpectus ignauiam in certando con- 1. Reg. 17.
ſuluit, quandoquidem putabat ſuperbiſſima illa v. 41.
bellua potentiæ, fortitudinique ſuæ parum non detrahere, ſi in arma videretur contra puerum ſolerter irruere: *Cum ſurrexiſſet,* inquit, *Philiſthæus, & veniret, & appropinquaret contrà Dauid, feſtinauit Dauid, & cucurrit ad pugnam ex aduerſo Philiſthæi.* Ecce Philiſthæus lento inceſſu veluti deſpecta victoria contra aduerſarium inſurgit, & bellandi inexpertam Dauidis manum contemnit; ſed dum certamine nouellum ſuperbus deſpexit, lethalem plagam admiſit. Expendebat iam ingenioſè orat. 15. Seleu- Seleucienſ.
cienſis Baſilius: *Goliat videns puerum pugnæ incenſum amore, oculorum elegantiam, genarum florem, & alienum à belli ſtudiis ſchema, in riſum effuſus eſt, ſpectaculum dicens ludicrum armaturam eiuſcemodi: carebat enim oculo fidei.* Fors fronti inflicta fuit plaga: quia maligna caruit prudentia: dum enim in riſum effuſus inimicum aſpernatur nouellum, dignum ſuperbiâ ſuſtinuit caſum ni ſpreuiſſet, ſolicitiùs inſurgeret, & frontem ſtudioſiùs armaret; verùm dum paruipendit recens natum bellicum robur, duriſſimum ſuſtinet aduerſarium. Non ſunt virtutis aut criminis deſpicienda principia, quando recens natus affectus pro ingenij qualitate aut negotiatur virtutis necem, aut criminis molitur ſtragem. Cæleſti ſapientia reguntur, qui accuratiſſima in Chananæos, hoc eſt in primos vitiorum motus diligentia obarmantur, quandoquidem creſcent, ſi ſemel permiſſi, indurabunturque pernicioſi.

Moyſes virga obarmatur, qua elementis imperet, 17.

peret, & tyrannidem domet; verùm Pharao ſigna petit omnipotentiæ argumenta, quæ profectò ſuæ ſtragis clariſſima extitere præſagia: nam Moyſes virgam in terram proiicit, quæ verſa in colubrum timorem ſpectantibus incutiebat; verum magicis artibus virtutem ſatagit exterminare vaferrimus, & tyrannidem firmare nequiſſimus: magos aduerſarios opponit, qui virgas in dracones conuertant: *Proiecerunt ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in dracones.* Aaronis virga magicos veluti piſciculos quoſdam abliguriuit dracones: *Deuorauit virga Aaron virgas eorum.* Qui hucuſque Pharao notabatur vaferrimus, iam proditur ab Scriptura duriſſimus: *Induratum eſt cor Pharaonis.* Et cur modò notetur durities? Quia deuorata, vt interlinearis tradit, reptilia fuerunt exigua: *Verſæ ſunt in dracones minores ſerpentes, ſpeciem ſcilicet pro ſpecie poſuit.* Itaque exiguis reptilibus Moyſis colubrum aſtutia eneruare conatur; ſed virga Moſis victoria illuſtri potitur: *Deuorauit virga Aaron virgas eorum.* Inquiramus, ſi placet, cur primum triumphorum fuerit præſagium coluber reptilia glutiens exigua, & cur hæc Pharao triumphis oppoſuerit impedimenta? Nonne ſatius monſtra producere, oculis, oreque nigras eiaculantia flammas, & necibus armatas ſpiras? Quid proderunt reculæ, vt eximiam debilitent fortitudinem? O prudentiam exitialem! Magnum ab exiguis vitiis capere voluit experimentum: nam ſi Aaronis coluber debiles ſerpentes deſpiceret, triumphum nullatenus reportaret; at dum viria vel adeò exigua ſolerter extinguit, Pharaonis regnum prorſus deterendum aduertit: & quomodo Pharaonis regnum quiret durare, quando nec exiguis permittebatur criminibus ſtabiliri. Exigua oppoſuit aſtutus; ſed inſtitit obcæcatus. Iam clariſſima illi impendebat ſtrages, quando ipſis in cunabulis occidebantur ſerpentes, quando nec exiguis permiſſum eſt viuere, quando Moyſis coluber curauit auidiſſimè deuorare. Durus conuincitur, dum claris adeo præſagiis non edocetur. O quàm illuſtrem virga Moſis tardaret victoriam, ſi reculas illas deſpiceret, & pugnare detrectaret! Exigua nequiſſimus oppoſuit Pharao, vt deſpecta creſcerent, & adulta Moſaici colubri fortitudinem eneruarent: *Moſeij veritas,* aiebat Tertullianus lib. de anima cap. 57. *mendacium deuorauit.* Certè mendacium exiguum vitium; ſed aſtutia, vt virtutis vires eneruet, exigua opponit; Moyſes verò, vt ſtabiliat, viuere non permittit mendacia. Et quomodo magicis artibus, & diabolicis inſtitutis vigeret homicidium, quando non permittebatur mendacium. Dum Moſeij veritas non ſuſtinet exigua crimina, regnum firmauit in ſæcula, docuitque ipſis in cunabulis vitia reſecanda, ne ſtragem pariant adulta.

Exod. 7. v. 12. — Gloſſ. — Tertull.

---

§. VIII.

Perfecti etſi variis exteriùs ſint occupationibus implicati, precibus interiùs ac virtuti vacant adſcripti.

18. NOs & ſe fallunt, qui variis, moleſtiſſimiſque diſtrahi occupationibus conqueruntur: cum ipſi aditum ad interiora occupationi permittant; imò non ſemel de induſtria aperiant, moleſtiſſimis negotiis mentiuntur vrgeri, cùm ipſi deſiderent implicari: ipſi ſe impediunt, conſectanturque ſtudioſè amittendi temporis cauſas, & amiſſi temporis dant querelas: perfectus animus inter vrgentes occupationes cæleſtia verſat, & licèt aliquando interpellantibus negotiis ſeruiat commodatus, ſe ſubducit nunquam captiuus. Optimè Seneca epiſt. 62. *Mentiuntur, qui ſibi obſtare ad ſtudia liberalia turbam negotiorum videri volunt: ſimulant occupationes & augent, & ipſi ſe occupant. Vaco, mi Lucili, vaco, & vbicumque ſum, meus ſum: rebus enim non me trado; ſed commodo, nec conſector perdendi temporis cauſas, & quocumque conſtiti loco, ibi cogitationes meas tracto, & aliquid in animo ſalutare verſo.* Nonnulli honeſti otij deſiderant plauſum, vel cùm de induſtria elaboratis ac conquiſitis occupationibus honeſtū oppugnant otium: iuſtus ſui ipſius eſt, quocumque loco ſe vtitur, & corde cum Deo loquitur: animum ſuum ad cæleſtia mittit, vel cùm manus operibus externis exercet. Demortuo Ioſue Deum populus de eligendo duce conſulit, & oraculum aduerſus hoſtiles inſultus Iudam cæteris ducem præire iubet: *Poſt mortem Ioſue conſuluerunt filij Iſrael Dominum dicentes: Quis aſcendet ante nos contra Chananæum, & erit dux belli? Dixitque Dominus: Iudas aſcendet.* Certè non cæleſte cenſeri potuit oraculum; ſed ſententiarum diſſidium: Iudas namque Dei ſonat laudem, & confeſſionem: teſtatur mater ipſa: *Quartò concepit, & peperit filium, & ait. Modò confitebor Domino, & ob hoc vocauit eum Iudam.* Quomodo ergo inter bellicos tumultus diuinas tractabit laudes, aut quomodò arma ſtudioſè contra inimicos arripiet, qui ſe totum laudibus diuinis impendit? Cæleſtia meditari, ſe Angelorum choris inſerere animum depoſcunt ab humanis rebus prorſus abductum, & vel ipſa mole corporis denudatum. Arma in hoſtes capere ſolicitum exigit animum, & peruigil requirit ſemper ſtudium. Ergo inter ſe diſſident arma & Iudas: cur ergo oraculum bellicis laudem tumultibus impedit, aut rebus bellicis ſucceſſum aufert. *Iudas,* inquit, *aſcendet?* vt doceat viros perfectos rebus ſe externis non tradere; ſed vel inter bellicos ſtrepitus cælo viuere: Iudæ manus in ceruicibus inimicorum; ſed affectus inter cæleſtes choros ſpirituum: ſe vtitur & ſui iuris eſt, vel dum hoſtes circumſonant, bellaque deſudant: *Cùm me amicis dedi,* addit Stoicus; *non tamen mihi abduco, nec cum illis moror, quibus me tempus aliquod congregauit, aut cauſa ex officio nata ciuili; ſed cum optimo quoque ſum.* Iudas pugnat, & pugnando perſeuerat, nec militaris tumultus diuinis laudibus obſtrepit, nec diuina laus militare exercitium impedit: vt noueris viros perfectos inter varia negotia non diſtrahi; ſed cæleſtia meditari.

Seneca. — Sapiens ſe occupationibus commodat, non tradit. — Vbicumque ſis, aliquid ſalutare animo verſa. — Geneſ. 29. v. 35. — Seneca.

Nato in arctiſſimo tuguriolo Domino cæleſtis numeroſaque præſepe circumſtabat familia, vt ex ſeruis agnoſceretur poteſtas, & ex paleis refulgeret humilitas: paſtoribus iucundiſſimum deferunt nuntium, & confuſas noctium tenebras ſolaribus vincunt radiis: *Subitò facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altiſſimis* 19.

Lucæ 2. v. 13.

Deo

Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Ambroſ. Diuus Ambroſ. hîc legit. *Facta eſt cum Angelo multitudo exercitus cæleſtis laudantium Deum.* Certè actus ab officio diſcrepare videtur, exercitus namque in arma ruit, inimicum deterret fremitu, non aures demulcet cantu, cur ergo exercitus, qui in hoſtem arma ſtudioſe debuiſſet premere, geſtit auribus metris dulciſonis adulari? Quia cæleſtis militia, inquit opportunè Beda, ſic hoſtes oppugnat, vt laudibus diuinis attendat, ſic corde gerit diuinas laudes, vt armis ſtrenuè nocentiſſimum in hoſtem irruat: docuit Angelus chorum & exercitum poſſe inimicè non diſſidere; ſed modo mirabili concordare: quid enim obſtat quominus dum dextera nocentiſſimos trucidat hoſtes, diuinas Beda. lingua referat laudes? Accipe Bedam hîc: *Benè chorus adueniens Angelorum militia cæleſtis vocabulum accipit, qui & duci illi potenti in prælio, qui ad debellandas aëreas poteſtates apparuit, humiliter obſecundat, & ipſe poteſtates eaſdem contrarias, ne mortales tantum tentare valeant, quantum volunt, fortiter armis cæleſtibus proturbat.* Ecce deprælíatur ſtrenuè chorus, & reſonat diuinas laudes exercitus vt ab Angelis edoctus noueris laudare pugnando, & pugnare canendo. Sæpius legimus in Sanctorum hiſtoriis ſic rebus attendiſſe humanis, vt cor non denegarent diuinis: ſecum circumferebant virtutem, & cùm variis externis viderentur negotiis diſtracti, interius ſemper potioribus occupabantur addicti. Angelicos profectò mores imitatur, qui inter varias, multipliceſque occupationes diuinam non obliuiſcitur laudem, nec inter honeſtè otioſas cæleſtium meditationes militis deponit nomen. Diſce ſic externis negotiis conſulere, vt Deo ſemper comproberis attendere, ſic cæleſtia animo meditare, vt iniunctas valeas occupationes implere. Nec ſolùm nos hanc philoſophiam edocent Angeli; ſed exemplis inſtruunt ſtandis peruerſi.

20. Moyſi apud Sinæum de condendis legibus cum Deo agenti populus tam neceſſariæ abſentiæ impatiens deos ſibi producere quærit exitiali idololatriæ libidine percitus, & nocentior ſui aduerſarius: vrgetur Aaron, iubet inaures deferri, & flammatum auxilio aggreditur in vitulum conformare, Moyſes flagitium admonitus, Ioſueque ſtipatus de vertice deſcendebat, cum pugnæ reſonat fremitus, & ſimul auditur cantus: Exod. 32. v. 17. *Audiens Ioſue tumultum populi vociferantis dixit ad Moyſem: Vlulatus pugnæ auditur in caſtris.* Quid tunc Moyſes? *Vocem cantantium ego audio.* Ecce populus infamis idoli repetit cantus, dum hoſtium premit circumquaque tumultus: Lippom. *vox bellica*, ſcribit Lippomanus, *ſeu* Septuag. *belli in caſtris: ſubaudi, auditur.* Sic & Septuaginta. *Vox belli in turma.* Hebræi vtpotè feris, validiſſimiſque hoſtibus circumcincti non poterant in aduerſarios non armari, pugnæque incumbere; at vel milites arma tractantes idoli audiebantur laudem canentes. O nimis verum! ſæpe ſæpius variis occupationibus diſtricti adhuc animo peſſimi voluptuoſis ſtudent inſaniis, & inſanis polluuntur pictis phantaſia deliciis: inter occupationum etiam diluuia indigna meditantur gaudia, ſicque ſe externis negotiis commodant, vt ſe voluptatum deliriis corde tractandis relinquant. In ipſa turma militaris auditur ſtrepitus, & corde idolorum reſonat cantus.

Iacob repetebat patriam, cùm fluuius occurrit, & ſiſtere tantiſper gradum compellit: 21. O quoties labiles, caducique rerum humanarum fluctus ad patriam gradum impediunt! *Traductis omnibus, quæ ad ſe pertinebant, manſit ſolus.* Se omnibus expediuit, vt tranquillius ac ſere- Gen. 32. v. 23. nius oraret; ſed ecce tibi egregius illi occurrit luctator, ad certamen compellit, & pectus pectori conſerit: *Ecce vir luctabatur cum eo vſque mane.* Alto vulnere femur ſtupet, ſanguine exundat, ſed adhuc arctatus percuſſuſque luctatoris ſciſcitatur nomen, eumque alloqui curat: *Dic mihi quo appellaris nomine.* Ecce inter certaminis ſecuta pericula benedictionem exambit, & ſcire nomen ſtudet: quod Oſeas clarius expreſſit: *Inualuit*, inquit, *ad Angelum, & confortatus eſt: fleuit, & rogauit eum.* Profectò palæſtra Oſeæ 4. v. 12. aptior videbatur quàm orationi; certamini: pugnet Iacob viriliter, totas luctamini vires impendat, curet aduerſarium vincere, non orare. Omnia tempus habent, quæ inſipienter confuſa laudem non pariunt, ſed ignominiam: ergo Iacob in arena deſudet, validiſſimis aduerſarium lacertis conſtringat, palmamque concedere cogat, miſſa in tempus aliud oratione, & cæleſtia noſcendi curioſitate, imò hîc benedictionem ſuam cumulauit: quia inter pugnæ labores orare non intermiſit. *Fleuit, & rogauit eum.* Pugna totum animi vendicare ſibi videbatur ſtudium, labor totum ſibi arrogabat animum; verùm Iacob dum manus conſerit, & preces fundit, & cùm in arena deſudant prælia, corde nutrit cæleſtium vota: nec enim manus impedit orationis exercitium, nec votum eneruat manus: *cuius benedictionem rogas*, aiebat Hilarius 5. de Trinit. *complexu tuo validior elidis: à geſtis corporis tui mentis tuæ opus diſſidet.... cum homine luctaris; ſed Deum facie ad faciem* Hilarius. *vides.* Luctatur, & intuetur, vrgetur, & deprecatur: robur contra aduerſarium exerit, & preces deuotiſſimas fundit: nec orationem impediuit dolor, nec intermittere ſuaſit labor: *Cum homine luctaris; ſed Deum vides.* O ſi à Iacobo diſceres cum hominibus agere, & Deum videre! Profectò cumulatiſſimis fulget benedictionibus honoratus, qui nec in ipſa pugna oratione abſtinuit, nec orando ſe certaminibus iuſtis ſubduxit: Iudas imitatus eſt patrem; laudis namque implet vocabulum, vel cùm fortis tendit ad prælium: *Iudas aſcendet. Iudas*, ſcribit Lyra ad Lyra. Geneſ. 29. *interpretatur confitens, & accipitur hic confeſſio diuinæ laudis, vel gratiarum actionis.*

Reges quinque impio fœdere colligantur, vt Ioſue 10. v. 12. Gabaonitas virtutis patres ſequentes oppugnent: & quando virtus ſine aduerſario? Vitio, mendacioque inſeruientes degebant pacati, iam meliora ſapientes multiplici inimico anguſtantur afflicti: à Ioſue depoſcunt auxilium: ille oratione inuitatus præſtò adeſt, cogenſque exercitum repentè irruit in inimicum. Quid tunc? Bellico ardori orationem coniungit, & hoſti debellando intentus precibus probatur addictus: *Tunc locutus eſt Ioſue Domino in die, qua tradidit Amorrhæum in conſpectu filiorum Iſrael.* Non dubium quin illud *tunc*, aliquod nos edoceat arcanum: *Tunc*, inquit, *locutus eſt.* Quando tunc? Quando fortiſſimis vallatus hoſtibus, quando difficillima prælia omnem ſibi animi exigebant curam, & omnem ſolicitudinis diligentiam; verùm meus Ioſue cæleſtia inter certamina

Digitized by Google

tamina meditatur, nec negotiis adeò difficillimis interdicitur. O quàm nos dum ſpoliorum auidi, triumphiſque intenti, orationis inueniremur obliti! At dux ſtrenuus inter varias certaminis occupationes orauit, & orando arma in aduerſarios mouit: vt noueris nihil eſſe, quod Caietan. ſanctorum ſerenitatem perturbet. *Iunge, prudens lector*, ſcribit Caietanus, *duo hic ſcripta, ſcilicet quòd tunc locutus eſt Ioſua Domino fonti eſſendi, & quòd direxit ſermonem ad Solem, & Lunam: vt perpendas quòd primum eleuauit mentem in Deum.* Inter auxilij aſciſcendi curas, inter certaminis ſuſpenſas ſolicitudines, inter præliorum anxios labores Ioſue cœlum ſuſpicit, & milites imperialibus adhortans vocibus Deum in auxiliis numerat precibus: militari orauit in campo, vt in ſemoto poſſet cubiculo, & armatam dexteram gerens in Amorrhæum imperturbatum orationi ſeruabat animum: egregiæ namque perfectionis viri vel cum vrgentiſſimis occupationibus implicantur, negotiiſque difficillimis conſtringuntur, animum ſibi retinent liberum, & orationi dicatum.

13. Centurio militari dignitate nobilis, ſed fidei deuotione nobilior ſic ſtrenuus ſtuduit inueniri in certamine, vt radiaret etiam virtute, fide ſuperat Iſraëlitas, & in ipſo militiæ faſtu, humi-
Lucæ 7. v. 6. litatis diteſcit cenſu: *Domine*, inquit, Chriſtum alloquens per amicos, *noli vexari: non enim ſum dignus, vt ſub tectum meum intres.* Vel dum ſolicita obſtrepunt bella, animo gerit humilitatis ſtudia: rectè diuiſus ſic dexteram commodabat armis, vt animum ſeruaret virtuti. Adeſt
Chryſol. Chryſologus ſermone 101. *Magis militabat iſte, quàm ſæculo: & in humano bello fortis, fortior in diuinæ pacis cuſtodia permanebat.* Intus armabatur in vitia, vel cùm premeret contra inſultus hoſtiles arma: in certamine bellico internæ pacis cuſtodiebat otium, quin deuotio muneri officeret, aut munus deuotionem tardaret.

§. IX.

Ad virtutes ſalubribus dirigimur monitis; ſed tendimus lætiores exemplis.

14. PAucis animi firmitas contingit, niſi iam multum fuerint ſupra fortunam elati: neceſſum eſt ſalutaribus excitari diſciplinis, & ſalubribus accendi monitis. Exigua nobis eſt virtutis ambitio: res quælibet fortuita animum noſtrum auocat, & à virtute ad virium tranſmutat: irritatore opus eſt, qui veluti emortua ſemina conſiliis exuſcitet, & certantes acclama-
Seneca. tionis impulſu irritet: *Natura glorioſa eſt virtus*, ſcribit Seneca lib. 3. de beneficiis cap. 36. *& an-*
Virtus antei-re cupit. *teire priores cupit.* Addit poſteà; *ſtimulos adiicere debemus, & dicere: Hoc agite, optimi iuuenes: poſita eſt inter parentes ac liberos honeſta contentio, dederint maiora, an receperint: non ideò vicerunt, quia occupauerunt, ſumite modò animum, qualem decet, & deficere nolite, vt vincatis optantes.* Stimuli honeſtis ſermonibus iniiciuntur; verùm iucundiùs ad virtutem ducunt virtutis exempla, quàm prudentiæ conſilia. Facile eſt virtutis pulchritudinem eloquentiæ penicillo depingere, difficilius veſtigia premenda ſequentibus tradere. Profectò ignotam aliquam ingreſſi viam plus gaudent impreſſis ab alio veſtigiis, quàm alicuius ſcioli monitis. *Elige*, aiebat Seneca epiſt. 11. *eum, cuius tibi placuit & vita & oratio, & ipſius animum ante te ferens & vultus, illum ſemper tibi oſtende vel cuſtodem vel exemplum. Opus eſt, inquam, aliquo ad quem mo-* *Praua niſi*
res noſtri ſe ipſi exigant: niſi ad regulam, praua *ad regulam,*
non corriges. Opus nobis aliquo eſt, cuius ora- *non corriguntur.*
tione alliciamur, & prolectemur; iucundius tamen virtutis carpemus viam, ſi quis nos non ſolùm, quà eundum, verbis edoceat; ſed veſtigiis antecedens oſtendat. Iſraëlitæ duce carentes Deum conſulunt, & qui exemplis manuducat, requirunt: *Conſuluerunt filij Iſraël Dominum dicentes: Quis aſcendet ante nos contra Chananæum, & erit dux belli?* Ad ducem pertinet turbam imperio regere, & exercitum ordinare; verùm filij Iſraël non ſolum expetunt ducem qui regat monitis; ſed qui prolectet exemplis: *Quis*, inquiunt, *aſcendet ante nos contra Chananæum?* Ac ſi dicant: Deſignari nobis optamus ducem, qui non ſolùm prudenti imperio res Martias gubernet; ſed qui præeundo, qualiter pugnandum, demonſtret: tunc namque alacriùs ruemus in arma, cùm nos ducis ſine coactione cogant exempla. Quid tunc? Iudas oraculo deligitur: *Iudas aſcendet.* Iam ſi inquiras, cur Iudas præ aliis fuerit delectus, reſpondebit moralis gloſſa, Chriſti Domini, qui reliquit nobis exempla, vt ſequamur veſtigia eius, figuram
geſſiſſe: *Per Iudam ſignificatur Dominus noſter* Gloſſa.
Ieſus Chriſtus. Certè ſi dux ſolùm verbis dirigat, & exemplis non cogat, non ſic ſuos in hoſtem inflammarit; aſt dum & verbis inſtruit & exemplis compellit, nec militi licet otiari, nec hoſti viuere. Cùm ducem expetunt, qui ante illos aſcenderit, qui alacriùs in turbam Chananæorum irruerint, ille eligitur, qui monitis dirigat, & exemplis ſine coactione compellat.

Magi recens natum obſcuro loco ſolem re- 15.
quirunt, difficultates vorant itineris gelidi, horrores negligunt temporis, curiam intrant, &
quo loco recumbat, rogant: *Vbi eſt qui natus* Matth. 2. v. 2.
eſt rex Iudæorum? Scribæ, ſacerdotumque Principes Bethlehem ciuitatem adeundam monent; imò Herodes diligenter puerum requirendum conſuluit: *Ite & interrogate diligenter de puero.* Scribarum Regiſque monitis viam carpebant, cùm luminoſum aſtrum antecedit celeri paſſu, & ſequentes ſydereo exhilarat vultu: *Ecce ſtella, quam viderant in oriente, antecedebat eos:* iam exultant gaudio delibuti, & ſeſe vrgent, ne remaneant duce fraudati: *Videntes ſtellam gauiſi ſunt gaudio magno valde.* Galfridus in allegoriis Tilmani expendit ad præcedentis aſtri conſpectum pectore fouiſſe gaudia, cùm non fouerint, quando ſcribarum & Regis illos adurgebant monita. Certè quod ſtella lumine, ſacerdotum Principes prophetico indicauere ſermone; & tamen magi iter arripiunt gaudentes ad ſtellæ conſpectum, cùm gauiſi non referantur, dum audiunt ſcribarum conſilium. Ecqua huius diſcriminis cauſa eſt? Innuit profectò Scriptura: *Ecce*, inquit, *ſtella antecedebat eos:* ſcribæ direxere monitis, ſydus perduxit exemplis: ergo alacriùs carpunt viam præcedenti ducti lumine, quàm ſolo edocti ſermone, *Non immeritò*, inquit,

Digitized by Google

Galfrid. quit Galfridus, *ad aſpectum ſtellæ, quàm ad auditum etiam prophetiæ, ampliori gaudio ſunt gauiſi, ad cœleſtem magis itineris ducem, & comitem amplectentes, quàm terrenum quodlibet affectantes.* Attentiùs audi, quæ ſubdit: *Acceptior enim ſolet eſſe doctrina operis, quàm ſermonis, & minus gratanter accipitur verbum præcipientis, quàm præcedentis exemplum.* Monebant ſcribæ curiæ commodis potiti Magos Bethlehem adire, & ardua itineris deuorare: monebat etiam ſtella; ſed imprimendo veſtigia, non ſolùm præbendo viatoribus documenta: ergo Magi itineris non deterrentur difficultatibus, imò ipſis gaudent laboribus, dum præcedentis alliciuntur exemplo, & duce gradiuntur aſtro: *Antecedebat eos.* Certè ſtellæ celerrimo gradiuntur motu, & ocyſſimo inuolant greſſu; & tamen Magi ſequuntur non defatigati; ſed gauiſi: quia ipſe labor præcedentis melliebatur exemplo, & exemplum vires inſpirabat animo. Scribæ docuerunt ſolùm monendo, & nullatenus præeundo: ideò Magi non referuntur gauiſi; ſed immorati: & quidem non facilè deuorantur dura, vincuntur ardua, ſuperantur inacceſſa, dum ſolùm adeſt ſermonibus irritator; at complanantur difficillima, ſi exemplis præcedat ductor. Ecce longiſſimi itineris labor ſuadebat tædium; & tamen præcedens ſtella laborem vertit in gaudium, videntes ſtellam vtique præcedentem ſunt gauiſi: fors non adeò celeriter peruenirent; ſed laſſeſcerent ſolùm moniti. Prudentiſſimè ergo expetunt Iſraëlitæ ducem, qui præcedat pugnando, nec prouocet ſolùm iubendo.

26. Ioſue contra Hai vrbem non copioſo milite inſtructam, nec muris vallatam ſtrenuos milites

Ioſue 7. v. 4. armat: *Aſcenderunt tria millia pugnatorum*; verùm aduerſariis cedentes hoſtilibus mucronibus tergo impreſſas indignæ fugæ tulerunt notas, & in populo excitarunt tragœdias: *Statim terga vertentes percuſſi ſunt à viris vrbis Hai.* Arma arripuerunt in aduerſarios ducis monitis inſtructi, & adhortationibus irritati; verùm facillimè elanguit robur, & ignauus corda poſſedit timor. Quid tunc? Dominus Ioſue iubet exercitum anteire, & militares turmas præcedere, ſicque facilè inimicum teſtatur oppugnandum, & exercitum trophæis immortalibus redi-

Ioſue 8. v. 1 miendum: *Tolle tecum omnem multitudinem pugnatorum, & conſurgens aſcende in oppidum Hai: ecce tradidi in manu tua Regem eius & populum, vrbemque & terram.* Si modò in aduerſarios victoria inſolentes Iſraëlitæ audacter inſurgunt, cur anteà triumphis non coronatos metuerunt? Monet Ioſue hoſtes modò oppugnare; ſed & monuit antea in inimicos irruere: ſi ergo anteà fugerunt ignaui, quomodò nunc hoſtem ſubegerunt ſtrenui? Innuit textus: quia anteà ſolùm illos Ioſue inſtruxerat verbo; ſed modò manu: *Cùm eleuaſſet clypeum ex aduerſo ciuitatis inſidiæ, quæ latebant, ſurrexerunt confeſtim, & pergentes ad ciuitatem ceperunt, & ſuccenderunt eam:* anteà milites miſit; ſed ipſe manſit: inſtruxit monitis; ſed non accendit exemplis; modò clypeo apprehenſo, brachioque eleuato militarem edocet fortitudinem: ideoque qui anteà indecoram arripuerant fugam, glorioſam modò reportauere victoriam: *Diuina pro-*

Caietan. *culdubio operatione factum eſt*, ſcribit Caietanus, *vt extendente Ioſue manum ſuam verſus ciuitatem inſidiæ ſurrexerint, atque ſuccenderint ciuitatem.* Addit poſt pauca: *Vbi clarè patet quòd inclinatio manus ratio fuit ſurgendi.* Vbi ducis dextera militarem apprehendit clypeum, inuictum militi refudit animum, audacterque adorietur hoſtes exemplo compulſus, qui fugeret ſolùm monitus: *Inclinatio manus ratio fuit ſurgendi.* Ecce qua milites mouebantur ratione: quia ſcilicet præclariſſimus illorum dux labore anteibat, & haſtam clypeumque aduerſus hoſtes leuabat: inſtructi antea monitis perrexerant; ſed ceſſerunt facilè; at modò quia illos obarmat ducis labor, & ciuitatem oppugnant; & glorioſum triumphum reportant.

Vt Chriſtus Dominus a diſcipulis fidei rationem expoſcat, fretum naui iubet tranare, & 27.
trans fretum illum præcedere: *Compulit Ieſus diſcipulos aſcendere in nauiculam, & præcedere* Matth. 14. v. 22.
eum trans fretum. Innuit Euangeliſta verbo illo *compulit* difficulter paruiſſe monitis, & Domini cunctanter obediſſe conſiliis: Non multò pòſt Petrus veſtigio vndas calcare audet, nec ſpumoſa gradi per æquoris dorſa timet: *Deſcendens Petrus de nauicula ambulabat ſuper aquam, vt veniret ad Ieſum.* Profectò à ſe ipſo diſſidere videtur Petrus: nam ſi modò infidi maris adeò pericula eſt veritus, vt inſcenderit nauim compulſus: *Compulit aſcendere in nauiculam*; cur modò deſpicit naufragia, & vincit animosè pericula? Expende huius rei circumſtantias, & difficultatis ſolutionem inuenies: Chriſtus Dominus anteà in tellure manens diſcipulos monuit marinos ſecare fluctus, & vorticum deſpicere lapſus: *Aſcendit*, inquit, *in montem ſolus orare:* modò ipſe ſuper aquas graditur: *Venit ad eos ambulans ſuper mare.* Ergo Petrus ipſa in nauiculà timet conſiliis impulſus, & calcat fluctus intrepidè exemplo Domini prouocatus: vbique Dominus Petro iubet; ſed exemplo alibi ſolùm præcedit: ergo Petrus poſt adhortationem trepidus, iam exemplo difficultates vorat, & fluctus marinos calcat impauidus. *Videamus*, aiebat Baſilius Seleucienſis orat. 22. *Petrum contra fluctus audentem, & in nauicula conterritum.* Multò operoſius erat vndas calcare plantis, quàm ſecare fluctus remigiis; eam tamen prudentem audaciam ſuperioris indit exemplum, vt Petrus, qui nauim inſcenderit lentè magiſtri monitis, celeriter vndis calcarit exemplis. *Rectè*, in-
quit, Hieronymus apud Diuum Thomam *quaſi* Hieron.
inuiti & retractantes Apoſtoli, ne illo abſente naufragia ſuſtinerent. Timent vndam; cùm patiuntur abſentiam: deſpicit Petrus naufragiū, cùm animaduertit exemplum. Fecerunt Apoſtoli, quod admonebantur; ſed quaſi inuitè: calcauit vndas Petrus, quod exemplis edocebatur, expromptè.

---

§. X.

Diuinæ electionis eſt in optimi prædeceſſoris locum ſufficere, qui dignis poſſit munus actionibus adimplere.

FElicitatis genus eſt poſt prædeceſſorem inui- 28.
ſum dignitatis locum tenere, quando præcedentis error, ſequentis commendat facta, & æternat iactura propria præconia. *Aſſertio meritorum eſt*, aiebat Caſſiodorus 8. var. 10. *potuiſſe eligi poſt improbitatem iudicis accuſati, quando exceſſus præcedentium non corrigitur, niſi cùm ſucceſſor optimus inuenitur.* Rebus profectò contrariis facilè medicina ſuccedit, vitalis calor frigus depellit peſtiferum, nubila ventorum ſpiratione terguntur, & aquilo faciem cœli tranquillam

reddit, quam auſtralis aura turbauit,verùm etſi ad detergendam prædeceſſoris malignitatis notam,& rapacitatis iniuriam virtus æquabilis,& laudanda ſucceſſoris quæratur, plus requiritur, vt quis animetur non præcedentis dedecore;ſed eximia virtutum laude: *Animare*,aiebat Caſſiodorus loco citato, *dedecore præcedentis, quando poſt illum profuſa malitia virum vel à malis abſtinuiſſe laudabile eſt: nam quale erit,ſi beneficia prouinciis tribuat,quæ hactenus non habebant? Bonum inſolitum plus amatur, & ſequenti gaudio confert dulcedinem temporum præmiſſa triſtitia.* Poſt obſcura nubila grata lucis ſerenitas fulget; ſed inſolita debet eſſe,quæ radios ſolis meridianos vincat, & ardentiſſimæ luci non ſine laude ſuccedat. Securus celſa conſcendit,qui ſe actionibus approbauit,& certo procedit veſtigio,qui gradatim deſiderio potitur accepto: ſine merito ſiquidem putatur remuneratum, quod habetur omnibus ſubitum: nec refugit ſuſpicionem inexplorati,quod repentè prouenerit. Omnia deliberata robuſta ſunt, & iure dignitatem obtinuiſſe creditur,qui expertus,& laudatus eligitur. Verùm etſi quiſque laudem ſuam propriis procudat factis, nonnunquam adauget etiam alienis, quando in commendationem cedit modeſti reprehenſibilis actio præcedentis erroribus infuſcari: de aliena culpa gratiam ſuam cumulat, & tantò facilius dilaudatur acceptus, quanto prædeceſſor omnibus habebatur ingratus, *Hæc*, Caſſiodor. aiebat Caſſiod. Quæſtori probo ſanè viro 7.var. 13. *cùm tu ſub tanto iudice laudata peragere, gratiam quoque loci alterius inueniſti: dictationibus enim probaris adhibitus,cùm ſit offenſionibus alter expulſus.* Vnius expulſio eſt ſubſequentis laudatio,quando vel mediocribus actionibus ſibi præconiorum acquirit gratiam,qui populi obliterauit offenſam. Verùm ſi facile ſibi lucratur plauſum, indignum ſubſecutus, ad magna cogitur poſt approbatum electus, quando non exigui laboris eſt illius locum impleſſe, quem conſtat præſtantiſſimis dignitatem moribus euiciſſe. Multis debet actionibus exornari, qui in omnibus grati locum probatur ſubſtitui. Hinc Iſraelitarũ grandiores ætate & prudentia ſenes Deum conſulunt poſt Ioſue mortem, quis primus aſcenderet: *Poſt mortẽ Ioſue conſuluerunt filij Iſrael Dominum dicentes Quis aſcendet ante nos contra Chananæum, & erit dux belli?* Alia negotia humana prudentia non ſemel decreuerant; verùm Abulenſ. ad hoc negotium diuinum oraculum expectabant: *Dicendum*,ſcribit Abulenſis q. 2. *quòd conſuluerunt Dominum nunc pro duce: quia mortuus erat Ioſue, & non habebant ducem.* Si in alterius locum quis ſufficiendus eſſet, fortaſsè humana delegiſſent induſtria; at quia Ioſue viro illi ſtrenuo, & ſæculis decantando deligebatur ſucceſſor,opus fuit diuinum conſuluiſſe oraculum, & cæleſte expectare reſponſum: exigebat namque induſtrium & perfectiſſimum virum Ioſue locum implere,& glorioſa facta glorioſis actionibus exæquare.

29. Fugerat Elias ardentem Iezabelis inſaniam, cúmque ſe proieciſſet in iuniperi vmbra, Angelico monitu excitatur, & Angelico paſtu nutritur: poſt cum Angelo ſermonem ore ſicco, ventre arido peruenit vſque ad mõtem Dei Choreb: ibi cùm in ſpelunca diuertiſſet, quamfamiliari Dei congreſſu exceptus eſt. Quid tunc? Eliſæum pro ſe in prophetam iubetur vngere, & iam ordini ſacro adſcribere: *Eliſæum filium Saphat, qui eſt de Abelmeula, vnges prophetam pro te.* Et cur 3.Reg.19. v.15. hîc poſt diuina colloquia præcipitur, quod anteà potuit temporis compendio iuberi? *Reuertere*, inquit, Deus, *in viam tuam per deſertum.* Si eadem regreditur via, vt vngat, ſatius videbatur ſe comparare ad vnctionem, antequam tempus inſumeret in dimetienda illa via: ergo compendio moneretur ab Angelo, antequam cacumen inſcenderet, & inutiliter ad ſpeciem tempus inſumeret. O vide, amabo te, quid Eliæ iniungitur: ſufficere hominem in ſui locũ, qui poſſit eodem Spiritu regere; imò & Spiritu adaucto in ſpiritualibus gubernare: hoc ergo Numinis conſilio erat adſcribendum, non vel ſtudio Angelico dandum. Erat Elias ardens zeli facula, clauſtra cælo iniiciens, aras deteſtandæ religionis euertens: erat homo, ab cuius ore omnis aliquando creatura pendebat, qui mortis infregit leges, qui refudit lucem defunctis: ergo hominem deligere, qui huius locum impleret, factaque coloribus non adulteratis exprimeret, Numinis erat, non Angeli. Inſcendat Elias montis cacumen locum cælo proximum, & nubibus coæquatum, cum Deo miſceat colloquia,& accipiat ad electionem oracula: eſt namque neceſſum ad tantam electionem Numen conſuluiſſe, & imperium eius auſcultaſſe. *Sciendum*, ſcribit Abulenſ. q. 20. *quòd* Abulenſ. *Deus dixit hîc Eliæ de vnctione Eliſæi* Eliſæus in magni viri locum erat ſufficiendus: ideò electio adſcribi debuit non creaturæ, non Angeli conſiliis; ſed Dei oraculis: Deus ipſe deſignat vngendũ, quo vno eodéque præſcripto eximias Eliæ commẽdarit actiones,& egregias ſucceſſoris virtutes.

Plinius vt Neruæ electionem erga Traianum ſummis laudibus commendaret, hanc ſibi deos 30. arrogaſſe teſtatus eſt: *Itaque non tua in cubiculo; ſed in templo, nec ante genialem torum; ſed ante puluinar Iouis Optimi Maximi adoptio peracta eſt: qua tandem non ſeruitus noſtra; ſed libertas, & ſalus, & ſecuritas fundabatur: ſibi enim dij gloriam illam vendicarunt: horum opus, horum illud imperium; Nerua tantùm miniſter fuit.* Dum Traianus ad regnum cooptatur ab optimo prædeceſſore non degenerans; ſed veluti ſimilibus geſtis inſtaurans, vti grande Numinis beneficium deprædicatur, eiuſque peculiariſſima prouidentia geſtum refertur: & quidem non figmentorum cura; ſed Numinis prouidentia clariſſimè agnoſcitur, dum digni prædeceſſoris locum laudandis actionibus implet ſucceſſor. Facile eſt famam ſibi acquirere, ſi anteceſſor ſuam indignis actionibus denigrauerit: nam de antecedentis iniuria extollitur ſucceſſoris modeſtia; at virtutum formam implere,& ab honeſtatis exemplari non deuiare, Numinis beneficio peculiariter debet adſcribi, & cæleſte donum cenſeri.

Cùm ille naturæ dedecus ille orci ianitor, mor- 31. tiſque miniſter religionem exoſus fratrem innocentem occidit: ab exordio religio paſſa eſt inuidiam: qui Deo placuerat occiditur,& liuor, quo liberius alienum inſectaretur à proprio ſanguine eſt auſpicatus: ſerpens linguam diabolo commodauit, Cainus linguam & dexteram mutuatam exhibuit: poſt Abelis excidium Seth natus eſt,& hunc mater ſpecialiſſimè Deo adſcripſit,& acceptum cęlitus euulgauit: Peperit filium, vocauitque nomen eius Seth dicens: *Poſuit mihi Do-* Gen.4.v.25. *minus ſemen aliud pro Abel, quem occidit Cain.* Seth Abeli vicarius naſcitur, & ideò ſpecialiter Numini adſcribitur; alij fœtus putantur naturæ fructus; at qui prædeceſſoris omni virtute excul-

ti

Digitized by Google

ti locum non ſolum tenet; ſed geſtis digniſſimis implet, non tam naturæ videtur opus, quàm electionis diuinæ ingens beneficium. Adeſt Eucher. apud Lippom. *Potuit quippe & Adam diuinitus admonitus dicere, poſteaquam Seth natus eſt: ſuſcitauit mihi Deus ſemen aliud pro Abel, quem occidit Cain: quoniam talis futurus erat, qui impleret* Eucher. *illius ſanctitatem.* Abel ouium ſtudioſiſſimus paſtor totus religioni addictus, & virtutibus conſecratus illuſtre poſteris reliquit exemplum: Seth eius inſtitutum vitæ iterum excitauit, virtutibus etiam addictus, & egregij anteceſſoris veſtigia ad vnguem ſectatus: vtque noueris ſimiles ſucceſſores ſpecialiſſima Dei prouidentia Reipublicæ deſignari, Adam non eſt auſus adſcribere Seth naturæ; ſed fructum agnouit gratiæ: talis namque futurus erat, qui impleret Abel ſanctitatem. Non eſt grande elogium faſtiditum anteceſſorem laude vincere, & famæ plauſibus ſuperare; illuſtre tamen eſt prædeceſſorem numeris omnibus abſolutum ſubſequi, & actionibus ſimilem, virtute æqualem eſſe ſolùm tempore ſuperiorem. Dum Ioſue ſucceſſor Moyſis eligitur, electio Numini iure appropriatur: nec enim erat humani conſilij Moyſis ſucceſſorem ſignare, qui vitâ poſſet referre.

32. *Prouideat Dominus Deus*, aiebat Moyſes, *Spi-*
Numer. 27. v. 15. *rituum omnis carnis, hominem, qui ſit ſuper multitudinem hanc.* Ioſue eligitur, ſed Numinis prouidentia, non humana induſtria: nec enim tanti prædeceſſoris dignus ſucceſſor potuit ſine ſpeciali Numinis cura eligi, & pro virtute conſtitui:
Oleaſt. *Conſidera Dei ſapientiam*, ſcribit Oleaſt. ad mores *erga ducem, qui licèt illi mortem proximã nuntiaſſet; nihil tamen de ſucceſſore ſibi dãdo loquitur; ſed hoc in ſua diſpoſitione relinquere vult.* Profectò diuinæ erat diſpoſitionis ſucceſſorem eligere, qui Moyſem tot miris celebrem, tot virtutibus illuſtrem factis referret, & actione ſimili ſuſcitaret.

33. Cùm Aaroni iam mors inſtaret, iubet Deus in montem duci, ibique Eleazarum eius filium veſtibus ſacerdotalibus indui, & ad faſtigium di-
Numer. 20. v. 25. gnitatis extolli: *Tolle Aaron & filium eius cum eo, & duces eos in montem Hor, cùmque nudaueris patrem veſte ſua, indues eã Eleazarum filium eius, & Aaron colligetur, & morietur ibi.* O arcana electio! non deerant alia ornamenta, quibus Eleazarus veſtiretur, voluit tamen Deus, vt anteceſſoris mortem memoriæ ſemper ingererent, quo & ſucceſſoris mores componerent. O quàm erudiebatur Eleazarus veſtis adſpectu, & detracto parenti ornatu! Verùm cur hanc electionem ſibi adſcribat Numen, cum alia grandis ſanè ponderis negotia Moyſi commiſerit? Facilis ſolutio: quia Eleazarus Aaronem Dei ad Pharaonem nuntium, virtutibus quidem ornatum, munere rite functum erat relaturus, adeoque arduum eſt anteceſſorem omnibus numeris abſolutum referre, vt electionem ſibi Numen voluerit adſci-
Lyra. bere: *Filius eius*, ſcribit Lyra, *ei ſuccedebat in honore*, non ſolùm dignitatis; ſed etiam virtutis: hoc ergo vti ſpeciale Dei beneficium illi fuit adſcribendum, non humanæ ſolertiæ dandum.

---

§. XI.

Redditum militari virtuti præmium ingens eſt ad militarem virtutem accendendam motiuum.

34. HOnor alit artes, & de præmio nouæ acreſcunt virtuti vires; vt corpus cibo, ſic enutritur animus præmio: ardent ſimilia honeſtè conſequi, qui vident digna remuneratione egregia facta nobilitari: ſpes eſt fortitudinis nutrix: langueſcunt propriæ, ſi irremuneratæ virtutes relinquantur alienæ: numeroſum in hoſtes cogit exercitum, qui ſudori militari debitum largitur brauium: vt è contra fugat milites, qui bellicos non honorauit ſudores. *Talibus meritis*, ſcribit Caſſiodorus 6. var. 1. *viciſſitu-* Caſſiod.
do reddenda eſt, vt nimio labore torpentes indiciis compenſationibus excitemus. Grandia ſunt, quæ ſuſtinent excubantes pericula, contumaces reprimunt, tumultibus frænum imponunt, hoſtibus terrorem incutiunt, & de militis periculo amabile ciuibus naſcitur otium. Ergo neceſſum eſt, ne tanti laboris quis auerſetur moleſtias, vt præmij magnitudo mollire poſſit anguſtias. Occulit præmium diſcrimen certaminis, & laborem ſuffuratur agonis: exerit ad pugnam animos alios lauris ſpectare immortalibus redimitos, vt robur expectorat conſpicere abiectos. Ecce dum Iſraelis elogio tribus nobilitantur, ad hoſtium expugnationem animos accenduntur: *Conſuluerunt filij Iſrael Dominum dicentes: Quis aſcendet ante nos contra Chananæum?* Iſraelis nomen obtinuit Iacob Hebræorũ pater luctando, & commutatum vocabulum fortitudinis fuit elogium: *Nequaquam Iacob* Gne. : v. 28.
appellabitur nomen tuum; ſed Iſrael: quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quantò magis contra homines præualebis? Ergo dum recordantur honeſto certamine Iacobum ſibi comparaſſe celebre elogium, & præmij recordatione accenduntur in prœliũ: geſtiunt ſponte pugnare: quia fortitudinis præmium parentem noſcunt habere: fors, ſi Iacob poſt celebrem adeò luctam nullum laboris acquiſiuerit præmium, eius filij arma detrectarent capere in inimicum; at dum certaminis non poſſunt dignam ignorare mercedem, in hoſtes intrepidè exerunt fortitudinem. Adeſt Hieronym. apud Lippom. *Non vocabitur* Hieron.
nomen tuum ſupplantator, hoc eſt Iacob, ſed vocabitur nomen tuum Princeps cum Deo, hoc eſt Iſrael: quomodò enim ego Princeps ſum, ſic & tu, qui mecum luctari potuiſti, Princeps vocaberis. Itaque nomen Iſraelis militari fuit exhibitum fortitudini: filij ergo remunerati non recuſant prælia, ſed ambiunt animosè certamina: eſt namque experientia compertum præmiis virtutem exacui viresque accendi.

Pſaltes vt aduerſus gehennales furias homines 35.
incitaret, certaminis ante oculos præmium po- Pſal. 1. v. 1.
ſuit: *Beatus*, inquit, *vir, qui non abiit in conſilio impiorum*: ac ſi dicat: Qui impia conſilia proculcauit, beatitudinis præmium accepit: ergo & vos eadem proculcate conſilia, vt ſimilia accipiatis præmia: *Vt ij*, inquit Ambroſ. hîc, *qui agonis ali-* Ambroſ.
quam ſolẽnitatem acceperint exhibendã, proponere præmiũ ſolent, iactare coronæ nobilitatem, quò certaturi maiori ſtudio conueniant, niſuque propenſiore decertent; ita Dominus noſter Ieſus regni cæleſtis gloriam, perpetuæ quietis gratiam, vitæ æternæ beatitudinem ad virtutis humanæ incentiua propoſuit. Contendunt homines ad emerendum præmium, & laborum fruſtrantur periculum, dum hoſtilia arma deuincens deprædicatur beatus, grandis militum ad pugnam cogitur numerus, nec retardant laboris tædia, quos grandia alliciunt honoris elogia. Ecce vtiliſſimam Dauidis induſtriam: vnum præmio remuneratum propoſuit, quo plures in aduerſarios armaret: vſque ad agonem

 tribif

trahit præmiũ:quia agonis moleſtias ſuffuratur brauium : Velut præco,addit Ambr. magni Imperatoris Sanctus Dauid hortatur milites,athletas vocat, prælium exprimit dicens. *Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum.* Vel vnus remuneratus plures accendit ad bellum, & generoſis ingerit animis laudabilem æmulationis igniculum.

Ioanni obiicitur equus albus feſſorem geſtans
36. militarem:pugnauit, veſtemque aſperſo decorauit ſanguine; ſed cùm ſanguis prælio ſpectatur effuſus, & multis etiam diadematis adſpicitur coronatus:*Cum iuſtitia iudicat,& pugnat, oculi*
Apocal 19. v.12. *eius ſicut flamma ignis,& in capite eius diademata multa.* O quàm indecorum cenſeri potuiſſet, ſi cùm veſtis ſanguine apparuerit aſperſa, verticem non ambiret in præmium data corona. Verùm quia hic cæleſtis deſcribebatur politia, eodem tempore apex fulgebat diademate redimitus,& virtutẽ ſanguis teſtabatur aſperſus. Quid tunc?*Exercitus*,inquit Ioannes, *qui ſunt in cælo, ſequebantur eum in equis albis.* Non fuit opus [illegible] accẽdere,aut milites in campum imperiali edicto vocare : quia datum pugnanti præmium omnes citabat ad arma, & accendebat ad prelia:alibi non ſic cæleſtes exercitus ſuſpirare pugnam produntur:quia nec datæ coronæ conſpiciebantur. Alibi eidem Ioanni obiicitur miles idem, & eodem gladio obarmatus:*De*
Apocal.1. v.16. *ore eius gladius vtraque parte acutus exibat*; verùm ibi non referuntur exercitus : quia nec diadematum relatus eſt numerus.*In capite eius diademata multa*, ſcribit Interlinearis : *quia per ea*
Interlin. *ipſe,& ſui coronantur.* Vbi coronatus videtur, &
Alcazar. exercitus ſectatur:*Proinde eſt*, ſcribit noſter Alcazar notat.7 *atque ab humano ſublimem ferri in noua dignitate collocatum, ſiue aliis ſpectabilem proponi, quaſi propriis operibus excelſum atque magnificum.* Dum ſpectabilis,præmioque remuneratus proponitur, exercitus ſecutus refertur. Non cano cornu,aut ſpiritu ære ductili arctato citet ad prælium,qui militati virtute ſtudioſè eſt dilargitus brauium : nec enim opus erit edictis, quando omnes deſideratis vrgentur præmiis. Econtra exprobrata videtur militia, cùm irremunerata prætermittitur decertandi ſolertia.

Conferamus hiſtorias.Ionathas vti erat excel-
37. ſo animo armigerum prouocat,vt in aduerſarios audacter irruant,ſi fortè diſcrimina populo imminentia depellant:præſumpſit de vnione,quod non præſumpſerat de virtute:annuit armiger,& per locorum prærupta ſerpentum more proreptant:*Aſcendit Ionathas manibus,& pedibus re-*
1.Reg 14. v.13. *ptans,& armiger eius poſt eum :* magnis ſuperatis difficultatibus victoriam adipiſcuntur ; verùm Ionathas non ſolùm præmio non afficitur ; ſed Morte neſcio ob quod piaculum condemnatur. Ionathæ piaculum mortis ſententia damnatum refertur ; ſed armigeri inuictum robur præmio remuneratum non proditur. Poſteà cùm immetatus ille gigas ad certamen prouocaret,nec Ionathas, nec alius quiſquam pugnæ ad ſe prouocationem rapuit;imò quiſque viſo contrario fugam arripuit:*Omnes Iſraelitæ,cũ vidiſſent virum,*
1.Reg.17. v.24. *fugerunt a facie eius* Profectò facilius videbatur in vnicum quantumuis monſtrum, inſurgere, quàm in copioſiſſimas phalangas audere:ſi ergo Ionathas & eius armiger locorum calcarunt inacceſſa,& tentarunt ſæculis inuiſa miracula, cur modò in procacem non inſurgunt gigantem,vt dignis pœnis puniant ſic temerè audentem? Ea mihi ſe ratio offert, ſcilicet quia nec armiger, nec Ionathas poſt glorioſam adeo victoriam remunerati produntur,& cæteri milites euirantur: noluerunt exponere diſcriminibus vitam ; ſed aliis relinquunt cauſam:armiger olim irruit in hoſtes,periculo vitæ;ſed ſiti gloriæ ; non tamen conceſſum illi refertur pręmium:ideò ſecundum adire detrectauit periculum:quid namque prouocaret ad campum,vbi merus labor, vitæ non dubium diſcrimen,& nulla ſpes præmij : *Omnes fugerunt*,arbitrati ſe conſuluiſſe prudentiæ,ſi vitam non exponerent ; ſed ſeruarent. Huc voco, quod aliorſum aiebat Zeno Veronenſis ſerm.de fide,ſpe,& char. *Tolle ſpem,torpet humanitas tota:* Zeno.
tolle ſpem, artes virtuteſque vniuerſæ ceſſabunt: tolle ſpem,& interempta ſunt omnia....Quid miles non dicam horridæ hyemis,aut torridæ æſtatis iniurias ; ſed ſe ipſum contemnit, ſi gloriæ ſpem futuræ non gerit? Gloria vel vitæ docet contemptum, & aduerſus pericula firmat animum;ſi verò gloriæ non vocauerit præmium, vitæ prudens quiſque fugiet periculum.Ionathas & eius armiger, qui ardua, difficillimaque ſuperantes in confertiſſimos hoſtium irruerant cuneos, modò gigantem fugiunt:*Viſo eo fugerunt:*nec enim poterat,quando primi certaminis nullum relatum eſt præmium,ſecundum adiri ſimili audacia periculum. O quàm ſibi inuidit Saul armigeri non remunerans virtutem, quando irremuneratus ſine voce ſuaſit cunctis ignauiam,qui remuneratus ſuaſiſſet contra inimicos ſolertiam ! Ignauia in præmiando in decertando nutrit ignauiam ; & quia contemni vident virtutem in certando ignorant alacritatem.

Timebat Iacobus fratris malignitatem:certauerat in materno pectore cum valido;ſed timebat decertare cum inuido:timentem Deus erige- 38.
re aggreditur, & in certatoris ſpecie vianti occurrit, & manus cum illo conſerit : *Ecce vir luctabatur cum eo vſque mane.* Theodoret.q.91. ſic ait:*Illum fiducia roborat,qui fratrem metuerat*;ve- Geneſ.32. v.24.
rùm non videbatur opportunum vires defatigare ad erigendum animum, ad certaminiſque accendendum ſtudium:cur ergo Deus, vt metum depellat ad certamen prouocat. Vide quid egregiè decertanti conceſſum, & facilè agnoſces arcanum:ibi egregio luctatori benedictio dilargita eſt:*Benedixit ei in eodem loco:*ibi nominis gloria aucta : *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum;ſed Iſrael.* Iam ergo Iacob,quantumuis defatigatus, quantumuis claudus, non timebit cum feris hominibus luctam adire : quia expertus eſt luctando nominis gloriam, & benedictionem augere. O prudentiam immortalem ! Vincenti præmium offert, quo ad certamen intrepidè obarmet ! nam licèt Iacob anteà timore concuſſus pugnam detrectarit, iam præmio ſtimulatus ambibit, & gloria coronatus audebit,*Dedit illi*,addit Theodoretus,*quod petierat,& nomen immutauit:non enim amplius,inquit, vocabitur nomen tuum Iacob ; ſed Iſrael erit no-* Theodoret.
men tuum : quia præualuiſti contra Deum, etiam contra homines potens eris. Dilargita certatori præmia deſpicere conſulebant pericula, nec poterat iam præmij labores detrectare,quem tanta præliando conſtabat accipere. Optima ad noſtram eruditionem induſtria fuit,vt ad noua certamina impelleret, ad certamen prouocare, & glorioſum præmium victori concedere.

§. XII.

§. XII.

Ea reſpublica facilè inimicos de‸triumphat, quæ periculoſas ambitionis, aut ſeditionis leges ignorat.

39. SEditio ambitionis filia æquitatis leges ignorat aſciſcens in auxilium pro ratione violentiam, pro iure audaciam. Ambitio inquietum malum, venenum mortiferum, rabida peſtis, dum ad dignitatem inflammat, pacem reipublicæ temerat. Interrogatus Charillus; quæ omnium optima inuenitur reſpublica? Reſpondit: ea, quæ concordia munita, & ab ambitionis, ſeditioniſque peſte remota. Ita Plutarchus in apophthegm. *Interrogatus quam rempublicam optimam numeraret. In qua, inquit, plerique, qui rempublicam tractant, de virtute inter ſe ſine ſeditione certant.* Pax Chriſti Domini regni ſtabile fundamentum: *Pacem,* aiebat, *do vobis, pacem relinquo vobis,* tamquam æternaturam profectò regnum. Ita Paſchaſius lib. 3. in Matth. *Pacem, inquit, do vobis, pacem relinquo vobis. Et verè magnum hereditatis commercium, quo filij Patris efficimur, & regnum ſortimur æternum.* Tota dæmonis cura ſeditiones ſeminare: nam vbi ambitionis tumultus, certiſſimus Reipublicæ imminere videtur caſus: *Nec illi,* aiebat Tertullianus ad Martyras cap. 1. *tam benè ſit, in ſuo regno vt vos committat,* Non poteſt ſerpentis regno benè non eſſe, dum inter ſe ciues committit, & ad ruinam execrabili ambitione diſponit. Demortuo Ioſue probatiſſimi ſenes, dum inimicos optant expugnare, ſuamque rempublicam in æuum ſtabilire, nil aliud ſtudioſiùs curarunt, quàm omnem remouere ambitionis tumultum, ſeditioniſque detrimentum: *Poſt mortem,* inquit, *Ioſue conſuluerunt Filij Iſrael Dominum dicentes: Quis aſcendet ante nos contra Chananæum?* Iacob luctatorem denotat, Iſrael cælitem ſignificat. Ergo qui Deum conſulunt, non Iacobi; ſed Iſraelis vocantur filij, vtpote ab omni ambitione ſemoti, & à ſeditione alieni: *Nullus,* ſcribit Procopius apud gloſſam, *in magiſtratum ſua ſponte ſe ingerere audebat: totis ergo viribus ad Arcam in Silo contendentes, nec oracula Græcorum ſectantes Dominum conſuluerunt.* Conſonat Abulenſis q. 2. *Tertium motiuum fuit ad tollendas diſſenſiones: quælibet enim tribus vellet ſuſcipere principatum ſuper omnes, & quia in hoc eſſet magna diſſenſio & inuidia, recurrerunt ad diuinum oraculum, vt faciendo quod Deus iuberet, tollerentur omnes diſſenſiones inteſtinæ.* Dum abeſt diſſenſio, dum ambitio exulat, Iſraelitæ appellantur, & iam inimici in illorum manus traditi referuntur: Ecce tradidi terram in manus eius: nam ſi Iſraelis nomen inſuperabilem fortitudinem denotat, aſſerente Domino: *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum; ſed Iſrael: quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines præualebis?* Non poterant inuincibiles non vocari concordia muniti, & à legibus ambitionis, & ſeditionis alieni.

Plutarch. Paſchaſ. Tertullian. Procop. Abulenſ. Geneſ. 32. v. 28.

40. Iſaias propheta virgam, hoc eſt regnum de radice Ieſſe pullulaturam promittit, quæ inimicorum vires confringat, & æternum regnum ſuffulciat: *Ecce dominator Dominus exercituum confringet lagunculam in terrore, & excelſi ſtatura ſuccidentur, & ſublimes humiliabuntur.* Addit propheta: *Et egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini.* Et cur in domo Ieſſe hæc naſcatur inuicta aduerſus armatos hoſtium inſultus egregiæ fortitudinis energia? Recolamus, ſi placet, quid Ieſſe domui acciderit. Cùm Saül regnum ad occaſum vergeret, & ad regnantis probrum dignum Dominus ſucceſſorem inquireret, Samuel miniſter conſtituitur, & ad Ieſſe domum regem inauguraturus diuino oraculo delegatur. Ecce Iſai re cognita filios offert, verùm cùm cæteri paſſi fuiſſent repulſam, Dauid puerulus vocatur, & in medio fratrum ſuorum ad regnum vngitur: *Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius.* Profectò Samuel minùs cautè regem videtur delegiſſe, & ad inuidentiam fratres exuſcitaſſe: ſi Ioſephi fratres vſque ad ſomniatam dignitatem inuidiæ flammas extendunt, ſi ingenuum puerum pro notho miſeræ tradunt ſeruituti, ſi veſtem ipſam in ſpeciem cædis componunt, cur Samuel ne filiis Ieſſe idem contigerit, non extimeat: ſatius prudentiæque conformius videbatur tendere ad mapalia, & in montium receſſibus Dauidem eligere, & captioſam fratrum inuidentiam vitare. O arcanam ſapientiam! In medio fratrum vngit ea concordia, eaque pace, vt illorum quiſque Dauidem animitus lætaretur electum, nec inſidiis regno priuare vellet impetitum: domum hanc oportuit omni ambitione alienam oſtendere, quando ſpiritum fortitudinis illic oportebat elaborandum nuntiare. Vbi Ioſephi fratres fratri inuident, inuiſo denuntiatur regnum; ſed deterendum non aſſeritur inimicum; at in domo Ieſſe fortitudinis Spiritus viget: quia fratrum nullus fratri inuidere cogitauit. Adeſt Baſilius Seleucienſis orat. 14. *Rex erat Dauid prophetica manu ad regnum prouectus, & cæleſti approbatione dignitatem conſecutus, ſubitoque primus fratrum comperiebatur, qui poſtremus, ordoque naturæ cedebat gratiæ, & legis partus ſuccumbebat:* Vbi ordo naturæ gratiæ ſuccumbit, vbi cedit, vbi non aduerſatur, ibi in aduerſarios fortitudinis viget Spiritus, & regnum varios temporis ignorat adſultus. Quam fratres à ſeditione probabantur alieni, cùm ad vnctionem à propheta compellebantur vocati! Quam non verendum fuit in medio fratrum eligere: quia conſtabat fratrum nullum electo fratri inuidere: Ieſſe ergo domus, quæ ab omni ambitione ſeditioneque probabatur aliena, inuictæ deprædicatur fortitudinis officina: ſuper regnum hoc fortitudinis requieſcet Spiritus: quia nec ſeditionis familiam inquietat vmbra, nec ambitionis inſania: *Ordo naturæ cedebat gratiæ, & legis partus ſuccumbebat.* Quid pulchrius? Quid certius?

Iſai 10. v. 33. Iſai 11. v. 2. 1 Reg 16. v. 13. Seleucie. ſ.

41. Petrus Apoſtolorum coryphæus, petraque firmiſſima aduerſus turbulentos gehennalium ventorum flatus, iam tantiſper tentationi cedit, & timori vel ante certamen ſuccumbit: *Ait Dominus: Simon, Simon, ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum; ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* O hominum inconſtantiam! Memini ſanè diſcipulos aliquãdo inuictam aduerſus dæmones poteſtatem humilitate iactaſſe, & vt Magiſtro gratias agerent, retuliſſe: *Domine,* aiebant: *etiam dæmonia ſubiiciuntur nobis in nomine tuo:* Ecce iam diſperguntur abacti, qui olim de Sathana reportatis redierant triumphis redimiti. Et cur cum Apoſtolorum quiſque dæmonia ſubegerit, iam Apoſtolos omnes Sathanas ſubigit? Perpende, quæſo circumſtantias. Alibi

Lucæ 22. v. 30. Lucæ 10. v 17.

Digitized by Google

diſcipuli bini mittuntur: Miſit illos binos, pace ſcilicet & charitate conformes; alibi auditur ambitioſæ ſeditionis tumultus, & ſeditioſæ ambitionis pugnax ſemper, & intentus conatus: *Facta eſt*, inquit Lucas, *& contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe maior.* Ecce claram diſcriminis cauſam: qui pace vniti, impenetrabilibuſque charitatis armis inſtructi, vaferrimi captioſas hoſtis tendiculas non incurrunt; ſed inſidioſas vires triumphatores ſpernunt! *Dæmonia*, inquiunt, *ſubiciuntur nobis*; at dum ſeditioſis turbis altercantur, dum ambitionis turbulentæ obſcuris flatibus concutiuntur, hoſti cedunt, & tritici ad inſtar cribrantur. O quantas faſcinauit vires ambitio! O quantum ſeditio eneruauit robur! Vel Petrus ſtabili aduerſus dæmonum phalangas ſoliditate munitus, de ſeditionis, ambitioniſque peſte inuenitur infectus: valentiora dæmonis arma non erant inſidiæ, nec fraudes, nec vires; ſed Apoſtolorum diſcordia, ambitioniſque ignominia, quandoquidem vincitur ab ambitione non iactis, & dominatur ambitionis, ſeditioniſque ſagitta perculſis: *Ex turbatione illa*, ſcribit
Theophyl. Theophylactus hîc, *ad contentiones veniunt, contendentes quis ex ipſis eſſet maximus.* Inciderunt autem in hanc litem, quia veriſimile eſt, quòd inter ſe dixerint vnus alteri: Tu proditurus es, & alius alteri: Tu proditurus es: & inde eò peruenerunt, vt dicerent; Ego ſum melior, & ego ſum maior, & ſimilia. Nil mirum in hoſtis ſpolium ceſſerint, quando ambitioni ſeruientes, & ſeditionis tyrannidem indigna patientia tolerantes. Vel petra concutitur, dum ſeditio viget, dum ambitio corda ferit.

42. Zacharias, vt reipublicæ firmiſſimæ ad ſpe-
Zachar. 11. v. 3. ciem ruinam certiſſimam prænuntiaret, ſic ait: *Vox vlulatus paſtorum: quia vaſtata eſt magnificentia eorum:* Vox rugitus leonum: quoniam vaſtata eſt ſuperbia Iordanis. Paſtorum auditur vlulatus, quia magnificentia eorum penitus refertur vaſtata, & rerum copia prorſus conſumpta. Clamoſus vlulatus rugitum leonum attulit, & regnantium ambitio induxit: vlulatus pugnæ notiſſimus eſt effectus teſtante Ioſue:
Exod. 32. v. 17. *Vlulatus pugnæ auditur in caſtris.* Ergo dum paſtores vlulant inter ſe contendentes leonum fiunt prædæ, & inimicis ſecurior triumphus diſſidentium vlulatus. Huc voco quod aiebat
Philo. Philo Hebræus lib. quòd Deus ſit immutabilis: *Macedonia viguit opibus; ſed diuiſa in plures portiones debilitata eſt, donec omnino interiit.* Cùm paſtores diſſident, leones in ſe rugientes obarmant, & ad ſtragem certiſſimam vocant: vlulatum pugnantium rugitus leonum ſequitur: traduntur namque reſpublicæ aut familiæ ſæuis leonum vnguibus diripiendæ, ſi diſſidentium inter ſe paſtorum vlulatum pepererint rixæ. Cuiuſuis familiæ, reipublicæ, regnîve ſtabilitas de ambitionis exilio oritur, & de ſeditionis excidio naſcitur. Ambitio bella intulit cælo, & quæ aſtra reſplendebant vnita, iam ſeditione obſcurantur ad tartara deiecta, & miſerè proculcata.

§. XIII.

Qui ad eligendum diuino oraculo deſiderat inſtrui, nulla ambitionis, aut cupiditatis vmbra procurauerit deturpari.

Res ardua eſt ſyncerè eligere, & inter varios 43.
paſſionum ſcopulos ſic prudentiæ gubernaculo rationis ſcapham aurigare, vt illæſa quiuerit portum appellere. Qui dignitatis faſtigium inſcendit, totius populi habetur ſtatus: nam in vnius electi prudentia generalitati decernuntur opportunè ſubſidia. Vnus nauta omnes nauigantes aut in portum artis induſtria ſecuros dirigit, aut periculo incautus exponit. Itaque ab vnius arbitrio pendet cæterorum ſalus, & vt indoctus nauclerus aſciſcit pericula, ita fruſtratur ſapiens naufragia. *Longa maria traiicientibus*,
aiebat Seleucienſis Baſilius orat. 8. *ad curſum re-* Seleucienſ.
gendum pro teſſera ſunt aſtrorum vndequaque ſplendentium motiones, & gubernator incumbens gubernaculo tollit in cælum oculos aſtrorum motibus aurigans nauim, curſumque per mare cæleſti lumine contorquens fertur in portum. Et inter confuſa repugnantium inuicem ſibi fluctuum volumina ſecurum nauta appulerit portum, lumine cæleſti indiget, oculos ad ſydera tollere neceſſum eſt, alioquin repercuſſa alternis ventorum turbinibus nauis circumagetur in ſalo, nec ſecurum vnquam perueniet ad portum. Et quidem humani cordis pelagus non aliter ac mare ventis, cæcis paſſionum perturbatur deliriis: pulſat non ſemel cognatio, cupiditas aduerſatur rationi, & iniquum amicorum conſilium tenebras offundit rationabili ac prudenti dictamini. Qui inter arduos electionis ſcopulos rectum iter pacatè deſiderat peregiſſe, & diuinis oraculis rationis auditum accommodaſſe, ſic ab iis corruptelis degat ſemotus, vt à ſenſibus etiam videatur abſtractus. Poſt mortem Ioſue conſuluerunt filij Iſrael Dominum, & ad electionem acceperunt oraculum: *Poſt mortem Ioſue conſuluerunt filij Iſrael Dominum dicentes: Quis aſcendet ante nos?* Conſultum Numen reſpondere non diſtulit; ſed Iudam deligendum dilucidè admonuit: *Dixitque Dominus: Iudas aſcendet.* Inquiramus, ſi placet, cur modò non filij Iacob; ſed Iſraelis filij, qui conſulunt, nominentur? Ea profectò ſe mihi offert ratio, ſcilicet Iacob cum fratre de primogenituræ honoribus decertaſſe, at Iſrael cum Deo pro benedictionibus pium certamen iniiſſe: ergo dum deſiderant diuinis oraculis informari, nullo ambitu probantur vrgeri. Si Iacob vocarentur filij, patrem paruulum ſecuti præcellentiam dignitatis diſcuperent ambitioſi, & dum ambitione conſulerent tincti, non poſſent oraculis cæleſtibus edoceri, at dum Iſraelis filij appellãtur, & ſolùm cæleſtibus inhiare benedictionibus inueniuntur, rectè eligunt, & conſulti oraculi vocem audiunt. *Nullus*, ſcribit Procopius.
Procopius comment. in Iudic. *in Magiſtratum ſua ſponte ſe ingerere audebat: totis ergo viribus ad Arcam in Silo contendentes, nec oracula Græcorum ſectantes Dominum conſuluerunt.* Ritè Deum conſulunt ambitu intacti, & ab eo eligunt opportuniorem edocti. Qui ergo ad laudabilem electionem à Deo deſiderant inſtrui, Iſraelis filios geſtiuerint imitari: ſolùm aſpiciant
Deum

Digitized by Google

Deum, vt placitum eius ſectentur; alioquin quantumuis ſe oracula mentiantur conſulere, inuenientur affectionum erroribus agitari.

44. In editiſſimo monte degebat magnus ille propheta Elias non ſolùm à perſtrepenti ſæculi tumultu alienus; verùm etiam, ſi fas eſt dicere, à collegio ſenſuum expunctus: hunc Deus, vt ad electionem propheta dignam inſtruat neſcio (3. Reg 19. v. 11.) quibus præmiſſis ænigmatibus præparauit: *Egredere & ſta in monte coram Domino: & ecce Dominus tranſit, & ſpiritus grandis, & ſubuertens montes, & conterens petras ante Dominum, non in Spiritu Dominus; & poſt Spiritum commotio, non in commotione Dominus: & poſt commotionem ignis, non in igne Dominus.* Poſt confuſum adeò turbinem iam blanda ſpirabat zephyri aura, quæ animum procellis territum poſſet demulcere, & blandiſſimè delinire: *Poſt ignem ſibilus auræ tenuis: quod cùm audiſſet Elias operuit vultum ſuum pallio, & egreſſus ſtetit in oſtio ſpeluncæ, & ecce vox ad eum dicens,* &c. Hazaël in Regem ſuper Syriam, Iehu ſuper Iſraël, & Eliſæum prophetam vngere diuinitus hîc docetur; verùm quid neceſſum fuit turbulenta adeò ſigna præcurrere, vt diuinam vocem propheta quiuerit auſcultare? Satius videbatur ab exordio blandam ſpirare auram, & ſitientibus auribus dictare electionis normam. O vide, amabo te, quid præcedentibus ſignis denotetur, vt noueris arcano accidiſſe (Gloſſa.) myſterio, non cæco caſus conſilio: *Dicuntur tria hîc tranſire*, ſcribit Gloſſa moralis, *antequam Domini vox audiatur: primum eſt ſpiritus fortis, per quem ſuperbia vitæ ſignificatur: ſecundum eſt commotio, per quam concupiſcentia mundi, qui eſt ſemper in commotione: tertium eſt ignis, per quem concupiſcentia carnis intelligitur. Hæc enim tria oportet tranſire, & totaliter auferri ab eo, qui aure mentis audire deſiderat Verbum Dei.* Elias Dei vocem auſcultat, cùm ad electionem ſe comparat; at neceſſum fuit ambitionis ſuperbiam penitus declinaſſe, & carnis concupiſcentiam ignoraſſe, & mundi fraudes neſciſſe: *Hæc tria oportet tranſire, & totaliter auferri ab eo, qui aure mentis audire deſiderat Verbum Dei.* Qui ambitione pulſatur, rationis ſæpè iura tentat confringere, & conſilia probitatis violare: qui cupit aliis placere, iam laudabili electioni impedimenta molitur, & deteriori ſæpiùs ſuffragatur: qui huius, vel alterius partes agit, non ſemel dignè eligendum excludit: ab omni ergo affectione humana debet diſtare, qui oraculum diuinum cupit audire. Elias priuſquàm ad electionem Numinis voce inſtruatur, ab omni cupiditate remotus aſſeritur; nec diuinæ vocis rationabile audiret conſilium, ni turbinis, ni commotionis, ni ignis præteriiſſet prorſus incendium: electio, quàm concupiſcentia ſuaſit, prudentiæ notam inuſſit: *Non in igne Dominus:* electio, quam commotio fouit, diuinæ inſpirationis impedire vocem conuincitur: *Non in commotione Dominus:* ea igitur laudanda ſemper inuenitur electio, quæ ab omni terreno affectu purgata, & paſſione prorſus libera.

45. Saul ad regni culmen electus, quantum acquiſiuit dignitatis, amiſit tantum virtutis: qui ante inaugurationem viſus eſt faſciis imperialibus dignus, poſt inaugurationem iure fuit regiis inſignibus diſpoliandus: Deus Samuelem exo- (1. Reg. 16. v. 1.) rientis regni electorem conſtituit; ſed anteà vel piis affectionibus repurgauit: *Vſquequo*, inquit, *tu luges Saül, cùm ego proiecerim eum, ne regnet ſuper Iſrael? Imple cornu tuum oleo, & veni, vt mittam te ad Iſai Bethlehemitem: prouidi enim in filiis eius mihi regem.* Materno affectu Samuel Saulem plangebat; ſed vel pius affectus reprimendus fuit, ne diuinæ officeret electioni, refragareturque voluntati. Dum à ſe electum nititur tueri, dum electionem ſatagit ſtabilire, iuſtè à Deo reprehenditur: nec enim bonus electionis miniſter eſſet, ni omnem exuiſſet affectionem humanam, etiam ad ſpeciem piam: (Seleucienſ.) *Samuel,* inquit Baſilius Seleucienſis orat. 14. *dum regi creando daret operam, ſceptris Dauidis obniti videbatur; ſpiritus autem gratia à Saüle tranſlata ſpiritui nequam habitationem concedebat.* Samuel honeſto affectu, piis lachrymis creatum regem nititur confirmare, & Saulis quaſi de nouo creandi lachrymis inſiſtit confirmationi; verùm errabat affectus, & voluntati aduerſabatur diuinæ dum compaſſioni deſeruiebat humanæ. Adde hîc electores diuinum ſibi oraculum promeruiſſe, dum conſtat non alicuius ſpeciale; ſed commune generalitati bonum curaſſe: *Quis aſcendet,* inquiunt, *ante nos?* Ac ſi dicant: ad omnium vtilitatem, ad ſalutem cunctorum. O quàm diuina probabatur electio, quæ non ſingulari conſulebat vtilitati; ſed bono inuigilabat communi. Certè dum commune bonum procuratur, diuinũ promeretur auxilium; at ſi quiſque ad ſpeciale bonum conuertitur, non ſemel effectu caret intentio, & fine priuatur actio.

Domus Ioſeph hoſtes oppugnatura aggreditur, & vitia extirpatura obarmatur: *Domus Ioſeph aſcendit in Bethel, fuitque Dominus cum eis:* 46. (Iudic. 1. v. 22.) poſteà Manaſſes Bethſan oppugnans delere non potuit: *Manaſſes non deleuit Bethſan:* & Ephraim Chananæum expugnare non valuit: *Ephraim non interfecit Chananæum.* Magna hinc oriri difficultas videtur: nam ſi Dominus Domui Ioſeph prædicatur fauere, cur non dicitur nec Ephraitis, nec Manaſſenſibus auxiliari? Si Ephraim & Manaſſes Ioſephi familiam componunt, cur alibi diuino proteguntur auxilio: *Fuit Dominus cum eis:* & alibi ad ſpeciem non nobilitantur ſuffragio? Vt noueris magnum eſſe diſcrimen inter Ephraitas, Manaſſenſeſque, dum commune bonum expetunt, & dum ſpeciale ſibi perquirunt. Dum Manaſſes ſub generali nomine patris domui attendit, dum Ephraim vtilitati generalitatis ſtudet, ope fruuntur diuina, & glorioſa ab hoſtibus reportauere trophæa; at dum Manaſſenſes non iam toti familiæ; ſed Manaſſenſibus ſuſpirant commoda, dum Ephraitæ Ephraitarum ſolùm ſuſpirant augmenta, priuantur victoriis, & diuinis carent auxiliis: Deus adeſſe probatur, vbi generalitati conſulitur: *Domus Ioſeph aſcendit, fuitque Dominus cum eis;* at dum ſub diuerſis nominibus quæque tribus pugnaſſe deſcribitur, peculiarem ſuis familiis gloriam exambiiſſe probatur, & dum eadem fouentium ſtudia quæruntur ſolùm augmenta, hoſtilia robur eneruatur in arma. Ergo quicumque ritè eligere, & conſiliarium cupit Numen habere, affectionis ignoret legem, & ſibi adulantium, aut ſpecialius aſſiſtentium expunxerit affectionem. *Bonum opus,* ſcribit Caietanus, *nec Ephraim nec Manaſſi; ſed domui Ioſeph attribuitur.* Ioſeph domus Ephraimitas, Manaſſenſeſque indiſcriminatim complectebatur, qui dum alij Manaſſenſium gloriam augere, alij Ephraimitas nitebantur

Digitized by Google

bantur copioſis facultatibus cumulare, nomen diuidunt, & victoriam perdunt: ergo dum Manaſſes non totius familiæ commodo; ſed Manaſſenſium ſolùm conſulit lucro, nec diuina ſortitur auxilia, nec ab hoſtibus diripere valet trophæa.

§. XIV.

Glorioſos maiorum conſeruant titulos virtute ſimiles, amittunt degeneres.

47. NOn ſemel maiores egregiis factis veneranda ſibi nomina cudunt, & ad poſteros hæreditario iure tranſmittunt. Egregium nomen nobilitatis eſt index; ſed dum poſſeſſoris euulgat populis gloriam, & actionum exigit elegantiam: quidquid à parentibus glorioſo generi deriuatur nobili imitationis tributo ſubiacere cen- Caſſiodor. ſetur: *De nomine Conſulis*, aiebat Caſſiodorus 6. var. 10. *promitteris clementiſſimus, & de Principum imagine metuendus.... Conſidera magnum eſſe quod ſuſcipit, vt nulla criminum deiectione viteris: nominis tui auctor multa conferendo prædicatur: tu age, ne vllis cupiditatibus accuſeris.* Qui Conſularis ornatur elogio, clementiæ, procurandæque ſalutis noſcitur ſubiacere tributo: dedecoratur namque nominis gloria, ſi poſſeſſor turpiſſima marceat ignauia: glorioſum erubeſcit nomen, ſi à generoſis ad degeneres inueniatur tranſmiſſum: & quidem vt habenti parturire poſſit elogium, virtutis imitari cogit exemplum: indecens eſt nomine laudanda promittere, & actibus refragari. *Certè*, aiebat vbi ſuprà Aurelius, *fœdiſſima contrarietatis vitium eſt ſtudere furtis, & habere vocabulum largitatis: erigat ad laudem tuos animos, quod vocaris.* Æquitatis tribunal inſcendere, & lucris turpiſſimis inhiare incrementat de vocabulo culpam, & de munere adauget notam. Demortuo Ioſue populus arma curat in inimicos arripere, vt partis triumphis poſſit ſecuritate gaudere: nam vt benè Vero- Zeno. nenſis Zeno ſerm. 1. de Geneſi, *niſi quis hoſtem, à quo impugnatur, expugnet, nunquam bonis ſuis poterit vti ſecurus* Ergo populus vt bonis ſuis vtatur ſecurus, in hoſtes inſurgit armatus; verùm cùm alibi populi vocabulo appelletur, inquires, cur hîc Iſraëlitici generis laude gloriatur: *Poſt mortem*, inquit, *Ioſue, conſuluerunt filij Iſraël Dominum dicentes: Quis aſcendet ante nos contra Chananæum?* Quia olim Aaronem vrſerunt idolum depoſcentes, quod & celebrarunt lautitiis, Exod. 32. v. 6. plauſerunt choræis: *Sedit*, inquit, *populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere*: ergo dum factis nomen impugnant, Iſraëlis filij non appellentur; ſed populi nomen ſortiantur: luctatoris namque filij dici non poterant, vbi ventri & voluptati indulgebant: iure honorifico nomine ſunt priuati, vbi Deum non vt parens olim reueriti; imò idololatria fœdiſſima obſcuri: hîc celebri decorantur elogio: quia iam parentis conformabantur exemplo. Deum religioſè colunt, & quod Iacob Iſraëlis ſibi nomen olim acquiſiuit luctando: hi etiam ſeruant in hoſtes viriliter inſurgendo: *Quis aſcendet*, inquiunt, *ante nos contra Chananæum?* Ergo quos fortitudo parentis ornat, & nomen etiam nobilitat; at quos deteſtabilis deturpat ignauia, digna nomine orbauit ſententia. Optimè Septimius de carne Tertull. Chriſti cap. 12. *Fides nominum ſalus eſt proprietatum.* Ac ſi dicat: vbi proprietas integra, ibi & fides nominis incorrupta: eſt namque ſine fide nomen, vbi non ſolùm proprietas non inuenitur; ſed contrarietas habetur. *Nomen*, aiebat Tertullianus in apologetico c. 3. *quædam ratio æmula operationis ſequitur.* Vbi operatio laudabiliter æmula, nomẽ ſtabilitur: vbi non æmula operatio turpatur. Ergo Hebræi vocantur populus, cùm noxiis indulgent deliciis, & Iſraëlis filij, cũ egregij parentis æmulatores ſacris ſtudent oraculis.

Notauit iam hoc ipſo in capite Caietanus: iidem namque Ioſephi poſteri nobili aliquando 48. decorantur elogio, & aliquando laudabili mulctantur vocabulo: *Domus*, inquit, *Ioſeph aſcen-* Iudic. 1. v. 22. *dit in Bethel, fuitque Dominus cum eis.* Audis parentis titulo decorari, vide propriis iam nominibus recenſeri: *Manaſſes non deleuit Bethſan, Ephraim etiam non interfecit Chananæum.* Et cur modò ſcriptura non dixerit: Domus Ioſeph non interfecit Chananæũ, aut cur anteà Manaſſes & Ephraim aſcenderunt? Quia pro varietate actionum, inquit Caietanus, varia ſortiti ſunt nomina, & quidem ſemper arcana: dum paternos imitãtur mores, titulis honorantur paternis; at dum à virtute degenerant, nominis laudi renuntiant: dum proficiunt virtutibus, dum numerant in auxiliis Deum, dum pia crudelitate interimunt aduerſarium, retinent maiorum elogia; at dum ignaui, dum legi oppoſiti parcunt aduerſariis, vt turpiſſimis cumulentur lucris, nequeunt laudabili titulo recenſeri; ſed merentur denudari. Accipe Caietanum: Caietan. *Malum non tribuitur filiis Ioſeph; ſed nominibus propriis Manaſſis, & ſimiliter Ephraim.* Dum paternum virtutis imitantur exemplum, & nominis conſequuntur elogium; at dum à virtute deſciſcunt, titulum glorioſum depellunt: indecens namque erat inſigniri titulis venerandis, qui ignauis ſe dediderant otiis, cùm ſolùm glorioſos maiorum titulos conſeruent virtute ſimiles, amittant degeneres: *Malum non tribuitur filiis Ioſeph; ſed nominibus propriis Manaſſis, & ſimiliter Ephraim.* Sibi inuicem opponuntur Ioſephi honorabilis titulus, & damnabilis erroris actus: ideò Ioſephi nomen expungitur, vbi poſteritatis error ſugillatur.

Diues ille, quem diuitiæ extulerant ad ſuperbiam, cui mollis ac delicata veſtis duriſſima crearat præcordia, & ferrea fouebat viſcera, quem menſa, dum indigeſtam ingeſſit crapulam, oculorum obcæcauit obtutum, ne pauperis videret miſeriam, de gloria proſapiæ expungitur, & illuſtri nomine viduatur: *Homo quidam erat* Lucæ 16. v. 19. *diues, qui induebatur purpura & byſſo.* Abrahamiticam fuiſſe progeniem teſtatur ipſe, dum clamat: Pater Abraham miſerere mei; imò Abrahamus non ſine patientia aſſentitur, dum ait: *Fili recordare quòd recepiſti bona in vita tua:* Si ergo nobili adeò proſapia genitus, cur nobili originis titulo non inſignitus; ſed ſub obſcura generalitate relatus: *Homo quidam erat diues?* Non mirarer quantumuis Abrahami eſſet filius, priuari titulo, ſi premeretur inopia, aut inopiæ adurgeretur miſeria: pauperes namque nullam videntur prærogatiuam ſortiri; imò ipſa ſolent generis nobilitate nudari; at diuites diuitiarum arte in Magnatum ingeruntur familias, & vti proprias alieni ſolent vendicare ſibi generis excellentias: cur ergo diues hic nobilitatis titulo careat, cum facultatibus tot exundat? Adde Zachæum publicanorum nota ignobilem, genere ſatis

Digitized by Google

ſatis obſcurum, Abrahamitidis titulo decorari:
Lucæ 19. v. 9 *Hodie ſalus domui huic facta eſt, eò quòd & ipſe filius ſit Abrahæ:* Si ergo alienus ad nobilitatis communionem admittitur, cur filius non ſine dedecore expungitur? Quia diues, inquit Chryſologus, Abrahami ſanguinem venis fouebat; ſed moribus degenerabat: Abrahamus parat peregrinis menſam, pauperes excipit, ſiligineos panes apponit, lac & butyrum miniſtrat; at inhumanus diues nec micas pauperi dilargitur: ergo dum moribus probatur alienus, & nobilitatis refertur titulo viduatus, vt nouerit auorum elogio illos ſolum inſigniri, quos à virtutibus non conſtat exorbitare. Adeſt Chryſologus ſerm. 54.
Chryſol. *Inhumanus diues cum eſſet filius Abrahæ factus eſt gehennæ filius, iſte cum eſſet rapinæ filius dando ſua, aliena reddendo, Abrahæ adoptatur in filium.* Æmula virtus Zachæum publicanum in Abrahamitidum ſeriem digniſſimè inſeruit; at degener diuitis inhumanitas iuſtiſſimè expunxit: glorioſos namque maiorum conſeruant titulos virtute ſimiles, & amittunt degeneres.

50\. Adam ſanctitati iam reſtitutus filium generat ſublati Abelis ſolatium, luctuſque triſtiſſimi leuamentum: nomen filio impoſuit, & quale à Deo beneficium acceperit, nomini prolis
Gen. 4. v. 25. inſcripſit: *Vocauit nomen eius Seth dicens: Poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abel.* Filium hunc præ aliis Adami imaginem expreſſiſſe teſtatur Moſes generationem referens; *Vixit Adam centum triginta annis, & genuit ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, vocauitquè nomen eius Seth.* Quærunt Patres, cur Sethus ſpecialiter Adami vocatur ſimilitudo, quando filij omnes generationis iure hanc ſortiuntur prærogatiuam? Profectò Cain natus fuerat generis Princeps, naturæ fœcunditas, & tamen hoc titulo non inuenitur nobilitatus, nec honore affectus. Ecqua huius cauſa eſt? Chryſoſtomus myſteriorum ſcripturæ diligens indagator iam hoc aduertit, redditque rationem, ſcilicet Cainum hoc diſpoliatum titulo, vtpote qui paternos mores non retulerit; imò naturam dedecore magno affecerit; at Sethus blando genio compoſitiſque moribus luxit ornatus: ideò Adami filius inſcriptus: quaſi ſolùm ij ſati maiorum titulos iuſtè conſeruent, qui & mores colant, & virtutibus diligenter ſtudeant. Audi Chryſoſtomum apud
Chryſoſt. Lippomanum: *Nihil eſt ſimpliciter, & abſque vtilitate in ſacra Scriptura poſitum: ecce enim & nunc quanta diligentia vſus eſt beatus ille propheta, cùm de priore loqueretur filio, Cain dico, nihil tale aſſignauit, nimirum iam antea ſignificans illius in malum procliuitatem: & meritò: non enim ſeruauit paternos characteres & mores; ſed proiinus ad malitiam confugit; hic autem, inquit, ſecundum ſpeciem ſuam, & ſecundum imaginem ſuam, hoc eſt eorum, quibus ille, qui genuerat, & qui ſeruet paternos characteres, operibuſque paternos mores exprimat:* Caïnus & Sethus eadem origine nati; verùm quamuis parenti natura ſimiles, eamdem non ſortiuntur honoris prærogatiuam, vtpotè moribus valdè diſcreti: Sethus paternos retulit characteres: Caïnus naturæ inuidè temerauit honores: ideò alter vera patris imago, alter progenies ſpuria, & ſceleribus obſcurata. Inuenies profectò plures, qui ad inflatiſſimam vanitatem atria oſtentent fumoſis, & famoſis maiorum imaginibus plena; verùm quos ad nobilitatis pompam oſtendunt, ad dedecoris teſtimonium præter opinionem produnt, quando pudet probroſis moribus diſcordare ab his, quos propter morum probitatem antiquitas extulit ad honorem. Vt magnum eſt ſine ſtimulante maiorum exemplo nomen ſibi facere, ita indignum à maiorum exemplis deficere. Ergo ſi cupis laudandis maiorum titulis inſigniri, diſce & virtutes imitari.

§. XV.

Bona electio res Dei eſt?

Quæcumque ad humanam ſalutem pertinent, noſcuntur à Numine deriuari, & ab 51.
eius generoſa manu prodire. In hominis manu creaturam ponit, & natura conſeruum gratiæ beneficio Dominum creat, hominis imperio ſubiicit mare, continenti ſeruitutem præſcribit, adeoque diuinæ bonitatis imber plenus defertur, vt poſterioribus donis nobiliter obſcuret priora, &, ſi fas eſt dicere, obliteret antea data. Magnificentiæ ſuæ theſaurum penes ſe clauſum habere ad ſpeciem non valet, & vti mulier grauida, cùm tempus arriſerit, quouſque fœtum edat, doloribus diſcruciatur, ſic magnificentia diuina quaſi parturiens dona, quouſque peperit, doloribus adurgetur. Aptè Baſilius Seleucienſis orat. 1. *Velut parturiens magnificentia ſua munera, & habere clauſum penes ſe theſaurum impotens non eſt contentus prioribus.* Seleucienſ.
O benè! verùm licèt rebus antè dilargitis ſua dona nullatenus circumſcribat, neque liberalitatis deſiderium vniuerſa terra, & quidquid mari continetur, exatiet; aliqua tamen quæ humano ingenio, aut poteſtati adſcribi noluit, ſibi non auarus; ſed prouidus reſeruauit. Ecquid hoc? Bona ſcilicet electio: eſt namque ſuperior aut feliciſſimus populi ſtatus, aut caſus certè miſerrimus: tantæ molis eſt benè eligere, vt hanc gloriam ſibi voluerit Dominus integram arrogare, nec cum homine, ſi dicere fas eſt, partiri. Demortuo Ioſuë populi ſeniores de eligendo, vt placet pluribus, Principe conſulunt, & rem ad Dominum deferunt: Conſuluerunt filij Iſraël Dominum dicentes: *Quis aſcendet ante nos?* Rogat Abulenſis quæſt. . cur quæſiuerint ab oraculo, quod prudente poſſent decreuiſſe conſilio: ſi populi ſenes grauiſſimas cauſas tractabant, ſi conſilia rebus in arduis præbebant, cur inter ſe de duce eligendo non conueniunt; ſed oraculum ſtudioſè requirunt? Quia bona electio res Dei eſt, & ita ſpecialiſſimè prouidentiæ diuinæ propria, vt humano nunquam arbitrio fuerit adſcripta.
Audi Abulenſem: *Si nunc Deo inconſulto Principem eligerent, fortè Deus iraſceretur: quia in hoc aliqualiter volebant effugere poteſtatem illius: ideò conſuluerunt ſuper hoc.* Itaque diuina Abulenſ.
electio eſt diuinæ res poteſtatis: ergo ne quid à diuina poteſtate ſibi viderentur ſubripere, oraculum ſuper electione prudentiſſimè decreuerunt conſulere. Errat ſæpè ſæpiùs prudentia, & dum putat ſubiectis elegiſſe patronum, armat in ſubditos inimicum. Diuina opus eſt ſapientia, vt omnibus eligatur proficuus, & ideò ſemper Deus in electionibus conſulendus, alioquin

BIBLIOTECA NAZ. ROMA
Digitized by Google

quin electores, dum quæ diuinæ potentiæ propria ſibi geſtiuerint arrogare, ſacrilegum inueniuntur furtum incurrere, alia namque humano Deus arbitrio conceſſit; ſed ſapientiæ ſuæ dignam electionem ſeruauit. Qui bene ſe Deo inconſulto electurum audacter præſumit, aut poteſtatem affectat diuinam, aut poteſtatem Numini negat. *Si nunc Deo inconſulto Principem eligerent, fortè Deus iraſceretur: quia in hoc aliqualiter volebant effugere poteſtatem illius.* Se diuinæ poteſtatis iure teneri ad ſpeciem denegat, qui ſe Deo inconſulto benè electurum arroganter excogitat, cùm ſolum ille qui alterius poteſtati non ſubiaceat, benè poſſit eligere, & ſalutem populo prouidere.

52. Cùm pluries Chriſtus ſuam diuinitatem celauerit, & vel clamantibus ſilentium, dæmonibus impoſuerit, diſcipulos ſuos quam apud homines ſortiatur opinionem, interrogat: Interrogabat diſcipulos ſuos dicens: quem dicunt homines eſſe filium hominis? Diuinitatem ſuam tantiſper prodit, & ſciſcitatione occaſionem diſcipulis vulgandi præbet. Ecqua huius cauſa eſt? Fortè quia Petrum in Eccleſiæ caput, & in petram firmiſſimam erat electu-
Matth.16. v.13. rus: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Petrus eligitur, qui petræ ad inſtar omnia ſtabiliat, omniaque ſuffulciat, & ne audaciæ ſugillaretur nota, diuinitatis ſuæ diſcipulos informat notitia. Certè dum quatriduanum Lazarum luci reſtituit, ſepulchri locum interrogans diuinitatem quadamtenus tegit, & ad Petri electionem profert, vt noueris aliquando hominibus conceſſiſſe mortuos excitare, & mortis leges infringere; ſed bonam electionem Diuinitatis rem declaraſſe. Et quis alius niſi Dei filius hominem potuiſſet eligere, qui inferni ianuas infringeret, cælique recluderet. Quis alius in caput hominum eligeret hominem, etſi virtutibus clarum, miniſterio & habitu obſcurum? Ab hominibus quæſitus, ſæpè inuenitur ine-
Iſai.3.v.7. ptus, aſſerente quodam: *Non ſum medicus, & in domo mea non eſt panis, neque veſtimentum, nolite me conſtituere Principem populi.* Hunc homines nouerunt eligere; at ſolùm Deus petram ſolidiſſimam nouit in Principem
Chryſoſt. deſignare. Aptè Chryſoſtomus apud Diuum Thomam: *Vide qualiter Chriſtus reducit Petrum ad excelſam de ipſo intelligentiam: ecce enim ei ſe promittit daturum, quæ ſunt propria Dei ſolius.* Vtiliſſimum omnibus caput eligere, & contra gehennales turbines ſolidare adeò erat Dei proprium, vt Chriſtus diuinitatem anteà oſtentarit, ne quis audaciæ incurriſſe culpam præſumpſerit.

53. Goliat immetato corpore præſidens Hebræorum optimos ad ſingulare certamen laceſſebat deuicti populi ſeruitute in victoris præmium propoſita prouocabat, victoriæ cu-
1.Reg 17. v.8. pidus conſilium præbebat iniquiſſimum: *Eligite ex vobis virum, & deſcendat ad ſingulare certamen.* Non ait: Conſulite Deum, vt virum deligat mecum decertaturum; ſed eligite veſtra prudentia ſiſi, & conſilio ducti: ſperabat namque ſe facillimè deuicturum ab hominibus electum, & inconſulto Numine deſignatum; verùm Deus, qui ſolicitiùs de populi felicitate tractabat, Dauidem produxit in aciem non ab hominibus electum; immò ab hominibus repudiatum: *Non vales* aiebat Saül, *reſiſtere Philiſthæo*: vicit Dauid à Deo electus, vinceretur quicumque ſolùm ab hominibus approbatus: ideò gigas maligna prudentia electum humano arbitrio expoſcebat; ſed Deus victorem prouidentiſſimè deſignabat:
Cum nullus è toto exercitu probaretur ſatis, eſ- Seleucienſ.
ſetque in periculo Saul, tunc militem ſuum produci in medium gratis, inquit Baſilius Seleucienſis orat.15. Dum electus à Deo arma capit, triumphum reportat; at Goliat ab hominibus prouocabat electum, vt ſic conſequeretur faciliùs triumphum. Hoc ipſum iam notauit idem Baſilius orat. 14. nam cùm de deligendo rege ageretur, Samuël humana prudentia vſus Saülem regno confirmandum inſtabat; ſed oraculum ex filiis Iſai regem aſſu-
mendum aſſerebat: *Prouidi in filiis eius mihi* 1.Reg.16.v.1.
regem. Nomen celat, ne humana notitia electionis ſibi quid arrogarit, neue electi gloriam minuerit. Filium tegit: non clarè dixit: *Vngatur mihi rex Dauid; ſed prouidi in filiis Iſai: ne enim humana videatur eſſe gratia vnctio, neue electio Samuelis regni adiectio: communi filiorum appellatione filium iſtum tegit, & ad populum mittit vnctorem Samuelem.* Dum Samuel Saulem deſiderat, errat: vt noueris bene eligere non eſſe prudentiæ humanæ; ſed prouidentiæ diuinæ. Adhæc cum Ieſſe filiorum chorus circumſtat, adhuc propheta eligendum prorſus ignorat, vt conſtet omnibus eam electionem ſolum adſcribendam Numini, non homini. Si præ aliis vocaret Samuël vngendum, putaret quis adſcribendam electionem prophetæ, adeoque Deus ægrè fert vel electionis quid humanæ prudentiæ adſcribi, vt vel nomen deligendi electori velit celari. O quàm Dei probatur electio, cùm elector non perſuaſionibus illectus, non donis corruptus, non obſequiis ſubornatus, non anteuertebat conſilium, nec præmaturabat ſine maturitate ſuffragium. Ecce Samuël placitum diuinum expectat, nec præhabet humanam deligendi notitiam. Diſcant electores diuinum expectare placitum, non humanum pectore anteà tuliſſe conſilium. Diſcant animo conſtare integro, non humanarum paſſionum nebulis obſcurato.

Deus hominem in Principem electurus 54.
conſiliis honorat, & limus de tactu beatus,
de conſilio etiam honoratiſſimus: *Faciamus*, Gen.1.v.26.
inquit, *hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & præſit, piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtiis, vniuerſæque terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra.* Certè alibi aiebat: *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram*: alibi imperabat: *Producat terra animam viuentem in genere ſuo.* Hic verò Trinitatis perſonas veluti in conſilium aſciſcit, & de hominis ſtructura conſilium gerit. Ecqua diſcriminis ratio eſt? Non poſſet terra hominem producere, qui cæteris imperaret? Quid neceſſum eſt manu elaboratus conſiſtat, vt regiminis culmen inſcendat? Imò neceſſum fuit manu extrui, inquit Tertullianus de reſurrectione carnis capite quinto dum ad prælationem deligitur:
Faciamus hominem antè præmiſit, & amplius Tertullian.
manu propter prælationem. Adamus non ſolum creabatur;

Digitized by Google

creabatur; ſed in regem etiam deligebatur: quamuis ergo Deus aquæ, terræque animarum generationes commiſerit hominis electionem ſibi arrogauit, vt iam ab exordio conſtaret rem Dei eſſe benè eligere, aliiſque electum præferre. O quàm temerè inconſulto Deo ad electionem proceditur! Profectò electores peſtem deligent, non ſalutem.

55. Petrus Apoſtolorum coryphæus, cuius vmbra ægritudines depellebat, cuius vox naturæ defectus redintegrabat, cùm de ſufficiendo pro Iuda Apoſtolo ageretur, non ſibi munus audacter rapuit; ſed diuinum oraculum requiſiuit: *Statuerunt duos, Ioſeph, qui vocabatur Barſabas, qui cognominatus eſt iuſtus, & Mathiam: & orantes dixerunt: Tu, Domine, qui corda noſti hominum, oſtende quem elegeris ex his duobus.* Notauit hîc Oecumenius cordium inuocaſſe cognitorem: nam ſæpè homines cùm ſolùm externa nouerint, deluſi errant: *Opportunè cordium vocant cognitorem, nec dicunt, Elige; ſed, quem elegeris, oſtende.* Addit poſteà: *Sortem prætereà appellat, & rem omnem oſtendens benignitatis ac electionis eſſe diuina.* Auſus eſt Petrus claudo dicere: *Reſpice in nos:* auſus eſt piè iactare ſe habere ſalutem: *Quod autem habeo, hoc tibi do*; verùm auſus non eſt in Apoſtolum aliquem eligere, & Deo inconſulto ad culmen dignitatis euehere: oſtendens quaſi ſpeciale diuinæ ſapientiæ ius eſſe eligere, & aliis vtilem anteferre. Quod ſi Petrus Apoſtolorum coryphæus, ne in omnipotentiam commiſerit furtum, ad electionem ſciſcitatur oraculum, cur non timeant electores dum aliquando non ſolùm diuinam voluntatem non conſulunt; ſed reſiſtunt. Qui Reipublicæ vtilitatibus ſtudent, ſuffragium Numine inconſulto non ferunt; ſed ſecuti oraculum cœleſte requirunt: *Oſtende*, inquiunt, *quem elegeris.* Quaſi dicat Petrus: Nos à teelecto ſuffragari cupimus; ſed eligere non audemus: ſciebat namque bonam electionem eſſe orationis filiam, & inconſulto Deo electionem non fieri; ſed electorum temeritatem oſtendi.

Actor. 1. v. 23.

Oecumen.

§. XVI.

Dignitatibus ante preces debet ornari, quem conſtat virtutibus refulgere.

56. Digni ad captanda præmia ſolicita diligentia ſemper eſt regentis iniuria, quandoquidem aut facinora ignorat ignauus, aut iuſtitiam tranſit iniurius: nam ſi vocem ſuam ſortiuntur peccata, cur egregia ſine voce facinora. Quis decorè hoſtili ſanguine maculatur, in Principis notam irremuneratus relinquitur: dignitas indigno conceſſa querula vociferatur, & negata digno iniuriata queritur: ambitionis quærant indigni ſuffragium; & ſolicitudinis ſectentur remedium: optimus à ſuis factis aſciſcit ſemper auxilium, & honeſtum habet ſuffragium. Gloria rectoris eſt merita totius ambitus experta præmiare, & ſolicitudinem anteuertere: quia contemptor habetur virtutis, qui virtutem priuat luminibus dignitatis: cœleſtis quidem probatur electio, vbi dignitas exambit dignum, non faſtigium obtinet ambitioſus: ſæculis! commendat politiam dignus ſine precibus laureatus, ſine crudis ſalutationibus, ſine defatigatis procerum liminibus ad culmen dignitatis euectus. Ignorantes accipiunt, aiebat Caſſiodorus ſexto variar. vigeſimo qui benè agunt: quia neceſſe eſt, vt dum parumper malorum ambitio contemnitur, ſuperno munere plus donetur: præmiantis prædicabilis radiat æquitas, dum factis conſpicui probantur ſine notitia præmiati, & ſine ambitionis laborioſo diſpendio electi. O bonam ignorationem, quæ accipientis anteuertit votum, non meritum! Poſt mortem Ioſue populi ſeniores non de principatu contendunt; ſed laudabili oraculum ad eligendum contentione perquirunt: *Conſuluerunt filij Iſraël Dominum dicentes: Quis aſcendet ante nos contra Chananæum, & erit dux belli?* Quid tunc? *Dixit Dominus: Iudas aſcendet.* Ecce optimi regiminis normam: dignitatem non ambiuit electus, & electus eſt, cum ipſe ignoraret, dignus: *Iſta tribus*, ſcribit Abulenſis quæſtione 4. *erat cæteris honorabilior, & erant in ea viri fortiſſimi: ideò ducatum ei Dominus præſtitit:* Accepit ſanè Iudas ignorans, quod hoſtes merebatur debellans: eſſet namque non exigua regiminis nota, ſi exigeret præmium merentis lingua, & differret eligentis ignauia; at diuina probatur electio, quæ non venit de ambitione ſed de virtute. Abulenſ.

Cum Abrahamus diuinæ largitatis acceperit munus, de munere paratur fortitudini tentamentum: vnicus filius ſenis iam ad occaſum vergentis poſtulatur ad victimam, vt fidei æternet famam: Volo, inquit Deus, mihi fieri ſacrificium tuis manibus in monte de proprio filio: hæc mihi, quia charior victima, placet, hic ſanguis me deplacabit. Quid tunc deuotiſſimus Abraham? Implere ſacrificium feſtinat, ne mora peccatum faciat: omni myſterio iam diſpoſito armatam ferro ſubleuat manum; ſed vox eius, qui victimam poſtulauerat, contradicit: vmbratile ſacrificium verum adipiſcitur præmium: *Quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli:* O quàm de cœlo agnoſcitur præmium, quando non tantum ſuperat; ſed anteuertit merentis votum: eodem in loco accepit iam præmium, quo parauerat ſacrificium: os nobilitauit ſilentium, decorauit dexteram parricidium. Certè opus non fuit Abrahamo præmia depoſcere, vbi eximiis conſtabat virtutibus refulgere. Notauit Zeno Veronenſis ſermone primo de Abraham. *Accepit iam præmia, quæ meretur.* Et quomodò accepit? Iam ſubdit Zeno: *Abraham cum filio ſic probatus à Deo eſt, vt non poſtulans miſericordiam mereretur.* Expende illud: *Accepit iam præmia, quæ meretur:* adeò namque præmium merito eſt coniunctum, vt an fuerit dubites antelatum: Accepit iam præmia, quæ meretur: diuini profectò regiminis videretur quodammodò nota, ſi adeò probati exigeret præmium lingua: opus ipſum valida voce clamauit, & ſine voce Abrahamus præmium obtinuit, vt diſcant rectores anxium clamorem non expectare; ſed virtutis remuneratione ad virtutẽ alios allicere. 57.

Gen. 22. v. 16.

Zeno.

Duo vterini fratres maternis viſceribus 58.

pro

pro arena vſi arcano certamine luctabantur : protulit vnus manum , & quæ victoriam dextera inclamat , & victoriæ præmium Geneſ 38. v.27. oſtentat : *Vnus protulit manum , in qua obſtetrix ligauit coccinum,* Vnica actione fratrem ad ſpeciem deuicit , & præmium etiam accepit. Quid obſtetrix ſignarit , inquirit moraHugo. liter Hugo , aſſeritque diuinam adumbrare ſapientiam. *Obſtetrix , id eſt , diuina ſapientia coccinum ligauit in manu :* nondum habebat puer linguam , & iam dextera acceperat præmij gloriam : & quidem diuina comprobatur ſapientia, quæ dura dilatione non torquet, nec præmia importunis precibus vendit. Huc Caſſiodor. voco quod aiebat Caſſiodorus 11. var. 33. *Tunc habeatis commoda præmij , quando eſtis & ſudoris terminum conſecuti : non vos anxia mora ſuſpendimus , nec cruciabili dilatione fatigamus : vnus ſit finis ſolicitudinis , & laboris: nam differendum quis putet , ſi beneficia ſua vendere non retractet ?* O vtinam ſolùm venditarentur beneficia , non præmia ! Sub rectore optimo idem eſt terminus ſolicitudinis & laboris , ſub aliis tamen poſt laborem excruciat ſolicitudo , & qui egregiis patrandis factis non fatigabatur , præmia ſolicitando torquetur , dum anxia ſuſpenditur mora , & dirè torta defatigatur patientia : maiorem ſæpè ingerit laborem ambitus , quàm de hoſte ingreſſerat triumphus.

59. Eliſæum Domini prophetam pientiſſima mulier hoſpitio benignè excepit , & vrbanis officiis coluit : propheta conſiliis gratitudinis perſuaſus mulieris inquirit deſideria,quò 4.Reg.4. v.13. dum implet aliena , & ſoluerit ſua : *Ecce ſedulè in omnibus miniſtraſti nobis , quid vis vt faciam tibi ? Numquid habes negotium , & vis vt loquar Regi ſiue Principi militiæ ?* O fortunata ſæcula , quibus ad Principes patebat prophetis aditus,& quibus Principes conſiliis prophetarum virtutis edebant fructus.Mulier omni ſe nudam ambitione oſtendit , ſuaque in prophetam officia teſtata eſt de pietate exorta,non de ambitione naſcentia : *In medio populi mei habito.* Itaque feliciſſimam ſe prodidit , dum nihil deſiderantem oſtendit. Quid tunc? Beneficiorum onere oppreſſus propheta deſiderium diuinatur , & filium à Deo impetratum largitur : *In tempore iſto , & in hac eadem hora , ſi vita comes fuerit , habebis in vtero filium.* Si Sunamitis rogata nil expetit, quid propheta donum ingerit? Eius ſpectet preces , vt donum deſiderio commendetur, & ipſo voto augeatur. Imo,inquit Ambroſius in epiſtol.ad Irenæum , quæ eſt 12. ſuam gratitudinem non adeò Eliſæus commendaſſet, ſi mulier filium petiiſſet. Quid neceſſum erat expeterent verba , quæ merebantur virtutis opera ? Petitionem anteuertit propheta , vt doceat Principes dilargitis ante preces muneribus honorare , quem virtutes conſtat excolere. *Sunamitis illa ,* inquit Ambroſius , *magna mulier in ſuperioribus hoſpitium parauit , & ibi concipiendæ ſobolis meruit prærogatiuam.* Dedeceret obtinuiſſe petendo,quod hoſpitium merebatur parando : vterque ſuo muneri ſatisfecit , mulier dum ſedulè miniſtrat, propheta dum non petentem præmiis honorat. Diſcant hanc ab Eliſæo politiam Reipublicæ gubernatores. Certè ſupplex benemeriti libellus infert regimini notam, & ori debuiſſet ſuffundere verecundiam. Si miles ſedulè miniſtrauit , ſi omni otio depoſito ſudauit depræliando , & ſeipſum contempſit Principi triumphum ambiendo , quid neceſſum eſt terat miniſtrorum limina , & ſupercilia pati cogatur ſuperba ? Inquirendus eſt dignus , & quamuis ſeipſe occulat laudabili induſtria , eſt ad dignitatem ſolicita inquirendus diligentia.

Athalaricus 8. var. 21. refert Cypriani merita & dona : *Vidit te adhuc gentilis Danubius* 60. Caſſiod.8. v.21.
bellatorem , non te terruit Bulgarum globus , qui etiam noſtris erat præſumptione certaminis obſtaturus : peculiare tibi fuit , & renitentes barbaros aggredi , & conuerſos terrore ſectari. Quid tunc? *Hæc ſunt,* addit poſt aliqua , *quæ in te æſtimamus augenda , vt ſicut es conſcientia præditus , reddaris quoque honore reuerendus : ſunt enim beneficiis noſtris conſentanea , & vitæ ſuperna iudicia.* O quàm tranquillæ Principum vitæ conſentaneum , & quàm ſupernum probabatur iudicium, ſi conſcientia geſtorum præditus ante preces dignitate micaret ornatus. Ipſa facinora lingua ſunt, & quidem aures ſuas infamat,qui exertas voces laudandi ſemper facinoris non auſcultat.

Agnus throno digniſſimus conclamatur: 61.
Dignus eſt agnus , qui occiſus eſt , accipere virtu- Apocal.5. v.12.
tem & diuinitatem, & ſapientiam , & fortitudinem , &c. Et quid agnus habet , quod throno ſit dignum commendet ? Refert iam Euangeliſta : *Vidi , & ecce in medio throni & quatuor animalium , & in medio ſeniorum agnum ſtantem tamquam occiſum , habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem , qui ſunt ſeptem Spiritus Dei miſſi in omnem terram.* Ni tantorum teſtimonia agnum throno digniſſimum prædicarent, quid in eo ad regimen opportuniſſimum deſiderari cenſerem : nec enim multiplici inſtructum retulit aure , quem tanto præditum aſſeruit lumine. Nonne Principi aures neceſſariæ ſunt? Cur ergo aures tacet, & oculos refert ? Vt diſcamus Scripturam , dum ſilet audire , & dum loquitur , erudiri. Agnus hic non inſcendit iudicis tribunal ; ſed Principis thronum : ergo Princeps multis inſtruitur oculis , & carere videtur auribus : nec enim opus erat , vt digni benemeritique importunis,repetitiſque clamoribus aures verberarent , vt præmium acciperent. Regi agno in oculos conuerſæ ſunt aures ; quia præmia largiebatur aſpectus, quin clamor admoneret auditus : *Feciſti nos* , inquiunt, *Deo noſtro regnum , & ſacerdotes , & regnauimus ſuper terram.* Quos fecit regnum, quos extulit ad ſacerdotium? Dignos ſanè , excultis moribus præditos , & reportatis de diabolo triumphis laureatos. Hos extulerunt agni non aures , quæ ſilentio prætereuntur; ſed oculi , qui multiplices prædicantur. Imò vt aliam huius optimi regiminis prærogatiuam addiſcas, expende oculos ad terram miſſos : *miſſi* , namque ait, *in omnem terram :* non ait candidatum prolixos laborioſoſque viarum tractus viciſſe, vt ſe regnantis agni præſentaret adſpectui ; ſed ipſum agnum vel abſentis , ne itineris pateretur diſpendia , ſpectaſſe digna Principe curioſitate facinora : ipſe agni viſus dignos quæſiuit,non expectauit : opus non fuit agni deſideraſſe conſpectum , quando agnus ipſe,ſi liceat dicere , miſit ad dignos inquiren-

dum

Digitized by Google

dum intuitum: hic ergo agnus throno refertur ſtans: nec enim poterat vnquam cadere, qui probabatur ſic regere. Hùc voco, quod aiebat Caſſiodorus 9.var.22. *Electio noſtra de meritis venit, & tanto quis regali animo proximatur, quanto bonis ſtudiis ſocietate coniungitur. Non vereamini abſentes, nec ſitis de Principis ignoratione ſoliciti.* Addit: *Benè noti ſunt, qui meritis aſſeruntur, & abundè cognoſcitur, quiſquis fama teſte laudatur. Quapropter te longiſſimè conſtitutum mentis noſtræ oculus ſerenus inſpexit, & vidit meritum.* Meritum vidit abſentis, voces non audiuit clamantis. Et quidem magnum regiminis eſt elogium dilargirum ſic dignis præmium. Caſſiodor.

§. XVII.

Milites ſolùm de virtute fortes, de faſtu inueniuntur audaces.

62. QVi militiæ nomen dederunt, vt plurimum virtutis caſtra expugnarunt: neſcio quo pacto de legum violatione ſibi geſtiunt nomen facere, & de temeritatis audacia gloriam fortitudinis ſibi excudere: non ſolùm morum ignorauere cuſtodiam; ſed contra virtutes affectauere violentiam. *Qui militaribus officiis aſſueti,* aiebat Caſſiodor. 1.var.11. *ciuilitatem premere dicuntur armati, & ob hoc iuſtitia parere deſpiciunt: quoniam ad bella Martia ſemper intendunt.* Vt ad bella Martia belliciosius intendant, iuſtitiæ decreta audacia præſumptuoſiſſima calcant, nec morum dignantur cuſtodire menſuram, quaſi faciliùs de prauitate conſequantur victoriam; verùm ſtabilis fortitudo de concinnitate morum accreſcit, & de morum cultura viget. Aliquando ardua tentabunt de temeritate audaces; ſed nunquam inuenientur nudi virtutibus fortes; imò fortitudinis menſura de morum debet taxari elegantia: vt ille præ cæteris habeatur ſtrenuus, qui præ cæteris & virtute fuerit excultus. Opportunè Clemens Alexandrinus lib.1. Stomat. *Fidelis & ſincerus in ſeditionibus nunquam fuerit abſque omni virtute; pugnaces autem vel in bello mori volunt permulti mercenarij, quorum plerique ferè omnes ſunt audaces, & iniuſti, inſolentes, & prudentiæ expertes, paucis admodum exceptis.* Ecce demortuo Ioſue de eligendo duce Iudæorum primates conſulunt. *Quis aſcendet ante nos contra Chananæum, & erit dux belli?* Quibus oraculum Iudam præferendum reſpondit: *Dixitque Dominus: Iudas aſcendet.* Abulenſis quæſt.4. hanc tribum præ cæteris putat ad certamina deſtinatam, quia in ea fortiores milites: *Iſta tribus erat cæteris honorabilior, & erant in ea viri fortiſſimi:* Sed cur Iudas deprædicetur fortiſſimus, & præ aliis hoſtibus ſpoliis ornatus? Ipſum profectò nomen indicat: *Iuda*, inquit Hieronymus in qq. Hebraic. *confeſſio ſiue laus interpretatur.* Ecce Iudas cæteris ad bellum fortior: quia Numinis confeſſione & laude præſtantior: nec enim poterat bellicis ſe certaminibus ſtrenuè non gerere, qui vitia truculentiores quidem virtutis hoſtes didicerat expugnare.

Caſſiod. Clem. Alex. Abulenſ. Hieron.

63. Aliis ad pugnam antelatus refertur centurio ille, qui fide etiam aliis refertur præſtantior. *Acceſſit ad eum Centurio rogans eum.* Bellicam dignitatem obtinuit, qui aliena non diripuit, ſed diruta religioſis ſumptibus inſtaurauit: *Dignus eſt*, pro illo allegabant Iudæi, *vt hoc illi præſtes: diligit enim gentem noſtram, & ſynagogam ipſe ædificauit nobis.* Militabat iſte quidem non ſolùm robore; ſed virtute: ideò meruit de fortitudine principatum: quia virtutis curauit cultum: non refertur hoſti ſubiectus; ſed ſemper militibus dominatus: *Dico huic: vade, & vadit, & alij: veni, & venit.* O quam hoſtibus erat metuendus, qui inueniebatur virtutibus venerandus. Innuit Chryſologus ſerm.102. *Centurio hic Romanus erat; ſed plus erat hîc ipſe fructu centeſimo Chriſtianus: & ideò magis militabat iſte quàm ſæculo, & in humano bello fortis, fortior in diuina pacis cuſtodia permanebat.* Dum mores cuſtodit, bellicam ſibi de fortitudine dignitatem acquirit, & cùm in internæ pacis perſiſtit cuſtodia, aduerſariis exiſtit terribilis in arena: *In humano bello fortis, fortior in diuina pacis cuſtodia permanebat.*

Matth.8. v.5. Lucæ 7. v.4. Chryſol.

64. Gedeon exercitum cogit, & militem numeroſum in aduerſarios obarmat; verum cæleſte oraculum ad aquas ab imbellibus fortes ſecernit, & victoriam numero exiguo promittit. *Dixit Dominus ad Gedeon: Qui lingua lambuerint aquas, ſicut ſolent canes lambere, ſeparabis eos ſeorſum: qui autem curuatis genibus biberint, in altera parte erunt.* Trecenti viri inuenti ſunt, qui manu ad os aquam proiiciente biberunt, quibus Gedeon adoritur prælium numeroſiorem repudians numerum. Ecqua huius diſcriminis cauſa eſt? Quia hi ſolùm, inquit Origenes hom.9. in Iudices ad victoriam electi, & fortitudine conſecrati: *Trecenti ſunt ſoli, qui ſacramenti huius imaginem ferunt, iſti electi, probati, & ad victoriam conſecrati: qui etiam ipſo numeri ſacramento obtinere aduerſarios poſſunt: trecenti enim ſunt, qui tertio centeno multiplicantur, & perfectæ Trinitatis numerum gerunt.* Aptius Procopius apud gloſſam: *Alij fortitudine lambitionem horum trecentorum tribuunt, item temperantiæ dicentes: Pulchra virtus temperantia eſt. Sunt trecenti Gedeonis ſocij, qui Madianitas ſubegerunt.* Ecce ab appetitu temperantes in aduerſarios probantur fortes, & dum ipſa occaſione inuitante frænarunt concupiſcentiam conſecrati ſunt ad victoriam: triumphorum micant honore, dum Trinitatis ferunt inſigne. Alij profectò iam erant ob metum ab aliorum numero ſeparati, remanſerant namque poſt ducis edictum: *Qui formidoloſus,* aiebat, *& timidus eſt, reuertatur: receſſeruntque de monte Galaad, & reuerſi ſunt de populo viginti duo millia virorum, & tantum decem millia remanſerunt.* Ecce in decem millibus nullus inuenitur formidoloſus; verùm non omnes illi fortes; ſed ſolùm virtute prædìti, & fortitudine armati: & quidem reliqui ad aquas ſe proiecerunt audaces, nec valuerunt appetitum frænare fortes: à fortium ergo numero excluduntur milites, dum bonos deſpiciunt colere mores: vt noueris militarem fortitudinem virtute enutriri, & ſine virtute audaciam ſolummodò procreari.

Iud.7. v.5. Origen. Procop.

65. Perpendebam aliquando Salomonem eos milites deſignaſſe ad lectuli cuſtodiam, qui pollerent fortitudine, & ad noctium depellendos timores depræliandi valerent arte: *En lectulum Salamonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi: vniuſcuiuſque enſis ſuper ſe nur ſuum propter timores nocturnos.* Aptiùs profectò deprædicatæ Cant.3. v.

Digitized by Google

dicatæ fortitudini videbatur ſtrictos prenſare gladios, hoſtibus terrorem incutere, quam femur proprium ferire. Imò vt fortitudinis illis adaptetur elogium, femur ſplendentem patitur gladium; in femore deſignari ſolet libido: ergo ſapientiſſimus Salomon caſtiſſimos requiſiuit, vt fortiſſimos haberet: de diſcretionis gladio præciſa laſciuia inuictè nata eſt fortitudinis gloria: fortes inueniuntur ad tranquillum regis otium, qui lubricum in ſeipſis intemperantiæ reſecare nouerint vitium. Delrius. Audi Delrium ad hunc locum in tropolog. interpret. *Hi ſeſe diligenti mandatorum obſeruatione ab impietatis operibus abducunt, carnemque ſuam cum vitiis omnibus, & concupiſcentiis vincunt, atque crucifigunt, & ideò enſem ſuum ſuper femur ſuum tenere dicuntur (nam femur carnis illecebras, & voluptates ſignificat) ne cupiditatibus victi præcipites ruant.* Non ruent, quia caſtitate obarmati, ruerent præcipites, ſi hac Angelica virtute diſcincti. Ergo Salomon vt quietos caperet ſomnos, milites delegit fortitudine præmunitos: *Sexaginta fortes ex fortiſſimis Iſrael.* Vt noueris caſtitate pollentes ſemper hoſtibus eſſe terrori, & appropinquare familiariſſimos regi. Nec palatij abditiora negantur caſtis, nec fortitudinis carere poſſunt elogiis.

66. Saülis deſertam à gratia animam nactus dæmon proprium ſibi effecerat domicilium, & licèt tyrannidis ſuæ notam miris artibus niteretur celare, non potuit intuentium oculos non retegere: prudentia namque de mentis arce præcipitabatur, oculorum acies perturbata iniquam ferebat de coloribus ſententiam, & erat miſerabile dictu hominem videre diademate cinctum, & furiis exagitatum: tunc ſeruorum neſcio quis vt tam interno malo medeatur, Dauidem conſulit afferendum, illumque & citharæ cantus extollit mirè peritum, & in hoſtes intrepidè bellicoſum: 1 Reg. 16. v. 18. *Ecce vidi filium Iſai Bethlehemitem ſcientem pſallere, & fortiſſimum robore, & virum bellicoſum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum, & Dominus eſt cum eo.* Non imprudens vt bellicoſam virtutem aſſereret, & animi aſſeruit etiam virtutem: de eleganti namque morum concinnitate robur oriebatur, & quia moribus ſemper excultus, & in hoſtes fortunatè bellicoſus. *Hoc dixit ille puer Saulis,* ſcribit Abulenſis quæſt. 34. *Zelo bono concitatus: quia viderat Dauid eſſe magnum citthariſtam, & virum omni probitate laudabilem.* Vbi agnoſcebatur probitas, in bello prædicabatur ſtrenuitas: Abulenſ. *Quod Dauid*, præmiſerat Abulenſis, *tunc eſſet vir bellicoſus, ſatis eſt: quia non vocatur vir bellicoſus ille ſolus, qui ætatis maturæ eſt, & bella nouit; ſed quicumque robore excellens eſt, & facit opera fortia; ſic autem erat Dauid, quamquam eſſet iuuenis: quia erat fortis robore, & faciebat opera admiranda, & erat ad bellum aptiſſimus.* Ecce de virtute robuſtus, de probitate ſtrenuus, de ſanctitate bellicoſiſſimus. Vtque noueris egregiam hanc fortitudinem non tam adſcribendam neruoſo corpori, quàm virtuti, hunc ipſum inter alias pœnas à Gad propheta denuntiatas per tres menſes aduerſariis terga denuntiatur daturum: 2 Reg. 24. v. 13. *Aut ſeptem annis veniet tibi fames in terra tua, aut tribus menſibus fugies aduerſarios tuos, & illi te perſequentur, &c.* Et quomodo Dauid manu fortis, & triumphis exundans terga indecorè daturus denuntiatur, cùm bellicoſus toties deprædicetur. Quia hic legem violauit, & alibi cuſtodiuit: dum ergo Dominus eſt cum eo, ad bella inuenitur doctiſſimus, dum legem infringit, denuntiatur meticuloſus: vt noueris militarem fortitudinem non tam de corporali robore naſci, quã de legis obſeruantia progigni. *Hic deſcribitur,* ait Lyra, *punitio Dauid propter peccatum ſuperbiæ.* Lyra. Dum ſuperbit, fugit, dumque legem violat, fortitudinis gloriam eneruat.

67. Hebræorum populus Pharaonis tyrannide excuſſa per medios vortices pulueruIentus incedit. Mira res! vidit pelagus calcari profundum, vbi miſerum tot inuenere naufragium; verùm Pharao ſpoliis inhians, & cædes ſpirans pericula deſpicit, & quos fluctus eximuit probitas, deſpexit inimica ſibi cupiditas: *Iunxit currum, & omnem populum ſuum.* Exod. 14. v. 6. Ecce intrepidè per inacceſſa fluctuum volumina, vt Moyſes, graditur Pharao; imò grandiori animoſitate fluctus aggreditur calcare curribus, quos Iſraelitæ trepidabant calcare pedibus; verùm dum in virtutem armatur non fortis; ſed inſolens: non habetur ſtrenuus; ſed auidiſſimus. *Accipe,* ſcribit Bernardus ſerm. 38. in Cant. Bernard. *quales his ſuis Principibus Pharao præparauerit currus ad perſequendum populum Dei: habet namque malitia currum ſuum votis quatuor conſiſtentem, ſæuitia, impatientia, audacia, impudentia: valde enim velox eſt currus iſte ad effundendum ſanguinem, qui nec innocentia ſiſtitur, nec patientia retardatur, nec timore frænatur, nec inhibetur pudore.* Intrepidè incedit difficillima aggreſſus, & profundi pelagus calcare paratus; verùm animoſitas hæc non fuit fortitudo vera; ſed audacia pernicioſa. Periit temeritate agitatus: populus vndas calcat laudabili fortitudine præditus.

§. XVIII.

Ea ſolet eſſe aliquorum ambitio, vt domus, familiæque contempſerint detrimenta, vt Principum aut Magnatum frequentarint palatia.

68. AB exordio vim patitur noſtra ab ambitione natura: ſic conuiſcerata, & ſi licet dicere, concarnata hominibus poſt ſerpentis flatum illos adurit, vt ipſi denegent tributa naturæ, quo huic liberiores ſoluant inſaniæ: filios chariora pignora, & quos ſtrictiſſimo cognationis vinculo natura coniungit, obliuiſcuntur, ambitioſa phrenitide inſani, & veluti furore correpti. *Illos,* Tertull. aiebat Tertull. lib. de pœnit. cap. 11. *qui ambitu obeunt capeſſendi magiſtratus neque pudet, neque piget incommodis animæ & corporis, nec incommodis tantum; verùm & contumeliis omnibus inniti in cauſa votorum ſuorum.* Non mirarer animæ incommoda contemni: tarò enim contigit pluris æſtimari, mirãdum verò eſt ipſa corporis incommoda ſuſtineri; imò & damnabili patientia affectari. Iudas eligitur belli Princeps, tribuum primus: *Iudas aſcendet.* Et miror Simeonem fratris latus non ambire; ſed honeſtis conditionibus prolectari: *Ait Iudas Simeoni fratri ſuo. Aſcende mecum in ſortem meam.* Adeſt vocatus cùm non ſemel Principis vicinitatem vel familiæ diſpendio quiſque ambire ſoleat ſuperbus. O quàm Simeon probatur ab ambitionis lege diſpunctus, cùm Principi aſſiſtit ſolùm rogatus: *Simeon inter*

Digitized by Google

interpretatur audiens, id eſt obediens, ſcribit
Hugo. Hugo hîc. Primi exuit parentis ingenium, qui vt Principi aſſiſteret, expectauit mandatum, quando innatum eſt hominibus ſe ſuamque familiam obliuiſci, omneque deſpicere detrimentum, vt ad familiaritatem admiſſi Principis frequentarint palatium.

69. Dauid Achis regis amicitiam ſolicitat, cumque in Siceleg eius vxores Achinoan, & Abigail habitarent, ipſe in Achis conſpectu aſſi-
1.Reg.29. v.2. ſtebat: *Dauid & viri eius erant in nouiſſimo agmine cum Achis.* Dum Dauid Regis adſtat conſpectui graue eius patitur detrimentum familia, & hoſtilis manus fit præda:
1.Reg.30. v.1. *Amalecitæ impetum fecerant ex parte auſtrali in Siceleg, & percuſſerant Siceleg, & ſuccenderant eam igni, & captiuas duxerant mulieres ex ea.* Ecce quid Dauidis ſuis pariat abſentia: domus ſuccenditur, familia diſtrahitur, vxor abducitur. Quod moralis gloſſa ad mores adaptans ait, hoc ſignificari euentu, quod ſæpeſæpius contingit: plures namque familiam diſcrimini relinquunt obnoxiam, vt
Gloſſa. Principis affectauerint amicitiam, & frequentauerint curiam: *ſignificatur*, inquit Gloſſa moralis, *quòd abſentia boni prelati, qui per Dauid ſignificatur, à ſua diœceſi, dæmones incendunt populum ſuum igne concupiſcentiæ carnalis & cupiditatis, & ducunt eum captiuum.* Innuit etiam Lyra:
Lyra. *Deſcribitur incidens caſus ſcilicet de ciuitate Siceleg incenſa, & deprædata tempore quo Dauid & viri eius erant in exercitu Philiſthinorum.* Vt Achis adſtet, vt eius Dauid fruatur alloquio, vt illi proximus inceſſerit agmine, Siceleg relinquit præſidio nudam, armis deſtitutam, & captiuitati obnoxiam. Et quidem quod in Dauide ſine crimine depinxit hiſtoria, non ſine crimine multis accidiſſe lamentabilis edocet experientia: ſunt namque qui familiaritatis magnatum ambitioſi muneribus emunt, & nullis ſumptibus parcunt, vtque ſuperba pompa, & euanida gloria fulgeant quidquid cenſus & diuitiarum inſumunt, & depauperatam familiam caſui, & diſcrimini exponunt. Abigail caſtiſſima à Dauide derelicta fit hoſtium præda: tanto familiæ diſpendio Principis emitur amicitia, & frequentatur non ſemel aula.

70. Zebedæi filij regnum Chriſti temporale exiſtimantes diſcupiunt proximiores aſſiſtere, &
Matth.20. v.20. gradu, cæteris antecellere: conſanguinitatis iure fidentes accedunt: *Acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis adorans & petens aliquid ab eo.* A filiis ortum eſſe excellentiæ ſtudium Chriſti Domini declarauit reſponſum. Innuit Auguſtinus apud D. Thomam: *Quod hîc*
Auguſt. *per matrem dictum eſſe Matthæus expreſſit, Marcus ipſos filios Zebedæi perhibet dixiſſe, cùm illa illorum voluntatem attuliſſet ad Dominum, vnde magis ipſos, quàm illam dixiſſe, quod dictum eſt, Marcus breuiter intimauit.* Itaque error hîc à filiis profectus eſt, nec vanè hîc matris fit mentio: vt noueris cogitaſſe matrem relinquere, vt Principi poſſent collaterales fulgere. Certe iam ætate longæua, ſolatio deſtituta, à pignoribuſque ſtudioſè fuerat alenda; imò ad temporales thronos admiſſi, ſi opus eſſet, debuiſſent renunciare,
Ambroſ. vt ſolatium matri poſſent afferre; verùm ſic degenerarunt, vt quaſi pietatis obliti matris curam repudiauerint ambitioſi. Innuit Ambroſius lib. 5. de fide ad Gratian. cap. 3. *Mater ætate longæua ſtudio religioſa, ſolatio deſtituta, quæ tunc temporis, quando vel iuuanda, vel alenda foret validæ prolis auxilio, abeſſe ſibi liberos patiebatur.* Mater non tam ſolicitat, quam patitur filiorum abſentiam; ſed illi, vt Magnati aſſiſtant, matris ferè ætate confectæ obliuiſcuntur, nec illius curant ſolatium: quia totis viribus exambiunt thronum. Certè mater fouenda & iuuanda erat validæ prolis auxilio; at illi eius nullatenus ſtudebant ſolatio, vt Principi collaterales fulgerent throno: ſe ipſos nudabunt ſanguinis cenſu, ſi ſanguine emendus ſit thronus, & ad Principem comparandus ingreſſus. O quot pietati denegarunt obſequium, vt ad Principis admitterentur ſeruitium! Diſpendio naturæ periculoſam diſcupiunt amicitiam, & calamitatis adaugent cæci materiam. Videas nonnullos cognatorum, imò parentum, filiorumque, & vxoris oblitos, & negotiandæ Magnatum familiaritati ſtudioſiſſimè deditos. Illorum curſitant domos, vſque ad altum noctis tempus aſſiſtunt, profundunt aurum, & ad euanidam familiaritatis emendam gloriolam, grandem ſuſtinent pietatis, nummorum, imò & honoris aliquando iacturam. Non poteſt Principi non aſſiſtere, qui Simeonis ad inſtar vocatur; ſed damnabili ambitionis culpa dedecoratur, qui intruſus.

71. Doeg Idumæus alendis pecoribus deputatur:
1.Reg.21. v.7. *Doeg Idumæus potentiſſimus paſtorum*, verùm licet muneris paſtoralis legibus teneretur, ſatagebat Principi ſemper aſſiſtere, & in palatiis degere. Querebatur Saul eius ſeruos fauere Dauidi, nec regis ſtudioſè cauſam amplecti. Quid tunc? *Reſpondens Doeg Idumæus*, inquit textus, *qui aſſiſtebat, &c. Vidi*, inquit *filium Iſai.* Quali putas diſpendio gregum emebatur hæc aſſiſtentia? Caſibus, lupis, furibus pecora manebant expoſita, vt ille verſaretur in aula. *Nec Doëg figura vacat*, ſcribit Ambroſius apud gloſſam ad 1 Reg. 21. *qui erat cuſtos mulorum, eo*
Ambroſ. Gloſſa. *quòd nemo alius niſi infructuoſi gregis cuſtos Iudæ proditoris typum impleret.* Conſonat Gloſſa moralis: *Per Doëg, qui interpretatur mortuus, allegoricè ſignificatur Iudas proditor, qui de morte Chriſti tractauit cum Principibus Iudæorum.* Doëg vt Principi aſſiſtat, Iudam actionibus repræſentat: vt enim hic Chriſtum vendidit, ille etiam pietatem obliterauit, vtque Iudas veritatis detrimento Principum famulabatur delitio, ſic Doëg gregis damno Principis mancipabatur obſequio. O quàm ſteriles Doëg referuntur greges, dum Principis fauorem affectat, dum aulam curſitat! Munere erat paſtor; ſed aulicus profeſſione: grex ergo refertur infœcundus, dum paſtor familiaritatis Principis ambitioſus. Profectò qui Epiſcopali dignitate refulgent, aula non probantur alieni; debuiſſent tamen illam ſolùm intrare ſpirituali neceſſitate compulſi, & regali imperio vocati, imò ſe citiſſimè tricis curialibus expedire, & ad paſcendum gregem reuerti.

72. Huius veritatis typus adſtat Dauid, vt variis actionibus variis etiam inſeruierit doctrinis: Saul imperato dæmone agitabatur, nec poterant externæ oblectare deliciæ, quem internæ diſcruciabant moleſtiæ: parum iuuabat differta menſa, collucens marino murice purpura, quando gehennalis adurebat animum flamma. Serui, quod aulicis rarum eſt, interno damno adhibere ſolicitarunt medelam, & Regi dextrè

in cantando Dauidis ſuggeſſere notitiam. Erat in paſcuis,& vocatur à Rege oues non ſine prouidentia reliquit. *Miſit Saul nuntios ad Iſai dicens: Mitte ad me David filium tuum, qui eſt in paſcuis.* Dauid aduenrat, lyram pulſat, dæmonem abigit, animæ ſanitatem reſtituit, cumque iam rex inferre hoſtibus diſponeret prælia, 1 Reg. 17. v. 15. reuerſus eſt ſtatim ad paſcua: *Abiit David, & reuerſus eſt à Saul, vt paſceret gregem patris ſui.* O quàm paſtoris munus impleuit! O quàm formam paſtoribus Eccleſiæ præſcripſit! Aliquando opus eſt petere curiam, & gregis alteri delegare prouidentiam; verùm hoc fieri debet, cùm animæ aut corporis grandis neceſſitas vrget, cùm regia auctoritas præcipit; imò placata iam neceſſitate ſolicitè reuertendum ad gregem eſt. Curauit vicarius, & ſtrenuè fortè Dauidis gregem, verùm de Dauide ſolùm refert textus quòd à leonis rictibus arietem animoſus extraxerit, quod vrſi audaciam repreſſerit: *Paſcebat*, refert ipſe, ſeruus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo vel vrſus,& tollebat arietem de medio gregis, & perſequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore *eorum*. Dum gregis ageret curam, hoſtiles retardabat adſultus, aut temeritatis puniebat auſus: fors dum eius locum mercenarius obtinuit, ſe adeò animosè periculis non expoſuit, nec truculentas beſtias fugauit: iuſtum erat aliquali etiam gregis detrimento regis neceſſitati conſulere; ſed Abul. æquiſſimum fuit ſedata iam ægritudine tempus non extrahere; ſed curam gregis ſuſcipere. *Reuerſus eſt in Bethlehem*, ſcribit Abulenſis q. 13. *vt ibi paſceret gregem: prius enim quàm Saul faceret David ad ſe venire, paſcebat David gregem.* Addit ſtatim: *Ex hoc manifeſtatur humilitas David: quia quamquam moratus fuiſſet cum rege familiariter magno tempore ſemper ſtans in conſpectu eius, non erubuit poſteà redire ad cuſtodiendos greges, nec hoc refutauit.* Poſſet magnis in aula honoribus frui; ſed quia paſtoris fungebatur officio, ſolicitè reſtitui ſatagit miniſterio. Annuit Lyra Lyra. *Quia non habebat officium coram eo citharizando, ideò ad officium priſtinum reuerſus eſt.* O quàm eximia Dauidis probatur virtus, dum regis imperio vocatus adeſt, & dum ad paſtorale officium reuertitur non dimiſſus. Ipſe abiit: ait namque textus: *Abiit David, & reuerſus eſt.* Vocatus interfuit, vt Eccleſiaſticis paſtoribus adeundi curias præſcriberet formam, & à grege ſine vrgentiſſima cauſa damnaret abſentiam. O quàm miſerabile dictu eſt aliquos Eccleſiaſtica dignitate exornatos imperialibus etiam adurgentibus decretis à curiis non abigi, & palatiis importuniſſimè ingeri! Simeon quia obedientium gerit perſonam præcepto abiit compulſus, non quæſiuit præcellentis fratris latus ambitione ſuperbus.

§. XIX.

Non diſſimili gloria fulget, qui ſanis doctrinis expugnat vitia, & qui hoſtilia armis euertit caſtra.

73 IN Republicæ pacem, tranquillitatemque non ſolùm viſibilis truculentus hoſtis prenſat gladium; ſed inuiſus armat & vitium. Militum munus ſecuritas ſolet eſſe cunctorum: quoniam pax omnium eius ſolicitudine custoditur, dum inſolentia hoſtilis arcetur: plures quidem depopularentur incendia, alios ſurreptio denudaret furtiua, ni fortium militum arma audaci hoſtilia opponerentur aduerſa. Armarium fortuna deprædicatur cunctorum, & refugium omnium iure dicitur, vbi vniuerſorum ſecuritas aſſeruatur; verùm nihil proderit Martia deſudarint in campo bella, ſi mores ciuicos corruperint vitia. Nec ſemel lignum teres à tinea cadit corroſum, quod repetitis ſecuris ictibus perſeuerat robuſtum. *Charillus*, ſcribit Plutarchus in apophthegm. *interrogatus quam Rempublicam optimam numeraret: In qua, inquit, pleriſque, qui rempublicam tractant, de virtute inter ſeſe ſine ſeditione certant.* Virtus intus cuſtodit, quod militia exterius acquirit. Et intereſt parum adamantino vrbem communiri muro, ſi inteſtino oppugnetur vitio. Vt è contra obeſt parum muro iaceat diſcincta, ſi virtutibus decertet armata. *Ageſilaus*, teſte ibi Plutarcho, *requirenti quid muris careat Sparta, oſtẽdens armatos ciues: Hi reſpõdit, ſunt Lacedæmoniorum muri. Alij idem quærenti: Non lapidibus, inquit, ſepienda, nec lignis vrbes ſunt, verùm incolarum virtutibus* Profectò Ageſilaus nullis dirruendos tormentis bellicis ciuitatis cuſtodiæ oppoſuit muros, ciues ſcilicet armis & virtute munitos: quid enim prodeſſet hoſtiles fugare auſus, ſi ciuitatem proſternerent vitiorum adſultus? nec conſuleretur prudentiæ, ſi ſpretis armis conſuleretur ſolùm virtuti: vno & altero Reipublicæ eſt opus, ſcilicet qui ſanis doctrinis mores excolat, depellat vitia, & qui armis inimicorum fugarit caſtra. Seniores populi omni ambitionis ſpecie liberi Deum de duce eligendo conſulunt. Iudas præfertur: *Iudas aſcendet*: populi iudicibus comparat Iſidorus in lib. Iudic. cap. 1. Apoſtolos, aitque: *Poſt Ioſue ſuccedunt iudices, ſicut poſt Chriſtum Apoſtoli, & Eccleſiarum doctores* Et quæ inter Iudices viros militares, & Apoſtolos inermes poteſt exiſtere comparatio? Magna profectò: nam Apoſtoli voce depulerunt vitia: iudices vicerunt prælia. Vt ergo iudices ſalutem pepererunt Reipublicæ deprældiando, ita Apoſtoli docendo: & vt Eccleſiarum rectores incolumem populum ſanis aſſeruauere doctrinis: ita iudices protexerunt validis armis: quod miles pugnando eſt populo prædicator docendo: alter namque premit hoſtes inuiſos, alter viſibiles aduerſarios armatos. Simili ergo gloria decorantur, qui proſternit vitia doctrinis, & qui caſtra euertit armis.

Plutarch.

Felix Reſpublica, vnde abeſt ſeditio.

Muri ciuitatis milites.

Virtus pro muro eſt.

Goliat immanis hoſtis Dei populum audacter laceſſit, horribilis vultu, grandiloquentia inſolentior, corporis menſura monſtrum, & ſuperbus ſine menſura: Dauid non humanæ gloriæ cupidus; ſed diuini honoris Zelotypus certaminis prouocationem ad ſe rapit, & contra belluam electis quinque limpidiſſimis lapidibus in campum prodit certaminis conteſtatus habitu, cum ſuperbo non eis armis, quibus cum homine, pugnandum; ſed quibus cum beſtiis pugnari aſſolet, congrediendum: *Elegit ſibi quinque limpidiſſimos lapides de torrente.* Hugo Cardinalis hos lapides ait eſſe quinque Chriſti panes,& quinque verba Apoſtoli. *Quinque lapides David quinque panes Chriſti, quinque verba Apoſtoli* 1. *Corinth* 14. vide mus Apoſtoli verba. *Volo*, aiebat, *quinque verba ſenſu meo loqui, vt & alios*

Digitized by Google

alios inſtruam. Ecce Apoſtolus verbis inſtruit, Dauid lapidibus deſtruit: infixus eſt namque lapis in fronte, & ſuperbiæ ſubruit turrim: quæ ergo inter adeò ad ſpeciem oppoſita ſimilitudo? Imò maxima cognatio: nec enim ad populi ſalutem minus conduxerunt quinque Apoſtoli verba, quàm quinque illa dura Dauidis arma: Dauid hoſtes abegit pugnando, Regem liberauit metu, exercitum totum periculo; at Paulus dum edocet, dum prædicat, facit cæleſti eloquentia quod Dauid paſtorali funda: de morum probitate arcet diſcrimina Apoſtolus, & vitia deterens æternis coronat lauris, & temporalibus etiam triumphis: eſt namque virtus pro muro, & pro bellico in aduerſarios tormento. O quàm ſimiles inueniuntur Dauid Philiſthinorum caſtra manus dexteritate fugando, & Paulus vitiorum caſtra cæleſti eruditione terendo! vterque incolumitatem Reipublicæ peperit, alter dum mores inſtruxit, alter dum aduerſarios euertit.

75. Fugiebat Pharaonis tyrannidem Iſraël, & ne potentiſſimi exercitus metus fugientium curſum retardaret, è nube Dominus Ægyptiis confuſas eiaculatur tenebras. & Iſraëlitis lucem miniſtrat fulgidiſſimam: *Erat nubes tenebroſa, & illuminans noctem.* Nubis columna populo pro muro fuit: *Reſpiciens*, inquit, *Dominus ſuper caſtra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis interfecit exercitum eorum.* Satis profectò videbatur è tenebroſa nube Deum eiaculari ſpicula, vibrare fulgura, & horrenda procurare, naufragia: quid lucem etiam ad hoſtem deterendum aſſumit? Lux Hebræis ad carpendum iter miniſtrabatur, caligo Ægyptios tenebris confundebat: ergo contra Ægyptios nō luce pugnauerit; ſed caligine? imò caligine, & luce, inquit Drogo Oſtienſ. de hac nube lucida relucebat populo ſemita humilitatis, ſemita fortitudinis, & omne demum virtutis iter: ergo non ſolū pugnat contra Ægyptios tenebroſa nubes, dū ardentia contorquet fulmina; ſed lucida etiā dum virtutis Hebræis demonſtrat itinera. Non diſſimili modo hoſti parauit naufragium lux Hebræos edocendo, ac caligo flammis obſcuriſſimis debellando: *Hanc nubem*, inquit Drogo de Sacram. Domin. Paſſion. *totus exercitus tuus ſequitur, Domine rex ſabbaoth: qui autem non ſequitur eam, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat, & neſcit quo eat: relucet enim de hac ſemita, quæ ducit ad vitam, ſemita humilitatis, & patientiæ, ſemita manſuetudinis & miſericordiæ.* Docendo oppugnat hoſtes, & ſequentes nubem vocantur exercitus: pugnat, dum mittit in Ægyptios iacula, & pugnat, dum Hebræos virtutis docet itinera: *Reſpiciens*, inquit, *per columnam ignis & nubis interfecit exercitum eorum:* non minus dura extiterant in Ægyptios arma lucis documenta, ac denſa nubis ſpicula.

Exod.14. v.10.

76. In totius orbis faciem adeò ſe effuderant vitia, vt terræ firmitudo illorum pondere iam prægrauata nutaret, & antiqua ſtabilitate careret: quid tunc? Quis Deus calamitatem miſeratus validis columnis ſuffulſit, & ſtabilitatem firmauit: *Liquefacta eſt terra, & omnes, qui habitant in ea: ego confirmaui columnas eius.* Ecquæ ſunt, quæ nullis concuti poſſint flatibus ventorum columnæ? Doctores, inquit Euthymius hîc, qui vera doctrina, ne in præceps mundus labatur, ſuffulciunt: *Corrupta eſt terra idololatriis, & multiplicibus hominū peccatis; verùm ego, inquit, creatura perditionem miſeratus Apoſtolos, confirmaui: hos etenim columnas orbis eſſe meritò dicimus, veluti qui ſolida ſua doctrina omnes vbique gentium fideles ſuſtineant & regant.* Ecce ſi de armis pax enutritur, de doctrinis etiam eruditis terra fundatur.

Pſal.74 v.4. Euthym.

Eliam flammanti quadriga cœlum inſcendentem Eliſæus Iſraelis vocat militiam, & militarem tutelam: *Currus Iſraël, & auriga eius.* In Hebræo habetur. *Currus Iſraël, & militia eius.* Sed videamus quid Eliæ commune cum curru. Vtebantur milites falcatis curribus in certamine, vt hoſtes improuiſa agitatione ſecarent; at Elias his armis non vtebatur: cur ergo & currum & militiam vocauerit? Quia bonis moribus inquit Lyra, populum erudiuit, & veri cultum Numinis docuit: vt ergo militia defendit populum decertando, ita Elias populum defenderat edocendo: *Ipſum reduxit ad veram fidem vnius Dei per impetrationem ignis ſuper holocauſtum ſuum ad declarationem veræ Deitatis: propter quod tunc clamauit populus: Dominus ipſe eſt Deus.* Ecce militia vocatur doctrina, & quod ſtrenuus miles ad populi ſalutem bellico operaretur certamine, hoc operatus eſt Elias, dum veri Numinis inſtruxit fide: floruit namque de religione populus, & à populo detritus eſt inimicus. 77

4.Reg.2. v.12. Hebraicè. Lyra.

Triumphalem illam Dei quadrigam impauidus ornat leo, & altipera munit aquila: *Facies leonis à dextris ipſorum quatuor, & facies aquilæ deſuper ipſorum quatuor.* Hac quadriga Deum ad inimicorum vltionem, & ad ſuorum obarmari ſalutem teſtantur Patres: *In conſolationem tranſmigrati populi*, ſcribit Hieronymus hîc, *reuelationem ſententiæ Dei propheſauit, & hanc viſionem, & templi dedicationem.* Interpretationi tanti Doctoris aſſentio; verùm latius videbatur ad prædicendam templi reædificationem, populique ſalutem quadrigam militarem oſtendere impauidis armatam leonibus, non aquilinis aciebus. Aquila viget volatu, floret viſu; at non præſtat ad hoſtes conterendos, & inimicos fugandos. Leo nobiliter cruentatur ſanguine, & incuſſa ante certamen triumphat formidine: cur ergo aquila hîc aſſocietur leoni? Quia aquila hæc, ſcribit Gregorius lib. 31. Moral. cap. 22. vbicunque cadauer exiſtit, adeſt: atteſtante Iob: *Vbicumque cadauer fuerit, ſtatim adeſt.* Et cur adeſt? Ne cadauer iaceat; ſed culpa denudatum reſurgat. *Quia ergo* (verba ſunt Gregorij) *ſanctus quiſque prædicator, vbi peccatores eſſe conſiderat, illuc anxiè peruolat, vt in peccati morte iacentibus lucem viuificationis oſtendat, benè de hac aquila dicitur: vbicumque cadauer fuerit, ſtatim adeſt.* Cadūt homines tam hoſtili mucrone, quàm ſceleris vulnere: erat ergo neceſſarius fortiſſimus leo, qui abigeret pericula, & aquila, quæ clamore exuſcitaret cadauera: leo militat, aquila prædicat, & vterque triumphali gloriæ conducit: parum namque profuiſſet leonem rugitu abegiſſe, nec læderent hoſtes, ſi propriis delictis cadauera ſcerent ciues. Ergo triumphalis currus inuicta conſtat leonis fortitudine, & armata in vitia magiſtri prædicatione. Dum adeſt ſuſcitando cadaueri aquila, abigitur ignominia, & dum occurit impauidè leo, reportatur de hoſte victoria. 78.

Ezechiel 1. v.10. Hieronym. Iob.39. v.30. Gregor.

Digitized by Google

§. XX.

Fraterna charitas & concordia validiſſima in hoſtes arma, & ſerpentinæ fraudis incantamenta.

79 NOrum & verum prouerbium eſt : concordia res paruæ creſcunt, diſcordia vel maximæ dilabuntur : vbi inteſtinum inuenitur diſſidium, ſine labore hoſtibus præparatur trophæum: dum charitatis vinculo vires vniuntur, acies hoſtiles facillimè ſuperantur, ſi diſcordia inquietat, aduerſarius facilè triumphat. (Caſſiodor.) *Nunc eſt potius*, aiebat Caſſiodorus 10. var. 23. *quod regna coniungat, promiſſio fixa, & votina concordia.* (*Concordia regnorum fulcrum.*) Milites ni militari diſciplina fuerint vniti, hoſtium ſunt præda, & coronantur, ſi vniti perſtent, victoria. Scilurus octoginta filiorum pater morti iam vicinus faſciculum ex iaculis porrigens filiorum cuique iuſſit confringere; verùm cùm omnes fruſtra tentaſſent, ſingularia iacula extrahens vel infirmitate debilis facillimè fregit. Itaque omnes in vnum faſciculum nil valuerunt, cùm ſingularis virgas eaſdem vinculo non colligatas nullo labore frangeret, & diſrumperet. (Plutarch.) *Docens*, ſcribit Plutarchus apud Stobæum de amore fraterno cap. 84. *Ipſos hoc argumento quòd vniti & concordes robuſti permanſuri eſſent; diſſoluti autem imbelles futuri.* Vnio & charitatis pax grande dæmoni bellum eſt, nec audet in vnitos, cùm ſerpentina verſutia facilè vincat diſperſos. Iudas diuino oraculo eligitur, & antequam audiatur pugna, celebris refertur victoria: *Dixit Dominus: Iudas aſcendet ecce tradidi terram in manus eius.* Et quæ Iudæ arma ? Innuit textus: *Ait*, inquit, *Iudas Simoni fratri ſuo: Aſcende mecum in ſortem meam.* Dum vniti & concordes fratres aſcendunt, vel ante certamen fruuntur victoria, & illorum ſunt hoſtes præda. Huc voco Tertullianum (Tertull.) ad Martyras cap. 1. *Fugiat conſpectum veſtrum, & in ima ſua deliteſcat contractus, & torpens tamquam coluber excantatus, aut effumigatus.* (*Pax diabolo bellum eſt.*) *Nec illi tam bene ſit in regno ſuo, vt vos committat, ſed inueniat munitos, & concordia armatos: quia pax veſtra bellum eſt illi.* Dum Iudas cum Simeone pacis cócordia vnitus bellum ingreditur, illorum conſpectum fugit Adonibezec: nec enim potuit fratrum illi non eſſe intoleranda præſentia, qaundo illos triumphalis armat concordia: *Fugit*, inquit textus, *Adonibezec, quem perſecuti comprehenderunt cæſis ſummitatibus manuum eius, ac pedum.* Ecce grandis Adonibezec perſecutio, pax ſcilicet, & fraterna concordia: hanc fugit ima petens tamquam coluber excantatus, & effumigatus, imò præciſis manuum ac pedum ſummitatibus inutilis redditur ad arma capienda: nec enim dæmonis poſſunt vigere arma, vbi fratrum floret concordia: (Lyra.) *Tales*, inquit Lyra, *inepti redduntur ad prælium.* De Iudę Simeoniſque pace grande Adonibezec parabatur naufragium, nec aliquod erat calamitatis effugium: *Ait Iudas Simeoni fratri ſuo, &c. Magno ac probando exemplo ſocietatis nunquam deſerendæ.* Scribit hic Arias Montanus (Montan.): *Sed officiis omnibus fouenda, & excolenda, quæ coniunctis animis mutuatiſque opibus facilitatem, alacritatem, & felicitatem generat, & aduerſariæ parti terrorem incutit, opinionemque ſerit inſuperabilis fortitudinis.*

80. Hoc ipſo in capite huius veritatis argumentum inuenitur illuſtre: nam dum Ioſeph domus inimicos oppugnat, triumphis ſe æternis (Iudic. 1. v. 22.) coronat: *Domus Ioſeph aſcendit in Bethel, fuitque Dominus cũ eis.* Non multò paſt refertur Manſſem non deleuiſſe Bethſan, nec Ephraim occidiſſe Chananæum: *Manaſſes non deleuit Bethſan, Ephraim non interfecit Chananæum.* Et quæ alia Ioſeph domus, niſi Ephraim & Manaſſes ? ſi ergo nec Manaſſes reportatis fulget trophæis, nec Ephraim aduerſariis triumphat debellatis, quomodo Ioſeph familia adepta fulgere potuit victoria ? O fraternæ vnionis ac concordiæ miraculum! Dum fratrum quiſque ſeorſim ab alio adoritur bellum, reportare non valet triumphum; at dum Ioſeph domus, hoc eſt vterque frater diſſidium ignorans in aduerſarios armatur, lauris feliciſſimè redimitur: *Fuit Dominus cum eis. Percuſſerunt vrbem in ore gladij.* Innuit (Caietan.) Caietanus hîc: *Bonum opus nec Ephraim nec Manaſſi; ſed domui Ioſeph attribuitur.* Frater vterque conſtituit domum, & quiuis ſeorſim tribum: ergo dum refertur frater à fratre diſcinctus, refertur etiam inimicus armatus; at dum vnio fratres ligat, & inimicos exarmat: tantum valet fratrum concordia, tantum concordiæ potuere vincula.

81. Putabam aliquando non adeò apta ad ſerpentinas verſutias depellendas fulgentiſſima, & fortiſſima arma, ſi pace non agnoſcantur vnita ac non ita fortia, ſi concordiæ fuerint vinculis illigata. Ecce Apocalypſis 12. (Apocal. 12. v. 1.) mulier apparet, radiis ſolaribus exornata, lunæ fulgoribus pro calceis vſa, & tremulis aſtrorum luminibus redimita: *ſignum magnum apparuit in cælo, mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim.* Elegans luminum pompa, quæ rapere in ſui admirationem debuiſſet oculos, ſerpentinos ad bellum inflammauit adfectus: mulieris gloria inuidiæ ſerpentinæ fuit gehenna, & qui ſuſtinet immortales flammarum cruciatus, luminum ſuſtinere non potuit ictus: in mulierem ergo armatur truculentia, prodit in campum ſæuitia, obſcurare nititur felicitatem præceps temeritatis audacia: *Ecce draco magnus rufus habens capita ſeptem, & cornua decem.* Quid tunc ? vt doloſas ſerpentis mulier fruſtrarit verſutias, veloces aquilæ mutuatur pennas: Perſecutus eſt mulierem, quæ peperit maſculum & datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum locum ſuum, vbi alitur per tempus & tempora, & dimidium temporis à facie ſerpentis. Profectò deſumendi alas conſilium à pertubato animo videtur exortum. Nonne valêtior in ſerpentinam procaciam erat ſolis æſtus, lunæ ardor, quàm plumarum ſubſidium, & alarum ſuffragium ? ſi ſerpens non timet in ſolis ardentiſſimas conari flammas, ſi non expauet vrentes lunæ ſcintillas, quomodo verebitur alas, aut quod ſerpentinæ audaciæ erit incantamentum plumarum quantumuis aquilæ magnæ ſuffragium ? Fallar, ni arcanum latet myſterium Luna ſoli non ſemel opponitur, ſol eclypſi lunam defœdat: inter ſe diſſident, & oppoſito greſſu incedunt: ergo vbi pacis, concordiæque non inuenitur ſuffragium, ſerpentis promittit ſibi victoriam delirium

delicium ; at vbi duæ alæ ſibi ſemper concordes vno eodemque motu aëra diſſecantes mulierem muniunt, omnes ſpes ſerpentis abſcidunt. In ſe longè debiliores ſunt ſolaribus , ac lunaribus radiis plumæ ; ſed adeò de concordiæ vinculo, de vnionis valentia in ſerpentinas verſutias valent, vt qui audebat ſerpens in luna , ſoleque cataphractam, mulierem fugiat concordibus alis munitam : *Abiit*, inquit, *facere prælium cum reliquis.* Qui ſolis ac lunæ radiis ictus non deſponderat animum , iam de alarum vnione quaſi excantatus & effumigatus obſcuri ad antri fugit contractus latibulum :

Interlin. Richard.

Datæ ſunt mulieri alæ duæ, id eſt, inquit Interlinearis, *duæ dilectiones.* Adſtipulatur Richardus apud gloſſam: *Duæ alæ ſunt dilectio Dei & proximi , iſtis enim alis mulier in deſertum locum , in quo alitur , volat.* Vbi dilectionis inuenitur auxilium , parum nocet ſerpentis prælium: *Concordes & vnanimiter viuentes in domo Domini.* Scribit Bonauentura, pharet. cap. 28. *coniuncti Deo , & ſibi per vinculum charitatis hi dolorem, hi timorem , hi liuorem diabolo ingerunt.* Alarum concordia , plumarum vnio ſerpentem mirè torſerunt , feliciſſiméque fugarunt.

82. Solicita cura poſteritatis piiſſimi Abrahami parentis pulſabat animum , vrgebat ſtudium, vtque illi Deus per varia ænigmata futura prænunciet , de variis animalibus ſibi ſacrificium offerri iubet: *Sume , inquit, mihi vaccam triennem , & capram trimam , & arietem annorum trium , turturem quoque & columbam.*

Bonauent. Geneſ. 15. v. 9.

Theodoretus quæſt. 65. exiſtimat his animalibus vti non obſcuris ænigmatis Deum Abrahami euentus futuros declaraſſe, & declaratione inſtruxiſſe:

Theodoret.

Hæc erant, ait, *illorum ænigmata , quæ Familiæ erant obuentura. Propterea ex quadrupedibus mundis tria , & vnumquodque eorum ſacrificari præcepit ad ſignificandas tres generationes, quæ in incolatu permanſuræ erant.* Itaque taurus, capra & aries exilium & hoſtile iugum manere Abrahæ poſteros declarabant, vt turtur, & columba lætiora tempora promittebant; verùm, ni fallor, aptius felicitatis ænigma taurus videbatur, & tamen turtur aſſumitur. Ecqua huius diſcriminis ratio eſt? Animo expende quæ textus refert, nempe tria hæc, ſcilicet, taurum, capram, & arietem fuiſſe diuiſa, & contra ſe altrinſecus poſita; columbam verò, & turturem fuiſſe prorſus diuiſionis ignaros: ergo etſi taurus ſit fortitudinis miraculum; tamen dum diuiſus, erat index captiuitatis, & præſagium ſeruitutis: capra inuenitur altipeta, & in montem audax; verùm etſi luporum rabidos non expaueſcat adſultus, dum confragoſo vertice degit, diſſecta tamen ſeruitutem etiam innuit. Aries opimus, quamuis velleris diuitiis fruens, adhuc ſubiectus iacet, dum ſentit diuiſionis diſcrimen. Itaque tria hæc animalia diſſecta fuerunt infelicitatis imagines; verum Deus vt perculſi tenebroſo horrore animum deliniret, turturem & columbam auſpicia felicitatis ſubiunxit. *Turtur*, addit Theodor. *generationē illā denotabat*, quæ ex Ægypto egreſſa velut auolauit, & habitauit in deſerto; columba autem generationem aliam innuebat, quæ terram promiſſam accepit. Itaque vbi diuiſio non legitur, & felicitas prænunciatur. Adde in ipſis indiuiſis auibus profundum adhuc latere myſterium: turture namque anxia depingitur Hebræorum fuga; at columbâ pacatiſſima triumphorum gloria. Inquiramus, ſi placet, cur turtur, etſi libertatem innuat, animi anxietatem non pellat, cùm candida columba non ſolùm anxias depellat curas; ſed innuat nobiles triumphis victorias? Quia turtur nec innuit ſocietatem, nec diuiſionem: vbi ergo non refertur diuiſio, iugi infamis referri non potuit oppreſſio, at nec depingi potuit cumulatior fortuna, quia turture non depingebatur concordia; columba verò, quæ nec diuiſionis patitur detrimentum, & vnionis refert ſuffragium, non ſolùm denunciat ſeruitutem abactam; ſed felicitatem obtentam.

Beda.

Columba, inquit Beda ad 2. Lucæ, *gregatim volat: turtur ſingularitate gaudet.* Non potuit ſine vnione adumbrari felicitas, nec cum ea vrgere valuit calamitas. Profectò columba longè lateque tauro imbecillior; ſed quas negabat natura, vires ſuppeditauit concordia. Vacca diuiſa cedit hoſtibus in ſpolium, columba vnitè & gregatim volans reportat de hoſtibus triumphum: vt noueris quantum ſit ab vnione ſubſidium, quantum minitetur à diuiſione naufragium.

83. Cùm recens fideles variis, & de induſtria ab æmulis excogitatis perſecutionibus angerentur, vt bonas animo ſpes alerent, Paulus victoriam promittit:

Roman. 16. v. 20.

Deus pacis conterat ſathanam ſub pedibus veſtris velociter. Propoſito conducibilius videbatur non pacis; ſed omnipotentiæ Deum aſſerere, & anxios animos de fortitudine erigere. Si ſathan vocabulum infeliciter implens (eſt namque aduerſarius) difficillima commouet bella, opponat ad fidelium ſolamen Paulus brachij diuini potentiam, non pacis concordiam. Cur ergo Deum appellat pacis, cùm lætius promittit tempus anguſtiis? O miram Apoſtoli ſapientiam? Omnem ſpeciem diſſenſionis remouet, vt victoriam indubiè promittat: nam quantumuis Deum crederent omnipotentem, forſan adhuc exiſterent anxij, ſi cæleſti pacis doctrina non animarentur inſtructi; at dum Deum credunt vnionis, dum auctorem agnoſcunt pacis, non poterunt aliquod vereri infortunium; imò reportandum de hoſte ſine dubio credent trophæum. Ergo pro cæleſti ſua ſapientia Paulus non Deum dixit omnipotentiæ; ſed pacis, vt victoriæ promitteret felicitatem, & omnem abigeret ſuſpicionem:

D. Thom.

Promittit eis, ſcribit D. Thom. ad hunc locum lect. 2. *diuinum auxilium contra huiuſmodi deceptores, & primò ponitur promiſſio, cùm dicit: Deus autem pacis, ſcilicet auctor, qui diſſenſiones odit, quas iſti faciunt, conteret ſathanam.* Ac ſi dicat Paulus: Quantumuis furat gehennalis exercitus per improborum ora globulos falſitatis contorquens, nullatenus terreamini: nam à ſe diſſident, & quod falſitati proprium, ſibi diſcordat oppoſitus, & doctrinis variis, & peregrinis abductus. Vincetis ergo de concordiæ vnione, de veritate doctrinæ, de fidei ſynceritate: Deus namque pacis, qui inter vos non patitur diſſenſiones, glorioſis ornabit triumphis, & diuitibus augebit trophæis: ergo iure cum Iudas Simeone tendit aſſociatus in campum, refertur Chananæus ante certamen deuictus, & Adonibezec fugatus.

Digitized by Google

§. XXI.

Plurimum debemus militibus, per quos nobis contingit otium, & certaminis ignoramus periculum.

84. ERrare mihi videntur, qui militiæ, campique labores pluris non æſtimant, quandoquidem prudentes erga milites gratiores ſunt: nec mirum: magnum præſtant Reipublicæ beneficium, qui duris laboribus aliorum redimunt otium: *Vir ſyncerus ac purus*, aiebat Seneca epiſt. 73. *qui reliquit & curiam & forum, & omnem adminiſtrationem reipublicæ, vt ad ampliora ſecederet, diligit eos, per quos hoc ei facere tutò licet. Quemadmodum præceptores ſuos veneratur ac ſuſpicit, quorum beneficio illis ſe vitiis exuit, ſic & his, ſub quorum tutela poſitus, exercet artes bonas.* Senec. Bonæ artis exercitium, & tranquillum pacis otium excubiis debetur militaribus, & ſolicitis deprælıantium laboribus. Omne profectò verè militi debetur obſequium, per quem tantum Reipublicæ contingere conſtat commodum. Pax publica militum ſudore nutritur, & fuſo ſanguine emitur bello, otiari poſſe palatio: Caſſiodor. *Clypeus ille exercitus noſtri*, aiebat Caſſiodorus 7. var. 4. *quietem debet præſtare Romanis: quos ideò conſtat appoſitos, vt intus vita felicior ſecura libertate carpatur.* Viget ſecuritas de militari clypeo, de ſubſtrictis papilionibus, & de omni militi imbonitate ciui præparatur ſuauitas, & elaboratur iucunditas: nullus optabili quiete in vrbe fruetetur ſecurus, niſi miles in campo belligeraret armatus. Qui primus contra Chananæos aſcendit, Iudas vocatur: *Iudas aſcendet*: vt ipſo nomine cæteros cogeret ad laudis tributum, quando pro illis in aduerſarios ſuſcepit prælium. Quod & olim filios monuerat Iacob occaſui vicinus: *Iuda te laudabunt fratres tui: manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui.* Fratres Ioſephum adorare recuſarunt, & vſque ad ſomnia inuidiam extenderunt; at Iudam laudare geſtiunt, quia pro ipſis deprælıantem ſemper agnoſcunt. Illis adorationem ſuaſit cauſa, quam patet explicuit: *Manus tua in ceruicibus inimicorum.* Dum Iudas in Chananæos premit arma, dum hoſtes compellit vertere terga, fratribus parit ſecuritatem, & dulciſſimam otij quietem: nam, vt aiebat Veronenſis Zeno ſerm. 1. de Geneſi: Niſi quis hoſtem, à quo impugnatur, expugnet, nunquam bonis ſuis poterit vti ſecurus. Ergo dum Iudas aliis ſecuritatis commoda parit, & laudis tributum exigit. Caietan. Adeſt Caietanus ad Geneſ. 49. *Meritò à laude nomen habes: quia laudabunt te fratres tui. Et hoc pluries fuit adimpletum: nam & in exitu Iſraël de Ægypto fuit Iuda ſanctificatio eius & poſt mortem Ioſue Iuda aſcendit ante fratres ſuos.* Ioſepho inſultant fratres, dum ſomniat adorationem: quia tunc heroicis non reſplendebat actionibus; at Iudam adorare non renuunt: quia ſciunt omnium illi tranquillitatem deberi, & pacis commoda ſolicitis eius laboribus procurari.

85. Cùm Saul veris odiis, & factitiis in Dauidem adurgeretur calumniis, Ionathas quantum illi debeat, memoriæ modeſtè ſuggerit, vt à corde odium depellat: *Opera eius bona ſunt tibi valde, & poſuit animam ſuam in manu ſua, & percuſſit Philiſthæum, & fecit Dominus ſalutem magnam vniuerſo Iſraëli: vidiſti, & lætatus es.* Quid tunc? *Quod cum audiſſet Saul, placatus voce Ionathæ iurauit.* 1. Reg. 19. v. 4. Non memoriæ ſuggeſſit filiam eius duxiſſe vxorem; non cantu dæmonem depuliſſe, ſed cum gigante pugnaſſe: quaſi plus deberet Dauidi ob certamen initum, quàm ob cantus medicamentum: *Fecit Dominus ſalutem magnam vniuerſo Iſraëli*, inquit Abulenſis quæſt. 1. *id eſt Deus fecit per eum magnam ſalutem, & liberationem Iſraël: erat autem magna ſalus: quia per mortem Goliat, quam ipſe fecit, omnes Iſraëlitæ liberati ſunt.* Abulenſ. Addit ſtatim: *Alioquin cum Iſraëlitæ nimis timerent, & Goliat per quadraginta dies exprobraſſet Iſraëlitis, videbatur quòd ipſi fugituri erant à facie Philiſthinorum. Magna ergo ſalus erat: quia totus ſtatus populi in hoc pendebat.* Iſraelitarum quiſque ad montium latebras confugiſſet, ni Dauid immanem hoſtem bellica fortitudine detriumphaſſet: ergo quòd quilibet domi cubabat, quòd ſub frondoſa ficu intrepidus quieſcebat, Dauidi debuit adſcribi, & exertis laudibus prædicari: *videbatur quòd ipſi fugituri erant à facie Philiſthinorum. Magna ergo ſalus erat: quia totus ſtatus populi in hoc pendebat.*

86. Dum Elias ſplendenti quadriga, quæque ſolares radios vinceret, cœlum contenderet, Eliſæus non potuit aduerſus illum gratus non exiſtere, & Iſraelitici populi nomine laudes eius non prædicare: 4. Reg. 2. v. 12. *Pater mi, pater mi, currus Iſraël, & auriga eius.* Hebræus textus legit: *Currus Iſraël, & militia eius*: & cur patris elogio decertandi iungit ſtudium? Satius videbatur fortem Iſraël appellaſſe, non patrem dixiſſe: cur ergo patris nomine honorat, quem militis ad inſtar patriam defendiſſe deprædicat? Iure quidem: nam vti quod viuimus, debemus parentibus, ſic quod pacatè ac tranquillè viuimus, eſt adſcribendum militibus. Non potuit non largiſſimis lachrymis diſcedentem lugere, quam pro cunctorum ſalute agnouerant decertare. Dum Eliam diſcipulus Iſraelis vocat militiam, eius deprædicat excellentiam: *Currus Iſraël, & militia eius*, ſcribit Lyra, Lyra. *id eſt potentior ad defenſionem Iſraël, quam militia cum curribus bellicis.* Eliæ meritum exaggerat, dum militibus, ad defenſionem potentiorem eſſe aſſeuerat: tantum debemus militibus, tantum adſcribendum eſt pro pace generali pugnantibus. Lamprid. Tanti teſte Lampridio in Alexandro Seuero, Seuerus Alexander faciebat milites, vt dictitaret magis milites ſeruare velle, quàm ſe ipſum dignam Imperatore rationem aſſerens: *nam in his*, inquit, *ſalus publica eſt.*

87. Hinc diſertiſſimus Moyſes cum Amalec Iſraelitas vrgeret, Ioſue delegit, vt pro publica ſalute pugnaret: *Dixit Moyſes ad Ioſue: Elige viros, & egreſſus pugna contra Amalec: cras ego ſtabo in vertice collis habens virgam Dei in manu mea.* Exod. 17. v. 9. Ioſue ab Oſee nomine ad hoc celebre translatum hac occaſione autumant plures è patribus: nec mirum glorioſiſſimum ſaluatoris nomen Moyſes indiderit pacis aſſertori, hoſtium metui, libertatis auxilio, religioniſque propugnaculo. Profectò Moyſes dulciſſimo orationis otio in montis vacabat vertice: quia Ioſue

ſue in campo duro laborabat certamine: virgam habuit Moyſes, qua regeret: quia Ioſue preſſit ferrum, quo in aduerſarios animoſè pugnaret. Adeſt Lactantius lib. 4. cap. 17. *Cùm primùm Auſes vocaretur, Moyſes futura præſentiens iuſſit eum Ieſum vocari, vt quoniam dux militiæ delectus eſſet aduerſus Amalec, qui oppugnabat filios Iſraël, & aduerſarium debellaret per nominis figurã, & populum in terram promiſſionis induceret.* Agnouit Moyſes quanta ſtrenuo illi duci deberet populus, & immortali nominis gratitudinem ſuam euulgauit elogio, ne tanto haberetur ingratiſſimus beneficio. Repetere poſſet Moyſes in vertice pacatè degens, quod aiebat Seneca citata epiſtola: *Hi quibus ad propoſitum benè viuendi aditum confert ſecuritas publica, neceſſe eſt auctorem huius boni vt parentem colant.* Honeſtum otium, pacis tranquillitas auro nobilius, longéque pretioſius eſt. Cùm ergo bellum tanti ſit boni officina, plurimi habendi ſunt, per quos & reipublicæ tranquillitas conſtat, & pax ciuitatem decorat: gloria publica auctori honorem non poteſt non parturire, & felicitatis artificem commendare. Quid præſtantius eo, qui proprio ſudore, imò non ſemel ſanguine omnium periculo redimit, quietem alit, quique de proprio periculo pericula cunctorum auertit, & priuata morte ſeuit omnibus vitam, & æternat reipublicæ moriendo gloriam.

Lactant. | Seneca.

88. Dum Chriſtus Dominus altiſſimo montis vertice fulgurans ſpectaculum ederet, cum fulgentiſſimos animo interiùs repreſſos radios facies ad nobilem ſolis inuidiam proderet, Moyſes & Elias tantæ gloriæ participes extiterunt. Petrus eo oblectatus ſpectaculo tria tabernacula ædificare geſtit, quibus & Dominus, & ſtrenui illi prophetarum apices diutiùs degerent, & diſcipulorum gaudia producerent: *Bonum eſt nos hic eſſe: ſi vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum.* Errauit Petrus, dum ſeruos Domino coæquauit, huius tamen erroris quæ fuerit cauſa, ſciſcitantur interpretes, aiuntque Petrum placidiſſimæ illius quietis deſiderio, & iucundæ adeò viſionis ardenti ſtudio, Eliæ, Moyſiſque auxilia deſideraſſe: nouerat Eliam olim eluctantes flammas in aduerſarios eiaculatum, nouerat Moyſem virga & nube contra refractarios vſum, & quia optimos agnouit milites certaminibus, afficere deſiderauit honoribus: cupiuit illorum euulgarent ſæculis merita, vt ipſo ſtimularent iterum ad certamina. Ita Origenes apud D. Thomam: *Vult ibi ſemper eſſe, ideò tabernaculorum meminit dicens, ſi vis faciamus hic tria tabernacula.* Addit poſt pauca: *ſciebat ſcribas inſidiari ei: cogitabat etiam quòd Elias aderat, qui in monte ignem deſcendere fecit, & Moyſes, qui intrauit nebulam & Deo locutus eſt.* Ecce Petri erroris aliqualis excuſatio: deſiderabat ſtrenuos milites aduerſariis opponere, vt iucunda tranquillaque montis quiete frueretur, tantique fecit eos, per quos ſibi gaudia illa licere præſumpſit, vt honoribus Domino quodammodò coæquauerit. Repetat Seneca: *Cogitat ſapiens, per quem ſibi horum (pacis, & libertatis) vſus fructuſque contingat, per quem nos ad arma illum nec ad ſeruandas vigilias, nec ad tuenda mœnia, & multiplex belli tributum publica neceſſitas vocet, agitque gubernatori ſuo gratias.* Ni Moyſes, Eliaſque flammis & virga in hoſtes obarmentur, Petro opus erit in horto vigilias ſeruare, enſemque contra aduerſarios ſtringere: dum ergo cogitat multiplex hoc belli tributum de illorum auxilio excuſandum, honoribus cumulat, & tanti beneficij auctores commodis ad vitam honorat. Non negauerim abuſus ſæpè dehoneſtare militiam, & vſque ad odium trahere armorum gloriam. Profectò procax militiæ audacia, & rationis limites prorumpens licentia honorem fœdat, & ciues non ſemel in milites, vt in hoſtes poſſet, obarmat. Certè dum priuata commoda publicis calcatis vtilitatibus quæruntur, dum furtiuus quæſtus alit arma, dum tuetur vitia, miles præ hoſtibus timendus eſt: & quidem qui Deum miles non timet, ſuis vt hoſtibus, imò aliquando præ aduerſariis nocet. Si abſit reuerentia Numinis, hoſtes ſuos nutriet Reſpublica, & quos ſumptuoſis ſtipendiis deputarat cuſtodiæ, patietur aduerſarios modeſtiæ: nec enim matronarum pudor, nec Virginum honor, nec iuſtitiæ æquitas viuent à militum incurſione ſecura: ſed audaciæ vectigalia. Fateor non ſemel incuriam regentium hos ad exceſſus milites quodammodò cogere, dum ad vitam neceſſaria negligunt decertantibus prouidere. Quam morum diſciplinam ſeruabit fame luridus, & armis ad Reipublicæ defenſionem defatigatus? Profectò Dauid in paſtoralem peram lapides miſit arcanè, vt probaret militare robur de penu vti de ſcaturigine promanare, & de alimento, vti de armamentario prodire: *Elegit ſibi quinque limpidiſſimos lapides de torrente, & miſit eos in peram paſtoralem.* Ab eadem pera accepit ſibi alimentum, & contra gigantem robur. Et quid proficeret regalibus armis, quibus Saul veſtiri iuſſerat, refulgere, ni & paſtorali pera obarmaret? Excuſſit arma; peram accepit, vt conſtaret oriri fortitudinem de alimonia, & de onuſta pera decentem morum ſeruari menſuram, & laudabilem in aduerſarios audaciam: *Vas*, ſcribit Hugo Cardinalis hic, *in quo portabat panem.* De panis vaſe hoſtis eſt proſtratus, quia Dauid pane nutritus. *Emolumenta deeſſe laborantibus non oportet*, ſcribit Theodericus tex 4. var. 13. *vt & bonæ ſpei aditus aperiatur, & ſudantium querela iuſta compenſatione claudatur.* Addit poſt pauca: *Diſciplinam ſiquidem non poteſt ſeruare ieiunus exercitus, dum quod deeſt, ſemper præſumit armatus. Habeat quod emat, ne cogatur cogitare quod auferat: neceſſitas moderamen non diligit, nec poteſt imperari multis, quod nequeant cuſtodire pauciſſimi.* Profectò ſi Dauid caruiſſet pane, intereſſet parum regali obarmaretur mucrone: præ ipſis armis tribuenda ſunt militibus victualia; alioquin militia, quæ Reipublicæ deſtinatur ad gloriam, armabitur ad rapinam.

Matth. 17. v. 4 | Origen. | Seneca. | 1. Reg. 17. v. 40. | Hugo. | Caſſiod.

§. XX.

Illos tangere minus ſolet ambitionis pruritus, quibus maior meritorum ornatus.

MVlti ſunt, quibus nunquam tam plenè occurrere poteſt liberalitas, vt illorum exatiata quieſcat cupiditas: hi verò vt plurimum quo proximiores inueniuntur ambitioni, diſtantiores 84.

tiores ſunt à virtute: curat ſapiens, & plenis virtutibus exornatus, quà tendat in cœlum: dediſcit prorſus, qua aſcendere poſſit ad dignitatis faſtigium: non cogitat de accipiendo; ſed paruo gaudet contentus, quia & humilitate frænatus, qui verò virtutis rupere caſtra, proruunt in ambitionis delitia. *Adiice*, aiebat Seneca Seneca. epiſt. 73. *quòd nemo eorum, qui in Republica verſantur, quos vincat; ſed à quibus vincatur, aſpicit & illis non tam iucundum eſt multos poſt ſe videre, quàm graue aliquem ante ſe: habet hoc vitium omnis ambitio, non reſpicit. Nec ambitio tantùm inſtabilis eſt: verùm cupiditas omnis: quia incipit ſemper à fine; at ille vir ſyncerus ac purus reliquit & curiam & forum, & omnem adminiſtrationem Reipublicæ, vt ad ampliora ſecederet.* Ecce qui ad ampliora, hoc eſt ad virtutum exercitia ſecedit, & forum relinquit & curiam: at qui hæc ſtudia non tractat, in curia degit ambitioſus, & variis, ſecumque reluctantibus deſideriis exagitatus. Demortuo Ioſue populi ſeniores de duce eligendo cogitant; Deus conſulitur, & Iudas cæteris antefertur: *Dixitque Dominus: Iudas aſcendet.* Et cur Iudas hanc ſibi non ambiuerit excellentiam, cum in hoſtes ſemper extiterit leo intrepidus, & certamine ſemper inuictus: *Iuda*, aiebat pater, *te laudabunt fratres tui: catulus leonis Iuda; manus tua* Geneſ 49. v.8. *in ceruicibus inimicorum tuorum; adorabunt te filij patris tui.* Ecce inimicos, quorum ceruices Iudæ defatigat dextera, terga conſtat vertiſſe, & victoris fortitudinem timore deprædicaſſe: quid ergo opus erat de eligendo cogitare, quando licuit Iudam fortitudine reliquos antecedere? Imò ob id ipſum Iudam non tangit ambitio; ſed Numinis expectat oraculum, imò compulſus aſcendit dignitatis faſtigium. *Iſta tribus*, Abulenſ. ſcribit Abulenſis quæſt. 4. *erat cæteris honorabilior, & erant in ea viri fortiſſimi: ideò ducatum ei Dominus præſtitit.* Ducatum ei Dominus præſtitit: non tribus ambiuit: nec mirum, cùm excelleret robore, & aliis antecelleret fortitudine. O quam ambiret, ſi imbellis quàm ſibi ſolicitaret quolibet modo ſuffragia, ſi tot virtutis non haberet ornamenta! at dũ aliis inuenitur præſtantior, & probatur ab ambitione remotior.

90. Iſaac morti proximus de præferendo Eſau cogitat, verùm Rebecca oraculi conſcia Iacob monet, nec ſolùm monet; ſed vrget, vt ſibi debitam benedictionem præripiat: *Pergens ad gregem affer mihi duos hœdos optimos, vt faciam ex eis eſcas patri tuo quibus libenter veſcitur quas cum* Geneſ 27. v.9. *intuleris, & comederit, benedicat tibi priuſquã moriatur.* Quid tũc? Iacob varias excuſationis cauſas modeſtè allegat, & humilitate colorat: *Timeo ne putet me ſibi voluiſſe illudere.* Iterum vrget mater: *Audi vocem meam.* Paruit: cumque iam benedictione frueretur, aduentat frater, teque competta domum clamoribus implet. Irrugiit clamore magno, & patrem non ſemel pro benedictione exorat, & ſi licet dicere, compellit: *Benedic etiam & mihi.* Et iterum: *Nunquid non reſeruaſti & mihi benedictionem?* Et addit. *Num vnam tantùm benedictionem habes pater? Mihi quoque, obſecro, vt benedicas.* Si Iacob bis à matre præmonitus ad gregem excurrit, cur Eſau ſemel à patre iuſſus ad campum pergit? Adhæc ſi Eſau tot ſuſpiriis, tot ſolicitudinibus benedictionem extorquet, cur Iacob ignaua deſidia timet? Imo timet quia ignauia non denigratus; ſed virtutibus reſplendet excultus. Iacob meritis, & ſanctitate pollebat: Eſau longè à meritis & virtute diſtabat: ideò alter dignitatem recuſabat humilitatis modeſtia, alter exambiebat faſtigium cupiditatis audacia: Opus eſt Iacobum vrgere: Eſau nouit electorem importunis precibus, & lachrymis fatigare. Nec mereris inquit Ambroſius: nam pia mater iuſtum præferebat iniuſto: iuſtus ergo non potuit inueniri ambitioſus, indignus non potuit non inueniri ſolicitus. Accipe Ambroſium lib. 2. de Iacob, Ambroſ. & vita beata: *Rebecca non quaſi filium filio; ſed quaſi iuſtum præferebat iniuſto.* Ecce cur opus fuit Rebeccæ ſemel & iterum vrgere filium: quia dignum ſcilicet præferebat indigno: Et cur ſatis fuit Iſaac ſemel iuſſiſſe Eſau: quia digno præferebat indignum: quantum ergo alter virtute exornatior, tantùm ab ambitione remotior, tantumque alter importunè ambitioſior, quantùm à virtute diſtantior. Profectò hoc ſæpeſæpius videas accidiſſe: ſapientia excultus, & virtute comptus, ad dignitatem venit coactus, & refugit honeſtè timidus. O quàm non ſemel dignus varias multiplicesque cauſas excuſationis allegat, & ambitione humilitatis ſe ipſum, ſi fas eſt dicere, infamat! quod feciſſe leges Ambroſium, dum ad Epiſcopales infulas quæretur; at virtute nudus, ſapientia vacuus procerum terit limina, indigna architectatur obſequia, & fauoris quærit ſuffragia.

Perpendebam aliquando mecum magnum 91. interceſſiſſe diſcrimen inter Moyſis & Aaronis electionem: Aaron in prophetam electus munus non detrectat, nec aliquam cauſam excuſationis proponit, Moyſes in Pharaonis Deum delegatus vſque ad contentionem ſi fas eſt dicere reluctatur, & à ſe extrahere imperium ſatis importunè molitur: Obſecro, Domine, non ſum eloquens ab heri & nudius tertius: & iterum: *Obſecro, Domine, mitte quem miſſurus es.* Quid tunc? *Iratus Dominus in Moyſem ait: Aaron frater tuus Leuites ſcio quòd eloquens ſit: ecce* Exod. 4. v.10. *ipſe egredietur in occurſum tuum.* Vt Moyſes dignitatis admitteret excellentiam, opus fuit indignationis timeret iram; Aaron ad prophetæ dignitatem non cogitur imò ipſe ad electorem, fratrem egreditur. Ecqua diſcriminis cauſa eſt? Ipſum dubium eſt & quæſtionis reſponſum: Moyſes namque fide grandis factus regia repudiarat palatia, honeſta deſertorum ſectatus otia; Aaron degebat in Ægypto: quò ergo alter virtute micantior, à cupiditate inueniebatur alienior, alter verò dum Ægyptiis moribus tantiſper obſcurus, non adeò ambitione alienus. Prodeſt Caietanus: *Ecce ipſe egredietur in occurſum tuum. Notitia propriæ de Aaron facundia adiungit promptitudinem Aaron ad idem.* Ecce Aaron idolorum cultor promptè adit prophetæ Caietan. miniſterium, cum Moyſes idolorum debellator recuſarit officium. Aptius Rupertus apud Lippomanum ad Exod. 7. *Glorioſa virtutum regina humilitas, quæ in cœlum volare conſueuit, locuta eſt in Moyſe dicente ſe incircumciſum eſſe labiis.* Non locuta eſt humilitas in Aarone; ſed in Moyſe: hic namque quantò virtutibus probatur ornatior, tantò dignitates recuſabat humilior. Adde non ſemel indignos virtutis recuſare penſa, & honoris ambire lumina, cùm è contra iuſti geſtiant exercere virtutes, & recuſarint honores.

92. Huius veritatis teſtes duo exiſtunt vterini fratres. Appetente partu gemini in vtero Thamar apparuerunt, Zara & Phares: Zara manum protulit, quam ſplendenti coccino ornatam citò retraxit; Phares coccino non tubuit;
Gen. 38. v. 27 ſed actus perfectionem impleuit: *Vnus protulit manum, in qua obſtetrix ligauit coccinum dicens: Iſte egredietur prior. Illo vero retrahente manum egreſſus eſt alter.* Mira his in duobus fratribus diuerſa probi & improbi depinguntur ingenia: iuſtus ſacra virtutum ambitione inardeſcit, aliaque quæ oculos prolectare ſolent humanos, non ſolùm non appetit; ſed faſtidit: iniuſtus ſe totum tradidit ambitioni, & totum ſe negauit virtuti. Ecce primatus dignitas duo habet ſibi connexa, alios ſcilicet fratres antecedere actione, & rubea ſanguineæ fulgere purpuræ claritate; verùm ita hæc pro affectuum diuerſitate diuiſa, vt Phares Chriſti pater actionem implerit primus, purpuræ ſolùm poſtremus: at Zara ſplendorem purpuræ ſolum
Lippom. exambiit, actionem perficere abiecit. *Fruſtra,* aiebat Lippomanus, *coccinum tenebat ad manum, qui primogenituræ notam protendebat; ſed non gloriam.* Primogenitura ſanguinei ornatus ſplendore decorabat, & ad cæteris actione præeundum cogebat, verum Zara manum extendit ad honoris inſigne, retraxit à perfectione. Et quidem hæc ipſa in hiſtoria noſtræ theſis veritas dilucidè apparet. Ecce de Phares genus regium Dauid, & ad poſtremum Chriſtus ducit origmem, de Zara poſteri non adeò nobiles, nec virtutis claritate conſpicui: hic ergo ardentius inſignia exambiuit honoris, & ſuffragium obſtetricis: Phares, quia actionibus clarior extitit humilitate modeſtior. Adeſt iterum Lippomanus. *Non qui coccineo filo primogenitus habebatur; ſed qui tardior erat, prior euaſit in genealogia ſanctitatis.* Ecce qui prior in genealogia ſanctitatis, tardior in ambitu honoris: eſt enim ab ipſa virtute excellentibus inditum modeſtiæ ac humilitatis ingenium: vt è contra non ita excellentibus agnatum eſt ambitionis delirium.

93. Iob patientiæ columna tot calamitatum fluctibus inconcuſſa de improbis virtuteque ſte-
Iob 30. v. 3. rilibus ſic aiebat: *Egeſtate & fame ſteriles, qui rodebant in ſolitudine ſqualentes calamitate & miſeria, & mandebant herbas, & arborum cortices* Satius profectò illis eſſet ſaporatis ali fructibus, non duris veſci corticibus: & cur qui vt manderent, aſperis arbores corticibus denudabant, medullas arboris non quærebant? Quia in virtute, inquit Gregorius Magnus libro 10. moral. cap. 15. noſtro inſtituto moraliſſimus, reperiuntur hæc duo, interna honeſtæ actionis medulla, & externa, quæ inſtar corticis arborei habetur, gloria: ergo virtute inopes, & honeſtæ actionis ſterilitate ſqualentes non appetunt perfectionis medullam; ſed externæ claritatis gloriolam. Quædam perfectionis auida
Cant. 7. v. 8. aiebat: *Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius.* Fructus non cortices quærit, dum in cœlum altior aſſurgit; at in conuallibus habitantes non ambiunt fructus; ſed cortices.
Gregor. Adeſt Gregorius: *Sæpè omnipotens Deus electos ſuos cùm donis interioribus ditat, exterioribus etiam honoribus ſubleuat. Cùmque eos praeferendo cæteris honorabiles reddit, latiùs imitabiles oſtendit. Et nonnunquam praui eorum quidem vitam deſpiciunt; ſed felicitatem in hoc mundo aſſequi concupiſcunt* Audi attentiùs quæ ſubdit: Quia igitur blandimenta hic tranſitoriæ conſolationis quærunt, herbas comedunt: quia in cogitationibus ſuis exteriorem eorum gloriam meditantur, *arborum cortices mandunt.* Ecce à virtutibus exorniatis cortices reſpuuntur, fructus amantur: digni colligere anhelant fructus: Apprehendam fructus eius: calcant cortices dum aſcendunt; at indigni, ac ambitionis turpiſſimæ vernulæ fructus deſpiciunt, & cortices auidiſſimè mandunt.

Concludat theſim noſtram notum illud diſcrimen inter Cherubim ſedentem, & Seraphim in Numinis præſentia ſtantem. Aiebat Iſaias: 94.
Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum: Seraphim ſtabant ſuper illud Seraphim ſtant, vide quid Cherubim concupiſcat: Iſai. 6. v. 1.
Sedebo, aiebat, *in monte teſtamenti: ſimilis ero Altiſſimo.* Nullus ignorat Seraphinorum ordinem Cherubinorum celſiorem ſerie: ergo qui naturæ prærogatiuis excellentiores, ſedenti adſtabant; at non ita nobilis ſedere coram ſedente cupiebat: Seraphim ſtabant ſuper illud, ſcribit Bernardus de verbis Iſaiæ ſerm. 5. *Nomen eſt ordinis Angelorum ſummi, atque ſupremi, vt meritò ſtare ſuper cæteros deſcribantur; & ipſi tamen quamlibet cæteris praſtent, adſtant nihilominus Domino præſidenti, deuotum vtique miniſterium, & plenum reuerentiæ obſequium exhibentes:* non præſumunt merito præſtantiores ſedere; imò ſupra merita ſua eſſe reputant ſedenti adſtare; at Cherubim inferior deſpicit adſtare, & cupit ſtudio inſano ſedere. Non adeò nobilis recuſat vel ipſi Domino debitum reuerentiæ obſequium præſtare, cum Seraphini geſtiant miniſterium deuotiſſimum exhibere: ſic profectò ſæpiùs accidit: qui nobiliori reſplendent ſanguine, vrbaniores, ciuilioreſque inueniuntur, cùm non adeò nobiles affectata inciuilitate obſcurentur.
Iſai. 14. v. 13.
Bernard.

§. XXIII.

Pænitentia ſine dolore, pudoris diſpendium, mœrore coniuncta ſceleris probatur excidium.

FErè omnis, qui mortalium numerum auxit, & communes hominibus errores ſubiit: 95.
Periculoſa cæcat ambitio, irritat voluptatis cæcitas, & animum auri præcipitare ſolet cupiditas. Sic vitia noſtra peruertunt mentis aciem, vt non videamus, aut, quod peius eſt, honeſtemus. Quod ſi fortè aliquando ipſa vitiorum euidentia ſe oculis ingerit, & omnem excuſationis colorem pellit, fatemur erraſſe non tam ad delendam culpam, quàm ad imprudentiæ pellendam notam. *Harpaſtem*, ſcribebat Seneca epiſt. 50. *vxoris meæ fatuam ſcis hæreditarium onus in domo mea remanſiſſe: hæc fatua ſubitò deſiit videre: incredibilem tibi narro rem, ſed veram: neſcit eſſe ſe cæcam, ſubinde pædagogum ſuum rogat, vt migret: ait domum tene-* Seneca.
broſam eſſe. Retulit Stoicus hiſtoriam, addit moralitatis doctrinam: Hoc quod in illa ridemus, omnibus nobis accidere liqueat tibi: Nemo ſe auarum eſſe intelligit, nemo cupidum. O nimis verum! Fere nullus vitium ſuum ſibi aſcribit; ſed tempori, aut occaſioni. Eru

Digitized by Google

Erubeſcimus diſcere bonam mentem, & auerſamur diſcere bonam mentem, & auerſamur magiſtrum: quaſi pudeat diſcere, quod eſt grande dedecus ignorare. Itaque neceſſum eſt vitia mente diſcutere, & quas in patrocinium ſuum ſecum indiuiduas comites aduocant, tenebrarum noctes depelle. Salutis principium eſt nocitura cognoſcere, & admiſſa imprudenter doloroſa confeſſione delere: noſtra delicta ita clarè & exertè dicenda ſunt, vt nullis obſcurentur ambagibus, nullis defendantur excuſationibus: eſt namque ſumma imprudentia peccatum tueri, dum moliris illum occidere. *Sine duce erramus*, addit Seneca, *& dicimus: Non ego ambitioſus ſum; ſed nemo aliter poteſt viuere: non ego ſumptuoſus ſum; ſed vrbs ipſa magnas impenſas exigit: non eſt meum vitium quod iracundus ſum, quod nondum conſtitui certum genus vitæ: adoleſcentia hæc facit. Quid nos decipimus?* Se decipit, qui confeſſionis amittit fructum, dum culpæ ſtultum quærit excuſationis remedium. Sed adhuc ſatis non eſt vitia mentis ſedulitate perquirere, & clara voce fateri; ſed opus eſt etiam cordis dolorem adiungere. Pro ſe quidem precatur, qui culpas ſuas voce lacrymabili confitetur; ſed præter opinionem accuſat, qui culpas excuſatione defendit, aut cordis amaritudine non extinguit. In Chananæum: qui teſte Hugone Charenſi: *Interpretatur negotians, & ſignificat primos motus, per quos diabolus negotiatur animam deiicere in peccatum:* Populus ardet inſurgere, Deus conſulitur, & Iudas huius certaminis dux oraculo deſignatur: *Dixit Dominus: Iudas aſcendet: ecce tradidi terram in manu eius.* Iudas dux aduerſus Chananæos electus Simeonis conſortium amat, & pergere ſine fratre prudens detrectat: Ait Iudas Simeoni fratri ſuo: Aſcende mecum in ſortem meam, & pugna contra Chananæum. Diuinæ profectò electioni videtur probrum exambiſſe fratris auxilium? quid opus eſt Simeon deprælianti Iudæ ferat ſuppetias, quando illi Deus de hoſtibus promiſit victorias, iniuriam irrogat promiſſioni, aut nòtam inurit credulitati; imò ad mores hiſtoriam adaptans, inquit Hugo Charenſis, ne fruſtraretur optatis triumphis, Simeonis ſe indigere nouit auxiliis: Iudas idem eſt quod confeſſio; Simeon idem quod cordis afflictio: ergo ni duo in Chananæos confœderati fratres inſurgant, optata non potientur victoria; ſed prudentiæ obſcurabuntur iactura. Audi Hugonem: *Iudas, id eſt, confeſſio; Simeon interpretatur audiens mœrorem. Audiens, id eſt obediens, ecce ſatisfactio: mœrorem, ecce contritio: horum optima eſt ſocietas: non enim prodeſt peccati cõfeſſio, niſi præceſſerit, vel comitetur dolor contritionis, & obedientia ſatisfactionis.* Cùm Deus duce Iuda, hoc eſt confeſſione præeunte Chananæos, hoc eſt culpas promittit delendos, docet Simeonitas fratres vocandos. Iudas fratrem ſibi adiungens expreſſit facto, quod cæleſti latuit inuolutum conſilio: idem namque fuit confeſſionem præcipere, ac dolorem contritionis accerſendum iubere: nec enim ſine Simeone Iudas vinceret, quantumuis ruboris laboribus ſubiaceret: vtrumque opus eſt, ore fateri, & dolore interno vexari.

Hugo.

Hugo.

96\. Tota optimæ confeſſionis ſeries apud Philoſophum epiſt. 28. depicta videtur, dum de acquirenda virtute agitur: *Tu exiſtimas aliquid de remedio cogitare, qui mala ſua virtutum loco numerant: ideò quantum potes, te ipſe coargue, inquire te: accuſatoris primum partibus ſungere, deinde iudicis, nouiſſimè deprecatoris; aliquando te offende.* Profectò Chriſtiano calamo digna ſunt verba: ecce dum vetat virtutis loco vitia numerare, omnem agnoſcitur excuſationis vmbram depellere, iubet inquiſitionis examen, iudicis rigorem, pœnitentiæ medelam, & ſatisfactionis curam. O quàm miſerum eſt ad peccatorum confeſſionem accedere, ruboris ac verecundiæ laborem ſubire, nec corde dolorem gerere, quandoquidem tunc Chananæus non abigitur, & Iudas armis defatigatur; at vbi Simeon, Iudaſque fraternam ſocietatem ineunt, & vires Chananæorum facillimè frangunt, aſſerente Domino: *Ecce tradidi terram in manu eius.* Huic theſi adaptat Charenſis Hugo illud Eccleſiaſtæ 4. *Væ ſoli*

Seneca.

Eccl. 4.

97\. Agebat ibi Eccleſiaſtes de optima ſocietate, cui ſalutis adſcribit emolumentum, & contra aduerſarios triumphum: *Melius eſt duos eſſe ſimul, quàm vnum: habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ: ſi vnus ceciderit, ab altero fulcietur: væ ſoli.* Solus calamitatem nequit à ſe depellere: nec enim ſatis eſt cordis dolor, ſi opportunam renuat confeſſionem, nec ſatis eſt vocalis confeſſio, ſi cordis abiecerit contritionem: væ horum cuique ſoli: alterutrum namque non percipit laboris lucrum; ſed defatigationis diſpendium. Adeſt Hugo. *Quidam confitentur; ſed non audiunt vocem ſacerdotis pœnitentiam iniungentis: quia pœnitentiam non accipiunt, niſi ad libitum ſuum; vel non faciunt, ſi accipiant, quod peius eſt; tales ſunt Iudas ſine Simeone; ſoli ſunt: vnde & eis dicitur: væ ſoli.* Neceſſum eſt pro culpis ſatisfeciſſe, neceſſum eſt & compunctionem corde geſtaſſe: aliter namque ſola confeſſio væ miſerandum incurrit, quando nec laborem vitat virtutis, nec maculam depellit criminis. Huc adapto, quod de diuinis verbis aiebat Caſſiodorus lib. de diuinis lectionibus cap. 16. *Eam non ſolùm audire; ſed implere ſanctis operibus commonemus.* Satis non eſt iniunctam pœnitentiam audire; ſed effectu opus eſt adimplere: nec enim integris ſuis partibus conſtabit confeſſio, ſi deſideretur ſatisfactio, aut [deſit culpæ contritio.

Hugo.

Caſſiod.

98\. Ioſeph à fratribus venditus poſt tot cum vitiis certamina regalem thronum adeptus eſt, premente fame fratres inuolant alimenta quæſituri: ille ſcenam illam pietatis architectatus terret vt corrigat, iudicium minatur, vt parcat: Beniaminum in ſeruum addicendum fore teſtatur: quid tunc: Iudas iniquitatem fatetur: *Cui Iudas: Quid reſpondebimus, inquit, Domino meo, vel quid loquemur, aut iuſtè poterimus obtendere? Deus inuenit iniquitatem ſeruorum tuorum.* Ecce fratres omnes Iudæ voce iniquitatem non tectè fatentur. Quid tunc? Ioſeph ad pietatem motus ſe illis non recuſat prodere: quia non poterat lachrymas cohibere. Quid tunc? Terrore fratres percelluntur, & terrore perculſos, quod antea non iuſſerat, præcipit propinquare, & clementiam adepturos accedere: *Non poterant reſpondere fratres nimio terrore perterriti: ad quos ille clementer: Accedite, inquit, ad me.* O tardam fratris clementiam! Cur ad ſe accedere non iuſſit, quando Iudas rerum ſeriem adeò prolixam retulit? Cur nondum conceſſum eſt fratribus propinquare, quando Ioſeph voce elata ſe prodidit; ſed

Gen. 44. v. 16.

Gen. 45. v. 3.

Digitized by Google

ſed cùm terror illos oppreſſit: ſatis non erat confeſſionem præiiſſe, ni incuſſus animo dolor ac terror confeſſionem adiuuiſſet: vel poſt confeſſionem diſtant remoti, dum terrore non feriuntur perculſi: accedunt, dum & confeſſio delictum pandit, & animum terror percellit. *Non poterant reſpondere fratres nimio terrore perterriti; ad quos ille clementer: Accedite, inquit, a me.* Audi Rupertum apud Lippomanum. *Perterritis nimio terrore: Accedite, inquit, ad me,* Non confeſſis tantum, nec tantum territis; ſed poſtquam ore Iudę crimen protulerant, & corda dolore exulcerata gerebāt. Vtrumque opus fuit, vt ad fratrem accederent, aliter longè diſtarent. (Rupert.)

99. Saul cupiditate obcæcatus præceptum Domini probatur tranſgreſſus, & ne culpa indureſceret, à propheta citiſſimè redargutus eſt: ille culpam fatetur, & multis in verbis rem omnem aperit, quo prophetam ad clementiam viuidiùs excitet: *Peccaui, quia præuaricatus ſum ſermonem Domini, & verba tua, timens populum, & obediens voci eorum.* (1. Reg. 15. v. 24.) Iterum peccatum refert. *Peccaui;* verùm poſt geminam adhuc confeſſionem regno non ſtabilitur; ſed corona mulctatur. Tranſi modò cogitatione ad Dauid, qui cum eodem modo à propheta fuiſſet reprehenſus, peccatum ſuum agnouit, & pauciſſimis verbis aſſeruit: *Dixit Dauid ad Nathan: Peccaui Domino.* (2. Reg. 12. v. 13.) Confeſſionem ſtatim ſecuta eſt venia, & peccatori parcens diuina reſplenduit miſericordia: *Dixit Nathan ad Dauid Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum.* Iam pungit ſcrupulus: ſi Saul apertis verbis: imò copioſioribus, quàm Dauid, crimen ſuum ſacerdoti publicat, cur non audit, vt Dauid veniam? Quæſtionem hanc excitat Petrus Damianus lib. 6. epiſtol. ep. 26. ad Marinum: (Damian.) *Ecce Dauid adulterium, homicidiumque commiſit; Saul verò Samueli inobediēs extitit; ſed quid quòd ille nullo interueniente, vel in puncto veniam meruit: alterum verò nec propria confeſſio, nec prophetæ tam lugubris & amara, atque prolixa ſupplicatio reconciliauit?* Idem qui quæſtionem propoſuit, difertis verbis ad noſtram eruditionem enodauit. (Damian.) *Planè, ſi Scripturæ ſeries vtrobique diſcutiatur, copioſior Saul quàm Dauid in verbis pœnitentiæ reperitur: iſte ſiquidem dumtaxat id, quod præmiſſum eſt: Peccaui Domino; ille autem: Peccaui, inquit, quia præuaricatus ſum ſermones Domini, & verba tua, timens populum & obediens voci eorum: atque idipſum poſtmodum repetens ait: Peccaui.* Addit poſt pauca Damianus. *Quid eſt ergo, quòd alterius pœnitentia piè ſuſcepta, alterius autem ſub diſtricta ſeueritatis eſt examine reprobata, niſi quod ille ſcelus inobedientiæ ſpiritu ſuperbiæ paruipendens nequaquam pleno corde pœnituit, hic autem pauca quidem protulit; ſed eius viſcera diuini timoris gladio transfixa veri luctus amaritudo repleuit.* Parum profuit dicere, nec dolere; interfuit plurimum clara, etſi pauca, protuliſſe verba, & grauiori, copioſiorique dolore adurgeri viſcera. O quàm multi ſunt nonnulli in verbis, cùm fatentur culpam, cùm ſatius eſſet verba minuere, & pœnitudinem cordis augere. Dauid pauca protulit; ſed cordis amaritudinem ampliauit: Saul prolixam texuit orationem; ſed nec corde dolorem geſſit; nec ſuperbiam repudiauit. Et quia in hanc confeſſionis materiam incidimus, omnem excuſationis vmbram noueris præcidendam: nam excuſatio dum ſatagit culpā minuere, miris modis nouit augere. Imperiti chirurgi aliquando, vt exiguo vulneri parent medelā, latiorē, profundioremque ſciſſionis incutiunt plagam: & laboratur ipſo remedio, quia inſipienter, dū ſtudet curationi, probatur fauere vulneri.

Ionathas fugientium hoſtium tergoribus inſiſtens, cùm per campum rubentibus fauis plenum tranſiret, cuſpide virgæ fauum prehendit, orique inſcius præcepti patris admouit: non defuit, qui præcepto iam violato præcepti tranſgreſſionem criminaretur, cùm poſſet, ne violaretur, anteà monuiſſe præceptum; verùm nonnulli geſtiunt arguere, non deſiderant emendare: Ionathas de culpa monitus illam & defendit, & imminuit: *Vidiſtis ipſi, quia illuminati ſunt oculi mei: eo quòd guſtauerim paululum de melle iſto.* (1. Reg. 14. v. 29.) Ob hanc leuem ad ſpeciem culpam tanta indignatio commota eſt, vt differretur victoria, & mortis Ionatham grauis vrgeret ſententia. *Morte morieris Ionatha;* verùm ſi Ionathas comedit inſcius, cur morti luget damnatus? Quia, etſi leuiſſimum erat comediſſe, graue fuit & patris imperium damnare, & delictum proprium minuere. Huc voco quod aiebat Damianus loco citato: *Peccaſti aliquando: non eſt enim homo, qui non peccet; & fortè in notitiam venit: quia prima poſt naufragium tabula eſt culpam ſimpliciter confiteri: prompta confeſſio facilem pariat veniam.* (Damian.) Audius percipe quæ ſequuntur: *Ne ſi defenſio falſitatis acceſſerit: quod acu fortaſſe fuerat tenuiter punctum, lata videatur cuſpide perforatum.* Quod inſcienter Ionathas punxit, latè excuſationibus perforauit: fortè incurrit mortem excuſando, quam non incurrerat imprudēter delinquendo. Ergo culpa confitenda eſt ſine excuſationis vmbra, & cum internæ amaritudinis pœnitentia.

§. XXIV.

Videtur fortè non fuiſſe, quod exiguo tempore reperitur duraſſe

Tempore omnia conſtant, & ab eius ſuffragio nomina acquirunt: quod exiguo tempore durauit, non vixit, & quidem feſtinata correctio innocentiæ nomen conſeruat, & virtus in tranſitu notam criminis non deuitat: *Quare de vulua eduxiſti me,* aiebat Iobus, *qui vtinam conſumptus eſſem, ne oculus me videret: fuiſſem quaſi non eſſem, de vtero tranſlatus ad tumulum.* Acri doloris ſenſu ſibi Iobus contraria videtur protuliſſe: ait namque *fuiſſem,* & ſtatim addit, *quaſi non eſſem.* Certè ſi pectore vitam fouit: inter aliquando exiſtentes & potuit, & debuit adnumerari; aut ſi non eſt adnumerandus, nec fouiſſe aliquando vitam dicendus. Cur ergo vtrumque coniunxit? Quia vtrumque ad theſis noſtræ cōfirmationem veriſſimum ęſtimauit: exiguo tēpore vitam alere nomen non meretur vitæ: quia non eſt viuere; ſed excedere. Ita Lyra: *Fuiſſem quaſi non eſſem, id eſt, ita parum participaſſem de eſſe, quod quaſi nihil eſſet computandū.* Celerrima virtus ſui non relinquit veſtigia, & breuiſſimi vitiū infami ſugillari nō debet nota. Si te citiſſimè vitiis ſubtraxeris, gloriā iuſti non amittes, vt ſi te citò reſtituas criminì, iuſti gloriam non obtinebis: *Nunquam crediderìs felicem quemquam,* aiebat Senec. epiſt. 98. *ex felicitate ſuſpēſum: fragilibus innititur, qui aduentitio lætus eſt. Exibit gaudium, quod intrauit, at illud ex ſe ortum fidele, firmumque eſt, & creſcit, & ad extremum vſque proſequitur. Cætera, quorum admiratio eſt vulgò, in diem bona ſunt.* Vulgaris

101. (margin, beside "Tempore omnia conſtant")

(Iob 3. v. 11. — Lyra. — Seneca.)

eſt, quiſquis in diem bona demitatur, & tamquam digna nomine citò abitura proſequitur: non eſt quod fugit, antequam impleret aſpectum. Hebræorum populus Ioſue demortuo de duce eligendo diuinum conſuluit oraculum, Iudæ tribum ad honoris culmen ſapientiæ promouit immortalis conſilium: *Dixit Dominus: Iudas aſcendet.* E Iudæ tribu deſignandum monet ducem; occuluit tamen arcanè nomen. Hugo Charenſis putat Calebum vti belli expertum, cenſuque virtutum ornatum ad ducis munus euectum fuiſſe. Quòd ſi inquiras, cur cæteris iudicibus non annumeretur, curque eius nomen litteris non prodatur, reſpondit fuiſſe exiguo tempore munere functum, & ob id ſilen-
Hugo. tio ſuppreſſum: *Creditur Caleb qui fuit de tribu Iuda, populo præfuiſſe; ſed pro modicitate temporis nec rectoribus, nec iudicibus annumeratus eſt.* Dum Caleb textus reliquis populi iudicibus non attexuit, vtiliſſima nos eruditione hanc veritatem edocuit. Animos peccatori facit, ſi citò reſurgat: metum iuſto incutit, ſi breuiſſimè decidat.

102. Signum magnũ in cœlo apparuit mulier luminibus redimita; ſed quæ debuiſſet cœleſtis põpa venerationis ſuadere obſequium, ſerpẽtinum ad inuidiã exciuit odiũ, & odium vocauit prælium:
Apoc. 12. v. 4 *Draco ſtetit ante mulierẽ, quæ erat paritura.* Certè ſi intimiùs diſpicias, qui ſpeciẽ draconis aſsũpſit, Angeli naturã habuit: Cherub ſapientia plenus, & luminibus apud Ezechielem proditur exorna-
Ezech. 28. v. 12. & 14. tus: *Tu ſignaculũ ſimilitudinis, tu Cherub extentus & protegens:* Si ergo natura Cherubicus, cur cẽſetur ſerpentinus? Quia licèt Angelicam ſortitus fuerit naturã, citiſſimè obſcurauit, & diu ſerpentinam malitiam induit: temporis ergo diuturnitas indecorum nomen excudit, vt breuitas nomen glorioſum detexit: non annumeratur Angelis; ſed ſerpentibus, qui exiguo tempore virtute ornatus, & longiſſimis temporum tractibus ſerpentis aſtutia inſtructus: *Per draconem,*
Haymo. inquit, Haymo apud gloſſam, *diabolus intelligitur, qui aperte quoſcumque poteſt, deglutire non ceſſat: & quia d u eſt, ex quo hominibus nocet.* Diu ſerpentinas artes exercuit, cœleſte ingenium citiſſimè innubilanit: ergo quantumuis Angelus, inter Angelos non cenſetur; ſed numero ſerpentum adiicitur: apertè eius refragabatur natura; ſed ſerpentibus prauitatis inſeruit cauſa, & turpi inceſſu reptauit ſolo, qui alatus inuolarat olympo. Non eſt hominis nomine dignus, qui diu dehoneſtauit naturam vitiis ſubiugatus, & bruti ad inſtar libidini addictus: temporis diuturnitas improba aut laudanda conſtantia virtuti aut vitio nomen excudit, & vocabula factis imponit.

103. Ioannes excelſo throno agnum intuetur quaſi
Apoc. 5. v. 6. occiſum ſtantem, & ſigilla firma rumpentem: *Vidi agnum ſtantem tamquam occiſum.* Profectò illum *tamquam* oculorũ aciem largis corruptam fletibus prodit, aut ad ſpeciem veritatem imminuit: librum namque aperire, mortem fuit oppetere, & redẽptionis myſteria actionibus referre: ſi ergo librum aperit mortis anguſtias expertus, cur non refertur occiſus, aut cur ſi non occiſus, liber morte proditur reſeratus? Quia licèt mortẽ oppetierit, inquit Ambroſius hic, illam citiſſimè vicit, & à ſe victor abiecit. Vtrumque ergo explicari oportuit, & librum reſeratum moriendo, & quaſi mortuum non fuiſſe ſtando: ſtantem, inquit, tamquam occiſum. Non videtur vel moriens occubuiſſe: quia citiſſimè ſe mortis vinculis compertus eſt liberaſſe: ſtantis ergo nomen ſemper retinuit: quia occumbentis iniurias à ſe citiſſimè propulſauit: *Agnus non occiſus,* inquit Ambroſ.
Ambroſius hic, *ſed tamquam occiſus viſus eſt: quia mortem in tranſitu guſtauit, & paulo poſt reſurgens iam non moritur: mors illi vltra non dominabitur.* Diuturno tempore ſtetit, breuiſſimo iacuit: ideo non amiſit elogium ſtantis, nec opprobrium tulit cadentis: *in tranſitu guſtauit:* celeritas temporis labefactare non potuit conſtantiam, nec caſus intuliſſe ignominiam.

Redeat iterum Iob huius theſis veritatem ad- 104. Iob 10. v. 14.
ſtruens: *Si peccaui,* inquit, *& ad horam pepercisti mihi, cur ab iniquitate mea mundum me eſſe non pateris?* Doloribus obturbatus incomptas videtur protuliſſe ſententias: ſi peccauit, quid mirum maculam contraxerit, nec cenſeatur mundus, qui culpis, & criminibus defœdatus: ſi non peccaſſet, iure quereretur immundum haberi, & vti obſcuratum maculis denotari; at ſi ipſe admiſſam fatetur culpam, cur auerſetur criminis notam. O quale eſt peccatorum ingenium! Exoptant pro immaculatis haberi, etiam dum voluptatibus cõſtat addici. Taceat Iobus culpam, aut patienter ſuſtineat maculam, nec criminetur Deum apparuiſſe iuſtum non permiſiſſe, quando hoc ipſo æquitatis leges cõſtat impleſſe. Sapienter, inquit Gregorius lib. 9. moral. c. 31. ad noſtram eruditionem queritur, qui ad horam ſolùm peccaſſe conuincitur: ſi diu in crimine perſtitiſſet, nil mirum peccatoris ſubiret notam, & delinquentis infamiam, at dum exiguo tempore errore infectus, non eſt cenſendus à virtutibus alienatus.
Ad horam Dominus (verba ſunt Gregorij) *peccatori parcit, cùm reatum culpæ conceſſis protinus fletibus diluit.* Gregor.
Ea fuit diuina erga Iobum miſericordia, vt citiſſimè à lapſu erigeret, & ad fletus culpæ medicinam compelleret: dum ergo exiguum tempus culpæ permiſit, à mundorum numero expunxiſſe nõ debuit. Itaque Iobi vox non tam eſt in querela, quam in doctrina, vt noſcas exiguum tempus nec auferre nomen, nec indere.

Eliſæus eximius virtutis cultor ſuam gratitudinẽ conteſtatur nobilique fœminæ, apud quam ſæpè ſæpiùs hoſpitio exceptus filium precibus impetrauit; verùm fœcunditatis gaudia longo mœrore compenſantur, dum filius florida ac tenera ætate mortis violentia ſubripitur. Mater non adeò indulſit dolori, vt non ſtuduerit ſolertiſſimè medicamini: prophetam adit, largis fletibus cordis prodit anguſtiam, & ſilentio efficaciorem reddidit eloquentiam: tandem in verba prorumpens ait: *Numquid petiui filiũ a Domino* 4 Reg 4.
meo? Nũquid non dixi tibi: Ne illudas me? Septua- v. 28.
ginta legunt: *Nonne dixi tibi: Non decipies?* O Septuag.
quàm ſe oſtendit ingratam, dum ſe criminatur deluſam! quæ deluſio erat ſterilitatem depellere, & potiorem ſexum impetrare: Contulit Eliſæus dignũ gratitudine beneficium, & hoc mulier criminatur mendacium? *Noli,* aiebat, *mentiri ancilla* 4 Reg. 4. v. 16
tua. O quàm diſertè ſe mulier queritur eluſam! Accepit filiũ; ſed citiſſimè auferendũ: quod ergo breui adeò tẽpore floruit, iure vocauit mẽdaciũ, & oculorum ludibrium: *Dari filium citò moritu-* Abulenſ.
rum, ſcribit Abulenſ. q. 43. *& non dari filium ſunt æqualia, cùm nihil & inutile æquiparentur: & ſi non datus fuiſſet filius iſti mulieri, Eliſæus mentiretur, & ipſa poſſet dicere ſe illuſam: ita nunc cùm datus fuiſſet filius ei, qui citò mortuus eſt, poterat dicere Eliſæum mentitum fuiſſe, & ſe eſſe deluſam,*

deluſam, ac ſi nullus filius ei datus fuiſſet. Mendacium eſt quidquid vel ipſa vota fruſtratur, quidquid vel prehenſanti eripitur: ſolum namque erat doloris materia poſſeſſionis vmbra filius non diuturnitate durans ſed vel in ipſo exortu tenebras mortis inhabitans. O ſi nos omnes quereremur illuſos, dum noſtris inuenimus votis fruſtratos! Citius pereunt plurima, quàm germinarunt: ipſo die, quo fortuna faciem oſtendit lætam, protulit etiam iratam; & tamen ſic decipimur, vt vti ſolidum exambiamus mendacium, & putemus benè collocata ſtudia in his, quæ noſtra eluſiſſe inueniuntur vota. Quàm iure in hominum amentiam inuehebatur Pſaltes Pſal 4. v. 3. cùm aiebat: *Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Ac ſi dicat: Ecce Sunamitis, quia diſerta petitionis excuſarit ruborem, & filium datum queritur mendacio ſimillimum: & vos laborioſè apprehendere nitimini non mendacio ſimillima; ſed mendacia. Audi Euthymium: Euthym. *Fortaſſis verba hæc ad illos dicta ſunt, qui præſentibus rebus tamquam perpetuis ſtudent, tametſi ſtabiles non ſunt: videtur quidem eſſe propter id quod in ſuperficie apparet; reuera tamen ob aſſiduas mutationes de illis aliter non iudicandum eſt, quàm ſi non eſſent.* Perituris inhiamus, & nos ipſos egregiè illudimus: quæ mundo celebrantur vti pulchra, vel florendo reperiuntur marcentia, & dum foliculos roſa diſrumpit, vt fulgeat, diſrumpit etiam, vt tranſeat: quod ſtabile non eſt, nomine videtur indignum, & à rerum numero diſpungendum. Ecce Caleb etſi iudiciali dignitate fuerit ornatus, quia parum rexit, iudicantium numero non inuenitur adſcriptus.

---

§. XXV.

Nonnulli ſuorum cauſis non ſtudent ignaui; cùm extraneas curare ſoleant diligentiſſimi.

106. OMnibus præſtò eſſe, omnium calamitates depellere, omnium formas curare, diuinitatis ingenium eſt. *Inpiter omnia habet*; aiebat Seneca. Seneca epiſt. 73. *ſed nempe aliis tradidit habenda: ad ipſum hic vnus vſus pertinet, quod vtendi etiam omnibus cauſa eſt.* Quia Iupiter præ cæteris diis à cæca illa antiquitate humanæ felicitatis putatus eſt cauſa, maiori emicuit inter Deos cæteros excellentia. Glorioſum eſt ſolis ad inſtar omnium depuliſſe tenebras, releuaſſe anguſtias, promouiſſeque cauſas: *Non ſunt dij faſtidioſi*, addit Stoicus, *non inuidi: admittunt, & aſcendentibus manum porrigunt. Miraris hominem ad deos ire: Deus ad homines venit; imò, quod propius eſt, in homines venit.* Deus aſcendentibus manum porrig. Manum Deus omnibus porrigit, opem fert, quod dum imitantur homines, egregias ſibi comparauere virtutes; verùm ſua nonnulli deprauant beneficia, & adulterare conſueuerunt obſequia; dum à recto ordine exorbitant, & prætereunt proxima, vt illuſtrent diſſitiſſima. Iudas eligitur in populi ducem, & Simeonem in gloriæ partem vocat generoſus, non tumidus. *Ait Iudas Simeoni fratri ſuo: Aſcende mecum in ſortem meam.* Cur Simeonem præ aliis vocauerit, quærunt interpretes: reſpondentque inter tribus reliquas loco eſſe proximiorem Iudæ Simeonis tribum, & ideo illam vocaſſe, ne videretur diſtantiorem quærere, & affiniorem relinquere: *Vocauit potius Iudas Simeonem*, ſcribit Abulenſ. Abulenſis quæſt. 5. *quàm aliam tribum, eo quòd erat ſibi magis coniunctus, ſcilicet quia in quadam parte ſortis Iudæ ſuſceperat Simeon ſortem, vt patet Ioſue* 19. Ecce optimam politiam coniunctiorem præ aliis extuliſſe, & ad gloriæ partem vocaſſe: vterque profectò frater titulum fraternitatis impleuit: Iudas dum partitur gloriam: Simeon dum pro Iuda aggreditur pugnam. Itaque Simeon proximioris egit cauſam, non ſuſcepit tunc diſtantioris tutelam, cum non ſemel plures inueniantur, qui exterorum agant ſolicitè ſatis negotia, & ſuorum deſpiciant ſæpè lamenta. Neſcio ſi ob hanc cauſam propheta Solis aliquando fuerit oblitus.

Videbo, inquit Pſaltes, *cælos tuos operâ digitorũ* 107. *tuorum; Lunam & Stellas, quæ tu fundaſti.* Pſal. 8. v. 4. Et cur qui adeò curioſis oculis cœlum aſpexit, Solem in cœlo non vidit! An acies radiorum diluuio obruta, & candoris ſplendore percuſſa ſolem videre non potuit, aut myſterio arcano conticuit? Fors hic ſol excluſus: quia aliquando maiori luce diſtantiora perfundit, ſibique proximiora tranſit. Teſtatur Apuleius lib. de Deo Socratis agens de Luna: Apuleius. *Quantò longiùs abeſt à Sole, tantò largiùs illuminata pari incremento itineris, & luminis.* Luna dum proximior Soli adeſt, minorem luminis percipit ſplendorem; quando diſtantior, illuminatur viuidiùs, & ſplendore excolitur ſtudioſiùs. Ergo Pſaltes hic Solem tacuit, vt innueret ſole non eſſe dignum minorem lucis cenſum impertiri affini, & cumulatiorem diſtanti. Et quidem non vni hoc Soli accidit; ſed pluribus videas frequenter contingere. Extraneis benefaciunt, diſtantiores illuſtrant, cauſas extraneorum ſolicitant, cùm cognato pauperi nec manum porrigant, nec eius cauſas ſuſcipiant, nec anguſtias releuent, quaſi fuerit fauoris obſtaculum, quod natura fauoris fecit illicium.

Notabat qua ſolet ingenij dexteritate Chry- 108. ſologus ſermone 101. Hebræos nonnullos filiorum non egiſſe cauſas; cùm extraneorum ſolicitè releuarint anguſtias. Incidit Hebræus quidam in ſanguinolentas prædonum manus, à quibus non ſolùm eſt nudatus pecuniâ; ſed ferè ſpoliatus vita: Lucæ 10. v. 30. *Homo quidam deſcendebat*, inquit Lucas, *ab Ieruſalem in Iericho, & incidit in latrones, qui etiam deſpoliauerunt eum, & plagis impoſitis abierunt ſemiuiuo relicto.* Iam agebat animam ferè exanimis, cùm ſacerdos loco proximus durauit affectum, & Hebræi ſibi cognati deſpexit periculum: Fecit & idem Leuita ſecutus ſuperioris exemplum: & quid Leuita faceret, cùm ferrea ſacerdotis viſcera vidit: *Accidit, vt ſacerdos quidã deſcenderet eadem via, & viſo illo præteriuit: ſimiliter & Leuita cùm eſſet ſecus locum, & videret eum, pertranſiit.* Afflicti profectò miſereretur ſacerdos, ſi ſacerdotis implere curaret titulũ, non vanum plauſum. Componamus hanc ſacerdotis, & Leuitæ incuriam cum ipſorum alibi diligentia. Intrauit Dominus Capharnaum, cùm Centurio dignitate excellens ac diuitiis pollens Iudæorum ſeniores accerſit, & ad Dominum interceſſores pro ſerui ſalute mittit: *Miſit ad eum ſeniores Iudæorum rogans eum, vt veniret,*

& ſaluaret ſeruum eius. Quid tunc? ſolicitè ſacerdotes tendunt, & nulli labori parcunt: *Cum veniſſent ad Ieſum, rogabant eum ſolicitè dicentes ei: Quia dignus eſt, vt hoc illi praſtes: diligit enim gentem noſtram, & ſynagogam ipſe ædificauit nobis.* Et cur adeò ſolicitè rogant pro infirmi ſalute; qui nec tantiſper voluerunt ſubſiſtere, vt mederentur exanimi? Ipſe indicat textus: Qui in latronum manus incidit, erat Hebræus genere proximus, loco vicinus; qui modo ægrotat, ſeruus Principis & alienus: ſic ergo deſipiunt, aut ſic ambitione ſapiunt, vt cognati deſpiciant vitam, & extranei ſolicitent ſtudioſiſſimè cauſam. Adeſt Chryſologus citato loco: *Iudæi rogant pro gentili, qui pro ſe non rogant; & agunt ſatis pro ſalute alieni ſerui, qui pro ſalute ſuorum nihil agunt filiorum.* O quàm verum! O quàm experientia comprobatum! ſunt namque plures, qui toruo ſupercilio ſuos pertranſeant, cum extraneis obſequentiſſimè ſeruiant: quæ naturæ iure, quæ conſanguinitatis lege ad illos pertinent, non ſine cognationis iniuria omittunt, & ſolicitè quæ ad alios pertinent, agunt, quaſi quidem naturæ offenſi, & extraneo propitij.

Chryſ. l.c.

109. Turba plurima vſque ad deſertorum inuia Dominum ſequebatur, ſicque ab eius ore pendebat, vt alimoniæ ad vitæ ſuſtentationem oblita, doctrinàque oblectaretur ſuſpenſa; verùm Dominus dum illi vtiliſſima obliuione cibi non recordantur, conſilium agitat, & ciborum copiam miraculosè incrementat: *Accepit Ieſus panes, & cùm gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus, ſimiliter & ex piſcibus quantum volebant.* Vides Domini in Hebræos liberalitatem; attende modo in Chananæam ad ſpeciem rigorem: rogabat illa, vt ſalutem filiæ acciperet, & cùm Apoſtolorum chorus interceſſor accederet: *Non ſum miſſus, ait, niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael:* prudens mulier ipſa repulſa acriùs incitata preces ingeminat; ſed Dominus filiorum panem canibus non mittendum inculcat: *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.* Et cur filios meminit, cùm miraculum vel negando ſpondet? Vt ſcirent omnes, inquit Gloſſa Diui Thomæ, non filios præteriiſſe; ſed filios patrem repudiaſſe: vt micam gentili daret, priùs panis copiam Iſraëlitis impertiuit; imò cùm vel micam largitur, maiorem ſe filiorum habere curam teſtatur: eſſet namque pietati indecorum obliuiſci filios, & alere extraneos: *Filij ſunt Iudæi generati, & nutriti ſub cultu vnius Dei per legem, panis eſt Euangelium, miracula, & alia, quæ ad ſalutem noſtram pertinent: non eſt ergo conueniens, vt à filiis auferantur, & dentur gentibus, qui ſunt canes, donec Iudæi repudient.* Chriſtus dum filiorum panem extraneis largitur, à filiis panem teſtatur abiectum, ne quis putaret alienigenam curaſſe, & filios laborantes ægritudine reliquiſſe.

Ioan 6.v.11. Matth. 15. v.24. D.Thom.

110. Expendebat Chryſologus diuitis illius epulonis eximiam, etiam dum aſpexit, cæcitatem: vidit Lazarum in ſinu Abrahæ, & flammarum ardore aduſtus aquæ guttulam ad linguæ expoſtulat refrigerium: *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam.* Ad vnius membri refrigerium totius Lazari deſiderabat excidium, & Abrahamo etiam iniurius ad inferni vermulæ ſolatium delegaturum putauit, quem pectore amplectebatur fideliſſimum filium. *Quid clamas?* inquit Chryſologus ſerm. 122. *quid poſtulas? Hoc loco iam non geritur poſtulatio; ſed controuerſia, vbi è diuerſo conſiſtit ipſe qui paſſus eſt, ſed agentium diuerſus eſt locus: hic agit de proximo, ille de longè: hic de ſinu ſuggerit, clamat ille de tartaro.* Putauit infeliciſſimus diues de more ſæculi, de mundi errore Abrahamum longè diſtantis acturum cauſam, & ſibi coniunctiſſimi obliuioni daturum curam, in quo iniurius extitit; & fors non ſolùm Lazari felicitatem; ſed Abrahami obſcurare gloriam ambiuit: eſſet namque Abrahamo indecens ſeiuncti curare commoda, & obliuiſci coniunctiſſimi augmenta. *Reuera,* aiebat Chryſologus ſermone 121. *parum ſe beatum credidit, ſi in ipſa ſuperna gloria ab hoſpitalitatis pio ceſſaret officio.* Abrahamus ni ſecum conuiſceratum foueret, gloriæ ac famæ ſuæ detrimentum crearet: ergo diues Abrahami nititur obſcurare gloriam, dum coniunctiſſimi prætermittere exambit curam: *Vt video,* addit Chryſologus ſermone 122. *quod agit diues, non eſt nouelli doloris; ſed liuoris antiqui, & zelo magis incenditur, quàm gehenna.* Quia torquetur gehennali inuidia, ſatagit Abrahamum coniunctiſſimo non prouidere, vt vtriuſque obſcuretur gloria.

Luc.16. v.24. Chryſo.

111. Elias ita pietatis plena vocem emiſit qua cœlo legem ſiccitatis imponeret: Deus reueritus ardorem pietatis, Eliæ regiminis permiſit habenas; verùm cùm homines vrerentur fame, cùm variis calamitatibus premerentur, per coruos prophetam nutrit, vt ille à coruis diſceret ingenium mutare, & egentibus ſubuenire: *Coruis præcepi, vt paſcant te.* Et cur coruis præ aliis auibus? Cur non columbæ? Quia coruus, inquit Baſilius Seleucienſis, famelicos relinquit filios, & non poterat Eliæ humanis oculis res metienti damnabile non videri coruum relictis filiis ad alendum hominem inuolare. Benè eſſet, ſi coruus filiorum curam agens famelico prouideret; at alieni generis creaturam paſcere, & proprios filios famelicos præterire, vt coruo ad ſpeciem videbatur inglorium, ſic ſuadebat Eliæ, ne ſequeretur exemplum. Adeſt Baſilius Seleucienſis orat. 11. *Filiorum proditores tibi ſunto alimenti ſuppeditatores: ne igitur durior fueris coruis pullorum oſoribus.* Curioſiùs attende quæ ſubdit: *Ne innatum iis in pullos odium imiteris, neue in Iudæos transferas.* Ecce Eliam monet Deus, ne ad homines transferat, quod hîc coruis contingere ſpectat: coruus namque filiorum obliuiſcitur cauſas, & inuolat, vt Eliæ releuarit ærumnas: nam quod in coruis arcanum, eſſet homini ſatis inglorium. Suæ famæ næuum afferret Elias, ſi ad gentilis ſuſcitandum filium pergens, proprium fame occideret filium. Ergo monet Deus, ne coruorum imitetur facta; ſed miſerias Hebræorum prouidenti alleuauerit cura. Quod præceſſit arcanè in Elia & coruis, noſtræ eruditioni deſeruit: eſt namque prudentiæ dedecus propria obliuiſci, aliena curare.

3.Reg.17. v.4. Seleucienſ.

112. Saül ſic Doeg Idumæum dilexit, vt inter ſeruos primum conſtitueret: *Reſpondit Doeg* 1.Reg.22. v.9.

Doëg Idumæus, qui aſſiſtebat, & erat primus inter ſeruos Saul: Vidi, inquit, filium Iſai in Nobe. Abner militiæ Princeps cognatus eius, vt patet cap. 14. primatus honore non ſplendet, & Idumæus alienigena lucet. Nec mirum: Saulis namque animum iam nactus inhabitauerat dæmon, propriumque ſibi effecerat domicilium, & deprauarat affectum.

Abulenſ. Adeſt Abulenſis quæſt. 17. *Erat cognatus eius*, loquitur de Abner, *ſcilicet patruelis, vt patet ſuprà cap. 14. Non poterat ergo Doëg Idumæus eſſe prior illo.* Ita quidem, ſi rationi ſtandum, non ſi affectibus inordinatis parendum. Audi Abulenſem: *Aliquis reſpondebit quòd fortè Saul tantùm dilexerat Doëg Idumæum, quòd eleuauit eum ad maximum principatum in domo ſua, & abſtulit eum ab Abner; ſicut interdum facere ſolent reges ex quibuſdam deordinatis affectionibus.* O quam deordinata probabatur affectio, quæ à digniſſimo auferebat cognato, quod indigno largitetur Idumæo. Solùm Saul dæmonis domicilium potuit indignos eleuare extraneos, & dignos obliuioni tradere proprios.

---

§. XXVI.

Optimus Reipublicæ adminiſter ſtudioſius curat munus implere, quàm ſibi plauſum, aut commodum elucrari.

113. Caſſiodor. MEſſis noſtra, aiebat Caſſiodorus 6. var. 13. cunctorum *quies eſt.* O quàm dignus Reipublicæ probabatur miniſter, qui omnium quietem ſibi exiſtimauerat cenſum, & in perfecta muneris adminiſtratione decreuerat ſibi lucrum. Certè ad hanc menſuram cenſendæ ſunt dignitates, vt tantò quis honorabilis habeatur, quantò muneri cumulatius ſatisfeciſſe cognoſcitur. Glorioſus miniſter non diſcupit ſibi plauſum; ſed dignis etiam plauſus expenſis implere conatur officium, *Inter cætera vetuſtatis inuenta*, aiebat Caſſiodorus vbi ſuprà,

Principis cũctorum quies. *& ordinatarum rerum obſtupenda præconia hoc cunctis laudibus meretur efferri; quod diuerſarum ciuitatum decora facies aptis adminiſtrationibus videtur ornari.* O quàm decora ciuitatis relucet facies eos ſortita miniſtros, qui non plauſum ſibi negotientur ſuperbi; ſed iniquitatis occluſerint linguam prouidi. Iudas in Ducem deligitur, & cùm poſſet omnem ſibi expeditionis gloriam vendicare, Simeonem ſocium maluit aſciſcere: *Ait Iudas Simeoni fratri ſuo: Aſcende mecum in ſortem meam, & pugna contra Chananæum.* Si hoſtes tradendi in manus Iudæ aſſerente Domino referuntur: Ecce tradidi terram in manus eius, cur Iudas pleno victoriæ priuatur elogio, dum fratrem adiungit prælio? O quàm Iudas à Deo probatur electus, dum ſingularitatis plauſibus prætulit inimicorum excidium: dum fratrem vocat, inimicum vincit ſecurius, triumphabit, ſi ſolus aſcenderit, plauſibilius, verùm à Deo electus, renunciauit ſingularitatis elogio, quo ſecurius, perfectiuſque conſoluerit officio.

Oleaſter. Huc voco quod aiebat Oleaſter ad Exodi 4. ad mores: *Serui Principum, quoniam non tam bonum Principis miniſterium, quàm propriam vtilitatem quærunt, nolunt conſortium; ſerui verò Dei, quia non quod ſuum eſt; ſed quod Dei, ſocios ad miniſterium deſiderant, & petunt.* Iudas ſi ſuæ ſtuderet ambitione pulſatus gloriæ ſolus aggrederetur bellum, vt potiretur ſolus & triumphum; at quia populi quietem citiùs perfectiuſque poſſe contingere agnouit, ſi Simeon ſuppetias ferret, ſe gloriæ parte abdicauit, & cùm abdicauit, glorioſius munus impleuit.

114. Moyſes populi Princeps cùm ingentis adeo multitudinis ſe feliciter negotia abſoluere non putaret, ſocios & dignitatis conſortes eligi dignis tanto viro clamoribus expetiuit: *Non* Numer 11. v. 14. *poſſum ſolus ſuſtinere omnem hunc populum.* Quid tunc? Seniores Dominus ad tabernaculi oſtium ſtare iuſſit, & ibi de Moyſis ſpiritu impertiendum illis aſſeruit: *Duces eos ad oſtium tabernaculi fœderis, facieſque ibi ſtare tecum, vt deſcendam & loquar tibi, & auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis.* O quàm diſpliceret alteri recens electos ſuſpici, & illorum domos à populo frequentari! Quàm recuſaret alius magnitudinis parte priuari, & cæteris impertiri! At Moyſes digniſſimus diuino probatur alloquio, cùm ſingularitatis gloriam poſthabuit officio. *In regendo populo*, ſcribit Theodoretus quæſt. 18. Theodor. *& in prodigiis edendis eadem quæ geſſerat antea, peragere non deſiit*: non expetiuit ſocios otij ſectator: eadem namque egit; ſed perfectiùs munus implere exambiuit. Addit Caietanus: *Videbat experientia teſte quòd ipſe ſolus non ſat erat ad excolendum animas tantæ multitudinis....* Caietan. *Et quia tales minores oportebat diuina tum gratia, tum auctoritate præſtare, vt populus ſuauiter eorum inſtructiones, & monita ſuſciperet: ideò Moyſes verè & rationabiliter proponit Deo.* Non ignorabat Moyſes non modicam auctoritatis partem ſibi adimendam; imò ſtipendium à Principe dilargitum, teſtante Domino: *Auferam de ſpiritu tuo*, ad ſpeciem minuendum verùm quia plus deſiderabat munus implere, quam auctoritate radiare, ſocios petiuit muneri magnanimiter renuntians ſingularitatis honori. O quàm rari Moyſes hac tempeſtate inuenientur? Agnoſcunt aliquando miniſtri ſe multis, quas ſortiuntur, adminiſtrationibus impares, experiuntur non poſſe populi negotia expediri, nec vt fas erat, vtilitatibus conſuli; ſed ea eſt diuitias aggerandi cupido, ea imperandi fames, ea ſingularitatis eſt ſitis, vt ne illis deficiat cenſus ac plauſus, munus ingentes cogatur ſuſtinere defectus. Certè de ambitionis arte vnus valet pro mille, aut quod verius eſt, mille patiuntur anguſtias, vt vnus ſibi adaggerauerit excellentias.

115. Barac diuino decretò ad hoſtes deterendos eligitur: *Præcepit tibi Dominus Deus Iſraël: Va-* Iudic. 4. v 6. *de & duc exercitum in montem Thabor.* A Deo eligitur triumphis coronandus: *Tradam eos in manu tua.* Quid tunc? Deboram in conſortium vocat, & aliter munus recuſat: *Si venis mecum, vadam: ſi nolueris venire mecum, non pergam.* Debora victoriam Barac non adſcribendam, ni ſolus perrexerit, atteſtatur: *victoria non reputabitur tibi.* Audit victoriam ſibi nullatenus adſcribendam; & tamen gloriæ diſpendio inſiſtit Lyra. ſocietatis ſtudio. Adeſt Lyra: *Si venis mecum, vadam. Quaſi dicat: Tu habes ſpiritum prophetæ, non ego; & ideò poteris ſcire tempus & horam*

D 3 *teſtan*

Digitized by Google

bellandi. Agnouit Barac, ſi comitatus pergeret poſſe aptiori tempore bella diſponi, & celerius populum victoria potiri, & vti à Deo electus noluit vel aliquali populi diſpendio omnem ſibi triumphi vendicare gloriam; ſed munus perfectius implere, & populum liberare. Gloſſa. Adſtipulatur Gloſſa moralis: *Per Barac ſignificantur homines, qui ſunt diſcreti iuſti, eo quod fulgent induſtria naturali, & tonant ſententia iudiciali: propter quod ſunt ad pugnandum contra iniuſtitiam valde apti.* A Deo electus, ad Reipublicæque ſalutem probabatur proindè deſtinatus, dum aggerare ſibi non diſcupit gloriam; ſed omnem remouere querelam. O quot dum militiæ munus ſuſcipiunt, properantem opportuniſſimam occaſionem labi è manibus non ſine dedecore ſuſtinent, & dum ne aliis partem impertiuerint gloriæ, totam ſibi arrogantes exambiunt, & totam amittunt. Barac à Deo electus non cupit opimis diteſcere ſpoliis, aut captis fulgere manubiis; ſed munus opportunius implere, & ſecurius hoſtem opprimere. Profectò qui propriis indulget commodis, qui diuitiarum aut honoris ſtudet auidiſſimus lucris, à Deo non probatur electus; ſed artibus ambitioſis elatus.

116. Vt aues, quæ volatu pollent, pullos ſuos, cùm iam tantiſper adultos vident, ad volatum exercent, & anxiæ pennarum vibrationi tantiſper committunt, ſic Chriſtus Dominus diſcipulos ſuos multa de fide edoctos committit ad ſpeciem diſcrimini, vt illorum facta afferant teſtimonium virtuti: inſcendit nauim, & puppi arcanum capit iam ſomnum: *Facta eſt procella magna venti, & fluctus mittebat in nauim, ita vt impleretur nauis, & erat ipſe in puppi ſuper ceruical dormiens.* (Marci 4. v. 37.) Inuſitata tempeſtas diſcipulos diuexabat, & recurrentibus inuicem ſcapham ventorum turbinibus referiebat: ſublatiſſimæ vndæ iam cœlos operire videbantur adniti, iam ad tartara profundiſſima labi: acriùs adſpirantes venti ingratiſſimo aures ſono diuerberabant, fluctus per momenta adaugebantur, rudentes eum velo collapſi conterebantur: ars peribat, & diſcrimen ſolum valebat. Baſilius Seleucienſis orat. 22. rogat quam Dominus doctrinam de ſomno tempeſtateque excitare voluerit. Reſpondetque fidei maximum aperuiſſe certamen: voluit namque doctrinæ quaſi rationem expoſcere, & an cùm dormientem videbant, à Deo miſſum crederent, ac ſalutis adminiſtrum putarent. Seleucienſ. *Interdum Chriſtus Dominus ſuos diſcipulos cùm multa de fide docuiſſet, nunc tamquam doctrina rationem velit repoſcere, eos ſpe ac timore ſuſpenſos tenet, & mare Apoſtolis in fidei ſtadium apparat, & aſſumptis diſcipulis nauigauit vltra.* Attentius auſcultanda, quæ ſubdit, *cùm verò ſcapha mediis eſſet in fluctibus, ipſe experientiæ locum cedens dormiebat.* Ecce magnum eximiæ fidei ſtadium, puppi rectoris munus gerentem ſomno prægrauatum videre, & diuinum cogitare: ſola enim robuſtiſſima fides potuit vt cæleſtem ſuſpicere, quem veluti manumiſſis omnibus curis otio ſomnoque intuebatur indulgere. Robuſtior hic fides exigebatur? credere namque Dei filium, cùm modicis panibus multitudinem ſatiabat, cùm leproſos curabat, cùm abigebat dæmones, vel fidei nondum robuſtæ erat; at magiſtrum, mundique rectorem cogitare, quem ſibi tantùm ad ſpeciem videbant conſulere, non erat fidei mediocris; ſed maximo robore præualentis. Adſibilans ventus vndis elatis terrorem inferioribus incutiebat, nauis concuſſa vndique fluctuabat, nauigantes ſtudioſè ſalutem quæritabant ab arte: fatiſcentes manus tempeſtati cedebant, & Dominus in ſecuriore, elatioreque nauis parte quiete ſomnoque indulget: hoc ergo fidei opus & labor erat, quandoquidem bonus reipublicæ adminiſter aliorum laboribus & ærumnis ſe totum inſomnem & peruigilem quaſi vectigal impendit, nec proprio lucro aut commodo ſtudet. O miſeram nauim, ni ſomnus fuiſſet arcanus, vbi curam gerens altiora ſibi ſolicitat, non vt attentius regat; ſed vt ignauius dormiat. Quàm contorquebitur ventis ſcapha, quàm immanes exurgent fluctus, & quantis cæterorum anguſtiis vnius conſtabit placida quies.

117. Giezi, Eliſæuſque ignaui ac ſoliciti adminiſtri nobis exitere exemplaria. Peſtilens morbus Sunamitidis filium ætatis flore pubeſcentem rapuit inopinè, & intolerabili ſauciauit matrem dolore: tetendit illa ad prophetam reſurrectionis pretium lacrymas ferens, & quia doloris vis pectore vocem claudebat, ſingultus & quidem ſæpè anxietate interruptus caſum eloquentius manifeſtabat. Mittit propheta Giezi auctoritatis inſigni, virga ſcilicet prophetali honoratum, quò citius inuolet, & exuſcitet puerum: *Tolle baculum meum in manu tua, & vade: ſi occurrerit tibi homo, non ſalutes eum, & ſi ſalutauerit te quiſpiam, non reſpondeas illi.* (4.Reg.4. v.29.) Giezi aduentat; ſed in mortem non præualet: *Non erat vox neque ſenſus.* Quærunt interpretes cur Giezi puerum non excitauerit. Rabbi Salomon apud Gloſſam reſpondet itinere ſæpeſæpius contra magiſtri præceptum ſubſtitiſſe, & viatores ſalutandi occaſione vaniſſimum de commiſſo ſibi munere plauſum captaſſe: (R. Salomon) *Dicit Rabbi Salomon quod hoc fuit propter demeritum Giezi, qui non ſeruauit præceptum Eliſæi; ſed occurrentibus ſibi hominibus inſtanter dicebat ſe miſſum ad ſuſcitandum mortuum;* verùm dum prius ſatagit itineris moderari curſum, & vaniſſimum lucrari plauſum, munus non impleuit, & peſſimi ſe exemplar adminiſtri exhibuit. Et quæ demortuo ſpes ab adminiſtro vaniſſimo, qui non ad eius vitam curreret; ſed ſpretis legibus ſubſtitiſſet? Et fortaſſis Giezi ingenij non ignara mater à propheta ſe non diſceſſuram teſtatur: *Viuit Dominus, & viuit anima tua, non dimittam te.* Ecce aduentat Eliſæus, & ſe ſuper puerum contrahit: *Incuruauit ſe ſuper eum,* & incuruatione reſtituit luci, quem Giezi tactione eripere non valuit morti. Baſilius Seleucienſis figuram hic Eliſæum Domini geſſiſſe teſtatur orat. 10. *Eliſæus Chriſti figuram gerit.* (Seleucienſ.) Chriſti erat imago, qui vel propria diminutione ſaluti conſulebat alienæ, qui non inferiorem ſuam ad magnitudinem accommodabat; ſed magnitudinem ſuam adaptans inferioris exiguitati vitam refundebat. Giezi morti addidit vires, dum muneris ſpreuit leges, dum commodi & plauſus exambiuit vtilitates; at Eliſæus cæleſtem ſe probauit adminiſtrum; dum ſe, ſi fas eſt dicere, imminuit, & ſubiecti neceſſitatibus adaptauit. Proh quàm pauci inueniuntur Eliſæi, quàm plures Giezi! De inferiorum exiguitate magnitudinem ſuam

incremen

Digitized by Google

incrementant, & alios incuruando extolluntur elati, qni vitam debuiſſent præbere honeſtè curui.

§. XXVII.

Quærere laboris conſortem inuenitur humanum; aſciſcere gloriæ ſocium habetur ſemper diuinum.

118. EA eſt humanæ naturæ ambitio, vt honoribus ſatiata nunquam, honores ſemper ſuſpiret: vnde videbatur ſopienda, inde deterioribus agnoſcitur, ac inſanis ardoribus flabellanda. Seneca. Quàm benè Seneca epiſt. 73. *Nunquam tam plenè occurrere vlla liberalitas poteſt, vt cupiditates illorum, quæ creſcunt, dum implentur, exatiet.* Ingens cuiuſuis vaſis capacitas noua poteſt ambitione repleri; at ambitio nequit: quia ipſa impletione deterius incipit dilatari: hoc ſine medicamine malum eſt: nam quæ videbatur medela, cupiditati ardentior probatur flamma: non patitur ambitio ſocium; nec ſuſtinere valet amicum: *Adiice nunc*, addit Stoicus, *quòd nemo eorum, qui in Republica verſantur, quos vincat; ſed à quibus vincatur, aſpicit: & illis non tam iucundum eſt multos poſt ſe videre, quàm graue aliquem ante ſe.* Habet hoc vitium omnis ambitio: non reſpicit. Cæco adeò impetu, ſitibundo adeò hydrope fertur in honores ambitio, vt ingentem fluuium exiguam ſitulam arbitretur, nec ad alios guttulam deriuari patiatur; verùm quæ ſic ad honores hiat ſitibunda, labores animitus fugit, & ærumnarum quærit conſortes, quo ardore gloriæ recuſarat participes. Hinc mirandus eſt ſtrenuiſſimus Iudas, qui electus cæterarum tribuum dux, non tam ad dubiæ labores pugnæ, quàm ad feliciſſimæ plauſus victoriæ, teſtante Domino: *Ecce tradidi terram in manus eius.* Simeonem gloriæ ſuæ aſciſcit conſortem, & fraternitatis memor humanum exuiſſe videtur ingenium, dum victoriæ communicari voluit elogium, Ait Iudas Simeoni fratri ſuo: *Aſcende mecum in ſortem meam.* Hoc facto Chriſtum ſignificaſſe tradit Gloſſa moralis: Gloſſa. *Per Iudam, inquit, ſignificatur Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui ſecundum carnem eſt de tribu Iuda.* Perſonam gerit Iudas diuinam, cùm ſocium, quantumuis fratrem, ad gloriæ quærit conſortium, & ad victoriæ trophæum: vt enim homines laborum ſatagunt cnm aliis diuidere ærumnas, ſic ab exordio didicerunt ambire ſibi ſoliſſimis ſi fas eſt dicere, gloriam.

119. Chriſtus Dominus vndas Iordanis intrat abluendus non ab aquis accepturus munditiem; ſed impertiturus fluctibus ſanctitatem: hic Patris vox filium prodit, & Spiritus ſanctus columbæ ſpecie omnem dubitationem excludit: Matth. 3. v. 16 *Vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe, & ecce vox de cœlis dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Alibi cùm faciem demurat, Matth. 17. v. 5. & coram diſcipulis transfigurationis luce conſpcuus radiat, vox Patris auditur: *Hic eſt filius meus dilectus*; ſed columba non videtur. Ecqua huius diſcriminis cauſa eſt? An qaia dum ad ſpeciem obſcurus, & habitu egenus, ſic carere prærogatiuis cenſetur, vt opus ſit ad faciendam fidem, non ſolùm vocem aures erudire, ſed columbam etiam oculos informare? Profectò magnæ etiam dotes in humili egenoque fidem non inueniunt, indubio etiam teſtimonio firmatæ: nec parum erit, ſi fidem fecerint viſæ: ſemper namque oculis clariſſimè adſpectæ, apparebunt adhuc obſcuræ. In altis, eiſque, quos multus ſplendor circumdat, neſcio quid ſuſpicamur diuinum, & ideò vnicum ſatis eſt teſtimonium. Benè; ſed cùm Chriſtus Dominus in montis vertice ſanctitatis forma proponatur, maiori teſtimonio indigere videtur luce conſpicuus, quàm vndis tinctus: nam qui alta poſſident, & fortunæ verticem inſcenderunt, à virtute ſolent degenerare, vt humiles cæleſtem originem clarius referre. Cur ergo voce ſolùm filius aſſeritur in monte, qui columba & voce in flumine? Arcana hæc, & pluribus ſcatentia myſteriis: ego pro ingenioli mei tenuitate ſic theſi adapto. In monte gloriam ſuam Moyſi & Eliæ communicauit: *Erant Moyſes, & Elias viſi in maieſtate.* Lucæ. 9. v. 31. Ergo ad fluuium deſcendit columba, ne vox ad alium putaretur delata; at dum gloriæ admittit conſortes, vox non potuit ad aliū delata putari, & ideò opus non fuit columbam capiti inſidentem videri: adeò namque peregrinum eſt, & à purè homine alienum ad gloriæ communionem admittere, vt de ſociis conſtet Chriſtum Dominum diuinitatem habere. Hoc argumento conuincit Marcionem Tertullianus Chriſtum Dei Filium negantem lib. 4. aduerſ. Marcion. cap. 22. *Hoc vel maximè erubeſcere debuiſti, quòd illum cum Moyſe & Elia in ſeceſſu montis conſpici pateris.* Tertullian. Addit poſt pauca: Nunc etſi præſentia illorum fuit neceſſaria, non vtique in colloquio oſtenderentur, quod familiaritatis indicium eſt, nec in conſortio claritatis, quod dignationis, & gratię exemplum eſt. Sibi Marcion refragatur, cùm admittit Chriſtum in montis ſeceſſu Eliam & Moyſem ad claritatis vocaſſe conſortium, & negat diuinitatis exceſſum: nam ſi homo tantum eſſet, gloriæ collegas nullatenus admiſiſſet. Addit Tertullianus. *Tradit pater filio diſcipulos nouos oſtenſis prius cum illo Moyſe & Elia in claritatis prærogatiua.* Vt audientes credant Chriſtum Dominum aquis tinctum Dei eſſe filium, opus eſt cæleſtis teſtimonio columbæ; at vt credant diſcipuli vertice lucentem Dei eſſe filium ſatis fuit communionem videre gloriæ: nec enim poterat credi ſolummodo humanus, qui de conſortio claritatis probabatur diuinus.

Nabuco ſomnium videt futurorū præſagium; 120.
verùm dum fugit mentem, auxit cordis anxietatem: poſt Sophiſtas, & regni ariolos vocatos Daniel introducitur ſomnium reuocaturus, & eius ſolutionem ſine ambagibus proditurus: rex diuinis illum honoribus coli decernit: nec mirum, cùm hoc ſolum Principi inter homines deſit, ſcilicet qui verum dicat; verùm aliud hîc etiam latebat arcanum: gratiam namque regis promeritus ſocios ad gloriæ conſortium, & ad claritatis eleuari voluit faſtigium: *Poſtulauit à rege, & conſtituit ſuper opera prouinciæ Babylonis Sidrach, Miſach, & Abdenago.* Daniel. 2. v. 49. Dum gloriæ exambit participes, diuinitatis etſi errore cæco illi decernuntur honores. *Danielem adorauit, & hoſtias, & incenſum præcepit vt ſacrificarent ei.* Ecqua erroris cauſa? Quia Babylonis Prouinciæ præfectus: Conſtituit eum Principem ſuper

omnes Prouincias Babylonis, gloriæ ſocios aſciuit, non renuit: *Poſtulauit à rege, & conſtituit ſuper opera prouinciæ Babylonis Sidrach*, &c. Itaque Nabuchodonoſorem ſic in admirationem rapuit hæc gloriæ communicatio, vt de ſomnij enodatione, & de communione gloriæ plus crediderit, quàm humanum: imo putarit adorandum vt diuinum: *Cum Principem Satraparum, & Sapientum Babylonis*, ſcribit Theodoretus orat. 2. in Daniel. Theodoret. *Beatiſſimum Danielem conſtituiſſet, exemplar ipſum pietatis, omniſque alius virtutis propoſuit; ſed tamen hoc honore ſolus perfrui non ſuſtinuit propheta, verùm precum ſocios honoris etiam ſibi ſocios aſciuit.* Daniel ſocios anteà vocarat ad vigiliarum moleſtias, ad ieiuniorum ærumnas, ad gratam cœlo pro indagatione ſomnij precibus inferendam violentiam; verùm hoc ingenium ſapiebat humanum at cùm vidit rex vocare etiam ad honoris gloriæque communionem, hominem exiſtimauit prorſus diuinum: humanæ namque naturæ limites videtur ſupergredi, qui gloriam alijs noluerit generoſè impertiri.

121\. Moyſes in ducem populi electus, & de triumpho reportando ſecurus: audierat namque: Exod. 3. v. 12 *Cùm eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo ſuper montem iſtum*, ſe demittit, & ferè vſque ad contentionem, quouſque Aaron frater muneris deſignatur ſocius, procedit: *Quis ſum ego, vt vadam ad Pharaonem?* Quid tunc? Deus Pharaonis delegatur, & diuinis nobilitatur prærogatiuis: Exod. 7 v. 1. *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit propheta tuus.* Dum præ humilitate imperio ſe reputauit indignum, & ad illè abſoluendum munus importunis precibus arciſcit ſocium, metas diuinitatis attigit, & humanæ limites conditionis excedit: eſt enim homini innatum vel fratrem ad conſortium gloriæ non ſuſtinere; ſed totis viribus repudiare: ergo Moyſes Deus audit, dum fratrem ſocium admittit: *Non acquieuit*, aiebat Oleaſter ad 4. Exod. ad mores, *ſanctus vir Deo, quouſque ei ſocium in legatione daret. Qui Principibus miniſtrant, ſocietatem abhorrent, nolentes conſortem habere, &, ſi detur, ægrè ferunt: non ſic autem miniſtri Dei.* Oleaſt. Diuinus probatur miniſter, dum precibus arciuit ſocium, qui omnem ſibi potuit dignitatis ambire plauſum: Deus dicitur, dum Aaroni fratri aſſociatur. Iam humanum eſſe conſortes moleſtiarum quærere, & participes laborum ambire arcanè docent illæ duæ ſorores Chriſti Domini hoſpitio nobilitatæ.

122\. Domum Marthæ ingreditur Chriſtus vrbaniſſimè excipitur, & à ſororibus officijs digniſſimis honoratur. Luc. 10. v. 39. Sedebat Maria alloquij ſuauiſſimi dulcedine paſta, ſatagebat Martha, vt paſceret Dominum, nimis ſolicita: Maria ſedens ſecus pedes Domini audiebat verbum illius; Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium Quid tunc? Martha queritur, & Mariam ad laboris appellat moleſtias: *Domine non eſt tibi curæ quòd ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? Dic ergo illi, vt me adiuuet.* Expende quæſo Mariam non vocaſſe Martham ad ſeſſionis delicias Certè quælibet arctius erat ſoror; verùm ad noſtrã eruditionem Maria dum ſedet, fraternitatis videtur oblita, conſanguinitatis memor ad labores refertur Martha. Ecqua huius diſcriminis cauſa eſt? Certè hæc arcanioribus myſterijs noſcuntur ſeruire; ſed liceat ſpecie tenus humanis motibus applicare: Maria ſedet, Martha laborat: ergo ad laboris leuamen Martha ſoror eſt Mariæ; ad otij verò fructum Maria ſoror non dicitur Marthæ, de Martha agens textus ait: *Et huic erat ſoror nomine Maria* quaſi Maria omnem conſanguinitatem exuerit Chriſto adhærens; & otio vtiliſſimo vtens: Martha conſanguinitatis ius allegauit ad moleſtias releuandas, curaſq; molliendas, non Maria ad delicias communicandas. Innuit Auguſt apud D. Thom. *Laborabat iſta, vacabat illa, verumtamen Martha laborans multum in illa occupatione & negotio miniſtrandi interpellauit Dominum, & de ſorore conqueſta eſt.* Aug. Ecce Martha ſola nõ vult ſolicito defatigari labore, cùm Maria ſororem non interpellet, vt fruatur placidiſſima requie O quoties quod hic myſterio, ſine myſterio contingit! Conſanguinei, cognati, familiares, amici amicos vocant & conſanguineos, ſi premant dura, ſi diuexent moleſta, cum obliuiſcantur ſæpè, dum accidunt fauſta, dum contingunt iucunda.

Hoc probat diues ille, qui cùm ridenti vteretur fortuna, Lazarum ſibi proximum, vt præberet micam, non vidit; & tamen ferè immenſo ſpatio diſſitum clamoribus exertis vocauit: 123. *Mitte Lazarum.* Ad quid? Iam explicat: Luc. 16. v. 24. *Vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam quia crucior in hac flamma*: Voluptatibus circumfuſus, & blandienti fortuna ſuperbus non vidit Lazarum Abrahami filium, & modò cognationis allegat titulũ, vt Lazarus, inuolarit ad refrigerium: *Pater Abraham.* Quàm bene Chryſol ſerm. 66. *Modò rogas, modò tibi tempus patiendi eſt.* Dum patiendi eſt tempus cognationis allegat titulos, pulſat pietatem, interpellat cognationem; at dum erat fruendi diuitijs tempus, nec Abrahamum agnouit parentem, nec Lazarum fratrem: Modo cognoſcis patrem, addit Chryſoleg. ſerm. 122. & modò tibi patrem ſe eſſe neſcit, quem in Lazaro patrem ſic ſpreuiſti. Chryſolog. Expende illud: *Modò agnoſcis patrem*: ac ſi dicat: Dum affligeris, dum cruciaris, dum aduteris, nondum diſſerta vtebaris menſa, & fortuna opulentiſſima. Lazarus Abrahami filius non erat frater, vt opiparam vocaretur ad menſam, & erat frater, vt ardentiſſimam ſopiret flammam

---

§. XXVIII.

Laude adæquè videtur dignum pœnis malos afficere, & templa muneribus exornare

GEnus pietatis eſt, ſcribit Caſſiodorus 2. var. 14 *in illos diſtringere, qui contra naturæ ordinem ſceleratis ſe docentur actionibus miſcuiſſe.* Vbi negligitur reatus, nullus legum poterit reperiri concentus, vtque ratio Numinis iram oblatis templo muneribus placandam edocet; ſic etiam ad trucem hominis, & ſanguinolentam iram ſupplicio comprimendam impellit: impios euadere pœnas non permittit humanitas, aliter huius contagij peſte omnis Reipublicæ citò marceſcet ſalubritas. Quis poſſit viuere, vbi licitum eſt hominibus crudelitatem ac rapinam in homines exercere? Pietatem oblata templo teſtantur munera, & pietatem inflicta peſſimis teſtantur etiam ſupplicia. Pro religione certauit, qui prauitatem coërcuit aliter

Digitized by Google

aliter omnia ſordeſcent confuſa, & vileſcent conſtuprata. *Puta*, aiebat Seneca lib. 1. de clementia cap. 16. *tutam eſſe crudelitatem, quale eius regnum eſt? Non aliud quàm captarum vrbium forma, & terribilis facies publici metus: omnia mœſta, turbida, & confuſa.* Virtutes ipſæ, ſi iniquitas dominetur, timentur; & vbi impunè degit ſæuitia, exulat penitus innocentia. *Quæ alia vita eſſet*, addit Stoicus ibi, *ſi leones, vrſique regnarent, ſi ſerpentibus in nos, ac noxiiſſimo cuique animali daretur poteſtas?* Vt maximè de Republica benemeretur, qui monſtra extinguit, qui ſerpentes venenatos abigit; ita magna in Rempublicam beneficia confert, qui iure noxios homines, ac venenatos expellit. Rabies hæc improbitatis cædes ſuſpirat, in hominum exitia ſerpit, & ſolùm nocere ſapit: vt ara oblatis muneribus diues Deum hominibus propitium reddit, ita effuſus peruerſorum hominum ſanguis Numen placat, & beneficia grandiora impetrat. Ecce Iudas armatur in Chananæos, & in Bezec decem millia impiorum occidit: *Aſcendit Iudas, & tradidit Dominus Chananæum ac Phereʒæum in manus eorum, & percuſſerunt in Beʒec decem millia virorum.* Hugo Cardinalis locum interpretatus, locum hunc confert cum illo 1. Machab. 12. vbi etiam Iudas duodecim millia drachmarum argenti templo remiſit ſacrificium pro peccatis mortuorum: *Facta collatione duodecim millia drachmas argenti miſit Ieroſolymam offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium:* atque conſimili pietate præditos, & virtute ornatos: *Percuſſerunt in Beʒec ciuitate decem millia virorum. Similis modus loquendi 2. Machab. 12. Miſit Ieroſolymas duodecim millia drachmas argenti.* Non differt Iudas, dum Chananæos, Pherezæoſque in Bezec trucidat, à Iuda, dum muneribus templum exornat: quod enim gratius ac pulchrius Deo munus, quàm impius cruci ſuffixus, & pia ſæuitia patibulatus. Simili ergo modo ſcriptura loquitur ad Iudæ elogium, cùm templo mittuntur drachmæ, & cum digniſſimæ irrogantur improbis pœnæ.

Seneca. — 1. Mach. 12. v. 43. — Hugo.

115. Expendebam aliquando Eliam magnum illum prophetem cæleſti flamma altari munus conſumendum obtuliſſe, & milites procaciter audentes, vita priuaſſe. Vt religionem fidemque ſanciret, munus altari offert, & cæleſti flamma abſumptum cælo remittit: *Cecidit ignis Domini, & vorauit holocauſtum.* Adeò Deus ſacrificium illud à fidei ſynceritate à puritate religionis oblatum videtur eſuriſſe, vt rapida ignis lingua ſæculis prodatur voraſſe. Tranſi modò cogitatione ad 4. Reg. 1. vbi improbos milites; & corruptis moribus peſtes ignis de cælo deſcendens auidiſſima lingua vorauit: *Deſcendit ignis de cælo, & deuorauit eum, & quinquaginta qui erant cum eo.* O violatum ſacrarum flammarum vſum! ſi dedecet prophano igne ad holocauſtum abſumendum vti, etiam dedecebit cæleſtem ignem ad ſupplicium profanum deſcendere. O quam infert Elias religioni iniuriam, dum eodem igne vtitur ad holocauſta ſacranda, & ad ſupplicia hominibus infligenda! Conſumantur milites flammis, ſed ab inferis euomitis, non cælitus miſſis: erit namque ignis cæleſtis nota ad tranſmittenda Olympo munera deſcendiſſe, & ad infligendas ſcæleſtis pœnas degeneraſſe. Imò non minus ignis ſacer eſt vſus, dum oblata altari depaſcit munera, & dum improbis ambit intuliſſe ſupplicia Elias cæleſti igne vtitur ad tormentum, & holocauſtum: quia nouerat religioſo holocauſto improborum exæquari tormentum. *Qui prophetam* ſcribit Theodoretus quæſt. 4. *accuſant crudelitatis, aduerſus Deum propheta linguam mouent: ipſe enim immiſit ignem: oportet enim ſcire ius diuina prouidentiæ, & quod iuſtè punit peccatores, & beneficio afficit ſuos cultores.* Subiecta attende: eſt autem perſpicuum eos quinquagenarios, & qui eis parebant conuenire cum ſcopo, & inſtituto eius, qui illos miſit. Idolatriæ ſtudebant: qui ergo holocauſtum obtulerat, ad religionem fulciendam flammis ſupernis conſumptum eodem modo in religionis defenſionem obtulit flammis aduſtum quinquagenarium: nec minor fuit Elias improbos exurendo: quàm altaria holocauſtis honorando. Adæquè cæleſtis probatur flamma, dum in virtutis auxilium militum punit audaciam, & dum verè ad religionis teſtimonium impoſitam aris abſumit hoſtiam.

3. Reg. 18. v. 38. — 4. Reg. 1. v. 10. — Theodor.

Magi illi, qui Domini incunabula muneribus honorarunt, Magorum nomen adhuc ſyderis candidiſſimi ductum ſequentes non amiſerunt. 116. *Ecce Magi ab oriente venerunt.* Referat Euangeliſta munera Domino obtuliſſe, taceat ſapientia incantatrice radiaſſe, quando hoc illorum obſcuraſſe videtur gloriam, & deuoti itineris imminuiſſe ſolertiam: referat dona, & taceat incantamenta. Imò, inquit Galfridus in allegor. Tilmani, Magos vocat, vt cumulatiùs allaudet: hoc namque nomine ſerpentum incantatores deſignabantur, illi ſcilicet, qui noxia illa animalia carminibus abigebant, & euitabant. Audi Galfridum: *Magi dicuntur ſerpentium incantatores: quia illi benè diabolum incantant.* Satis non erat ad plenam Magorum laudem præſepi cæleſtis panis aræ obtuliſſe opulentiſſima dona, niſi in ſerpentes efficaciſſima cõponerent etiam incantamenta: vtrumque illorum exaggerabat elogium noxios ſerpentes incantationibus onetare, & innocentiſſimo agno munera lubenter offerre. Plena non reſplenderet laus, ſi ſolùm donis tuguriolum, quod tunc Domini templum erat, honoraſſent, nec noxios ſerpentes incantationibus abegiſſent; vtrumque tamen egregiè publicabat ſtrennos, ſerpentes ſcilicet venenatos reprimere, & Chriſti cunabula muneribus irrigare: ideò Euangeliſta nomen Magorum expreſſit: quia ad illorum commendationem vti donum pertinebat etiam incantamentum.

Matth. 2. v. 1. — Galfrid.

Deus componendis moribus doctrinam legalibus cæremoniis tradit, iubet duos hircos ſtatui, alterumque illorum nullo oneratum peccato pro populi offerri delicto, alterumque pluribus iniquitatibus onuſtum ad deſertorum pericula exterminari: *Duos hircos ſtare faciet coram Domino in oſtio tabernaculi teſtimonij.* Addit poſteà. *Cuius exierit ſors Domino, offeret illum.* Hircus peccatis non oneratus offertur templo; oneratus tamen periculo: *Poſita vtraque manu ſuper caput eius, confiteatur omnes iniquitates filiorum Iſrael, & vniuerſa delicta, atque peccata eorum, quæ imprecans capiti eius emittet illum per hominem paratum in deſertum.* Lyra tradit hircum illum peccatorem figuraſſe: ideóque pœnam iuſtiſſimam pertuliſſe: *Rogabat Dominum* (ſacerdos ſcilicet) *vt pœnam debitam pro illis peccatis vellet transferre in hircum illum, qui emittebatur in deſertum, vt ibi relinqueretur à feris* 117.

Leuit. 16. v. 9. — Lyra.

de

deuorandus pro hominibus morte dignis pro ſuis peccatis. Vtrumque ſacerdotis dignitatem commendabat, & obtuliſſe altaribus ſacrificium, & peccatis onuſtum feris tradidiſſe deuorandum: munus nobilitauit, cùm vtrumque ritè peregit, cùm feris ſcilicet tradidit dignum, & honorauit
Theodor. victimis templum: *Hæc*, aiebat Theodoretus quæſt. 22. *prænuntiant terra ſalutem* O quàm integra ſalute vtebatur tellus, vbi flagitioſus mulctabatur exilio, & Dei altare fumabat puro holocauſto.

128. Virgam Aaron iubet Deus floribus vernantem dilatatis foliis perpulchram, & fructibus ſaporatam tabernaculo cuſtodiri, vt ibi diuino conſecrentur flores honori, folia dicentur cul-
Numer. 17. v. 10. tui, fructus maieſtati: *Refer virgam Aaron in tabernaculum teſtimonij:* Virga illa apertiſſimè Aaronis dignitatem vulgabat, & querelas inuidorum etiam arcebat: *Vt ſeruetur ibi in ſignum rebellium filiorum Iſrael, & quieſcant querelæ eorum à me.* Non poterat Aaron dignus non apparere laude, quando hanc producebat virgam pro teſte: videamus, ſi placet, qualiter hæc virga ſe geſſerit. In ſerpentem animata Magorum virgas curiæ mendacia abliguriuit, & honeſta
Exod. 7. v. 12. voracitate deleuit: *Deuorauit virga Aaron virgas eorum.* Sacerdotalis, imperioque digna proditur, dum templo producit munera, & depellit incantamenta: adæquè glorioſum virgæ fuit dulces fructus, venuſta folia, gratiſſimos floſculos templi maieſtati ſacrari, & artificioſos ac mendaces ſerpentes ſæuitia religioſa diſcerpere: non erat inferius elogium hoſtili ſanguine tingi, ac vnici Numinis cultui vernare: virgæ cumulabant gloriam & templo oblata, & Ægypto
Lyra. diſcerpta. *Moraliter*, ſcribit Lyra, *virga, quæ eſt ſignum dominij & correctionis, ſignificat bonum prælatum, in quo eſt poteſtas regendi, atque etiam corrigendi.* Nondum integro micabat virgæ huius ſplendore poteſtas, quouſque & templo protulit dona, & ſerpentibus ſupplicia. Virga vocatur Aaron, dum deuorat: nam *deuorauit*, inquit, *virga Aaron virgas eorum:* & nomen idem cuſtodit, dum floſculos templo dicat: eſt enim adæquè glorioſum & dignum altaria honorare oblatis, & peccata coercuiſſe ſuppliciis.

§. XXIX.

Potentiores ſua ſe potentia tuentur, infirmiores vel ob leuiora acriùs peccata puniuntur.

129. QVod infimos ſæpè grauat, potentiores non ſemel releuat, vt inde illis proueniat lucrum, vnde cæteris oriri conſtat familiaris rei detrimentum. Soluit pauper exactiones pro diuite, & qui tenuem habere reperitur ſubſtantiam, cogitur maiorem pendere copiam: *Pro-*
Caſſiod. *uincialium noſtrorum*, aiebat Caſſiodor. 5. var. 14. *ſæpiùs querela comperimus poſſeſſores idoneos ſua- uia non ſolùm caſarum ſuarum tributariam functionem in tenuem reliquiſſe fortunam; verum etiam ſcelerato commercio aliquid exinde ſuis poſſet applicari vtilitatibus, vt functio publica commoditas ſit priuata.* Quod diuitibus, ſi generalis ſeruaretur æquitatis norma, videbatur afferre diſpendium, ſolet non ſemel parere artibus iniuſtiſſimis commodum. Addit Caſſiodor. *Quid tam abſurdum, niſi vt liberalitas noſtra, quam vniuerſis proficere volumus, nunc à paucis furtiuo commercio opprimatur? Iudices quoque Prouinciæ vel curiales atque defenſores tam de curſu, quàm de aliis rebus illicita dicuntur poſſeſſoribus irrogare diſpendia* Profectò obſcuris, tenuibuſque irrogantur diſpendia, vt lautiora magnatibus reſultauerint commoda: & certè idem contingit in ſcelerum punitione: leue plebeij peccatum morte non ſemel punitur, cùm flagitium potentis leuiſſimè perſtringatur. Hebræorum populus arma capit in Chananæos, hoſtes armantur, Adonibezec copias producit in campum, & armatas militum phalangas opponit Hebræorum ſtudio. Quid tunc? *Percuſſerunt in Bezec decem millia virorum:* tot copiis occiſis Adonibezec fugientem inſequuntur, & comprehenſi manuum ac pedum ſummitates præcidunt: *Fugit Adonibezec, quem perſecuti comprehenderunt caſis ſummitatibus manuum eius ac pedum.* Statim oculis ſe ingerit difficultas: cur Adonibezec tam perſtrictim cæditur, ſi tot virorum numerus trucidatur? Certè milites non ſemel prodeunt in campum coacti, & arma ſumunt in aduerſarios inuiti, at Adonibezec & mercede milites armat, & lautiſſimis ſtipendiis ſubornat: ergo hic præ ceteris erat mulctandus, & ſuppliciis ſæuioribus afficiendus? cur ergo manus tantummodò præciditur ſummitas, ſi aliorum audax morte punitur temeritas? Ea ſe mihi diſcriminis offert ratio, ſcilicet Adonibezec nobilitate, & dignitate fulgere; reliquos verò numerum tantùm efficere. *Adonibezec*, inquit Gloſſa.
Gloſſa moralis, *interpretatur Dominus fulguris.* Qui fulgebat, leuiter perſtringitur, etſi reliquos audacia ſupergreſſus, & populum infeſtauit armatus: *Cognouerunt eum fugiſſe*, ſcribit Abulenſ. Abulenſ.
quæſt. 6. *& perſecuti ſunt eum, ne iterum colligeret exercitum contra Iſraelitas, & infeſtaret eos caſis ſummitatibus manuum eius ac pedum:* Gregarius miles inuitè adductus occiditur, & certaminis auctor ſummitatibus manus mulctatur: quaſi illum ſua potentia tueatur, & reliquos diſcrimini obiiciat impotentia, & peccatum vel aliena incrementarit malitia. Et quidem quod arcanè hic & hiſtoricè, ſæpè contingere videas culpabiliter. Diuitis comprehenditur ſeruus Magnatis famulus, qui ſolum Dominum comitatus eſt, cùm deliquit, & hîc ſeuerè punitur, cùm ſceleris artifex & inuentor pœnis leuiſſimis perſtringatur. Adonibezec temeritatis pœnas ſummitatum ſuſtinet præciſionem, cùm alij mortem tulerint pœnam, & alienam perſoluerint morte audaciam.

Chriſtus Dominus quo humanæ ſalutis 130.
æſtuabat deſiderio non ſolum caſtella obibat; ſed vertices marinos tranabat, cumque ad Gerazenorum terram applicuiſſet, homo occurrit in ſpiritu immundo, qui nec compedibus vinciebatur, nec cæteris comprimebatur; imò ſi aliquando iniectæ detinebant catenæ, facillimè infregit, & quo libuit, pro arbitrio vagabatur:
Exeunti ei de naui ſtatim occurrit de monumentis Marc. 5. v. 2.
homo in ſpiritu immundo, qui domicilium habebat in monumentis, & neque catenis iam quiſquam poterat eum ligare. Conferamus, ſi placet, dæmoniacum hunc cum Petro: duabus catenis
vinciebatur morti iam proximus: *In ipſa nocte* Actor. 12. v. 6.
erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus. Apoſtolus vincitur, vt Herodes Iudæorum

Digitized by Google

Iudæorum Principibus adulетur, homo dæmonis hoſpitium catenis non poteſt vinciri, & nemo illum audet compedibus illigare: & quæ
Auguſt. huius ratio? Innuit Auguſt. apud D.Thomam: *Et intelligas*, inquit, *fuiſſe alicuius perſonæ clarioris*. Mortuos inquietat, viam infamat, viatores deterret dæmonis ſocius, & furiarum amicus; & tamen nullus ligare audet: quia nobilitatem quiſque, & potentiam timet. Petrus piſcator, Chriſti ſeruus in Iudæorum vincitur gratiam, dæmoniacus expeditus graditur in nobilitatis ac potentiæ reuerentiam. Herodis miniſtri non verentur Petrum catenis ſupprimere; at Geraſenorum miniſtri timent dæmoniaco nobili accedere: quantumuis dæmoniacus vitiorum ſit domicilium, catenas non ſuſtinebit, & quantumuis Petrus innocuus, vincula patietur, ſi egenus. Non ſemel vidi homines iuſtos inſonteſque ſeuerè puniri, cùm Magnates ob ſcelera grauiſſima contingat nec leuiter caſtigari.

131. Pulchro ſanè ænigmate hoc indicaſſe nobis Scriptura videtur. Vidit Ioannes in illo ſuo Patmos ſeceſſu librum ſigillis obſignatum, & induſtriæ humanæ prorſus abſconſum: ardens piæ curioſitatis deſiderium copioſas exciuit lachrymas, fletus promiſſiones meruit lætiſſimas:
Apocal. 5. v. 5. *Ecce vicit leo* (Ioannes ſenex alloquitur) *de tribu Iuda radix Dauid aperire librum, & ſoluere ſeptem ſignacula eius*. Audis leonem triumphis redimiendum, & exuuiis hoſtilibus coronādum. Hic ipſe leo ſub agni ſpecie videtur iam non triumphis fulgidus, ſed inflictis vulneribus laceratus: *Vidi agnum ſtantem tamquam occiſum, & venit, & accepit de dextera ſedentis librum*. Iam pungit ſcrupulus: ſi idem eſt agnus & leo, cur leo apparet glorioſus, cùm appareat agnus occiſus? Certè eadem cauſa, quæ leonis adauxerat famam, conſeruare agni debuiſſet vitam, aut quæ agno dolores ſuaſit infligere, & leoni ſuadebat inferre; & tamen leo partis emicat triumphis, & inflictis agnus ſordeſcit plagis. Ecqua huius ratio? Sanè ad noſtram eruditionem aptiſſima. Eadem cauſa agnum & leonem conſtringit: nam idem & leo & agnus; verùm vt agnoueris quàm ſe potentia tueatur, quámque calamitati ſubiaceat inopia, dum leo, triumphat il-
Richard. lus; dum agnus, patitur laceratus. Innuit Richardus Victorinus p. 2. in Apocal. lib. 2. cap. 3. *Magna eſt differentia inter leonem & agnum: leo eſt magnus: agnus eſt paruus*. Profectò eadem ratio, quæ triumphos leoni peperit, agno etiam comparabat, aut quæ agno infligenda vulnera conſuluit, & leoni etiam ſuaſit; aſt dum leo oſtentat potentiam, nullam ſuſtinere dicitur plagam; agnus verò, dum paruus, dum humilis, dum exiguus, plagis ſubiicitur, & doloribus afflictatur. O nimis verum! ratio eadem non ſemel inopem ac potentem, leonem, agnumque legi ac punitioni ſubiicit; leo tamen terrorem iucutiens ſuo ſe ſupercilio defendit, & agnus pro vtroque pœnas acerbiſſimas ſubit. O quàm ſæpè innocuus agnus punitur, cum leo audax & nocentiſſimus nullis legibus teneatur. Leo eſt magnus, agnus eſt paruus: ecquis ergo audeat in leonem rapacibus vnguibus obarmatum, & natiua ferocitate munitum? Ad agnum recurrunt plagæ, & legum implentur pœnæ.

132. Arcana etiam hiſtoria miris hoc nobis depinxit coloribus Scripturæ: in Ægyptum tendenti Moyſi Angelus occurrit ſtricto gladio mortem minitatus: *Cùm eſſet in itinere in diuerſorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum*. Exod. 4. v. 14. Huius indignationis cauſam aperte Sephora oſtendit, dum vt auerteret iram, recèns nati præputium petra acutiſſima circumcidit: *Tulit igitur Sephora acutiſſimam petram, & circumcidit præputium filij ſui, tetigitque pedes eius, & ait: ſponſus ſanguinum tu mihi es*. Itaque puer & Moyſes cauſa ſimili tenebantur: puer, quia præputij opprobrium non exuerat, Moyſes, quia legem circumciſionis non obſeruarat; & tamen nullum ſanguinem Moyſes emiſit; ſed puer inflicto vulnere diſtillauit. O quàm omnia myſteriis plena, & erudiendis hominibus opportuna! Nulla profectò in Angelo adulationis, aut acceptionis perſonarum eſt vmbra; noſtros tamen mores hac nobis depinxit hiſtoria. Moyſes vtpotè virga imperiali obarmatus, vtpotè Deus Pharaonis electus, etſi eamdem cum puero ſuſtineat cauſam, non patitur communem pœnam. Magnus vulnus non tulit, puer vulneris
Theodor. dolores perpeſſus eſt. *Vxor Moyſis*, ſcribit Theodoretus quæſt. 4. *arbitrabatur ob id factum eſſe, quia puerorum alter non eſſet circumciſus ſecundum legem Hebræorum, vnde protinus eum circumcidit*. Itaque violata lex erat in cauſa, vt ſtringeretur gladius; ſed cùm Moyſes admiſiſſet culpam, & indignationis puer in carne geſtaret cauſam, hic ſolus doloris perpeſſus eſt detrimenta, Moyſes minarum ſuſtinuit ſolùm pericula. Huc voco quod aiebat Baſilius Seleucienſ. Seleucienſ. orat. 26 *Comprehenſa virga clementiis imperabat*. Virga obarmatus pœnali mulctatione nullatenus luget punitus, & quamuis, vt filium culpa, parentem culpabilis ſubiecerit legi ignauia, omnia pueri ſanguine remanſere compoſita, & ira gladij placata. Hac, vt dicebam nuper, hiſtoria, quod ſæpè ſæpiùs accidit, eleganti penicillo depictum eſt: ſolet namque Magnatem & paruulum culpa ſimilis coinquinare: lex quæritur, gladius ſtringitur, iudex iraſcitur; ſed emiſſo paruuli ſanguine omnia componuntur, & excuſato diuitis dolore placantur, vt vera ſit noſtra theſis, potentiores ſcilicet ſua ſe potentia tueri; humiliores verò placandis legum iniuriis dicari.

§. XXX.

Qui in egeſtate nititur refulgere, non poterit non peccare.

PRudentis eſt adaptari fortunæ: nam qui ad- 133.
uerſus ſortem extollitur, contrarius virtutibus inuenitur. Fulgeat ſplendenti murice, qui prædiuiti ditatur cenſu; ſed pauper communi contentus viuat ornatu. Qui ſortem ſuam ſupergredi, & fortuna exambit contradicente micare, neceſſum eſt vt ſcelerum ſuppleat induſtria, quod habere vetuit inopia. In dracones virgæ ſunt aliquando conuerſæ; verùm omnipotentiæ miraculo, aut magico, & improbando artificio. Dum vitulus proſcindendis glebis natus auro micante refulget, & elatum thronum ſuperbè poſſidet, gliſcit ſacrilega idololatria, & dæmonis, vt placet pluribus artificioſa apparet induſtria. Aurum in ignem proiicitur, & vitulus aureus conflatur: *Egreſſus eſt*, inquit Aaron, *hic vitulus*. Exod. 32. v. 24. Dæmonis quidem opera hoc accidiſſe tradunt nonnulli: ita Lyra: *Opere diaboli for-* Lyra.

matus

Digitized by Google

natus eſt inde vitulus. Et quomodò aliter fieri poſſet, vt natus iugo fulgeret throno? vt diteſceret auro, qui proſcindendis glebis natus eſt ferro? Ecce Adonibezec exercitus copioſos contra Dei populum parat in Bezec: occiſorum numerus quantus fuerit, ignorari non permittit exercitus. *Percuſſerunt in Bezec decem millia virorum.* Et cur exprimatur locus, quando ſæpius ſilentio tegitur, & ſtudio prætermittitur? [Hugo.] Quia *Bezec*, inquit Hugo Charenſis, *interpretatur fulgur vel egeſtas.* Ecce vbi Dei populo contradicitur, in egeſtate fulgida: & quomodò poterat in virtutes egeſtas arma non mouere, quæ deſiderabat micare? Qui paupertate viuit contentus, & virtutibus obſequitur temperatus; at inops dum Magnatum affectat pompam, ſcelerum cogitur corde excepiſſe cateruam.

134. Ita ab exordio effrænis debacchabatur laſciuia, vt nullis legibus comprimeretur; imò fœminis, quibus innata eſſe debuiſſet modeſtia, maior quàm viris ac frequentior erat procacia: [Gen. 6. v. 2.] *Videntes filij Dei filias hominum quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus, quas elegerant.* Appellationis diuerſitas grande nobis prodit arcanum: nam cùm ex vno homine omne genus diſſeminatum ſit, aut viri filij hominum fuerant dicendi, aut fœminæ Dei progenies appellandæ; & tamen Scriptura inducta diuerſitate vocabuli differentiam oſtendit etiam myſterij. Baſilius Seleucienſis orat. 6. ait filias vocari hominum quæ ex Caino fœminæ deſcendebant, quæque illius erant maledictionis hæredes, vt ſimiles patris moribus fouere Scriptura notarit mores: non ſolùm ait ex Caino filias fuiſſe pulchras; ſed & pulchritudinis adaugendæ florido cultu, ac pompatico ornatu ſtudioſas, ac per conſequens libidini addictas, & luxuriæ dedicatas: [Seleucien.] *Sethi poſteri partem adepti meliorem & appellatione honorati, & paternæ benedictionis hæredes filias ex Caini poſteritate formoſas conſpicati ſplendidas, & ornatu florentes, ſeruamque libidini rationem tradentes diuina calcant edicta.* Itaque ſacer textus pulchras & ornatas innuit, quo libidini rationem tradentes proderet; verùm quid intereſt pompa floreant, ornatu fulgeant, vt modeſtiæ inimicæ prodantur, & luxuriæ addictæ notentur: quando mulier illa fortis purpura induebatur & byſſo, quin caſtitati pompaticus ſumptus contrairet, aut modeſtiam cultus ſplendidus oppugnaret? O amabo te altiùs expende quali pœna mulctatus fuerit illarum pater Cainus. Poſtquam fraterno ſanguine dextram polluit, terramque fœdauit, terræ fructibus priuatur, & extremæ inopiæ addicitur: [Gen. 4. v. 12.] *Cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus ſuos: vagus & profugus eris ſuper terram.* Ergo vt Scriptura cæleſti eloquentia fœminas has impudicas prodat, Caini appellat filias, & ornatu profert ſplendidas. Et quomodò aliter eſſe potuiſſet, vt filiæ hominis diuitiis omnibus interdicti, & omni poſſeſſione mulctati fulgerent murice, micarent byſſo, & pretioſo excolerentur ornatu? Certè exigebant ab impudicitia quod nequibant accipere ex paterna ſubſtantia: hominis, non Dei appellantur filiæ, dum florido fulgent veſtitu, dum pretioſiori exornantur cultu: nec enim eſſe poterat, vt Dei exiſterent filiæ, quæ paupertate preſſæ, & culta veſte pompaticæ. *Paternæ benedictionis hæredes filias ex Caini poſteritate formoſas conſpicati ſplendidas, & ornatu florentes, ſeruamque libidini rationem tradentes diuina calcant edicta.* Seruam libidini rationem tradunt, quæ nullis paternis cenſibus ditatæ, & florenti ornatu excultæ.

Populus ille ſic patrios adulterauit mores, vt 135.
obcæcatus idololatriæ miſerrimas occaſiones ambiret: degebat Moyſes apud Sinæum cum Deo de lege diſſerens, quando tam neceſſariæ abſentiæ impatiens deos ſibi procudi flagitat, Aaronemque moras de induſtria trahentem exerto clamore adurget: aurum colligit, ex quo in ignem proiecto conflatur vitulus, qui auctores cornu impetat, & imperitos diſcerpat. O quàm diuitiarum diſpendiis ſua peccatores fouent pericula, & moliuntur ambitioſiſſimè detrimenta! Populus manſit nudatus: [Exod. 32. v. 25.] *Videns Moyſes populum quòd eſſet nudatus:* & aurum, quod olim fugientes pondere retardarat poſſeſſum, modò diſcrimini tradit iniquiſſimè diſpenſatum. Itaque populus propter ignominiam ſordis iam auro denudatur, & diſpoliatus inopia premitur. Quid tunc? Studioſe iubet Dominus ornatum deponere, & glorioſas pannoſis veſtibus commutare. [Exod. 33. v. 5.] *Dixitque Dominus ad Moyſem: loquere filiis Iſrael: Populus duræ ceruicis es: ſemel aſcendam in medio tui, & delebo te: iam nunc depone ornatum tuum.* Qui olim abiici non iubebatur ornatus, deponi modò præcipitur cultus, & quid intereſt antiqua pompa refulſerint, aut ſe veſtibus pretioſis ornarint? Plurimum ſanè: in primis quia quem ſe corde dolorem geſtare aſſerebant indigebat ad complementum externis notis, & publicis mœſtitiæ ſignis; ſed etiam vt vlterioribus culpis præcideretur occaſio: nec enim reſipiſcere facile fuerit, ſi diuitiis prorſus nudi ornatu incedant ſplendidi. Certè glorioſas veſtes ſine cenſu, ſine diuitiiſque gerere, non exigua crimina perſuadebat; imò ad errores frequentiſſimos incitabat. Ergo Deus glorioſas veſtes rationabili iubet præcepto deponi: aliter namque arduum eſſet medelam peccati amplecti, & criminis occaſionem præcidi: [Lippom.] *Nunc igitur*, ſcribit Lippomanus, *deponite veſtes gloriarum veſtrarum, & ornatum, & oſtendam tibi quæ faciam tibi: quorum, vt videtur, mens eſt, ornatum hunc, quem deponere iubetur populus, veſtis eſſe lætitiæ.* [Chaldaica.] Conſonat Chaldaica inquiens: *Et nunc aufer ornatum cultus tui à te.* Ad pœnitentiam impellit, adeóque floridus corporis ornatus, ſi inopia premat, virtuti inuenitur contrarius, vt ni populus lugeat exutus, nullatenus ad recipiendam videatur pœnitentiam diſpoſitus. [Lippom.] *Cæterum*, addit Lippomanus, *quia Deus his minis vocat Iſraelitas non ad internecionem, ſed ad pœnitentiam; ideò iubet eos declarare pœnitentiam externis argumentis, vt conſpicuum fiat eos agnoſcere peccatum ſuum, & dolere propter impietatem.* De perpetratis culpis dolere nequibunt; imò nouas præteritis culpas addent, ni auro iam nudi, & glorioſo ornatu denudentur priuati: veſtis namque glorioſa eſſet magnum ſceleris incentiuum, & ne ſorderet corporis ornamentum infame ambiret lucrum: in egeſtate fulgens inimicitias cum virtute probatur gerere, & vitia ad nutriendam pompam amare.

Elias Sareptam adit, vtque ſupplicium augeat, 136.
Hebræos relinquit: viduæ hoſpitium intrat ad itineriſque ſolatium panem efflagitat: illa, ne pietati videretur contraria, videri maluit paupercula: [3. Reg. 17. v. 12.] *Viuit Dominus Deus tuus: quia non*

habeo

habeo panem, niſi quantum pugillus capere poteſt farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho: non erubuſit fateri inopiam, ſed doluit non poſſe prophetæ famelico attuliſſe medelam. Quid tunc Elias? *Hæc, ait, dicit Dominus Deus Iſraël: Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur.* O auarum ad ſpeciem prophetam! Dei potentia tibi commiſſa eſt, & cùm grande viduæ, etſi non de quantitate, de tempore ſaltem obſequium generoſè poſſes remunerare, ipſam Dei liberalitatem probatis reſtringere. Nónne ſatius eſſet panis copiam promittere, & copioſos olei fontes largiri? Cur tantummodò naturæ indigentiæ accommodas dona, & famis ſolùm depellis promiſſione pericula? Si farinæ in hydria vitare potes defectum, & copioſum ab hydria demeti efficere poteris fructum: ergo tuæ liberalitati non detrahas munera contrahendo; ſed glorioſè adulare generoſitati ampliando. Sponde olei fontem, & panis de copia vilitatem. O prophetæ ſapientiam! Ne ſuſpectum redderetur miraculum, noluit lautiori vti menſa, quæ nuper vidua premebatur inopia. Satis eſt pane non carere, ne opinionem læderet exundare: farinæ pugillus creſcit miraculo ad vitæ ſuſtentationem, & forſan miraculi fides dehoneſtaretur, ſi ad pompæ creſceret vanitatem. Si viduæ domus heri alimentis prorſus vacua, in rerum articulo adeò vrgenti panis exundaret copia, oleique diteſceret abundantia, vitaſſet ſanè piaculum, nequiret tamen propulſare ſuſpicionis audaciſſimæ detrimentum. Ergo propheta panis propulſat defectum, vt piæ mulieris conſuluerit vitæ: & donum intra modum continet, vt prouiderit etiam famæ: *Quantum dies poſcebat*, ſcribit Baſilius
Seleucienſ. Seleucienſis orat. 11. *tantum hydria ſuppeditabat.* Hydria ſuppeditabat indigentiæ remedium, vt agnoſceretur miraculum: generaret namque non modicam ſuſpicionem, ſi vidua, cuius heri tota ſubſtantia erat contenta pugillo farinæ, hodie delicatis cibis, & differta vteretur menſa. Viuat de miraculo; ſed non ſplendeat de ſumptu: nam vbi ad alendam vitam eſt neceſſarium miraculum, exundare diuitiis, lautaque ſupellectili fulgere, famæ neceſſum eſt attulerit detrimentum. In Bezec in Dei populũ armatur exercitus: quia ibi egeſtas premit, & ſplẽdor oculos paſcit.

137. Signum magnum apparuit in cælo, mulier ſcilicet ſolaribus radiis induta, variis lunæ luminibus calceata, ac tremulis ſyderum fulgoribus redimita; verùm vt inconſtans eſt ſemper fortuna, vel Lunam calcans vices patitur, & ſerpentinos actus experitur: quid tunc? In deſertum fu-
Apocal. 12. v. 14. git alata, quò ſerpentina fruſtretur aſtutia: *Datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum locum, vbi alitur per tempus & tempora, & dimidium temporis à facie ſerpentis* Quid tunc? Serpens flumen ore euomitit, vt mulierem traheret; ſed terra ſuppetias tulit alatæ fœminæ, & ſerpentinæ actus deluſit audaciæ: *Miſit ſerpens ex ore ſuo poſt mulierem aquam tamquam flumen, vt eam faceret trahi à flumine: & adiuuit terra mulierem* Duo hic nobis expendenda occurrunt: Cur mulier deſertum petens ſolares ſecum non tulerit radios, ſed ſe nudarit luminoſa illa pompa, & venuſtate ſyderea: in cælo namque ſolum apparuiſſe ſole veſtitam teſtatur Ioannes: *Signum magnum*, inquit, *apparuit in cælo mulier amicta ſole.* In cælo ſole amicitur, in deſerto ſole nudatur. Ecqua huius diuerſitatis eſt cauſa? Ipſa profe-
ctò

ctò loca indicauere myſteria: cælum eſt luminum regio, vbi copioſa ſplendorum meſſis, vbi exundant ſydera, vbi luminum paſſim inuenitur copia; at deſertum omnibus adeò caret, vt mulier alimentum quodammodò mutuetur: *Vbi alitur*, inquit: ergo vbi conſtabat de copia, non renuit mulier veſte exornari pompatica; aſt ne ſerpentis pateretur aſtum, in deſerto vti noluit veſte illa fulgida: *Hic dicit deſertum*, ſcribit Hugo: *quia ſolitudo excludit tumultum mundi, & non res, deſertum verò vtrumque.* In deſerto omnibus caret, ideò in deſerto ſe ſole non veſtit: pateret namque ſerpentis inſidiis, ſi omni ſubſtantia priuata, veſte adhuc micaret exculta. Iam, ſi placet, locum aliter expendamus: ſi in cælo ſerpentem fugit, quin præſtitum mulieri ante fugam referatur auxilium, cur exhibitum in deſerto auxilium refertur? Vbique ſerpens inſidiatur; imò acriores vti primi, in cælo referuntur adſultus: ergo ſi alienis ibi non indiguit ſuppetiis, cur alienis in deſerto indigere prodatur auxiliis. *Et terra*, inquit, *adiuuit mulierem.* Fors quia mulier in deſerto, vbi carebat omnibus, variis magnæ aquilæ ornabatur plumis: Datæ ſunt ei inquit duæ alæ aquilæ magnæ: dum cælo fulget ſole potita, non adeò magnum diſcrimen ſuſtinet, quàm dum plena plumis & varietate refertur: vbi rerum omnium exigentia deſcribitur, illi opus eſt auxilio, & quidem ingenti: eſt namque perdifficile ſerpenti non parere, & in deſerto cultiori ornatu
micare: *Omnes electi*, addit Hugo, *qui in fide ſtabiles ac perfecti adhuc viuunt, in pugna orationibus ſuis à tribulationibus Eccleſiam liberarunt* Dum mulier plumis ornata refertur, ad vincendam pugnam perfectorum orationibus adiuuatur: nec enim adeò arduum erat in prædiuiti luminum regione ornatu fulgere, & ſerpentis aſtum vitare; at erat arduum in deſerto pompaticè viuere, & inſidioſas ſerpentis artes fruſtrari. Hugo.

§. XXXI.

Regia obſcuratur dignitas, ſi beſtile illam temerauerit ferrum, aut quid eius ceſſerit in ſpolium.

Regia dignitas eò ſemper illæſa debet ſplendore radiare, vt inuidiæ etiam audacem 138.
poſſit ſuſpicionem comprimere: quod inimica aliquando manu conſtat violatum, intactæ amiſit puritatis elogium: diſcrimini ſubiacuiſſe, regiam temerat dignitatem, & approximaſſe tenebris obnubilat ſplendorem. Adamus vbi inimici fraudulentas inſidias pertulit, à dignitatis faſtigio detruſus terram ruſticanus excoluit. *Pellitus*
aiebat Tertullianus de pallio c. 3. *orbi vt metallo* Tertullian.
datur. Et cur vti ſeruus orbi amandetur pellitus, qui Regia paulò antè dignitate luxerat exornatus? Reddit iam rationem Septimius: *Quippe*, inquit, *deliquerat.* Dæmon ſerpentis facie perſonatus ſuo iam ſubiugarat imperio: ergo dignitatis amiſit gloriam, dum captiuitatis intrat catenam. Adonibezec rex vita non mulctatur, ſed ſummitas manuum eius præciditur: *Fugit Adonibezec quem perſecuti comprehenderunt cæſis ſummitatibus manuum eius ac pedum.* Vita non priuarunt; ſed dum quid in regem ferro licuit hoſtili, non ſolum dignitas eſt ſplendore viduata; ſed amiſſa. Caietanus putat ea inciſione inutilem adeò redditum, vt iam nec ignominiam poſſet æternam excutere, nec regalem honorem recuperare.

Digitized by Google

Caietan. *Ex inciſione manus reddebatur tam impotens, vt ferè ad nihil valeret.* Parum abſtulit inimicus; verùm dum quid defuit perfectioni, totum regale decus ablatum eſt dignitati: ferè ad nihil iam valebat, quem hoſtile aliquando ferrum pertuliſſe conſtabat. Hinc cælorum Reginam à primæuo originis inſtanti gratiæ puritate illuxiſſe mihi perſuadeo, perſuadeboque, ne Regia eius dignitas, dum hoſtili ferro temeratur, & regio prorſus viduaretur decore, & viduata ſordeſceret maieſtate.

139. Ezechiel.17. v.3. Ezechiel propheta, vt populi captiuitatem arcano prænuntiaret ænigmate, aiebat: *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis, & varietate venit ad Libanum, & tulit medullam cedri, ſummitatem frondium eius auulſit.* Non retulit frondibus prorſus denudatam cedrum; imò nec frondes ipſas omnino retulit laceratas; ſed frondium ſummitatem auulſam; at ſatis fuit, vt egregia dignitate Rempublicam illam denuntiaret priuandam, vel frondium ſummitatem prædixiſſe vngue inimico auellendam: Lyra. *Summitatem frondium,* ſcribit Lyra, *id eſt, Ieconiam regem, Principes, & perſonas notabiles, in quibus cepit pretioſa, quæ reperit.* Dum cedri præciditur ſummitas, & regalis aufertur maieſtas: ſatis fuit quid abſtuliſſe inimicum, vt cedrus captiuitatis ſubiret iugum. Theodoret. Theodoretus legit: *Summitatem vellicauit:* quaſi ſatis fuerit tantillum minuiſſe, vt regnum intelligeretur ablatum, & imperium prorſus amiſſum. *Regnum excepit,* ſcribit ſect. 6. de Iechonia, *& captiuitatem pertulit, & congruenter appoſuit illud vellicauit: quia aquilam appellauit plurimis vnguibus vtentem.* Ecce dum ſummitas refertur frondis vellicata, & corona fugit amiſſa: ſatis namque leuis eſt vnguis vellicatio ad infuſcandam maieſtatis gloriam, & honoris excellentiam. Ergo ſi aquila illa ſuperbia grandis leui vnguicula flores honoris & honeſtatis vellicaſſet, Maria Angelorum hominumque reginæ titulo caruiſſet. Ergo à primo inſtanti opus eſt fulgentiſſima ſanctitatis radiarit luce, vt regiæ dignitatis poſſederit titulum, & adimplerit elogium: non vnguem pertulit; imò nec periculo proximauit. Neſcio quam notam Chriſto Domino cenſerem ad ſpeciem inuſtam, ſi matrem vel vnico inſtanti quis dixerit maculatam. Profectò Chriſtus Dominus vtpotè ſanctitatis perennis fons, indefeſſuſque gratiæ theſaurus, omnis maculæ expers ſemper inueniretur; verùm ſi eius mater culpa obſcurata ſorderet, neſcio quid illi gloriæ deeſſet, aut ad ſpeciem notæ irrepſiſſet.

140. Iob 39.v.28. Iob de aquila illa ad præceptum Domini eleuata agens ſic aiebat: *In petris manet, & in præruptis ſilicibus commoratur, atque inacceſſis rupibus* Silices de internis flammis ſolent ſplendere; ſed hic videntur de ſciſſuris obſcurati. Et quæ duriſſimum ſilicem, inacceſſamque rupem ferire potuit ſciſſura, quando ad eius duritiem infirma ferri inuenitur acies, nec calybis pollent vires? Gregor. Diuus Gregorius, vt erat moraliſſimus, per inacceſſas rupes, & præruptos ſilices Angelicam intellexit naturam: *Qui enim ſunt,* inquit, lib. 31. moral. c. 19. *prærupti ſilices, niſi illi fortiſſimi Angelorum chori?* Verùm quæ Angelos denigrare poteſt ſciſſura? Certè ferrum vel duriſſimum aliquando ſilicem vulnerat; at nullus Angelorum gloriam næuus commaculat: ergo in præruptis ſilicibus non poſſunt Angeli deſignari, quando ſilices dehoneſtat ſciſſura, & Angelorum illæſa reſplendet gloria. O vide, amabo te: ſancti Angeli vel ingruente ambitionis procella, & furente ſuperbiæ audacia fixi ſolidiſſimæ ad inſtar petræ manſerunt: nullo tempeſtatis turbine commoti, nullis flatibus agitati; at dum proximos ſibi Angelos abſorbuit tempeſtatis naufragium, dum illis etiam minitabatur periculum, neſcio quam de diſcrimine pertulerunt ſciſſuram, & ſciſſuræ in adeò conſtanti natura notam. *Qui* (addit Gregorius) *quamuis non integri; ſed tamen in proprio ſtatu fixi cadente cum ſuis Angelis Diabolo remanſerunt. Prærupti enim ſunt; quia pars eorum cecidit, pars remanſit.* Pars prolapſa neſcio quam inuſſit conſtantiſſimæ parti notam, & intulit ſciſſuram, quia dum periculo fuiſſe ſubiectos de cadentium ſociorum ſtrage oſtendit, felicitatem tantiſper imminuit, & firmitudinis gloriam ad ſpeciem dehoneſtauit. Silices ſunt de inconcuſſa conſtantia; ſed prærupti de ſibi proximorum ruina. Ergo ſi Maria non tantùm Chriſto proxima; ſed mater piiſſima, eidemque naturæ communicans, teſtante Matthæo: *De qua natus eſt Ieſus,* originalis maculam contraxiſſet, aut lapſus diſcrimina toleraſſet, petræ firmiſſimæ neſcio quam incuteret ſciſſuram, & ſplendoris afferret maculam. Ergo ſi Chriſtus Dominus vtpote ſaxorum munimen nequit vulnerari, nec mater potuit periculum ſuſtinere, quando Angeli de merito immoti, de approximantium ſibi caſu deſcribuntur prærupti: *Prærupti ſunt, quia pars eorum cecidit, pars remanſit.*

Philiſthæi monſtrum illud piſci hominem 141. Dagonem execrandis ſuffitibus, & deteſtandis ritibus excolebant: Dei Arca ſuos fugiens vtpote indignis moribus obſcuratos ad allophylos tranſiit non vt illis cederet in ſpolium; ſed vt glorioſum ab illis reportauerit triumphum. Dagon eius præſentiam non ferens ad terram proſtratus iacuit: ſic enim Arcæ ſplendoribus eius diuerberabatur obtutus, vt nec aſpicere fuerit auſus. *Ecce Dagon iacebat pronus in terra ante arcam Domini.* 1.Reg.5.v.3. Caſus idoli imbecillitatem ſuadebat, & arcæ triumphum deprædicabat: verùm ſic nonnulli ſacerdotum rebelli ſunt obſtinatione obcæcati, vt Dagonem conati ſint eleuare, & Arcæ gloriam deprimere: at quia humanæ vires contra diuinam potentiam ſemper inueniuntur infirmæ, Dagon iterum non ſolùm ſuſtinuit caſum: ſed capitis & manus excidium: *Caput Dagon, & duæ palmæ manuum eius abſciſſa erant ſuper limen: porrò Dagon ſolus truncus remanſerat in loco ſuo.* Nec tot caſibus reſipuit proteruitas: imò truncum inſtitit adorare malignitas. Quid tunc? *Aggrauata eſt manus Domini ſuper Azotios, & demolitus eſt eos.* Quos anteà Azotios ſuſtinuerat Arca patienter, modò demolitur acriter. Certè Arca anteà phanum illorum ingreſſa, certè figmenti effigies exculta, & tamen nec de cultu demoliti, nec de contemptu ſunt diuexati: cur ergo modò Arca Dagonis cultores deterat, ſi antè cæca adorare brutalitate permiſerat? Quia anteà Dagon inimica manu nullatenus imminutus, nec ſtrage deturpatus: adorare ergo Dagonem capite, manibuſque conſtantem & aduerſarij manus nullatenus ſuſtinentem, erat ſacrilegum: at adorare throno deiectum, manibus & capite mutilum, vel à brutis erat alienum.

Dum

Dum ergo vti regem adorant, vti diuinum deprecantur idolum inimica manu truncatum, demolitionis merentur dignè ſupplicium: nec enim lucere poterat throno adorandus, qui caput inimici pependit triumpho deiectus. Suſpicari in idolo ante caſum diuinitatem erat ignorantiæ cæciſſimæ; at poſt caſum prorſus amentiæ: ſolùm enim amentes ac inſani credere potuiſſent diuinum, quem ab inimico aſpiciebant detruncatum: *Poſtquam percuſſerat eorum Deum,* ſcribit Lyra, *percuſſit & populum.* Annuit Gloſſa moralis: *Per hoc ſignificata fuit eiectio Coſroæ de regno.* Iam regnare non poterat hoſtili manu trũcatus, & capite ab aduerſario punitus. Aptiùs noſter Sanctius: *Sauierat Dominus priùs in Dagonem, quem Philiſthiim vero Deo, & illius Arcæ prætulerant, quo facilè cognoſcere potuit populus ille gentilicus, in ſuo Dagon nihil eſſe honoris, nihil virtutis: nunc aliud edit ſuæ virtutis argumentum.* Dum populus idolum colit illæſum, nullum cogitur ſuſtinere ſupplicium; at dum honorem, virtutemque credunt ineſſe truncato, digniſſimo amentiam deponere coguntur tormento: nec enim adorari debuit iam lapſus, nec haberi poſt detruncationem diuinus. Ergo ſi Maria Dei Arca ſemper proponitur adoranda, ac ſemper diuinitatis nobilis theca, nec lapſum pertulit, nec coram Dagone iacuit. Certè caput Mariæ Dagon præcidiſſet, ſi primum vitæ inſtans commaculaſſet. Ergo vt regali ſemper fulgeat honore, dicendum eſt gratiæ nunquam ſpoliatam dignitate. Adde Mariæ conceptionem miraculosè peractam, cùm à parentibus exuccis, & generando non aptis fuerit genita: ceſſit namque natura gratiæ: indecens ergo ad ſpeciem eſſet in eius conceptione reſplenduiſſe miraculum, & ſimul culpæ delictum. Conceptioni ergo naturæ leges ferè ignoranti debitum erat ab hoſte non ſuſtinuiſſe ignominiam; imò glorioſiſſimam reportaſſe victoriam.

Lyra. Gloſſa. Sanctius.

142. Goliat aſpectu homo, re truculentiſſima bellua Dei populum proſcindebat maledictis, & laceſſebat iniurioſis dicteriis: terror Iſraelitarum vires refrænabat, & ante certamen concedere palmam cogebat: Saul erat in tumultu, & quamuis alios regia excederet dignitate, ſimili tamen metus premebatur terrore: *Omnes Iſraelitæ cùm vidiſſent virum, fugerunt à facie eius, timentes eum valde.* Hoc in ſtatu Iſrael erat, cùm Dauid prophetali manu vnctus aduenit in campum, & iam non hoſtis timore percutitur; ſed debellare glorioſè aggreditur: *Leonem & vrſum interfeci ego ſeruus tuus: erit igitur & Philiſthæus hic incircumciſus quaſi vnus ex eis.* Et quid Dauidi intrepidos adeò ſpiritus indat? Regia, inquit Baſilius Seleucienſis orat. 15. ornari dignitate: *Stola paſtoritia & virga ac pera obarmatur, quibus eum rebus ad regnum promouit gratia;* verum ſi Saul regia etiam dignitate præcellens timet, cur Dauid virga paſtoritia obarmatus audet? Quia Saul, inquit Baſilius, ſic in regem vnctus, vt nullum interfuerit miraculum; at Dauid ſic ad regnum electus, vt interfuerit prodigium: nam cùm Samuel quis ex Iſai filiis vngendus eſſet neſciret, cornu ſæpe ſæpius inuergebat, vt naturæ obſequeretur legibus, & natu primos eligeret; verùm fluxa olei natura ſurſum detinebatur Dauidem expectans, & naturæ leges repudians: *Dixit Samuel ad Iſai: Numquid iam completi ſunt filij: Qui reſpondit: Adhuc reliquus eſt paruulus, & paſcit oues.* Ergo dum rex miraculosè deligitur, & triumpho non ſine miraculo decoratur: *Cornu inuergens reiectaneum,* inquit Baſilius orat. 14. *vt vngeret, cogebat; ſed oleum fluere recuſabat, ne cum errante propheta faceret, & fluxa natura ſurſum detinebatur gratiæ legibus obſecuta.* Aduenit Dauid fratribus repudiatis. Quid tunc? *Gratia,* addit Baſilius, *ſtatim ad vnctionem mouit manum: nondum cornu inuergebatur, & oleum properanter defluebat, vnctioque ſententiam confirmabat: & rex erat Dauid prophetica manu ad regnum prouectus, & cæleſti approbatione dignitatem conſecutus.* Ecce diſcrimen inter Saulem & Dauidem: Rex erat vterque; ſed Saul ſine miraculo vnctus, Dauid miraculò electus. Ergo Saul communem cum cæteris ſubit hoſtis ignominiam; at Dauid ſingulariſſimam reportat de hoſte victoriam: erat namque inaugurationis miraculo congruens victoriæ ſpecialiſſimum priuilegium, & regalis dignitatis ſingulariſſimum teſtimonium. Ergo ſi Maria ferè naturæ leges ignorans inuenitur concepta; & ſingulari etiam patris ſui Dauidis adinſtar de hoſte debebat coronari victoria.

1 Reg. 17. v. 24. 1. Reg. 16. v. 11. Seleucienſ.

---

§. XXXII.

Plures iuſtitiæ ſeueritatem commendant, ſi culpa puniatur aliena, abrodunt, ſi pœnas dederit propria.

143. Reipublicæ firmitudo legum obſeruantia eſt: nam dum laudabiliter aſſeruantur decreta, peſtilens exulat delictorum audacia: *Inimica bonis moribus,* aiebat Attalaricus 9. var. 18. *crimina perſequamur, quo hoſtibus Reipublicæ diuina virtute reſiſtimus: vtrumque quidem noxium, vtrumque pellendum; ſed tantò grauiùs graſſantur vitia, quantò probantur magis interna. Vtrumque recumbit in altero: faciliùs quippe inimicorum acies cadunt, ſi noſtro æuo delicta ſubducimus. Primum humano generi noxiam perſuaſionem, ſub qua nec dici poteſt ciuilitas, nec haberi, ſeueritate legum, & noſtra indignatione damnamus.* Lex in aduerſarios ſtructiſſima eſt acies: & quidem vbi nulla graſſantur vitia, inepta inimicorum redduntur arma; at propria eneruantur arma, ſi miſerè floreant vitia. Itaque vt probos honore afficere generoſitatis eſt gloria, ita & contumaces punire æquitatis eſt vita. Rogatus Socrates, quænam munitiſſima ciuitas eſſet, reſpondit teſte Stobæo de Republica cap. 43. *Optime haberi ciuitatem, quæ ſecundum leges viueret, & iniuſtos puniret.* Verùm ſeueritatis faſces magnis à plurimis commendantur elogiis, quando aliorum feriunt delicta, & quaſi delicta non fuerint, prætereunt ſua: gaudent ferè omnes exceſſus reprimi, & ſancita prudentiſſimè cuſtodiri; ita tamen vt ſibi liceat impunitum, quod in aliis deprædicatur correctum. Adonibezec dum ſuperba crudelitate reges ſubiugat, cæſiſque manuum ac pedum ſummitatibus deteriorem morte vitam ſuſtinere cogit, ſuperbiſſiméque ad elationis pompam oſtentat, aduerſarios docuit eadem ipſum pœna mulctare, qua liquebat alios punire: *Fugit Adonibezec, quem perſecuti comprehenderunt cæſis ſummitatibus manuum ac pedum eius.* Quid tunc? Diuinam extollit æquitatem; & iuſtitiæ leges paſſus peſtilenti nullatenus abrodit lin-

Caſſiod. *Vitia pra hoſtibus oppugnantur Reſpublicas.* Stobæus. *Lex tranquillitatis eſt vita.*

gua ; ſed quod mirum eſt , laudabili ſuſtinet tolerantia. *Dixit Adonibezec : Septuaginta reges amputatis manuum ac pedum ſummitatibus colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias: ſicut feci, ita reddidit mihi Deus.* Mira res, non damnaſſe vti ferinam ſæuitiam, quæ in aliis vti iuſtitiæ exercuerat normam : hoc namque hominum ingenium eſt, vt in ſe iuſta damnarint ſupplicia, quæ in aliis aut exercuerint, aut exercita commendarint. *Intellexit tyrannus hic*, ſcribit Montan. Arias Montanus, *Iſraelitis victoriam diuino beneficio; ſibi vero pœnas diuino conſtare iudicio:* Non damnauit punitus quæ aliis intulerat vti ad iuſtitiæ obſeruantiam ſatis ſeuerus, quod hominibus profectò inſolitum eſt, cùm ferè ſemper propriis in ſuppliciis æquitatis leges exiſtiment adulteratas, in aliis laudabiliter cuſtoditas.

144. Baldad Suhites Iobi extremas calamitates conſpicatus Dei allaudauit iuſtitiam, vt qui cauſis adurgentibus prouocatus ſupplicia intulerit, & hominem ſpecie tenus iuſtum ſubuerterit: Iob.8.v.3. *Numquid Deus ſupplantat iudicium, aut omnipotens ſubuertit quod iuſtum eſt?* Procaciter notiſſima iactat, non tam ad æquitatis diuinæ commendationem, quam ad eruditionis pompam, & ad ſapientiæ arrogantiam. Illæſus iuſtitiam commendat, qui ſi correptione quantumuis digniſſima caſtigaretur, lingua audaciſſima denigraret, & contra Deum inſaniret. Aduertit acutè Gregorius lib.8. moral. cap.12. *Sciendum eſt quia tunc diuinæ iuſtitiæ rectitudinem laudant, cùm ſe ad gaudium incolumitas ſubleuat, & alios flagella caſtigant, cùm ſe conſpiciunt rerum proſperitate perfrui, alios aduerſitate fatigari.* Addit Gregor. poſt pauca Gregorius: *ſed ſi eorum vitam quamlibet breuiter vis ſuperna correctionis attigerit, pulſati protinus conſilium diuini examinis increpant, quod paulò ante incolumes admirando præferebant, iniuſtumque eſſe iudicium, quod ſuis moribus aduerſatum negant ......Non ergo mirum quòd Baldad diuinam iuſtitiam laudat, qui nihil aduerſi ab eadem iuſtitia tolerat.* O quoties ſi attigerit proprios, abroditur maledica linguâ æquitatis edictum, quod alios puniens iuſtiſſimum commendabatur decretum. Naſcitur de alieno dolore inhumana voluptas, quæ iudicium ſubornat, & ſubornatum mulctam etiam iuſtitiæ leges ſupergreſſam allaudat, ac ſi eadem quis lege feriatur, iam dolore perculſus non ſolùm ſupplicium non ſuſtinebit vti de æquitatis exortum legibus; ſed abrodet vti de inuidentiæ aut odij ortum deprauatiſſimis affectionibus. Baldad laudat in afflicto Iobo iuſtitiam, quam in ſe vti ſæuitiæ condemnaret inſaniam: ſic proprius excæcat affectus, ſic in alios duratur animus.

145. Pſalmiſta, vt hanc nobis oſtenderet dilucidè veritatem, aiebat: Pſalm 48. v.19. *Confitebitur tibi, cùm benefeceris ei:* ac ſi dicat: Æquitatis tuæ pleno proferet ore laudes, cùm illum non attigerit caſtigationis flagellum; ſed humanæ conſolationis accreuerit lucrum; at ſi iam ſupplicij feriat dolor, nullatenus te confitebitur iuſtum; ſed ore abrodet peſtilenti violentum. *Vbi, inquit, bona*, ſcribit, Euthym. Euthymius hîc, *hoc eſt grata ei feceris, tunc tantum tibi aget gratias: nam poſtmodùm deſpiciet atque contemnet; tametſi in omni virtutum genere profeceris.* Iuſtitiæ æquitas pro delictorum qualitate infert peccatori ſupplicia; at nonnulli tunc ſolùm iuſtitiæ leges allaudant, cùm commodis perfruuntur; obſcurant dente iniquiſſimo, ſi feriantur.

Deus hominem gehennali dæmonum tantiſper permiſit ſæuitiæ, vt quos ſeminauerat voluptuoſis erroribus, copioſos meteret dolorum fructus; verùm citò calamitatem miſeratus fluctus tranat, vt præſentiſſimam opem afflicto ferat: *Cum veniſſet trans fretum in regionem Geraſenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia de monumentis exeuntes ſæui nimis, ita vt nemo poſſet tranſire per viam illam, & ecce clamauerunt dicentes: Quid nobis & tibi Ieſu fili Dei? veniſti huc ante tempus torquere nos.* Ecce idem Dei filius, qui hominem tradidit dæmoni, ante mortem ſepulchris ferali crudelitate amandandum, decernit dæmonem iam ab homine depellendum. Quid tunc? Dæmon queritur non iniuſtè contra homines proceſſiſſe; ſed violentas in ipſum vires armaſſe: *Veniſti*, inquit, *ante tempus torquere nos* Et cur non proferat: Ante tempus torſiſti hominem, quandoquidem viuus mortis patiebatur tormenta? Homo ab hominibus expellitur, ſepulchra immaturè habitare cogitur, dæmon tempore opportuniſſimo abigitur; & tamen pœnam homini illatam vti iuſtiſſimam ambit prorogandam, expulſionem ſuam vti violentam queritur nullatenus ſuſtinendam: *Veniſti*, ait, *ante tempus torquere nos.* Nos non hominem: quia hominem diſcruciari cenſebant æquum; ſe verò expelli iniuſtiſſimum. Adeſt Chryſologus ſerm.16. *De tempore ſic queruntur quaſi ipſum cum tempore fecerint, vt viuos condiderint in ſepulchris* Hominem ſepulchris amandari ſuperſtitem, legibus exiſtimabant conforme; ipſos verò detrudi maturo tempore, legibus conqueſti ſunt repugnare: ea namque eſt creaturarum cæcitas, vt quidquid in aliis punitum, de legum cenſeat æquitate profectum, & contraire legibus queratur, ſi quid in ſe, quantumuis iuſtiſſimè, caſtigatum. Vt etiam è contra accidere ſolet: beneficia aliis impenſa putant homines minus prudenter collata, cùm ſibi iuſtiſſimè putauerint ſæpè reddita. 146. Matth.8. v.28. Chryſol.

Prodigus dum ſcelera digna pœnitudine luget, patris promeretur affectum: maior frater, dum ignobili inuidentiæ turget liuore, paterna ſe indignum reddidit menſa, impediuitque beneficia: pater pignoris amore ſauciatus, & confeſſionis humilitate permotus redeunti parat obſequia, quæ maior filius ſugillat vti prodigalitatis deliria: *Ecce tot annis ſeruio tibi, & nunquam mandatum tuum præteriui, & nunquam dediſti mihi hœdum, vt cum amicis meis epularer; ſed poſtquam filius tuus hic, qui deuorauit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus, venit, occidiſti illi vitulum ſaginatum.* Plura acceperat; ſed putabat ſibi debita indignus, cùm abroderet, quæ frater accepit meritus. Aduertit quo acumine ſolet Chryſologus ſerm.4. *Fratri inuidus animus gratus eſſe non poteſt patri, & paternæ largitatis memor non eſt, qui eſt fraternæ immemor charitatis.* Non negat ſe non accepiſſe ſubſtantiam; ſed putat iure redditam, non generoſitate largitam: conuiuium fratri exhibitum putat, virtuti non redditum; ſed imprudenter paratum; at quæ ipſe liberaliſſimè accepit, meritis adſcribenda putauit. Naturæ exigebat ius filium nudum & famelicum alere; & tamen prodigalitatis damnauit, qui omnem patris ſubſtantiam illi aſſeruatam: omnia mea tua ſunt, iuſtitiæ arbitratus 147. Luc.15.v.29 Chryſol.

Digitized by Google

arbitratus eſt debitum, non liberalitatis elogium.

147. Chananæa illa mulier eximia fidei virtute conculcans, & à moribus idololatrarum decorè ſatis degenerans micam petit panis, hoc eſt vnius filiæ ſalutem: *Mulier Chananæa à finibus illis egreſſa clamauit.* Donationem Dominus differt, cùm ardentius ipſe ſalutem largiri anhelet; proteſtaturque filiorum panem canibus non proiiciendum: cùmque in monte ſederet, Hebræi accedunt, & ad eius pedes cæcos, claudos curandos proiiciunt: *Acceſſerunt ad eum turbæ multæ habentes ſecum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos, & proiecerunt eos ante pedes eius, & curauit eos.* Inquiramus, ſi placet, cur non rogatus, nec oratione inuitatus tot Hebræos ſanauerit, cùm Chananææ clamanti ſaluris donationem diſtulerit. Certè mulieris fides curationem veluti iure exigebat, Hebræorum infidelis incuria miraculorum virtutem tardabat; & tamen illa audit canis, & iſti vocantur filij. Ecqua huius diſcriminis ratio eſt? Quia Hebræi miracula vti parentis patrimonium ſibi debita exiſtimabant; gentibus tamen conceſſa veluti amiſſa abrodebant: Hebræos canes reddiderat incredulitas, Chananææ fides in cenſum filiorum adſcripſerat; & tamen Chriſtus, ne criminationis præberetur anſam, Chananææ differt ſalutem, Hebræis impertitur liberaliſſimè ſanitatem: tales enim erant, vt niſi miracula Chriſtus Dominus in illorum vtilitatem patraret, contra filiationis ius ſibi quererentur negata: accipientes naturæ legi exiſtimarent ſoluta. Profectò Chananææ fides merebatur miraculum; & tamen criminarentur amiſſum. Innuit Chryſoſtomus apud D. Thomam: *Mulieris quidem filiam cum multa tarditate curauit, vt eius virtutem oſtenderet: his autem, non quia meliores erant; ſed vt infidelium Iudæorum ora obſtrueret, confeſtim ſanationem præbet.* Sic Chananææ putabant ſalutem indebitam, ſibique legibus naturæ adſcriptam, vt ſe iure filios, & alios ſine iure ſemper putarent extraneos. Ergo Chriſtus Dominus, vt iniquitatis ora præcluderet, Chananææ ſalutem diſtulit, & Hebræis citò conceſſit: ea namque eſt aliquorum temeritas, vt quæ demerentur, exiſtiment æquiſſimo iure ſibi deberi, & quæ merentur alij, prodigalitate donari. Aut ſi placet, clariùs procedamus, & in vna Chananæa theſim noſtram ſine comparatione firmemus: cùm exertis clamoribus ſalutem efflagitaret, Chriſtus Dominus & Hebræos vocat filios, & ipſam canem: *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.* Quid illa tunc? Catellam ſe nominat, & Hebræos reueretur filios, iureque illis explicandam teſtatur menſam, & ſibi largiendam miſericorditer micam. *Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum.* Quid tunc? Mulieris fidem, virtutem, & humilitatem Dominus in orbis theatro ad ſingulare exemplum proponit: *O mulier magna eſt fides tua.* Et quæ huius virtutis excellentia? Exiſtimare Hebræis vti filiis iure explicari menſam, ſibique nec deberi micam: quod ſanè inſolitum ac pertarum fuit, cùm ferè omnes exiſtiment iure ſibi beneficia conferenda, & quæ aliis collata, potiori titulo deneganda. Ergo eximia mulieris relucet virtus, dum putat nec decidua fruſtula ſibi deberi, & iure Hebræis obſonia pretioſiſſima præparari: *Non rapio panem*, ſcribit eius nomine Seleucienſis Baſilius orat. 20. *micam quæro: non in menſam inſilio, ad micas anhelo: non ego delicias loquor, heres illa tua menſa fruatur; de menſa tua, dum fruſtula decidua noſtra ſint. O fides! ô prudentia! ô Chananææ pietas!* Egregium fuit humilitatis exemplum in Hebræos collata laudare, & beneficium vt ſibi non debitum exambire; quando is hominum mos ſolet eſſe, vt ſibi quantumuis indignis beneficia conceſſa exiſtimarint ſoluta, & aliis quantumuis dignis ſoluta, ſine titulo obmurmurarint conceſſa.

Matth. 15. v. 22

Chryſoſt.

Seleucienſ.

§. XXXIII.

Nobilis ingenuuſque melius ad virtutem allicitur oſtenſo præmio, quàm intentato ſupplicio.

SVpplicium & præmium probantur virtutum fulcra, & culparum inueniuntur excidia: timet ingenium ſeruile pœnam, exambit nobile gloriam. Mutius nobili ambitione adoriri ſatagit aduerſarium, nec timet manus incendium: *Hæc deſperatio, hæc perditio penes vos,* ſcribit Tertullianus aduerſ. gentes cap. 50. *in cauſa gloriæ & famæ vexillum virtutis extollunt. Mutius dexteram ſuam libens in ara reliquit. O ſublimitas animi!* De glorioſæ cupiditatis incendio magna tentauit, nec potuit anhelantibus flammis abduci: non timuit pœnam, quia de conſtantia amauerat gloriam. Mancipia puniuntur, ingenui remunerantur: *Plurimum proſunt pœnæ inſipientibus*, aiebat Philo de agricultura: præmiſeratque: *Curam adhibent, ne grex vagabundus diſpergatur metum intentando caſtigatorem non obtemperantibus rationi.* Bruta paſtores frenant metum intentando? homines verò melius corrigunt præmiis propoſitis alliciendo. Iacob ſeruit pro Rachele, nec opus eſt illum vrgere intentato ſupplicio: quia ſtudioſiùs curabit greges promiſſo præmio. Docuit pulchritudo greges accuratiſſimè paſcere: nam ingenuus furit non ſemel, ſi intentetur illi ſupplicium, & rationi inſeruit, ſi allexerit præmium: Filij Iſrael Adonibezec regem comprehendunt, vtque à vitiis deterreant, plagas infligunt; verùm adhuc perſtat viuus, & adhuc viuit ſuperbus. *Perſecuti comprehenderunt cæſis ſummitatibus manuum eius ac pedum.* Quid tunc? *Adduxerunt eum in Ieruſalem, & ibi mortuus eſt.* Stephanus in allegor. Tilmani ad noſtram eruditionem hiſtoriam aptans aduertit incuſſis plagis non mortuum, & oſtenſa Ieroſolyma iam defunctum; ingenuus namque ibi renunciauit vitiis, vbi propoſitis allectus eſt præmiis, qui inflictis indurabatur ſuppliciis: *Tunc ſuperbus*, inquit, *in Ieruſalem adducitur, quando bona cæleſtia ante oculos eius ponuntur, & tunc ibi moritur, cùm propter hæc deſinit eſſe ſuperbus.* Ingenui Adonibezec ſuperbia ſuppliciis irritatur; ſed viſis præmiis extinguitur: vt diſcant Principes ſuperioreſque quales ſe erga infimæ notæ homines, & luce nobilitatis conſpicuos debeant gerere, & ad virtutem adducere: ſeruus & ad inſtar bruti homo iterata caſtigatione corripitur, nobilis & ingenuus oblato præmio docetur. 148

Tertullian.

Philo.

Stephan.

Digitized by Google

149. Diues ille, qui ſplendentem purpuræ Tyriæ nigrorem numquam ſopiendis ignibus commurauit, adhuc malitia poſſeſſus Lazarum ad fratres ſuos corripiendos mitti precatur obnixè: *Rogo te, pater, vt mittas eum in domum patris mei.* Cùm in damnatis nullus poſſit finis rectus agnoſci, quærunt interpretes qualis fuerit huius petitionis. Caietanus putat adhuc nobilitatis faſtu turgere, & euanidam nobilitatem ructare: *Vt vel ſic, hoc eſt, in ſuis exaltetur.* Benè; ſed opportunius videbatur, ſi ipſum ad fratres precaretur mitti, quàm Lazarum delegari: nonne fratres auidius fratrem auſcultabunt, & eius conſilia implebunt? Nonne ſtudioſius ſuis conſulit proprius, quàm prouidere curet extraneus? Ergo ſatius eſſet ſibi legationem ambire, quàm Lazarum inſtitutorem precari. O verſutam præſumptuoſi ſuperbiam! In ſuis deſiderat exaltari, quando ſuos & magnos optat videri. Ergo inſtituto opportunior erat Lazarus: nam ſi diues ipſe moneret flammas oſtendendo, notam ſuis ruſticitatis inureret; at Lazarus, dum gloria fruens virtutes admonet, virtutum oſtenſo præmio, decentiori modo cum fratribus ageret, & nobiliores vel facto proderet: nobiles namque viuidiùs præmio alliciuntur, quàm ſuppliciis terreantur. Ergo dum fratres nobiles iactat, non vult oſtenſis illos monere pœnis; ſed Lazarum monitorem deſiderat, qui oſtenſis moueat coronis. Errauit diues ſtulta præſumptione cæcatus; verùm ſuo errore nos docuit ingenuos, & luce nobilitatis conſpicuos efficaciùs prolectari gloriæ cupidine, quàm tormentorum timore: *Vt vel ſic, hoc eſt in ſuis exaltetur.*

Luc. 16. v. 26.

Caietan.

150. Imago filij hominis Ioanni obiicitur albo equo inſidens, multis diadematis redimita, & acuto gladio obarmata: *In capite eius diademata.* Quid tunc? *Exercitus, qui ſunt in cælo, ſequebantur eum in equis albis veſtiti byſſino albo & mundo:* gladius intentatur; ſed in gentes. *De ore eius procedit gladius ex vtraque parte acutus, vt in ipſo percutiat gentes.* Et cur non obarmatur gladio, vt ſi exorbitarint, ſplendenti byſſino percutiat veſtitos, aut cur armatur in gentes gladio, qui diadematis potuit allicere, & ad virtutem obiectis præmiis vocare? Quia pro diuerſitate hominũ, & imaginis aſſumpta eſt varietas, ſplendens byſſinus, albiſſimus equus nobiliſſimos seſſores prodebant: gentes nobilitatis inſignibus non ornabantur: ergo ad deterendas gentes acutum eduxit gladium, ad nobiles alliciendos diadematum oſtendit præmium: ſæpè namque nobiles, ſi in illos ſupplicium intentetur, exaſperantur vt ignobiles, niſi intentetur, inſoleſcunt per ſuperbiam, & ſuperbiunt inſolentiſſimi per audaciam: *In capite eius diademata multa: quia per ea ipſe & ſui coronantur,* ſcribit Interlinearis. Annuit Lyra: *Exercitus qui ſunt in cælo, ſequebantur, id eſt templarij:* vt notiſſimè nobiles ſequerentur, oſtendit præmium; vt plebeij obſcurique rationi parerent, produxit ex ore gladium: diuerſa hominum ingenia diuerſa etiam in rectore regiminis depopoſcerunt inſignia. Equites, byſſoque ſplendenti nobilitati ſecuri iam referuntur, antequam fiat mentio de gladio; at gentes nec viſis diadematibus ſunt ſecuræ; ſed per gladium & virgam ferream correptæ: *Ipſe reget eas in virga ferrea:* gẽtes regũtur virga, nobiles alliciuntur corona.

Apocal. 19. v. 12.

Interlin. Lyra.

151. Deliquit Adamus, & qui olim creaturarum Princeps, iam telluris vernula ruris labori addictus, & dignitate regia exauguratus: *Fecit Dominus Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* Tertullianus lib. de pallio cap. 3. adnotauit iam cum Adamo vernularum more agi, & pellitum sæculo adſcribi: *Cùm de originis loco exterminat*, quippe deliquerat, pellitus orbi vt metallo datur. Quid tunc? Gladius igneus apponitur: *Et collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* Terrores intentat in Adamum, vt iam declaret vernulam antiqua nobilitate priuatum, & moleſtiis ruſticanis addictum. *Gladium flammantem*, ſcribit Theodoretus apud Lippoman. *dicit igni formidabilem.* Terrore Adamus comprimitur, vt iam ignobilis denoteretur.

Geneſ. 3. v. 21.

Tertullian.

Geneſ. 3. v. 24.

Theodor.

152. Abram Deus foras educit, & cœlum variis ſtellarum floribus conſitum ſtudioſè aſpicienti oſtendit: rogarat ille quam mercedem acciperet, ſi præceptis Dominicis obediret, & ſtellarum oſtenſa luce Deus prolis amplitudinem & claritatem promittit: *Suſpice cælum, & numera ſtellas, ſi potes: & dixit ei: ſic erit ſemen tuum.* Ipſum Abrahami nomẽ excelſum patrem ſignificabat: ergo quò ad virtutem acrius incitet, præmium oſtendit. *Abraham*, ſcribit Hieronymus apud Lippomanum ad Geneſ. 17. *interpretatur pater excelſus.* Vide quàm diuerſimodè cum excelſo & cum iam pellito Adamo ſe Deus geſſerit: ruris vernulam nobilitate exauguratum reprimit igneis terroribus, excelſum patrem placidis ſtellarum allicit ad virtutem luminibus. Vt noueris intentatos terrores ignobilitatis quodammodò argumentum exiſtere, præmia propoſita indicium nobilitatis haberi: ergo ſi honeſta ambitione in nobilium cenſu deſideras computari, ne tam mouearis intentatis ſuppliciis, quàm propoſitis cœlo præmiis.

Geneſ. 15. v. 5.

Hieronym.

153. Nabuchodonoſor ferinis moribus, ſuperbo faſtu humanam videbatur exuiſſe naturam, & pro natura ſibi comparaſſe inſaniam: Deus vt ſuperbiſſimi faſtum reprimeret, & ad ſaniorem mentem reuocaret, ſæculis retro inaudito ſupplicio affecit: priuauit regno, extorrem, montibus agere vitam præcepit. Ergo Nabucho catenis ferreis conſtringebatur vinctus, fame luridus, & regno mulctabatur orbatus. *Ex hominibus abiectus eſt, & fænum vt bos comedit, & rore cœli corpus eius infectum eſt, donec capilli eius in ſimilitudinem aquilarum creſcerent, & vngues eius quaſi auium.* His tormentis adhuc perdurat affectum, & mauult ſeueriſſimè diſcruciari, quam diſcruciatum ad ſaniorem mentem reduci: ſeptem mutantur tempora, labuntur anni: nec Nabucho calamitatibus edocetur, aut inflictis verberibus eruditur: quid tunc? Mentem eius illuſtrat Dominus, oculos facit ad cæleſtes fornices eleuare, vt nouerit quam morigeros maneant præmia, quàm immortalis corona: & iam cælorum pulchritudine allectus impietatem abiurat, & Numinis magnitudinem iterata acclamatione deprædicat: *Poſt finem dierum ego Nabuchodonoſor oculos meos ad cælum leuaui, ſenſus meus redditus eſt mihi, & Altiſſimo benedixi: & viuentem in ſempiternũ laudaui, & glorificaui.* Ecce dum ad æterna oculos leuat, facilè abiurat delicta, qui tot annis malè tractatus callos ſibi obduxerat ad tormenta:

Dan. 4. v. 30.

regno

Digitized by Google

regno priuatur, & tamen impius perſeuerat, vinculis ferreis conſtringitur, & induratur impius: exiguo inſipidoque fœno pro cibo vtitur, & perſtat adhuc ſacrilegus; verùm dum allicitur præmio, dum cœlum illi proponitur, iam mentem mutat pietatis cultor, & omnis impietatis deſertor. *Spectare cœlum eſt*, ſcribit noſter Sanctius, *ab illo aliquid ſperare opportunum & proſperum*. Ecce cùm ſperat proſperitatem cæleſtem, cùm præmium ſibi proponit, iam qui ſuppliciis fera, homo facili præditus inuenitur natura. Perſuaſerunt præmia quod nullatenus ſuaſerunt ſupplicia: nec mirum quando ſuperbiſſimus rex nimis nobilitatis ſuæ conſcius, intentatis minis exacerbatus furebat, & ipſis ſuppliciis ardentiſſimas iras indignato pectore flabellabat: docuit hac hiſtoria Deus nobiles vt plurimum corrigendos non tam verbere, quàm ratione: nobilitas namq; vt vrbanæ ciuitati, cedit allecta, ſic intentatis ſuppliciis ſolet furere exacerbata.

Sanctius

§. XXXIV.

Miſerum eſt laborum priuari fructibus, & diuexari laboribus.

154. QVi Deo accepti, laboribus comprobantur: viſum illi eſt veluti in theatro ſuorum oſtentare patientiam, & miram virtutis commendare conſtantiam: felicitate tarò non eneruatur robur, & expectoratur deliciis vigor. Quã in diſcipulis præceptores, in bonis viris obſeruat rationem Deus: plus laboris ab iis exigit, in quibus profectus ſpes certior & ſecurior. Profectò Lacedæmoniis inuiſi non erant filij, quos ad verbera experiebantur: ipſi patres adhortabantur, vt flagellorum ictus fortiter ferrent, & in ſemilaceris artubus ſpiritus generoſos nutrirent. Nihil adæquè fortunatum eſt, vt cum aduerſa fortuna componi, illamque fortitudine vincere, & patientia ſubiugare: *Digni viſi ſumus Deo*, ſcribit Seneca lib. de prouidentia cap. 4. *in quibus experiretur quantum humana natura poſſet pati.* Addit poſt aliqua. *Prebendi fortunæ ſumus, vt contra ipſam ab ipſa duremur.* Itaque dignum viro eſt diuitias abiicere, & eneruatam felicitatem pro honeſtis laboribus repudiare: pro honeſtis dixi: nec enim maior homini potuit miſeria contingere, quàm duriſſimis laboribus diuexari, & laborum fructu carere. Quos felicitas ſibi molles & eneruatos addixit, iam moleſtiis afflictionique exemit: quos labor vti admotus ſtimulus ad virtutem exacuit, iam fama æternitati obtulit. Illos profectò extremè dixeris infelices, calamitoſoſque, quos nec felicitatis oblectauit voluptas, nec in laboribus conſtantiæ patientiæque nobilitauit honeſtas. O quàm durum eſt perpetua hyeme aduri, triſte cœlum pati, tellurem ſteriliſſimam crebris gemitibus vertere, imbrem culmo aut fronde ſolummodò arcere, ac denique omnibus ad humanam vitam commodis ferè priuari, & ad hæc rabida obſcurari impatientia, & inſana aduerſus Numen ſuccendi ira. Adonibezec ab hoſtibus comprehenſus dolores vrgentiſſimos cogitur pro antiquis deliciis ſuſtinere, & dedecora regiæ dignitatis ſubire: *Perſecuti comprehenderunt cæſis ſummitatibus manuum eius ac pedum.* Quid tunc? Noluit dolorum abiicere fructus, qui ab hoſtibus pati cogebatur cruciatus. *Dixi Adonibezec: Septuaginta Reges amputatis manuum ac pedum ſummitatibus colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias; ſicut feci, ita reddidit mihi Deus.* Patienter tulit, & Numinis iuſtiſſimam vindictam agnouit: eſſet namque calamitatem cumulare, ſi & manus ſummitates amiſiſſet, & doloris fructus rabie, deſperatione, ac impatientia vacuaſſet: *Intellexit tyrannus hic*, ſcribit Arias Montanus, *Iſraëlitis victoriam diuino beneficio, ſibi verò pœnas diuino conſtare iudicio.* Humiliter faſſus eſt delicta, & inflicta ſibi iuſtè tormenta: & fortaſſe ob id in Ieruſalem mortuus refertur: Adduxerunt eum in Ieruſalem, & ibi mortuus eſt, vt in ciuitate pacis quieſceret, qui labores patienter adeò tuliſſet, & obiens laborum frueretur fructibus, qui duris finiebat vitã cruciatibus.

Seneca.

Contra fortunam fortitudine pugnandum eſt.

Montan.

155. Cùm pater familias curioſa induſtria fundum recipiendis ſeminibus adaptaſſet, & poſt tot ruris labores profundis ſulcis ſiligineum granum commiſiſſet, inimicus homo inuidentiæ ſtimulis aduſtus nulli pepercit labori, vt inimico noceret, & fœcunditatem telluris ſemine adulterino obſcuraret: *Simile factum eſt regnum celorum homini, qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo; cùm autem dormirent homines venit inimicus eius, & ſuperſeminauit Zizania in medio tritici, & abiit.* Et cur noctem expectauit odium, qui anteuertere ſolet vel crepuſculum lucis dubium? Nonne ſatius eſſet maturè adeò tellurem corrumpere, vt nec vomerem pateretur, nec granum amplecteretur? Nimis tarda videtur inuidia, quæ ſuperſeminat, nec anteuertere ſeminationem laborat: ſi homo hic extremam agricolæ ſuſpirat calamitatem, cur expectet tarda molimina: Imò ob id expectat, inquit Chryſoſtomus apud D. Thom. hęc tarda ad ſpeciem molimina: quia ardentiſſima fouet præcordiis odia, Si inimicus ſtulta vigilantia & cæca imprudentia fundum vitiaſſet, terram percolens laboris excuſaſſet cenſum, & vtile ſectaretur otium, dum deſperauerit fructum: ſi non ſuperſeminaſſet Zizania, copioſus terræ prouentus culturæ moleſtias remuneraſſet, & agricola copioſis fructibus exundaret, aut otians moleſtiis agriculturæ careret; at ea fuit virulentiſſimi hoſtis inuidia, & aſtuta maleuolentia, vt noluerit impedire laboris ærumnam, nec fructus permiſerit copiam, quò vtriuſque ſortis duriora ſuſtinere cogat agricolam, dum gemit terram voluens, & fructus nullatenus metens. Audi Chryſoſtomum: *Quia vidit quòd hic reddit in fructu centum, ille ſexaginta, alius triginta, & non poterat rapere, & ſuffocare, quod radicatum erat, per aliam deceptionem inſidiatur inſerens ſua.* Subiicit: *Hinc etiam apparet diaboli malignitas: tunc enim ſeminauit, quando vniuerſa erant completa, vt magis noceret agricolæ ſtudio.* Non adeo grauis vrgeret calamitas, ſi adulterata tellus agriculturæ moleſtias diſſuaderet, aut ſi moleſtias fructibus remuneraret; ea tamen erat extrema calamitas, vt gelidæ hyemis, & torridæ æſtatis angoribus diuexaretur agricola; & fructu prorſus careret terra. Si afflictaris morbis, ſi vreris calamitatibus, fer viriliter, Deo immola patientiam, vt de laboribus virtutum meſſueris copiam: quid enim ſtultius, ac miſerabilius, quàm dolores ſuſtinere, & ſolùm dolorum fructus amittere.

Matth. 13. v. 24.

Chryſoſt.

156. Hanc extremam in Iobum calamitatem meditatus eſt dæmon fœminæ lingua vſus. Poſt

Digitized by Google

tot inimici ictus, adhuc animi vigor manebat illæſus; imo de ipſis iacturis maxima capiebat lucra, & ingentiſſima patientiæ fœnora: carnibus nudus, doloribus exhauſtus, laceris ferè omnibus artubus horridus, ſic in acie perſtabat immotus, vt victoriam deſperauerit inimicus in ſterquilinio ſedens de genu pugnabat certaminis palmam rapere anhelans, & omnes machinas hoſtiles patientia ad miraculum fruſtrans; verùm per mulierem meditata diabolus inſidioſè aggreditur, conſulitque, vt exaſperatus Deum maledictis proſcindat, vitæque

Iob.2.v.9. ærumnoſæ adeò finem imponat. *Dixit illi vxor ſua: Adhuc tu permanes in ſimplicitate tua? Benedic Deo, & morere.* Quid tunc Iob: Stultitiæ notat; imò arguit veſania. *Quaſi vna de ſtultis mulieribus locuta es.* Aptius videbatur: Quaſi vna de ſacrilegis, quandoquidem conſulebat blaſphemiam, & aduerſus Deum temeritatis procaciam. Temperauitne correptionem, ne dum exaggerat impudentiæ delictum, induraret mulieris animum? Non ſemel quò plus exulcerata turgeſcunt vulnera, leniori indigent manu, qua curentur, & maiori indulgentia, qua mulceantur. Benè; ſed arcanius hic eſt indagandum myſterium: ſtultam dixit, quia duo coniunxit imprudentiſſimè, ſcilicet oppetere mortem, & patientiæ abieciſſe virtutem, quandoquidem nec impatientia temperabat mortis anguſtiam, nec mortis anguſtia fructibus coronabat patientiam: vtriuſque partis aſperiora conſulebat eligere, internûs videlicet miſeriam, fructus inopiam: *Illa*, ſcribit Origenes lib. 2. in

Origenes Iob, *quam vxorem eſſe oportebat, & omnium bonorum conſiliatricem, ac ſuffragatricem, effecta eſt illi inſidiæ, retia, & fraus, ac totius impietatis conſiliatrix, vel fautrix: quamquam iuſtus Iob illam non audierit. Sed interim cùm ſe iſta miniſtram maligno effecit quantumque ad ipſam, circumuenire, atque ſupplantare Beatum Iob ſtuduit.* Ecce Iob dum laboribus premebatur, vnico luctabatur cum hoſte, ſcilicet dæmone, iam depræliatur cum duplici: at dû creſcit aduerſariorum copia, creſcit & victoriæ palma; iam quaſi manu facta de fœdere confidentes dæmon & vxor opprimere prorſus tentarunt, dum nec excuſare mortem, nec colere conſuluere virtutem. O quàm ſacrilega ſtultaque apparuit mulier, quæ labores nullatenus minuens ſolum priuabat laborum fructibus, ac patientiæ dignis prouentibus. Si ſuſtinenda ſunt mala, ſi tolerandi morbi, ſi filiorum orbitas patienda, ſi diuitiarum inopia toleranda, fructus collige tantæ meſſis, demete patientiæ falce, quæ æternis horreis inferas, & immortalitati cuſtodias.

157. Pharaoni dormienti imago futurorum obiicitur: vaccas videt ſqualore confectas, prorſuſque exuccas, quas ſeptem ſpicæ vredine percuſſæ ſequebantur, quò indubia eſſet regni calamitas, omniumque mitium frugum ſterilitas:

Geneſ.41. v.3. *Aliæ quoque ſeptem* (ſcilicet boues) *emergebant de flumine fœdæ, confectæque macie.* Addit textus: *Aliæ quoque totidem ſpicæ tenues, & percuſſæ vredine oriebantur.* Abulenſis locum interpretatus ait ex aliquorum ſententia in vaccis fœdis, macriſque innui malam arationem, & in ſpicis vredine percuſſis fructus inopiam: *Mala cultura innuitur per macilentas vaccas: quia debiliter & paucum colunt, & per ſpicas percuſſas vento vrente ſignatur mala ſeminatio: quia in granis iſtarum pauca vel nulla vis eſt ad pullulandum ſpicas.* Abulenſ. Ecce infeliciſſimam terram, quæ vomere ſcindebatur, quæ macris vaccis conculcabatur, & quæ ſpicas redderet fructu vacuas, & prorſus hominibus alendis ineptas. Si tellus non araretur, careret fructibus; ſed & culturæ laboribus: ſi arata produceret, ſuſtineret moleſtiam; ſed frugum haberet copiam; at dum arata ſordeſcit ſterilis, infeliciſſima comprobatur, & miſeranda prorſus deſpicitur.

Giezi iubetur accingi, baculum prophetæ apprehendere, & diligentiſſimè excurrere. 158. *Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade*: 4.Reg.4. v.29. excurrit præcinctus, baculum, hoc eſt crucem manibus gerens; ſed puero vitam nullatenus dilargitus eſt. Profectò Elias in crucis modum ſe extendit? ſed primus mortem lugubre canere docuit: Reuerſa eſt anima pueri intra eum. Eliſæus ſe contrahit, nec ſine labore curuus incumbit; ſed puer oſcitat luci reſtitutus: *Oſcitauit puer ſepties.* vterque propheta fructu laborem melliuit; 3.Reg.17. v.23. at Giezi infeliciſſimus nec ſtrictiſſimi cinguli vitauit moleſtiam, nec puero reddidit vitam. Certè ſi diſcinctus operaretur, caruiſſet fructu; ſed curſu non angeretur anhelo: ſi ligatura cruceque vexatus mortis tenebras abegiſſet, iam labores fructibus compenſaſſet; adeò verò infelix probatus eſt vt ſinguli crucisque rigores perpeſſus nullo fructu ſit recreatus. Hoc aiunt Hebræi accidiſſe neſcio qua elationis culpa. *Hoc fuit propter demeritum Giezi*, ſcribit Lyra ex Rabbinorum ſententia, Lyra. *qui non ſeruauit præceptum Eliſæi; ſed occurrentibus ſibi hominibus iactanter dicebat ſe miſſum ad ſuſcitandum mortuum.* Quàm lugendi ſunt nonnulli auſteram religionis vitam profeſſi, & ingenti labore prædicationis vexari, dum inani iactantia, & vana ſuperbia laborum amittunt fructus, cùm non vitarint cruciatus.

Quo Deus durum de Hebræis ſupplicium caperet, eis tradidit inimicis, qui nec impedirent agros colere, nec fructus permitterent metere: 159. *Oppreſſi ſunt valde ab eis.* Subdit cauſam: *Cum ſeuiſſet Iſraël, aſcendebat Madian & Amalec, cæterique orientalium nationum, & apud eos figentes tentoria, ſicut erant in herbis, cuncta vaſtabant.* Iudic.6. v.2. O quàm graui terebantur fortuna, dum nec illis licet otiari, nec laboribus licet potiri: gemebant terram colentes, laboribus diuexati, & gemitus repetebant ſpebus ac fructibus interdicti: *Madianitæ*, ſcribit Ioſephus lib. 5. antiquit. cap. 7. Ioſephus. *per æſtatem facientes expeditionem hyeme agros colere Iſraëlitas permittebant, vt poſſent denuo labores eorum vaſtare.* Si hyemis gelidiſſimæ tempore arua colere non permitterentur, duros excuſarent labores: ſi non deuaſtarentur, copioſas colligerent meſſes; at ea fuit improba aduerſariorum aſtutia, vt nec permitterent metere, nec agros impedirent excolere.

§. XXXV.

Digitized by Google

§. XXXV.

Calamitas de patientia ſæpè lenitur, de impatientia exaſperatur.

160. QVisquis ſæculi enauigat pelagus multis calamitatis vorticibus, aſperrimis ventorum flatibus ſæpe ſæpiùs concuti, & exagitari neceſſum eſt: filij chariſſimi amittuntur, ſalus labaſcit, diuitiæ euolant, vtque lactea maris tranquillitas horriſonam non ſemel vertitur in procellam, ita in miſeriam volui ſolet etiam fortuna: nihil eſt ſolidum, nil ſyncerum. Aduerſus peſtes iſtas remedia quærenda ſunt: & quidem probatiſſimum medicamentum eſt tolerantia: nam quæ incidunt triſtia, quæ toleratu dura, quæ horrenda, augentur de rabido furore, de impatientiſſima rabie, de immetata triſtitia, de ardentiſſima irarum flamma: qui fortiter calamitates ferunt, iratæ ſibi fortunæ vires non addunt; imò patientiæ clypeo ſe protegunt: & quidem ſi non fruſtrantur contorta tela, alta non recipiunt vulnera; ſed veluti cuti ſoli inhæret, quæ profundiſſima minabatur ſaluti plaga. Diſertè Seneca lib. 1. de ira, impatientiæ furoriſque flammas non ſolùm rationi aduerſas, ſed corpori pinxit eleganti ſtylo inimicas. *Flagrant, & micant oculi, multus ore toto rubor exæſtuante ab imis præcordiis ſanguine labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac ſurriguntur capilli, ſpiritus coactus ac ſtridens, articulorum ſe ipſos torquentium ſonus, gemitus, mugituſque.* Robur addit infortunio, qui patientiæ abiecit medicamentum: miteſcunt ſanè aſpera tolerantia, eneruantur dura patientiâ, manſuetudine melliuntur acerba, triſtis ſons, torua facies, exaſperatus furore animus miſeriæ inueniuntur ſemper auxilia, & corpori, ſalutique ſecura naufragia. Adonibezec ab hoſtibus captus pedum ac manuum ſummitates amiſit: *Comprehenderunt caſis ſummitatibus manuum eius ac pedum.* His acceptis vulneribus vitam luctuoſam ſanè finiuit, & ridentem olim felicitatem extremo opprobrio mutauit: *Adduxerunt eum in Ieruſalem, & ibi mortuus eſt.* Quærunt interpretes, quæ huius adeò citatæ mortis extiterit cauſa, quandoquidem ipſo atteſtante eadem, & eodem modo perpeſſi ſeptuaginta reges vitam longo temporum tractu produxerant: *Septuaginta reges,* ait, *amputatis manuum, ac pedum ſummitatibus colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias.* Si præciſio manuum ac pedum ſummitatum tot in regibus lethalis nullatenus comprobatur, quomodò in Adonibezec exitialis inuenitur? Quia Adonibezec, inquit Arias Montanus, eo arſit indignationis furore, ea furenti inflammatus eſt rabie, vt agitatis interiùs paſſionibus vulnera acriùs fuerint exaſperata, & viuidiùs deſæuierint accenſa. *Conſcientia propria faſtidioſa ægrimonia vulnerum, quæ aliàs non erant lethalia, dolorem adeò exacerbauit, vt mortem non multò pòſt attulerit homini capto.* Vulnera non tam irritata ſunt & exacerbata de hoſtili ferro, quàm de impatientiæ faſtidio. Sic intus rabida furoris flamma æſtuauit, vt leuia vulnera adulſerit, ingrauaritque: dum ſeptuaginta reges patientiùs calamitatem perferunt, diutiùs viuunt; at tyrannus ſuperbiſſimus dum indignabundus in fatum furit, dum in fortunam ſtomachatus deſæuit, vulnerum incrementauit offenſam, & mortalem ſibi de leui vulnere fecit plagam. Eſſet profectò deliniimentum aduerſitatis furorem patientia reprimere, & tolerantia rabiem mitigare. O quot homines dum exaſperati furunt, dum indignabundi exaſperantur, morbis ſubiiciunt flammas, & incrementant ſibi miſerias.

Seneca.

Montan.

Truculenta inuidia Chriſtum Dominum egit in crucem, nec contenta fuit auferre vitam, niſi denigraſſet & famam: duo nequam collaterales affixit, vt de peſſimorũ conſortio Chriſti innocentia vileſceret, & ſuſpicionem omnibus generaret: latronum alter cruciatuum dolore in impatientiam actus blaſphemiis iracundiæ ardorem euaporabat, & nec per breue tempus ferre ſtipitis duritiem valebat: *Si tu es Chriſtus, ſaluum fac temetipſum & nos:* alter ea patiebatur conſtantia, vt in futura tempora produci ſupplicia ægrè nullatenus ferret; ſed affixus expectaret: *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Si vterque crucis experitur moleſtias, ſi eaſdem ſuſtinet mortis anguſtias, cur alij miteſcit lignum, quando ſocio recrudeſcit tormentum? Quia bonus ille latro, ſcribit Euſebius Emiſſenus homil. de latrone beato, humilitatis & patientiæ medicamentum ſuſcepit, quo dolorum adſultus non modicè temperauit: *Nos quidem iuſtè: nam digna factis recipimus.* Ecce ſe diuinæ ſubiicit voluntati, non exaſperatus in pœnam; ſed vltro amplexus iniquitatis vindictam. Ea ergo voce, qua ſe ſubiecit, & dolores etiam ſopiuit: *Glorioſa voce præſentes temperat cruciatus.* Cruciatus de voluntatis conformitate temperantur, & de patientia ſopiuntur: ſimile vtrumque diſcruciabat patibulum; ſed furenti durius, fortiter ferenti lenius: ideò alter quærebat abſolui alter labores non recuſabat amplecti. 161.

Lucæ 23. v. 39.

Euſeb.

Hanc in Iobum machinam inſidioſè meditatus eſt dæmon: acceperat à Domino facultatem plagas inferendi; eo tamen pacto, vt vita non diſpoliaret: *Egreſſus Sathan a facie Domini percuſſit Iob vlcere peſſimo à planta pedis vſque ad verticem eius:* patientiæ columna nec tot fluctibus potuit elocari; imò nec tantiſper dimoueri: ſe offerebat Domino gratiſſimum holocauſtum, & ipſis lætabatur doloribus, quo gratius Deo exhiberet obſequium, nec ſolum immolabat corporis pellem; ſed affectas voluntatem. Quid tunc? Quo dæmon ſuæ peruerſitati adulетur, nec diuinis præceptis contraire videatur has excogitauit technas: per mulierem ad impatientiam exacuit, ad exacerbationem permouit, ad iram impulit, quo Iobus dum de impatientia exacerbauerit plagas, extremas ſubeat mortis duriſſimæ anguſtias. Mulieris lingua patrona vſus aiebat. *Benedic Deo & morere,* id eſt, non patienter adeò ſuſtineas; ſed inardeſce impatientiæ flammis, & furoris incendiis: hoc namque mortem tibi citiſſimam conciliabit, & inimico gaudium parturiet. Stultè locuta eſt mulier ſi religionem inſpicias. *Quaſi vna de ſtultis mulieribus locuta es*; ſed prudenter ſatis, ſi diaboli ſtudium attendas: nam cùm ille ad Iobi vitam torqueretur, nec auferre illi permiſſum, ſuſpirabat Iobum de impatientiæ malignitate plagas exacerbare, quo mortem citiſſimè obiens eius impleret ſtudium, & ad effectum perduceret deſiderium: 162.

Iob 2. v. 7.

Digitized by Google

Origen. deſiderium : *Pro his omnibus*, ſcribit Origenes lib. . . in Iob, *dic aliquod verbum in Dominum,& morere ; ſed tale verbum dic, vt continuò tibi mortem procuret.* Quod verbum ? Poſteà explicat: *Dic aliquod verbum,quod irritet , quod exacerbet, quod exaſperet.* Addit poſt aliqua : *Cum ſe iſta miniſtram maligno effecit, quantum ad ipſam, circumuenire atque ſupplantare beatum Iob ſtuduit.* Adeò plagæ de patientiæ tolerantiæque myrothecio deliniebantur, vt dæmon mortis auidus, poſt plagas ad impatientiam recurrat : quaſi maius venenum contra vitam fuerit exaſperata impatientia , quàm inflicta à dæmone plaga. Addit Origenes vxori adeò intolerabiles labores fuiſſe , vt illorum pondere hæc dixerit fatigata: & quidem mitiores labores erant aſſidere infirmo, laborioſas noctes ducere , & aliqualia remedia quærere , quàm ipſa vulnera pati ; verùm dum mulier patientia infelicitatem non delinit , oneri ſuccumbens gemit , & Iobus triumphat,quia tolerantia labores leuigat: *Quod tu dicturus es* (loquitur Origenes vxoris nomine) *post paululum ô Iob, menſes vacuos, & noctes dolorum ſuſtinui ; hoc, inquit, ego iam ex hoc ſuſtineo menſes vacuos pertranſiens propter immutabilem tuam paſſionem , & noctes dolorum peragens propter animam tuam in doloribus non ſuccumbentem : non enim te ita, ô Iob , iſti dolores affligunt, ſicut me tua tolerantia pernecat.* Minor de impatientia recrudeſcit mulieri calamitas , miteſcit Iobo & tolerantia maior aduerſitas.

163. Miro ingenio notabat Tertullianus dæmonem impatientia ſuam calamitatem auxiſſe , & miſeriam incrementaſſe. E cœlo ceciderat ſicut
Lucæ 18. v. 18. fulgur : *Videbam Sathanam ſicut fulgur de cœlo cadentem* ; verùm dum furit Adamo inuidens fulguris lucem ſerpentis facie commutat : nec ſolùm gemit de cœlo eiectus ; ſed ad aſſumptæ ſpeciei fœdas per terram ſpiras trahere iure
Gen. 3. v. 14. damnatus : *Quia feciſti hoc , maledictus es inter omnia animantia, & beſtias terræ , ſuper pectus tuum gradieris.* Dum de inuidentiæ armamentario , de impatientiæ ingenio dolores nititur temperare , probantur calamitates accreſcere: de fulgure ſerpens effugatus & effumigatus, ad ima detruſus, & torpentibus ſpiris lentè per
Tertullian. tellurem tractis fœdus : *Cùm Dominum Deum vniuerſa opera , quæ feciſſet* , (verba ſunt Septimij lib. de patient.cap. 5.) *imagini ſuæ, id eſt homini ſubieciſſ.. impatienter tulit : nec enim doluiſſet , ſi ſuſtinuiſſet* Ecce dolores ſibi conciliauit de impatientiæ delicto, cùm de impatientia ſtuduiſſet calamitatis remedio.

164. Populus ille Hebræus cùm ad Sinæi radices neceſſarias Moyſis moras impatienter ferens Deos ſibi producere quæreret, vt ad promiſſam terram citiùs inuolaret : *Fac nobis Deos , qui nos præcedant.* Ipſis ſuis figmentis moras æternarunt , vt iam non degerent in deſerto viui ; ſed auibus obiicerentur proiecti : *Ceciderunt in die illa quaſi viginti tria millia hominum.* Celeriùs perueniſſent, ſi patientiùs expectaſſent ; at dum de impatientia ſibi procudere conantur remedia , non dubia elaborauere ſibi ſupplicia : moras in deſerto auxerunt , quo minuere conati ſunt : peruenirent patientia felices , furore iacuerunt exacerbati. Adeſt Tertullianus lib. de
Tertullian. patient. cap. 5. *An non ipſum quoque Iſrael per impatientiam ſemper in Deum deliquiſſe manifeſtum eſt ? Exinde cùm oblitus brachij cœleſtis, quo Ægyptiis afflictationibus fuerat extractus , de Aaron ſibi duces poſtulat , cùm in idolum auri ſui collationes defundit.... Nunquam non per impatientiam delinquendo perierunt.* Mala ſua cumulauere irritati, qui emollirent patientia præditi. Ergo patientiam apprehende, quam optimè Tertullianus lib. de patient. cap. 3. Dei appellauit naturam : *Credere datum eſt patientiam Dei eſſe naturam effectam, & præſtantiam ingenitæ cuiuſdam proprietatis* : vt ergo Deus omnis doloris expers degit placidiſſimè, ſic patiens cognationis priuilegio ſimilem videtur naturam ſortiri, quandoquidem ſi non expers inuenitur dolorem vincens. Ergo Adonibezec , dum iræ furoriſque pertinacia exacerbat vulnera,mortis ſibi accelerauit tormenta.

---

§. XXXVI.

Regiam dignitatem dedecorat crudelis ſæuitia , nobilis commendat clementia.

SEueritatem ſcelera reprimere,& virtutes alere nulli dubium : non morbi omnes eadem 165.
medicina curantur : ferrum aliquando candens adurit , aliquando non ingratus ſuccus humorem peſtilentem expellit. *Seueritas publica*, aie- Caſſiod.
bat Caſſiodorus 8. var. 27. *ſicut ab innocentibus vacat , ita neceſſe eſt , vt in ſceleratis operam ſuæ diſtrictionis impendat : quia non ſemper vnum merentur iudicium diuerſa merita perſonarum: morbi ipſi diſſimilibus ſuccis ſanantur herbarum: alius cibi, alius ferrum optatam reuocat ſoſpitatem, & pro qualitate paſſionis præceptum merentur artificis.* Graues , inueteratique morbi piè ſæuum expetunt curationis , auxilium, leues non ſuſtinent auſterum remedium ; verùm etſi aliquando ad acerbitatem cauſa compellat;regia tamen dignitas benignitatis clementiam ſuadeat : deterreat Princeps aliquando ſeuerus ; ſed ſibi deuinciat affectus ferè ſemper indulgentiſſimus.
Princeps, aiebat Plutarchus ad Principem in- Plutarch.
doctum , *cuncta ordinantis ſimulacrum Dei.* Princeps Dei
Vt ergo Iupiter frequentius tonitrui fragore eſt ſimulacrum.
terret , quàm feriat fulmine ; imò rarò tonat aures horriſono fragore diuerberando ; ſed placida ſerenitate animos recreat alliciendo ; ita Princeps vti Dei vicarius non feriet ſeueritate; ſed alliciet manſuetudine. Adonibezec Bezec regulus regio mulctatur nomine , cum tamen regia refulſerit dignitate. *Fugit Adonibezec, quem per ecuti comprehenderunt.* Ad victoriæ plauſum pertinebat detriumphati dignitas , & deuicti regis maieſtas, cur ergo quem deuictum prodidit , & regem textus non appellauit? Quia prorſus à clementia inueniebatur alienus , ob idque regio maieſtatis nomine indignus. Ecquis hoc ait ? Ipſe profectò : *Dixit Adonibezec : ſeptuaginta Reges amputatis manuum ac pedum ſummitatibus colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias ; ſicut feci, ita reddidit mihi Deus.* Regio iuſtè nomine inueniebatur mulctatus , qui non abſque dignitatis iniuria ſæuus : nil mirum , ſi per miniſtrum fœdifragos reges iuberet puniri; ſed indignum illorum calamitatibus oblectari.
Hoc fecerat iſte Adonibezec, ſcribit Lyra, *ex ma-* Lyra.
gna crudelitate , & ſuperbia ad oſtentationem victoriarum,quas habuerat : victorem ſe oſtentauit,

non

Digitized by Google

non regem oſtendit: dedecet namque regios oculos non ſolum calamitatibus oblectari; ſed viſis medelam calamitatibus non afferre. *Animus reipublicæ tu es*, ſcribebat Seneca lib. 1. de clement. cap. 5. *illa corpus tuum: vides, vt puto, quam neceſſaria clementia ſit: tibi enim parcis, cùm videris alteri parcere: parcendum itaque eſt etiam improbandis ciuibus, non aliter quàm membris languentibus, & ſi quando miſſo ſanguine opus eſt, ſuſtinendum eſt, ne vltra quam neceſſum ſit, incidas: eſt ergo, vt dicebam, clementia omnibus quidem hominibus ſecundum naturam maximè tamen decora imperatoribus.* Imperatoriæ dignitatis grandius ornamentum clementia eſt, quando tantiſper dignitatem obſcurat alienum laborem vidiſſe, & videndo non releuaſſe.

Seneca.

Clementia decor eſt maieſtatis.

166. Nabuchodonoſor, vt qui elatiſſima turgebat ſuperbia præſumptuoſiſſimus ſtatuam inſanis ſumptibus fabricauit, & adorandam propoſuit; nec tamen adeò ſceleſtum flagitium regio priuauit nomine. Poſteà vngues velut auium ſortitus à throno expellitur: *Ex hominibus abiectus eſt, & fœnum vt bos comedit, & rore cæli corpus eius infectum eſt, donec capilli eius in ſimilitudinem aquilarum creſcerent, & vngues eius quaſi auium.* Bruti ad inſtar habetur, dum ferinis vnguibus obarmatur. Et cur qui diuinitatem ambitioſiſſimè affectans regio throno non eſt mulctatus, vngues producens ſolio eſt Imperiali detruſus: Quia ferina mente, reſpondet Theodoretus orat. 4. ſic in ſubditos furebat, vt vnguibus diſcerperet, feræque ad inſtar dilaniaret: ergo licèt inflatiſſima throno non mulctarit ſuperbia, cruenta throno iurè priuauit ſæuitia: dignitati namque ſuperbia inuenitur cognata, ſæuitia aliena: *Cùm eſſet in honore maximo, non intellexit; ſed comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis: & in ſibi ſubiectos ferina mente & animo fuerat, meritò etiam ferina & agreſti vita iuſtiſſimè damnatus fuit:* Dedecebat regia maieſtate fulgere, quem conſtabat in ſibi ſubiectos ferali crudelitate ſæuiṫe. Regia dignitas vtpotè cuius arbitrio vita ſaluſque commiſſa eſt magnos creat animos, homineſque reddit ſuperbos; at delectari ſanguine, recreari calamitatibus, alienis oblectari doloribus, rege inuenitur indignum; imò ab homine prorſus alienum.

Dan. 4. v. 30.

Theodor.

167. Dauid ſtola paſtoritia indutus, in Goliat inſurgit, qui cùm inſtar montis ſtaret, ante conflictum Iſraëlitas cogebat detrectare pugnam, & concedere metu cogente victoriam: ſcuto, lorica, galea reſplendens armabatur, & qua vtebatur haſta, erat pro modo corporis, tantoque communem armaturam ſuperabat, quantò ſupra humanæ ille naturæ terminos ſe efferebat; verùm miſſo lapide galea rumpebatur, plagam citiſſimè caput admittebat, & anima de corpore fugiebat: fati celeritate ſenſu mortis caruit, vt remedium non inueniret percuſſus, qui pericula deſpexerat ſuperbiſſimus: *Præualuit Dauid aduerſus Philiſthæum in funda & lapide, percuſſumque Philiſthæum interfecit.* Poſt Goliat prælium acrius & periculoſius Dauidi prælium ſucceſſit: nam Saül inuidentiæ œſtro agitatus, non ſecus doluit victoriam, ac lugere poſſet populi extremam miſeriam: Dauidem perſequitur, & qui à dæmone inhabitatus cantu medentem dilexerat, inuidentiâ aduſtus affectu deprauatiſſimo oderat. Iam inueſperaſcebat, cùm Dauid obiacens ſpelæum ingreditur, vt ingratiſſimi hoſtis inoculatas vitaret inſidias, profundiores perquirens cauernæ latebras; verùm & Saül cùm ſumma imprudentia ingreditur neſcio qua neceſſitate compulſus. Quid tunc Dauid? Chlamydis oram præcidit, & ſententiam à Deo latam humaniſſimè temperauit: hic Saül iam Dauidem regnaturum agnoſcit: *Et nunc quia ſcio quòd certiſſimè regnaturus ſis, & habiturus in manu tua regnum Iſraël, iura mihi in Domino, ne deleas ſemen meum poſt me, neque auferas nomen meum de domo patris mei.* Videamus, ſi placet, cur Saül regem agnoſcat modò, cùm anteà regem non crediderit: ait namque: *Et nunc quia ſcio quòd regnaturus ſis.* Profectò obtenta de gigante victoria Regem videbatur deprædicare, & Imperatorem oſtendere; & tamen nunc Saül regem autumat, cùm anteà victoria non perſuaſerit, nec ad obſequium impleuerit. Ecqua huius cauſa eſt? Quis anteà lapidis ictu ſanguinem fudit, hoſtemque præuento carnificis officio, etſi digniſſimè, iugulauit; modo verò ſanguine abſtinuit, & quam in Saülem poſſet exercere ſententiam, in veſtimenti exercere contentus eſt oram. Ergo dum clementem agnouit, regem exertis vocibus inclamauit. *Magna erat*, inquit Baſilius Seleucienſis orat. 16. *humanitati cum improbitate, iuri cum iniuria, feritati cum manſuetudine certatio: hic totus erat, vt oppugnantem conſeruaret, ille vt conſeruatorem perderet.* Magnis luxerat Dauid virtutibus gigantem poſternens; verùm effuſus propria manu ſanguis egregium deprædicabat militem; at dum clementia viget, ipſa animi lenitas in dubio teſtimonio vel inuidiæ indicauit regem: eſt enim clementia veluti regiæ dignitatis teſſera: vt è contrà exauguratio ſæuitia. Iure Adonibezec regio priuatur nomine, dum ſe tot regum teſtatur oblectatum effuſo ſanguine.

1. Reg 17. v. 50.

Deterior eſt inuidus, quàm à dæmone inhabitatus.

1. Reg. 24. v. 21.

Seleucienſ.

Chriſtus Dominus ea reſplendebat humanitate, vt teſte Tertulliano lib. de patientia, ſua ſibi patientia detraheret: ſuſtinebat ingratiſſimos homines, cedebat inſidiatoribus, beneficiebat inuidis, eamque æquanimitatis formam oſtendit, vt vel cæciſſimis ſe Regem, & Dominum non ſuperbiæ faſtu; ſed beneficiorum oſtenderet cenſu; aſt vbi manſuetudo & clementia ad dignitatis iniuriam detorquebantur, ſeueritatis oſtendit ſpeciem; eo tamen prudentiæ moderamine vindictam temperauit, vt qui hominibus ingeſſerat beneficia, in planta ſeueritatis oſtenderet documenta: ficum foliis redundantibus ſuperbam, & fructibus maledixit caſſam, vt plantæ ariditas potentiæ euaderet argumentum, & clementiæ ſimul elogium: *Nunquam ex te*, aiebat, *fructus naſcatur in ſempiternum: & areſacta eſt continuò ficulnea.* Hieronymus quo ſolet ingenij acumine expendebat ſic exercuiſſe ſeueritatem, vt ipſa ſeueritas eſſet poteſtatis indicium, & manſuetudinis argumentum: noluit vtpote ad puniendum impotens deſpici, noluit vti ſeueriſſimus declinari; ſed eo modo ſeueritatem temperauit clementia, & clementiam commendauit ſeueritate, vt omnibus notum eſſet facillimè poſſe punire; ſed pro genij manſuetudine miſereri: *Et in hoc quidem*, inquit Hieronymus apud D. Thomam, *bonitatis Dominicæ argumentum reperimus: nam vbi afferre voluit procuratæ per ſe ſalutis exemplum, virtutis ſuæ poteſtatem in humanis corporibus exercuit, ſpem futurorum, & animæ ſalutem curis præſentium ægritudinum* 168.

Matth. 21. v. 19.

Hieron.

num commendans; nunc verò vbi in contumaces ſeueritatis formam conſtituebat, futuri ſpeciem damno arboris indicauit. Non credebant Dominum quia ſæculo neſciebant iratum: ergo vt poteſtati ſine humanitatis iniuria adularetur, arboris ſolùm diſcrimine omnes deterruit, & quam eſſet indulgentiſſimus, ipſo ſupplicio indicauit. Regibus expedit contumaces comprimere; verùm, ſi fieri poteſt, ipſa ſunt comprimendi benignitate: oſtendat poteſtatem ſupplicium; ſed in planta exercitum humaniſſimum teſtetur ingenium: humano namque ſanguine delectati eſt tyrannorum, non Regis: miniſtris competit punire, ſatis eſt imperatorem minari: non dedecet Reipublicæ adminiſtrum, quando oportet gladium ſtringere, & ſeueritatis verberibus referire; at regia manus premit virgam ad dignitatis teſtimonium; non ad puniendi exercitium.

169. Fugiebat populus Pharaonis tyrannidem, cùm mare greſſus tardabat; ſed Moyſes virga percuſſum montium ad inſtar firmitudinem addiſcere vndas coëgit: *Cùm extendiſſet Moyſes manum ſuper mare, abſtulit illud Dominus.* Exodi 14. v.21. Vides mare virga percuſſum ingenium imitari murorum: tranſi modò cogitatione ad Matth. 8. vbi cum diſcipuli nauigarent, & Dominus arcanum caperet ſomnum, fluctus in diſcipulos armabantur, elati venti ſonitu horriſono aures diuerberabant: nauigium contorquebatur, fragor animos percellebat, rudentes collabebantur, ac denique inuſitata tempeſtas minabatur per momenta naufragium. Quid tunc? Ad portum in ſcapha dormientem accurrunt, Dominum excitant, illeque vndis minatur, & trepidantium animos ſedat: *Surgens imperauit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna.* Math 8. v.26. Baſilius Seleucienſis diſcrimen inter Moyſem & Chriſtum Dominum expendebat: nec enim Moyſes verbo continuit, nec Dominus verbere incuſſo coërcuit: & cur Chriſtus mare non feriat, vt audaciam, quam in diſcipulos oſtenderat inflictis verberibus comprimat? Aut cur Moyſes fluctus non cogat in cumulum verbo minaci; ſed verbere? Quia vterque, inquit Baſilius orat. 21. ſuo muneri ſatisfecit: Moyſes erat adminiſter, Chriſtus Dominus regum Rex: ergo Dominus verbo minaci continuit, Moyſes virga verberauit: Seleucienſ. *Olim mare Moyſem fugit, & Moyſis Dominum venerabatur tamquam mancipium incompoſitis moribus.* Attentiùs audi quæ ſubdit: *verbo minaci mare continet Deus, & modica voce ingens elementum refrænabatur.* Vel vocis ſonum Dominus temperauit, ne grandi voce comprimeret; ſed modica refrænaret: Moyſes percuſſit: Dominus à verbere abſtinuit: erat enim clementia dignitatis teſtimonium, vt in Moyſe verber ſeruitutis argumentum: Dominus mare continuit minis, Moyſes refrænauit flagris: voluit Dominus oſtendere, cùm punire poſſet clementiam: bene ſe geſſit Moyſes comprimendo verbere audaciam.

§. XXXVII.

Poſt mortem viuunt ſtrenui, mortem ſuam anteceſſerunt ignaui.

Fateor, ſic eſt, noſtra mortem caduca aſciſcit natura; ſed negare nequimus turpiſſimâ præmaturari ſæpiùs ignauia: mortem expectat honorabilem vitæ clauſulam ſtrenuus; ſed otio ac ignauiæ deditus ignobilem patitur occaſum viuus: iam in conditiuo degit, qui ad vitæ ſolum dedecus tempus producit: non eſt vita, quæ laſciuiæ vocat deliciis, & deliciarum fallaciis: eò otioſus à mortuo diſtat, quòd vnus ſine culpabili iacet nota; ſed alter damnabili marcet culpa. Appetitus vernula non eſt ſui iuris; ſed ignominioſæ tyrannidis. Quàm benè Seneca epiſt. 60. *Hos itaque, vt ait Saluſtius, ventri obedientes animalium loco numeremus, non hominum: quoſdam verò ne animalium quidem; ſed mortuorum: viuit is, qui ſe vtitur; qui verò latitant, & torpent, ſic in domo ſunt tamquam in conditiuo. Horum licèt in limine ipſo nomen marmori inſcribas, mortem ſuam anteceſſerunt.* Peſtifera profectò induſtria, quæ nouit inſerere vitæ mortem, vel ante temporis finem. Refert pretioſus limine porphydites aliquando otioſè viuentis nomen; ſed mentitur: mortem namque ſuam anteceſſit delicioſus, & voluptatibus reſolutus: viuit is, qui ſe vtitur, qui verò marcet, & alget, & ſedet cadauer imperfectum eſſe probatur. Iſraëlitæ manus cum aduerſariis conſerunt, & indecorè terga vertentem Adonibezec regem capiunt. *Fugit Adonibezec, quem perſecuti comprehenderunt:* captum non interimunt; ſed manuum ac pedum ſummitates præcidunt: *Cæſis ſummitatibus manuum eius ac pedum.* Hîc Abulenſis quæſtione 9. diſputat. an Iſraëlitæ legem violauerint, cùm Chananæum viuere contra legem permiſerint: *Iuſſum erat quòd de Chananæis nullum omnino viuere permitterent Iſraëlitæ ſub aliqua conditione pacis, tributi, vel ſeruitutis, vt patet Deuteronom. 20. capitulo; Adonibezec tamen erat Chananæus: ergo peccabant eum dimittendo viuere:* Reſpondet quæſtioni: *Non peccarunt dimittendo eum viuere: quia non dimittebant eum, vt viueret.* Adonibezec manuum ac pedum præciſis ſummitatibus ſe vti non poterat prorſus ad omnem operationem inhabilis, ſicque pro mortuo habetur ignauus, & inter excedentes annumeratur otioſus, vt Hebræi non violarint præceptum, dum omnem hominis abſtulerint vſum. Quid diſtabat à trunco homo ſine actionis decore, & progreſſionis priuatus iure? Profectò mortem ſuam anteceſſit viuus, dum probabatur otioſus. 170.

Seneca. Ventri dediti bruti ad inſtar eſt. Abulenſ.

171. Morte Ioſue ſuperiùs enarrata iterum glorioſæ eius referuntur actiones, & quaſi viuus exprimitur, etiam cùm defunctus lugetur: *Dimiſit Ioſue populum, & abierunt filij Iſraël vnuſquiſque in poſſeſſionem ſuam:* Iudic. 2. v. 6. Notauit Hieronymus lib. 1. aduerſus Iouinianum: *Cùm in ſepultura Ieſu liber, qui ex eius nomine appellatur, expletus ſit, rurſum in Iudicum volumine quaſi viuens reſurgenſque deſcribitur & ſub ἀνακεφαλαιώσει opera ipſius prædicantur, & legitur: Dimiſit Ieſus populum.* Ioſue adhuc poſt mortem viuit famæ,

Hieron.

famæ, & famam æternat gloriæ: Quaſi viuens reſurgenſque deſcribitur: poſt mortem incipit coronari, qui in vita nouit heroicis actionibus refulgere: adhuc inter viuos degit, & adhuc actione viget: vt noueris noſtram theſim eſſe veriſſimam, ſcilicet vel poſt mortem viuere ſtrenuum, & adhuc viuentem mortem ſuam anteuertere ignauum.

172. Ioannes thronum intuetur artis induſtria materiam, & quidem excellentiſſimam ſuperantem: ibi eminebat agnus ſtans aduerſus temporis morſus, & ſpecie quidem occiſus:

Apoc. 5. v. 6.

Et vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio ſeniorum agnum ſtantem tamquam occiſum: agnum à ſeipſo diſſidere cenſebis: nam ſi occiſus, non ſtabit erectus; ſed iacebit ſemper proſtratus; aut mortem non guſtauit, ſi firmus, imò æternus throno refulſit. Eccur ergo Ioannes ſibi ad ſpeciem repugnantia coniungat, ſcilicet agnum & mortis ſubiiſſe damna, & actuoſæ vitæ implere exactiſſimè penſa. Stat, inquit, occiſus, quia mors nequiuit proſternere ſtrenuum; ſed ſtrenuus mortem ferè exarmauit, & certè appendices eius præcidit: leonis fortitudinem patientia oſtendit: minus ſe fortiſſimum exhibuiſſet, leonis adinſtar aduerſarios dilaniando, quàm agni forma inimicos ſuſtinendo. Vicit leo: quia paſſus eſt agnus, & manſuetudo fortitudinis extitit index, & triumphus manſuetudinis fuit appendix. Itaque agnus poſt mortem vixit, dum totus orbis laudibus eius reſonuit.

Ambroſ.

Agnus, ſcribit Ambroſius hic, *non occiſus; ſed tamquam occiſus viſus eſt: quia mortem in tranſitu guſtauit.* Mortem profectò guſtauit; ſed dum diabolum patientia vicit, dum librum ſigillis clauſum aperuit, vel poſt mortem ſtat, veluti de morte triumphans, & de iniuriis temporum ouans. Et cur mortuum credas, cuius laudes omnium reſonant ora, & prædicatura ſunt ſæcula: pugnando occubuit; ſed occumbendo glorioſè vixit: mors ipſa glorioſioris vitæ fuit fulcrum: quia æternæ famæ perſeuerat monumentum. Audi quid intonent creaturæ: Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & diuinitatem, & ſapientiam: immortalia poſt mortem accepit, & poſt mortem æternus vixit.

173. Dæmon hominem ſibi effecerat domicilium: ſic in homines furor ardet, vt humanos dolores putarit ſibi delicias, & vti exquiſitas voluptates hominum exambiat miſerias. O diabolicum, & deteſtandum ingenium, de alienis calamitatibus iucundari, & doloribus alienis viuere; verùm in hoc vno huius nequiſſimi ſpiritus aliqualis refulſit prudentia quod huiuſcemodi hominem amandarit ſepulchris, & annumerauerit mortuis:

Marci 5. v. 2.

Exeunti ei de naui ſtatim occurrit de monumentis homo in ſpiritu immundo, qui domicilium habebat in monumentis. Et cur ante mortem nitatur fœtidis hominem amandare ſepulchris? Cur ante exceſſum tradiderit conditiuis. Innuit non obſcurè iam textus: *In ſpiritu*, inquit, *immundo.* Homo hîc corporis ſectabatur delicias, totus voluptatibus deditus, totus cupiditatibus reſolutus: dignè ergo vel ſuperſtes amandabatur ſepulchris, vt conſtaret plures vel ante mortem rationali vita carere, & ſepulchra vel in ipſa vita ſubire:

Chryſol.

Contenti non ſunt, aiebat Chryſologus ſerm. 16. *mori homines; ſed viuos homines geſtiunt ſepelire.* Si homo ille ſpiritui non ſeruiſſet immundo, ante mortem vita frueretur; at dum deliciis reſoluitur, viuens iure ſepulchris fœtidis amandatur: indignum eſſet huius expectare mortem, dignum fuit vti mortuum ſepelire, & mortuis adhuc radiante lumine inſerere. Iure contentus non erat dæmon parcam expectare; ſed viuum adnixus eſt ſepelire. O quot homines ſepulchris poſſent committi, & mortuorum caliginibus mancipari. Diſertè aiebat Virgilius:

Virgil.

Namque vt ſupremam falſa inter gaudia noctem,
Egerimus, nocti.

Supremam noctem vocauit, quam inertiæ, & voluptati imprudenter adduxit. Non tulit mortem; ſed nec potitus eſt vitam: putas inter vitam mortemque nihil intercedere? Egregiè quidem falleris: turpis namque intercedit ignauia: putas viuere, quem otioſa tenet inertia, quem indigna ſibi addixere gaudia? Anni computandi non ſunt à die ortus; ſed ab operationis natali. Redeat Seneca citato loco: *Omnem luxurioſi noctem inter falſa gaudia, & quidem tamquam ſupremam agunt.* Seneca. Suprema nox illis contigit quibus adhæſit ignauia, & tenuit ſemper inertia. In morte viuit, qui ſe vtitur, qui dignis facinoribus coronatur.

Deus Moyſi oues in deſerto agenti conſpicuus obiicitur, in Pharaonem tyrannum obarmat, & ne poteſtatis careat argumentis, virgam iubet in terram proiicere: obtemperauit extemplò ille, & proiecta virga in animatum colubrum verſa eſt: *Verſa eſt in colubrum.* Exodi 4. v. 3. Iſidorus in quæſtion. in Exod. cap. 28. in hiſtoria myſteriorum medullam quærens virgam ait in ſerpente Chriſtum Dominum adumbrare: Iſidor. *Virga itaque in ſerpente Chriſtus in morte;* Verùm tanti Doctoris pace longè imago à veritate videtur diſtare: Chriſtus namque in morte ſua ſpiritum emittens occubuit; at virga in ſerpentem conuerſa attraxit: elegantius quidem Chriſti mortem ſymbolum adumbraſſet, ſi virga demortuum ſerpentem oculis ſubieciſſet, at dum caput ſerpens erigit, dum Moyſi terrorem incutit, ſignificato nequit conuenire; ſed conſtat à veritate diſtare. Imò, inquit Iſidorus, vt veritatem nobis depingat, coluber vitam oſtentat. Nonne magnos ſerpentes abſorbuit? Nonne vel imagines falſitatis protriuit? Ergo dum vitam extirpandis criminibus impendit, dum hoſtes detriumphando ſuccumbit, vitam adhuc alit, & poſt mortem æternùm viuit. Si ſerpens ille latebris deliteſceret, otia ſectaretur, mortuis debuiſſet annumerari, quantumuis vita conſtaret frui; at dum diuinum curat honorem, dum in veritatis hoſtes inſurgit, dum morte propria multorum redimit vitam, vel in ipſo caſu lucet, & inuerſis iure mortalitatis legibus viuit. O ſi ſcires in ipſa mortis officina perpetem tibi vitam parare, & ingenium nobiliter degenerando deponere. O ſi ſcires à vita mortem abſcindere, nec mortis iniurias viuendo perpeti! Non viuit iners, nec ſtrenuus moritur: alter namque Phœnicis ad inſtar glorioſis ſe de fauillis producit, alter indignis factis vel in ipſa vita perit. 174.

F §. XXXVIII.

§. XXXVIII.

Peccatores ſuis artibus pereunt & quod in alios maligniſſimè architectantur, in ſe præter opinionem moliuntur.

175. SCeleta oblectamenta promittunt; ſed dolores vrgentiſſimos pariunt: non opus eſt trucem ad vindictam armari carnificem: ipſa ſibi culpa carnifex eſt: præuenit malè ſibi fida conſcientia tortoris ſemper officium, & ſibi molitur tormentum: cupiditas dum inhoneſtum exambit lucrum, iuſtum incurrere ſolet diſpendium, & quod ad aliis nocendum fabricat manus, contra ſe ipſam fabricatum non ſemel oculis oſtendit euentus: non eſt in crimine vlla commoditas, nulla in malignitate tranquillitas. Vt enim ſæpè accidit tormentum bellicum in alium præparatum diſrumpi, & contraria via contorquentem ipſum ferire, ita malignitatis machina in alium excogitata ipſum ſolet cogitantem opprimere, & ſtudia iniquiſſima vindicare. Quàm benè Heſiodus apud Lippoman.
Heſiod. *Malum conſilium conſultori peſſimum* Ecce Adonibezec à Dei populo comprehenſus manuum pedumque ſummitatibus diſpoliatur: Fugit Adonibezec, quem perſecuti comprehenderunt cæſis ſummitatibus manuum eius ac pedum. Calamitas mentis aciem reluminauit, & in ſe ipſum hæc excogitaſſe cæſus agnouit. *Dixit Adonibezec: ſeptuaginta reges amputatis manuum ac pedum ſummitatibus colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias: ſicut feci, ita reddidit mihi Deus.* Redditum illi eſt, quod ipſe fecit: nihil aliud perpeſſus eſt, niſi quod ipſe in alios excogitauit: non tuliſſet, niſi vindictæ exemplar monſtraſſet:
Hugo. *Non eſt lex æquior vlla*, ſcribit Hugo Charenſis hîc, *quàm necis artifices arte perire ſua.* Suis artibus periit, & in ſe ipſum, quæ in alios excogitat, fabricauit. O quàm ſceleſti à ſuis debuiſſent cauere artibus, quando Goliat gladium fabricat
Seleucienſ. ipſo iugulandus, & capite diuidendus: *Cum Goliat arma fabricaret*, ſcribit Baſilius Seleucienſis orat. 15. *id ſe in vſus Dauidis facere, & proprij iugulatoris baculum in aduerſarij habitu ſe Dauidi venire ſubſidio ignorabat* Cótra improbum grandius iuſto ſubſidium improbus ipſe eſt, quandoquidem quæ malignitatis ingenio in alium excogitat, in ſe ipſum præter opinionem armat: non haberet Dauid gladium, niſi Goliat in alium exacuiſſet, & laborioſè paraſſet.

176. Dauid peſſimorum depingit ſtudia, & proprio
Pſal. 36. v. 14. ſudore elaborata tormenta: *Gladium*, inquit, *euaginauerunt peccatores, intenderunt arcum ſuum, vt deiiciant pauperem, & inopem, vt trucident rectos corde.* Iuſtorum neces ſuſpirant, & mortem parare anhelant. Quid tunc? ſuis perimũtur gladiis, & cum manum in alios mittunt, ad vulnera propria conuertunt: *Gladius eorũ intret in corda ipſorum, & arcus eorum confringatur.* Proh quàm contrarius ſtudiis inuenitur illorum gladius! in aliena parabatur corpora, & peccatorum penetrat interanea: non fuit iuſtis opus quid laborare ad vindictam, quando improbi iuſtorum propria laboris induſtria perficiunt cauſam. Adeſt Ambroſius ad hunc locum: Ambroſ. *Vt quemadmodum*, inquit, *reuertitur pax in Dei ſeruulos ab iis, qui non receperint benedicentium pacem, ita etiam malitia peccatorum, quæ iuſto nocere conantur, in eorum perniciem reuertatur, quò ſuis telis, & vulneribus trucidentur:* ſæpe enim iacula in ipſos, qui ea iecerint refunduntur. Quæ iuſti arma poſſent parare ad vindictam diſponunt improbi ad ſibi infligenda & plagam, quo fit, vt fruſtrentur ardenti malignitatis ſtudio, & pœnas dent inflicto iuſtè ſupplicio.

177. Diabolus eo in homines furore ardet, vt viuere non ſuſtineat: miſerum nactus contentus non fuit ſæuiſſimis diſcruciare doloribus; ſed obſcuris tradidit etiam ſpecubus: ſic furori ſuo virulentiſſimus hoſtis adulabatur; amandabat ſepulchris, quia vitam ferre non poterat; & ſepeliebat viuum, quia hominis vel breuiſſima vita erat prolixum illi tormentum. Et vitam ipſa quidem morte acerbiorē, quandoquidem ad pœnam ſeruabat ſenſum, & ad doloris materiam ſuſtinebat ſepulchrum: *Exeunti ei de naui ſtatim occurrit de monumentis homo in ſpiritu immundo, qui domicilium habebat in monumentis.* Mat. 5. v. 2. Chryſol. ſerm. 16. & Seleucienſis Baſilius orat. 3. quo ingenij ſolent acumine, expendunt non ſolum hominem; ſed dæmonum etiam pati ſepulchrũ: nequiſſimus ſpiritus molitur homini ſepulchri mulctam; ſed in ſe etiam architectatur & pœnam: Chryſol. *Attendite quæ ſæuitia* (verba ſunt Chryſologi) *quis furor, quæ rabies dæmonum erga humanũ genus: quamuis breue tempus hominum ferre non poſſunt: contenti non ſunt mori homines; ſed viuos homines geſtiunt ſepelire.* Attende accuratiùs quæ ſubdit: *ſe ſepulchris mandant, vt homines redigant in ſepulchra.* Ecce in ſe dæmon molitus eſt, quod ad perniciē hominis cogitauit: ipſe conditiuum patitur, dum mortali parat ſepulchrum. O quàm gehennalis ardebat furor, quando vel proprio damno alieno ſtudebat incommodo, quando illi iucundum erat detrimentum proprium, dum pareret detrimentum alienum. Profectò aliis nocere, quando conſuluit cæca voluptas, aut indigna ſuaſit commoditas, eſſe cõprobatur humanum; at vel proprio dãno nocere, non probari nequit diabolicum. Annuit, vt dicebam, theſi noſtræ Baſilius: Seleucienſ. *Cùm ipſe dæmonum eſſet domicilium, pro domicilio habebat monumenta, vt & habitans, & vnà habitatus mortuos inter habitare cogeretur* Cogitur malignus inter mortuos habitare, dum geſtit viuos homines ſepelire: vt noueris contra ſe ipſum excogitaſſe, quod ad hominis perniciem conſtat inueniſſe.

178. Saül cum multa malignè cogitata in Dauid illi nullatenus ſucceſſiſſent, poſtremò vt morti traderet, filiam ſuam in matrimonium dare diſpoſuit: *Dabo eam illi, vt fiat ei in ſcandalum, & ſit ſuper eum manus Philiſthinorum.* 1. Reg. 18. v. 21. Scriptura Saülis nequitiam notans animum proditorem euulgat: nec enim ſponſum ante regales nuptias optabat ſpoliis redimiri; ſed in ambitionis audaciæque ſupplicium à Philiſthæis præconſumi; verùm quid ſponſa ad ſcandalum data fecerit, audiamus: Miſſis ſatellitibus Dauidis domus obſidebatur, nec facilis apparebat exitus; verùm in adeò difficili rerum articulo Michol virum periculo liberat, & artibus tempus ad fugiendum protelat: *Depoſuit eum per feneſtram; porrò ille abiit, & aufugit, atque ſaluatus eſt.* 1. Reg. 19. v. 12. Ecce quod ad Dauidis moliebatur perniciem, ad ipſius inuentum eſt cladem: mulier Dauidi fuit ſalutis cauſa, quò certior Saüli maneret ruina. *Ignorabat*, ſcribit Baſilius orat. 16. *interim Saül auxiliatricem, non inſidiatricem dediſſe*

Digitized by Google

Seleuc'enſ. *dediſſe ſe, vitæ cuſtodem, non mortis adiutricem; illa verò improbato parentis furore virum à iugulatione ereptum fuga dimittit.* Ecce nuptias vaferrimus ad interitum cogitauit; ſed ad ſalutem inuenit: quod Dauidi parabat excidium, ſibi experitur tormentum: ſuis artibus ſibi nocuit, & quibus nitebatur fouere improbiſſima ſtudia, ipſiſſimis fruſtratus eſt vota: ſponſa data Dauidi præſentiſſimum vti venenum, euaſit antidotum, & quam Saül ſibi fore putauit antidotum, paſſus eſt filiam venenum. O obcæcatas peccatorum cogitationes! ſuis artibus pereunt, & quæ aduerſus alios cogitant, contra ſe ipſos iuſtiſſimè inueniunt, quò grauiori diſrumpantur dolore, dum non ſolùm inueniuntur aberraſſe ab ſcopo; ſed proprio ſtuduiſſe damno.

179. Babyloniorum magnates nullis beneficiis potuerunt adduci, vt ardentiſſima inuidentiæ rabie non furerent in Danielem: prolixis ieiuniis, & orationibus ille ſapientum vitam redemerat, regiiſque ſomniis ac myſteriis enodatis ereptos à iugulatione liberarat; verùm ſic eos dementarat inuidentia, vt maluerint diſcrimini amiſiſſe ſubſidia: feris tradendum ſeditioſis tumultibus conteſtantur, & quo leones auidiùs prophetæ comminuant ora, laborioſa irritauerunt inedia: Dan. 14. v. 31. *Porro in lacu erant leones ſeptem, & dabantur eis duo corpora quotidie, & duæ oues, & tunc non data ſunt eis, vt deuorarent Danielem.* Feræ auſæ non ſunt inferre iniuriam, vbi virtutibus ornatum aſpexere prophetam. O quàm facilius fuit ferarum domare ingenium, quàm inuidentiæ temperare delirium! Feræ quia nullum Danielem deturpabat peccatum, reuerentiæ exhibuerunt obſequium; verùm etſi ingens adeò miraculum æmulorum repreſſerit audaciam, non ſopiuit inuidiam, & rex, quam dignitati ſuæ ad iniqua cogendo intulerunt irritatores peruerſi iniuriam, vindicare ſtatuit talionis illis decernens pœnam: *Illos, qui perditionis eius cauſa fuerant, intromiſit in lacum, & deuorati ſunt in momento coram eo.* Ecce ſtimulatas fame, qua in Danielem improbi accuſatores feras irritarant, æquiſſimè paſſi ſunt: vt verum fuerit in ſe præter opinionem moliri, quæ videbantur in alium architectari. Ita Rupertus libro 1. in Danielem Rupert. cap. 11. *Qui accuſauerunt Danielem, ipſi in lacum leonum miſſi repentè conſumpti ſunt.* Quam necis in alium celeritatem ſunt meditati, ipſi ſunt moriendo perpeſſi: non citò adeò diſcerpti periiſſent, ni famæ leones in prophetam irritaſſent: aperuerunt lacum; ſed inciderunt in eum, Pſal. 7. v. 16. vt vera fuerit ſententia illius, qui dixit: *Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit.*

180. Cùm Rebecca Iacobum ad arcanam illam deceptionem inſtrueret, manuſque ſine dolo doloſas muneribus obarmaret, Iacobus periculum matri obiecit, & grandem patris ſolertiam appoſuit; verùm mater pelliculis manus obtexit: quia manibus polentam tradidit: Gen. 27. v. 15. *Pelliculas hœdorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit: deditque pulmentum, & panes, quos coxerat, tradidit.* Cur ſpecialiùs Iacobus vereatur manus, quando illum vox, & alia multa prodebant? Fallar, ni præ aliis partibus manus habuerit ſibi ſuſpectas, quia manus in fratrem piè doloſis cibis nouit armatas: manus munera offerentes moliebantur fratri benedictionem ſubripere: diſertus ergo Iacob nouit à manibus plus timere: quia nouerat ferè ſemper homini ab illis rebus promanare certius incommodum, quibus alienum ſolicitabatur periculum: Chryſoſt. *Pellibus circumdedit eum*, ſcribit Chryſoſtomus apud Lippomanum, *cùm vndique eum ad deceptionem inſtruxiſſet datis edulis, & panibus in manus.* A manibus timuit: quia deceptionem tentabat manibus: & ibi prudentiſſimè adhibuit remedium: quia ibi contra ſe grandius agnouit periculum.

§. XXXIX.

Quiſquis ſceleris meditatur extrema, in virtutem exinceps non capiet arma.

Vitium ſecum ſemper tortorem habet, & carnificem conſcientiæ morſum, & rationis cum appetitu diſſidium: ſatis erant honeſtatis vtiliſſima monita, vt vitia deieraremus; verùm tantæ ſunt voluptatis præſtigiæ, vt ipſam conſcientiam quodammodò obſtupefaciant, voceque priuent. Quàm benè Tertullianus lib. de ſpectac. cap. 1. Tertullian. *Conſcientia in diſſimulationem corrumpitur.* *Tanta eſt vis voluptatum vt ignorantiam protelet in occaſionem, & conſcientiam corrumpat in diſſimulationem.* Vt iudices aliquando auro ſubornati, ac muneribus corrupti, aut ſententiam non proferunt, aut æquitatem iniuria lædunt: ſic conſcientia voluptatum vi corrupta deprauataque vocem intercludit admonendi oblita, & ipſi vitio inclinata; verùm ſapientiſſimus opifex remedia prauitati prouidit, dum iudicium non corrumpendum, dum non ſopiendum ſupplicium gehennale oſtendit: poterit quis conſcientiam faſcinare voluptatum præſtigiis; ſed timorem ſedare nequit futuris ſedulè conſideratis incendiis: *Signa maieſtatis ſuæ indicantis*, ſcribit Tertullianus lib. apolog. Tertullian. cap. 18. *ediderit per ignes, per imbres; quas demerendo ſibi diſciplinas determinauerit.* Nos, inquit Tertullianus, dum imbres flammaſque deriſimus, etiam militabamus ſceleribus; at dum veras æſtimauimus ſcripturas meliora ſapere quodammodo ipſa cognitione ſumus coacti, & de iniquitatis militia prorſus diſpuncti. Siquis credat volaticam voluptatem duriſſimum manere tormentum, & æquiſſimi iudicis corrumpi non poſſe iudicium, illam auerſabitur, & quamuis conſcientiæ ſopiuerit morſum, nequibit penitus placare metum. Vt diſciplinas optimas homines doceret hominum opifex maieſtatis ſuæ iudicantis ſigna edidit per ignes & imbres: Caſſiodor. *Viuite bonis moribus inſtructi*, aiebat Caſſiodorus 4. var. 49. *nullum natio, nullum promeritus honor extulet. Neceſſe eſt vindicta ſubiaceat, qui prauis moribus obſecundat.* Diſtinctio corrigit, & denuntiata comminatio vel procaciſſimos vrget. Filij Iſraël Adonibezec comprehendunt, manuumque ac pedum ſummitates præcidunt: Caietan. *Comprehenderunt cæſis ſummitatibus manuum eius ac pedum:* vt inutilem prorſus ad iterum capienda in Dei populum arma redderent, extrema præciderunt. *Ex inciſione*, ſcribit Caietanus, Caietan. *manus reddebatur tam impotens, vt ferè ad nihil valeret.* Annuit Hugo: Hugo. *Hebræus ſermo videtur ſonare pollices, quibus cæſis non eſt homo idoneus ad arma ferenda.* Itaque ſummitatibus mutilatus arma in Dei populum nequibat ca-

181.

Digitized by Google

pete, quam moralitati hiſtoriam aptans, Stephanus in allegoriis Tilmani teſtatur non poſſe iam arma in virtutes capere extremorum ſupplicia expertus,& pœnis vltimis eruditus. Stephan. *Hoc facit prædicator, quando ſuperbo oſtendit, ad quem finem deueniet de cogitationibus, & malis operibus ſuis.* Dum malorum operum oſtendit finem, dum quæ extremæ pœnæ maneant, denuntiat, ad arma in virtutem, inutilem prorſus reddit. Ecquis audeat ſuſpirare diuitias, ſi Bellerophontem auaritiæ pœnas danțem aſpexerit? Ecquis ſcientia inflabitur, ſi Prometheum detruſum? Ecquis humanum ſanguinem ſitiat, ſi ſiſyphum ſe ſequentem, & fugientem agnouerit. Dum extrema rationis lance penſantur, & vitia prorſus arcentur.

182. Deus futurorum ænigma Abrahamo oſtendit: ſub occaſum ſolis ſopore corripitur, & anhelantibus viſis flammis horrore gelido tangitur: Gen.15 v.13 *Horror magnus & tenebroſus inuaſit eum.* Addit textus: *Cùm ergo occubuiſſet ſol, facta eſt caligo tenebroſa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis tranſiens inter diuiſiones illas.* Quid tunc? Fœdus nunquam violandum iniit cum Abrahamo Deus: & ſi hucuſque eius poſteri ab inimicis oppreſſi, iam reportatis triumphis glorioſi; *In die illo pepigit Dominus fœdus cum Abraham dicens: ſemini tuo dabo terram hanc à fluuio Ægypti.* Altiùs meditemur, ſi placet cur fœdus in illo die æternandum percutiatur? Nonne ſatius pactum inire; fœduſque firmare, cùm Abrahamus, nec horrore concuſſus, nec anhelantium flammarum viſu obturbatus? Sedet placiditas animum, vt reddita ſibi ratio pactum liberiùs poſſit inire, & commercium amicitiæ firmare. Obturbatus animus, & horroribus immerſus ad feriendum fœdus non videtur opportunus: fors reſiliet aut obturbatam mentem allegans aut animum horroribus oppreſſum clamans. Ergo in aliud tempus fœdus differatur, vt ſtabilius fuerit, & firmius. Imò hoc in die fœdus initur, vt exinceps nunquam violetur. In flammis illis, ſcribit Angelicus Doctor, finalis tentatio ſignificabatur: D.Thom. *Finalem tentationem*, inquit ad hunc locum Geneſis, *eiuſque terribilitatem, & obſcuritatem, & difficultatem, quam erant paſſuri, deſignat per clamorem, & tenebroſum horrorem, qui in occaſu ſolis, quaſi in fine dies ſuper Abraham irruit.* Clibanus horriſonis globulis reſonans ſic animum terrore perculit, vt quæuis alia tormenta leuiſſima reputaret, & ne vel viſu pœnas iterum flammarum hauriret, nunquam à recto tramite virtutis diſcedere fixè decreuit: opportuniſſima erat dies ad feriendum cum Domino fœdus, in qua & finalis mortuos excitans audiebatur clamor, & voracium ſemper flammarum niger turbabat animum rubor. Nunquam fœdus violabitur, ſi animus terribilium adeò rerum contemplatione munitur.

183. Notabam bis Danielem in ferarum lacum intruſum: ſic magnates inuidia flammis fœdiſſimis adurebat, vt inſana adulatione Perſici regis potentiam in tantum extulerint, vt ab alio quid petere ſubiectos arroganti edicto vetare ſuaſerint. Daniel ne cœleſti priuaretur alloquio ſe maluit expoſuiſſe periculo, & qui eius facta perſpicaci liuoris acie notabant, citiſſimè adfuerunt, & Deum exorantem, quaſi mortis reum coram Principe expoſtularunt: Daniel feris traditur; ſed quæ culpæ non inuenerunt reatum, prophetæ exhibuerunt obſequium. Extractus eſt ad inuidorum ſupplicium, & quod illis ſæuius, quàm eius gloriam conſpicere adauctam, dum factitiis cauſis perire moliebantur extinctam: *Eductus eſt Daniel de lacu, & nulla læſio inuenta eſt in eo.* Dan.6.v.23. Adhuc liuor ſopitus non eſt; ſed infelici euentu plus irritatus: iterum cauſas colorant, iterum Dei ſui iniuriæ dolorem mentiuntur, vt inuidentiæ de religionis zelo adulentur: *Miſerunt eum in lacum leonum, & erat ibi diebus ſex.* Daniel 14. v.30. Bis lego Danielem feris voracibus traditum, cùm tres illos fortiſſimos iuuenes bis non meminerim ſententia damnatos: ſacrilega ſe idololatria polluere reſpuentes horrendum crepitantibus flammis exurendi committuntur; verùm flamma, ne ſanctis eſſet iniuria, compedes diſſoluit blandiſſima, at miniſtri nigris inuoluti vorticibus miſerabili dolorem promunt clamore, vlulatu lamentantur miſeriam flebili: *Effundebatur flamma ſuper fornacem cubitis quadraginta nouem, & erupit, & incendit, quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis.* Dan.3.v.47. Vbi flammarum impios miniſtros ardor conſumpſit, inuidentiæ furor deferbuit: non iterum inuolant, vt criminentur pueros, non iterum calumniis opprimunt iuſtos. Ecqua diſcriminis cauſa eſt? Quia etſi priùs mortis criminatores tulerint pœnam, nondum gehennalem aſpexerant flammam; aſt cùm audiunt æternis cruciatibus dedicati clamores, ad ſaniores recurrunt mentes: poterit exoculata inuidentia contemnere mortis pœnam, poterit præceps audacia proiicere in liuoris obſequium vitam; at quis æternam audeat in flammam? Dum miſerabilis clamor horriſono aures ſibilo verberat, prudentiam vel inuitam inſpirat: repetere non audent delictum, qui ob ſcelus agnouerunt incendium: triſtiſſimum eſt priuari dulciſſima vita; ſed leuiſſimum ſi cum æterna comparaueris flamma: omne malignitatis conſumpſit ſtudium horriſonum flammarum incendium. Huc voco, quod aiebat Zeno Veronenſis ſerm. 1. de Daniel. Zeno. *O admirabile incendium, ò verè ſpectaculum Deo dignum! qui audiunt, timent; qui incenderant, ardent.* Dum incenſores audiunt clamantes, dum vlulatus horriſonos non ſine tremore percipiunt, à propoſito iam deflectunt: *Qui audiunt, timent.* O ſi timerent, qui audiunt!

Sæpeſæpiùs nouiſſima audimus; ſed prætervolat timor, quia ſedula meditatione non cogitamus: 184. profectò ſi ſepulchri iniurias meditaremur, ſi noſtri corporis corruptionem, ſi fœtentes, nigraſque fauillas, non ſic auderemus in vetita, & inſana voluptatis ſequeremur ſtudia. Adeſt Adamus huius veritatis teſtis: topiario illo Dei induſtria manu conſitum deliciabatur, eratque voluptas innoxia ſerpentino veneno carens, verùm ad inuidiam excitatus eſt dæmon, & quamuis mors tráſgreſſoribus intentata manum arceret: *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris:* Gen.2.v.17. adulatio tamen impulit, & ficta pietas culpam ſuaſit: quid tunc? De originis Deus loco exterminat, quippe deliquerat, ac pellitus orbi vt metallo datur: *Fecit Dominus Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* Gen.3.v.21. Theodoretus in hac veſte Dei agnoſcit clementiam, & bonitaté: Theodoret. *Sciẽdum eſt*, ſcribit apud Lippomanum,

manum; *omnium rerum opifici nihil difficile eſſe, eiuſque infinitam bonitatem nos admirari debere, quæ prævaricatores legis ſuæ non deſpexit, & nuditati eorum tam piè tamque clementer, prouidere dignatus ſit.* Itaque corporis nuditati tunicis prouidit, eiſdemque teſte Hippolyto apud Lippoman. animæ etiam nuditati proſpexit: *Mortuum quidem veſtimentum fecit ei, qui à peccato mortuus fuerat: mortua enim peccata habenti veſtimentum illud corporis corruptionem ſignificabat.* Hippolyt. Itaque tunica fouebat corpus, & corruptio tunica ſignificata animæ arcebat ſcelus; verùm expendamus, ſi placet, quid vtilitatis tunica corruptionis attulerit, cui denuntiata mors ad augendum ſolum temeritatis delictum profuit. Si Adamus mortem audit, nec timet, quid proderit tunica circumiecta ad accendam audaciam, & ad depellendam culpam? Sanè plurimum, inquit Hippolytus: anteà namque audita mors eſt; ſed citiſſimè mortis præteruolauit memoria, nec attenta meditatione mortis eſt concatnata notitia; at iam corruptionem circumfert oculis ſemper obiectam, & ſi fas eſt dicere, memoriæ ſemper intruſam: dum ergo ſtudioſè corporis meditatur cineres, dum memoria intuetur vermes, indumentum habet, quo non lædatur à culpa, vt corpus pelles, quibus tantiſper miteſcat pœna: *Clementer prouidere dignatus eſt eorum nuditati*: quare? *Quia veſtimentum illud corruptionem ſignificabat.* Corruptio prudentiæ oculis ſemper inſpecta contra culpam fuit medicina. Videas plurimos mortis horrores ſepulchri iniurias audire, nec tamen à vitiis pedem referre. Et cur hoc? Quia audita mors citò præteruolat aurem, nec ſedula meditatio animum inſtruit: ſi attentè mortem meditarentur, inſtrantemque corporis corruptionem expenderent, vanitatibus non ſeruirent. Aut ſi mauis, locum alioſum expende, ſcilicet igne hominem à temeritate arcuiſſe expertum mortis timore non frænatam temeritatis audaciam, & ambitionis dementiam: Collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ. Chryſoſtomus apud Lippoman. ignem ait ante paradiſum collocaſſe, vt exinceps Adamus nullatenus vitæ lignum temerare præſumeret. Audi eius verba: *Maxima prouidentiæ, & noſtri curæ ſignum fuit, vt & ſpectando memor eſſet, & inde lucrum faceret, & neque immodica viuendi cupiditate concupiſcere, neque foris exiſtens de ligno comedere præſumeret... Et præcepit, vt Cherubim, & flammeus gladius, cuſtodiant lignum vitæ.* Genes. 3. v. 24. Prænuntiata mors concupiſcentiam non ſopiuit; imò ambitio arborem temerauit. Quid tunc? Flammas oculis obiicit, vt dum homo quid poſt mortem maneat, intuitus, nec concupiſcentiæ tulerit, ſi fas eſt dicere, motus. Ita flamma mentem ſeluminat, ita memoria appetitus inſaniam ſedat: Addiderim de viſis flammis, de inſpecto iudicio vel duriſſimas, & obſtinatiſſimas mentes meliora ſapere, & nimio timore percelli.

185. Pharao, qui tot ſuppliciorum documenta deſpexerat, qui tot plagis immiſſis cælitus vapulatat, quique obſtinationis callos obduxerat, iam ab incepto deſiſtit, cùm nubes ſe conatibus eius opponit: *Erat nubes tenebroſa & illuminans noctem... Dixerunt Ægyptij: fugiemus Iſraëlem*: in nube illa iudiciū ſignati, tradit Gregorius apud Exod. 14. v. 20 & 25. Gregor. Gloſſam: *Omnipotens Deus & blandus iuſtis, & terribilis apparebit impiis: hos ad iudicium venient per lenitatis manſuetudinem mulcet, illos per iuſtitiæ diſtrictionē terret.* En Pharao, qui tot primogenitorū morte nōdum plenè fuerat eruditus, iudicij imaginem ſuſtinere nequit exterritus: auſa eſt impietate impulſa temeritas; ſed quouſque iudicij repræſentationi propinqua: nubes, dum iudicium oculis propoſuit, Pharaonem obſtinationis exemplar ab incepto deſtitiſſe coëgit.

§. XL.

Bello fugere ferè ſemper ingloriũ: ſtrenuo viro vincere aut cadere dignum.

186. NOn dubitamus eſſe gratiſſimum, aiebat Aurelius 7. var. 22. *quando quis commonetur officium implere ſuſceptum: quia illud eſt potiùs graue, ſi miles viuat otioſè, cui quæſtus eſt actio ſua, honor Principalis iniunctio: ſimilis enim diſcincto habetur, qui ignobili torpori relinquitur.* Caſſiodor. Militi actio ſua quæſtus eſt, & vt ſanguine proprio, aut alieno effuſo emit laudabilem famam, ſic ignauia ingloriam ſubibit notam. Quòd ſi ſtrenuè non dimicate, & penè imprudenti audacia in inimicos non irruere habetur ignauia, quo loco putas indecora ponetur fuga? Inimicos vincere aliquando fortunæ adſcribi potuit arbitrio; at altis acceptis vulneribus ſtare, mortemque contemnere clarum eſt ſtrenuæ fortitudinis teſtimonium. Qui vulnus tergo hoſtili mucrone impreſſum tulit, famam fortitudinis obſcurauit: *Videtur*, aiebat Socrat. Socrat. apud Platonem in Menex. *O Menexene apud plurimas gentes præclarum eſſe in bello occumbere: etenim qui ſic è vita migrat, funere & ſepulchro magnificentiſſimo honoratur, & ſiue pauper quis ita decedat, laudatione non caret, ſiue etiam vilis quiſpiam & ignauus rurſus à ſapientibus viris extollitur.* Ignauus ſi bello cadat, mortis digniſſima clauſula, vitam cohoneſtat totam, vt qui anteà fortis, incurrit fugiens infamiam. Tyrtæus apud Stobæum de bello cap. 50. Tirtæus. *Malum eſt*, aiebat, *poſterius inter ſcapulas ſauciare virum fugientem in hoſtili prælio: eſt & turpe cadauer in puluere proſtratum poſterius in dorſo ictu haſta transfixum.* Fugientem proſternere, tergoque ferire glorioſum ferienti non eſt: adeò indignum qui virili manu occidatur, reddidit ignauum fuga. Verùm etſi hoſtes fugere gregario militi inglorium eſt, duce principeque prorſus inuenitur indignum. Braſidas teſte Plutarcho in apophtegm. profectus ad bellum Ephoris ſcripſit: *Quæcumque belli nocumenta aut repellam, aut occumbam.* Maluit honeſtè mori, quàm ignauè viuere. Callicratidas ibidem: Plutarch. *Hermone monente gubernatore rectè facturum, ſi recepiſſet ſe, ſi quidem triremium numero Athenienſes longè ſuperiores eſſe, ait: Quorſum hoc? enimuerò fugam capeſſere cùm fœdum Spartæ, tum diſpendioſum; manentem verò vel cadere, vel vincere optimum.* Glorioſo occaſui poſtpoſuit à fuga petere vitam, quando ducis, rectoriſque fortitudinem exaggerat bello occumbere; ſed æternam inurit notam terga ignauo timore vertere. Cùm pugnaret Dei populus contra Adonibezec exercitus, adeò ſe ſtrenuè geſſit, vt fugam arripere inimicos compulerit, nec ſolùm

Digitized by Google

gregarius miles; ſed etiam Adonibezec maluit prouidere vitæ, quàm famæ: *Fugit Adonibezec.* Quid tunc? Hebræi laudabili illum pertinacia ſequuntur, & comprehendunt: *Quem perſecuti comprehenderunt cæſis ſummitatibus manuum eius ac pedum.* Et cur non interimunt aduerſarium, funduntque penitus ſanguinem inimicum? Fortè ducem ſuorum diſpendio vitæ conſulentem ſic ſpreuerunt, vt contempſerint occidere; ſed maluerint quaſi puerulum caſtigare: *Quæret aliquis*, ſcribit Abulenſis quæſt. 7. quare Iſraëlitæ amputauerunt Adonibezec partes has? Aliquis reſpondebit quod fortè fecerunt ad opprobrium regis huius. Addit poſteà: *Iſraëlitæ voluerunt tenere captum Adonibezec, & non occidere illum ad maiorem vindictam, & vt non poſſet fugere.* Interemiſſe erat interempto aliquem largiri honorem; ſummitates verò præcidere erat æternare infamiam, quia teſtabatur ſupplicium fugam: ergo noluerunt auferre vitam; ſed immortalem reddere infamiam.

187. Dauid neſcio quo tumore inflatus copioſos exercitus iuſſit numerari ad potentiæ iactantiam, & ad maieſtatis gloriam: citiſſimè ſecuta eſt elationem vindicta, ſi iam non eſt comitata miſeria: trium illi optio datur, & quidem in ipſa Numinis ira reſplenduit miſericordia: nam exigua illa arbitrij libertas temperabat ſupplicium, ac deliniebat tormentum: *Aut ſeptem annis*, inquit Gad, *veniet fames in terra tua, aut tribus menſibus fugies aduerſarios tuos, & illi te perſequentur, aut certè tribus diebus erit peſtilentia in terra tua: nunc ergo delibera.* (2.Reg.24. v.13.) Dauid ſecum conſilium iniit, & peſtilentiam delegit: *Coarctor nimis; ſed melius eſt, vt incidam in manus Domini.* Quàm ſe anxium, & obturbatum oſtendit, qui peſtilentiam voraciſſimam acceptauit! Nonne ſatius eſſet ſuſtinere famem, quàm mortem? Certè fame luridi horrerent vultus, areſcerent exhauſta præcordia; ſed peſte cadaueribus exundabunt ſepulchra: ergo ſatius eſt eligere inopiam, quàm peſtilentiam; imò prudentius elegit, maluit rapido morbo perire, quàm lento ac diuturno famis tormento vexari. At oppones: etſi fuerit hoc prudentiæ conſilium, & calamitatis delinimentum, eligere ſcilicet inter diuturnæ famis moleſtias, & ardentis peſtis plagas citò abſumi, prolixè non pati; opportuniùs tamen videbatur elegiſſe fugam, quàm peſtilentiam, quandoquidem ipſum ſupplicium erat durationis teſtimonium: nec enim ſi caderet, aduerſarios poſſet fugere: nam qui fugit, dum fugit, non cadit: ergo eligat terga vertere, non peſtilentia vrente perire. Sapienter quidem elegit: adeò namque fœdum eſt ſtrenuo militi ac præclaro duci vitam fugiendo ſeruare, vt honeſtius duxerit mori: Abulenſ. *Erat horrenda Dauid pœna hoſtium*, ſcribit Abulenſis quæſt. 24. *id eſt, quia cæteris paribus potius vult homo pati à quocumque extraneo, quàm ab hoſte.* Addit poſt pauca: *Item puniri ab hoſte non ſolùm eſt pœna; ſed etiam ignominia; puniri autem à Deo, vel ab aliquo extraneo eſt pœna ſolùm, ideò tolerabilior fit.* Dauid militari viro tolerabilius erat mortem oppetere, quàm fugæ infamiam ſubire: ideò maluit perire patienter peſtem tolerando, quàm vitam alere terga vertendo.

188. Prælium cum Philiſthæis iniit Saul, ibi deterritus hoſtium numero, aut conſiliario peſſimo metu exercitus Hebræorum fugit; at Saul, vt Ionathas, potius mortem ſubire elegit, cumque Dauid nuntium miſeram de ſtrage accepiſſet, Ionathæ, Saulíſque fortitudinem cantu lugubri celebrauit: *Saul & Ionathas amabiles, & decori in vita ſua, in morte quoque non ſunt diuiſi, aquilis velociores, leonibus fortiores.* (2.Reg.1. v.23.) Opportunius alio tempore fortitudinem celebraſſet, & modò caſum planxiſſet: ſi Saul altis interiit ſagittis confoſſus, ſi Ionathas occubuit telis inimicorum occiſus, cur fortes deprædicentur, & ſæculis celebrandi tradantur? Certè ſi inimicos profligaſſent ſuam oſtenderent fortitudinem; at dum cadunt, non videntur fortes; ſed imbecilles; Imò iure eorum fortitudo, inquit Lyra, extollitur, dum mors in acie refertur. (Lyra.) *Leonibus fortiores* (verba ſunt Lyræ) *aduerſariis reſiſtendo; ſciendum tamen quòd hîc eſt hyperbole ad exprimendum eorum notabilem agilitatem, & fortitudinem.* Adſtipulatur Rabanus apud Gloſſam, (Raban.) *Deflet Saul, & Ionatham, qui cùm potentes eſſent, & ſuper hoſtibus præualerent, ſauciati illico & vulnerati in medio prælio corruerunt.* Digni erant, qui epicediis celebrarentur, dum ne fortitudini iniuriam afferrent, mortem contempſerunt: fugit populus; at Saul etiam vulneribus confoſſus in acie ſtetit. Quàm aliter Adonibezec! ipſe fugit, & populus interiit, cùm ne periret populus, debuiſſet ſtare, & hoſtibus ingerendo admirationem occumbere.

Hoc ipſo in libro expendebam Siſaram non 189.
virili; ſed fœminea manu interemptum: *In manu mulieris tradetur Siſara:* (Iudic.4. v.9.) & cur non in Barac manu, qnandoqnidem virili manu grauius interiret percuſſus, & vulnere altiori confoſſus: Extinxit Iaël non pugnantem; ſed dormientem: citiùs periiſſet, ſi Barac ipſa in acie confoderet, & audaci robore trucidaret: ergo tradatur non in manu fœminæ; ſed robuſti. Profectò indignns erat Siſara, qui virili manu periret, occiſus, quaodoquidem arripuit fugam ignauus: *Siſara fugiens peruenit ad tentorium Iaël vxoris Haber Cinæi.* Non erat opus virili ferro in timidum, in ignauum; fœminea manu debuit perire, ne amittens vitam ſeruaret famam: auctum eſt mortis ſupplicium, quia fuga intulerat militari robori probrum: manu fœminæ interiit, quia effœminatus: ſi bello pugnando fortiter cecidiſſet, cenſeri poſſet glorioſus: (Gloſſa.) *Licèt in manibus Barac*, ſcribit Gloſſa moralis, *traditus fuerit Siſara debellandus; non tamen per eum totaliter conterendus; ſed hoc fuit reſeruatum fœminæ.* Honorabilis] eſſet mors ſtrenui militis manu occubuiſſe, & medio in prælio animam per lata vulnerum ora exhalaſſe. (Plutarch.) Ergo, ne quid Siſara haberet honoris, manu eſt interemptus mulieris. Non meruit qui deſeruit aciem, militari dextera occidi; ſed molli manu tranſfigi: *Miſſi Lacedæmoniorum legati*, ſcribit Plutarchus ſupra citatus, *matri eius, Braſidæ ſcilicet Archileonidi, preſtò fuere: primum rogauit, occubuiſſet ne Braſidas honeſtè.* Non ſic matri cura erat vita, quàm fama: timebat ne fugiẽdo viueret, & accepit gratius honeſtè certando mori: nam mors licèt abſtulerit vitam, denigrare non potuit famam; aliter maculaſſet famam, etſi conſeruaſſet vitam.

Nuntius conſciſſa veſte, & capite defœ- 190.
dato dolorem prodens Ieroſolymam intrat, ad

Heli

Heli concutit, & fugam populi, filiorum mortem narrauit: *Fugit*, inquit, *Iſraël coram Philiſthiim, & ruina magna facta eſt in populo: inſuper & duo filij tui mortui ſunt.* Nuntium hunc notat noſter Maldonatus præfatione ad Euangelia cap. 1. vocari Euangeliſtam: *Qui mortuos duos filios Heli patri nuntiabat, vocatur Euangeliſta.* Sed cùm Euangeliſta qui læta nuntiat, dicatur: eſt namque Euangelium Græcè idem quod lætum nuntium Latinè, quærendum eſt cur Euangeliſta appelletur, qui filiorum mortem nuntiaſſe patri inuenitur. Maldonatus ibi ex aliorum ſententia ait bonum fuiſſe nuntium, etſi magno adeò diſpendio improbis ſacerdotibus carere, & qui nullam templo altaribuſque reuerentiam exhibebant, interire. Benè; ſed putarem, etſi triſte adeò extiterit nuntium, aliquid, quod Euangelium dici poſſet, retuliſſe: erat enim grande parenti ſolatium eius filios non intuliſſe honori fugiendo notam; ſed amiſiſſe viriliter pugnando vitam; durus fuit patri filiorum occaſus; ſed naturalem temperauit aliquantulum triſtitiam honeſtus interitus. Ceciderunt bello viri ſtrenui, non fugerunt viri ignaui: vitæ diſpendio fortitudinis ſeruarunt gloriam: iactura gloriæ ſeruaſſet fugiendo vitam: ergo dùm campo accepit occiſos; morte audiuit honorabili peremptos, non refertur horum funus, vt repetat Socrates, *præclarum eſſe in bello occumbere: etenim qui ſic è vita migrat, funere & ſepulchro magnificentiſſimo honoratur.*

---

§. XLI.

Vitiorum ante oculos habere ſupplicia accendit contra appetitus in arma.

191. IN homine ſi fas eſt dicere, Dei pars eſt: ſocij eius ſumus & membra: capax eſt noſter animus ex ſe, perfertur in cœlum, ſi vitia non deprimant. Quemadmodùm naturalis corporum noſtrorum habitus erigitur, & ſpectat Olympum; ita innatum eſt animo porrigi, &
Seneca. ad honeſta citari. *Cùm hoc iter*, ſcribebat Seneca epiſt. 92. *nactus eſt, vadit audacter & contemptor omnium nec ad pecuniam reſpicit, aurum argentumque illis, in quibus iacuere tenebris digniſſima, non ad hunc æſtimat ſplendorem, quo imperitorum verberat oculos: ſcit enim è cœno, ex quo illa ſe ruit cupiditas noſtra, & effodit.* Qui diuitiarum, voluptatumque illecebras, quas hominum delitium plurimi habet, imperturbata mente examinat, digniſſimas quæ contemnantur, & quæ conculcentur, cenſebit: noſter ſolùm veſanus error illis dedit pretium & plauſum. Certè ſi diuitiarum originem attenderemus, ex natiuis illarum tenebris, quæ mentem noſtram reluminaret, lucem educeremus. Caligamus equidem, & cupiditatum ardoribus inflammati deliramus. Eſto vitiorum exordia proceſſuſque fallaci voluptate titillent; finis tamen prudentiam edocet. Certè qui vitiorum præmia intuetur, excuſato erroris cenſu ſi ad virtutes non cogitur, ſaltem manu ducitur. Et quidem non ſemel qui heri ambitionis fugitiuo ſplendore torſit inuidiam, hodie miſero caſu docuit prudentiam: non æquè apparet ac nititur: quia aut aliena malitia deiecit, aut propria detorſit: differtæ menſæ, delicatiora vina, & ſapotatiſſima fercula proxenetæ morborum ſunt, & ſerpentium ad inſtar dum mulcent, feriunt: ſæpè alieno ſanguine defœdatus in ſe ferrum concitauit alienum, & proprio ſoluit, quem fudit: ſæpè dum quis voluptati cæco impetu ſtuduit, dignè violentam mortem ſuſtinuit. Profectò ſi imperturbato iudicio perpenderis volatica gaudia, carè adeò non emes; ſed ad virtutum ſoliditatem confugies. Ecce filij Iuda cùm Ieruſalem pacis ſibi viſionem, gloriæque ſymbolum auidè adipiſci conantur, reſiſtenteſque hoſtes vitiorum imagines propulſare moliuntur, Adonibezec regem ſecum deferunt: *Duxerunt eum in Ieruſalem*; & dum deferunt, vrbem capiunt: *Oppugnantes ergo filij Iuda Ieruſalem ceperunt eam.* Ad hunc finem ſecum attuliſſe tradit Caietanus; verùm quid intererat ſecum attuliſſe, vt ambitioſius Iſraëlitæ vrbem Ieruſalem adipiſci conarentur? Quid vt aduerſarios validiùs impeterent, & conſtantiùs expugnarent? Recole quæ ipſe Adonibezec in aperto eſt confeſſus, vt noueris, quàm Dei militibus animos fecerit inſpectatus: Septuaginta, inquit, reges amputatis manuum ac pedum ſummitatibus colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias: ſicut feci, ita reddidit mihi Deus. Sæuitiam Adonibezec ſæuitia ſuperabat, & nouus iniuriarum artifex inſpecto humano ſanguine oblectatus gaudebat, vtque voluptuoſa mollities ſæuitiæ ſoror & comes illam non relinqueret; ſed ſociaret, vno eodemque tempore ipſe epulabatur differta menſa, & reges dura premebat inopia: ergo dum finem ſuperbæ heluationis, dum vices ſæuiſſimę crudelitatis Iſraëlitæ conſpiciunt, vitia eierant, & quæ ad cæleſtem Ieruſalem ad viſionem cæleſtem gradum retardant, laudabili
audacia expugnant. Audi Caietanum: *Adduxerunt Dominum Bezec cæſis pedibus & manibus* Caietan.
modo dicto ſecum in exercitu ad expugnationem Ieruſalem: vnde ſequitur: Et pugnauerunt filij Iuda contra Ieruſalem, & ceperunt ipſam. En vitium ſi falſa ſpecie voluptatis decipiebat, veris iam oſtenſis ſuppliciis mentem reluminat, & dum Iſraëlita Adonibezec intuetur, agnoſcit quàm fugienda ſint quæ appetitus anhelat, & quæ error noſter ſuſpirat.

Cùm Dauid vt Reipublicæ peſtis quæreretur,
& copioſam periculorum meſſem de beneficiis, 192.
& charitate colligeret, fugit ad Achimelech: ſic diſcrimen ad fugam vrſit, vt exarmatus & famelicus inuolarit: arma à ſacerdote ſupplex depoſcit, cúmque ibi nulla præter gladium Goliath Deo ſacratum exiſterent, illum ſacerdos obtulit, & Dauid vtri reliquis excellentiorē auidiſſimè accepit: *Ecce hic gladius Goliath Philiſthæi, quem percuſſiſti in valle therebinti. Et ait Dauid: Non eſt huic alter ſimilis, da mihi eum.*
Goliath gladius ita probatus eſt Dauidi, vt om- 1. Reg. 21. v. 9.
nibus prætulerit, & præ omnibus æſtimarit.
Abulenſis quæſt. 21. ex aliorum ſententia refert Abul.
Dauid gladium hunc vtri inſtituto ſuo aptiorem cæteris prælatum, etſi plures ibi eſſent: *Alij exponunt: Non eſt alter huic ſimilis, id eſt, non poteſt eſſe alius gladius ita bonus ſicut iſte: ideò da mihi illum.* Verùm cùm alia arma eſſe potuerint non minùs benè chalibe attemperata, acieque ad feriendum inſtructa, quid in hoc gladio præ cæteris elucebat? Expende hiſtoriam, &

inuenies ſolutionem : Olim gigas ille, qui Deum maledictis proſcindebat, qui innocentiam inſectabatur, qui deridebat virtutem, proiectæ audaciæ citiſſimæ pœnas exoluit, & proprio gladio iugulatus interiit: in gladio itaque relucebat extincta audacia, ſuperbiæ ruina, & digna ambitionis pœna. Ergo dũ Dauidẽ Saulis vrget inuidentia, & inuidentię ſæuitia, gladium intuetur, & vitiorum inſpecto fine reprimitur. Certè Saul iniquis captioſiſque cauſis Dauidem ferè ad delinquendum impellebat, & gladius mirè frænabat: ad expugnationem igitur degenerum, deprauatorumque affectuum, ad virtutiſque ſtudium nullus alius huic gladio ſimilis inuentus eſt: quia hic præ aliis vitiorum ſtragis ingerebat memoriam, & accendebat vel ipſo conſpectu ad pugnam. Et quomodò cederet Dauid inuidentiæ? Quomodò ſubiiceretur ſæuitiæ? Quomodo addiceretur audaciæ, quando manus ipſa gladium prehendens clamoſo ſilentio perſonabat vitiorum ruinam virtutis, & honeſtatis victoriam? *Sternitur*, aiebat

Seleucienſ. Baſilius Seleucienſis orat. 15. *alienigenarum turris, hoc fidei ſpolium eſt, trophæum gratiæ, auxilij cæleſtis indicium, blaſphemiæ coërtio, columna index extinctæ audaciæ.. inermis pugnator ſublato Goliath gladio gladij Dominum dimidit.* Gladius in vitia obarmat, dum vitiorum ſupplicia oculis repræſentat. O quàm deſpiceremus inſanas cupiditates, caras delicias, ſi deliciarum intueremur oculis apertis pœnas.

193. Vt quos de ſpectaculis haurire poſſent, Chriſtiani voluptates aſpernarentur, illis proponebat

Tertullian. Tertullianus ante oculos æterna incendia, & ſupplicia inſaturabilia. *Tunc*, ſcribit lib. de ſpectaculis cap 30. *magis tragœdi audiendi, magis ſcilicet vocales in ſua propria calamitate, tunc hiſtriones cognoſcendi ſolutiores multò per ignem, tunc ſpectandus auriga in flammea rota totus rubens, tunc xyſtici contemplandi non in gymnaſiis; ſed in igne iaculati:* non ſine voluptate voluptatem vincent, qui voluptatis finem agnoſcent: deridebit ſæculum, qui ſæculi aſpiciat ſupplicium Non ineptè Adonibezec cæſis manibus, & pedibus pro milite eſt ad hoſtes propulſandos, quando miſerabilis eius ſtrages vel ignauos cogit ad eius fugiendam cauſam, & ad virtutis ambiendam gloriam.

194. Vt Moyſes Leuitas aduerſus idololatriam

Exod. 32. armaret, vitulum illum aureum in nigros ci-

v. 20. neres prudenter redegit: *Combuſſit, & contriuit vſque ad puluerem.* Vitulo iam in fauillas redacto Leuitas iubet gladium ſtringere, & idololatras diſſecare: *Ponat vir gladium ſuper femur ſuum: ite & redite de porta vſque ad portam per medium caſtrorum, & occidat vnuſquiſque fratrem, &c.* Satius opportuniuſque videbatur ad arma priùs citare, & poſteà aureum vitulum demoliri, quandoquidem poterant criminoſi maturam arripuiſſe fugam, vitulus non poterat deuitaſſe flammatum pœnam Ergo priùs Leuitas ad Martem accendat, & poſteà vitulum flammis aurum vſtulantibus tradat; imò vitulum ignibus tradidit, vt Leuitas acriùs accenderet: admiratione oculos repleuerat vitulus de auro nitens, de arte celebris, de acclamatione elatus, de faſtigio Deus: viliſſimas ergo in fauillas redegit, vt redactus ſuaderet prudentiam, ſi ſplendens fouerat nitore fallaciam: fidem diuinitatis ſibi comparatat de ſuggeſtu, deque ſumptu, vtque finis quàm contemnenda homines mirarentur, oſtenderet, veritatem Moyſes ſupplicio vindicauit. Itaque Leuitæ dum ſuperbam illam pompam voraci traditam igni conſpiciunt, dum in viles fauillas redactam fuiſſe cognoſcunt, arma animoſiùs capiunt, & fidem, veritatem, ac religionem defendunt: *Idololatriæ indignitate percitus*, ſcribit Ambro- Ambroſ.
ſius apud Lippoman. *fregit tabulas Moyſes, & comminuit vituli caput, atque in puluerem redegit, vt omnia impietatis aboleret veſtigia.* Obſcurus cinis manus exacuebat, & in veritatis hoſtes ipſum mendacij ſupplicium ardentiùs ſtimulabat: quis namque in idololatriam piè non ſæuiret idololatriæ finem intuitus, & vitulum Deum in fauillas deſiiſſe expertus.

Ieiunij legem Deus Adamo tulit, nec mor- 195.
tem dulcedine illitam imprudenter deuoraret: maluit ille fœminæ placere, quàm legi: *Comedit*: Geneſ. [illegible] v. 7.
patris ſuperbiam filij imitata eſt iactantia, vtque felicitate ſine conſorte frueretur, fraterno ſanguine dexteram cruentauit, & mortis viam adhuc naturæ ignotam aperuit. Quid tunc? Vt à conſimili facinore homines deterrerentur, Deus non legem expreſſè edidit; ſed ſupplicium an- Geneſ. 4. v. 12.
te omnium oculos prudenter ſtatuit: *Vagus & profugus eris ſuper terram.* Quæſiuit à ſupplicio, quod non obtinuerat à pręcepto: voluit vt Cainus animata exiſteret lex, & cædis inuidentiæque ſupplicij lator vitandæ inuidentiæ extaret omnibus doctor. O quàm ſine voce gemens eloquentiùs perſuadebat, & trepidans à crimine ſeparabat! Adeſt Seleucienſis Baſilius orat. 4. Seleucienſ.
Monita non recepiſti mea, erumnis conſtrictus eſto, tuaque trepidatio poſteris vertatur in legem. Fremens, obambula animata lex videntibus occurrens: ſpirans columna auertat à pari pœna. Inſpectum ſupplicium pro hortamento erat: lex, inquam, atramenti vice trepidationis nota conſcripta: malum tacere neſciebat, & perturbata natura contra inuidentiam armabat: quod lex non obtinuit à ratione, obtinuit pœna à conſpectu: inuidentiæ motibus renuerunt homines obtemperare, dum intuentur inuidum trepidationibus concuti: inſanis iracundiæ flammis pro aqua erant Caini fletus, & triſtis ſemper ſingultus. Metus timorem perſuadebat, & ne inflictam ob flagitium trepidationem compellerentur incurre, ſalubri timore noxiam didicerunt inuidentiam deiectare. O vtinam excuſſis appetitus tenebris, cupiditatis caliginibus, inſaniæ noctibus, fines criminum voluptatumque attenderemus: eſſet namque meditatione antidorum, quod ſine conſideratione nocet venenum. Tradunt medici optimum antidorum aliqua viperæ parte conſtare, & quæ viuens afferebat mortem, iam demortua probatur attuliſſe ſalutem. Itaque contrita vipera ſuiipſius viuæ medela eſt. Non aliter vitium, ſi voluptate oblata nocet, pœna lata diſſuadet. Acriter aduerſus hoſtes pugnabunt milites Adonibezec pœnas intuiti, & incuſſa vulnera conſpicati.

§. XLII.

Digitized by Google

§. XLII.

Plus apud homines valet leuis defectus ad notam, quam plurima virtus ad famam.

196. NEſcio quod malignitatis pruritu & cumulatiſſima virtus depretietur, & defectus quiſque veluti tenebrarum ſcaturigo adaugeatur: quidquid oculos poſſet ob eximiam venuſtatem allectare, quidquid paſcere animos ob iucundam morum concinnitatem cæciſſimè pertranſitur: cùm tamen exiguus næuus ad eximiam pulchritudinem obſcurandam notetur. Vultus, qui de eximia debuiſſet partium proportione laudes ſibi comparare, de næuo conſtat non ſemel criminationes ſubire. Ageſilaus teſte Plutarch. in apophthegm. reportatis de hoſtibus plurimis repetitiſque triumphis ſæculis celebrandus, frugalitateque ad miraculum reſplenduit excultus; verùm quia amicorum cauſas aut tenaciùs aut ſtudioſiùs proſequebatur, aliqualem notam ſubibat, & exiguus hic inter virtutes tantas defectus odioſum multis reddebat, & quaſi violentum aduerſus æquitatem damnabat: *Erat cætera integer rectuſque, ſed in amicorum negotiis prætextum exiſtimabat nimium exactam iuſtitiam in his tueri.* Adſcribitur ei epiſtolium, quo deprecabatur amicum quemdam ad Carem Idriea huiuſcemodi: *Niſiam, ſi nihil admiſit, abſolue; ſin quid admiſit, nobis abſolue, omnino verò abſolue.* Amicis fauere, eorumque vitæ conſulere, ea frugalem, modeſtum, fortiſſimumque virum nota aſpergebat; vt in tanta virtutum coruſcatione vileſceret, qui adfectionis næuum virtutum debuiſſet luminibus decorare. Exaggerabat Cyrillus Ieroſolymitanus catecheſ. 4. ſummam illorum peruerſitatem: & ab humano ſtylo prorſus aberrans ingenium, qui lunam Deum ponerent tot menſtruis vicibus variantem, & lumine deficientem, quando aliquem pati defectum omnem debuiſſet obſcurare diuinitatis elogium. *Alij ponebant lunam, vt in die Deum non haberent.* Opportuniùs Chryſoſtomus in catena Græca ad illud Iob 31. *Si vidi ſolem cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè.* Accipe eius verba: *Luna minuitur: an non extremæ hoc fuerit dementiæ, quæ terrena ſunt, ea ſtabilia, ac firma putare?* Quantumuis Luna clarè incedat, quantumuis tumida plena luce renideat, aliquando eclipſim patitur, lucis defectum experitur: extremæ ergo dementiæ fuit ſic humanam conditionem exuere, vt deficientem aliquando non contempſerint, quantumuis clariſſima luce radiarit, quandoquidem apud homines quiuis næuus ſplendidiſſimam etiam lucem obſcurat, & vti obſcuram condemnat. Adonibezec tot tantiſque triumphis redimitus fulgebat, vt Septuaginta reges ſub eius menſa reliquias colligerent: *Septuaginta reges amputatis manuum ac pedum ſummitatibus colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias.* Hic, vt inconſtans eſt fortuna, ab aduerſariis eſt captus, vtque illum prorſus redderent inutilem & inglorium, præciſis manuum ac pedum ſummitatibus reliquerunt mutilum: *Perſecuti comprehenderunt cæſis ſummitatibus manuum eius, ac pedum.* Profectò animitus perſequi non videntur, qui ſolùm pedum ac manuum ſummitates præcidiſſe probantur: nonne ſatius trucidare, aut ſaltem occidere? Hic hic perſecutionis luceret furor: inimico namque exiguas ſummitates præcidere cenſeri poterat amor; ergo aut perſecutio non prænuntietur, aut ſupplicium durius, ſæuiuſque deſcribatur. Satis fuit, inquit Caietanus, vel exiguas partes amputare, vt iam inutilis prorſus cenſeatur, & elogio nullo dignus reputetur: *Ex inciſione manus reddebatur tam impotens, vt ferè ad nihil valeret.* Iam nihil valet tot de hoſte trophæa adeptus, tot exuuiis diuitatus, tot florentibus lauris redimitus: quia pars illi ſatis exigua defecit: cætera corporis membra conſtant antiquo robore, & fortitudine; ſed iam apud homines nihil valet: quia tantillum mutilus, & manus extrema ſummitate mulctatus. O quam homo apud homines de leuiſſimo etiam errore vileſcit! ô quàm difficulter laudes virtutibus ſummis acquirit! Ea eſt mortalium conditio, vt quo inuidentiæ, malignitatique plaudant, leuem magni defectum ponderent, cùm eximias paruo virtutes ſæpè æſtimauerint. Dum ſummitatibus Adonibezec caret, nil illi ad venerationem prodeſt ſeptuaginta reges inuicto animo ſubiugaſſe: quia plus ſordet mutilus, quàm luceat tantis trophæis hoſtilibus coronatus.

Marginal notes (left column): Plutarch. — Cyrillus. — Chryſoſt.

Cùm filium ſuum quidam ſurdi & muti ſpiritus furore vexatum, curandum Domino obtu- 197. Mar. 9. v. 17.
liſſet, ſic aiebat: *Dixi diſcipulis tuis, vt eiicerent eum, & non potuerunt.* O quàm miſerabilis ætas iuuentus, quæ corde dæmonem nouit admittere, nec ad importunam Apoſtolorum inſtantiam vult de corde venenum pellere; ſed exitiali peruerſitate ſeruare. Patrem Chriſti nomen obnubilare voluiſſe, vt ſcribis adularetur, teſtatur Chryſologus ſerm. 51. *Iudaico liuori inuidentia ſcribarum talem ſatisfaciens per clamorem.* Addit: *Diſcipuli non ſuo; ſed Chriſti nomine dæmones de obſeſſis corporibus effugabant: quod ergo dæmon diſcipulis imperantibus non cedebat, iſte ad infirmitatem Chriſti nominis non diſcipulorum trahebat ad culpam.* Verùm quid intereſt, ſi vnus dæmon nominis virtuti non cedat, quando tot conſtat nominis efficacia deuictos, & ab Apoſtolis effugatos: *Reuerſi ſunt,* inquit Lucas, *Septuaginta duo cum gaudio dicentes: Domine etiam dæmonia ſubiiciuntur nobis in nomine tuo.* Magnam dæmonum turbam à quouis diſcipulo de corporibus effugatam, tradit Chryſologus ibi: audi eius verba: *Ad vnius diſcipuli mei vocem templa corruunt: ſimulacra fugiunt, conſumuntur aræ, cadunt idola, caeduntur luci, tota dæmonum poteſtas antiquis & veternoſis ſedibus ſuis gemens & tremens, & eiulans effugatur.* Itaque vnicus diſcipulus de Chriſti nominis efficacia conſertas dæmonum euertebat turbas, & effugabat cateruas. Quod cùm ita ſit, adulatoris patris arguit manifeſtè imprudentiam, & ſugillat ſtultitiam. Profectò malè adulatur ſcribarum, & Phariſæorum liuori, qui vnicum dæmonem clamat non depulſum, quando ferè innumerum numerum conſtat abactum. Proh malignitatis artem! Scit apud homines plus valere vnicum næuum ad denigrandam venuſtatem, quàm eximiam partium conſonantiam ad commendandam oris pulchritudinem, vtque nominis efficaciam infamet, vnicum dæmonem non deuictum teſtatur, & ſic liuori blanditur. Ea eſt humani cordis malignitas, vt hic homo nomen Chriſti infirmum protulerit, ſi dæmonem aliquem non abegerit, quantumuis

Marginal notes (right column): Chryſol. — Lucæ 10. v. 17.

Digitized by Google

quantumuis alios depulerit. Quod impuratus Spiritus domicilium pertinaciter poſſederit,non erat diſcipulorum ignauia, nec Chriſti nominis impotentia; ſed paternæ incredulitatis malitia. Verùm ea eſſe ſolet peſſimorum cæcitas,vt propria in alios transtulerint vitia,quo virtutis obſcurarint elogia. Itaque pater morbo afferebat ſuffragium, dum in clamores effuſus morbi requirebat auxilium, & vnius dæmonis non abactio vertebatur nominis impotentiæ, & offundebat tenebras famæ. Nomen tot inimicorum cladibus laureatum, quia vnum putabatur non depuliſſe, habebatur infirmum, & reputabatur obſcurum: *Quod dæmon diſcipulis imperantibus non cedebat, iſte ad infirmitatem Chriſti nominis trahebat.* Vides hoc in exemplo manifeſtiſſimè theſis noſtræ veritatem lucere,quando vel falsò adſcriptus defectus plus valebat ad notam, quàm plurimus triumphus ad famam.

198. Dauid cùm fame in deſertis adurgeretur, vrbaniſſimos,quod mirum eſt,per milites à Nabal
1 Reg.25. v.8. ſubſidium in modum ſupplicis deprecatur: *Inueniant pueri tui gratiam in oculis tuis: in die enim bona venimus: quodcumque inuenerit manus tua, da ſeruis tuis, & filio tuo Dauid.* Audit ruſticus humaniſſimam legationem, & turget: & quidem ferè ſemper vt ingenui vrbanitate alliciuntur,ſic ciuilitate ruſtici inflatiſſimè exaſperantur: amant obſcuri ſeuere tractari, vt nobiles humanitate mulceri. Audi quid reſpondeat tonſor ouium intonſus: *Quis eſt Dauid & quis eſt filius Iſai?* Iſai vocaſſe filium, vt à Moabitide Rutha oriundum ſugillaret, tradit Lyra:
Lyra. *Quaſi diceat: nullius valoris, quia deſcendit de alienigena muliere, ſcilicet de Ruth Moabitide.* Si reſpondere ad Nabal interrogationem volueris, vere atteſtari poteris eſſe Dauid lem leonum domitorem,vrſorum peſtem,voce dulciſſima reſonantem,ore pulchrum, manu fortiſſimum, dæmonum abactorem, gigantis excidium, Philiſthinorum luctuoſiſſimum fatum,contribulium ac periclitantis Reipublicæ auxilium, ac denique quæ diſperſa egregios viros commendarent,in vno illo mirè reſplenduiſſe vnita, & floruiſſe vernantia. Adhæc non ſolùm ad regnum inauguratus fulgebat, ſed regum fœcunda vena,& Iſraelitarum futurus erat æterna fama;verùm tot virtutum lumina, tot luminum elogia ſic apud barbarum illum de Moabitica origine obſcurabantur, vt quaſi nullius valoris reputauerit, & ſuperciliosus contempſerit: *Metu re-*
Seleucienſ. *gem liberauit,* ſcribit Seleucienſis orat. 16. *priuſquam ſeruitij iugum contribules experirentur, repulit.* Tot tantaque facinora neſcio quis originis næuus eis tenebris ſepeliebat, & apud ruſticum dehoneſtabat, vt nihili habuerit, & verbis contumelioſiſſimis depretiarit: *Quis eſt Dauid? Quaſi dicat: Nullius valoris: quia deſcendit de alienigena muliere:* De hac, aut illa matre exoriri,fati ac fortunæ,vt dicunt,fuit, maiores ſuos nobilitaſſe virtutis; at apud inſipientem virtus de fortuna denigrabatur,non fortunæ obſcuritas de tot virtutum luminibus pellebatur.

199. Pharao in ſe contumax, & in cæteros bellua cùm Abrahamitidem gentem ob parentum religionem Deus numero & nobilitate exornaret, naturaque creatori ſuo obſecundans ſobolem numeroſiſſimam parturiret, ſic inuidentia & timore confœderatis exarſit,vt cum Deo contentioſiſſimè depræliaretur, potiorem maſculamque ſobolem impia crudelitate condemnat cauſas generationis ſæuè accidens, & progreſſiones ventris curioſè expectans: nefario regis edicto natura concludebatur, & erat facinus perquam inſolens, quod Dei efformauerat manus,aquis extingui, & prorſus obliterari;verùm etſi tantiſper Deus impediri ſe ab hominibus paſſus fuerit,tandem iuſtitiam commendat,dum longa frænatam patientia in Ægyptios obarmat iram. Moyſes in Deum Pharaonis deligitur, & ne ipſum auxilium erroris fuerit occaſio, dextera, quæ virga apprehenſa elementis imperabat, lepra fœdiſſima ſordeſcebat: *Protulit leproſam inſtar niuis.* Itaque virga elemen- Exod 4 v.6.
ta Moyſes corripiebat, & perdomabat: exiguo tempore lepram dextera paſſa eſt, diu miraculorum fuit officina; & nihilominus à ſuis Deus non habebitur: quia apud illos plus illum breuiſſima obſcurat lepra, quàm commendauerit virga. Et quidem Moyſes hominum ſtylum agnoſcens, oris tarditatem allegabat: obſecro Domine non ſum eloquens ab heri, & nudiuſtertius: quaſi diceret: Me non miſeris: quia quantumuis tua liberalitas miraculorum patratorem effecerit, omnique Ægyptiorum ſapientia exornarit,ſi lingua blæſa vtar,citiùs habebor de linguæ tarditate contemptui, quàm de mirabilium numero admirationi. Paruit tandem Moyſes, & Ægyptum intrans virtutem cœpit miraculis explicare: & quidem opera virtutis ſunt lingua: virga in draconem vertebatur,pellucidum fluuius liquorem ſanguineis horroribus commutabat,vndantia per totam Ægyptum ranarum agmina autes importunis clamoribus referiebant; maluit tamen pertinax inuidia, ne Moyſis fateretur virtutem, propriam adaugere calamitatem: Magos vocat Pharao, qui dracones ad ſpeciem de virgis producant, quique fluuium in ſanguinem etiam vertant,ac denique qui propriis cum virtute detrimentis ſemper decertent. Ventum eſt ad ſcyniphes Moſis virga de terræ puluetibus excitatos; hic Magi deficiunt: nec enim in puluere conflari poſſunt præſtigiæ, quando puluis naturæ originem referens ad agnoſcendam veritatem compellit: Exod.8. v.18.
Fecerunt ſimiliter malefici incantationibus ſuis, vt educerent ſcyniphes, & non potuerunt. Quærunt interpretes,cur Deus minutiſſima hæc animalia educere non permiſerit, quando tanta ac talia permiſerat? Auguſtinus in quæſt. ſuper Exod. Auguſt.
quæſt. 2. reſpondet feciſſe hoc Deum, quo dæmonis potentia apud Ægyptios vileſceret. Accipe eius verba: *Cum Magi faterentur, quorum Pharao potentia præſidebat, digitum Dei eſſe in Moyſe, in quo ſuperabantur, & eorum veneficia fruſtrabantur, &c.* Ecce omnia veneficia fruſtrata, virgarum ſcilicet in colubros erectio, aquarum in ſanguinem tranſmutatio: nam quantumuis exigua ſint ſcyniphes animalcula, ſi illa educere nequiuerint, validior erit hæc infirmitas ad infamandam Magorum potentiam,quàm tot illa ad ſpeciem mira, vt commendauerint efficaciam. Itaque Deus de humana peruerſitate humanæ peruerſitati medetur,& ne Ægyptiis Magorum ſit admirationi ludicra ars, non permittit ſcyniphes educere arcanorum verſutia,& doloſa veneficiorum valentia.

§. XLIII.

Digitized by Google

§. XLIII.

Homines aliquando malitia dæmonem ad ſpeciem vincunt, quando ille fugit notitiam, cùm ipſi in malefactis oſtentent pompam.

200. VItia contra naturam ſunt, ipſa conſcientia
carnificis loco ſuccedit, nec adeò potuit ra-
tio fœdo cupiditatum fumo obcæcari, vt dedi-
dicerit erubeſcere: pugnat cum ratione adulcera
affectio,& veluti in rationalis naturæ ſtadio ap-
petitus trahit ad delicta,ratio verò ſemper reuo-
cat ad honeſta. Verùm eò peruenit aliquorum
furor,vt vitiis ſuis glorientur,& oſtentarint im-
pudenter ad pompam , vnde noſcuntur inferre
Seneca. rationi iniuriam. *Quidam* , aiebat Seneca epiſt.
28.*vitiis gloriantur*.Salutis eſſet initium in pec-
catis confundi , & ſe delinquentem erubeſcere;
verùm non ſolùm homines nolunt iam corrigi;
ſed ſceleribus exambiunt nobilitari : alius adul-
teria oſtentat, alius flagitia in theatrum produ-
cit , & iam probro vertitur reliquos ambitione,
luxuria,& feritate non vincere , & malitia lon-
giſſimè excellere. *Occide* (verba ſunt theatralis
turbæ , vt refert Seneca epiſt.7.) *vre* , *verbera:*
quare tam timidè incurrit in ferrum ? Quare pa-
rum audacter occidit? Quare parum libenter mo-
ritur : Ecce temeritas extollitur , extrema feri-
tas commendatur , & ab homicidio quæritur
gloria , vnde videbatur pullulatura ignominia.
Adonibezec crudelitatis norma , & feritatis
exemplar plurimos regulos capit , quibus ad de-
decus manuum, ac pedum ſummitates præcidit:
nec contentus fuit ardenti humani ſanguinis
ſiti feras ſuperare , ſed ad pompam feritatis
oſtendere : *Septuaginta reges amputatis manuum*
ac pedum ſummitatibus , inquit ipſe , *colligebant*
ſub menſa mea ciborum reliquias. Qualem putas
menſam , de cuius reliquiis Septuaginta reges
edebant ? Qualem exiſtimas frontem , quæ cru-
delitatis ſuæ indubia teſtimonia proferebat ad
gloriam, & ruboris materiem detorſerat ad ſu-
Lyra. perbiam ? *Hoc fecerat* , ſcribit Lyra, *iſte Adoni-*
bezec ex magna crudelitate ac ſuperbia ad oſten-
tationem victoriarum. Fortitudinis quærebat
plauſum ex ipſo crudelitatis delicto,& vnde pro-
babatur humani ſanguinis inimicus,ſuperbe in-
ſanéque voluit apparere glorioſus : non celabat
illatam ſæuiſſime iniuriam ; ſed quotidie profe-
rebat ad pompam : vt noueris homines ipſas
gehennales furias malitia ad ſpeciem vincere,
quandoquidem dæmones videntur oculos ad-
ſpectantium vereri,cùm conſtet homines de fe-
ritate gloriari.

201. Sic diuinæ bonitatis copioſus imber erga ho-
mines deferebatur , vt donis poſterioribus obſ-
curarit ſemper priora:nam velut parturiens mu-
nificentiæ ſuæ munera,& habere clauſum penes
ſe theſaurum impotens anteà dilargitis dona ſua
non circumſcribit;imò ipſa largitate ad donanda
noua inardeſcit nec vniuerſa terra, nec conceſ-
ſum Adamo mare donatoris ſedauerat deſide-
rium:imò inde nouam,quo largiùs daret,extru-
xit arte ſolertiſſima paradiſum : hîc homo deli-
ciabatur , & erat voluptas innoxia carens ſer-
pentino veneno ; at dæmon ad inuidiam excita-
tus eſt,mulierem rogat,cur de vetita arbore non
ederit ? illa ſibi teſtatur prohibitum non ſolùm
eſum;ſed tactum.*Præcepit nobis Deus,ne comede-* Gen.3.v.3.
remus,& ne tangeremus illud. Execrabili ſenten-
tia , & pleniſſima audaciæ voce vitam diabolus
contra legem agentibus ſpopondit,& priuilegia
diuinitatis promiſit : *Dixit ſerpens ad mulierem:*
Nequaquam morte moriemini. Eua his vocibus
ſubuerſa & malum cum oculo communicans
præceptum violat , & iam conſertis foliis nudi-
tatem etiam adornat:*Conſuerunt folia ficus,& fe-*
cerunt ſibi perizomata. Ecce ipſo diabolo mulier
apparet inuerecũdior:diabolus namque ſerpen-
tis ſe ſpecie texit,& apparere coram refugit ; at
Eua,dum folia ad ornatum ingenioſè interſerit,
ſe contra præceptum feciſſe notis vocaliſſimis
prodit. Itaque mulier delictum ſuum oculis ob-
iicit,cùm dæmon adſumpta ſerpentis facie tege-
re ſcelus contendit : non auſus eſt dæmon præ-
cepti violationem palam hominibus perſuade-
re,& auſi ſunt homines delictum ſuum foliis vi-
rentibus publicare.Adeſt Baſil.Seleucienſ.orat.3. Seleucienſ.
Serpentis facie perſonatus inſidioſè meditata ag-
greditur,curatorem imitans.Ecce ſerpentis ſe fa-
cie tegit,nec improbum conſilium ſuggerere ſi-
ne diſſimulatione audet,cum Eua publicis igno-
miniæ notis delictũ prodat in veſte , & ne mar-
ceſcat memoria, viridantis ornatus obliuionem
deterat elegantia.Certè ſi in hoc caſu dæmonem
homini conferas,homo cenſebitur audaciùs in-
tuliſſe rationi iniuriam,& dæmon exhibuiſſe ali-
qualem ad ſpeciem reuerentiam:veritus eſt dæ-
mon deprehendi , Eua non erubuit agnoſci : ille
humanitatem ſimulauit,etſi ad cædem accurre-
rit:ſub commiſerationis namque obtentu cona-
tus eſt ſeruum cum Domino cõmittere, impium
ſane,& dæmone dignum facinus;verum latendi
ſtudium , diſſimulandi votum innuebat naturæ
rationali aliqualem venerationem habitam , &
reuerentiam etſi vmbratili verecundia ad ſpe-
ciem exhibitam;at homo , dum de foliis contra
præceptum contactis corpori adaptat ornatum,
publicat cum nulla verecundia delictum.

Cùm induſtrius agricola campum excoluiſ- 202.
ſet , & profundis ſulcis granum commendaſſet,
ad inuidiam excitatus eſt dæmon,& intempeſtæ
noctis ſilentio non ſine labore inſerere niſus eſt,
& ſuperſeminare zizania : *Cum dormirent homi-* Matth.13.
nes,venit inimicus eius,& ſuperſeminauit zizania v.25.
in medio tritici & abiit. O quam ſolicitior eſt
deuotione liuor!O quam debitum officium in-
debitum vincit odium!Agricolæ ſerui dormiunt,
cùm inuigilet inimicus , nec noctis tenebræ va-
luerunt præpedire malitiam,nec ſumptus refræ-
nare inuidentiam. Quid tunc?Zizania creſcunt,
& intuentium oculis obiiciuntur : Apparuerunt
& zizania. Iam qui zizaniis exprimantur , quis
nomine inimici ſignetur, ſacri perquirunt inter-
pretes.Hieron.apud D.Thomam,& Rhemigius Rhemig.
aiunt inimici nomine diabolum delineari:*Intel-*
ligunt (verba ſunt Rhemigij) *diaboli calliditate*
hoc eſſe factum. Annuit Hieron. *Diabolus inimi-* Hieron.
cus homo appellatur.Zizaniorum nomine impro-
bos exprimi teſtantur Auguſtin.& Chryſoſt.ibi: Chryſoſt.
Demonſtrat hîc(verba ſunt Chryſoſt.)*quòd error*
poſt veritatem exiſtit, quod & rerum exitus teſta-
tur:etenim poſt prophetas fuerunt pſeudoprophetæ,
& poſt Apoſtolos pſeudoapoſtoli. Itaque in ziza-
niis pſeudopropheta,pſeudoque Apoſtoli,in ho-
mine inimico dæmon ſignatur:quod ſi vtrorum-
que intimiùs actiones inſpexeris,verecundiorem
ad

Digitized by Google

ad ſpeciem ipſum reperiet inimicum, quando non candenti Sole ſuperſeminauit Zizania; ſed quæſiuit tenebrarum auxilia. *Cùm dormirent homines, venit inimicus eius*; at Zizania nullatenus detrectauere conſpectum, aut latere conata ſunt viſum: *Apparuerunt Zizania.* Proh humanæ prauitatis audaciam! Seruorum agricolæ timet diabolus conſpectum, cùm Zizania nec erubuerint videri, nec ſtuduerint celari: *Apparuerunt Zizania.* Quibus apparuerunt? Illis ipſis, quorum oculos dæmon erubuit, & in quorum aſpectu ſuperſeminare Zizania metuit. O quàm quod hîc videtur exaggeratiùs dictum, experientia oſtendit omnibus certum! Plures inuenias, quibus nulla in peccando verecundia; imò quibus videtur peccare gloria. In homicidiis gloriantur de fortitudine, in impudicitiis de felicitate, in rapinis de indemnitate, & cùm debuiſſent leges vel ad ſpeciem vereri, gaudent, ſi omnibus conſtet infringi. *Cùm ſerui Dei*, ſcribit Auguſtinus, *cognouerint hanc excogitaſſe diabolum fraudem, cùm contra tanti nominis auctorem nihil ſe valere ſentiret, vt fallacias ſuas eodem nomine obtegeret, poteſt ſibi ſuboriri voluntas, vt tales homines de rebus humanis auferant, ſi aliquam temporis habeant facultatem; ſed vtrùm facere debeant, iuſtitiam Dei conſulunt.* Ecce diabolus ex Auguſtini ſententia, cùm nihil ſe contra hominem Dei filium valere ſentiret, fallacias ſuas obtexit, & ſuffragia caliginis expectauit: cùm Zizania lucem nullatenus erubuerint, nec apparere oculis dubitarint. Vtque noueris quantum hæc procacia mereatur ſupplicium, expende prudentiſſimos patris familias ſeruos, cùm ſuperſeminatorem nouerint, & ſuperſeminata Zizania viderint, maiorem ſtomachum in Zizania, quàm in nocturnum ſeminatorem oſtendiſſe. Non aiunt: Vis imus, & ſeminatorem plectimus? Sed, *Vis imus, & colligimus ea*? Et cur ardentiùs in Zizania, quàm in Zizaniorum auctorem commoueantur? Fortè quia plus illos audax prouocauit Zizaniorum inuerecundia, quàm virulentiſſimi hoſtis ſagax, & ad ſpeciem verecunda cautela. Fecit ille iniquiſſimè; ſed tectè; ſed verecundè; at peruerſi homines nec verecundè, nec tectè, *Poteſt ſibi ſuboriri voluntas, vt tales homines de rebus humanis auferant.* O quàm pauere debent tales homines ſe igni inextinguibili addicendos, cùm omnes ruboris terminos rumpunt, & verecundiæ fræna proiiciunt! Hic expreſſè non vincitur inimicus, nec igni traditur; at Zizania traduntur ignibus illigata: quaſi plus fuerit omnem depoſuiſſe verecundiam, quàm exercuiſſe malitiam.

Auguſt.

203. *Ipſe Sathanas*, aiebat Paulus ad Corinthios ſcribens, *transfigurat ſe in Angelum lucis*: ſanè, vt fallat: lucis aſſumit ſpeciem, vt decipiat: quaſi commenta ſua nudare non audeat; ſed hoc verecundiæ tributum pendat. Tranſi cogitatione ad duos illos pudiciſſimæ Suſannæ riuales: non tectè delitia ſua fœminæ exponunt; ſed coram effutiunt: *Nos in concupiſcentia tui ſumus: quamobrem aſſentire nobis, & commiſcere nobiſcum.* Quid procacius? Quid homine indignius? Illorum quiſque ſceleris requirit teſtem, & libidinoſiſſimam prodit flammam, quando ipſe diabolus quærit ad fraudem cautelam: *Transfigurat ſe in Angelum lucis*, ſcribit Anſelmus, *id eſt aſſumit præclarum habitum, & apparet hominibus, vt credatur Sanctus Angelus, & ita decipiat.* Cupit decipere; ſed cupit virtutis ſpecie fraudem colorare, cùm impurati ſenes prodigioſa luxuriæ vota nullatenus veriti fuerint expromere; vt conſtet noſtræ theſis veritas, homines ſcilicet aliquando dæmonem procacia vincere, impudentiaque ſuperare.

2.Cor.11. v.14.

Dan.13. v.20.

Anſel.

§. XLIV.

Qui blandus ſibi indulget, frequenter in alios duriùs deſæuit.

Deliciæ voluptateſque, dum animos ad virtutes eneruant, in alios feros indurant: ferrea cuduntur viſcera in mollitiei officina: quò ſibi quis indulgentior, eò probatur in alios durior: ſæuus rigor de blanda ſecum naſcitur indulgentia, & deliciarum nutriunt cunabula. Ferrea vocauit Chryſologus ſerm. 121. illius diuitis epulonis viſcera: *Pietatis*, inquit, *conflatorium eius proiecit ad ianuam: conflatorium dixi propter ferrea viſcera.* O quàm ferreus durabatur animus cùm delicatus ebrietatem augebat potus! veluti humana natura referrur exurus, qui lautiſſimis ferculis, & annoſis vinis depingitur innutritus: ſecum dignè ſeuerus aliorum opitulatur indulgenter miſeriis, ſecum blandus ſtudet incrementandis ærumnis. Ecce Adonibezec dum ſumptuoſiùs oblectatur deliciis, duriùs ac diriùs plurimos affligit pœnis. *Dixit Adonibezec: Septuaginta Reges amputatis manuum ac pedum ſummitatibus colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias.* Expende, amabo te, eodem loco, eodemque tempore referri Adonibezec ferociam & voluptatem. *Hoc fecerat*, ſcribit Lyra, *iſte Adonibezec ex magna crudelitate*: vbi Adonibezec adſtabant blanditiarum obſequia, ibi tot homines dura adurgebant ſupplicia: molli diſcubitu decumbebat, lautiſſimis ferculis deliciabatur, induſtriè elaborata ſiti ebrietates fouebat: ſub menſa ergo tot homines duriſſimæ adurgebant pœnæ, quia in menſa Adonibezec ſaporatiſſimę ingerebantur delicię: qui ſibi adeò voluptuoſus, non potuit non depingi in cæteros durus, quaſi durities ſit deliciarum progenies. O quoties qui dignitatis inſcendit culmen, morum eſt in aliis ſeuerus exactor, cùm mores à ſe non exigat: rigidiùs ſubditos ſatagit reformare, cùm ſtudioſiùs ſibi ſolicitat indulgere: ſibi parcit, & alios punit. Ambiunt aliquando Magiſtratus de concinnis ſubditorum moribus famam, & ambitione crudelitatis excedunt metam: *Alligant onera grauia*, aiebat Chriſtus Dominus, *& importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea mouere.* Quantum laboris ſibi excuſant, tantùm aliis & oneris incrementant: ſatis eſt, vt latentem in alios perſcruteris duritiam, ſi ſtudioſam ſecum perſpicias in aliquo indulgentiam. 204.

Chryſol.

Lyra.

Matth.23. v.3.

205. Diues ille, cuius iam mentionem fecimus, cùm oculos ſtatuerit declinare in terram, quando leuare debuiſſet ad gloriam, illos leuauit ad ſydera, cùm deiicere cogeretur ad tartara: adeò inuertunt rerum peccatores ſeriem, ac ſic rectum adulterant ordinem: ſed quid diue iſte

Digitized by Google

Matth. 16. v. 24. iſte petat, audiamus: *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam.* Ecce præ aliis membris lingua ſibi indulget: *Hæc ergo fuit*, ſcribit
Chryſol. Chryſologus ſermone 66. *quæ maledixit pauperi, pauperi miſericordiam contradixit.* Ecce inter reliqua corporis membra lingua ſui accuratius ſolicitat refrigerium, quæ præ aliis corporis membris extitit pauperi acerbior, Lazaro durior: manus pauperi non ſubuenit, lingua maledixit: *Quæ maledixit pauperi:* nec mirum extiterit aliis ſeuera, quæ ſibi probatur indulgentiſſima.

206. Expendebam apud me aliquando, cur Iacobus, & Ioannes præ aliis Apoſtolis ignem in Samaritas voluerint eiaculari, & flammis voraciſſimis vrere. Repetamus hiſtoriam. Tendebat Chriſtus Dominus in Ieruſalem, cùm diſcipulos miſit, qui in Samaritanorum ciuitate exiguum pararent prandium, & inquirerent hoſpitium; verùm Samaritæ ſibi ipſis inimici inuitantem felicitatem propulſant, & à ſe quam
Luc 9. v 53. optare poſſent, fortunam relegant: *Non receperunt eum.* His Ioannes & Iacobus commoti ſic ardent, vt in inciuiles, inurbanoſque euomere flammas velint: *Cum vidiſſent autem diſcipuli eius Iacobus, & Ioannes dixerunt: Domine, vis dicimus, vt ignis deſcendat de cælo, & conſumat illos?* Si diſcipuli omnes inciuilitatem Samaritanorum patiuntur, ſi abiici Chriſtum Dominum intuentur, cur præ reliquis Ioannes & Iacobus non ſolùm ardent puniri; ſed & conſumi? Fallar, niſi hoc præ reliquis experierint, quia & præ reliquis ſibi commoda procurarint. Tendebat, vt modò, Chriſtus Dominus Ieroſolymam, quando fratres ſedes ſibi am-
Matth. 20. v. 21. bitioſè requirunt: *Dic vt ſedeant hi duo filij mei vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo.* Audiunt crucem, & thronum ambiunt: ergo non mirum in alios ſe adeò oſtentarint ſeueros, ſi ſecum ita ſe produnt blandos: non erat leuior error ad crucis præſentiam ſedem ambire, quàm eunti in Ieroſolymam hoſpitium Domino non concedere; aſt qui ſibi ſedes exambiunt, in alios furunt. Adeſt Rabanus
Raban. apud Diuum Thomã ad Matth. 20. *Sedem gloriæ à Domino, quum non merebantur, inquirunt: delectabat eos culmen honoris; ſed priùs habebant exercere viam laboris.* Auebant viam in alios exercere laboris, quia ſedem ſibi diſcupierant voluptatis: ferè ſemper namque videre eſt in alios deſæuire, quos conſtat ſibi indulgere. Et è contra, qui ſecum rigidiores, probantur aliis clementes.

207. Laborabat Iſaias neſcio quo labiorum defectu, & Seraphim cæleſti, proprioque ſtimulatus ardore inuolat, vt attulerit ſuperna flamma medelam: manu tangit prunam, quo prunæ ri-
Iſaiæ 6. v. 6. gorem temperet: *Volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari.* Aera volatu ſecans deſcribitur, quo in ſe crucis, mortificationiſque formam ex-
Hieron. preſſiſſe noſcatur: aues enim teſte Hieronymo apud Diuum Thomam ad Marci 15. crucis formam exprimentes à terra diſtant, cæliſque approximant: *Aues*, inquit, *quando volant ad æthera, formam crucis ſumunt:* & tunc ſic in prophetam blandus, vt maluerit ignis propria manu tangere flammas, quo prophetæ temperauerit pœnas. Adeſt eleganter Chryſologus ſermone 57. *Quantus eſt qui carbonem ſuperni ignis ſic manu geſtat intrepidus; imò ſic ſuo temperat attactu, vt prophetæ purget labia?* Plus videtur veteri Seraphin ori alieno intuliſſe dolorem, quam propriæ manui, quandoquidem manus vim flammarum patitur, quo ad prophetæ purganda labia ipſo attactu attemperetur. Fortè ni volans, nec adeò alienæ calamitati proprio dolore curaſſet afferre auxilium; verùm cruciformis propria mortificatione docetur candentium flammarum vim attemperare, & miſeris ſubuenire. *Volauit*, inquit, *ad me, & in manu eius calculus.* Ni volaret Seraphin crucifixus, prophetæ ignis non miteſceret temperatus. O quàm blanda viſcera doloribus nutriuntur, quàm pia corda ipſis mortificationibus generantur! Quæ ab ingenio diſcrepant, ſcilicet ſeueritas, & compaſſio, in homine iuſto mirè concordant, vtque nubes illa, quæ Hebræos ducebat, tenebris, & luce conſtabat; ita tamen vt Ægyptios denſis caliginibus obcæcaret, & Hebræos luminis radiis dirigeret, ſic homo cruci Domini conformatus, ſeuerus inuenitur, & pius: ita tamen vt ſeueritate ſeipſum diuexet, & pietate alios leuârit.

Pendebat Chriſtus Dominus ligno affixus, 208.
& duris doloribus lancinatus, cùm latro illo infortunio fortunatiſſimus ſupplicio pependit vitam, vt furaretur innoxiè gloriam. Hic ergo cæleſti pulſu illuſtratus, & inuiſa ſæculis Domini patientia eruditus ſuam exertis vocibus euulgat culpam, & precatur in futurum miſericordiam: *Domine memento mei, cùm veneris* Lucæ 23. v. 42.
in regnum tuum. Quid tunc? Extemplò illi promittitur regnum, quo ſpes mellierit ſupplicium: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Apertæ diuinæ pietatis cataractæ petentis votum feliciſſimè ſupergreſſæ ſunt, nec tantùm ſpes præſumpſit, ac miſericordia dedit; verùm inquiramus, ſi placet, cur Dominus à matre pientiſſima rogatus vinum largiri diſtulerit, & ſuffragium temporis expectarit: *Nondum venit hora* Ioan. 2. v. 4.
mea. Importunum aſſerit tempus, vt quanti matris apud ipſum ſint preces, ſæculis prodat miraculum: non diſtulit matri iniurius, imò difficultatem oſtendit, quò plus erga matrem agnoſceretur deuotus; hæc tamen hiſtoria nobis grande reſeruauit arcanum. Ecce quod inſtanter vrgente neceſſitate depoſcitur, *Vinum non habent*, in futurum tempus differtur: *Nondum venit hora mea:* cùm quod in futurum exigitur: *Memento mei, dum veneris in regnum tuum*, latroni breuiſſimè concedatur: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Ecqua huius diſcriminis cauſa eſt? Ad crucíſne commendationem, vt noſcas, vti per matrem poſtulata, citiſſimè impetrari per crucem? O efficaciſſimam ſine voce crucis ſuis omnis poſtulationem! Citò crux, quem Zebedæi filiorum mater non obtinuit, thronum patienti impetrauit. Benè; ſed theſi noſtræ locum adaptemus. Ipſe Chriſti dolor alieni doloris accelerauit remedia, ſi opiparè paſtus diſtulit egenti auxilia: dum diſſertis menſis nuptias honorans adſidet, ad noſtram eruditionem poſtulata tantiſper differt, at cruci affixus pluſquam poſtulatur, concedit. Vt noueris erga alios propriis cruciatibus innutriri clementiam, & augeri miſericordiam, latronis dolori citiſſimam geſtit mede-

Digitized by Google

lam afferre, qui ſæuiſſimos crucis probabatur dolores pati: *Citò latroni*, aiebat Ambroſius hic, *venia relaxatur, & vberior eſt gratia, quàm precatio: ſemper enim Dominus plus tribuit, quàm rogatur: ille enim rogabat, vt memor eſſet ſui Dominus cum veniſſet in regnum ſuum; Dominus autem ait illi: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.* Aptius Chryſoſtomus apud D. Thomam: *Mille malis imbutus poſtulas iuſtitiæ fontem reminiſci tuæ nequitiæ? ſed dices: Video quidem apparens opprobrium; ſed intueor latens regnum.* Ipſum Chriſti opprobrium latroni maturauit auxilium. Addit poſt aliqua ibi Chryſoſtomus: *Attende celeritatem à cruce in cælos, à condemnatione in paradiſum: vt noueris non ad beneuolentiam illius; ſed ad clementiam Dominum totum feciſſe.* Dominus cruci affixus cruce pendentem introduxit in cælum, & dolore attritus miſeri celerrimè impleuit votum. Ergo ſi Adonibezec non lautis adeò ferculis obbruteſceret oblectatus, ergà ſub menſa calcatos reges non adeò exiſteret durus.

Ambroſ.

Chryſoſt.

§. XLV.

Grauius ipſa morte lentum ac diuturnum tormentum.

209. MVlta accidunt dura, multa aſpera, quæ emolliat, & complanet patientia. Ignis aurum probat, miſeria fortes viros examinat: non poteſt natura mutare materiam: quædam ſeparari à quibuſdam non poſſunt; hærent vti indiuidua, & quodammodo agnata. Humanæ vitæ labor appendix eſt; verùm inuenit nocendi induſtria, quæ ignorat fortunæ toruitas, aut fatorum malignitas: *Non tam longas in exitu vobis*, aiebat Seneca lib. de prouid. cap. 6. Numinis perſonam gerens, *quàm intrantibus moram poſui: alioqui magnum in vos regnum fortuna tenuiſſet, ſi homo tam tardè moreretur, quàm naſcitur.* Mors facillimè perficitur, & opima taurorum corpora exiguo vulnere concidunt, magnarumque virium animalia manus hominis leui ictu ſolet ad mortem impellere: tenui ferro ceruix diuiditur, & moles tota corruit, quia in alto non latet ſpiritus in proximo mors eſt. In hoc naturæ luxit pietas, quæ citò doloris vehementiam ſopit, aut corporis vires tempore exiguo conſumit; at inuenit humana induſtria nouas nocendi artes, & quo in prolixius tempus mirè torqueat patientiam, lentiſſimam dolorum adhibet cauſam: lento igne vrit, hebeti ferro lædit, vt dum repetitur ſæpius ictus, productior fuerit cruciatus. Adonibezec ſuo ſupplicio edoctus, quam exercuerat in alios nouit ſæuitiam, & peſſimam ad nocendum ſolertiam: *Septuaginta Reges*, inquit, *amputatis manuum ac pedum ſummitatibus colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias.* Pietatem cenſebis reges non occidiſſe, ſed tantummodò ſummitatibus manuum ac pedum mutilatis ſeruaſſe; verùm mitior fuiſſet occidendo, & erat crudelior ſeruando, quandoquidem diuturna infamia, & in longum tempus producta pœna infelices mirè adurebat, & patientiam defatigabat. Adeſt Lyra: *Hoc fecerat iſte Adonibezec ex magna crudelitate.* O peruerſam nocendi induſtriam nunquam conſumere, vt diu valuerit torquere; verùm etſi tantiſper eius viſa fuerit deſpecta cauſa, tandem cæleſtis ſæuam puniuit crudelitatem vindicta: ſuſtulit namque ipſe, quæ in alios ſuperbè exercuit: *Comprehenderunt cæſis ſummitatibus manuum eius ac pedum.* Rogat Abulenſ. cur ſæuum adeò hoſtem non trucidarint, mortique tradiderint. Reſpondetque quæſt. 9. hoc feciſſe non in eius commodum; ſed ad grandius, duriuſque tormentum: *Non dimittebant eum, vt viueret; ſed dimiſerunt ei aliquid de vita modicum, ſcilicet infligentes ei vulnera..... Habentes voluntatem occidendi illum non poſt multum tempus, vel tenendi eum captum perpetuò ex aliqua cauſa non in fauorem eius; ſed magis ad amaritudinem.* Amarius erat Adonibezec diutius pati, quàm citò mori: ergo vt eximiam eius ſæuitiam ſupplicio digniſſimo compenſarent, lentis commiſerunt pœnis, nec acceleratis conſumi decreuerunt ſuppliciis. Profectò mors malorum medela eſt, nec adeò lucet patientia, ſi breuia duriſſima perferendo, quàm lenta, etſi mitiora aliquantulum, tolerando.

Seneca.

Lyra.

Abulenſ.

210. Cainus naturæ iniuria virtutis gloriam exambiuit, & virtutis opera reſpuit. Infructuoſus animus fructus ſpiritu carẽtes apportat Deo; verùm Deus reſpuit ſacrificium pietate non commendatum; imò ad ſpeciem inuitum: obtulit etiam Abel commendabilem victimam, & vtriuſque animum euulgarunt holocauſta, prodideruntque ſacrificia: *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius:* dona grato animo offerentem conſpicatus, & oblata placido vultu eſt amplexus: primum animum, deinde donationem admiſit. O Domini in homines benignitatem! Propitio vultu admiſit Abeli dona, Caini irato aſpectu; quod videbatur conſequens, non refertur reſpuiſſe munera; verùm Cainus inuidentia iam turgens cædem molitur, & accenſa flamma moras non patitur. Abelum in campum ducit, & humanum deguſtat ſanguinem, & quam nondum didicerat, orci edocet ſequentes viam: Deus acerrimus iuſtorum vindex ſcelus exaggerat, non quo ad deſperationem impellat; ſed quo ad pœnitentiam alliciat; ille verò non ſolùm fratris parricida; ſed ſe ipſum ſuſtinere non valens impatienter ad mortem currere adurgetur: *Omnis, qui inuenerit me, occidet me:* luctus, trepidationes, doloreſq; morte leuare ſatagebat; verùm æquiſſimus iudex mortem differt, & teſſera incolumitatis defendit: *Poſuit Dominus Cain ſignum, vt non interficeret eum omnis, qui inueniſſet eum.* Quærunt interpretes, cur Deus, quam iniuſtè Abelo intulit, Cainum mortem pati noluerit; ſed ſpatia vitæ produxerit. Profectò ea eſt Domini in homines pietas, vt quodammodò ignoret punire, & pœnas neſciat augere; verùm hîc vitæ prorogatio non tam clementię erat fructus, quàm iuſtæ indignationis effectus: non permiſit aboleri vindictam, nec inuido ambitam eſt dilargitus medelam; ſed vnà cum vitæ ſpatiis cruciatus produxit, & quia celerem Abelo mortem adduxit, ſerò mortem oppetere cogitur, vt vita ſupplicio ſit. Ita Baſil. Seleuc. orat. 6. *Cainus quidem fraternam dextram fraterno ſanguine cum purpuraſſet, lento tormento adiudicatur.* Vitam producere non fuit ſupplicia emollire; ſed pœnam augere. O quàm miſerabilior erat Cainus incuſſa ſemper trepidatione timidus, & ſeipſum effugiens vagus: quàm mitius eſſet mortem ſemel pati, & ſupplicium citiſſimè abſolui! Aſt lenta pœna grauior erat, ac durior vindicta: lento tormento adiudicatur.

Geneſ. 4.

Seleucienſ.

Egit

Digitized by Google

211. Egit fera inuidorum truculentia Chriſtum in crucem: iniquus iudex, vt innocentiam confunderet, vtque ſententiam deteſtabilem coloraret, duo nequam idem ſubire iuſſit ſupplicium; & fors grauius hoc fuit innocentiæ candori tormentum, quandoquidem plus horrent iuſti periculoſa iniquorum conſortia, quàm ipſa pœnarum ſupplicia: è lignis pendebant tres diſtantiſſimi causâ, vt coniunctiſſimi pœna, quando Hebræi Pilatum adeunt, & in magni Sabbathi honorem frangi violenter crura, & tolli de cruce depoſcunt corpora: *Iudæi ergo, quoniam paraſceue erat, vt non remanerent in cruce corpora Sabbatho: erat enim magnus dies ille Sabbathi; rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura, & tollerentur.* O feram rabiem, ô rabidam Phariſæorum ſæuitiam! Cruci affixos vides, & in miſeriis imbutos ſæuis? Morte adhuc non ſopis furorem, ſed geſtis lambere ſanguinem? Imò, inquit Auguſtinus, ſe pios affectarunt, & in crucifixos clementiam exhibuerunt: diu penderent lentos perferendo dolores, ni frangerentur crura: violento ergo ſupplicio lentis medentur cruciatibus, & leuamen moliuntur angoribus: durius namque eſt lentam produci pœnam, quàm breuem ſoluere mulctam. *Ideò frangebantur*, ſcribit Auguſtinus apud Diuum Thomam, *vt morerentur, & auferrentur ex ligno, ne pendentes in crucibus magnum diem feſtum ſui diutini cruciatus horrore fœdarent.* Nolebant Hebræi feſtum adeò celebre ſpecie crudelitatis fœdare: & quidem lentis affligendo pœnis timebant ſæuos cenſeri. Itaque ſe clementiæ exiſtimabant conſulere, ſi citò, quantumuis graui ſupplicio conſumerent, nec prolixis pœnis affligerent: exaggeratius adeò tormentum eſt lentis pœnis vel inimicum conſulere, vt virulentiſſima Phariſæorum inuidentia hoc recuſarit intuliſſe ſupplicium, quibus crucis ſolicitarat tormentum.

Ioan. 19. v. 31.

Auguſt.

212. Ionas ad Niniuem ciuitatem præ hominibus refertam ſceleribus durus ad ſpeciem legatur nuntius, latentem minis diuinam nouit pietatem, & ne mendax haberetur vates, proprio maluit honori conſulere, quam tot ſaluti hominum prouidere: nauim inſcendit Tharſum petiturus; verùm inuenit mari machinam ſuis conſiliis valentiorem: ingruens tempeſtas cum ſcapha depræliabatur, & cùm naues cæteræ placido curſu tranſmitterentur, hæc vna repugnantibus ſibi venris volutabatur: denique vbi defecit ars, vbi rectoris obſtupuit induſtria, forte rationabili caſus adeò inopini quæritur cauſa: ſors fugientem prodidit, & qui fuga notam à ſe mendacis ſatagebat repellere, Dei hoſtis cogitur infamiam ſubire. O quàm auxit honoris damnum, cùm imprudenter ſatagebat remedium, ſorte proditus naufragus redditur; ſed piſcis viuum deglutit, & ad obſcurum pectoris ſepulchrum transfert: *Præparauit Dominus piſcem grandem, vt deglutiret Ionam: & erat Ionas in ventre piſcis tribus diebus, & tribus noctibus.*

Ionæ. 2. v. 1.

Zeno. Zeno Veronenſis, vt pollebat ingenio, miſerabilius ait fuiſſe ſepulchrum, quàm fuerat Ionæ naufragium: *Ionas*, inquit ſermone de timore, *timens Dominum ſpontaneum non timet adire naufragium: ceto inhiante miſerabilius ſepelitur, quàm præcipitatur.* Examinemus altiùs hæc Zenonis verba, quando ſecum videntur ad ſpeciem pugnantia. Quando præcipitatur Ionas morti traditur; ceto etſi incluſus, cuſtoditur: ergo miſerabilius erat è nauigio in vndas iactari, quàm ceti viſceribus cuſtodiri; & tamen perſiſtit Zeno in ſententia iterum proferens: *Ceto inhiante miſerabilius ſepelitur quàm præcipitatur.* Profectò Zeno & acutè & verè: nam ſi præcipitatus citò vndarum abſorberetur violentiâ, amiſiſſet momento vitam, nec tuliſſet productam ſepulchri pœnam; at dum inhiante ceto ſepelitur, mortis deguſtat lentiſſimè horrorem, ac ſepulchri delibat caliginem: hoc ergo miſerabilius erat: quia morte grauior cruciabat vita, dum nec deerat ſenſus, nec ſepulchri aberat vſus. Vtrumque cumulatiorem augebat pœnam, frui ſenſu ad patientiæ ac doloris exercitium, & mortis ſuſtinere anguſtias viuum inhabitando ſepulchrum. Certè fera mors probabatur productior pœna, & miſerabilior inueniebatur anguſtia: iure ergo miſerabilius ſepelitur, quam præcipitatur: quia in ceto quo lentior, & mortis erat anguſtia productior.

Si flagellat, aiebat Iobus patientiæ exemplar, *occidat ſemel, & non de pœnis innocentum rideat.* 213. Iob 9. v. 23.
Expendamus illud *ſemel*: opponi namque debuiſſet verbo pluries: ergo vt conſtaret ſententia, debuiſſet prius protuliſſe huiuſcemodi ſententiam: non occidat pluries; ſed ſemel, nec de innocentum pœnis ſibi voluptatem conciliet? Adeóne Iobus immitibus dolorum vrgetur ærumnis, vt ſententiam non adaptauerit verbis? Imò mirè adaptat, & mirè concinnat: continua patiebatur flagra, quæ nec viuere permitterent, nec mortem prorſus inferrent, vtque dolori mederetur, & grauiorem leuiori commutaret calamitatem, exoptat ſemel occidi, nec tot mortibus lentis aduri. *Si flagellat*, ſcribit Interlinearis, *quotidiana vindicta.* Annuit Lyra: *Quaſi dicat: Ex hoc habetur quod Deus deberet innocentem tantùm ſemel affligere, ſcilicet in morte, & non in vita, cuius contrarium videmus.* Vt ſanctus Iob cryſtallinum cæteris patientiæ proponeretur ſpeculum, hoſti non permiſit Deus illum ſemel occidere; ſed prolixis doloribus diuexare: nec vulnus eiuſque fœtor permittebat inter homines viuere: ſedebat namque in ſterquilinio, nec illi mortem concedebatur oppetere: ideóque prolixis adeò pœnis afflictus, & lento verbere flagellatus ſuam allegat innocentiam, vt liceat non tantas; ſed vnicam mortem æquanimiter ſuſtinere. Vel Iobi patientia ad ſpeciem defatigatur lentiori tormento, & leuius cenſet conſumi ſemel rigidiori ſupplicio. Vt noueris grauius ipſa morte diuturnum ac lentum extitiſſe tormentum, & quodammodo de lentitudine patientiæ imminere naufragium.

Interlin. Lyra.

§. XLVI.

Cordatus ſuperior ſtudet ea præcipere, ad quæ ſubiectos facilius nouerit inclinari.

Homines, vt à ſerpente ſpiritum impatientiæ hauſerunt, nulli ſubiici ſtudioſiſſimè procurarunt: *Eritis ſicut dij:* falſam promiſſionem adhuc ſuſpirant, & Numinis ad inſtar independentiam ſitienter anhelant. *Caius Cæſar*, ſcribebat Seneca lib. 1. de ira cap. 16. *qui iratus cælo quòd obſtreperet pantomimus, quod imitabatur, ſtudioſius* 214.

ſtudioſius,quàm ſpectabat, quodque comeſſatio ſua fulminibus terreretur, prorſus parum certus ad pugnam vocauit Iouem. Et quidem ſine miſſione. Addit: *vltima patientia viſum eſt eum ferre, qui*
Deo non ſubiecto durum eſt ſubiici. *Iouem non ferret.* Ea eſt humana dementia, vt nec imperio Numinis patiatur ſubiici, imò audeat cum Ioue vti æquali decertare. Hinc optimus ſuperior prudenter obedientiam emollit, & ingenia ſubiectorum perſcrutatus ſubiectio-
Iſai. 3. v. 7. nem cordatè melli. *Non ſum medicus*, aiebat quidam prudens, *nolite me conſtituere regem*, Et quid medicinæ cum ſuperiore commune? Certè medicus nocitura non præbet; ſed ſæpe ſæpius tædio ægrotantis attemperatur, & ſi abſit peri-
Nazianz. culum, quæ diſcupit, elargitur. Sanctus Nazianzenus orat. de laudibus Baſilij aiebat: *Eos, qui ab ipſo diſſidebant, emollit, ac ſublimis & excelſa medicina rationibus curat.* Ipſa ſubiectio humanæ ambitioni ægritudo eſt: hanc ſuperior cordatus non grauabit; ſed emolliet aliquando reluctanti cedendo, aut quæ nouit grata imperando. Vtriuſque nobis Debora populi iudex mirum reliquit exemplum: iubet Dei nomine Baracum in Siſaram manum cogere, & Thaborem montem inſcédere; ille verò ea ſolùm conditione ſpondet obedire præcepto, ſi Debora ſcilicet in campum pergat: *Si venis mecum, vadam; ſi nolueris venire mecum, non pergam.* Debora non exaſperatur reſponſo; ſed attemperatur obſequentis deſiderio: *Ibo quidem tecum.* Adhæc cùm milites non tam ad pugnam, quàm ad victoriam deligendi eſſent, promiſerat namque diuina reuelatione trophæum: *Adducam ad te in loco torrentis Ciſſon Siſaram*, Nephthalitas Zabuloniis prætulit: *Tollet tecum decem millia pugnatorum de filiis Nephtali, & de filiis Zabulon.* Iam ſi quæras cur Nephthalitæ Zabulonitis, aliiſque tribubus præponantur ad triumphum, facilis reſponſio eſt: erga hos videlicet, vtpote contribules Baracum peculiariter fuiſſe affectum, vtque melliretur obedientia, hoc illi Debora dedit mandatum: quia ad hoc conſta-
Abulenſ. bat ſpecialiter eſſe propenſum. Audi Abulenſem quæſt. 8. *Non ponitur hic modus ſtirpis Barac; ſed intelligendum quòd fuerit de ſtirpe Nephthali.* Addit: *Poſtquam Debora dixit ei, quod acciperet decem millia virorum, illicò accepit de tribubus, de quibus voluit.* Itaque Barac milites deſiderauit accipere de contribulibus ſuis, affinibuſque, vt potirentur ditiſſimis manubiis, & glorioſis adornarentur trophæis. Ergo Debora quod ipſe voluit, hoc iuſſit ſine imperij detrimento; imò obedientiæ maximo lucro: illico namque accepit; aliter fors longum tempus tardaret. *Illico accepit:* & quare? *Quia accepit de tribubus, de quibus voluit.* Diſcant hinc prælati, dum fas non vetat, ingenia ſubiectorum agnoſcere, vt ea illis præceperint, ad quæ procliuiores agnouerint: nec enim diu violenta durant; & ingrata perſeuerant.

215. Christus Dominus optimus prudentiæ magiſter hanc nos politiam edocuit, dum Apoſtolos ad apicem perfectionis vocauit: Petro
Matth. 4 v. 19. & Andreæ piſcationis iniungit munus: *Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum:* Matthæo hoc munus non iniungit; ſed veſtigiis eius inſiſtere præcipit: *ſequere me.* Vocationis diſcrimen innuit aliquod latere arca-
Matth. 9. v. 9. num, & celari myſterium: nam ſi Matthæo piſcationis exercitium non prædicitur, cur fratribus denunciatur? aut ſi fratres vocantur nobiliora ad retia, cur Matthæus non ad retia; ſed ad veſtigia? Quia Petrus & Andreas piſcium captioni dediti, & piſcationis muneri addicti; at Matthæus ad piſcium capturam nullatenus probabatur propenſus; ſed captionibus, & cautionum libris dicatus. Ergo Matthæum vocat ad ſcribendam legem, fratribus exercere imperat piſcationem: quò expromptiùs obediant ipſo affectu alliciente, exercitioque prolectante. Adeſt Chryſologus Chryſol. ſermone 28. *Captores piſcium fiunt hominum piſcatores, de labore tranſeunt ad laborem: quia labor neſcit laſſeſcere meditatus: omnia, quæ de vſu veniunt, non fatigant; virtus exercitio perſeuerat.* Certè ſi iuberet alia, quæ de vſu non venirent, fortaſſis defatigarentur; at dum ipſa, ad quæ propenſi, imperantur, virtus ſine difficultate exercetur.

Pſaltes vt Numinis regimen erga ſubiectos dulciſſimum commendaret, ſic Pſalmo 44. 216. Pſalm. 44. v. 11.
aiebat: *Legem ſtatuit ei in via, quam elegit.* Cùm illud verbum *elegit*, ad præcipientem, & ad illum, cui præcipitur, poſſit accommodari, nonnulli interpretes de Domino intelligunt: quaſi dicat: In ea via, quam Dominus elegit, ſuo alumno legem ſtatuit, qua tutò greſſum dirigeret, & ſæpè occurrentia itinere pericula deuitaret. Ruffinus electionem pu- Ruffin.
tat legem accipientis: *Legem gratia*, inquit, *qua non ſolum data; ſed ſtatuta eſt, & immobiliter fixa proficienti, non in qualibet via; ſed in via, quam elegit, quæ eſt Chriſtus.* Chriſtus via eſt, ipſo atteſtante: *Ego ſum via:* in hac ergo via, ea parte ducit Deus ſibi ſubiectos, qua ipſi eligunt: alij namque malunt per caſtitatis ſemitam incedere, alij per ſpinoſam matrimonij viam ambulare, alij amplectuntur eleemoſynam, alij duram corporis caſtigationem: ergo his iuxta eorum electionem lex ſtatuitur, & omnis in obſequendo violentia prorſus relegatur: & ob id non dixit dedit; ſed *ſtatuit:* quia dum lex ingenio obſequentis accommodatur, fixa, & quaſi nunquam violanda ſtatuitur; at vbi obſequentis animus diſcordat, lex non obeditur; ſed iniurioſè violatur. Non debet ſubditus, quam elegit, via exlex incedere: hoc enim regentis damnaret deſidioſam ignauiam, & pernicioſam ipſi ſubiecto licentiam; at electa via legem ponere, & iuxta præcepta legitima gubernare, eſt prudentiſſimi rectoris, & prouidentiſſimi patris. Defæcandus eſt affectus, & ab omni errore purgandus; at dum ſine detrimento præcepta obedientis adaptantur ingenio, & obeditur citiùs, & alacriùs.

Nato Christo Domino iam oportebat 217.
ignorantiæ tenebras effugari, & gentilitatem adduci. Quid tunc? Stella apparet inuiſo iubare fulgens, & Magis inuolare ad Chriſtum
Matth. 2. v. 2. ſplendenti radiorum lingua ſuadens: *Vidimus*, inquiunt, *ſtellam eius in oriente & venimus adorare eum.* Hieron. apud Diuum Tho- Hieron.
mam quærit quomodò à terræ finibus adeò citò venire valuerint: *Quærendum eſt, ſi Chaldæi vel Perſæ, aut de finibus terræ fuerunt, quomodò in tam breui ſpatio Ieroſolymam venire potuerunt.* Gloſſa Diui Thomæ reſpon- Gloſſa.
det citò adeò ad recens natum puerum inuolaſſe, quia velociſſimis dromedariis ſunt vſi:
Non

Digitized by Google

Non mirandum eſt, ſcribit apud Diuu Thomam, *eos in tredeccim diebus veniſſe Bethlehem, cùm equos Arabicos, & dromedarios haberent, qui ſcilicet ſunt veloces ad iter.* Verùm hoc ipſum, dromedarios ſcilicet elegiſſe, vt citius, celeriuſque peruenerint, mirum erat, quandoquidem homines delicatos, deliciiſque innutritos non recuſaſſe motu adeò rapido ferri, videbatur inſolitum. Chryſol. Quæ ergo cauſa illos impulit? Stella reſpondet Chryſologus ſermone 156. vocari, ducique: *Aliquando videt Magus, quia habet ſtellam.* Magus ſtellis obediebat dicatus, quarum ſe motui ſubiacere credebat, & quarum aſpectum ſtulta ſuperſtitione obſeruabat. Ergo vbi Chriſtus recens natus ad ſe allicere diſcupiuit ardenter, ſtella non magica arte; ſed diuina prouidentia illis illucente traxit, illique vtpotè ſtellis dediti, etſi iam abacto errore, & ſyderis propetant curſum ſequi, & celerrimo motu duci: *Errantes per aſtra Magos*, præmiſerat Chryſologus, *cœli negotia in tenebris noctium perquirentes, naſcendi, moriendi cauſas ſtellarum curſibus aſcribentes, bona, malaue hominum de arbitrio luminarium firmantes Euangeliſta hodie ortum Chriſti abſconditum ſeculis ſtella duce docuit inueniſſe.* Duce ſtella citiſſimè inueniunt, quem fortè ni ſtella duceret, tardius inueniſſent, lentiuſque indagaſſent: eo curſu qui expromptè olim ducebantur, adducti non morantur inuolare; ſed geſtiunt citiſſimè peruenire: ſtellis dediti per ſtellam ducuntur, & Numen depulſo ſuperſtitionis errore ſe illorum ingenio accommodat, vt curſum celeriorem ſuadeat, & ſine violentia adurgeat. Namque ſuperiores, Principeſque ſubiectorum ingeniis ſe debent attemperare, ſi conſtet ob id aliquam culpam oriri? at ſi abſit, ſumma prudentia eſt ſubiectum non ducere reluctantem; ſed proprio ingenio, & obedientiæ obſequentem. Iam ſi ſuperior ea iubeat, quæ ægrè difficulterque ſubiectus exequitur, mirum erit, ſi varias non colorauerit cauſas, quo extraxerit imperium, eluſeritque mandatum. Adeſt Moyſes huius veritatis teſtis.

218. Duriſſimo in lapide verba legis exatare iubetur, nec tamen quicquam opponit: *Scri-*
Exod. 34. v. 28. *pſit in tabulis verba fœderis decem.* Hic idem, qui ægrè non tulit verba decem in lapide ſcribere, vel vnicum verbum Pharaoni re-
Exod. 4. v. 1. ſtitit denuntiare: *Non credent mihi, neque audient vocem meam.* Miris confirmatur, & tamen totis viribus reſilire molitur: *Non ſum eloquens ab heri & nudius tertius, & ex quo locutus es ad ſeruum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ ſum.* Et cur quæ ſcribere non recuſat, adeò ſtudioſè recuſet verba proferre? Ipſe dixit: quia verba difficulter proferebat, & groſſa, bleſſaque lingua laborioſè verba pronuntiabat. Ergo dum iubetur exequi, quod illi difficile, parum abfuit, quin penitus reſiluerit, & obedientiam animitus detrectauerit; at dum ſcribere iuſſus, nil allegat: quia nulla illi in ſcribendo difficultas, & multa in loquendo tarditas. *Significat*, ſcribit Caietanus, *quod eſt homo paucorum verborum, cuius contrarium exigitur ad legatum perſuaſiuum: mittebatur enim ad perſuadendum populo.* Itaque munus ingenio non congruebat, & ob id etiam poſt miracula recuſabat; imò extunc maiora ſenſit linguæ impedimenta, ex quo loquendi accepit mandatum: frequenter namque creſcit, augeturque impedimentum cum ipſo præcepto, ſi præceptum non attemperetur ingenio; ſed intulerit vim ſtudio.

---

§. XLVII.

Non ſemel quæ vires adduntur corpori, adduntur etiam & crimini.

GEntium Apoſtolus corporis imbecillitatem eſſe teſtatur animi fortitudinem: *Cùm infirmor*, inquit, *tunc potens ſum.* Profe- 2. Corinth.
ctò valet ratio, viget prudentia, dum diue- 14. v. 10.
xat dolor, & membra diſcruciat angor. *Nuper me*, aiebat Plinius minor epiſt. 26. *cu-* Plinius.
iuſdam amici languor admonuit, optimos eſſe nos, dum infirmi ſumus: quem enim infirmum, auaritia aut libido ſollicitat? non amoribus ſeruit, non appetit honores, opes negligit, & quantulumcumque, vt reliſturus ſatis habet: tunc deos, tunc hominem eſſe ſe meminit: inuidet nemini, neminem miratur, neminem deſpicit, ac ne ſermonibus quidem malignis aut attendit, aut alitur. Omne ægrotorum ſtudium ſuſpirare ſalutem, depingere mente balnea, & facere cælitibus vota: fragilitatis ſuæ eſſe immemores non poſſunt, & dum mentis acies ad agnoſcendam veritatem dolore acuitur, affectus ad ſectandam virtutem viuidius accenditur, & validiùs roboratur. *Quando*
infirmor, explicat Anſelmus ibi, *in talibus ex-* Anſelm.
terius, tunc potens ſum interius. Corporis adflictio dum mortalitatem edocet, viam ad immortalitatem latiorem aperit, vt è contra corporis firmitudo, robuſtæ vires nutriunt ad omne virium & cupiditatem audaciam, & menti ingenerant cæciſſimam ſtultitiam. Omnis Iudæ tribus in Seſai & Haiman, & Tolmai arma ſpecialiter cepiſſe refertur, & deuiciſſe allaudatur: *Pergens Iudas contra Chananæum; qui habitabat in Hebron, cuius nomen fuit antiquitus Cariatarbe, percuſſit Seſai, & Haiman, & Tolmai.* Et cur hi tres peculiarius nominentur, quando conſtat Hebron penitus expugnatam, & ab inimicis poſſeſſam?
Quia hi tres, inquit Nicolaus de Lyra, erant Lyra.
magna corporis virtute præditi, & ideò Dei populi præ aliis virulentiſſimi inimici: *Iſti fuerunt tres gigantes magna fortitudine præditi.* Cæteros fortunatiſſimè, & citiſſimè ſubegerunt; verùm inter reliquos hi tres peculiariter referuntur, vtpotè in quibus debellandis plus inſudarit induſtria, & viguerit plus militaris valentia. O quàm gigantes corpore, & toroſis neruis valentes Dei populum oppugnabant, & eius vires premebant! Profectò ita experientia comprobatum eſt, vt vegeta ſalute, & corpore robuſto valentes virtuti ſtudioſiùs aduerſentur, & probis moribus opponantur: nec Deum, nec ſe eſſe mortales cogitant, deprauatis inſeruiunt affectionibus, honoribus ambitioſè inhiant, & opes quaſi æternùm poſſeſſuri ſitienter anhelant.

220. Dæmon hominem inhabitans ſepulchrum inhabitare cogebat: ibi nec præſentia mortis Marci. 5.v.2. comprimebatur, nec ferreis detinebatur catenis omnem ſæuitiam patiens & exercens: *Exeunti ei de naui ſtatim occurrit de monumentis homo in ſpiritu immundo, qui domicilium habebat in monumentis, & neque catenis iam quiſquam poterat eum ligare: quoniam ſæpè compedibus & catenis vinctus dirupiſſet catenas; & compedes comminuiſſet, & nemo poterat eum domare.* Ecce qualibus præualuerit viribus, quando ipſum ferrum violentiæ ceſſerit. Indomitus, nullis legibus conſtrictus. nullis compedibus illigatus mortuos & viuos inquietabat, & dæmoni domicilium gratum præbebat: ſtudioſa dæmonis erat induſtria vires addere, quo virtutem poſſet minuere: dum fortior, dum robuſtior, & ſæuior; & dũ ſæuior, nec correptioni ſubiectus: nec crimini moderatus. Adeſt Seleucienſ. Baſil. orat. 23. Seleucienſ. *Afflictio virtutẽ dabat, vt eũ virtute priſtina deſtitueret: cedit enim violentiæ vel ferrum, dum euadit infirmius: locum verò vicinis inacceſſum reddidit, dum hominem contra hominem velut inſanientem dæmon immiſit.* Vires auget, vt virtutem animi imminuat, & dæmone ſecurius inhabitatur, qui viribus inuictis inſtruitur. O præpoſteram diaboli malitiam! de corporis valentia hominem debilitare, quando corporis ſalus debuiſſet honeſtati inſeruire, & virtutibus famulari. Sic eſt profectò, plures iuuenes, qui dum viribus integris pollent, nihil non & temerè audent: non ſolùm legum ſpernunt præſcripta; ſed in virtutis tutelam prenſa deſpiciunt audacter arma: nullus illos poterit edomare, valebit nullus illos rationi ſubiicere: quia firma corporis valetudo eſt animi languor, & virtutis dolor.

221. Petrus Chryſologus vel in allegoriis ingenioſus aduertit tunc Centurionis ſeruum pretioſum Domino commendari, quando conſta- Luc. 7.v.2. bat infirmitate teneri: *Centurionis cuiuſdam ſeruus malè habens erat moriturus, qui illi erat pretioſus, & cùm audiſſet de Ieſu, miſit ad eum ſeniores Iudæorum, rogans eum; vt veniret, & ſaluaret ſeruum eius.* In ſeruo corpus adumbrari putat Chryſologus, & tunc magno pretio habitum, quando laborabat infirmum. O quàm pretioſum eſt corpus, dum Domino ſeruit, & quàm diligens rationis eſt ſeruus, dum laboribus diuexatus, & ſepulchri horroribus proximus. *Quæramus ergo quis eſt iſte ſeruus, qui illi erat pretioſus* (verba ſunt Chryſologi ſerm. Chryſ. 102.) *Si dominabitur anima corpus ſeruit; & homini nihil corpore pretioſius: hic ſeruus centurionis iſtius pretioſus infirmabatur ad mortem: ergo centurio rogabat, vt Chriſtus ſolus mortali corpori largiendo vitam perpetem ſubueniret.* Ecce quid anima cogitet fracto laboribus corpore, vitam ſcilicet perpetem, non caducam. Ecce cui omnia ſua conſecrarit ſtudia, & direxerit vota, vni ſcilicet Chriſto, à quo ſolo non diuitias, aut honores auidè depoſcebat; ſed quidquid caducum ſpernens immortalem vitam deſiderabat: *Vt Chriſtus ſolus mortali corpori largiendo vitam perpetem ſubueniret*, *rogabat.* Huc huc tendebat intentio, hoc ſuſpirabat animus: quia in appetentis mortis officina immortalitatem elaborari ediſcebat, & virtutem florere norat: tunc animo corpus ſeruus erat pretioſus, cùm laboribus diuexatus; aliter inuerſus ordo omnia perturbaſſet, & Dominum fugere didiciſſet: fors ſi valeret ſeruus, ſi viribus efflореret, ſi integra ſalute conſtaret, defectionem paraſſet, aut animo tumultus bellicos intuliſſet: nec tũc domino haberetur pretioſus ſeruus; ſed domeſticus & virulentiſſimus inimicus. Saluari rogat Centurio mortis tenebris illuſtratus; fors aliter dignitatem expeteret ambitioſus: *Miſit ad eum ſeniores Iudæorum, rogans eum, vt veniret, & ſaluaret ſeruum eius.* O bonam infirmitatem! O imbecillitatem pretioſam, quando de corporis dolore emitur cœlum, cum impulſi robore fortaſſis ſeruus & dominus præcipites tenderent in profundum.

Cùm magna hoſtium caterua aduerſus Dei 222. populum conueniſſet, & iã caſtra inire certamen cuperent, ecce de repente vir ſpurius præ aliis diuinum maledictis honorem proſcindit, & procax Dei populi virtutem contemnit. *Stans clamabat aduerſus phalangas Iſraël.* Et cur inter 1. Reg. 17. tot Philiſtæos vnus audaciùs inſultat, & pro- v.8. caciùs Numinis honorem infamat? Innuit textus: *Egreſſus eſt*, inquit, *vir ſpurius de caſtris Philiſthinorum nomine Goliat de Geth, altitudinis ſex cubitorum & palmi, & caſſis ærea ſuper caput eius & lorica ſquamata induebatur: porrò pondus loricæ eius quinque millia ſiclorum æris erat.* Loricæ pondus expreſſit accuratè textus, vt corporis prævalidum robur exprimeret, & immeratas ferè vires legentibus indicaret: hic ergo præ aliis omnibus Dei agminibus petulantiſſimus exprobrabat, & ſe exprobraſſe ſuperbiſſimus referebat: *Ego exprobraui agminibus Iſrael hodie.* Inter Philiſthæos qui altitudine maior, quique viribus corporis robuſtior; & virtuti infeſtior: & quando qui corporis fortitudine præditi, bella non indixere virtuti? Gloſſa Gloſſa. moralis hoc certamen, virtutis cum vitio conflictum deſignare teſtatur: *Hic agitur de duello Dauid contra Goliat Gethæum, per quod ſignificatur allegoricè pugna Chriſti contra diabolum.* Profectò diabolum factis refert homo corpore immani vaſtiſſimus, robore vegetus, criſtato vertice galeatus, coruſcus armis, fulgens gladio, vmbone tectus, & ſquamata lorica veſtitus: diabolus erat: nam hominis exuerat ingenium, & gehennalium furiarum auxerat numerum homo magnis præditus viribus, conſtante ſalute robuſtus, & vaſto corpore inflatus: inter omnes populi Dei aduerſarios, qui fortior, inueniebatur acerbior: ſic immeratæ vires nutriũt audaciam, ſic ad impietatem exacuunt, ſic vel in ipſum Deum armari non ſemel conſulunt.

Ioël quantùm corporis infirmitas virtuti 223. conducat, & quantum corporis officiat robur, teſtatus aiebat: *Infirmus dicat, quia fortis ego ſum.* Ioël. 3. v. 10. Simile profectò videtur ænigmati infirmitatem agnoſcere, fortitudinemque iactare, ſi fortis, infirmitate non laborabit, & ſi infirmus, viribus non præualebit: quomodò ergo qui laborat infirmitate, gloriari poterit fortitudine? Non eſt inſolitum ſic homines cæcutire, vt ipſam imbecillitatem reputauerint firmitudinem: non eſt inſolitum contra ipſam experientiam conari, & ab iis diſcupere ardentiùs gloriam captare, à quibus certius eſt poſſe nullatenus prouenire. Ecce infirmus ſe venditat fortem, & propriæ imbecillitatis conſcius de virium firmitudine gloriatur ſuperbus. Ita profectò non ſemel contingit; verùm Ioëlis ſententiam inſtituto

noſtro

Digitized by Google

noſtro adaptemus: qui corpore infirmus, & aduerſa valetudine perfractus, inuenitur ſæpè virtute robuſtus: eſt enim non ſemel optima ſanctitatis nutrix infirmitas, vt virtutis nouerca ſanitas. Adeſt Rupertus apud Gloſſam: *Quiſquis ad illud bellum ſeſe preparatum eſſe cupit,* Rupert. *tunc demum fortem ſe ſperet in Domino inueniri, cum humiliter cognouerit, quàm in ſemetipſo infirmus ſit: nã virtus in infirmitate perficitur.* Ad cum vitiis pugnandum optima arma inuenitur infirmitas, vt ad cum virtute bellandum grandis armatura ſanitas: bona corporis habitudo ſuggerit laſciuiæ inſaniam, paſſiones irritat, & quæ infirmitate graſſante torpebant inſtrumenta malitiæ, valetudine florente & vigent, & valent, & audent. Hoc dixerim; ne animum deſpondeat, qui infirmitatibus dilexatus, vtque ſtudioſiùs, ſolicitiuſque paſſiones reprimere conetur robuſtus.

224. Concludat theſim noſtram Adonibezec, qui dum valeret, quaſi nulla Numinis informatus notitia ſæua in homines feras imitabatur audacia: hic vulneratus, & doloribus Numinis notitiam edoctus ſic aiebat: *Septuaginta reges amputatis manuum, ac pedum ſummitatibus colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias: ſicut* 1.Iudic.1.7. *feci, ita reddidit mihi Deus.* Culpam ſuam agnoſcit, diuinam æquitatem allaudat, & iuſtitiam commendat, dum illi manuum ac pedum ſummitates præciduntur, qui integer & valens in homines deſæuierat truculentiſſima fera, & plures ferali trucidarat ſæuitia: modò Deum agnoſcit, quia nec manus, nec pedes habet. *Hu,* aie-Hugo. bat Hugo hîc, *amputanda ſunt ſummitates manuum ac pedum, id eſt executio malorum operum, & malorum affectuum.* Dum quid à corpore amputatur, mala actio, & mala affectio ſimul præſcinditur: quaſi improbum opus & degener affectus de corporali robore pullularint, & ſalute extincta occubuerint. Quid ageret homo manibus orbus, quid deſideraret iam ſe ipſo quodammodo viduatus? Infirmus ſuam coram omnibus confitetur nequitiam, qui ſanus aduerſus homines ſæuitiæ exercuerat inſaniam: aduerſantur namque vegetæ vires virtuti, adulatur infirmitas perfectioni.

---

§. XLVIII.

Non adeò nobilis maiora ſibi impendi ſemper exambit officia, cùm nobilior non ſic magna requiſierit obſequia.

225. NEſcio quo tumore mediocriter nobiles inflantur turgidi, & præ cæteris vanitate turgent ſuperbi, cùm dignitate excellens contentus ſit mediocri honore, nec affectet præ cæteris eminere: ſcit nobilitate conſpicuus quocumque loco ſit propriis luminibus refulgere, & natiuis honoribus illuſtrari. Cùm Ageſilao puero ludi gymnici magiſter locum non adeò excellentem ſignaret, eius allaudauit vecordiam, vt pote qui cenſuerit non loca illum extollere; ſed illum loca honeſtare. *Puero,* ſcri-Plutarch. bit Plutarchus in apophthegm. *cùm ludi gymnici puerorum agerentur, chori magiſter locum minùs honoratum aſſignauerat; ille quamuis iam rex deſignatus obtemperauit, dixitque: Probè ſanè: nam ego oſtendam non loca viros; ſed viros cohoneſtare* dant.

loca. A ſe petiuit, quod à magiſtro ludi non accepit: fors ſi à ſe non haberet, ſtudioſiùs vel in ludo à ludorum magiſtro exigeret. O quàm tumeret ſuperciliosſus! ô quàm vecordiam criminaretur ſuperbus! at Ageſilaus citiſſimè inaugurandus oſtendit ſe non emendicare aſcititium honorem; ſed quouis loco natiuam ſecum deferre lucem. Calebus, vt in matrimonium Axam filiam ſuam dederit, ciuitatis expugnatorem petiuit: *Dixit Caleb: Qui percuſſerit Cariath Sepher, & vaſtauerit eam, dabo ei Axam filiam meam vxorem.* Vides ciuitatis vaſtationem requiri, vt Axa in matrimonium locetur: tranſi cogitatione ad 1. lib. Reg vbi Saul centum tantùm Philiſthinorum præputia exe- 1.Reg.18. git, vt in matrimonium Micholem daret: *Non* v.25. *habet rex ſponſalia neceſſe, niſi tantùm centum præputia Philiſthinorum.* Profectò inuertendus videbatur ſtylus: nihil mirum Saul peteret pro ſpõſalibus alicuius inimicæ ciuitatis excidium, quando & regia cingebatur corona, & ſplendenti induebatur purpura: ſatiſque videbatur Calebo centum aduerſariorum capita poſtulaſſe in matrimonij pretium, & in nuptiarum elogium, & tamen Calebus requirit ciuitatis euerſionem, Saul aduerſariorum numerum breuem: & quæ diuerſitatis eſt cauſa? Expreſſit Abulenſis quæſt. 14. *Illud propoſuit Caleb tamquam* Abulenſ. *magnum præmium putans quòd quilibet de Iſraël ſtatu conaretur ad irruptionem vrbis, vt haberet Axam in vxorem; hoc autem quia illa erat filia Ducis Iuda.* Non inuro Calebo præſumptuoſæ vanitatis notam, cùm optimis fuerit moribus exornatus, & virtutibus mitis excultus; verùm cùm omnia ad noſtram eruditionem ſcripta ſint, conſuetudini adapto hiſtoriam, vt hoc in exemplo tamquam cryſtallino ſpeculo videas quod accidere ſæpè ſolitat. Dux ciuitatis euerſionem ad filiæ exigit matrimonium: rex centum tantummodò aduerſariorum interitum: Saul, quia rex, non adeò magna exigebat officia: Caleb, quia dux, ampliora depoſcebat obſequia. Profectò vidi aliquando mediocria nobilitatis homines exambire ad inſtar Numinis coli, cùm præclariſſimi, longéque nobilitate excellentes neſciant adorationem ambire.

Nabucho inſana adeò ambitione furebat, vt 226. diuinos honores impẽdi præciperet non ſolùm ſibi; ſed etiam artificioſè expolitæ imagini: cultus formam ipſe deſcripſit, exertaque præco- Dan.3.v.15. nis voce innumeris populis denuntiauit: *In hora, qua audieritis ſonitum tubæ: & fiſtulæ, & citharæ, ſambucæ, & pſalterij, & ſymphoniæ, & vniuerſi generis muſicorum, cadentes adorate ſtatuam auream, quam conſtituit Nabuchodonoſor rex.* Nec contentus fuit à genuflexis adorationem exhiberi; ſed à proſtratis, & æquatis ſolo cultum præſtari: *Si quis autem non proſtratus adorauerit, eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis.* Impium edictum tres pueri armis concordiæ muniti, & ſacramento Trinitatis ſignati pia audacia calcant, & tot exempla adulatorum condemnant. Maiori mihi admirationis ſunt pueri ſenum magnatum exempla non ſecuti, quàm in mediis flammarum vorticibus irrorati: nigros in fornacis æſtus ſæua iuſſit proiici inſania, & adulatrix iactauit citò violentia. Quid tunc? Ambulantes in medio ignis cum Deo miſcent colloquia, & veluti cum ſocio, etſi

Digitized by Google

reuerenter alternant verba: teſtatur ipſe Nabucho: *Ecce ego video quatuor viros ſolutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis eſt, & ſpecies quarti ſimilis filio Dei.* Iam patet diſcrimen inter Nabucho, Deique filium: pueri Deo reuerentiam exhibent; ſed veluti amico & ſocio non cadentes; ſed ambulantes. Nabucho adorari præcipiebat non ab ſtantibus; ſed à cadentibus: & quidem ſatis videbatur colendo regi humilis ſtantium curuatio, Deo ſatis nõ erat humillima aduſque ſolum depreſſio: ſi ergo rex proſtrationis exegit obſequium, cur ſimilis filio Dei; imò Dei filius ambulantium acceptauit officium? Quia alter diuinitate micabat, ſcribit Chryſoſtomus homil. de

Chryſoſt. tribus pueris, alter altitudine non tam natiua, quàm artificiali fulgebat. *Paſſus eſt Deus*, inquit, *numerari cum pueris*: non dedignatus eſt Deus numerum cum pueris facere: affectauit Nabucho ſuper omnes homines eminere. *Pueri,*

Theodoret. ſcribit Theodoretus apud Gloſſam, *verum Deum adorant, & illi ſoli ſeruiunt.* Fictitius Deus, vt colatur, exambit caſum, cùm verus adorantium non reſpuerit conſortium. Cum pueris verba miſcet, & numerum facit Deus: quia propria luce præ cæteris ſcit fulgere, nec ſcititia magnitudinis teſtimonia opus illi eſt ab hominibus mendicare. Humilius Nabucho venerationis extorſit obſequium, ſtantes pueri laudis Domino præſtiterunt officium.

Non ſine myſterio Rebecca filio ſuadet duos

227. hædos optimos afferat, vt patris ſibi affectionem deuinciat: *Affer mihi duos hædos optimos,*

Geneſ. 27. v. 9. *vt faciam ex eis eſcas patri tuo.* Recole Iudic. 6. vbi Gedeon Angelo illi fauſtiſſima promit-

Iudic. 6. v. 19 tenti, & longum mœrorem ſolanti hædum obtulit: *Ingreſſus eſt itaque Gedeon, & coxit hædum*, &c. *& obtulit.* Diſpari obſequio diſſimillimoque officio diſſimiles honorantur: & quidem duo hædi videbantur Angelo conſecrandi; ſatis erat vnicus ſeni; & tamen inuertitur arcanè ordo: Angelo publicæ pacis & victoriæ miniſtro offertur vnicus, cæcurienti binus. Et quæ diſcriminis ratio eſt? Nonne ſatius & perſonarum dignitati eſſet congruentius amplioribus officiis deuincire Angelum, quàm ſibi promereri parentem cæcum? O arcanam ſapientiam! Gedeon Angeli, Rebecca Iſaac ſibi allicere moliebantur affectum, & non adeò nobili maiori decreta ſunt Domino inſpirante officia, ne benedictionis tardarentur emolumenta. Sapienter Rebecca munus auget, officiumque grandius exhibet: nam vt plurimum qui non adeò conditione excellentes, ab officiis magnitudinis ſuæ mutuantur teſtimonium, & habere deſiderant argumentum. *Religioſa, &*

Lippom. *prudens Rebecca*, ſcribit Lippomanus, *Iacob magis amat, cui audierat ſubiiciendum ipſum Eſau: Dei conſilium didicerat, vnde promouere volebat, quod neceſſario futurum erat Dei ordinatione.* Expende illud: *Dei conſilium didicerat.* Rebeccam & Gedeonem ſuperna lux erudiuerat, cæleſte ad opportunas inſtituto actiones inſtruebat conſilium: ideò Angelo vnicus, duplex offertur Iſaaco hædus. Quod ſi iam hinc arcaniorem eruere velis doctrinam, expende perſonarum differentiam: alter miniſter erat Angelus, alter homo, adeoque neceſſum eſt humanos miniſtros muneribus allicere, vt quæ à ſuperiore decreta, compleant, & expediant, vt homini duplex hædus, & Angelo oblatus ſit vnicus: decreuerat Deus Iacobum fratri præferendum, & clariſſimo oraculo iuſſerat; at nihilominus quia per Iſaacum erat benedictio tribuenda, opus fuit munere copioſo vrgere; & obſequiis repetitis allicere.

Iacobum iubet Deus honorem Deo olim ſi- 228.
bi ad ſcalam apparenti exhibere, ad idque aram eodem in loco erigere, *Aſcende Bethel, & habita* Geneſ. 35. v. 1.
ibi, facque altare Deo, qui apparuit tibi, quando fugiebas Eſau fratrem tuum. Alibi cùm Balac Balaam ad populo maledicendum induceret, doniſque vrgeret, ſeptem conſtruuntur aræ, vitulis, & arietibus onuſtæ, & ſanguine ſacrilego rubricatæ: *Ædifica mihi ſeptem aras, & para totidem vitulos, eiuſdemque numeri arietes.* Septem Numer. 23. v. 1.
ſibi aras conſtrui depoſcit ariolus, cùm erigi altare iuſſerit Iacobo Dominus. Et cur Dominus ſibi non petat, quod fallacia humana exambit? aut cur Magica fraus non ſit contenta altari vnico, quando diuina veritas, quando generoſa Numinis liberalitas vnico contenta inuenitur altari? Ædificet Balac ſingularem aram, execrandam maledictionem empturus, aut Iacob ſeptẽ ædificet cæleſti protectione tuendus. Pluris vitrum, quàm margaritum? O quàm carò emitur ſæpè infelicitas, & quàm paruo acquiri poteſt proſperitas! Septem conſtruuntur aræ, nihil à propheta obtentaræ, cùm altare vnicum à Domino cæleſte impetret patrocinium, & proſperitatis augmentum. Sed age, noſtro inſtituto adaptemus hiſtoriam: Balaamus, idoli gratiam quærebat, Iacobus gratiam Numinis affectabat. Ergo Deus vtpotè immenſis diſtantiis ab idolo diſtans, & diuinitatis luminibus fulgurans vnicam ſibi aram conſtrui imperat; at idolum mentita diuinitate ſuperbum ſeptem expoſcit, vt à ſumptu, vt ab officiis exhibitis fidem magnitudinis, & auctoritatis ſibi conciliauerit ſplendorem. Opportunè Tertullianus de baptiſmo c. 2. Tertullian.
Idolorum ſolemnia vel arcana de ſuggeſtu & apparatu, deque ſumptu fidem & auctoritatem ſibi extruunt. De apparatu ſuggeſtuque, de exhibito ſibi officio idolum videri diſcupit magnum, & omnibus haberi ſplendidum: vnicum altare poſtulat Deus, quia non mutuabatur ab altaribus aſcititium honorem, cùm immenſam poſſederit dignitatem: *De[illegible]*, inquit Hilarius 4. de Trin. Hilar.
honorem De[illegible] poſtulat: vnius altaris obſequio honor gaudet diuinus, cùm ſeptem aras depopoſcerit fabuloſus.

---

§. XLIX.

Legis non ſemel iniuria homini ſeruatur promiſſum, cùm aliquando violetur nulla occaſione cogente Numini votum.

CVnctis laudibus pretioſior eſt fides, quam 229.
ratio cuſtodire compellit, & politices concinnitas monet: *Acceſſit meritis tuis*, ſcribebat Caſſiodorus de Cypriano 5. var. 40. *cunctis laudibus pretioſior fides, quam diuina diligũt, mortalia* Caſſiod.
venerantur. Profectò inter fluctuantes mundi procellas ſe humana non poſſet continere fragilitas, ſi humanis in actibus deſideraretur fidelitas, cùm hęc inter ſocios amicitiam conſeruet, *Fidem homines venerantur.*
dominis

dominis pura integritate famuletur, ſupernæque maieſtati reuerentiam impendat. Quod ſi breuius virtutis huius elogium perquiras, immutabilis fidei eſt omne quod viuitur; verùm reſcindenda ſunt fidei promiſſa, quando æquitati aduerſantur, quandoque honeſtatis legibus refragari inueniuntur. Ageſilaus teſte Plutarcho in apophthegm. neſcio quid promiſit, quod meliora poſteà ſapiens retractauit: cúmque data fide importunè adurgeretur, illud aſſeruit à ſe prolatum inficiatus promiſſum, docens promiſſum non ſolùm conſtare dicentis arbitrio; ſed æquitatis ac legis pacto. Audi Plutarchum:
Plutarch. *Cum quidam ei aliquando dixiſſet: Pollicitus es, idemque ſubinde inculcaret: Certè inquit, ſi iuſtum eſt; ſi minus, dixi quidem; ſed non pollicitus ſum.* Itaque pollicitatio rationem priùs debet conſulere, quàm cogat ſpondentem implere; verùm ea eſt mortalium cæcitas, vt fidei ſolùm exactè oſtentent conſtantiam in promiſſis humanis, cùm facilè fluctuauerint; imò defecerint in diuinis. Promiſit quis aliquid Deo: non deerunt occaſiones, quæ impediant, mentitæ cauſæ, quæ defectionem colorent, quando homini promiſſum vel reclamante lege adimpletur. Caleb capiendæ Dabir ciuitatis deſiderio Axam filiam ſuam in matrimonium expugnatori promiſit: *Qui percuſſerit Cariathſepher, & vaſtauerit eam, dabo ei Axam filiam meam vxorem.* Othoniel militari audacia celebris, & viribus potens ciuitatem inuaſit, & Axam fratris filiam in matrimonium accepit: *Cùm cœpiſſet eam Othoniel filius Cenez frater Caleb minor, dedit ei Axam filiam ſuam coniugem.* Non diſputo, an hoc matrimonium licuerit, adapto tamen moralitati Hugonis Cardinalis ſententiam, qui ait, reclamante lege celebratum matrimonium, ne violatum videretur promiſſum: Hugo. *Dedit ei Axam filiam ſuam coniugem, malens ſeruare votum, quàm legis mandatum, quæ huiuſmodi nuptias prohibebat. Leuit.* 18. Lex expreſſis verbis vetabat, oppignerata fides vrgebat: quid ergo? Caleb maluit ex huius ſententia authoris homini ſeruare promiſſum, quàm legis cuſtodire mandatum. O ſi aliqua humana lex reclamaret, quàm factum Deo votum differetur impleri, aut quàm fidem procuraretur reſcindi! Honori ducimus datam homini fidem ſeruare, cùm datam Deo neglexerimus implere.

230. Pharao contra ſe ipſum pertinaciter obduratus maluit populi felicitatem impedire, quàm grauiſſimis pœnis carere: voluptati illi erat ſupplicium, dum eſſet alienæ felicitatis impedimentum: Moyſes poſtquam liquorem in ſanguinem commutarat, vndantia ranarum agmina educit, & importuniſſimis, rauciſſimiſque clamoribus aures Ægyptiorum referit: Pharao non tulit garrulæ loquacitatis moleſtiſſimam importunitatem, qui tulerat damnabili patientia cruorem. Moyſem & Aaronem acceſſit, & plagæ imprecatur medelam, populi libertatem data fide fratribus ambobus promittens: *Vocauit Pharao Moyſem & Aaron, & dixit eis: Orate Dominum, vt auferat ranas à me, & à populo meo, & dimittam populum.* Moyſes & Aaron vtpote qui non torquere; ſed corrigere exambiebant, vbi ſpes emendationis affulſit, à tormentis abſtinent, & plagam orationis medicamine curant. Quid
Exod. 8. v. 8. tunc? *Videns Pharao, quòd data eſſet requies, ingrauauit cor ſuum.* Hic ſummam duritiem obſtinationemque prodidiſſe tradit Lippomanus:
Lippom. *Exemplum factum contumaciæ: quia mox vt reſpiratio illi permittitur, ad ingenium redit tyrannus, quem non pudet Domino datam fidem & hominibus non ſeruare.* Profundum huius authoris ſenſum enucleemus. Hic ait Pharao contumaciæ factus eſt exemplum, dum non ſolùm datam Moyſi fidem fregit; ſed Aaroni oppigneratam violauit; verùm quid addat ad contumaciæ exaggerationem, datam Aaroni fidem rupiſſe, ſi conſtet & Moyſi datam violaſſe? Plurimum ſanè reſpondet textus: Moyſes namque Pharaonis Deus inauguratus reſplenduit: *Ecce* Exod. 7. v. 1. *conſtitui te Deum Pharaonis.* Aaron ab humana cõditione non eſt extractus: ergo cùm homines datam hominibus fidem ſtudioſiſſimè obſeruẽt, Deoque promiſſam facillimè violent, Pharao non ſuam cumulauit contumaciam, dum Moyſi non aſſeruauit promiſſum; ſed dum violauit cum homine pactum: neſciunt namque homines promiſſa hominibus non ſeruare, quantumuis reclamet æquitas: quia in fidei ſolutione non tam curant alienum commodum, quàm ſuo ſplendori non afferre dehoneſtamentum. Ergo Pharao inuenitur pertinax, dum datam homini fidem diſrumpit: nec enim exaggeratius quid potuit ad duritiam explicandam afferri, quàm hominibus promiſſa violari.

231. Filij Cinæi de ciuitate palmarum ad Iudæ ſortem aſcendiſſe dicuntur: Iudic. 1. v. 16 *Filij Cinæi cognati Moyſi aſcenderunt de ciuitate palmarum cum filiis Iuda in deſertum ſortis eius.* Quærit Abulenſis cur Cinæos Iudas intra ſortem admiſerit, quando adhuc perſtrepebant bella, & adhuc ſolicitos vrgebant certamina? Dubio reſpondet, multis difficultatibus reclamantibus Cinæos admiſiſſe, ne fides olim à Moyſe Hebræorum nomine Cinæo oppignerata videretur violari, pactique iniuria Cinæos excludi: Num. 10. v. 32. *Cùm nobiſcum veneris, quidquid optimum fuerit ex opibus, quas Dominus traditurus eſt nobis, dabimus tibi*, promiſerat olim Moyſes: hæc ergo data fides modò liberatur, nec Iudas adeò magnis difficultatibus præpeditur. Audi Abulenſem quæſt. 18. Abulenſ. *Iſraëlitæ conuenerant inter ſe quod in quacumque parte terræ, in cuiuſque tribus ſorte habitare vellent Cinæi, poteſtatem haberent: & hoc quia Moyſes, qui erat Princeps populi hoc promiſerat Iethro dicens: Cùmque nobiſcum veneris, quidquid optimum fuerit ex opibus, quas traditurus eſt nobis Dominus, dabimus tibi.* Optima dilargiuntur, nec ſuis commodis grauantur carere, dum datam Cinæis fidem omnibus innoteſcat ſeruare. O quoties vanitati promiſſum, alea perditum, reclamante vxore, filiiſque ſoluitur, cùm præſtitum Deo votum occaſione qualibet differatur! Opus non eſt ad datæ hominibus fidei ſolutionem vrgere, cùm opus non ſemel ſit ad implendum facta Deo vota iuſtos etiam repetitis admonitionibus excitare.

232. Pergebat Iacob iram fratris fugiens: his namque curandis affectibus abſentia eſt probatiſſima medicina: Deus peregrini curam habuit, & ſub diuo dormientem mira viſione ſolatus eſt: gratus ille titulum erexit, votumque vouit, ſe ſcilicet externis ſignis locum illum honoraturum, & diuinam præſentiam mactatis conteſtaturum victimis, ac denuntiaturum cunctis hominibus holocauſtis: Gen. 28. v. 20. *Vouit votum dicens: ſi fuerit Deus mecum, & cuſtodiens me in via*, &c.

lapis

Digitized by Google

lapis iſte, quem erexi in titulum, vocabitur domus
Dei, cunctorumque, quæ dederis mihi, decimas of-
feram tibi. Audis promiſiſſe decimas, victimaſ-
que : vide quando & quomodò fidem ſuam li-
berarit, & ibi victimas gregum decimas Numini
obtulerit : iam inſequentis ſoceri appetens pe-
riculum eluſerat, iam ſaluus & onuſtus redibat:
iam cum irato fratre diſſidia fuerant compoſita,
cum illum Deus admonet, & ad voti adimple-
Gen.35.v.1. tionem adurget : *Aſcende Bethel, & habita ibi,*
facque altare Deo, qui apparuit tibi, quando fugie-
bas Eſau fratrem tuum : paruit ſtatim : *Ædifi-*
cauit ibi altare, & appellauit nomen loci illius Do
mus Dei. Impleri audis votum; ſed permoni-
tum; ſed à Domino impulſum; ſed noua Numi-
nis dignatione honoratum : quod in Iacobi ali-
quantulùm dedecus fuiſſe teſtatur Lippoma-
Lippoman. nus : *Exigit Deus gratiarum actionem à Iacob*
de beneficio liberationis ſuæ in fuga Eſau, quam
vſque tunc omiſiſſe videtur non leui fortaſſis pec-
cato, qui mouerat rediturus Domino ſe gratias
ibidem relaturum, nec dum feciſſe legitur. Occa-
ſione itineris votum diſtulit, cum ipſo in de-
ſerto Iudæ tribus fidem datam liberarit. O
quantæ prætenduntur excuſationes ad facta
Deo vota ſoluenda! Quàm opus eſt nouis pe-
riculis adurgeri, & nouis difficultatibus inſti-
gari! Ecce Iacob nouo ob Dinæ caſum, ob
filiorum crudelitatem timore perterritus votum
ſoluit, quod fratrem pertimeſcens & fugiens
fecerat. Nulla fortaſſis in dilatione fuit culpa;
ſed nobis inde doctrina : fortè ni moneretur, ni
adurgeretur, tunc non ſoluiſſet; ſed erigere
aram, domumque appellare Dei, vt olim pro-
miſerat, incurioſus protelaſſet.

233. Iudas, cùm Ioſeph itas quaſi hiſtrionicè re-
præſentaret, & vterinum fratrem ſeruitute ob
ſcyphum furto ablatum damnandum rigidus
& ſeuerus ad ſpeciem aſſereret, longiſſimam
hiſtoriam texuit, ac tandem ſe puerum illum in
ſuam fidem recepiſſe teſtatus, in ſe admiſit pœ-
nam, ne fidei aliquando cenſeretur inferre in-
Gen.44.v.32 iuriam : *Ego propriè ſeruus tuus ſim, qui in meam*
hunc recepi fidem, & ſpopondi dicens : Niſi redu-
xero eum, peccati reus ero in patrem meum omni
tempore. Ecce Iudas, qui fratris venditionem
conſuluit, vt fidem liberet, ſeruitutem admittit.
Non recuſauit peccare in fratrem, & recuſauit
Chryſoſt. peccare in oppigneratam parenti fidem. *Has*
promiſſiones feci patri, ſcribit Chryſoſtomus apud
Lippomanum, *vt puerum poſſim adducere.... Ma-*
nebo ſeruus pro puero. Nihil non molitur, vt da-
tam homini fidem ſeruet, qui de fratris vendi-
tione lucrum deteſtabile admiſit.

§. L.

Sapientia non tam eſt prolixæ ſpeculatio-
nis fructus, quàm virtutis, morti-
ficationiſque partus.

234. Caſſiodor. SCiamus, aiebat Caſſiodorus de diuinis le-
ctionibus cap. 28. *non in ſolis litteris poſi-*
tam eſſe prudentiam; ſed perfectam ſapientiam
dare Deum vnicuique prout vult: nam ſi tantùm in
litteris eſſet ſcientia rerum bonarum, qui litteras
neſciunt, vtique rectam ſapientiam non haberent.
Sæcularium litterarum ſtudia conſtat nullare-
nus reſpuenda, quando non modica à prolixo
ſtudio naſcuntur ſapientiæ auxilia. Philoſophi
multa diſputantes ſuam potiùs prodiderunt di-
ſputationibus ignorantiam, quam veram ade-
pti fuerint ſapientiam : omnia exiſtimabant
profunda mentis meditatione inueniri; ſed pro-
babantur egregiè falli. *Quanti*, addit Aurelius,
Philoſophi hæc ſolummodo lectitantes ad fontem
ſapientiæ non venerunt, & vero lumine priuati
ignorantiæ cæcitate demerſi ſunt : quoniam ſicut
à quodam dictum eſt, nunquam poteſt pleniſſimè Nunquam
inueſtigari, quod non per viam ſuam quæritur. inuenitur,
Laborat, non ſapit, qui veram ſapientiam in- quod per viã
genij induſtria putat acquirendam, & prolixis ſuam non quæritur.
ſtudiis inueſtigandam. Improbi ſtudiorum la-
bores formant ſciolum, non ſapientem : ſa-
pientia namque non tam comparatur acutè
diſcurrendo, quàm honeſtè operando : *Sa-* Seneca.
pientia, aiebat Seneca epiſt. 29. *ars eſt* : vt enim Sapientia eſt
artes induſtria operatione exercentur, & labore ars.
operis comparantur, ita ſapientia operando
addiſcitur, & rectis moribus adaugetur. Ecce
Axa inuicti certaminis præmium proponitur.
Qui percuſſerit, aiebat Caleb, *Cariathſepher, &*
vaſtauerit eam, dabo ei Axam filiam meam vxo-
rem. In Axa ſcientiam ſacræ Scripturæ, ſapien-
tiamque deſignari, tradit Hugo Charenſis; ve-
rùm contraria ad ſpeciem via ſapientia quæri-
tur, cùm præmium non ſtudij; ſed certaminis
proponitur. Promittat Caleb dandam in ma-
trimonium ſapientiam laborioſiùs ſtudenti, &
penitiùs rerum cauſas ingenij acumine perſcru-
tanti : quid enim commune ſapientiæ, & præ-
lio, quando exigit prælium ferociam, placidi-
tatem ſapientia. In hoc ſolum concordare vi-
dentur, quòd ſapientia & bellum ſolicitas re-
quirant vigilias; diſcrepant tamen quòd ſa-
pientia requirit mentis indefeſſum laborem,
militia inuictam manus ſtrenuitatem. Ergo Axa
ſapientiæ ænigma in præmium detur non de-
certanti; ſed ſtudenti. Imò dari debet, inquit
Hugo potiori iure decertanti, quàm ſtudenti:
meliùs namque ſapientia comparatur vitia pro-
terendo, quàm ingenium acutis diſputationi-
bus fatigando : *Victori vitiorum Scripturæ ſacræ* Hugo.
intelligentia datur. Parum intereſſet, ſi Otho-
niel multiplici diſcurſus ratiocinationi incum-
beret, vt veram ſacræ Scripturæ intelligen-
tiam ſibi compararet : iuuit tamen plurimum
vitia proterere, & victorias honeſtiſſimas
exambire.

Ioannes librum intuetur ſigillis accuratè ob- 235.
ſignatum : flebat tot arcana tenebris inuoluta
contuitus; ſed venerabilis ſenex ſpes erigit, &
librum à leone reſerandum fore promittit :
Vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid aperire li- Apoc.5.v.1.
brum, & ſoluere ſeptem ſignacula eius. Læto
adeò exhilaratus nuntio lachrymis denudat
lumina, quo liberiori acie leonis celebranda
ſæculis adſpiciat trophæa; verùm dum ſtudioſiùs
ſpeculatur, quaſi occiſum agnum, non leonem
intuetur : *Vidi, & ecce in medio throni, & quatuor*
animalium, & in medio ſeniorum agnum ſtantem
tamquam occiſum habentem cornua ſeptem, &
oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei miſſi
in omnem terram. Et venit & accepit de dextera
ſedentis in throno librum. Diuus Ambroſius hîc Abulenſ.
ait ſcripturarum, hîc Sacramenta ab agno reſe-
rata : *Chriſtus*, ait, *quando ex Virgine natus eſt,*
quando paſſus eſt, & reſurrexit, & in cœlũ aſcendit,
librum veteris teſtamenti aperuit : audi rationem:
Quia

Digitized by Google

Quia quæ ibi ſignificabantur, opere impleuit. Verùm inquiramus, ſi placet, cur leonem non viderit, cùm vel dormiens apertos oculos gerat, & longè ampla præ agno fortitudine emineat. Aptior videbatur profectò ad ſigilla diſrumpenda leonina ferocia, quàm imbecillis ad ſpeciem agni myſtici induſtria; & tamen licèt idem ſit agnus, & leo, ſub agni ſpecie librum reſerare videtur, nec ſub leoninæ fortitudinis forma conſpicitur, Et quæ huius diſcriminis cauſa eſt? Iam eleganter explicuit Ambroſius: quia opere impleuit agnus, etſi valentior ſit leo. Venit, dolores pertulit, vitia protriuit: dignum ergo erat, vt Scripturæ reſeratio daretur in præmium, quando agnus adeptus eſt celebrem adeò de vitiis triumphum. Acutior leonis acies, valentior vis; at dum agnus operatur, arcanorum ſcientia eruditur. Dixi ſæpiùs eumdem Chriſtum Dominum hîc diuerſis nominibus deſignari; verùm dum ad noſtram eruditionem varias, commodaſque myſteriis formas expreſſit, & ſub agni ænigmate librum reſerauit, nos clarè docuit ſacræ Scripturæ intelligentiam non tam acquiri ingenij acumine, quàm virtutis ope. Virtutes ergo cole, ſi hac eminere exambieris ſcientia, & patebunt tibi ſigilla.

236. Pſalm. 93. v. 12. *Beatus homo*, aiebat Pſaltes, *quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.* Putares dicturum: Beatus homo, quem tu erudieris adaucto ingenij acumine, fructuoſoque ſtudiorum labore; & tamen remiſit ad legem, vti ad ſapientiæ ſcholam: lex operari edocet, vigilias ſtudiorum non iubet: ergo ab ſcopo diſtat, qui, vt ſcientiam comparet, præcepta legis adimplet. Imò, ait Caſſiodorus vbi ſuprà, ab ſcopo aliter longiùs aberraret, quandoquidem hæc ſapientia non tam comparatur prolixè vigilando, quàm actiones honeſtiſſimas exercendo: *Scriptum eſt* (verba ſunt Caſſiodori) *Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum: quapropter actibus bonis, & orationibus aſſiduis petendum eſt.* Vera ſapientiæ notitia, dignaque viro ſapientia honeſtis actibus gignitur, neque ſtudiis ſolum habetur: ſcientia inflat, ſapientia conſolidat. Litteris ſolùm addictus turget eruditione vaniſſimus, qui virtute excolitur, ſapit profuturè deuotus. Mundi profectò ſapientes ſtultiſſimi reperti ſunt: nec enim intellexerunt veram ſapientiam progeniem eſſe præcepti potiùs quàm ſtudij. Sapiens lucebis honeſtis actibus deditus, & virtutibus exornatus: *Actibus bonis & orationibus aſſiduis petendum eſt:* hoc ſcilicet ſapientiæ magiſterium, & reſerandi vel ſtudioſis occulta donum. (Caſſiodor.)

237. Iſaiæ Dominus obiicitur excelſo throno inſidens, cui adſtabant Seraphinorum obſequia, & cuius gloriam alatorum ſpirituum euulgabant mundo præconia. O quàm probabantur alati, qui alienas dotes commendabant, quique ſeipſos, non alium alis tegebant! Senis inſtructi pennis, duabus oculorum velebant aciem, duabus tegebant pedes, duabuſque libratis aëre publicabant volatu religioſiſſima vota, & ardentiſſima deſideria: *Duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* (Iſai. 6. v. 2.) Hieronymus in Hebræo anceps ſcribi verbum teſtatur, ita vt optio detur, ſi malis intelligere ſe alis Seraphinos contegere, aut Domini faciem velare. Itaque accipiamus propriis alis oculorum tegere perſpicaciam, & inuolare ad percipiendam myſteriorum notitiam. Ita Bern. ſerm. 5. de verb. Iſai. *Sibi iſta non velant; magis autem ſedulo volant, & volitant inter iſta, & alta potentiæ eius, & profunda ſapientiæ veſtigantes, nec ſanè ſcrutatores ſunt maieſtatis, vt proinde opprimantur à gloria.* Verè; ſed hoc putarem humilitatis Seraphinorum elogium, non ſapientiæ, ac potentiæ ſtudium. Si ardent diuinitatis exornari notitia, cur viſum contegunt ala, quando via ad ſciendum videbatur viſus, non cordis volatus. O Cherubicam induſtriam! Quia ardenter diuina anhelant ſapientia imbui, alas librant deuotiſſimè extenti, & alis ad noſtram eruditionem referuntur velati. Aues quando volant, vt placet Hieronymo, crucis, mortificationiſque formam exprimunt: audi Doctorem Maximum ad Marci 15. *Aues, quando volant ad æthera, formam crucis ſumunt.* Itaque Seraphini alas extendentes crucem præferunt: quia norunt veram ſapientiam ac cæleſtem notitiam non tam acquiri perſpicaci cognitionis ſtudio, quàm mortificationis cruciſque magiſterio: plus præſumunt, quam volantes referunt, de cruce, quàm ſperarint de mentis acie: ideóque, vt ardenti ſciendi voto adulentur, non tam inſumunt tempus perſcrutando, quàm cruci ac mortificationi incumbendo: norunt namque crucis volatus plus de hac cæleſti doctrina acquirere, & volatus mentis profundior à minùs penetrare. (Bernard.) (Hieron.)

Hanc veritatem mirè Apoſtolus nobis explicuit, dum ad Romanos ſcribens de philoſophis ait: *Obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt, & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis.* Satiùs dixiſſet Apoſtolus, vt ignorantes proderet, obſcuratus eſt intellectus eorum: ingenij namque ac ſtudij partus eſt notitia, cordis non eſt progenies ſcientia: & cur Apoſtolus illorum denſis tenebris corda dixerit obſcurata, vt illorum ingenia probauerit cæleſti ſapientia nuda? Quia ſapientia, ſcribit Angelicus Doctor ad hunc locum lect. 7. non tam acquiritur viuaci intellectus perſpicacia, quàm honeſtæ operationis induſtria. Cùm ergo ad cordis affectum pertineat opus; ad illud etiam pertinet aut obbruteſcere obſcuratum, aut ſapere cæleſti lumine inſtructum: *Obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, id eſt, per hoc quod obſcuratum eſt, factum eſt cor eorum inſipiens, id eſt lumine ſapientiæ priuatum, per quam homo verè Deum cognoſcit.* Attende ſtudioſius, quæ ſubdit: *Sicut enim, qui oculos corporales à Sole materiali auertit, obſcuritatem corporalem incurrit: ita ille, qui à Deo auertitur, de ſeipſo præſumens, & non de Deo, ſpiritualiter obſcuratur.* Vt materiales oculi notitiæ ſunt inſtrumenta, ita ad veram ſapientiam percipiendam pro oculis ſunt hominibus corda. Honeſta actio reluminat, inhoneſta excæcat. Itaque ab operatione pendet cæleſti carere notitia, aut arcanorum exornari ſapientia. Si ergo exoptas ad hanc hominibus fructuoſam, vtiliſſimamque peruenire notitiam, non reſpuas inſudare ſtudendo; ſed vires ſtudioſiùs intende honeſtis operibus vigilando. 238. Ad Rom. 1. v. 22. D. Thom.

§. LI.

Digitized by Google

§. LI.

Ingenuo viro petere moleſtum, vt dilargiri iucundum.

139. ADeò humana natura ſuperbiæ flammis de ſerpentis ſibilo exarſit, vt quidquid depreſſionis, humilitatiſve ſpeciem ſecum afferre videtur, vti magnitudinis probrum, & altitudinis dehoneſtamentum ambitioſo ſtudio refugiat, & ſtudioſa ambitione auertat: nec præſumptio hæc ſuppliciis preſſa eſt, ſemper nititur magna videri, & nullo indigens Numinis ad inſtar leuari. Hinc cùm petitio, humiliſque poſtulatio quodammodò ſit propriæ indigentiæ indicium, & alterius magnitudinis teſtimonium, eligit aliquando potiùs duris calamitatibus premi, quam miſeriam propriam, & alienam celſitudinem allatis precibus conteſtari. Hinc prudentes facilè poſtulantibus annuunt: quia norunt quantas natura humana ſubeat, vt rogarit, anguſtias, quantaſque deuorarit moleſtias. *Libenter omnibus modis præbemus aſſenſum,* aiebat Caſſiodorus 1. var. 14. *quoties vox eſt iuſta poſcentium.* Vbi iniuſtum non petitur, ipſa petitione beneficium vel ante dilargitionem iam ſoluitur: non adeò premit curuato corpore terram voluere, & pigri bouis veſtigia ſequi, vt in genua procumbere, & largitori vel impetraturum demiſsè accedere. Opportunè Seneca lib. 1. de benef. cap. 1. *Primum eſt antecedere deſiderium cuiuſque, proximum ſequi: illud melius occupare, antequàm rogemur: quia cùm homini probo ad rogandum os concurrat, & ſuffundatur rubor, qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus ſuum. Non tulit gratis, qui cùm rogaſſet, accepit.* Carò emitur quod iteratis precibus impetratur. Expende verba illa: *Tormentum remittit:* torquetur namque ingenuitas aut officia alteri ſupplex exhibens, aut propriam calamitatem omnibus rogando prodens. Axa patri ſuo vnica in ipſa nuptiarum pompa, dum ad ſponſi domum traduceretur, ſuſpirat: *Cùm ſuſpiraſſet ſedens in aſino, dixit ei Caleb: Quid habes?* Quærunt interpretes cur Axa lætitiam ſuſpiriis turbarit, & animi dolorem oſtenderit? Non veretur ſponſo ſuſpicionem ingerere, nuptias ſcilicet non ſponte celebraſſe; ſed animitus renuiſſe? Qui ſuſpirantem ipſis in gaudiis audierit, non temerè ſponſum diſplicuiſſe putabit: ergo ſuſpiria reprimat, & lachrymarum copiam cohibeat. Prodit quidem textus doloris cauſam, dum ſuſpiriis petitionem annectit, & ab ſponſo petere compulſam tradit: *Pergentem in itinere monuit vir ſuus, vt peteret à patre ſuo agrum: quæ cùm ſuſpiraſſet, &c.* Amor & reuerentia erga ſponſum Axæ ſuadebant eius obedire præceptis; imò adulari etiam votis: vt à patre ſuo peteret, perſuaſit: ergo ſuſpirat ſponſi reuerentia compulſa, & petendi difficultate vexata. Vel à patre renuit petere, ne potuit ante petitionem non ſuſpirare, vtque petendi aliquantulum deliniret tormentum, ſponſique ſequeretur conſilium, non priùs petiuit, quàm ſuſpiraret, vt dum ſuſpirij rogatur cauſa, petentis tantiſper minuatur verecundia. Notauit Abulenſis quæſtione 15. *Fecit hoc, vt tolleret ſibi verecundiam: nam quòd ipſa inciperet petere nullo præcedente verbo patris ſui, erat ſibi magnus rubor: ideò voluit inducere patrem, vt prius loqueretur, & ſic auferretur illi materia erubeſcendi.* Petitio dirigebatur ad patrem ab vnica eius filia, & tenerrimè quidem dilecta, verùm ſic petere recuſabat, vt ſuſpiria profundiſſima mitteret, & animum non ſine graui tormento diuexatum oſtenderet. Non ſuſpirauit pater copioſam filiæ hæreditatem largitus: *Dedit ergo ei Caleb irriguum ſuperius, & irriguum inferius;* ingenuo namque viro eſt dilargiri iucundum; at ſuſpirauit filia, quia rogare peracerbum: ideò textus ante patris donationem non expreſſit lamenta; ante filiæ verò preces alta declarauit ſuſpiria.

Caſſiod.

Seneca.

[A]bulenſ.

Pharao ille nequiſſimus in humana ſpecie bellua ingenuos hoſpites, receptoſque in fidem inquilinos cum nulla humanitate premebat? verùm etſi captiui nullis aduerſus tyrannidem militum, armorumque copiis inſtructi, flebili tamen valebant clamore armati: iuſtitiæ oculus non deſpexit afflictos, & quia nulla ſubſidia humana ſibi poterant comparare, diuina patrocinia ipſa meruerunt indigentia obtinere: miſſus eſt Moyſes elementorum domitor, qui peruicaciam duris ſuppliciis domaret, aut ſaltem belluinam illam feritatem reprimeret: iam Ægyptus egregiè vapulabat plagis cælitus immiſſis, iam fluuius purpuraſcebat liquoris ſplendore horridum in cruorem mutato, cùm Pharao pertinaciſſimæ, damnandæque patientiæ clypeo protectus & plagam tulit, & tacuit: Moyſes vindictam aggrauat, & garrulis ranarum agminibus de aquis productis tolerantiam duram diuexat. Quid tunc? Pharao Moyſe Aaroneque aſcitis ſæuæ illius plagæ deprecatur remedium, ſeque dimiſſurum ſpondet populum: *Vocauit Pharao Moyſem & Aaron, & dixit eis: orate Dominum, vt auferat ranas à me, & à populo meo.* Quam grauis hæc plaga fuerit, petitio Pharaonis oſtendit: coactus eſt petere, qui propoſuerat hucuſque pati. O quam ingens erat ranarum loquacitatis tormentum, quando Pharao precibus aſciſcit auxilium! *Quæritur,* ſcribit Lippoman. *cur pro amotione ſecundæ plagæ, non autem primæ vocauit rex Moyſem & Aaron: ad quod reſpondetur, quia plaga hæc regi & populo infeſtior erat: quia etiam diuturnior, quam prima.* Annectit diſertiſſimus interpres: *Ideò quamuis ſuperbus, neceſſitate tamen compulſus eis ſeſe humiliare non erubuit.* Vis noſſe quàm grauis hæc ſecunda læſerit plaga? Attende regem orantem, & ab Aarone ſeruo, à Moyſeque in palatio nutrito inducias depoſcentem: duriſſimè torquebatur, qui compulſus eſt à ſeruis medicinam quærere, & ab æmulis accipere. 140.

Exod. 8. v. 8.

Lippoman.

Saul ea ad ſpeciem animi conſtantia aduerſus calamitates pollebat, vt cum Samuele poſt mortem liberiùs illi futura prænuntiante, eiuſque, quod grauius erat, filiorum cladem, regnique iacturam prædicente, in lachrymas non fuerit effuſus etſi tantiſper exanimatus: *Dabit Dominus Iſraël tecum in manus Philiſthiim: cras autem tu & filij tui mecum eritis.* Quid tunc? *Statim Saul cecidit porrectus in terram extimuerat enim verba Samuelis.* Audis timore concuti, non lachrymas fundere; tranſi modò meditatione ad caput 24. vbi in copioſas lachrymas fuſum videbis: *Leuauit Saul vocem ſuam & fleuit.* Ecqua huius fletus cauſa? Dices agnouiſſe in 141.

1 Reg. 28. v. 19.

1. Reg. 24. v. 18.

in æmuli ſui manu ora illa chlamydis ſciſſa regnum: *Scio quòd certiſſimè regnaturus ſis.* Sit ita, verùm ſi regni amiſſionem deplorat hic, cur ibi ſuo filiorumque prænuntiato caſu ſimul cum regni amiſſione non plorauit, nec fuſis lachrymis doluit? Fors quia compulſus eſt hic petere, & Dauidis excellentiam fateri. *Iura mihi in Domino, ne deleas ſemen meum poſt me, neque auferas nomen meum de domo patris mei. Et iurauit Dauid Sauli.* Dauid non fleuit, dum gratiam promiſit, fleuit Saul, dum demiſſo vultu, & verbis adulatoriis (vocauit namque filium) popoſcit: durius illi fuit petere, quàm occumbere, quandoquidem adeò miſeranda extremaque ſtrages non extorſit ſuſpiria, cùm extorſerit petitio lamenta. Innuit Lyra: *Petiit aliam* (miſericordiam) *pro ſemine ſuo.* Dum rogare compellitur, plorat: ſcit namque facilius obdurari rabiem ad tolerandum, quàm magnitudinem flecti ad petendum. Lyra.

242. Iunior ille filius dum libertate viuendi in propriam perniciem inſanis votis gaudere diſcuperet, à patre quæ illum contingebat, ſubſtantiam petiit: Pater, da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit. Diuiſit pater diuitias, quas filiis laudabili aſſeruauerat prouidentia, non incarcerauerat auaritia: *Diuiſit illis ſubſtantiam.* Tandem cum prodigus conſumptis facultatibus vultu luridus, fame tabidus, nuditate ſola veſtitus ad patrem rediret, ſtola prima ornat, & conuiuio lautiſſimo cibat: maior inuidentiæ œſtro agitatus, & harmonia fratris reditum celebrante percuſſus patris criminatur imprudentiam, & accuſat iniuſtitiam: *Ecce tot annis ſeruio tibi, & nunquam mandatum tuum præteriui, & nunquam dediſti mihi hœdum, vt cum amicis meis epularer.* Ad ſpeciem non ſine cauſa queritur; ſed ſi intimiùs rem diſpicias, ingratus & inuidus inuenitur: hœdus illi datus non eſt; ſed petendi rubore excuſatus: petente namque prodigo, pater quæ ſubſtantia fratrem etiam contingebat, diuiſit: hoc ergo epulo pretioſius, & viro ingenuo iucundius: *Petente vno*, ſcribit Chryſologus ſerm. 1. *ambobus totam ſubſtantiam mox diuiſit.* Annectit ſerm. 4. *Fratri inuidus animus gratus eſſe non poteſt patri, & paternæ largitatis memor non eſt, qui eſt fraternæ immemor charitatis: hœdum ſibi datum negat, qui ſubſtantiæ partem totam tempore diuiſionis accepit: tunc enim cùm frater iunior dari ſibi ſubſtantiæ peteret portionem, pater ambobus totam fratribus mox diuiſit.* Profundum quidem Chryſologi ingenium; ſed ſupercilium maioris non adeò videtur iniuſtum: nec enim magna patris largitas erga ſeniorem, quandoquidem ſolùm quæ illum iure contingebant, largitus eſt. Certè apparere potuit non auarus, dum non retinuit: iuſtus, dum dedit; ſed iuſtitiæ ſatisfaciens non largus: cur ergo immemorem paternæ largitatis ſugillet, cùm ſolùm accepiſſe tunc, quæ ſibi iure naturæ obuenerant, conſtet? Iam mirè huic rationi Chryſologus obuiauit: *Petente*, inquit, *vno ambobus totam ſubſtantiam mox diuiſit.* Dedit redeunti prodigo ſtolam, explicuit menſam; largitus tamen eſt illo non petente maiori ſubſtantiam: ergo licèt non dederit hœdum, grandius contulit beneficium dum ſubſtantiam diuiſit nec oratione inuitatus, nec precibus importunis oppreſſus: largiorem hunc erga filium ſe exhibuit pater, quando illi petendi excuſauit moleſtiam, & diuiſit ſubſtantiam: eſt namque ingenuo petere vel à parente duriſſimum: Paternæ largitatis memor non eſt: eximia largitas fuit anteuertere votum, & ruboris excuſaſſe tormentum: tanti conſtat ingenuo petere, tantum diſcruciat rogare.

Luc. 15. v. 12. Chryſol.

Diues ille, cui maior erat ſitis, quam venter, pœnis compenſauit delicias, & ſuppliciis voluptatis inſanias: & ad hæc clamare cogitur, & rogare olim deſpectum compellitur: *Mitte Lazarum.* Iam ſi inquiras, cur ad caſſas preces cogatur, qui nunquam ſopiendis flammis aduritur? reſpondebit Chryſolog. ſerm. 66. rogando luere, quas aliis moleſtias intulerat non audiendo. *Clamat ibi, qui hic clamantes contempſit audire: ibi caſſa vox eſt, iſtic inanis eſt clamor.* Addit: *Crudelis fili quam miſericordiam petis, quam tibi negando pauperi tu negaſti.* Audiuit Lazari preces, vt contemneret, vt negaret: ergo in inferno cogitur ad petendum, vt delicto reſpondeat ſupplicium: nec enim ſatis videbatur flammarum premi cumulo aduſtum, ni ad rogandum deſcriberetur coactus: roget, vt diſcrucietur crudeliter, quia preces contemnens petentes crudeliter diſcruciauit. Roget, vt quàm ſit petere durum, ſentiat: *Clamat ibi, qui hic clamantes contempſit.* Adde vel ab ipſo Deo petere moleſtum eſſe iis, quod iam poſſedit ſuperbia, & magnitudinis ſuæ ſtulta ſemper notitia. 243. Luc 16 v. 24. Chryſol.

Iſaias, vt quàm Dominus erga populum ſuum amore benigniſſimo teneretur, dilucidè exprimeret, Achaz optionem dat an malit prodigia in cælo ſurſum, vel in inferno deorſum. Quid tunc? Cauſas colorat, & ſub ſpecie religionis religionem ipſam oppugnat: *Non petam, & non tentabo Dominum.* Quia noluit ſignis conuinci, ſigna ſubdolus recuſauit: hoc ad litteram; ſed noſtræ adoptamus theſi. Durum adeò eſt inflatis, ac de magnitudine ſua opinionem habentibus vel à Deo petere, vt Achaz maluerit non videre prodigia, quàm prece expromere vota. Huc voco Senecam loco citato: *Quoniam quidem, vt maioribus noſtris grauiſſimis viris viſum eſt, nulla res carius conſtat, quam quæ precibus empta eſt. Vota homines parcius facerent, ſi palàm facienda eſſent: adeò etiam Deos, quibus honeſtiſſimè ſupplicamus, tacitè malumus & intra nos ipſos precari. Moleſtum verbum eſt, oneroſum, & demiſſo vultu dicendum, Rogo.* Ecce cur Achaz vtpotè inflatiſſimus, & ſuperbus renuerit petere: quia tormentum exiſtimauit rogare. Certè Achaz deſipuit amentia; ſed rogandi difficultates miris coloribus depinxit inſania. O diſcant quibus expedire aliorum negotia iniunctum illos non diſcruciare ad iteratas preces cogendo, & propriæ ambitionis pompam incrementando. 244. Iſai. 7. v. 12. Seneca.

---

§. LII.

Viget in fœminis ad petendum acutiſſimum ingenium, & mirum ſæpè artificium.

Petere, aliumque rogare durum homini eſt: *Serò beneficium dedit*, ſcribit Seneca libro ſecundo de benefic. cap. 1. *qui roganti dedit: ideò diuinanda cuiuſque voluntas, & cùm intellecta* 245. Seneca.

intellecta eſt, neceſſitate grauiſſima rogandi liberanda eſt. Grauiſſima eſt, quæ ad rogandum petendumque cogit neceſſitas; non tamen eadem eſt ratio in exigentibus ſibi debita, & rogantibus beneficia: os cum petente concurrit, in exigendis debitis non rubet creditoris vultus; ſed debentis percellitur animus. Hoc in hominibus certum eſt; eam verò ſibi mulieres perſuaſere ſententiam, vt quò liberiùs quidquid libuerit, depoſcant, ſolui ſibi putent tributa, non grata exhiberi obſequia: rubor eſt petentis frænum, non recuperantis obſtaculum: ergo putant ſemper fœminæ recuperare, non petere. Dederunt profectò Adamo neſcio quod vetiti
Gen.3.v.6. pomi fruſtulum: *Tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro ſuo:* Et vt culpa in omnes homines ſerpſit transfuſa, ſic putant recuperandi carum illud pomum ad omnes fœminas ius deueniſſe, & à primordio manaſſe. Quod primum in fœmina, ſi modeſta, reperias, eſt artificioſis ambagibus petere; ſi non modeſta, artibus apertiſſimis flagitare. Callent profectò ab incunabulis hanc petendi ſcientiam, & affectant in petendo hanc vrbaniſſimam, vt dicunt, audaciam: neceſſitates colorant, cauſas confingunt, mentiuntur huius aut illius rei indigentiam, vtque petant non petendo, oſtentant huius aut illius rei diuturnum deſiderium, & validiſſimum votum. Ecce Caleb vnicam ſortitur filiam, nec aliam eius anteà deprehendes actionem, quàm artificioſa ad petendum ſuſpiria, & ardentiſſima hæreditatis irriguæ vota: *Cùm ſuſpiraſſet ſedens in aſino, dixit ei Caleb: Quid habes? At illa reſpondit: Da mihi benedictionem.* Non dixit benedictionem da; ſed, *da benedictionem*: vt intelligas nullum priùs verbum fœminam dearticulare, quàm *da:* ſi inuetteretur ordo, priùs benedictionis verba formaſſet, & petitionis verbum poſteà protuliſſet: ne ergo fœmineum dediſcere videretur ingenium, priùs *da* protulit: fœmina namque nil aliud eſſe videtur, quàm petitio, aut certè nullum alium priùs prodit, quàm petitionis affectum: ad hoc tendebant ſuſpiria, vt peteret, & quem ab alio didiciſſe non proditur, artificioſæ petitionis modum oſtentaſſe refertur: *Quæret aliquis* (verba ſunt
Abulenſ. Abulenſis quæſt.15. *quare Axa ſuſpirauit, antequam peteret? Reſpondendum quòd ipſa volebat petere agrum, ad quod voluit tenere modum artificioſum, & viſum eſt quòd deberet ſuſpirare.* Itaque primum, quod de Axa ſcitur, quæ prima eius actio refertur, eſt artificioſum ſuſpirium, quo ſic faciliùs aſſequeretur à patre votum. Excellunt ſanè hac in arte fœminæ vtpote ad petendum ſagaciſſimæ, & ad extorquendum munera vrbanæ: leuiſſima cauſa venam aperiunt, ſanguinem emittunt, & totum hoc vt donaria ſibi extorſerint, &, velint, nolint, aliquid viri præbuerint. Si mulieris breuem definitionem ſcire velis, accipe: Mulier eſt artificioſa petitio, & continua poſtulatio.

246. Poſt repetitas ſæpè Ægypti plagas, cùm iam deſperata Ægyptiorum correctione, quam Deus vel temporali Hebræorum incommodo procurabat, iubet vaſa aurea, argenteaque poſtulari, vt auro ſoluerent laterum penſa, ad quæ veluti ſeruos, ac de lapide emptos ingenuos nobileſque viros violenter coegerant. O quam tandem tandem iuſtitiæ oculus miſerorum laboribus de diuitum facultate dignam largitur mercedem; imò non ſemel largiſſimè compenſantur, quæ minori pretio emerentur. Ergo mandatum accipit populus petendi; ea tamen differentia, vt vir ab amico peteret, mulier à vicina: *Dices omni plebi, vt* Exod.11.v.2.
poſtulet vir ab amico ſuo, & mulier à vicina ſua vaſa argentea, & aurea. Duo hîc expendenda nobis occurrunt: cur homini, à quo petiturus fuerit, non taxetur, & mulieri modus adſcribatur? Vir poteſt petere ab amico etſi diſtanti, mulier à vicina tantùm: eſt ne fortè, quia mulieri ſolùm, quæ proxima, & quæ vicina agnoſcere permittuntur; viro termini agnitionis non coarctantur? Mulier extra domus ſepta nil debet agnoſcere, vir vel cum diſtantibus commercium poteſt habere. Ita
Abulenſis hîc quæſt.2. *Hoc quia viri magis* Abulenſ.
diſcurrunt, quàm mulieres, ideò habere poſſunt amicos in locis diſtantibus; mulieres verò non diſcurrunt, ideò amicæ ſuæ ſunt vicinæ ſuæ. Profectò alia tunc tempora: modo namque fœminæ ſic vagantur, vt viros plus domos incolere videas. Benè; ſed aliud noſtræ theſi arcanum hoc verbo videtur abſcondi, ſcilicet vt in aliis, huic plagæ modum præſcribi: nam ſi mulieri liceret à quouis petere, nil auri, argentique remaneret Ægyptiis: ergo viro petitionis termini non arctantur; ſed fœminæ conſtringuntur: fuit enim neceſſum in petendo modum præſcribere fœminis; alioquin omne aurum abſtuliſſent Ægyptiis. Huc voco Baſilij Seleucienſis verba orat.3; 3. alìorſum prorſus dicta; theſi tamen noſtræ non inepta: *Intra modum* Seleuc.
gratia cohibebatur. Gratiam dedit Dominus populo, vt ſibi ob diuturnos improboſque labores debita recuperaret; ſed neceſſum fuit gratiam intra modum reprimere, ideo & fœminis petitionis modum taxare. Quod ſi tertium Exodi conſulas, inuenies Hebræum diuitiis onuſtum egreſſurū promitti, Ægyptumque prorſus diſpoliandam: *Spoliabit Ægyptum.* Quomodò? Iam explicat: *Poſtulabitis mulier à vicina ſua, & ab hoſpita ſua.* Cùm fœminis petendi licentia amplior, & Ægyptiorum diſpoliatio durior.

Origenes quo pollebat acumine, expendebat Chananæam nullos interceſſores quæ- 147.
ſiſſe, cùm poſtulatura acceſſit. Profectò cen- Lucæ 7.v.3
turio ille amicos & interceſſores pro ſe miſit vicarios, quò Dominum ad impertiendam ſeruo ſanitatem alliceret: *Cùm audiſſet de Ieſu, miſit ad eum ſeniores Iudæorum.* Ioannes & Iacobus matris induſtria vſi ſunt, dum
thronos diſcupiunt: *Acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi;* hæc autem Chananæa moribus originem refutans, & nobiliter degenerans, per ſe accedit ſalutem filiæ deprecatura: *Ecce mulier Chananæa à fi-* Math.15. v.22.
nibus illis egreſſa clamauit dicens ei: Miſerere mei, Domine fili Dauid. Fidei eximiæ fuit Chriſtum Dominum, creaturis repudiatis adiiſſe, & ab eius ſolùm ope remedia tormentorum ſine hæſitatione ſperaſſe. Huc tendit ſententia Origenis; verùm detorqueamus Origen.
tantiſper ad theſim noſtram: *Vide*, inquit apud D.Thomam, *prudentiam fœminæ. Non petiuit Iacobum, non rogauit Ioannem, non acceſſit ad Petrum; ſed ſola cucurrit ad Dominum.* O prudentia! Sciebat mulieres in petendo vel Ioannis aquilæ ingenia vincere, & ſolertiſſimos quoſque ſuperare: ideò non rogauit Ioannem, nec

Matth.20. v.20.

Digitized by Google

nec adiit Petrum; imò Ioannes adiit mulierem, vt peteret: quaſi apud mulieres ſit petendi magiſterium, & quantumuis honeſtum, exactionis artificium: ſola cucurrit, vt peteret, & muliebre in petendo ingenium vel Domino ad ſpeciem negante ſæculis oſtentauit: obtendebat Chriſtus ſilentium; ſed illa à clamore non deſiſtebat: reſpondit tandem Dominus negandi ſpecie donationem parturiens: *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.* Quid tunc? Micas anhelat: *Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis:* Si panem integrum nequeat accipere, micis inhiabit: aliquid acceptura eſt, & in ipſo negandi modo petitionis architectatur ſuffragium, & oſtendit magiſterium. *Ad Chriſti verba ingenioſè illa repoſuit* (verba ſunt Baſilij Seleucienſis orat. 20.) Seleuc. *Etiam Domine.. Canem vocaſti? Cum ſim familiæ pars, Domini fruar menſa: inter filios partem micarum adipiſcitur canis: non rapio panem, micam quæro: non in menſam inſilio: ad micas anhelo.* Ecce Chriſtus vocauit canem quaſi à propoſito auertens; adeò tamen ingenioſa fuit mulier, vt de ipſa repulſa petitionem firmaret, & votum ſtabiliret: *Cum ſim,* inquit, *familiæ pars, Domini fruar menſa.* Priùs panem accipere ſatagebat, vt tamen vidit Chriſtum Dominum filiorum commoditatis ſtudioſum, ad micas orationem deflexit: quia quoquomodò aliquid acceptura erat, ne petitionis ars fruſtraretur; aut vrbanitas erga mulierem debita contemneretur, ad micas anhelauit contenta aliquid tuliſſe, etſi omnia non contigerit impetraſſe. Profectò hoc honeſtiſſima in materia accidit, ſed muliebris ingenij imago ſatis expreſſa fuit: petunt; quòd ſi repellantur, ab ipſa repulſa petitionis ſuffragium quærunt. Iam ſi quod diſcupiebant, adipiſci non valeant; exiguis inhiant, ne vim petitionis eludant.

248. Ioab diſertiſſimus & fortiſſimus ille miles cùm deſideraret Abſalonem tunc exulem in patris gratiam reducere; mulierem Thecuitidem inſtruit, quæ ænigma veluti hiſtoriam proponeret, & regem ad miſericordiam flecteret: 2. Reg. 14. v. 1. *Intelligens Ioab filius Saruiæ, quod cor Regis verſum eſſet ad Abſalon, miſit Thecuam, & tulit inde mulierem ſapientem, dixitque ad eam: lugere te ſimula, & induere veſte lugubri, & ne vngaris oleo, vt ſis quaſi mulier iam plurimo tempore lugens mortuum, & ingredieris ad Regem.* Si Ioab cognoſcit Dauid iam de filij morte tantiſper dolorem remiſiſſe, & Abſalonis reditum ſuſpiraſſe, cur has artes confingit, & mulierem ad petendum introducit? Nonne ſatius Regem adire, & proprio nomine ſupplicare, quando Regi non videbatur ingratum, & erat Abſaloni certiſſime commodum. Profectò timuit Ioab, ne res adeò grauis minùs fauſtè ſuccederet, vtque in magni momenti rebus contenti non ſunt homines prudentes mediocria adhibere media; ſed quærunt efficaciſſima; ita Ioab noluit graue adeò negotium diſcrimini exponere; ſed prudenter votum implere: ideò per mulierem artificioſè fieri petitionem decreuit, vtpotè qui nouerat fœminas hac eminere induſtria, & artificioſa excellere ſemper peritia: Lyra. *Præmittitur mulieris informatio,* ſcribit Lyra: *ſecundò informata petitio.* Petendum erat, & artificioſe quidem: prudentiſſimè ergo Ioab per mulierem hoc tentauit, vt fortunatus ſequeretur effectus. Gloſſa. Ipſa Gloſſa moralis gratiam efficacem in Thecuitide autumat deſignatam; nam vt efficax gratia aſſequitur, quod intendit, voluntatem alliciendo; ſic mulier, quæ poſtulat aſſequitur etiam ingenioſo petitionis artificio, & miro artificij ingenio: *Mulier Thecuites, per quam Ioab fecit Abſalon reuocationem, ſignificat prædicandi gratiam, per quam prædicator peccatores reuocat ad pœnitentiam.* Quid verius? Quid vſitatius.

§. LIII.

Mulieris ingenium auerſatur ſæpè poſſeſſa ſimulato faſtidio & vero adquirendi voto.

FErè nos omnes inſana tenet cupiditas, corporis non attendimus capacitatem; ſed æſtuantem ſequimur ambitionem: noſtris deſideriis diſtringimur, & anhelis deſideriis vrgemur. 249. O quoties concupitum faſtidimus, faſtiditum diſcupimus! Poſſeſſa delectarent, ſi pro ratione illis vteremur; at dum ſemper inhiamus, anxietates aſciſcimus. Optima imagine humanum Attalus apud Senecam epiſt. 72. depingebat ingenium: Seneca. *Nil poſſeſſum delectat; ſed ad vlteriora ſemper ambitio hiat.* *Vidiſti,* inquit, *aliquando canem miſſa a Domino fruſta panis, aut carnis aperto ore captantem? Quidquid excepit, protinus integrum deuorat, & ſemper ad ſpem futuri hiat: idem euenit nobis, quidquid expectantibus fortuna proiecit, id ſine vlla voluptate dimittimus, ſtatim ad rapinam alterius erecti, & attenti.* O nimis verum! At licèt hæc omnibus ſit inſania communis, maiori ardore ambire didicit ingenium mulieris: ſuas neſcit cupiditates frænare; imò ſtudet ſemper augere, artificioſas componit cauſas, cuiuſuis rei habitæ mentitur diſplicentiam; vt ad noua adquirenda fecerit viam: miris ſuam cupiditatem artificiis colorat, & artificioſiſſimis fallaciis diſſimulat, quæ poſſidet, auerſari mentitur, non vero faſtidio; ſed acquirendi alia ardentiſſimo voto. Adeſt in huius veritatis comprobationem Axa Calebi filia: prædiuitem namque hæreditatem in dotem nacta, triſtis vel in ipſa nuptiali pompa ſuſpirat, & infrugiferam datam ſibi hæreditatem allegat: *Cum ſuſpiraſſet ſedens in aſino, dixit ei Caleb: Quid habes? At illa reſpondit: Da mihi benedictionem: quia terram arentem dediſti mihi, da & irriguam aquis.* Capite 15 Ioſue Ioſue 15. ſic eadem hiſtoria habetur: *Terram auſtralem, & arentem dediſti mihi, iunge & irriguam.* In ipſo petitionis modo cupiditatis perlucet ſanè artificium: nec enim dixit: Quam mihi dediſti terram defatigandis ſolùm agricolis aptam, & prouentibus infœcundam, fertiliori commuta; ſed, iunge & irriguam. Profectò ab ſtudio videtur diffidere petitio: nam ſi acceptam hæreditatem faſtidit, non erat alteri coniungenda; ſed omnino repudianda: ergo petat nobiliori commutari, non fœcundiori coniungi. O quàm hîc muliebre eluxit ingenium! Poſſeſſæ hæreditatis mentiebatur faſtidium, vt nouam obtineret à patre votum: nolebat nudari: quia diſcupiebat augeri. Notauit Abulenſis quæſtione 8. ad caput 15. Abulenſ. Ioſue ſatis acutè: *Non petiit Axa quòd tolleretur terra ſibi data, & alia irrigua daretur; ſed quòd adderetur alia.*

Hæreditatem voluit retinere poſſeſſam, & ſuſpiriis acquirere à patre nouam. Accinit Abulenſi Maſius ibi: *Fœminarum indoles auara & procax, animuſque, ſiqua cupido inciderit, effrænis, impotenſque ſui. Denique artificioſa querimonia, atque opportuna importuna votorum ſollicitatio nobis in Axa depingitur.* (Maſius.)

250. Lyſander fœminei ingenij non ignarus, cùm Dionyſius eius filiæ vnam è duabus ſtolis accipiendam mitteret, ambas tulit: quia nouit acceptam citiſſimè auerſaturam non tam eius odio, quàm alterius deſiderio. Ita Plutarchus in apophthegmat. *Lyſander, cum miſiſſet ei Dionyſius ſtolas duas iubens vt eam, quæ placuiſſet, caperet vt filia ferret, illam ipſam,* ait, *melius optaturam acceptiſque duabus receſſit.* Pater prudentiſſimus timuit, quam citiùs faſtidituram acceptam, vt aſſequeretur relictam. Ideò ne mentitum cogeretur ſuſtinere faſtidium, præuenit ambabus ſtolis votum.

251. Vt Iſraëlis deliria aptiſſimo ænigmate depingat Deus, fœminam introducit luculenter ornatam, & ornatus ſitibundam. (Oſee 2. v. 8.) *Ego dedi ei,* ſcribit ſponſus, *frumentum & vinum, & oleum, & argentum multiplicaui ei, & aurum, quæ fecerunt Baal.* Vides fœminam excultè ornatam, & ſtudioſiſſimè excultam. Quid tunc? Hæc faſtidiens noua requirit; imò vt percipiat noua, faſtidire affectat antiqua: *Vadam,* aiebat, *poſt amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam, linum meum.* &c. Quæ anhelat, habet; ſed quæ habet, vt alia acquirat, faſtidit: Oleum habere conuincitur: *Ego dedi ei frumentum, & vinum, & oleum:* & oleum ſitienter quærit: fors ad augendum vultui nitorem, ſicque improbo aduritur acquirendi noua ſtudio, vt ſe non habere proferat affectato mendacio: *Qui ſint amatores iſti,* ſcribit noſter Sanctius, *obſcurum eſt. Quidam deos eſſe alienos exiſtimant, cum quorum religione ſuperſtitioſa ac vana, veram, & auitam commutauit Iſraël.* (Sanctius.) Habebat Iſraël cœleſtem nubem itineris ducem; idololatrandi tamen furore percitus nouos deos expetiuit, qui ducerent, quaſi magiſtrum itineris non haberet. Ergo, vt inſanum hoc Dominus depinxerit votum, illudque faſtidium, mulieris introducit emblema, quæ muliebri mundo inhiet, quaſi muliebri mundo caruerit. Et quod aptius adduci potuerat ſymbolum ad impotens habendi exprimendum votum, quàm mulieris ingenium? Veſtem accepit à ſponſo mirè elaboratam, & laborioſè contextam; at ſic inſana noua acquirendi ardet ſiti, vt amatores ſequatur, à quibus accipiat non diſſimilia; ſed noua. Proh improbam ſitim, proh inſanam habendi rabiem!

252. Salomon non ſolum, vt Principe dignam gratitudinem oſtentaret; ſed etiam vt eximiam regni ſui opulentiam oſtenderet, largis adeò muneribus, copioſiſque largitionibus Saba reginam honorauit, vt potuerit videri vel muliebris ſitis non ſolùm ſedata; ſed penitus ac prorſus extincta: (3 Reg. 10. v. 13.) *Obtulerat ei munere regio.* Quid tunc? Alia denuò petit, quaſi habitis ſibi gratiora, & præ cæteris iucunda: *Rex Salomon dedit Reginæ Saba omnia, quæ voluit, & petiuit ab eo exceptis iis, quæ vltrò obtulerat ei munere regio.* Salomon vti liberaliſſimus, mireque generoſus copioſis donis Reginæ anteuertit votum, verùm nec Salomon placare voluit ardentiſſimum deſiderium: accipiens petiuit, nec potuit muliebre exuere ingenium, etiam cùm liberalitatis metas excedere, ac prodigalitatis attingere Salomonis videtur donum: Aut, ſi mauis, expende hoc in magnam Salomonis potentiæ accidiſſe commendationem: dederat ille plurima, quæ regiam commendarent liberalitatem; verùm tam magnifica dona non ſic eius deprædicabant potentiam, ac mulieris votum expleſſe, & habendi deſiderium, ſi fas eſt dicere, ſaturaſſe. *Rex Salomon dedit Reginæ Saba omnia, quæ voluit, & petiuit ab eo.* Quanta hæc fuerint, ſciet, qui mulieris nouit ingenium. Certè Salomonis mira opulentia deprædicatur, cùm omnia, quæ petiuit, & voluit mulier, dilargitus illi refertur. *Præter illa, quæ petiuit Regina, Salomon dedit ei alia,* ſcribit Abulenſis q. 3. (Abulenſ.) *quæ non petierat, & hæc ex munere Regio, id eſt, ex largitione regali: quia ad Reges pertinet eſſe liberales nimis in erogando.* Vt decenti nimietate Salomon liberalis deprædicetur præter oblata ſpontè, petita à muliere illi donaſſe deſcribitur. O quàm nimis liberalis fuit in erogando, qui conceſſit, quæ mulier voluit, & petiuit? Et in hoc quidem loco meditabar verbum illud *petiuit* ad ſpeciem ſuperuacaneum videri, quando ſatis videbatur dixiſſe quæcumque optata donaſſe; verùm ea eſt petendi in mulieribus conſuetudo, vt plus petant, quàm velint, nec tantum velint, quàm petant: petunt, non quia petita amant; ſed ſolummodò vt petant. Ergo ad commendandam Salomonis liberalitatem, ſatis non erat dediſſe deſiderata; ſed conceſſiſſe petita.

Innumeris ſcripturæ locis illum Hebræorum populum mulieris nomine textus expreſſit. 253. Ita Oſee 2. cap. verſ. 2. *Iudicate matrem veſtram.* (Oſee 2. v. 2.) Et cur populus ille fœminæ deſcribatur ſymbolo, niſi quia fœmineo vtebatur ingenio. Aliqua illorum facta referamus. Illis Deus non ſine Angelorum induſtria conformatum panem depluebat; verùm cœleſtes delicias ſe faſtidire impudenter oſtendit, & Ægyptiacas carnes deſiderauit: *Quis dabit nobis ad veſcendum carnes? Recordamur piſcium, quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cape, & allia: anima noſtra arida eſt: nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri niſi man.* (Numer. 11. v. 5.) Deus vel improbis annuit deſideriis, carneſque cœlum illis depluere iuſſit: *Surgens populus toto die illo, & nocte, ac die altero congregauit coturnicum, qui parum, decem coros.* Deſideria ſatians ſuam oſtentauit potentiam; ſed exercuit etiam iuſtam in impudentes vindictam. Audi Pſalmiſtam Pſalm. 77. *Adhuc eſca eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos.* (Pſalm. 77.) Quæ eſcæ? Non ſolùm carnes; ſed & manna: *Circuibat,* aiebat textus, *populus, & colligens illud frangebat mola, ſiue terebat in mortario coquens in olla, & faciens ex eo tortulas.* Itaque manna vtebantur pro pane, coturnice pro pulmento. Sed ſi manna grande adeo oſtentarant faſtidium: *Anima noſtra arida eſt,* cur carni coniungunt? Vt muliebre ſanè promant ingenium: faſtidium affectant, non vt manna relinquant; ſed vt altilia habeant: eſcæ in ore illorum inuentæ ſunt, alia ſcilicet panis, & carnis alia: ſuis factis oſtēderunt, quid ſuſpirarint, aut cur panem faſtidierint: nec enim illo deſiderabant priuari; ſed cum illo & carnibus veſci: faſtidium habendi adulabatur deſiderio, & carnis affectatum votum, fictum oſtendit

Digitized by Google

oſtendit etiam faſtidium. Iure ergo populus hic mulieris ſortitur vocabulum: quia & mulieris ſortitur ingenium.

254. Apud fontem Samariæ recumbebat Dominus Samaritem expectans vti prædam expectare ſolet venator: & cur Solis ardores non ſuſtinuerit religioſus zelus, quando patitur prædarum amor? Venit mulier, cui Dominus viuentem promittit aquam, & illa iam vt nouam acquirat,

Ioan. 4. v. 15.

faſtidire oſtentat poſſeſſam: *Domine da mihi hanc aquam, vt non ſitiam, neque veniam huc haurire.*

Chryſoſt

Ad quæ ingenioſè Chryſoſtomus apud D. Thomam: *Quærebat eam ſuperiorem ſenſibilibus æſtimans: vnde ſubditur: Da mihi hanc aquam, vt non ſitiam, neque veniam huc haurire.* Iacobææ iam aquæ oſtendebat tædium, vt noui fontis acquiſiuerit potum: *Quærebat eam*; imò deſiderio acquirendi, habitam iam deſpicit vndam, & anteponit promiſſam: & quidem tunc nondum hoc dicebat ſuperiori luce illuſtrata; ſed muliebri ingenio vſa: mulieres namque, ſi ſpes noua acquirendi affulſerit, in acquiſitionis ſuffragium facilè acquiſitorum mentiuntur tædium. Ergo Axa ſuſpirat irrigui agri diſcupiens additamentum, & affectans arentis terræ faſtidium: *Iunge & irriguum.*

---

§. LIV.

Vitio aliquando miniſtris vertitur ambientium non expedire negotia, cùm ambitores ipſi extiterint ſibi obſtacula.

255. PEriclitarentur grauiter boni mores, ſi ſolis diuitibus, aut valentibus præſtarentur tantummodò dignitates. Reipublicæ decus eſt, eos habere miniſtros, qui meritorum ſuſpiciant cauſas, nec acceptarint perſonas. Multis dū facultas ſua non ſufficit ad curiæ ſumptus, ſi de induſtria vexentur mora, longo labore defatigati deſiſtūt: deſperant conſequi, quod prolixis moris experiuntur differri: *Quid ſi ſapientia clarus*, aiebat

Caſſiod.

Caſſiodorus 6. var. 10. præfecturę nequeat ſuſtinere moleſtias? Quid ſi pondera quæſturę affluēs lingua formidet? Quid ſi reliqui faſces moleſtiarum tędio vitentur fortè, quàm meritis? Nonne ſi à magnis viris talia fugiantur, in verecūdia noſtræ manſuetudinis, quamdam repulſam ſuſcipiunt *dignitates*?

Felix reſpublica, vbi repulſam patiuntur ſæpè dignitates.

Non ſemel officia præſtita, obita munia compellunt ad altioribus inhiandum; verùm vitant ſæpè faſtidiri de mora, quæ concupiuerant homines de virtutum excellentia. Vbi longo labore, quod poſtulabat meritum obtinetur, merentis animus fatigatur: citò debēt concedi, quæ conceſſa & largitorem honorant, & accipientem honeſtant. Ecce Axa ſibi dari petiit irriguum, ſtatimq; Calebus conceſſit, ne ſtrenui adeò militis, Othonielis ſcilicet merita paterentur repulſam, aut Axa iuſta ſuſtinuiſſet petitio moram: *Da mihi benedictionem: quia terram arentem dediſti mihi, da & irriguam aquis.* Audis votum, vide & voti etiam effectum: *Dedit ergo ei Caleb irriguum ſuperius, & irriguum inferius.* Iuſtiſſima erat petitio, ob idque non eſt in aliud tempus producta, ſed ſtatim conceſſa. Appendix poſtulationis fuit conſecutio, ne Calebus irrogaret petenti iniuriam, ſi in largiendo traxiſſet moram. Huc voco quod aiebat Caſſiodorus 1. var. 13.

Caſſiodor.

Libenter omnibus modis præbemus aſſenſum quoties vox eſt iuſta poſcentium: quia nec decet eſſe difficile beneficium, quod largitate non patitur detrimentum. Quoties poſcentium vox probatur iuſta, & largitas reſplendet honeſta; imò ſordeſcit de moroſa dilatione, quod ſplendeſcere potuiſſet de facili largitate. Hoc ſanè verum; ſed non omnium poſcentium vox iuſta probatur: plurimi namque promittunt ſibi de audacia, quod potuiſſent de virtutis excellentia: negotia non expediri queruntur, Reipublicæ adminiſtros infamant, & cùm ipſi votis ſuis extiterint ad conſequendum obſtaculo, de ignaua adminiſtrorum queruntur mora.

256. Pueruli pectus dæmon ſibi effecerat domicilium, & aduentus ſui notas clariſſimas dabat: iam puer rapidas iactabatur in vndas, iam ardentes præcipitabatur in flammas: pueri pater dolore perculſus Apoſtolos adit filio ſalutem exoraturus: Apoſtoli ſpiritum non depellunt, non virtute propria infirmi: ſed parentis incredulitate tardati. Ecquis hoc dicat? Ipſe Dominus profectò: *O generatio incredula!* Patris infidelitas curationi obſtabat; verùm adeò cæco tenebatur

Marci. 9. v. 18.

affectu, vt ad Apoſtolorum traheret infirmitatem, quòd puer ſtatim non recepiſſet ſalutem: *Reſpondens vnus de turba dixit: Magiſter attuli filium meum ad te habentem ſpiritum mutum, qui vbicumque eum apprehenderit, allidit illum, & ſpumat & ſtridet dentibus, & areſcit, & dixi diſcipulis tuis, vt eiicerent illum, & non potuerunt.* Ecce criminatur diſcipulos, quaſi negotium adeò facile nequiuerint expedire, aut in aliud tempus non ſine petentis iniuria voluerint trahere. Tradiderat profectò Dominus nomen diſcipulis, quod dæmones extimeſcerent, & quo ad ſalutem homines inſtauraret: & quidem depuliſſent ſine dubio ſpiritum impuratum, niſi patris incredulitas obſtitiſſet; & tamen ipſe, qui dilationis extiterat cauſa, adminiſtros criminabatur de mora. Ad rem Chryſologus

Chryſ.

ſermone 51. *Iſte non ad Deum venerat; ſed ad magiſtrum venerat, curam non à virtute exigens; ſed ab arte: tarditatem curæ non cauſæ deputans; ſed curanti.* Recuperandæ ſalutis moras patris incredulitas afferebat, & diſcipulorum culpæ deputabat: diſcipuli non depulerant; ſed quia à parente impediti, non ambitioſæ pompæ deſiderio otioſi; verùm cùm ipſe ambitor eſſet votorum obſtaculum, adminiſtrorum cauſatur otium: *Tarditatem curæ non cauſæ deputans: ſed curanti.* O quoties contra medentis præcepta cauſas intemperatis fouet infirmitatis ægrotus, & de tarditate valetudinis infamatur peritus medicus: Non aliter pluribus in Reipublicæ negotiis agnoueris accidiſſe: ambiunt ſæpè magna meritis deſtituti, & ſolùm ad ambiendum temeritate incitati, qui ſi cupita non aſſequantur, quouis in angulo de Reipublicæ adminiſtris queruntur, nec tarditatem deputantes cauſæ; ſed miniſtrorum vecordiæ. Non negabo aliquando adminiſtros longiùs quàm par eſſet, tempus in negotiis expediendis inſumere; ſed nec inficiari poteris plurimos ex ambientium grege eſſe, quibus exigua ſunt merita, & ingentiſſima vota; horum ſpes verbis oportet trahere vrbanis: nec enim facile eſt eos ab inſania reuocare, & deſtituti meritis perſuadere; ipſi verò moras queruntur trahi, ad miniſtrorum iniuriam, quia ſibi nunquam adſcribunt cauſam.

Digitized by Google

257. Mirè iuſtus apparuit ille pater, dum petenti prodigo ſubſtantiam largitus eſt, & dum maiori hœdum petenti negauit. Duos habuit pater filios, quorum iunior liberioris vitæ deſiderio hæreditatem, quæ illi obuenerat, poſtulauit: *Pater, da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit.* Quid tunc? Præbuit ſtatim aſſenſum, & petentis impleuit votum: *Diuiſit illis ſubſtantiam.* Poſt iunioris reditum maior queritur ſibi nunquam ad cum amicis celebrandas epulas hædiculum datum; *Ecce tot annis ſeruio tibi, & nunquam mandatum tuum præterui, & nunquam dediſti mihi hædum, vt cum amicis meis epularer.* Expendamus, ſi placet, cur prouidentiſſimus pater primam iunioris petitionem expleuerit, cùm tot annis maioris vota tardarit. Contrarium videbatur honeſtius, iunioris ſcilicet differre vota, & maioris adornare conuiuia; & tamen pater negat laboranti, cùm largitus fuerit petenti. Profectò non ſemel non aſſequitur, ſi taceat, modeſtia, quod adipiſcitur quia audet temeritate, procacia; verùm hic nihil degeneri geritur ſtylo; ſed omnia lucent de arcano myſterio; imò dediſſe patrem mox à prodigo poſtulata, oſtendit dilatum hœdum non fuiſſe patris auaritiam; ſed filij culpam: prodigus petiuit, quæ illi obuenerant, quæ pater concedere tenebatur: & quia vox petentis fuit iuſta, & parentis fuit expeditio celerrima; at maior cupiebat laborum præmium, cùm nec laboribus ornaretur, nec meritis: ergo quod non dabat pater, prudentiſſimæ erat ſagacitatis, non iniuriæ dilationis; & tamen iſte queritur de iniuſta mora, cùm ipſe moræ extiterit iuſta cauſa: *Petente vno* (Chryſologum audis ſerm. 1.) *ambobus totam ſubſtantiam mox diuiſit.* Et quare mox? *Tenebatur pater ſeruare ſubſtantiam filiis, non negare.* Itaque filij ambitio ſibi debitum exigebat, & vbi nitebatur iure peritio, nulla fuit in largiente mora; at ſenior filius oſtentabat ad vanitatem obſequia, non tamen patri exhibebat officia. *Ecce tot annis ſeruio tibi. Tacendum potiùs quàm loquendum eſſe iam duximus: quia Iudæus loquitur, & non facientis verba ſunt; ſed tumentis*, ſcribit Chryſologus ſerm. 5. Qui tot ſeruitutis annos iactabat, tumore turgebat inflatus, non erga patrem deuotus: diſſimulabat pater, ne ſi apertè negaret præmia, proderet filij delicta; ſed quod diuitiarum adminiſter diſſimulabat prudenter, indignus largitoris trahebat ad culpam, & damnabat auaritiam. O quanta Reipublicæ adminiſtris opus aliquando patientia eſt, dum illorum vertitur vitio, quod ambientium tribui deberet obſtaculo! Vbi iuſta petitio, votum ſubſequi debet effectus; at vbi audet temeritas, ſatius eſt obſcurari terra vnius maledici lingua, quàm generalia infamare iura.

Lucæ.15. v.12.

Chryſol.

258. Cain & Abel Deo ſacrificium offerunt, quò Numinis maieſtatem teſtentur: ſacrificio conuerſationem produnt, & cuiuſque euentus congruens vtrique fuit: Cain namque fructus apportat Deo anima prorſus carentes, vt qui animæ gratis carebat fructibus: *Factum eſt poſt multos dies, vt offerret. Cain de fructibus terræ munera Domino.* Abel nec fratris exemplo peruerſus dona offert digna maieſtate, animi virtutem cum donis copulans: lectiori gregis portione conſtructam adornat aram, & plurimam offert hoſtiam: *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum.* Dominus Cainum non nota ſugillat; ſed fratrem cæleſti lumine honorat: *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius; ad Cain verò, & ad munera illius non reſpexit.* Quid tunc? In Deum ſtomachatur quaſi in iniurium, æquitatiſque corruptorem, quandoquidem cum ipſe tempore fratrem anteceſſerit, & honoris ambitor obſequia obtulerit, fratrem poſteriorem nobilitarit, & luce cælitus miſſa animum eius oſtenderit: *Iratus eſt Cain vehementer, & concidit vultus eius.* Si Cainum interroges indignationis cauſas, reſpondebit fratrem ſibi præpoſitum; cùm tamen ipſe meritis anteceſſerit, & ad ſacrificandum Deo, quaſi manu minorem duxerit: ipſe honoris erat obſtaculum, & tamen ardentes fouebat pectore iras: quia ſe indignè reputabat poſtpoſitum: improba mens non ſolum non merebatur gratiam; ſed compellebat ad mulctam; & tamen vt æquitatem criminetur, opponit naturæ prærogatiuam, temporis prælationem, & importuniſſimas dat querelas. Aptè Ambroſius lib. 2. de Cain & Abel cap. 6. *Tu Princeps operis tui, tu dux criminis, non te inuitum, non imprudenter error attraxit; ſed voluntarius reus iudicio, non lapſu feciſti dolum, quo te diuinæ iniuriæ reum ipſe conuinceis.* Ipſe diuinum auertebat vultum, & diuinum exambiebat vultus ſuffragium: quaſi Deo culpæ vertendum eſſet ambito illum honore non nobilitaſſe, & votis improbis non annuiſſe.

Geneſ.4. v.4.

Ambroſ.

ſ. LV.

Prudens ſolùm de morte cogitat, dum finis appetit, quantumuis ad dignitates aſcitus; imprudens dignitates ſuſpirat etiam in ipſo occaſu ambitioſus.

259. *IVcundiſſima eſt ætas*, aiebat Seneca epiſt. 12. *deuexa iam, non tamen præceps, & illam quoque in extrema tegula ſtantem iudico habere ſuas voluptates; aut hoc ipſum ſuccedit in locum voluptatum, nullis egere. Quàm dulce eſt cupiditates fugaſſe, ac reliquiſſe.* Profectò mors tam iuueni, quàm ſeni ante oculos habenda eſt: nec enim ex annorum citamur cenſu: quæuis ætas mortis portio eſt, & quiſquis vita fungitur, ad mortem pertinere cognoſcitur. Verùm inter reliquas vitæ partes hoc optimum habet ſenectus, quòd cupiditates ſedat, dum appetentem finem cupiditatis enuntiat. Neſcio quem excuſationis colorem habet, qui candenti in iuuentutis ardore inſcendere conatur faſtigia, & obtinere molitur celſa; at inſaniæ genus eſt deuexa ætate, & in extrema, vt dicitur, tegula ambitioſè niti faſtigia inſcendere, & inſtantem caſum non trepidare: quiſquis prudens ipſa ſenectute admonitus ſe ambitioni ſubducit, & honeſtæ morti diſponit. Filij Cinæi cognati Moyſi Palmarum ciuitatem inhabitantes altiora petunt, & cum triumphatoribus commorantur. *Filij Cinæi cognati Moyſi aſcenderunt de ciuitate Palmarum cum filiis Iuda.* Non pater; ſed filij, quibus ille quod ſibi à Moyſe promiſſum, veluti teſtamento legauit. Sed videamus cur pater noluit aſcendere, quando à Moyſe ſemel & iterum importunis precibus inuitatus, &, ſi dici licet, compulſus: *Veni nobiſcum.* Et iterum: *Noli nos*

Seneca.

Dulce eſt cupiditates viciſſe.

Digitized by Google

relinquere. Abulenſis q. 17. ait voluiſſe ſe cana iam ætate negotiis omnibus eripere, & obeundæ citiſſimè mortis honeſtæ curæ vacare. Audi Abulenſem: *Credidit ſe moriturum: ideò id modicum temporis, quod ſibi conceſſum putabat, volebat potius in natali ſolo tranquillè agere inter ſuos.* O

Numer. 10. v. 29. Anſelm. Oleaſter.

dignum ſenili prudentia conſilium! Habitus eſt Numer. 10. iure prudentiſſimus, qui honeſti otij ſtudioſus: *Tu noſti* alloquebatur ſocerum Moyſes, *in quibus locis per deſertum caſtra ponere debeamus*, vel, vt legit Oleaſter hîc ad litteram: *Fuiſti nobis pro oculis.* Qui aliis pro oculis fuit iunior, prudenter ad ſe conuertit oculos ſenior: aſcendant filij, vtpote quibus longiorem vitam ætas promittebat: neſciat ambitionem pater, quando iam ætas ad occaſum procliuior, & annorum pondere grauior. Sapienter Moyſes pro oculis ad rectam eligendam viam habuit, quem ſolicitum de inſtante fine cognouit: ab cupiditate namque & ambitione remotus rectam viam aliis valebat oſtendere, & ab erroribus liberare.

260. Ieroboam idolorum cultor, & idololatriæ doctor, vt penitius celeriuſque veritatem expugnaret, quos ad infamem cultum ſacrilego compellebat mandato, efficaciori ſatagit allicere exemplo: thura temerarius vt ſacrilegus offert; verùm coram populo immolanti, & coram populo Dei ſeruus minatur ſupplicium, & catabolicis miniſtris vrgentiſſimum flammarum tormentum:

3. Reg. 13. v. 1.

Ecce vir Dei venit de Iuda in ſermone Domini in Bethel, Ieroboam ſtante ſuper altare, & thus iaciente, & exclamauit contra altare in ſermone Domini. Proh rerum vices! Bethel, quod olim erat cum cælis commercium, Angelorum hoſpitium, diuinorum arcanorum ſacrarium, iam ſordet infame idolorum delubrum, & ſuperſtitionis theatrum; verùm altare idololatriæ adſcriptum decineſcit euerſum; perſtat à Iacobo religioni dicatum: iam ſanctus propheta domum repetebat, cùm idolorum ſacerdos, cui iam ſenectus pedum ferè abſtulerat vſum, tendit artificioſum concinnaturus mendacium. *Propheta quidam ſenex habitabat in Bethel, &c. & ait filiis ſuis: Sternite mihi aſinum.* Abulenſis quæſt. 11. putat graui adeò ſenectute preſſum, vt explicare nequiuerit gradum: Aſcendit ſuper aſinum iſte propheta: quia erat ſenex, vt patet ſuprà, & non poterat pedeſter ambulare. Audis ætatem ad occaſum vergentem; attende animum honores ambitioſiſſimè ſuſpirantem: iter conficit, domum deſerit, æſtum non timet, & qui tantarum moleſtiarum eſt finis?

Abulenſ.

A rege honorari, & adhuc in illa morbida ætate fulgere. Audi Abulenſem quæſt. 12. *Credidit iſte propheta ſenex quòd ſi oſtenderet, vel ſaltem perſuaderet verba viri Dei fuiſſe falſa, ita vt rex maneret ſecurè in ſua idololatria, mereretur magnum honorem apud regem.* Mortis tangebat limina variis morbis mortis prænuntiis grauatus, & ætate prorſus laborabat confectus; & tamen æſtuabat inſano cupiditatis ardore, & cæca gloriæ cupidine: corporeis gradi non poterat pedibus, & ambitioſiſſimis eminere deſiderij ſatagebat volatibus. Regis ſuſpirabat gratiam, nec timebat alieno ſanguine defœdari, vt Regiam poſſet familiaritatem inire. O quàm certum erat mendacia, erroreſque doctorum, quem ambitio ſic vſſerat inflammatum! Hobab aut Iethro pro oculis fuit Moyſi, ne deſertorum erroribus laboraret vexatus; at ſenex propheta cæcitatem offundit viro Dei, vt viam erroribus plenam metiens à leone periret occiſus. Nec mirum, quando alter morti proximus cæteris ſe negotiis ſubduxit, & alter in ipſo occaſu honores inſanè ambiuit. O quàm cæcus erat ille prophetes, qui gradu orbatus, qui inſtante fine præmonitus fallaciis non renunciabat; ſed labentibus honoribus inſeruiebat.

261. Diues ille, cui dum gratior plauſit, mendacior fortuna illuſit, ipſis felicitatibus prægrauatus felicitatis adurgebatur ſtudio, placido priuatus ſomno: de amplificandis horreis ſolicitus inanibus ſe cogitationibus diuexabat appetente

Lucæ 12. v. 18.

iam fine, & fores pulſante morte: *Maiora faciam.* His curis occupatum dura vrget mortis ſententia, & ſugillat ſtultitia: *Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te.* Et cur audit ſtultus, qui ſic horreis amplificandis ſolicitus? Acutiſſima prouidentia arcet prædonum manus, beſtiarum adſultus, & inſipientiæ notatur, qui prouidentiæ ſtudere videtur? Iure, inquit Baſilius apud D. Thomam, ſtultitiæ nota debuit inuri: nec enim ampliationem maioritatemque modò ſitire, vlla occaſione poterat colorare: iam nox vrgebat, dies repetebat occaſum, & cùm tenebris admonitus ſe debuiſſet morti comparare, celſiora geſtiuit conſtruere: profectò eius vota aliqualem excuſationem haberent, ſi exoriente die, aut candente Sole de inſanis cōſtruendis fabricis cogitaret; verùm ſumma ſtultitia fuit ipſa in nocte ſuperbam animo fabricam diſponere, & deficiente iam luce opera grandiora moliri:

Baſil.

Permiſſum eſt deliberare in omnibus, & manifeſtare propoſitum proprium, vt condignam mereretur ſui affectus ſententiam. Digna ſententia ſugillari ſtultum, quando ipſa appetente morte ambitionis fouit propoſitum: maiora cupit, cùm tempus deficit: proh ambitionis deliria, quæ nec inſtans finis quiuit depellere; imò nec valuit ſopire. Nihil ab eius mente remotius, quàm qui adeſtat præſens interitus, & qui vrgebat vitam occaſus: inſaniùs viuidiuſque ſtudia perituris dicauit, quando opus erat ipſum citiſſimè excedere.

262. Rex filij nuptias magnifica pompa celebraturus vocat conuiuas; at ruſtici, vt duris occupentur ruris laboribus, cauſas excuſationis colorant, & mentitis coloribus cohoneſtant: iubet tunc Princeps è vicis plateiſque obuios quoſcumque vocari: *Exi citò in plateas, & vicos ciuitatis, & pauperes ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.*

Luc. 14. v. 21.

Regia liberalitas miſerorum numerum vicit, & adhuc locus erat recipiendis aliis plurimis aptus: ſeruus renunciauit Principi fercula ſuperare conuiuas: quid tunc? Ait dominus ſeruo: *Exi in vias, & ſepes, & compelle intrare*: qui ſepes viæque vocantur apud Lucam, viarum exitus appellantur apud Matthæum:

Matth. 22. v. 9.

Ite ad exitus viarum. Et quidem ſtatim occurrit non exigua difficultas, cur ſcilicet qui in exitibus viarum inuenti, compellantur, & qui in vicis & plateis domum ingrediantur inuitati; ſed non compulſi: inuitat rex ad regiam menſam, ad exambienda colloquia; ad ſaporatiſſima fercula, & coactione eſt opus, quando inſolita hæc felicitas vincit deſiderium, & ambitionis excedit votum? *Compelle*, inquit, *intrare.* O quàm coactione eſt opus, vt ad Dei inuolauerint prandium, qui ſtudioſiſſimè forſan ad

Digitized by Google

mundiale inuolarent conuiuium. Benè; ſed inſtituto noſtro locum aptemus: viarum exitus vitæ etiam admonent finem: ergo qui in exitibus, quia mortem appetentem intuiti, adeò diſtant ab ambitione remoti, vt palatia fugiant etiam vocati, & ſolum ingrediantur compulſi:
Hilarius. *Per viam*, ſcribit Hilarius apud D. Thomam ad Matth. 22. *tempus ſeculi intelligendum eſt, atque ideò ad exitus viarum iubentur ire.* Aptius
Ambroſ. Ambroſius ad Lucæ 14. *Mittit ad vias, & circa ſepes, quòd hi videlicet apti ſint regno cælorum, qui nullis præſentium cupiditatibus occupati ad futura feſtinent.* In plateis degentes, in vicis obambulantes regiam familiaritatem exambiunt: nec opus eſt compelli; ſed ſufficit inuitari; at qui in viarum iam verſantur exitibus, ad exambiendam regum amicitiam, ad diſcupiendam magnificam menſam, ad ineundam cum magnatibus conſuetudinem, ſatis non eſt inuitari; ſed neceſſum eſt vi honeſta compelli. O quàm probantur ferculis regalibus digni, qui vti proximi iam exitibus nullis terrenis cupiditatibus præpediebantur deluſi, nulliſque inanis & irritæ ambitionis compedibus illigati. Et expende in vicis plateiſque inueniri cæcos & claudos: *Exi citò in plateas & vicos, & cæcos, & claudos introduc huc*; at in exitibus nec claudos inueniri nec cæcos Et quidem tolerabile eſt, ſi à viarum exitibus diſtantes cæcitate laborent, & ambitione deerrent; at reprehenſione digniſſimum ſi in viarum exitibus iam verſantes ambitionis ſectentur deliria, & deliriorum ſequantur vota, quandoquidem de ſepulchri tenebris candidiſſima rationi lux oritur. O quàm miſerum, quamque à prudentia inuenitur alienum vitæ occaſum iam attingere, & oculos ambitioni dicare! extrema cæcitas eſt ſe immiſcere ambitionis, diuitiarumque inſanis cupiditatibus, quando iam opus eſt illuſtrandis nunquam amandari ſepulchralibus caliginibus. Iure Ietro cana ſenectute grandæuus mortem cogitauit, & ambitionem neſciuit.

---

§. LVI.

Optima Politice, vbi non diſtribuit magiſteria pro libito affectus; ſed ſudor cathedrarum acquirit gradus.

263. Caſſiodor. SI *honor frequenter defertur otioſis*, ſcribit Caſſiodorus 6. var. 13. *ſi interdum aut nobilitas eligitur, aut ad promerendum aliquid perſona tantum gratia ſuffragatur, quo ſtudio remunerandi ſunt, qui ad agonis ſui præmia peruenerunt? Conſiderandum quali labore ſeruitum eſt, & ſic de remuneratione cogitandum.* Neſcio quid nocentius fuerit reipublicæ aut labores irremuneratos tranſire, aut præmia non laborantibus diſpenſare: nec ſatis eſt magnos militiæ exantlaſſe labores, vt quis præmia litterarum acquirat: vt è contra ſatis non eſt litterarum incubuiſſe ſtudio, vt quis decertantium potiatur præmio: *Conſiderandum quali labore ſeruitum eſt, & ſic de remuneratione cogitandum*: præmia namque actionibus præſcripta inuertere eſt ad œconomiam confundere: militiæ ſemper adſcriptus riſum mouebit, ſi tribunal litterarum inſcendat, vt nobilitatus litteris, ſi honores Martiales ſubeat.

Quod ſi præmia laboribus non agnata confundunt Rempublicam, qualem futuram putas, ſi gratia tantùm ſuffragetur, aut merito tantùm affectionis deligatur? Improbus cenſeri debuit ſuperior, qui vt amico faueat, præmia laboribus præſcripta pro libito inuertit, & tenorem ſanctè obſeruatum, vti politices neruum, diſrumpit. Cinæi Moyſis cognati doctrinam quæſituri Iudæ tribum adeunt, & poſſeſſas ſedes relinquunt: *Filij Cinei cognati Moyſi aſcenderunt de ciuitate palmarum cum filiis Iuda in deſertum ſortis eius.* Aſcendiſſe, vt doctrinam quærerent, tradit Lyra: *Dicunt Hebræi, quod illuc iuerunt ad manendum, vt diſcerent legem.* Lyra. Iam quis illis doctor ex tribu adſcriptus, tradit ipſe Lyra: *Ab Othoniel*, addit, *qui erat doctus in lege.* Itaque vt Cinæi filios edoceat, à tribu Iuda Othonielus deligitur. Nec mirum, cùm hic præ aliis ingenti labore, prolixiſque vigiliis libri ciuitatē poſſederit, & litterarum curiam adierit. *Inde profectus*, inquit textus, *abiit ad habitatores Dabir, cuius nomen vetus erat Cariath Sepher, id eſt, ciuitas litterarum. Dixitque Caleb: Qui percuſſerit Cariath Sepher, & vaſtauerit eam, dabo ei Axam filiam meam vxorem.* Quid tunc? Othoniel litterarum ciuitatem capit, & ingentes labores ſubit: *Cùm cæpiſſet eam Othoniel*, &c. Ecce optimam tribus Iudæ œconomiam: Othoniel Doctor deligitur: quia præ aliis litterarum triumphis coronatur. O quàm inſtabilis caſum ſibi illa minaretur reſpublica, ſi non ciuitatis litterarum dominus, filiorum Cinæi & doctor fuiſſet adſcriptus; at aduerſus temporum perſeuerauit adſultus, vbi in acquirendis litteris fatigatus, & cathedræ lucet honoribus inſignitus.

264. Diues ille heluationis exaggeratio, & edacitatis prodigium adhuc gehennalibus cinctus flammis inhiare non deſtitit potationibus: ſurſum leuat oculos ſui profecto crimini teſtes, & ibi coactè reſpicit Lazarum ſurſum, qui ſuperbè deſpexit videre deorſum: Abrahamum orat, vt aquam Lazarum miniſtraturum ad flammarum incendia mittat; verùm cùm obtinendi voti priuaretur ſpebus, maiori malitiam fraude colorat, & Lazarum Abrahami pectoris inquilinum ad officium doctoris mittendum magnis commodis promiſſis allegat: *Rogo te pater, vt mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres, vt teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorū.* Lucæ 16. v. 27. Quid tunc Abrahamus? *Habent*, inquit, *Moyſem & prophetas, audiant illos.* O quàm hic cum prudentia decertabat nequitia! Lazarus Scripturæ ſtudio non inſudarat: conſtantiæ, patientiæque virtutibus ſtuduerat: ergo nequiſſimus epulo, vt vel cæleſtem reipublicæ gloriam confundat, Lazarum Scripturæ ſtudiorum adire vult præmium, & Moyſem his nobilitatum ſtudiis manere irremuneratum, quo vno eodemque ictu Scripturæ ſtudioſis afferat tædia, & neſcienti Scripturam pericula. Verùm diſertiſſimus Abrahamus nullis precibus potuit adduci, quin Moyſi Scripturæ præſcriberet magiſterium, & concionatoris officium. Verùm ſi Abrahamus tenero adeò in Lazarum propèdebat affectu, vt pectore exciperet, & cordis dulciſſimū inquilinū teneret, quid ni hoc magiſterio honorarit, quando non ipſe ſua ſponte præferebat, ſed repetitis inſtātiis, & magnis propoſitis vtilitatibus delegabat? Quia Abrahamus vti

Digitized by Google

cæleſtis non affectionis gubernabatur imperiis: ſed rationis imperturbatis conſiliis. Lazaro laborum patientiſſimo dignum præmiū requiem ſcilicet miniſtrauit; Moyſi verò librorū ſcriprori Scripturæ magiſterium reliquit: aliter namque gehennalibus fauiſſet votis, & magnis felicitatem expoſuiſſet detrimentis. Adeſt Seleu- Seleucienſ. cienſis Baſilius orat. 9. *Moyſes populi magiſter creatus diuinæ cognitionis documenta tradit.* Attentiùs audi quæ ſubdit: *Hic eſt conſcriptor arcanorum creaturæ, qui mundi cognitionem libro complexus eſt.* Abrahamus Lazarum tenerrimè diligit; ſed Moyſem Scripturæ librorum auctorem agnoſcit: adeoque rationis, iuriſque regulas eſt ſecutus, vt nullis affectus ſuaſionibus, nullis iteratis diuitis precibus potuerit adduci, vt Moyſem ad Scripturam docendam Lazaro poſtponeret, & Lazarum miris quidem virtutibus refulgentem hoc aliis ſtudiis debito præmio inſigniret. Diſcant hinc qui præſunt, præmia non inuertere; ſed diſtribuēdi leges ſeruare.

265. Ioannes in ſua illa Pathmos ſolitudine thronum aliquando intuetur, vbi liber non ſine induſtria obſignatus, firmiſque ſigillis munitus ſcripta arcana celabat, nec legi curioſis etiam oculis permittebat, verùm cùm anxiis Ioannes deſideriis premeretur, nobilis ſenex largè lachrymantem ſolatur: attentiùs intuetur Ioannes, & agnum videt proprio ſanguine rubricatum, qui & ſigilla facilè rupit, & libri arcana Apoc. 5. v. 7. euulgauit: *Venit & accepit de dextera ſedentis in throno librum, & cùm aperuiſſet librum.* Quid tunc? Animalia exertis vocibus clamant agno vti magiſtro librum tradendum, & doctoris dignitate honorandum: *Cantabant canticum nouum dicentes: Dignus es Domine accipere librum, & aperire ſignacula eius.* Et quidem meritò: ſoluit namque librum ſigilla diſrumpens, & magno labore de arcanis ediſſerens: hic ergo; qui illum accepit, dignus eſt librum accipere: eſſet namque regiminis, & æquitatis iniuria, ſi alij liber ad gloriam traderetur iam reſeratus, cùm magnum agno laborem ſigillis ſucceſſiuerit munitus: dignus eſt agnus reſerati iam libri frui gloria, cùm in reſerando eius inſudarit induſtria: *Nullus namque Angelus*, aiebat Ambroſius hic, *cælum inhabitans, nullus iuſtus in terra conſiſtens, nullus etiam ex iis, qui debitum mortis ſoluerant, in mundo vnquam apparuit, qui genus humanum de poteſtate diaboli redimeret, quæ redemptio apertio eſt veteris te-* Ambroſ. *ſtamenti.* Addit poſt aliqua Ambroſius: Agnus ergo librum de dextera ſedentis ſuper thronum accepit: quia homo Chriſtus à ſua diuinitate accepit, vt ſacramenta diuinarum ſcripturarum reſeraret. Ecce deprædicatur agnus accipere librum digniſſimus: inſudauit namque in eius arcanis aperiendis, & ſigillis reſerandis. O quàm indigna cælo politice eſſet alium aperto libro coronari, & agnum non ſine moleſtiis arcana libri aperire! Ergo qui ſigilla ſoluit induſtriè, dignus deprædicatur, qui magiſterij donetur honore: *Dignus es Domine accipere librum, & aperire ſignacula eius.* Audi Ambroſium: *Vt ſacramenta diuinarum ſcripturarum reſeraret.*

266. Expendebat Seneca inter Xerxis calamitates non vltimo loco ponendum præmium Demarato conceſſum. Cùm bellum Græciæ indiceret, animum ex ſe audentem, & ſuperbiſſimum oblitumque quàm inniteretur caducis, nemo ad temeritatem non impulit, quiſque periculoſis adulationibus eius audaciam alebat, & placere ſtudioſiſſimè procurabat: ſolum Demaratus illam, qua ſibi placebat, multitudinem, indigeſtam, & grauem dixit, ducentique metuendam, vt quæ non tam viribus Imperatorem iuuaret, quàm immenſo pondere premeret. Acciderunt quidem, quæ Demaratus prædixerat, ſuoque damno Xerxes intellexit quàm ab exercitu turba diſtaret, pudoreque, quàm damno miſerior Demarato facultatem fecit, quæ vellet, petendi: ille triumphantium expetiuit præmium, & adeptus eſt: *Petit ille*, inquit Seneca Seneca. lib. 6. de benef. cap. 31. *vt Sardes maximam Aſiæ ciuitatem curru vectus intraret, rectam capite tiaram gerens, id ſolis datum Regibus, dignus fuerat præmio, antequam peteret; ſed quàm miſerabilis gens.* Non fuit vltima Xerxis miſeria copioſum illum exercitum per totam paſſim Græciam iacuiſſe ſtratum; ſed Demarato Imperatoris triumphantis præmium fuiſſe conceſſum: quid namque ſtabile potuit eſſe in illa republica, vbi conſul triumphantium præmium adeptus, & fortium inſignibus honoratus: miſerabilis quidem gens de præmio conceſſo, vt de exercitu profligato.

Saul vtpote qui cordis dæmoni conceſſerat 267. habitaculum, Doeg Idumæum, qui alendis pecoribus inſeruierat, inter primos conſtituit, & præmiis militaribus honorauit: *Reſpondens Doeg* 1. Reg. 22. *Idumæus, qui aſſiſtebat, & erat primus inter ſeruos* v. 9. *Saul: Vidi, inquit, filium Iſai in Nobe apud Achimelech filium Achitob ſacerdotem.* Fortè erat primus, qui aſſiſtebat: plures namque dum aſſiſtentes adulātur, adulationibus placent pro meritis, & dignorum fruuntur prærogatiuis: Doeg hic aſſiſtebat Regi vti militaris, vti militarium copiatum Princeps; cùm tamen arma non tractarit; ſed quærendis optimis gregibus paſcuis ſtuduerit: *Doeg Idumæus potentiſſimus paſtorum Saul.* 1. Reg. 21. Quod ſi quæras cur paſtoritiæ artis peritus ho- v. 7. noribus militiæ fuerit donatus, reſpondebit Abul. q. 17. hoc ex inordinata affectione accidiſ- Abulenſ. ſe. *Aliquis reſpondebit quòd fortè Saul tantum dilexerat Doeg Idumæum, quòd eleuauit eum ad maximum principatum in domo ſua, & abſtulit eum Abner, ſicut interdum facere ſolent reges ex quibuſdam deordinatis affectionibus* Itaque illi honores Abner debebantur, vtpotè certaminibus ſtrenuo; ſed deordinatus ſuperioris affectus ad Doeg detorſit, & paſtorem priuilegiis Martialibus honorauit. Nec dubium præſagium fuit, inquit Seleuc. Baſil. hæc præmiorum inconſulta Seleuc. diſtributio: *Saulis regnum, inquit orat. 14. vergebat ad occaſum: deſertam igitur à gratia, nec habitatam Saulis animam nactus dæmon proprium ſibi effecit domicilium, & aduentus ſui notas euentu rerum dedit: prudentia de mentis arce deturbabatur.* Conſulebat prudētia Abner, qui toties campo iniuerat prælia, militaris laboris præmio donandum; ſed adulterata affectio paſtorem intruſit: iam ergo regnum ad occaſum vergebat: nec enim durare poterat firmè ſtabilitum, quod firmitatis fulcris probabatur deſtitutum. Ecquod enim aliud reipublicę fulcrum eſt, niſi præmium æquitate diſpenſatum, nec affectionibus deprauatis detortum? Non adeò graue detrimentum illa ſuſtinuiſſet reſpublica, ſi Abner honor debitus fuiſſet denegatus, & grauius ſuſtinuit, cùm paſtori militantium eſt dilargitus.

§. LVII.

Digitized by Google

§. LVII.

Mirum eſt ſi doctus non dedignetur addiſcere, & aures alijs præbere.

168. SCientia, aiebat Paulus, *inflat*: ſic namque qui
1.Cor.8.v.1. mundialibus diſciplinis inſtruuntur, turgidiſſimi inflantur, vt ſe nihil non percalluiſſe arbitrentur. Arduum eſt ſua opinione ſapientem alterius adire ſcholam, & niſi ad infamandam, auſcultaſſe doctrinam. Mundi ſapientes, etſi ſe agnoſcant vinci, renuent edoceri. Pharaonis Magi in dracones virgas conuertunt, & quamuis Moſis expectarint victoriam, ſuſcipere renuerunt doctrinam. *Quaſi dicat*, exponit D. Thomas hîc lect. 1. *Habetis quidem ſcientiam; ſed non valet vobis: quia inde ſuperbitis.* Superbia ſtulta eruditione innutrita obturat aures,
Eccl.1.v.18 & inſanire facit hominum mentes: *In multa ſapientia*, aiebat Eccleſiaſtes, *multa eſt indignatio* Turgeſcunt docti, & alios audire dedignantur ſuperbi: niſi cæleſti pulſu eruditus tangatur, ab alio doctrinam accipere non patietur.
Caſſiodor. *Hinc*, aiebat Caſſiodorus 9.var.25. *virtutum omnium ſumitur manifeſta cognitio, hinc ſapientia veritatis ſapore conditur: ſic ad omnia redditur humilis, quem imbuerit doctrina cæleſtis.* Sapientia redditur humilis cæleſti doctrina imbuta; ſed ni imbuatur, turget audacter ſuperba. Filij Cinæi de ciuitate palmarum aſcendunt, vt ſe Iudæ filiis immiſceant. *Filij Cinæi cognati Moyſi aſcenderunt de ciuitate palmarum cum filiis Iuda in deſertum ſortis eius.* Sui victores produntur, quia ad diſcendum perrexerunt. Ita Hebræi
Lyra. apud Lyram: *Dicunt Hebræi quòd illuc iuerunt ad manendum, vt addiſcerent legem ab Othoniel.* Cinæus, qui & Hobab, vtpote ſacerdos Madian, alios edocebat eruditiſſimus, ab erroribus libe-
Num.10. v.31. rator & ductor: *Tu noſti*, aiebat Moyſes Numero 10. *in quibus locis per deſertum caſtra ponere debeamus, & eris ductor noſter.* In Hebræo
Oleaſt. habetur teſte Oleaſtro ad litteram: *Fuiſti nobis in deſerto pro oculis.* Ecce qui magiſtri habebantur, ad diſcendum modò aſcendere referuntur. Palmarum ergo habitabant ciuitatem: ni enim ſui ipſorum triumphis coronarentur, nec alienam admiſiſſent doctrinam, nec frequentarent Othonielis, etſi doctiſſimi ſcholam: vt repetat hîc Aurelius: *Sic ad omnia redditur humilis, quem imbuit doctrina cæleſtis*: ni enim antiqua ſcientia veritatis ſapore probaretur condita, ſuperbia nullatenus probaretur placata.

269. Chriſto Domino in tuguriolo nato refulgens aſtrum Magorum depellit noctem, & clamoſo ſilentio ad perquirendam vocat ſalutem: viam carpunt, & cæleſtis luminis ductum ſequuntur: curiam intrant, & vbi natus ſit Princeps, Ieroſolymitas anxiis clamoribus rogant:
Matt.2.v.2. *Vbi eſt, qui natus eſt rex Iudæorum?* Galfridus in allegor. Tilman. non adeò miratur noui ſyderis ortum, quàm nouum Magorum diſcipulatum. O quàm cæleſti luce probabantur edocti, qui
Galfrid. alios interrogare non detrectauere diſcipuli! *Nos qui ſapimus*, inquit Galfridus, *eoſdem mirabimur Magos potius quàm Iudæos, audire magis & facere, quàm docere, & diſſimulare parati.* Non ingerunt admirationem Hebræi, dum arcana euulgant, dum prophetico ore prænuntiata declarant; ſed magi doctiſſimi ingerunt ſtuporem, dum ſapientia celebres ſcribas rogant, dum legis doctores auſcultant: ingens miraculum crinita ſtella Solis lumina ſupergreſſa, & legis ſtellarum glorioſè ignara; verùm grandius ſignum Magi ſciſcitantes, & ab aliis quid humiliter addiſcentes: *Plus cæleſte de magis*, aiebat Chryſol. ſer. 156. *quàm de ſtella ſignum eſt.* In- Chryſol.
ſolitum adeò eſt turgidam ſæcularium ſapientum ſcientiam detumeſcere, & quid ignorare ſe, dum ſciſcitatur ab aliis, prodere, vt Chryſologus cenſeat plus cæleſte probari ſignum Magos ſciſcitantes, quam radios noui ſyderis refulgentes.

Acceſſit ad Chriſtum Dominum Doctor, vt 270.
quod maximum legis mandatum eſſet rogaret: *Magiſter quod eſt mandatum magnum in lege?* Et Matt.22. v.36.
nequis ſuſpicaretur acceſſiſſe diſcendi ſtudio. teſtatur Euangeliſta calumniandi acceſſiſſe deſiderio: *Interrogauit eum vnus ex his legis doctor tentans eum* Ad Chriſtum accedebant claudi, vt naturam reformaret: cæci, vt lucem illis refunderet: auxilij fatebantur inopiam, & rubore victo, quam patiebantur, declarabant miſeriam; at legis Doctor & ignorat, & tentat: Quod magnum fuerit legis mandatum imprudenter non calet, & ne videatur addiſcere, aggreditur inuerecundè tentare. *Tentans dicebat, Magiſter*, ſcribit Origenes apud D.Thomam: *quoniam non* Origen.
tamquam diſcipulus Chriſti proferebat hanc vocem. Facilius fuit mortuos excitare, quàm arrogantiam ſcioli neſcientis depellere. Accedit, audit, interrogat; ſed iniquo animo, non pio animi deſiderio. O quàm arduum eſt ſua opinione doctos aliorum venerari doctrinam, aut frequentare ſcientiarum ſcholam. Se Mercurios putant, & turgentes ſtultiſſima ſuperbia renuunt excoli vera doctrina.

Expendamus, ſi placet in huius theſis confir- 271.
mationem, quod Ægyptiis accidiſſe refertur. Pharao inquilinos & hoſpites vti ſeruos de lapide emptos refractarius affligebat, & iniquis laboribus diuexabat, verum cùm auxilia prorſus defeciſſent humana, illis adſtitere diuina: Moyſes legatur, qui paſtoritia virga elementis imperet, & creaturas omnes ad Ægyptiorum ſupplicium armet: egregiè vapulabat Ægyptus: ibi namque liquor in ſanguinem tranſmutatus purpuraſcebat: ibi grando cum igne ruebat conferta, & quæ ab ingenio diſcrepabant, in veritatis hoſtes depræliabantur vnita: ibi fluuius ad inſtar Dei adoratus ranarum agmen producebat, quæ raucis clamoribus aures referientes ſurditatem caſtigarent, vt qui gracilem Moyſis vocem detrectabat audire, clamores cogeretur moleſtiſſimos ſuſtinere: Pharao his flagellis repercuſſus Moyſem vocat, & vt abſtulerit ranas orat: *Orate Dominum, vt auferat ranas à* Exod.8.v.8.
me, & à populo meo. Moyſes vt qui non delectabatur peccatorum anguſtiis; ſed ſolùm diuinis obedire ſatagebat præceptis, Deum deprecatur obnixè plagas ſuſpendat, ſi fortè Pharao lenitate meliora ſapiat. Ita factum eſt; ſed qui facilis fuit promittere, fuit difficillimus adimplere: contra ſeipſum duratur, & Moyſes ad ſupplicia iteranda vrgetur: *Tollite plenas manus*, iubet Dominus, *cineris de camino, & ſpargat illum Moyſes in cælum coram Pharaone, ſitque puluis ſuper omnem terram Ægy-* Exod.9.v.8.
pti: erunt enim in hominibus, & iumentis vlcera, & veſicæ turgentes in vniuerſa terra Ægypti.

Digitized by Google

Ægypti. O quàm indubium illis impendebat excidium, quando augebat calamitatem pulueris probatum ſæpè remedium. Qui puluere debuiſſent ſuperbiam deponere, puluere didicerunt turgere: ſæuus premebat Ægyptios dolor; nec tamen qui ad clamorem quæſierat auxilium, ad vlcera turgentia quæſiſſe inuenies medicamentum. Imò ipſis vlceribus obdurantur, nec à Moyſe quærunt addiſcere, quo ſanentur. *Nec poterant malefici ſtare coram Moyſe propter vlcera quæ in illis erant, & in omni terra Ægypti: indurauitque Dominus cor Pharaonis.* Acres dolores Moyſem de remedio conſulere perſuadebant; verùm ſic malefici turgent, vt malint plagis perire, quàm Moyſem interrogare. Ecqua huius cauſa eſt? Quia ſupplicium hoc, inquit Angelicus Doctor lect. 1. ad illa verba Pauli 1. Cor. 8. *Scientia inflat*, ſupplicium erat doctorum: ergo malefici, qui artibus iniquiſſimis ſuperbiebant, ſic inflabantur turgidi, vt ad ſalutem dedignarentur doceri: *Hæc enim fuit* (verba ſunt Doctoris Angelici) *plaga Ægyptiorum, id eſt, ſapientium huius mundi veſica turgentes.* Ipſo nocumento turgent, & ne videatur obſcurari ſapientia, nolunt ab alio Doctore requirere medicamina: dum populus plagis vrgetur, rogato Moyſe medicina; at ſapientes ſic turgent, vt malint ſæuum ſuſtinere ſupplicium, quàm Moyſis egregij Doctoris audiuiſſe conſpectum: ad aliarum plagarum medelam conſulitur; ad turgentium tamen vlcerum medicinam nullo modo interrogatur: Hæc enim fuit plaga Ægyptiorum, id eſt, ſapientium huius mundi. Adde copioſum miraculorum haberi fructum, ſi doctus ad diſcendum miraculis ſuadeatur, & prodigiis prouocetur.

D. Thom.

272. Chriſtus Dominus templum adiens negotiationis inuenit emporium, non ad orationem delubrum: pia indignatione commotus depellit minis, quos proſcindere potuiſſet flagellis, & cùm ſolùm veluti hiſtrionicè oſtentauerit iram, reuera miſeris impendit miſericordiam: *Acceſſerunt ad eum cæci & claudi in templo, & ſanauit eos.* His miris veluti manuductus Nicodemus ad Chriſtum vti magiſtrum accedit; ſed auxilia tenebrarum requirit: *Erat homo ex Phariſæis Nicodemus nomine Princeps Iudæorum, hic venit ad Ieſum nocte, & dixit ei: Rabbi ſcimus quia à Deo veniſti Magiſter*, &c. Sic verecundabatur myſteria addiſcere, vt noctis tenebras ad ruboris delinimentum vocarit: Acceſſerunt in templo cæci, lumen illis refudit Dominus, & magnum Ioannes miraculorum commendat fructum, cùm refert Hebræorum magiſtrum: illi namque ait Dominus: *Tu es Magiſter in Iſraël: addiſcendi aduentaſſe ſtudio, & doctrinæ interrogaſſe Dominum deſiderio.* Hic venit ad Ieſum nocte, ſcribit Beda apud Diuum Thomam cupiens ſcilicet ſecreta eius allocutione pleniùs diſcere myſteria fidei, cuius aperta oſtenſione ſignorum iam rudimenta perceperat. Annuit Chryſoſtomus ibi: *Adhuc à Iudaica detinebatur infirmitate, propterea & nocte venit trepidans in die hoc facere.* Quæ à Domino inuiſa ſæculis patrabantur miracula, doctrinæ eius clariſſima erant elogia; at legis Iudaicæ doctor vel tot miris compulſus ſic Domini ſcholam trepidabat adire, vt tenebrarum patrocinium ad diſcendum maluerit quærere.

Matth. 21. v. 14.

Ioan. 3. v. 1.

Beda.

Chryſoſt.

Faciliùs cæcorum, claudorumque reformata eſt natura, difficilius doctoris inclinata eſt ad diſcendum ſuperbia. Sic verecundabatur vel à Domino accepiſſe doctrinam, ac ſi pateretur infamiam: mundi namque ſcioli grandem ſuæ ſcientiæ arbitrantur notam, ſi alterius diſcipuli commendauerit ſcientiam.

---

§. LVIII.

Indecens videtur infami legi ſubiicere, ſiquis cognatos poſſit prouidenter extrahere.

Accipite P.C. aiebat Caſſiodorus 8. var. 14. *quod iudicia noſtra protulerunt, quando plus cogitantur omnino, quæ cauta ſunt: quia talis ſubſecutio creditur, quale primordium veniſſe ſentitur.* Solicita in primordiis cautela futura nobilitat, quando puritate manat conſpicuum, quod nullo in origine ſua errore videtur infectum: *Nemo futurum putat eſſe diligentem*, addit Aurelius, *quem in ipſa nouitate opinionis ſuæ non videt eſſe cuſtodem.* Profectò ſi ab exordio celebris reluceat opinio, non facilè vel aliquali ſecuto errore denigratur: vt è contrà, ſi initio maculam traxerit, nec egregiis facinoribus redimitur. Prouidus inſtitutor, ſi hortum ſuum fœcundis adnititur ornare plantariis, quo optatos reddiderit fructus, ſolicitis ſatagit excoluiſſe laboribus, quando omen habet principium, & iam videtur grata ſemper amœnitate nitere, quod ab initio nullis rus probatur ſpinarum horroribus defœdari. *Beneficiis noſtris*, addit Caſſiodorus, *quaſi quamdam ianuam cogitauimus dare quæſtorem, per quem venientium dignitatum culmina decenter exirent.* Profectò dignitatum lumina nullatenus oculos allicerent relucentia, ſi indecora exirent ianuâ: vt è contra ſi primordium lucidum, non creditur cæterum macula denigrandum. Ecce filij Cinæi de ciuitate aſcendunt Palmarum, vt cum Iudæ tribu triumphis redimita morentur: *Filij Cinæi cognati Moyſi aſcenderunt de ciuitate Palmarum cum filiis Iuda in deſertum ſortis eius.* Quærunt interpretes, cur filij Cinæi ſanè Madianitæ ciuitatem Palmarum inhabitarint, & de triumphis ad triumphos venerint? Abulenſis quæſtione 17. in Iudic. exiſtimat Cinæos generali edicto ſubductos, vtpotè Moyſi cognatos. Numer. 31. lex editur de Madianitis delendis: *Locutus eſt Dominus ad Moyſem dicens: Vlciſcere prius filios Iſraël de Madianitis, & ſic colligeris ad populum tuum.* Quid tunc? Antequam legem proferret Moyſes, vt filiorum ſuorum opinioni conſuleret, à cognatis prouidè amouit periculum, ne ſi generali clade conſumpti, eius poſteritati opinionis attulerint detrimentum: eſſet namque Moyſi imprudentiæ vertendum, ſi legem promulgaturus ſuos diſcrimini, cùm poſſet, non eripuiſſet, & poſteritatis ſuæ illæſam opinionem non reſeruaſſet: *Dicendum quòd filij Ietro habebant animum manendi in terra Madian, in qua fuerant progenitores ſui; poſteà tamen anno quadrageſimo ab exitu de Ægypto Deus iuſſit Iſraëlitis, quòd deleret Madianitas, vt patet Numer. 25. & 31.*

273. Caſſiod.

Exordia pariunt aut famam, aut notam.

Numer. 31. v. 1.

Abulenſ.

Digitized by Google

& 31. capitulo: & tunc Moyſes condolens primogeniei filiorum ſuorum fecit vocari totam cognationem Ietro, vt confugeret ad Iſraëlitas, & venerunt ad eos. Ecce Moyſes poſteritatis ſuæ amore totam cognationem præſeruat, antequàm lex edicto generali Madianitas omnes concludat: denigraretur namque poſterorum fama, ſi in maiores diuina deſæuiſſet vindicta; imò & Moyſis apud omnes vileſceret prouidentia, ſi legis conſcius à ſuis non ablegaſſet pericula: ergo Palmarum incolunt ciuitatem, & triumphali muniuntur inſigni: quia generali præ reliquis triumphauerunt de clade. Iam Moyſis affines palmis triumphalibus coronantur, quando cæteri Madianitæ generali ob admiſſam culpam lege premuntur. Quod ſi Moyſes nomine ſolummodò Deus ſuos eripiendos diſcrimini cenſuit, vt ſibi filiiſque conſultò prouiderit; quis credat Dei Verbum proferendæ legis in homines omnes conſcium, matrem ſuam ante legem non eripuiſſe, cùm verus exiſtat Deus, ſuæque opinionis prouidentiſſimus? Certè Maria, cuius ſtatura aſſimilata eſt palmæ, iam ciuitatem incolebat palmarũ, vt ad tribum Iuda, de qua Chriſtus futurus, aſcenderet victrix: nec ſolùm poſt legem exempta diſcrimini; ſed ante prolationem & legi. Ecce Cinæi à generali Madianitarum maſſa extrahuntur: quia lex plures poſt annos reliquos erat Madianitas condemnatura, vt Moſis ſæculis celebranda manſerit prouidentia. Adde ca[illegible] Deum erga Mariam curam oſtendiſſe, vt nec nomen Adamo permiſerit, ne per os lethali pomo inficiendũ vel elogia nominis reſonarent.

274. Cum diuinæ bonitatis theſaurus ſuis premeretur diuitiis, nõ inuitatus, nec oratione rogatus largitate ſuadente decreuit ea bona communicare: iam lux creabatur, iam ſuſpendebatur cœlum, iam terra ſuper nihilum appenſa veluti marmoreis columnis ſtabiliebatur ſuffulta, iam aquæ inundantia creaturarum agmina producebant, aues multicolores grata plumarum varietate aërem nobilitabant, cùm homo producitur, qui verè regis imaginem gerens creaturis imperet, vtque fictricis diuinæ artis aliquali gloria refulgeat, creaturis nomina imponit: *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, vt videret, quid vocaret ea:* (Gen.1.v.19.) rerum naturam & eſſentiam artifex ſapientiſſimus cudit; ſed hanc cum Adamo fictricis ſolertiæ gloriam partiri deſiderans, creaturam in eius manu ponit, & nomina rebus commoda indere iubet; verùm cùm cæteris creaturis nomina imponendi facultatem Adamo commiſerit, aquarum nomen ſibi reſeruauit: *Congregationes aquarum appellauit maria:* (Gen.1.v.10.) & quidem non ſine arcano myſterio hoc diſpoſitum fuiſſe conſtat. Sed quæres, cur Adamus, qui creaturis nomina impoſuit, aquis non indiderit? Profectò antiquitate & nobilitate excellebat liquor, vtpotè materia de ſuo pura, ſemperque perfecta; verùm cùm creaturis aliis adæquè nobilibus Adamus largitus fuerit vocabula, aliquod latens myſterium quærendum eſt, cur aquarum non protulerit etiam elogia? Innuit Damianus: quia ſcilicet aquarum nomen iam reſonabat Mariam: *Congregationes aquarum appellauit maria:* (Lucæ 1.v.28) & teſte Luca *nomen Virginis Maria:* ergo vt ab Exordio conſtaret Mariam omnimodè non tam ad Adamum, quam ad Dominum pertinere, nomina rebus cæteris excudit; Mariæ tamen nomen non protulit: *Speciale Maria Domini*, aiebat Ambroſius lib. de inſtitution. virg. cap.5. *hoc nomen inuenit, quod ſignificat, Deus ex genere meo* (Ambroſ.) Conſonat Damian.ſerm.11. qui eſt de Annuntiat. *De theſauro diuinitatis Maria nomen euoluitur, & per ipſam, & in ipſa, & de ipſa, & cum ipſa totum hoc faciendum decernitur.* (Damian.) Profectò quam in creaturas iuriſdictionem haberet Adamus, teſtabatur nominis impoſitio; at Mariæ nomen de theſauris diuinitatis euoluitur: quia Mariam totam ad diuinitatem pertinere probatur. Reliquæ creaturæ cum Deo nullam cognationem habebant; at Maria iam in matrem ab æternitate decernitur. Ergo Deus, etſi reliquarum creaturarum nomina generali Adami poteſtati ſubiecerit, hoc nomen ſibi prouidentiſſimus aſſeruauit. Adeſt Chryſolog.ſerm. 146. *Maria mater vocatur, & quando Maria non mater? Congregationes, inquit, aquarum appellauit maria.* (Chryſol.) Hoc nomen ab initio Virginalem maternitatem, maternam virginitatem ſonabat: ideò Deus noluit per Adami ora de ſerpentis flatu inficienda proferri; ſed de theſauro diuinitatis euolui.

Cùm Ionathas iuuenili ardore inflammatus opus ſupra humanas vires ad ſpeciem aggreſſus inopinum prorſus Hebræis attuliſſet triumphum, Saül veritus, ne ſi populus cibis indulgeret, tanti triumphi gloriam amitteret, aut ſaltem differret, edictum edidit ſub maledicto, ne quis vſque ad veſperam quid tangeret aut aſſumeret: *Maledictus vir, qui comederit panem vſque ad veſperam, donec vlciſcar de inimicis meis:* Ionathas eo tunc ardore hoſtes inſequebatur, vt à patre diſiunctus legem non audierit, cúmque in amœnum agrum deueniſſet, qui fragrantibus fauis famem inuitabat, virgam melle intinxit, & ad ora conuertit: *Intinxit in fauum mellis & conuertit manum ſuam ad os ſuum.* Violata abſtinentiæ lege tanta repentè indignatio commota eſt, vt differretur victoria & populum cœleſtis adurgeret ſententia. Ionathas edicti conſcius imprudentiam patris condemnat: *Dixit Ionathas: Turbauit pater meus terram:* inconſultum, improuidumque patris damnaſſe conſilium textus indicat, & teſtatur Abulenſis q.10. Sed quæ fuit huius edicti inconſiderantia? Non excepiſſe, quod debuit, inquit Lyra: *Peccauit Saül non excipiendo, quod debuit excipere* Profectò imprudentia magna erat filium generali obieciſſe diſcrimini, nec cùm poſſet, priuilegiis ornaſſe: profectò etſi Ionathas præcepto non contrairet, diſcrimini iam manebat ſubiectus, & edicto generali concluſus: hoc ergo patris inconſiderantiam arguebat, & clariſſimè condemnabat. Si Saül prudentior, quantumuis de filij modeſtia ſperaret, legi non ſubiiceret: nam, vt accidit, etſi non incurrerit inobedientiæ peccatum, vtpotè legis inſcius, non vitauit vitæ periculum. Sapientior Moyſes cognatos exemit, ne Dei titulum fœdaret. 275. 1.Reg.14.v.24. Lyra.

276. Cùm populus idololatriæ libidine furens Deos ſibi dari exegiſſet, vitulumque adoraſſet, Moyſes, vt erat diuinæ legis zelotypus vitulum comminuit, & ſparſum in aquis potum filiis Iſraël dedit: *Arripiens vitulum, quem fecerant, combuſſit, & contriuit vſque ad puluerem, quem ſparſit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Iſraël.* (Exod.32.v.20.) Abul. q.30. putat puluerem in quemdam torrentem iniectum, vnde populus totus bibebat: *Fuit pul-* (Abulenſ.)

nis

Digitized by Google

uis huius vituli ſparſus in aqua, id eſt, *in quodam torrente, qui deſcendebat de monte Sinai,*
Abulenſ. *& tranſibat per caſtra, & patet Deuteronom. 9.cap. & proiectis pulueribus omnes filij Iſrael biberunt de aqua illa.* Itaque ſimul cum vitæ alimento vitæ nutriebantur periculo. Quærunt iam interpretes an Aaron de aqua illa biberit, & quamuis pro vtraque parte rationes afferantur, putarim de fratris conſilio aqua Aaronem abſtinuiſſe, aut prouidentia diuina nullatenus deguſtaſſe: eſſet namque indecens, ſi ad tantam dignitatem euehendus, appareret coram cæteris maculatus. *Si Aaron bibiſſet*, ſcribit Abulenſis quæſtione 32. *de aqua, & apparuiſſet in eo ſignum ſceleris, ſiue eſſet infirmitas, ſiue color aurearum barbarum, & non occideretur, maneret infamis inter alios, qui non manebant notati de hoc crimine, & ſic nunquam fuiſſet aſſumptus ad ſummum ſacerdotium, in quo requirebatur homo mundiſſimus, ab omni infamia immunis.* Patulis auribus audi quæ ſubiicit: *Sed aſſumptus fuit in ſummum ſacerdotium: ergo non apparuit in eo ſignum ſceleris, quod in cæteris apparebat.* Moyſes diuino pulſu motus fratrem, ne biberet, monuit, aut potum, vt reliquis Iſraelitis, non dedit: oportebat namque ad tantam dignitatis celſitudinem aſſumendum nulla macula infici, nec ad reliquorum ſimilitudinem infamari. Quod ſi Moyſes prudens videtur de cautela erga fratrem, Deuſque prouidentiſſimus de cura erga tam ſacrum miniſtrum, quis putet erga Mariam non ſolùm in redemptionis adminiſtram; ſed in matrem aſſumendam, ſolerti hac prouidentia caruiſſe, & generalibus maculis infamaſſe? *Tales*
Caſſiod. Aulici de moribus noti. *decet eſſe aulicos viros*, ſcribit citatus Caſſiodorus, *vt natura bona indicio frontis aperiant, & poſſint agnoſci de moribus, cùm videntur.* Ecce vel in miniſtris omnem puritatem quærit humana prudentia, & in matre admitteret maculam omnipotentia prouidentiſſima?

277. Cùm Thaſi quòd multa ab Ageſilao beneficia accepiſſent, diuinòs illi honores decernerent, prudentiſſimus Imperator legatos interrogauit, an illorum patria valeret homines conſecrare in Deos? Cùmque legati annuerent, illorum iam impudentiam coarguit, vt qui ſuos à mortalitatis legibus non eximerent; cùm eximere, quos placuerit illis, valerent: *Cùm*
Plutarch. *ei Thaſi* (verba ſunt Plutarchi in apophthegm. Lacon.) *quòd iudicarent multa ſe habere eius beneficia, delubra, & diuinos honores decreuiſſent, atque huius rei cauſa legationem miſiſſent, lectis, quos detulerant ei legati, honoribus rogauit, an patria eorum facere homines valeret deos? Annuentibus, agite, inquit, facite primùm vos: quod ſi feceritis, tum vobis poſſe & me Deum efficere credam.* Quàm ſapiens reſponſum! Mendacij illos arguit, vt qui ſuos mortalitatis legibus ſubiectos præterirent, & alios ſe poſſe ad diuinitatis euehere honores iactarent. Certè ſi ab originali macula matrem Chriſtus nullatenus exemiſſet, cùm Ioannes ad Iordanis vndas peccatum originale poſſe delere coram aſ-
Ioan.1.v.29. ſereret: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*, poſſet quis Ageſilaus reſpondere: Fac primum matrem liberam, quod ſi feceris, tum tibi poſſe & delictum originale mundi credam. Ergo cùm immota ſtet Ioannis veritas, cùm Chriſtus Dominus hominum originale redemptutus aduenerit, dubium non eſt matrem non ſolùm liberaſſe à culpa; ſed à culpæ contingentia.

---

§. LIX.

Cognatis præ reliquis eſt exhibendum officium, in his præcipuè, quæ pertinent ad virtutis augmentum.

NAturæ lex cognatis honeſta procurat 278.
commoda, & ſolicitanda teſtatur augmenta: vitio noſtro ſanctum adeò cognationis violatur præſcriptum, & adulteratur mandatum. Solet nimius cognatorum affectus æquitatis iniuria illis exambire commoda, & dignitatis ſitire faſtigia. *Inimica nobis ſunt*, aiebat Seneca Seneca.
epiſt.60. *vota noſtrorum, eò quidem inimiciora, quò ceſſere feliciùs.* Sic iniquo iudicio res noſtra cupiditas penſat, vt quidquid caducum, virtutibus anteponat, ſtudioſiſſiméque ſuis conſulere putet, ſi vel virtutis damno humanis infarciat commodis, & periculoſis onerarit diuitiis. Execrationes multoties ſunt; quæ videntur vota; eſſent quidem laudanda vota, ſi virtutis anhelarent augmenta. Cognatus; imò & amicitia coniunctus, ni reclamet honeſtas, aliis eſt anteferendus, & commoditatibus exornandus. Quod primum ſancta lex cognationis ſuadet, eſt conſanguineos virtutibus perpolire, & ad morum concinnitatem vigilanter excolere. Ecce Iudas ſtatim ac vicit hoſtes, Cinæos ad felicitatis ſuæ conſortium vocauit: *Aſcenderunt*, inquit textus, *de ciuitate Palmarum cum filiis Iuda in deſertum ſortis eius, quod eſt ad meridiem Arad, & habitauerunt cum eo.* Et cur præ aliis Cinæi ad Iudæ ſortem vocantur, & ſi fas eſt dicere, aſcendere compelluntur? Quia Moyſis cognati: ita textus: *Filij Cinæi cognati Moyſi.* Ecce Iudas affinitatis lege ſuadetur Cinæis conſulere, & aliis ad honeſta etiam commoda ſtudioſè præferre: fecit aſcendere ad ſortis commoda, quò ſtudioſiùs veram religionem colerent abiuratis idololatriæ erroribus, & depulſis vera luce ſectæ falſiſſimæ caliginibus. *Dicunt Hebræi*, ſcribit Lyra, *quòd illuc iuerunt* Lyra.
ad manendum, vt addiſcerent legem ab Othoniel, qui erat edoctus in ea. Ecce ad quid Iudas cognatos allexit, ecce quod illis augmentum religioſè curauit, virtutem ſcilicet: hoc enim præcipuè conſulit lex naturæ. Verùm, proh dolor! nihil apud homines inuſitatius, cùm humana commoda iuſtitiæ etiam detrimento exambiant conſanguineis ardentiùs.

Deus Iacobum iubet patriam repetere: il- 279.
le diuinum decretum vxoribus patefacit, eiſque annuentibus iter alacriter carpit: Rachel patris idola clanculum ſuffuratur, idololatriæ occaſionem præcidere cupiens: *Rachel fura-* Gen.31 v.19
ta eſt idola patris ſui. Quid tunc? Re comperta furore Labanus exarſit, vtque faciliùs recuperarit erroris ſimulacra, fratrum ſolicitauit auxilia: *Aſſumptis fratribus ſuis perſecutus eſt eum diebus ſeptem.* O quàm præſto erant fratres, vt Labano ſuppetias ferrent, ac ſtudiis eius conſulerent! Et quos putas religioſius leges cognationis ſeruaſſe, Rachelem ſuffurati idola, aut fratres Labani promouētes cōſilia? Profectò fratres

conſanguinitatis leges ad ſpeciem videntur im-
plete, dum itineris non recuſant moleſtias;
imò eaſdem ſuſcipiunt curas: *Aſſumptis*, inquir,
fratribus: dum furentem comitantur, dum ad
idola repetenda addunt vires, dum perſequun-
tur fugientes, ſe fratres & iactant, & oſtentant;
verùm ſola Rachel legem pietatis excoluit, quia
erroris occaſionem præcidit. Adeſt Theodoret.
Theodor. q.89. *Puto quòd ea furto abſtulerit: quia volebat*
patrem liberare ab impio dæmonum cultu: pieta-
tem enim eius ſatis docet ſcriptura diuina. Rachel
verè ſe filiam oſtendit, dum parentem ad verita-
tem adducere ablatis erroribus procurauit: alij
ſe cognatos falsò oſtentarunt, cùm iniqua ho-
Abulenſ. minis ſtudia iuuerunt: *Aſſumptis ſecum fratribus*
ſuis, ſcribit Abulenſis hîc, *id eſt illis, qui de cogna-*
tione ſua erant, qui fratres vocari conſueuerunt,
perſecutus eſt eum ſeptẽ diebus. Vt perſequeretur,
adſtiterunt fratres, cùm ab impio debuiſſent ar-
cere ſtudio, & conſulere, vt renuntiaret idolo.

280. Sapientia affabrè fabricatam domum lautis
celebrat menſis, & immolatis dedicat victimis:
Prou. 9. v. 1. *Immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propo-*
Tertullian. *ſuit menſam ſuam.* Tertullianus aduerſ. Gnoſt.
cap.7. legit: *ſophia iugulauit filios ſuos.* Externos
vocat ad conuiuium, & filios ad Numinis iugu-
lauit obſequium: non omnes iugulat; imò ſo-
los filios mactat. Profectò hæc ſapientia nomi-
ne tenus cui videatur ſapere, quando pruden-
tior videretur filios innutriendo, & exteros iu-
gulando: & cur celebretur ſapientia, quæ ſibi
ad ſpeciem factis contradicit, & ſe prudentiæ
edictis opponit? Imò ob id ipſum, inquit Ter-
tullianus, decantatur ſapientia: quia filios cæ-
teris præfert, & rationabiliter anteponit. Qui
iugulantur, mortalitatem exuunt, immortalita-
temque induunt, fragili priuantur vita; ſed co-
ronantur æterna gloria: ergo ſapientia, vt no-
men impleat, filios offert rationabili cultro, ex-
traneos cibat conuiuio: eſſet enim rationi diſſo-
num, ſi aliis ſtudioſè quæreret gloriam, & poſt-
poſitis apponeret filiis mẽſam: Audi Tertullian.
Sophia ſapientia eſt: ſapienter vtique iugulauit,
dum in vitam, & rationabiliter, dum in gloriam.
Addit poſt pauca: *O bonam matrem! Opto &*
ipſe in filios eius redigi, vt ab ea occidar: opto occi-
di, vt filius fiam; ſolùm autem iugulat filios ſuos.
Maternum piumque ſtudium ſæculis decantan-
dum oſtendit, dum virtutibus filios eminere cu-
rauit, & dum exteris antepoſuit. Indigna pro-
fectò materno nomine fuiſſet, ſi ſolùm filiis
immenſas ſitiret diuitias, & caducas diſcuperet
excellentias.

281. Ioannes diſcipulis ſuis Chriſtum oſtendit, &
agninam eius manſuetudinem commendauit:
duo ex diſcipulis ſtatim agnum ſequuntur, quo-
rum alter erat Andreas Petri chariſſimus frater:
Ioan.1.v.35. *Erat autem Andreas frater Simonis Petri, vnus*
ex duobus, qui audierant à Ioanne, & ſecuti fue-
rant eum: hic magiſtri alloquio oblectatus, &
inuenta veritate gauiſus ad fratrem geſtiens cu-
currit, vt fraternitatis leges impleret: Inuenit
hic primùm fratrem ſuum Simonem, & dicit ei:
Inuenimus Meſſiam, quod eſt interpretatum
Chriſtus, & adduxit eum ad Ieſum. Chryſo-
Chryſoſt. Epiphan. ſtomus & Epiphanius hæreſi 51. legunt: *Inue-*
nit hic primus fratrem ſuum Simonem: vt ſit ſen-
ſus: etſi duo Ioannis diſcipuli Chriſtum adie-
rint, & Meſſiam verum eſſe cognouerint, alter,
qui Andreas erat, diligentiſſimè procurauit fra-
trem ſuum adducere, antequam alter veritatem
illi enuntiaret. Itaque timuit Andreas, ne fra-
ternitatis iniuriâ Petrus ab altero veniret ad-
ductus, & adduceretur vocatus. Ita noſter Mal-
donatus: *Vt ſit ſenſus, illum inueniſſe fratrem* Maldonat.
ſuum, illique nuntiaſſe ſe Chriſtum vidiſſe, ante-
quam alter ille diſcipulus, qui cum ipſo ad Chri-
ſtum venerat, eum inueniret: quaſi voluerit
Euangeliſta ſignificare, Petrum non per alium,
quàm per Andream fratrem ſuum primum de in-
uento Chriſto nuntium accepiſſe. Andreas apud
Dominum hoſpitio receptus magno iam ad-
ducendi homines deſiderio tenebatur; verùm
primum cucurrit ad fratrem, ne naturæ viola-
ret iura, ni hæc fratri prouidiſſet augmenta.
O quàm Andreas honeſtæ cognationis eſt re-
gula, quàm imitanda conſanguinitatis eſt nor-
ma! Geſtiuit alium præuenire, & fratri verita-
tem nuntiare, vt doceret fratres, cognatoſque
reliquis anteponendos, in his præcipuè, quæ
ad virtutis ſpectant culmina, & ad ſanctitatis
faſtigia.

Moyſes diuini honoris percitus zelo Leuitas 282.
iubet gladios prænſare, idololatraſque ob ad-
miſſam culpam occidere: *Ponat vir gladium ſu-* Exod.32.
per femur ſuum: ite, & redite de porta vſque ad v.27.
portam per medium caſtrorum, & occidat vnuſ-
quiſque fratrem, & amicum, & proximum ſuum.
Diuus Gregorius locum hunc ad mores ada-
ptans 3. lib. Paſtoral. cap.26. gladium ait eſſe
prædicationis ſtudium, quo homines occidun-
tur, dum à criminibus ſeparantur: adeò namque
homines ſua ſcelera amant, vt putauerint carere
ſe vita, ſi ſe nudauerint culpa: plus videntur
ſibi viuere peccando, minùs viuendo. Itaque in
ſcelera Leuitæ iubentur armari, & fratres ſem-
per præferre. Non ait textus: Occidat vnuſ-
quiſque proximum, & amicum, & fratrem; ſed
è contra, *Fratrem, & amicum, & proximum*
ſuum. Et quidem ipſa naturæ lege frater vide-
batur poſtponendus, & loco vltimo trucidan-
dus; & tamen Moyſes prius fratris ſanguine
imperat gladium rubere, & ante alios auidiſſi-
mè occidere. O ſapientiam immortalem! vbi
de extirpandis agitur vitiis, ordo tenendus
præſcribitur, ne lex naturæ violetur: indignum
namque eſſet, ſi Leuita prius amicum proxi-
mumue vitiis purgaret, & loco vltimo à fratre
vitia reſcinderet. Ergo vt illæſa naturæ ſeruen-
tur iura, fratris primum reſcindi iubentur ſce-
lera. *Hos interficit*, verba ſunt Gregorij, *quos*
puniendos inuenerit ab increpationis gladio, nec eis, Gregor.
quos per cognationem carnis diligit, parcit. Si ergo
ille Dei dicitur, qui ad ferienda vitia zelo diuini
amoris excitatur, profectò eſſe ſe Dei negat, qui
quantum ſufficit, vitam carnalium increpare recu-
ſat. Ecce verus Dei Leuita non parcit cognato-
rum criminibus; imò ne ſibi ipſi irrogarit in-
iuriam, primam in ſuorum ſcelera exercere co-
natur pœnam. Reliquis ad increpationem fra-
ter præponitur; ne iniuria cognationis legibus
irrogetur.

Duobus fratribus Chriſti Domini patrue- 283.
libus ſedis primatum Dominus non ſolici-
tat, imò anxiè diſcupientibus denegat:
Neſcitis quid petatis. Componamus, ſi pla- Matth.20.
cet, cur alibi non ſine feſtinatione patrue- v.22.
lem voluit præferre, qui modò Ioanni con-
feſſus præminentiam non vult largiri? *Exur-* Lucæ.1.v.39.
gens, inquit Lucas, *Maria in diebus illis*
abiit

Digitized by Google

abiit in montana cum feſtinatione in ciuitatem Iuda, & intrauit in domum Zachariæ, & ſalutauit Eliſabeth. Ecce modò cucurrit ad Ioannem, qui vetat ad ſe Ioannem alterum currere. Si Chriſtus Dominus feſtinat cognatis primum exhibere officium, cur petentibus cognatis denegat thronum? Vt oſtendat, inquit Origenes, cognatos primum debere ſortiri locum, non in iis, quæ ſpectant ad ambitionis vota; ſed ad virtutis augmenta: Origen. *Ieſus*, inquit Origenes apud D. Thomam, *qui in vtero illius erat, feſtinabat adhuc in ventre matris Ioannem poſitum ſanctificare.* Baptiſta originali culpa deturpabatur: ergo conſanguineus feſtinanter per montana cucurrit, vt illi ſalutem animæ procuraret; at Ioannes alter vana caducæ dignitatis ambiebat culmina, ideò Chriſtus, etſi cognatus, huiuſcemodi docuit minimè fouenda vota.

§. LX.

Cognati amicique recedent, ſi premat calamitas; aderunt, ſi fulgeat felicitas.

184. Sapiens ſe contentus erit, non ſolùm vt ſapientiæ munus impleat; ſed vt fruſtrandæ ferè ſemper ſpei à ſe moleſtias depellat: lex cognationis amicitiæque vtrumque amicum conſtringit; expertus verò quæ ad ſe pertinent, ſtudiosè adimplebit, quæ ad alium, nec præſumet, nec deſperabit. Ferè ſemper ſe reſpicit, quæ vulgò dicitur amicitia, & ipſa conſanguinitas colitur, ſi vtilitatis ſit vena. Cui fauſta arridet fortuna, ingens circumdabit cognatorum, amicorumque copia; at ſi mutentur vices, apparebunt bracteati, & ad ſpeciem ſolùm amici. Quàm benè Seneca Seneca. epiſt. 9. *Florentes amicorum turba circumſidet, circa euerſos ingens ſolitudo eſt, & inde amici fugiunt, vnde probantur.* Dum ſpes floret, & adulatio vigebit: aurum vtilitaſque familiaritatis ſunt proxenetæ, languet ſimulatus affectus, ſi vtilitatis deſperauerit fructus. Irridet ea ipſa epiſtola Epicurum Stoicus, vt qui ſibi vellet parare amicum coniecto in vincula opitulantem, ægroto aſſidentem, quando hæc ipſa, ad quæ paratur amicus, amicitiam abrumpunt; imò aliquando diſtantia procuretur, exitiale in odium conuertunt: cauſæ reſiliendi colorantur, & occaſiones non ſolùm ſtudiosè quæruntur; ſed conſultò elaborantur: *Sapiens etiamſi contentus eſt ſe; tamen habere amicum vult, ſi ob nihil aliud, vt exerceat amicitiam, ne tam magna virtus iaceat: non ob hoc, quod Epicurus dicebat in hac ipſa epiſtola, vt habeat qui ſibi ægroto aſſideat, ſuccurrat in vincula coniecto, vel inopi.* Vt Boreas acriùs adſpirans nubes diſpergit, & ad remotiſſima loca mittit, ſic calamitas amicitiam diſſoluit, & de amico inimicum cudit. Benè vulgus quia amicitiæ leges adulteratas cognoſcit, temporarias appellauit: *Parauit amicum aduerſus vincula laturum opem, cùm primum crepuerit catena, diſcedet. Hæ ſunt amicitiæ, quas temporarias populus appellat.* Profectò de cognatione, de amicitiaque fit negotiatio, & ferè nemo cognatum, aut amicum ſic colit, vt auri & argenti venam non amet: & vti dum auri vena diuitias miniſtrat, colitur, & vſque ad profundiora terræ indagatur; vtque iam exucca derelinquitur; imò faſtidiosè ſpernitur; ſic amicus dum ſpem nutrit, & allicit. Filij Hobab de ciuitate palmarum aſcendentes Iudæos adeunt, quibus cum pacate commorantur, & bonis communibus perfruuntur: *Filij Cinæi cognati Moyſi aſcenderunt de ciuitate palmarum cum filiis Iuda in deſertum ſortis eius, quod eſt ad meridiem Arad, & habitauerunt cum eo.* Vides Cinæos non adſcitos ad Iudæ ſortem inuolaſſe: tranſi ad Numer. 10. & inuenies Iſraëlitarum conſortia exoratos reſpuiſſe: *Dixit Moyſes Hobab filio Raguel Madianitæ cognato ſuo. Proficiſcimur ad locum, quem Dominus daturus eſt nobis: veni nobiſcum, vt benefaciamus tibi: quia Dominus bona promiſit Iſraeli.* Numer. 10. v. 29. Quid tunc? Ille reſpondit: *Non vadam tecum; ſed reuertar in terram meam, in qua natus ſum.* Abulenſ. Quærit Abulenſis quæſt. 17. in 1. Iudic. cur qui anteà Iſraëlitas etiam rogati comitari noluerunt, modò non aſciti inuolatunt? Reſpondetque Iudæ tribum iam potitam victoria, iam triumphalibus lauris redimitam; ideò modò inuolaſſe, & anteà animitus reſpuiſſe: priùs textus Iudæ narrauit victoriam: *Oppugnantes filij Iuda Ieruſalem ceperunt eam.* &c. Dum victoria vident potitos, conteſtantur ſibi cognatos; at cum armis opus erat in inimicos irruere, cùm ſi non pericula, labores tamen certaminis ſuſtinere neceſſum erat, varias prætexerunt excuſationis cauſas, vt à ſe propulſarint moleſtias. Audi Abulenſem: *Cum ſtetiſſet in deſerto montis Sinai cum Moyſe, rediit inde in terram ſuam Madian, vt ibi moraretur: quia cùm ipſe eſſet ſenex, & ſciret, Hebræos toleraturos eſſe multos labores acquirendo terram de manibus hoſtium fortiſſimorum, noluit in ſenectute ſua videre dolorem, & quotidianam ſolicitudinem.* Ecce dum bellicos odoratur labores, importunis precibus inuitatus recedit; at cùm videt victoria glorioſos, ac exuuiis onuſtos, non ſolùm non expectat acciri; ſed cognationem omnem præcipit inuolare: *Sciens ſocerum ſuum*, addit Abulenſis, *& nepotes principes gentis tam magnæ Hebræorum, qui confidebat omnes hoſtes ſubdendos, ſicut colligitur ex verbis eius Exodi 18. iuſſit poſteris ſuis, quod irent cum Iſraëlitis in terram Chananæorum.* Abulenſ. Totam familiam dum proſperitas alliciebat, ſuos ad cognatos remiſit, cùm dum circumſonarent bella, ipſe ſolus opitulari noluerit. O nimis verum! Quiſque ſtudiosè tendit, vbi ſpes vocat; at vnde vrget labor, perpeti violatu recedit. Si placet aliam humani cordis degenerem induſtriam hoc in loco denotemus. Filij Cinæi vtpote cognati Moyſi, Leui tribui coniunctiores, quàm Iudæ erant; & tamen non Leuitis; ſed Iudæis ad habitandum accedunt: *Cum filiis*, inquit, *Iuda.* Ecqua huius cauſa? Quia, vt dicebamus, Iuda tribus iam triumphis coronata, auroque copioſa: quæ ergo probatur copioſior, & colebatur affinior, quaſi affinitas, conſanguinitaſque non tam vena fundetur originis, quàm fortuna proſperitatis.

185. Memoriam modò ſubit Petrus Chriſti Domini amiciſſimus: vidit in vincula coniectum, inimicis proditoriè traditum, & à longè ſequebatur: *Tenentes Ieſum duxerunt ad Caipham Principem ſacerdotum, vbi ſcribæ, & ſeniores conuenerant; Petrus autem ſequebatur eum à longè vſque in atrium Principis ſacerdotum.* Matth. 26. v. 57. Vinctum, ne refractarius videretur, à

Digitized by Google

longè ſequebatur; hoc tamen ſolùm vſque in atrium Principis ſacerdotum: nam quo paſſu augebatur periculum, lentius erat ſequendi votum: quod & euentus clariſſimè oſtendit: nam vbi appetere diſcrimen coniecit, exertis magiſtrum vocibus denegauit: *Ille negauit coram omnibus.* Vides à longè ſequentem, vides denegantem: intuere modò ipſum Petrum, qui cum ſcapha ventorum vi agitaretur, & naufragia per momenta timeret, Dominum ſuper ſpumoſos vortices ambulare conſpiciens, pia impatientia ſocios deſeruit, vt ad Chriſtum properarit:
Matth. 14. v. 21. *Deſcendens Petrus de nauicula ambulabat ſuper aquam, vt veniret ad Ieſum.* Ecce modo properat ſuper aquas ambulanti adhærere, quem catenis conſtrictum non erubuit denegare: ecce vna eademque actione noſtram Petrus theſim confirmat: fratrem ſcapha periclitantem relinquit, & de vorticibus triumphanti intrepido gradu accedit: ecce cui modò accedit miraculo reſplendenti, adiungi noluit periclitanti. O expreſſum humanæ conditionis exemplum! Vel frater relinquitur, ſi tempeſtas vrgeat; amicus aditur, dum fortuna placida allectat. Huc voco
Auguſt. quod aiebat Auguſtinus apud D. Thomam ad Matth. 14. *Agnouit Petrus quid ſibi eſſet à ſe, quid ab illo, cuius voluntate ſe credidit poſſe, quod nulla humana infirmitas poſſet.* Adſtipulatur ibi
Chryſoſt. Chryſoſtomus: *Non ſolùm credidit quoniam poteſt Chriſtus ambulare ſuper mare; ſed quoniam poteſt & alios inducere, & concupiſcit velociter ad eum ire.* Vbi intuetur magnum potentemque, ad eum tendit velociter, vbi in vincula coniectum, fugit. Vt verum ſit, quod aiebat Seneca: *Cùm primùm crepuerit catena, diſcedet.* Quid fratre coniunctius? Et tamen Petrus tempeſtate agitatum deſerit, & ad Chriſtum vndis imperantem adit.

186. Mirè mihi theſim probat ille infeliciſſimi Abſalonis caſus: pompam ſibi parat, vt cauſas pro-
2. Reg. 15. v. 1. ditionis paulatim diſponat: *Fecit ſibi Abſalon currus & equites, & quinquaginta viros, qui præcederent eum.* Non multò poſt proditionem aperit, & conclamatum regem ferè omnis populus colit: *Populus currens augebatur cum Abſalon:* certatim inuolabant, & in amicos recenſeri cupiebant; verùm vt inſtabilis eſt fortuna iniquorum præcipuè, dum fugit hoſtes, à quercu
2. Reg. 18. v. 9. ſuſpenſus detinetur, & detentus irretitur: *Adhæſit caput eius quercui, & illo ſuſpenſo, mulus, cui inſederat, pertranſiuit.* Vel mulus cui inſidebat, ſuſpenſum deſeruit, & periclitantem tranſiuit. Non modicum occurrit dubium, quomodò inter tot Abſalonis copias nullus fuerit, qui ſuſpenſo ſuppetias tulerit, & præciſis ramis vitam Principis inſtaurarit. Vidit inimicus pendentem, vt confoderet, vidit gregarius miles, vt denuntiaret, cùm è ſuis viderit nullus, vt ſubueniret. O quàm perſpicacior eſt odij, quàm amoris acies! O quàm, vt lædat, acutior eſt inimici viſus, quàm vt ſubueniat deuoti aſpectus! Nullus ex tot amicis, ex tot modò ambitioſè ſequentibus Abſaloni adhæſit, dum ramis pendentem vidit, imò ob id, quia ramis pendere vidit, adhærere detrecta-
Chryſoſt. uit. *Pro fune quidem*, inquit Chryſoſtomus in Pſalm. 7. coma, *pro ligno autem arbor extitit, pro milite autem adduxit eum mulus.* Erat iam verſa fortuna, pendebat ligno vti carnifici traditus, & quem cunctus populus ſtudioſis proſequebatur votis, dum ſuſpicabatur regia dignitate fulgere, dereliquit ſimili ardore, dum vidit aliam fortunam ſubire.

Iob nocti illi tot calamitatum cauſę mala im- 187.
precatus aiebat: *Noctem illam tenebroſus turbo* Iob 3. v. 6.
poſſideat, non computetur in diebus anni, nec numeretur in menſibus: Obtenebrentur ſtellæ caligine eius, expectet lucem, & non videat, nec ortum ſurgentis auroræ. Profectò Iob veluti furore percitus, ab omni prudentia & cenſeri potuit alienatus: ſi menſis noctibus veluti membris conſtruitur, ſi ſtellæ noctis cognatæ, quomodò poterit à menſe expungi, & luce ſyderum interdici? Poteruntne ſtellæ nocti non afferre ſolatium? poteritne menſis partem ſibi præcidere, & noctem hanc de noctium numero expellere. Audi quid nocti imprecetur, tenebroſum ſcilicet turbinem: *Noctem illam tenebroſus turbo poſſideat:* Quæ ergo addidit, non tam fuerunt nouę calamitatis deſideria, quàm euentus futuri clariſſima teſtimonia: quaſi dicat Iob: ſi nox illa confuſa tempeſtatis procella, aduerſaque prematur fortuna, nec menſis ſui partem agnoſcet, nec cognatum ſydus auxiliari luce illuſtrabit: deget ſolitaria non ſolùm à diebus ſibi oppoſitis ablegata: ſed à menſe etiam ſtudioſiſſimè expuncta: *Non numeretur in menſibus.* Hac menſis nocte gaudebit carere, ſi calamitoſis agnouerit turbinibus agitari. *Quaſi dicat*, ſcribit Angelicus D. Thom.
Doctor lect. 1. *Congruum fuiſſet noctem illam tenebroſo turbine poſſideri, vt vita mea conqueret, quæ tanto aduerſitatis turbine conuoluitur: deinde remouet ab ea illa, quæ pertinere videntur ad bonum noctis.* Dum calamitoſam ſuæ ad inſtar vitæ noctem enuntiat, boni nihil habituram declarat: menſis illam ignorans expunget, ſtellæ deſpicient, & ſolitaria ſordebit.

§. LXI.

Ille præ aliis veritatis ac virtutis magiſter eſt deligendus, qui triumphis, & virtutibus emicat laureatus.

Illius animum indue, aiebat Seneca epiſt. 64. 188.
qui quærit vbi ſe experiatur, vbi virtutem ſuam Seneca.
oſtendat. Virtus crede mihi, non tam ſugitur auribus, quàm luminibus: inardeſcit animus glorioſis aliorum actionibus prouocatus, & honeſta æmulatione ac laudabili inuidia nititur exæquare, quem reportatis de vitio triumphis conſpici refulgere: docet quidem aliquãdo delicatus patienter ardua vincenda, & difficultatum obſtacula ſuperanda; verùm neſcio quid ipſa doctrina à doctore fugit, quo eneruata nec vrget animum, nec virilem efficaciter perſuadet deliciarũ conteptum. Qui manu alios erudit, vti egregius Doctor quęrendus, & patulis auribus auſcultandus: adi virtutis doctorem, qui nõ ſolùm ſcientiæ reſplendeat laude; ſed qui fulgeat virtute: audacter edocet fugere voluptatis deliria, vitiorumque deſpicere irritamenta, qui pro virtute fortis iniuit cum voluptate certamina: plurimũ adurget videntem triũphus, & neſcio qua energia reportata impellit victoria, qua caret ſola doctrina: illius animus induendus eſt, qui ſe factis magiſtrũ probat, nec ſolùm eruditione cõmendat. En filij Cinæi abiurata idololatria, veræ religionis auidè quærũt doctrinam, & antiquis deſertis nidulis ad Hebræorum inuolauerunt ſcholam: *Filij Cinæi cognati Moyſi aſcenderunt de ciuitate palmarum cum filiis Iuda in deſertum ſortis eius.*

Quærunt

Digitized by Google

Lyra. Quærunt interpretes quem legis delegerint ſibi doctorem; aſſeruntque Othonielem adiiſſe. Ita Lyra: *Dicunt Hebræi quòd illuc iuerunt ad manendum, vt addiſcerent legem ab Othoniel, qui erat doctus in ea.* Sed quæramus modò, cur præ aliis Othoniel quæritur, & à cognatis Moſis eligitur? Dubitationi ſanè reſpondit textus: quia Othoniel ſcilicet vicit legis aduerſarios, religioniſque inimicos: *Abiit ad habitatores Dabir,* inquit textus, *cuius nomen vetus erat Cariath. Sepher, id eſt, ciuitas litterarum: dixitque Caleb: Qui percuſſerit Cariath Sepher, & vaſtauerit eam, dabo ei Axam filiam meam vxorem. Cumque cepiſſet eam Othoniel,* &c. Ecce Othoniel hoſtes veritatis oppugnat, dogmataque falſitatis exterminat: hic ergo præ cæteris veritatis quæritur doctor: quia vitiorum eſt præ reliquis expugnator. Sapienter quæritur, qui virtutes doceat pugnando; non ſolùm de virtutibus diſſerendo.

289. Diues ille, dum fratribus cæleſtem ad ſpeciem ambit doctrinam, mittitur ad Moyſis ſcholam: Luc. 16. v. 29. *Habent Moyſem,* inquit Abrahamus, *& prophetas, audiant illos.* Et cur Moyſes præ aliis magiſter veritatis deligitur, & doctor religionis ſignatur? Quia ſi hiſtorias recolas, videbis omnem à Moyſe impietatem euerſam, Ægyptiamque prauitatem nigris maris vorticibus traditam. Inſequebatur Pharao fugientes, & cùm vndas obſequium virtutibus exhibentes vitreos durari nequiſſimus Pharao contemplaretur in muros, quod exhiberi virtuti vidit obſequium, potentiæ etiam temerarius præſumpſit exhibendum officium; verum vbi marinos vortices cupiditate agitatus ingreditur, & marinis vorticibus ſepelitur. Exod. 14. v. 27. *Cùm extendiſſet Moyſes manum contra mare, reuerſum eſt primo diluculo ad priorem locum, fugientibuſque Ægyptiis occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Dominus in mediis fluctibus.* Vides Moyſem virtutis hoſtes vndis properantibus obruiſſe, vorticibuſque oblitteraſſe: hic ergo iure magiſter virtutis præſcribitur, & docendis hominibus deſignatur. *Moyſes populi magiſter,* ſcribit Seleucienſis orat. 9. Seleucienſ. *creatus diuinæ cognitionis documenta tradit... Hic eſt conſcriptor arcanorum creaturæ: qui mundi conditionem libro complexus eſt, qui longe latéque vagantem per creaturas impietatem compeſcuit, qui crimine creaturam exoluit.* Ab Abrahamo optimo quidem parente Moyſes deſignatur doctor, & iure quidem: nam qui nouit virtutis deuincere dignis actionibus aduerſarios, vel ipſa manu virtutem docebit oculos. Ergo iniqua diuitiis vota corripiuntur denegata, & Moyſis adeunda omnibus deprædicatur ſchola. Vbicumque veritas illuxerit, amplectenda eſt; verùm neſcio quem illi leporem adiungit triumphis coronatus, & ſpoliis dignis onuſtus.

290. Nicodemus Iudæorum Princeps cæleſti deſiderans imbui myſteriorum notitia, Chriſtum Ioan. 3. v. 2. Dominum adit noctis præſtolatus ſuffragia: *Venit ad Ieſum nocte.* Non ſemel ſolent mundi magnates erubeſcere virtutibus conſentanea; & inſipienter oſtentare prudente indigna: vitiis gloriantur, virtutibus confunduntur: ſic ordo inuertitur, ſic natura à diuitibus deprauatur. Sed quid illum impulerit, attendamus. *Rabbi,* inquit, *ſcimus quia à Deo veniſti magiſter: nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo:* O quàm ſe diſertum oſtendit, cùm ad virtutes addiſcendas eximij virtutibus adiit ſcholam, & audite anhelauit doctrinam! Nicodemus nondum agnoſcebat Deum; ſed putabat iuſtum, & quamuis obſcuro habitu, virtutibus clariſſimis inſignitum. Hunc ergo adiit; non ſapientiam buccinantes, & vanitate turgentes. Multi Ieroſolymis tunc cathedras inſcendebant, & Scripturarum myſteria pro officio ad ſpeciem ſapientiſſimè reſerabant; at Nicodemus vti prudentiſſimus magiſtrum delegit ad virtutes addiſcendas virtutibus exornatum, & miris perfectionis prærogatiuis excultum. Adeſt Beda apud D. Thomam: *Venit ad Ieſum nocte, cupiens ſcilicet ſecreta eius allocutione plenius diſcere myſteria fidei, cuius aperta oſtenſione ſignorum iam rudimenta perceperat.* Bedæ. Melius inſtruitur quem diuini verbi vox alloquitur, poſtquam miraculis eruditur: miracula cæleſtis ſcientiæ ſolùm Principi tradiderant rudimenta; pleniorem doctrinam Domini tradiderunt colloquia. O quàm difficulter ſæculares Principes cæleſtem accipiunt doctrinam, quando ex illis vnus vel poſt à Domino egregia patrata miracula virtutis ſolùm perceperat rudimenta. Sed ne Nicodemi factum exprobremus, quando cæleſti iam inſtructus lumine noctem ab infamia vindicauit, dum inuigilauit virtuti. Profectò ſæculi Principes temporis officia peruertunt: ardenti Sole dormiunt ignaui, & alta nocte vitiis inſeruiunt vigilantiſſimi. Verùm Nicodemus quæ alij tempora dedicauerunt ſæpiſſimè crimini, aliquando quærendæ adſcripſit virtuti. Itaque Nicodemus ſuo nos opere docuit ſolerter virtutibus ſtudere, & magiſtrum triumphantem de natura perquirere. O quàm aptus erat virtutibus edocendis, qui infirmæ naturæ leges deſpiciebat, & miraculis reformabat.

Thronus Ioanni obiicitur, in quo libet vti 291.
profundiſſimis myſteriis plenus, ita muniebatur & ſigillis obſignatus: pulſabatur Ioannes myſteria diſcendi ſtudio, cùm audit agnum pro magiſtro deligendum, & auſcultandum: *Dignus es Domine accipere librum, & aperire ſignacula eius.* Apocal. 5. v. 1. Et ne elogium non tam à merito profectum videretur, quàm ab affectionis ſtudio, rationem reddunt: *Quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & feciſti nos Deo noſtro regnum, & ſacerdotes.* Illos ſacerdotes ſe exhibere oſtendit, qui occiſus eſt agnus. Et cur hoc munus à leone non diſcunt? Quia leo non refertur oblatus; ſed agnus deprædicatur occiſus, cumque Sacerdotis munus ſit ſe ipſum Domino offerre, ab illo didicerunt officium, à quo & acceperunt exemplum: *Sacerdotes,* inquit Lyra, *hoſtias laudis Deo offerentes.* Lyra. Agnus, qui, teſte Paulo, hoſtiam ſemetipſum obtulit, homines edocet fieri ſacerdotes, ſeque mortificationi dicare, & virtutibus inſeruire. Dignus eſt agnus cæleſtem ſcientiam edocere, & arcana ſignacula reſerare, quando proprio ſanguine apparet aſperſus, & pro virtute immolatus: *Chriſtus,* ſcribit Ambroſius hic, Ambroſ. *quando ex virgine natus eſt, quando paſſus eſt, & reſurrexit, & in cælum aſcendit, librum veteris teſtamenti aperuit:* tuguriolo natus docuit paupertatem in Scriptura laudatam, & Hebræorum populo ignotam: crucem paſſus edocuit mortem contemnere, & de morte vitam eripere: agnum ergo in magiſtrum inaugurant, dum Deo adſpiciunt approximan-

Digitized by Google

tem, & præcepta perfectionis operibus adimplentem.

292. Diues ille, qui ſeruum in flammis accepit ſenſum, importunis precibus exorabat, vt Lazarus ad fratres edocendos mitteretur, ne vt ipſe voluptatibus dediti, & facultatibus copioſis onuſti deuenirent ad tartara auri pondere deiecti, & ipſis voluptatibus obcæcati: *Rogo ergo te, pater, vt mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres, vt teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum.* Magnam emphaſim habet illud *&*: ac ſi dicat: ne & ipſi, vt ego, diuitiis ac voluptatibus addicti æternis diſcrucientur ignium globulis diuexati. Sed inquiramus cur non ipſum Abrahamum ire precetur, cur ſe ipſum mitti non poſcat; ſed delegari Lazarum exigat. Nonne à fratre auidiùs documenta perciperent? Nonne ſtudioſiùs Abrahamum diuitem auſcultarent? Ire ipſe non vult: quia nouit vitiis iſtinctum, virtutis indignè ſuſcipere magiſterium: non depoſcit Abrahamum diuitiis olim exundantem: quia doceri cupiebat diuitiarum contemptum, Lazarum verò deſiderat eximium paupertatis cultorem, qui ad alendam vitam exiguas micas deſiderabat, & guttam aquæ ſolummodò diſcupiebat: hunc elegit vti optimum paupertatis, & contemptus voluptatum magiſtrum: quia & paupertatis exiſtebat exemplum. Profectò Lazaro ad paupertatem docendam opus non erat lingua, quia propria compellebat inopia. Paupertatem docebit qui Euangelica inopia claruit. Aptè Auguſtinus apud D. Thomam: *Lazarum petit mitti: quia ſenſit ſe indignum, qui teſtimonium perhibeat veritati.* Opus erat liberari fratres à cæco diuitiarum amore: ergo diues, qui diuitias adeò ſitiuit, & coluit, ſe indignum credidit; inopem verò Lazarum paupertatis magiſtrum deſiderauit. Diſcat qui pro munere ſuo alios virtutibus cogitur erudire, ſtudioſè virtutes exercere: aliter namque, vt dicunt, oleum & operam perdet, & ſuo ſe magiſterio confundet.

Lucæ. 16. v. 27.

Auguſt.

§. LXII.

Virtus in exordio micat non ſemel feruentior; ſed paulatim tempore elanguet remiſſior.

293. Mirum eſt cum annorum prolixitate de conſtantia meritorum pugnare, mirum eſt, ſi fama inueniatur ſemper floridior, vbi annorum prolixior tractus; marcent ferè omnia temporum impetita ſucceſſibus, & tacitis langueſcunt annorum adſultibus: Sol poſt confuſas noctium tenebras croceo ſplendore fulget micantior; ſed occaſui vicinus tenebreſcit obſcurior: diuinitati proximat, qui neſcit temporum lapſum, & ignorat ſæculorum defectum. *Dignè laudum*, aiebat Caſſiodorus 8. var. 21. *cùm volueris, nouitates emittit, qui ſe actionis probitate compleuit. Natura perennis fontis eſt gloria vena laudabilis: nam ſicut ille fluendo non expenditur, ſic nec iſta celebri ſermone ſiccatur: quod etſi tranſacta cenſeantur, noua probaris ſuggerere quæ dicantur: qui cum ætate creſcis ſemper & meritis: curſu annorum laudis tibi procurat augmentum: ſeneſcis quidem corpore; ſed laude iuueneſcis: meritò tibi prolixior ætas optatur, in qua fama ſemper robuſtior inuenitur.* Ferè diuinum commendauit, cùm annorum tractibus virtute nullatenus ſeneſcere aſſeruit, cùm frequentiſſimum ſit, quidquid creatum, robuſtius inueniri principio, & annorum prolixo detrimenta ſentire numero: Iudas in aduerſarios armatur: ingentem pugnatorum copiam coëgit Allophylus; ſed illi ingens hoſtium terrorem incutere non valuit numerus. Gloria ſingularis fuit armis muniſſimos barbaros aggredi, & terrore fugientes feliciter comprehendere: victorias obtinuit non tam numero, quàm animo: quia ſuos optimis informabat moribus, concidit hoſtes intrepidis certaminibus: *Cepit Iudas Gazam cum finibus ſuis, & Aſcalonem, atque Accaron cum terminis ſuis.* Ciuitates has à Philiſthæis poſteà occupatas; imò & Dei Arcam ab illis captam refert Scriptura 1. Reg. 5. *Miſerunt arcam Dei in Accaron.* Ecce Accaron ab Iſraëlitis modò expugnata, Allophylis poſteà gloriabitur reſtituta. Ecqua huius ratio eſt? Quia Iudas initio virtute florens inimicos euertit, & paulatim tempore elanguit: & Philiſthæi recuperauerunt temporum tractu, quas amiſerant ciuitates initio: *Oportet dicere*, ſcribit Lyra, *quòd Philiſthæi recuperauerunt eas* (Scilicet ciuitates) *quia ibi dominabantur tempore Heli, vt dicitur* 1. *Reg.* 5. Primis congreſſibus Iudas redimitus eſt triumphis; ſed precedente tempore, dum potitur populus parta victoria, marceſcit etiam ignauia, & Philiſthæi valuerunt recuperare ab ignauo, quas oppugnari conceſſerant ciuitates ſtrenuo. Primo impetu fugati ſunt Philiſthæi; ſed dum ſenſim irrepunt, paulatim augentur, & amiſſas recuperant ciuitates iam aucti, ſi initio verterant terga ignominiosè deuicti.

Caſſiod.

Fontis gloria eſt curſus perennis.

1. Reg. 5. v. 10.

Lyra.

294. Zara cum fratre de primogenituræ dignitate decertans adeò ſe ſtrennè geſſit, vt victoriæ præmium manus, antequam ortus fuerit, extulerit: *In ipſa effuſione infantium vnus protulit manum, in qua obſtetrix ligauit coccinum dicens: Iſte egredietur prior.* Hic ipſe victoriæ laude decantatus manum contraxit, & fratri ceſſit: *Ille verò retrahente manum egreſſus eſt alter.* Plura ex hoc partu prodierunt nobis arcana: Zara namque initio Chriſti ſanguine gloriabatur, & dum arctior, videbatur ſibi glorioſior; at citiſſimè coccinum erubuit, & ligaturam dedignatus abſcondit. *Vnus ille*, ſcribit Rupertus lib. 8. in Gen. cap. 31. *qui primò manum protulit, Iudaeus eſt, qui primus legem accepit, & cui primum oportebat loqui verbum Dei; at ille repulit illud, & indignum ſe iudicauit æternæ vitæ: manum ergo coccino ligatam citò retraxit.* Initio & floruit, & vicit, & viguit; ſed poſteà laborem pertæſus certamine abſtinuit, & ignauia triumphos glorioſiſſimos obſcurauit. Plures inuenias, qui virtutis iter alacri greſſu; imò celeri initio volatu carpant; ſed mediis in conatibus ſiſtuntur, & iam ſibi pludentes, aut carnis cupiditatibus adulantes gradum demonſtrant potius quàm explicant: non horrent maculis infici, & defectibus denigrari, & cùm priùs contra vitia inuenirentur robuſti, à vitiis poſteà inueniuntur ſubiugati.

Geneſ. 38. v. 7.

Rupert.

295. Patriam repetebat Iacob, cùm iuxta fluuium remotis arbitris vir occurrit, & ad certamen

com

Geneſ 32. v.24. compellit: *Ecce vir luctabatur cum eo vſque mane.* Egregio illo certamine exertis adeò viribus Iacob inimicum ad ſpeciem defatigauit, vt ad inducias petendum quodammodo impulerit: aurora iam candidis tædiis redimita apparebat, & luctator dimitti obnixè rogabat: inſtitit Iacob certamini, & nomen accepit grandius, & priori certamine comparato nobilius: *Nequaquam, inquit, Iacob appellabitur nomen tuum; ſed Iſraël.* Inquiramus, ſi placet, cur iam cæleſtis curiæ ciuis habeatur, & nomine adeò glorioſo donetur. Vicerat quidem anteà vitium maternis in viſceribus deprælìatus; nec tamen Iſraëlis nomen ſortitus eſt, cùm difficilius videatur tenera ætate triumphos egiſſe, quàm valida reportaſſe: cur ergo iam Iſraël, qui anteà Iacob appellatus? Quia initio non erat inſolitum, ſcribit Gloſſa moralis, exerere vires, & vitium ſubiugare; ſed erat rarum poſt multa tempore eadem florere conſtantia, nec vinci langueſcente ſolertia: *Per hanc luctam ſignificabatur ad litteram quod Iacob finaliter ipſi Eſau præualeret:*

Gloſſa. Ipſum nomen primi certaminis præmium fuit; verùm ſecundum auguſtius fuit & glorioſius, cùm finis conſentiret principio, & eadem virtute florens grandæuus vinceret, & initio paruulus decertaret. Addit moralis Gloſſa: *Per hoc moraliter ſignificatur, quod boni malis finaliter præualebunt. Sapientia 5. Stabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt: & tunc mutabitur nomen Iacob in Iſraël.* Non erat magna conſtantia primis congreſſibus virium expugnaſſe; ſed erat eximia virtus poſt multa tempora vt initio deuiciſſe. Et fortaſſis luctæ tempus non ſine myſterio textus expreſſit: ait enim: *Ecce vir luctabatur cum eo vſque mane,* vt temporis prolixitas roboris deprædicet excellentiam, & virtutis commendet etiam conſtantiam. Quàm dignus erat glorioſo titulo, qui vt bona valetudine, dolore afflictus certauit! Iacob initio viribus integer, brachia conſerit, & pectora pectoribus admouet; ſed procedente tempore acri dolore adurgetur, & contractione neruorum angitur; & tamen eumdem certandi tenorem retinet doloribus afflictus, vt ſalute decertat floridus: nec minùs inuenitur albeſcente aurora robuſtus, ac initio certaminis deprælìabatur ſtrenuus. Iure ergo grandius ſibi nomen certandi excudit perſeuerantia, quàm priùs excuderat ſibi valentia. Plures inuenies Iacobos; ſed non multos Iſraëles: virtutis nouitate allecti virtutem amant; ſed procedente tempore iam guſtum illum corrumpunt, & ad alia; imò ad oppoſita tranſeunt.

296. Egreſſis de Ægypto Iſraëlitis cælum eſcam librabat, & manna non ſine Angelorum induſtria elaboratum nubes depluebat: vidit populus, quæ anteà non nouerat, & cibum admiratus cæleſtem, ipſa nomen cibo excudit admiratione:

Exod.16. v.13. *Manè ros iacuit per circuitum caſtrorum. Cùmque operuiſſet ſuperficiem terræ, apparuit in ſolitudine minutum, & quaſi pilo tuſum in ſimilitudinem pruinæ ſuper terram: quod cùm vidiſſent filij Iſraël dixerunt ad inuicem: Manhu?* Deſertorum itinera proſequuntur, & iam Ægyptiarum carnium memoria cæleſtis cibi abſtulit guſtum, & peperit tempus faſtidium: *Tædere cœpit populum itineris ac laboris locutuſque contra Deum, & Moyſem ait: Cur eduxiſti nos de Ægypto, vt moreremur in ſolitudine? Deeſt panis, non ſunt aquæ, anima noſtra iam nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo?* Ecce cæleſtis panis iam nauſea deſpicitur, cùm priùs in admiratione haberetur: ſi panis idem, ſi nullatenus ab antiquo ſapore degenerauit, cur modò mouet ad nauſeam, cùm dignam excitarit anteà concupiſcentiam? Numer.21. v.5.

Deeſt panis, inquit Nicolaus de Lyra, *quia manna non ſapiebat eis: vnde ſubditur: Anima noſtra iam nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo.* Lyra.

Proceſſu temporis non ſapiebat, qui initio panis vti ſapidiſſimus oblectabat: principio manhu vocarunt vti cæleſte donum amplexi; ſed poſteà quaſi exiguum ſunt dedignati. *Dicunt,* ſcribit Oleaſter ad litteram, *alij ſignificare donum, quod ſcilicet dono Dei daretur populo.* Eam Oleaſt. guſtus tempora varietatem induxerunt, vt iam qui prius ambierant vti cæleſte donum, nauſea panem faſtidiant, & faſtidio reſpuant. Mirè hìc quod nobis accidit, præceſſit depictum: nam qui vitiorum iugum recèns excuſſit, qui tyrannidem vitiorum euaſit, cæleſti epulo ſapidiſſimè recreatur, auidiſſimeque innutritur; verùm fluentibus annis feruor tepeſcit, nobilis ille appetitus elanguet, & iam aut ſtulta confidentia, aut reprehenſibili ignauia ad antiqua & faſtidita conuertitur, & cæleſtia ac deſideranda auerſatur.

Præcedebat Dominus caſtra Iſraël nube tectus, & ignea columna pro throno vſus: 297.

Exod.13. v.21. *Dominus præcedebat eos ad oſtendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis.* Hic ipſe, vt ſe Pharaoni opponeret, priora dimittens poſt tergum ſtetit: *Et cum eo*, inquit textus, *pariter columna nubis.* Quid tunc? Vel cæciſſimus Pharao Deum ibi reſidere cognoſcit, & nubem vti non terrenam; ſed cæleſtem fugit: *Fugiamus Iſraëlem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Exod.14. v.19. Et cur modò deprædicat, quod anteà affectata cæcitate negabat? Quia modò columna permanſit, quæ initio extitit etiam columna. O quàm dignus Deo thronus inueniebatur nubes fine & principio columna, nec formam demutans, nec conſtantiæ ſpeciem amittens: quomis aſpexeris loco, eadem lineamenta reperies, ſiue primo emineat ſitu, ſiue tergora ſequatur reliquorum poſterior: primos carpſit columna greſſus, & columna cepit vltimos, nec mutarunt tempora, nec variare potuerunt loca: ſemper ſibi ſimilis, ſemper conſtans & perſeuerans: hoc ergo humanam conditionem excedere, Ægyptios non latuit; ſed vel cæciſſimus Pharao ibi Deum inſidere cognouit. *Præierat hactenus,* inquit Lippomanus, *nunc autem ab anteriore parte ſe transferens, ad poſtremum ſe contulit agmen exercitus. Angelo enim Domini mouebatur.* Lippom. Cæleſti prorſus virtute oſtendebat ſe Regi, quando eamdem fine ac principio conſeruabat contra refractarios conſtantiam, & præbebat iuſtis tutelam. Mirum non eſſet opitulari iuſtis primum ſemper ſortitam locum; ſed mirum fuit idem facere ſortitam poſtremum: quæ præibat columna ducens Hebræos, oppugnans columna manſit Ægyptios. Hoc ergo porſus diuinum, & ab hominum more alienum.

Digitized by Google

§. LXIII.

Dei fauor eſt, ne attulerit præſumptionis naufragium, reprimere proſperitatis exceſſum.

298. NOnnulli indignantur, ſi omnia ex voto non cedant: quia non intelligunt felicitatis eſſe fulcium aliquid accidere aduerſum, & appetitu s guſtui ingratum: *Malè valeo,* aiebat Seneca. Seneca epiſt. 96. *pars fati eſt: familia decubuit, fœnus offendit, domus crepuit, damna, vulnera, labores, metus incurrerunt: ſolet fieri, hoc parum eſt, debuit fieri, decernuntur iſta, non accidunt.* Quæ infenſam nobis querimur elaboraſſe fortunam, ſæpè ſunt auxilia felicitatis, dum delitia refrænant præſumptionis, à parente piiſſimo decernuntur quæ cæco fato accidere arbitramur: *Neque dij, neque deæ*: addit Seneca, *faciant, vt te fortuna in delicijs habeat.* Qui in deliciis & omnibus ex voto fluentibus torpet, internum & crudeliſſimum hoſtem habet: ipſa ſe felicitas exagitat, etſi ad inſani deſiderij perueniat cumulum, vergit miſerum præcipitata in occaſum: hi quos moleſtat aliquid operoſum, qui non ſemper per decliuia incedunt, fortiores, & conſtantiores euadunt: quos cumulatior felicitas molliter detinet, & inflat, licèt ignorent caligine ſuperbiæ obcæcati, ingens ſuſtinent detrimentum deluſi. Nihil plus timendum foret, quàm plena fortuna: nam dum oblectat illecebris, obſcurat animum vitiis: aliquid expedit habere, quo laborantes exerceamur, & colluctemur. Ecce Iudæ gloriam promouet Deus, mille triumphis ornat, & tamen non permiſit vallis habitatores delere; ſed perpetuò voluit certare: *Fuit Dominus cum Iuda, & montana poſſedit, nec potuit delere habitatores vallis.* Auguſtinus aduertit eodem modo referri vti beneficium montana deleuiſſe, & vallis ima non dertiumphaſſe: & quidem Dominus eſſe cum Iuda videbatur, dum hoſtes debellabat, non cum vallis incolas non vincebat; & tamen ſacer textus idem Deo auxiliante accidiſſe retulit: *Fuit Dominus cum Iuda, & montana poſſedit, nec potuit delere habitatores vallis.* Habitatores vallis non deleuiſſe Numinis fauori adſcribitur, vt poſſediſſe montana auxiliãte cœlo refertur. Ecqua huius cauſa eſt? Quia ſi omnia è voto cederent, Iudas tumidus forſan ſuperbiret, & maius incurreret de tumore damnum, quàm de triumpho acciperet beneficium: ergo Dominus beneficium auget, dum minuit, ne proſperitatis faſtigium pareret elationis peccatum. Adeſt Aug. Auguſtinus quæſt. 5. in Iudic. *In hoc ipſo fuit Dominus cum Iuda: reſtringit enim Deus propitius etiam in cordibus ſuorum Sanctorum nimia proſperitatis exceſſum, vt in vſus eorum conuertat inimicos, non ſolùm quando vincuntur; ſed etiam quando metuuntur: illud ad commendandam ſuam largitatem, hoc ad reprimendam eorum elationem.* Si Iudas inimicos omnes euertiſſet, fors grande ſibi ſuperbiæ periculum procreaſſet; at dum altiora expugnat, dumque inferiora non vincit, propriam imbecillitatem, & largitatem diuinam agnoſcit, & in eo ipſo, quòd aliquo inimicos nequit expugnare, ſuam conſtat cumulatiùs felicitatem fulcire,: eſt enim triumphator humilis omnibus venerationi, & elatus eſſet contemptui.

299. Iob equum illum fortitudinis ænigma coloribus miris depingens ait: *Feruens & fremens ſorbet terram, nec reputat tubæ ſonare clangorem;* Iob. 39. v. 24. *vt audierit buccinam, dicit vah.* Ad buccinæ clangorem exultat, & cùm feruens ac fremens terram abſorbuerit, bellum iterum ardore triumphali ingreditur, & quaſi ſe ipſum excitans, & ad pugnam præparans ad claſſicum procedit armatus. Quod ad mores adaptans Gregorius Magnus lib. 31. moral. cap. 17. ait, poſt triumphos adhuc pauida animoſitate concuti, & buccinæ ſibi ſonum repræſentare, ne ſi iam bella omnia prorſus ceſſaſſe reputet, ſuperbus tumeat, & de tumore infeliciter cadat: ſcit namque generoſus Dei equus plures ſua miſerabiliter felicitate proſtratos, qui ſe trophæis oſtentarant antè glorioſos. Ergo feruens & fremens ſorbet terram, dum triumphalis tubæ ſonitum audit; imò ad victoriæ augmentum generoſè deſpicit plauſum. De militari buccinæ ſono triumphalem tubæ ſonum confundit, & bellum adhuc poſt triumphos inſtare gaudet. *Sæpè dum proſperari ſe virtutibus conſpicit, ne ipſa illum* Gregor. *virtutum proſperitas eleuet, pulſari ſe tentationibus gaudet: vnde & aptè ſubiungitur: vbi audierit buccinam, dicit vah: multos enim peiùs ſua felicitas ſtrauit, multos diuturna pax inertes reddidit, eoque illos inopinatus hoſtis grauius perculit, quò longo quietis vſu negligentes inuenit: vnde ſancti viri, cùm multa ſe proficere virtutum proſperitate conſiderant, quodam diſpenſationis ſupernæ moderamine exerceri ſe etiam tentationibus exultant.* Triumphorum gloria de triumphantis modeſtia floret, vt de elationis ſuperbia marcet: ergo tentatio dum inanis gloriæ periculum arcet, cumulatiori felicitati deſeruit. Dei generoſus equus terram abſorbet; ſed dum coronatur triumphis, imminentibus ſe præparat bellis, nec ſe æſtimat periculi expertem; ſed timore aduerſitatis communit.

300. Petrus, vt amore ac fide feruebat, maris vndam pede intrepido calcat, vt ad magiſtrum citius perueniat; verùm dum per marinos vortices inſolito itinere viator incedit; adſpiranti actiùs vento obturbatur, & quadamtenus tentationi relinquitur: Matth. 14. v. 30. *Cùm cœpiſſet mergi, clamauit dicens: Domine ſaluum me fac.* Inquiramus, ſi placet, cur ventis fræna non iniecerit Dominus, ne tantum Apoſtolum exagitauerit metus? Si confuſa vndarum volumina greſſibus humanis ſubiecit, cur & ventis obſequia non imperauit? Obmuteſcat acrior ventorum flatus, ne quam ſingularem gloriam calcatus peperit fluctus, timiditatis obſcuret næuus. Imò, inquit Hieronymus apud D. Thomam, tentationi relinquitur, vt ſolida humilitate terat ſuperbiam, qui pede humano marinam calcauerat vndam. Fors ni ventorum metu exagitaretur timidus, tanti miraculi gloriam dedecoraret elatus; at dum humana fragilitate in profundum trahitur, quid diuina illi liberalitas præſtitiſſet, agnouit, & quid ex ſe haberet, non inexpertus ſciuit. Adeſt Hieronymus: Hieronym. *Paululùm relinquitur tentationi, vt augeatur fides, & intelligat ſe non facultate poſtulationis; ſed potentia Dei conſeruatum.* Expende illud: *Vt augeatur fides.* Profectò tentatio fidem aliquantulum obſcura

Digitized by Google

obſcurauit, aiente Domino: Modicæ fidei quare dubitaſti? Verùm dum vacillatio tantiſper fidem obſcurat, fidem auget, dum clamare compellit: nec enim diceret: *Domine, ſaluum me fac*, ni crederet ſe à Domino contra ventorum impetus obtenturum auxilium, quo fruſtraretur naufragium. Ergo quod fidem tantiſper minuit, dum vrget ad fundendas preces, adauget: Petruſque dum clamore prodit metum, humilitate conſeruat triumphum.

301. Saul Dauidem coacta manu perſequitur, & qui de gigante reportauerat triumphum, grauius ob triumphum inuidentiæ incurrit periculum. O peruerſum Saulis ingenium, ac dignitati regiæ indecorum odium. Saul partam victoriam non ſecus ac ſtragem dolet, & communem ſalutem deplorat, vt plauſibus benefactoris inuideat; verùm dum alienum ſolicitat, periculum ſibi parat: nam ſpelæum ingreſſus manibus inimicis obiicitur: Dauid adhuc proritante occaſione, adhuc ſociis importunè ſuadentibus, adhuc quæ paſſus fuerat, ad arma vocantibus, hoſti pepercit, & vim intulit naturæ, vt obſequeretur gratiæ: pro vindicta manſuetudinem oſtendit, & oſorem cuſtodiuit, chlamydis tamen oram abſcidit, vt fidelitatis teſtimonium haberet: *Præcidit oram chlamydis Saul ſilenter*: (1 Reg. 24. v. 5.) Abſciſſa ora eo dolore triumphatorem percuſſit, vt obturbatus lugeret: *Percuſſit*, inquit, *cor ſuum Dauid eo quòd abſcidiſſet oram chlamydis Saul.* Et cur gratia, quæ inſurgentes corde motus repreſſit, & dexteram non ligauit? Cur Deus permiſit illa ad ſpeciem irreuerentia inquinari, quem voluit miranda inimici venia veluti trophæo prædiuiti redimiri? O arcanam gratiæ diſpoſitionem! ni aliquid haberet Dauid, quod in tanto virtutis facinore non probaret, fors elatione tumeret, & ſingularem adeò manſuetudinem denigraret; at dum de leuiſſima culpa graui dolore percellitur, præſumptione nullatenus obſcuratur. *Quia fidelis erat*, ſcribit Noſter Sanctius (Sanctius) litterali interpretatione nulli ſecundus, *ac pius Dauidis animus, in illa tanta continentia aliquid habuit, quod non probaret, & quo læſam arbitraretur regiam maieſtatem* Vt pius ac fidelis permaneret, illa ad ſpeciem culpa permiſſus eſt maculari, ne poſſet de perfecto triumpho inaniter ſuperbire: grandius namque eſſet ſuperbiæ detrimentum, quàm abſciſſæ chlamydis fuit peccatum. (Tertull.) Huc voco quod aiebat Tertullianus ad Martyras caput. 2. *Negotiatio eſt aliquid amittere, vt maiora lucreris.* Maiora ſibi Dauid eſt lucratus, dum aliquid illius perfectionis amiſit: nam dum luxit exemptus turgidæ vanitatis periculo, florenti victoriæ redimitus eſt lauro. Profectò noſtra fragilitas de bonis actibus elatione ſæpè concutitur, & fructus bonæ operationis aut deperditur, aut obſcuratur, & ob id non ſemel Deus leui deturpari errore iuſtum permittit, vt de errore naſcatur humilitas, qua boni operis floreat æquitas.

302. (Iob 39. v. 23) *Super ipſum*, aiebat Iob equum illum generoſum deſcribens, *ſonabit pharetra, vibrabit haſta & clypeus.* Dum callidus hoſtis fortem & paratum ad bellum animum ferire aggreditur, non ſolùm pugnat pharetra & haſta; ſed etiam clypeo; verùm ſi clypeus non deſeruit infligendo vulneri; ſed tutamini: cur diabolus, vt feriat, non ſolùm torquet haſtam, parat ſagittam; ſed & clypeum etiam vibrat? Eſtne ipſa defenſio inimico pro armis? Ita ſanè: nam vt teſte Paulo 2. Corinth. 12. verſ. 9. *virtus in infirmitate perficitur*; (2 Cor. 12. v. 9.) ita aliquando valetudine infirmatur: inde ſolet generari ſuperbia, vnde eximia micat victoria, & ipſo triumpho corruit ſauciatus, qui triumphans ſuperbit turgidus. Itaque ſubdolus naturæ humanæ aduerſarius clypeo pro armis vtitur, dum de retuſis clypeo ſagittis elationem procreat, & mentem ſuperbia obſcurat. *Sæpè*, aiebat Gregorius ſuprà laudatus, (Gregor.) *tentationem proponit de libidine, & ſubitò fraudulentiùs ceſſans elationem ſuggerit de ſeruata caſtitate.* Addit poſt pauca: *Nonnulli dum libidinis immunditiam fugiunt, per caſtitatis culmen in voraginem elationis ruunt* Ecce culpa de virtute, ecce vulnus de defenſione, ecce arma de clypeo: nam qui ſolicita cogitationum caſtigatione quaſi clypeo munitus libidinis iacula propulſauit, dum inflatiùs, & arrogantiùs ſuperbit, clypeum vertit in gladium, & ad ignominiam adulterat triumphum. Ergo inimico ad inſtar pharetræ haſtæque ipſe defenſionis eſt clypeus: quia dum de caſtitate naſcitur arrogantia, de arrogantia conuulneratur conſcientia. Ob id cum Iuda Dominus fuiſſe refertur, non ſolum dum aduerſarij vincuntur; ſed dum hoſtes infimi conſeruantur: deuicti namque hoſtes pepererunt triumphorum gloriam, aſſeruati elationis propulſauere ignominiam.

---

§. LXIV.

Iuramentorum fides eſt religiosè ſeruanda, & ſemper fideliter cuſtodienda.

IVramenti fides, vt religiosè ſeruata eſt decorus Numinis cultus, ita violata maieſtatis probatur dedecus: ſic ab humanis cordibus exulat veritas, vt ad faciendam fidem Deum obteſtari ſit opus, adeoque quod iuramento fulcitur, ſuo iure ſanctum, firmumque habetur, vt iam non teſtimonio nitatur humano; ſed ſacramento ſuffulciatur diuino. 303. *Maiores noſtri*, aiebat Senec. de conſolat. ad Heluid. caput 10. (Seneca. *Antiquorum merita nos ſuſtentant.*) *quorum virtus etiam nunc vitia noſtra ſuſtentat, infelices erant, qui ſibi manu ſua parabant cibum, quibus terra cubile erat, quorum tecta nondum auro fulgebant, quorum templa nondum gemmis nitebant. Itaque tunc per fictiles deos religiosè iurabatur, qui per illos inuocauerant, ad hoſtem morituri, ne fallerent, redibant.* Aliquando quis in hoſtiles manus incidens ſibi liceret ad ſuos tantiſper redire, & negotia magni momenti componere victorem obnixè deprecabatur, deoſque obteſtabatur fictiles ſe negotiis compoſitis rediturum, adeòque inuſitatum erat illis ſæculis religionem iuramenti violare, vt victor victo facultatem non grauaretur facere, & victus vel iugulum ferro præbiturus non recuſaret redire. Probroſam habebant vitam religionis iniuria ſeruatam, & iureiurando violato tectam: morituri ad hoſtem redibant, ne adductos in teſtimonium deos viderentur contemnere, aut religionem violare. Hinc ſoluitur quæſtio, cur Beniaminitæ non deleuerint Iebuſæos, cùm facile illis fuerit armis

armis ſubigere, Ieroſolymiſque depellere: *Iebuſæum habitatorem Jeruſalem non deleuerunt filij Beniamin: habitauitque Iebuſæus cum filijs Beniamin in Ieruſalem vſque ad præſentem diem:* Nonnulli Beniaminitarum cupiditatem condemnant, ac ſi maluerint Iebuſæos tributarios habere; quàm præſcripta legis ſeruare; verùm Lyra altiùs hiſtorias repetens reſtatur vitam hoſtibus conceſſiſſe, ne putarentur pactum inter Abimelec & Abraham iuramento ſancitum
Lyra. obliteraſſe: *Non deleuerunt, quia noluerunt propter iuramentum fœderis initi inter Abraham, & Abimelec, à quo deſcenderunt iſti Iebuſæi, ſicut dictum fuit Ioſue 15. in fine.* Itaque vt habetur Geneſ. 21. Abraham fœdus pepigit cum
Gen. 21. 2. 23 Abimelec, ne poſteros eius deleret: *Iura per Deum, ne noceas mihi, & poſteris meis, ſtirpique mea; ſed iuxta miſericordiam, quam feci tibi, facies mihi, & terræ, in qua verſatus es aduena. Dixitque Abraham: Ego iurabo.* Fides mutuò data ſic Abrahami poſteros, ne Iebuſæos deleuerint, continuit, vt maluerint aduerſarios ſuſtinere, diuitias amittere, quàm iuramenti religionem violare: vt noueris quàm illis priſcis venerabilis fuit iuramentorum religio, quando nullo ad fidem infringendam ſuaderi poterant damno. Ni iuramenti fides obſtaret, Beniaminitis facile eſſet Iebuſæos curia depellere, ac ſecuriùs abundantiuſque viuere; maluerunt tamen non modica pari detrimenta, quam iuramenti violare iura.

304. Saul pene innumera in Dauidem ingratitudinis oſtenderat argumenta: Reipublicæ ſalus vt communis hoſtis notabatur: coacto exercitu inuidus montes obibat, ſyluas ſcrutabatur; imò terræ cauernas duce inuidentia luſtrabat, & cædis patrandæ ſpe difficultates omnes melliebat; verùm aliquando in prædæ manus prædator incidit, & ni gratiæ inuidioſus obſecundaſſet, inuidus inuidentiæ præmium mortem tuliſſet; oram tamen præcidit chlamydis Dauid ad fidelitatis teſtimonium, non ad iactantiæ argumentum. Quid tunc? Saul regnum habiturum præſagiens orat, vt iuramento firmet po-
1 Reg 24. v. 21. ſteros ſuos nullatenus deleturum: *Quia ſcio quòd certiſſime regnaturus ſis, & habiturus in manu tua regnum Iſrael, iura mihi in Domino, ne deleas ſemen meum poſt me.* Quærunt interpretes cur Saul iuramentum efflagitarit, quando Dauidis ingenium toties hoſtiliter ſe gerenti peperciſſet, vitamque generoſè donaſſet. Reſ-
Abulenſ. *Honores ſolent mores ſæpè mutare.* pondet Abulenſis quæſt. 28. ambiſſe iuramenti fidem, ne aliquando malorum irritatus memoria poſteris vicem rependeret, & iniuſtè ſibi illatas iniurias iuſtiſſimè vindicaret: *Saul fecerat multa mala Dauid propter quæ merebatur perire ipſe cum toto genere ſuo: putabat ergo quòd cum Dauid regnaret, recordaretur malorum inflictorum ſibi à Saule, deleretque eius progeniem: voluit ergo nunc obligare Dauid per iuramentum, vt hoc non faceret.* Timuit Saul, ne Dauid aliquando, etſi toties inuitantem fortunam repuliſſet, regnandi cupiditate incitatus poſteros Saulis, non modica impedimenta deleret, quò liberiùs thronum adiret. Videbat pluribus iniuriis laceſſitum, & criminibus prouocatum, ſed firmiſſimam adeo iuramenti religionem putauit fore, vt nulla iniuriarum memoria concuteretur, ſi iuramento ligatus nulla vindictæ cupidine alliceretur: ſi ſacramento maneret obſtrictus: *voluit nunc obligare Dauid per iuramentum, vt hoc non faceret.* Animum etſi iniquè induxerat, vt crederet Dauidem ſibi captioſas moliri inſidias, & multiformes regnãdi ambitione ſtruere technas; verùm nec iniquiſſimus Saul ſuaſit ſibi fidem iuramenti violandam, ſi ſemel ſanxiſſet, & religione firmaſſet. Adde ſanctam adeò iuramentorum fidem debere coli, vt facilius fuerit credere Deum ipſum ſibi poſſe deficere, quam poſſe iuramenti fidem violare. Profectò Deus ſummè verax, qui nullam verbis ſuis firmitatem iuramento interpoſito addat: ipſe namque ſibi iuramentum eſt, nullatenus infidelitati ſubiectus, aut defectioni promiſſionis expoſitus. Verùm vt agnoſcas quanta ſit iuramentorum religio infinitam veracitatem ſuam iuramento hominibus prodit, & quodammodo, ſi fas eſt dicere, verborum fidem ſuffulcit.

Diuus Paulus ad Hebræos ſcribens ſic ait: 305.
Abundantius volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilij ſui, interpoſuit iuſiurandum. Heb. 6. v. 17. Nos manuducit Apoſtolus inter alias ad celebrem illam Abrahami hiſtoriam: nam cùm de vnico filio hoſtiam paraſſet, & ſibi gratiam Numinis promeruiſſet ſic ait: *Per memetipſum iuraui, dicit Dominus, quia feciſti hanc rem, & non peperciſti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cæli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris.* Geneſ. 22. v. 16. Hoc ipſum iam promiſerat Geneſ. 15. & tamen iuramentum interpoſuit: *Vt abundantius*, inquit Paulus, *Abrahamus conſolationem haberet.* Certè impoſſibile eſt Deum mentiri, & à promiſſione deficere, vt etiam fidem iuramenti violare; verùm inter hæc duo impoſſibilia, ſi humana aliquando nutarit temeritas, ſecurius cenſebit fulcrum iuramentum, quam ipſum habeat promiſſum: *Interpoſuit iuſiurandum abundantius volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilij ſui.* Quid Abulenſ. exaggeratius? Quid pro iuramento grandius? In Deo, ſcribit Anſelmus ad hunc locum ita firmum eſt ſolùm promittere, ſicut & iurare; ſed hominum incredulitatem voluit iuramento certam reddere. Itaque facilius eſt homines temerario auſu putare diuinam promiſſionem infirmam, quàm iuramenti fidem violandam: ſecurius ſe committunt Deo iuranti, quàm Deo ſe commiſerint promittenti: non quod poſſit diuina veracitas claudicare; ſed quia iuramentorum religio ſummè omnibus eſt aſſeruanda, & fides inuiolata tenenda.

Eſau poſt caſſos venationis labores domum 306.
rediit famelicus ac defatigatus: eo tempore Iacob ſibi edulium parauerat profectò non pretioſum; ſed vile; verùm ea auiditate fratris expetiuit obſonium, vt primogenitis commutare nullatenus recuſarit: *Da mihi de coctione hac rufa, quia oppido laſſus ſum. Cui dixit Iacob: vende mihi primogenita tua.* Geneſ. 25. v. 30. Libenter obtulit primogenita, vt illius inſanæ cupiditatis ſedaret delitias: *En morior, quid mihi proderunt primogenita?* Quid tunc Iacob? Iura ergo mihi: Quid intereſt ſe iuramento obſtringat, vt fidem ſeruet, ſi auitas leges matrimonio violarat: ſi fratris ſanguinem ardenter ſitiebat? Si talis eſt, vt iuſtitiæ legibus nullatenus obſequatur,

Digitized by Google

tur, quid intererit ſe ſacramento ligari? aut ſi iuramenti fidem temeraturus non creditur, cur contractus iuſtitiam læſurus nullatenus non putatur? O ſummè apud antiquos venerabile iuramentum! Scit Iacob fratrem difficili ingenio præditum, & agreſtibus agreſtem moribus obſcuratum: videt cupiditatibus ſic abduci, vt inconſultis nuptiis ingentem doloris materiam parentibus afferre non dubitauerit: videt properare in homicidium; & tamen putat violaturum nullatenus iuramentum: fidit iuriiurando, qui iurantis diffidebat ingenio: tanta erat apud priſcos ſacramenti reuerentia, ſic timebatur Numinis in teſtem adducti iniuria. *Tam facilè*, aiebat Oleaſter ad mores, *homines etiam fratribus facta frangunt, vt conſultò faciant, qui eos iurare compellunt.* Aptiùs D.Thomas in Geneſim: *Iura mihi, id eſt venditionem hanc mihi iuramento confirma:* Benedictionem cælitus promiſſam à fratre venditam iuramento vult confirmari, putans nec belluinam Eſau feritatem iuramenti fidem violaturam, & dignitatem, ne frangeretur fides, nullatenus repetendam. Adde iuramenti fidem ſic apud omnes valere, vt quibus cognationis, & conſanguinitatis leges ſecuritatem non pariunt, iuramentorum ſacramenta timorem omnem depellãt, ac animum ſtabiliant.

Oleaſt. D.Thom.

307. Iacob Labani plurimis beneficiis obſtricti, leuirorumque ſupercilio exaſperatus de reditu ad patriam cogitat: annuit Deus promouens rationabile ſtudium: iam clanculum profectionem parat; ſed re comperta ſocer & ſimul auunculus manum cogit, & viam carpentes non ſine irarum ſignificatione perſequitur: Deus inhibuit furentis audaciam, & profecti ſuſcepit vti indulgentiſſimus pater tutelam. Denique cùm quiſque quas animo celarat indignationis cauſas datis querelis euaporaſſet, ne deinceps noua aliqua offenſionis cauſa ſtrictis adeò conſanguinitatis vinculis exaſperaret, ad fœdus confugiunt, ſicque pacem reſcindendam nunquam, aut turbandam ſtabiliunt: *Veni, & ineamus fœdus, vt ſit in teſtimonium inter me, & te.* Inito fœdere rumpenda nunquam ſtabilitur concordia, & exterminantur diſſidia; verùm ſi Laban ruit in arma, cùm naturæ vetabant iura: ait namque: *Omnia, quæ cernis, mea ſunt, quid poſſum facere filiis & nepotibus meis?* Quid intererit manſerit ſacramento obſtrictus, quo furor nunquam ſtabelletur exaſperatus? O iuramentorum vel apud barbaros fidem! Laban filiorum, nepotumve amore deſtitit fugientes vrgere; inito verò ac iurato fœdere, nullis iam in arma cauſis valebit ruere. Audi Petrum Damianum li.8.epiſt.epiſt.10.ad Moricum: *Laban inter ſe, & Iacob aceruum poſuit lapidum, & interclusit alterutrum præcauendo meatum.* Meatus hoſtilis cauetur, dum fœderis aceruus erigitur, & quam non potuit amicitiam ſtabilire natura, ſuffulſit iuramenti reuerentia. Adde periuros, iuramentorumque fidem reſcindentes, omnia ſibi Chriſti ſacramenta prohibere, & ſe à Sanctorum communicatione alienare.

Gen 31.v.44.

308. Librum aſpexit Ioannes ſigillis firmiſſimis obſignatum, quem & Leo de tribu Iuda inuicta fortitudine, & agnus aperuit reſperſus ſanguine: *Venit & accepit de dextera ſedentis in throno librum.* Profectò quem nemo præter agnum valuit aperire: *Nemo*, aiebat Ioannes, *poterat neque in cælo, neque in terra, neque ſubtus terram aperire librum.* Ecquis ſic ſigillis obſtrinxerat? Periurus, inquit Damianus vbi ſuprà: nam qui iuramentorum violat religionem, à ſe agni quaſi ſigillis quibuſdam obſignata remouet ſacramenta, & diuina tardat imprudenter auxilia. Audi Damianum: *His ſigillis liber Euangelicus ita ſignatus eſt, vt niſi eum Chriſtus aperuiſſet, cuilibet omnino patere non poſſet, vnde ſubiungitur: Ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid aperire librum, & ſoluere ſeptem ſignacula eius: quiſquis ergo periurat, ſtudioſè perpendat, quia niſi pœnitens canonicè ſatisfecerit, ita ſibi ſeptem ſigilla Euangelica narrationis occludit.* Alia ſcelera faciliùs ad ſpeciem ſortiuntur medelam, & periuria tantam expetunt medicinam. Ni leo agnuſque librum reſeraret, omne Chriſti Domini ſacramentum periuro nihil vtilitatis afferret.

Apoc.5.v.7. Ambroſ.

§. LXV.

Indecorum prorſus eſt magna minimis obſcurare, & leui errore glorioſè patrata perdere.

309. Egregia venuſtas de ſibi conſonantibus membris oritur, & næuo quolibet deturpatur: pulcher formæ vitio caret, nec ſatis eſt aliquam venuſtam partem habere, vt poſſit quis notam informitatis effugere. Epiſtolam accuratè & eleganter ſcriptam litura quæuis defœdat, & de calami lapſu deperditur, quidquid induſtria fuerat meditatione exaratum. O quàm imprudentiæ dandum magna effeciſſe, & exiguarum rerum contemptu deuenuſtaſſe! Xerxes cùm bellum Græciæ indiceret, ſibi triumphum de numeroſa; imò de innumera militum turba promittebat, cùm tumentem oblitumque, quàm caducis fideret, Demaratus Lacedæmonius admonuit illam ipſam, qua ſibi placeret, multitudinem indigeſtam & grauem eſſe, nec tantum virium habere, quàm ponderis. Euentus Demarati ſententiam ſuffulſit, & Xerxem pudore affectum ad ſeram pœnitentiam coegit; Demarato gratias egit quod ſibi verum dixiſſet: noluit Princeps adhuc inter cladis anguſtias irremuneratam veritatem relinquere; ſed petendi quod liberet, Demarato facultatem fecit: ille vaniſſimum plauſum expetiuit, & graue conſilium ambitioſa cupiditate dedecorauit. *Dignus fuerat præmio*, inquit Seneca lib.6.de benef.cap.31. *antequam peteret.* Ob leuem plauſum magnum quidem facinus, veritatem ſcilicet Principi dixiſſe perdidit, & qui ſuſpiciendus erat ſæculis, vt veridicus, deſpicabilis apparuit euanidæ gloriæ ambitioſus. Nec aliter filiis Iſrael accidiſſe reperies: gigantes exterminant, Ieruſalem munitiſſimam capiunt, egregia fortitudinis argumenta hoſtibus deuictis oſtendunt; verùm neſcio qua infami cupiditate, dum Iebuſæum viuere permittunt, adulterant triumphorum gloriam, & celebrem obſcurant ſæculis famam: *Iebuſæum habitatorem Ieruſalem non deleuerunt filij Beniamin: habitauitque Iebuſæus cum filiis Beniamin in Ieruſalem vſque in præſentem diem.* O quantam filiis Benjamin gloriam pariebat Ieruſalem capta, & ab inimicis inuicta fortitudine erepta! Sed quàm miſerabile fuit Chananæum permittere, & ſimul cohabitatorem haberet

Seneca.

Auguſt. bere ! Auguſtinus quæſtione 7.in Iudices putat Iebuſæos à filiis Benjamin admiſſos tributorum cupiditate,& ſacra aurum aggerandi ambitione.

Theodor. Conſentit Theodoretus quæſtione 6.

Auaritia glor a bima. *Quare*, inquit, *non omnes vrbes ceperunt ; ſed ingens e xtranearum gentium numerus habitauit cum eis ? In primis propter ignauiam , deinde ob immodicam auaritiam* Auaritia turpis lucri magna deuenuſtabat facinora, & quorum fortitudinem extollebat ciuitas capta , deuenuſtabat Chananæorum habitatio permiſſa. Quàm immarceſcibiles , & futuris decantandos ſæculis triumphos reportaſſent , ni Chananæum permiſiſſent ! verùm tantam bellicæ fortitudinis gloriam exiguum ob lucrum deuenuſtarunt ,& deteſtanda cupidine infuſcauerunt. Profectò ruborem nobis faciunt inanimes creaturę , quando ne magna adulterauerint facta, proſequuntur laudabiliter cœpta.

310. Chriſtus Dominus: quò diſcipulorum fidem exacuat, periculis tantiſper ad ſpeciem committit,& virtutis quaſi rationem expoſcit: ſcapham ingreditur, & cùm iam mediis eſſet in fluctibus experientiæ locum cedens ſomnum in puppi recumbens capit : inuſitata tempeſtas confeſtim non ſine fragore inſurgit , & compugnantes ſecum venti variis ſcapham turbinibus agitatam timore feriunt : ventus adſibilans aures diuerberabat,nauis vndis concuſſa per inuia iactabatur , cùm Apoſtoli quæſitas ab arte ſpes omittentes recurrunt ad portum , qui erat in ipſa ſcapha,& aſtantes ingeminant : *Magiſter,*

Marci 4. v.39. *magiſter,ſalua nos,perimus* Quid tunc? Chriſtus Dominus mare tacere iubet , & iam tranquillitas ſerena recreat,quos vnda ſublatiſſima incuſſo terrore afflixerat: *Dixit mari:Tace,obmuteſce, & ceſſauit ventus , & facta eſt tranquillitas magna.* Imperium rei effectio comitabatur , vox audiebatur , & mare tranquillabatur. Quærit Seleucienſis Baſilius orat. 22. cur mare æſtuantibus vndarum vorticibus feruens adeò cito coercuerit vndas , ventos coegerit,& quodammodò ingenium mutarit : reſpondetque hoc in Chriſti Domini omnipotentiæ commendationem accidiſſe prodigium, nec non etiam in antiquæ,exactiſſimæque obedientię vndarum elogium. Olim mare ſuper terram obtinebat imperium;ſed Deo iubente ceſſit,& imperij iacturam nobiliori obedientia commutauit :

Gen.1.v.9. *Dixit Deus : Congregentur aquæ,quæ ſub cælo ſunt,in locum vnum , & appareat arida : & factum eſt ita.* Ergo mare , ne priſtinæ ſubiectionis denigraretur gloria,hic iterata , exactiſſimaque paruit obedientia. Recordabatur reliquiſſe antè latum imperium , videbatque excitæ modo tempeſtatis totum lucrum debile fore nauigium,& prudentiſſimè noluit exiguo lucro relictum infamare latum imperium : eſſet namque ſumma imprudentia , ſi exinceps exiguam ob ſcapham audiret mare inobediens, quando reliquit imperium,vt audiret diuinis præceptis parens.

Seleuc. Opportunè Baſilius: *Modica voce ingens elementum refrænabatur:recognoſcebat enim veterem vocem, recordabatur antiqui præcepti:Congregentur aquæ in locum vnum, & appareat arida : tunc conceſſit terræ volenti imperium , nunc terram imitatur conſolidatione naturæ.* Vidit mare ſe de antiqua obedientia ſortiri ſæculis decantandum elogium,vidit reliquiſſe tunc,vt obtemperaret,imperium,& noluit tantam gloriam adulterare , vt abſorbuerit modò nauigium : eſſet namque prorſus miſerum ob deglutiendam exiguam ſcapham amittere obedientis præconium,& reliquiſſe olim latum,vt obtemperaret imperium: *Recordabatur antiqui præcepti : Congregentur aquæ in locum vnum,& appareat arida:tunc conceſſit terræ volenti imperium.* O quàm miſerum eſſet mare diuitiis exundans , antiquitate nobile,anguſtis ſe limitibus, vt obſequeretur,arctaſſe,& modò,vt deglutiret ſcapham, imperio Numinis reſtitiſſe:nobilis ille regni contemptus ad obediendum cogebat , & exiguis adeò rebus obedientiam modò denigrare vetabat. O ſi præceptorem mare audiremus , ſi eius imitaremur exemplum, nec magna infuſcaremus exiguis, nec glorioſa deprædicandaque denigtaremus paruipendendis.

Iacob à Deo monitus patriam repetere cogitat; verùm quia humanitate meliùs quàm auctoritate plura geruntur,vxores in campum vocat, 311.
& remotis arbitris quale profectionis pectore foueat ſtudium communicat:illæ exprompte ſe parituras promittunt : nec mora,iter iam carpitur ; verum Rachel neſcio quæ patris idola furtim aufert,& inſcio marito defert : *Rachel furata eſt idola patris ſui* Erubuit Rachel,& iure in- Gen.31.v.10
dicare Iacobo idolum , non erubuit Iacob indicare Rachel oraculum. O quàm ſerena fronte egregia lucem non reſpuunt facinora , quàm amant caligines tenebrarum ſcelera! Quid tunc? Laban cognito furto manum cogit , & fugientes inſequitur : iam Iacob aduerſariis cingitur, iam gradum promouere inhibetur. Quæ fuerint hæc ſubrepta idola quærit Hieronymus, teſta- Hieron.
turque in quæſtionibus Hebraic. imagunculas quaſdam fuiſſe: *Sciendum quòd vbi nunc idola legimus , in Hebræo Teraphim ſcriptum eſt , quæ Aquila figuras vel imagines interpretatur.* Profectò Rachel fidem ſuam rebus exiguiſſimis infamauit : magna profectò & laude digniſſima effecerat , ni fuiſſet imagunculas ſuffurata ! Reliquit patrem, patriæ renuntiauit affectui , ſe fratribus & parentela abdicauit , ſponſo parata obedire,& Numinis iuſſionem implere : omnia hæc,ſi ab idolis abſtinuiſſet , digna erant virili animo,& immortali decantanda præconio. Sed proh miſerum ! dum imagunculis indebitè cordis dicauit affectum,virtutis infamauit ſtudium: quod de allophylorum patria ſecum defert, remoratur gradum , & non modicum affert fugienti periculum : malè audit Rachelis fides: quia imagunculam ſubripuit , & affectum illis immoderatum impendit. Audi quam illi iacturam attulerit furtum : *Quantum ex diuina hiſtoria colligi poteſt*,inquit Genadius apud Lippom. Genad.
Liam longè magis piam fuiſſe,quam Rachelem intelligimus : denique cùm idola furata eſſet,non ea contriuit;ſed ſecum in itinere detulit. Huius etiam pietatis ergo exiſtimandum eſt Deum ſterilem vuluam citius Liæ aperuiſſe, quàm Rachel , eique conceſſum , vt vnà cum viro ſuo eodem in monumento conderetur , quemadmodum Sara cum Abraham,& Rebecca cum Iſaac. Magnis imagunculæ commodis Rachelem priuarunt : nec enim cum viro ſepulta , nec vt ſoror filiorum prole copioſa : abſtinuit prudentiſſimè à puerilibus Lia , dum tentat egregia : obſcurauit Rachel egregia , dum intendit puerilibus : viuis imaginibus caruit : ſunt namque filij patrum imagines , dum ſenſu carentes imagines adamauit

Digitized by Google

mauit pietatis cenſetur rea: fides eius non dilaudatur intemerata, & totum hoc ob neſcio quas imagunculas citiſſimè deterendas,& æterno ſepulchro dandas. Sublatæ imagines nullum attulere commodum, quia citiſſimè infoſſæ ſub terebinthum; ſed quæ ſatis non fuerunt ad commodum, ſatis fuerunt, vt magnum virtuti, ſalutique attulerint detrimentum. *Liam longè magis piam fuiſſe, quàm Rachelem intelligimus.* Vtraque ſoror charorum amiſſionem lubentiſſimè amplexa eſt, vtraque expromptè reliquit patriam, vtraque Sponſi adhęſit lateri, more geſſit non ſolùm præcepto; ſed vel indicato ſtudio; verùm non vtraque adæquè virtutis ſortitur elogium: Lia namque à puerilibus abſtinens ſuam ſæculis commendauit virtutem; at Rachel ob leuium rerum amorem ſuam adulterauit pietatem. Plures videas auſteram religionis vitam alacri animo,& pio deſiderio amplecti, qui cum magna, quibus licitè in ſæculo frui poſſent, animo conſtanti abiecerint, renuntiarintque, poſteà tamen puerilibus occupantur: nec ſolum detinentur; ſed quaſi pedicis impediti irretiuntur. Ergo quiſquis magna effeciſti, exigua contemne, ne qui apparueras digniſſimè generoſus, videaris poſteà puſillus.

§. LXVI.

Nihil eſt peccatori ſe vilius.

312. NOn facilè arcana cupiditatis, & ambitionis myſteria, quamuis ſtudioſiſſimè inſpicias, comprehendes. Videntur ſibi amare, quæ cupiunt; & tamen ſe concupitis miſerè vendunt, & vti viliſſimi vernulæ famulantur. Multa in caput ſuum caſura tentat cupiditas, nec videt ſe per aliorum pericula in ſuum cæciſſimè inuolare, & labore non modico aſciſcere. Non cogitat quàm non ſolùm ſuperuacua; ſed oneroſa ſint, quæ votis immetatis exambit, & inſanis ardoribus ſitit. Gratuita, iucundaque videntur, quæ cariſſimè ſolent conſtare, quæque arctiſſimè ſæpè premere. Proh quantus ſtupor nos poſſidet, quando nos ipſos impendimus, vt nociua nobis emamus! Audi Senecam epiſt. 42. *Ex eo licet ſtupor noſter appareat, quòd ea ſola putamus emi, pro quibus pecuniam ſoluimus, & gratuita vocamus, pro quibus nos ipſos impendimus. Quæ emere nollemus, ſi domus nobis noſtra pro illis eſſet danda, ſi amœnum aliquod, fructuoſumve prædium, ad ea paratiſſimi ſumus peruenire cum ſolicitudine, cum periculo, cum iactura pudoris, & libertatis, & temporis.* Attende quæ adiicit. *Adeo nihil eſt cuique ſe vilius.* Profectò cuique nihil eſt ſe pretioſius æſtimatione, nec ſe actione vilius: poſſum namque tibi multa oſtendere, quæ homo anhelat ſuas ad delicias, & ad cupiditatis ineptias adquirere, quæ acquiſita libertatem extorquent, nec poſſeſſores ſui ipſorum eſſe permittunt: ſui profectò ipſi eſſent, ſi ſua illa non fuiſſent: dignitaris ambitor ſe non poſſidet; ſed ſe ſuaque pluribus & ſuperciliſis, neſcio an tyrannis dicam, impendit. Qui laſciuiæ caras ſectatur cupedias, aniculæ ſæpè ſeruit,& ſe alieno arbitrio ſubmittit. Iam quæ de infami honoris iactura fœminæ viuunt, pudoris & libertatis periculo, duro libidinoſi ſubiectantur imperio: nihil illis ſe vilius eſt, cùm vt exiguam pecuniarum acceperint ſummam, libertate diſpoliatæ ſeruiant, & honore mulctatæ viuant. Ecce filij Benjamin Iebuſæum Ieroſolymis habitare permittunt, & vt exiguum auri lucrentur vectigal, ſe ſuaque plurimis exponunt periculis, ipſa quæ appetunt, cum lucro reddituri aduerſariis: *Iebuſæum habitatorem Ieruſalem non deleuerunt filij Benjamin, habitauitque Iebuſæus cum filiis Benjamin in Ieruſalem vſque in præſentem diem.* Ni cariſſimis inhiaſſent tributis, copioſioribus fruerentur & prædiis: totam poſſediſſent ciuitatem depulſis hoſtibus, ſed ea Benjaminitas auri poſſedit inſania, vt maluerint ſe ſuaque grandi ſubiectare periculo, quàm exiguo priuari pecuniarum emolumento. Quàm benè vbi ſuprà Seneca: *Non cogitabat, quàm oneroſa eſſent, quæ petebat, etiamſi ſuperuacua non eſſent, Hoc itaque in his, quæ affectamus ad quæ labore magno contendimus, inſpicere demus, aut nihil in illis commodi eſſe, aut plus incommodi.* Impenſum auri tributum ſpecie tenus accipienti diuitiarum promittebat augmentum, ſed celabat magnum ſalutis, & libertatis periculum, quandoquidem Iebuſæi habitationem coanguſtabant, & Beniaminitis ſemper diſcrimina diſponebant: *Noluit*, inquit Hugo Charenſis (delere) *cum poſſet, & ideò peccauit ductus cupiditate & ideò iratus eſt Dominus ei.* Videbatur gratè accipere aurum; ſed magno emebat periculo; imò & ipſarum diuitiarum diſpendio. Sè tradebat hoſtibus, vt acceptis diteſceret auri cenſibus.

Chriſtus Dominus, dum humani generis peccata ſoluit, peccatorum enormitates ſuo in corpore vti ſpeculo pellucido nobis oſtendit: *Feciſti mihi*, aiebat Drogo de Sacramento Dominicæ Paſſionis: *de corpore tuo ſpeculum animæ meæ.* Vide ergo in hoc cryſtallino ſpeculo quanta homines dementia teneat,& quanta ambitio dedecora ſubeat. Ecce milites ſpineam coronam plectunt, & chlamydem coccineam Chriſto induunt; ſed ipſi qui purpura & diademate exornant, alapis indecoris cæſum dehoneſtant: *Exuentes eum chlamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput eius, & arundinem in dextera eius, & genuflexo ante eum illudebant ei dicentes; Aue rex Iudæorum, & expuentes in eum acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius.* Dum peccator capiti anhelat coronam, dum ſceptrum deſiderat, caput diſcrimini & dedecori exponit: ſanguine coronam emit, & vt volaticum honorem accipiat, cruore venas diſpoliat. Quid ſuo peccatori ſanguine vilius, quando ſpineam ſanguine coronam emit,& capiti ridiculum ipſius detrimento capitis ambitionis inſania furens acquirit: *Quid ſuperbis terra & cinis*, inquit Drogo vbi ſuprà, *quid veſte nitida gloriaris? Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum vermis eſt: hæc tua veſtis eſt, illuſerunt tibi, qui chlamyde coccinea circumdederunt.* Exponitur ludibrio, vt refulſerit coccino: caput ſentibus tradit, vt fœda corona redimitus peccator niteat. O cariſſimam ſuperbiæ elationem! plus quam caput, amat coronam, quando doloribus emit, & effuſi ſanguinis pretio

Seneca.

313.

Drogo.

K acquirit,

Digitized by Google

acquirit. Ecce ambitioſo ſuperboque nihil ſuo capite vilius, quando plus æſtimat corona, licèt ſpinea redimiri, quàm ſano capite frui.

314. Iudas ſera mutilique pœnitentia ductus peccatum ſuum confeſſus eſt; nec tamen confeſſione illa redemit; ſed potiùs exaggerauit. O infeliciſſimum hominem, qui tulit pudoris confitendo tormentum, nec lucratus eſt aliquod ad ſalutem ſubſidium: *Videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus eſſet, pœnitentia ductus retulit triginta argenteos Principibus ſacerdotum, & ſenioribus dicens: Peccaui tradens ſanguinem iuſtum.* Quid tunc? *Proiectis argenteis in templo receſſit, & abiens laqueo ſe ſuſpendit.* Ecce ambitum amiſit ſceleris emolumentum, & iuſtiſſimum ſoluit ſupplicium. Forſitan æquiſſimus cenſor nummos ſe pretioſiores æſtimauit: quid enim proditore vilius, quid cupido fœdius? Cum nummos, vitamque amittere decreuiſſet, honeſtiori nummos loco repoſuit, & arbori ſe vti carnifici tradidit, vt conſtaret nihil apud Iudam ſe vilius, quando aurum habebatur honoratius: *Ecce infelix*, ſcribit Drogo, vbi ſupra, *qualiter excæcatus eſt, maluit ſeipſum perdere, quàm denarios perire; denarios templo, ſeipſum laqueo addixit.* Iniquus ſui æquiſſimè æſtimator ſe nummis poſtpoſuit, & apud ſe ſalutem ſuam minus auro valere oſtendit. O quoties quod Iudæ ſemel, ſæpè accidit peccatoribus! ſibi mentiuntur, & cùm honores, voluptateſve ſibi acquirendas promittunt, ſe vti proiectiſſima mancipia honoribus ac voluptatibus tradunt: de incremento agunt; ſed ſtudent diſpendio ſalutis, honoris, animæque iactura ſplendere vaniſſima nituntur pompa. Ipſe ſui amor deſpectus eſt, ſeque ipſos viliſſimè contemnunt, cùm plus ſibi honores & voluptates exambiunt.

Matth. 27. v. 3.

315. Cùm in campo degeret Dauid aut patriæ memoria excitus, aut ardore ſolis aduſtus Bethlehemiticam aquam deſiderauit: tunc tres fortes Philiſthinorum caſtra diſrumpunt, & hauſtam de ciſterna aquam ſitienti offerunt; verùm Dauid ſitim noluit explere aqua tanto pretio empta, & periculo tanto allata: *Num ſanguinem hominum iſtorum, qui profecti ſunt, & animarum periculum bibam? Noluit ergo bibere.* Quid milites iſti intenderint, quærunt interpretes. Noſter Sanctius inter huius ſæculi interpretes nobiliſſimus ait in cæcum ſe periculum conieciſſe, quò gloriæ adularentur ambitioni, & propriæ ambitionis ſeruirent ſiti: *Vix dum audierant iſti viri heroes Dauidis vocem, cum ſeſe ad explendum regis votum expediunt parati quiduis agere, & pati, dummodò regis ſatisfaciant deſiderio, & ſibi militarem gloriam captent:* plus apud illos militaris gloria valuit, quàm ipſi apud ſe valerent: in vrgentiſſima ſe coniiciunt diſcrimina, vt euanidam laudem propria coëmerint vita. Huc voco quod aiebat Zeno Veronenſis ſermone de fide, ſpe, & charitate: *Miles non dicam horridæ hyemis, aut torridæ æſtatis iniurias; ſed ſeipſum contemnit:* ſe contemnunt, quò militaris fortitudinis, aut temerariæ audaciæ acquirant gloriolam: pluſque apud ipſos ponderat fortitudinis fama, quàm ipſa, cui laus procuratur, vita. Aptè aiebat Tertullianus libro de pallio capite quarto de Alexandro Macedone: *Calor eſt omnis affectus; verùm cum in affectationem flabellatur, iam de incendio gloriæ ardor eſt. Habes igitur ex iſto fomite æſtuantem magnum regem ſola gloria minorem.* O quàm verum! Alexander ſua gloria ſibi fuit minor, & vt immetatæ ſeruiret ambitioni, mundi clauſtra diſrumpere aggreſſus eſt, deſpexit vitam, vt vaniſſimam augeret gloriam: neſcias an Alexander gloriam ambierit ſibi, an ſe gloriæ: propriæ æſtimationis lance ſua gloria inuentus eſt minor, ſicque ardenti famæ æſtuabat cupiditate, vt priuari mallet ſalute.

1. Reg. 23. v. 16.

Zeno.

Tertull.

Fallar, ni hoc ipſum Scriptura in Baltaſſare illo ad noſtram eruditionem prudentiſſimè ſugillarit. Grande inſtruxit conuiuium, & propriam auſus eſt augere gloriam, dum ſacratis vaſis inferri non timet irreuerentiam; verùm eadem hora litteræ parietis ſuperficie exaratæ audaciam in horrorem vertunt, & iam totus gelido ſtupore horret, qui in vaſa Numinis intrepidus audet: Scripturam interpretatus Daniel ſic ait: *Appenſus es in ſtatera, & inuentus es minus habens:* Verùm qua in ſtatera appenſus? Fallar, ni propriæ fuerit æſtimationis: nec enim ignorabat Baltaſſar, quæ ſupplicia Nabuchodonoſor pater, aut ſi mauis, auus ob faſtum ſuperbiæ tulerit: ergo dum ponderat rationis perturbatæ ſtatera propria pericula, laſciuiæque & ſuperbiæ commoda inuentus eſt minus apud ſeipſum haberi & pluris delicias illas inſaniſſimas æſtimari. Et quidem ſi ſeipſum non contemneret, appetentia pericula prudenter auerteret, & cupiditates cariſſimas temperaret: *Appenſus es in ſtatera*, ſcribit Hugo, *iudicij*; non ſolùm diuini; ſed proprij: ſi enim ſe voluptatibus prætuliſſet, caras adeò voluptates præ ſe prudentior nunquam amaſſet. O ſi te magni æſtimares, quàm te voluptatibus anteferres! Verùm ſic prudentia de mentis arce impulſa à voluptatibus deturbatur, vt homo ſe extremis adiiciat calamitatibus, vt ſibi euanidas quærat delicias, & volatiles deliciarum cupedias. 316.

Daniel. 5. v. 27.

Hugo.

§. LXVII.

Alia vitia plurimos, inſana diuitiarum vota ſubiugauere vniuerſos.

ADeò rationalis à ſe deſciuit natura, vt in ſeipſam furat vitiorum irritamenta ſitienter anhelans, & extremam ſibi calamitatem ſtulta induſtria elaborans: plures ſibi addixit Venus, plures obbruteſcunt ingluuie; verùm ab his nocentiſſimis peſtibus liberos inuenias non paucos; at inſanus diuitiarum amor ſic corda poſſedit, vt ferè nullum Noe reperias euaſiſſe naufragium. *Argento & auro*, aiebat Euſebius homilia 4. in Epiphan. *appetitur veritas, expugnatur integritas, iuſtitia vincitur, innocentia proditur, pietas fideſque violatur.* Iniuſtitia arietat æquitatem, laſciuia pudicitiam expugnat, vindicta charitatem exterminat; at aurum omnium vitiorum materia eſt. Lepidè Tertull, 317.

Euſeb.

Digitized by Google

Tertull. Tertullianus libro de pallio capite 3. primum parentem originali infectum metallo pronuntiauit datum : *Pellitus* inquit, *orbi vt metallo datur.* Iam homo cùm de originis loco exular, metallo datur : quaſi dicat Septimius : Qui maculam infelicem poſteris hæreditatem reliquit, hanc etiam auro ſubiugationem legauit : quaſi ex originali labe ſcatentia vitia non potuerint ſubſiſtere, niſi aſciuerint auri auxilia, & inſana diuitiarum ſuffragia. Ingenioſè expendebat Veronenſis Zeno (Zeno.) in Pſalm. 49. varia figmenta de auro, argentoque fingi, & ab ſtupidis adorari : *Colunt vani vana figmenta in quaſlibet formas vultus, ſexus, ætates, auri argentique detrimento matris limæ moderato dente figurata.* Auro oculorum Veneris figuratur pellacia, Dianæ de argento conſtant retia, Iupiter indemnis aureo fulmine in vitam deſæuit humanam: (Theogen.) *Omnibus hominibus*, aiebat Theogenes apud Stobæum de laude diuitiarum, capite 91. *Vna hæc virtus eſt poſſidere diuitias ; aliorum verò nullus eſt vſus: neque ſiquis prudentiam ipſius Rhadamanti haberet, & plura ſciret, quàm Syſiphus Æoli filius.* Hoc vnum mortalibus omnibus votum, hac veluti hæreditaria naſcuntur omnes inſania, ſcilicet hiandi auro, inhiandique argento. Ecce dum omnium tribuum geſta referuntur, hac peſtifera lue produntur litteris maculata: *Iebuſæum habitatorem Ieruſalem non deleuerunt filij Benjamin.* Poſteà de Manaſſe ſubiungit : *Manaſſes non deleuit Bethſan.* Addit adhuc : *Ephraim non interfecit Chananæum :* & ſic de aliis. Quod ſi inquiras cur legem violarint, reſpondebunt interpretes auri voto Numinis ſe oppoſuiſſe præcepto. (Hugo.) Adeſt Hugo Charenſis : *Paſſi ſunt eum, id eſt Chananæum viuere, & habitare cum eis, malentes habere tributum ab eis, quàm eos delere tranſgredientes mandatum Domini.* Sacra auri fames inſanis ignibus ſic omnium aduſſit corda, vt ferè vniuerſos docuerit Domini contempſiſſe præcepta.

318. Ioſeph, in cuius anima prata virtutum vernabant, ſic paternum ſanciauit amorem, vt aliis fratribus conciliarit inuidiam : cana iuuentute reſplendeſcebat prudentia ; adeoque illum ab exordio addixerat ſibi modeſtia, vt illum vti acerrimum hoſtem timuerit ſemper laſciuia. Itaque eximiis corporis dotibus ac gratiarum manibus totus factus fratres, quo debuiſſent allici, auertebat : inuidia namque turgidi præſagitam ex inſomniis pueri felicitatem nullatenus ſuſtinebant ; ſed vſque ad ſomnia ſolertis peſſimè, vigilantiſque inuidiæ ſtimulum extendentes opportuna occaſione necem meditantur: (Gen. 37. v. 19) *Ecce ſomniator venit, venite occidamus eum.* Necis conſilium Ruben deteſtatus eſt, induſtriaque cautela aggreſſus eſt inuidos placare, & à cæde fratrem eripere : *Hoc dicebat volens eripere eum de manibus eorum, & reddere patri ſuo.* Fraterna charitas vnius torquebat viſcera; at reliquorum præcordia fœdis æſtuantia flammis poſſederat inuidentia. Diſceſſit Rubenus eripiendi de ciſterna puerum opportunum tempus expectans; verùm interim reliqui naturam cauponati ingenuum pro notho puerum damnant ſeruitute: cúmque ciſternam repetens vacuam fratre reperiret, in clamorem effuſus eſt : *Puer non comparet, & ego quo ibo?* Ploratus reliqui, vt videtur, ſedarunt, & iam communi voto veſtem in ſpeciem cædis compoſitam patri remittunt: *Tulerunt tunicam eius, & in ſanguine hœdi, quem occiderant, tinxerunt.* Rogant ſacri interpretes cur Ruben, qui fratrum priùs improbarat conſilia, veſtis patri non renunciarit commenta? Chryſologus, Philoque Iudæus teſtantur Ruben (Chryſol.) vt reliquos auro deprauatum, & accepta ob venditionem pecuniæ parte corruptum. Audi Chryſologum ſerm. 29. *Aurum patriarcharum ſtirpem, progeniem ſanctam, totam germanitatis ſingularem coronam adeò corrupit, & totius reddidit pietatis exortem, vt Ioſeph Ægyptiis, fratrem barbaris, innocentem noxiis, ingenuitatem traderent ſeruituti.* Expende verbum illud: *Germanitatis coronam :* quaſi dicat Chryſologus: totam germanitatis coronam non poſſedit inuida rabies, truculenta ſæuitia, brutalis feritas; quandoquidem Ruben conſilij expers maluit charitati inſeruire, quàm germanis inuidis aſſociari ; at aurum ſic omnes corrupit, ſic animos omnium ſubegit, vt Ruben etiam veſtem cruentatam patri remitteret cædis mendacium, ne venditionis amitteret pretium. Adſtipulatur Philo de Ioſeph : (Philo.) *Faſſis venditum ; & pretium proferentibus : Bella, inquit, negotiatio, partiamur lucrum, & prædonum, quos malitia vincimus, referamus premium.* Qui ſuaſus non fuerat cædis conſilio, facilè deprauatus eſt auro, & quem ſibi non vendicarat crudelitas, vt reliquos ſubiugauit cupiditas : tanta eſt ad mores corrumpendos auri eloquentia, tanta diuitiarum inſania.

319. Nabucho dum inflatiſſimam ſuperbiam vltra naturæ metas extendit, & Numinis adorationes exambit, ſtatuam in campo adorandam proponit : quam populi omnes adorant, & celſiorem Numinibus clamant : (Daniel. 3. n. 7.) *Cadentes omnes populi tribus & linguæ adorauerunt ſtatuam auream.* Vides præter ingenuos tres pueros ſtatuam reliquos adoraſſe; tranſi modo cogitatione ad tertium Eſther, vbi Amanus Hebræorum populum accuſat de idololatriæ contemptu, de patriæque legis cultu : (Eſther 3. v. 8.) *Eſt populus per omnes prouincias regni tui diſperſus, & à ſe mutuò ſeparatus nouis vtens legibus, & cæremoniis: inſuper & regis ſcita contemnens.* Si tribus ſtatuam adorant exanimem, cur Aſſueri regis ſcita contemnunt, & auitas, patriaſque leges nullatenus derelinquunt ? ſi in Suſan eiuſque prouinciis Hebræos non ſubiugauit prauitas, cur Babylone imaginis vicit proceritas ? Explicuit textus, dum Nabucho ſtatuam propoſuiſſe auream teſtatus eſt : *Fecit ſtatuam auream:* ea namque eſt auro vis ad mentes deprimendas, vt omnes ceſſerint auro, etſi alij ab aliis ſe in Suſan expedierint delictis : *Conſtruit imaginem auream,* inquit Theodoretus (Theodor.) orat. 3. *altitudine habentem cubitos ſexaginta, latitudine cubitos ſex, quam cùm in æqualiter plano campo ſtatuiſſet, vt æqualiter omnes ſuperaret, & ab omnibus æquè cerneretur, ab omnibus ſibi ſubiectis eam iubet adorari : non ſimplex autem hic ſuperbiæ modus fuit; ſed Deo apertè repugnans, & Deo infeſtus.* Addi poſteà Theodoretus : *Videbat omnes imperata facientes.* Aſſuerus omnes non vidit imperata facientes; imò ſi Amano creditur impiis quantumuis regalibus decretis viriliter repugnantes; at Nabucho omnes vidit ſtatuæ infami adoratione proſtratos: nec mirum, aurea namque erat, & quamuis alij ſe plures denegarint

Digitized by Google

criminibus,ferè nullus ſe auri non ſubegit cupi-
ditatibus,imò,ſi fas eſt dicere,grãdius,ſumptuo-
ſiuſque miraculum fuit tres illos ſanctiſſimos
pueros auri tyrannidem excuſſiſſe,quàm igneos
horridæ fornacis globulos intrepido ac innoxio
pede calcaſſe.

320. Hanc auri vim ponderabat lepidiſſimè citatus
Chryſol quando ex illa vituli hiſtoria conſtat
non ſolùm menti tenebras offudiſſe; ſed quo-
dammodò naturam ipſam mutaſſe. Deos ſibi
populus producere cupit, vrgetur Aaron, &
tandem illis conflat vitulum aureum,quem in-
ſanis ſumptibus celebrant ſuggeſtu elatum, &
pabulo brutali innutritum:*Hi ſunt dij tui Iſraël.*
Non potuit auri vis apparere efficacior, quàm
Exod.32. dum docuit homines aurum eſſe Deum vel con-
v.4 ſpecta brutalitate:vitulus brutalem oculis offe-
rebat naturam, rationis prorſus expertem; ſed
aurum latere ibi perſuaſit diuinitatem. Audi
Chryſ. Chryſologum vbi ſupra: *Aurum Iudaicum po-
pulum ſic ſuo captiuauit aſpectu, vicit illecebris,
ſpecie perdecepit, vt hoc eſſe Deum crederent, &
Deum verum, Deum tot beneficiis cognitum dene-
garent: ſic conuertit homines in iumenta, vt vituli
caput caput ſuum crederent,& omnium rerum ca-
piti caput pecudis anteferrent.* Alia crimina iam
hos,iam illos ſubiugarunt; at vitulus aureus
populum ſibi ſubiecit,& præ ipſo Numine ado-
rare cæciſſimos docuit.

321. Fingebant antiqui Venerem aureos radios ex
oculis iaculari,quaſi minus fideret pulchritudi-
Euripid. ni,& plus de cupiditate ſperaret.Optimè Euri-
pides apud Stobæum citatũ:*O aurum pulcherri-
ma felicitas hominibus:nam neque mater huiuſmo-
di voluptatem habet: non tam liberi hominibus,ne-
que tam liberis charus pater eſt.* Subdit lepidius:
*Quod ſi Venus tales habet oculorum radios,non mi-
rum eſt infinitos amores eam alere.* Allicit venu-
ſtas;ſed auri plures captiuauit cupiditas :ab au-
ro mutuatur vires pulchritudo,& veneris oculi
ſunt gratioſiores,quia diuites.

322. Miris Deus populum de Ægyptiaca ſeruitu-
te nitebatur ſtudioſiſſimè extrahere; verùm ipſi
Exod.5. ſuis calamitatibus auxiliantes Moyſem repelle-
v.21. bant,& eius facta improbabant: *Fætere feciſtis
odorem noſtrum coram Pharaone* Quid tunc? Iu-
bet Deus Hebræorum quemque vaſa aurea, ar-
genteaque petere, quibus acceptis ſic alacriter
viam arripiunt, vt illos nec currus nec equites
comprehenderint, quamuis veloci curſu tenta-
uerint: *Poſtulet vir ab amico ſuo,& mulier à vi-
Exod.11. cina ſua vaſa argentea & aurea.* Rupertus apud
v.2. Lippoman. ad Exod 14. hanc tradit excogitaſſe
diuinam prouidentiam artem, vt omnes eripe-
ret,& feſtinantiùs viam carpere perſuaderet: *Vt
ſpoliis Ægypti potius filij Iſrael, quanto cupidiùs
onuſti,tanto libentiùs ac properantiùs irent ad im-
perium Domini.* In Ægypto commorantes im-
Rupert. probis incolarum exemplis vitia didicerunt; at
non omnes corrupti ſunt, non omnes ſceleri-
bus conſtuprati; at ſic auro omnes inhiarunt,
vt ne amiſerint, per vortices maris inceſſerint.
O quanta ſuaſit pericula aurum, quanta docuit
diſcrimina argentum! Sed profundiùs rem in-
ſpiciamus. Deus, quo ad ſaniorem mentem
Ægyptios reducat, variis multiplicibuſque fe-
rit, & referit plagis; grandine illorum fructus
cùm iam iam ſpebus adularentur, terit; at etſi
Exod 10. grando terræ fructus aduſſerit quid locuſtæ &
v.5. ærugini inuenitur reſeruatum: *Ecce ego in-
ducam cras locuſtam* aiebat Dominus, *in fines
tuos, quæ operiat ſuperficiem terræ, ne quidquam
eius appareat; ſed comedatur, quod reſiduum fue-
rit grandini.* Variæ plagæ varia perdiderunt, non
omnia prorſus vaſtarunt; at cupiditas omnes
Ægyptios poſſedit, & naufragio tradidit: *Dixit
inimicus: Perſequar, & comprehendam, diuidam
ſpolia,implebitur anima mea.* Vbi cupiditas, ibi &
temeritas: amore auri ſic omnis Ægyptiorum
populus inflammatur, vt certatim inuolet, &
naufragium ſibi imprudentiſſimè paret: *Imple-* Lippom.
bitur anima mea, id eſt, *diuitiis eorum replebor*,vt
exponit Lippomanus.Omnes cupiditas demen-
tauit;varios varia plaga percuſſit:vt noueris cæ-
teris vniuerſaliorem hanc peſtem, & nocentiſ-
ſimam ſemper luem. Nullus ex Ægyptiis re-
manſit:*Nec vnus quidem ſuperfuit ex eis*:quia au- Exod.14.
ri ſacra fames omnes & poſſedit, & vorticibus v.28.
tradidit.

§. LXVIII.

*Felices poſteri,quibus parentum virtus aſ-
ciſcit auxilia, & generoſè repudiata
legauit præmia.*

FOrtunata ſanè familia, quæ à ſanctitatis 323.
deſcendit Heroibus: adit namque plura vir-
tutis commoda, quin ſæpè patiatur auſtera: ſi-
ne pugna coronatur, & excuſato laboris cenſu
triumphis glorioſiſſimis redimitur:maiores pro-
fectò non ſemel dum aſperis auſteritatibus ſibi
mortem præmaturant, longiſſimam poſteris vi-
tam & ſalutem veluti teſtamento delegant:frui-
tur familia commodis, & de alieno felicitatem
ſuam labore cumulat, & fortunam excuſato
ærumnarum cenſu incrementat: *Domus Ioſeph*,
inquit textus, *aſcendit in Bethel, fuitque Domi-
nus cum eis.* Et cur Ephraimitæ,Manaſſenſeſque
propriis non appellentur nominibus,cùm triũ-
phant deuictis hoſtibus? Quia triumphus, in-
quit Caietanus hîc, non tam illorum militari
robori, quàm parentis adſcribi debuit virtuti.
Ioſephus dum patienter ſuſtinet fratrum odia,
dum procacis dominæ fugiens fruſtratur deliria,
dum cuſtodiæ incluſus vincula patitur ferrea,
poſteris ſuis ſeuit gloriam, & modò immorta-
lem demetunt famam. *Bonum opus*,inquit Caie- Caietan.
tanus, *nec Ephraim, nec Manaſſi; ſed domui Io-
ſeph attribuitur, ad inſinuandum quod merito pa-
triarchæ Ioſeph Deus opem tulerit.* Nec Ephraim,
nec Manaſſes lauris redimiti vigerent, ni exi-
mium adeò prædeceſſorem habuiſſent. Ioſeph
vinculis compeditus poſteris excudit felicita-
tem,& ſuſtinendo patienter opprobria ſuis ho-
ſtilia meritis eſt adeptus trophæa: temporale
poſteris peperit lucrum, quod Ioſepho tem-
poralium fuit detrimentum: poſteri venum-
dationis eius lucrantur pretium: quia ille ſu-
ſtinuit ſeruitutis opprobrium: *Merito Patriar-
chæ Ioſeph Deus opem tulit.* Filij florenti redi-
miti reſplendent lauro, quia Ioſeph candenti
aduſtus eſt ferro:& quod ille ferrum ſigillatus
patienter tulit, in hoſtes feliciſſimè militauit.
Recordor modò Beatiſſimi Patris Noſtri Fran-
ciſci Borgiæ, è cuius familia nobiliſſima tres
Summi Pontificatus adepti ſunt dignitatẽ:quia
ille ter galeri purpurei recuſauit honorem:eius
inopia

Digitized by Google

inopia facti ſunt poſteri diuites, & de eius humilitate glorioſi. Hæc quidem familia, vtpote Regio ſanguine prognata ſemper floruit ſæculis ſuſpicienda; at plus modo de parente Borgia, quam de atauis Regibus, omnibus hominibus veneranda; ſoluet namque iuſtiſſimus iudex filiis æternam ad laudem, quæ patri ob heroicas virtutes debuit, & ille animo generoſiſſimo repudiauit.

324. Abrahamus fraterna charitate compulſus vernaculorum cogit exercitum, vt in priſtinam libertatem reſtituat Lotum captiuum: ceſſit feliciter prælium, quod non inanis gloriæ conſulebat ambitio; ſed fraterna aggrediebatur dilectio: ouanti Sodomorum rex ditiſſimas manubias offert, quas ille bis triumphator generoſius abiecit: (Geneſ. 14. v. 22.) *Leuo manum meam ad Dominum Deum excelſum poſſeſſorem cæli, & terræ*, inquit Abrahamus, *quòd à filo ſubtegminis vſque ad corrigiam caligæ non accipiam.* (Geneſ. 15. v. 5.) Quid tunc? Foras eum educit Dominus & iam poſteros de luce cum aſtris contendentes oſtendit: *Suſpice cælum, & numera ſtellas, ſi potes: & dixit ei: ſic erit ſemen tuum.* Ecce poſteri nobiliſſimis emicant radiis, dum pater hoſtilibus renuntiat manubiis. O quàm lucroſa proſapiæ fuit renuntiatio parentis, & eximia virtus progenitoris! Quas ille non accepit diuitias, adierunt filij vti hæreditarias. Generoſus diuitiarum Abrahami deſpectus grandis fuit diuitiarum poſteris cumulus. (Fauſt.) Huc voco quod aiebat Fauſt. hom. de Sancto Maximo Epiſcopo Lirinenſi: *Vobis iſte athleta Chriſti in illo agone ſudauit; vobis dum ſe excolit, fructificauit, ſibi illic ſerens, vobis colligebat; ſibi quærens, vobis neſciens acquirebat, ſibi paraturus præconia, vobis ſoluturus vſuram.* Quæ parentes egregia repudiauere modeſtia, grandi illorum ſati adire ſolent vſura. Multiplicant filiis præmia: quia virtutibus debita, & quia deſpectu generoſiſſimo repudiata. Ergo Ioſephi filij feliciter ſemper aſcendunt ad honoris faſtigium: quia ille in Ægyptum deſcendit vſque ad ſeruitutis opprobrium. *Domus Ioſeph aſcendit. Merito Patriarchæ Ioſeph.*

325. Dauid morti proximus filium monet, vt filiis Berzellai reddiderit gratiam, & ad Regiam conſidere fecerit menſam: (3. Reg. 2. v. 7.) *Filiis Berzellai Galaaditis reddes gratiam, eruntque comedentes in menſa tua.* Et quæ gratia reddenda filiis Berzellai? Profectò illa, quam ipſorum pater prudentiſſimè repudiauit, vt extra curiæ tumultus impendenti morti conſuleret. Aiebat Dauid Berzellai eius fidelitatem remunerans: (2. Reg. 19. v. 33.) *Veni mecum vt requieſcas ſecurus mecum in Ieruſalem.* At grandæuus ſenex, etſi vt opitularetur regi periclitanti, oblitus fuerit ætatis impedimentum, allegauit tamen prudentiſſimè ſenectutem, vt regium declinaret fauorem, quaſi plus illi à palatinorum timendum fuerit inuidia, quàm à rebellium audacia: *Quot ſunt dies*, inquit, *annorum vitæ meæ, vt aſcendam cum Rege in Ieruſalem?* Ecce ne curiam intret, allegat impedimentum ætatis, qui duris in caſibus recordatus non fuerat obſtaculum ſeruitutis. Profectò hæc filiis fuit repudiatio lucroſa: nam quod ipſe meruit, ſcilicet curiam intrare, & regia familiaritate vti, dum repudiat generoſus, filiis delegat prouidentiſſimus: *Dixit ei Rex: Mecum tranſeat Chamaan, & ego faciam ei quidquid tibi placuerit.* Ecce cum Berzellai in curia ſolum fuerit habitatio promiſſa; filiis tamen Regia menſa ad honorem & vtilitatem conceſſa. Et quæ huius incrementi fuit cauſa? Quia etſi fidelitati debita fuerit in curia circa regem habitatio, iam generoſæ honoris renuntiationi etiam debebatur conſeſſio: ergo filij adaucto fruuntur præmio, altero ſcilicet quod fidelitas meruit, & altero, quod humilitas repudiauit. O felices poſteri Berzellai maiorem ſortiti, quandoquidem ſine labore potiti ſunt præmio, quod ille ſoletti virtutis promerebatur ſtudio. (Sanct.) *Illi rex*, ſcribit noſter Sanctius ad 3. Reg. 2. *gratiam rependere voluit, neque tamen ille prudens admiſerit.* Addit poſt pauca: *Huius vocis Dauid, atque promiſſi memor commendat Salomoni filio, vt illius viri filios regia liberalitate complectatur, & ſecum eiuſdem conuictus, & menſæ faciat eſſe conſortes.* Expende illud: *Vocis & promiſſi memor*, id eſt repudiationis, & liberalitatis: liberalitati namque, qua regem aluit, debebatur quod Dauid promiſerat, filios ſecum habere in curia, & generoſæ repudiationi regali paſcere menſa. Itaque pater, dum recuſauit præmium, præmiorum filiis adauxit cumulum: bis fortunati filij, & quia parens præmium fideliter meruit, & quia humiliter recuſauit.

326. Cinæi filij felicitate fruuntur, & inter Hebræos triumphis coronatos morantur: *Filij Cinæi cognati Moyſi aſcenderunt de ciuitate palmarum cum filiis Iuda in deſertum ſortis eius, quod eſt ad meridiem Arad, & habitauerunt cum eo.* Quærunt interpretes cur Iudæi adeò gratè Cinæos exceperint, curque Cinæi non tam deprecaturi, (Iudic. 16.) quàm ſibi debitum accepturi inuolarint? Tradit rationem textus Numer. 10. Hobab namque horum pater pro oculis fuit filiis Iſraël in deſerto: *Tu noſti in quibus locis*, aiebat Moyſes, *caſtra ponere debeamus. Dum maneremus in deſerto*, Oleaſter hic ad litteram legit: *fuiſti nobis pro oculis.* (Numer. 10. v. 31. Oleaſt.) Itaque Cinæus fuit de Hebræis benemeritus: illi Moyſes, vt vicem redderet, optima poſſidendæ terræ promiſit gratus: *Quidquid optimum fuerit ex opibus, quas nobis traditurus eſt Dominus, dabimus tibi.* Quid tunc? Prudentiſſimus ſenex promiſſum audiuit lætus; non tamen admiſit, quia nullatenus ambitioſus: *Non vadam tecum; ſed reuertar in terram meam, in qua natus ſum.* Itaque generoſo deſpectu, quæ ſibi offerebantur, Cinæorum pater repudiauit, quod in magnum filiorum euaſit commodum, & honeſtiſſimum lucrum: modò namque ſoluerunt Hebræi filiis ingenti fœnore, quod pater reſpuit, & filiis reſpuendo reliquit. Adeſt Abulenſis quæſt. 17. (Abulenſ.) *Modicum temporis, quod ſibi conceſſum putabat, volebat potiùs in natali ſolo tranquillè agere inter ſuos. Cùm autem mortuus eſt, quod fuit ante annum quadrageſimum manſionis Iſraelitarum in deſerto... iuſſit poſteris ſuis quòd irent cum Iſraëlitis in terram Chananæorum, vt ibi ſuſciperent ab Iſraëlitis bonum, quod promiſerant facere ipſi, vt patet Num. 10.* Quia patri eripiendæ ab hoſtibus terræ optima fuere promiſſa, & ab illo repudiata; modò filij ampla mercede remunerantur, & præmiis digniſſimis afficiuntur. Fors ſi aduentaſſet pater, illi vnico præmium fuiſſet dilargitum, & præmio vnico obſequium remuneratum; at dum ille recuſauit admittere, ingenti fœnore ad poſteros delegauit: non eſt Cinæis, quod accipere recuſauit pater, amiſſum; ſed in commodiora tempora reſeruatum: multiplica

Digitized by Google

tiplicatum eſt lucrum, quod modò poſteri accipiunt, & Hebræi grato animo ſoluunt.

327. Vitulum in Deum conſtruxerat, & inaugurarat brutalis ille populus: & quis alius ſalacium Deus, niſi vitulus laſciuus? Cumque execrandis adeò piaculis iracundia Numinis inflammata dignas tanto ſcelere pœnas ſumere iam pararet, Moyſes quo ardentiſſimas flammas indignationis ſopiret, in hunc modum virtutes parentum oppoſuit: Recordare Abraham, Iſaac, & Iſraël ſeruorum tuorum quibus iuraſti per temetipſum dicens: *Multiplicabo ſemen veſtrum ſicut ſtellas cæli, & vniuerſam terram hanc, de qua locutus ſum, dabo ſemini veſtro* Iacob pane & aqua contentus promiſſis cæteris renuntiauit: *Si dederit mihi panem ad veſcendum*, &c. Iſaac ſe libenter altaribus obtulit: Abraham idololatriæ errores fugit: ergo Moyſes allegat promiſſionis terram patribus ob heroicas illorum virtutes debitam, nec ſolutam; filiiſque reddendum quidquid à parentibus repudiatum, quantumuis illorum cæca temeritas deliraret, & liberalitatem Numinis impediret. Quæ ratio adeò efficax fuit, vt Deus placatus iram cohibuerit, & ſententiam abrogarit. Ecce poſteri de maiorum virtute euaſerunt pœnas, quando propriis ſceleribus iræ ſuſtinuiſſent ardentes flammas: *Patres qui diliguntur*, ſcribit Auguſtinus apud Gloſſam, *intercedunt pro filiis, qui offendunt, nec merentur audiri: quia bona Sanctorum patrum ſæpè ſubueniunt filiis.* Ecce terram poſſident illæſi, iram Numinis euadunt indigni: quia celeberrimi virtute maiores delegarunt filiis ampliſſima merita, quæ contra Numen ipſum ab ipſo Numine impetrauerunt auxilia.

Exod. 32. v. 13.

Genes. 28. v. 20.

Aug.

---

§. LXIX.

Etſi iuſtorum multiplici calamitatum genere erudierit vitam, poſt mortem Deus nominis curat ſtudioſiſſimè famam.

328. Liceat aliquando Deo in bonum, quod hominibus licet in malum: quantum ad ſimulacra nihil aliud deprehendes, quàm materias vaſculorum ſorores, inſtrumentorumque communium cognatas: ex eiſdem fiunt vaſculis, eiſdemque ingenioſis elaborata emicant inſtrumentis: fatum conſecratione mutant, artis ingenio transfigurante, & ipſis contumeliis ad ſuggeſtum gloriæ euehente. Notabat iam Tertullianus lib 2. apolog. cap. 12. *Quod ſimulacrum non priùs argilla deformat, cruci & ſtipiti ſuperſtructa? In patibulo primum corpus Dei veſtri dedicatur. Vngulis deraditis latera Chriſtianorum; at in Deos veſtros per omnia membra validiùs incumbunt aſciæ, & ruſcinæ, & ſcobinæ.* Mordet acuta lima materiam; ſed dum incumbunt aſciæ, oritur de contumelia ſplendor, de labore nitor: paulò poſt lima excultum, & ignibus defæcatum, quod erat maſſa communis, tranſit in Deum, & contumelioſæ ad ſpeciem artificis manus poſt varias preſſuras, & preſſurarum moleſtias ad diuinitatis honorem euehunt, & flamine ac Sacrificulis colendum produnt. *Si per hæc conſtat diuinitas aliqua*, addit Septimius: *ergo qui puniuntur, conſecrantur.* Profectò iuſtus de communi naturæ maſſa; ſed variis tribulationibus excultus, & dente laborum ad inſtar limæ deterſus tranſit in maieſtatis nitorem, & aſſiduis, moleſtiſque laboribus expurgatus proponitur; cæteris venerandus, & honore ſummo colendus. Vt de iuſtis, quod de idolis, opportunius ſcribat Tertullianus: *Quaſi fatum conſecratione mutantes, licentia artis transfigurante.* Transfigurat licentia, & quidem ad ſpeciem contumelioſa rudem maſſam in Deum, & compenſat cultu, quod artificioſa preſſerat manu. In Chriſtianum iam à laboribus expunctum, vti in elaboratum idolum non audet iam lima; ſed labores compenſat obſequioſiſſima reuerentia: commutantur quidem vices, & qui improbitatis alumni in vita fulgebant, poſt mortem in communem maſſam redacti deſpiciuntur & prorſus obliterantur. Econtra qui iuſti vileſcebant, & vario calamitatum genere expoliti laborabant, ipſo initiante labore fortunam mutant, & quam impenderant afflictionibus patientiam, ad venerationis recuperant gloriam: vtque idolo per contumelias etiam elaborato nulla irrogatur iniuria; ſed cultus exhibetur religioſiſſimi reuerentia, ita iuſto laboribus iam excocto, purgatoque exhiberi curat Deus venerationis obſequia, etſi anteà feciſſe viderentur honoris, & commoditatis naufragia. Ecce dum Ioſeph poſteri triumphis coronantur, nomen parentis auditur: *Domus Ioſeph aſcendit in Bethel*; ſed cùm poſteà cupiditate corrupti degenerarint, iam Ioſeph nomen tacetur, & ipſis proprium auditur: *Manaſſes non deleuit Bethſan, Ephraim non interfecit Chananæum.* Et cur modò ſub nomine Ioſeph non cenſeantur, qui paulò antè ſub hoc titulo deſcribuntur? Quia maximæ curæ Deo fuit, ne Ioſephi nomen aliquali macula obſcuraretur; ſed toto ſplendoris cumulo ſemper fulgeret, & ab omni nota prorſus alienum micaret. *Malum*, inquit Caietanus hic, Caietan. *non attribuitur filiis Ioſeph; ſed nominibus propriis Manaſſis, & ſimiliter Ephraim.* Sed videamus cur modò Deus à nomine notæ ſtudioſiſſimè depulerit vmbram, cùm nec calamitate, nec infamiæ nota olim liberarit perſonam. Inuidentiæ enauigatis fluctibus ſeruili adteritur ferro, amores mulieris impotentes repudians premitur infami catena adulteri obſcuratus infamia. Si ergo Deus tot Ioſephum calamitatibus ſuperſtitem obſcurauit, cur modò totus eſt in vindicando nomen à leui nota, nec patitur obſcurari; ſed reportatis de hoſtibus triumphis pleno ſplendore fulgere? Ipſum dubium dubij eſt enodatio: quia dum Ioſeph viueret, per labores, per contumeliaſque excolebatur ad thronum; at poſt mortem, quia iam excultus, debuit vtpotè omnibus venerandus à leuiſſima etiam nota diſtare, ac integra honoris fama fulgere, Adaptemus Tertulliani Ioſepho verba: *Per hæc conſtat diuinitus, & qui punitur, conſecratur.*

Tertullian.

Chriſtum Dominum in crucem egit truculentiſſima liuoris ſæuitia, & tabida æmulationis dementia. Profectò dum morborum depulſori inuident, ſibi ipſis inſani nocent. O quàm gehennalis morbus probatur inuidia, quando ipſo medicamine acuitur, & remedio exaſperatur! Claudorum, aridorum, cæcorum reformabatur natura, & non tulit deliniri à virtute tanta inuidentia: denique cum iniquis deputatus eſt, vti regni ambitor, & ſcelerum pernicioſiſſimus 329.

Digitized by Google

ſiſſimus doctor: ceſſit Pilatus furori, & quia priùs propriæ ſe ambitioni ſubiugarat, timuit factitias calumnias, & ad Cæſarem delatas querelas: *Tradidit eis illum, vt crucifigeretur.* Adhuc Ioan. 19. v. 16. crucifixo inuidebant, & titulum delendum pertinaci ſtudio curabant: ſtetit tamen Pilatus priori ſententiæ, nec maculam paſſus eſt inferri titulo, qui viuentem ſæuiſſimo diſcruciarat tormento: *Quod ſcripſi, ſcripſi.* Chryſoſtomus apud D. Thomam diuina prouidentia Pilatum aſſerit retardatum, & ab inurenda nota deterritum. O ſapientiam immortalem! Eadem cauſa, quæ inſeruierat crimini, eſt ancillata virtuti: Pilatus namque auctoritatis percupidus Scribarum ceſſit furori, vt innocentiam cruci traderet, & auctoritatis cupidus adduci non potuit, vt titulum exaratum deleret: *O culta vox quædam Pilato intus quodam, ſi dici poteſt, clamoſo ſilentio perſonabat, quod tanto antè in Pſalmorum litteris prophetatum eſt: ne corrumpas tituli inſcriptionem.* Eiſdem, quibus Chriſtus Dominus diſcruciabatur tormentis, æternabat titulum, & peruerſum aduerſariorum eludebat ſtudium. Sed videamus: ſi paſſus eſt Deus cum iniquis deputari, cur non ſuſtineat, de titulo nomen deleri? Quia titulus ille demortui, crucique affixi vociferabatur ſæculis gloriam; at dolores, calumniæque viuentis infamauerant vitam: quamuis ergo Deus viuentis virtutem infamia ac labore, ſi fas eſt dicere, ad noſtram doctrinam expoliuerit, excolueritque citiſſimè morituro, & ferè cum mortuis iam deputato notam inuri non tulit; ſed aduerſus mundi potentiam regem ſæculorum aſſeruit: demortuo celebris erigitur titulus contra inuidentiæ calumniam, & contra aduerſariorum potentiam: vt nouerint iuſti Deum non oblitum, quantumuis ad tempus calamitatibus virtutis claret conſtantiam, & fortitudinis gloriam.

330. Diues ille, qui cum vita heluationis non depoſuit amentiam, dum Lazarum videt Abrahami ſinui incubantem, ardet, & tantam gloriam mentito proximorum ſalutis zelo, refrigerioque proprio allegato obſcurare ſtudioſiſſimè diſcupit. Cum Abrahamo contendit, & ex mortuis Luc. 16. v. 30. legatum opportuniorem fore atteſtatur præſumptuoſiſſimus: *Non pater Abraham; ſed ſiquis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent.* Quis fuerit huius petitionis ſcopus, Patres inquirunt: inter alios Chryſologus cæcitatem diuitis prodidit, & ſtudium petitionis oſtendit: deſiderabat heluo, vt emortuus Lazarus iterum gemitibus premeretur, vt dum poſt mortem conſpiciebatur afflictus, nullatenus haberetur ab hominibus virtutibus decoratus: *Sub ſpecie pietatis,* ſcribit ſerm. 123. *ad priſtina vulnera, ad præteritos gemitus Lazarum vult redire;* verùm vt agnoſcas nihil contra demortuos iuſtos diuitum valere potentiam, Magnatum inuidiam, Abrahamus petitionem irriſit, & Lazarum aſſeruauit. *Sine Lazarum,* ſcribit nomine Abrahami Chryſologus, *tantos requieſcere poſt labores.* Chryſoſt. Quaſi dicat: licèt dum viueret, multiplici dolorum genere Deus Lazarum expoliuerit, etſi vti ſtercus tellure proiectum permiſerit conculcari, non tulit technas in ipſum poſt mortem præualere, nec ſplendorem eius gloriæ ſuſpicionibus obſcurari: potuit diues calcare viuentem iuſtum; ſed non poterit dehoneſtare demortuum. Nomen Lazari viuet in æternum ſplendoribus redimitum, ſi ærumna, ſi ignominia torſit Lazarum vulneribus diuexatum.

Dei propheta fame aliquantulum inſtigante à catabolicorum antiſte falſus Domini præceptum violauit: citiſſimè cibi auiditas tulit auiditatis leoninæ pœnam: leo vianti occurrit, vita priuat, vt pœna abſtulerit maculam: *Inuenit eum leo in via, & occidit, & erat cadauer eius proiectum in itinere, aſinus autem ſtabat iuxta illum, & leo ſtabat iuxta cadauer.* Quærunt Patres, 3. Reg. 13. v. 24. cur leo mortuo nullam inferre auderet iniuriam, cum viuenti abſtulerit vitam? Dei indignationis miniſter inter brachia prophetam ſtringit, & cadauer nec fame irritatus tangit. Deſpexit ne peccatoris cadauer bellua? Imò veneratus eſt leo demortuum, cui intulerat pœnas viuo: tormentum illud decreuit Deus, vt leuis illa culpa penitus abſtergeretur: ergo quia iam ſpiritus omni deterſa culpæ rubigine æternitati viguit conſecratus, & honor debebat manere illæſus; non paſſus eſt Deus prophetæ amicoque ſuo poſt mortem inferri iniuriam, etſi leuiter, citoque credentem vita mulctarit ad pœnam: *Iſte idem leo,* ſcribit Rabanus & Eucherius apud Raban. Gloſſam, *qui viuentem præſumpſit occidere auſus contingere non eſt occiſum; qui enim occidendi habuit poteſtatem, de occiſi cadauere comedendi licentiam non accepit: quia is, cuius culpa in vita fuerat punita, erat iam iuſtus ex morte.* Ipſa pœna à ſuperſtite lata erat poſt mortem tutela, & aſſeruabatur demortui honor ipſo, quo fuerat comedentis punitus error, vel à belluis habitus fuit in veneratione demortuus, qui à feris conſternatus eſt viuus: vtque planiùs veritas hæc in hoc ipſo propheta innoteſcat, tranſi mente ad 4. Reg. 23. vbi cùm Sacerdotum oſſa poſt mortem piiſſimus Ioſias nigris traderet flammarum vorticibus, vt à rationabili flamma peſſimorum abſumerentur & nomina, in huius Prophetę ſepulchrum incidit, & cùm de illo curioſiùs quæreret; *Quis eſt titulus ille, quem video?* Hoc à ſe- 4. Reg. 23. v. 17. nioribus audiuit reſponſum: *Sepulchrum eſt hominis Dei.* Quærunt Patres quid in hoc titulo ſpecialius fuerit, quod Regis oculos allexerit, & in dubitationem adduxerit. Reſpondent Hebræi apud Lyram, eam ſepulchri partem, quam prophetæ oſſa occupabant, balſamum ſpirare, & floribus ſemper micantibus redimiri: *Vidit ex alio latere herbas bonas, & ſuauiter redolentes vt* Hebræi. *balſamum.* Annuit Lyra putans titulum hono- Lyra. ris ibi præfixum, vt hominis ſanctitas noſceretur: *Fecerat ibi ſignum notabile* (qui fefellerat) *& ſcripturam, per quam cognoſcebatur quod erat ſepulchrum prophetæ Sancti.* Non potuit honor reſculpi poſt mortem: *Nemo commoueat oſſa eius: & intacta manſerunt.* Quamuis iacuerit in via ob admiſſam culpam graui tormento, fama fragrabat poſt mortem balſami auxilio. Nulla eſt potentia contra demortui iuſti famam: quia Deus ſuam circa illos oſtendit ſtudioſiſſimam prouidentiam. 331.

Digitized by Google

§. LXX.

Iuſti internis gaudiis exultant pleni, etſi externo cortice ſordeſcant horridi; iniqui intus marceſcunt horridi, exteriùs reſplendent fulgidi.

332. VT Deus iuſtus eſt,& amicitiæ legũ eximiè cultor, vera iuſtis procurat commoda, & pretio digna: iſti, quos pro felicibus aſpicis, ſi non qua occurrunt; ſed qua parte latent, videris, infortunatos reperies, & quos priùs admirabaris vti miſerorum ac infelicium miſereberis: bona falſa circunferunt, & inanes animos gerunt, ac veluti longo ac fallaci ſomno deluſos: intus nihil boni eſt, vt nihil mali apparet exteriùs: florent ad ſimilitudinem parietum ſuorum extrinſecus culti, cùm interiùs culparum caliginibus, & errorum tenebris marceſcant horridi: non eſt hæc ſolida & ſyncera felicitas, cruſta eſt, & quidem tenuis: licet illis exiguo tempore ſtare, & pompaticè refulgere; ſed ſibi imponunt dum nitent: citò illis irata fortuna tranquillitatem diſturbat, & quantum veræ altæque fœditatis ſub mentito illo ſplendore fuerit abſconditum, non ſine dolore oſtendit. Opportunè Seneca lib. de prouidentia cap. 6. *Vobis*, Seneca. iuſtos alloquitur Dei nomine, *Dedi bona certa, manſura: quanto magis verſaueritis, & vndique inſpexeritis, maiora, melioraque: permiſi vobis metuenda contemnere, cupienda faſtidire: non fulgetis extrinſecus, bona veſtra introrſus obuerſa ſunt.* Iuſti dum putantur calamitatibus premi, inueniuntur tranquillitate potiri; imò illis eſt malacia, quæ repugnantium ſibi ventorum exiſtimabatur procella: non eximuntur duris; ſed inuicto animo geſtant, & quibus putares anxiè premendos, inuenies vti triumphatores ſæculo celebrandos. Ecce Ioſeph domus Luzam obſidet, & ſibi capit: *Domus quoque Ioſeph aſcendit in Bethel: fuitque Dominus cum eis: nam cùm obſiderent vrbem, quæ priùs Luza vocabatur, viderunt hominem*, &c. Dominus ſpeciali fauore Ioſephi familiam refertur proſecutus, cùm ab ea Luzæ campus deſcribitur occupatus: quod moribus adaptans Hugo Charenſis ait Luzam interpretari nucem externo cortice horridam, intus nucleo ſaporatam. Audi eius verba: *Luza interpretatur nux, vel amygdalum, & ſignificat clauſtrum: in nuce enim tria ſunt, cortex amarus, teſta dura, nucleus dulcis: ſic in clauſtro potus amarus, cibus, &* Hugo. *habitus durus; ſed tamen intus conſolatio dulcis. Vnde Beatus Bernardus: Multi vident veſtras cruces, qui non vident noſtras vnctiones.* Itaque vt erga Ioſephi domum ſe Dominus benignum patrem oſtendat, Luzam adſcribit, & illis ibi habitationem diſponit. Quod ſi inuerſo ordine illis accidiſſet, non beneuolum; ſed Deum paterentur iratum: eſt namque infelicis internis bonis carere, & externis volaticiſque exundare, vt fortunati internis exundare, illaque externis, aſperiſque corticibus cuſtodire. Horret amygdalum; ſed duritie externa, cùm intus lateat dulcedo eximia.

333. Bis nobis Moyſes hanc veritatem confirmat monte eminens & valle populares turbas erudiens: poſtquam montem aſcenderat, ac ieiuniis aridus, ſolaque contemplatione innutritus execrandi populo criminis prolixis impetrarat precibus veniam, ſibi deprecatus eſt gloriam: *Oſtende mihi gloriam tuam.* O ardentiſſimum ac Exod. 33. v. 18. Seraphicum zelum! Priùs diuinum curauit honorem, priùs alienam exambiuit depellere culpam, quàm ſibi acquirere gloriam: quaſi nec in ipſa gloria excuſare valeat tormentum, ſi diuinum honorem innubilarit peccatum: vt è contra ſi auellatur penitus culpa illum nulla valeat vrgere pœna: gloriam poſtpoſuit criminis expiationi: plus namque illum oblectabat nullis criminibus Deum offendi, quàm propria gloria potiri. Quid tunc Dominus fideliſſimo ſeruo: *Cùm tranſibit gloria mea, ponam te in foramine petræ.* Auguſtinus in quæſtion. ſuper Exodum quæſt. 154. legit: *Ponam te in cauerna petræ.* Ecce Moyſes obſcuram cauernam inhabitat ventre arido, ore ſicco, omnique humana voluptate interdictus, & ab hominum conſortio ſemotus; verùm hic omni bono fruitur, & dulcedine prætergreſſa omnem exaggerationem paſcitur. Ita D. Thomas contra Gent. lib. 3. cap. 63. *Ego oſtendam omne bonum tibi: in illa felicitate, quæ prouenit ex diuina viſione, omne deſide-* D.Thom. *rium humanum impletur ſecundum illud Pſalmi: Qui replet in bonis deſiderium tuum; & omne humanum ſtudium ibi ſuam conſummationem accipit.* Quàm diſſidet externa ſpecies ab interna veritate! Terræ ſpeluncam inhabitat Moyſes, nil vident exterius oculi, quo oblectentur, aut ſuauiter depaſcantur: horret cauerna petrarum duritie, torridæ æſtatis ardoribus, & canis hyemis niuibus; intus tamen omne bonum inhabitat, animaque luce candidiſſima fruitur, & tranquilliſſima pace otiatur. Si externa ſolùm inſpicias, cenſebis Moyſem defunctum, miraberis, ſi interna, beatum: vt enim vitium oculis noſtris imponit fœda externis fulgoribus tegens, & inaurans, ſic etiam virtus noſtros eludit ſenſus ſummam dulcedinem, & puriſſimam voluptatem obiectis horroribus ſeruans, & aſperitatibus circumuallans: O ſi tibi eſſet fas illam Moyſis inhabitare cauernam, quàm gaudio exultares delibutus, & ignotam antea felicitatem miratus!

Redeat iterum Moyſes in teſtem, dum redit 334.
ad populum. Re cum Deo compoſita deſcendit ad contribules legem geſtans tabulis exaratam, Exod. 34. v. 29. & dum manus legem implet, facies miris ſplendoribus radiat: *Cùm deſcenderet Moyſes de monte Sinai, tenebat duas tabulas teſtimonij, & ignorabat quòd cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Domini.* Candida vultus lux ſuffuſos humore idololatriæ oculos perſtringebat, & inuidentia penitus non purgatos diuerberabat; ſed Moyſes, qui vtilitatem charitati poſtpoſuit, lucem modo ob charitatem contexit: Poſuit velamen ſuper faciem ſuam. O quam certare poſſet facies velamine obtecta cum manu virga illa obarmata. Neſcias an glorioſius, & difficilius, fuerit comprehenſa paſtoritia virga elementis imperare, an adeò fulgentes radios obtegere: hoc namque natura non patitur, illud cum naturæ voluptate exercetur. Certè promicantes facie radij cæleſtes comprobantur, dum tecti: obſcuraret illos ambitioſa iactantia, velaminis auxit, & ſeruauit cautela. Benè; ſed theſi noſtræ locum adaptemus. Ecce Moyſis vultus ſudario obtectus, & luminibus illuſtratus;

Digitized by Google

tus; ſi externa ſolùm aſpicias, tibi non modicum incutient horrorem, dum viuus demortui geſtat habitum, & cadaueris vultum; aſt ſi velum tranſgrediaris, totam luminis pópam reperies, & cęleſtem pulchritudinem demiraberis. O quanta ſub illo velamine celantur læta, quanta abſconduntur iucunda! Ecce Moyſes horret, & nitet; ſed horror ſolùm penes externam ſpeciem, nitor iuxta internam veritatem.
Origenes. Innuit Origenes homil. 12. in Exod. *Facies glorificatur; ſed velamine tegitur: quia ſermo eius habet ſcientia gloriam; ſed occultam.* Non patet gloria exteriùs; ſed fulget intimiùs. Vt è contra ſolet iniquis accidiſſe; internè horrent, externè fulgent. Quàm
Seneca. opportunè Seneca loco citato: *Miſeri ſunt, ſordidi, turpes, ad ſimilitudinem parietum ſuorum extrinſecùs culti.* Externè alienos paſcunt aſpectus, internè graues coguntur ſuſtinere cruciatus: fœdis inuidentiæ flammis vruntur, ſolitis ambitionis æſtibus torquentur, inſanis diſturbantur cupiditatibus, laſciuiis præcipitantur effrænibus, & cùm exteriùs niteant exculti, interiùs marcent miſerrimi.

335. Ioſeph vt ſuam in fratres charitatem oſtenderet, nullum illis ſomnium non reſerauit, cumque triſtis ſeruorum Pharaonis vultus illi ad medelam animi anxietatem prodiderit, grauis, & turbatus fratrum aſpectus internam illi inuidentiam non declarauit: erat enim charitas, vt alienæ calamitati mederetur inoculata; at, vt iniqua præſumeret, cæca. Itaque Ioſeph claris adeò indiciis mali nil ſuſpicatus eſt in fraternæ charitatis dehoneſtamentum, cùm ad leuandum mœrorem, cordium penetrarit arcanum. Tandem, vt dicebam, ſomnium fratribus retulit, ſydera videlicet ſpectaſſe ipſum radiorum lingua adorantia:
Geneſ 37. v. 9. *Vidi per ſomnium quaſi Solem, & Lunam, & ſtellas vndecim adorare me.* Vides fratres ſtellarum ſpecie ſignari. Et quidem ſi intimius, altiuſque diſpicias, inuenies ſub ſyderea illa exteriori luce ardentiſſimas inuidentiæ flammas illorum pectora adurentes latere: fulgebant, & vrebantur, variis obturbati curis vſque ad ſomnia extendebant inuidentiam, & diſcruciabantur alieno ſomnio, vt proprio poſſent martyrio: futuram fratri præſagientes fortunam, præſentem ipſi iam ſuſtinebant æmulatione miſeriam. O quàm illorum corda arctabantur fratris gloriam conſicientes, & debitum obſequium, adorationiſque tributum negantes *Fratres*, ſcribit Baſilius Seleucienſis orat 8. *Inuidentia percuſſi turgebant, neque notam ex inſomniis pueri felicitatem ſuſtinebant; ſed & vſque ad ſomnia euidentiæ ſtimulum extendentes accepta occaſione necem meditantur.* Alienæ felicitatis adurgebantur ſtimulis, & propriæ inuidentiæ decineraſcebant incendiis. Micant aſtra, qui internas flammas geſtantes, & externum ſplendorem aſpicientium oculis obiicientes. Qui Ioſephi fratres exterius ſolum aſpiceret, vti beatiſſimos prædicaret; aſt ſi interiùs ſcrutaretur, miſerrimos diceret, & prorſus infortunatos haberet, quandoquidem ille ipſe externus ſplendor dum vanitatem nutriebat, inuidiæ etiam ardores incrementabat. Itaque vel ipſe externus ſplendor, quem famulari cenſeres gloriæ; tenerta adulabatur miſeriæ, dum verentur ſe tot luminibus exornatos fratri officium exhibere, & adorationis tributum ſoluere.

336. Hoc ipſum Iudicum caput hanc nobis veritatem oſtendit. In Bezec namque Adonibezec milites occiduntur: *Percuſſerunt in Bezec decem milia virorum.* Hugo Cadinalis Bezec ait Iudic. 1. v. 4. ſignificare fulgur & egeſtatem: *Bezec*, inquit, *interpretatur fulgur vel egeſtas: in fulgure, vt dicit Gregorius, claritati percuſſio ſociatur.* Hæc duo in Hugo. peſſimis coniunguntur, internis prorſus egere, & externis luminibus emicare. Claritati aſſociatur tormentum: quia inuidia vel claris infert ſupplicium. Fulgent; ſed dolent; imò qui a ſemel ſtatuerunt fulgere, egeſtate preſſi non poſſunt non ipſo fulgore validiſſimè diſcruciari: *Aliis*, aiebat Seneca citato loco, *bona falſa* Seneca. *circumdedi, & animos inanes.* Animum geſtat inanem, etiam dum oſtentat fulgorem. Nunquam ſceleſti iuſtorum delibauere dulcedinem; ſed ignorauere ſemper tranquillitatem. O felices, quibus virtus in ſtudiis eſt! O Ioſephi domum fortunatiſſimam, cui ſic Dominus fauit, vt Nucem incolas cortice duram, nucleo tamen ſaporatam.

---

§. LXXI.

Caſtitas cultores ſuos æternis coronat lauris, & temporalibus cumulat non ſemel diuitiis.

LVxuria non ſolùm eſt inimica virtutibus; 337. ſed felicitatum prouentibus: nec didicit inimicos ſubigere, qui intemperantes appetitus motusne ſciuit feliciter ſuperare: caſtitas temperãtiaque dum honeſtè cuſtodit corporis vires, & feliciter audet in hoſtes: additur glorioſæ famæ, quidquid obſcœnæ denegatur laſciuiæ: qui in auxiliis caſtitatem numerat, habebit hoſtibus metuendus, & ſæculis ſpectandus: *Dignus planè largitatibus noſtris* aiebat Caſſiodorus 2. var. Caſſiod. 1. *qui in ipſo pueritiæ flore maiuris moribus lubricam fraudauit ætatem, & quod rarum continentia bonum eſt, patre priuatus, grauitatis factus eſt filius: cupiditatem inimicam ſapientia ſubiugauit, vitiorum blanda contempſit, ſuperba vana calcauit.* Ecce bona indoles apud Principem valuit, & vnde ſe prodidit meritum, inde ſine ambitionis næuo aſcendit ad Principatum. Principis largitatibus inuentus eſt diues, qui theſauro diues fuit caſtitatis. Felix continentia, quæ & virtutes roborat, & adſultus hoſtiles detriumphat!: *Athletæ* aiebat Tertullianus ad Martyras Tertullian. cap. 3. *ſegregantur in ſtrictiorem diſciplinam, vt robori ædificando vacent, continentur a luxuria, à cibis lectioribus, à potu iucundiore, coguntur, cruciantur, fatigantur: quanto plus in exercitationibus laborauerint, tantò plus de victoria ſperant.* Athletæ, quò magis caſtitate ornati, eò magis & aduerſariis inuicti: *Aiunt athletas quoquè* Clem. Alex. *non paucos*, inquit Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromat. *abſtinere à venere propter exercitationem corporis continentes.* Vires de abſtinentia colligunt, de caſtitate robur ædificant, & dum caſtitatem curioſius colunt, certiorem ſibi de hoſte victoriam promittunt. Adſunt in huius veritatis argumentum à Ioſeph deſcendentes tribus: nam cùm Ioſephitarum vocabulo decorantur, triumphis exundare noſcuntur. *Domus Ioſeph aſcendit in Bethel, fuitque Dominus cum eis.* At dum propriis nominibus proditi, nec ornantur

tur lauris, nec diteſcere deprædicantur trophæis: *Manaſſes non deleuit Betſan, Ephraim non interfecit Chananæum.* Si Ephraitæ & Manaſſenſes non valent in aduerſarios, quomodò Ioſephitæ expugnant feliciter inimicos? Profectò varia nomina & varia nobis indicauere myſteria: qui Ioſephi parentes caſtitatem excoluerunt: Ioſephitarum vocabulo ſunt honorati, & triumphis deprædicantur refecti; at qui non Ioſephitæ moribus, nec ſpoliis ad gloriam augebantur

Caietan. hoſtilibus. Prodeſt Caietanus hìc: *Bonum opus nec Ephraim, nec Manaſſi; ſed domui Ioſeph attribuitur ad inſinuandum quod merito Patriarchæ Ioſeph, vel quòd imitatoribus Ioſeph Deus opem tulerit.* Continentiam ſecuti paternam facti ſunt aduerſariis terribiles; qui à caſtitate deſciuerant, inuenti ſunt debiles. Opima victoria coronati non ſunt caſtitate priuati; ſed Angelica puritate muniti. Vt noueris caſtitatem, perpetuam eſſe famæ ſcaturiginem, & diuitiarum perennem fontem.

338. Iobus ſub generoſi militis ænigmate animum
Iob 39 v.19. militarem depingit: *Numquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo eius hinnitum? Nunquid ſuſcitabis eum quaſi locuſtas? Gloria narium eius terror, terram vngula fodit, exultat audacter, in occurſum pergit armatis.* Et quæ equi fortitudo eſt terram vngula fodere, vt pauorem equus contemnat, & de armatis, triumphum præſumat? Satius eſſet hoſtem vngulis proculcare, & illorum ſanguine tingi, quàm terram otioſo veſtigio quatere. Gregorius vt erat moraliſſimus terræ nomine proprios appetitus intelligit. Ergo cœleſtis equus dum carnis proculcat adſultum, victoriam ſibi præmaturat ab aduerſario. Hæc cœleſtis equi fortitudo audaces corporis motus ſubigere, & pede fortitudinis proculcare. Ergo vt armatis occurrat intrepidus, vtque illos ante certamen triumphis abigat coronatus, terram ferit vngula, & carnem edomat continentia. Adeſt Gre-

Gregor. gorius lib. 31. moral. cap. 17. *Oriri cordi formidinem pro carnali actione conſiderat, & idcirco ante omnia carnem forti edomatione caſtigat: vnde poſtquam dictum eſt: Gloria narium eius terror, rectè ſubiungitur: Terram vngula fodit: vngula namque terram fodere eſt diſtricta abſtinentia carnem edomare: quo autem plus caro premitur, eò de cœleſti ſpe animus ſecuriùs lætatur: vnde effoſſa terra aptè ſubnectitur: exultat audacter: quia valenter reprimit, quod impugnat.* Ecce miles dum caſtitatem curioſiùs excolit, & hoſtem glorioſius vincit: exultat de reportata de hoſte victoria: quia laborioſa carnem ſubegit ante modeſtia: naribus hoſti terrorem ſpirat: quia carnem rigidè domat. O quàm falluntur qui hiantes triumphis, obſcænis laſciuiæ traduntur deliciis! Ipſa turpitudo formidinem corde nutrit, & fortitudinis vires abſcindit: *Oriri cordi formidinem pro carnali actione conſiderat: & idcirco ante omnia carnem forti edomatione caſtigat.* Caſtigatus incedit in hoſtes fortis, libidinoſus eneruis: eſt namque caſtitas fortitudinis officina, triumphorum vena, & decens ſemper audacia.

339. Deus Iehu in aduerſarios religionis obarmat, Ioram, & Ochozias veluti fœdere inito

4.Reg.9. v.22. Iehu occurrunt, & de pace ſciſcitantur: *Pax eſt Iehu?* Quid tunc ille? *Quæ pax?* reſpondet: *adhuc fornicationes Iezabel matris tuæ, & veneficia eius multa vigent.* Quid tunc? *Conuertit Ioram manum ſuam, & fugiens ait ad Ochoziam: Inſidiæ, Ochozia.* Quàm citò fugit aduerſarium fornicationis dedecore obſcurus? Stare non potuit certamine, qui caſtitatis maternæ non potuit exornari virtute, vtque Iehu triumphus indubior eſſet, Iezabel præcipitatam proculcat, & eius ſanguine triumphalem veſtem decorat: *Præcipitauerunt eam, aſperſuſque eſt ſanguine paries, & equorum vngula conculcauerunt eam:* Vbi Iezabel digna proculcatio refertur, & Iehu triumphus etiam deprædicatur. Iam in Iezabel luxuriam deſignari, tradunt apertiſſimè interpretes: *Concupiſcentia carnis*, ſcribit gloſſa moralis ad 3. Regum 19. *ſignificatur per Iezabel, eo quòd interpretatur fluxus ſanguinis, ex cuius abundantia excitatur carnalis concupiſcentia.* Ecce firmiſſima triumphi baſis, Iezabel ſcilicet proculcata: nec enim potuit Iehu glorioſis non redimiri trophæis, vbi carnis concupiſcentiam honeſtis proculcauit ſtudiis: regnum obrinuit, hoſteſque fugauit, qui carnis auſus deiicit. *Qui adhuc ſecum eneruiter pugnat*, aiebat Gregorius ſupra laudatus, *fruſtra contra ſe bella extrà poſita ſuſcitat.* Addit ſtatim: *Quomodò de labore externi certaminis triumphare appetit, qui adhuc apud ſemetipſum domeſtico libidinis bello ſuccumbit?* Qui laſciuia infirmus, illorum præda inimicis occurrit armatus: nec enim poteſt miles redimiri lauris, dum vacat appetitui libidinis. Vtque noueris caſtitatis non ſtudioſos proprio damno cumulaſſe felicitate aduerſarios, recole quid Iſraëlitis apud Sinæum acciderit. Gloſſa. Gregor.

Aberat Moyſes cum Deo de lege diſputans: tunc populus idololatriæ œſtro percitus, & impatientia ſtultiſſima concitatus Deos ſibi producere quærit, quos inſaniſſimis cultibus fabricauit: hoc tempore doler Moyſes populum nudatum, & hoſtibus circumſeptum: *Videns Moyſes populum quòd eſſet nudatus: ſpoliauerat enim eum Aaron propter ignominiam ſordis, & inter hoſtes nudum conſtituerat, & ſtans in porta caſtrorum ait? Siquis eſt Domini, iungatur mihi.* Hanc populi nuditatem variè interpretantur Doctores. Alij dicunt vidiſſe auro ſpoliatum; verùm hoc inimicorum cupiditatem frænabat, & Hebræorum viribus non nocebat: quid ergo in illa nuditate doluit, cùm hoſtilia arma perſtrepere vidit? Adhæc populus omne non inſumpſerat aurum; imò inaures, quas inſumpſerat, fabricato in idolo poſſidebat: arcanior ergo nuditas nobis eſt intelligenda, quæ Moyſi dolorem attulerit, & inimicis robur adauxerit. Explicuit diſertè textus, dum retulit coram vitulo ludos: *Surrexerunt*, inquit, *ludere.* Et quod gratius vitulo libidinis imagini obſequium, quàm pudendum luxuriæ ſtudium? Adeſt Ambroſius libro 6. epiſtolar. epiſt. 36. ad Sabin. *Qui non ſequitur Dominum Deum ſuum, ingurgitat ſe luxuria ac libidinis peſtiferis corporis paſſionibus: qui autem ſe ingurgitauerit, atque immerſerit huiuſmodi volutabris, perfidiæ laqueos incurrit: ſedit enim populus manducare, & bibere, & fieri ſibi Deos popoſcit.* Ecce populus ſe libidini addixit, dum coram vitulo luſit: hic ergo ludus illorum fortitudinem 340. Exod.32. v.25. Ambroſ.

nem expectorauit, & hoſtibus vri vilem prædam obiecit: Lippon. *Septuaginta*, ſcribit Lippomanus, *magis ſententiam, quàm verba ſecuti habent: videns Moyſes populum quòd eſſet diſperſus, ſeu diſſipatus: diſperſit enim eos Aaron, vt quamdam ſcilicet ruinam innuerent, & interitum.* Addit Lippomanus: Effœminauerat populum Aaron & mollem reddiderat hac idololatria. Effœminati molleſque, & ſolùm ad augendos hoſtibus triumphos deſcribuntur, qui caſtitate nudantur. Profectò caſtitas eſt fortitudinis mater, laudabilis audaciæ nutrix, & dum vires corpori colligit, hoſtes detriumphatos ſubigit.

---

§. LXXII.

Vt inglorium eſt religioſis viris pietatem à ſæcularibus edoceri; ſic eſt glorioſum vel ad debellandam malitiam felici malitiæ ignoratione ductari.

341. Caſſiod. *Qui alios debet moderari, non debet vitiis parere.* A*Mouete ſuſpiciones ab ordine veſtro ſemper extraneas*, ſcribebat ſenatui Theodahadus rex 10. var. 13. *non decet ſenatum corrigi, qui debet alios paterna exhortatione moderari: nam ex quibus habebunt genium mores, ſi parentes publicos minores contigerit inueniri?* Indecens profectò eſt ſenatum, qui leges cæteris debet condere, de legibus à ſubditis inſtrui: ſeruit namque munus opprobrio, cùm indecentem intrat diſcipulatum. Sol luminaris nomen amitteret, ſi flammis illum aliunde aſportatis extraneus accenderet: patiantur confuſæ noctium tenebræ micantia aſtrorum documenta, ſol ab alio luminis non mutuetur auxilia: nam quod nomen profert ad gloriam, ſi degeneret, creſcet ad ignominiam: inglorium eſt elementa addiſcere diſciplinæ, qui ſuggeſtum magiſter inſcendit cathedræ: riſui habetur doctor, qui non ſolùm neſcit docere; ſed opus eſt erudiri; verùm, vt de virtutis ignoratione virtutis præceptori accreſcit infamia, ſic de vitij augeſcit inſcitia gloria. Qui totus virtuti natus, ſic à ſcelere probetur alienus, vt eius adhuc notitia non ſuſtineat maculari; imò ad impugnandum opus ſit illi edoceri: *Domus Ioſeph aſcendit in Bethel, fuitque Dominus cum eis: nam cum obſiderent vrbem, quæ prius Luza vocabatur, viderunt hominem egredientem de ciuitate, dixeruntque ad eum: Oſtende nobis introitum ciuitatis.* Ciuitas illa idolis ſeruiens veritati aduerſa, & religioni contraria ſic erat Ioſephitis ignota, vt neſcirent vel ad oppugnandum ingreſſum; ſed ab incola edocerentur introitum. Abulenſ. *Iſraelitæ*, ſcribit Abulenſis quæſtione 24. *quanquam obſiderent vrbem, non inueniebant portam, & quæſierunt ab iſto viro, vt oſtenderet eis.* O quàm Dominus cum Ioſephitis eſſe probatur, dum allophylorum ciuitatis ignorauere prorſus ingreſſum! O quàm nunquam illas fuerant ingreſſi vias, nec compendiarias perditionis ambulauerant ſemitas: dum Iſraëlitæ ſe totos diuinæ contemplationi addixerunt, Luzæ ſemitas feliciter ignorarunt. Certè caſtiſſimus Ioſeph non ſolùm libidinis ignorat maculam; ſed ad libidinem etiam viam; imò vt in aliis hoc vitium expugnet, ab alio manu ducitur, & glorioſus ignoratione edocetur.

Centurio ille cohortis Romanæ Præſul, quique plus virtutis fructu, quàm dignitatis honorabilis cenſu ad Chriſtum mittit Iudæos: *Miſit ad eum ſeniores Iudæorum.* Chryſologus, vt aliquando eſt moraliſſimus ſerm. 102. Iudæorum aduentum mirè ſugillat: profectò Iudæi gentilem mittere debuiſſent ad Chriſtum, & gentilis delegat Hebræum: *Gentilis*, inquit, *Iudæos ad Chriſtum mittit, & in lege poſitis, qui ſine lege erat, legis demonſtrat auctorem.* Miſer deſcribitur Hebræorum ſtatus, quando ad eam veritatis ignorationem referuntur adducti, vt à Centurione veritatem fuerint edocti: qui alios ad legem trahere tenebantur, ad veritatis obſeruantiam mittuntur, & grandæuus diſcit à puero, quod puer debuiſſet agnoſcere per magiſtrum. Proh lamentabile dictu! non ſemel in ſæculo viuentes modeſtiam edocent, pietatem curioſiùs excolunt, & ad virtutis obſequia trahunt. Quàm Hebræis pudendum à gentili delegari, & ab exlege edoceri! *In lege poſitis, qui ſine lege erat, legis demonſtrat auctorem.* Certè nos qui ſæculo renuntiauimus, qui edocendis populis deſignamur, eam fas eſt profiteri vitam, quæ vitia de aſpectu confundat, & ad cultum virtutis trahat: ſic cum ſapientia eſt ignoratio miſcenda, vt feliciter non ſolum vitij itinera dediſcamus; ſed ignoremus; at virtutis viæ & apprimè ſunt nobis noſcendæ, & aliis zelo religioſiſſimo demonſtrandæ. 342. Lucæ 7. v. 3. Chryſol.

Duos inter ſe Dauidis comparemus euentus. Amalecitæ impetum fecerant ex parte auſtrali in Siceleg, & improuidum ac imparatum populum Dauide abſente captiuum duxerant; at vt aduentauit ille, re cognita, perſequi inimicos feſtinat: eius ſerui Ægyptium inueniunt à Domino Amalecita in campo relictum, vt qui ægrotare cœpiſſet. O impiam tyrannidem! ſeruo vtitur, dum viget ad prædam, & derelinquit, dum ægrotat, ad ſalutariæ mortis anguſtiam: *Adduxerunt eum ad Dauid.* Hunc, poſtquam famem cibo depulerat, vireſque reformauerat, rogat Dauid an illum poſſit ad inimicorum ducere cuneum: *Potes me ducere ad cuneum iſtum? Qui ait: Iura mihi per Deum quòd non occidas me, & non tradas me in manus Domini mei, & ego ducam te ad cuneum iſtum.* Ecce Dauid vel dum geſtit debellare vitia, viorum neſcit itinera: Ægyptius ab eius ſeruis ad Dauidem trahitur, Dauid ab Ægyptio ad caſtra inimicorum deducitur: nouerunt Dauidis ſerui, vbi Dauid quieſceret, vt Ægyptium aſportarent: ignorabat Dauid Amalecitarum caſtra etiam vt impeteret: feliciſſimi Dauidis probantur ſerui, dum Ægyptium ad Dauidem afferunt, & dum ab Ægyptio ducti in Amalecitas irruunt: *Hunc Dauid habens ducem*, ſcribit Ioſephus lib. 6. antiq. cap. 14. *ſuper Amalecitas, apprehendit eos in terra iacentes, & alios quidem prandentes, alios iam ebrios & vino ſolutos, quibus cum ſociis irruens, eos latè proſtrauit.* Vitia proſternunt Dauidis ſocij; ſed ab Ægyptio manuducti, Ægyptiũ morti proximum apprehendunt, & reſtitutum vitæ ad Dauidem ducunt, vt probentur in vtroque glorioſi, dum veritatis doctores ad veritatem adducunt allophylum, & dum vitiorum itinera neſcientes & ab allophylo manuducti de vitiis reportant triumphum. 343. 1. Reg. 30. v. 11. Ioſeph.

Chriſtus

344. Chriſtus Dominus templum ingreſſus inuenit auaritiæ ſtudio publicarum nundinarum eſſe theatrum, & religionis dehoneſtamentum; verùm ea eſt vel in ipſo ardore zeli diuina clementia, vt quaſi funiculum fecerit, quo de timore mederetur crimini, non de vulnere famularetur dolori: ſacerdotes; imò ſacerdotum Principes indignatione torquentur, dum Math. 21. v. 15. pueros Chriſti laudes reſonare percipiunt: *Videntes Principes ſacerdotum & ſcribæ mirabilia, quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes: Hoſanna filio Dauid; indignati ſunt.* Non adeò dolent nummularias menſas euerti, nummos ſpargi, lucri occaſionem præcidi, ac pueros laudes Chriſti Domini reſonare. Nec mirum quando maximè pudendum illis erat ſacerdotali dignitate fulgere, & in templo à pueris vinci. Pueris in foro ludere, ludis oblectari, ſaltus edere, & ludicris tempus oblectamentis conſumere de more eſt; ſacerdotis munus vel in foro orare, & manus ad cælum puras extendere: ergo dum reuerentiam à pueris docentur in templo, dum naturalis rerum ordo peruertitur, vel Phariſæorum audacia egregiè confunditur, & mirè proteruitas flagellatur: puerorum voces pro flagris erant, & dum pueri veritatis doctores clamant, doctores plus imbecillitate diſcruciant. Theophyl. *Phariſæi*, ſcribit Theophylactus, *cum viderent pueros hymnum Dauid offerre Chriſto, quem videtur propheta Deo obtuliſſe, diſſecabantur inuidia.* Aptiùs Euthymius: Euthym. *Diſpenſatorie ordinauit Deus, vt pueri quoque laudarent eum, quo ab omni contradictione excluderentur Iudæi.* Vt impudentium hominum ora ſilentia confunderet, pueros clamare diſpoſuit: erat enim eximium Phariſæorum, ſcribarumque dedecus à pueris corripi, &, ſi fas eſt dicere, manu ab ætate cæca ad veritatem perduci. Conſonat Chryſoſtomus homil. 68. Chryſoſt. *Acriùs, vt corrigat, carpſit, dicens: Numquid legiſtis, quia ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem?* Quàm acris erat correctio, quam magna confuſio legis doctores à pueris inſtrui, & in templo, quod ad templi cultum pertinet, edoceri. Vides magnam confuſionem eccleſiaſticis religioſiſque ex adoleſcentium ſæculariumque modeſtia exoriri, vide etiam magnam laudem ex vitiorum ignoratione creari.

345. Daniel vt diuinæ legis erat cultor eximius, & Principibus extitit gratus, verùm vt ſæpeſæpius in hoc peruerſo ſæculo contra laudabiles viros multiformes tenduntur inſidiæ, & diuerſis calumniarum generibus factioſæ obiiciuntur cauſæ, Babylonij plus agitati inuidentiæ œſtro, quàm exciti religionis ſtudio, in Danielem regis amicum inſurgunt, & ne vel vllæ reliquiæ manſerint, famelicis obiiciendum feris contendunt. Ceſſit etſi inuitus rex tumultuoſæ ſeditionis metui, & vt accidere ſolet, iuſtitiæ inferre non detrectauit violentiam, vt tutaretur coronam: Daniel feris obiicitur; verùm illæ, quia reatus non inuenerunt peccatum, reuerentię corporum geſtu exhibuerunt obſequium: degebat Daniel inter leoninos rictus ſecurus, qui inter aulicos diſcrimina patitur inuidioſus. Quid tunc? Angelus Habacuc prophetam monet, ſuccurrat famelico, & meſſorum prandium ferat ieiuno. O quam vel agreſtis meſſorum cibus egenti ſapidus, quando indigeriem ſuam ructauribus vel pretioſus eſt inconditus: *Dixit Angelus Domini ad Habacuc: Fer prandium, quod habes, in Babylonem Danieli, qui eſt in lacu leonum. Et dixit Habacuc: Domine Babylonem non vidi, & lacum neſcio.* Daniel 14. v. 33. Babylonem vitiorum metropolim eſſe nullus eſt qui ignoret, vt in leonibus vitia deſignari. Ecce ergo dignam prophetæ ignorationem, Babylonem non vidiſſe, lacumque ignoraſſe. O quàm à captiuitate probabatur alienus, qui nec oculis Babylonem aſpexerat, nec ferarum catabulum nouerat. Erat, inquit text. Habacuc propheta in Iudæa. Quod expendens Hugo Charenſis ſic ait: Hugo. *Ex hoc quod dicitur hic, quod erat propheta in Iudæa, patet quòd ſemper aliqui remanſerunt in Iudæa, nec omnes in captiuitatem ducti ſunt.* O felicem ignorantiam, quæ de ingenua ſemper libertate proceſſit! O laudandam inſcitiam, quæ iugo non detrita, nec Babylonica captiuitate depulſa. Dignus Habacuc, qui deprædicetur propheta, qui manibus portetur Angelicis, dum ferarum neſcit lacum, dum Babylonis ignorat ingreſſum. *Habacuc*, ſcribit Gloſſa moralis, Gloſſa. *interpretatur fortis luctator, & ſignificat hominem ſapientem ratione prophetiæ.* Sapiens probatur, dum neſcit; imò dum ſtultior, ſapientior: eſt namque vera ſapientia Babylonis neſcire vias, & prorſus ignorare vitiorum caueas: felix Daniel, qui de iuſtitiæ cultu inter truculentas feras aſſeruatur illæſus; ſed felicior Habacuc, qui vel vt opem ferat, ad caueam peruenit adductus. Aptemus, ſi placet, moribus. Plures ſunt, qui licèt iuſtitiam colant, victimarum libidinis habitacula non prorſus neſciunt, ingreſſu nullatenus obſcurantur polluti; ſed non inueniuntur inſcij: alij ſic ab hac notitia probantur alieni, vt etiam quando opus eſt periclitantem monere, aut pereunti ſubuenire, neſciant niſi manuducantur, itinera, & prorſus ignorauerint habitacula. Et quod de hac vitij ſpecie dixerim, cæteris eſt etiam aptandum, ac de aliis intelligendum. Ergo licèt non ſit damnabilis illa ſcientia, dum nulla obſcuratur macula, hæc quia remotior videtur à macula, eſt laudabilior inſcitia. Cum Ioſeph domo ſpecialiſſimè Deum egiſſe cognoſcitur, dum allophylorum ciuitatis ingreſſus prorſus ab illa ignoratur.

346. Chananæa filiæ doloribus lancinata, Chriſtum adit, & Dauidis filium, ac Dominum vocat: Math. 15. v. 22. *Miſerere mei Domine fili Dauid.* Phariſæi, legiſque doctores, vnde Dominus ſit, neſciunt, aut ſe neſcire mentiuntur: Ioan. 9. v. 29 *Hunc neſcimus vnde ſit*, & Dominus, dum mulieris fidem allaudat: Magna eſt fides tua, affectatam Iudæorum ignorationem flagellat. Adeſt Baſilius Seleucienſis orat. 20. *O ſilentium vocalis admodum Iudæorum accuſator: namque ſilentio ad Iudæos talia loquebatur: Vides Iudæe Chananææ generoſitatem? vides ex improba radice fructum dilaudatum? Moyſem non ſuſcepit latorem legis, & Moyſis agnouit Dominum: prophetas neſciuit, & à prophetis cantato credidit: non vidit ſigna, & Dauidis filium confitetur: Deum poſt miracula negaſti Iudæe, & huic illa ante miracula credidit.* Dum allaudat fidem, Hebræorum infidelitatem confundit, quando indecorum illis erat à muliere eaque Chananæa doceri, & de Chriſti Domini virtutibus inſtrui.

§. LXXIII.

Digitized by Google

§. LXXIII.

Nulla eſt perſpicacia, quam quid non poſſit latere, & eius curioſitatem fruſtrari.

347. OMnis quidem vtilitas publica fideli debet meditatione tractari: quia totum vitioſum geritur, vbi diligentis conſcientiæ puritas non habetur; verùm etſi multa inconniuentibus oculis perſpiciantur, & candidiſſimo zelo vti perſpecta narrentur, omnino auribus, aut oculis credendum eſt: ſæpè namque viſus eluditur,& attentio,ſedula quantumuis, fruſtratur: Tertullian. *Deus in omnia ſufficit*, aiebat Tertullianus lib. de pœnit. capite. 3. *Nihil à conſpectu eius remotum, vnde omnino delinquitur: quia non ignorat, nec omittit, quo minus in iudicium decernat: diſſimulator, & præuaricator perſpicaciæ ſuæ non eſt.* Numinis haberur proprium tali omnia perſpicacia, videre, vt nihil eius valear certam notitiam effugere. Non eſt diuinæ perſpicaciæ præuaricator: nam Deus in omnia ſufficit; imò qui in omnia ſufficit, Deus eſt. Quiſque prudens vel poſt ſtudioſiſſimam ſolertiam ſcit multa illum effugere; imò ipſa, quæ euidenter videntur nota, debere diligentiori trutina rationis penſari. Ioſeph domus in aduerſarios armata ſedulis adeò excubiis inſiſtit, vt ab hoſtium ciuitate nec vnicus homo clàm valuerit exire, aut ſolertiam inimicorum fruſtrare: *Cum obſiderent vrbem, quæ prius Luza vocabatur, viderunt hominem egredientem de ciuitate dixeruntque ad eum: Oſtende nobis introitum ciuitatis.* Non latuit illos hominem fuiſſe egreſſum; ſed qua parte, nec perſpicacia potuit videre, nec ſedula diligentia cognoſcere: diligentiſſimis,& oppanſis oculis omnia ſcrutabantur; verùm aliquid illos latuit, aliquid fugit: viderunt egredientem, ſed qua parte, ignorarunt: vt noueris nec ſolertiam omnia videre, nec vigilantiam Caietan. agnoſcere. Adeſt Caietanus: *Cuſtodes viderunt virum egredientem de ciuitate; ſed non viderunt qua parte egreſſus eſſet: occultè enim egreſſus fuerat, nec cuſtodes aliud perpenderunt, niſi quod de ciuitate exierat.* Lynceis oculis excubiæ inuigilabant, vt aditum ciuitatis poſſent inuenire; verùm illorum perſpicacia, etſi egredientem hominem viderit, qua parte non comprehendit. Et quidem ad nòſtram eruditionem hæc maximè hiſtoria deſeruiet, ne quis tantum ſuæ deferat perſpicaciæ, vt inflatiſſima præſumptione putet nihil poſſe vigilantiſſimam eius prudentiam latere, nihil ſolertiam eius fruſtrare: non omnia à vigilantiſſimis etiam comprehenduntur, nec deſudante etiam ſolertia penitus indagantur. Neceſſum ſæpè eſt alios conſulere, & notitiam mutuari: non omnia nouit ſapiens, aliquid latet, quod ab alio doceatur, aliquid fugit prudentiam, quod ab aliis hominibus mutuetur. Superbit prorſus inflatiſſima vanitate, qui ſe omnia penitiſſimè putat nouiſſe, nec alium penitiùs rem indagaſſe. Ecce corycæi vigilantiſſimis oculis omnia explorant, & tamen illis opus interrogare,& neceſſarium addiſcere Hinc monendi ſunt Superiores, ad quos non ſemel multa candido zelo deferuntur, ne facilè fidem præbuerint; ſed ſolertiori delata perſcrutatione indagarint: poteſt namque prudentiſſimum etiam quid latere, poteſt mentis aciem aliquid præterfugere, & quamuis quidquid defertur candido animo & ſyncero corde proferatur, putandum eſt poſſe latere fallaciam,& ſtudioſiorem eludi poſſe diligentiam.

Degebat Moyſes cum Domino apud Sinæum, 348. cùm populus tam neceſſariæ abſentię impatiens Deos ſibi producere quærit, quos ipſe potiùs perdiderit: vrgetur Aaron timore pulſatus, aut quod certius eſt, ambitionis flammis aduſtus: inaures iubet ad ſe deferri, quas in vitulum opere fuſorio conflauit: nec mirum muliebria idolatriæ adulata ſint ornamenta, quando homines cæciſſima erga venuſtatem edocuere delicia. Moyſes Dei iuſſu deſcendit Ioſue comitante; cùm populus caris indulgeret deliciis, & inſanis prorſus cupediis. *Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Exod. 32. v. 6 Ioſue putat lætantium iubilum bellicum eſſe tumultum, & ad ſuperiorem defert ſubiectos inter ſe rixis diſſidere,& inuicem periculoſa ſeditione pugnare. *Audiens Ioſue tumultum populi vociferantis dixit ad Moyſem: Vlulatus pugnæ auditur in caſtris.* Ioſue non defert malignitatis ſtudio; ſed vtilitatis publicæ deſiderio. Certè auditus vtpotè valentis iuueniſque nullo modo degenerauerat hebetatus, verùm etſi vocem audierit, vocis originem ignorauit. O quàm falleretur Moyſes, ſi zelotypo, ſi virtutis ſtudioſiſſimo fidem inexplorate adhiberet, & rixis populum diſſidere putaret. Verùm vti prudentiſſimus attentiùs, diligentiúſque explorationi veritatis incubuit,& iam non tumultum bellicum; ſed concentum eſſe deprehendit ſonorum: *Non eſt clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam; ſed vocem cantantium ego audio.* Abulenſis rogat cur concentum Moyſes dixerit, cùm Ioſue tumultum bellicum appellarit: reſpondetque Moyſem à Ioſue informatum diligentiori ſtudio attendiſſe,& celerius caſtris propinquaſſe deprehendiſſeque reſonare harmoniam, quam Ioſue eſſe detulerat Martiam pugnam: *Moyſes audiuit, & diſcreuit, quæ voces eſſent illæ* (verba ſunt Abulenſis quæſt. 25.) Abulenſ. *ſed non fuit immediatè, vt audiuit Ioſue; ſed cum audiuiſſet Ioſue, & dixiſſet eſſe vlulatum pugnantium, attendit diligenter Moyſes, cùm modicum ambularent, & perpendit eſſe vocem cantantium.* Ecce diſtantia candidi fefellit auditum, & auditus adulterauit iudicium: nulla in Ioſue deprauati affectus nota; ſed, quod hominis eſt, non adeò certa notitia. Ob id prudentiſſimus Moyſes, quique cum Deo agere conſueuerat, deferenti non facilè credidit, ſed rem ſolertia ſtudioſiori indagauit; & iam quod bellicus cenſebatur tumultus, ſuauis inuentus eſt cantus. Diſcant ſuperiores ſuſpendere circa delata iudicium,& diligentiori examine explorationis adhibere remedium: nam aliquando cantus putatur tumultus, & aliquando tumultus cantus: ad id namque ſatis eſt cognata ſenſuum fallacia, quin nocere cupiat malitia.

Vt ſuperiores ſuo Deus exemplo inſtruxerit, 349. vtque ſæculi prudentes erudiuerit, ſic aiebat: *Ego non delebo gentes quas dimiſit Ioſue, & mortuus eſt, vt in ipſis experiar* Iudic. 2 v. 21 *Iſraël: vtrùm cuſtodiant viam Domini* Et quid opus experimento, qui perſpicaciſſimo non poteſt falli iudicio? ſuæ Deus perſpicaciæ præuaricator non eſt, quando eius notitia nec poteſt

L paſſioni

Digitized by Google

paſſionibus ſubornari, nec diſſimulatione corrumpi: cur ergo quærit experimentum,& temporis expectat ſuffragium: *Vt in ipſis*, inquit, *experiar Iſrael.* Profectò Deus nulla indiget experientia prædıtus fallibili nunquam notitia; at vt ſuperiores, Principeſque factis ſuis inſtruat,veluti ſuæ notitiæ non fidens,adhuc præſtolatur experientiam,ne peccatorum citò condemnarit malitiam. Adeſt Caietanus: *Efficit ad inſtar tentantis, & experientiam videre volentis: ſicut enim Deus reliquit obiecta tentationum,quibus homines tentantur ad peccata, tamquam ad experientia teſte videndum, an homines ſeruent præcepta diuinæ legis,an non: ita reliquit illas gentes poſt mortem Ioſue, vt experientia manifeſtaret animos Iſraelitarum.* Se geſſit ac ſi ſuffragium acciperet ab experientia, qui certiſſima exornabatur notitia, vt doceret prudentis eſſe Principis, ac ſuperioris non adſcribere tantum ingenij perſpicaciæ, aut deferentis prudentiæ, vt tempus non expectarit, nec experientiam vtili ignorantia conſuluerit: quandoquidem Deus ad noſtram eruditionem ignari ad inſtar expectat, & veluti ſuæ notitiæ ſatis non fidat, rem vigilantiùs explorat. O quàm regimine mulctandi eſſent, qui libidine oſtentandi potentiam, immaturâ ſæpè notitia damnant, & ſine ſuffragio experientiæ iudicant! Non omnia vel lynceis oculis patent, aliquid à tempore poteſt addiſci, ab experientia aliquid mutuari.Certè in his magno periculo errat,& ſine excuſatione delinquit, qui examine non adhibito credit.

Caietan.

350. Non ſine arcano myſterio ad eruendum tres pueros de horrendum reſonantibus flammarum globulis vnicus Angelus perhibetur miſſus: *Angelus Domini deſcendit cum Azaria, & ſocijs eius in fornacem:* Et etiam ad beſtiarum rictus frænandos vnicus etiam ſpiritus delegatus: *Deus meus miſit Angelum ſuum,& concluſit ora leonum:* cùm ad indagandum Sodomitarum clamorem, non vnicus mittatur; ſed geminus: *Venerunt duo Angeli Sodomam veſpere.* Inhumanitatem videtur numerus prodere, vt in Daniele,& ſociis pietatem lædere: cur qui vnicum miſit ad ferociam leonum ſedandam, vnicum non miſerit ad libidinem Sodomitarum puniendam? Sic gaudet punire, vt punientium geſtiat & numerum adaugere? Imò hic numerus pietatem commendat,& Numinis gubernationem exornat. Sodomorum clamor crimen Sodomitarum diuina ad ſubſellia detulit,aſſerente Domino: *Deſcendam,& videbo, vtrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non eſt ita,vt ſciam.* Verùm etſi notitia non potuerit falli,etſi peccati lingua contra peccatorem falſa non poſſit proferre; Deus tamen ad præſcribendam rectoribus normam, non ſolùm expectauit experientiam; ſed geminum miſit Angelum ad cumulatiorem notitiam: ſatis erat vnicus ſpiritus ad exactam criminis explorationem; verùm nec vnico Angelo cauſam voluit committere;ſed gemino delegare: nam vt Hiſpano prouerbio dicitur, *Mas ven quatro ojos, que no dos.* Ergo quaſi quid Deum latere potuerit, mittit Angelos, & quaſi vnius notitia valeat eludi, miſit ſocium, vt ſtudeat ſcrutari. Profectò ad afferendum pueris, & Danieli ſubſidium ſatis erat vnicus Angelus, ideò noluit augere numerum ad liberalitatis pompam;imò

Dan.3.v.49.
Dan.6.v.22.
Gen.19.v.1.
Gen.18.v.20

imminuit ad ſubtrahendam beneficij notitiam; vbi verò crimen incuſabatur, vbi infligenda erat pœna,non vnicum;ſed geminum miſit perſcrutatorem: nam quamuis ſufficeret vnicus, ad ſententiæ maturitatem ſeruiuit geminus. Nihil diuinam notitiam præteruolat; at quia in hoc caſu volebat ſuperioribus formam regendi præſcribere, Angelos miſit ad indagandum, vt ad ſpeciem de indagatione eſſet notitia certior, & de numero indagantium ſecurior. Diſcant hinc, qui ſuæ nimis prudentiæ fidunt, quanta poſſint vel prudentiſſimum fugere, & quàm non ſit detrectandum conſulere experientiam,& mutuari ab aliis notitiam. *Benè*, inquit Rupertus apud Lippomanum, *& duo Angeli venerunt,vt in teſtimonio duorum iuſtum ſtaret iudicium; hoc enim ad illud reſpicit, quod ſuprà dixerat Dominus: Deſcendam, & videbo vtrùm clamorem, qui venit ad me,opere impleuerint,an non eſt ita,vt ſciam.* Annectit moraliſſimè Rupertus: *Sicut illa idcirco dicta ſunt, vt de inexperta culpa temerariam nemo ponat ſententiam: ſic duo venerunt Sodomam, vt minus quàm duobus teſtibus nullam damnatio terminet accuſati cauſam.* Profectò Deus hic iudiciaria non produxit ſubſellia, non inſcendit tribunalia,occultis res delationibus agebatur;verùm ita proceſſit occultè,ac poſſet in ſtrepitu legali: non defuit in Sodomitarum crimine condemnando legalis iudicij ſubſtantia, etſi ſtrepitus iudicialis defuerit pompa. Vt moneantur hinc, qui ſtylum iudicialem non ſequuntur, eam in indagando crimine adhibere diligentiam, ſic implere cauſam, vt, ſi proferatur in lucem, & iudicialis lex agnoſcatur impleta,& cauſa requiſitis legalibus pertractata.

Rupert.

§. LXXIV.

Improbi ea arte ſe aliquando, ne deprehendantur, abſcondunt, vt inuenire nequeat induſtria, aut indagare prudentia.

Errras, *mi Lucili*, aiebat Seneca epiſt.97. *ſi exiſtimas noſtri ſæculi eſſe vitium luxuriam, & negligentiā boni moris,& alia, quæ obiicit ſuis quiſque temporibus: hominum ſunt iſta, non temporum: nulla ætas vacauit à culpa.* Verùm dicit: 351. Seneca. Nulla ætas vacauit à culpa. nam ſi æſtimare licentiam cuiuſque ſæculi incipiamus,facilè flagitiis, ſceleribuſque ſcatere inueniemus: pudet dicere: *Apertè coram Catone peccatum eſt, Clodius cum Cæſaris vxore adulterium in aperto cōmiſit,fumante adhuc illo ſacrificio,quod pro populo fiebat, non ſolùm ſubmotis extra conſpectum omnibus viris; ſed picturis etiam maſculorum animalium contectis.* Verùm etſi ſæculis omnibus vitium viguerit, in dies maiores capere vires in comperto eſt:patebant olim vitia, nec induſtria adhuc ſagacitas ſic didicerat tegere, vt non poſſent vel modico labore inueniri;aſt iam ſic homines criminibus impenderunt affectum, vt non ſolùm non vereantur facere; ſed expaueſcant omittere. Vt gemma pretioſiſſima ea diligentia ſeruari ſolet, qua non pateat præcupidis furis manibus, & curioſiſſimis oculis; ſic cautè teguntur ſcelera, vt nulla valeat deprehendere induſtria, quo exulent

diſtan

diſtantiora remedia: non ſolùm geſtiunt homines iam peccare; ſed non delinquendi, ſi fas eſt dicere, impoſſibilitatem habere: ſola mala facinora arguit conſcientia; imò ipſa non ſemel corrumpitur, quo liberiùs, audaciuſque delinquatur. Domus Ioſeph contra Luzam ciuitatem aſcendit, illamque anguſta indagine obſidet; verùm nullo modo qua ingredi parte ad debellanda vitia potuerint, inueniunt: ea namque allophylorum induſtria ciuitas erat conſtructa, vt nulla ſolicitis etiam oculis ad ingreſſum pateret porta: nequiuiſſent aditum inuenire, ni internus ipſius ciuitatis incola voluiſſet ignorantes edocere: *Cum obſiderent vrbem, quæ prius Luza vocabatur, viderunt hominem egredientem de ciuitate, dixeruntque ad eum: Oſtende nobis introitum ciuitatis, & faciemus tecum miſericordiam.* Profectò videatur ſuperuacaneum ad copioſæ ciuitatis oſtium ductorem quærere, quando videbatur facillimum inuenire: ſi ciuitas ſpectantium fugere nequit oculos, nec ad illam fruſtrabit oculos aditus: ergo otioſum eſt præmiis allicere, quando ciuitatem ipſi poterant expugnare. Abulenſis refert ex Hebræis ciuitatem hanc ſic magicis artibus fuiſſe conſtructam, vt nulla poſſet diligentia ad illam

Abulens. aditus inueniri. *Aliqui dicunt*, inquit Abulenſis quæſt. 24. *quod erat porta ciuitatis huius negromanticè facta, ita vt non poſſet à quolibet reperiri: ſic aſtruuntur multa incantata eſſe, quæ non faciliter à quolibet inueniantur.* Adeò allophyli idololatriis indulgere cupiebant, ciuitatem ſuam adeò ſcatere vitiis deſiderabant, vt ne aliquando expugnari poſſent magicis artibus vel diligentiſſimum ſolertiæ fruſtrarint ſtudium, & eluſerint deſiderium. O quot ſic ſcelera ſua tegunt, vt deprehendi nullatenus poſſint! quod faciunt non vitandi ſcandali deſiderio; ſed ſe diutiùs, liberiuſque vitiis conſecrandi voto.

352. Deus cum Iobo diſſerens de aquila ſic aiebat:
Iob. 39 v. 27 *In arduis ponet nidum ſuum, in petris manet, & in præruptis ſilicibus commoratur, atque inacceſſis rupibus: inde contemplatur eſcam.* Non me latet plures interpretes locum hunc de contemplatiuis & ſanctis hominibus interpretari; ad theſim tamen noſtram confirmandam placet

Hugo. Hugo Charenſis, qui ad hunc locum ait poſſe intelligi dæmones animarum raptores, & ſæculi poteſtates: *Nomine aquilæ* inquit, *aliquando dæmones, aliquando ſæculi poteſtates ſignificantur.* Vide ergo vbi aquilæ ſe iſtæ tueantur, in præruptis ſcilicet petrarum concauitatibus, & inacceſſis rupibus: inde ſtudet aquila iniuſtæ rapinæ, vbi non patet venatoris induſtriæ: non poteſt venator ad rupes illas quantumuis animoſus accedere, & inde poteſt aquila deprædari: adeò ſitit ſanguinem, vt illuc viuam prædam detulerit, quo diligentia nunquam venatrix acceſſerit: cautè protecta aquila deprædatur, præda ab oculis remota innutritur, & ne vt olim Dauid ex leonis ore ex eius vnguibus quis valeat eripere, pennis ad inacceſſa didicit pernicibus inuolare. Non eſt contenta furari; ſed ſatagit omne furandi impedimentum eludere. O vtinam infelix adeò experientia veritatem hanc non firmaret, verùm plures aquilarum inſtar acutiſſima pollent oculorum acie, vt lambant ſanguinem, vt ſtuduerint rapinis, vt indulſerint peccatis: talpæ ſunt, vt oculos ad cælum dirigant, lucemque cæleſtem percipiant: aquilæ ſunt, vt delinquendi veniantur occaſionem, vt furentur, vt rapiant: *Inde contemplantur eſcam*, ſcilicet ex inacceſſis rupibus, ſic præruptis in ſilicibus viuunt, vt omnem acceſſus fruſtrentur induſtriam, & contemplari valuerint prædam: ea non ſemel ſagacitate peccatores ad tegenda delicta vtuntur, vt deprehendere nequeat, quantumuis ſolicita deſudarit induſtria, & curioſa laborauerit perſpicacia: non reperies ad coarguendum aditum, & cùm noueris perpetraſſe flagitium, nullum flagitij quibis reperire argumentum. Mirè cauſas colorant, mirè colores infuſcant: denique rupes habitant inacceſſas, quo culpas abſconderint perpetratas. Iam nonnulli tenebriones, nebuloneſque magnatum lateribus adhærent, ac illorum domibus, vti præruptis inacceſſiſque ſilicibus commorantur, vt inde nullum non perpetrarint flagitium: quia ſciunt illuc nullum ſine graui diſcrimine correctioni patere aditum.

De Behemoth aiebat Dominus cum Iobo 353.
ſermones miſcens: *Oſſa eius velut fiſtula æris,* Iob. 40. v. 13
cartilago illius quaſi lamina ferrea: ſub vmbra dormit, in ſecreto calami, & in locis humentibus protegunt vmbra vmbram eius. Diuus Gregorius, Gregor.
vt erat moraliſſimus, has Behemoth proprietates interpretatus putat peruerſorum mores exprimi induſtria cautela tectos, & virtutis colore veſtitos. *Quid enim*, inquit lib. 32. moral. caput 17. *per cartilaginem niſi ſimulatio eius accipitur? Cartilago namque oſſis oſtendit ſpeciem; ſed oſſis non habet firmitatem, & ſunt nonnulla vitia, quæ oſtendunt in ſe rectitudinis ſpeciem; ſed ex prauitatis prodeunt infirmitate.* Attende accuratiùs, quæ ſubdit. *Hoſtis enim noſtri malitia tanta ſe arte palliat, vt plerumque ante deceptæ mentis oculos culpas virtutes fingat, vt inde quiſque quaſi expectet præmia, vnde dignus eſt æterna inuenire tormenta.* Eo ſecreto perpetrare diſcunt ſcelera, eo norunt celare ſtudio, vt digna aliquando putentur præmio: ſic vmbra vmbris protegitur, ſic cartilaginis mollities conſtantia virtutis fingitur, vt nullatenus poſſis coarguere, nec opera deteſtanda damnare: Cartilago lamina ferrea cenſetur, & odium Zelus virtutis putatur: os aſſumit modeſtiæ vultum, corpus induit ſanctitatis habitum, putabis virtutis religioſum deſiderium, quod malignitatis eſt artificium.

Fallat, ni technas has peccatorum caput, & 354.
delinquendi Princeps in ſeipſo non dedicauerit, & poſteros edocuerit. In paradiſo deliciabatur Adamus innoxiis voluptatibus fruens, periculi erat expers, & voluptas ſerpentini admixtione carebat veneni; verùm excitus tantæ felicitatis ſpectatione ad inuidiam dæmon mulierem aggreditur pietatem ſimulans, & intolerabiles inuidiæ flammas interiùs geſtans. Credidit imprudentiſſimè mulier, & cuius non erat guſtum experta, arboris fructum exambiuit demirata: Deus ſuſtentato tantiſper feruore delicti aduenerat, & cauſam ad ſpeciem inſcius indagat. Quid tunc? Adamus in denſiſſima ſe proripit, & ramorum ſylua tegit: *Ab-* Gen. 3. v. 8.
ſcondit ſe Adam & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradiſi: vocauitque Dominus Deus Adam, & dixit ei: Vbi es? Profectò immenſitatis oculos nil valet latere, aut mentis perſpicaciam fruſtrare: ergo Dominus ſuæ videtur perſpicaciæ præuaricator dum

Digitized by Google

Seleuc. aduentat quaſi ignorans hominem quæſiturus: *Tanquam ignarus quærit*, aiebat Baſilius Seleucienſis orat. 3. Ecqua huius ignorantiæ ad ſpeciem cauſa? Vtilis profectò doctrina: eo artificio nuditatem ſuam texerat Adamus, vt ipſa nuditate appareret veſtitus: ea induſtria ad inacceſſa ſe contulerat, vt ſi fas eſt dicere, vel diuinos oculos ad ſpeciem latuerit, & eorum perſpicientiam fruſtrauerit: ſic tectus eſt, vt cui omnia aperta, vbi ſit, roget, & quaſi ignorans ad noſtram eruditionem indaget. Non reperies Adami nuditatem, quantumuis lynceis diſpicias oculis; quia foliis tegitur artificioſè contextis, & in veſtis ſpeciem ad pulchritudinem vſque vniiis: nuditas videbatur ornatus, ſicque latebat occultus, vt diuinus ad ſpeciem inuenire latentem nequiret oculus: *Tale, inquam, eſt* hoc, ſcribit Lippomanus: *vult enim dicere, in medias arbores, denſaque paradiſi nemora ſe intulerunt.* Vt qui denſis nemoribus ſe abſcondit, humanam quærentis induſtriam fugit, & ferè impoſſibile eſt inuenire, quem conſtat perplexas nemorum difficultates celare: ſic Adamus vel diuinæ ſe faciei ad ſpeciem ſubtraxit, & minori perſpicaciæ non inueniendus detulit, vt vel ipſe Deus, ſi fas eſt dicere, quaſi neſcius inquirat, quo nos doceat, quibus ſe contexerit, latebris, & peccatum celauerit technis. Ad quàm denſa confugiunt, quàm nemoroſa peruadunt, ad quàm induſtriæ humanæ nunquam penetranda inuolant, vt omnem inquiſitionis ſolertiam vincant: ſic teguntur, ſic conteguntur, ſic abſconduntur, ſic diſſimulantur, vt tibi opus fuerit nemus præcidere, ſi delictum deſideraueris indagare,

Lippom.

355. Iudic. 6. v. 25. Fortaſſis hoc iam edocuit Angelus Gedeonem inſtruens: *Tolle*, inquit, *taurum patris tui, & alterum taurum annorum ſeptem, deſtrueſque aram Baal, quæ eſt patris tui, & nemus, quod circa aram eſt, ſuccide.* Vide quibus Baal ara latebris abſcondatur erecta, vide quid Gedeon opus fuerit, vt euertat aram, nemus ſcilicet vmbroſum, & difficultatibus plenum ſuccidere, & contra noctis tenebras depræliari: ara caliginibus tegitur, nemoris difficultatibus obarmatur: & quidem lynceus etiam viſus inter tot multiplicis arboris frondes præpediretur, & præpeditus eluderetur: *Et nemus, quod circa aram eſt, ſuccide*, inquit Lyra, *vbi homines exercebant luxuriam.* Turpitudinibus ſtudebant; ea tamen cautela, vt totius nemoris fraudibus diſſimularentur, & tegerentur. *Condenſa ſyluarum*, ſcribit Philo libro ſecundo, de monarchia, *maleficis conueniunt, ex latebris ſecuritatem, & inſidiarum occaſionem quærentibus.* Latet Baalis ara inter nemoris tenebroſa, inter arborum condenſa, adeòque induſtriam fugit humanam, vt Gedeon ad aram inueniendam cælitus accipiat notitiam. Adeò peruerſitatis inoleuit ſtudium, vt omne ad ſeruanda ſcelera cautelæ & peruerſitatis quæſitum fuerit remedium.

Lyra.

Philo.

§. LXXV.

Suam apud ſæculum merita ſortiuntur etiam fortunam: aliquando remunerantur exiguo magna, & ampliſsimo præmio exigua

Virtus ferè ſemper irremunerata deſpicitur, aut ſi aliquando donatur præmiis, rarò iuſtis, & dignis. Verùm etſi hoc ita frequenter eueniat, aliquando ſuam etiam ſortiuntur virtutes fortunam, & cùm glorioſa merita nihil ferè habeantur, exigua fortunam nacta præmiis ingentiſſimis ſuſpiciuntur. *Graue eſt*, aiebat Caſſiodorus 2. var. 21. *vt fructu laboris ſui fraudetur induſtrius, & cui debet pro ſedulitate conferri præmium, diſpendium patiatur iniuſtum, in ea præſertim re, quæ ad noſtram reſpicit largitatem: vbi nihil debet licere negligentiæ, ne videamur minus profutura ſanxiſſe.* Solertiſſimam adhibuit Theodoricus diligentiam, ne inæqualiter profutura iniqua æqualitate honorarentur, ne vtiliora exiguo, ne minus vtilia honore fulgerent magno: iniuſtitiæ namque genus eſt, ſi vbi meritorum copioſus elucet fructus, præmij non reluceat etiam exceſſus: largè munerentur obſequia; ea tamen æquitatis trutina, vt plus acceperit, qui plus meretur, ne præmiorum inæqualitas, quas ſolet iniuſtitia, poſſit excitare querelas. Quidam obſeſſam Luzam ciuitatem egreſſus ab obſidentibus capitur, illique, ſi ciuitatis oſtendat infirma, larga offertur miſericordia: *Oſtende nobis introitum ciuitatis, & faciemus tecum miſericordiam.* Captus paruit, & ingreſſum ciuitatis oſtendit: capta illum ciuitate dimittunt, nec patriam habitare concedunt: *Cum oſtendiſſet eis, percuſſerunt vrbem in ore gladij: hominem autem illum, & omnem cognationem eius dimiſerunt.* Tranſi, ſi placet, cogitatione ad Ioſue 2. vbi Rahab duos exploratores induſtriè occultauit, & à diſcrimine mortis prudenter eripuit: *Tollens mulier viros abſcondit.* Ioſue 2. v. 4.
Huius in exploratores obſequij præmium fuit Rahab eiuſque cognationem vita donare, & ad communem ſecum habitationem admittere: *Rahab meretricem, & domum patris eius, & omnia, quæ habebat, fecit Ioſue viuere, & habitauerunt in medio Iſrael vſque in præſentem diem, eò quòd abſconderit nuntios.* Grandiora in Iſraelitas hominem illum contuliſſe beneficia, in comperto omnibus eſt, quandoquidem Rahab duos ſolùm exploratores diſcrimini eripuit; at homo ille ciuitatem integram tradidit: mulier auertit à duobus vindictam, homo de ciuitate integra Hebræis eſt dilargitus victoriam; & tamen hic nomine ſuppreſſo ignoratur, illa celebrato nomine proditur: mulier inter Iſraelitas moratur, vir ad regionem ignotam mittitur. Et cur hoc cùm videatur iuſtius auguſtiori præmio potiri hominem, non adeò auguſto mulierem? Quia merita etiam ſuam ſortiuntur fortunam, ſcribit Abulenſ. q. 25. *Iſte vir, de quo hîc, maiora fecit pro Iſraelitis, quàm Rahab: quia illa ſolùm ſeruauit à morte duos exploratores Hebræorum, & non tradidit ciuitatem Iudæis, iſte autem tradidit vrbem in manus Iudæorum oſtendendo eis introitum.* Addit poſt aliqua: *Illa cum tota cognatione ſua permiſſa eſt viuere in medio Iſraelitarum, &*

356. Caſſiod. Ioſue 6. v. 25. Abulenſ.

Digitized by Google

& honorata fuit nimis, vt patet Ioſue 6. acceptaque fuit in vxorem à Salmon Principe tribus Iuda, vt patet Matthæi 1. iſte autem homo non dimiſſus eſt viuere inter Iſraëlitas. Suum habent virtutes fatum, cùm aliquando exigua opera gratiam inueniunt, vt præmia cupiditatis limites ſupergrediantur, & fauore nimio honorentur; cùm tamen alias gigantæa facinora, virtutes eximiæ mercede exigua honorentur, & paruo, ſi fas eſt dicere, pretio habeantur: magna fecit in Hebræorum fauorem homo, Rahab minora; & tamen iſte non eſt permiſſus inter illos commorari, illi conceſſum eſt viuere.

357. Iam vtramque hanc fortunam hiſtoria illa Nabal dilucidè expreſſit: Dauid in deſerto degens compulſus fuit aliquod egeſtatis ſubſidium ab illo quærere: & quidem tanta in eum contulerat beneficia, vt vel ipſum Nabal ruſticitatis quidem, & ingratitudinis formam emollire, allicereque potuiſſent: *Homines iſti*, refert quidam ex ſeruis, heram de periculo admonens, (1.Reg.25. v.15.) *boni ſatis fuerunt nobis, & non moleſti, nec quidquam aliquando periit omni tempore, quo fuimus conuerſati cum eis in deſerto: pro muro erant nobis tam in nocte, quàm in die.* Ecce Dauid non ſolùm greges Nabal; ſed ſeruos etiam non ſine moleſtia excubiarum defendit: audi quid homo ingratus reſpondeat: *Tollam panes meos, & aquas meas, & carnes pecorum, quæ occidi tonſoribus meis, & dabo viris, quos neſcio vnde ſint.* Tonſor vmbratili labore opiparum meretur prandium; cùm Dauid adeò laborioſis curis vel aliquale famis non impetret refrigerium: tonſor lanam aufert. Dauid pecus, & lanam cuſtodit; & tamen inſtructiſſimo conuiuio remuneratur tonſura, cùm ſolicita nihil impetrare valeat ſolertia: *Poſtulatio*, ſcribit Theodorus quæſt. 54. *erat moderata, & ſignificans egeſtatem rerum neceſſariarum: quid differunt hæc verba à verbis, quibus vtuntur mendici? Sed vir ferus non modò non dedit; ſed etiam irriſit.* (Theodoret.) Strenui adeò hominis non inuenit meritum, quod deſpicabile tonſoris officium, Dauid mendici ad inſtar rogans, quod laborioſis adeò vigiliis meruit, non impetrauit, & tonſor plus quàm meruit facilè obtinuit.

358. Regina Saba, & Hiram rex obſequiis erga Salomonem quodammodò decertabant: regina aromata, & auri talenta obtulit; ſed maiora, amplioraque accepit: *Rex Salomon dedit Reginæ Saba cuncta quæ voluit, & multò plura, quam attulerat ad eum.* (2.Paralip.9. v.12.) Vides fœminæ obſequia præmiis ampliſſimis munerata: vide quodammodo Hirami ſpreta ſeruitia: *Dedit Salomon Hiram viginti oppida in terra Galilææ, & egreſſus eſt Hiram de Tyro, vt videret oppida, quæ dederat ei Salomon, & non placuerunt ei.* Inquiramus, ſi placet, cur Salomon reginæ obſequia regalibus donis vicerit, & Hirami non exæquarit? (3.Reg.9. v.12.) Obtulit quidem regina copioſum aurum; ſed & Hiram adæquè copioſum: *Dedit Regi* (Saba Regina) *centum viginti talenta auri*; ſed & Hiram æqualem auri ſummam largitus eſt: *Miſit quoque Hiram ad regem Salomonem centum viginti talenta auri.* (3.Reg.10. v.10.) Si ergo æqualis ſumma, cur æqualia non fuerint præmia? Reſpondeat theſis: quia obſequia ſuam etiam habent fortunam, vt maiorem, (3.Reg.9. v.14.) aut minorem lucrentur gratiam: obſequiis, quibus regina tanta à Salomone impetrauit, Hiram exigua ſatis obtinuit. *Illæ ciuitates*, ſcribit noſter Sanctius, (Sanct.) *non videbantur eiuſmodi, vt ex illis vllo modo, aut non niſi diu, & cum graui moleſtia tanti ſumptus compenſari potuerint.* Hirami labor præmio non eſt compenſatus, reginæ cupiditatem Salomon eſt muneribus ſupergreſſus: plus obtinuit Regina Saba commodè aduentans quàm Hiramus inſtructiſſima claſſe marinos vortices tranans. Nec his diſſimilia accidiſſe ſæpè comperies: duriſſimi labores exiguo munerantur præmio, cùm exigui ampliſſimo honorentur dono.

359. In vtroque ſuam nequitiam diabolus prodidit: poſt longam ieiuniorum inediam menſam apponit duriſſimam; imò oblato grauiorem iniungit moleſtiam dono, quàm parta fuerat ieiunio: *Dic vt lapides iſti panes fiant.* (Matth.4. v.4.) Ecce quadrageſimalis ieiunij præmium duriſſimus lapis: audi quod aſſignarit viliſſimæ adorationi. *Oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo ſi cadens adoraueris me.* Totus mundus eſt iniquæ adorationis brauium, cùm lapides duriſſimos ieiunium ſolùm impetrarit honeſtum. O quàm apud deprauatam politiam exigua conſequuntur virtutes, & quàm magna adorationes! Ieiunio, merenti, cum feriſque decertanti datur in præmium grauior ac durior moleſtia, iniquitati plaudenti, adulationi adoranti mundialis offertur gloria: Curuatur obſequio, ſcribit Ambroſius apud D. Thomam, vt honore *dominetur.* (Ambroſ.) Vides quàm facilè honor dominationis acquiratur depreſſionis obſequio, cùm lapides, hique duriſſimi honeſto adſcripti fuerint ieiunio. Sic impetrare apud ſæculum ſolent virtutes, ſic remunerari ſolent iniquitates. O quàm dignus fuit ſuo illo oblato detrudi regno, qui ſic abutebatur dominio! Apud diabolum ferè nil valet meritum, cùm valeat plurimum adulationis delirium.

360. Ad meliorem tranſeamus politiam. Apud probos gubernatores nil valet fortuna, ſed cauſa. Elias honeſtæ viduæ hoſpitio exceptus panem promittit: *Hydria farinæ non deficiet*: Eliſæus clamanti viduæ non olei ſpondet lecythum; ſed theſaurum: *Cum plena fuiſſent vaſa*, &c. (3.Reg.17. v.14.) Et cur alibi lecythus non minuitur, & alibi impletur? (4.Reg.4. v.6.) Quia magna erat obſequiorum diuerſitas? Sareptana vidua vnicum aluit prophetam exiguo pane, viduæ clamantis Sponſus plures aluerat: ideò alia grandius, alia minus accepit præmium: nam apud probos reipublicæ adminiſtros obſequiorum attenditur meritum, nec remunerat adfectionis ſolum arbitrium: *Secundum Doctores Hebraicos, & Latinos*, ſcribit Lyra, (Lyra.) *iſta mulier fuit vxor Abdiæ, qui ad paſcendum prophetas tempore perſecutionis Iezabel contraxit debita.* Plus accepit, quæ plures pauit: nam cùm prophetæ geſſerint Chriſti figuram, imitandum omnibus tradiderunt œconomiam.

---

§. LXXVI.

Propriam vtilitatem obligationi præferens, qui in amicum recipiatur indignus: fidelis æſtimationem meretur, etſi contrarius.

Dignus eſt in amicum recipiatur, qui munus ſuum quamuis difficultatibus ple-

Digitized by Google

num, fidelis peregit: indignus, qui proprias ſolùm vtilitates amauit: maiorem æſtimationem meretur vir probus etſi contrarius, quàm infidelis amicus. Opportunè Theodericus 2. var. 26. de Venantio: *Retinetis, Patres conſcripti,* Caſſiodor. *Patritium Liberium & in aduerſitate noſtra fuiſſe laudabilem, qui ſic Odouacris integerrimis parebat obſequiis, vt noſtra poſt fuerit electione digniſſimus, contra quos multa feciſſe videbatur inimicus: non enim ad nos viliſſima transfuga conditione migrauit: nec proprij domini finxit odium, vt alterius ſibi procuraret affectum: expectauit integer diuina iudicia, nec paſſus eſt ſibi regem quærere, niſi primitus perdidiſſet.* Subdit prudentiſſimus Princeps rationem: *Vnde ſic factum eſt, vt ei libenter daremus præmium: quia noſtrum fideliter iuuit inimicum, qui caſu patrocinante contrario tantum nobis reddebatur acceptus, quantò tunc cognoſci poterat indeuotus.* Fidelis ſi aliquando opponatur contrarius, ipſo, quo nocet, æſtimationem acquirit; infidelis ipſo, quo placet, deperdit: officij ſui ac fidelitatis ignarus, qui in ſocietatem admittatur, inuenitur indignus, eius deſiderabilis eſt amicitia, qui fidelis, etſi contrarius. Placet aliquando proditio; ſed diſplicet ſemper proditor. Cùm Rhymetalces ab Antonio defeciſſet Cæſaris partes ſecutus, aliquandoque ei exprobraret odiosè ſe ad amicitiam Plutarch. amiſſum, reſpondit Cæſar teſte Plutarcho in apophtegm. *Proditionem amo, proditores non commendo*: admiſſus eſt gratè vt proditor; ſed vt amicus nunquam admiſſus: alieno enim damno ſibi didicit cauere Cæſar, & credidit, ſi maiora expectaret, à ſe citò defecturum, qui ab Seneca. Antonio maiora expectans defecerat. *Qui ſe ſpectat*, aiebat Seneca epiſt. 9. *& propter hoc ad amicitiam venit, malè cogitat: quemadmodum cœpit, ſic deſinet.* Addit ſtatim: *Qui amicus eſſe cœpit, quia expedit, placebit ei aliquod pretium contra amicitiam, ſi vllum in illa placet pretium præter ipſam.* Vtilitas facilè docet proditionem, nec cui aliquod pretium præter fidelitatem extitit, ad amicitiæ communionem admitti debet. De Luza obſeſſa ciuitate egreſſus homo ab hoſtium excubiis capitur, & vitæ diuitiarumque lucro propoſito præmio ciuitatem prodere perſuadetur. *Oſtende nobis introitum ciuitatis, & faciemus tecum miſericordiam.* Suam communi vtilitati præponens paruit, & fidem vitæ ac auri amore corrupit: *Cum oſtendiſſet eis, percuſſerunt vrbem in ore gladij.* Ciuitate iam capta hominem illum ſecum commorari non ſuſtinent; ſed diſſitam ad regionem tranſmittunt: *Dimiſſus abiit in terram Hetthim.* Abulenſis rogat, cur hominem illum adeò de eis benemeritum ſecum non permiſerint habitare; ſed compulerint abire? Verùm facilis ratio eſt: quia ſcilicet prodidit ciuitatem, fidemque patriæ debitam violauit, ac propriam ſingularem vtilitatem publicæ ſaluti præpoſuit: dignus ergo erat, qui non admitteretur ad amicitiam; ſed ſimul cum præmio proditionis ſubiret notam. *Iſte* (verba Abulenſ. ſunt Abulenſis quæſt 25.) *tradidit vrbem in manus Iudæorum oſtendendo eis introitum*: Addit poſt aliqua: *Non dimiſſus eſt viuere inter Iſraëlitas; ſed miſſus eſt ad habitandum extra terram Iſraël.* Suſpectum habuerunt, ſuis infidelem experti: ideò indixerunt exilium in futurum prouidentiſſimi. 362.

Veritas hæc Dauidis actionibus prudentiſſimis confirmatur; Rechab, & Baana, quos ad militiæ dignitates extulerat Iſboſeth: nam vbi legit noſter textus: *Principes latronum*, ex Hebræo legit Lyra: *Principes turmarum, vel cuneorum*: cæca ambitione ſtimulati maiora diſcupiunt, damnoque fidelitatis ſibi ſolicitant præmium: 2. Reg 4. v. 2. Lyra. *Duo viri Principes latronum erant filio Saul, nomen vni Baana, & nomen alteri Rechab.. Venientes filij Remmon Berothita Rechab, & Baana ingreſſi ſunt feruente die domum Iſboſeth, qui dormiebat ſuper ſtratum ſuum meridie, & oſtiaria domus purgans triticum obdormiuit: ingreſſi ſunt autem domum latenter aſſumentes ſpicas tritici. & percuſſerunt eum in inguine Rechab, & Baana frater eius, & fugerunt.* Caput Iſboſeth vti gratiſſimum Dauidi munus aſportant; verùm ille iubet occidi, & ſuper piſcinam ad cunctorum exemplum ſuſpendi: *Suſpenderunt eos ſuper piſcinam in Hebron.* Et cur expertos, fortiſſimoſque milites beneuolè non excipiat: quando nondum regno tranquillè fruebatur hoſtibus impetitus, & multiplici prælio vexatus? Satius videbatur præmio illorum ſtudia afficere, quàm necare: cur ergo ſuis noluit exercitibus adiungi; ſed ad terrorem cæterorum occidi? Quia dum fidei violatores agnouit vti nocentiſſimas peſtes extimuit. Adeſt Ioſephus lib. 7. antiquit. Ioſeph. cap. 2. occiſores Dauidis nomine alloquens: *Fortè alium me iam factum credebatis, vt mutatis moribus delectarer viris maleficis, & Domini cædem tamquam beneficium oblatum complecterer, idque occiſo à vobis in ſuo lecto viro iuſto, qui neminem vnquam læſit; vos verò maxima etiam beneuolentia, ſummiſque honoribus proſecutus eſt?* Excipe audius ſupplicij cauſam: *Quapropter eadem opera & illi pœnas violatæ fidei dabitis.* Ingens Dauidi ex Iſboſethi morte lucrum proueniebat, vt ſtatim oſtendit euentus; verùm etſi placeret lucrum, placere non potuit violatæ fidei peccatum: noluit darent nomina milites, quos actio iniqua oſtenderat proditores: violata fides violatoribus conciliauit odium etiam dum attulit incrementum. Fidelitas vel quando alteri nocet, ſibi venerationem conciliat; at proditio vel quando vtilitatem parit, neceſſum eſt proditoris contemptum pariat.

Redeat iterum Dauid, qui cum Abner nuntios ad eum miſiſſet eius amicitiam deprecatus, 363. nuntios beneuolè admiſit, & amicitiæ fœdus 2. Reg. 3. v. 12. ſpopondit: *Miſit Abner nuntios ad Dauid pro ſe dicentes: Cuius eſt terra? Et vt loquerentur: Fac mecum amicitias, & erit manus mea tecum, & reducam ad te vniuerſum Iſraël.* Quid tunc Dauid? Optimè: ego faciam tecum amicitias. Inquiramus, ſi placet, cur Dauid Abner non reſpuerit amicitiam; cùm ſupra relatis fratribus duram adeò intulerit pœnam? Iſti regnum offerebant, ille promiſerat; & tamen fratres reſpuit, Abnerum admittit: ecqua diſcriminis ratio eſt? Quia fratres illi fidelitatis diſpendio Dauidis exambierant affectum; at Abnerus ſe Dauidi coniungere non decreuit, niſi poſtquam dominus ſuus, ſi fas eſt dicere, repudiauit: *Dixit Iſboſeth ad Abner: Quare ingreſſus es ad concubinam patris mei? Qui iratus nimis propter verba Iſboſeth ait: Numquid caput canis ego ſum aduerſus Iudam hodie?* Increpatione offenſus muneri renuntiauit, ſeque à numero ſeruientium ſubduxit: iam ergo quaſi dimiſſus indignationis proſecutus eſt cauſam; ſed fidelitati nullatenus in-

tulit notam, imò fideliter adeò ſe geſſit Iſboſeth partes ſecutus, vt Dauidis inaugurationem diſtulerit, & ampliationem regni tardauerit: erat Abner Dauid ob ſtrenuitatem, ſi fas eſt dicere, odioſus; ſed in honore ob fidelitatem habitus. Hunc ergo ad amicitiæ dignitatem admiſit verba Aurelij repetens. Caſſiodor. *Libenter damus præmium: quia noſtrum fideliter iuuit inimicum... Probauimus hominis fidem: triſtis ad iura noſtra tranſiuit, qui ſuperatus animum conuertit; non autem, vt vinceretur, effecit.* Abner non captioſas quæſiuit cauſas, non factitias excitauit querelas, vt infidelitatem coloraret; ſed iam diſrupto vinculo amicitiæ cum antiquo domino venit: Dauid ergo recepit ad amicitiam iratum, non fide corrupta obſcurum: *Erat caput canis*, ſcribit Abul. Abulenſis quæſt. 5. *id eſt, litigioſus, & pertinax: ſcilicet canes ſunt litigioſi nimis, ſemper latrantes, & murmurantes: ita Abner erat caput canis: quia cæteri de Iſraël non mouiſſent aliquod bellum contra Dauid, niſi Abner incitaſſet eos ad litem contra Dauid.* Itaque dum contrarias partes ſequebatur, ſtrenuè ſe geſſit: ideoque Dauid gratè accepit, cùm ad eius partes tranſiuit: quia ſperabat ita pro ſe fore ſtrenuum, ac expertus fuerat olim indeuotum.

364. Abſalon naturæ dedecus ambitione furens in patrem exarſit, inſidias à filio patitur, regno indecorè depellitur, & opus eſt celerem arripere fugam, ne ambitionis ſuſtinuerit violentiam: Abſalon, vt inæſtimabili ſcelerum fœdaretur cumulo, de impuritate cum crudelitate certabat: neſcias an ſæuior, an impurior: quia profugum interficere nequibat parricidio, fœdauit inceſtu: & quidem facinus, quod ſecreta abominantur, publicè perpetratur, vt honor paternus feraliſſimo denigraretur ſcelere in frequenti populi turba, quò durior adaugeretur infamia; verùm ipſa laſciuia ſic rationis oculos obcæcauit, vt ſtupidum prorſus reddiderit: nam cùm Chuſai Dauid amicus ad ſpeciem defeciſſet, & partes transfuga ſequeretur contrarias, ille vti amicum admiſit, & ad præcipua belli tractanda vocauit: 2. Reg. 16. v. 16. *Cum veniſſet Chuſai Arachites amicus Dauid ad Abſalon, locutus eſt ad eum: Salue rex, ſalue rex*: transfugam à fide ſpecie tenus deficientem in conſilium vocat, & conſilio Chuſai perit, qui talem conſiliarium admiſit. Quod expendens D. Chryſoſtomus in Pſalm. 7. miratur Abſalonis ſtultitiam, & notat ſtuporis inſaniam. Chryſ. Audi eius verba: *Vocat Chuſai, qui ad ipſum transfugerat per ſimulationem, & eum facit eius, quod petebatur, conſilij participem, quod non erat humanæ rationi conſentaneum.* Ratio ſuſpectum oſtendebat Chuſai, ſiue per ſimulationem transfugiſſet, ſiue animo Dauidis familiaritati renuntiaſſet, quandoquidem nec ſimulator debebat admitti, nec infidelis ad tractanda ſecretiora vocari. O quàm perire voluit, qui à Dauide, vt videbatur, deficientem admiſit! Quid poterat ſperari ab homine amicitiam vtilitati poſtponente, & ſtudium tempori accommodante? Certum erat, vt modò Abſalonis, contrarias partes futurum, ſi fortuna in contrarium tranſiret, & ſors, quod tunc promittebat, verteret. Prudentiam ſuam commendaſſet, ſi transfugam nec ſecum pateretur commorari, nec ad patrem redire: ſic namque patrem priuabat amico, ſe liberabat contrario. Achitophel tyranni ſic dolet impudentiam, vt propriam abiecerit ſuperbiſſimus vitam; verùm etſi extremam oſtenderit iniquitatem, neſcio qua conſtantiæ ſpecie contexit: dignior hic erat, qui poſt Abſalomi necem à Dauide admitteretur amicus, quantumuis fuerit contrarius, quàm Chuſai ab Abſalone fidem violans, & ſacras amicitiæ leges proculcans. Populus ergo ſe prudentiſſimè geſſit, cùm ob proditionem hominem illum vitâ donauit, & ob id ipſum non ſecum commorari permiſit.

§. LXXVII.

Ferè nulla in totum poſſunt latere ignorata: quia curioſitas ſemper intenta.

Egregiè fallitur quiſquis putat ita ſua facta 365.
poſſe denſis tenebris ſepeliri, vt curioſitatis perſpicacia poſſint nullatenus indagari. Curioſitas vel parietem peruadit, & quæ omnem videbantur ſupergreſſura notitiam, non potuerunt lynceam eius effugere perſpiciam: aliquod deprehenditur veſtigium, quo ad cætera perſcrutanda manu intellectus ducatur: verbum aliquod dubia ſignificatione aliqualem lucem infudit; & mentem ad occultiora indaganda præter opinionem exacuit. Inuolarat Sponſus celerrimis affectionis alis, vt Sponſam inuiſeret, plantis leuiſſimis non videbatur pulſare terram; Cantic. 2. v. 2. ſed auram: *Similis eſt dilectus meus capreæ, hinnuloque ceruorum.* Quid tunc? *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum.* Mira res: ceruorum agilitatem imitatus nullo ſtrepitu, greſſibuſque ſurdiſſimis inuolarat, vt quibus ſponſa intenderet, occultus inſpiceret, & inuiſus prorſus attenderet; verùm adhuc denſiſſimo pariete tectus, adhuc ſilentio diſſimulatus ab Sponſa eſt clariſſimè deprehenſus: *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum*: & quomodò viſus, ſi pariete contectus? Quia quantumuis celeri pede aduentarit, aliquem fortè excitauit ſtrepitum, quo informata Sponſa ipſum deprehendit latibulum. Non potuit vel paries celare, quem vel leuiſſimus aduentus rumor Sponſæ vigilantiſſimæ aperuit: Gregor. *Quaſi poſt parietem noſtrum*, ſcribit Gregorius hîc, *Chriſtus incarnatus ſtetit: quia in humanitate aſſumpta diuinitas latuit, & quia eius immenſitatem ſi oſtenderet, infirmitas humana ferre non poſſet, carnis obſtaculum obiecit, & quidquid magni inter homines operatus eſt, quaſi poſt parietem latitans fecit.* Ecce ad noſtram eruditionem vel ipſe Deus carnis velaminibus tectus prorſus non latuit; ſed actionibus innotuit: pariete & quidem imperuio ad ſpeciem tegebatur; & tamen agnoſcebatur: vel diligens latendi cautela à curioſitatis comprehenſa fuit perſpicacia, vt nullus fidat ea ſe poſſe ad ſpeciem prudentia, vt curioſitatis eludat ſtudium, & fruſtretur vigilantiæ conatum. Ecce obſeſſa ab aduerſariis Bethel protegebatur non ſolum cautela; ſed, vt placet pluribus, necromantia; & tamen egreſſus de ciuitate homo oſtendit aditum, & hoſtibus aperuit ſecretum: *Viderunt hominem egredientem de ciuitate, dixeruntque ad eum: Oſtende nobis introitum ciuitatis, & faciemus tecum miſericordiam, qui cùm oſtendiſſet eis*, &c. Non inueniebant perſpicaciſſimi hoſtes ciuitatis portam: quia, vt placet Hebræis, ſic magicis artibus

tibus celabatur, vt poſſet nullatenus inueniri, aut induſtria humana indagari. Abulenſ. Ita Abulenſis quæſt. 24. *Aliqui dicunt quòd erat porta ciuitatis huius negromanticè facta, ita vt non poſſet à quolibet reperiri.* Incantamentis erat obſerata, nec humanæ ſolertiæ peruia; & tamen egreſſus homo introitum ciuitatis oſtendit, vt noueris nunquam aliquod ad occultiora inquirenda deeſſe veſtigium, aut ad reliqua indaganda argumentum: Caietan. *Occultè egreſſus fuerat*, inquit Caietanus, *nec cuſtodes aliud perpenderunt, niſi quòd de ciuitate exierat, & propterea petunt ab apprehenſo homine, vt oſtendat eis qua parte exierit, vt per eamdem ipſi poſſent introire occultè.* Comprehenſus homo docuit quòd incantamentorum arte latebat, & egredientis veſtigium ad adeundam ciuitatem non dubium fuit argumentum. Quòd ſi iam nec magicæ artes poſſunt curioſitatis ſolertiam eludere, quis ſibi promittat poſſe ſe oculos lynceos fruſtrare?

366 Mortuus eſt Lazarus ille mendicus, qui ad malæ oſtentationem fortunæ videbatur genitus, & ad pompam dolorum natus; verùm acerrimi illi dolores patienter lati fructus dulciſſimos pepererunt: portatur namque ab Angelis iam demortuus, qui ab hominibus deſpiciebatur exulceratus: nec ſolùm Angeli pauperem geſtare exambiunt; ſed vti pretioſiſſimam margaritam ſecretiſſimo loco abſcondunt: Lucæ. 16. v. 22. *Factum eſt autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.* Viſceribus Abrahæ includitur, & benignis dilectionis brachiis conſtringitur, qui à ſæculi diuitibus vti naturæ probrum contemnebatur. Quid tunc? Diues ille flammarum vernula, & nunquam abſumenda ingerens immortalibus flammis pabula, oculos leuat, & Lazarum in Abrahami ſinu abſconditum peruerſa curioſitate rimatur: *Eleuans oculos ſuos cùm eſſet in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in ſinu eius.* Immenſa erat diſtantia, chaos denſis caliginibus plenum vel aquilarum acies impediebat: ait namque Abraham: *Inter nos & vos chaos magnum firmatum eſt*; & tamen diuitis oculi ſic malignitate exacuuntur, ſic curioſitate inflammantur, vt nõ ſolum Abrahamum viderint; ſed quod abditiſſimis latitabat viſceribus deprehenderint. Mirum profectò erat poſſe Abrahamum chaos magnum peruadendo ſpectare, nec tot confuſis tenebrarum voluminibus impedire: & tamen quod omnem ſuperat admirationem, pectoris etiam ſecretiora valuit inuidentia rimari, & abditiſſimis præcordiis clauſa videre: non ſolùm vidit Abrahamum; ſed Lazarum in eius abſconſum ſinu, & cuſtoditum affectu: *Et Lazarum*, inquit, *in ſinu eius.* Si non adeò prudens eſſet Abrahamus, putaret nulli pectoris ſuis arcana poſſe patere, nec poſſe cordis ſecretiora ſtudio ſolertiſſimo reſerari, ea tamen eſt curioſitatis malignitas, inuidiæ perſpicacia, odij verſutia, vt abditiſſima etiam venetur: quia vel perſleuiſſimas rimulas ſemper rimatur. *Curioſitas*, inquit Plutarchus Plutarch. lib. de curioſitate, *eſt libido ſciſcitandi arcanorum, & reconditorum.* Addit in fine tractatus: Curioſi etiam fortuita infortunia eorum, quibuſcum verſantur, explorant & in publicum *efferunt.* Nihil eſt, quod oculos curioſitatis euadat, nihil eſt, quod notitiam prorſus effugiat: *Lazarus*, Chryſoſt aiebat Chryſologus ſerm. 122. *iuſtiſſimi cognitoris tota poſſidet arcana.* Arcana poſſidet; ſed notitiam diuitis non excludit. Scripſerat Chryſologus ſerm. 66. *Vidit Abraham diuitiarum conſortem; ſed inhumanitatis exortem.* Abraham diues & magnus ſic oculis patuit, vt vel contradicente chaos, quid pectore gereret, diceretur, & quid ipſe præcordiis abditiſſimis cuſtodiret, clamor importuniſſimus euulgaret. Sciant magnates ſic omnium curioſitati viuere expoſitos, vt nec quæ pectore gerant, notitiam poſſint effugere, aut ſolertiam curioſitatis fruſtrare. Cùm Athenæ fame premerentur, nec quibus erat triticum, manifeſtarent, imò altiſſima nocte domi maiori, quo poterant ſilentio, molerent, ſatis non fuit, vt res effugeret circumcurſantium notitiam, & exploratorum ſolertiam. Plutarch. Ita Plutarchus loco citato: *Cum Athenis fame laboraretur, nec quibus triticum eſſet id in medium afferrent; ſed ſilentio & nocte domi molerent, circumcurſantes captabant molarum ſtrepitum.* Periculum rem cautiſſimè agere perſuadebat; verùm nec nox, nec cautela quid profuit: quia res quantumuis ſecretiori domus parte peracta, teſtibus non modicis patuit.

Iſaiæ celſo throno inſidens Deus obiicitur, 367.
cui Seraphim reuerentes adſtabant, quemque explicatis, & multiplicatis alis tegebant: Iſai 6. v. 2. *Seraphim ſtabant ſuper illud, ſex alæ vni, & ſex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant*: vt Hieronymo hîc placet, ambiguum eſt, an proprias, an Dei faciem oppanſis texerint alis: *Seraphim*, inquit, Hieronym. *iuxta Hebræi ſermonis ambiguitatem & faciem, pedeſque Dei, & ſuam faciem ac pedes operire dicuntur*: vnde duo nobis veniunt expendenda, quomodò Iſaias dignoſcere potuit ſupremos illos ſpiritus Seraphinos eſſe, quando & pernici volatu, vel lynceam perſpicaciam fugiebant, & faciem vno & altero pennarum velo occultabant: non erat difficile agnoſcere cæleſtes eſſe volucres; ſed è quarum hierarchia, videbatur profectò difficilimum; & tamen propheta conſtanter aſſeruit ſe Seraphinos aſpexiſſe, & clariſſimis oculis ſpectaſſe: *Seraphim ſtabant ſuper illud.* Se induſtriè contegunt, oculos celeri volatu diffugiunt, & tamen Seraphinos eſſe Iſaias cognoſcit, & notitiam poſteris tradit: ad noſtram eruditionem referuntur velati & cogniti, vt diſcas nullam adeò fortunatam induſtriam, quæ effugere prorſus valeat curioſitatis notitiam: fors per plumarum rimulas quid apparebat, quod occultum proderet, & oculos informaret: fors ipſe vocis modulus, dum ſacrum illud triſagium canebant illos audienti manifeſtabat: deprehendit Iſaias Cherubinos eſſe inter celerrimos volatus, inter alarum tegmina, inter induſtria viſus obſtacula. Iam ſi Dei faciem velarint, aptius noſtræ theſi confirmandæ videtur: rogat namque Bernardus Bernard. ſerm. 5 de verbis Iſai. Cur duplicatis alis Dei facies veletur, aitque hoc factum eſſe, ne dæmon inuidus Deum viderit, aut agnouerit: *Sic nimirum quaſi gemino quodam velamine, ne ſublimiora proſpiciat, inuidus præpeditur.* Aſſentior Bernardo; ſed ſuperuacaneum videri poſſet alarum ad inuidiæ fruſtrandam aciem quæſiſſe remedium, quando Dei omnipotentia in ſe inuincibile habebat ſubſidium: ſi ſua ſe protegere poteſt omnipotentia, quid neceſſum eſt gemina Seraphinorum celari ala. Nonne acutior liuore ſuffuſus inuidentiæ oculus peruadet pen-

nas,

nas, ſi omnipotentiæ viribus non arcetur, aut micanti luce ſuffunditur? Profectò omnipotentia creaturarum non indiget adminiculo; verùm his ſymbolis docet, quàm ſit difficile perſpicaciam malignitatis effugere, & curioſitatis aciem fruſtrari, quando ipſa omnipotentia veluti aſcititiis velis tegitur, & obſtaculis contra oculos rimantis armatur. O quàm fallitur quiſquis tenebrarum auxilio ſcelera aggreditur perpetrare ſibi promittens delictum fruſtraturum notitiam, & eluſurum curioſitatis audaciam! O quàm fallitur quiſquis induſtria cautela fiſus, & cauteloſa induſtria fretus cogitat ſe poſſe latere, & ſua ſolummodò conſcientia coargui. Curioſiſſimè deprehendunt quidquid latere putatur, oculi, ex leuiſſimis veſtigiis plura coniiciunt, & veritatem temeraria felicitate venantur. Sibi imponit quiſquis ignorantiæ cogitat tradenda delicta, & tenebris operienda ſcelera, quando neſcio quo pacto omnia in lucem veniunt, & ipſa quæ putabantur magica induſtria ſepulta, patent oculis inſidiantium aperta.

---

§. LXXVIII.

Plures circa propria inueniuntur cæci, circa aliena acutiſſimè inoculati.

368. NEſcio quibus præſtigiis mens humana inuenitur & cæca & inoculata: quidquid ad ſe pertinet, adeò tranſuerſim oculorum agitata pupilla, aut denſo cupiditatis fumo obſcurata perſpicacia intuetur, vt fœdiſſima etiam cenſeat eximia pulchritudine ornata, cùm egregiè venuſta ſordida cenſeat, ſi aliena. Diſertiſſimè Tertullianus aiebat in apolog. cap. 1. duas cæcitatis ſpecies facillimè concurrere, aliam, quæ caliginibus præpedita non videat quæ ſunt; Tertull. aliam, quæ videre videatur, quæ non ſunt. *Certè*, aiebat Septimius, *condemnati mærent, deonerant ſemetipſos, mentis mala impetus vel fato, vel aſtris imputant: nolunt enim ſuum eſſe, quia malum agnoſcunt.* Experiuntur ſceleſti plurima ſe flagitia committere, indignis, damnandiſque ſe actionibus deprauari; ſed ea cæcæ affectionis vis eſt, vt malum ſuum eſſe negent, & fatis imputent. Itaque in fato, quod ipſi fingunt, malum, quod non eſt intuentur: in ſe non vi- Plutarch. dent, quod experiuntur. *Curioſitas*, aiebat Plutarchus lib. de curioſitate, *quæ ſtudium eſt aliena mala noſcendi, videtur non intactus inuidentiæ morbus, neque improbitate eſſe. Quid incommodum, homo inuidiſſimè, alienum cernis oculis lynceis, ad propria cæcutis?* O quàm verum! Inuidentiæ pruritu, & malignitatis titillatione inueſtigamus, non ſine iniuria charitatis, aliena facta, pertranſimus inprudentiſſimè propria. Multa domi noſtræ ſunt, quæ poſſimus diſtringere; ſed negligimus videre: quæ alienis in domibus non ſpectat ad nos videre, diſcupimus ſtudio malignitatis diſtringere. Miranda profectò venit Ioſephitarum familia, quæ ciuitatis Luzæ introitum ignorat, & doceri ab alio quærit: *Viderunt hominem egredientem de ciuitate, dixeruntque ad eum: Oſtende nobis introitum ciuitatis.* Duo ſanè hic concurrere miranda: ciuem ſuæ ciuitatis debiliora ſcire, & Ioſephitas ciuitatis alienæ introitum ignorare. Parum fuit qua parte ciuitas vaſtari poſſet, interrogaſſe, nec quid intus ageretur oculis curioſis vidiſſe. *Dicunt Hebræi*, ſcribit Lyra, *quòd habebant introitum, & exitum ſubterraneum extraneis occultum.* Terræ molem intuentium oculis opponebant, quo notitiam arcerent, nec adhuc profuit, quo minùs inimici indagarent introitum, & occultiſſimum arte inuenirent aditum.

Apoſtolis parabolam illam de ſeminante 369.
aperuit Chriſtus Dominus, aliis occluſit, & totum arcanè: *Vobis*, inquit, *datum eſt noſſe my-* Lucæ 8. v. 10
ſterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant. Sibi ipſis verba reſtagari videntur: nec enim videntes poſſunt non videre, aut ſi illis contingit non videre, eſſe non poſſunt videntes: cur igitur actum aſſerit, dum actum denegat? Certè quia circa varia obiecta diuerſimodè ſe Phariſæorum dirigebat obtutus: terra erant ſpinis horrida, duris lapidibus prægrauata, quæ Dei Verbum ſolùm admitteret, vt calcaret; & tamen ſe nihil contra virtutem agere prædicabant; imò ſe virtutis patronos deprædicari cupiebant: & cùm circa propria errarent cæciſſimi, adhuc circa aliena cæciùs errabant inoculati. Dimittebat Chriſtus peccata, & apud illos audiebat blaſphemus: *Quis eſt hic qui etiam peccata dimittit?* Ecce Lucæ 7. v. 50
Chriſti virtutes ſuffuſus inuidentia oculus cenſuit præſumptionis delirium, cùm virtutem putarit, quia proprium, enormiſſimum odij peccatum: *Videre ſe putant*, aiebat Theophyla- Theophyl.
ctus apud Diuum Thomam; *non vident autem.* Vident, & non vident, quia quæ ſcelera perpetrant, virtutes exiſtimant, & quas alij operantur virtutes, arrodunt dente malignitatis vti delicta. Quàm benè citatus ſuprà Plutarchus! *Nunc, vt in fabula, lamiam perhibent canere do-* Plutarch.
mi luminibus captam, quæ in ciſta oculos habeat repoſitos, ac foras cùm prodi, ſibi eos addat. Perinde noſtrum quiſque foris, & ad alios maleuolentiæ argutam ſeueritatem quaſi oculos admouet; in offenſas verò & vitia noſtra crebrò incurrimus ex ignorantia: quia viſum ad ea & lumen non paramus. Oculorum lumen alienis dicamus actionibus, ob idque ad proprias incurrimus cæcitatem. O quàm notat quiſque quidquid aliis aut minus honeſtum, aut indecorum? quàm in ſe nec videt probra, nec agnoſcit ſcelera!

Totum hoc non ſine lepore in illa Balaami 370.
hiſtoria videmus: tendebat regis promiſſis allectus, & cupidine ſtimulatus Dei populi fortitudinem magicis auguriis eneruaturus, & ſacrilegis felicitatem faſcinis retardaturus, cùm iter alacriter, celeriterque carpenti occurrit Angelus ſtricto gladio mortem intentans, & cupiditatem caſtigans: *Stetit Angelus Domini* Numer. 22. v. 22.
in via contra Balaam, qui inſidebat aſinæ, & duos pueros habebat ſecum. Quid tunc? *Cernens aſina Angelum ſtantem in via euaginato gladio auertit ſe de itinere, & ibat per agrum.* Ecce videt aſina quod ignorat propheta; verùm inquiramus, ſi placet, quomodò aſina potuerit ſpiritum intueri, aut quomodò Balaam forma humana occurrentem potuerit ignorare: ſi Angelus ſpeciem aſſumpſit humanam, quomodò non vidit propheta? Aut ſi non aſſumpſit, quomodò reſpexit aſina? Facilis quidem ſolutio: Angelus in prophetam obarmatur eius ſcelere compulſus, & malignitate coactus: ergo Balaam, quæ circa ſe geruntur, prorſus ignorat;

Digitized by Google

ignorat; at brutum quid alij acciderit, & præuidet, & agnoſcit: vt noſtra theſis veriſſima appareat, ſcilicet quempiam circa propria cæcutire, & aliena lynceis oculis præuidere: Raban. *Balaam diuinus erat*, inquit Rabanus apud gloſſam, *dæmonum ſcilicet miniſterio, & arte magica nonnunquam futura prænoſcens.* Prænoſcit futura, ſi aliena, qui præſentia non videt, ſi propria: aſina videt, & propheta non videt: Gregor. *Angelum aſina vidit*, ſcribit Gregorius apud Gloſſam, *quem humana mens non vidit.* Quæ ad ipſam pertinerent, tarda ignoraret aſina, & à longè præuidiſſet propheta; at quæ circa prophetam aſinæ intuetur viſus, & rationalis non videt intuitus: adhuc impediente ipſa natura, arte malignitatis probra deprehenduntur aliena, & adhuc ſtimulante conſcientia ignorantur propria: diuerſis enim præſtigiis circa diuerſa obiecta mens acuitur, & obcæcatur, vt fenum ad inſtar, quibus debilis intuitus proxima non capiat, & diſtantiſſima videat.

371. Dominus ſuæ omnipotentiæ diuitias explicans, & magnificentiæ theſaurum retinere ad ſpeciem impotens non exiſtentibus dat exiſtere: multimodas creaturarum ſpecies producit, & fictricis artis ſuæ quadamtenus gloriam partiri deſiderans, illa adducit ad Adam, vt qui- Gen. 2. v. 19. bus Numen eſſentiam, nomina indiderit: *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus cæli adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea.* Profectò Adam Deum nihil fabricantem viderat; & tamen vel intimas rerum eſſentias penitiori adeò cognitione peruaſit, vt nomina propriſſimè indiderit: *Omne quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius.* Vides Adamum omnia inconfusè cognoſcentem propria nomina excudere, proprietateſque rerum inditis nominibus explicare. Transfer modò cogitationem ad mulieris opificium: ſoporem Deus Septuag. immittit in Adam: *Immiſit Dominus Deus ſoporem in Adam.* Soporem hunc ecſtaſim fuiſſe cenſent Septuaginta, Lippomanus & alij, le- Lippoman. guntque: *Immiſit Dominus ecſtaſim.* Formatam ergo iam de coſta ad virum Deus nymphagogi ad inſtar mulierem adducit, & ipſe nomen imponit: *Dixit Adam: Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea, hæc vocabitur virago.* Rogant interpretes quis fuerit illius ecſtaſis ſcopus: reſpondentque Adami Deum mentem eleuaſſe, vt quæ circa ſe fierent, agnoſceret, quo nomen valeret indere. Ita Theodoretus apud Theodoret. Lippoman. *Idcirco profundam ecſtaſim illi immiſit Deus, vt neque dolorem, neque viſum vllum pateretur, factum tamen diuina reuelatione poſtmodum in ſe reuerſus intellexit.* Ecce neceſſaria fuit reuelatio, vt Adamus Euam agnoſceret, cùm reuelatio non exprimatur, quando creaturis nomina indidit, non vidit Deum mulierem formantem; ſed nec creaturas viderat producentem: ſi ergo his ſine ecſtaſi vocabula indidit, cur Euæ vocabulum ſine ecſtaſi non formauit? O agnoſce, amabo te, latam diſcriminis rationem: creaturæ aliæ ab Adamo diſtabant, Euæ formatio ad Adamum pertinebat: ergo vt agnoſceret propria, reuelatione fuit opus, nec ecſtaſi opus fuit, vt ſciret aliena. Et quidem omnia iſta arcana, & myſteriis plena: plures namque inueniuntur Adami, qui neſcio qua intellectus perſpicacia, aut, vt dicam meliùs, malitia aliorum facta vel oculis inuiſa rimantur; cùm tamen quidquid ad ſe ſpectat, aut adfectionis tenebris obcæcati non videant, aut videntes paruipendant.

Concludat theſim noſtram Plutarchus, qui pulcherrimo frequentique exemplo peſtilens hoc curioſitatis vitium exponit: vt enim aliquando aues paſtum ante oculos habentes illo ſpreto gaudent ruſpari, & in ſtercore granum gratius ſcalpendo ſibi inuenire: ſic plures quæ domi ante oculos habent, prætereunt, & ad indagandas vicinorum proſapias longiſſimis inuolutas ſæculis auidiſſimè excurrunt. *Propriam* Plutarch. *vitam* (verba ſunt Plutarchi vbi ſuprà) *aliqui vt ſpectaculum odioſiſſimum non ſuſtinent intueri, neque vt lumen reflectere, & auertere intro iudicium; ſed ſcatens omnis generis vitiis animus, horrenſque & timens interna exilit foras, & circa extranea paſcens, & ſaginans improbitatem ſuam vagatur: vt enim auis, quæ in domo habet ſæpe numerò ante oculos paratum paſtum, in angulum abdit ſe, atque ſcalpit ibi, ſicubi compareat frumenti in ſtercore granum, haud aliter ſcrupuloſi*, &c. Inuenies aliquos, qui proprios auos, & proauos ignorantes longiſſimam texent alienæ proſapiæ ſeriem, & à quo quis ducat originem, dicent; & ſiquid latet in ſtercore ruſpantes produnt: ergo laudandi ſunt Ioſephitæ, dùm Luzæ ciuitatis aditum, exitumque neſcientes indigent edoceri, & ab alio manuduci. 372.

§. LXXIX.

Securior degit fragilitas cauta ſolicitudine armata, quàm fortitudo, ſi deſtituta.

Ageſilaus optimus ille Imperator teſte Plutarcho in apophthegm. *Requirenti quid muris careat Spartha, oſtendens armatos ciues: Hi, reſpondit, ſunt Lacedæmoniorum muri.* Securior viuebat Spartha ſolicitis militibus, quàm lapideis cincta mœnibus: facilè hoſtiles pateretur impetus murus, ni miles defendiſſet armatus: pro muris erat vigilia indefeſſa, & ſolicita militaris cuſtodia. Naturâ arduum facilè aduerſariorum cedit adſultibus, niſi peruigili ſtudio fuerit munitum. Muris humanas vires ſuperantibus nondum ſecura ciuitas, ſi ciues damnabili reſoluantur ignauia: abſque muris aduerſarios fruſtratur, ſi militaris defendat illam ſolertia. Nihil adeò fragile eſt, cui robur addere nequeat induſtria, nihil ſic forte, quod non amittat ignauia. *Nihil eſt*, aiebat Seneca epiſt. 50. *quod non expugnet pertinax opera, & intenta ac diligens cura.* Teneri, imbecilleſque animi, & toti ad prauitatem curui rectitudinem de ſolertia admittunt: duriſſima robora, ſi dirigat nullus, curuantur: vincit non ſemel ipſam naturam ſolertia; iacens ferrum rubigo emollit, & inutile inuenitur otioſum, quod originis fortitudinem conſeruaret exercitum. *Robora*, addit Stoicus, *in rectum quamuis flexa reuocabis: curuatas trabes calor explicat, & aliter natæ in id finguntur, quod vſus noſter exigit.* Arte natura ſubigitur, & durities otio in molliciem tranſit, & ingenium proprium corrumpit. Luzæ ciuitas non ſolùm fortis natura; ſed incantamentis adeò munita, vt potentes vel inimi- 373. Plutarch. Seneca.

inimi

inimicorum vires irrideret ſemper fruſtrata: introitum ab incola diſcunt Hebræi ſibi an teà ignotum, nullaque ſolicitudine inuentum; tuncque vrbem expugnant, exuuiiſque diteſcunt onuſti, & lauris triumphalibus redimiti: *Oſtende nobis introitum ciuitatis, & faciemus tecum miſericordiam; qui cùm oſtendiſſet eis, percuſſerunt vrbem in ore gladij.* Ingens hic difficultas occurrit: nam ſi tot hoſtes ciuitatis portam non poterant inuenire, quomodò conſequens eſt, vt valuerint expugnare. Hebræi tradunt ciuitatem hanc eis incantamentis munitam, quæ diligentiam eluderent, & ſolicitudinem hoſtium fruſtrarent. *Alij dicunt* (verba ſunt Abulenſis quæſtione 24.) *quòd erat porta ciuitatis huius negromanticè facta, ita vt non poſſet à quolibet reperiri.* Obſeſſi incantamentis fidentes nullo defenſionis adurgebantur ſtudio, nec ignauo parcebant ſomno, cùm Hebræi proditore oſtendente nocte irruunt, & dormientes ignauè opprimunt: *Percuſſerunt vrbem in ore gladij,* addit Abulenſis, *ſcilicet quia fortè irruerunt per noctem non videntibus viris vrbis, & non potuerunt reſiſtere.* Hebræi vincunt dum diſcuſſo ſomno muros oppugnant: Luzæ habitatores vincuntur, dum nullas excubias adhibent, nulla arma capiunt ignauo traditi ſomno, & confiſi incantamento. Nulla ſunt incantamenta, quæ defendere valeant ignauos, nulla quæ arcere poſſint ſolicitos triumphauit induſtria, & detriumphata eſt ignauia. Age & aliud producamus ex hoc ipſo capite teſtimonium.

Abulenſ.

374. Iudas triumphis reportatis de hoſte prudenter audax montana ab ipſa natura munita aggreditur, & vno impetu triumphis potitur, verùm monticolarum domitor vmbratiles vallium non potuit habitatores delere; imò nec armis ſubigere: *Montana poſſedit, nec potuit delere habitatores vallis.* Res ſanè admiratione digniſſima; nam montana hoſtilem vincunt adſultum, locorum ambagibus munita, & arduis difficultatibus circumuallata; at vallis patet incurſibus, & facillimè cedit hoſtibus: quomodò ergo Iudas referatur domuiſſe ardua, nec poſſe ſubegiſſe facilia. Audi quid textus adiungat: *Montana poſſedit nec potuit delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abundabant.* Monticolæ locorum arduitate confiſi armorum, curruumue ſibi non conciliauere ſuffragia; at vallium incolæ, quia ſe hoſtium patere conſpiciebant adſultibus, falcatorum curruum ſibi comparauerunt auxilia: ideò vallis hoſtium repreſſit vires, & mons perpeſſus eſt hoſtes: ſecurior fuit infirmior locus de ſolicita cautela, quàm firmior de damnabili ignauia. Redeat iterum Abulenſis quæſtione 20. *Filij. Iudæ pugnauerunt contra habitatores excelſorum, quamquam loca ipſa ſecura eſſent, eo quòd iſti non habebant fortia genera armaturæ, quibus repellerent Iudæos, habitatores autem vallium, quamquam loca minùs tuta haberent; tamen genera armaturæ erant fortiſſima, ſcilicet currus falcati:* Infirma vallium loca, dum ſuam imbecillitatem agnoſcunt, curribus falcatis vigilanti ſtudio muniuntur; excelſorum abruptiſſima, dum naturali fortitudine gloriantur, armis non adeò fulciuntur: ideò vallis vires hoſtiles eluſit, & hoſtis montem ſubegit. O quoties qui imbecillitatem ſuam agnoſcens contra gehennales impetus cilicio, ieiunio, & incuſſis ſibi plagis munitur, reportatis triumphis coronatur, cùm robuſtior, & antiqua virtute fortior dum deponit arma, hoſti miniſtret trophæa.

1. Iudic. v. 19.

Abulenſ.

Componamus mulierem ſexu fragilem cum robuſtiſſimo viro: Samſon ad miraculum robuſtus, qui vrſis & leonibus ineluctabile extiterat fatum, tandem vincitur, & miniſterio ignobiliſſimo traditur: *Cum apprehendiſſent Philiſthiim, ſtatim eruerunt oculos eius, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clauſum in carcere molere fecerunt.* Vides virum robuſtiſſimum vinctum, & aduerſariorum ſpolium. Recole Prouerb. 31. vbi fœmina prædam ab inimicis ereptam diſtribuit ancillis: *De nocte ſurrexit, deditque prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis.* Si fœmina viribus debilis, ſexu imbecillis, belli inexperta, & præ teneritudine delicata prædam ab inimicis eripit, qua domeſticos ditet, quomodo Samſon virium exaggeratio, roboris portentum, inimicorum fit præda, & in trahenda occupatur ignobiliter mola? Iam textus expreſſit: *Accinxit*, inquit, de fœmina *fortitudine lumbos ſuos, & roborauit brachium ſuum: de nocte ſurrexit:* infirmitatis ſuæ conſcia quæſiuit à ſolertia fortitudinem, qua brachium molle roborauerit, cingulum ſibi attexuit, quo lumbos reſtringeret, & quidquid in lumbis fluidum ſolidaret; at Samſon viribus ſuis fretus ignauo ſomno indulgere non metuit: quia ſe aduerſarios ſemper detriumphaturum præſumpſit: ipſum audi: *De ſomno conſurgens dixit in animo ſuo: Egrediar ſicut anteà feci, & me excutiam neſciens quòd receſſiſſet ab eo Dominus.* Plures egerat de hoſtibus triumphos viribus præualens, fortitudine illuſtris; verùm dum nimium fidens ſomno reſoluitur ab hoſtibus captus, & exoculatus vincitur: vt noueris grauiora pericula ſuſtinuiſſe fortitudinem ſolicitudine deſtitutam, quàm muliebrem infirmitatem cauta ſolicitudine armatam; imo fœminam triumphis ornari, dum vigilat, Samſonem vinciri, dum ſomniat: O vtinam Samſon minus ſibi fiſus fuiſſet, profectò ſolicitiùs armatus hoſtium non augeret lætitiam, nec ſibi æternam inureret notam; at dum ſuperbis viribus nimiùm fidens, indulget incautè ſomno, & infami cogitur collum ſubiicere iugo; at mulier, dum ſe viribus agnoſcit prorſus deſtitutam, mutuatur à ſtudioſa vigiliarum ſolertia, quod ſcit non poſſe debili obtinere à natura: ideò hæc quas vel ancillis partiatur, prædas ab hoſtibus eripit, & Samſon inhoneſta vincula ſubit: *Samſon*, ſcribit Hugo de ſancto Victore in allegor. Tilmani, *erutis oculis ad molam ponitur: quia amiſſo animus lumine veritatis per appetitum terrenorum deſideriorum circumfertur, qui videlicet Samſon, quamdiu capillum capitis habuit, inſuperabilis fuit; ſed poſtquam in ſinu mulieris obdormiuit, caput capillum perdidit continuò ab hoſtibus capitur:* Hoſtium fit præda fortis, dum dormit; prædam ab hoſtibus eripit, dum vigilat mulier.

375. Iudic. 16. v. 20. Prou. 31. v. 15. Hugo.

Iacob fratris iram fugiens, & inuidentiæ affectibus 376.

fectibus abſentia medens ad domum auunculi properabat, cum noctis tenebris impeditus, itineris labore feſſus, ſomni blanditiis ſuaſus ſub diuo dormiuit, capiti lapidem ſupponens, & vt noueris quàm excellentiori militum circumſtantia obarmetur iuſtus humi cubans, quàm Magnates plumeis ſigmatibus decumbentes, ſi Salomon lectulum fortibus armatis circumdat teſtante Scriptura: *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt.* Iacobi dormientis locum circumſtantia Angelorum defendit, plus obtinuit à virtute, quàm Salomon à poteſtate: dormienti ſcala obiicitur, qua de cælis ad eius tutelam Angelorum agmina properabant: *Vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque Dei aſcendentes, & deſcendentes per eam.* Adhuc hic timet, & adhuc timidus pergit. Comparemus ſibi ipſi alio in loco Iacobum: Dei conſiliis monitus, & toruo ſoceri ſupercilio exaſperatus lares reuiſurus petebat, cùm in luctatorem incidit, quem ſtrenua lucta deuicit, & à quo inflicta plaga claudus remanſit; & tamen hic veluti de ſecuritate ſibi gratulatus aiebat: *Salua facta eſt anima mea.* Profectò verba à geſtis diſſidere videntur: ſi ibi integer, & Angelorum agminibus conſtipatus timebat, cur hic recedente Angelo ſolus & claudus non timet? Geſtorum circumſtantias expende, & diſcriminis pulchram rationem inuenies: ibi quidem validior, integrior, de Angelorum cura munitior; ſed ſomno indulgens & dormiens; hic infirmior; ſed vigilantior: luctatus eſt namque *vſque mane*: vtque noueris ſecuriorem eſſe infirmitatem de vigilantia, fortitudinem periculoſiorem de inertia, vbi dormiuit, & timorem confeſſus eſt: vbi ſtrenuè luctatur, metum deponit ſecurus, quantumuis contractis neruis infirmus: *Salua facta eſt anima mea*, Quo loco? Vbi luctatus ſum, inquit, ſtrenuè, non vbi Angelorum agminibus obarmatus ſomno indulgebam otioſè. Huc voco Gregorium homilia 14. ſuper Ezechiel: *Iacob, qui cum Angelo contendit, vniuſcuiuſque perfecti viri, & in contemplatione poſiti animam exprimit:* hic exprimit contemplatione munitum, ibi ſomno immerſum: ergo quantumuis infirmior, ſecurior viuit de ſtudio, ibi quantumuis ſanus prudenter metuit de ſomno.

Cant 3 v.7.
Gen.28.v.12
Gen.32.v.31
Gregor.

§. LXXX.

Ea mortales premit cæcitas & ambitio, vt non tam curent vitam moribus excolere, quàm gloriam nominis æternare.

377. NEſcias an ſe homines diligant, an contemnant: originis, nominiſque gloriæ affectus in incendium tranſit, nihilque non tentant, vt futuris ſæculis famam remittant; huic tamen ardori ſoror eſt morum ignauia, & reprehenſibilis circa ipſam vitam væcordia: nil ſe aliud, quàm nomen putant, quo ſaluo tuta arbitrantur cætera, quantumuis erroribus defœdata. Hinc ſuperbiſſimi coloſſi, immetatæ ſtatuæ, & quidquid contra temporis pugnare valet adſultus, & nominis caſus. Quàm benè Seneca epiſtol. 115. *Tunc intelligere nobis licebit, quam contemnenda miremur, ſimillimi pueris, quibus omne ludicrum in pretio eſt: parentibus quippe, nec minus fratribus præferunt paruo ære empta monilia: quid ergo inter nos & illos intereſt, vt Ariſto ait, niſi quod nos circa tabulas, & ſtatuas inſanimus carius inepti?* Verè dixit; Cariſſimè inepta oſtentatur ambitionis ſuperbia, & æternandi nominis gloria: præferunt pueri ridicula ſeriis, fucatum vero, gaudentque mendacio, quia nondum pleno funguntur arbitrio; at nos & arbitrio vtimur, & mendacio etiam gaudemus. Ambitioſiſſimis laboribus inſaniſque ſumptibus videas plures, quibus nulla de moribus cura eſt, ſepulchra erigere, quò æterna ſui viuat memoria, vbi extincta iacet natura. Redeat iterum Stoicus epiſt. 65. *Quid eſt propoſitum, quod inuitauit artificem? Gloria, ſi laborauit in nomen.* In nomen laborant homines, & quidquid difficultatis exhauriunt, ſi originis, nominiſve gloriam ad ſpeciem ſtabiliunt. Rariſſimi Ageſilai inueniuntur: hic ſtatuas noluit ſibi erigi, ſed à moribus famam mutuari: *In renauigando ex Ægypto moriens*, ſcribit in apophthegm. Plutarchus, *ſuis præcepit, nullam vt facerent vel fictam, vel pictam imaginem ſuam: nam ſi quid feci, inquit, præclarè, hoc mei monumentum erit; ſin minus, ne omnes quidem ſtatuæ opificum, opera nihili hominum* Monumentum de virtute ſibi excudere voluit, & ſtatuarum gloriam nihil reputauit. *Hic eſt ambitus qui probatur*, aiebat Caſſiodorus 6. var. 1. *eſto mundo clarus, tibi perſpicuus, tuis autem poſteris feliciter imitandus.* Honeſta ambitio virtutibus inſeruire, & nomen ſibi de moribus æternare, vt è contra vel contemnenda puerulis gloria, nominis in æuum perpetuitas, & ignobilis morum deformitas. Ecce obſeſſam Luzam neſcio quis egreditur, qui ciuitatem hoſtibus tradit, & ſuos prodit: *Cum oſtendiſſet eis, percuſſerunt vrbem in ore gladij* Hic proditione facta in Etthin profectus ciuitatem conſtruit, & Luzam vocat: *Dimiſſus abiit in terram Etthin, & ædificauit ibi ciuitatem, vocauitque eam Luzam, quæ ita appellatur vſque in præſentem diem.* Quærit Abulenſis quæſtione 25. cur tanto labore ſtructæ ciuitati nomen Luzæ indiderit, nec alio nobilitarit. Reſpondetque hoc feciſſe, vt originis ſuæ poſteris reliquerit monumentum, vt natalium æternaret nomen, ne putaretur periſſe, quando conſtabat nomen perduraſſe. Audi Abulenſem: *Vocauit eam Luzam, ſcilicet deſiderio terræ ſuæ originis, ne illa periſſe videretur.* Mirè homo hic quod pluribus aliis contingit, factis expreſſit: tenebatur origini conſulere, nec ciuitatem hoſtibus dedere, & cùm originis nihil pendat ſalutem, totus eſt in ſeruando nomine: *Ne periiſſe videretur:* moribus degener, & nominis cultor acerrimus, & gloriæ nominis ſtudioſus

Seneca. *Circa inania inſanimus.*
Plutarch.
Caſſiodor. *Honeſta ambitio eſt virtutibus ſibi nomen facere.*
Abulenſ.

378. Saul inuidentiæ œſtro agitatus nihil non tentat, vt Dauidem occidat: dæmonis habitaculum gehennali furiæ inſeruiebat, & cantu abactam ſemel & iterum reuocabat. *Inuaſit Spiritus Dei malus Saul.* Non ſolùm ſalutis ſtudioſus non inuenitur; ſed ſalutis ſuæ hoſtis actionibus comprobatur: Dauidem namque, cuius delinitus cantus melodia ſaniorem mentem recipiebat, haſtam eiaculatus transfigere diſcupit,

1.Reg.18. v.10.

diſcupit, & extincta medela ſibi infirmitatem producere cæcus quærit: *Dauid pſallebat manu ſua, ſicut per ſingulos dies, tenebatque Saul lanceam, & miſit eam putans quòd configere poſſet Dauid cum pariete.* Ecce Dauidem auerſatur vnicam ſibi medelam: *Redintegratur inuidia,* ſcribit Seleucienſis Baſilius orat. 15. *& in ægritudinem tranſit ægritudo, rurſuſque per inuidiam dæmonem vocat, nec ſine irarum ſignificatione haſtam iacit in Dauidem.* Tranſi mente ad cap. 24. vbi cùm technas ſuas prorſus fruſtratas agnoſceret, ſupplex & in lachrymas fuſus nominis ſui conſeruationem à Dauide imperrare molitus eſt: *Iura mihi in Domino, ne deleas ſemen meum poſt me, neque auferas nomen meum de domo patris mei.* Profectò videbatur ordo inuertendus: conducibilius namque erat prouidere ſaluti, quàm nomini; & tamen Saul nominis gloriam exambit, ſeque moribus adulterinis contemnit. Adeò abeſt à depellendi dæmonis cura, vt contorta Dauidem de medio tollere ſtudioſè nitatur haſta: ſic memoriæ nominis furit ambitioſus, vt in modum ſupplicis, dignitatiſque immemor in lachrymas Dauidem deprecetur effuſus. O quàm cordi illi erat familiæ ſplendor, nominis immortalitas! Quàm nihil morum concinnitas! In ſe vocauit per inuidiam dæmonem, nihilque non molitus eſt, vt à nomine obliuionem omnem depelleret, & iniurias temporis propulſaret. *Saul,* ſcribit Noſter Sanctius, *timebat, ne illius nomen è paterna familia deleretur: quia id illius exigebant peccata, ne ipſius nomen vnquam audiretur in Iſraël.* Ecce durius illi erat, quàm honeſtis moribus diſpoliari, regium ac glorioſum nomen expungi: non inſtitit peccatorum turbines, & obſcuras inuidentiæ tenebras, quibus ipſe obſcurabatur, depellere, ſed nomen fœdere iurato fulcire. Ita ſapiunt plures: inueniuntur namque de æternando nomine ſtudioſiſſimi, cùm de moribus obſcurentur fœdati. Adde nihil inuidis adeò curæ eſſe, ac nomina inuidioſi tumulare: quia apud ſæculum ſolum magni nomen conſtat haberi.

Seleucienſ.

1. Reg. 24. v. 22.

Sanctius.

379. Chriſtum Dominum adit pater ille lunatici, cuius filium nactus habitationem dæmon mirè diſcruciabat, & ſæuiſſimis doloribus perurgebat; & licèt aduentaſſe videatur deſiderio ſalutis, ſtudio afferebatur adulationis: Chriſti Domini nomen infamat, vt pote quod ſpernant dæmonia: *Dixi diſcipulis tuis, vt eiicerent illum, & non potuerunt.* Hoc fuiſſe huius factitiæ criminationis ſtudium teſtatur Chryſolog. ſerm. 51. *Quod dæmon diſcipulis imperantibus non cedebat, iſte ad infirmitatem Chriſti nominis, non diſcipulorum trahebat ad culpam.* Vides diuerſis calumniis, & criminationibus nomen obſcurare cupientem. Iam, ſi placet, quale huius fuerit criminationis ſtudium altiùs meditemur. Laudatus Chryſologus totum hoc ait ab adulatione profectum: nam lunatici pater Phariſæorum ſcribarumque inuidentiæ moliebatur blandiri, & ignobiliter aſſentari: *Iudaico liuori, inuidiæ ſcribarum talem ſatisfaciens per clamorem.* Verùm quid intereſt, quòd tarditatem curæ nomini adſcribat, vt ſcribarum liuori ac inuidiæ artificioſa adulatione deſeruiat? Non inuidebunt Chriſto fluxum aquarum ingenium obdurantis? Non inuidebunt inuiſis retro ſæculis mirabilibus excellenti, innumeroſque homines exiguis panibus ſaturanti? Ergo quantumuis nomen obſcuret, ſcribarum liuori non ſeruiet? O attende! Quod apud homines magni habetur, non eſt virtus; ſed nomen: hoc ferè cunctis mortalibus cordi eſt, æterna ſibi nomina comparare, & aduerſus obliuionis iniurias ſtabilire. Ergo inuidia ſcribarum obſcurare nomen ſtudioſiùs inhiabat, & famam ardentiùs delere cupiebat: ideò malignitatis aſtus, quò inuidentiæ ad ſaporem adularetur, tenebras nomini molitus eſt conciliare, & famam nominis ſepelire. Itaque ea mortales tenet amentia, vt ſolùm nominis claritatem ſuſpirent, qua ſalua, quantumuis adulterini mores hominem dehoneſtent, ſe arbitrantur fortunatiſſimos, & ea amiſſa, etſi virtus adſit, infauſtos. Lunatici pater, quò inuidentiæ ſatiſfaciat, Chriſti virtutes non negat; ſed nominis claritatem obſcurat: *Ad infirmitatem Chriſti nominis, non diſcipulorum trahebat ad culpam, Iudaico liuori, inuidiæ ſcribarum talem ſatisfaciens per clamorem.* Quid pro hac re & exaggeratius, & ſubtilius, & verius? Vtque theſis hæc nouis ſtabilita teſtimoniis clariùs eluceſcat, audi quid Nabucho ille iure in brutorum numerum relatus, ab hominum Kalendario expunctus, ad conſeruandum nominis monumentum fuerit molitus, & quàm ad ſe ipſum aſſeruandum fuerit ignauus.

Chryſol.

Ingens dormienti ſtatua obiicitur; ſed vt ſuperbiæ ferè ſemper vindicta aſſidet, exciſus ſine latomi opere de monte lapillus teſtaceos pedes contriuit, & operoſam ſuperbiæ machinam ſubruit. O quanta elapſa ſunt ſæcula, vt teſta tranſiret in aurum! lutum excepit ferrum, ferrum æs, æs argentum, argentum aurum; & quod tot annorum ſuffragio, laborioſoque adnixu aureum ſibi ſplendorem comparauerat, citiſſimè petiit, & redactum æſtiuas in fauillas diſparuit. Quid tunc? Nabucho ſtatuam conſtruit operoſiſſimam, cuius in ſuperba fabricanda mole & ars exhauſta, & materia auri ferè conſumpta: *Nabuchodonoſor rex fecit ſtatuam auream altitudine cubitorum ſexaginta, latitudine cubitorum ſex, & ſtatuit illam in campo.* Non multò poſt ſe ab hominibus audit eiiciendum, & brutis annumerandum; ſed propheta ipſe, qui prænuntiauit ſupplicium, oſtendit etiam remedium. *Eiicient te ab hominibus, & cum beſtiis, feriſque erit habitatio tua,* &c. *Quamobrem, rex, conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime.* Sententia adimpleta eſt: quia prophetæ admonitiones ſpreuit, nec optimo conſiliario parere voluit: *Ex hominibus abiectus eſt.* Quærunt interpretes, cur Nabucho tanta operoſitate, laborioſa adeò induſtria, infaniſque auri ſumptibus ſtatuam conatus fuerit ſtabilire, eiuſque caſum vitare, cùm ſeipſum ad ſpeciem contempſerit, nec rationalem vitam curarit? Theſis noſtra dubitationi reſpondet. Statua erat ad futura ſæcula monumentum, regaliſque maieſtatis clariſſimum teſtimonium, adeoque deſipuit Nabucho, vt facili ſumptu non curarit peccata redimere, & appetentia diſcrimina eludere, cum tanto auri diſpendio ſatagat fulcire ſtatuam, & nominis ſtabilire memoriam. Et quid mirum non erogarit pauperibus obolum, qui apparentis venuſtatis tantum artificio dicauit aurum? Ipſe fœnum

380.

Dan. 3. v. 1.

Dan. 4. v. 24.

M comedit,

Digitized by Google

comedit, quo inſana imago auro fulgeat, & adorata à pluribus niteat: prorſus eſt morum oblitus, & memoriæ æternitatem immorralitate nominis fabricatus. *Non ſimplex hic ſuperbia modus fuit*, ſcribit Theodoretus orat. 3. *ſed Deo apertè repugnans, & Deo infeſtus.* Addit poſt aliqua: *Ex vna auri materia conficiendum curat, ratus infelix iſte falſas oſtenſurum ſe Dei prædictiones.* Ecce vt ſtatuæ auertat caſum, vt monumenti vitarit excidium, non parcit ſumptibus, nec laboribus, cùm nullatenus mores admonitus poliat, aut virtutes vel periculis ſtimulatus addiſcat. Theodoret.

§. LXXXI.

Sæpè à Reipublicæ potentioribus manat imbecillo calamitas: & miſerorum incommodo ſuorum ſolitant conſulere augmento.

381. NOn ſemel in mari grandes ceti exiguis piſciculis aluntur, & minoribus fouentur; Profectò dum cetis propinquior, degit ſemper piſciculus periculoſior: ipſi magnitudinem ſuam quibuſuis artibus conſeruaturi non ſolùm non verentur inualidis violentiam inferre; ſed geſtiunt auidiſſimè deglutire. Felix reſpublica, vbi leges potentia agnoſcit; infelix, vbi ſolùm crementa attendit: *Demaratus*, ſcribit Plutarchus in apophthegmat: *quærenti, cur Spartha ſolum exilij cauſa vertiſſet, cùm rex eſſet? Quia leges illis, inquit, ſunt potentiores.* O felicem Rempublicam, vbi præualebat lex, non potentia; verùm adeò corrupti ſunt mores, vt ferè ſemper opprimat potentia inualidos, magnitudo imbecillos, opulentia nudos. Ad diuitis ianuam iacebat Lazarus ille extremæ exemplar inopiæ, & exaggeratio iratæ fortunæ. Quid tunc? Non ſolùm illi non opitulabatur opulentia; ſed alebat canes mendici vlcere, & exulcerati ſanie: *Nemo illi dabat; ſed & canes veniebant, & lingebant vlcera eius.* Non defuerunt in domo diuitis qui à paupere quid exugerent, cùm non fuerint, qui opitularentur pauperi. Admirationi fuit Ageſilaus, dum non Rempublicam ſuam; ſed ſe agnouerit Reipublicæ. Audi Plutarchum in apophthegmat. eius nomine. *Habeo imperium non mihi; ſed Reipublicæ noſtræ, & ſociis.* De circum circa adiacente materia ſplendet ignis, & quò lucidior, materiæ vicinæ infeſtior. Profectò Scipio cùm iam magnitudinem fuiſſet adeptus, patria ceſſit ratus ſe non inferius beneficium illi contuliſſe decedendo, cùm magnus, ac illam defendendo in certamine acerrimus. Audi eius verba apud Stoicum epiſtol. 86. *Nihil volo derogare legibus, nihil inſtitutis: æquum inter omnes ciues ius ſit, vtere ſine me beneficio meo, patria: cauſa tibi libertatis fui, ero & argumentum.* Expende ſubiecta: *Ex eo, ſi pluſquàm tibi expedit, creui.* Humana celſitudo alienis incommodis creſcit, & dum ipſa augetur, plurima turba minuitur. *Quidni* (verba ſunt Senecæ ibi) *ego admirer hanc magnitudinem animi, qua in exilium voluntarium ſeceſſit, & ciuitatem exonerauit, Eò perducta res erat, vt aut libertas Scipioni, aut Scipio libertati faceret iniuriam.* Expende illud: *Ciuitatem exonerauit:* quaſi magnum fuerit cæteris onus ſupra ſe habere potentem: premit namque magnitudo, & Iehu, vt thronum conſtruat, circumſtantes plurimos nudat: *Feſtinauerunt itaque, & vnuſquiſque tollens pallium ſuum poſuerunt ſub pedibus eius in ſimilitudinem tribunalis.* Dum tribunal inſcendit, prudentiæ fuit pallium offerre, ne etiam tunica tenrauerit diſpoliare. Proh ſuggeſtum rapinæ conflatorium, & ſolum ad ſpeciem æquitatis auxilium. Profectò in hoc Iehu caſu diuinus mouit ad pallia offerenda impulſus, non improbus aſcendentis præcipuit caſus, verùm vt in figura omnia illis contingebant, non erit abſurdum hiſtoriam moribus adaptare, & pericula potentibus approximantium oſtendere. Iehu vicini nudantur: quia illi iam opus eſt tribunali, nec poteſt, niſi fabricetur de alieno, illud conſtruxiſſe de proprio.

Plutarch.

Lucæ 16. v.21.

Plutarch.

Seneca.

4.Reg.9. v.13.

Dum Hebræi Luzam ciuitatem obſiderent, ciuis egreditur, hicque ciuitatem hoſtibus tradit; eo tamen pacto, vt ipſe ſuique libertate gaudeant, & diuitiis onuſti à ciuitate recedant. *Cùm oſtendiſſet eis, percuſſerunt vrbem in ore gladij; hominem autem illum, & omnem cognationem eius dimiſerunt; qui dimiſſus abiit in terram Etthim, & ædificauit ibi ciuitatem.* Ecce totius ciuitatis incommodo ciuis hic ſuæ proſpicit cognationi, & ſtudet libertati. Quis fuerit, neſcitur; Abulenſis tamen potentem autumat, cui licuit, cæteris ciuitate incluſis, exire, & fors ad cognationis ſuæ libertatem emendam ciuium ſanguine properare: *Iſte homo*, ſcribit quæſt. 25. *erat vir potens, iuitque cum eo tota cognatio ſua.* Ecce per quem ciues paſſi fuerint detrimentum, per potentem videlicet: ille ſpretis legibus egreſſus eſt; illum murorum cuſtodes in magnum Reipublicæ incommodum exire permittunt: ille denique ſuorum proſpicit magnitudini, ac libertati de miſerorum gemitu, & de libertatem amittentium æterno luctu. Quàm ciuitatem onerabat diues iſte! quàm Reipublicæ vtile fuiſſet illo carere! verùm cælitus iſta diſpoſita ſunt, vt vtilem ab eis eruditionem petamus, agnoſcamuſque magnates, potenteſque eſſe inualidorum tineam, & parere obſcuris inbecilliſque miſeriam: domos ſuas amplificant pauperculorum ædiculas deſtruendo, & tuguriola vaſtando. Ecce hic ciuitatem ædificat; ſed de excidio ciuitatis. 382.

Abulenſ.

Non ſine myſterio dum Moyſes ad Ægyptum delegatur, non populi; ſed Deus Pharaonis offertur: *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis.* Quod ſolito acumine aduertit Auguſtinus in quæſtiones ſuper Exod. quæſtione 17. *Notandum, quòd cùm ad populum mitteretur Moyſes, non ei dictum eſt: Ecce dedi te Deum populo; Pharaoni autem dicitur Moyſes datus Deus.* Iam Dei nomine potentes ſublimeſque ſignari, rradit Gregorius ſuper 1. Reg. lib. 3. cap. 5. & apud Lippom. *Per Deos quandoque ſublimes & ſapientes viri deſignantur.* Expendamus ergo, cur ad populum Deus non ſit miſſus, & potens ac ſublimis ad Pharaonem ſit deſignatus? Profectò ipſe legationis ſcopus nominis diſcrimen inuexit, & theſim noſtram ſtabiliuit. Moyſes delegatur, vt contribulibus conſulat, vt illorum facultatibus & ſaluti prouideat, 383.

Exod.7.v.1.

Auguſt.

Gregor.

uideat, vtque Pharaonis duritiem edomet fructus auferendo, plagas repetendo, ac labores ingrauando: Deus igitur Pharaonis dictus eſt, vt iam ipſa ex potentia calamitates ſibi imminere præſagiret: & populi non eſt dictus Deus, ne infauſta fortè timeret: ea namque eſſe ſolet ſublimium, potentiumque felicitas, quæ de alienis incommodis elaboretur, & detrimentis
Hilarius. fulciatur: *Moyſes Pharaonis Deus datus eſt*, ſcribit Hilarius 7. de Trinit, *dum timetur, dum oratur, dum punit.* Vbi potentis nomine inſignitur, iam timore Pharao prudenter exagitatur, cùm à potentibus & ſublimibus inferioribus non ſemel manarint infauſta, & prouenerint aduerſa. Adde tunc certius adhuc vrgere calamitatis præſagium, cùm qui heri iacebant, eriguntur, cùm culmen inſcenderint, & vt dicunt, de puluere excitati reſplendent, & nouis crementis refulſerint.

384. Cùm Philiſthiim ingentes militum copias & copioſiſſimas turmas aduerſus Saulem in campum produxiſſent, timore ſolicitus, & validiſſimo diſcrimine exagitatus Pythoniſſam quærit, quæ necromanticis artibus diuinum ſuſcitet, à quo euentus poſſit præſcire, & aduerſus fortunam præſcientia ſe comparare. O ſtultiſſimam ſagacitatem, quando nec Dei ſtabilitum iudicium valebat immutare, & anguſtiam augebat infelicem caſum prænoſcere! Denique Pythoniſſa arti ſuæ incumbit, & iu-
1. Reg. 18. v. 1. rata fide quod videt, enuntiat clarè: *Deos vidi aſcendentes de terra.* Diuina prouidentia, non aſtutia Magica Samuelem ſuſcitauit, & defunctos alios aſpici fecit; ſed vt ab ipſa arte, quam ſtultè conſulebat, ipſis imaginibus Reipublicæ grande detrimentum imminere cognoſceret, mulier Deos de puluere aſcendere dixit. Ecquod aliud infelicius populo præſagium, quàm plures ſublimitatem de puluere ambire, & artibus obtinere. Proh Reipublicæ miſeram ſtragem, quando magicis artibus de puluere formantur dij, & qui heri reptabant ſolo, fulgent iam necromantices artificio. Deos de puluere aſcendere dixit, quò Saul luctuoſam Reipublicæ im-
Abulenſ. minere calamitatem cognoſceret. *Fuit antiquitus*, ſcribit Abulenſis quæſt. 31. *iſte modus loquendi, quòd illi viri, qui excellentiores cæteris videbantur, vocarentur dij, & non homines.* Homines erant, ſed de terra veluti ad diuinitatem aſcendentes: quod ergo aliud infelicius Reipublicæ præſagium, quàm excitari plures de puluere, & magicis artibus ambire ſemper excelſum. Duram ſententiam ipſa rerum imago præferebat, quando de puluere plures dæmoniaco artificio tenebant celſa, & aſcendebant faſtigia. Vnde namque pompaticas & ſplendentes ſibi veſtes compararent? Vnde ſibi pompam aſciſcerent, niſi de vulgi luctu, de inualidorum clamore, de paruulorum ſtrage? Vtque noueris quàm hoc longa etſi infelici experientia firmatum ſit, expende Deum multiplici teſtimonio ſtabilire contrarium. Itaque ſi quis de ſtercore aſcendat, & pluribus benefaciat, ſic à fide videtur alienum, vt neceſſum videatur replicare ſemel & iterum teſtimonium.

Ioſeph ſomnium obiicitur certum futurorum præſagium: manipulum vidit ab origine 385.
præciſum, & ſupra cæteros exaltatum: *Putabam* Gen. 37. v. 7.
nos ligare manipulos in agro, & quaſi conſurgere manipulum meum, & ſtare, veſtroſque manipulos circumſtantes adorare manipulum meum. Iterum ſomnium cælitus acceptum refert: *Vidi per ſomnium quaſi Solem, & Lunam, & Stellas vndecim adorare me.* Abulenſis quærit cur Deus duplici ſomnio eamdem veritatem firmarit, quandoquidē idem ſignificabat Stellarum officium, & manipulorum obſequium? Reſpondetque opus fuiſſe ſecundo ſomnio ad euentus certitudinem ſtabiliendam, omnemque ab animis dubij ſuſpicionem propulſandam: *Iſtud ſecundum* Abulenſ.
ſomnium ad idem pertinet, ad quod primum, vt patet ex interpretatione; ſed duplicatur ſomnium ad ſignandam maiorem certitudinem futuri euentus. Verùm quid neceſſum eſt duplici ſtabiliri ſomnio certitudinem, quando vnico cœlum Nabuchodonoſoris ſtatuæ prædixit euerſionem, & ſciſſionem arboris alio? Facilis reſponſio: alibi namque calamitas, alibi denuntiabatur felicitas, eòque certum eſt quidquid infauſtum accidere, quidquid iucundum fruſtrari, vt felicitas repetito prodigio fulciatur, calamitas vnico tantùm notetur. Quàm citò fratres ad ſydera tranſierunt! Quàm citò ruſticanum ſolocem ſydereo iubare commutarunt! Erant magni adminiſtri fratres, quid mirum ſi citiſſimè creuerint, & ſyderum inſtar ſupra cæteros illuxerint? Mirè ſtellarum emblemate depicti ſunt: vt enim antiquitus omnia à ſyderum fluxu venire putabantur, homineſque, quò illorum promererentur gratiam, victimis, & muneribus honorabant; ſic reliqui Reipublicæ adminiſtrorum cognatis, veluti à quorum influxu pendeant, larga donatiua offerunt, & obſequiis alliciunt. Benè; ſed inſtituto noſtro locum aptemus. Præſagiebat ſomnium illud Ioſephum in Principem cooptandum adeò inſolito ordine, vt omnibus prodeſſet, & à famis periculo liberaret. Ita Auguſtinus ſermon. 82. de tempore. *Hoc in illo Ioſeph tunc impletum eſt, quan-* Auguſt.
do eum in Ægypto adorauerunt fratres ſui: & non incongruè coacti ſunt ſteriles manipuli fructuoſum manipulum adorare, per quem de famis periculo liberandi erant. Itaque Ioſeph ad Dignitatis culmen elatus, & ſucceſſibus repentinis euectus futurus erat omnibus fructuoſus: quod adeò difficile eſt, vt neceſſarium fuerit multiplicato ſomnio firmare: mos namque potentium eſt pingueſcere de aliorum diſpoliatione, & parare ſibi fortunam de plurimorum calamitate.

M 2 CAPVT

Digitized by Google

CAPVT SECVNDVM.

Vers. 1. ASCENDITQVE Angelus Domini de Galgalis ad locum flen-
tium, & ait: Eduxi vos de Ægypto, & introduxi in terram,
pro qua iuraui patribus veſtris: & pollicitus ſum, vt non fa-
cerem irritum pactum meum vobiſcum in ſempiternum:
2. Ita dumtaxat vt non feriretis fœdus cum habitatoribus terræ huius; ſed aras
eorum ſubuerteretis: & noluiſtis audire vocem meam: cur hoc feciſtis. 3. Quam-
obrem nolui delere eos à facie veſtra: vt habeatis hoſtes, & dij eorum ſint vobis
in ruinam. 4. Cúmque loqueretur Angelus Domini hæc verba ad omnes filios
Iſraël: eleuauerunt ipſi vocem ſuam, & fleuerunt. 5. Et vocatum eſt nomen
loci illius: locus flentium, ſiue lachrymarum: immolaueruntque ibi hoſtias Domi-
no. 6 Dimiſit ergo Ioſue populum, & abierunt filij Iſraël vnuſquiſque in poſ-
ſeſſionem ſuam, vt obtinerent eam. 7. Seruieruntque Domino cunctis diebus
eius, & ſeniorum, qui longo poſt eum vixerunt tempore, & nouerant omnia opera
Domini, quæ fecerat cum Iſraël. 8. Mortuus eſt autem Ioſue filius Nun, famu-
lus Domini, centum & decem annorum. 9. Et ſepelierunt eum in finibus poſ-
ſeſſionis ſuæ in Thamnathſare in monte Ephraim, à Septentrionali plaga montis
Gaas. 10. Omniſque illa generatio congregata eſt ad patres ſuos: & ſurrexerunt
alij, qui non nouerant Dominum, & opera quæ fecerat cum Iſraël. 11. Fece-
runtque filij Iſraël malum in conſpectu Domini, & ſeruierunt Baalim. 12. Ac dimi-
ſerunt Dominum Deum patrum ſuorum, qui eduxerat eos de terra Ægypti: &
ſecuti ſunt Deos alienos, deoſque populorum, qui habitabant in circuitu eorum,
& adorauerunt eos: & ad iracundiam concitauerunt Dominum, dimittentes eum,
& ſeruientes Baal, & Aſtaroth. 14. Iratuſque Dominus contra Iſraël, tradidit
eos in manus diripientium: qui ceperunt eos, & vendiderunt hoſtibus, qui habi-
tabant per gyrum: nec potuerunt reſiſtere aduerſariis ſuis: 15. ſed quocum-
que pergere voluiſſent, manus Domini ſuper eos erat, ſicut locutus eſt, & iura-
uit eis: & vehementer afflicti ſunt. 16. Suſcitauitque Dominus iudices, qui
liberarent eos de vaſtantium manibus: ſed nec eos audire voluerunt, 17. for-
nicantes cum diis alienis, & adorantes eos. Citò deſeruerunt viam, per quam
ingreſſi fuerant patres eorum: & audientes mandata Domini, omnia fecere con-
traria. 18. Cúmque Dominus iudices ſuſcitaret, in diebus eorum flectebatur
miſericordia, & audiebat afflictorum gemitus, & liberabat eos de cæde vaſtan-
tium. 19. Poſtquam autem mortuus eſſet iudex, reuertebantur, & multo fa-
ciebant peiora, quàm fecerant patres eorum, ſequentes Deos alienos, ſeruientes
eis, & adorantes illos. Non dimiſerunt adinuentiones ſuas, & viam duriſſimam,
per quam ambulare conſueuerunt. 20. Iratuſque eſt furor Domini in Iſraël, &
ait: Quia irritum fecit gens iſta pactum meum, quod pepigeram cum patribus
eorum, & vocem meam audire contempſit: 21. Et ego non delebo gentes,
quas dimiſit Ioſue, & mortuus eſt: 22. Vt in ipſis experiar Iſraël, vtrùm cu-
ſtodiant viam Domini, & ambulent in ea, ſicut cuſtodierunt patres eorum, an
non 23. Dimiſit ergo Dominus omnes nationes has, & citò ſubuertere noluit,
nec tradidit in manus Ioſue.

§ I.

Digitized by Google

§. I.

Commentarius Litteræ

Verſ. 1. Aſcenditque Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium, & ait: Eduxi vos de Ægypto, & introduxi in terram, pro qua iuraui patribus veſtris: & pollicitus ſum, vt non facerem irritum pactum meum vobiſcum in ſempiternum.

1. VIDIMVS ſupra non modicam populi partem, ſiue ex negligentia & ignauia, ſiue ex auaritia hoſtibus contra diuinum præceptum pepercisse, & magna ſibi calamitatum ſemina imprudenti miſericordia procreaſſe. Quod & miſſi Angeli acertima reprehenſio teſtatur, & copioſis pœnitentium lacrymis proditur. Itaque Deus, dum vidit ſe Iſraëlitarum culpis impediri, ne fidem ſanctiſſimis olim Patriarchis datam abſolueret, miſit Angelum, qui obſtaculum tolleret, & ad peccata lachrymis delenda prudenti obiurgatione compelleret. Iam quis Angeli (Hebræi.) nomine fuerit miniſter intelligendus ab interpretibus quæritur. Hebræi apud Lyranum tradunt Phinæum fuiſſe, Angelique nomine decoratum, vt qui eſſet Sacerdos; quod vſitatum ſatis eſt in Scriptura, vt conſtat ex Pſalmo 137. & ex prima ad Corint. 11. traduntque Ambroſius, Paulinus, Anſelmus, & D. Thomas. Auguſtinus verò quæſt. 12. Theodoretus quæſt. 6. Abulenſis quæſt. 2. Hugo, Lyra, Caietanus, & alij putant verum fuiſſe Angelum, ex cæleſtibus ſcilicet ſpiritibus: quibus aſſentio: nec enim ſine graui fundamento ſunt rerum nomina detorquenda, aut interpretanda; nec hic aliquod apparet fundamentum, præcipuè cùm non eſſet inſolitum Angelum populos ducere, & ſæpè populis apparere. Theodoretus de Galgalis aſcendiſſe ait, vt beneficiorum, quæ populus illic in traiectione fluminis, & natorum circumciſione à Deo acceperat, reſricaret memoriam, vt ſic ingratitudine confuſi, & ſceleribus ſtimulati citiùs ac dolentiùs amplecterentur pœnitentiam, & fuſis delerent lacrymis culpam. Congruens etiam erat, quò fructuoſiùs reprehenſionem audiret, quoque libertiùs miniſter ille percelleret, irreprehenſibili adeò vita fulgere vt nil poſſet vel procacitas opponere, vel temeritas confingere. *Quis dubitet*, aiebat Caſſiodorus 5. var. 21. *illa te diligere quæ conſtat voce publica ſuaſiſſe... Age, ne tua tibi obii iatur oratio: quia pondus eſt pudoris grauiſſimi propria voce conuinci.* Sanè perſuaſio plus roboris capit ab honeſta vita, quàm à diſerta eloquentia. Ergo Angelus Deo obſequentiſſimus mittitur, qui inobedientes arguat, quique exemplo, & eloquio ad obedientiam inducat. Quo loco hæc reprehenſio facta fuerit, quoque tempore, dubium. Autumant nonnulli in Silunte populum arguiſſe: nam ſacrificium ibi obtuliſſe conſtat; nec alibi ſacrificare licebat. Verùm ratio hæc non admodùm firma: nam eo ipſo quòd apparebat ibi Angelus, videbatur locum ſanctificare, & ſacrificandi poteſtatem offerre. Ad locum flentium aſcendiſſe dicitur per prolepſim, id eſt, ad illum locum, qui ob fuſam ibi lachrymarum copiam nomen flentium ſortitus eſt. Septuaginta interpretes ita reddunt: *Aſcendit Angelus Domini ſuper Clauthmona, & ſuper Bethel, & ſuper domum Iſrael, & dixit ad eos*, &c. De tempore Abulenſis quæſt. 1. & 9. credit accidiſſe Ioſue ſuperſtite; iam demortuo Caietanus: Sanctus Auguſtinus quæſt. 12. in medium relinquit. Noſter Serarius à Caietano ſtat: nam cùm viuente Ioſue Chananæis non fuerit parcitum iniquæ indulgentiæ reprehenſio non potuit niſi illo demortuo accidere. Placet mihi hæc coniectura: ardenti namque adeò legis Zelo meum ſanctiſſimum Ioſue canduiſſe ſemper exiſtimo, vt hanc ferè communem in Numen, legemque culpam impunitam non relinqueret, nec Angelo monitore indigeret. Quàm fortunatum euentum habuerit reprehenſio, fletus ipſe teſtatur: tantus namque, tamque copioſus fuit, vt nomen loco dederit. Nec fletus ſacrificio fuit deſtitutus: obtulerunt namque propitiando Numini ex eo animalium genere, quæ pro peccatis offerebantur: & quidem copioſus ſingultus præcordiorum atteſtabatur clarè dolorem, ſacrificiis delere conabantur reatum. Verùm vt humanus leuitate mouetur animus, hæc pœnitentia non diu floruit, nec quam debebat, conſecuta eſt emendationem; imò quaſi ſatis fuiſſet fudiſſe lachrymas, mactaſſe hoſtias, cruentaſſe aras, præcipuum omiſerunt, ſcilicet Chananæos penitus expungere, eorumque execranda delubra prorſus euertere. *Pantheras*, ſcribit Plutarchus in apophthegmat. *in Aſiam legatus monſtrantibus et murum munitum ait: Tulchrum, inquit, hoſpites gynecæum. Diſputantibus in Academia Philoſophis, Pantheraque poſt rogantibus, qui viderentur ei hi ſermones: Quid aliud, inquit, quam bonis, verum quo illi vobis, qui eis non vtimini?* Percuſſi Angelicis verbis flerunt, ſed citiſſimè obliti, & quod pœnitentiæ impenderant tempus, maioribus compenſarunt criminibus. Adeſt D. Cyprianus aduerſus Iudæos: *Iterum*, inquit, *peccarunt, & grauius peccarunt.*

2. *Eduxi vos de Ægypto, & introduxi in terram*, &c. Loquitur Angelus in perſona Dei, & improperat Iſraëlitis præſtita beneficia, in memoriamque reducit, quanta in Ægypto illorum fuerint lamenta. Et licet longam poſſet ſeriem beneficiorum texere, ſolùm eductionis de Ægypto, & introductionis in terram Chanaan meminit: aut quia his duobus continebantur cætera; aut quia beneficia referre non tam erat ad liberalitatis pompam, quàm ad ſuadendam pœnitentiam: compulſus igitur retulit beneficia: aliter namque illa denigraſſet, dum retuliſſet: *Æquiſſima vox eſt*, aiebat Seneca lib. 3. de benef. cap. 14. *& i gentium præſeferens: Redde quod debes: hæc turpiſſima eſt in beneficio; Redde. Quid reddes? Vitam, inquam, debet, dignitatem, ſecuritatem, ſanitatem. Reddi maxima quæque non poſſunt. Aut pro his, inquit, aliquid quod tanti ſit, hoc eſt, quod dicebam, interituram tantæ rei dignitatem, ſi beneficium mercedem facimus.* Dum beneficium collatum obiicitur, & exigitur quid pro eo, tranſit in commercium; verùm beneficia memoriæ ingerere, vt beneficiatum ab ingratitudine reuoces, & viam ad benefaciendum vlterius pares, non eſt liberalitatis nota; imò benefacien

Marginal notes: Hebræi. — Ambroſ. Paulin. Anſelm. D. Thom. Aug. Theodor. Abulenſ. Hugo. Lyra. Caietan. — Caſſiodor. *Propria voce conuinci grauiſſimus pudor eſt.* — Abul. Caietan. Auguſt. — Plutarch. — Cyprian. — Seneca.

faciendi honeſtiſſima induſtria. Obiicit eis An-
gelus fœdus, quod inter Deum, Hebræoſque
celebratum erat, ea tamen conditione, vt non
ferirent fœdus cum Chananæis. Cumque vti-
lius illis eſſet pactum cum Domino ſeruare,
quàm cum Chananæis inire, iure illorum veſa-
niam arguit, vt qui maluerint puerorum ad in-
ſtar rem magni momenti exigua recula commu-
tare. Certè cum Deo, vel cum homine pactum
conſeruandum erat, eaque fuit ſtultè diſci-
pientium veſania, vt omnium reſpuerint largi-
torem, & elegerint tributa exigua pendentem.
Profectò ipſi Chananæi religioſiores appare-
bant, quandoquidem ne ſubuerterentur deo-
rum aræ, ſoluendis inſudabant tributis, deo-
rumque fana redimebant collecto laborioſiſſi-
mè auro, cùm Iſraëlitæ veri Numinis religio-
nem negligerent, vt infami inhiarent tributo.
O quàm diſertè aiebat Tertullianus de corona
Tertullian. militis cap. 15. *Agnoſcamus ingenia diaboli
idcirco quædam de diuinis affectantis, vt nos de
ſuorum fide confundat.* Fideliores ſæpè exiſtunt
diaboli ſerui, quàm Numinis veri miniſtri. Iam
quæ pœnæ delictum comitentur, exponit An-
gelus: *Nolui delere eos à facie veſtra, vt habeatis
hoſtes, dij eorum ſint vobis in ruinam.* Hoſtes per-
peſſi ſunt, quos elegerant tributarios, vt inde
grande emergeret illis ſupplicium, vbi futurum
reputarant emolumentum. Illa particula *vt* ad
hoſtes relata prodit Numinis intentionem; ad
ruinam tamen ob ſimulacra, non denotat in-
tentionem; ſed prædicit euentum: iſta namque
clauſula plus culpam denotat, quàm pœnam;
illa pœnam denotat quàm culpam; cumque
Dei æquitas pœnam conſulat, & eius bonitas
nec vmbram culpæ ſuſtineat, ruina ob ſimula-
cra prædicitur, & ob bellum moleſtia intendi-
tur. Quærit Abulenſis quæſt. 6. cur hunc mini-
ſtrum Scriptura vocarit Angelum, cùm ſæpeſæ-
piùs miniſtros nomine Dei loquentes appella-
uerit Deum. Reſpondetque curaſſe omnem ido-
lolatriæ occaſioné præcidere, nam cùm Ange-
lus iſte apparuerit humana in figura, ſi appel-
laretur Deus putaſſent Numen corporeum eſſe,
& fingerent ei ſtatuam veritatis detrimento,
religioniſque damno: nec erat eadem ratio in
Angelo: nam cùm acriter Hebræos carperet,
delictaque referret, illi nullatenus ſtatuam eri-
gerent, ne erecta notam illis inureret, dum cri-
mina ſilentio tegi non fineret. Ad hæc con-
gruentius erat beneficia immediatè Numini
tribui, & pœnam per miniſtros imponi.

§. II.

Commentarius Litteræ.

Verſ. 6. Dimiſit ergo Ioſue populum,
& abierunt filij Iſraël vnuſquiſque
in poſſeſſionem ſuam, vt obtinerent
eam, &c.

3. OCcaſione huius textus, vt dicebam, quæ-
ſtio eſt interpretibus, an hîc relata ſuper-
ſtite Ioſue acciderint, an demortuo. Profectò
hiſtoriæ ſeries tunc temporis vixiſſe videtur ad-
ſtruere, vt ardentiſſimus eius zelus, negare: nec
enim facile eſt creditu Ioſue Chananæorum
aras permiſiſſe, & illa deteſtanda veſtigalia tole-
raſſe. Noſter Mariana num. 6. putat illud ver-
bum *dimiſit* poſitum pro *dimiſerat*: quaſi mul- Marian.
tò id antè factum fuerit, etſi tempora non obſer-
uarit adeò religioſè hiſtoria; ſed aliis alia inter- Montan.
ſeruerit. Conſentit Arias Montanus, cuius hæc
ſunt verba: *Verbum præteritum, dimiſit plusquam
perfecti Latini vim obtinet.* Itaque videtur textus
conferre præſentem cum antiquo ſtatu. Quaſi
dicat: Populus ille, qui à Ioſue olim dimiſſus to-
to eius vitæ tempore & ſeniorum legi parere
ſtuduit; poſt illorum mortem admonitore eguit:
quia ad idola ſtudioſiſſimè declinauit.

Verſ. 8. Mortuus eſt autem Ioſue fi-
lius Nun, famulus Domini centum
& decem annorum.

Cum de Ioſue mentio inciderit, iterum 4.
Scriptor eius ætatem, mortemque comme-
morat: fortè, ne tantum virum crederent im-
mortalem, vtque quàm virtus in longæuum
producat vitam, agnouerint. Quàm benè Seneca Seneca.
epiſt. 77. *Vita non eſt imperfecta, ſi honeſta eſt.* *Vita honeſta*
Quaſi dicat: non medio in curſu abrumpitur; *nunquam*
ſed vſque ad perfectionem ipſa honeſtate pro- *præciſa.*
ducitur. Multa egerat Ioſue laude digniſſima;
ſed omnia parui æſtimanda forent, niſi hæc bea-
tiſſimæ mortis adderetur clauſula: *Magnum eſt,*
audis ibi Senecam, *honeſtè mori, prudenter, forti-
ter.* Breuis; ſed magni habendus Ioſue laudum
epilogus: *Mortuus eſt Ioſue famulus Domini.*
Meliori calamo digna ſunt verba Plutarchi con- Plutarch.
tra Epicuri ſententiam: Vitam ſolidam illis vi-
cturum putem animum, qui non verè hîc; ſed
velut per *ſomnium.* Iam quàm non magni fecerit
operoſitatem ſepulchri, tradit textus: *In finibus,* Hieronym.
inquit, *poſſeſſionis ſuæ.* Certè Diua Paula Hiero-
nymo in eius epitaphio teſte, ſatis mirata eſt,
quòd eam ſibi partem in poſſeſſionem, ſepul-
chrumque delegerit, qui tot fuerat poſſeſſionum
diſtributor, hoſtiumque domitor. *Nemo,* aiebat
Seneca epiſt. 92. *liber eſt, qui corpori ſeruit: nam* Seneca.
*vt alios dominos, quos nimia pro illo ſolitudo inue-
nit, tranſeas, ipſius moroſum imperium delicatum-
que eſt: ab hoc modò æquo animo exit, modò magno
proſilit, nec quis deinde reliquiis eius futurus ſit
exitus, quærit; ſed vt ex barba capillos detonſos ne-
gligimus, ita ille diuinus animus egreſſurus homi-
nem, quo receptaculum ſuum conferatur, ignis illud
exurat, an feræ diſtrahant, an terra contegat, non
magis ad ſe iudicat pertinere, quàm ſecundas ad
editum infantem.* Itaque vt ad puerum, qui in
vtero membranis illis, quas Hiſpanè Pares voca-
camus, inuoluebatur, iam editum non perti-
nent, ita corporis inuolucrum animo iam ad
ſuperos euolante magni non habetur, ſed quo-
uis loco tegatur, cum illo bene actum eſt. Ope-
roſa inſanaque ſepulchrorum moles, dum con-
tegit emortua membra, dehoneſtat ipſa opero-
ſitatis inſania. Xiphilinus in vita Traiani ita Xiphilin.
ſcribit: *In foro ſuo columnam maximam collocauit,
partim ſepeliendi ſui cauſa, partim vt opus, quod
ipſe fecerat circa forum, poſteris oſtenderet*: & poſt
mortem timuit, & iam defunctus deſipuit.
Quàm diſertè Seneca de breuitate vitæ: *Quidam* Seneca.
*diſponunt etiam illa, quæ vltra vitam ſunt: moles
magnas ſepulchrorum, & operum publicorum dedi-
cationes.* Diſpoſuit certè Ioſue quæ vltra vitam;
ſed religioſè viuendo, non erga ſepulchrorum
opero

opeſoſitatem delitando. Thamnathſare putant Hebræi idem ſignificare ac Solis imaginem: quia in ſepulchro Solis imago fuit inſculpta, ne prodigioſum illud facinus, Solis videlicet ſtitionis temporum tractibus de memoria hominum deleretur. Et quidem celebrius epitaphium fuit patratis facinoribus commendari, quàm ſtylo florido inſcribentis effetri.

Verſ. XI. Feceruntque filij Iſraël malum in conſpectu Domini, & ſeruierunt Baalim, &c.

5. Dum liberiùs Hebræorum reſpublica procedere incepit, à virtute deſciuit: ſurrexerunt namque alij, qui non nouerant Dominum, & opera, quæ fecerat cum Iſrael. Illud verbum *Su- rexerunt*, ait Arias Montanus non adaptari obſcuris, plebeiiſque hominibus; ſed Heroibus, & ad publica negotia geranda natis, & conſtitutis, vti Sacerdotibus, Regibus, & Magiſtratibus.

Montan.

Hæc ergo cauſa fuit ſummæ illius calamitatis, quam populus perpeſſus eſt tam in corpore, quam in animo, ſurrexiſſe ſcilicet tales Reipublicæ adminiſtros, qui Deum negligerent, quique de induſtria mirabilium eius ignorantiam protelarint. Miſer non eſſe non potuit populus cui dominabantur cupiditati dediti, libidine obſcuri, timore Numinis non correpti. Nullum præſtabilius deorum donum putabat Plinius Minor, quam rectorem optimis compoſitum moribus, & excultum virtutibus: *Diis ſimillimus Princeps.*

Plinius.

Econtra nulla reipublicæ deterior peſtis, quàm Princeps Numini diſſimillimus: vt enim primi mobilis motus ſecum reliquorum trahit motus cælorum, ita Princeps cæterorum vitam ſuâ rapit ad virtutem, ſi honeſtus, aut ad prauitatem, ſi prauus. Non poterant hi Principes Domini mirabilia ignorare; ſed affectabant neſcire: *tanta eſt namque* teſte Tertulliano lib. de ſpectaculis cap. 1. *vis voluptatum, vt ignorantiam protelet in occaſionem, & conſcientiam corrumpat in diſſimulationem, aut vtrumqu*. Vt colerent euanida ſimulacra, Numinis affectabant ignorationem.

Tertullian.

Iam qualibus diis cultum, ſacrificiumque obtulerint, textus non tacuit, Baalim ſcilicet, & Aſtaroth. Quid Baalim ſignificet, quid Aſtaroth, quærunt Patres.

Abulenſ.

Abulenſis quæſt. 12. putat hîc Baalim deos omnes Philiſthinorum comprehendere, cuius ſingulare eſt Baal, ſeu Bel: quia primum idolum factum ad colendum fuit imago Regis Babyloniorum, qui vocabatur Belus, ſeu Bel, cuius filius fuit Ninus rex potentiſſimus, qui illum flamine, thure, & ſacrificiis coluit, & idolorum exempla reliquit. Vnde hoc nomen vti idolis commune peculiari adiũcto ſolet diſtingui, vt Baal Berith, Beelzebub, Beelphegor, & alia. Aſtraroth, ſeu Aſtarthen Iunonem ſignificare ait D. Auguſtinus quæſt. 16. in Iudices, vt Baal Iouem. Cicero lib. 3. de natura deorum Aſtarthen putat eam eſſe Venerem, quæ nupſit Adonidi. Lucianus Lunam, ſeu Dianam appellat. Septuaginta *Baalim, & Aſtharthibus* tranſtulerunt. Nec mirum eſt cultores Veneris Numinis memoriam obliteraſſe: nihil enim vt libido homines ratione nudat, & in belluas transformat.

Auguſt.
Cicero.
Lucian.
Septuagint.

§. III.

Commentarius Litteræ

Verſ. 14. Iratuſque Dominus contra Iſraël, tradidit eos in manus diripientium: qui ceperunt eos, & vendiderunt hoſtibus, qui habitabant per gyrum: nec potuerunt reſiſtere aduerſariis ſuis.

6. SEptuaginta vertunt: *Et iratus eſt furore Dominus in Iſrael, & tradidit eos in manus prædantium, & depradati ſunt eos in manibus inimicorum ſuorum in circuitu.*

Septuag.

Deus vt vindictam de refractariis ſumeret, auxiliatem illam manum, cuius ope tot coronati triumphis floruerunt, retraxit, & iam cælesti præſidio orbati extiterunt ipſorum aduerſariorum, quos anteà ſubegerant, ſeruitutique addixerant, præda: virtus illis dominium attulit, vitium ſeruitutem peperit. Traditi ſunt in diripientium manus non caſu, non virtute hoſtili; ſed æquiſſimo Dei iudicio: hanc vaſtationem non à longè remotis tulerunt; ſed ab his ipſis vicinis, quorum contra ius ambiuerant amicitiam, & affectauerant concordiam. Et quid pernicioſius improbo amico? Conducibilior eſt truculentiſſimus aduerſarius, quàm improbus, & ſceleſtiſſimus ſocius. Capti referuntur, & venditi; & certè capi erat infortunium; at vendi & pretio viliſſimo, grande probrum. Audi Abulenſem quæſt. 13. *Quòd hoſtes diſſiparent bona Iſraëlitarum, erat aliquid tolerabile; quòd tamen eos venderent, peſſima ſors erat? quam potiùs fugere debuiſſent, quàm bellicam mortem.*

Abulenſ.

Hæc etiam recrudeſcebat calamitas, dum ſeruiebant venditi non gentibus ignotis; ſed ipſis, qui nuper eorum extiterunt ſerui. Neque malum hoc aliquod admittebat leuamen, ſpemve ſiue à locorum fortiſſimis munitionibus, ſiue ab obſcuriſſimis latebris: nam vbique eos Domini manus inſectabatur, vt quã deſpexerant ſceleſti, experirẽtur attriti. O quàm benè veréque aiebat Iſidorus Peluſiota epiſt. 194. *Iniuſtitia noſtra hoſtium eſt auxilium.*

Iſidor.

Itaq; ea Hebræos tunc extrema excruciabat afflictio, vt ferè nequiret augeri; imò nec diu durare. Quid tunc? In ipſo iræ furore miſericordiæ Dominus meminit, & iudices ſuſcitauit, quorum monitu idololatriam deſererent, & ſe ad veram Numinis pietatem reciperent. Hi iudices non ſolùm populum defendebant ab hoſte armis; ſed quod maius erat ab impietate ſalubribus monitis, & conſiliis. Itaque Numini adaptari poſſunt, quæ Caſſiodorus lib. 3. var. 34. ſcripſit. *Propoſiti noſtri eſt probatas fortitudine & moderatione perſonas ad ordinationem veſtram, defenſionemque dirigere, vt & prouincialium ratio ſubleuetur, & vtilitas publica bonis præſidentibus augeatur.*

Caſſiodor.
Bonus præſes reipublicæ ſalus.

Diſputat Abulenſis quæſt. 14. quem modum ſeruauerit Deus in iudicibus excitandis, reſpondetque Deum ſupernaturaliter animoſitatem, vireſque illis addidiſſe, eorumque poteſtatem inſolitis ſignis, aut concordi ſequentium animo denuntiaſſe. Itaque populus diuinum amplectebatur beneficium, & auxilio cæleſti ſiſus,

Digitized by Google

quod anteà trepidabat, animosè prodibat in prælium. Pluries domuerunt hoſtes, pluries, dum iudicum ſequebantur conſilia, glorioſa ſunt adepti trophæa; verùm adeò in naturam idololatrandi conſuetudo inoleuerat, vt nec iudices audire vellent; imò eligerent vitiis inſeruire attriti quam Numini trophæis hoſtilibus coronati. Quę fuerit præter conſuetudinem huius erroris

Abulenſ. cauſa, quærit Abulenſis q. 15. Reſpondetq; poſſe tantiſper adſcribi climati illi, ſub quo degebant: nã licèt virtus vitiũq; ſint actiones liberi arbitrij, nihilominus tamen mouere poſſunt ſpecialiter cæleſtia corpora ad hoc aut illud expromptiùs amplectendum, licèt ſemper nobis libera maneat facultas operandi, & oppoſitum exequendi. Alia cauſa erat, experiri ſcilicet, dum colerent Deum aliqua infortunia, puta ſterilitatem, famem ægritudinemque, & contrarium cùm venerarentur idola; adeoque rudis populus Hebræorum erat, vt ſolum illum veri Deum colerent, cuius tempore diuitiæ exundabant, & caducæ proſperitates creſcebant. Reliqua vſque ad finem huius capitis eamdem ferè materiam continent: & ob id ad alia tranſeo, quia notatu dignum nihil inuenio.

§. IV.

Iuſtè Angelus appellatur concionator vitia ferens, nec munus alio detorquens.

7. Sacerdos, concionatorque, quia cæteros muneris tranſgreditur dignitate, munus præ cæteris laudabili decorare debet Actione. Qui in peccata ſuperno poritur imperio, ad alios vſus detorto obſcurari fugiat officio. Donanti gratia redditur, ſi munus dignis actionibus impleatur. *Tantò diuinitati plura debemus* aiebat Caſſiodo-

Caſſiod. rus 8. var. 24. *quantò a cæteris mortalibus maiora ſuſcepimus: nam quid ſimile rependat Deo, qui potitur imperio? Sed licèt pro tanto munere nihil compenſare poſſit idoneè, ipſi gratia redditur: dum in ſeruientibus honoratur.* Qui magnis à Deo acceptę dignitatis beneficiis adſtringitur, munus ſuum exactius adimplere tenetur. Ingratitudinis reus eſt, qui ad alium detorquens vſum, impedit clargitoris elogium. Gratia redditur, dum munus propriis vſibus adaptatur. Qui Eccleſiaſticis luminibus fulgent ornati, præcipuè muneri tenentur addicti: eſſet enim planè indecens, & inglorium, ſi animarum remedium vile detorqueretur ad lucrum; ſi ſacerdotium eſſet negotiatio, non peccatorum redemptio. Sacerdos quia Angelici ordinis dignitatem initiatus quodammodò attingit, opus eſt exuat terrenam, & Angelicam induat in exercitio naturam. Ecce Hebræorum populus cæca cupiditate ineſcatus magnas ſibi vtilitates præcidit, dum Chananæos prorſus extinguere contra præceptum ſpreuit. Docuit aurum diuinas leges ſpernere ſed ſpretæ leges intulere ſupplicia, & fuerunt facultatibus detrimenta. Quid tunc? Phinees ſacerdotali munere decoratus concionatoris munere fungitur, & pœnitentiam ſuadens Angelus appellatur: ſic deterret minis, ſic pia carpit ſeueritate, ſic rationabili peccatores ira præſtingit, vt ad gemitus, & ſcelerum dolorem compulerit, & fletus loco nomen indiderit: *Aſcendit Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium, & ait: Eduxi vos de Ægypto,* &c. Beneficia refert, vt crimina cumulatius exaggeret: nam ſi indignum eſt non referre merenti gratiam, quale erit benefactori irrogaſſe iniuriam? Digna populus reprehenſione percuſſus copioſè luxit, & non dubia interni doloris indicia prodidit: *Cùm loqueretur Angelus Domini hæc verba ad omnes filios Iſraël, eleuauerunt ipſi vocem ſuam, & fleuerunt.* Gloſ- Gloſſa.
ſa moralis in hoc Angelo ait bonum prælatum, ac prædicatorem ſignari, qui delicta populi nouerit induſtria voce ferire. *Per iſtum Angelum, qui de peccatis commiſſis arguit populum, ſignificatur bonus Prælatus, vel prædicator arguens efficaciter peccata populi & eum deducens vſque ad lachrymas veræ contritionis.* Innuit Lyra: Lyra.
Dicunt Hebræi quòd iſte Angelus fuit Phinees: quia Angelus interpretatur nuntius; ipſe autem fuit miſſus a Deo ad arguendum populum de tranſgreſſione mandatorum eius. Phinees vocatur Angelus, dum implet officium, & ſolùm animarum quærit remedium. O quàm Angeli adulteraſſet elogium, ſi ſibi artificioſa elocutione euanidum ambiret plauſum, aut terrenum quæreret lucrum; A Deo agnoſcitur miſſus, nobiliterque Angelorum eſt æmulus, dum corda dolore pungit, & elicitis lachrymis maculas peccatorum abſtergit. Dum graui ſermone, calamiſtris, fuciſque nudo ferit peccata, ad doloroſa cogit auditores ſuſpiria. O dignus concione Angelica fructus, triſtis, & ob peccata copioſus fletus! non ſanè Angeli ſortiretur honorem, ſi eleganti orationis artificio, peregrina vocum nouitate, oſtentatoque ingenij acumine aures ſuſpenderet, vt ſibi laudes admirationis acquireret. Angelus peccatores deterrens eſt pulchrum concionatoris ænigma, vt concionator Euangelicus Angeli ſequatur exempla. Sed ô tempora, ô mores! rariſſimi hoc inueniuntur titulo digni quia plures aut inanis plauſus ambitioſi, aut vilis lucri degenerarunt percupidi.

Iob nonnunquam conſiliarios ab ſcopo aſſe- 8.
rit aberrare, & gelido ſtupore teneri: *Adducit* Iob. 12.
conſiliarios in ſtultum finem, & iudices in ſtuporem. v. 17.
Detortum, & obliquatum conſilium ſtultitiæ notat, & imprudentiæ condemnat; ſed examinemus huius errorem conſilij: exprimit S. Iob, dum conſilij finem vocat inglorium: ecquis his erit finis, qui veluti obſcuro nimbo lucem obſcurarit ſapientiæ, & tenebras intulerit ſtultitiæ? Profectò de prædicationis munere, de Euangelico labore, de Angelorum officio aut euanidum lucrari plauſum, aut vile ſitire lucrum: inſudare pro depellendis vitiis, pro adducendis ad ſalutem proximis, pro medendis peccatorum vlceribus, cæleſtis conſiliarij, Apoſtolicique concionatoris munus commendat; at ſi auri iacturâ quæratur vitrum, prudentiæ obſcuratur elogium: conſiliarius ergo in ſtultum finem adducitur, ſi de Euangelica prædicatione quid aliud præter Numinis gloriam, & ſalutem animarum moliatur. Ita Gregorius lib. 11. moral. capite 7. *Rectè conſiliarios prædicatores accipimus, qui ſuis auditoribus conſilium vitæ præbent; ſed cùm prædicator quiſque ideò æterna prædicat, vt temporalia lucra conſequatur, profectò in ſtultum finem*

Digitized by Google

finem deducitur: quia illac per laborem tendit: vnde per mentis rectitudinem fugere debuit: Qui æterna docet ambitioſè perquiri, non debet vili terrenorum ſiti inflammari!obbruteſcit namque qui in medendis aliorum plagis impendit conſiliorum prudentiam, & de impenſa alijs prudentia procudit ſibi ſtultitiam: Adde concionatori in primis curandum lachrymas ciere, non vel miracula perpetrare; quia non ſic munus implet, qui corporali homines ſanitati reſtituit,qui gehennales furias imperioſè depellit, quàm qui ad culparum adducit pœnitudinem, & ad lachrymarum dolorem.

9. Iſai 9.v 6. Septuag. Apud Iſaiam Dominus magni conſilij Angelus nuncupatur: *Vocabitur nomen eius admirabilis, conſiliarius*, vbi Septuaginta legunt, *Vocabitur nomen eius magni conſilij Angelus:* Nomenque implet, dum percellit delicta,dumque cæcis denuntiat æterna; non tam perficit, dum operatur miracula. Probat hoc hiſtoria illa apud Marci 9. relata; nam cum paruulum ſurdus mutuſque ſpiritus rabido furore vexaret, eius pater filij calamitate commotus inuolat,vt à Chriſto Domino impetrarit remedium. Chriſtus antequam filium à violentia liberet, patris perfidiam percellit: tandem vbi pater in copioſas lachrymas eſt effuſus, exultat filius à Domino liberatus: *Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti: & continuò exclamans pater pueri cum lachrymis aiebat: Credo Domine.* Et cur Dominus miraculis perpetratis fidem non adiuuet;ſed priùs incredulitatem obiurget, & doloris lachrymas citet? Satius videbatur incredulitatis tenebras miraculo depuliſſe, & admiratione perculſi fidem procuraſſe; & tamen Dominus ante filij curationem patris incredulitatem ſeuere carpit: & ad lachrymas carpendo mouet: nec mirum: nam Angeli magni conſilij, hoc eſt concionatoris munus exercebat, docuitque miris anteponendum ad ploratus mouere, & elicitis lachrymis peccatorum maculas radere: non vocatur Angelus, dum ſanitates reſtituit; ſed dum conſiliis doctrinaque incredulitatem depellit: de elicitis lachrymis Angelus,de patratis miraculis mirus. Huc voco quod aiebat Gregorius loco citato: *Ipſe ſummi Patris vnigenitus quia per hoc quod factus eſt homo:æterna nuntiauit, magni conſilij Angelus eſt vocatus:* Patris incredulitatem arguit, omnia credenti poſſibilia pronuntians: *Omnia poſſibilia ſunt credenti:* Filium à diris tormentis, & vexationibus liberat; verùm teſte Gregorio, concionatoris Angeli munus cumulatius implet virtutes docendo,quàm ſalutem operando: editi à patre ſingultus conſiliarij munus commendabant;miracula virtutis excellentiam prodebant: *Quia æterna nuntiauit; magni conſilij Angelus eſt vocatus.*

Marci 9. v.22.

Gregor.

10. Malach.3. v 1. Malachias dum Redemptorem noſtrum vocat Angelum, peccatorum purgationem adiungit: *Veniet ad templum ſuum Dominator, quem vos quæritis,& Angelus teſtamenti,quem vos vultis.* Munus explicuit,ſtatimque impletum actionibus commendauit: *Ipſe quaſi ignis conflans,& quaſi herba fullonum,& ſedebit conflans & emundans argentum; & purgabit filios Leui.* Dum à vitiis purgat, dum lutulentas excoquit fæces, Angelico honore donatur,& ritè munere ſacerdotali perfungitur: *Ipſe quaſi ignis conflans,* ſcribit Rupertus cap.4.in Malachiam, *& quaſi herba fullonum, id eſt ignem mittens in terram, ſcilicet Spiritum Sanctum, qui conſumet incredulos velut ignis conflatorium;credentes autem velut herba fullonum emundabit gratia remiſſionis peccatorum, & velut ignis conflans zelo bono feruentes,amore cæleſtium bonorum faciet ardentes.* Tota huius Dominatoris Angeli cura videtur peccata purgare,& ardentes diuini amoris flammas augere, vt concionatores, ſacerdoteſque doceat tunc probari à Deo miſſos, cum peccata de cordibus humanis expungunt, cùm diuini amoris feruorem felix ad incendium prædicatione flabellant:dum tenebrarum caligines doctrinæ luce cæleſtis diſſipant. O quàm falluntur concionatores,dum comptis floſculis, dum concinnatis induſtrio labore periodis coronam ſibi deuincire tentant, & aliter conciliandam ſibi non putant: nam ſæpè ſæpius dignum euanidæ præſumptionis ſupplicium eſt à concione irrideri, & vti vanitulum depretiari: ad percellentem vitia homines maturi concurrunt, & iam non hominem arbitrantur; ſed vti Angelum cælitus miſſum verentur. Ecce Angelus teſtamenti, dum conflat,dum purgat, à populis amatur, & quæritur. *Dominator,* inquit, *quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti, quem vos vultis.* Nouerint prædicatores tunc quæri, cùm ſe Angelos exhibent, tuncque ſe exhibere Angelos, quando & vitiis homines purgant, & decoctis macularum fæcibus auri luminibus clariores oſtentant. Adde munus hoc Angelicum de auditorum lachrymis decorari, & ad ſpeciem ſine lachrymis non haberi.

Rupe rt.

Patriam repetebat Iacob, cùm vir inopinè 11.
ad luctamen prouocat, & prolixo noctis tempore gradientis vires fatigat: *Ecce vir luctabatur cum eo vſque mane.* Apud Oſee 12.iam non vir; ſed Angelus audit: *In fortitudine ſua directus eſt cum Angelo, & inualuit ad Angelum, & confortatus eſt.* Si apud Oſeam Angelus, cur apud Geneſim vir: Aut ſi in Geneſi humanæ naturæ terminos non inuenitur tranſgreſſus, cur apud Oſeam Angelicis titulis honoratus? Vt diſcas Scripturam,dum tacet,audire, & dum loquitur, edoceri. Dum ad lachrymas, ad preces reluctantem non cogit, nec Angelus audit; at cùm apud Oſeam ad lachrymas excitaſſe refertur, & aliqualis diffidentiæ timorem depuliſſe narratur, *Confortus eſt, fleuit & rogauit eum.* Angelico honoratur elogio, quia Angelorum ſatisfecit officio. Adeſt Lyra ad Gen.32. *Dicunt Hebræi quòd fuit Angelus Eſau in ſpecie viri, qui volebat eum impedire à tranſitu, ne obtineret benedictiones, & primogenita ipſius Eſau.* Vir audit, dum humana Eſau ſolicitat incrementa,audit Angelus, dum Iacob ad cæleſtium mouet ſuſpiria. O quàm munus ſuum dedecorant ſacerdotes dum terrenis procurandis ſibi aut alumnis inſudant, dum ob ampliandam hæreditatem decertant, quando vti Angeli ſolum debebant homines confortare, vtque Dei præceptis deuotius obtemperarent,impellere.

Geneſ.32. v.24.

Oſee 12. v.5.

Lyra.

§. V.

Digitized by Google

§. V.

Lenius non ſemel curandum eſt, dum acriùs deſæuit vitium, ne auxilietur irritationi remedium.

12. HAbent ſuos impetus vitia, & vti periodica febris plus aliquando acceſſionibus feruet, quas aliquando deponit, ita deprauati animi affectus acriùs aliquando deſæuiunt inflammati, aliàs tantiſper manſueſcunt remiſſi: vtque peritus medicus opportuna obſeruat tempora, quibus medicamina adhibeat, ne ſi inopportunè applicita, ipſo laboretur remedio, ita peritus animi curandi medicus obſeruabit opportunitatem, & aliquando exacerbatiora tractabit leniùs. Quàm diſertè Seneca de conſolatione ad Heluiam cap. 1. *Vtcumque conabar manu ſuper plagam meam impoſita ad obliganda vulnera veſtra reptare, hoc propoſitum meum erant rurſus quæ retardarent, dolori tuo, dum recens ſæuiret, ſciebam occurrendum non eſſe, ne illum ipſa ſolatia irritarent, & accenderent: nam in morbis quoque nihil eſt pernicioſius, quàm immatura medicina.* Aſperas chirurgi manus patitur vulnus; quod altè non deſcendit; ſed veluti in cute eſt; at exulceratum ad leuiſſimum etiam tactum horret, & dum peſtifera ſanie ardet viuidiùs, curari depoſcit lenius. Expectandum eſt, vt vires ſuas ardor tantiſper remittat, & medicinam mitigatus non reſpuat: falluntur qui de aſperitate remediorum, de ferri candore, de ſinapis incendio vtiliorem exiſtimant prouenire medelam, quando non ſemel imprudenter applicita exacerbare ſolitant plagam. Aliqua tempori, aliqua donanda ſunt occaſioni, & ita conſulendum legi, vt etiam conſulatur diſcrimini. Cùm in prælio Leutrico multi Lacedæmonij terga dediſſent, tenerenturque legitimis pœnis penè exhauſta ciuibus vrbs manſura videbatur, ſi pœnæ transfugis infligerentur, ephori illos volebant ſoluere infamia, & leges nouas edere antiquis obliteratis: ad hoc Ageſilaum legiſlatorem crearunt, ille verò ita induſtriè ſe geſſit, vt leges nouas non ederet, & iam editas à ſequenti die vim ſortituras mandaret. *Lator ego*, inquit apud Plutarchum in apophthegm. Lacon. *nolo aliarum legum eſſe: nec enim præſentibus quidquam adiiciam, vel detraham, vel eas corrigam; verùm leges præſentes è republica puto eſſe, vt ex craſtino die vim ſuam recipiant.* Periret ciuitas ciuibus orbata, ſi Ageſilaus legibus ad vnguem vellet conſulere: legum periret reuerentia, ſi leges nollet attendere: quid ergo, cùm præſens rerum viciſſitudo illarum nequiret ſuſtinere decreta? Vtrique medeti induſtria. Sic Ageſilaus conſuluit legi, vt conſuleret etiam diſcrimini: indulſit; ſed ita vt ipſa indulgẽtia legi ſeruiret: pro legibus ſtetit; ſed ita, vt ciuitatem incolis non priuaret. Hebræorum populus cupiditatis inſania inflammatus adeò deſipuit, vt conculcatis Dei præceptis Chananæis parceret, idolorumque delubra permitteret: Angelus flagitia ſolitas nequitiæ metas tranſgreſſa correpturus aduentat, & verbis ad culparum pœnitudinem delinquentes blandiſſimis prouocat: *Pollicitus ſum, vt non facerem irritum pactum meum, vobiſcum in ſempiternum, ita dumtaxat, vt non feriretis fœdus cum habitatoribus terræ huius; ſed aras eorum ſubuerteretis, & noluiſtis audire vocem meam. Cur hoc feciſtis?* Quàm comiter carpit, quàm vrbanè idololatras reprehendit, cùm alibi ob leuiorem ad ſpeciem cauſam acutum gladium ſtringat, & peccati mortem intentet. Pergebat Moyſes olim diuina præcepta expleturus, cùm in diuerſorio periculum grande incurrit: *Cùm eſſet in itinere in diuerſorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.* Animaduerſionis in Moyſem cauſam reddunt interpretes, filij ſcilicet circumciſionem tantiſper diſtuliſſe. Verùm ſi in Moyſem aliàs præceptis obedientem ſtringit gladium, cur in idololatras non cepe rit ferrum? aut ſi idololatras vrbanè carpit, cur Moyſem truci adeò vultu deterret. O ſapientiam immortalem! Moyſes pluribus tunc virtutibus refulgebat, etſi tantiſper deliquerit, iter lentiùs carpendo, aut circumciſionis legem non adeò religioſè ſeruando; & ob id ferit vultus ſupercilio, & deterret micanti gladio; at quia tunc populus ferè exlex magnis ſcatebat criminibus, blandè corripuit, ne exaſperatus omnes patientiæ leges abrumperet, & prorſus cultum Numini denegaret. Itaque pro temporum opportunitate & medicamenta adhibuit exulceratiſſimos morbos leniùs curans, leuiores ſeueriùs tractans. Huc voco quod aiebat Tertullianus aduerſus Gnoſtic. cap. 5. *Suſtentato feruore delicti, donec tempore medicina temperaretur, paulatim remedia compoſuit.* Correctionem corrigendis attemperauit, & quia reos iudicij vidit, traxit leuiter ad obſequium, ne, ſi exaſperati, maturarint ſibi iudicium. Scelestiores non ſemel vrbaniùs leniuſque tractandos oſtendit, & factis normam optimo gubernatori præſcripſit.

13. Cùm ad mare populus Pharaonis ſæuitiam Ægyptiorum feritatem fugiens deueniſſet, ſolitum curſum vnda ſeruabat, & curſu tranſitum impediebat: Moyſes virga percutit, & mare diuidit: *Diuiſa eſt aqua.* Apud Matth. 8. Domino cum diſcipulis nauigante, ventis repercuſſa vndique ſcapha minabatur periculum, & quia nullum ab induſtria ſubſidium inuenerant, ad clamoris ſuffragium diſcipuli accurrunt, & dormientem Dominum interpellant: exuſcitatus Dominus mari imperat, & iam procella in tranquillitatem conuerſa eſt: *Tunc ſurgens imperauit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna.* Quàm erat inutile dormiente Domino confuſis aquarum vorticibus obluctari! Quàmparum vigilanti nocuit fluctus ſuperbiſſimos ad ſydera tolli. Sed inquiramus cur Dominus mare non diuerberet, aut cur Moſes voce non diuidat: eadem quippe vterque vtebatur omnipotentia, Moyſes aſcititia, Chriſtus innata. Ergo mare percutiat Dominus ne minus egiſſe putetur; imò non percutit, quo magis ac magis eius prudentia agnoſcatur: mare modò motu magno concitatum æſtuabat, fluctus ſecum pugnantes inſurgebant, venti depræliabantur: ergo leni voce cohibet: ne incuſſo verbere exagitet. Percuſſit Moyſes mare virga iuſtis tranſitum denegans; ſed cùm vndæ non elatæ; ſed cùm fluctuum turbines non commoti, tunc mare tulit verbera quia non furens, modò lenitate egebat, quia impatiens: adeſt Baſilius orat. 22. *Inuſitata tempeſtas confeſtim cum fragore inſurgit, & recurrentes inuicem*

Marginal notes: Seneca. — *Pernicioſa eſt immatura medicina.* — Plutarch. — Exod. 4. v. 24. — Tertull. — Exod. 14. v. 21. — Matt. 8. v. 26. — Seleuc.

Digitized by Google

cem ventorum turbines ferebantur in ſcapham: Sublatiſſimæ etiam vnde ſe in cælum iaculabantur, & fluctus inſurgens merſurum ſe ſcapham *minabatur.* Quid tunc: *Modica voce*, addit poſt aliqua Baſilius, ingens elementum *refrænabatur*: quo plus mare æſtuabat, plus ad noſtram eruditionem vocem Dominus deliniebat, & quia horriſonus fluctus inſaniebat, voce modica refrænabat, ne, ſi grandis correctionis clamor, contra terribilem maris inſonaret clamorem, augeretur damnum eo ipſo quo procurabatur remedium, & vox inſeruire potiùs videretur controuerſiæ, quam medicinæ: *Modica voce ingens elementum refrænabatur*: leni voce æſtus edocuit compeſcendos, & æſtuantes fluctus refrænandos.

14. Modò ſe offert menti ſtyli diuerſitas, quam in corrigendo Petro Chriſtus Dominus ad noſtram eruditionem ſeruauit: diſſerebat de paſſione, cùm Petrus imprudenti magiſtri amore crucem diſſuadere molitus eſt: tunc ira legitimi amoris indice Chriſtus corripuit Apoſtolum, & verbis ad ſpeciem aſperrimis deterruit chariſſimum ſibi diſcipulum: *Comminatus eſt Petro dicens: Vade retro me Sathana: quoniam non ſapit quæ Dei ſunt; ſed quæ ſunt hominum.* Audis Petrum hîc acriter obiurgatum, & reprehenſum; & tamen cum ad ancillæ vocem ter Dominum negarit, Sathan non audit; ſed blandiſſimo Domini aſpectu allicitur, & oculis pietate diffluentibus refrænatur: *Conuerſus Dominus reſpexit Petrum.* Profectò ſtylus videbatur mutandus, ſcilicet Petrus corripiendus erat acerrimè, dum negat impie; blandè, dum delinquit non tam errandi ſtudio, quàm amoris affectu: ergo Dominus Petrum à morte auertentem vt corrigat, blandè reſpiciat, & negantem acriter arguat. Imò blande negantem reſpicit, ne vlcus acri medicaminis morſu exaſperet. Forſitan ſi modò Dominus flammas diſcipulo minaretur, ſi ardentibus oculis deterreret, veniam obduraretur deſperans, & culpam ſuam ad deſperationem aggrauans: ergo vt ad obſequium trahat, vultu blandiſſimo aſpiciat: & quidem corrigentis dexteritatem commendauit effectus, quandoquidem dum compaſſionem loquitur viſus, abiurato errore plus de venia, præſumit, quàm de reatu deſperarat lapſus: allectus leniter plorat, forſan animum deſponderet exaſperatus. *Admirare curam magiſtri*, ſcribit Chryſoſtomus apud D.Thomam, *quia multa vtebatur prouiſione erga diſcipulum, quem nutu erigens ad lachrymas prouocauit.* Nutu erectum prouocauit ad lachrymas, & quò altiùs deſcenderat vulnus, lenior fuit corrigentis aſpectus: vt diſcant qui erga animas medicorum munus gerunt, ea ſe dexteritate in curationibus gerere, vt non ſemper attendant omne quod errati exigebat offenſa; ſed quod pro illo ſtatu errantis pati valear tolerantia. Certè cùm ad corrigendi ſalutem medicamina tendant, ſtultum erit patientis vires deſpicere, & morbi vires augere. Nutu ad lachrymas erigit denegantem, acrius alibi mortem carpit diſſuadentem: quia alibi integriores erant errantis vires, & merebatur aſperè tractari error; at alibi, etſi negatio acre mordenſque medicamentum exigeret, negantis debilitas nullatenus ſuſtineret: *Nutu erigens ad lachrymas prouocauit.*

Marci 8. v. 33.

Lucæ 22. v. 61.

Chryſoſt.

15. Cùm dæmon pueruli pectus intraſſet, & ſæuis cruciatibus, vt pro more habet, diſtorſiſſet, pater dolore grauiſſimo ictus, vt opem depoſcat, denuntiat Chriſto calamitatem: *Magiſter attuli filium meum ad te habentem ſpiritum mutum.* Quid tunc Dominus? Patrem aſperrimis verbis carpit, & eius incredulitatem reprehendit: *O generatio incredula, quamdiu apud vos ero, quamdiu vos patiar?* Filius de imperio Domini allatus eſt, & ad Domini præſentiam ſic illum nequam ſpiritus inflammauit, vt in terram volutaretur æſtu inenarrabili exagitatus, & dolore acerrimo ictus: *Eliſus in terram volutabatur ſpumans:* hîc Dominus blanda voce ſpiritui comminatur, nec puerum carpit, dum ſanitati reſtituit: *Comminatus eſt ſpiritui immundo dicens illi: ſurde, & mute ſpiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo.* Si Patrem, etſi non plenè, credentem tamen, vtpote qui filium attulerat, adeò ſeuerè de incredulitate carpſit, cur puerum de admiſſo dæmone acriter non reprehendit, aut cur terribili voce morbo non occurrit? Hic profectò videbatur neceſſaria ſeuera diſtrictio, ibi blandior reprehenſio; & tamen Dominus patrem obiurgat acriter, & filio medetur leniter. Profectò ipſa dubitatio eſt ſolutio. Pater credebat, etſi credulitatem tantiſper obſcuraret: illi ergo vtpote robuſtiori, quam exigebat culpa, medicinam exhibuit; at filio leniùs medetur quia puerulus & ſpumans, & quia tunc à dæmone exagitatus. Hic ergo lenitate erat opus, ne ſi aſpera medicina irritaſſet impatientem, firmaret impuratum ſpiritum habitantem: puerulo erant ad ſuſtinendam medicinam exiguæ vires, maiores patri, eaque ſapientiſſimus medicus vſus peritia eſt, vt remedia viribus attemperaret, ne artis adeò ſalubris ſtudium perderet. Innuit Beda apud D.Thomam: *Ignis ad feruorem iracundiæ referendus eſt, aqua ad voluptates carnis, quæ diſſoluere mentem per delicias ſolent; non autem puero, qui vim patiebatur; ſed dæmoni, qui inferebat, comminatus eſt: quia qui peccantem emendare deſiderat, vitium vtique increpando, & execrando debet extermina[re], ſed hominem amando refouere.* Puer in ignem miſſus iracundiæ ardoribus æſtuabat, in aquam iactatus deliciis addictiſſimus inſaniebat: & quia vti inſanus & iracundus auſteri medicamenti non erat capax, Dominus lenitate refouit, & affabilitate ſanauit. Pater acri obiurgatione fidem amplexus eſt teſtante ipſo: *Credo Domine*; at filius eo tunc remedio periret: quia aſperitate exacerbatus medicamina recuſaret.

Marci 9. v. 16.

Beda.

---

§. VI.

Pœnitentia homines excudit ad ſpeciem ipſis Angelis ſuperiores.

EA eſt pœnitudinis dignæ natura, vt homines prorſus reformet, & impreſſam Numinis imaginem mirè reſculpat; in Deum vtpote omnis bonitatis originem, vmbræque malitiæ prorſus expertem pœnitentia non cadit, quæ eſt damnandæ alicuius actionis retractatio; verùm ſic diuinos oculos allicit, ſic gratiam Numinis promeretur, vt in ſeipſo pœnitentiæ nomen dicarit, quod homines efficaciùs allexerit: *Deus*, aiebat Tertullianus lib. de pœnit. cap. 1. 16.

Tertull.

Digitized by Google

capite 1. *Poſt tot ac tanta delicta humana temeritatis à Principe generis Adam auſpicata, poſt condemnatum hominem cum ſaculi dote, poſt eiectum paradiſo, mortique ſubiectum, cùm rurſus ad ſuam miſericordiam maturauiſſet, iam inde in ſeipſo pœnitentiam dedicauit.* Miſericordia matrem agnoſcit pœnitentiam: ergo ne miſericordia maturitate careret, pœnitentiam in ſeipſo quadam tenus ſuſcepit, & iam reſciſſa ſententia priſtinarum irarum pactus eſt imagini ſuæ ignoſcere, & multis bonitatis ſuæ largitionibus refouere. Itaque ferè vnicus titulus humanæ ſalutis pœnitentia eſt, quæ ſolùm amiſſa reparat, gratiam redintegrat, naturam reformat; ſed eò homines aliquando eleuat, quo nunquam aut tardè aſcenderent, ni pœnitudinis acceſſiſſet auxilium, & ſalutaris retractationis ſuffragium. Ante pœnitentiam homines inueniuntur ipſis dæmonibus inferiores, poſt pœnitudinem iam non ſolùm Angelis coæquales; ſed aliquando, ſi fas eſt dicere, ſuperiores. Ecce ad flentium locum aſcendit Angelus: *Aſcendit Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium.* Locus ille fletus adeò excelſus eminet, vt Angelus dicatur aſcendere, & ad ſpeciem extolli: quaſi flentes non ſolùm Angelorum promereantur conſortium; ſed ſi dicere liceat, elatius occuparint faſtigium: *Aſcendit, dicitur,* ſcribit Hugo, *quia Angelorum ſemper eſt aſcendere.* Adeò alti inueniuntur flentes, vt Angelus quaſi inferiori loco degens dicatur aſcendere, & plurimum, ſi fletus locum occuparit, probetur ad noſtram eruditionem proficere: *Aſcendere dicitur, quia Angelorum ſemper eſt aſcendere.* Liceat hic velitari ad mores componendos, & ad peccatores pœnitudini conciliandos.

Hugo.

17. Dauid ſuper Cherubim Dominum volaſſe teſtatur: *Aſcendit ſuper Cherubim & volauit.* Audis Cherubinos ſupremum ordinem attingentes de veſtigiis Domini feliciſſimos prædicari, & honeſta vanitate plantis Dominicis inſeruire: tranſi modò cogitatione ad paſtorem illum, qui cum ouicula deerraſſet, diligentiſſime perquiſiuit: & humeris patientia baiulatrice ſuſcepit. *Cùm inuenerit eam, imponit in humeros ſuos gaudens.* Quam diſſimilem ſortem ouis & Cherubim videntur adepti. Hoc ſanè non inſolitum, ſi de ſæculi fuiſſet ſtylo, vbi conculcari ſolent abiectè pretioſa, & haberi magni viliſſima. Rudis ouis inſcendit, quem ſcientiæ plenitudo locum non obtinet: Cherubim deſeruit plantis, recula geſtatur humeris; verùm cùm hæc omnia fuerint arcana, quærendum eſt, cur altiorem Cherubinis locum obtinuerit ouis. Tertullianus de pœnitentia cap. 8. in oue illa ritè pœnitentem exprimi autumat; adeoque pœnitentia olim deerrantem eleuauit, vt humeros paſtoris inſcenderit: *Errat & vna paſtoris ouicula; ſed grex vna charior non erat, vna illa conquiritur, vna pro omnibus deſideratur, & tandem inuenitur, & humeris paſtoris ipſius refertur.* Ne putares ouem, quam pœnitentia reſtituit, à paſtore depretiari, humeris impoſuit, & altiorem ipſis Cherubinis locum conceſſit. Adſtipulatur Baſilius Seleucienſis orat. 16. *Vbi mihi, inquit, ouis vnice chara? Vbi gregis decus? Non vſque adeò lætor præſentibus, vt ob vnius abſentiam maceror: qua ratione eius erroribus fidem ſtatuam? Tantùm ſe reddat oculis noſtris, humeroſque inſcendat.* Quæ ſe abiuratis erroribus paſtoris oculis reddidit, Cherubini altiorem locum ad ſpeciem occupauit. Ergo animum non deſpondeas, ſi vanis criminibus prægrauatus; ſed pœnitentiæ ſuſcipe patrocinium, quo altiſſimum obtinere poteris locum.

Pſal. 17. v. 11

Lucæ 15. v. 5

Tertull.

Seleuc.

Hoc ipſum ſuffulciat prodigus ille, qui appetitus inſaniis impulſus, & deliciis voluptatis illectus patrem contempſit, ſed cum opes paternas profudiſſet, cùm inquieti gregis attritus gemere compelleretur laboribus, in ſe reuerſus paternam domum repetere ſtatuit, & pœnitentiæ opem implorans accedit: *Peccaui in cælum & coram te: iam non ſum dignus vocari filius tuus.* Pœnitentiam pater recipit libens, vitulum apponit peroptimum conuiuio gaudium ſuum exornans, & prima ſtola filium nobilitans; Dixit pater ad ſeruos ſuos: *Citò proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius.* Inquiramus qui redeunti filio ſerui miniſtrarint, & officia ſeruitutis præſtiterint. Theophylactus apud Diuum Thomam intelligit Angelos: *Seruos Angelos intelligas, adminiſtratorios ſpiritus.* Verùm huic interpretationi nomina videntur obſtare, quandoquidem probarent prodigum ipſis Angelis anteire. Et quidem Paulus ex nominibus perſonarum differentiam arguit, vt Chriſtum Angelis præſtantiorem probet, *Tanto melior* (verba ſunt Pauli de Chriſto loquentis ad Hebræos) *Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit: cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu?* Ergo ſi nominum diuerſitas, & perſonarum prodit diuerſitatem, cùm Angeli ſeruorum ſortiantur titulum, & prodigus filij ſortiatur vocabulum, iam ipſis ſpiritibus honore anteibit, & præ Angelis ipſis lucebit. Sed inquiramus, ſi placet cur ad ſpeciem Angelis præferatur, quando Angelus eximiis naturæ dotibus, & conditionis nobilitate longè excelluiſſe videtur. Tertullianus de pœnitent. capite 8. hoc pœnitentiæ digniſſimè adſcribet: *Prodigum filium reuocat, & poſt inopiam pœnitentem libens ſuſcipit...... is ergo te filium ſuum etſi acceptum ab eo prodegeris, etſi nudus redieris, recipiet, quia redieris.* Vbi ingemit prodigus, iam eſt filius, & dum filius, ad ſpeciem præ Angelis honoratus, quando illi opipara parantur conuiuia, & illi ſeruitutis præſtant obſequia. Hoc profectò per hyperbolem dictum accipe, velim tamen intelligas aliquando reuera ſic homines pœnitentiæ auxilio eleuari, vt à veritate non aberret, qui meritis aliquos Angelos teſtetur vincere. Ecce in patris domo Angeli ſeruorum ſortiuntur vocabula, cùm rediens per pœnitentiam prodigus, filij & quidem dilectiſſimi adipiſcatur elogia, & opipara præparentur illi conuiuia. Iam vocat patrem: *Pater peccaui in cælum & coram te:* vt citatus dicat Tertullianus: *Tantum releuat confeſſio delictorum:* & Chryſologus ſerm. 5. *Filius ſurgit plus de venia, quàm corruit de reatu.* Quid exaggeratius?

18.

Luc. 15. v. 21.

Theophyl.

Hebr. 1. v. 4.

Tertull.

Chryſol.

19. Ad paradiſi ianuam Cherubim collocatum audio flammeo obarmatum gladio: *Eiecitque Adam, & collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubim & flammeum gladium, atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* Cæleſtis illa

Digitized by Google

illa virtus, ſpiritus ille Seraphicus ante ianuam collocatur: felix qui vel in paradiſi atrio ſtetit, & officia, quibus perſiſtere mereretur, exhibuit. Sed videamus, ſi placet, quem locum obtinuerit latro ille Chriſti collateralis, & paſſionis ſocius, qui pendebat in ligno duro diſcruciatus tormento. Sua ſibi patientia ad ſpeciem Dominus detrahebat, quando ſceleſto iudici non refragabatur, quando ſignabat ora ſilentio probris dehoneſtatus, & calumniis plurimis impetitus. Nec ſolùm Principes ſacerdoteſque, quos dementarat inuidia iniurias in Dominum effutiebant; ſed latronum etiam alter tolerantiam dehoneſtabat. O quàm augebatur tormentum de extrema perſonæ vilitate quando ſumma miſeria eſt ab abiectiſſimis derideri, & ab obſcuriſſimis hominibus ſubſannari, verùm inter tot æmulationis deliria beatus ille latro, cui cæleſtis lux in occaſu viuidior luxit, ſocij audacem temeritatem repreſſit, ſuamque nequitiam exertis verbis confeſ-
Lucæ 23. v.41. ſus innocentiam Domini prædicauit: *Et nos quidem iuſtè: nam digna factis recipimus, hic verò nihil mali geſſit:* Nec contentus eſt crucifixi innocentiam conteſtari; ſed diuinitatem rogando non erubuit etiam fateri: *Dicebat ad Ieſum: Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Quid tunc benigniſſimus Dominus pro ſua pietate? Non ſolùm ſpopondit paradiſum; ſed quod optabilius erat, ſui ipſius etiam conſortium: *Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiſo.* Quàm largi benignitatis patebant fontes; imò quàm diſruptæ largitatis cataractæ, quando latro plus quam præſumpſit, accepit. Verùm expendamus cur latro amœniora paradiſi obtinuerit, cùm Cherubim ad ianuam tot ſæculis inſeruierit: ſi Cherubim cæleſtis miniſter origine nobiliſſimus, de ſuo purus, ſemperque perfectus paradiſi limen occupat, & illic ſe feliciſſimum putat, cur latro citiùs adipiſcitur maiora, & quæ nec Cherubicis ſpiritibus ſunt conceſſa? Quia latro pœnitentiæ alas aſſumpſit, adeóque altè his plumis volauit, vt vel Cherubinos tranſgreſſus fuerit:
Ambroſ. *Pulcherrimum datur*, aiebat Ambroſius apud D. Thomam, *affectanda conuerſationis exemplum: quàm citò latroni venia relaxatur; citò ignoſcit Dominus, quia citò ille conuertitur, & vberior eſt gratia, quàm precatio.* Conuerſus, de commiſſiſque dolens eam apud Dominum gratiam inuenit, vt ante totum orbem introduxerit, & Cherubinis ipſis ad limen reſidentibus altiorem ac interiorem ſedem conceſſerit. Sic poſſunt homines de honeſto pœnitudinis artificio vel Angelos ipſos præcedere: ſic poſſunt Angeli pœnitentium locum vtpotè celſiorem ambire.

§. VII.

Ex morum puritate ſacerdos niteat, ſi aliis cupit vtilem inſpirare doctrinam, vt naturam oculis repræſentet Angelicam.

CAſtitas omnium eſt virtutum concinnitas, nec intereſt hoſtilibus diteſcat exuuiis, qui huius virtutis non emicat excellentiis: qui ſe cæteris ſpectabilem præbere molitur, puritatis poſſidere prærogatiuam conetur: nam vt præ aliis difficilis, ita cultores ſuis præ aliis ſemper reddidit commendabiles: 10.
Cùm Megabates Mitridatis filius forma eximia Ageſilaum adiiſſet, à quo amari ardenter videbatur, quam exoptabat gratiam, non inuenit, cumque amici cauſam ab Ageſilao ſciſcitarentur, teſte Plutarcho in apophthegm. Plutarch.
reſpondit: *Ego iſta vincere præopto, quàm muniti ſſimam hoſtium vrbem expugnare*; imò vt hoſtes expugnaret, ſe caſtimoniæ integritate muniuit: nec enim mollitie reſolutus hoſtes impetere poſſet armatus? vires namque eneruat laſciuia, & expectorat robur incontinentia. Dum maritalem torum ſine caſtitatis iniuria Dauid fortiſſimus occupat, aduerſariorum manus eludit fuga: *Aufugit, atque* 1.Reg.19. v.12.
ſaluatus eſt, cum nondum vxoratus; ſed cælibem vitam agens caſtitatemque excolens in confertiſſimos aduerſarios inuicta auderet valentia, de proſtratique monſtri celebri coronaretur victoria: *Feſtinauit Dauid & cucur-* 3.Reg.17. v.48.
rit ad pugnam ex aduerſo Philiſthæi. Currit puritate ornatus ad pugnam, quia certam triumphorum præuidit gloriam, fugit triumphis glorioſus: quia ipſo maritali toro quodammodò bellica fortitudine orbatus. Quod ſi pugnanti aduerſus hoſtes viſibiles caſtitate eſt opus, quam erit neceſſaria contra nequitias in cæleſtibus militi. Diſertiſſimus Conſtantinianus in edicto ad Silueſtrum ſic ſcribebat: *Vt ampliſſimè Pontificale decus præfulgeat, decernimus & hoc: clericorum eiuſdem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ manipulis & linteaminibus candidiſſimo colore decorari equos, & ita equitare.* Quidquid ad ſacerdotem pertinebat, niueo voluit retuliſſe candore, vt vel externa munditiеs teſtaretur animi puritatem. Tertullianus lib. de orat. cap. 3. Dei miniſtros vti eius thronum circumſtantes Angelica voluit puritate fulgere, & puritatis Angelicæ luminibus candicare. Cui illa Angelorum circumſtantia non ceſſet dicere: Sanctus, Sanctus, Sanctus; proinde igitur & nos Angelorum, ſi meruerimus, candidati iam hinc cæleſtem illam in Deum vocem, & officium futuræ claritatis ediſcimus. Neceſſum eſt poſſideat Angelici candoris elogium, qui Angelicum exercere tenetur officium: nam ſi Angeli clamant, ſi thura offerunt in olympo, idem eſt ſacerdoti munus in ſæculo. Populus Hebræorum cupiditate obcæcatus pro Numine bruta coluit, & viuere cultores idolorum permiſit. Et quomodo poterat punire idolo-

 latriæ,

latriæ deliria, ſi idololatriæ præſtiterat ipſe exempla? Verùm ſacerdos, cui Dei honor erat ſtudio in vitia acerrimè inuehitur, & populum ab erroribus liberare conatur: *Aſcendit Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium.* Quis fuerit hic Angelus interpretibus eſt quæſtio. Hugo Phinees fuiſſe tradit: *Dicunt Hebræi hunc fuiſſe Phinees, qui vocatur Angelus Domini.* Quàm dignè honorabatur ſacerdotio, qui Angelico nobilitari meruit & titulo! Phinees ſic laſciuiæ intemperantiæque hoſtis inueniebatur acerrimus, vt vno ictu ſcelus adeo pro ſerpens abſcinderet, & Numinis iram placaret: hic ergo populum ad verum cultum allexit, hic tenebrarum caligines effugauit: quia Angeli ad inſtar Angelica puritate reſplenduit: ibi popularis auditur fletus: *Ad locum flentium*, vbi ſacerdos candicat Angelus. *Aſcendit Angelus, Phinees vocatur Angelus Domini.* Hugo.

21. Chriſtus Dominus, vt deprauatos mores correxerit, vtque populum ad eximium ſanctitatis ſplendorem adduxerit, totus videtur eſſe in ſacerdotibus reformandis ac illorum vel minimis fæcibus excoquendis. *Ipſe*, inquit Malachias, *quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum, & ſedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quaſi aurum, & quaſi argentum.* Huius effectus purgationis ſubiungit: *Et erunt Domino offerentes ſacrificia in iuſtitia: & placebit Domino ſacrificium Iuda, & Ieruſalem ſicut dies ſæculi, & ſicut anni antiqui.* Iam aurea redeunt tempora, iam ſaturnia, dum filij Leui purgantur; ſed qui ſaluator omnibus venerat, cur in ſolis purgandis Leuiticis occupatur? Expurget omnes, vt virtutis regnum latius patuerit, & vitium longè exularit. Profectò idem fuit ſacerdotes omni fæce liberos conſtituere, & ſceleribus mundi bellum inferre: *Eſt herba fullonum*, ſcribit Hieronymus hîc, *vt lotis munditiam reſtituat, & lauet ſordes filiorum Sion. Per filios Leui ſacerdotalis intelligitur dignitas.* Omnibus eſt fullonum herba, dum ſacerdotalis dignitas reſplendet purgata, & argenti candori ſimillima. O quàm cæteri omnes Deo placebunt de ſacerdotum occurſu eruditi, & de candore ad virtutes allecti. Seraphinus Iſaiæ labia purgauit, & dum prophetæ labia purgantur, ad virtutem multi erudiuntur. Quàm feliciter aliorum peccata purgat, qui Angelicam naturam refert, & quàm edidiſſe nequit officium, qui Angelicæ puritatis non ſortitur elogium. Malach. 3. v. 2. Hieron.

22. Poſtquam cœleſtis agnus ſigilla illius voluminis diſſoluit ac rupit, iam expanſis oculis myſteria intuetur Ioannes: equum videt albo candore nitentem, ſeſſoremque geſtantem triumphis redimitum, & victoriis coronatum: *Et vidi, & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper illum, habebat arcum, & data eſt ei corona, & exiuit vincens, vt vinceret.* Varios equorum adſpexit etiam ſeſſores; nullum tamen triumphali decoratum palma, nec bellica nobilitatum corona. Et cur præ aliis primus corona donetur, & exuuiis hoſtilibus redimiatur? Quia equi color puritatis indicabat nitorem: vbi Dei Verbum caſtiſſimum ſortitur equum, vincit, & proſternit vitia, & triumphali fulget corona. *Ecce equus albus*, ſcribit Richardus apud gloſſam, *prædicatores vbique Deum ferunt.* Adſtipulatur Lyra. *Per equum album intelligitur cœtus Apoſtolorum dealbatus ſanctitate vitæ.* Iam in ſeſſore Chriſtum intelligi nulli dubium. *Qui ſedebat ſuper illum*, ſcribit Lyra, *Chriſtus.* Ecce vbi Chriſtus equum puritate candidiſſimum habuit, vniuerſum orbem edomuit. *Exiuit vincens vt vinceret*, addit Lyra, *per totum orbem ſubiiciendo ſuæ fidei iugo colla gentium.* Quia niger equus quibuſdam vitiis, vt Interlineari placet, *offuſcans ſua opera quibuſdam vitiis.* Suam maculauerat vitam, ſeſſoris impediuit victoriam. Caret equitans triumphali palma, ſi equus non candicauerit vita; at vbi equum inſcendit album, iam & potitus eſt triumphum. O quantas Chriſto coronas impediunt, qui degeneri conuerſatione Apoſtolicum munus infuſcant! O quantas offerunt, qui de puritatis candore clarant! Felix Reſpublica vbi ſacerdotes ſunt Angeli, & fortunati Rerumpublicarum Angeli, ſi Angelicos ſortiti ſint ſacerdotes. Apoc. 6. v. 2. Richard. Lyra.

23. Notabam apud Malachiam Dominum ſerui ad inſtar laboribus fatigati queri: laborare feciſtis Dominum in ſermonibus veſtris. Audis laboribus quaſi attritum, audi ſtatim throno præcelſum; *Statim*, inquit, *veniet ad templum ſuum dominator.* Iam pungit ſcrupulus: Cur qui nuper ſeruus, exiguo appelletur tempore Dominus? aut cur qui throno reſplenduit Dominus, laborarit vt ſeruus? Profectò dubitationem ſoluit, quod ante elogium dominatoris adiunxit: *Ecce ego mittam Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* Et ſtatim veniet ad templum ſuum dominator. Huius Angeli nomine deſignari Baptiſtam ſacris litteris eſt expreſſum. *Hoc interpretatur Dominus*, ſcribit Interlinearis, *in Euangelio de Ioanne Baptiſta.* Annuit gloſſa moralis: *Iſtud litteraliter exponitur de Ioanne Baptiſta; moraliter autem exponi poteſt de bono prædicatore, qui dicitur Dei Angelus, id eſt eius nuntius, qui præparat mentes audientium ad hoc quod ibi veniat Chriſtus.* Sine prædicatore Angelo laboribus incumbebat vt ſeruus; at dum prædicator Angelica nitet puritate, Dominus excelſa reſplendet ſede: iam aſperrima complanantur, iam deuia ad regulam rectitudinis diriguntur, iam indignè humillima ad decentem altitudinem eleuantur, & fulget Dominus qui antea licet eſſet Dominus, obſcurabatur vt ſeruus. Profectò Chriſtus Dominus à ſe ſemper ſortitur imperium; verùm ob prædicatorem Angelum imperij videtur obtinere exercitium. Qui ſemper Dominus, aliquando ſolùm proditur dominator: quaſi tunc ſolum quiuerit dominari, dum conſtat Angelico ſacerdote potiri. Aſperrima Ioannes in planas deducebat vias, dum aulicos virtutis cogebat intrare ſemitas: *Egrediebatur ad eum omnis Iudæa regio, & Ieroſolymitæ vniuerſi, & baptizabantur ab illo in Iordanis flumine.* Vitæ ſanctitate aulicos ſine violentia cogebat: quia Malach. 3. v. 1. Interlin. Gloſſ.

quia non poterant reſiſtere exemplorum energiæ, quantumuis conarentur ſtudere pertinaciæ: & ob id impia prudentia decreuit Herodes, ne cogeretur abiuraſſe intemperantiam, Baptiſtæ abſtuliſſe vitam: quaſi hæc duo prorſus ſibi aduerſentur, & opponantur, peccati regnum, & Angelici concionatoris officium: certè aut laſciuiæ furor extinguendus, aut capite concionator erat truncandus. Chryſol. *Quod verbo aſſerit*, aiebat Chryſologus ſermone 167. *demonſtrat exemplo: magiſterium ſtat de ſcientia; ſed magiſterij authoritas conſtat ex vita: docenda faciens obedientem perficit auditorem, docere factis ſola eſt norma doctrinæ: doctrina in dictis ſcientia eſt, in factis virtus* Baptiſtæ doctrinæ à vita ſugebat efficaciam, & ab exemplo energiam. Et quis poterat obſcurari ciborum ingluuie, quando adſtabat Baptiſta ieiuniorum exuccus fame. Hic hic recuperauit iam regnum, quod Domino per ſerpentem videbatur amiſſum.

Norma doctrinæ eſt factis docere.

24. A mundi exordio immenſum telluris ſtetit pondus Domini verbo ſuffultum: cœlum appenſum eſt ſtellarum luminibus conſitum, liquor micabat puriſſimus: hîc ſpiritus dignum ſibi conſtituit thronum, & ſtabiliuit dominium: *Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas.* Gen. 1. v. 2. Columbæ ſpecie equitaſſe ſuper liquorem, tradunt ſcripturæ interpretes, & ſacri Patres; verùm vt omnia infecit peccatum, iam candida aquas deſeruit columba; repetiuit tamen Iordanis fluenta: *Vidi ſpiritum Dei deſcendentem ſicut columbam.* Matth. 3. v. 16. Et cur antiquas iteret ſedes, & cur præ cæteris fluuiis Iordani inſiſtat? Nonne vri nobiliores Syriæ celebrati ſunt riui? Aliis ergo etiam inſederit vndis, nec ſolùm Iordanis equitarit fluentis. Profectò vbi concionator Angelus immoratur, ibi columbæ regnum reſtitutum refertur: inſtaurauit Baptiſta prædicando, quas turbarat aquas ſerpens mentiendo. Chryſoſt. *Columba*, ſcribit Chryſoſtomus apud Diuum Thomam, *apparet liberatorem nobis demonſtrans, & pro ramo oliuæ adoptionem generi humano affert.* Vbi Ioannes Angelica puritate nitens prædicat, columba liberatorem à culpa oſtendit, & regnum antiquum adit. Reſtitutum eſt regnum columbæ, quia iam flumen à Ioanne didicit ſeruire pietati. Chryſol. *Quid eſt*, aiebat Chryſologus ſermone 160. *quod Iordanis; qui fugit ad præſentiam legalis Arcæ, ad totius Trinitatis præſentiam non refugit? Quid eſt? Quia pietati obſequitur, incipit non eſſe timori: hîc Trinitas exercet gratiam totam, totam ſecum loquitur charitatem, ibi elementa corripit, vt ſeruulos inſtituat ad timorem: Inter hæc talia & tanta intrepidus ſtat Ioannes.* Vbi Ioannes emicat purus, vbi docet intrepidus, ibi tota Trinitas dominium creaturarum oſtentat, & illuc columba volat.

§. VIII.

Magnum Dei beneficium eſt concionator vitia carpens, grande flagellum aures ſuauitate demulcens.

IN cordis humani campo inſita ſunt virtutum ſemina, & iniuſſa peccatorum vireſcunt gramina. 25. Opus eſt ſapiente, qui dextera reprehenſionis falce hæc demetat, quique illa conſiliorum cultura foueat: viget virtus, dum aduerſus improbitatem clamat concionator conſtanter erectus; marcebit, ſi propriam ſolùm laudem quæſiuerit ambitioſus. Grande certè Reipublicæ beneficium eſt concionator viriliter pro veritate contra inſanos vulgi fremitus clamans, & tramitem rectum demonſtrans: vt ſupplicium grande adulandi ſtudioſus, propriæ gloriæ vaniſſimè cupidus. Quàm benè Seneca epiſtol. 114. *Quare quibuſdam temporibus prouenerit corrupti generis oratio, quæris, & quomodò in quædam vitia inclinatio ingeniorum facta ſit, vt aliquando inflata explicatio vigeret, aliquando infracta, & in morem Cantici ducta.... talis hominibus fuit oratio, qualis vita: quemadmodum autem vniuſcuiuſque actio dicenti ſimilis eſt, ſic genus dicendi aliquando imitatur publicos mores.* Seneca. Annectit Stoicus Chriſtiano oratore digna: *ſi diſciplina ciuitatis laborauit, & ſe in delicias dedit, argumentum eſt luxuria publica orationis laſcinia:* quaſi dicat Stoicus: Vis ſcire quàm corrupti publici mores ad ſæuam vindictam Numen excitauerint? Attende oratores, in modum cantici conciones componentes, vt non tam videantur carpere, quàm mulcere: *Argumentum eſt luxuria publica orationis laſcinia:* nimis excultus dicendi modus prorſus eneruis eſt ad frænos iniiciendum laſciuiæ: quia nequit amputare quod laſciuiente cenſetur oratione ſuadere. *Omnia bona*, aiebat Caſſiodorus 7. variarum 13. Caſſiod. *cumulat lingua diſerta, & quod à nobis præcipitur, gratia dictantis ornatur. Eſto nobis ad bona ſuggerenda promptiſſimus, & aduerſus improbitatem malè præſumentium conſtanter erectus. Dicet iam auribus noſtris, quod eſt omnino pro nobis.* O quàm vtilis Reipublicæ eſt, qui illi ſuggerit, quod eſt pro illa! Quàm virulenta peſtis, quæ vitia palpat! *Habes magna*, addit ibi Caſſiodorus, *quæ dicas, etſi tu ſimili oratione reſplendeas: fama temporum de legitima atque eloquente iuſſione generatur.* Vis noſſe quæ aurea ſæcula? Vis ſcire quæ infortunata? Euangelicos attende concionatores: ſi legitima oratione ſunt vſi, aurea tempora reuocarunt; ſi adulterata, & infelicia inuexerunt. Quàm disertè Seneca epiſt. 94. ſub finem. Seneca. *In medio vrbium fremitu collocati ſumus: ſtet ad latus monitor, & contra laudatores ingentium patrimoniorum laudet paruo diuitem, & vſu opes metientem. Contra illos qui gratiam ac potentiam attollunt: otium ipſe ſuſpiciat traditum litteris, & animum ab externis ad ſua reuerſum.* Plurimum valet monitor, ne abducamur à vitiis; ſed deputemur honeſtis. Ecce populi ſui miſertus Dominus ſpecie iræ miſericordiam oſtentat; & qui vitia carpat, Angelum mittit: *Aſcendit Angelus Domini de Galgalis, ad locum flentium.*

Cuiuſque oratio vitæ ſimilis eſt.

Non minus probatur Angelus à Deo miſſus, dum vitia ſeuera oratione carpit, dum ad gemitus excitato dolore impellit, quàm dum hoſtiles inſultus abigit, dum aduerſarium propellit. Profectò ſua in populum beneficia commendauit Deus, dum Angelum miſit, qui opaca nube torridos Solis arceret æſtus, quique placida luce oſtenderet depulſis tenebris periculoſos fugere viarum anfractus, dum nube vti ſcuto tectus contra Pharaonem pugnauit, & populum in libertatem aſſeruit: *Tollenſque ſe Angelus Dei, qui præcedebat caſtra Iſraël, abiit poſt eos* [Exod. 14. v. 19.]: at non inferius fuit beneficium Angelum miſiſſe, qui ſeuerè vitia carperet, & populum ad pœnitentiam impelleret. Et quidem populus ſi egreſſus de Ægyptiaco ergaſtulo victimas ſeruatori dicauit: *Cum eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo ſuper montem iſtum* [Exod. 3. v. 12]: hîc etiam victimas obtulit: *Immolauerunt ibi hoſtias Domino*: quaſi ſimile fuerit beneficium ſortiri pia ſeueritate vitia carpentem, ac de marinis vorticibus liberantem. *Immolauerunt ibi hoſtias Domino*, ſcribit Abulenſis [Abulenſ.] quæſtione 7. *quia Angelus apparuerat*. Oſtenderunt gratitudinis argumentum, quia grande ſe accepiſſe agnouerant beneficium. Iam è contra ſi concionator dulciſona ſolùm aures oratione titillet, Deum grauiter iratum oſtendit.

26. *Humiliaſti nos*, aiebat Pſaltes, *in loco afflictionis* [Pſal. 43. v. 20] Diuus Chryſoſtomus, & Diuus Ambroſius ex Aquila transferunt, *in loco Sirenum*. Ecce afflictionis eximiæ locus, quem Sirenes inhabitant: ibi namque humana corda verſus terrena humiliantur, & Dei ſemitarum obliuiſcuntur. Ecquis hoc aſſerat? Ipſe Pſaltes: *Declinaſti ſemitas noſtras à via tua*. O quanta mala induxere Sirenes? vbi habitant, eſt afflictionis theatrum, & infelicitatis emporium. Sed conſulamus circa Sirenes antiquos. Finxit antiquitas Sirenas cantus melodia à recto tramite nauigantes abducere, adeoque delinire, vt errores ſuos ambitioſè proſequerentur, nec iam timerent ſcopulorum pericula; imò ſollicitarent naufragia. Adeſt opportunè Caſſiodorus [Caſſiod.] 2. var. 40. *Sirenas in miraculum cantaſſe curioſa prodit antiquitas, & quamuis nauigantes fluctus abduceret, carbaſa ventus inflaret, eligebant ſuauiter decepti ſcopulos incurrere, ne tantam paterentur dulcedinem præterire*. Debuiſſent Sirenes per inuia liquoris itinera aberrantes in portum dirigere imprudentiam monitis corripiendo, & præcipitabant cantando: ab obiectis ſyrtibus non auertebant perituros; ſed impellebant cantu oblectatos. Hunc ergo locum eximiæ afflictionis appellat Pſaltes: *Humiliaſti nos in loco Sirenum*. Quia non poterant non perire, dum tales illis contingebat monitores habere! O quam infortunata erunt tempora! O quam plena miſeriis loca, ſi pro monitore cantent Sirenes, ſi demulceant melodia, qui pia deterrere debuiſſent ira!

27. Mundi redemptionem citiſſimam deſignauit Baptiſta, & Gabriel, vt indubium incarnandi citò verbi protulerit teſtimonium, Ioannem atteſtatur conceptum: *Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei, & ecce Eliſabeth cognata tua & ipſa concepit filium in ſenectute ſua* Vocem ſecutum eſt verbum, vt iam lux adeò denſas calamitatis tenebras depelleret, & felicitatem vocaret. Sed videamus quod Baptiſtæ munus? Pœnitentiam prædicare: *Prædicans Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum*. [Marci 1. v. 4] Non poterat talem ſortita monitorem, citiſſimum remedium Reſpublica non habere, & candidiſſima luce frui. Quàm in proximo appetebat felicitas, dum concionator adſtabat conſtantiſſimus pro virtute, dum non aſſentabatur Principibus; ſed bellum inferebat erroribus. Maius, quod homines à cælo acceperunt munus, fuit Verbum incarnatum, & huic beneficio proximum extitit, ſortiri in vitia prædicatorem acerrimum: prædicantis vox clariſſimum fuit felicitatis auſpicium, & indubium argumentum. Adeſt Chryſologus [Chryſol.] ſermone 167. *Beatus Ioannes, qui pœnitentia iudicium voluit præueniri, peccatores non iudicium voluit habere; ſed præmium: impios voluit regnum intrare, non pœnam, & tunc Ioannes vicinum cecinit regnum cælorum*. Non poterat non cælorum regnum propinquare, quando cæleſtem concionatorem in vitia conſtabat inuehi. E contra ſi ſacerdotes vitia non depulerint, ſi crimina correctionis vinum non abſterſerit, nihil veritatis æmulis dulcius, nil Chriſti inimicis eſt gratius; imò qui effuſo eius ſanguine, quique Domino in crucem acto inuidentiæ rabiem non ſopiunt, de concionatoribus, de diſcipulis vitia non depellentibus flammas inuidentiæ ſedant, & indignationis ardores placant.

28. Diabolus, vt vno eodemque tormento plurimos ſæuiſſimè diſcruciaret, puerum recens natum inhabitat, quo parentes totamque familiam in gemitus, & clamores conuertat: premebatur innocentia, & parentis creſcebat anguſtia, parens dolore ictus ad diſcipulos inuolat, vt illis, ſi puer curetur, pendat virtutis elogium, aut ſi non curetur, dehoneſtamentum. Apoſtoli non præualuerunt in dæmonem, & pater puero medelam affectans diſcipulorum publicat impotentiam, & Magiſtro inurit notam: *Reſpondens vnus de turba dixit: Magiſter attuli filium meum ad te habentem ſpiritum mutum, qui vbicumque eum apprehenderit, allidit illum; & ſpumat, & ſtridet dentibus, & areſcit: & dixi diſcipulis tuis, vt eiicerent illum, & non potuerunt*. [Marci 9. v. 17.] Petrus Chryſologus [Chryſol.] ſermone 51. quo ſolet ingenij acumine, has modò protuliſſe querelas teſtatur Patrem non tam curationis deſiderio, quàm adulandi inuidiæ Phariſæorum ſtudio: *Iſte non ad Deum venerat; ſed ad magiſtrum venerat, curam non à virtute exigens; ſed ab arte: tarditatem curæ non cauſæ deputans; ſed curanti, impoſſibilitatem diſcipulorum magiſtri imperitiæ aſſignans*. Annectit moraliſſimè: *Iudaico liuori, inuidiæ ſcribarum talem ſatisfaciens per clamorem: & dixi diſcipulis tuis, vt eiicerent eum, & non potuerunt*. Expendamus, ſi placet, cur inimicorum inuidia hoc clamore lætetur, quando adhuc crucifixo Domino abolere titulum conabatur. Aiebant ibi: *Noli ſcribere Rex Iudæorum*. [Ioan. 19. v. 21.] Liuore ardentiſſimo torquebantur, quia regnum Chriſti ſolis litteris aſpexerant exaratum, quantumuis cruci ſpectarint affixum. Adeſt Chryſoſtomus [Chryſoſt.] apud D. Thomam: Iudæi crucifixo inuidebant, vnde ſequitur: *Dicebant ergo Pilato Pontifices Iudæorum: Noli ſcribere rex Iudæorum*. Si ergo copioſo adeò ſanguine non extinguebatur inuidia, ſed quaſi hydrope affecta acrius

Digitized by Google

acrius in regnum deſæuiebat aduſta, cur hoc clamore, his querelis pacata iam deferuet, & quaſi potita optatis non luget? Quia regnum Chriſti, reſpondet Chryſologus, facilius modò crediderunt euerſum, quàm ipſo patibulo obliteratum: audiebant innocentiam à vitiis afflictam, à criminibus diuexatam, apud virtutis patronos, apud criminis aduerſarios non inuenire medelam, nec pati hoſtis adſultus repulſam, & iam ſibi gratulantur regnum Chriſtianum euerſum, quando eos ſortiebatur miniſtros, qui crimina non depellerent, nec innocentiæ dedecora vindicarent. *Non potuerunt eiicere. Iudaico liuori, inuidiæ Scribarum talem ſatisfaciens per clamorem.* O quàm ſecurè ſibi liuor plauderet, ſi hæc Apoſtolorum abigendis dæmonibus impotentia non de incredulorum culpa; ſed de ipſorũ naſceretur ignominia. Quid regno Chriſti Domini poſſet excogitari exitialius, quam eos in vitia ſortiri milites, qui nec illa abigerent, nec virtutes aſſeruarent. Sopiri poſſet inuidia, ſi in Apoſtolis inueniretur ſocordia.

---

§. IX.

Cùm ob exigua geſtiamus erga homines videri gratos, ob beneficia ingentia videri negligimus erga Deum ingratitudine obſcuros.

29. Seneca. MVltos, aiebat Seneca epiſt 93. *inueni æquos aduerſus homines, aduerſus Deos neminem.* Ita ſanè compertum eſt: auerſantur namque homines, ſi aliqua ab hominibus acceperint beneficia, quantumuis leuem ingratitudinis notam incurrere, & ob id exhibitis accuratè officiis omnem ſuſpicionem conantur ſtudiosè detergere? verùm ij ipſi in reddendis homini gratiis quodammodò ſuperſtitioſi, erga Deum inueniuntur ingrati: eius contemnunt præcepta, debita inficiantur officia, nec timent denigrari ingratitudinis nota: *Dij omnium rerum optimi auctores* (verba ſunt Senecæ lib. 7. de benef. cap. 31.) *qui beneficia ignorantibus dare incipiunt, ingratis perſeuerant: alius illis obiicit negligentiam noſtri, alius iniquitatem, alius illos extra mundum ſuum proiicit, & ignauos, hebeteſque ſine luce, ſine vllo opere deſtituit.* Vide quibus relatis gratiis homines beneficia compenſent, & nihilominus Deus more parentum, qui infantium ineptiis non ſolùm parcunt; ſed arrident, non ceſſat beneficia ſpernentibus dilargiri, ingratiſſimis exhibere. Tertullian. *Ingratitudo beneficentiæ exilium eſt.* *Viderit*, aiebat Tertullianus, *ingratia hominum, ſi etiam bonis factis pœnitentiam cogit: viderit &, gratia, ſi captatio eius ad benefaciendum incitamento eſt.* Ne vlteriora beneficia mortales amiſerint, benefactorem officiis promerentur, & cùm à Deo adeo innumera accipiant, laceſſere iniuriis, irritare culpis numquam deſiſtunt. Componamus, ſi placet, Angeli obiurgationem cum libertate illius hominis, qui introitum ciuitatis oſtendit: *Eduxi vos*, inquit Dei nomine, *de Ægypto, & introduxi in terram, pro qua iuraui patribus veſtris.* Audis beneficia, vide quæ retulerint: *Noluiſtis audire vocem meam.* Quam vocem? Scilicet pactum de idolis gentium non colendis, *ita duntaxat vt non feriretis fœdus cum habitatoribus terræ huius; ſed aras eorum ſubuerteretis.* De magnis auxiliante Deo afflictionibus extrahuntur, latiſſimaque hæreditate donantur, & idolis noluut abſtinere grati; ſed colunt iniurij. Vides quales ſe erga Deum geſſerint, attende ergà homines quales. Cùm Luzam obſidentibus quidam occultum aditum oſtendiſſet, illum libertate donant, & muneribus etiam nobilitant: *Hominem autem illum, & omnem cognationem eius dimiſerunt.* ob vnicam ciuitatem gratias homini agunt, ob tot ciuitates & regna Deo non referunt gratias; imò irrogare geſtiunt iniurias. *Intellexerunt* ſcribit Arias Montanus, *hominem illum ſibi non ſine Numinis prouidentia ſingulari obuiam factum morem geſſiſſe, cui, cuiuſque familiæ omni, & ex grati animi officio, & ex beneficij promiſſi amplificatione, atque ex boni euentus interpretatione, denique ex Dei iudicio parcendum, conſulendumque eſſe cenſuere.* Montan. Se gratos erga hominem oſtentarunt, nec quibus pepercerant, nudos aut diſpoliatos dimiſerunt; ſed familiaris rei copia, atque omni ſupellectili inſtructos honorarunt. Itaque ſuam gratitudinem erga hominem oſtenderunt, erga Deum verò ingratiſſima ſe obliuione fœdarunt: frequens eſt hominibus erga homines ingratitudinis vmbram fugere, cùm erga Deum omnem ingratitudinis notam nullatenus vereantur ſubire.

30. Iob irruentium calamitatum vorticibus agitatus immotus perſiſtebat, cùm eius vxor laboribus fatigata, & ærumnarum dolore afflicta innocentiam illi exprobrat, & ad Deo maledicendum inflammat: Iob. 2. 9. Dixit illi vxor ſua. *Adhuc tu permanes in ſimplicitate tua? Benedic Deo, & morere.* Iobi gratitudinem pulſat, vt quæ vxori, quieti, & ſaluti conſulere debeat. Ita Origenes lib. 2. in Iob nomine vxoris: Ego, inquit, vaga, & habitu ancillæ ambulans de loco in locum, & de domo in domum operis cauſa expectans, quando Sol ſubeat, & requiem habeam laborum, & gemituum, qui nunc me apprehẽderunt. Exaggerat labores, vt improba ſuadeat conſilia: quo erga ſic diligentem gratitudinis Iobus ediderit argumenta: *Cum ergo, inquit*, addit poſt non pauca, *hæc vniuerſa perfecerim, atque peregerim; vnum mihi verbum condona; vnum verbum me exaudi, vnum verbum dicito in Dominum, & morere.* Origenes. Ecce validior diaboli machina: mulier erga Iobum refert beneficia, quo Iobus, ne videatur vxori ingratus, erga Deum fiat blaſphemus: hoc namque ſolùm hominibus cordi eſt, accepta ab hominibus compenſare gratitudine beneficia, ne illos ingratitudinis aſperſerit nota: ſed videamus prudentiſſimi Iobi reſponſum: *Quaſi vna de ſtultis mulieribus locuta es: ſi bona ſuſcepimus de manu Domini, mala quare non ſuſcipiamus?* O dignam tanto viro ſapientiam! mulierem arguit & conuincit: quaſi dicat: Si me vrges ob exigua in me collata beneficia, & vel ad mortem impellis, ne cenſear ingratus; quantò æquius eſt, ne erga Deum à quo tot tantaque accepi, apparuerim iniurius. Profectò ſi ingenuum animum cogunt ad gratitudinem beneficia, cùm à Deo accepta longiſſimè à te collata peruincant, rationabilius erit gratum erga Deum animum manſuetudine prodere, quam erga te iactis in Deum maledictionibus iniquiſſimè oſtendere. *Aduerte*, addit Origenes, *ô inſipiens, conſidera depo-*

ſita ſtultitia, ô mulier: Si bona ſuſcepimus de manu Domini; mala autem quare non toleremus? *Gloria, diuitiæ, iocunditas, deliciæ, ſublimitas, honor, & regni ſedes, principatus, & poteſtates, natorum gaudium atque amicorum multitudo hæc fuerunt bona, quæ de manu Domini accepimus.* Maiora ſunt, ſi conferantur, ait, accepta à Domino beneficia, ideò & ad gratitudinem exhibendam debent etiam eſſe potiora: vnde ſi gratitudinem meam citas, vt vel vitæ animæque diſpendio otium tuum procurem; quare vitæ, animæque lucro me erga Deum non exhibeam gratum, à quo tantum beneficiorum accepi cumulum? O ſi ita dæmonis calliditatem vinceremus! Sed proh dolor! Fœmina ob exigua munuſcula ne videatur homini ingrata, non recuſabit pudicitiæ dedecora, nec animaduertit ingentiora ſe à Deo accepiſſe; ſed ſolùm meminit amaſium munuſcula pudicitiæ inſidias donaſſe. Iam, ne prolixitatem faſtidias, alio modo locum expendamus. Iobi vxor, vt gratitudinem erga maritum oſtenderet, à doloribus eximere pietatis etiam iniuria procurabat; ſed illam ingenioſè Iobus coarguit: quaſi dicat: Si impietati ſtudes, vt tuam erga me gratitudinem oſtendas, quia exigua accepiſti commodo, plus cogeris ſtudere pietati, cùm longè maiora à Domino acceperis beneficia. Itaque ea ratione, qua appares grata, & conuinceris cæca, quando maior gratitudo maiori beneficio exhibenda eſt, nec decet exiguum benefactorem promereri generoſioris iniuria, & gratitudinis
Origen. grandi offenſa. *Quare* (verba ſunt Origenis) *ſicut vna ex inſipientibus mulieribus, ita locuta es: à quo ſenſum & ſapientiam accepiſti, hunc criminari non peperciſti à quo prudentiam, & intellectum accepiſti, hunc blaſphemare non timuiſti.* Si exigua beneficia ad tuam erga me gratitudinem delictis etiam oſtentandam compulerunt, cur largiora à Deo accepta ad gratitudinem non vocarunt? Verùm ea eſt mortalis conditio, vt ingratitudinis erga hominem ſubire recuſet notam, nec timeat omnium largitori irrogare audacter iniuriam.

31. Cùm filij Iſraël reportatis de hoſtibus triumphis coronarentur, erga Cinæos ſuam oſtendunt gratitudinem: Cinæi antiquitus Iſraëlitas docuerunt ardua ac periculoſa deſertorum vitare, & modò, vt gratificarint ducatum, com-
1 Iudic. 16. morandi vbi maluerint permittunt electioni
conſilium. *Filij Cinæi cognati Moyſi aſcenderunt*
Numer. 10. v. 31 *de ciuitate palmarum cum filiis Iuda.* Itaque Cinæus, ſeu Hobab olim qua deſerti parte commodiùs caſtra ponerentur, oſtendit: *Tu noſti, in quibus locis per deſertum caſtra ponere debeamus.*
Oleaſt. Oleaſter legit ex Hebræo: *Tu pro oculis nobis fuiſti.* Vt beneficium largitate compenſent, non ſolùm Cinæos à ſe non abiiciunt; ſed commodiori ſede collocant, copioſiorique tribui interſerunt. Tranſi cogitatione ad Exodi 32. vbi populus neceſſariæ Moyſis abſentiæ impatiens deos ſibi producere flagitat & Dei ducatum re-
Exod. 32. v. 1. pudiat: *Fac nobis deos, qui nos præcedant.* Præceſſerat quidem Deus nube illa ad miraculum conſtructa: placida lux horridas obſcuræ noctis
Exod. 13. v. 21. tenebras depellebat, & in modum, formamque tecti oppanſa nubes æſtus candentis Solis temperabat: *Dominus præcedebat eos ad oſtendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, vt dux eſſet itineris vtroque tempore*: Si Cinæos ad ſe vocant, vt beneficia ducatus compenſent, quomodò abiiciunt Deum, à quo de ergaſtulo Ægyptiaco extracti, & per deſertorum inuia greſſibus certiſſimis ducti? Profectò Hobab, etſi per aliquantulum temporis opportuniora figendis tabernaculis loca oſtenderit ſemper non adfuit. Vitare docuit viarum anfractus; ſed ardentis Solis temperare non potuit æſtus: docuit vtiliora eligere; ſed tenebrarum caligines non potuit luce depellere. Si ergo Hobab ob præſtitum beneficium remuneratur, cur Deus poſt tot tantaque beneficia in Hebræos collata reiicitur? Quæ in hominem illos compulerat, potiori iure ergà Deum cogebat gratitudo; quando beneficia humana longiſſimè vincebant diuina; & tamen abiecto Deo optimo itineris magiſtro inania figmenta colunt, & Cinæos ob modica beneficia commodioribus ſedibus, & fundis fœcundioribus munerant: *Præuaricati ſunt in Deum*, ſcribit Hieronym.
Hieronymus apud Lipponian. *adorantes vitulos aureos, & relinquentes eum, qui redemit eos de Ægyptia ſeruitute, & eduxit in excelſo brachio.* Qui in excelſo brachio eduxit, qui vortices marinos ſicca ad veſtigia ſuſpendit, qui lucis ſolatia caligantibus miniſtrauit, qui oppāſa nube torridi ardores Solis eluſit, ingratiſſimè abiicitur, cùm Cinæus ob præſtitum per deſertorum inuia ducatum inuitatus & allectus potiori in parte moretur. Quàm ingenioſè expendebat Tertullian.
id Tertullianus lib. de patient. cap. 2. *Qui florem lucis huius ſuper iuſtos & iniuſtos æqualiter ſpargit, qui temporum officia, elementorum ſeruitia, totius geniture tributa dignis ſimul & indignis patitur ſimul occurrere, ſuſtinet ingratiſſimas nationes, ludibria artium, & opera manuum ſuarum adorantes, nomen cum familia ipſius perſequentes.* Quaſi dicat: Cùm homines ob modica beneficia aliquando officiorum demerant copiam, Deus poſt innumera immerataque ingratitudinis patitur frequenter iniuriam: acceptis à Deo beneficiis ingratiores redduntur, cùm acceptis ab hominibus grati & officioſi reddantur.

---

§. X.

Plures adſpirante fortuna obſcurantur abuſi: quia odium ſibi conflant antiquæ obſcuræ ſortis nullatenus recordati.

IRridebat iure Cornelius Tacitus cultum à Iu- 32.
dæis idolum, quod olim aſinus: *Is*, ſcribit
Tertullianus lib. 2. apolog. cap. 16. in 5. *hiſto-* Tertullian.
riarum ſuarum bellum Iudaicum exorſus ab origine gentis, etiam de ipſa tam origine, quàm de nomine, & religione gentis, quæ voluit argumentatus, Iudæos, refert Ægypto expeditos, ſiue vt putauit, extorres in vaſtis Arabiæ locis aquarum egentiſſimus, cùm ſiti macerarentur, onagris (qui fortè de paſtu potum petituri æſtimabantur) indicibus fontibus vſos ob eam gratiam conſimilis beſtiæ ſuperficiem conſecraſſe. Fortè alluſit Cornelius Tacitus ad vitulum illum ſacrilegis religionibus cultum, & deteſtandis ſuffitibus adoratum. Et quidem in Deum vaniſſimè cultus aureo vtebatur fœno, qui rudi olim gauderet cibo, teſtante prophe

propheta: *Mutauerunt gloriam ſuam in ſimili-*
Pſalm. 105. v. 12. *tudinem vituli comedentis fœnum.* Dum ſugge-
ſtū cæca auxiliante fortuna inſcendit vitulus, iam exigebat hoſtias, depoſcebatque holocauſta, qui olim gemens aratrum trahens excoluerat rura. Qui olim onager de brutorum, & quidem ſtupidorum cenſu, iam in Deum conſecratus exambit debita ſoli Numini adorationis tributa: quia qualis fuerit anteà, excidit prorſus
Exod. 32. v. 6. memoria: *Obtulerunt holocauſta, & hoſtias pacificas.* Adeò antiqua fortuna mentitis elogiis obliuione ſepulta eſt, vt vitulus de diuinitate præſumpſerit, & hoſtias, & araſque exegerit: *Hi ſunt dij tui* (clamabant) *qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Neſcio ob quam gratiam onager, teſte Cornelio, in Deum eleuatus omnia Deitatis tributa expoſcit, & exactiſſimè exigit: abuſus eſt fortuna antiquę conditionis oblitus, & originis affectatione ſtudioſe ignatus. Quid tunc? Moyſes nigros in cineres redigit, & contemnendum vti ſtercus viliſſimum monet: *Con-*
Exod. 32. v. 20. Hieronym. *triuit vſque ad puluerem.* Adeſt Hieronymus apud Lippomanum: *Vituli puluerem, quem adorauerat Iſrael, in contemptum ſuperſtitionis in potum accipit, vt contemnere diſcat, quod in ſeceſſum proiici videat*: Amiſit clarus fortunam, dum de vitulo tranſiuit in Deum, & antiquo prorſus ſe denudauit ſtatu. Nec diſſimili nos textus erudit exemplo: nam cùm Dei populus de Ægyptiaca fornace extractus, & in terram lacte & melle fluentem inductus adeò turgeret, vt nullis legibus ſe teneri putaret; imò inſoleſceret per ſuperbiam, & contradiceret legibus per audaciam, Angelus illi apparet, & ſeruilis originis, viliſſimæque conditionis, quia digni erant, memoriam refricat, & abuſum felicitatis inculcat: *Eduxi vos de Ægypto, & introduxi in terram, pro qua iuraui patribus veſtris, &c. & noluiſtis audire vocem meam.* Satis videbantur ſcelera commiſſa in ipſa promiſſionis terra referre, quo copioſiſſimas lacrymas cogerentur effundere: cur ergo antiquitus præſtitam Ægyptiis ſeruitutem refert, & in Ægypto natos depromit? Vt conſtaret, ſcribit Arias Montanus hic, quàm fuerint felicitate abuſi, quàm antiquæ conditionis ignari. Suorum beneficiorum narrationem non longiùs nunc reperit, quàm ob eo tempore, cùm Iſraëlitæ apud Ægyptios miſeram omnino ſeruitutem ſeruiebant, cuius conditionis cogitationem, ſi perpetuam conſeruarent, non certè conſecutæ poſteà libertatis felicitate abuſi fuiſſet. Quia memoria exciderat de captiuis ſe progenitos viliſſimis olim miniſteriis addictos, lutulentos, & obſcuris fuiſſe fornacium fumis obſcuros: ſic elati turgebant, vt meruerint antiquā cōditionē audire vt detumerent memoria, felicitatis abutebantur tumidiſſimi gratia, ſi antiquæ ſortis conſeruarent memoriam & lætiorem conſeruare quiuiſſent fortunam; at dum felicitate abutuntur, & antiqui ſtatus commemoratione obſcurantur. O quam multis dici poſſet: Recordare primordia tua, & in æternum non tumebis: vt dicitur: Recordare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.

Verùm & Pallas ſuperbit Attica, & Ceres farrea; ſed dum ſtudioſius ſatagunt celare humillima ac viliſſima exordia, dum ridenti turgent fortuna, alios exaſperant, & ad illis exprobrandum antiquę fortunæ & originis obſcuritatem
Tertul. irritant. *Pallas Attica*, ſcribit Tertullianus vbi ſupra, *& Ceres farrea, quæ ſine effigie rudi palo & informi ligno proſtant.* Tumebant ſuperbæ, deſipiebant tumidæ, in Deas mentita Deitate inauguratæ, quæ de rudi olim trunco, & de informi ligno fuerant deſumptæ. Palladis, & Cereris non imitentur ingenia, qui cupiunt ne illis obſcura refricentur exordia.

Dormienti Nabuchodonoſor ſtatua obiicitur, cuius prima veſtigia lutum: *Pedum qua-* 33.
dam pars erat ferrea, quædam autem fictilis; verùm Dan. 2. v. 33.
vt tempora ſæpè ferunt, à luto tranſiuit in ferrum, à ferro in æs, ab ære in argentum, ab argento in aurum: non habuit quò altiùs creſceret, & ideo eius ſterit fortuna; verùm erat ſuper
fortunam inſania: ſtatuam conſtruit totam ex Dan. 3. v. 1.
auro: *Fecit ſtatuam auream altitudine cubitorum ſexaginta, latitudine cubitorum ſex, & ſtatuit eam in campo Dura.* Quia auri exundabat copia, aggreſſus eſt auro celare veſtigia: iam nullum in exordio lutum; imò dum ars, fortunaque eius altitudinem promouent, ſic inſanè deſipit, vt Numinis inſtar adorationis cultum exigat, hoſtiaſque depoſcat: tota nitet modò aurea ſtatua, quæ olim partim ferrea, & partim ſordebat lutea: abuſus eſt Nabucho proſperitate vſque ad diuinitatis ambitum, vſque ad cultus delirium: non recordabatur ſomnij: quia ſtudioſè affectarat obliuionem principij: *Somnium eius fugit ab eo*; verùm dum prætervolat ſomnium memoriam, dum totam ex auro ſtatuam conflat, in brutorum cenſum redigitur, & ab hominibus amandatur. Et quidem dignum inſolentiæ ſupplicium fuit, de hominum numero expungi, & bruti ad inſtar tractari: inuenit qui coram omnibus ſomnium reuocaret elapſum: quia ipſe obliuioni tradiderat ſomnium:
forſan ſi ipſe memoria ſomniū retinuiſſet. Pro- Theodor.
pheta coram omnibus non vulgaſſet: *Diuina prouidentia*, ſcribit Theodoretus orat. 2. *iis qui mentis compotes ſunt, perſpicua: qui cùm vellet ab amico ſuo propheta ſomnium illius patefieri vt inde bonas ac ſalubres admitteret admonitiones, ſomnio ipſum deterret, ſomnijque ademit recordationem.* Vt in figura omnia contingebant illis, voluit Deus hac Nabuchodonoſoris hiſtoria quotidianos caſus delineare, & ad noſtram eruditionem depingere: ſomnium fecit è memoria euolare, prophetamque exerrè, & coram omnibus voluit expromere, quo conſtet nunquam defuturum fortuna inflatis, quique ſua ignorauere principia, qui obſcura omnibus teſtetur principia. Ergo ſi non vis prophetam pati, qui occulta euulget, ſtatuæ primordia memoria retine: aliter dum altior de auri ſuffragio, & de fortunæ auxilio micueris, audies inuitus, quàm lutea fuerint prima ſtatuæ fundamenta, & modo micantis auro primordia.

34. Dum Adamus mulierem ad felicitatis fomentum efformatam agnouit, vt contra ſerpentis aſtus armaret, originis memoriam in ipſo
vocabulo impreſſit. *Hoc nunc os ex oſſibus meis,* Geneſ. 2. v. 23.
& caro de carne mea: hæc vocabitur virago, quoniam de viro ſumpta eſt. O inciuilem ad ſpeciem Adamum! Si Eua non ſolùm oſſe & carne conſtat extructa; ſed diuina imagine, anima ſcilicet ſuperno Numinis artificio compacta, cur viraginis vocabulum indis luteam originem concernens, & obſcuritatem prodens? Nonne ſatius animam viuentem vocaſſe, aut Dei ſimilitudinem protuliſſe? *Factus eſt*, aiebat textus, *homo in*

Geneſ. 1. v. 16. *animam viuentem*: parum hoc: *Faciamus*, aiebat Deus, *hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, & præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, *& beſtiis terræ*. O quàm nobiliores præ aliis nobilitant! Ex eadem maſſa Adam & Eua originem ducunt; imò ex nobiliori Eua, & tamen Adamus viraginis vocabulo obſcurat, cùm Deus Adamum imaginis elogio honoret. Alia etiam hinc nobis oritur eruditionis materia, ſcilicet erga ſua debere quemlibet ſe modeſtè gerere, & aliena cumulatiùs laudare; dum vident à ſuperbiæ faſtu abſtinere, ſolicitant diuinæ perſonæ imaginis ac ſimilitudinis titulo nobilitare: forſan Adamus imago non fuerit appellatus, ſi erga Euæ vocabulum intumuiſſet ſuperbus; at dũ ipſe modeſtus, lucet à cæteris honoratus, aut ſi mauis, aliam etiam eruditionem ab his arcanis myſteriis erue: eadem maſſa Adamum & Euam parturiuit: de luto namque vterque principium accepit; verùm quia Adamus creaturis aſſignabatur præſes, imaginis titulo honoratus eſt, quo nos edoceret Deus oportere ſuperiores ad munus regiminis ritè obeundum dignis honoribus inſigniri, ne aliter contigerit in dedecus dignitatis contemni. Non multum errabit, qui exiſtimet depictum hîc ſine adulationis nota adulatorum ingenium. Eua nobiliori principio lucet exorta, de Adami ſcilicet oſſe; Adamus obſcuriori tellure efformatus eſt; & tamen hic audit imago, illa appellatur os. Ecqua diſcriminis cauſa eſt? Dignitas profectò; nam apud homines ad dignitatis faſtigium elatus ſemper celebratur clariſſimus; qui dignitate caret, non ita plauditur celebratus. Tantiſper arcana loci huius nos à theſis propoſito abduxerunt: reuertamur ſi placet. Contra ſerpentis, vt dicebam, venenum ipſo nomine Adamus præparauit antidotũ timẽs ne originis oblita, & grandi adeò felicitatis cumulo ſepta turgeret, & diuinitatem ambiret: vtque noueris quantum interſit originis recordatio, expende ſerpentem non ad viraginem; ſed ad mulierem locutum: *Dixit ad mulierem*: vtrumque vocabulum eamdem rem; ſed diuerſo modò ſignificabat: nam viraginis titulus memoriam ſemper originis ingerebat: ergo dæmon ſerpentinam aſtutiam ſimulans ſtudioſè curauit, vt felicitate priuaret, originis memoriam eximere, & ab animo prorſus depellere. Et quidem dum vidit mulier, non virago lignũ, ambitione inflata deſipuit, & humanum genus infecit: *Vidit igitur mulier quòd bonum eſſet lignum.* O vtinam vidiſſet virago; non quòd perſonam diuidamus; ſed quod vna præ alia voce ad noſtram eruditionem aliquid inueniri putemus. Itaque dum ſerpens mulierem alloquitur, dum mulier lignum aſpicit, originis ad ſpeciem probatur oblita, & felicitate vſque ad diuinitatis ambitionem abuſa. Adeſt Chryſoſtomus apud Lippoman. *Quod viſa muliere diligenter factum enarrat, credas certo quòd Spiritus Sancti dono afflatus, & accepta prophetica gratia hæc loquitur.* Addit poſt aliqua: *Vidiſti quomodò omnia nobis diligenter aperuit; & ſingula per prophetiam ſuam explanauit: manifeſtans autem euentura hæc dixit*: agnouit neceſſarium eſſe memoriam ingerere originis contra ſerpentinas verſutias; & quidem ſi mulier antiqua recordaretur exordia; cæca non tentaſſet diuinitatis deliria. Ergo ſi cæleſtis fauor meliori te donauit fortuna, non exulet vtiliſſima antiquæ conditionis memoria: ferè ſemper namque qui antiquæ ſortis oblitus, proſperitate damnatur abuſus. Hoc idem clarius ac dilucidius in ipſo Adamo conſpicitur: de luto efformatur, & tamen imaginis ac diuinæ ſimilitudinis honoribus inſignitur; verùm dum ad thronum elatus diuinitatem exambit, qualis anteà extiterit, inuitus percepit: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Digna profectò pœna, vt ignobili ſe ſordere origine audiret, qui elationis metam tranſgreſſus, & accepto honore inflatus: *Peccanti*, inquit Gregorius apud Lippomanum, *dictum eſt: Terra es, & in terram ibis.* Dum peccat diuinitatem exambiendo, audit quali fuerit origine procreatus, & luto ſordenti obſcurus.

Geneſ. 3. v. 1.

Chryſoſt.

Geneſ. 3. v. 10.

§. XI.

Ingens beneficium à laboribus, vitæque periculis liberari; ſed grandius à culparum labibus expediri.

VT læſionis genus eſt profutura tardare, & ingrata dilatione ſuſpendere, ita gratum accelerare remedia, & depuliſſe citiſſimè 35.
damna verùm pro qualitate læſionis æſtimanda eſt medicina, & illa habenda pretioſior, quæ depellendis morbis acrioribus opportunior. Errant homines, dum vitæ commoda, & diuitiarum crementa probis moribus anteponunt; imò vel damno conſcientiæ quærunt: grande quidem beneficium à vitæ diſcriminibus liberare; ſed ſumptuoſius à tricis ſcelerum expedire: ad inſtar puerorum, quibus omne ludicrum in pretio eſt, & paruo empta monilia magnis præferunt, homines longæui ſenſu quidem repueraſcentes præferunt temporales vtilitates æternis, & ſolùm deprædicant beneficia, quæ temporalia incrementauerint commoda: quidquid ſpectat ad animam, quidquid ad morum culturam, aut depretiant, aut ſaltem minoris ponderant, quando imperturbata prudentia magni ducit denigrantibus ſceleribus liberari, & compede delictorum abſolui, *Gratulari, & gaudere nos decet*, ſcribit Tertullianus lib. de patient. cap. 11 *dignatione diuina caſtigationis. Ego, inquit, quos diligo, caſtigo. O ſeruum illum beatum, cuius emendationi Dominus inſtat, cui dignatur iraſci, quem admonendi diſſimulatione non deſpicit.* Ingens beneficium diſſimulatione non decipi; ſed ita adiutrice pietatis carpi. Ecce ſe prodit Angelum, qui modò ad lachrymas compellit populum, quique dolore perculſos detergere docet delictum: *Aſcendit Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium.* Appatuiſſe Angelum coram tradunt interpretes. Ita Abulenſ. quæſt. 5. *Nunc Angelus iſte apparuit manifeſtè in figura humana, vt à toto populo cerneretur, & verba eius attenderentur.* Audis apparuiſſe; ſed inquires, cur dum populum de Ægypto educeret, nube præcedebat contectus: *Tollens*, inquit, *ſe Angelus Dei, qui præcedebat caſtra Iſrael, abiit poſt eos*, & cum eo pariter columna nubis. Si in mari rubro nube coopertus populum contra Pharaonis tyrannicam audaciam defendit, cur etiam hîc nube coopertus non arguit? Et cur dicatur hîc celſiora tenuiſſe: *Aſcendit Angelus*, cùm conſtet ibi populum de tot periculorum vorticibus

Tertul. *Felix cuius emendationi Deus inſtat.*

Abulenſ.

Exod. 13. v. 19.

cibus liberaſſe? Sanè ob id ipſum: priùs de verberibus, de obſcuris fornacibus, de marinis fluctibus Hebræos Angelus liberarat; ſed quaſi hæc beneficia vti exigua parui æſtimarit, faciem non aperuit; at modò, quia ad fletus compellit, quia ad culparum pœnitudinem vrget, celſiora occupat loca, quia & ſumptuoſiora exhibet beneficia: iam dignatur conſpici, ſi anteà recuſabat videri: *Nunc Angelus iſte apparuit manifeſtè:* quaſi dicat Abulenſis: nunc faciem non celat, vt anteà, & quia maiorem exhibet gratiam, non recuſat oſtentare præſentiam: & quidē ſic fletus Hebræorum clararunt oculos, vt magni æſtimarint correctionis beneficium, & pro gratiarum

Exod. 3. v. 12 actione ibi immolauerint holocauſtum: *Vocatum eſt nomen loci illius locus flentium, ſiue lachrymarum: immolaueruntque ibi hoſtias Domino.* Educti immolant; ſed hoſtiæ non exprimuntur: *Cùm eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo ſuper montem iſtum.* Et quidem dum quid immolandum eſſet clarè non exprimitur, vnicum tantum ſacrificium intelligi nullatenus prohibetur; at modò hoſtias offerunt, hoſtiarum numero beneficij magnitudinem confitentes, & correptionem præ corporali ſalute pluris æſtimantes: *Immolauerunt ibi hoſtias Domino,* ſcri-

Abulenſ. bit Abulenſis quæſt. 7. *quia Angelus apparuerat.*

36\. Lazarus florente iuuentute corripitur; Dominus amicum excitaturus aduentat. O digna ambitu amicitia diuina, quando & mortis damna poteſt depellere, & lucis lucra familiaribus reſtituere? Martha nuntiato Domini aduentu illi occurrit, cordiſque dolorem, querula & ge-

Ioan. 11. v. 20. mebunda deponit: *Martha vt audiuit quia Ieſus venit, occurrit illi.* Longum colloquium Chriſtus Dominus texit cum Martha, & variis interrogationibus ad diuinitatis ſuæ notitiam adducit: tandem Martha fatetur Deum, & ſtatim Chriſtus Dominus excitaturus properat mortuum: *Ait illi: vtique Domine ego credidi quia tu es Chriſtus filius Dei viui, qui hunc mundum veniſti* Chryſologus ſerm. 63. vt acri erat ingenio, has Chriſti Domini moras demiratur: *Qui ad Lazarum venerat, quid ſic occupatur in Martha?* Quaſi dicat: ſi ſcopus itineris fuit Lazari exuſcitatio: quid moras nectit, quid Martha detinetur occupatus, & beneficio ſuo, ſi fas eſt dicere, iniurius: Exuſcitet priùs demortuum, & poſteà cum Martha diſſerat, ne beneficium de tarditate vileſcat. O ſapientiam immortalem! Duo præſtiturus beneficia Dominus aduentarat: Lazarus luci fuerat reſtituendus; ſed ad fidem Marthæ etiam animus reformandus, vtque beneficia pro dignitate ordinem ſortirentur, priùs animi ſanauit languorem, deinde

Chryſol. abegit mortis caliginem. Redeat Chryſologus: *Qui ad Lazarum venerat, quid ſic occupatur in Martha? Quid: vt antè iſta in fide reſurgeret, quàm ille reſuſcitaretur in carne: ſic facit qui & viuis & mortuis conſulturus aduenit.* Venit Dominus mortuis & viuis conſulturus, & cùm ſe omnium debitorem effecerit, pro qualitate creditorum exoluit: & quia grandius, nobiliuſque eſt animæ abolere errores, quàm depuliſſe mortis caligines, Lazari poſtpoſuit vitam, & priùs ſororis correxit culpam: vocarat illa Dominum, vt fratri mederetur: infirmitatis alienæ conſcia, ſuæ ignara; ſed fraternam charitatem Chriſtus remunerat, & Martha ſurgit in fide dum curat, quòd à Chriſto frater reſuſcitetur in carne: alienæ ſalutis ſtudium fuit Dominici alloquij lucrum, fidei crementum, & ne quis corporis medelam animi curationi præferret, qui viuis & mortuis conſulturus aduenit, Martham priùs erroribus liberauit.

37\. Poſt mortem Ioſue, & ſeruorum plures ſurrexerunt: qui Dominum, & opera eius ignorare Iudic. 2. v. 12

affectarunt: *Surrexerunt alij, qui non nouerant Dominum, & opera, quæ fecerat cum Iſraël.* Quid tunc? Vt illum agnoſcant, peccata remittit: quia eius Maieſtas plus innoteſcit de remiſſa culpa, quàm de Ægyptiorum fracta catena: *Non no-* Hugo.

uerant opera Dei, ſcribit Hugo, *quæ fecerat in exitu de Ægypto in deſerto in terra promiſſionis in principio: quæ opera parua ſunt reſpectu eorum quæ poſteà fecit. Pro nobis factus eſt homo, mortuus eſt propter peccata noſtra, reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.* O quàm ſtupenda prodigia pro Hebræis educendis patrauit! Ibi flumen virga percuſſum purpuraſcebat, ibi vndantia ranarum agmina, ibi locuſtæ in modum nubium volantes, ibi lumen immaturè decumbens, ibi ſtupidus liquor, ibi vnda ſuſpenſa, ibi immetati gurgitis profundiora calcata; hæc tamen omnia parua ſunt, ſi cum peccati indulgentia contuleris, ſi cum obiurgationis beneficio fletum, lachrymaſque eliciente comparaueris: *Opera in exitu de Ægypto parua ſunt reſpectu eorum, quæ poſteà fecit.*

38\. Plura in Petrum à Domino collata beneficia apud Euangeliſtas inuenio. Cum tempeſtate Apoſtoli depræliabantur, cúmque acrius adſpirantibus, ſecumque compugnantibus ventis periclitaretur ſcapha, Dominus in ſalo vti in ſolo ambulans opem allaturus aduentat: timore obturbati auxilium ipſum ſuſpicabantur naufragium; at Petrus magiſtri voce tantiſper confirmatus per marinos incedit vortices non naufragus, ſed viator; verùm acriori venti flatu impetitus timet, & timore incurrit periculum, qui corporis pondere nullatenus ſubierat naufragium. Quid tunc? Dominus dexteram apprehendens mortis periculo liberat, & ſalutem pe- Matth. 14. v. 30.

nè iam amiſſam inſtaurat: *Cum cœpiſſet mergi, clamauit dicens: Domine ſaluum me fac: & continuò Ieſus extendens manum apprehendit eum.* Nec ſemel tempeſtatem Petrus incurrit, imò in ſacerdotum Principis domo minori flatu per os fœminæ ſpiranti grauiorem tempeſtatem ſuſtinuit: negauit ibi hominem, à quo de vorticibus liberatus, & quam ſemel & iterum à Domino vitam acceperat, pro eo noluit obieciſſe diſcrimini honeſto; ſed infami ſeruare periurio. O quàm ſe Deum prodidit, qui de naufragio negaturum eripuit! O quàm ſe probauit hominem, qui ereptus eripientem negauit. Quid tunc? Lucæ 22. v. 61

Conuerſus Dominus reſpexit Petrum. Modò totus dicitur ad Petrum conuerſus; qui naufrago ſolam porrexiſſe dicitur manum. Et quam grandiorem cenſeas miſericordiam? in negantem oculos modò dirigere, aut naufragum de periculo extrahere? Grande profectò maris periculum; ſed grauius animæ damnum: hic diuini reſpectus deprædicetur miſericordia: quia auguſtiora hic conferuntur in Apoſtolum beneficia. Diuinus Chriſti oculorum ardor ex corde vapores excitauit, qui in lachrymas fuſi negationis culpam delerent, & gratiæ diſcipulum reſtituerent. *Recordatus eſt Petrus verbi Domini, &* Chryſoſt.

egreſſus foras fleuit amarè. Adeſt Chryſoſtomus

apud

apud D.Thomam: *Admirare curam magiſtri: quia cùm vinctus eſſet, multa vtebatur prouiſione erga diſcipulum, quem nutu erigens ad lachrymas*
Beda. *prouocauit.* Annuit ibi Beda: *Reſpicere eius miſereri eſt:* quia non ſolùm cùm agitur pœnitentia; verùm etiam vt agatur, Dei miſericordia *neceſſaria eſt.* Hîc elucet miſericordia, vbi deletur & culpa: eſt enim auguſtius, ſumptuoſiuſque beneficium animæ culpam delere, quàm vitæ periculum propulſare.

39. Nabucho ſuperbiæ flammis aduſtus tres illos pueros fornaci neſcio quid horrendum perſtrepenti cum nulla humanitate committit; ſed ignei globuli quia non inuenerunt culpæ reatum, vrbaniſſimum pueris exhibuerunt obſequium: blandiſſima flamma ſopito ardore illorum allambebat veſtigia, ſe feliciſſimam rata, ſi vinculorum liberaret moleſtia: ignis reuerentia Nabuchodonoſoris condemnauit deliria, & dum ſacrilega ambit adoratione ſe pro Deo coli, conſtat flammarum lingua ſacrilegum publicari. Tandem pueros periculo exemptos videns ingenti adeò ſtupore corripitur, vt illorum Deum agnouerit, & edictis pu-
Daniel 4. v.99.& 31. blicis linguas maledicas prohibuerit: *Signa & mirabilia fecit apud me Deus excelſus.* Alibi cùm à regno abactus, & inter tardiſſima bruta recenſitus poſt longa tempora reſipiſceret, iam non ſolùm agnouit excelſum; ſed Deum deprædicauit altiſſimum: *Senſus meus redditus eſt mihi, & altiſſimo benedixi, & viuentem in ſempiternum laudaui; & glorificaui.* Profectò cùm nullus in Scriptura apex non ſit arcanus, abs re non erit expendere, cur Nabucho tres pueros per igneos globulos quaſi per amœnos torrentes incedere intuitus excelſum liberatorem dixerit, & cùm illi ſenſus redditus, quod extra miraculum videbatur, altiſſimum prædicarit? Quia hîc,
Tertull. inquit Tertullianus lib. de patient. cap. 13. quod homini optabilius, pretioſiuſque, conſecutus eſt; hic Deus Babylonium regem ad culparum pœnitentiam adduxit, ibi non multò poſt in cineres reducendam, ne tunc in cineres deſineret, vitam liberauit: pro diuerſitate ergo beneficiorum diuerſa protulit potentiæ elogia, & magnitudinis monumenta. Audi Septimium: *Ille rex Babylonius offenſo Domino cum ſqualore & pædore ſeptenni ab humana forma exulaſſet: immolata patientia corporis ſui & regnum recuperauit, & quod optabilius homini eſt, ſatis Deo fecit.* Pretioſiſſimum ambitioni regnum; ſed Deo ſatisfacere regno grandius, & optabilius: altiſſimum ergo agnouit, quia hic ſatis Deo fecit: *Tantum vtilitatis ex calamitatibus percepit Nabuchodonoſor,* ſcribit Theodoretus ad hæc verba, *vt prophetæ ad inſtar de Deo ſentiat & loquatur.* Vt prophetæ varia de Deo elogia pro rerum qualitate referebant, ita Nabucho prophetæ ad inſtar protulit excelſum vocando, cùm arcuit vitæ pericula; Altiſſimum, cùm peccata.

---

§. XII.

Superior ſit ab omni adfectionis ſuſpicione remotus, vt omnibus poſſit eſſe proficuus.

40. SVperior Princepſque, dum ad faſtigij dignitatem aſcendit, tenetur non naturam; ſed degeneres omnes naturæ adfectiones exuere: caput omnibus adæquè membris vigilanter attendit, nec vni præ alio conſulit, ſi poſſit omnibus prouidere: degenerat à dignitate potentia, ſi quod malè velle ſentitur, efficere moliatur. Quàm benè Caſſiodorus 2. var 10. *Quis melior* Caſſiod.
aut æquitatis iura deligitur, quàm qui ſacerdotia decoratur: qui amore iuſtitiæ perſonaliter neſciat iudicare, & diligens cunctos in commune locum non relinquat inuidiæ. O quot dignitatis promiſſionibus contradicunt, dum refragantur factis iuſtis dignitatis promiſſis: indecens eſt æquitatem de dignitatis apice promulgare, & affectionem præferre: nullius eſſe debet, qui Princeps omnibus datur: quia vocabulum non adimplet, qui alicuius ſpecialiter eſſe ſentitur: tunc enim vel ipſa æquitas ingenerat ſuſpicionem, & quamuis conſulatur iuſtitiæ; putatur adulari potentiæ. *In cauſis ſemper eſt ſuſpecta* *Potētia ſemper de iniuſtitia ſuſpecta eſt.*
potentia, aiebat Caſſiodor. 5. var. 36. *dum velle creditur, quod poſſe iudicatur.* Hanc potentiæ ſuſpicionem ſic debet ſuperior ad elogium æquitatis deterere, vt nec malignitas in dubium poſſit vocare. Ageſilaus aliàs omnibus ſpectandus malè audiebat: quia erat in amicorum negotiis tractandis, tutandiſque nimius. Ita Plutarchus in Plutarch.
apophthegm. Lacon. *Erat cætera integer, rectuſque: ſed in amicorum negotiis prætextum exiſtimabat nimium exactam iuſtitiam in his tueri.* Itaque *Nonnulli amicorũ cauſis nimium [illegible].*
amicitia cauſis pro lege erat, & etiam iniuſtas, æquitatis fucis colorabat: qui pro generalitate decernitur, vniuerſalis omnibus datur: adulterauit officium quiſquis vnum præ alio teneriori proſequatur affectu. Dei populus cupiditatis nebulis obcæcatus diuina mandata tranſgreſſus eſt, & quia genus eſt læſionis profutura tardare, Angelum Deus miſit, qui poſſit deprauata leni; ſed efficaci obiurgatione corrigere: *Aſcēdit Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium.* Interpretationem hanc viuente adhuc Ioſue accidiſſe, retur q. 1. Abulenſis. *Iſta increpatio fuit* Abulenſ.
viuente Ioſue. Sed occurrit ſtatim difficultas, cur Ioſue hoc munus non iniunctum, ſed fuerit Angelo reſeruatum? Profectò Ioſue vir integerrimus, quem nunquam deprauarit erroris vmbra, aut degeneris adfectionis obſcurauerit nota: quia tamen vti humanus cognatos affineſque naturæ legibus diligebat, conueniens fuit ad noſtram eruditionem Angelum delegari vtpote qui nulli præ alio coniunctus; ſed omnibus adæquè dicatus, Ioſue delicta corrigens nullam incurriſſet notam; vt qui ſtudioſiſſimè excolebat iuſtitiam; at quia Angelus ab omni ſuſpicione remotior, corrigendis populi erratis deligitur opportunior. Innuit Auguſtin. q. 12. in Iudices: Auguſt.
Ideò per Ieſum noluit eis dicere: quia hoc omnibus voluit exprobrare per Angelum. Angelus adæquè omnibus exprobrat, quod adæquè per omnes peccatum conſtat, vtque nec leuis confictaue adfectionis ſuſpicio corrigendi modum criminetur, dum acerbiorem erga alios: erga alios leniorem mentitur, Angelus omni cognationis lege diſpunctus, ſuperior omnibus deſignatur.

Notabam aliquando hominem de limo ex- 41.
tructum animam appellari: *Formauit igitur Do-* Gen. 2. v. 7.
minus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem. Opportunius videbatur: Factus eſt homo in corpus viuens, quàm in viuentem animam: anima namque vel corporis expers aliquando viuit, at corpus ſine auxilio

animæ

animæ cadaueraſcit: ergo vt vocabulũ audienti proferat integram hominis naturam,corpus appelletur viuens,non anima vitam exercens: an limus de Numinis tactu beatus vilitatem reſpuit originis,& nobiliter, (quod paucis contigit) degenerare contendit?An ab exordio erubuit Adamus vocem originis ruſticitatem dedignatus,& celſitudinis ambitioſus? Profectò nullum tunc crimen denigrabat Adamum; anima tamen viuens appellatus eſt, vt integrè adimpleret offi-
Gen.1.v.26. cium. Attende munus Adamo iniunctum: *Faciamus hominem*, aiebat Deus, *ad imaginem & ſimilitudinem noſtram,& præſit piſcibus maris,& volatilibus cæli,& beſtiis, vniuerſæque terræ, omnique reptili,quod mouetur in terra.* Quia creaturarum vniuerſitati dabatur, totus anima dictus eſt,ne ſi meminerit corporis,næuus ſit muneris:corpus de terra concretum,de limo efformatum quamdam cum terrenis animalibus cognationem habebat,at anima, quia de cælis venit,nulli elemento affinior, nec creaturis eius cognatior. Ergo vt ritè præſideat omni adfectionis ſuſpicione purgatus, à corporis vocabulo abſtinear,& omnibus adæquè dominetur animæ nobilitatem ſortitus. Huc voco quod aiebat
Philo. Philo lib.de agricultura: *Reuera omnis ſapientis anima cælum habet patriam.* Corpus patriam habet tellurem, anima nulli affinior:ergo, ne ſi quid corporeum habere ſe Adamus meminerit, terrenis animalibus familiarior videatur eſſe, non appelletur corpus viuens; ſed anima: quia dum omnem anima adfectionis ſuſpicionem propellit, & munus Adamus decentius implet. Forſitan terreus explorandi munus talpæ præberet, & aquilæ talpæ proprietates adſcriberet, haberetque talpa cognationis priuilegio, quem denegabat natura viſum,& aquila viſu acutiſſima adinſtar talpæ caligaret, quia origine non cognata.Nouerit ſe Adamus, dum creaturarum omnium regimen ſuſcipit proprietates animæ ſortiturum,& patriæ, originiſque affectionibus exuendum. Se viuentem agnoſcat, quo cælum agnouerit patriam,ne ſi terrenæ originis recordetur, quidquid terrenum prætulerit, & quidquid de puriſſimo liquore, aut de aëre ſubtiliſſimo,depretiarit. Diſcant hinc,qui regiminis culmen inſcendunt,ſe de cælo ſolùm originem trahere,& animarum legibus viuere, alioquin Dei obliterabunt improbo regimine imaginem, & obſcurabunt deprauata affectione ſimilitudinem.

42. Niniue ciuitas erat inter Aſſyrios hominibus refertiſſima, & piaculis ferè naturæ terminos ſupergreſſa: non ſolùm febriebat impietatis ardore;ſed omnigeni ſceleris flammis ardentiſſimis æſtuabat; verùm extrema malitia diuinæ clementiæ humanitatem non euincebat, nec miſericordiæ terminos ſuperabat: eam vt ad mortem ægrotantem vidit humaniſſimus creator,mittit Ionam, qui de pœnitentiæ myrothecio morbis adeò extremis, & ad ſpeciem deſperatis medeatur: nam etſi oderit impietatem, & naturam morbo non ſolum corruptam;ſed ferè aliam prorſus factam viderit, ſuæ manus nihilominus figmentum recognoſcit,& in integrum reformare ſtudioſiſſimè ſatagit: credita ergo prophetæ Ionæ mali curatione, mandat ægros anteà adeat,quàm morbus diuturnitate auctior, & conſuetudine durior nullum patiatur remedium; ſed confirmet mortis ſuffragium. Quid tunc Ionas? Medici recuſat officium, nec vult applicare medicamina; ſed maris intrat peri-
cula: *Surrexit Ionas, vt fugeret in Tharſis.* In Ioan.1.v.3.
ſuppliciorum comminatione plena commiſerationis præſenſit verba, & in ipſa iræ denuntiatione affectionis miſericordiam præuidit: dilata eſt non exiguo tempore gentium ſalus: quia opus fuit ad prophetam flectendum acri maris procella,& ſepulchri vices egerunt piſcis ingentiſſimi viſcera. Quid Ionam impulerit ad fugam, quærunt interpretes: plures exiſtimant teneriori erga ſuos affectu, & ne à Iudæis ſalus tranſiret, & ad gentiles migraret, prædicationem diſtuliſſe, & præceptis Dominicis obuiaſſe. Ecce quantis machinis opus fuerit, vt Ionas Niniuitarum cauſas fuerit amplexus: quia erga ſuos erat affectionibus præoccupatus. Profectò ni Ionas ſe Iudæum meminiſſet, ſalutem Niniuita impetraſſet citiùs;at dum exiſtimat Niniuitarum felicitatem Hebræorum eſſe ruinam,differt pœnitentibus veniam. Accipe Ba- Seleuc.
ſilium Seleucienſem orat.13.*Non erat vt videbatur,Ionas lubens humanitatis præminiſter: verùm attendens Deum verbo minari: reipſa verò ſaluare percupientem,gentium odio fugam præbuit futuræ denuntiationi, & inimicitias cum gentibus re profeſſus eſt. Quam ad ſanitatem conducibilem acceperat medicinam,occuluit.* Ecce Ionas erga ſuos benè affectus,& erga gentiles malè animatus, dum ſuperioris munus obit, quidquid ad Niniuitarum commoda ſpectat, aut occultat, aut differt: decreta erat conducibilis medicina, & apud Ionam repoſita; ille verò cauſas colorans tardabat producere, & indigentibus exhibere. Opus fuit maris fluctibus fugitantem impedire, & ad Niniue portum reluctantem trahere: miraculis opus fuit, dum malè animatus perdurabat affectum, vt adimpleret officium, & quod citiſſimè potuit, ni adfectio obſiſteret, expediri, vides ad tempus longum differri. O quoties ſi ſuperior in vnum præ altero propendeat,moras de induſtria trahit, & quidquid ſuo minùs vtile,occultat,nec producit, ni validiſſima vis extorqueat: *Inimicitias cum gentibus re profeſſus eſt, quam ad ſanitatem conducibilem acceperat medicinam,occuluit.* Ionas nullatenus ſe Niniuitarum inimicum verbis proferebat; imò ſe Dei miniſtrum adæque omnibus oſtentabat; verùm actio linguæ refragabatur,& quia in Hebræos præ Niniuitis propenſior, in Niniuitas fuit durior.

Cùm Dominus à ſacerdotibus ſcientiam, legemque quærendam doceret,in ſcientia & in le- 43.
ge tradenda ſacerdotis titulos variauit: *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum eſt.* Ecce cùm legem tradit, vocatur Angelus, qui ſcientiam inſtillans appellatus fuerat ſacerdos. Ecqua huius diſcriminis cauſa eſt? Quia ſacerdos vtpote homo cognationis legibus implicatur;at Angelus nullo conſanguinitatis iure tenetur. Ergo dum erudit, dum docet, nihil intereſt hominem ſe recordetur, & cognatis præ aliis ſcientiæ ornamenta largiatur; at dum tribunal legum cuſtos, vindexque inſcendit,natura denudetur humana,& exornetur Angelica: quia ibi æquitas ad omnes integrè debet ſeruari,nec cognatus aliis præferri. Profectò ſi legem dicturus deprauatis affectionibus corrumpatur,ſi cognationis querelis importuniſſimis Malach.2. v.7.

mis deprauetur, legem violenta interpretatione corrumpet, & quod ſuis vtile, vel offenſa iuris decernet. Ergo Angelus legem dicat, vt omnes dum agnoſcunt Angelum, legem ab eius ore requirant: *Legem exquirent de ore eius: quia Angelus Domini eſt.* Nullis affectionibus deprauatus, nullis odiis obſcurus; ſed integra ſemper puritate integerrimus: *Erit itaque*, inquit noſter
Sanctius. Sanctius hîc, *Sacerdotum os, quaſi tabularium, in quo publicæ ſeruantur leges, aut ſacrarium quoddam, ſeu arca teſtamenti, in qua diuinæ legis continentur tabulæ, & ex qua interrogantibus legitima, & conſueta redduntur oracula.* Vt legum ſacrarium, vt tabularium publicum æquè ad omnes pertinere cognoſcitur, ita qui legem dicit, æquè ad omnes ſpectare probatur. Et quidem ni Angeli imitetur ingenium, omniſque adfectus & cognationis ignorauerit præiudicium, legem non dictabit; ſed ſiniſtra interpretatione corrumpet.

§. XIII.

Pecunia iam non ſolùm didicit vitia defendere; ſed auſa eſt nobilitare.

44. EAm apud homines aurum æſtimationem inuenit, vt nil melius nec dare videatur Deus, nec habere: totus populus in aliis diſcors, in hoc conuenit, hoc ſuſpicit, hoc exoptat. Profectò aurum non ſolùm fœda ligna nitore ſolet contegere; ſed admirationem lignis fœdiſſimis conciliare.
Seneca. Quàm benè Seneca epiſt. 115. *Cùm auro tecta perfundimus quid aliud quàm mendacio gaudemus? ſcimus ſub illo auro fœda ligna latitare.* Profectò lignorum caries auro perfuſa ſuſpicitur, non ſolùm tegitur. Olim virtus in honore erat, iam de pecuniæ artificio vitia venerationem ſubripuerunt, & virtutis reuerentiam vacuarunt. Clodius ob adulterium cum vxore Cæſaris in aperto commiſſum, quo non ſolum Cæſaris honos violatus; ſed quod amplius erat, religio eius ſacrificii, quod pro populo dicebatur fieri, vbi extra conſpectum non ſolùm viri ſubmouebantur; ſed picturæ quoque maſculorum animalium contegebantur, ad tribunal delatus eſt. Quid tunc? Aurum diſtribuit, & iam adulteria non ſolùm
Seneca. permiſſa; ſed veluti lege decreta. Audi Senecam epiſtol. 97. *Credat aliquis pecuniam eſſe verſatam in eo iudicio.* Subdit poſt aliqua: *Quærebatur, an poſt adulterium aliquis poſſet tutus eſſe: apparuit ſine adulterio tutum eſſe non poſſe. Credas hoc quiſquam? Qui damnabatur vno adulterio, abſolutus eſt multis.* Profectò olim ipſa natura ab ſcelere docuit abhorrere, nulli vel inter tuta timor non erat; verùm Circæis incantationibus validior pecunia ſic naturam à ſe ipſa alienauit, vt iam abſoluatur vt innocens, quantalibet adulteria commiſerit diues: placat pecunia matrimonij querelas, honeſtat (proh nefas!) religionis iniurias: vbi aurum tuetur, vitia non ſolùm diſſimulantur; ſed ſuſpiciuntur.
Menander. *Hoc ſolùm*, aiebat Menander in Hypobolim, *obſcurat ignobilitatem, & morum malitiam: omnia denique mala, quæ quis habuerit, multarum opum poſſeſſio; cætera verò redarguuntur.* Quæris quo ignobilitatem obſcures, quo morum malitiam tegas, aurum poſſide, quo iuſtus haberis, & nobiliſſimus prædicaberis. Plutum, quantumuis in inferno degentem, præ reliquis diis colebant, imò celſiorem Numinibus collocabant. Adeſt Theophanes apud Stobæum de laud. diuitiar. capite 91. Theophan. *Non fruſtra te, ô Plute, diuitiis præfecte, magis quàm reliquos deos colunt.* Deus habetur diuitiis onuſtus, tantumque abeſt à criminis pœna, vt illi religioſa exhibeantur officia. Hebræi cum Chananæos debuiſſent diuino adſtricti præcepto occidere, auri cupiditate viuere permiſerunt: imò & illorum figmenta, ob quæ mortis ſententiam incurrerant, ſacrificiis publicis honorarunt: *Pollicitus ſum, vt non facerem irritum pactum meum vobiſcum in ſempiternum*, aiebat Deus, *ita dumtaxat, vt non feriretis fœdus cum habitatoribus terræ huius; ſed aras eorum ſubuerteretis, & noluiſtis audire vocem meam.* Noluerunt vocem audire; imò gentium idola elegerunt publicè colere: quod ſi huius cauſam inquiras, fuiſſe aurum inuenies: aurum defendit aras; imò & ſuaſit idolis offerre hoſtias: *Vidimus*, Aiebat Arias Montanus hîc, *cæteros omnes Iſraëlitas ex auaritia hoſtibus parcentes, aut etiam indulgentes.* Montanus. Parum erat parcere, niſi addidiſſent & indulgere. Deos gentium colebant, qui demoliri debuiſſent, auro ſuaſi, & pecuniæ incantamentis corrupti.

Perfidus ille diſcipulus, qui pecuniæ amore humanæ temeritatis metas tranſgreſſus magiſtrum vendidit, ſera inutilique pœnitentia delictum agnouit, & exertè confeſſus eſt: delictum faſſus, argentum Principibus eſt largitus. 45. *Retulit triginta argenteos Principibus ſacerdotum dicens: Peccaui tradens ſanguinem iuſtum:* Matth. 27. v. 3. Sperares integerrimos iudices, iuſtitiæ vindices, æquitatis patronos duram, dignamque tanto ſcelere mulctam Iudæ poſt exertam confeſſionem decreturos; ſed audi quid reſpondeant: *At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris.* Acceptis argenteis illi ipſi, apud quos iudicandi, puniendique poteſtas erat, ſe priuatos poteſtate fatentur, quaſi ad ipſos non pertinuerit delicta publica vindicare, & reos conuictos punire. Et quidem, etſi præter opinionem, veritatem confeſſi ſunt: iam enim aurum ab illis poteſtatem abſtulerat, nec ſolùm perfidum diſcipulum non damnabant; ſed contractum iuſtum & religioſum fuiſſe ſuadebant. An virtus, an vitium venditio fuerit, vendentis commiſerunt arbitrio: *Tu videris:* quia iam relato gaudebant auro: *Retulit triginta argenteos.* Eo ipſo auro, quod nefandum facinus illi acquiſiuit, facinus apud iudices impios defendit. Ad hæc cùm ſeipſum ſuſtinere Iudas non poſſet, & calamitoſam ſibi vitam decreuiſſet auferre, ſe argenteis priuauit, veritus, ne ſi poſſideret aurum, nullum tanti ſceleris carnificem inueniret lignum: *Proiectis argenteis in templo receſſit, & abiens laqueo ſe ſuſpendit.* Ambroſ. Ambroſius libro decimo in Luc. ſic ait: *Iudæorum impudentia confutatur, quos cùm confeſſio redarguat venditoris, ſceleſti tamen ſibi vendicant iura contractus..... dum dicunt: Quid ad nos! tu videris.* Omnia reclamabant iura, omnia aduerſabantur venditioni præcepta, & tamen dum accipiunt, quo fundum emant, iura contractus defendunt; *ſibi vendicant iura contractus.* Iudas ipſe

Digitized by Google

ipſe propria conſcientia conuictus ſe ſceleſtiſſimum confitetur, & tamen à iudicibus relato auro, vti innocens approbatur: *In pecuniariis cauſis*, addit Ambroſius, *refuſo pretio ius ſoluitur: hi pretium recipiunt; & ſacrilegium proſequuntur, ac pertinacibus ſtudiis funeſtam ſibi vendicant ſanguinis auctionem.* Quid aptius? Aurum docuit iura violentiſſimè detorquere, & pertinacibus ſtudiis adeo horrendum piaculum approbare: vt videas quantum poſſit aurum ad honeſtanda delicta; imò ad referenda inter virtutes, & conſecranda peccata.

46. Cùm templum Domini ſit virtutum theatrum, ac religionis emporium, ita olim ſordebat, vt ibi & latrocinia vigerent, & præceptorum dedecora viuerent: intrauit Dominus, qui non poterat intro viuere, quamdiu liquebat Principum auaritiam regnare: viſu ſcelerum inflammatus; & zelo religioſiſſimo aduſtus contempſit vitam, vt Patris procuraret famam: *Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.* (Matth. 21. v. 13.) Non mirarer diſſimulari latrocinia, non puniri ſcelera, impia patientia tolerari delicta: miror tamen quomodò potuit latrocinium religione colorari, & in templo palàm florere. Profectò ſerpens contractus deliteſcit antro ſui conſcius, quia virtutibus inimicus, & iam vti religioſi cultus, vti honeſta obſequia, vti remuneranda officia habentur ſcelera? Spelunca latronum ſordet, quæ orationis officina, & habetur venerabile impietatis emporium, vt poſſet haberi templum? Ita ſanè dabantur namque ſacerdotibus nummi, impia pendebantur tributa, adeóque corrupta erat, adeò faſcinata auri præſtigiis diſciplina, vt iam non ſolùm tenebris deliteſcentia diſſimularentur peccata; ſed in ipſo templo haberentur in honore delicta: (Chryſoſt.) *Excogitarunt ſacerdotes*, ſcribit Chryſoſtomus apud Diuum Thomam, *quo prædam de populo facerent, & omnia animalia, quibus opus erat, ad ſacrificia venderent, & venderent non habentibus, & vt ipſi rurſus empta ſuſciperent.* (Hieron.) Annuit Hieronymus ibi: *Templum Dei in latronum conuertit ſpeluncam, qui lucra de religione ſectatur.* O luctum ſpeluncam in templum conuertens, & templum in ſpeluncam. Vbi nummi dantur, infelici commutatione vitium locum ſortitur virtutis, & virtus vitij. Laudatur furtum, vt poſſet extolli laudibus ſacrificium, & vbi aurum attenditur, profanum vti religioſum colitur.

47. Hoc ipſo in caſu aliam nobis ad componendos mores eruditionem textus ſubminiſtrat, dum non ſolùm refert menſas nummulariorum; ſed columbas vendentium cathedras etiam ſubuerſas: (Ioan. 2.) *Eiiciebant omnes vendentes & ementes in templo, & menſas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit.* Profectò columbæ in caueis, non in cathedris aſſeruantur, & columbarum venditores non debent magiſtrorum locum ſortiri, quomodo ergo columbarum inſtitores magiſtrorum locum valuerunt in templo obtinere? Adeò obbruteſcunt homines, vt inſcitia coleretur pro ſcientia, & columbas curandi induſtria excoleretur doctrina? Proh auri ad eleuandum efficaciam! Indocti dum de columbarum negotiatione diteſcunt, templi ſacerdotibus munera offerunt, pecunias tribuunt, & iam de nummorum eloquentia, de diuitiarum doctrina approbatus, cathedram inſcendit indoctus: plurimum diſtabat inter columbarum inſtitorem & magiſtrum; ſed dum venditor diteſcit, ſapit: ſtultitia non ſolùm non abiicitur; ſed cathedris honoratur. Adeſt Hieronymus apud Diuum Thomam. *Iuxta ſimplicem intelligentiam columbæ non erant in cathedris; ſed in caueis, niſi fortè columbarum inſtitores ſedebant in cathedris, quod abſurdum eſt: quia in cathedris magiſtrorum magis dignitas indicatur.* (Hieron.) Attentione digna, quæ adiecit: *Quæ ad nihilum redigitur, cum mixta fuerit lucris.* Dum lucris miſcetur imperitia, cathedras inſcendit, & iam cathedra ad nihilum redigitur, id eſt ad inſipientem deducitur, ad indignum deriuatur: dignitas columbas vendentium mixta erat cum ſacerdotum cathedras diſtribuentium lucris, & de improbanda mixtura ſibi audebat vendicare, quod nequibat de ſapientia, aut meritis petere: *Columbarum inſtitores ſedebant in cathedris, quod abſurdum eſt.* Et quare ſedebant? Quia magiſtrorum dignitas, *ad nihilum redigitur, cum admixta fuerit lucris*, ſcilicet electorum, cathedras diſtribuentium, & ad honeſta munera deſignantium. Imperitus pro docto colitur, furtum pro ſacrificiis habetur, & quidquid à ratione alienum, viget cupiditati probatum.

§. XIV.

Deus parcus eſt in beneficiis collatis recenſendis, largiſſimus in præſtandis.

48. Beneficia, ni è largitoris memoria excidant tranſeunt in credita: ni in accipientis teneantur memoria, tranſeunt in delicta: eadem cauſa, quæ ad copioſam beneficiorum meſſem inſtigat, memoriam vetat. *Nemo beneficia*, aiebat Seneca lib. 1. de benef. cap. 2. *in Kalendario ſcribit; nec auarus exactor ad horam & diem appellat: nunquam illa vir bonus cogitat, niſi admonitus à reddente; alioquin in formam crediti tranſeunt: turpis fœneratio eſt beneficium expenſum ferre.* (Seneca. *Turpis fœneratio eſt beneficium collatum referre.*) Tam decens in conferente beneficium obliuio eſt, quàm in accipiente indecens: *Cùm facis eleemoſynam*, aiebat Dominus, *neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua:* Dum beneficentiam, & beneficentiæ ignorantiam coniunxit; liberalitatem ſumptuoſiùs adornauit; alioquin beneficium ſemper inculcare, ſemperque repetere eſt & ruboris tormentum, & patientiæ martyrium: nunquam admonere debemus: ipſe res cùm è manu exeunt, è memoria honeſtiſſimè dilabuntur. Mallent homines aliquando collatis beneficiis priuari, quàm ad accipientium exigentiæ indicium, & ad largitorum magnitudinis pompam in medium ſæpè ſæpius adduci: iam, ſi aliquando opus eſt collata beneficia referre, perſtrictim, & compendiariè referantur, non de induſtria exaggerentur. En Angelus Dei per ſonam agens, quò Iſraëlitas beneficiorũ memoria ad culparũ pœnitudinem excitarit, ira retulit, vt relatio potiùs notaret

ignorantiam, quàm oſtentaret memoriam: *Eduxi vos*, inquit, *de Ægypto, & introduxi in terram pro qua iuraui patribus veſtris.* Potius videtur obligationis ſuæ, quàm largitatis meminiſſe; imò ingentiſſima beneficia ignoraſſe: *Eduxi*, inquit, *vos:* quot miraculis, quantis prodigiis! Agenti inter pecora Moyſi conſpicuus obiicitur, voce in Ægyptios obarmat, obluctantem Pharaonem miris priùs allicit, durum poſteà plagis cælitus immiſſis affligit, flumen purpuraſcit, immaturæ tenebræ lucem euincunt, grando cum igne conferta præter naturam concordat, mors primatum primogenitos deuorat, vnda ſuſpenditur, eſcatilis pluuia viatoribus mittitur, & ſeycenta alia prodigia, ante telluris promiſſæ ingreſſum in Hebræorum gratiam patrantur: & quaſi tanta fuerint exigua, in Kalendario non ſcribuntur. Notauit
Abulenſ. Abulenſis quæſtione 3. *Nominauit hic Angelus duo beneficia ſolùm, ſcilicet eductionem de Ægypto, & introductionem in terram Chanaan.* Pauca retulit, cùm plurima potuiſſet: Deo namque mos eſt copioſiſſimè dilargiri, & anguſtè ſatis, adhuc quando opus eſt, collata hominibus recenſere.

49\. Cùm nonnulli cæca ambitione inflammati cum Aarone de Principatu contenderent, iubet Deus virgas tributim accipi, promittens ad electi teſtimonium exuccam virgam grato oculis virore ornandam, & amœnis floribus redimiendam: *Quem ex his elegero, germinabit virga eius.* (Numer. 17 v. 15.) Virgæ colliguntur, & iam Aaronis virga dilatatis foliis exornatur, gratiſſimis floſculis redimitur, & fructibus ſaporatis ditatur: *Inuenit germinaſſe virgam Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati ſunt.* Copioſis largitatibus Aaronis virgam ornauit; ſed parciſſimè beneficia retulit: virorem tantùm promiſit, & ſupra virorem redolentes flores, pulchra folia, copioſos fructus largitus eſt: & quidem vtrumque eius liberalitatem deprædicauit, ſcilicet anguſtè ſatis referre, & copioſiſſimè dilargiri.
Origen. Notauit hoc Origenes apud Gloſſam: *Vnum fructum promiſit Deus in virga, & dedit plura, vt liberalitatem Dei largiorem promiſſionibus attendamus:* Veluti generoſiſſimè neſcius plurima beneficia ſilentio texit; ſed tecta exhibuit, ne aut liberalitas iniuriam pateretur, ſi exigua, paucaue dediſſet, aut ſi data ad liberalitatis pompam oſtentaſſet. Adde cùm aliquando obſequium Deo præſtitum connexum ſit cum collato ab ipſo hominibus beneficio acceptum ſolùm referre, dilargitum præterire.

50\. Adeſt teſtis mulier illa ſanguinis fluxum diu paſſa: hæc cùm Dominum ad vitam puellæ refundendam properare cognoſceret, credidit apud Deum non minus valere pauperis fidem, quàm Principis orationem: arripuit prudentiſſima inopinæ felicitatis occaſionem, nec dubitauit conceſſurum tangenti, quod non negauerat ſupplicanti: *Venit in turba retro, & tetigit veſtimentum eius: dicebat enim, quia ſi vel veſtimentum eius tetigero, ſalua ero.* (Marci 5. v. 28.) Fidem non fruſtrauit euentus; imò ſcaturigo illa confeſtim ſiccata eſt, & vires corpori reſtitutæ non ſolùm morbum teſtatæ ſunt de corpore abactum; ſed antiquum vigorem membris omnibus reſtitutum, ex corporis ſenſit valentia ſe iam liberatam à plaga: Quid tunc Dominus? Quis tetigerit veſtimentum rogat, vt mulieris fidem deprædicarit: *Quis tetigit veſtimenta mea?* Tangere fidei erat, vt largitatis ſanitatem impertiuiſſe: ſi ergo ſalus fuit tactus appendix, cur non roget quis de tactu ſanatus fuerit, quandoquidem ſic & mulieris deuotum prodebat obſequuim, & proſperum dilargientis beneficium: dum tacet ſalutem, præſtitam tactui mercedem occultat, dum fidem mulieris refert, dignum remuneratione ſeruitium declarat. O quàm vtroque ſuam largitatem cumulatiſſimè adornat, dum quærit obſequij conſcius, dum tacet quaſi largitatis ignarus. Innuit Chryſologus Chryſol.
ſermone 36. *Dum interrogat, velut ignorantiam profitetur, exiſſe virtutem de ſe ſentit; ad quam exierat, neſcit? Quod præſtiterat, nouit, cui præſtiterit, ignorat?* Profectò vt ingratiſſimi eſt poſt acceptum beneficium obliuiſci benefactoris, ita liberaliſſimi eſt poſt collatum obliuiſci beneficium: non rogat Dominus ignorantis errore; ſed maieſtate donantis: ſciſcitatus eſt de tactu, vt mulier fidei laudes apud omnes aſſequeretur: ſiluit de ſalute, quia non quærebat de beneficio præſtito plauſum; ſed compleſſe beneficium. O quàm ingenuum diſtorquet, qui longum beneficentiæ in ipſum collatæ catalogum texit: hic namque dediſſe probatur non ad ſubleuandum, ſed ad premendum: tranſeunt beneficia, ſi in publicum oſtentata, in tormentorum ingenia, & quibus ingenuus videbatur ornari, probatur ſæpiſſimè diſtorqueri: ſi in vna eademque actione connectuntur ſeruitium & præmium, obſequium & beneficium, liberalis ea ſolùm parte adſpicit, qua promeretur largitatem, non qua vrget gratitudinem. Verùm ſic à diuino ſtylo degenerant homines, adeò, ſi quid honeſtè geſſerunt, adulterant, vt iactatione vaniſſima corrumpant; quæ præſtiterunt obſequia, & accepta è memoria ſæpiſſimè expunxerint beneficia.

Deliquit Dauid ſuis oculis captus, tetra libidinis flamma adeo obcæcauerat mentem, vt 51.
nec periculum ſuum agnoſceret, nec piaculum deploraret: miſſus eſt Nathan propheta, qui prophetæ vlcus detegeret, & reprehenſionis medela ſanaret: cum propheta de propheta curando Deus diſſerit, & eiuſdem profeſſionis deligitur medicus, ne apud ſæculares vel ad medicinam propheta appareuerit exulceratus: non ſolum Deus ægritudini conſuluit; ſed honori: denique propheta accedit, & quò viuidiùs dolorem accendat, accepta à Deo beneficia dinumerat: *Hæc dicit Dominus Deus Iſraël: Ego vnxi te in regem ſuper Iſraël, & ego erui te de manu Saul, & dedi tibi domum domini tui, & vxores domini tui in ſinu tuo, dedique tibi domum Iſraël, & Iuda.* (1. Reg. 12. v. 8.) Profectò plura beneficia videntur excidiſſe memoria, quandoquidem ipſe Dauid, quæ illi acciderint, dum degeret mapalibus, referens aiebat: *Leonem & vrſum interfeci ego ſeruus tuus.* (1. Reg. 17. v. 36.) Nec ſolum ferarum vires edomuit; ſed totam Philiſthinorum fiduciam, grandem Hebræorum notam lapidis ictu deiecit, & proprio gladio dominum gladij diuiſit. Ad hæc millies de Philiſthinorum inſidiis ereptus, & de ingentiſſimis periculis aſſeruatus: cur ergo beneficiorum cenſum adeò præclara non augent; ſed ſilentio preſſa deliteſcunt? An quia inuidus vel ipſas feras exuperat vnde parum erat à ſæuiſ-

ſima

Digitized by Google

ſima feratum truculentia liberari, ſi conferatur cum ab inuido non occidi: non refertur de ferarum vnguibus liberatus; ſed de virulentiſſimæ inuidiæ technis ereptus: *Erui te de manu Sauli*. Bene, ſed locus, etſi alijs moralitatibus plenus, etiam theſi noſtræ confirmandæ opportunus: ſi accepta à Deo beneficia cum illorum commemoratione contuleris, inuenies tam parcè recenſeri, quàm copioſè conſtant præſtari: cenſum imminuit referens, & numerum vicit largiens: vt doceret homines liberalitatem in exhibendo, & parcitatem in numerando. Huc voco,
Chryſoſt. quod aiebat Chryſoſtom. in Pſ. 50. & apud Gloſſam: *O ſectura non gladio ſecans ſenſum doloris, ſed compendio accuſationis!* Non modica accuſationis pars erant beneficia accepta: ergò beneficia compendioſè numerat ad carpendum, qui cumulatiſſimè præſtiterat ad Dauidem honorandum: ſummatim retulit, vberrim exhibuit.

52. Laborabat populus aquæ penuria, cùm Deus conſulitur, & de lapide eliciendum fontem te-
Num.10.v.8 ſtatur: *Loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas.* Moyſes lapidem ferit, referitque, & iam fontium ingenium edoctus latices copioſiſſimos mittit: *Egreſſa ſunt aquæ largiſſimæ.* Nec ſolùm vnda præſtita; ſed petra populum
1.Cor.10. v.4. inuenitur ſecuta teſtante Paulo: *Bibebant de ſpirituali conſequente eos petra.* Profectò diſcordare à facto videtur verbum: aquas offert promiſſio, & copioſiſſimas vndas præſtat fidei liberatio: promiſit pro vrgentiſſimo illo indigentiæ articulo liquorem, ſecutus eſt ſilex potatos, ne alibi ſimile ſuſtinuerint periculum. Et quidem petram grauitatem dediſcere inuiſum erat; ea tamen eſt Numinis generoſitas, vt quod cupiditatem vincit exhibitum, anguſtetur relatum. *Dabit*, inquit, *aquas*: & cur non addiderit copioſiſſimas? Et cur non: & ſequetur populum prouidentià periculum arcens, & aquarum fluminibus vincens? Sanè, vt de ipſa relatione cumulatiùs liberalitatem ſuam adornarit, quando grande eſt liberalitatis elogium non referre, ſed præſtare: parcè retulit, largiſſimè illis donauit, promiſit aquam, & aquarum largitus eſt copiam: petram dixit fontem imitaturam, fecit vt ſequeretur arcens in poſterum indigentiam; potitus eſt populus multiplici beneficio ad vſum, & ferè non eſt inuentum beficium ad Kalendarium. *Bibebant de petra con-*
Anſelm. *ſequente eos*, ſcribit Anſelmus in 1. ad Corinth. 10. *id eſt, ſatisfaciente deſiderijs eorum: quoniam conſecuta eſt eos abundantia ſuæ largitatis, prius ſiti confectos, & ad Moyſem clamantes, dum ſatiauit eos ſic, vt ampliùs tunc non quærerent potum.* Largitate vicit deſideria, exigua videbantur beneficia relata: vt noueris Deum largiſſimum eſſe in beneficijs præſtandis & parcum in recenſendis.

---

§. XV.

Sic cæcutiunt homines, vt ea ipſa quæ ſeueritas poſſet decreuiſſe ſupplicia, ſibi exambierint vt commoda.

53. Seneca. DEſinamus, aiebat Seneca epiſt. 61. *quod volumus, velle.* Et cur ab antiqua cupidine deſiſtendum eſt? Quia ſic noſter caligauit viſus, noſter ſic delirauit affectus, vt quæ irati Numinis potuiſſent eſſe argumenta, nobis anhelis votis ſuſpiremus vt commoda. *Adeò indulgemus nobis*, aiebat Stoicus epiſt 59. *vt laudari velimus in id, cui contraria cum maximè facimus..... Vos quidem me dicitis prudentem eſſe, ego autem video, quàm multa inutilia concupiſcam, nocitura optem.* Tolerabile eſſet inutilia diſcupere: noſter creuit error, & nocitura, & exitialiſſima ambitioſiſſime nobis ſatagimus conciliare. Certè vt dignam de aliquibus exigat Numen vindictam, nullo alio opus eſt, quàm vt euenerint ſuſpitata: ille gaudet prodigioſis libidinibus, ſalutis vitæque peſtibus: ille inhiat auro, quod exitij cauſa exiſtet. Nonnunquam nauigantibus accidit nauim pretioſis mercibus, & peregrinis opibus adimplere, vt ipſo onere ſuppreſſa, dum tardiùs mouetur, aut ſuſtineat procellam, aut à piratis rapinam: ea ipſa, quæ ſibi magnis laboribus exambierunt vt commoda, experti ſunt ſera pœnitudine detrimenta. Tendebant ad aggerandas diuitias, & ob ipſas diuitias calamitatis ſuſtinuere miſerias. O quantos oblectamenta fallacia, & breuia decipiunt! O quot in ipſis erroribus inuenerunt errorum pœnam! Hebræi cupiditate obcæcati Chananæos noluerunt interimere contra diuinum præceptum, quo de impenſis tributis copioſum acquirerent ſibi aurum: *Pollicitus ſum, vt non facerem irritum pactum meum vobiſcum in ſempiternum, ita dumtaxat, vt non feriretis fœdus cum habitatoribus terræ huius; ſed aras eorum ſubuerteretis, & noluiſtis audire vocem meam.* Audiſti erratum, attende erroris ſupplicium: *Quamobrem nolui delere eos à facie veſtra.* Neſcias an dum Chananæos differt expellere, puniat, an aduletur Hebræis: ſi Hebræi fœdus ineunt, ſi viuere Chananæos diſcupiunt, quæ mulcta erit Chananæos ſeruare, ac illorum ruinam, interitumque differre? Sanè magna: quid enim malè cupienti nocentius, quàm ſi conſequatur cupitum? Cupit inſanus gladium, quo ſe interimat: negare eſt miſericordia; præbere ira: ſi amens ferrum, quod ſua in viſcera adigat, impetrarit, ſimul aſſequetur votum, votique ſupplicium: quia vt pietas eſt profutura concedere, ſic irati animi indicium peſtifera non negare. Adeſt
Abulenſ.quæſt 5. *Videtur ponere Deus idem pro pœna, quod erat culpa: fuit enim culpa Hebræorum, quòd noluerint delere Chananæos, cùm poſſint, & nunc dicit Deus, quod ipſe noluit propter hoc delere eos à facie ipſorum.* Dùm quæ malè concupiſcunt, eueniunt, iam grauiſſima ſunt tormenta, quæ fuerunt ardentiſſima vota. Chananæi ſeruantur, & ſeruati pœnas de ſeruatoribus ſumunt: vt ſuis in adinuentionibus reperiant ſupplicium, qui Dominicum ſpreuere mandatum. Abulenſ.

Deus, ne inſcij futuræ calamitatis occaſionem 54.
calamitati præberent, Hebræis prænuntiat quæ illos, ſi tranſgrediantur mandata, veluti à tergo
ſequantur incommoda. *Sin nolueritis interfice-* Num.33. v.55.
re habitatores terræ, qui remanſerint, erunt vobis quaſi claui in oculis, & lanceæ in lateribus. Abſalon lanceas corde tulit ab inimico contortas, & Hebræi, dum parant ſibi ſubſidia, architectantur & tela. Non indigent contortis ab hoſtili manu ſpiculis, quando ipſi ſpicula ſibi parant, dum commoda ardentiùs ſuſpirant: non ait Dominus: Ego clauos, lanceaſque oculis, lateribuſque transfigendis fabricabo, ſed, *erunt*

O 2 *vobis*

Digitized by Google

vobis quaſi claui in oculis & lancea in lateribus: Quia excuſato prorſus labore peccantium ſtudia miniſtrauerunt vindictæ arma.
Caietan. *Inſtar ſpinarum*, ſcribit Caietanus, *paruarum moleſtiarum oculis, & ſpinarum maiorum moleſtiarum lateribus deſcribuntur futuri extranei remanentes.* Extraneos permittunt lucris inhiantes, & patiuntur extraneos ſceleris pœnas ſoluentes, & quæ acrior illis potuit excogitari vindicta præter eam, quam ſibi parauit cupiditas obcæcata.

55. Nec tanto diluuio ſatis eruditi homines vanitati ſtudioſiſſimè ſe addixerunt, & iam quos delati imbres non oppreſſerant, ambitio merſit, & vanitatis naufragio obrutos ſeparauit: nomen celebrare deſiderant, qui ſubſtantiam non curarant ſeruare. Quid tunc? Laborioſiſſimo ſe operi addicunt, & luti in lateres efformandi ſe maculis fœdant, & ſe fœditatibus de-
Gen. 11. v. 3 fatigant: *Venite faciamus lateres, & coquamus eos igni: habueruntque lateres pro ſaxis, & bitumen pro cæmento.* Vides quid elegerit ambitioſa cæcitas: tranſi modò cogitatione ad Exodi 1. vbi tyranna Pharaonis feritas, & truculenta tyrannis, quò facilius populum attereret,
Exod. 1. v. 13. luti & laterum operibus onerauit. *Oderant filios Iſrael Ægyptij, & affligebant illudentes eis, atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti & lateris.* Quo odio ſuo adularentur Ægyptij, ea cogitarunt, quæ maiorem populo moleſtiam afferrent, & infamiam conciliarent. Itaque operam lateribus collocare erat tyrannidis crudeliſſimæ effectus, & amaritudinis cumulus, adeoque exoculati illi primi homines fuerunt, vt ea ſibi ambierint ad plauſum, quæ ferus & tyrannus homo decreuerat ad tormentum. *Facta eſt illis*
Lippom. *vita* amara! ſcribit Lippomanus, in ſeruitute illa graui ac dura, nempe luto & *lateribus.* Non miror nullum aliud ſupplicium præter diuiſionem vaniſſimis illis hominibus fuiſſe inflictum, quando ipſi durius, grandiuſque ſibi ſolicitauere tormentum. Duris operibus luti & lateris ſe addicunt ambitione cæci, cum eiſdem operibus Hebræos addixerint Ægyptij ardentiſſimo odio inflammati: *Venite*, dicebant ſe adhortantes illi, *faciamus lateres, & coquamus eos igni:* ad amaritudinem perducebant hi vitam eorum operibus duris luti & lateris: à tyranni votis non diſtabant, qui eadem laborum penſa ſibi imponebant. O quàm tyranna eſt ambitio, quando ad ea ambitioſum cogit, ad quæ tyrannus adegit! O quàm laterum fumo obcæcabantur, qui ſibi ea impoſuerunt, quæ ferarum imitati ingenium illis Ægyptij imponere ad vires deterendas curarunt. Prius adinuenit hos labores ambitionis delirium, quam tyrannidis inueniret ingenium. Vanitati inſeruientes ſe ipſos patiuntur carnifices, nec externis egent tormentis.

56. Vt à quibus neſcio quid ſtultiſſimis ſpebus promiſerant ſibi Hebræi, obtinerent, huma-
Pſal. 105. v. 37. no ſanguine figmenta placabant: *Immolauerunt filios ſuos, & filias ſuas dæmoniis; & effuderunt ſanguinem innocentem, ſanguinem filiorum ſuorum, & filiarum ſuarum, quas ſacrificauerunt ſculptilibus Chanaan:* Tolerari poſſet, ſi tyrannidis metas non tranſgrederetur ambitio, ſed ſopiretur cupiditas eiſdem, quibus contenta requieſcit feritas; verùm omnes ſæuitiæ terminos ſupergreditur, & vltra fide m diuagatur. Vides non ſolum filios; ſed & filias immolatas à parentibus nunquam ſucceſſuris ſpebus falſis, & irrita ambitione deluſis. Tranſi modò ad feram illam truculentiſſimam humana facie perſonatam Pharaonem videlicet, qui poſt longam meditationem, quò à regno ſuo pericula aueteret, cauſis generationis accidit, dum recèns erumpentes naturæ floſculos condemnauit; ita tamen crudelitati; pietatique diuiſit ſtudium, vt fœminas reſeruarit, & aquarum vorticibus potiorem ſolùm ſexum tradiderit:
Quidquid maſculini ſexus natum fuerit, in flumen proiicite: quidquid fœminini, reſeruate. O Exod. 1. v. 22.
pietatem de pietate ludentem! O clementiam ſæuitia deteriorem! ſeruauit fœminas; à quibus Ægyptij fructus ederentur, quò duplicitet, & ſæuiſſimè quidem noceret, dum optimis priuat fructibus; & dum peſſimis ditat prouentibus. Sed age iam & inſtituto noſtro locum aptemus. Ecce dum tyrannis durior, feriorque deſæuit, ad filios ſolum extendit imperium, cum parentum ſacra ambitio filios, filiaſque litarit, & idolorum aras ſanguine humano proluerit. Huc voco quod aiebat Tertul- Tertull.
lianus in apolog. *infantes penes Africam Saturno immolabantur palàm.* Vſque ad proconſulatum Tyberij, qui eoſdem ſacerdotes in eiſdem arboribus templi ſui obumbratricibus ſcelerum votiuis crucibus expoſuit. O quàm disertè arbores obumbratrices cruces appellauit votiuas: nec enim ſemel quas quis ſcelerum ſuorum perquirit vmbras, cruces votiuas patitur de impenſis, de ſumptibus, de mendaciis. Ecce vt Saturni Iouis quidem patris gratiam demererentur, ſanguinem filiorum, & filiarum litabant, & cùm effrænata Pharaonis feritas filiorum ſolum ſanguine ſatiaretur, cæca mortalis ambitio duriora ſibi imponebat tormenta, vt Iouis patri grata exhiberet officia. Annuit Lactantius lib. 1. capite 21. *Peſcennius Feſtus in lib. hiſtoriar. per ſatyram refert Carthaginenſes Saturno humanas hoſtias ſolitos immolare, & cùm victi eſſent ab Agathocle rege Siculorum, iratum ſibi Deum putauiſſe: itaque vt diligentius piaculum ſoluerent, ducentos nobilium filios immolaſſe.* Vt placarent falſiſſimum Deum, nulli ſanguini pepercerunt, & quæ feritas poſt longam meditationem ad torquendum non inuenerat, perpetrarunt. Si placet, & ſi tantiſper ab inſtituto abducamur, aliamque hinc eruditionem pro moribus liceat eruere. Iupiter apud gentiles deorum maximus, cui iudicandi facultas, cui lex, fatumque aſſidebant, hunc huius aut alterius pueri ſanguine demerebantur teſte citato Tertulliano: *Ecce in illa religioſiſſima vrbe Æneadarum piorum eſt Iupiter quidam, quem ludis ſuis humano proluunt ſanguine.* Cæli telluriſque Deo omnium præſidi, aliquid offerunt, ſed plura parenti: quia non ſemel Iudicum, Magnatumque cognatis grandiora, maioraque impenduntur, vt de illorum fauore, & quidem ſæpe mentito iudicis, aut Conſulis gratia concilietur. Quæ Conſuli non audent offerre cognatis & familiaribus mos eſt perſoluere, & iam Saturno ducenti pueri immolantur, cùm Ioui vnicus fortè immoletur.

§. XVI.

Digitized by Google

§. XVI.

Grandis Numinis fauor eſt, peccandi occaſiones arcere: nam ſi occaſio inuitet, fragilitas humana non rarò corruet.

57. QVid tibi vitandum præcipuè exiſtimes, quæris: delicti opportunitatem: nullus ſe occaſioni tutò committit: quiſquis ſuam imbecillitatem fateri non erubeſcat, clarè fatebitur rarò ſe quos habebat mores, irritante occaſione, integrè puréque ſeruaſſe. Aliquid ex compoſitis turbatur, aliquid ex fugatis redit: certè paſſionis æſtus ardet viuidior, & errat animus fumo cæcior: ſed eſto mediis in periculis ſibi conſtet, ſanè illã tranquillitatẽ, qua non vrgente occaſione fruebatur, amittet, & opportunitate inſtigante placiditatem in turbationem mutabit. *Quod ægris euenit*, aiebat Seneca epiſt. 7. *quos longa imbecillitas vſque eo affecit, vt nunquam ſine offenſa proferantur, hoc accidit nobis, quorum animi ex longo morbo reficiuntur.* Actior aëris flatus nocet imbecillo, & quidem licèt non febrim, augere ſolet ardorem. Opportuna occaſio, ſi affectum non adurat, ſaltem inflammabit: vbi virtuti conſulendum eſt, ab occaſionis ſpecie erit etiam abſtinendum: nam vt vocantur miracula, quæ accidunt præter naturæ ordinem, ita occaſionem eluſiſſe, prodigij ad inſtar eſt, quia dediſcit conſuetudinem. Fugit aliquando Ioſephus incitantem opportuniſſimam occaſionem. *Fugit & egreſſus eſt foras.* Quod Chryſoſtomus ingens arbitratur miraculum, vt fuit pueros ardentes flammas conculcaſſe, prodigium. *Non tam admirabile* (verba ſunt Sanctiſſimi Doctoris apud Lippoman.) *vt mihi videtur, in fornace Babylonis eſſe tres pueros, & illæſos permanere, & nihil ab igne pati, vt admirabile hoc & rarum.* Vt fert natura inter voraces ignis flammas aduri, ſic inter occaſiones labi. Ecce Deus Chananæos aſſerit relinquendos, deoſque ipſorum fore indubiam Iſraëlitarum ruinam: *Nolui delere eos à facie veſtra, vt habeatis hoſtes, & dij eorum ſint vobis in ruinam.* Verùm cur adeò certa ruina, ſi à libero pendebat arbitrio & voluntatis ſtudio? Quia idolorum aræ paſſim oculis offerebantur: quia impia offerendi ſacrificia opportunitas alliciebat, adeoque inſolitum eſt occaſioni reſiſtere, opportunitatique refragari, vt Iſraëlitas iam lapſos poſſis aſſerere ſi noſcis occaſionibus exundare: *Fecit*, ſcribit Abulenſis quæſt. 5. *quod Iſraëlitæ haberent occaſionem peccandi, & conſequenter recipiendi pœnam propter deos gentilium.* Itaque dum in ſcelerum grauiorem pœnam ſcelerum Deus occaſionem non auertit, iam ruina indubiè prædicitur: quia vti occaſionem eludere eſt rarum, ita inuitanti cedere frequentiſſimum. Ergo magna Dei miſericordia eſt peccandi occaſiones præcidiſſe, & à iuſtis longè effugaſſe: tanto namque tempore virtus florebit, quantò differatur occaſio: nam ſi vigeat, aut corruet victa, aut languebit infirmata.

Seneca. Geneſ. 39. v. 13. Chryſ. *Mirabilius eſt occaſioni, quam ignem vincere.* Abulenſ.

58. Iob cum Deo differens aiebat: *Si peccaui, & ad horam pepercisti mihi, cur ab iniquitate mea mundum me eſſe non pateris?* Dolore perculſus refragari ſibi videtur, dum coniungit & Deum illi pepercíſſe, & adhuc non pati mundum à peccatis. Profectò ſi venia gaudet, iam ſceleris immunditia non horret, aut ſi obſcuratur non mundus, nec à culpis eſſe poterit liberatus. Ergo ſtylum vertat, ne ſibi repugnantes ſententias iungat. O magnam eruditionem! Iobus adhuc peccati memoria titillabatur, adhuc pulſabatur voluptatis lenociniis, adhuc prolectabatur pictis imaginationis penicillo cupediis: adeoque ſolitum eſt occaſioni cedere, vt ſe immundum reputet, dum peccandi occaſionibus ſe obſideri cognoſcit. Adeſt Gregorius lib. 9. moral. cap. 31 *Ad horam Dominus peccatori parcit, cùm reatum culpa conceſſis protinus fletibus diluit; ſed ab iniquitate noſtra mundos nos eſſe non patitur: quia volentes quidem culpam fecimus; ſed nonnunquam nolentes eius memoriam cum delectatione toleramus; ſæpè namque hoc quod à conſpectu iam iudicis fletu interueniente deletum eſt, ad animum redit.* Opportuniora quæ ſubiungit Gregorius: *Deuicta culpa ad delectationem rurſus irrepere nititur, atque in antiquè certamine rediuiua pulſatione reparatur, ita vt quod prius egit in corpore, hoc importuna cogitatione poſtmodum verſet in mente.* Occaſio importuniſſima animum repræſentatis deliciarum voluptatibus alliciebat: ergo Iobus ſe reum veretur: quia quantum valeat ad delicta fouenda occaſio, ipſis pulſationibus experitur: ſe inter occaſiones immundum reputat, & ad horam Deum pepercíſſe teſtatur, niſi peccati occaſiones præciderit, & animum ſedatis cogitationum vorticibus tranquillauerit.

Iob. 10. v. 14. Gregor.

59. Conſonat Iobo Pſalmiſta, dum cicatrices ſuas à facie inſipientiæ gemit corruptas & putrefactas: *Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ.* Citatus Grogorius cicatrices ait corrumpi, dum iterum delectatio vocat in pugnam: *Cicatrices computreſcere eſt ſanata iam peccatorum vulnera rurſus in tentationem ſerpere.* Hæreo ſanè in tanti Doctoris explicatione: quia licèt ſuggeſtio gratis ictibus incurere plagas tentet, dum conſenſus abeſt, non ſolum robur non infirmat; ſed vires ipſo certamine roborat; ergo cicatrices integræ ſanitatis indicia à facie inſipientiæ nequeunt putredinem ſugere: quia putredo ſolum à voluntatis conſenſu nouit manare. Pſaltes ſi conſenſiſſe ſe nouit, iterata repetito errore vulnera clamet, aut ſi viriliter reſtitit, non aſſerat cicatrices corruptas; ſed tantummodò pulſatas. Reſtitit quidem tentationi viriliter; at vt nobis eius efficaciam oſtendat, dum ſe occaſionibus circundatum aſpexit, iam contractam ægritudinem timuit: non quia laborauit morbo; ſed quia proximabat periculo: humanæ naturæ fragilitatem expertus, vbi ſe delinquendi opportunitate pulſatum vidit, & corruptas cicatrices ingemuit: *Quid namque cicatrices* (verba ſunt Gregorij) *niſi ſanationes ſunt vulnerum? Laxatas ergo nequitias ad delectationem memoria redire conſpexerat, qui cicatrices deflebat.* Dum cicatrices vidit iterum ſuggeſtionibus imperitas veluti amiſſas iam fleuit, & quam timenda fuerit occaſio, poſteros docuit. Fuge ergo occaſionem, fuge peccandi opportunitatem, nam quantumuis conſtanti, integraque ſalute refloreas prædítus, corrues miſerè vulneratus.

Pſal. 37. v. 6. Gregor.

Digitized by Google

60. Deus legem daturus ad Sinai montem deſcendit; ſed arcanis ſe caliginibus occultauit, & tenebroſis nubibus texit: *Acceſſiſtis ad radicem montis, qui ardebat vſque ad cœlum, erantque in eo tenebræ & nubes, & caligo: locutuſque eſt Dominus ad vos de medio ignis: vocem verborum eius audiſtis, & formam penitus non vidiſtis.* (Deuter.4. v.11.) Profectò tantiſper ſuis videtur Deus detraxiſſe beneficiis; dum tenebris inuolutus fugit aſpectum, & conſtipatis nubibus viſum. Nonne ſumptuoſior fauor eſſet ſydereo vultu micare fulgentiſſima, & quæ Solem vinceret, luce oculos incurioſos etiam allicere, & blandiſſimè prolectare? Nonne ſatius de diuini vultus maieſtate leges commendare, & ſyderea luce fulcire? Certè præcipientis auctoritas legis eſt neruus, & quo præceptor amplius ſuſpicitur, eo maiori veneratione lex colitur: ergo faciem oſtendat, quo ad timorem, & amorem alliciat; imò faciem ſubtraxit, quo beneficium augeret, & fauorem commendaret. Erat gens illa ſic ad idololatriam exprompta, ſic erroribus inclinata, vt ſi viderent imaginem, Deum vti corporeum exinceps adorarent, & ipſam ſalutem in morbum verterent. Adeſt Interlinearis (Interlin.): *Ne ſcilicet volens imitari ſculpendo faceres idolum tibi.* Omnem igitur occaſionem præcidit, & præciſa beneficium adauxit. O quam tenerè Deus Iſraëlitas diligebat, quibus omnem ſceleris occaſionem prouidentiſſimus amputabat! De tenebris, de caliginibus, de nubibus beneficium condecorauit, dum omne periculum idololatriæ remouit. Adeſt Abulenſis (Abul.) quæſt. 7. in cap. 2. Ioſue: *Ne haberet occaſionem errandi*: noluit apparere in aliqua effigie: quia populus in errores incideret, ſi aliqua occaſio inuitaret.

61. Vt noueris quàm valida ſit occaſio ad infringendas virtutis vires, Dominicæ ſtylum orationis expende: regnum conſuluit petere: *Adueniat nobis regnum tuum* (Matth.6. v.10.): id eſt, iam in terris cælicolæ videamur. Ita Tertullianus (Tertullian.) de orat. cap.5. *Etſi præfinitum in oratione non eſſet de poſtulando regni aduentu, vltro eam vocem poſtulaſſemus feſtinantes ad ſpei noſtræ complexum.* Itaque dum regnum aduentat, ſpes conſummatur: quia in terris more cælitum viuitur. Huic clauſulæ aliam annectit Dominus: *Et ne nos inducas in tentationem.* Profectò opportunius ad ſpeciem videbatur ordinem inuertiſſe, & clauſulas ſerie diuerſa ordinaſſe: petant arceri occaſionem, antequam mores cælitum induant; at iam in cœlorum veluti colonia, non tam opportunum videbatur occaſiones pertimeſcere, quàm ambire. Fortis miles certamen exoptat, ſi de victoria præſumit. Ergo cæli ciues tentationem prouocent, vt laureati glorioſius triumphent. O Domini immortalem ſapientiam! Poſt regni aduentum tentationis exilium iuſſit poſtulare, quò diſcerent vires occaſionis timere: nec enim grandis erat exaggeratio ante regni aduentum timere periculum: tunc enim non videbantur armari, nec aduerſus volumina tentationis muniri; at poſt regnum cum tentatione confligere detrectare occaſionis vires mirè explicabat, & terrorem vel cæleſtis regni in terra ciuibus incutiebat. *Adiecit*, verba ſunt Tertulliani (Tertullian.) cap. 8. *ad plenitudinem tam expeditæ orationis: Ne nos inducas in tentationem, id eſt, ne nos patiaris induci ab eo vtique qui tentat.* Robur occaſionis declarant, cùm occaſionē auerti exorant. Et quidem vel conſtantiſſima fides, vel ardentiſſima charitas ſibi adeò cauet, vt dolorem prouocet, omnemque torquendi apparatum generosè deſpiciat, vt occaſionem ſolicitè à ſe remoueat.

Præceptum accepit Abraham de ſacrificando filio, & quidem vti deuotiſſimus moras non traxit; ſed ad ſacrificandum celeri pede cucurrit: loco propinquans quos ſecum tulerat, ſeruos expectare iuſſit: *Expectate hîc cum aſino.* (Geneſ.22. v.5.) Quærunt interpretes, cur pueros reliquerit, qui gladium manibus portare non horruit. Ambroſius apud Lippomanum prudentiam Abrahami demiratur, vt qui veritus ſit, ne ſi ſerui victimam noſſent, à ſacrificio abſtinere, importunis precibus & lachrymis exorarent: *Captiosè loquebatur cum ſeruulis, ne cognito negotio aut impediret aliquis, aut gemitu obſtreperet, aut fletu.* (Ambroſ.) Si ſeruuli negotium aduerterent, pietatem putarēt brachium impedire, fletu à parricidio auertere, adeòque pater optimus hæc non ſacrificandi pericula timuit, vt prouidentiſſimè amoueritt: non horruit ad flammarum ſtrepitum, ad aciei viſum, & timuit, ne quis illum non ſacrificare ſuaderet, aut ad ſacrificium differendum alliceret. Quid exaggeratius; Quid verius? 62.

§. XVII.

Superioris reſplendet plurimum excellentia, dum animi morbos ſanat faciliori medicina.

AMorem erga ſubditos Principem, ſuperioremve habere cognoſcitur, dum in vitia militare probatur: quod impenſius amatur, & diligentiùs cuſtoditur: nec maiorem poteſt ſubditus ſuſtinere iniuriam, quàm corrigentis ignauiam. *Cautela*, aiebat Caſſiodorus 1. var. 44. *prodit affectum, & quæ ſtudioſius diligimus, maiori gratia cuſtodimus.* (Caſſiod. *Quod tenerius amatur, diligentius cuſtoditur.*) Dum ſubiecto vigilantius proſpicitur, & tenerius amari dignoſcitur. Non eſt beneficium licentia; imò grandis ſubiectorum ruina, quandoquidem videntur deſpici, dum deſpicitur corrigi; verùm vt peritia medici lucet in non diſſecandis membris, ſi ægritudo depelli poſſit facilioribus medicinis, ita rectoris elucet ars in moribus reformādis leni & efficaci ſubſidio, non aſpero, truciqueremedio. Nonnunquam fouet medela inopportunè applicata languorem, & auxiliatur morbo, quod auxiliari debuiſſet infirmo. Sanè tales ſunt aliquando ægritudines, vt curati expoſcant de cauterio, de ſinapis incendio, de acri ſupplicio; verùm quæ remedia adeò auſteriora non poſcunt, leniter tractanda ſunt, & quidem ingenui, dum decentius tractantur, & ſtudioſiùs obſequuntur. Laudabilis eſt ſuperioris ſolertia, ſi perficiat verbo, quod alter ægrè perfeciſſet ſupplicio. Iſraëliticus populus felicitate ipſa deprauatus diuina violauit edicta, & Chananæorum non deleuit; imò coluit cæciſſimè idola: verùm diuinæ clementiæ metas non exuperauit exceſſus; ſed miſit Angelum, qui tranſgreſſores carperet, & antiquum ad virtutis cultum reduceret. Quid tunc? Delegatus Angelus delinquentes obiurgat ſermone efficaci 63.

non

non aſpero: *Noluiſtis audire vocem meam: cur hoc feciſtis?* Profectò Angelus hic parum induſtriè munus ad ſpeciem obit, & dum irâ abſtinet, & criminibus licentiam præbet. Si Leuitæ, et religionem de idololatris vindicarent, gladio obarmati viginti tria millia de populo pia crudelitate necarunt: Ceciderunt in die illa quaſi viginti tria millia hominum: cur non ſtringat gladium, vt refractarios referiat? O curationis peritiam! Profectò Angelus eſſe probatur, dum facili remedio vitium corrigitur: viginti tria millia deleuere Leuitæ; tunc verò fletus non refertur; at dum Angelus obiurgat, copioſiſſimus planctus deſcribitur: *Cùm loqueretur Angelus Domini hæc verba ad omnes filios Iſraël, eleuauerunt ipſi vocem ſuam, & fleuerunt*: peritiam ſuam oſtendit Angelus, dum abſtinens à duris medicamentis attulit medelam delictis: non ſe peritum adeò medicum oſtentaret, ſi ferro potius vitam auferret, quàm culpam. Rabbini Phinees vocari hîc Angelum autumant, vtque illi veritate ad delitia ſæpè abutuntur, & nobis licebit deliriis veritatem ſtabilire. Ecce Phinees zelo inflammatus iuuenem illum adeò ſalacem, vt non ſolum hominum conſpectum delinquens non erubeſceret; ſed inſolenti etiam veſania affectaret, pugione confodit: *Perfodit ambos ſimul*: hîc Phinees Eleazari filius vocatur, *Phinees filius Eleazari*; at hic Angeli cognomen ſortitur: *Aſcendit Angelus Domini de* Numer. 25. v. 8. *Galgalis ad locum flentium.* Iam pungit ſcrupulus, cur idem alibi Angelus, & homo alibi nominetur. Ea ſe mihi ratio offert, ſcilicet alibi duro ſupplicio Iſraëlitas frænaſſe; hîc verò efficaciſſimo alloquio excuſato ferro ad pœnitudinem aduxiſſe: ideoque hîc nobilius ſortitum fuiſſe vocabulū, ac ſumptuoſius de medicamine elogium: quia excellentior apparebat leni medicamine corrigens ſubditorum delicta, quàm ardenti ira, ſplendenti ferro, inflicto mortis ſupplicio puniuiſſe peccata. Adeſt Lyra: *Dicunt Hebræi quod iſte Angelus fuit Phinees: tum quia Angelus interpretatur nuntius, ipſe autem fuit miſſus à Deo ad arguendum populum de tranſgreſſione mandatorum eius eo modo, qui ſequitur.* A Deo apparuit miſſus dum efficacia coarguit, non vulnus inflixit. Lyra.

64. Expendebat Seleucienſis Baſilius orat. 22. diſcrimen in corrigendo inter Moyſem & Chriſtum Dominum: eduxerat ille non ſine miris Iſraëliticum populum de crudeli illa Ægyptiorum tyrannide, anxios fugienteſque eques ſequebatur mucrone tergis inſiſtens, cùm mare pueris ſubornatum iuſtis pauperibus aditum denegabat, quò iniuſtæ adularetur potentiæ. Quid tunc? Moyſes virga diuerberat, & ſcindit: *Cùm extendiſſet Moyſes manum ſuper mare, abſtulit illud Dominus flante vento.* Ceſſit terrore frænatum, fugit mare virga percuſſum. Ex. 14. v. 21. Tranſi modò cogitatione ad Matth. 8. vbi cum diſcipuli; Dominuſque ſcapham inſcendiſſent, & Dominus aliqualem ſomnum caperet, inuſitata tempeſtas confeſtim horriſono cum fragore inſurgit, & ſecum inuicem repugnantes ventorum turbines feruntur in ſcapham: ſublatiſſimæ vndæ ſe in cælum iaculabantur, & fluctus tumidiſſimus per momenta nauiculæ minabatur naufragium; verùm cum aduerſus diſcipulos talis depræliaretur tempeſtas ad magiſtrum timore agitati accurrunt, & interpellato ſomno periculum nuntiant: *Salua nos perimus.* Vel in ipſa perturbatione quam de Chriſto opinionem haberent, oſtendunt: nec enim dicunt: Salua te; ſed ſalua nos: ſciebant namque poſſe turbinibus imperare, & naufragium iam præſens eludere: Chriſto accedunt ambitores ſalutis: quia nouerant de eius diſtantia vires tempeſtatem reſumere, eiuſque proximitate deperdere. Somno vocibus excuſſo Dominus aſſurgit, qui nec per tam feſtinatam expergiſcendi rationem quid, vt aſſolent, qui dormiunt, ſomniculoſè egit; ſed ſeuero vultu mari imperauit: Surgens imperauit ventis & mari: imperium tranquillitas ſecuta eſt, iam coacti venti, iam fluctuum vortices ſedati, iam mare aliud: *Facta eſt tranquillitas magna.* Quàm alios mores induit mare Dominica voce correptum, imperiique efficacia refrænatum! Stylum vertit, vt morem præcipienti gereret, & Moyſe excellentiorem ipſo obſequelæ modo Chriſtū omnibus denuntiaret. Mirabilis profectò Moyſes, dum tanta vorticum volumina verbere percuſſa ſuſpendit; ſed mirabilior Dominus, dum ſine verbere, dum ſine ictu adeò inſanientes marinos æſtus ſedauit: *Aquarum ingenium increpationem horruit, & vocis terrore, ſtabat, fugiebant venti, coërcebantur vndæ, ſopiebatur pelagus, fluctuum ſuorum ceruicem curuabat.* Subiungit: *nam quod olim mare Moyſem fugit, & Moyſis Dominum venerabatur tamquam mancipium incompoſitis moribus, verbo minaci mare continet Deus, & medica voce ingens elementum refrænabatur.* Modica voce frænauit, quod Moyſes verbere repetito ſuſpendit. Diſcant ſuperiores honeſtum plauſum ſibi conciliare non de ignauia ſubditis, etſi plauſibili, prorſus exitiali, non de verbere, non de terrore; ſed de leni in corrigendo efficacia, & de efficaci in perſuadendo loquela. Vitiis nullatenus indulgendum, nec odium ſubiectorum eſt conciliandum: ea vultus non ingrata ſeueritate polleat, ea auctoritate faſtu excuſato apud ſuos ſuperior valeat, vt plus efficiat verbo, quàm alius effeciſſet ſupplicio: hoc enim excellentiorem aliis demonſtrabit, & perhoneſtam laudem acquiret. Matth. 8. v. 26. Seleucienſ.

Maiori ſe ſpiritu præditum Eliſæus oſtendit, dum faciliori medicina vitam ſibi ſubiecto inſpirauit: Sareptanæ filius miraculoſa abundantia abuſus, quam fame non vocauerat, mortem forſitan vocauit ingluuie: Elias materno fletu commotus, & ex ſe ad pietatem propenſus puerum ſuſcitat trina incubatione, expanſione trina: *Expandit ſe atque menſus eſt ſuper puerum tribus vicibus*: totum ſe ſibi ſubiecto impoſuit, toto corporis onere preſſit: ſanè puer reuixit; ſed forſitan defatigatus? Eliſæus Sunamitidis etiam filium exuſcitat, ſibi quidem ſubiectum; at induſtriè curuatum corpus ſuſpendit, ne totum onus ſubiecto imponeret: *Incuruauit ſe ſuper eum, & calefacta eſt caro pueri.* Bis ſuper puerum Eliſæus incubuit; Elias dimenſione trina excitauit: quod ſi rationem differentiæ loquiras, textus non obſcurè innuet, ſcilicet Eliſæum duplici ſpiritu ornatum, Eliam vnico præditum: maioris Eliſæus auctoritatis apparuit, excellentioris ſpiritus laude reſplenduit, dum facilius, dum lenius demortuum puerum exuſcitauit, & amiſſæ luci reſtituit. Huc voco Ambroſium in 3. cap. Eccle. *In Eliſæo figura Domini præceſſit.* Conſonat Theodoretus quæſt. 18. 65. 3 Reg. 17. v. 21. Ambroſ. Theodoret.

in 4. Reg qui vbi textus habet, *incubuit*, legit, *inſufflauit*. : accipe eius verba: *Quomodo Deus corpus Adami fabricatus per inſufflationem indidit animam, ita propheta ſuſcitauit adoleſcentem.* Neſcio quam Elizæus diuinitatem oſtendit, dum flatu perfecit, quod Elias pondere: non omnimodè ſe Eliſæus impoſuit, non tota corporis mole ſubiectum preſſit: à proprio exegit ſpiritu aliqua oppreſſione excuſata, mortis depellere tenebras, & matris ſedare lacrymas.

66 Chryſologus ſerm. 54. argutè quidem expendebat diſcrimen inter Ioſue Ieſu typum, & Ieſum verum. Febriebat Iericho impietatis ardore, ille religionis zelo tuba inſonat terribili, aureſque ferienti, muti ſuperbam altitudinem depoſuerunt: ciuitaſque potius eſt ſubuerſa, quàm emendata: (Ioſue 6. v.20.) *Clangentibus tubis*, &c. *muri illico corruerunt.* Clamor validus vel adamātinos muros quaſſauit, & in modum liquoris fugere docuit. Hanc ipſam ciuitatem ingreditur Dominus, lenique voce Zachæum vocans non ſubuertit; ſed humilitatem docet: *Zachæe feſtinans deſcende, quia hodie in domo tua oportet me manere, & feſtinans deſcendit, & excepit illum gaudens.* (Luc 19.) Dominus Iericho intrat, Ioſue capit: huic muri per tempus longum reſiſtunt, & tandem deficiunt diruti, diruuntur ſubuerſi; at Dominum gaudens excepit ciuitas, & Zachæus deſcendit humilis, non iactatus: ipſe effectus differentiam inter ſeruum, & Dominum clarè oſtendit: quando hic efficaciſſima, etſi leni voce citò perfecit quod ille clamore horribili non patrauit. (Chryſol.) *Iericho ciuitas ipſa eſt* (verba ſunt Chryſologi) *quam Ieſus Naue ſepteno tubarum clangore ſubuertit: ſed quia Chriſtus venit ſaluare quod perierat, ingreditur Iericho.* Curioſiùs audi quæ ſubdit: *vt quod lex terribili vociferatione deiecerat, Ieſus clamore piæ prædicationis attollat.* Chriſtus pro clamore allicit, Ioſue concaui æris mugitibus terret, vt iam appareat excellentiori Dominum pollere virtute, quando facilius conſummauit, quod clamor horriſonus perfeciſſe non potuit.

---

§. XVIII.

Non tam grande ambitioni ſupplicium eſt propriis commodis diſpoliari, quàm ipſis inimicos augeri.

67. SEmper inimici incrementa inimico putantur damna: quia timent de alienæ felicitatis cumulo certius, velociuſque ſibi promanaturum diſpendium: *Alium paupertas vrit*, aiebat Seneca epiſt. 48. *alium diuitiæ vel aliena torquent.* (Seneca. *Aliena diuitia torquent.*) Diuitiæ alterius flammæ aſpicientibus ſunt, vel quando poſſeſſor non eſt odioſus; quale putas incendium erunt, ſi fuerit dominus inimicus? Grauiſſimum eſt tormentum hominibus, ſi quem ardenti odio proſequuntur, feliciſſimum intueantur. Semel rogauit heluo ille, vt linguæ refrigerium obtineret, bis vt Lazarum ſub fraternæ pietatis ſpecie à fortunato Abrahāmi pectore ſepararet: quia plus illum Lazari pungebat proſperitas, quàm propria diuexaret calamitas. Quod ſi adeo aliena etiam ſine detrimento proprio exacerbat fortuna, quantum putas exacerbabit, ſi iam proprio diſpendio alienum augetur commodum, ſi iam de propria calamitate creſcit hoſtilis potentia, & tumet inſolens inimicorum audacia? Deliquerant Hebræi diuina præcepta transgreſſi, idola reliogione ſacrilega venerati, vtque dignam de eis vltionem Numen expeteret, conſeruandos, fouendoſque aſſerit Chananæos in Hebræorum ruinam, & in præcepta transgredientium miſeriam: *Nolui delere eos à facie veſtra, vt habeatis hoſtes, & dij eorum ſint vobis in ruinam.* Hoc idem iam comminatus fuerat paulò aliter ad 33. Numer. *Aduerſabuntur vobis in terra habitationis veſtræ, & quidquid illis cogitaueram facere, vobis faciam*: (Num.33. v.56.) id eſt: vires, quas vobis promiſeram ad victoriam, illis veſtram conferam ad ruinam, vt iam de robore vobis debito ſuam felicitatem adornent, & adornatam confirment: *Quidquid illis cogitaueram facere, faciam vobis*, ſcribit Caietanus: *maxima comminatio eſt.* Annuit Abulenſis quæſt. 5. *Deus dabat illis* (Chananæis) *vires ad præualendum contra illos in pœnam delicti eorum.* (Caietan. Abulenſ.) De Hebræorum viribus muniebantur aduerſarij, vt doleret vehementer Hebræus non ſolùm ſe viribus defraudatum; ſed eiſdem inimicum robuſtum.

Vt plenius paſſionis Chriſti Domini conſummaretur acerbitas, & extrema cumularetur calamitas, illum hoſtes non ſolùm ornamentis diſpoliarunt; ſed ſibi datis ſortibus acquiſierunt: (Ioan.19. v.23.) *Acceperunt veſtimenta eius, & fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem.* Duplex tormentum, miles ornatus, & corpus nudum: ſi iam ea ornamenta aduerſariis non inſeruirent, premeret ſolùm inopia; ſed dum inſeruiunt, cumulatius vrget miſeria: quam dolore plenum erat auctam aduerſariorum ſpectare fortunam de ſibi detractis veſtibus, & diſpoliatis ornatibus! Non tacuit huius doloris acerbitatem Pſalmiſta, hiſtoriam prænuntians, &, ſi fas eſt dicere, gemitibus acerbitatem doloris indicans: *Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.* Non ſolùm diuiſerunt; ſed ſibi, vt dolorem adaugerent, & calamitatem perfectiſſimè cumularent: (Pſalm.21. v.19.) *Aduertendum*, ſcribit Incognitus ad Pſalm. 21. *quod talem veſtimentorum Chriſti diuiſionem non fecerunt milites ex auaritia; ſed magis ad procurationem Iudæorum ex deriſione.* (Incognit.) Iam Iudæi Chriſtum in crucem egerant, iam non ſolùm veſtibus; ſed ſanguine diſpoliarant; verùm nondum furens illorum ſopiebatur inuidia: ergo hanc ad grauius diſcruciandum machinam excogitarunt, ſcilicet Chriſti veſtimenta, quæ exigui quidem valoris, non ſperni; ſed diuidi, vt dum inimicus infelicibus illis exuuiis conſpiciebatur amictus, acerbior ipſa cruce recrudeſceret doloris cruciatus. Aſtutè quidem hoſtes veſtimentorum partitionem procurarunt, & crucis dolores perfectiſſimè compleuerunt. Cùm nauigantibus hoſtes occurrunt, ipſa diuitiarum iactura ſolatium affert, ſi hoſtilem cupiditatem eluſit; at diuitias labore partas in hoſtis poteſtate videre eſt grandius torquendi ingenium, & ingenioſum ſupplicium.

69. Eſau primogenituræ ſibi dignitatem exambiens in campum pergit obſonia patri venaturus; verùm dum incerta ſequitur, plus quàm opus erat, tempus conſumit: eo tempore Iacob, quocum vel in matris vtero fuerat rixatus, dum ad certa, & præhabita tendit, obſonia citiùs

Digitized by Google

citiùs adducit : tandem pio dolo patris cautela deluſa fratri benedictionem præripuit , quo cognito Eſau copioſas in lachrymas fuſus do-
Gen.27.v.34 let,& clamore inconſolabili luget: *Auditis Eſau ſermonibus patris irrugit clamore magno.* Cùm anteà primogenita paruipenderit , miror cur modò ploret in clamores effuſus : ſi adeò minimi eam dignitatem imprudentiſſimus æſtima-
Gen.25.v.34 uit,vt ob lentium edulium vendiderit: *Abiit paruipendens quod primogenita vendidiſſet.* Si depretiauit poſſeſſam , cur tam vehementer dolet amiſſam? In vtroque mirè noſtros explicuit affectus:non dolebat tantùm illa dignitate carere (oſtendit namque olim quàm parui æſtimaret) quàm ſecum decertantem,fixantemque auctum & fortunatum adſpicere : grandis erat dolor prædiuiti adeò benedictione mulctari;ſed gran-
Lippom. dior illa ſibi contrarium augeti. *Fuit dolor hic,* ſcribit Lyppomanus, *ex priuato commodo procedens, & cupiditatis affectu, quò nimium erga temporalia tenebatur.* Aptiùs Philo Hebræus apud
Philo. Lyppoman. *Eſaü non tam cordi erat paterna benedictio,quàm ne frater Iacob ſibi præferretur, atque in potioribus bonis eſſet.* Erat erga Iacob Eſaü frater titulo,contrarius odio,& cùm agnouit diſcupitis vehementer facultatibus ſe diſpoliati , & inimicum augeri,doloris æſtum pectore non valens claudere , coactus eſt triſtiſſimis rugitibus prodere : *Irrugit clamore valido.* Ni ille , cum quo certamen ſemper inierat , ea benedictione augeretur , patientius iacturam tuliſſet ; at erat acerbiſſimus cordi clauus ſibi videre præpoſitum, quem vellet ſemper ſubiectum : inimicitia & cupiditas veluti collatis viribus adeò Eſau præcordia adurebant,vt extra ſe videretur actus, & triſtitia prorſus oppreſſus : ni adeò ardenter dignitatem ambiret , adeò grauiter non doleret ; & quamuis dignitatem ambitioſiſſimè ſuſpirarit , faciliùs iacturam toleraſſet , ſi alius præripuiſſet; at Iacob ab vtero colluctatus , & ſtudiis ſemper Eſaü aduerſus eum dolorem dignitate auctus incutiebat,vt nec pectus caperet, nec hominis feritas ſuſtinere valeret : *Non tam cordi erat paterna benedictio , quàm ne Iacob ſibi præferretur.* Profectò inter extremas calamitates hanc excellere ſemper iudicabo , ſcilicet hoſtes videre amiſſis propriis facultatibus diuitatos, & dignitate ſuperbos.

70. Ezech.17.v.3. *Aquila grandis* , aiebat Ezechiel , *magnarum alarum longo membrorum ductu , plena plumis & varietate venit ad Libanum, & tulit medullam cedri,ſummitatem frondium eius auulſit.* Quam medullam tulerit , clauſula ſequens explicuit, ſcilicet ſummitates frondium : nec enim aquila roſtro potuit cedrum teretem perforare, vt medullam erueret : ſi ergo ſummitates frondium auellit , cur cedrus dicitur excordata , & medullâ , quæ arboris veluti cor eſt , prorſus deſtituta ? Quia profectò his ſymbolis , quæ Hebræorum populo acciderunt , depingebantur: venit namque Nabuchodonoſor , & ablatis diuitiis plumarum ſuarum varietatem , & elegantiam adauxit , quod adeò Hebræorum corda terebrabat , vt vehementiſſimo dolore premerentur. Profectò ſi frondes caſu deciderent , deperderenturque , tolerabile eſſet ; at videre aquilam inimicam ablatis medullis pinguem, floribus redimitam, erat non ferendus dolor,
Hieron. & inexplicabile dictu tormentum. *Nabuchodonoſor*, ſcribit Hieronymus hîc , *de quo & Oſee loquitur , quaſi aquila ſuper domum Dei.... Iſte multis imperans nationibus, & innumerabili vallatus exercitu venit ſuper domum Dei : haud dubium , quin templum ſignificet ; ſiue , vt nunc ſcriptura dicit, ad Libanum, de quo loquitur Zacharias : Aperi Libane portas tuas , & comedat ignis cedros tuas : vlula abies , quia cecidit cedrus.* Profectò , etſi frondes tantùm tuliſſet, cedrum emedullaſſet , quandoquidem videre inimicum frondibus raptis adauctum , amiſſis floribus redimitum , non poterat non eſſe intimus cordi dolor, & vltra humanas vires triſtiſſimus angor : non tam graue fuit proceræ illius plantæ repetitis ictibus ab Angelo deiectæ ſupplicium : *Succidite arborem , & præcidite* Dan.4.v.11.
ramos eius : quàm huius cedri tormentum : nam licèt hîc frondium ſummitates abſtulerit aquila , & ibi ramos vindicta ; præciſis tamen ramis inimicus non eſt adauctus; at frondibus adauctus eſt inimicus : hoc ergo & durius, & ſemper inuenitur acerbius: plus namque angit inimici felicitas, quàm propria torqueat calamitas. Cedrus,ſi Ezechielem conſulas, etſi emedullata,etſi frondibus ablatis inuenuſta ; non tamen refertur deiecta , aut vſtulata ; verùm adeò grandis fuit dolor videre hoſtem propriis exuuiis inſoleſcentem,vt Zacharias flammis acribus dixerit vſtulatam , & ad terram prorſus deiectam.

Cùm nequiſſimus Pharao præcipuus ſibi 71.
præter opinionem inimicus diuinis aduerſatetur edictis, creaturæ ad vindictam obarmantur; poſt alias plagas peſtis immittitur: *Ecce manus* Exod.9.v.3.
mea erit ſuper agros tuos, & ſuper equos,& aſinos, & camelos, & boues , & oues peſtis valde grauis: tulit diuitias,vt poſſet patientia ; nec tamen deſtituit perſequi ; etſi Hebræos noluerit dimittere ; non ab illis abſtulit , quæ poſſidebant , vt amiſſa recompenſaret ; ſed plagam obſtinatè ſuſtinuit : *Miſit Pharao ad videndum : nec erat quidquam mortuum de his , quæ poſſidebat Iſraël.* Denique cùm iam inſtaret exitus, aurea vaſa ab Ægyptiis poſtulant ; & viam alacriter carpunt, diuitiis onuſti , & ſpoliis Ægyptiorum ditati. Quid tunc? Pharao pericula deſpicit,per medios maris vortices temerarius ingreditur, & ea tentat cupidus , quæ non tentaret inſanus. Quale fuerit huius ſtudium curſus , ſcriptura non tacuit : *Nuntiatum eſt Regi Ægyptiorum,quod fu-* Exod.14.v.5
giſſet populus, immutatumque eſt cor Pharaonis,& ſeruorum eius ſuper populo , & dixerunt : Quid voluimus facere? Dum animaduertunt ſe diſpoliatos , illorumque inimicos ſuis diuitiis onuſtos, eo preſſi dolore currunt , vt vel naufragia deſpiciant : ſuſtinuerunt quidem diuitiis priuari peſte conſumptis ; non tamen ferunt eis aduerſarios ditati. Ad rem Rupertus apud Lippoman.
Pharao tantò ad perſequendum promiorem habebat Rupert.
exercitum , quantò inſanius acceperant auro vel argento ſuo ſe eſſe ſpoliatos ab eis , quos dudum libertate ſpoliauerant : vnde inflammati , ſeque inuicem cæco furore inflammantes : Quid,inquiunt, voluimus facere? Vitam abiiciunt , vortices inſani intrant , ne amiſſo auro aſpiciant diuites, quos ſuſpicantur iam hoſtes : peſtilentiâ bona ſibi ablata leuiùs tulerunt ; hîc tamen dum ſuis diuitiis vident diuitatos , exardeſcunt cæci, & extrema tentauerunt inſani.

§. XIX.

Digitized by Google

§. XIX.

Maioris apud homines valent caduca, minoris æterna.

72. Tertull. TAnti vitrum, aiebat Tertullianus lib. ad martyras cap.4. *quanti verum margaritum. Quis ergo non libentiſſimè tantum pro vero aueat erogare, quantum alij pro falſo?* Olim admirationem ingerebat æſtimar i tanti vitrum, quanti margaritum; ſed iam, vt in peius ruunt tempora, benè cum virtute actum eſſet, ſi eamdem cum vitro margaritum æſtimationem haberet: deſpiciuntur quidem ſolida, & in æuum permanentia, ſuſpirantur euanida & fucis illita. Eo deuenit humani cordis cæcitas, vt mendacio gaudeat, & ſibi ſtudiosè imponat: ſi de æſtimatione euanidum & ſolidum certent, ſolidum lugebit abiectum, euanidum gaudebit prælatum: puerorum ad inſtar contemnenda miramur, & ludicra pretioſiſſimis anteponimus: ſapiens honeſtate contentus cætera deſpicit, adeò alienus ab ambitu, vt non ſolùm quæ magni apud mortales habentur, non reputet gaudia; ſed abiiciat vt onera: *Quid* Seneca. *habetis*, aiebat Seneca lib. de prouident. cap.6. Dei nomine ſapientes alloquens, *quod de me queri poſſitis vos, quibus recta placuerunt? Aliis bona falſa circumdedi, & animos inanes velut longo, fallacique ſomno luſi.* Vt prudenres rariſſimi ſunt: quia ſtultorum infinitus eſt numerus, ſic pauciſſimis placuerunt honeſta, ferè immenſis bracteata: extrinſecus anhelant fulgere, auro & margaritis ornari; bona interna paruipendunt: quia ſolùm curant ancillari plauſui, non inſeruire rationi. Dei populus tributorum cupiditati legem poſtpoſuit; ſed ne morbo de mora adderentur vires, Deus Angelum delegauit, qui graui ſermone delinquentes percelleret, & efficaci obiur- Actor 7. v.50. gatione corrigeret: *Cùm loqueretur Angelus Domini hac verba ad omnes filios Iſraël, eleuauerunt ipſi vocem ſuam & fleuerunt.* Con- Exod 3.v.2 fer hiſtoriam hanc cum illa Exodi 3. vbi flammanti, illæſoque rubo Angelus apparuit teſtante Stephano: *Apparuit illi in deſerto montis Sina Angelus in igne flamma rubi*; & tamen non Angelus; ſed Deus apparuiſſe re- Abulenſ. fertur: *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Quæres cùm vtrobique ſit Angelus, cur Angelus non vocetur vtrobique? Creuitna de pompa vocabulum, & qui fulgentiſſima luce redimitus eſt Deus, ſine ſplendore iam Angelus? Profectò hoc de ſæculi ſtylo; hîc verò grandius ſine dubio latet arcanum: Angelus namque qui in rubo apparuit, populo libertatem promiſit; qui in fletus loco, redarguit: & quamuis grandius hoc illo beneficio fuerit, ſic apud homines æterna depretiantur, ſic caduca anhelis votis ambiuntur, vt Moyſes illa non Angelo; ſed Deo adſcripſerit, veritus ne ob beneficium, quod ingentiſſimum ipſi cenſebant, Angelum vti Deum colerent, ſi liberatorem nouiſſent Angelum. Accipe Abulenſem quæſtione 7. in 2. Iudic. *Angelus apparuit Moyſi in rubo flammanti, & incombuſto, & dixit quod audierat clamorem populi ſui, & quòd volebat liberare illum de manu Ægyptiorum, & tamen iſte vocatus eſt Deus Exod. 3. quia liberatio iſta erat magnum beneficium: & ſi Moyſes nunciaſſet Iſraëlitis iſta dicta fuiſſe per Angelum, credidiſſent illum eſſe quem colere debebant pro tanto beneficio: ideò Scriptura vocauit eum Deum.* Vtilius erat populo de peccatorum nexibus ſolui, quàm ferreis de vinculis liberari; verùm adeò diuerſam vitrum & margaritum opinionem apud mortales ſortiuntur, vt nullatenus timendum fuerit, ne obiurgatorem Angelum vti Deum colerent, cum fuerit verendum, ne ſi Angelus aſſereretur liberator, ritibus & flamine vti eximius benefactor à populo coleretur: qui apparuit in flamma, quæ ad vitæ commoda pertinebant, curauit; qui ad locum flentium aſcendit, quæ ad animam pertinebant, perfecit; ſed quia res non pro qualitate habitæ; ſed pro accipientium affectu pretioſæ, vt omnis idololatriæ occaſio præcidatur, dicitur Deus libertati conſuluiſſe, cùm dicatur Angelus obiurgaſſe. O quàm aliter quæ obibant munia, apud ipſos ſacros nuntios æſtimabantur, quando in flamma apparens videri prohibuit, & ad lachrymas alliciens conſpicuus coram populo apparuit: *Aſcendit Angelus ad locum flentium*: Hîc videri non erubuit de munere honeſtè ſuperbus, erubuit ille, quaſi munus, dum temporalia ſolicitat, dedignatus. Et ne hunc errorem ſolùm homini deputes, etiam dæmonem eo obſcuratum licebit adſpicere, ſi Septimio credendum eſt.

Cùm diuina bonitas omnipotentiæ diuitiis 73. intra ſe contentis quodammodò adurgeretur, varios creaturarum edidit fœtus, quos omnes homini vti imagini ſuæ, quam *de limo formarat, ſubiugauit: Gen.2.v.19. *Formatis Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus cæli adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea*: Fictricis artis ſuæ gloriam, quaſi illa ſolus frui non ſuſtineret, cùm Adamo diuiſit, dum imponendi nomina illi facultatem fecit: animantia cuncta hominis imperio ſubiiciebantur, leo parebat, lupus ſubſultabat, aquila expectabat mandatum, & cætera animantia deſeruiebant expromptiſſimè ad nutnm; verùm cùm homo tanta dignitatis luce clareret, ad inuidiam excitatus eſt dæmon, & ſerpentis facie perſonatus pietatem ſimulauit, vt artes odij perficeret: Gen.3.v.1. *Sed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus; qui dixit ad mulierem, &c.* Tertullianus lib. de ſpectaculis capite 2. vt erat curioſus & ingenio acerrimus, inquirit quæ cauſa dæmonis præcipuè aduſſit inuidiam, vt hanc in hominem excitarit tragœdiam, aſſeritque doluiſſe creaturarum præſidem ſpectaſſe, adeoque impatienter eam dominationem exambiſſe, vt nec reptare in modum ſerpentis recuſarit, quominus odium fraudulenta doloſitate compleret: *Neque mirari, neque dubitare oportet, cùm ipſum hominem opus & imaginem Dei totius vniuerſitatis poſſeſſorem illa vis interpolatoris & æmulatoris Angeli ab initio de integritate deiecerit, vniuerſam ſubſtantiam eius pariter cum ipſo in peruerſitatem demutatam aduerſus inſtitutorem.* Aptiora theſi, quæ annectit: *Vt quam doluerat homini conceſſam, non ſibi, in ea ipſa & hominem*

Deo

Digitized by Google

Deo reum faceret, & ſuam dominationem collocaret. Vidit dæmon hominem immortali manu editum, Dei abſolutum perfectumque ſimulacrum; ob id tamen non adeò inuidentiæ flammis aduſtus, odioque inflammatus, vt ſerpente indui aggreſſus fuerit; at dum vidit creaturarum poſſeſſorem, vniuerſitatis dominum, ea doluit impatientia, vt aggreſſus fuerit certamina. Doluerat homini conceſſam (creaturarum vniuerſitatem) non ſibi. Itaque ab exordio hanc peſtem, ſcilicet humana magni æſtimare & pectore dæmon fouit, & illo homines contagio generaliſſimè infecit: *Doluerat homini conceſſam, non ſibi.* Totum dæmonis ſtudium fuit, non Dei in ſe ſimulacrum reſculpere; ſed in creaturis dominationem ſuam collocare: *Vt ſuam dominationem collocaret.* Quid exaggeratius? Quid certius?

74. Ioſeph ſomnium vidit futurorum præſagium, & quidem non ad ſuperbiæ pompam fratribus retulit vanus; ſed ne amori irrogaret iniuriam, charitatis fraternæ mirè ſtudioſus; verùm quibus viuidius flabellanda erat amoris flamma, liuoris vſque ad incendium arſit malitia: aſperrimis verbis tumorem ſomniatoris ſugillant, & ambitionem ſomniatis meritis fultam exprobrant: Gen. 37. v. 8. *Numquid rex noſter eris, aut ſubiicemur ditioni tuæ? hæc ergo cauſa ſomniorum atque ſermonum inuidia, & odij fomitem miniſtrauit.* Vides in quantum furorem fratres excitarint ſomnia: tranſi modò ad Exodi 4. vbi Aaron ſciens Moyſi imperium in Pharaonem datum, non ſolùm non eſt obſcuratus odio; ſed delibutus occurrit gaudio: Exod. 4. v. 14 *Aaron frater tuus Leuites ſcio quòd eloquens ſit, ecce ipſe egredietur in occurſum tuum, videnſque te lætabitur corde.* Occurrit Aaron, vt in fraternos amplexus ruat, fauſtiſſimæ fraternæ ſortis non inſcius, & vera cordis lætitia plenus. Quæres cur adeò fratrum ad fratres diuerſus fuerit adfectus, quando idem naturæ vinculum, & ad odium, aut lætitiam argumentum; ſed ſtatim ſe diſcriminis ratio offeret, ſi Ioſephi, Moyſiſque dignitates contuleris: Moyſes in Pharaonis Deum auguratus eſt: Exod. 7. v. 1. *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis:* Ioſeph Ægypti prorex ſomnio prænuntiatus, adeoque apud homines valent caduca, adeò diuina vileſcunt, vt Aaron alias ambitioſus, vt idoli teſtata eſt fabrica, inuidentiæ motibus non fuerit pulſatus, cùm fratrum chorus liuoris fuerit ardentiſſimis flammis aduſtus: Philo. *Illi*, aiebat Philo lib. de Ioſeph, *prudentia pollentes, & ſignificatum per coniecturas veriſimiles veſtigare idonei: Putaſne, inquiunt, regem te fore noſtrum & Dominum? id enim ementita viſione ſubindicas: atque ita odium magis ac magis accendebatur.* Ioſephi fratres ſomniatam audiunt temporalem in Ægypto dignitatem, & vſque ad ſomnia ſtimulos inuidentiæ extendunt; at Aaron odio non premitur, licèt apud Ægyptios fratris agnouerit dignitatem: quia hæc vtpotè altioris ordinis in Deum fratrem conſecrabat, illa vtpote ordinis inferioris Ioſephum in proregem efferebat.

75. Producamus, ſi placet, in eiuſdem veritatis confirmationem duos alios vterinos fratres, qui per id temporis in matris vtero præliabantur: Zara cum fratre contendit; donec manum extulit, quam ſanguineo coccino nobilitatam retraxit: Gen. 38. v. 27 *Protulit manum, in qua obſtetrix ligauit coccinum dicens: Iſte egredietur prior, illo verò retrahente manum egreſſus eſt alter.* Phares progenitoris Chriſti Domini honore potitur, dum prior egreditur: & quidem decentiùs Zara ambiret progenitoris honorem, quam adumbratam coccino dignitatem: cur ergo qui ad primogenituræ dignitatem inardeſcit adeò ambitioſus, vt cum vitæ diſcrimine maternis in viſceribus ſit præliatus, cedit fratri honorem ſerenus? Quia aliud temporalem ſpectabat ad dignitatem, aliud ad virtutis pertinebat nitorem, & Zara feſtinat præcurrere dignitatis deſiderio, & cedit virtutis, ſi fas eſt dicere, odio: non erat lucta cum fratre ob ſanguinis Dominici felicem tincturam, ſed ob primatus finiendam citò excellentiam, contempſit ſibi acquirere Chriſtum, conatus eſt præripere principatum: *Coccinum tenebat ad manum*, inquit Lippomanus, *Qui primogenituræ notam portendebat; ſed non gloriam* Malè diuiſit Zara, vt Phares egregiè: hic eſt virtute coronatus, ille coccino redimitus; ſed adeò deſipiunt mortales, vt fratrum alter ſine lucta non tulerit coccinum dignitatis indicium, cùm alter ſine lucta tulerit progenitoris elogium. Lippoman.

---

§. XX.

Concionatorem nobilitant non ſubtilitatus, ingeniique plauſus; ſed pœnitentia in auditoribus fructus.

PRouidus ruricola non tam nititur omnigena florum varietate intuentium oculos delectare, quàm fructibus ſaporatis diteſcere: 76
iuuat aliquando amœnus campus varia roſarum venuſtate diſtinctus; ſed laudabilior habetur, qui fructibus eſt copioſus: placet flos, quia fructus prænuntius; ſed parui habetur, ſi ſpebus fructificandi nudatus. *Prouidus inſtitutor*, aiebat Caſſiodorus 8. var. 14. *hortum ſuum fœcundis nititur ornare plantariis, vt reddant fructus optatos, quæ ſolicitis fuerant exculta laboribus.* Caſſiodor. Ornant inſtitutorem plantaria fructus ſaporatos reddentia; & improuidus haberetur, qui laborioſos ſudores impenderet, ſi nullatenus fructus perciperet. O quàm falluntur plures concionatores ſtudioſè calamiſtratas, concinnataſque periodos ſuis auditoribus inſtillantes, quandoquidem ambitus plauſus concionatorem ſugillat vanum, & verbum adulterinum. Ecce concionator Dei habetur Angelus, dum anxium peccatores vrget ad fletum: minus haberetur homine, ſi euanidum criſpatis periodis ambiret plauſum: *Cùm loqueretur Angelus Domini hæc verba ad filios Iſraël; eleuauerunt ipſi vocem ſuam, & fleuerunt* Lyra ex Hebræorum ſententia Phinees concionatorem fuiſſe teſtatur: Lyra. *Dicunt Hebræi, quòd iſte Angelus fuit Phinees.* Angeli ſortitur elogium, & vti è cælo miſſus ſuſpicitur non cùm exculta aures audientium elocutione demulcet; ſed cùm ſermone deterret. *Ipſe fuit miſſus à Deo*, inquit Beda, *ad arguendum populum de tranſgreſſione mandatorum eius eo modo, qui ſequitur.* Beda. Dum arguit, à Deo proditur delegatus; ſi aures demulceret, degeneraſſet vanitulus: aut ſi placet, animaduer

Digitized by Google

animaduerte adeò cœleſti munere non ſemel concionatores abuſos, vt ad excitandas lachrymas opus fuerit Angelum concionari, & ab æthere ad terram mitti.

77. Iudas à Deo electus Adonibezec comprehendit, illumque præciſis manuum ac pedum ſummitatibus in Ieruſalem ad triumphalem pompam adducit. *Cæſis ſummitatibus manuum eius ac pedum.... adduxerunt eum in Ieruſalem, & ibi mortuus eſt* Stephanus in allegor. Tilman. in Iuda aſſerit concionatorem ſignari, in Adonibezec peccatorem exprimi, qui magna vtilitate captus, ab illicitiſque greſſibus, & actionibus indecoris præciſus, ſapientis adauget gloriam, dum in Ieruſalem cæcam deponit ſuperbiam. Audi Stephanum: *Hoc fecit prædicator, quando ſuperbo oſtendit ad quem finem deueniet de cogitationibus, & malis operibus ſuis, vel cum infirmitatem ſuam replicat ei dicens: Quid ſuperbis terra & cinis?* Vides monita, audis monentis trophæa: Tunc ſuperbus in Ieruſalem adducitur, quando bona cœleſtia ante oculos eius ponuntur, & tunc ibi moritur, cùm propter hæc deſinit eſſe ſuperbus. Vt optimi duces captiuitate gloriantur, & reportatis de inimico triumphis extolluntur, ita concionatoris eſt pompa anima à vitiis auulſa, & ab impuro ad amorem purum tranſlata. Profectò Saülis confuſioni deſeruit Agag ſeruatus: *Oblatus eſt ei Agag pinguiſſimus & tremens*; Vt Adonibezec Iudæ magnæ extitit gloriæ plagis ſaluberrimis mutilus: dum ſuperbiam in humanitatem commutat, dum vitio moritur, dum cœleſti Ieroſolymæ adducitur, triumphalem Iudæ pompam nobilitat, & honorem nunquam obſcurandum æternat: copioſæ auditorum lachrymæ, triſtis, & repetitus ſingultus dignior & honeſtior dicenti eſt plauſus.

(Iudic. 1. v. 6. & 7. — Stephan. — 1. Reg. 15. v. 32.)

78. Iob magnam teſtatur ſacerdotis miniſtrique Dei pœnam fructus inopiam, quantumuis euanidam ingenij lucrentur famam: *Ducit ſacerdotes inglorios. & optimates ſupplantat.* Verùm quare inglorij ſacerdotes, ſi à populo fauſtis iteratiſque acclamationibus celebrati, ſi de ingenij acumine peregrini? Nonne magna gloria, copioſiſſimam coronam à dicentis ore pendere, & ſuſpenſos ſemper mirari? Si Gregorio credas lib. 11. moral. cap. 9. hæc non eſt concionatoris gloria; ſed ignominia, quandoquidem habetur adulteratum, quod naturalem non promit fructum: *Cùm ſacerdotes vitam diſcipulorum negligunt, & nullum de eorum profectibus ante Dominum fructum ferunt, quid aliud quàm inglorij dicuntur?* Subiungit moraliſſimus Doctor: *Quia ante diſtrictum iudicem nimirum gloriam tunc non inueniunt, quam modò in ſubditorum ſuorum moribus prædicationis ſtudio non exquirunt.* Si Dei ſtudioſiùs gloriam curaſſent, & gloriam ſibi inueniſſent; at cùm apud homines ſolùm gloriam euanidam ſuſpirarint, opus eſt, vt quia euanida, gloriam, quam ſuſpirarunt, amiſerint. Hæc eſt ſacerdotis glorioſior pompa peccator luci reſtitutus; & peccatorum fæcibus expurgatus. Dignus cœleſti elogio eſt ſacerdos, cui auditorum reddunt lachrymæ teſtimonium; non cui pendunt admirationis multoties plauſum.

(Iob 12. v. 19 — Gregor.)

79. Chriſtus Dominus humilis Ieroſolymam ingreditur, & tamen à populis conclamatur: *Clamabant dicentes: Hoſanna filio David.* Filium Dauid hic audis; apud Matth. 17. vti concionatorum exemplar proponitur, & cœleſtis prædicator voce elapſa cælitus acclamatur: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite.* Et cur hîc magiſter proponitur, cùm alibi doctor eo temporis articulo non ſignetur? Vide quali nunc habitu fulgeat: *Veſtimenta eius*, inquit, *facta ſunt alba ſicut nix.* Ad quæ Diuus Ambroſius lib. 7. in Luc. ſic fatur: *Fortaſſe veſtimenta Verbi ſermones ſunt ſcripturarum, & quædam intellectus indumenta diuini.* Addit eloquentiſſimus Doctor: *Verè hic ſolus ſermo niuibus comparandus, qui de cælo miſſus in terras ieiuna noſtrorum arua pectorum fœcundauit.* Semper Chriſtus Dominus Doctor & magiſter mores inſtruit ſuorum; verùm arcanè Pater ad noſtram eruditionem doctorem proponit niue indutum, & tacet dum populorum clamoribus celebratur: vt noueris veram concionatoris pompam & laudem conſtare non de plauſu; ſed de fructu. O quàm fulgurans ſpectaculum edidit, dum pro veſte candicantes iam puritate audientium mores ad gloriæ teſtimonium in monte induit. Hic profectò de paſſione loquebatur teſte Luca: *Dicebant exceſſum eius:* non verba fucis illita, non cincinnis culta niuea veſte Dominum exornarunt; ſed ſermo niuibus de cœlo ad terrarum fœcunditatem miſſis comparandus, dum audientibus niueos candores morum puritate vincere perſuadet, & niueam veſtem oſtendit. Hic hic à Moyſe, Eliaque inuiſibilis regni incolis, ab Apoſtolis viſibilis inquilinis, & quod plus eſt, à patre plauſum lucratur: vt nouerint Euangelici concionatores efficacia veritatis verba laudibus non remanere priuata, quandoquidem vtrumque ſæculum laudibus Euangelici concionatoris reſultat, & candoris fructus honorat.

(Matth. 21. v. 9. — Matth. 17. v. 5. — Ambroſ. — Lucæ 9. v. 31.)

Non ſumus, aiebat Paulus, *ſicut plurimi adulterantes verbum Dei; ſed ex ſynceritate; ſed ſicut ex Deo, coram Deo in Chriſto loquimur.* 80.
Adulter non tam intendit fœtum, quàm voluptatem: ſenſum exambit paſcere, fructum non cupit, imò fructum veretur ſæpè ſuſcipere, ne cogatur turpi voluptate carere; at ſponſus procreare filios diſcupit, & intendit: vt ergo noueris quis diuinum Verbum adulteret, quis verò decenter tractet, ſtylum attende, & inde clarè coniicies, an quæratur fructus, an plauſus: plurimi quidem, etſi concionatorum inſigniantur titulo, carent merito: nec enim aliud quærunt laborioſis vigiliis, ſolicitis lucubrationibus, quam auram popularem: non ſciſcitantur an quis ex auditoribus dolore peccatorum perculſus venenum euomuerit, & ſalutare confeſſionis antidotum hauſerit; ſed an celebrauerit vernantem ſtyli floriditatem, nouos elocutionis modos, dicendi peritiam, & quaſi hiſtrionicam ſacro ſuggeſtu repræſentationem, vt potiùs hiſtriones dixeris factis, quos concionatorum honoratos miraris titulis: *Non adulterantes Verbum Dei*, exponit Angelicus Doctor lect. 3. *id eſt, prædicantes vel propter quæſtum, vel propter fauorem laudis.* Addit D.Thomas: *Si ergo finis tuus eſt quæſtus, ſi intentio tua eſt fauor gloria propria, adulteras Verbum Dei.* Vt argentū adulteratum pœnæ ſubiectat deprauantem artificem, ſic

(2. Cor. 2. v. 17. — D.Thom.)

Digitized by Google

ſic interpolatum verbum debuiſſet interpolatorem pœnis ſubiicere: quàm non à Deo orta ac ingenua probantur verba, quæ fucis illita, & ſtudio artificioſo auro propinantur ornata. Dei miniſtri laudes ſunt fructus, interpolatoris fructus ſunt laudes. Timeant qui ſectantur plauſibilia, captiuitatis catenam; ſibi promittant, qui vtilia, victoriæ gloriam.

81. Duos huius veritatis teſtes in medium producamus, Abrahamum & Lotum. Cum nepos ab auunculo ſeparandus eſſet, eligendique optionem haberet, amœna, florida, odoratiſſimis
Gen. 13. v. 10 ſuffitibus reſpirantia delegit: *Eleuatis Lot oculis vidit omnem circa regionem Iordanis, quæ vniuerſa irrigabatur, antequam Dominus ſubuerteret Sodomam, & Gomorrham, ſicut paradiſus Domini, & ſicut Ægyptus venientibus in ſegor: elegitque ſibi Loth regionem circa Iordanem.* Ecce Loth ſuauiora, vernantioraque deligit, non ita amœna Abrahamus. Quid tunc? Dum inimici Reges bellum ineunt contra Sodomam, Loth ſuſtinet ſeruitutis catenam, & communem cum populo patitur ignominiam; at Abrahamus coacta manu in inimicos irruit, & captiuitatis
Gen. 14. v. 16 luctum in victoriæ gaudium conuertit: *Reduxit omnem ſubſtantiam & Loth fratrem ſuum.* Quæres cur Loth ſuos non protexerit inimicis depulſis, cùm Abrahamus non ſolùm inimicos depulerit; ſed ſubegerit? Quia Loth amauit florida, Abrahamus ſectatus eſt ſalubertima. Adeſt
Ambroſ. Ambroſius lib. 1. de Abraham: *Diuerſa hominum ingenia ſunt, alios vtilia, alios amœna delectant. Infirmior amœna eligit, viliora faſtidit.* Ecce Loth Abrahamuſque diuini Verbi adumbrauere miniſtros; at Loth, dum amœna ſequitur, hoſtiles non valet reprimere adſultus; imò ipſe captiuorum adauget numerum; at Abrahamus dum amœna deſpicit, dum auerſatur florentia, dum conſultior amat vtilia, multiplici coronatur lauro, & celebratur æterno triumpho. Nouit Abrahamus homines à captiuitate redimere, nouit infamiæ notam depellere: quia non quæſiuit de amœnitate euanidas ac ineptas delicias; ſed de vtilitate victorias.

82. Ioſeph inuidam fratrum rabiem beneficiis vlciſcens conuiuium præparat, & naturæ ordi-
Gen. 43. v. 33 nem ſecutus fratribus loca deſignat: *Sederunt coram eo primogenitus iuxta primogenita ſua, & minimus iuxta ætatem ſuam, & mirabantur nimis.* Sapientiæ augurandique dexteritatem admirati fratres obſtupeſcebãt, & repetitis laudibus celebrabant. *Mirabantur nimis.* Putat Abul. q. 1. ſtatuiſſe coram ſe ſcyphum, cuius repercuſſi tinnitu veluti informatus loca fratribus diſtribuebat: *Habebat coram ſe Ioſeph quemdam ſcyphum, quem primò percutiens dixit: Hic eſt primogenitus: deinde percutiens iterum dixit: Ille eſt ſecundus, & ſic vſque ad vltimum.* Itaque etſi ſcypho admirationem ſibi conciliauit, ſcyphi nullatenus mentionem fecit; ſed ſilentio prætериuit; poſteà verò dum piam illam fraudem diſponit, ſcyphum ſuum ſacco minoris recondi
Gen. 44. v. 2. iubet: *Scyphum meum argenteum, & pretium quod dedit tritici, pone in ore ſacci iunioris.* Vides hîc ſcyphum appellaſſe ſuum ipſum quem alibi ſilentio texit: & cur Ioſephus loca mediante ſcypho diſtribuens ſuum non appellarit, cùm ſuum poſtea clare retulerit? Expende effectus, vt inueneris ſolutionem, dum ſcyphus tinnit admirationem lucratur: *Mirabantur nimis:* dum ſacco reconditur, omnes dolore ſauciauit, & iniquitates fateri coëgit: *Deus inuenit iniquitatem ſeruorum tuorum.* Ergo Ioſeph vocatur ſcyphus, dum dolorem pro culpis excitat, non dum admirationis plauſum conciliat: quaſi illum pudeat ſcyphum ſolùm habere ad euanidas laudes, & habere gaudeat vtiliſſimos ad dolores. Strabus.
Scyphus, ſcribit Strabus Fuldenſis in Matth. c. 1. *ubi eſt potus ſapientiæ, in hac auguratur ſapiens.* Ecce quo ſcypho ſapiens auguretur, illo ſcilicet quo fratres ad pœnitudinem vrget culparum: ſapientiæ non appellauit ſcyphum; ſed texit, dum admirationem ſolùm lucratur; in lucem vti ſuum protulit, cùm peccatum dolore expungitur. O diſcant qui ſacrarum Scripturarum ſcypho ſolùm vtuntur, aut abutuntur, vt meliùs dicam, ad ſolam admirationem captandam, non ad pœnitudinem perſuadendam! *Vnde iſta* Tertullian.
tormenta, aiebat olim Tertullianus lib. de anima cap. 18. *cruciandæ ſimplicitatis, & ſuſpendendæ veritatis? Quis mihi exhibebit ſenſum non intelligentem quod ſentit?* Sed modò maiori iure repeteret: inueniret namque quod vti impoſſibile reputabat, ſenſum ſcilicet non intelligentem quod ſentit: ſic namque veritas & ſimplicitas ornatu torquetur, & calamiſtro elocutionis cruciatur, vt ferè nil intelligas, etſi longo tempore audias: oblectantur vocum canore aures; ſed nihil tranſit ad mentes. O tempora, ô mores!

---

§. XXI.

Ad repellendam calamitatem minus valet vel ſtrictiſſimum naturæ vinculum, quàm ſuſpiriorum ac lachrymarum ſuffragium.

NAturæ vinculum docet cognatis ſuccurrere, & quidquid illis moleſtum ſolicito ſtu- 83.
dio depellere: mouentur viſcera compaſſionis affectu, etſi periculum vrget, piè ambitioſo moliuntur prouidere conatu; verùm eloquentiores ad perſuadendum ſunt lachrymæ, præcipuè ſi diuinum imploretur auxilium, & velox deſideretur remedium: *Conſolamur*, aiebat Seneca epiſt. Seneca.
99. *fruſtulo pueros, infantium fletum infuſo lacte compeſcimus:* Si puer defleat, acriùs materna viſcera concitantur; & qui lac non adeò citò præberet filio, offert lachrymulis irrorato. Optimè Tertullianus de aqua agens ſic ait lib. de baptiſmo cap. 3. *Quanta vis eius & gratia, quot officia?* Profectò ingenium bellicum vel ardua felici ſolet induſtria abſoluere, & viribus ad ſpeciem impoſſibilia mira artis diſpoſitione adimplere: ergo lachrymarum ingenium animoſè audet, pia impudentia Deum vrget, & quod naturæ ſæpè contigit denegari, cogit grata violẽtia concedi.
Felix Sacramentum, aiebat citato lib. cap. 1. Ter- Tertull.
tullianus, *aquæ noſtræ, quâ ablutis delictis priſtinæ cæcitatis in vitam æternam liberamur.* Iucundam vim Deo inferunt lachrymæ, & quod ſolicitus ſtrictiſſimuſque naturæ non perſuadebat affectus, obtinuit citò adflicti cordis ſingultus. Dei populus acri ab Angelo obiurgatione reprehenſus, quod ſecuras patrum vias reliquiſſet, ſeque infami nummorum cupidine defœdaſſet, in copioſas prorupit lachrymas: Cùm loqueretur Angelus Domini hæc verba ad omnes filios Iſraël, eleuauerunt ipſi vocem ſuam & *fleuerunt.*

Quàm inſipienter ad ſpeciem à fletu quærunt remedium,quod ſtrictum adeò naturæ non ſuadet vinculum:ſi cæleſtis nuntiùs verbi Incarnati perſonam agens (apparebat namque incarnatus) intentat minas, quid recurrere prodeſt ad lachrymas:Poteritne moueri ad pietatem fletu, qui non mouetur carnis humanæ veſtitu? Profectò ea eſt lachrymarum vis,vt quamuis magni conſilij Angelus carnis etiam trabea veſtitus vti crimine pollutos Iſraëlitas repulerit,iam lachrymula patrocinante ſuſceperit:qui fuerat locus lachrymis irrigatus, offerendis victimis inuenitur iam dignus. *Ex apparitione Angeli ibidem*, ſcribit Caietanus, *licere ſibi ſacrificare in loco interdicto ſecundum legem reputauerunt:nam ſecundum legem nullibi fas erat offerre ſacrificium, niſi vbi erat tabernaculum Dei.* Ecce fletus locum offerendis victimis conſecrat, quaſi nequeat Deus ibi non gratis oculis adſpicere victimas, vbi hominem conſtar fudiſſe lachrymas:non obtinebant naturæ ſuffragio,quod lachrymarum adepti ſunt beneficio: carne namque coniuncti reprehendebantur, quia indigni; ſed poſt fletus ſacris quodammodò ſunt altaribus initiati.

Caietan.

84. Pharao ille ſpecie humanitatis veſtitus, ſed rabida feritate, & ambitione compactus ferale prodit edictum ab homine prorſus alienum:infantes recens editi,& ſolare iubar nondum contuiti à matris aluo ad fluminis alueum transferebantur:& quod ſolers natura in matris viſceribus ſtudioſè formauerat, nigris vndis flumen delebat, & Hebræorum prorſus naturam obliterabat:eo tempore natus eſt Moyſes,qui primo aſpectu magna præſagiebat, dum præſeferre haud vulgarem indolem oſtentabat:eius parentes naturali affectu incitati,& elegantis pulchritudine pueri allecti tyrannum calcant edictum, puerumque cautela vigilantiſſima abſcondunt; verùm cùm iam regis miniſtri indagatrice adulatione nihil non ſcrutarentur, ſi forte puerum aliquem inuenirent, cuius excidio gratiam Principis promererent, fiſcella incluſum aquis committunt: eodem tempore Pharaonis filia leuandi mœroris cauſa per fluminis oram cum puellis gradiebatur, quæ papilionem intuita iubet afferri:in eoque puerum intuetur plorantem, cuius lachrymis ſic ad commiſerationem commota eſt, vt non ſolùm aquis extractum nutrire; ſed in filij locum adoptans ad regalem thronum ambiat efferre. *Cernens in ea paruulum vagientem miſerta eius ait: De infantibus Hebræorum eſt.* Expendamus,ſi placet, quid Moyſes à parentibus obtinuerit, quidque à Pharaonis filia impetrarit:parentes ipſa natura impulſi, & infantis ſydereo vultu inflammati abſcondunt; ſed tribus ſolùm menſibus diſcrimini ereptus eſt puer:*Videns eum elegantem abſcondit tribus menſibus.* Filia Paraonis non ſolùm periculo ſubtrahit; ſed regia adoptione nobilitat, & ſplendenti purpuræ nigrore honorat. Et cur Moyſes grandius ab ignota muliere, quàm à parentibus beneficium ſortitus ſit? Alia alij myſteria inueniant; ego hîc lachrymarum vim & efficaciam admiror: non potuit Moyſes ſtrictiſſimo naturæ vinculo, elegantiſque formæ ſuffragio perſuadere parentibus, ne diſcrimini non committerent,& lachrymulis ab extera fœmina regalem ſibi thronum impetrauit:adeptus eſt plorans, quod adeptus non fuerat peregrina oris pulchritudine micans: natura tantiſper propulſauit periculum; ploratus verò non ſolùm exterminauit periculum;ſed regale adeptus eſt ſceptrum : vt noueris quàm celſiora adeptus ſit de lachrymarum ſuffragio,quàm de cognationis vinculo. Adeſt Lippom. *Fletus iſte infantis commiſerationis fuit occaſio fœminæ; reuera autem diuinæ opis imploratio erat.* Ecce quantam opem fletus à Deo implorarit, quando Pharaonis filiam ad commiſerationem ſic mouit, vt puerum à parentibus derelictum thronis regalibus deſignaret, & periculi expertem nutriret.

Exod.2.v.6. Lippom.

85. Axa Calebi filia muliebri cupiditate inflammata, & ab ſponſo nuperrime ducto monita ampliorem ſibi dotem à patre obtinere deſiderans cùm ad ſponſi domum pompaticè traduceretur,intimo è corde deprompſit triſte ſuſpirium,& lachrymis internũ prodidit deſiderium: *Suſpirauit ſedens in aſino.* Solicitus pater cauſam angoris requirit:*Dixit ei Caleb: Quid habes?* Vtque vidit anxiam parentis ſolicitudinem, opportunam nacta occaſionem,ſe arentem frugibuſque alendis exuccam tellurem ſortitam queritur, & vberiorem liquore maritante precatur: *Da mihi benedictionem:* quia terram arentem dediſti mihi,da irriguam aquis : nec mora : pater annuit, & copioſam benedictionem impertit: *Dedit ei Caleb irriguum ſuperius,& irriguum inferius.* His immoremur tantiſper : ſi vnicæ filiæ egregiis naturæ dotibus præcellenti arentem dederat terram, vel cum nobili adeò locaretur marito ,irriguamque ſibi reſeruarat, cur modò non ſolum non commutat fœcundam exucca; ſed exuccæ addit fœcundam? O quàm obturbatus prodebatur ſuſpirio, qui ſuſpirantem excellenti adeò honorauit dono! Si modò irriguum dilargitur generoſus, cur anteà reſeruauit auarus? aut ſi reſeruauit auarus, cur modò tribuit magnificus?Opportunior videbatur muneribus dilargiendis occaſio celebrandæ nuptiæ, quàm celebratæ;& tamen ibi arente tellure donat, hic prædiuite hæreditate nobilitat.Ecqua diſcriminis ratio eſt?Quia alibi,inquit Abulenſ.non dedit ploranti;ſed filiæ,modò non tam filiæ,quàm ploranti:*Conueniens erat quod ſuſpiraret* (verba ſunt Abulenſ.q.15.*nam aliàs videretur leui motu hoc velle,& fortaſſis pater non aſſentiret.* Quantumuis anxio hæreditatem diſcupiſſet affectu, à parente non obtinuiſſet,niſi ploraſſet;at lachrymæ & citiſſimè impetrarunt, & fructus vberrimos attulerunt.Dum Axa naturę ſolùm vinculo adiuuatur tellurem obtinet;ſed arentem:dum à lachrymis petit ſuppetias, ſuperius & inferius ſortitur irriguum, & amœnum impetrat fundum:non obtinuiſſet,niſi ploraſſet;at largas effuſa in lachrymas,ſuperiores & inferiores à patre obtinuit diuitias:minus debuit naturæ legibus,plus ploratibus:*Conueniens erat, vt ſuſpiraret : nam aliàs videretur leui motu hoc velle, & fortaſſis pater non aſſentiret:* teſtante gentium Apoſtolo:*Ipſius*(ſcilicet Dei) *genus ſumus*;verùm etſi hoc naturæ vinculo vniti, ſi deſint lachrymæ,aridis fundis non diteſcemus donati;at impetrabunt ſuſpiria, quod naturæ impetrare nequiuerint priuilegia. Plora,ſi obtinere vis: leui namque diſcupere probatur affectu, qui abſtinet deprecans à ploratu.

Iudic.1.v.14 Abulenſ.

86. Sub diuo cubabat Iacobus, cùm illi obiicitur cælitus demiſſa ſcala:ibi Deus factas maioribus promiſſiones confirmat, & in eius ſemine, hoc eſt

Digitized by Google

Gen.28.v.14 eſt in Chriſto gentes benedicendas ſtatuit: *Benedicentur in te & in ſemine tuo cunctæ tribus terræ.* Vides Deum parentis curã egiſſe,& promiſſa benedictione donaſſe; alibi iam illi benedictio non ſolùm promiſſa legitur,ſed conceſſa: *Benedixit ei in eodem loco* Et cur alibi ſolùm promittitur,& alibi datur? Diu noluit,qui tardè dedit: ne ergo Deus ſuam adulterarit magnificentiã tempus trahendo,donum ex promptitudine augeat, & donandi formam præſcribat. Adde Iacobum pericula ſe eluſiſſe ibi ſolummodo gloriari, vbi

Gen.32.v.30 conſtabat benedictione potiri: *Salua facta eſt anima mea* Si vbique parens, vbique ſaluus lætetur, & vbique fulgeat benedictione donatus. O expende,amabo te, circumſtantiarum differentiã: alibi ſiccis oculis dormit,alibi lachrymis

Oſee 12.v.4 cadentibus gemit. Ecquis hos ait? Oſeas profectò: *Fleuit & rogauit eum* Cognationis titulus in futurum audit benedictionem, ſi deſit fletus; at vbi lachrymæ pugnant, & Deus vincitur, & periculum effugatur: *Salua facta eſt anima mea:* quare? quia: *Benedixit ei in eodem loco.* Quo in loco? Non vbi dormiebat futurus parens; ſed vbi decertabat plorãs. Dum ſcala illi obiicitur, Deus ſe fore eius filium exerta voce fatetur: *In ſemine tuo* (Chriſto ſcilicet) *benedicentur omnes gentes*; at Iacobus trepidationis non abiicit metum, quia imminere adhuc ſuſpicatur ſibi periculum, verùm de luctu, de lachrymis & in Deum valet, & in pericula ſecurus non timet: vt noueris opportunius fuiſſe ad benedictionem obtinendam, ad propulſanda pericula lachrymarũ ſuffragium, quam metum ac ſolum naturæ vinculum

87. Ioannes poſt Chriſti Domini paſſionem mœrore conficiebatur, Maria etiam ſic magiſtri ardebat deſiderio, vt ſacra impatientia ad ſepulchrum inuolarit, nec obſcuris noctis horroribus retardata, nec quas nouerat, lapidis difficultatibus impedita; verùm etſi vterque, Ioann. & Magdalena nõ diſſimili calamitate marcerent preſſi, citiùs Maria mœrorem gaudio commutauit: vidit namque Angelos in albis ſedentes, illique non multò poſt Angelorum occurrit Dominus, & triumphali plorantem exhilarauit aſpectu: profectò ius cognationis exigere videbatur, vt Ioann. priùs cæleſti donaretur viſione, vt depulſa calamitate gauderet; & tamen Maria conſanguinitatis titulo carens priùs lumine cæleſti fruitur, omniſque de eius animo mœror viſu depellitur. Et cur obtineat extranea, quod non obtinuerat vinculo cognationis natura? Ipſe docet

Ioan.20.v.11 Ioann. *Maria ſtabat ad monumentum foris plorans.* Plus obtinuit Maria à ſingultibus, quàm Ioannes ab ipſis naturæ legibus. *Oculi*, ſcribit

Auguſt. Auguſt. apud D.Th. *qui quæſierant, & non inuenerant, lachrymis vacabant.* Prudenter fletus aſciuit ſuffragium, vt propulſaret pericula, vtque inueniret citiſſimè gaudia. Quid pro lachrymis exaggeratius? Quid verius?

---

§. XXII.

Magnum Dei beneficium eſt, ſi peccatum ſequatur pœna, nec in longa differatur ſæcula mulcta:

88. NEmo neſcit quantò aliter patres filiis, quàm matres indulgeant: ſtudent matres fouere ſinu, culpas diſſimulare, aut in vlteriora tẽpora pœnas remittere: patres optimi irã amore plena citò corripiunt errantem, ne inſoleſcente indies licentia cogantur ſeuerè, duréque punire delinquentem. Itaque ſuppliciis ſtudent vitare ſupplicia, & leuibus flagris grauiora conantur eluſiſſe tormenta: *Patrium habet Deus aduerſus bonos viros animum*, ſcribit Seneca lib. de prouidentia, *& illos fortiter amat, & operibus, inquit, doloribus, ac damnis exagitentur, vt verum colligant robur.* Cùm verus generoſuſque amor omni virtute dilectum ſplendere anxiis votis ſemper anhelet, hoc vnum curat, occaſionem ſcilicet veri roboris colligendi porrigere, nec blanditur fallaci voto, ſed pretioſo excolit ornamento. *Bonorum*, addit Senec. *amantiſſimus, qui illos quam optimos eſſe, atque excellentiſſimos vult, fortunam illis, cum qua exerceantur, aſſignat. Non patitur Deus bonos laſciuire, non ſuſtinet deerrare.* Suæ eſſet Deus dilectionis adulterator, ſi quod temerè amati, laſciuire ac deerrare permitteret: hoc namque odio, & quidem hoſtili congrueret, non paternum animum indicaret. *Parens ille magnificus* (verba ſunt Senec. c.1. *virtutũ non lenis exactor ſicut ſeueri patres, durius educat.* Exitialis miſericordia eſt morbo vires addere, & quod facilè poſſet leui demulceri delinimento, ignis ferrique futuro poſteà ſeruare martyrio. Itaque ſupplicium eſt ſæpiſſimè veri amoris argumentum: quos Deus tenerius diligit, ne indurata malitia exigat auſteriora remedia, celerius corrigit. Igitur parcere non ſemel eſt miſericordia crudelis, vt punire crudelitas mitis. Deliquerat populus, & Deus citiſſimè Angelum mittit obiurgatorem, quo amaros prouocarit ad gemitus, ne ſi differatur correptio, dum audet culpa, gemitibus ſeueri adiiciantur etiam cruciatus: *Cùm loqueretur Angelus Domini hæc verba ad omnes filios Iſraël, eleuauerunt ipſi vocem ſuam, & fleuerunt.* Optimè Caietan. *Antequam ad peiora progrederentur, miſit Angelum ſuum arguentem eos, prouocantemque ad pœnitentiam* In culpis illos iacere non permiſit: quia ab exordio tenerrimè amauit: ſi correptionem in poſterum diſtuliſſet, amorem, ſi fas eſt dicere, adulteraſſet.

Seneca.

Deus quos tenerius amat durius educat.

Caietan.

Duo prophetæ deliquiſſe comprobantur: delegatus eſt ad Ieroboam vir Dei, qui eius nomine impietatem improbaret, & quæ idololatras manerent ſupplicia, clariſſimè oſtenderet: iam ritè legatione functus domum repetebat, cùm ſacrificulorum antiſtes captioſam pietatem oſtentat, vt verum vatem fictis reuelationibus fallat: habebat ſanè in mandatis nihil guſtare; ſed dum mendax ſenex accepiſſe à Deo illum cibandi mandatum aſſerit, ne quem putaret falſidicum, fraudulentum candidus credidit verum: comedit, & in ipſa menſa imprudentis credulitatis ſententiam tulit: *Quia non obediens fuiſti ori Domini, & non cuſtodiſti mandatum, quod præcepit tibi Dominus Deus tuus, & reuerſus es, & comediſti panem, & bibiſti aquam in loco in quo præcepit tibi, ne comederes panem, neque biberes aquam, non inferetur cadauer tuum in ſepulchrum patrum tuorum.* Iam dum prædicit dura, inuenitur verax, qui modò ad obſonia incitarat falſus. Secuta eſt celer executio ſententiam: *Cùm abiiſſet, inuenit eum leo in via, & occidit.* Leuem culpam celer ſupplicium puniuit, cùm adeò grauem fallaciam nulla tunc pœna ſecuta ſit: & quidem grauiùs peccaſſe ſenem, nulli dubium: cur ergo Deus adeò celeriter iuſti hominis vindicauit delictum, cùm multum ad 89. 3.Reg.13 v.21.

P 2 ſpeciem

Digitized by Google

ſpeciem deceptoris reliquit diu peccatum: aut ſi in futurum tempus alterius dilata eſt mulcta, cur non differatur & alterius etiam pœna? Quia vatem illum ſanctum tenerrimè Deus amabat, ideò, ne in poſterum deſæuiret flamma, miſericordi culpam deterſit citò vindicta; at dum ſubdolum relinquit illæſum, grande in poſterum minatur ſupplicium. Hanc veritatem Ioſias dilucidè oſtendit: nam cum falſidicorum prophetarum vſtulanda oſſa perquireret, titulum cæteris altiorem animaduertens: *Quis eſt titulus ille, quem video?* rogat, & interrogatione ſpeciale quid in illo ſepulchro denotat. (4.Reg.23 v.17.) Quærunt interpretes, quid fuerit in cauſa, vt hoc præ aliis adnotarit ſepulchrum? Reſpondentque ex oppoſitis ſepulchri lateribus herbas diuerſiſſimas exoriri, ea ſcilicet parte, qua falſus iacebat propheta, fœtidas, pungentes, & quale illic cadauer iaceret, vel incurioſiſſimis indicantes; ex alia verò, qua ſanctus requieſcebat propheta, ſuauiter redolens balſamum, & varias florum ſpecies: *Cum eſſent ibi multa ſepulchra* (verba ſunt Lyræ) *quæritur, quare ibi Ioſias ſpecialiter quæſiuit de illo; ad quod reſpondet R. Salomon, quod vidit ex vno latere ſepulchri herbas fœtidas, & pungentes ortas vt ſpinas, & vrticas, & huiuſmodi; ex alio verò latere herbas bonas & ſuauiter redolentes, vt balſamum & huiuſmodi.* (Lyra.) Ecce diſcriminis ratio: quia fraudulentus ille poſt mortem tradendus erat pungentibus tribulis, ſpinis horridis, eius tunc Deus peccata deſpexit, & pœnas diſtulit; at quia ſanctus ille homo immarceſcibili roſarum coronæ poſt mortem parabatur, eius tunc Deus auſteriori ſeueritate corripuit culpam, & correptione deleuit offenſam. Siquis humanis ſolum oculis vtriuſque prophetæ metiretur euentus, cui poſt peccatum mali nil acciderat, crederet fortunatum, vt è contra cuius vel leui culpæ grauis adeò pœna ſucceſſit, infeliciſſimum; falleretur tamen: nam vindicta celer extitit amoris indicium, vt punitionis obliuio infauſtum ſatis præſagium.

90. Hoc idem diuerſis illis ænigmatibus Nabuchodonoſor inter dormiendum obiectis reperio mirè depictum: ſtatuam vidit auro micantem, polito argento refulgentem, ære ferroque firmatam, cuius pedes lapillus ſine humana induſtria (quæ enim in aurum valeret induſtria humana) pedes comminuit, & ſtatuam totam in fauillas verſam ludibrium ventorum flatibus tradidit: *Contrita ſunt pariter ferrum, teſta, æs, argentum, & aurum, & redacta quaſi in fauillam æſtiuæ areæ, quæ rapta ſunt vento, nulluſque locus inuentus eſt eis.* (Daniel 2. v.34.) Iterum alia ſuccedit imago, arbor ſcilicet procera, ramorum tereti fortitudine armata, floribus pulchra, & fructibus ſaporatis copioſa, quam repetitus ſecuris ictus deiecit; non tamen penitus extirpauit, nam aſſeruata radix iterum pullulauit in ramos, quos grati flores nobilitarunt, & fructus copioſiſſimi repleuerunt: *Germen radicum eius in terra ſinite.* (Dan.4.v.2.) Iam pungit difficultas: ſi arbor repullulauit præciſa, cur ſtatua non eſt inſtaurata ſemel deiecta? Explicuit Daniel: quia ſtatua videlicet poſt longa ſæcula lapidis ſuſtinuit ictum: *Deus magnus oſtendit regi, quæ ventura ſunt poſtea*, at arbor citiſſimum tulit ferrum: ergo cuius ſuperbiam celer punitio correxit, & correctio ad nouos floſculos præparauit; at ſtatua dum multis ſæculis tumet ſuperba, irrepatabili concidit poſteà ruina, quò ſupplicij tarditatem compenſauerit grauitas, vt in arbore obuiauit maiori pœnæ celeritas. *Ille rex Babylonius*, ſcribit Tertull. lib. de patient c. 13. *offenſo Domino cum ſqualore & pædore ſeptenni ab humana forma exulaſſet, immolata patientia corporis ſui, & regnum recuperauit, & quod optabilius homini eſt, ſatis Deo fecit.* (Tertull.) Nabucho dum extollitur, dum Deum elatione offendit, dum in modum arboris turget, pœnam recipit, & dum pœna ad patientiam eruditur, & regnum illi aſſeruatur; at ſtatua dum illæſa multis ſæculis nitet auro, dum ſuperbit argento, dum ferro contra fortunam ſtabilitur, penitus poſt longa ſæcula diſſipatur. O quàm ſeruabatur nunquam morituro ſupplicio ſtatua, cui dilata fuit per tot annorum tractus debita pœna. Opto ſtatim ob delicta pietate puniri, timeo vindictam ſeueritate differri. Cæciſſimè deerrauit, qui ſibi adulatus dixit: *Peccaui, & nihil mihi accidit triſte:* Profectò ſi quid accideret, triſte eſſet; at nil triſte accidiſſe erat ſine dubio triſtiſſimum, quando theſaurizata ira multiplicatur ad pœnam, quæ per partes corrigens fouiſſet miſericordiam.

Curioſus agricola fundum ſuum diligentiſſimè excoluit, quò recipiendis ſeminibus aptiorem redderet; verùm vt nihil inuidiam non pariturt, ſi excelluerit, iam inimicus homo copioſis prouentibus inuidens triticum corrumpit zizaniis, & ſeminibus nititur deprauare adulterinis: 91. *Cum dormirent homines, venit inimicus eius, & ſuperſeminauit zizania in medio tritici, & abiit:* (Matt.13. v.24.) Caliginis ſibi ſolicitauit, vt ignoraretur, auxilia; ſed tegi nequibat quem prodebant ſemper zizania: à quo enim alio niſi ab homine inimico culta tellus pati potuiſſet iniuriam, & candidus agricola offenſam. Quàm citò apparuerunt zizania tritico quidem altiora, & de ſpecie ſolùm ſuperba! Spica aureis diues granis ipſo fructu humiliatur depreſſa; at quia nullum fructum ſortiuntur zizania, turgent inflata: agricolæ ſerui auellere ſtatim ſemina noxia diſcupiunt: *Vis imus, & colligimus ea?* at Dominus euelli non permittit; ſed patroni ad inſtar ſtudioſè defendit: *Et ait: Non.* Et quid vtilius zizaniis æſtimes: A ſeruis ſtatim vt apparuerunt, euelli, aut à Domino ſeruari: Putares Dominum mitius cum zizaniis egiſſe, quando conſtat eradicationem non toleraſſe; verùm ſi ſcruteris intimius, reperies mitius cum illis agi, ſi ſtatim euellantur, quàm ſi ſeruentur: auulſa namque marceſcerent; at ſeruata voracis incendij flammas enutrient: dum diutius vigent, ardentiorem aſſeruantur ad flammam, & ad ſeueriorem pœnam. Audi agricolam: ſinite vtraque creſcere vſque ad meſſem, & in tempore meſſis dicam meſſoribus: *Colligite primum zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum.* Ecce qualis dilationis finis, combuſtio. Adeſt Rhemigius apud D. Thomam: *Meſſis appellatur tempus metendi, per meſſem verò deſignatur dies iudicij, in quo ſeparandi ſunt boni à malis.* (Rhemig.) Differtur malorum ſupplicium; ſed vt immortale experiantur incendium: mitiùs cum illis ageretur, ſi culpam temporalis ſequeretur pœna: duriùs agitur: quia æterna illos manebit ſemper vindicta.

§. XXIII.

Digitized by Google

§. XXIII.

Sacerdos, dum ſapientia, ſanctitateque culpæ aut vitæ à proximis arcet periculum, Angeli meretur elogium.

92. SAcerdos eſt viſibilis proximi Cuſtos, & quidem vti Angelus interior videtur homo, ita ſacerdos exterior videtur Angelus: hominibus cæleſtis genius adſcribitur, qui illos ad bona opera exuſcitet, qui à periculis arceat, qui conſiliis ſalubribus inſtruat, ad quod totum ſacerdotem compellit officium, ſi ritè peragendũ eſt miniſterum. *Vos, quos indicia venerantur* ſcribit Caſſiodorus 8. var. 24. *Eccleſiaſticis viuite inſtitutis: magnum ſcelus eſt crimen admittere, quos nec conuerſationem decet habere ſecularem. Profeſſio veſtra vita cæleſtis eſt.* Ecce ſacerdotis profeſſio eſt cæleſtis vita, & quam Angeli profitentur in cælo, imitari debent in mundo: ſunt quidem ſacerdotes humanæ ſalutis cum Angelis adminiſtri, & quod Angelus internis ſuadet monitis, ſacerdos externis perſuadere debet conſiliis: Angelo, ſacerdotique ſunt officia communia: Angelus namque ad aram gaudet ſacerdotis munere nobilitari, quo ſacerdos gaudeat Angelicam ſolicitudinem erga proximorum ſalutem cumulatius implere. Deliquit populus, & iam ad fletum, culparumque pœnitudinem Angelus obiurgationibus vrbanis quidem permouit, & quod illis impendebat periculum, arcuit: *Cùm loqueretur Angelus Domini hæc verba ad omnes filios Iſraël, eleuauerunt ipſi vocem ſuam, & fleuerunt.* Plures autumant Angelum hunc Phinees ſacerdotem fuiſſe. *Dicunt Hebræi*, ſcribit Lyra, *quod iſte Angelus fuit Phinees: quia Angelus interpretatur nuntius; ipſe autem fuit miſſus à Deo ad arguendum populum de transgreſſione mandatorum eius.* Ecce Phinees, dum munus implet, & Angelum factis refert. Et quidem adeò vtrique munia iniunguntur ſimillima, vt hic aut verus Angelus obierit ſacerdotis munia, aut verus ſacerdos exercuerit Angelica miniſteria.

Caſſiod. *Magnum ſcelus eſt fœdari ſcelere, qui carere debet omni ſceleris opinione.*

Sacerdotis profeſſio vita cæleſtis eſt.

Lyra.

93. Chriſtus Dominus, cùm Ioannis virtutem populis commendaret, Angelum appellauit: *Hic eſt, de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Et cur Ioannes Angelorum cenſui adſcribatur? Quia à ventura ira fugere demonſtrabat; quia populi vitia vrbana libertate carpebat, quia zelo inflammatus peccatores terrebat. Ergo Angelus perhibetur officio, qui naturæ non poterat priuilegio. Adeſt Gregorius hom. 6. in Euang. *Rectè qui denuntiare ſupernum iudicem mittitur, Angelus vocatur, vt dignitatem ſeruet in nomine, quam explet in operatione.* Clamabat quondam è cælo Angelus, ne aues ramis commorantes proceræ arboris ruina perirent. *Fugiant beſtiæ quæ ſubter eam ſunt, & volucres de ramis eius*: clamat & Ioannes, Angelos à labore excuſans, & homines fugere periculis denuntiatis compellens. Profectò ſacerdotes, qui proximi ſaluti non conſulunt, munus adulterant, & à ſacerdotum nobilitate degenerant.

Matth. 11. v. 10.

Gregor.

Dan. 4. v. 11.

94. *Labia Sacerdotis*, aiebat Malachias, *cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum eſt.* Ecce quando ſacerdos Angeli meretur elogium, & implet ſacerdotis officium: non debet appellari ſacerdos, cui non adaptatur Angeli titulus: labia ſacerdotis de ſcientiæ theſauro nil aliud quàm cæleſtia verba debent proferre, nil aliud agere, quàm animabus conſulere. Redeat iterum citatus Gregorius: *Omnes, qui ſacerdotij nomine cenſentur, Angeli vocantur, propheta teſtante, qui ait: Labia ſacerdotis, &c. Sed huius altitudinem nominis etiam vos ſi vultis, poteſtis mereri.* Subiungit merendi modum: *Si à prauitate proximum reuocat, ſi exhortari ad benè operandum curat, ſi æternum regnum vel ſupplicium erranti denuntiat, cum ſancta denuntiationis verba impendit, profectò Angelus exiſtit.* Expende illud: *Angelus exiſtit, cum ſancta denuntiationis verba impendit.* Quaſi dicat: Tunc ſolùm munus ſuum cumulatiùs adornat, cùm proximorum ſaluti attendit, cùm ſanis doctrinis imbuit, cùm religioſis conſiliis erudit: quicumque ritè ſacerdos, & iure Angelus: & quidem ſi non dignè Angelus, nec ſacerdos.

Malach. 2.

Gregor.

95. Lampades vocantur Angeli, & lampades debent omnibus exiſtere ſacerdotes: *Præcipe filiis Iſraël*, aiebat Dominus, *vt afferant tibi oleum de arboribus oliuarum puriſſimum, piloque contuſum, vt ardeat lucerna ſemper in tabernaculo teſtimonij extra velum* Bruno in allegor. Tilman. in oleo figurati aſſerit ſacerdotes, quorum vita ſemper debet eſſe lucerna: *Vt nonnunquam populus*, ait, *nõ ſit ſine Epiſcopo, & doctore: ipſe enim eſt lucerna, ipſe ſit & oleo plenus, ipſe ſit miſericordia, & pietate repletus; debet autem ardere hæc lucerna extra velum, vt ab omnibus videatur, vt omnes illuminet.* Oleum præcipit de arboribus oliuarum afferri: quia ſacerdos debet deſumi de oliua, non de ſpineto: debet eſſe puriſſimus, vt poſſit non ſolũ lucere; ſed emicare: pilo contuſus, ne fuerit delicatus, nec aliquando viuat otioſus: templi lucerna eſt: vtque Angeli ante Deum ſtant intra cæli velum, ita ſacerdos debet, licèt extra velum, Deo ſemper adſtare, vt poſſit omnibus perlucere. Profectò tot lumina, quot ſacerdotes, cenſenda eſt habere reſpublica; nec maior populo contingere poteſt calamitas, quàm ſi ſtellæ obrenebrentur caligine, & qui debuiſſent viatoribus pericula oſtendere, inueniantur ſcandala concitare. Moribus, ſcientiæque doctrina Dei lucere debet miniſter, eaque munus obire ſolertia, vt Angelicum videatur nomen non præcipere; ſed iuſtiſſimè poſſidere; imò & Angelos ad inuidiam nobiliſſimam excitare.

Exod 27. v. 21.

Bruno.

96. *In pace, & in æquitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate*, aiebat Dominus per Malachiam ſacerdotem dignum allaudans: pinxit miris coloribus officium ſacerdotale: eſt enim pacis ornamentum, æquitatis ſtudium, & vitandi diſcriminis magiſterium. *Qui ſacerdos eſt*, ſcribit hic Hieronymus, *& non corripit delinquentes, ſacerdotis officium præterit.* Dediſcit munus, qui ab iniquitate proximos non auertit: vt enim Angelorum officium eſt cuſtodiendis hominibus delegari, illorum vitam tueri, & diabolicas technas eludere, ita eſt ſacerdotis officium factis Angelos retuliſſe, & veluti his curis exoneraſſe: non eſt ſacerdos, qui ignorat ſacerdotis officium, & ignorat quidem, qui non refert ſolicitudine Angelum.

Malach. 2. v. 7.

Hieronym.

P 3 Iſaias

Digitized by Google

97. Iſaias cap. 18. vt genti conculcatæ nuntium feliciſſimum prædicaret, ſacerdotes delegandos aſſerit: *Ite Angeli veloces ad gentem conuulſam dilaceratam, ad populum terribilem, poſt quem non eſt alius, ad gentem expectantem, & conculcatam.* Quî Angelorum nomine intelligantur, quærunt interpretes. Inter alios Procopius apud Gloſſam Chriſti diſcipulos intelligit: *Ite: tanquam hoc primum ad Saluatoris diſcipulos referatur, quos vt à Iudæorum diſtingueret Apoſtolus, hoc nomine appellauit: neque ab iſtis illa diſſentiunt, quibus eos Chriſtus ad perditas primum Iſraëlis oues, tum ad gentes iubet proficiſci.* En quando diſcipuli ſortiuntur Angelorum vocabula, cùm perditarum ouium curam agunt, cùm gentem conculcatam, dilaceratamque ſolicita vigilantia defendunt: dum eunt, vocantur Angeli: *Ite Angeli:* quaſi dicat: ipſum ſtudium, quo iter arripitis ardenti animarum ſalutis zelo, iam vos in Angelorum refert cenſum, & Angelorum meretur elogium; aduertite tamen hoc vocabulum non tam de dignitate, quàm de dignitatis exercitio manare; nec enim Angeli appellari debent, qui Eccleſiaſticis luminibus decorari ſolùm impinguando corpori attendunt, commoditative conſulunt; ſed illi, quibus curæ eſt proximorum ſalus, qui nulli labori parcunt, vt perditas oues ad ſecurum Chriſti ouile reducant: hi ergo tantum nominis honorem implent, cæteri de ipſo dignitatis lumine indecoras ſibi tenebras pariunt; & quia nitidius tenebantur fulgere, ignobilius eſt obſcurari. Adde adeò ſimillima; imo ipſiſſima eſſe Angelorum & ſacerdotum officia, vt eodem nomine comprehendantur, & titulo eodem nobilitentur.

98. Filius ille, qui de parentis defatigabatur vita, vt auri acciperet copiam, multis iam eruditus calamitatibus paternos lares reuiſere curat: vigebatur fame, & quod non potuit perſuadere natura, panis conſuluit inopia: domum redit prorſus nudus, ventre aridus, ore ſiccus, totuſque de lutulentis paſcuis perſordidus; verùm amoris oculis ſolùm vidit filium, non animaduertit ingratum: ſeruos iubet ſtolam proferre primam, parare opiparam menſam, & ad reditus hilaritatem denuntiandam, omnimodam vocare inſtrumentorum harmoniam: *Dixit pater ad ſeruos ſuos: Cito proferte ſtolam primam, & induite illum.* (Luc. 15. v. 22) O quam alij erant illi ſerui ab his, quos noſtra tempora ferunt, quando ſperauit citò impleturos quod iuſſit, & quod fames redeuntis exigit: *Cito proferte ſtolam primam.* Theophylactus (Theophyl.) apud D. Thomam hos ſeruos, putat eſſe Angelos & ſacerdotes: *Seruos vel Angelos intelligas adminiſtratorios ſpiritus, vel ſacerdotes, qui baptiſmate & verbo doctrinæ animam veſtiunt in ipſo Chriſto.* Communi nomine ſacerdotes, Angelique appellantur, quaſi eiſdem honoribus inſigniri, & eodem munere functi. Et quidem ſi Angelorum officium eſt miſeris ſuccurrere, periclitantibus auxiliari, idem ad ſacerdotes ſpectat, & quidem dum nudum veſtiunt, dum famelico miniſtrant cibos, dum nuditatem contegunt, Domini merentur alloquia, & cæleſti fruuntur menſa: *Manducemus,* inquit, *& epulemur.* Dignè ſacerdos tunc ad Domini menſam aſſidet, cùm nudum cooperit: ecce manducat & epulatur ad menſam ſeruus, quia liberatus eſt filius.

Concludo theſim magna adeò dignitate ſacerdotes frui aſſerens, vt ipſi Angeli illorum aliquando indigere videantur auxilio, vt perfecto triumphent de hoſtibus miniſterio. 99. Iam populus gurgitis profunda ſicco veſtigio calcabat, cùm Pharao cupiditate cæcus, cæcitateque temerarius per immenſa gurgitum volumina incedit. Quid tunc? Dei Angelus impios conatus eludit, & tenebris audaciam Ægyptiorum irretit: *Tollens ſe Angelus Dei, qui præcedebat caſtra Iſraël, abiit poſt eos, & cum eo pariter columna nubis.* (Exod. 14. v. 19.) E nube ardentia fulgura eiaculabatur Angelus, quibus curruum axes aduſti, rotæque crematæ Ægyptiis progredi non permittebant; ſed timore attonitos retardabant. Quid tunc? A Moyſe Angelus depoſcit auxilium, & virgam ſuper mare extendere conſulit, quo vortices impetuosè cadentes Ægyptios prorſus obruant, & Hebræis triumphos concedant: *Cum extendiſſet Moyſes manum contra mare, reuerſum eſt primo diluculo ad priorem locum, fugientibuſque Ægyptiis occurrerunt aquæ.* Non potuit huius vindictæ curſus abſolui, quouſque mare virga percuſſum his iter, illis ſepulchrum fuit, & cur Angelus opem à Moyſe mendicet, qui fortitudine valet? Sanè victoriæ laudem diuidi erit opus, ſi Moyſes virga ſoluens vortices Ægyptios naufragio tradat. Ergo Angelus totam ſibi vendicet victoriam, nec cum Moyſe ſolertiæ diuiſerit laudem. O Sacerdotis dignitas? Profectò Moyſes ſacerdos erat teſtante propheta: *Moyſes & Aaron in ſacerdotibus eius:* vtque noueris quanta Sacerdotis ſit dignitas, quanta ad dæmones reprimendos poteſtas, ipſe Angelus ad Ægyptios dæmonum vmbras reprimendos à ſacerdote poſcit auxilium, quaſi ſine ſacerdotis ope nec inimicus iaceat proſtratus, nec triumphus fuerit perfectus: *Fugientibus Ægyptiis,* ſcribit Caietanus (Caietan.), *præcepit Deus, vt mediante virga Moyſi reuertantur aquæ in locum ſuum ad operiendum Ægyptios.* Niſi Moyſis virga mediarit, nec Angelus munus ſuum cumulat, nec Hebæos florida laurus coronat.

---

§. XXIV.

Qui purè ſyncereque Dei gloriæ, & proximorum vtilitati deſeruit, metas quodammodò naturæ humanæ tranſiluit.

100. ADeò quiſque ſui amans eſt, vt ferè nullius eſſe potuerit amicus: ſibi vnuſquiſque conſulit, & in eis ipſis rebus, quæ omne vtilitatis ſtudium reſpuunt, exambita ſtudioſè lucra inueniuntur. *Veram amicitiam,* aiebat Seneca epiſt. 6, *non ſpes, non timor, non vtilitatis ſuæ cura diuellit: illius, cum qua homines moriuntur, & pro qua moriuntur: multos tibi dabo, qui non amico; ſed amicitia caruerunt.* (*Seneca. Multi non carent amico, cùm caruerint amicitia.*) Colunt nonnulli amicum; ſed amicitiæ laruâ, propriæ vtilitatis curâ: in contraria ſæpè tranſeunt, ſi ſpes viuidior allexerit, aut vtilitas maior vocarit: ſe ſemper quærit natura, & interno illo, quod à ſerpente hauſit diuinitatis ſtudio, adhuc æmulatur diuinitatis ingenium; cumque omnia honeſtiſſimè operetur Deus ad ſolertiæ ſuæ glo-

riam

tiam, & ad maieſtatis famam, homo improbè æmulus in omnibus curat & famam ſemper, & gloriam: ea libenter amplectitur, quæ aut honorem pariunt, aut diuitias augent, aut vtilitatem promittunt. Vnde optimè aiebat Zeno Veronenſis ſerm. de Fide, Spe, & Charit. *Tolle ſpem, torpet humanitas tota. Tolle ſpem, artes, virtuteſque vniuerſæ ceſſabunt, tolle ſpem, & interempta ſunt omnia.* Vt limus ſine ſacri afflatus vigore, antequam viueret, iacebat cadauer, ita ferè omnis mortalium actio ſine ſpe cadaueraſcit: quia ſpes eſt veluti rerum anima, operationis energia, humani cordis forma, manuum efficacia, greſſus ſolertia, ac denique omnis rerum humanarum ſubſtantia. Euam crederes pomi indebitè prærepti Adamo fruſtulum porrigentem puri, ſynceríque amoris geſſiſſe negotium; ſed iam ab exordio in ipſo exercitio amoris artificiosè latuit vtilitatis ſtudium: *Tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro ſuo.* O quàm ad ſpeciem exercebat amicitiam pomum ſibi auarè non retinendo; ſed generosè communicando; at dum propinat amico, caruit amicitia: quia propriæ vtilitatis curabat augmenta. Adeſt Abulenſis: *Aliqui putant quòd Eua fecit hoc ex inuidia, ſcilicet, vt ſicut ipſa peccauerat, ita faceret illum peccare, ne viro vilior videretur.* Nec alius Adam, quàm Eua: nam dum comedit, proprias delicias quæſiuit: *Comedit*, ait Abulenſis, *conſentiens vxori, ne eius delicias contriſtaret.* Adeò ab exordio adulteratus eſt amor, & falſata amicitia, vt in vſu amoris ad ſpeciem puriſſimo, & vtilitatis lateat ſtudium, & lucri deſiderium: vnde nobiliter à mortalium conditione degenerat, quiſquis omni adulterina ſpe reiecta ſolùm & Numinis exambit gloriam, & proximi vitam. Delinquerat Hebræorum populus, cùm à Deo nuntius delegatur, etſi humana, auguſta forma conſpicuus, qui peccata argueret, & ad vtiles contritionis lachrymas excitaret. Quid tunc? Angelum agnoſcunt & venerantur: *Cùm loqueretur Angelus Domini hæc verba ad omnes filios Iſraël, eleuauerunt ipſi vocem ſuam, & fleuerunt: & vocatum eſt nomen loci illius, flentium, ſiue lachrymarum, immolaueruntque ibi hoſtias Domino.* Ea clariſſima fuerunt argumenta, vt vel cæciſſimis ſuadere valuerint nuntium illum non eſſe de mortalium cenſu; ſed de cælitum numero: proximos ad peccatorum excitat fletum, ad ſacrificiorum ſtudium; imò & loco nomen non imponitur, quò æternetur apparentis memoria; ſed flentium veluti in marmore inſculpta referantur ſuſpiria: ergo vbi nulla commodi, famæ aut vtilitatis ſpecies inuenta ibi clarè conſtitit humana nuntium nullatenus conſtare natura. Adeſt Abulenſis quæſt. 7. *Hoc erat miniſterium ſolùm, & ideò Scriptura vocauit illum Angelum*: puriſſimè hìc procurata eſt in ſacrificiis Dei gloria, & in lachrymis flentium honeſtiſſima vſura; ideò omnibus notum fuit nuntium, etſi humana effigie perſonatum, non eſſe de mortalium collegio; ſed de cælitum numero. Hinc non poſſum æternis præconiis non commendare religioſiſſimum Societatis Ieſu inſtitutum ab omni ſpecie vtilitatis ſecretum: ſanè eius alumni non tam homines ſunt dicendi, quàm Angeli: humana apparent formâ; ſed Angelorum exercent munia: quandoquidem inſudant ſolùm ad maiorem Dei gloriam, & proximorum ſalutem, quin ſibi aut dignitatum ſuſpirent honores, aut humanas exambiant vtilitates.

Zeno. Sublata ſpe artes, ceſſabunt. — Geneſ. 3. v. 6. — Abulenſ. — Abul.

101 Paſcebat Moyſes in Madian deſertis ſoceri gregem, cumque eius prouidentiſſimus nullum laborem fugeret, vt fœcundiores gregibus paſtus acquireret; contigit, vt dum loca herbida vndiquaque ſectaretur, inſolitum ſæculis retro prodigium aſpiceret, rubum ſcilicet à radice vſque ad cacumen ardentiſſimis flammis correptum, & inter ardores floridum. Hinc vox mittebatur quæ paſtorem Ægyptios fugientem contra Ægyptios obarmaret: nec enim alius opportunior ad eum vitiis decertandum, quàm qui ne à vitiis capiatur, vel illorum confinia fugit: hìc calceamenta iubetur ſoluere: *Solue calceamentum de pedibus tuis*: & ad educendos de ergaſtulo Hebræorum populos pergere: iterum illum alloquitur Dominus, & iam Deitatis titulo honorat, & veluti mortalitate denudat: *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis.* Indagandum occurrit cur priùs vti cum mortali diſſeruerit, & poſteà diuinitatis titulis honorarit: ſi Moyſes de diuino alloquio, ſi non naturam, naturæ humanæ vilitatem abiecit, cur à principio colloquia cum Domino miſcens non luxerit eo titulo honoratus, & honore inſignitus? Certè dum calceamenta depoſuit, omne vtilitatis propriæ ſtudium abiecit, omni commodo renuntiauit, adeoque ratum eſt homines ſe non attendere, & honeſta ſolùm Numinis, ac proximi lucra ſectari, vt Moyſes lucro renuntians ſe ad diuinitatis faſtigium quodammodò eleuarit, & ingenio mortalitatis exuerit: mittebatur anteà; ſed dum calceatus, inter hominum cenſum degebat; at diſcalceatus altiorem hominibus ordinem eſt aſſecutus, & diuinitatis titulis honoratus. *Quare iuſſus eſt Moyſes calceamentum ſoluere?* Rogat Theodoretus q. 7. Reſponderque: *Dicunt nonnulli, vt ſollicitudines ſæculares abiiceret huic mortali vitæ adhærentes*: ſic mortali vitæ ſui ipſius adhæret ſollicitudo, ſic vtilitatis gloriæque inuiſceratus eſt amor, vt iure dicatur Moyſes totam quodammodò hominis naturam deponere, ſi conſtet his ſollicitudinibus renuntiare: quaſi hominis natura non tam ſit animata caro, quam geſtat, quam vtilitas, quam procurat.

Exod. 3. v. 5. — Exod. 7. v. 1. — Theodoret.

102. Delegatos à Deo nuntios trans flumina Æthiopiæ ad dilaceratam gentem, ad conculcatum populum Angelos propheta Euangelicus nuncupauit: *Ite Angeli veloces ad gentem conuulſam, dilaceratam, populum terribilem poſt quem non eſt alius, ad gentem expectantem, & conculcatam, cuius diripuerunt flumina terram eius.* Hieronymus hìc homines Euangelicos, & prophetas intelligit: *O Deus, qui mittis in mare ſæculi iſtius prophetas, & quaſi per epiſtolas nauigantes populum commones, tuis imperans nuntiis: Ite velociter ad gentem meam laceratam atque conuulſam.* Verùm cur hi præ aliis nuntiis Angeli nominentur? Quia duo ibi coniuncta pluſquam homines nuntios affirmabant, ſcilicet populum petere trucem, ac moribus terribilem, & dilaceratum, quandoquidem à nudis dilaceratiſque nullum poterat luctum expectari, & à terribilibus pericula poterant timeri: dicit iam cæca cupiditas de auri ambitu diſcrimina deſpicere, & temeritatem inaurare; at vltra humanæ naturæ ingenium videtur humanum imitari ſine cupiditate cupiditatem, & ſolum

Iſaias. 18. v. 2. — Hieronym.

ſolummodò alienæ vtilitatis, Deique gloriæ ſtudio illa ſubire, quæ exerceri ſolent de diuitiarum ardentiſſimo deſiderio, & cæciſſimo vtilitatis ſtudio. Iure ergo, qui ad dilaceratam, & terribilem gentum mittuntur, Angeli à Domino nominantur: *Ite Angeli.* Si Angelorum cupis elogium, imple omni humana ſpe nudus nobilitet miniſterium.

§. XXV.

Qui à Deo relictus ruinæ ſuæ non ſentiebat diſpendia, meliori luce vtens doloroſa fundit ſuſpiria.

103. NOn ſolùm indigemus emendari; ſed transfigurari: rarus aut nullus eſt, qui poſſit ſibi promittere aut ſperare ad id perfectionis culmen venturum, vt nihil mutandum ſit, cùm ferè ſemper inconniuentibus oculis aſpicienti multa occurrant, quæ debeant corrigi, quæ attenuari, quæ attolli. Cæcutiunt homines fœdo ſcelerum fumo obſcurati, & ignorant errores non de errorum inopia; ſed de adulterata, & ferè corrupta interni viſus perſpicacia. *Hoc ipſum*, aiebat Seneca epiſt. 6. *argumentum eſt in melius tranſlati animi, quod vitia ſua, quæ adhuc ignorabat, videt.* Quibuſdam ægris gratulatio fit, cùm ſe ipſi ægros eſſe ſenſerunt: nam ægritudinis malitia quodammodo ſtupefacti non carent doloris materia; ſed ſenſus prærogatiua, dumque iam morbi malignitas ſentire permittit, & vim improbam detriumphatam oſtendit. De peccandi vſu callus obducitur, & quod olim graui dolore exulcerabat præcordia, iam ad inſtar leuiſſimi ictus ſentitur. Non diſſonat obcæcato, quod horrorem incutiebat oculis prædito. Hinc facilis apparet ratio cur iuſti vel de leuiſſimis culpis dolore vrantur, cùm improbi nullo de grauiſſimis dolore pulſentur: quia alij videlicet perſpicaci viſu vtuntur, alij denſiſſimis nebulis retardantur. Ecce dum Angelus à Deo miſſus peccata Hebræorum populo exprobrat, intimis ſuſpiriis, & triſtibus ſingultibus plorat: *Cùm* loqueretur Angelus Domini hæc verba ad omnes filios Iſraël eleuauerunt ipſi vocem ſuam, & fleuerunt. Si populus eadem ſcelera ante Angelicam monitionem habebat; cur non plorabat? Aut cur modò altiſſima emittat ſuſpiria, cùm noua non habuerit ſcelera? Quia anteà cæleſti, efficacique lumine viduatus, modò ab Angelo admonitus, & quia iam deterſa caliginis nebula horruit, quæ commiſerat, viſus perſpicacia. Anteà Dei ſpiritus abſens videbatur, modò adfuit præſens, & de præſentia ſpiritus iam videt, qui de abſentia caligabat. Huc voco quod aiebat Gregorius lib. 9. in Iob. cap. 34. *Cùm ab auctore relinquimur, nec ipſa vllatenus deſtitutionis noſtræ damna ſentimus*: hæc grauior peccatorum pœna peccata ſua caligante quodammodo aſpectu non videre, & dum à Deo relinquitur, non ſentire; at dum miſericors adeſt, iam de tanti luminis claritate diffugiunt tenebræ, & intimè liquefactæ dolore copioſæ prorumpunt lachrymæ.

Seneca. Gregor.

104. Dum Iob cum Deo diſſereret, hæc verba protulit: *Reuerſus mirabiliter me crucias.* Non queritur; ſed gratulatur: cruciari ſe ait mirabiliter, non vt exaggeret pœnam, ſed vt commendet miſericordiam. Et quæ huius miſericordiæ benignitas? Deterſiſſe denſiſſimam tenebrarum caliginem, qua rationis oculus impeditus delinquere didicerat, non plorare; at iam vtiliori ſtupore detentus ſe non cognouiſſe, quæ perpetrarat, miratur: & iam prorumpit in lachrymas, qui nullatenus plorabat, dum pateretur denſiſſimas illas tenebras. Redeat citatus Gregorius: *Omnipotens Deus vnde mentem noſtram viſitans ad amorem ſuum erigit, inde hanc per lachrymas grauiùs affligit. Ac ſi aperte dicat: Relinquendo me nequaquam afficis quia inſenſibilem reddis; ſed cum reuerteris, crucias: quia dum te inſinuas, mihi me, quam ſim lugendus demonſtras.* Ecce mirabilis cruciatus caliginem detergere, quo mens ſibi reſtituta, dum penitius agnoſcit peccata, altiora fundat lamenta.

Iob 10.v.16. Gregor.

105. Petrus imprudenti fiducia pericula ingreditur, ibi à muliere proditus ſe negauit, quo vitam diſcrimini eriperet: ter delinquit; & tamen ſe deliquiſſe non nouit. Quid tunc? *Conuerſus Dominus reſpexit Petrum, & recordatus eſt Petrus... Et egreſſus foras fleuit amarè.* Vide quantum ſit diſcrimen, dum Dominus non conuerſus, & dum miſericorditer inclinatus: dum Petrus negat, ſic ipſa negatione caligat, vt verbi non multò anteà ſibi dicti à Magiſtro prorſus ſit immemor; at dum ad illum Dei conuerſio mentem reluminat, iam eſt pœnitentium exemplar in copioſas lachrymas fuſus, & in largos gemitus liquefactus: dum Deus per peccata auertebatur, ſic tota Petri mens caligauit, vt nec ſcelera admodùm ingentia videret; at dum illum miſericordia conuertit, iam Petrus meliora ſapit, & planctu implacabili gemit. Ferè totum hunc paragraphum ſibi vendicauit Gregorius, cuius ſic apto verba: *Quò longè nos conditor deſerit, eo mens noſtra inſenſibilius obdureſcit, nulla, quæ ſunt Dei, diligit, nequaquam ſuperna concupiſcit; & quia amoris interni calorem non habet, frigida deorſum iacet, ac miſerando modo fit quotidie tantò ſecurior, quantò peior, cumque vnde ſit lapſa, non meminit, & ſupplicia futura non metuit, quantum lugenda ſit, neſcit.* Ecce Petrus tantò degebat ſecurior, quantò per momenta peior; at iam diuini viſus luce illuſtratus, ad conſiderationem protinus ſuæ perditionis euigilat, & quæ non videbat, delicta plorat: iam inquirere cæleſtia conatur nobiliſſimi amoris æſtibus inardeſcens, & quæ ſe prementia damna non conſiderarat, iam proficiens plorat, ſi priùs obcæcatus torpebat. Qui conuerſus modò dicitur, auerſus anteà affirmatur: ergo dum Petrus à Domino diſtabat, etſi grandi fletus materia premeretur, tanto degebat ſecurior, quantò peior; at de Chriſti conuerſione illuſtratus mirabiliter cruciatur, & ſalubri contritionis dolore vritur.

Luc.22. v.61. Gregor.

106. Prodigus ille patrem deſerens diſſitiſſimam in regionem ſtudioſè properauit: diſtare voluit; veritus ne amor paternus exquireret, & à peccandi opportunitate arceret: viuebat luxurioſè, quin memoriæ occurrerent paternæ menſæ deliciæ, aut elegantiſſimæ ſtolæ: tandem cùm iam fames oculos lauaſſet, in clachrymas fuſus ait: *Surgam & ibo ad patrem meum.* Multis temporibus vitiis inſeruiens, & cupiditatibus preſſus iacens ſe iacere non ſenſit, & modò

Luc.15.v.18.

Digitized by Google

dò cognouit. Et quæ huius agnitionis fuit cauſa? Quia dum de reditu cogitabat, dum luxurioſa vita ob inopiam interdictus, addictuſque vili miniſterio laborat, iam melior, & ideò timori- Chryſol. bus diuexatior: *Iacebat qui dixit: ſurgam*, aiebat Chryſologus ſerm. 1. *intellexit lapſum, ſenſit ruinam, iacere ſe turpis luxuriæ reſpexit in lubrico: & ideò exclamat: ſurgam.* Expende quando iacere ſe in luxuriæ lubrico ſenſerit, ſcilicet cum iam à luxuriæ occaſione remotus, & in villam relegatus: dum ſalacitati indulgebat, iacuit ſanè miſerè; ſed libidinoſæ flammæ fœdo obſcuratus fumo non videbat in grandi ſe verſari periculo: à patre ablegatus, quæ patiebatur, non ſenſit; iam à licentia illa peccandi ſenſit remotus: tunc intellexit lapſum, cùm paſtoris exercebat miniſterium. Suam ignorabat ruinam, cùm viuidiùs libidinis inhiabat ad culpam: tanto tunc degebat cæcior, quanto viuebat libidinoſior; modò à vitiis vel inuitè abſtinens ſe iacere cognouit, & de reditu cogitauit. Hanc miraberis philoſophiam, homines ſcilicet peccatis immerſos ſua ſcelera non videre, cùm longè à peccatis diſſiti probentur agnoſcere: Intellexit lapſum, ſenſit ruinam, iacere ſe turpis luxuriæ reſpexit in lubrico, & hoc totum, quando in villam miſſus, & à peccandi occaſionibus ſeparatus.

107. Paradiſæis deliciis vtebatur Adamus in creaturas poteſtatem adeptus; ſed felicitate hominis ictus ad æmulationem excitatus eſt dæmon, & aliena ſpecie latens pietatem ſimulat, cùm ad cædem accurrat: magnificis, vt quæ implendæ non erant, mulierem promiſſionibus allicit, ſuperbis adulationibus effert, illaque malum cum oculo communicans vetitum decerpſit pomum, copioſiſſimam ſanè dolorum meſſem, & miſeriarum congeriem: Gen. 3. v. 6. *Tulit de fructu illius & comedit, deditque viro ſuo, qui comedit:* eodem modo ac anteà paradiſo poſt ſcelus oberrabant, nullo ad ſpeciem timore icti, nullo dolore pulſati: poſt non modicum interuallum aduentat Dominus ſolis iam flammis ferè extinctis, ne vel in ſolem peccatum produceret, & lumini publicaret: voce compellat humaniſſima: *Vbi es?* & iam timore perculſus fugit Adamus, & ſe reum ipſa fuga confitetur, & ipſo timore proditur: *Vocem tuam*, inquit, *audiui in paradiſo, & timui.* Et cur modò timet vocatus, qui anteà non timebat delicto infectus? Si teſte ſole ſcelus commiſſum, ſi ante Domini aduentum non modicum interuallum elapſum, cur anteà gelido horrore non timuit, aut cur modò intrepidè non reſpondit? O animaduerte quàm aliter ſe homo gerat, dum Deus diſtat, ac dum approximat. Anteà à Deo diſtabat Adamus, ideò caligabat cæcus, & obcæcabatur ſecurus, iam voce pulſatus, & aduentanti Numini magis proximus delictum horret, & ſe fugit. Profectò dum Deus adeſt, peccator ad lamenta conuertitur; dum abeſt miſerabiliter obcæcatur? ergo dum ad noſtram eruditionem Deus à paradiſo abſens, vtporè qui aduentaſſe poſteà deſcribitur, Adamus vel poſt peccatum intrepidus deliciatur; at voce perculſus dolet, & dolens Ambroſ. ad teſtimonium ruboris fugit. *Hanc vocem*, aiebat Ambroſius apud Lippomanum, *fideles audiunt, impij non intelligunt.* Iam cùm ad pœnitentiam maturauiſſet, vocem intellexit: anteà nec vocem audierat, nec peccatum agnouerat; imò quò peior, tantò degebat ſecurior.

---

§. XXVI.

Prudentes admonitorem venerantur vt Angelum, imprudentes oderunt vt inimicum.

OMne tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci: tunc enim quod morum ſaluti prodeſt, 108.
auidiùs appetitur, & dulcedinis illicio ſtudioſiùs voratur; verùm cùm ſemper non poſſint, quæ ſaluti commoda, eſſe ſapori iucunda, grandius eſt beneficium impendere ſalutaria, quàm dulcia. Infirmum odit, qui profutura ſuſpendit; amat qui vel ſeueritate geſtit ſanare. Quàm benè Caſſiodorus 3. var. 40. Caſſiod. *Feſtinè remedia veſtræ vtilitatis inſpeximus: quoniam apud conſcientiam noſtram læſionis genus eſt profutura tardare: nec poſſumus æſtimare iucundum, quod ingrata fuerit dilatione ſuſpenſum: nam excreſcentibus morbis læſio debacchari permittitur, cùm medicina differtur.* *Læſio permittitur, cùm medicina differtur.* Vt corporeis morbis ſollicitat incrementa, qui differt medicamentorum ſubſidia, quantumuis patienti aſpera, ita morbis animi addere cenſetur vires, qui vrbana correptione non carpit, & vtili obiurgatione non corrigit. Magnum beneficium eſt, & remuneratione digniſſimum ad ſalutem torqueri, & doloribus vtiliſſimis vti. Tertull. *Medicum miraberis*, aiebat Tertullianus, aduerſ. Gnoſtic. cap. 5. *quòd fermè pares adhibet qualitates medelarum aduerſus qualitates querelarum, cùm quaſi de peruerſo auxiliatur per ea ſubuenie-s, per quæ laboratur.* Profectò nullus medicum oderit, quantumuis aſpera medicamina, & amariſſima pocula adhibeat: quia ſcit, etſi de peruerſo, ſibi auxiliari, & ſaluti ſtudioſè conſulere. Horrorem operis fructus in medico excuſat, & quidem æger, quãtumuis gemat, vlulet, & inter manus medici mugiat, poſt modum tamen eaſdem manus mercede cumulat, & peritiſſimas artis deprædicat. Nec aliter in animæ morbis apud prudentes euenit: nullus culpabit zelotem, ſi voluerit certare cum cauſa, & iniuriæ æmulando prodeſſe, quandoquidem totum eius ſtudium eſt tormenta obiurgatione diſcutere, ſupplicia ſeueritate euaporare, & contriſtando vitam præbere: imprudentes paſſionum ardore inſaniunt; & quia appetitum vtilitati anteponunt, optimum morum medicum oderunt vt inimicum. Ecce populus Hebræorum victoriis inſoleſcens, auro inhians patrios corrupit mores: iam Hebræi vitiis inſeruiebant degeneres, cùm Deus adhuc culpis exaſperatus, & ſceleribus offenſus antiquæ non potuit miſericordiæ obliuiſci; ſed miſit Angelum qui digna illos obiurgatione corriperet, quod vt factum eſt, hoſtias immolant copioſis lachrymis irroratas: *Vocatũ eſt nomen loci illius locus flentium, ſiue lachrymarum immolaueruntque ibi hoſtias Domino* Putares acri obiurgatione exaſperatos in medicum irritãdos; verùm vti prudentiſſimi ſacrificia obtulerunt, in ſe collatum obteſtari beneficium, & debitum ſoluentes gratitudinis obſequium. Abulenſ. *Verus Angelus Dei*, ſcribit Abulenſis q. 2. *apparuit coram omnibus Iſraelitis in forma humana ſumpto corpore de*

aere

aere, & locutus eſt,& Iſraelitæ venerati ſunt eum, vt Angelum Dei Locutus eſt carpendo; ſed vt fuſis lachrymis clarati ſunt oculi, agnouerunt beneficium,& præſtiterunt Numini obſequium. O quàm falluntur, qui aduerſari ſibi exiſtimant optimos monitores,quando hi præcipuè in amicorum cenſu habendi, & præ reliquis ſunt æſtimandi.

103. Vt aues pullos ſuos recens genitos fouent,& vbi pennis aptos viderint,ad volatum exercent, ſic Chriſtus Dominus cùm multa diſcipulos de fide docuiſſet,nunc tanquam doctrinę rationem velit repoſcere,eos tranare maria compellit:mare Apoſtolis in ſtadium fidei apparabatur, & aſſumptis diſcipulis Dominus nauigabat, cúmque iam nauicula mediis eſſet in fluctibus, magiſter experientiæ locum cedens dormiebat: inuſitata tempeſtas confeſtim cum fragore inſurgens ſcapham diuerberabat, & diſcipulorum animos naufragij terroribus percellebat: Apoſtoli ad portum,qui in naui erat,acurrunt,& magiſtrum excitant.Quid tunc? Diſcipulos increpat: *Quid timidi eſtis modicæ fidei?* Inſtabat naufragium,& nihilominus tranquillitatis beneficium impertiturus prius diſcipulos arguit:quaſi maius beneficium fuerit corripuiſſe defectus,quàm marinos ſedaſſe fluctus. Animaduertit Baſil. Seleuc. orat. 7 *Prius diſcipulos increpat,quàm mare.* Non tam grande beneficium erat auertiſſe naufragium, quam fidei acriter increpuiſſe defectum. Audaciam maris poſteà repreſſit: *Dixit mari: Tace, obmutesce. Et ceſſauit ventus, & facta eſt tranquillitas magna.* Ecce correptũ mare. Quid tunc? Beneficium correptionis agnouit,& terram imitatum gradienti Domino ſuper vndas gratitudinis ſignum oſtendit: *Venit ad eos ambulans ſuper mare.* Non horruit pelagus increpationem;imò vocis terrore frænatum fluctuum ſuorum ceruicem curuabat,& plantis Dominicis obſequentiſſimum deſeruiebat. Huc voco quod aiebat citatus Seleucienſis: *Quod olim mare Moyſem fugit, & Moyſis Dominum venerabatur:tamquam mancipium incompoſitis moribus verbo minaci mare continet Deus, & modica voce ingens elementum refrænabatur:recognoſcebat etenim veterem vocem, recordabatur antiqui præcepti. Congregentur aquæ, in locum vnum,& appareat arida.* Subiungit noſtro inſtituto opportunius: *Tunc conceſſit terra volenti imperium, tunc terram imitatur conſolidatione naturæ.* Ecce mare olim ad Domini præceptum ceſſit; ſed poſt increpationem, dum inſanos agnoſcit impetus vorticum refrænatos; dum ſedata fluctuum volumina,gratias creatori agit,& vt corrigentis deoſculetur veſtigia,terram imitatur conſolidatione naturæ. Agnouit mare quantum ab increpatione acceperit beneficium, quandoquidem ventorum violentia repreſſa, æſtus ſedatus eſt, & tranquillitati mare reſtitutum. O quàm ni increpatione coërcitum, ſecum repugnantibus confuſi fluctus voluminibus exagitaretur, & aſpirantibus acriter ventorum flatibus, deſæuiret percuſſum, & tranquillitatem amitteret inſtigatum;at dum increpatio coërcet vndas, dum ventos cogit, dum tempeſtatem ſedat, vtitur mare antiqua ſerenitate felicitati reſtitutum, & perturbationi ereptum. Ergo terram imitetur, vt veſtigiis correctoris inſeruiat, & gratum animum prodat.

Matth. 8. v. 26.

Seleucienſ.

Marci 4. v. 39.

Matth. 14. v. 25.

110. Dauid ab inimico cæſus,& paſſioni inſeruiens adulterium perpetrauit; verùm Deus prophetam mittit prophetæ medicum adfuturum, vlcus ænigmate denudauit, oculis miſeriam ſubiecit, & tandem in dolorem Dauidem impulit. *Dixit Dauid ad Nathan: Peccaui Domino* A propheta correptus non eſt exaſperatus; imò exinceps coluit vt amicum, conſiliarium adhibuit eius prudentia in grauiſſimis rebus vſus: nam cùm inaugurandus eſſet Salomon,& exaugurandus Adonias, hoc illi munus iniunxit, vtpote exactiſſimo miniſtro, & fideliſſimo amico: *Dixit Rex Dauid: Vocate mihi Sadoc ſacerdotem, & Nathan prophetam,* &c. Tantum abfuit vt à corripientis familiaritate abſtinuerit, vt eius ſit conſuetudine vſus. *Non dixit*, ſcribit Chryſoſtomus in Pſalm. 50. *O ille tu cur non conſideras fragilitatem humanam, cur non temetipſum carnalem intelligis? An neſcis me in culmine conſtitutum eſſe regali? Cur mihi audacter impegiſti crimen? Sed. Peccaui Domino.* Conſonat Lyra ad illa verba 3. Reg. 1. *Mihi non indicaſti ſeruo tuo:* quibus Nathan queritur ad ſpeciem hoc ſibi celatum negotium, cùm familiariter & confidenter reliqua negotia communicarit, & aperuerit. Audi Lyram: Mihi non indicaſti ſeruo tuo, qui ſum ſecretarius tuus, & tibi reuelaui voluntatem *Domini.* Non abiecit correctorem ira ſuccenſus; ſed compenſauit beneficium ſecretorum efficiendo participem, & præ reliquis miniſtris principaliorem.

2. Reg. 12. v. 13.

3. Reg. 1. v. 32.

Chryſoſt.

Lyra.

Quàm aliter ſe geſſit Rex ille Ieroboam, qui cum ſacrilega thura idolis offerret, prophetali voce correptus eſt: *Ecce vir Dei venit de Iuda in ſermone Domini in Bethel, Ieroboam ſtante ſuper altare, & thus iaciente.* Altare ſciſſum eſt, cinis effuſus, ſacrificium impeditum. Quid tunc? Cùm audiſſet rex ſermonem hominis Dei, quem inclamauerat contra altare in Bethel, extendit manum ſuam de altari dicens: *Apprehendite eum.* Et quare ſit apprehendendus? Quia veritatem enuntiauit, quia inſanientem corripuit, quia idololatrandi occaſiones abſtulit: furebat veſanus ille ſacerdotalis dignitatis ambitione, figmentis thura offerendi libidine: viri Dei clamor dum altare ſcidit,vota infanda regis frænauit, & occaſiones deluſit, & qui debuerat corripientem honorare vti amicum, punire decreuit vti aduerſarium: Apprehendite eum, inquit,mihi infenſiſſimum, odioſum, & aduerſarium. Profectò cùm à rationali tranſiſſet in brutum, inimicum reputabat rationis vindicem, & appetitus ſtragem. *Per hoc*, ſcribit gloſſa moralis, *oſtenditur obſtinatio peccantium, qui ad verba prædicatorum non conteruntur, & quod peius eſt, eos aliquando perſequuntur.* Immortali odio monitorem proſequuntur, & perſequuntur appetitus vernulæ, libidinis famuli; ſi quis verò ipſorum amore, & religioſo Dei zelo mulierculas libidinis victimas propulſarit, & peccandi opportunitatem acciderit,apprehendat ſcutum, & timeat telum:furit rex quia altare ſcinditur,dum ſtudioſiùs nefanda offerre ſacrificia conatur: quiſquis vera charitate ducitur, patientia armetur:plures namque vti phrænetici in medicum,à quo curantur,inſurgunt,& morbum,quo deprauantur, augere contendunt. Profectò Dei zelus non modica zelatoribus diſcrimina aſciſcit; verùm omnia contemnenda ſunt;& vt qui mercaturam faciunt, ſcopulos ſæpè deſpiciunt; imò & naufragia contemnunt; ita veri Dei miniſtri 111.

3. Reg. 13. & 1.

Gloſſa.

Digitized by Google

niſtri vtpote animarum emptores debent contemnere iniurias, pericula deſpexiſſe, & labores plurimos deuoraſſe: tantùm valet vel vnius lucrari animam,& immortalitati ſacrare vitam.

§. XXVII.

Caſtitas & longiſſimæ vitæ vena, & immortalitatis eſt officina

112. CVm homines vitam in longum mittere deſiderio anhelo diſcupiant, circa media, quibus ſuffulcienda, & æternanda, maximè errant. A conditis cibis putant mutuari vigorem, cùm potiùs ingluuies ingeueret cruditatem: ab annoſis & ferè tempore oblitis vinis valetudinem petunt, cùm non ſemel ſint morborum cauſa, & quò blandiùs iucundiuſque labuntur, validiùs infirmitati auxilientur. Libidini ſtudent, & cupientes ſibi prouidere, immaturam mortem ſibi probantur aſciſcere. Plato apud Stobæum capite 101.de ſanitate & eius cura aiebat: *Non ſatiari cibo,non refugere laborem, ſeminis ſubſtantiam conſeruare, hæc tria ſaluberrima eſſe: nam incontinentia circa venerem, dum vires maximè reſoluit, per quas alimentum elaboratur, magis excrementa, & plenitudinem auget.* Vitalis calor voluptatibus diſſipatur, & paulatim, quibus ali putamus, vita reſoluitur: viuit in æuum continens, honeſtati addictus, & pudicitiæ ſacratus. Caſtitas, virginitaſque eſt veluti æternitatis teſſera: vnde optimè Tertullianus libro primo ad vxorem capite 7. aiebat: *Nobis continentia ad inſtrumentum æternitatis demonſtrata eſt à Domino ſalutis Deo: ad teſtimonium fidei, ad commendationem carnis iſtius exhibendæ ſuperuenturo indumento incorruptibilitatis.* Vt ſpecula intuentium vultus præſentant, & quæ in ſe non poteſt, in ſpeculo quiſque videt: ita æternitas & incorruptibilitas, quæ modò vltra conſpectum cadit, in caſtitate veluti cryſtallino ſpeculo videtur, & in virginitate conſpicitur. Ioſue virginitatis decus naturæ tributum ſoluit; ſed longiſſimam poſt ætatem: *Mortuus eſt Ioſue filius Nun famulus Domini centum & decem annorum, & ſepelierunt eum in finibus poſſeſſionis ſuæ.* Duo expendenda occurrunt, & longiſſima ætas in homine tot itineribus fatigato, in Duce tot Martiis certaminibus innutrito, & fletum lugubrem non referri; ſed ſilentio arcano ſignari. Profectò bellum omnis imbonitatis, & laboris copioſa eſt meſſis, ferrea etiam arma comminuit, montes ſubuertit; & tamen Ioſue cum illa Arabiæ alite de diuturnitate contendit. Adhæc non refertur populi fletus, & quidem in morte Moyſis lugubris deſcriptus eſt comploratus: *fleuerunt eum filij Iſraël in campeſtribus Moab triginta diebus.* Si Moyſis funus adeò copioſis lachrymis ornant, cur Ioſue etiam ſingultibus non honeſtant? Magna quidem Moyſis opera,egregia in populum beneficia, ſed & Ioſue celebranda ſæculis ſunt miracula: eduxit ille de ergaſtulo, hic ditauit regno: ille marinos vortices vitreos digeſſit in muros, hic Solares frænauit radios: cur ergo tantum ducem non deplorent amiſſum, qui Moyſem complorauere deperditum? Si Hieronymo credendum eſt, hoc in loco non ingratitudo denotatur; ſed virginitatis priuilegium deſcribitur: Moyſes vxorem duxit, Ioſue virgo in æuum permanſit: ergo quem virginitas æternitati dicarat, non luxerunt mortuum, & ſi Moyſem lamentati fuerint defunctum: Ita Hieronymus libro primo,aduerſus Iouinianum: *Moyſes moriens plangitur à populo Iſraël; Ieſus autem quaſi victurus non plangitur: nuptiis enim finiuntur in morte: virginitas poſt mortem incipit coronari.* Moyſes magnus luxit; ſed planctu honoratur, vt qui vitam finiuit; at Ioſue non lugetur: quia virginitatis priuilegio appendices mortis euaſit. Itaque dum Moyſi luctus penditur, & Ioſue planctus non ſoluitur veluti hiſtoriæ penicillo nobis depinxit textus virginitatis prælationem, & quodammodò in ipſam mortem valentiam, & aduerſus mortis conſequentias mirabilem efficaciam.

Plato.

Tertull. *Caſtitas æternitatis ſocia.*

Deuteron. 34.v.8.

Hieron.

113. Gentium Apoſtolus, vt æternum Chriſti Domini ſacerdotium aſſereret, duo de illo protulit, ſcilicet quod futurum non erat iuxta Aaronici ſacerdotij leges, & quod iuxta leges Melchiſedech futurum erat: *Sine patre,ſine matre,ſine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens; aſſimilatus autem filio Dei manet ſacerdos in æternum.* Conſonat Pſalmiſta Pſalmo 109. *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Videamus cur tanto ſtudio perſuadere nobis voluerit Scriptura Chriſti ſacerdotium Aaronici ſacerdotij ignorare leges, & Melchiſedech normam imitari. Alij alias moralitates inuenient pro moribus componendis,alia dilucidabunt arcana pro myſteriis fidei illuſtrandis; at citatus Hieronymus theſi noſtræ locum mirè aptauit, dum legit loco illius verbi *ſine genealogia, ſine nuptiis.* Aaron vxorem habuit: ideò eius ſacerdotium ſortitum eſt finem, at Melchiſedech vxorem non duxit: ideo finem eius dignitas ignorauit. Chriſti Domini ſacerdotium probatur æternum,vtpote non Aaronico inſtituto ſuffultum; ſed Melchiſedechi virginitate adumbratum: non potuit habere finem, quod virginitas æternitati dicabat, nec potuit non habere Aaronicum ſacerdotium,dum nuptias non reſpuebat. Adeſt Hieronymus iam citatus: *Nulli dubium eſt ſacerdotes de Aaron, & Eleazar, & Phinees ſtirpe generatos, qui cùm & ipſi vxores habuerint, rectè nobis opponerentur, ſi errore Encratitarum ducti contenderemus matrimonia reprobanda & non eſſet noſter Pontifex ſecundum ordinem Melchiſedech ſine patre ſine matre ἀγενεαλόγητος, hoc eſt ſine nuptiis.* Sacerdotium Aaronis nuptias à Deo ordinatas confirmat; at Melchiſedech ſacerdotium æternitatem veluti ſpeculum pellucidum repræſentat. Itaque quod ignorauit ſacerdotium nuptias, & finis ignorauit exequias: finem habuit quodammodò morte diſpunctum, quod nuptiarum non reſpuit ſacerdotale munus conſortium. Itaque Paulus & Pſalmiſta ad æternitatem ſuadendam petunt à caſtitate argumentum, à virginitate clariſſimum teſtimonium: nec enim habuerunt Paulus & Pſalmiſta, vnde melius ſacerdotij æternitatem aſſererent, quàm à ſacerdote virgine, à puritate ſacerdotali: Melchiſedech dum ſine nuptiis refertur, aſſimilatus filio Dei æternitati ſacratur.

Hieron.

Ad Heb.7. v.3.

Pſal.109. v.4.

Hieron.

Vt

114. Vt hanc veritatem variis nobis imaginibus ſacra Scriptura delinearet, cùm creationis diebus noctes adiunxerit: *Factum eſt veſpere & mane dies vnus*, Sabbatho nullatenus noctem attexuit: *Requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere, quod patrarat, & benedixit diei ſeptimo, & ſanctificauit illum.* Si inquiras cur Sabbathum tenebras luminis mortem ignoret, cùm dies reliqui patiantur: reſpondebit Hildebertus in allegor. Tilmani ad caput 7. epiſt. 1. ad Corinth. in Sabbatho virginitatem ſignari, vtque ab exordio agnoſceret mundus virginitatem priuilegio æternitatis gaudere, tenebræ Sabbathum nullæ viſerunt, dies reliquos caligines obſcurarunt. *Neſcit à quanta hæreditate decidit, quiſquis vt heredes relinquat, ſimilitudinem Angelorum deponit: numquid non intelligis Sabbathum conſilij non præcepti, Sabbathum, quo feriatur ab omni opere carnis caro, quo ſapit quiddam ſupra carnem caro.* Nulla in Sabbatho carnis opera, ideò nulla veſpera, dies reliqui, vbi fœmina maſculuſque producti, noctis horrores ſunt paſſi; at vbi nihil carnis, & nihil inuentum eſt mortis.

Gen. 1. v. 5.

Hildebert.

115. Deus Adamum condens ſic aiebat: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram:* poſteà cùm Sponſa illi datur, ſomnus immittitur: *Immiſit Dominus Deus ſoporem in Adam.* Adhæc in Euæ formatione iam Dei imago non exprimitur; ſed hominis ſimilitudo non ſine arcano myſterio fabricatur: *Non eſt bonum eſſe hominem ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi:* Cùm ſub ipſa ſtyli diuerſitate certum ſit latere myſteria: videamus cur homo ſomno corripiatur, dum mulier producitur, & cur à Dei ſimilitudine in hominis ſimilitudinem natura degeneret? O vide: ſomnus mortis eſt ſemper imago: ergo dum Adamus virgo permanſit, nullo ſomno refertur correptus, nulla vel leuiſſima mortis vmbra dehoneſtatus, at iam mors in hominem principatum cœpit obtinere, dum vxor inceperit efformari: iam quæ viro copulanda, hominis dicta eſt ſimilitudo, non diuinitatis imago: in hominis formatione aiebat: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*; in mulieris fictione paulò aliter: *Faciamus ei adiutorium ſimile ſibi:* Non quod mulier Dei non fuerit imago, vti & homo; ſed quòd ſub hac ſtyli diuerſitate, & myſterium æternitatis expreſſum, & documentum mortalitatis ſignatum: iam dormit, qui nubit: vt repetat Hildebertus: *Neſcit* à quanta hæreditate decidit, quiſquis vt hæredes relinquat, ſimilitudinem Angelorum *deponit.* Præmiſerat Doctor hic: *Virginitas curarum eſt ſilentium, pax carnis, vitiorum redemptio.* Addit poſt aliqua: *Eius prole nihil viuacius, cum qua nulla propagatur mortalitas, eius dote nihil vtilius, in qua ſufficientiam comitatur æternitas* Huc voco quod aiebat Baſilius Seleucienſis orat. 2. *Ex latere membrum mutuatur: patitur corpus, vt mentem coaptet, & natura vna diſſipatur arte formantis.* Ecce quæ hucuſque integra lucebat natura, iam incipit diſſipari, dum ad nuptias conſtat Euam produci: iam mortuus depingitur, qui matrimonio donandus: nam licet matrimonium amplificando generi à Deo fuerit inſtitutum, immortalitatis tamen virginitati reſeruatum eſt priuilegium.

Gen. 1. v. 26.

Gen. 2. v. 21.

Hildebert.

Seleucienſ.

Dauid, vt æternitatem iuſto promiſerit ſic aiebat: *Iuſtus vt palma florebit.* Tertullianus de reſurrectione carnis capite decimotertio, legit: *Florebit velut Phœnix* Videamus quid in hoc alite peculiare. Profectò de ſingularitate permanet virgo, cui occaſus eſt oriens, cui finis principium: ſemper renouatur natali fine, nec finitur ad mortem; ſed moritur ſemper ad vitam: ergo Dauid, vt æternandum iuſtum prædixerit, vnico, ſingularique aliti comparauit: quaſi elegantiorem æternitatis imaginem non potuerit producere, quam auem de ſingularitate virginem, de virginitate immortalem. *Illum dico alitem* (verba ſunt Tertulliani vbi ſupra) *orientis peculiarem, de ſingularitate famoſum, de poſteritate monſtruoſum, qui ſemetipſum lubenter funerans renouat natali fine decedens, atque ſuccedens iterum Phœnix: vbi iam nemo, iterum ipſe: quia non iam, alius idem.* Addit ſtatim Septimius. *Quid expreſſius atque ſignatius in hanc cauſam* (ſcilicet æternitatis) *aut cui alij rei tale documentum? Deus etiam ſcripturis ſuis: Et florebit, inquit, velut Phœnix, id eſt, de morte, de funere.* Vt noueris iuſtum funere renouandum, de morte ſibi reſtituendum, Phœnici adæquatur, virgini vti ſingulari. Quid pro virginitate grandius? Quid pro immortalitate ſecurius?

116. Pſal. 91. v. 13 Tertull.

§. XXVIII.

Quæ quis honeſtè egit in vita ad miſerorum auxilium, æternum potitur in morte elogium.

QVi *laborioſas excubias & officia magna ſedulitatis inuenit*, ſcribit Caſſiodorus 11. var. 36. *rationabiliter & temporis definita conſtituit, vt quod erat ſub vita termino poſitum, præmium non haberet incertum.* Præmium habet ſub vitæ termino poſitum, quiſquis vtilibus proximi excubiis arcuit ſalutis periculum: durat immortalis honeſta actio, etiam cùm finitur vita, & quamuis lux vitæ ſe ſubducat mortalibus, vita deficere nequit virtutibus: humana tempora de aſſidua aſtrorum repetitione ſignantur, nec quid mortalibus fixum: quia perennibus curſibus excurrit elapſum; at honeſtas æternitati connectitur: quia ab æternæ æquitatis regula promanare probatur; at quamuis virtutis fructus ſemper perennent, neſcio quo vigore impenſa indigenti auxilia vel in mortis caliginibus reſplendent grato nitore lucentia. Prudentiſſimè Ageſilaus, vt Plutarchus refert in Lacon. Apophthegmat. agnouit euanidum ſatis eſſe, quod artificis induſtria excudebatur monumentum, æternum, quod ab actione, & ab inualidorum tutela petebatur elogium: noluit ſibi ſtatuam conſtrui de adulationis ingenio; ſed procudi de certaminum teſtimonio. *Moriens ſuis præcepit, nullam vt facerent vel fictam, vel pictam imaginem ſuam: namque ſi quid feci, inquit, præclarè, hoc mei monumentum erit.* Agnouit prudentiſſimus Imperator præclaras actiones temporum adſultibus non imminui; ſed immortali vigore ſemper æternitati ſacrari: quiſquis

117. Caſſiod.

Plutarch.

tuam finxit, quæ tacitè loquitur, & ſine voce, immortali elogio proſequitur. Ioſue dux ille acerrimus, qui ſtrenuas adeò operas virtuti ſemper nauauit, tandem moritur, non ſolùm longiſſimis annis plenus; ſed quod amplius eſt, pleniſſimis conſummatus: *Mortuus eſt autem Ioſue filius Nun famulus Domini centum & decem annorum.* Quid tunc? Iuſta perſoluunt, & in Thamnathſare campo ſepeliunt. *Sepelierunt eum in finibus poſſeſſionis ſuæ in Thamnathſare.* Abulenſis refert quæſt. 12. locum illum ſepulchri Thamnathſare fuiſſe vocatum: quia ibi, vt gratitudinem ſuam Hebræi oſtenderent, Solis ſimulacrum finxere, qui perpetuis radiorum linguis, nullaque nocte interpellatum prodigioſum illud publicaret facinus, ſtitionis ſcilicet Solis, quando ad miſerorum Gabaonitarum auxilium inuicti ducis properantem retardauit imperium.

Abulenſ. Accipe Abulenſem: *Hebræi dicunt quod Thamnathſare vocatur ſic, quia interpretatur ſimilitudo, vel imago Solis, & dicunt quod mortuo Ioſue ſuper ſepulchrum ſuum fuit factum quoddam ſimulacrum Solis marmoreum, vt omnes tranſeuntes cognoſcerent gloriam viri illius, ad cuius preces Deus fecerat ſtare Solem.* Non poterat illa actio vel mortis tenebris obſcurari, quæ miſeris detulerat opportunum auxilium, & ad inualidorum defenſionē ſuſceperat prælium. Lucebat in ipſo ſepulchro index certiſſimus gloriæ, ſcilicet vita miſeris dilargita, & contra inimicorum violentiam ſalus miniſtrata: ne cui dubium eſſet, an Ioſue potiretur gloria, inſculpta eſt ſepulchro miſerorum tutela, & immotus Sol ad miſerorum auxilium ſepulchro ſtetit etiam vt cælo ad auxiliantis elogium: *Fuit factum ſimulacrum Solis marmoreum, vt omnes tranſeuntes cognoſcerent gloriam viri illius, ad cuius preces Deus fecerat ſtare Solem.* O quanta Ioſue patrarat facinora! Iordanem ſtitit, adamantinos Iericho muros claſſico terribiliter reſonante ſubuertit, extractos de tenebris reges calcauit; verùm quod eius ſepulchrum honorat, & quod gloriæ index certiſſimus exhibetur, eſt detentus Sol ad Gabaonitarum auxilium, & ad calamitatis remedium.

118. Non ſemel apud me expendebam, cur ſepulchrum illud, quod ingenti pretio vxori, ſibique Abrahamus coëmerat, referatur arboribus obumbratum. (Gen 23. v. 17.) *Confirmatus eſt ager quondam Ephronis, in quo erat ſpelunca duplex reſpiciens Mambre, tam ipſe, quàm ſpelunca, & omnes arbores eius in cunctis terminis eius per circuitum Abrahæ in poſſeſſionem.* Ibi Sara condita, ibi & Abrahamus ſepultus: (Gen. 25. v. 9) *Sepelierunt eum Iſaac, & Iſmaël filij ſui in ſpelunca duplici.* Cùm nihil in Scriptura non ſit arcanum, quæri poteſt, cur præ aliorum Patriarcharum ſepulchris Abrahami loculus arboribus exornetur? Plures aliæ moralitates ex hoc agro pullulabunt; ego aliorum veneratus ſententias putarem Abrahamum poſt mortem obtinuiſſe ad ornatum, quod ipſe præſtitit ad miſerorum auxilium: candebat olim ſub meridie flammis ardentiſſimis Phœbus, cùm tres Angeli peregrinorum ſpecie ſedenti apparent; ipſe reluctantibus annis deſideriorum inuolat plumis: peregrinos vrbaniſſimè alloquitur, humillimè veneratur, generoſiſſimè inuitat, & ſub arbore menſam explicat: (Gen. 18. v. 4.) *Requieſcite ſub arbore, ponamque buccellam panis, & confortate cor veſtrum.* Itaque in Mambre ad peregrinorum auxilium vmbram arboris miniſtrauit. Ergo ſpelunca Mambre, eiuſque arborem reſpiciens, ſepulchrum florulentiſſimis arboribus tegit: ſpelunca refertur Mambre reſpiciens, & arboribus fructiferis quidem circumdata, vt locorum admireris conſonantiam, & actionum harmoniam. Erat ſpelunca duplex reſpiciens Mambre... & omnes arbores eius: non poterat carere ſpelunca floridis plantis, quæ peregrinos excepit vmbroſis foliis: vnius arboris viuens exhibuit Abrahamus vmbram, plures arbores inuenit moriens ad ſepulchri elogia: referebant arbores blando aëris percuſſæ ſuſurro quid fecerit viuens, qui ibi condebatur quieſcens. Huc voco Gregorium 6. moral. cap. 25. (Gregor.) *ſub bonæ operationis tegmine, & contemplationis abſcondit.* Quæ benè operatus fuerat, vmbram ſepulchro miniſtrarunt, & honorifica tegmina prætexuerunt. O quàm non poterat Abrahamo vmbra deeſſe defuncto, dum vmbram miniſtraſſe conſtitit peregrino. E contra parum intereſt ſepulchra elogiis ornare; quem vitæ fructibus conſtat deſtitui: non poteſt pulchrè ſepulchro agnoſci, qui pulchritudine noluit viuens decenter vti.

119. Grandi profectò myſterio retulit Scriptura Abſalonem conſtruxiſſe ſibi inſanam pyramidem nominis ſui monumentum, & ſub aceruo lapidum fuiſſe ſepultum. (1. Reg. 18. v. 17.) *Tulerunt Abſalon, & proiecerunt eum in ſaltu in foueam grandem, & comportauerunt ſuper eum aceruum lapidum magnum nimis; omnis autem Iſraël fugit in tabernacula ſua.* Vides quam fuerit ſepulturam nactus, vide quale ſibi ſepulchrum fuerit, dum viueret, architectatus: *Erexerat ſibi, cùm adhuc viueret, titulum, qui eſt in valle regis: dixerat enim: Non habeo filium, & hoc erit monimentum nominis mei: vocauitque titulum nomine ſuo, & appellatur manus Abſalon.* Huius nominis cauſam quærunt interpretes. (Lyra.) Lyra ex Ioſepho refert marmoream ibi ſtatuam conſtruxiſſe prototypi pulchritudinem referentem ad ſui memoriam. *Dicit Ioſephus quod fecerat ſtatuam marmoream ad ſui memoriam in poſterum.* Hieronymus lib. de tradit. Hebraic. ſic ſcribit: (Hieron.) *In hoc titulo manum dicitur dixiſſe, & figuram manus ſuæ expreſſiſſe: & ob hoc titulum hoc modo vocari.* Inquires, cur hoc ſepulchro non fuerit conditus, & cur ſepulchrum referat textus. Quid neceſſum erat tradi litteris Abſalonem pulchritudinem ſuam ſepulchro effinxiſſe, quando alio loco non tam ſepultus eſt, quàm proiectus? Grande in vtroque myſterium: nequibat frui pulchritudine in morte, qui actione non emicuerat in vita. Profectò ſi in conſtructo à ſe iaceret ſepulchro, pulcher aſpicientibus appareret, vtque conſtet non poſſe apparere pulchrum in morte, qui ferus apparuit actione in vita: mulctatus eſt affabrè conſtructo ſepulchro, quo infelici exemplo poſteros erudiret in morte ſortiri non poſſe elogium, qui virtutis in vita non obtinuerit ſuffragium. Iam ſi Hieronymo placet, ſepulchro expreſſa, cùm ſit actionum index, oſtendit Deus non manere Abſalonem ſepultum opera, quæ virtutibus deſtituta. Abſalonis pulchritudo, vnguenta, cæſaries, deliciæ vſque ad ſepulchrum vixerunt, ſed in ſepulchro nullatenus perdurarunt: alio loco ſepulturam

Q quiſquis.

Digitized by Google

quiſquis benè fecit, ſepulchro ſuo æternam ſtabilitatem obtinuit, ne ſi mole illa conderetur inſana, putaret quis vel in morte pulchritudine adhuc ornari, & operibus ſuffulciri. Qui in ſepulchro ſua opera reſpirare deſiderat, rationi, honeſtati, & miſerorum auxilio viuat: ſic namque obtinebit ad æternitatem elogium nunquam annorum tractibus deterendum; at ne falſus reputet, qui ab honeſtate remotus vixit, pulchram faciem ſe ſortiturum in morte, nec viventibus ſemper operibus nobilitandum, aut floribus redimiendum; alio loco ſepultus eſt Abſalon, ne quieſceret facie pulcha, aut nobili vigeret dextra. Manus liberalitatem indicabat: ergo ne liberalitatis in morte ſortiatur elogium, quem non conſtabat aliquod egenis impendiſſe auxilium, ſepulchro illo priua-
110. tus eſt.

Mortua eſt Dorcas ſeu Thabita; cumque Petrus exoratus aduentaſſet, circumſteterunt illum
Actor.9. lum pauperes tunicas veſteſque à Dorcade ac-
v.39. ceptas oſtendentes: *Duxerunt illum in cœnaculum, & circumſteterunt illum omnes viduæ flentes, & oſtendentes ei tunicas & veſtes, quas faciebat illis Dorcas.* Accepta beneficia ſermone non extollunt; ſed exhibitione oſtendunt: oſtendentes eis tunicas & veſtes. Ecce viuebant opera poſt Thabitæ mortem, & quæ dederat ad pauperum auxilium, poſt mortem perſtiterunt ad dilargientis elogium: defunctum circumſteterunt eius opera, vt viueret in actione æternùm, quæ ſoluerat mortalitati tributum: *Ma-*
Chryſoſt. *gnum*, ſcribit Chryſoſtomus apud gloſſam, *mulieris encomium, quandoquidem vtraque, ſcilicet veſtes, & tunicas, ſic faciebat, vt vtriſque plena eſſet.* Non illam mors denudauit: quia pietatis induſtria ſe veſtibus pauperibus dilargitis non ſolùm contectam; ſed & exultè ornatam poſt mortem etiam oſtendit. Ecce defunctum corpus circumſtat encomium. Magnum mulieris encomium, ſcilicet auxilium viduis miniſtratum, operimentum pauperi impenſum, vt noſtra theſis ſit vera, ſcilicet quæ honeſtè quis egit in vita ad miſerorum auxilium, in morte ſortiri encomium.

---

§. XXIX.

Magna defunctorum in Eccleſia felicitas, poſſe Dominico Sacramento expiari, quo reatus facilè conſtat abſolui.

111.

VT nullus eſt, qui hunc mundum à ſorde ingrediatur extraneus, ita rarus eſt, qui ab omni macula egrediatur alienus: non dubito ea aliquos perfectione vixiſſe, vt nihil aut parum examinatrix illa flamma poſſit excoquere; verum frequentiùs de carnis collegio animæ reatus debita contraxerunt acribus flammis ſoluenda, & vri pretio doloribus compenſanda: proſunt fidelium orationes, vtque apud humanos iudices fauor ſuſtinere ſolet indulgentiam, ſine qua reus pateretur longiorem mulctam, ita apud Deum orationes, lachrymæ, obſequia benignitatem promerentur, & animabus veluti carcere detentis, commerciis religioſiſſimis auxiliantur. *Pro anima eius orat,* monebat Tertullianus de monogam. cap. 10. Tertull.
& refrigerium interim adpoſtulat ei: & in prima reſurrectione conſortium, & offert annuis diebus dormitationis eius. Itaque vxor, dum pro marito preces effundit, flammas ardentiſſimas ſopit. Quæ pro defunctis offeruntur officia, quæ pauperibus pro eis conſtant expenſa, ibi ad expianda proſunt peccata. Ioſue vir ille ſæculis omnibus celebrandus vitam cum morte commutat, illi iuſta ſoluunt, & atris veſtiti dolorem cordis oſtendunt: *Sepelierunt eum in finibus poſſeſſionis ſuæ in Thamnathſare, in monte Ephraim.* Dignum ſanè erat, vt qui cæteris vixit altior, & ſepeliretur illuſtrior: exequias celebrarunt; verùm corpus Montanus
Dominicum, quod in altari ponerent, non habuerunt. *Humani honor officij*, ſcribit Arias Montanus, *Optimo atque de Republica benemerenti viro à viuis ac ſuperſtitibus decretus eſt.* Decreuerunt officia; non tamen habuerunt, quæ offerrent Dominici corporis holocauſta: hoc namque priuilegium Chriſtiani nominis profeſſoribus ſeruatum eſt. O deprædicandam Eccleſiæ felicitatem, quæ de ſacra ſynaxi & viuos paſtu ſa- D.Thom.
lubertimo reficit, & defunctos reatibus ac pœnis abſoluit. *Offertur in Eccleſia*, aiebat D. Thomas in opuſc. 57. *Pro viuis & mortuis, vt omnibus proſit quod eſt pro ſalute omnium inſtitutum.* Habet Chriſti corpus, quod offerat pro ſalute defunctorum Eccleſia, caruit hoc theſauro ditiſſimo ſynagoga. Iam quantum Dominicus ſanguis ad ſoluenda vincula, ad extinguenda incendia pro-
derit, attendamus. 112.

Mortuus eſt Lazarus ille Dei amicus, & vrbaniſſimus hoſpes; Verùm etſi amicitia dignum conſtituerit affatu, neſcio quæ vincula ad Dominum priuauerant greſſu, vt ſudarium viſu: antris degebat reconditus, ac lapide prægrandi obſeratus, iam dies erat quartus, quin Ioan.11.v.39.
Dominicis oculis, aut alloquio gauderet redditus: *Quatriduanus eſt*: adeò facile eſt de carnis contagio infici, de mortalium collegio inquinari, vt etiam Lazarus Dei amiciſſimus aliqua poſt mortem ſuſtineat vincula, & viſum patiatur tardantia: denique aſtantium officiis, piis ſororum lachrymis Dominus perſuaſus vincula iubet diſrumpi, & ad clariſſimam ſui præſentiam Lazarum iam expeditum prodire: *Statim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus pedes, & manus inſtitis, & facies illius ſudario erat ligata. Dixit eis Ieſus: ſoluite eum, & ſinite abire.* Solutus ac expeditus abiit depulſis iam tenebris, & luce sereniſſima fruens; ſed poſt dies quatuor. Tranſi ad Geneſ. 22. vbi cùm Iſaac à patre ligatus, & perſtrepentibus iam flammis ſuperpoſitus vſtulandus eſſet, ſtatim exoluitur ruptis vinculis, & eluſis flammis. Inquiramus, ſi placeat, cur adeò celeriter Iſaac vincula ſint diſrupta, cùm Lazarum per aliquantulum temporis ligauerint ſtrictiſſima: erat quidem Iſaac Dei amicus; ſed & Dei amicus Lazarus, teſtante Domino: *Lazarus amicus noſter dormit:* Ergo ſi vincula amicum per dies quatuor fatigant Lazarum, Iſaac etiam premant amicum: aut ſi Iſaac de amicitiæ priuilegio citò expeditur, de eodem Lazarus expediatur. O animaduerte ingens inter vtrumque diſcrimen. Pro Lazaro etſi ſorores lachrymas preceſque fuderint, agnus oblatus non eſt; at pro Iſaaco oblatus eſt agnus, & quidem innocentiſſimus: *Vidit poſt tergum arietem inter vepres hærentem cornibus,* quem

Digitized by Google

quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio. Vbi agnus pro Iſaac offertur, ligatura citò diſſoluitur, & flamma eluditur; at vbi pro Lazaro agni non refertur ſacrificium oblatum, nec vinculum adeò citò diſſolutum: *Exerit* Zeno. *quidem ferrum,* aiebat Zeno Veronenſis ſermone primo, *& armata dextera ſubleuat manum; ſed vox eius, qui victimam poſtulauerat, contradicit. Reſpice retro, dixit Deus, & antequam reſpicias, parce.* Addit Zeno ibi: *Ecce & meritum principale diuinam indulgentiam meruiſſe ſub caſibus: nam retro reſpiciens Abraham inuenit victimam, quam innocens immolaret.* Certè quantumuis innocens Iſaac aliquos patiebatur fragilitatis caſus, quos aut generoſa indulgentia parceret, aut voraciſſima flamma conſumeret: & quidem dum offert agnum de alieno dolore debitum ſoluit, & iam parcit indulgentia, quæ repetere poſſet vindicta. Ni agnus oblatus pro Iſaac eſſet, conſtringeretur diutius vinculorum nexibus, & famelicis adureretur ardoribus; at dum Abrahamus agninam inuenit victimam, inuenit & flammis aquam, & vinculorum rupturam: adeò citò de Dominica hoſtia iuſtos depaſcens ſopitur æſtus, adeò conſtringens ſoluitur cito funiculus.

123. Non ignorans huius ſacrificij vel adumbrati efficaciam dæmon, dum iuſtum ſatagit diſtorquere, & ſacrificium nititur impedire. Adſtitit aliquando inter Dei filios apoſtata, & qui aſſiſtere noluit, vt obſequeretur auctori, adſtitit, vt captioſas cauſas opponeret innocenti: denique facultatem nocendi accepit, vt dinexatus Iobus vti conſtantiæ, patientiæque exemplar futuris ſæculis celebretur, qui in proſperitatis pompa, an iuſtus eſſet, vel atteſtante Domino dubitatur. O quantùm clarant labores virtutem, quantùm virum Deo acceptum expoliunt calamitates! Certè quouſque Iobus ſuffragium habuit à tolerantia, nondum omnibus lucebat perfectus, vel teſtimonium ſortitus ab innocentia. Denique facultate accepta ignem dæmon de cælo detrahit, Iob.1.v.16. quo oues agnoſque conſumat *Ignis Dei cecidit è cælo, & tactas oues, pueroſque conſumpſit.* Et cur diabolus tanta ſolertia agnos tractis de cælo flammis conſumat? Certè reliquas Iobi facultates, etſi ſtudioſè perdiderit; lentiùs tamen quàm oues, quandoquidem illæ prædonum manibus, aut Sabæorum turmis referuntur amiſſæ; iſtæ flammis velociſſimis ſunt depaſtæ. Eccur hoc? Quia dæmon diſcupiebat iuſti protelare tormenta: ideò auidiùs curauit, ne haberet, vnde poſſet litare Domino ſacrificia: lentiùs diſpoſuit alia diripere, ſtudioſiùs, celeriuſque agnum auferre: plus namque ſibi verebatur de oblato agno, quàm de diuitiarum numero: *Vt per hæc omnia tibi detrimentum, atque dolorem ingereret,* ſcribit Origen. Origenes libro primo in Iob, *vt per hæc vniuerſa tibi tribulationem atque anguſtiam adiiceret, ignis cecidit è cælo.* Facultatem habebat dæmon; verùm timuit malignitas ſacrificij virtutem, & vt diutiùs poſſet affligere, niſus eſt omni ſacrificio priuare.

124. Dei populus magis calamitatibus in Ægypto premebatur, Moyſes mittitur, qui populum depoſcat exolui, & nigris fornacis ignibus liberari. Pharao reluctabatur; imò ipſi Hebræi vires Pharaonis tyrannidi ſuggerebant cupiditate obſcuri, & aliqualibus defectibus denigrati: non modico tempore certamen initum eſt, ranarum agmina, ſciniphum exercitus, locuſtarum turmæ pro iuſtis depræliabantur; nec tamen vindictæ finiebatur curſus, aut Dei populo felix concedebatur egreſſus: grando cum igne conferta ruebat, horriſona tonitrua aures diuerberabant; ſed piaculum in Ioſephum à populo olim commiſſum, nondum plenè inueniebatur deletum. Quid tunc? Iubet Deus agnum tolli, & quartadecima die menſis immolari: *Immolabit eum* Exod.12. v.6. *vniuerſa multitudo filiorum Iſraël ad veſperam.* Et iam magnatum primogeniti iacent occiſi, & iidem Ægyptij, qui de induſtria exitum ſemper in poſterum differebant, & coloratis multiplicibus cauſis tardabant, dolore ſtimulati de terra populum exire volatibus adurgebant: *Vrgebant Ægyptij populum de terra exire velociter.* Inquiramus cur Hebræi cùm tot pro ſe auxilia habuerint, vincula non abruperint, cùm vnico ſacrificio libertatem citiſſimè inuenerint: ſi modò vrgentur exire, cur anteà tantis plagis fruſtratis compellebantur manere, aut cur ſi olim compellebantur manere, modò vrgeantur velociſſimè exire? Profectò vt noueris quanta ſit differentia inter reliqua Hebræorum auxilia, & inter agni holocauſta. Certè agnus immolatus Chriſti Sacramentum referebat, eaque eſt Dominici Sacramenti ad eruendos de fornacibus iuſtos efficacia, vt quæ cæteris reſtitit, huic non poſſit reſiſtere dura Pharaonis ſæuitia: *Decima die menſis,* ſcribit Lippomanus, Lippom. *iubetur tollere, hoc eſt apparare ſibi agnum, vt quartadecima tandem die tranſitum Phaſe exequantur, & ſolemnitatem Paſchalis celebrent exituri eadem nocte.* Quouſque ſacrificij Dominici vmbram offerunt, egrediuntur: nec enim tantam efficaciam habuerant omnia à Moyſe, Aaroneque præſtita auxilia, ac agni immaculati holocauſta. Effuſus ſanguis flammas extinxit, tyrannicum furorem frænauit: minus obtinuerunt de tanto auxiliorum numero, plus de agni immaculati holocauſto.

§. XXX.

Quæ in Purgatorio acri ſoluerentur flammarum ſupplicio, facillimo fideles poſſunt impedire remedio.

Abſit à temporibus noſtris, aiebat Caſſiodo- 125.
rus 10. var. 14. *vt in vobis aliquid tale re-* Caſſiod.
periamus, quod noſtris indignationibus eſſe poſſit idoneum: fides veſtra, quæ vos hactenus aſſeruit, modò potius euidenter oſtendat. Non vanum, non doloſum, nec ſeditionibus plenum populum decet eſſe Romanum: mali mores noſtro nomini probantur aduerſi. Romanum populum Principis curiam eis decet aulicis reſplendere, vt nulla poſſit indignationis cauſa inueniri: morum in ſubditis nebula Principis radios obſcurat: nec Princeps potuit fama reſplendere conſpicuus, ſi ſubiectus ſordeſcit moribus incompoſitis maculatus. Quod ſi ad humanum faſtium, ad Principis elogium facit nullam maculam in

ſubditis reperiri, euidentius erit cæleſtem curiam nullum poſſe defectibus maculatum intrare: locus eſt vbi aurum terræ fæcibus decoctis expurgatur, & expolitur. Et quidem rarus eſt adeò ab omni labis contagio purus, vt flammarum prorſus euadat ſupplicia, & purgatorij remedia. *Quis eſt homo*, aiebat Pſalmiſta, *qui viuit, & non videbit mortem? Eruet animam ſuam de manu inferi.* Genebrardus per infernum omnem defunctorum ſtatum intelligit: *Infernus ſignificat totum mortuorum ſtatum.* Annuit R. Ioſeph Albo de purgatorio locum interpretatus: *Neceſſe eſt venire in infernum ad deradendum, & expurgandum inquinamenta tranſgreſſionum, quas fecerit, donec mundetur, & aſcendat in locum quietis ſuæ.* Itaque vt non eſt homo, qui mortis effugiat anguſtias, ita rarus eſt, qui voraces purgatorij vitarit flammas: profectò illic eraditur, & excoquitur quidquid de carnis fæcibus vitioſum eſt. Et iure comparatur inferno, vt noueris vrgentiſſimam eſſe purgatorij mulctam, ibique gehennæ ad inſtar ardentiſſimam adurere flammam: grauiſſimus eſt animarum cruciatus, & vel nouiſſimus quadrans duris extorquetur verberibus, aſſerente Domino: *Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouiſſimum quadrantem.* Ad quæ Hieron. apud D. Thomam. *Quadrans genus nummi eſt quod habet duo minuta: hoc eſt ergo non egredieris de carcere, donec etiam minuta peccata perſoluas.* Conſonat ibi Auguſtinus: *Carcerem intelligo pœnas.* Annuit Chryſoſtomus ibi: *In hoc ſæculo ſi pacem feciſſes, etiam grauiſſimi operis poteris accipere indulgentiam, ſi autem miſſus in carcerem, non ſolùm de grauibus peccatis; ſed etiam de verbo otioſo, quod poteſt ſignificari per quadrantem, exigentur à te ſupplicia.* Itaque vel minima duris cruciatibus perſoluuntur, & gehennalibus, ſi fas eſt dicere, ad tempus flammis purgantur, vnde grande beneficium eſt ſuffragia pro animabus offerre, quibus à tantis conſtat cruciatibus expediri. Mortuus eſt Ioſue, & pro illo grati exequias Deo offerunt, vt ſiquid ſoluendum debeat, vtiliſſimis nec caris ſuffragiis perſoluat: *Sepelierunt eum in finibus poſſeſſionis ſuæ*, id eſt, peractis officiis, & celebratis exequiis: *Humani honor officij*, ſcribit Arias Montanus, *optimo atque de Republica benemerenti viro à viuis ac ſuperſtitibus decretus eſt.* Soluerunt gratitudini honeſta tributa; verùm poſteri ingratitudinis nullatenus caruerunt nota, cum pro Ioſue ſatis de illis benemerito nulla referantur celebrata ſuffragia, aut iterata funera: & quidem digniſſimum erat celebrare exequias, magnopere, ſi aliquo detineretur reatu, profuturas defuncto, cum exiguo illis conſtarent pretio: *Nulla poſteris eorum*, addit Arias Montanus, *officiorum parte auctus, quæ officia nunquam intermitti, vel deſiderari fas fuerat.* Poſſe exiguis ſumptibus ſuffragia tranſmittere, grandi apud alterum ſæculum pretio æſtimanda, nec facere, indecoram gratitudini notam inurebat, quando nulla de ſumptu excuſatio, & magna adhortatio de pretio.

Pſal. 88. v. 44.
Genebrard.
R. Ioſeph.
Matth. 5. v. 26.
Hieron.
Auguſt.
Chryſoſt.
Montanus.

116. Mortuus eſt diues ille, & ſepultus eſt in inferno: ſerò leuauit oculos ad pœnarum cumulum, & ad calamitatum augmentum: infelices namque ſuis calamitatibus auxiliantur, & nihil, quo non augeantur, inueniunt: ſtillam digito allatam depoſcit, & flammarum crudeliſſima incendia refert: *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, & refrigeret linguam meam: quia crucior in hac flamma.* Pietatem pulſat de pœnarum grauitate, & de facilitate remedij. Profectò atque ſtillam vel pauperrimus Lazarus debet miniſtrare, cùm videt afflictum flammis voracibus adurgeri, eamque efficaciam in petitione ſenſit Abrahamus, vt ne pietatem læderet, chaos irremeabile, tranſituque impoſſibile demonſtrarit: *Inter nos & vos chaos magnum firmatum eſt, vt hi, qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint.* Cur Abrahamus cum gehennæ vernula diſſerat? Cur remedij impoſſibilitatem opponat: quia ni ſe prorſus oſtenderet impeditum, impietate exiſtimaret ſe læſum: eſſet enim crudelitatis exaggeratio poſſe ſtillam aquæ afflictiſſimo miniſtrare, & ignaua orioſitate differre: dum diues grande de aquæ guttula ſibi refrigerium exambiit, ſi poſſibile eſſet, pietati notam inurit: extremum namque crudelitatis genus videtur adeo exigua non præbere, quando conſtat exiguo magnis calamitatibus ſubueniri. Quod ſi Abrahamus ad impoſſibilitatem recurrit, ne haberetur impius, qualis habendus eſt, qui ſatis exiguo iuſtorum animabus poteſt auxiliari, & protelat ſubſidia tanta largiri? Quàm benè Paulinus ad Delphin. Epiſcopum commendans defuncti animam: *Fac vt orationibus tuis condonetur tibi, & illius animam de minimo ſanctitatis tuæ digito diſtillans refrigerij gutta reſpergat.* Parum eſt apud nos, quod maximum apud illos, & quod hic exiguis conſtat impenſis, ibi magnis probatur ſuccurrere anguſtiis. Certè vbi poſſunt de aquæ guttulis iuſtorum animæ adiuuari, ſuperſtitum ſugillatur ignauia, ſi conſtet adeò exigua officia differri.

Lucæ 16. v. 24.
Paulin.

Raphael cùm Tobias domum repeteret, monuit, vt ingreſſus ſtatim patrem deoſcularetur, & vt in felle piſcis digitum tingens oculos liniret, cæli illicò luci reſtituendos, & nebulis deterſis clarandos: *Statim lini ſuper oculos eius ex felle iſto piſcis, quod portas tecum, ſcias enim quoniam mox aperientur oculi eius, & videbit pater tuus lumen cæli, & in aſpectu tuo gaudebit.* Iure vrget Angelus, vt ſtatim oculos felle liniat: eſſet namque reprehenſibilis mora, ſi tantum patri gaudium differretur de ignauia. Sanè quod ſecum portabat fel iunior Tobias, illi videnti prodeſſe nequibat, cæco tamen parenti detergere oculorum caliginem poterat: nullis ſumptibus extabat filio remedium, magnis gaudiis cumulabat parentem exhibitum beneficium: ergo accelerandum hortatus Angelus, ne filij pietas malè apud ſapientes audiret, ſi tanta gaudia ingratus patri differret: *Statim lini ſuper oculos eius:* Antequam matrem amplectaris, antequam de longo itinere feſſus ſedeas, antequam ad menſam diſcumbas: remedij namque facilitas pietatem vrget, & vel exiguam moram condemnat. O quanta exigua recola lucratus eſt pater! Cæli lumen vidit, imperturbanda gaudia poſſedit, faciem Angelicam ſpectauit *Non tam Tobias filius*, ſcribit noſter Sanctius, quam

117.
Tob. 11. v. 8.
Sanctius.
Angeli pro illorum filiis hominibus procurant ſalutem.

quàm Dei Angelus ad diuinum imperium de parentis conſolatione laborabat, atque ideo admonet adoleſcentem ſuæ commiſſum fidei, vt gradum, quem alligatus tot impedimentis tardius moliebatur, acceleret. Vrget Angelus de iuſti conſolatione ſolicitus, & maiori ſtudio, quàm filius ipſe, parentis gaudium procurat: omnia impedimenta aſſerit ableganda, quando tam facili remedio ſumma gaudia erant ſine dubio parenti reſtituenda. Ecce qui Purgatorio detinentur culparum ſtercoribus obcæcantur: Ecce Angeli in gloria futuri ſocij animarum conſolationem ſolicitant, fideles vrgent, vt omnes moras abrumpant, & facili medela lucis reſtituant viſum, & ſimul cum luce gaudium. O quàm damnabile eſſet, ſi filius differret, ſi protolaret.

128. Ioſeph innocens in carcere detinebatur, cumque ſeruis Pharaonis eodem carcere detentis ſomnium ingeſſiſſet triſtitiam, Ioſephus explicuit, & pincernam, vt pro eius libertate Pharaonem deprecaretur, rogauit: ille felicitati reſtitutus coniectori apparuit ingratus: tandem cum eius interpretatione iterum opus eſſet, ſubiit memoriam, & quidem frequenter hominibus hoc contingit: ſi nihil ſperant, facillimè obliuiſcuntur, & ſolùm cùm egent, benefactoris iterum recordantur; verùm quantumuis felicitatis culmine verſentur fortunatiſſimi, meminiſſe debuiſſent, varios eſſe euentus rerum, & poſſe vel captiui egere opera, qui vtitur anguſtiori fortuna; oblitus eſt, vt dicebam, pincerna, donec aliud ſomnium Pharaoni obiectum obliuionem exterminauit, & tunc quidem peccatum confeſſus eſt: *Confiteor peccatum meum.* (Geneſ. 41. v. 9.) Quod peccatum? Fuiſſe in cauſa, vt tanto tempore detineretur in vinculis, qui facili oratione plurimos vinculorum labores excuſaſſet, & indulgentiam obtinuiſſet: etiamſi magnis expenſis libertas coniectoris conſtaret, curare debuiſſet gratus; at dum facili adeo interceſſione obtineri poterat, grande erat peccatum oblitum fuiſſe: creſcebat namque grauitas delicti de facilitate remedij. Adeſt Ambroſius (Ambroſ.) de Ioſeph Patriarcha: *Sera quidem iſta eſt; ſed vtinam vera confeſſio: poſt peccatum fatetur, quod ante peccatum cauere debuerat. Quàm cito oblitus fuerat! Memor eſto mei: ſcis nempe tunc temporis hunc fuiſſe ſermonem.* Annuit Lippomanus (Lippom.): *Confiteor peccatum meum, id eſt, ingratitudinem, qua huc vſque peccaui in interpretem meum.* Grande peccatum potuiſſe de magnis pœnis interpretem facili negotio eripuiſſe, & occaſionem pœnali adeò durationi tanto tempore miniſtraſſe. Facili interceſſione abſolutus eſſet, qui ſine illa geminum in carcere tranſegit annum, & eſt perpeſſus ſupplicium: Peccatum ſuum confitetur: quia non implebat officium, dum calicem Pharaoni offerens non recordabatur vinctorum. Certè ſacerdotes munus ritè non cumulant, ſi Patri Chriſti Domini calicem offerentes pro vinctis in Purgatorij carcere non exorant. Huc voco Fulbertum (Fulbert.) Carnotenſem epiſt. 25. *Vt ſis confirmatus in ordine ſacerdotali, offeras placabiles hoſtias pro peccatis, atque offenſionibus populi omnipotenti Deo.* A Pincerna ſui memoriam deprecatur Ioſephus. Et quidem dum calicem offerens obliuiſcitur, non implet officium: ideò prudenter ſuum confitetur peccatum.

---

§. XXXI.

Seuerè à Deo punitur, qui quod ad defunctorum expiationem pertinet, protelare cognoſcitur.

VT rarus eſt, qui aliquo næuo de mortalitatis collegio non ſordeſcat, ita ſingulariſſimus eſt, qui purgatorij pœnas non ſubeat: 129.
ibi præparatur Sponſa agni, inde liquatis fæcibus ſanctorum fulgore induitur, & de ardenti flamma producitur lux mundiſſima: Exigua ſunt, quæ iuſti decoctiuis flammis exoluunt; ſed duriſſima, quæ patiuntur: vnde vel leuis negligentia viuentium ſæuiſſimum defunctos compellit ſuſtinere cruciatum, & protelat voluptatis inenarrabilis deſiderium: *Tantum tibi laudis*, aiebat Caſſiodorus 5. var. 21. *acquiritur, quantum eorum illic vtilitas corrupta ſeruatur: viuat tibi perpetuis ſæculis decedentium voluntas; tranſeant in poſteros iudicia parentum, ſcriniis tuis ſeruetur omnium quies.* (Caſſiodor.) Tantum laudis acquirit ſedulus, quantum vtilitatis defunctus: &, ſi fas eſt dicere, tantum debebat ſubire pœnæ, quantum temporis negligens ardenti conceſſit flammæ. Purgatorium locus ſecuritatis; ſed doloris: vnde vt inhumanitas conuincitur hominem vrere, ita & refrigeria aduſtiſſimis protelare. Ioſue vir omni virtute excultus, & omni perfectione exornatus moritur, adeòque ille, à quibus tanta in populum collata extiterant beneficia, venit in obliuionem, vt iuſta non referantur ſoluta: *Sepelierunt eum in finibus poſſeſſionis ſuæ in Thamnathſare in monte Ephraim à Septemtrionali plaga montis Gaas.* Abulenſis, vt erat curioſiſſimus, nomen ait loco impoſitum ob ingentem procellam, quam ibi Hebræi pertulerunt: quia iuſta tanto duci facere protelarunt: audi eius verba quæſt. 12. (Abulenſ.) *Dicit R. Salomon quòd Gaas interpretatur tempeſtas: & vocatus fuit ſic mons ille: quia venit tempeſtas ſuper Iſraelitas, eo quòd morati ſunt in ſepeliendo Ioſue.* Profectò iſta, etſi videantur fictitia; ad mores tamen componendos omnino non probantur inepta. Expende qualis apud viuos cura & ſolicitudo de mortuis, quando iuſta ſoluere tanto duci, illi ipſi adeò beneficiati oſcitanter curarunt, & ignauè produxerunt. Et nota quantum ſit ſupplicio dignum mortuorum differre exequias, parentationes ſacrificiaque in poſterum mittere, quando acri tempeſtate punitur, & procellis deſæuientibus caſtigatur.

Nulli dubium eſt in purgatorio animas ad 130.
nuptias cum Domino præparari: ergo aduentante iam tempore cùm inuitati à ſolicitis ſeruis conuocarentur, vaniſſimis, inurbaniſque excuſationibus venire differunt, & inciuili ingratitudine tantam vocantis dignationem perſoluunt: *Simile factum eſt regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo, & miſit ſeruos ſuos vocare inuitatos ad nuptias, & nolebant venire.* (Matth. 22. v. 3.) Opus fuit nuptias tantiſper differre, & alios ad celebritatis pompam vocari. Quid tunc? Inurbanorum ciuitas ardentibus flammis traditur, & nigrum in fumum euaporata diſſoluitur: Ciuitatem illorum ſuccendit. Profectò, etſi inciuiles, ruſticiſſimique reſponderint,

non videbatur ſtupiditas digna, quæ flammis
anhelantibus vreretur: grauiora delicta rex aut
punire diſtulit, aut pepercit, & modò excuſatio-
nis inciuilitatem adeò rigidè ac ſeuerè punit?
O expende, amabo te, quid agreſtes illi homines
fecerint. Celebrandæ erant adſtantibus illis
nuptiæ, animaque Chriſto indiſſolubili vin-
culo coniungenda: vterque in alterius ample-
xum cupiebat votis caſtiſſimis ac vehementiſ-
ſimis ire: dilatum eſt totum illud tempus,
quod coloratis de induſtria cauſis triuerunt, &
quo alios ſerui vocarunt, adeoque grande
tormentum fuit anhelantem ſacras nuptias ani-
mam impedire, adeo ſponſo durum dilectiſſi-
mæ ſibi Sponſæ amplexum differri, vt quò ſup-
plicium reſponderit culpæ, aduſſerit ardenti-
bus flammis. & ruſticos tradiderit neſcio quid
horrendum anhelantibus flammarum incen-
diis. O quàm vrgebatur Sponſi amor dilatio-
ne! O quàm Sponſa ob illorum ignauiam vora-
ci vrebatur igni! Ergo iure in pœnam tulere
flammas, qui culpabiliter diſtulerant nuptias:
erat enim vel exiguum dilationis momentum
& animæ grandis dolor, & Sponſo caſtiſſimi
amoris incendium: *Cùm reſurrectio facta fuerit*
Chryſol. *Sanctorum*, aiebat Chryſoſtomus apud D. Tho-
mam, *tunc ſuſcipiet hominem vita, quæ eſt Chri-*
Origen. *ſtus, mortalitatem eius ſua mortalitate abſorbens.*
Aptius Origenes ibi: *Coniunctionem Sponſi ad*
Sponſam: id eſt Chriſti ad animam intellige. Ecce
copulandus erat animæ Chriſtus, dilatus eſt
caſtiſſimus hic amplexus ob inuitatorum ſo-
cordiam, & ob ruſticam prorſus ignauiam. Er-
go ciuitas flammis traditur, vt quia flammas
amoris ſuſtinere Sponſum Sponſamque coëge-
runt, flammas ſuſtineant, & commodis pri-
uari copioſè lugeant. O time, ne Chriſti, ani-
mæque nuptiæ ob tuam ignauiam differantur:
nam & Sponſi torques vrgentiſſimè votum, &
Sponſæ deſiderium.

131. Deus Moyſi obiicitur flammanti rubo arden-
tiſſimis flammis correpto, qui in morem, mo-
dumque fontis & virorem plantæ augebant, &
productis floribus coronabant: aderat Deus in
Exod. 3. v. 2. corde rubi: & quidem ignibus tradebatur non
conſumendus; ſed amœnandus: *Apparuit ei*
Dominus in flamma ignis de medio rubi, & vide-
bat quòd rubus arderet, & non combureretur. In
rubo iuſtorum imaginem fuiſſe expreſſam, nul-
lus addubitat. Itaque illo igne purificabatur
planta, vt omni vitioſitate conſumpta gratius
micaret, & vernantiùs efflorеret. Profectò
aptiſſimum purgatorij erat campus ille æni-
gma, quando ardor plantæ coronæ deſeruiebat,
& ignis eius viriditatem rigabat. *Ecce*, aiebat
Seleucienſ. Baſilius Seleucienſis orat. 9. *ignem monſtrat in*
rubo ardentem, ignis effectu ſopito, quippe flos igne
Philo. *coronatur.* Annuit Philo Hebræus lib. 1. de vi-
ta Moſis: *Rubus erat frutex ſpinoſus & inualidus:*
is nemine ignem admonente ſubito incenſus eſt, cor-
reptuſque totus à radice vſque cacumen flammâ in
morem fontis ſcatente manebat integer, & illæ-
ſus, quaſi non eſſet incendij materia; ſed ipſe ab
igne aleretur. Ecce ignis purgatorij pulchrum
ænigma: ibi namque animæ pro fonte, quo
abluantur, ignem patiuntur: nihil illis flam-
mis amittunt; imò magis niteſcunt: vox è
rubo ferebatur, quæ Moyſem ad ferendam af-
flictis opem excitaret: paruit ille, verùm dum
lentiùs exequitur, ſtricto gladio mortem Deus
illi minatur: *Cùm eſſet in itinere in diuerſorio,*
occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum, Exod. 4. v. 25.
Huius ſæuæ adeò vindictæ cauſas quærunt in-
terpretes: placet inter alios Theodoretus, qui
putat mortem Moyſi intentatam: quia minus
ſolicitè iter agebat filiis & vxore retardatus &
impeditus: *Quidam aiunt*, verba ſunt Theo- Theodoret.
doreti quæſt. 4. *id in cauſa fuiſſe quòd Moyſes*
miſſus ad liberandos gentiles ſuos coniugem itine-
ris ſocium habere voluit. Eſto hæc Moſis cul-
pa; verùm non adeò videtur grauis, vt morte
fuerit punienda, & ſanguine fuſo mulctanda:
alibi grauiora delicta facillimè condonantur,
& Moyſis leue adeò ſeuerè punitur. Et quidem
iure, reſpondet Theodoretus: illi namque
iniuncta erat cura liberandi gentiles ſuos in ru-
bo illo adumbratos, & flammis ardentiſſimis
cinctos: ſi in alio rerum articulo lentè tende-
ret, nullam aut exiguam pœnam ſubiret; at
ignauè oſcitanterque tractare liberationis ne-
gotium, quando graue adeò rubus flammarum
ſuſtinebat incendium, dignum erat mulcta gra-
uiſſima, & rigidiſſima pœna: vt diſcant hi,
quibus commiſſum eſt expiationis animarum
negotium, non protelare in futurum, quan-
do vel exigua mora graui adeò digniſſima ap-
paruit pœna.

Redeat iterum Moyſes, qui cùm in deſertis 132.
populus aquarum egentiſſimus verſaretur, iuſ-
ſus eſt petram alloqui, & vrbanè aquas elicere:
ille arbitratus ſilicem melius obtemperaturum
verbere percuſſum, quàm vrbanis verbis alle-
ctum, bis baculo verberauit: *Cùm eleuaſſet*
Moyſes manum percutiens virga bis ſilicem, egreſ- Numer. 20. v. 11.
ſæ ſunt aquæ largiſſimæ, hîc Moyſes adeò diui-
nam exacerbauit patientiam, vt grandem in
ſe concitauerit iram, ac incurrerit mortis ſen-
tentiam: *Non introducetis hos populos in terram,*
quam dabo eis. Dura ad ſpeciem ſententia, cùm
videatur cauſa leuiſſima: iuſſus fuerat verbis
elicere, *Loquimini ad petram, & illa dabit aquas*:
ille non ſolùm loquutus eſt lingua; ſed per-
cuſſit dextera; & quidem plus minuſue vrba-
nè cùm ſilice ſe geſſiſſe, parui res videbatur mo-
menti, cumque ſententia fuerit iuſtiſſima, nos
compellit profundiora ſcrutari arcana: ſi Moy-
ſes verbis vteretur, citiùs fontis ingenium ſi-
lex didiciſſet, & copioſos latices ſiti ardentiſſi-
ma laborantibus miniſtraſſet; at dum verbis
addit opera, dum non ſemel; ſed bis lapidem
diuerberat, moras aliquales trahit; adéoque
durum erat ardentiſſimis ſitis flammis aduſtis
vel per temporis inſtans aquarum refrigerio
fraudari, vt ſi populi tormento pœna reſpon-
dens Moyſi ſit infligenda, vita fuerit iuſtiſſimè
diſpoliandus: dum tantiſper diſtulit refrige-
rium, mortis meritiſſimè incurrit ſupplicium:
erat enim vrgentiſſimum ſibi tormentum votis
fraudari, & aquarum vſum differri: dum Moy-
ſi iniungitur hanc curam ſuſcipere, & dum
conuincitur minus diligenter ſe gerere, æquiſ-
ſima iudicij ſententia & vitâ debuit priuari: *Pri-*
mo ictu ſcribit Lyra, *non exiuerunt aquæ propter* Lyra.
dubitationem Moyſi; ſecundo tamen ictu exiue-
runt propter impletionem diuini promiſſi, conſe-
quenter ponitur dubitatiæ punitio. Aliquales mo-
ras Moyſes traxit ſemel, & iterum percutien-
do: ergo ſi ſoluturus eſt æquo ſupplicio pœ-
nam, quam per breuiſſimum illud tempus ſitis
vrgentiſſimæ flammis aduſtos ſuſtinere coëgit,
vita

Digitized by Google

vita & ipſe mulctari debuit:erat namque grandc ſitis tormentum, & ideò mors dignum dilationis erat ſupplicium.

---

§. XXXII.

Eccleſiæ ſuffragia valent plurimum, vt purgatorij ſoluatur pœna

133. NOnnulli ſunt, quos humana conuerſatio aut parum aut nihil læſit: Solis namque ad inſtar immaculato ſplendore, impolluto luminè per cœnoſa & ſqualida tranſeunt illæſi: verùm frequentius eſt vitiis humanis inquinari, quæ ante cœli ingreſſum, vbi nihil ſordidum, flammis examinatricibus decoquantur, & ignibus expurgentur: locum, quo defunctorum animæ recipiuntur, quouſque eliquaris (Seneca.) peccatorum fæcibus paradiſum petant, conſtans ſtatuit Eccleſiæ, Patrumque ſententia: *Nemo liber eſt*, aiebat Seneca epiſt. 92. *qui corpori ſeruit*: quiſquis carni immerſus viguit, de conſortio carnis & repurgandas maculas traxit: has rationabilis ardor conſumit, ſi Eccleſiæ ſuffragia, piorum orationes, dilargita eleemo-(Lactant.) ſyna egenis non ſopiuerint, & animas æſtuantes refrigerarint. *Sed & iuſtos*, aiebat Lactantius lib. 7. inſtitut. cap. 21. *cum iudicauerit Dominus, etiam igne examinabit: tum quorum peccata vel pondere, vel numero præualuerint, igne perſtringentur, atque amburentur, quos autem plena iuſtitia, & maturitas veritatis incoxerit, illum ignem non ſentient.* Detinentur quoadusque peccata ſoluantur, aut piorum ſuffragiis flam-(Tertullian.) mæ compenſentur. *Oblationes*, aiebat Tertullianus de corona militis cap. 13. *pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus.* Natalitia ſanctorum ſunt, dum non ſine dolore de flammarum ventre prodeunt Numini præſentandi, & in perpetuas æternitates ſplendoribus redimiendi. Ecce Ioſue moritur longæua ætate, & perfecta ſanè virtute, & quamuis conſummata eius perfectio, virtutibus namque ſemper emicuit intinctus, ſtatim otio donandum ſuaderet, religioſum fuit de more exequias peragere, & ſolicitas pro defunctis ſolemnitates ſolicitudine ſtudioſa adhibere: *Sepelierunt eum in finibus poſſeſſionis ſuæ.* Id eſt, ſolitis ritibus, & religioſis funeribus. Ita Arias Montanus hîc: (Montan.) *Humani honor officij optimo atque de Republica benemerenti viro a viuis ac ſuperſtitibus decretus eſt.* Dum funebrem decernunt honorem, animæ immortalitatem fatentur, & ne, ſi fors quid debeat, vltrix rationabiliſque flamma excoquat, orationibus ſopiunt, & ſuffragiis prouidenter impediunt.

134. Improbus dæmon caſtiſſimam Saram viros eius occidendo dehoneſtabat, dum eius culpa tot ſtrages accidiſſe ſuadebat; verùm miſeratus eſt Dominus, & opportunum miſit remedium. Tobias ab Angelo admonitus partem iecoris de piſce reſeruati viuos ſuper carbones imponit, & fumus dæmonem iniquiſſimum (Tobiæ 8. v. 2.) profligauit: *Recordatus Tobias ſermonum Angeli protulit de caſſidili ſuo partem iecoris, poſuitque ſuper carbones viuos.* Quid tunc? Vt fumus aſcendit, Raphael apprehenſum dæmonem religauit: Tunc Raphael Angelus apprehendit dæmonium, & religauit illud in deſerto ſuperioris Ægypti. Quærunt Patres cur illo fumo piæ mulieris adeò grauia tormenta fuerint depulſa, & iam connubia hilariſſima celebrata. Lyra putat figuratam ibi orationem iuxta illud: (Lyra.) *Aſcendit fumus aromatum*: oratione ergo nuptiæ citiùs ſunt celebratæ, & piæ animæ pœnæ perfectiſſimè ſunt depulſæ: *Incenſio illa figuratiua fuit orationis.* Vbi oratio ſuccurrit Saræ, & æternas celebrat citius nuptias, & quas patiebatur, euadit pœnas; vt iam veluti eleganti hiſtoriæ penicillo, quod animabus accidit, exprimatur: & quidem dum orationis fumus non aſcendit, nec ſortiuntur Sponſum, nec fruſtrari poſſunt ſupplicium.

135. Abſalon Regis filius ob patratum delictum degebat extorris, & quamuis paternam domum repetiturus fuerit, per id tamen temporis patris mulctabatur præſentia, & palatij gloria; verùm cùm poſt longum tempus iam paternus furor tantiſper ſedatus miteſceret, Ioab Thecuitem inſtruit parabola eleganter compoſita, & ad veniam impetrandam opportuniſſima: *Miſit Thecuam, & tulit inde mulierem ſapientem,* (2. Reg. 14. v. 2.) *dixitque ad eam: Lugere te ſimula, & induere veſte lugubri, & ne vngaris oleo, vt ſis quaſi mulier iam plurimo tempore lugens mortuum. Et ingredieris ad Regem, & loqueris ad eum ſermones huiuſcemodi.* Lugubris habitus, copioſus luctus, inculta coma, oratio ſummiſſa adeò extorri auxiliata ſunt, vt nullatenus duraret exilium; ſed feſtiuis acclamationibus Abſalomus ingreſſus fuerit palatium. O quàm glorioſum illi cultum attulit lugubris illa veſtis! O quantum lætitiæ mulieris luctus, quantum abſentiæ breuiauit (Hugo.) planctus. *Moraliter*, ſcribit Hugo, *Dauid Chriſtus, Abſalon peccator.* Peccator Chriſti filius palatium intrat alienis luctibus & doloribus. Aptius Theodoretus quæſt. 29. *Suggeſſit mulieri prudenti effingere actum, qui poſſet regem mouere ad miſericordiam.* (Theodoret.) Pulla veſtis monuit, preces ſuaſerunt, luctus impulit, & abſolutus eſt pœnis, qui diu forſan degeret extorris. Non vides huius hiſtoriæ penicillo mirè depicta, quæ conſueuit pro defunctis facere Eccleſia? Atratus veſtis color, capillus horridus, frequens, ſi honeſtus, ſingultus Deum mouent, vt abſentiæ reſcindat decretum, & ad gloriæ ſocietatem admittat filium.

136. Cùm Pentapolis flammis vſtulanda eſſet, Abraham peregrinos cibat, & pro iuſto nepote exorat: *Numquid perdes iuſtum cum impio?* (Geneſ. 18. v. 23.) Iuſtus erat Lot; verùm ni auunculi orationibus iuuaretur, forſitan pœnales tuliſſet flammas, aut fors vti vxor cæteris manſit exemplum imprudenter curioſa, ille etiam moras de induſtria trahens poſterorum fuiſſet cautela, & diligentius diſcrimen fugere perlata doceret cæteros mulcta; aſt de eleemoſyna dilargita, de fuſis precibus ſic contra flammas armatus eſt, vt incendia nullatenus ſuſtinuerit; ſed citiſſimè montem occuparit. *Hoc intendit*, ſcribit D. Thomas, (D.Thom.) *Deum ſuis precibus inflectere, quòd iuſtus ab eorum temporali ſubmerſione ſeruetur: idcirco verba iſta ſic ſunt legenda, quod contineant aliquam rationem iuſtitiæ, & aliquid precis & miſericordiæ.* Aliquid continent verba iſta precum, aliquid miſericordiæ, & de exhibita miſericordia, & de effuſis precibus iam ad liberandum de flammis iuſtum aliquid ſortiuntur iuſtitiæ: & qui-

Q 4 dem

Digitized by Google

dem dubium non eſt Lot ob Abrahami preces eductum fuiſſe; aliter temporaliter vſtulandus, & doloribus grauiſſimis adurgendus: *Firmiter volebat*, addit D. Thomas ad Geneſ. 19. *ab incendio illo ſaluare Lot, & hoc firmiter promiſerat Abraha*: tanti pretij erat exhibita peregrinis miſericordia, tanti vigoris ad reprimendum incendium orationis efficacia. Verùm etſi piorum orationes plurimum valeant, maiorem tamen vim obtinent, quæ pro ſe prouidenter quiſque parauit. O quàm oſtenduntur ſapientes, qui Miſſarum præmiſerunt auxilia, qui eleemoſynarum, & orationum obſequia!

137. In Ægyptiacis fornacibus iuſti affligebantur, Deus Moyſem & Aaronem excitat, qui opem afflictis tulerint, & pro ipſis contra duritiem certarint: extemplo parueruut fratres: virga mare percutiunt, & liquorem ſanguine tingunt: intempeſtiuæ tenebræ lucem euincebant, & Sol impendio inutili laborabat, & Ægyptus tota non pœnitens; ſed diuexata gemebat; verùm cùm adeò exitus tempus protelaretur, iubet Deus quemque agnum ſumere, & pro ſe ſanguinem eius litare: *Tollat vnu quiſque agnum per familias, & domos ſuas*, &c. *immolabitque eam vniuerſa multitudo filiorum Iſraël ad veſperã.* Agnus immolatur, ſanguine ſuperliminare linitur. Quid tunc? Eadem nocte vincula diſrumpunt, & alacriter viam carpunt: *Vrgebant Ægyptij populum de terra exire velociter.* Quæres: Si adeò velociter exire cogunt, cùm immolatur agnus, cur adeò pertinaciter detinent, cùm vapularit egregiè Ægyptus? Cur obtinent agnum immolantes, quod non obtinuerant tot tantiſque plagis per Aaronis Moyſiſque manus refractarios percutientes. Profectò, ni fallor, ipſa dubitatio eſt ſolutio. Hucuſque Hebræi alienis operis vtebantur, modò propriis actionibus præmuniuntur, & quamuis illæ adeò eximiæ, & iſtæ cenſeri potuerint paruæ, citius abſolutum eſt libertatis negotium propriis, etſi exiguis ad ſpeciem operibus, quàm à Moyſe mirabilibus magnis. *Ille agnus figuralis immolabatur à filiis Iſraël*, ſcribit Angelicus Doctor epiſt. ad Corinth. cap. 5. lect. 2. *vt populus Dei liberaretur ab Angelo percutiente, & vt tranſirent mare rubrum liberati de ſeruitute Ægypti.* Dum quiſque pro ſe immolat, citiſſimè liberatur, dum pro illis laborat Moyſes, non adeò exitus celer diſponitur: vt noueris quantum valeant propria opera, & agnum anticipatè ſibi ad opportunum tempus præparans prouidentia.

Exod. 12. v. 3.

D. Thom.

138. Catenis in carcere vinctus premebatur Petrus, cùm Eccleſia oratione pro armis vſa pro eius libertate laborat: cælum gemitibus pulſabat, ventre arido, oreque ſicco altiſſima ſuſpiria emittebat, eaque fuit orationis valentia, vt catenas fregerit, vt milites vicerit, vt oſtia carceris aperuerit; imò & ferream portam reſerarit: *Cùm apprehendiſſet, miſit in carcerem tradens quatuor quaternionibus militum cuſtodiendum volens poſt Paſcha producere eum populo. Et Petrus quidem ſeruabatur in carcere; oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo.* Conſecuta eſt oratio, quod anhelabat, & iam Petrus de ergaſtulo eductus Angeli graditur ſocius, vt videas quantum valeat oratio ad iuſtorum vincula diſrumpenda, & ad conſortia Angelorum iuſtis concilianda; verùm etſi de piorum oratione liber iam Petrus gradiatur, aliquantulum temporis carceris ſuſtinuit laborem; ante Paſcha vinculis fuit traditus, poſt Paſcha occidendus, & proxima ſupplicio nocte fuit vinculis abſolutus. Tranſi, ſi placet, ad Matth. 14. vbi cùm Petrus mergeretur, clamauit: & iam Dominus porrigit dextram, & clamantem liberat: *Apprehendit eum*: iuſtorum oratio Angelicam manum Petro impetrauit; oratio propria Domini manum inuenit: dum clamat Petrus, in ipſo periculi exordio liberatur, dum alij clamant, poſt aliquod tempus educitur: vt noueris & orationem iuſtorum, vincula iuſtorum diſrumpere, & opera propria celerius libertatem conſummare. *Nunc*, aiebat Damaſcenus orat. de defunctis, *& opis ferendæ tempus eſt, & tẽpus negotiandi: nam hoc miſericors ille vult, gratumq; habet, vt nos omnes tum in vita, tum poſt confectum vitæ curriculum mutuò alij ab aliis iuuemur.* Iuuantur defuncti à viuis, ſoluuntur orationibus; ſed citius proprio Petrus clamore eludit naufragium, fruſtratur periculum. *Numquid*, aiebat Auguſtinus apud D. Thomam, *Dominus deſereret titubantem, quem audierat inuocantem? Vnde ſequitur: Et continuò Ieſus extendens manum apprehendit eum.* Vbi ipſe clamat, continuò liberatur; vbi alij, tardius educitur.

Actor. 12. v. 4.

Matth. 14. v. 31.

Damaſ.

Aug.

---

§. XXXIII.

Quæ apud nos reputantur ſæpiſſimè exigua, grauiſſima in Purgatorio ſoluuntur pœna.

Dum ad diuini examinis trutinam perueniunt, qui humanis oculis videbantur perfecti, non ſemel defectibus inueniuntur intincti: caligat noſter paſſionibus viſus, & niſi magnæ molis fuerint peccata, pœnis non reputantur obnoxia: ſæpè legitima loquimur; ſed tantiſper actionibus deuiamus: ſæpè quæ exteriùs micant lucentia, neſcio qua intentionis malignitate ſordent interiùs corrupta: difficile eſt, dum carne veſtimur, carnis contagio non infici, nec appetitus nebulis obſcurari: ſic delicta humanis cordibus videntur innata, vt putetur ſanus qui leuiter ægrotat infirmus: *Res fallunt*, aiebat Seneca epiſt. 45. *illas diſcerne: pro bonis mala amplectimur: optamus contra id, quod optauimus: pugnant vota noſtra cum votis, cum conſiliis: adulatio quam ſimilis eſt amicitia.* Addit poſtea Philoſophus: *Vitia nobis ſub virtutum nomine obrepunt, temeritas ſub titulo fortitudinis latet, moderatio vocatur ignauia, pro cauto timidus accipitur.* Itaque colorem virtutum mutuari ſolent vitia, & quibus putamus ornari, conſtat ſæpeſæpius ſordeſcere. Quantum maieſtatis, quantum ponderis humanis oculis Moyſes videbatur, dum petram diuerberans aquas miraculoſas elicuit; & tamen inuentus eſt dignus morte, qui cenſebatur digniſſimus gratitudine. Balthaſar ille tot ad ſpeciem titulis æſtimandus, iuſtæ ſtateræ commiſſus minus habens inuentus eſt: *Appenſus es in ſtatera, & inuentus es minus habens.* Itaque flammei Numinis oculi aliter noſtras actiones examinant, ac humani intuitus nebulis obſcurati 139.

Seneca.

Dan. 5. v. 27.

ſcurati

Digitized by Google

ſcurati æſtimant. Ecce moritur Ioſue, & religioſa funera illi conſecrant: *Sepelierunt eum in finibus poſſeſſionis ſuæ.* Egregius ille dux omnibus virtutibus exornatus, omnibus numeris abſolutus, ea vitæ puritate deceſſiſſe credendus eſt, vt in eo nihil examinatrix flamma inuenerit conſumendum, aut expurgandum; verùm prudentiæ fuit vel tam religioſo viro iuſta perſoluere, ne fortè aliqua actio per humanam fragilitatem, dum à ratione rantiſper exorbitat, grauiſſimam illi pœnam iniungat. Et quidem quod apud nos nullius, aut exigui ſatis momenti apparet, flamma rationabilis, acriſque adurit: *Humani honor officij*, ſcribit Arias

Montan.

Montanus, *optimo, atque de Republica benemerenti viro à virtutis, ac ſuperſtitibus decretus eſt.* Et iure optimo quidem, vt viui ſuam gratitudinem officiis exhibitis exornarent, & defunctum ſiquid reſtabat purgandum contra æſtuantes flammas obſequiis, ſuffragiiſque religioſiſſimis præmunirent. O quàm aliter noſtra opera à iuſtitiæ oculis examinantur, quàm aliter nobis videntur! ô quàm leuia duriſſimis flammis delentur, & expurgantur.

140. In huius veritatis imaginem nobis ſacer textus depinxit illius Regis Babylonici caſum: verſabatur quadam die regia in aula, cumque inde curiam ſuam contemplaretur hominum copia refertam, & elegantibus ſubſtructionibus exornatam, magnitudini ſuæ

Daniel. 4. v. 27.

adulatus intumuit: *Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, & in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Quid tunc? *Cumque ſermo adhuc eſſet in ore Regis, vox de cælo ruit:* Supplicium cæleſtis vox comminatur, & comminationem ſupplicium ſequitur: *Eadem hora ſermo completus eſt ſuper Nabuchodonoſor.* Vinctus vinculis ferreis, æreiſque detinetur: & quamuis throno dicatus cum feris modò degit ardentis Solis æſtibus aduſtus, & gelidæ hyemis imbribus maculatus: ſeptem mutata ſunt tempora, antequam perueniret ad regnum, & debitum ſibi inſcenderet ſolium: *Poſt finem dierum ego Nabuchodonoſor oculos meos ad cælum leuaui.* Cæli pulchritudine mulctatus eſt ſeptem annis, vt Deo ſatisfaceret pro illo vanitatis tumore, & tumida gloriæ ac decoris vanitate.

Tertull.

Sic ille Rex Babylonius, aiebat Tertullianus lib. de patientia capite 13. *Offenſo Domino cùm ſqualore & pædore ſeptenni ab humana forma exulaſſet, immolata patientia corporis ſui & regnum recuperauit, & quod optabilius homini eſt, ſatis Deo fecit.* Neceſſum erat Deo ſatisfacere de illa gloriola, & quamuis Babylonius rex fuerit recuperaturus regnum, ſqualoris, pædoriſque ſeptennis ab humana forma exul pertulit patienter ſupplicium. Profectò ſi verba illa animo ſolum concepta, & ferè nondum prolata humanæ cenſuræ trutina penſarentur, apparerent aut nulla culpa denigrata, aut ſaltem exigua: gloriabatur quidem; ſed propriis operibus, nulli inuidebat, nulli inferebat iniuriam, & tamen ea culpa dum diuinæ iuſtitiæ trutina examinatur, digna ſqualore, & pædore ſeptenni inuenitur: regno caret vinctus, quia ſuperbè intumuit vanus.

141. Hoc idem illa iuſtitiæ virga Moyſi tradita mitè nobis expreſſit, dum varia ſupplicia inflexit: iam non vndas verberat, iam non elementis impetat; ſed de terræ puluere ſciniphes producit moleſtiſſimos, acutiſſimis aculeis armatos. *Extendit Aaron manum virgam tenens,*

Exod. 8. v. 17.

percuſſitque puluerem terræ, & facti ſunt ſciniphes in hominibus, & in iumentis: omnis puluis terræ verſus eſt in ſciniphes. Non ſolùm iam aqua ſanguineos oculis repræſentat horrores; ſed puluis producit ſciniphes: mirum non erat de aquis, vbi innocentia extincta vndantia ranarum agmina prodiiſſe; verùm de puluere leuiſſimo nihil videbatur in Ægyptios armandum, & extimendum; verùm inoculata illa virga in minutiſſimis Ægyptiorum inuenit, quod duriſſimè moleſtaret. *Hoc animal*, aiebat Origenes apud

Origen.

Lippomanum, *pennis quidem ſuſpenditur per aëra volitans; ſed ita ſubtile eſt, & minutum, vt oculi viſum niſi acuiè cernentis effugiat; corpus tamen, cùm inſederit, acerbiſſimo terebrat ſtimulo, ita vt quem volitantem videre quis non valeat, ſentiat ſtimulantem*: vt puluis non videtur, ita beſtiola exigua admodùm; ſed nocentiſſima educitur: videbatur in minutiſſimo puluere nil latere, & inuentum eſt ſciniphes mordaciſſimos

Lippom.

parere: *Infligitur hæc plaga*, aiebat Lippomanus, *ex terra elemento aptè quidem: Iſraël enim operibus terrenis luti & lateris afflixerat, vt per quæ peccauerat, per eadem puniretur.* Itaque dum terram pro conformandis lateribus fodiendo eruunt: Hebræi excitato puluere ſordidantur, & quamuis puluere maculari leuis apparuerit iniuria, dum iuſtitiæ oculis examinatur, ſciniphum mulctatur pœna: vt noueris quàm rigidè, quàm ſeuerè apud æquiſſimum iudicem humanæ diſcutiuntur actiones, & quantam mereatur pœnam, quod nullam humanus oculus putauerit culpam. Diligentiùs tua opera examina, & te rigidè offende, vt poſſis vitare pœnam ſciens ob leuiſſima etiam ad ſpeciem fore duriſſimam.

142. Forſitan Eccleſia ſancto Spiritu gubernata pro defunctorum cõmemoratione illud Euangelium proponit, quod iter indicat: *Omne, quod*

Ioan. 6. v. 37.

dat mihi pater, ad me veniet, & eum qui venit ad me, non eiiciam foras. Profectò qui ad Deum venit iuſtitiæ teſſera nobilitatus, foras non eiicitur; ſed neque introducitur niſi purgatus, & à puluere itineris perfectè deterſus. Difficile eſt viam facere, & nullo puluere ſordidari: vnde cùm Angeli in viatorum forma Abrahamo apparerent, pedes abluendos conſuluit: *Afferam*

Gen. 18. v. 4.

pauxillum aquæ, & lauate pedes veſtros, & requieſcite ſub arbore. En non requieſcunt niſi loti, en indigent vel Angeli viatores ad ſpeciem emundari: nulla profectò in Angelis macula; ſed vtilis nobis in lotione doctrina: nam ſi Angeli dum humana forma viam carpunt, ob excitatum puluerem videntur lauacris egere, quid putas hominibus erit neceſſarium, quando non adeò leui greſſu conſtat ſuper terram ambulare: & ſi puluis ſciniphes generat, vide quali pœna alia ſoluantur, quando vel ad ſpeciem leuiſſima ſic puniuntur. Ergo cùm Ioſue viator extiterit, dignum fuit ſuffragiis adiuuare, & deceſſiſſe puriſſimum credere: hoc enim eius perſuadebat morum integritas, illud religioſa officioſitas.

143. Diuus Paulus ad Corinthios ſcribens ſic aiebat: *Si cuius opus manſerit, quod ſuperædificauit, mercedem accipiet: ſi cuius opus arſerit, de-*

1. Cor. 3. v. 15.

trimentum

Digitized by Google

trimentum patietur; ipſe autem ſaluus erit; ſic tamen quaſi per ignem: neſcitis quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis? Spiritus habitat in iuſti anima quaſi in templo, & quamuis excultum, ornatiſſimumque templum fulgeat, nonnihil ſolet eſſe, quod vehementiſſimus ardor conſumat: igne acerrimo expurgatur: defectus leuiſſimus in excultiſſimo templo humanis oculis non videtur. *Qui perfectionem*, aiebat Gregorius in cap. 3. 1. Reg. *bonæ voluntatis habuerunt in confeſſione peccati, poſt mortem purgatoria pœna peccati ad vitam tranſeunt, ſi ad delenda peccata ſufficientem vim amoris nequaquam habuerunt. Vnde & Paulus dicit: ſic ſalui fient, quaſi per ignem.* Ecce vel Dei templa exornatiſſima flammis acribus purgantur, quibus maculæ vel leuiſſimæ abſterguntur. Hinc prudentiſſimum erit conſilium carnem variis afflictionibus vrgere, & culparum reatus ieiuniis, boniſque operibus extenuare, ne acris conſumat flamma, quod leuior potuit detergere pœnitentia. *Qui ibi ſaluari per ignem meruit*, addit Gregorius, *hic per afflictionem carnis adimpleat hoc, quod ſibi de vi amoris deeſſe cognoſcit.* Qui incendia vult effugere, nec debet ſe puriſſimum credere: afflictionum aſciſcat ſibi ſuffragia, quibus poſteà vitarit cauteria.

Gregor.

144. Vt qui de domo Heli remanſerint, templum Domini ingredi queant, conſulit Dominus, vt nummum argenteum, & tortam panis Sacerdoti offerant: *Futurum eſt, vt quicumque remanſerit in domo tua, veniat, vt oretur pro eo, & offerat nummum argenteum, & tortam panis:* oblato nummo, fuſis precibus, torta panis ſacerdotali dicata templum ingreditur, qui ob Numinis iracundiam iuſtiſſimam arcebatur: quod citatus ſuprà Gregorius, vt erat moraliſſimus, myſteriis accommodans ait oblationum ſuffragio templum ingredi abſque ignis tormento, qui ſine oblationibus grandi ante ingreſſum expurgaretur ſupplicio: *Qui ſine tormento igni ad ſalutem tranſire deſiderat, cum nummo argenteo tortam panis offerat.* Oblationibus, quas pro animabus Sacerdotibus fideles largiuntur, purgatorij ignes arcentur. Itaque vt apud ſæculares iudices pœna ſæpè nummis euaditur, ita etiam honeſtè ſubornato iudice & purgatorij ſupplicium eluditur. In torta panis afflictionem Gregorius intelligit: panis namque torquetur, vt hanc formam recipiat: *Panem*, ſcribit, *peccator conuerſus torquet, cùm præteritam delectationem cruciat per afflictionem pœnitentiæ.* Ecce pœnitentiæ afflictio ad extinguendas flammas panis munus ſubit, & qui carnem macerat, iam quod fruſtrari poſſit flammarum tormentum, in ſeipſo adinuenit ſacrificium. Verùm vt theſi noſtræ reſtituamur, producamus in medium illam Mariæ Moyſis ſororis murmurationem.

1. Reg. 2. v. 36.

Gregor.

145. Neſcio quid illi in vxore fratris diſplicuit: nec mirum, erat namque opportuna iurgiis cognatio: *Locuta eſt Maria & Aaron contra Moyſem propter vxorem eius Æthiopiſſam.* Fortaſſis Æthiopiſſam Moyſes vxorem fratribus longè anteferebat, vtpotè Numini familiaris, quod illorum ſufflammauit inuidiam. O quàm frequenter inter affines cognatoſque neſcio quæ ſuſurrationes verſantur, quæ grauia excitare ſoleant iurgia; imò & accendere odia! Æthiopiſſam vir antefert, ſororem poſtponit. Quid tunc? Ad tabernaculum fœderis vocatur; ſed interpoſita nube ab eius ingreſſu arcetur: iam apparet perfuſa lepra, & diebus ſeptem à cæterorum conſortio ſeparata: *Separetur ſeptem diebus extra caſtra, & poſteà reuocabitur.* Vide quanto tempore à terræ promiſſionis ingreſſu detineatur, quanto à Dei tabernaculo ſeparetur. Certè de affinis ſibi mulieris colore obmurmuraſſe, culpa ſatis leuis apparebat; verùm dum à Domino examinatur, digna tanto ſupplicio inuenitur. Vt hinc agnoſcas, quàm omnia ibi exactè trutinentur, & quàm ſeuerè puniantur. *Conſidera Dei ſeueritatem*, ſcribit Oleaſter ad mores: *licèt enim dilectus ſeruus pro ſorore oraret, non obtinuit ſanitatem eius ſtatim; ſed poſt ſeptem dies.* Leue verbum longo punitur exilio, & prolixo temporis interuallo.

Num. 12. v. 1. & 14.

Oleaſter.

---

§. XXXIV.

Iuſtorum mors euaneſcit in vmbram; iniquorum vita in vera mortis tranſit ſubſtantiam.

Siquis virtutem ad ſe traduxerit, doctus ab illa ſeſe honeſta ſuperbia ſuper omnia efferet, eius ordinem, decorem, conſtantiam, & actionum inter ſeſe miram concordiam non ſine oblectatione mirabitur: apparebit illi illa beata vita ſecundo defluens curſu arbitrij ſui tota, & fortunæ caſibus ſemper erepta. Profectò vir perfectus fortunæ maledixit, nunquam accidentia triſtis excepit: ſe credit mundi militem iuxta illud Iobi: *Militia eſt vita hominis ſuper terram.* & labores veluti ſibi imperatos ſubit: quidquid inciderit, non aſpernatur tamquam caſu contra ſe delatum; ſed lubenter amplectitur quaſi delegatum ſibi. Itaque quidquid durum, animi fortitudine lenit, quidquid aſperum, prudentia leuigat, quidquid extrinſecus horridum, de interno ſplendore luſtrat. Qui magnus virtute apparuit, nunquam malis ingemuit, nec de fato ſuo conqueſtus eſt. Sapiens aſtris dominatur, & ſibi fatum fabricat, dum ad felicitatem ſemper concinnat. Et quidem vti tenebræ, ſi in grandem lucem inciderint, diſſipantur, & quod videbatur tenebroſum, de excellentia fulgorum reſplendet lucidum; ita vel ipſa mors in virum perfectum, ac virtutibus ornatum incidens diſparet, nec perfecti memoriam caliginibus obruit, ſed de virtutibus diſſipatur eius caligo: *Neceſſariò magnus apparuit*, aiebat Senec. epiſt. 120. *qui nunquam malis ingemuit, nunquam de fato ſuo queſtus eſt: fecit multis intellectum ſui, & non aliter quàm in tenebris lumen effulſit.* Vt artem inuenit culpa, qua vitæ lucem mortis caliginibus deturparet, ita & induſtriam inuenit virtus, qua mortis tenebras candidiſſima luce fugaret, & obliuionem depelleret. Ioſue moritur, & in Thamnathſare ſepelitur: *Sepelierunt eum in finibus poſſeſſionis ſuæ in Tamnathſare.* Ciuitas hæc vocabatur anteà: *Prohibitio reſidui*, poſteà: *Prohibitio Solis*: vt vel in ipſa morte noueris Solem occaſu prohibitum, & de prohibito occaſu miris ſepulchrum fulgoribus illuſtratum. Itaque in ſepulchro mortis ſolùm erat leuiſſima vmbra, & radiorum clariſſima pompa. *Aduerte* quòd

146.

Iob 7. v. 1.

Digitized by Google

Caietan. *quòd nomen ciuitatis huius*, ſcribit Caietanus, *variatur hîc, & Ioſue vltimo: nam ibi nominatur Thimnath Serach; hîc verò Thimnath Cheres, ad inſinuandum quòd ciuitas, quæ prius vocabatur prohibitio reſidui neſcio à quo euentu, vocata fuit poſt readificationem à Ioſue prohibitio Solis in memoriam prohibiti à Ieſua Solis, ne progrederetur.* O moralis & arcana nominum variatio! Inuerſa profectò videntur nomina: nam dum Ioſue ſepelitur, vocari debuiſſet prohibitio reſidui, quando ſepulchro conditus vitæ reſiduo apparuit certè priuatus; at ante mortem ciuitas hæc non erat reſidui prohibitio; imò vitæ prorogatio. O expende cuius hæc fuerit anteà ciuitas: ſanè allophylorum impiè viuentium: tunc ergo iure prohibitio reſidui debuit vocari: quia ſolùm vtebantur vitæ vmbra, vera oppreſſi mortis miſeria; at cùm Ioſue omnibus virtutibus abſolutus ſepulchro traditur, Solis prohibitio dicitur: nam vt prohibitus Sol toto illo tempore ignorauit occaſum, ita Ioſue vel in ipſo ſepulchro ignorauit interitum. Verùm quia claritati ſemper ſtudeo, explicatiùs ſcribere conabor conceptum. Vbi ſepelitur Ioſue, vocatur Thamnatſare: nam teſte Lyra, Lyra. *Super ſepulchrum Ioſue fuit poſita ſimilitudo Solis in memoriam illius facti mirabilis, quod fecit Solem ſtare.* Ecce duo coniunguntur ſpecie oppoſita, ſcilicet ſepulchrum, vbi ad ſpeciem occaſus, & ſtans Sole ignarus prorſus interitus; vt noueris ibi Ioſue Sole finis ignaro ſemper lucere, & in ipſis obſcuris Solis caliginibus candido fulgore radiare. Adhuc in ipſo ſepulchro Sol micat ſplendidus, & occaſus fugatur obſcurus: vt noueris iuſtorum mortem de vitæ actionibus illuſtrari, & ſepulchri tenebras in candidiſſimam lucem tranſire.

147. Iob 3. v. 5. Iob de die loquens ſic aiebat: *Obſcurent eum tenebræ, & vmbra mortis.* Quamuis de impatientiæ confinio hæ ad ſpeciem execrationes fulminari videantur, de arcano, ſi diſpiciantur intimius, prolatæ ſenſu inueniuntur. Et cur Iob non diei imprecetur veram mortem, ſed mortis vmbram? An vt diriùs, duriuſque diſtorqueat, dum timoris nunquam tormento ſoluitur; ſed ſemper appetentis finis metu ſuſpenſus torquetur? Si mors diem occupaſſet, iam timoribus diſcruciatum ſoluiſſet; at dum vmbra mortis exagitat, nec patitur mori, nec luce relinquit frui: ſolùm habet lucem, vt amittere timeat, inſtat mors, ne vnquam habere gaudeat. Benè; ſed altiora ſcrutemur: dies radiis Solaribus illuſtratus, virique perfecti ænigma, nam iuſtus permanet ſicut Sol, nequit pati mortis violentiam, etſi aliquando ſuſtinere mortis cogatur vmbram. Cùm dies in ſe habeat Solem perennem radiorum fontem, indefeſſam lucis ſcaturiginem, non poteſt denſis tenebris obrui, etſi poſſit aliqualibus tenebris obſcurari. Exhalat aliquando tellus tetrum vaporem, qui in nubem oppanſus & extenſus diem tantiſper obſcurat: verùm etſi lucem poſſit aliqualiter intercipere, prorſus non poteſt depellere: ergo iuſtum verum diem vera mors nunquam aut deuincit, aut ſepelit, etſi mortis vmbra aliquando offuſis tenebris obſcurarit, & ab oculis ad modicum tempus abſtulerit. Gregor. Adeſt Greg. Magn. lib. 4 moral. c. 17. *Vmbra mortis mors carnis accipitur: quia ſicut vera mors eſt, qua anima ſeparatur à Deo; ita vmbra mortis eſt, qua caro ſeparatur ab anima.* Diem vmbra mortis tangit, mors nunquam deglutit; at peccatorem vera mors hoc eſt culpa tenet, vel cùm vitæ vmbra ad ſpeciem viuentem fallit.

Humiliaſti nos, aiebat Pſaltes, *in loco afflictionis, & cooperuit nos vmbra mortis.* Inter ſe viden- 148.
tur diſſidere ſententiæ: Pſal. 43. v. 20 nam ſi ſolùm mortis vmbra cooperuit, cur adeò afflictionis locum exaggerauit? Certè cumulatiùs afflictio premeret, ſi mors crudelis depaſceret, nec ſola mortis vmbra operiret; at dum non mors; ſed mortis vmbra illos tangit, afflictionis vexatio nimium non lædit: cur ergo Dauid & afflictionis exaggerauit emporium, & ſolùm retulit adumbratum tormentum: *Humiliaſti, inquit, nos in loco afflictionis.* Et quæ afflictio? Iam refert: *Et cooperuit nos vmbra mortis.* Profectò & afflictio vmbratilis videtur, dum non mors; ſed ſimilitudo mortis exprimitur: Et cooperuit nos, inquit, vmbra mortis. O prophetæ ſapientiam! Non vnam aut alteram ærumnam retulit; ſed afflictiones omnes veluti in locum vnum confluxiſſe deſcripſit; & totum hoc mortis aſſeruit imaginem, vt agnoſceres contra iuſtos, quæ videntur duriora, afflictionis ſolùm vocari vmbram, nullatenus doloris ſortiri ſubſtantiam: omnia iuſtus in colorem ſuum trahit, vtque amaræ illæ, & ſteriles aquæ iniecto ſale in dulcedinem verſæ ſunt, ſic afflictiones, dolores, & mors ipſa in iuſto nobiliter degenerant, & naturam mirè refutant: ſunt namque iuſti ſal terræ, mundi lumen, aſſerente Domino: *Vos eſtis ſal terræ, vos eſtis lux mundi,* Matt 5. v. 13 De cæleſti ergo ſapientiæ ſale, quidquid amarum, dulcorant, & de luce quidquid tenebroſum, illuſtrant. Seneca. *Ad mortem dies heſternus peruenit, accedit omnis*, aiebat citatus Philoſophus, *carpit nos illa, non corripit: ideò magnus animus conſcius ſibi melioris naturæ, dat quidem operam, vt in hac ſtatione, qua poſitus eſt, honeſtè ſe atque induſtriè gerat.* Ecce laudabilis induſtria artem inuenire, qua mors, etſi poſſit carpere, nequeat corripere. Omnis afflictionis erat veluti compluuium, quod mortis vmbram Pſaltes vocauit: *Vmbram eam appellauit*, ſcribit Euthymius hîc: Euthym. *quia vmbra his rebus ſimiles eſſe ſolent, quarum formas repræſentant.* Iuſtorum mors mortem repræſentat; ſed hiſtrionicè: nam vt in theatro ſub regalis ornatus ſpecie obſcurus degit homo, ita in huius mundi theatro ſub demortui ſpecie floret, & viget, & ſæcula deſpicit iuſtus. Econtrà qui ſe vitiis tradidit, verè moritur, ſpecie ſolùm hac aura fruitur.

Miſerum hominem ſpiritus gehennalis poſ- 149.
ſederat; verùm dum feritati ſtudioſus incumbit, vtiliùs noſtris eruditionibus proficit: in monumento ſepeliuerat, & mortuis adnumerarat. *Domicilium habebat in monumentis:* Viuere videbatur; ſed verè ſepeliebantur: ſepulchrum illi erat domicilium: nam vt qui ſepulti, mortem comprobantur perpeſſi; ita ille totam mortis pati cogebatur violentiam, cùm vitæ ſolùm haberet vmbram: viuebat; ſed quo ægrimoniæ ſuæ ſenſu duriùs, ac diriùs torqueretur: viuebat, ſed mortuis miſerabilior, quia dæmoni & obſequentior: viuebat, ſed vt periret: & quidem ſub vitæ vmbra tota mortis latebat pompa: didicit iniquiſſimus dæmon artem, qua ſibi traditi ſub vitæ ſpecie totam mortis veritatem impleuerint, & ideò non imprudens geſtiuit & mortuis adnumerare. *Ille quidem*, aiebat Baſilius Seleuc. Seleuc. orat. 23. *cætera mortuus ſolùm viuebat, quo ægri-*

monia

monia ſua ſenſu torqueretur. Mortuus erat ad vitam, & viuus erat ad pœnam: erat huius lucis vſura vmbratilis, erat mortis ſubſtantia terribilis: vt iam diſcrimen inter impios, iuſtoſque agnoſcamus, quandoquidem, vt flamma ſæpè latet ſub cinere, ita & iuſti ſub mortis ſpecie viuunt; impij ſub vmbra ſalutis pereunt. Imò expendebat citatus Gregorius improbos duplici morte teneri; iuſtum verò euanida ſolùm mortis ſpecie, & vmbratili cænotaphio ſolùm grauari.

150. Matth. 20. v. 20. Chriſtus Dominus geminam noctem & diem vnum iacuit ſepultus: *Tertia die reſurget*: quod tempus magnis grauidum myſteriis putauit, quo ſolet ingenij acumine Gregorius Magnus, ſcilicet in gemina nocte mortem: quam peccarores patiebantur, ſignari; in die verò, quam Chriſtus pertulit, pingi. Itaque Domini mors diurnæ luci aſſimilata eſt; mors, quam depulit ab hominibus, nocti: & ob id duabus noctibus inſeritur vnus dies, vt noueris, quàm alterius conditionis fuerint mortes, de quibus nos Dominus liberarit, ac illa, quam ipſe ſuſtinuerit: nos ſub delicto tenebamur, mortis chirographo obligati, & morti addicti: ergo dum chirographum delet, mortem eneruat, & iam eneruatam ſuſtinet. Ob id vno die & geminis noctibus iacet ſepulchro: quo noueris mortem iuſti luci tantiſper tenebris obſcuratæ adæquari; iniuſti verò & geminatam eſſe, & denſiſſimis horroribus, & caliginibus premi. Audi Gregorium: Gregor. *Quid eſt quod beatus Iob poſtulat vmbram mortis, niſi quod ad delenda peccata ante Dei oculos, Dei & hominum mediatorem requirit, qui ſolam pro nobis mortem carnis ſuſciperet, & veram mortem delinquentium per vmbram ſuæ mortis deleret. Ad nos quippe venit, qui in morte ſpiritus, carniſque tenebamur, vnam ad nos ſuam mortem detulit, & duas noſtras, quas reperit, ſoluit.* Subiungit paulò pòſt: *Vnde non immeritò vno die in ſepulchro, & duabus noctibus iacuit: quia videlicet lucem ſuæ ſimplæ mortis tenebris noſtra duplæ mortis adiunxit: qui ergo ſolam pro nobis mortem carnis ſuſcepit, vmbram mortis pertulit.* Ecce dum Chriſtus moritur, viuunt homines; verùm, vt noueris peccatorum vitam exigua luce gaudere, & denſiſſimis mortis tenebris occupari, & iuſtorum mortem leuibus mortis vmbris tantiſper obſcurari, & veriſſima luce fulgere; in ſepulchro gemina nox hominis vitam expreſſit, & dies mediatoris mortem ſignauit. Itaque ipſa Chriſti mors à Iobo appellatur vmbra; at ipſa peccatorum lux denſa vocatur caligo: nam iniquus in ipſa etiam vita ſepultus iacet; at iuſtus in ipſo ſepulchro lucet.

151. Exod. 8. v. 18 Modò memoriam ſubit de eodem puluere Moyſis virga ſciniphes aculeis mordacibus excitos, & à Magis aculeis carentes excitatos: *Facti ſunt ſciniphes in hominibus, & in iumentis, & omnis puluis terræ verſus eſt in ſciniphes per totam terram Ægypti feceruntque ſimiliter malefici incantationibus ſuis, vt educerent ſciniphes, & non potuerunt.* Non potuerunt educere, aculeis ſcilicet armatos; ſed deſtitutos: Rupert. *ſciniphes*, inquit Rupertus apud Lippoman. *videri quoque potuerunt; ſed quia moleſtos aculeos nulli infixerunt, idcirco fallaciter feciſſe conuicti ſunt.* Idem puluis ſciniphes producit contra iuſtos & refractarios; ſed qui contra iuſtos, aculeo carent; qui contra impios, aculeo feriunt: vt noueris puluerem ad ſpeciem ſolùm in iuſtos armari, & veris plagis contra impios muniri: patitur quidem iuſtus de puluere ſciniphem, non qui internè feriat; ſed qui exteriùs ſolùm inſideat: patitur impius ſciniphem; ſed qui exteriùs inſideat, & aculeis durè terebrantibus feriat. Ergo Ioſue vel in ipſo ſepulchro lucis candoribus fruitur: vt noueris virtutis ſtudioſum in morte lucis frui ſereno; impietatis aſſeclam vel in vita vti tẽpore nebuloſo.

§. XXXV.

Pro lege, & ſalute ſuorum laborat ſuperior auaritia non pollutus; legi verò refragatur infectus.

AVaritia ſemper rationi inuenitur aduerſa, & legi ſemper probatur oppoſita: quiſquis 152.
à cupiditate alienus, eſt formandis moribus opportunus: *Ad Marcum Curium*, refert Plutarch. in apophthegm. (Plutarch. *Non indiget auro, qui victu exiguo.*) *Samnites deuicti venerunt, aurumque obtulerunt: fortè autem coquebat in olla rapas: quibus reſpondit non habere auro opus ſe, cui tale eſſet prandium, malle autem imperare aurum habentibus, quàm ipſe habere* O quàm in Reipublicæ gloriam imperabat, qui ſic aurum generoſo animo deſpiciebat! Secutus eſt laudabile exemplum Alcamenes eodem Plutarcho referente: (*Locuples eſt, qui ex rationis præſcripto viuit.*) *Alcamenes Telegri roganti quemadmodum quis optimè regnum conſeruaret: ſi maioris, inquit, quæſtum non faciat. Sciſcitanti alij quid à Meſeniis dona non recepiſſet? Quia ſi cepiſſem, inquit, nullo pacto cum legibus pacem habere queam. Obiicienti quòd lauta in re viueret anguſte: Honeſtum eſt, inquit, locupletem ex rationis non ex libidinis præſcripto viuere.* O dignam philoſopho Chriſtiano ſententiam! Neſcit qui ambitioſè anhelat acquirere, reuerentiam legibus exhibere: quiſquis ex auaritiæ præſcripto viuit, æquitatis iura contemnit: cum legibus pacem non habet, qui delinquentium aurum flammis ardentiſſimis ſitit. Legi ab omnibus venerationis curat debitum impendi tributum, qui deſpicit diuitiarum crementum: nam ſtudium habendi artificium eſt & leges adulterandi. Et quidem diues ille, dum aduſtus ſiti refrigerium diſcupiebat, impoſſibilia contra iuſtitiam & æquitatem tentabat. Ecce populus Ioſue viuente legibus deprædicatur paruiſſe, & illo mortuo calcaſſe: *Seruierunt Domino cunctis diebus eius.* (Iudic. 2. v. 7.) Ioſue interitus Reipublicæ miſerandus fuit caſus: *Surrexerunt alij, qui non nouerant Dominum, & opera quæ fecerat cum Iſraël: feceruntque filij Iſraël malum in conſpectu Domini, & ſeruierunt Baalim.* Ioſue auſteriori diſciplina populum continebat, & legibus illo viuente honeſtum cultum præſtabat. Ecqua huius cauſa? Quia Ioſue non acquirendis fœcundiſſimis prædiis, non adaugendis opulentis hæreditatibus, non multiplicandis cenſibus inhiauit; ſed anguſta poſſeſſione contentus virtutibus inſeruiuit, eius ſepulchrum prodidit quale vitæ fuerit deſiderium: *Sepelierunt eum in finibus poſſeſſionis ſuæ in Thamnathſare in monte Ephraim.* Adeò erat poſſeſſio anguſta, adeò copioſis prouentibus non ditata, vt Paulæ loca illa inuiſenti admirationem ingereret, quod latæ adeò ac prædiuitis telluris diſtributor ſterile ſolum ſibi delegerit. Ita Diuus Hieron. in epitaphio D. Paulæ: (Hieron.) *Satis mirata eſt quod diſtributor poſſeſſionum ſibi montana & aſpera*

Digitized by Google

Theodor. *aſpera delegiſſet.* Idem confirmat Theodoretus quæſtione 17. in Ioſue: *Imitatus eſt in eo modeſtiam Domini: diſcite enim, ait, à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris. Extremam itaque expertus eſt inopiam, ita vt ne domum quidem haberet: Filius, inquit, hominis non habet vbi reclinet caput ſuum.* Preme quæ ſubdit: *Cùm autem eiuſdem nominis Ioſue typus eſſet ipſius, partem ſibi non impertiuit; ſed eam, quæ oblata eſt, accepit docens eos, qui in aliquo magiſtratu ſunt conſtituti, non ſuis commodis; ſed vtilitati ſubditorum inſeruire debere.* Mors clare oſtendit quàm Ioſue alienus fuerit à propriis ſectandis commodis: ergo religioni ſubditorumque vtilitati ſtudioſè inſeruiuit: quia non curabat acquirere; ſed rectoris munus implere; at dum illo mortuo alij ſurgunt vias contrarias ingreſſi, iam populus & virtutibus denudatur, & humanis facultatibus deſtituitur: *Surrexerunt alij,*
Caietan. audis Caietanum: *deſcribitur ab oppoſitis conditionibus generatio noua.* Dum noui eleuantur auro diuitiiſque inhiantes, populus omni bonitate ſordeſcit exutus, & luget cenſibus diſpoliatus.

153. Cùm populus in vltimas ferè anguſtias; & in vltra fidem calamitates deueniſſet, compulſus eſt impietatem deierare, & auxilium à Domino contra confuſos adeò calamitatum vortices petere. Quid tunc? Deus ad miſericordiam procliuior iudices ſuſcitat, qui miſeros de vaſtantium manu eriperent, & in ſortem for-
Iudic.2.v.16 tunatiorem aſſererent: *Suſcitauit Dominus iudices, qui liberarent eos de vaſtantium manibus,* Hugo Cardinalis per iudices intelligit Apoſtolos, qui populum à calamitatibus liberent, ac virtutibus exornent. *Iudices ſunt prælati, & Apoſtoli, quos ſuſcitauit Dominus gratiam infundendo, ſiue inſpirando.* Apoſtoli humanarum rerum contemptores, prælati Apoſtolis ſimiles de manibus diripientium ſubiectos liberant, & quia copioſo neſciunt corrumpi auro, religioſo ardent legum ac virtutis zelo:
Hugo. *Ad quid ſuſcitat hos iudices?* rogat ibi Hugo: reſponderque: *Vt liberet ſubditos de manu vaſtantium, id eſt, dæmonum, hæreticorum, ſchiſmaticorum: tyrannorum, opponendo ſe quaſi murum pro domo Iſraël.* O quàm ſe opponunt ambitionis expertes, magnatum contra inualidos iniuriis! quàm vera prædicant, qui cupiditati non inhiant. Veluti murum ſe opponunt, & vt murus ab hoſtilibus ciues arcet iniuriis, ſic iudex ac prælatus ſubiectos defendit à vitiorum ac calamitatum ſagittis.

154. Age & in duobus Chriſti Apoſtolis hanc veritatem dilucidè comprobemus. Petrus templum aſcendens in claudum ab vtero matris incurrit, cuius miſeria, ac clamore commotus naturam reformauit, & pedes claudo reſculpſit:
Actor.3.v.7. *Alleuauit eum, & protinus conſolidatæ ſunt baſes eius & plantæ.* Iudas non ſolum claudis ſanitatem non impertit; ſed morti ſalutem tradit: *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* Si vterque diſcipulus, cur alius ſalutis eſt officina, & calamitatis alter eſt vena? Du-
Matt.26.v.15 bitationi quidem vtriuſque ſtudia reſpondent. Aiebat Petrus: *Argentum, & aurum non eſt mihi:* aiebat Iudas: *Quid vultis mihi dare?* Iudæ conſtituuntur triginta argentei: *Conſtituerunt ei triginta argenteos:* dum ergo Petrus omni probatur cupiditate expurgatus, pauperi claudo, miſero inuenitur proficuus; at vbi Iudas argenteis inhiat, auroque acquirendo ſtudet corrumpitur, & iuſtitiæ vitæque peſtis contraria ac Petrus ſectatur. Quid aliud ſperandum erat à iudice auri ſtudioſiſſimo, diuitiarum ſeruulo? Alter vita priuauit populum, alter pedes excudit claudo. Sub iudice prælatoque omnis auaritiæ experti ſubiectorum recti ſunt greſſus, & celeres ad virtutem volatus: *Intrauit cum illis in templum ambulans & exiliens, & laudans Deum.* Cum Iuda venerunt ſalutis interemptores virtuti illaturi iniuriam, & Reipublicæ extremam miſeriam: Ecce Iudas vnus de duodecim venit, & cum eo turba multa. O quanta multitudo impium ſequitur, quàm ſingularis Petrum ac Ioannem ſectatur: Miraculo opus fuit, vt homo vnicus à duobus, eiſque Apoſtolorum magnatibus traheretur ad templum, & miraculo opus eſſet, ne confluens multitudo ab vno Iuda duceretur in hortum. Sed à theſi ne exorbitemus: *Argentum & aurum non eſt mihi, quod autem habeo, hoc tibi do,* ſcribit Oecume- Oecumen.
nius: *Hoc ipſorum omnimodam auri inopiam demonſtrat: nec enim quemadmodum nos frequenter dicimus: hoc loco, aut hoc tempore non habeo; ſed, non eſt mihi: ſignificans omnino ſe non poſſidere aurum.* Itaque dum Petrus omni ſe cupiditate teſtatur alienum, & ſanitatis exhibet fontem copioſum: fluxerunt à Petro populorum capite auaritiæ inimico, quæ populum reformarent, & rectis virtutum greſſibus reſtituerent.

In huius veritatis argumentum refert Matthæus omnibus notam hiſtoriam: Intrauit Dominus templum magnus ab omnibus acclamatus, & menſas auro firmiſſimas valida brachij potentia euertit, & omnem cupiditatis 155.
ſpeciem exterminauit: *Menſas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit.* Matt.21.v.12.
Quid tunc? *Acceſſerunt ad eum cæci, & claudi in templo, & ſanauit eos.* Dum euerſis menſis ſanitas cæcis refunditur, dum ante menſarum euerſionem cæcitas refertur, erudimur ſub prælatis auaris nec populum ſerena poſſe vti luce, nec firmis greſſibus ambulare. Dum Principes, ſacerdoteſque cupiditati, & auaritiæ inſeruiebant, vel in templo inueniebantur cæci, & obliquis greſſibus claudi. Et quomodo reformare greſſus obliquos curarent, qui lucris toti occupabantur dicati, & nummis adaugendis ſemper addicti? Populorum cæcitatem nequibant aſpicere: quia conſtabat ipſos cupiditatis nebulis obcæcari; at dum aduentat ſuperior auro non inhians; imò diuitias impollutis pedibus calcans, iam lumen cæcis refunditur, & claudorum greſſus reformatur: *Acceſſerunt ad eum cæci & claudi in templo & ſanauit eos.* Proiectis nummis non habebat, quo ſe defenderet, cæcitas: ſine auri baculo nequibat claudicare debilitas: ſeruit pro ſcipione pluribus aurum, quo claudicationem proſequuntur innixi; at illo deſtituti obliquos coguntur greſſus dirigere, & à claudicando ceſſare. Aptè Hieronymus Hieron.
apud Diuum Thomam: *Niſi menſas nummulariorum ſubuertiſſet, cathedraſque columbas vendentium, cæci & claudi lucem priſtinam, & concitum gradum in templo non meruiſſent recipere:* Dum nummulariorum perſtitit menſa, & cæcitatis durauit noxa; at iam lux reſplenduit in templo; quia templum omni auaritiæ expur-

Digitized by Google

gatum eſt fumo. Ingens profectò beneficium Reipublicæ eſt ſi faſtigium aſcenderit auaritia incorruptus, vt extrema peſtis, ſi auaritia inſcenderit inflammatus: apud auarum aurum ſolummodò colitur, illique ſoli reuerentia exhibetur; cætera deſpiciuntur, & conculcantur. Adde apud auaros peſſimè audire virtutem, maiorique ſupplicio affici, qui honeſtiùs viuit, & qui Deum auidiùs quærit.

156. Quærebat amore ſaucia Sponſa dilectum ſuum, vocibus promebat affectum: incidit in cuſtodum manus, qui vulneratam diſpoliauerunt:

Cant. 5. v. 7. *Percuſſerunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum.* Statim incidit in plures filias Ieruſalem, quas etiam interrogauit: *Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ſi inueneritis dilectum meum.* Iam pungit curioſitas: ſi vti Sponſa: & filiæ etiam Ieruſalem per ciuitatem vagantur, cur ſolùm Sponſa diſpoliata, cur ſola percuſſa? Forſan dum ait: *Tulerunt pallium meum mihi*, diſcrimen inter ſe, & alias oſtendit: quaſi dicat: Solùm à me abſtulere pallium, cum à reliquis nihil abſtulerint, Ecqua diſcriminis ratio eſt? Quia reliquæ ſic à quærendo diſtabant, vt Sponſum prorſus ignorarint: *Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto?* At Sponſa deſideriis ardentiſſimis diſcupiebat: ergo quæ virtutibus inueniebatur ornatior, cuſtodibus peſſimis erat infenſior: licebat aliis fœminis, quod vellent, facere, & vbi fuiſſet collubitum, diuagari; at Sponſæ non licuit Deum

Hugo. quærere, & virtutibus inſeruire. Huc voco Hugonem ad Iudic. 2. qui cùm præmiſerit boni prælati munia, addit: *Econtra faciunt multi prælatorum: oues ſuas non liberant vt paſtores; ſed ſpoliant vt fures: unde Michæas: Deſuper tunicam pallium tuliſtis.* Ecce apud auaros, apud inhiantes habere, qualiter tractetur virtus, qualiter auolet ſanitas: nec enim ſub peſſimis gubernatoribus poterant ſubditi nudi non degere, non vulnerati clamare.

---

§. XXXVI.

Magna Reipublicæ ſalus maturis, prudentibuſque hominibus gubernari, grande naufragium ab immaturis, & iuuenibus regi.

157. REipublicæ ſtatus Princeps eſt, & vt à corde vigor ſalubris membris refunditur, aut humor peſtilens deriuatur, ita à Principe digna politia, aut effrænata manat audacia. Quàm be-

Caſſiod. nè Caſſiodorus 2. var. 12. *Publici decoris mater eſt mens regentis, & qualè fuerit dominantis arbitrium, talem parit libertatis aſpectum.* In Principe, vt in ſemine populi profectus agnoſcitur, nec poteſt ſui diſſimilem formare Rempublicam, qui Reipublicæ gerit cauſam. Illud expende: *Publici decoris mater eſt mens regentis:* nam vt filij parentum referunt lineamenta, & generantis ſunt ſimulachra, ita Reſpublica vti Principis partus eius ſemper moribus repræſentat affectus. Poſt Angeli increpationem Hebræorum populus à Ioſue & maturis ſenibus gubernatus pietatem coluit, & poſſeſſionibus placidè

Iudi c. 2. v. 7. fruitus ſibi felicitatem adauxit: *Abierunt filij Iſraël vnuſquiſque in poſſeſſionem ſuam, vt obtinerent eam, ſeruieruntque Domino cunctis diebus eius, & ſeniorum, qui longo poſt eum vixerunt tempore.* Canâ prudentia defuncta iam alij gubernatores ſuccedunt, qui dum ſtudent ambitioni, iniuriam intulere pietati: *Surrexerunt alij, qui non nouerant Dominum, & opera, quæ fecerat cum Iſraël, feceruntque filij Iſraël malum in conſpectu Domini, & ſeruierunt Baalim:* iam gemunt diripientium manibus traditi, iam extremam ſubeunt calamitatem pro mancipiis hoſtibus venditi: *Iratus Dominus contra Iſraël tradidit eos in manus diripientium, qui ceperunt eos & vendiderunt hoſtibus.* Floridus & miſerandus ſub diuerſis rectoribus pingitur Hebræorum ſtatus: vt noueris quanti momenti ſit prudentem, canumque ſuperiorem ſortiri, aut immaturum, &

iuuenem ſuſtinere. *Ecce*, ſcribit Caietanus, *manifeſtè explicatur conuenientia temporis Ioſue, & temporis ſenum quoad cultum Dei.* Addit poſteà: Caietan.
Ad differentiam ſenum, qui fuerant poſt Ioſuam; deſcribitur ab oppoſitis conditionibus generatio noua. Populi felicitas, infelicitaſve per rectores eſt explicata: dum matura, canaque prudentia rexit, populus optimis exẽplis informatus Deum coluit, & florid iſſimus viguit; at dum iuuenes vitiorum exempla, ambitionis ſtudia, auri auaritia regiminis culmen inſcenderunt, & populum deprauarunt. Summo ſtudio curandum eſt; qualis naui per medios vortices, per ventorum adſultus maria traiecturæ gubernator ſignetur: nam prudens ac expertus artis peritia nauim aurigans ducit in portum, inexpertus imprudenſque, dum gubernaculo inſidet, auxiliatur naufragio. Deligendi ſunt ad gubernationem opportuna, & matura ætate viri de annorum ſuffragio honorati, & de virtute ſemper innocui.

Ioſeph ſomnium videt futurorum præſagium, manipulum ſcilicet ſpicis maturis, & 158.
turgentibus plenum: *Putabam nos ligare manipulos in agro, & quaſi conſurgere manipulum* Gen. 37. v. 7.
meum, & ſtare, veſtroſque manipulos circumſtantes adorare manipulum meum. Portendebat hoc ſomnium Ioſeph proregem futurum, ac non multò poſteà peritia calamitoſis temporibus gubernaturum Rempublicam, vt mundus de famis periculo liberaretur, & conſtantia calamitatis deuicta iterum efflોreret Reſpublica: nec multò nouo ſomnio ſomnium confirmatur, vt res diuinitus agi, non humanis illuſionibus putaretur. *Aliud quoque vidit ſomnium, quod narrans fratribus ait: Vidi per ſomnium quaſi Solem, & Lunam, & ſtellas vndecim adorare me.* Quærunt Patres cur iterato ſomnio res eadem

fuerit prænuntiata. Adeſt Rupertus hic: *Fir-* Rupert.
mitatis indicium eſt eò quòd fiat ſermo Dei, & velocius impleatur, & alterum quidem è terra, vel ex agro; alterum verò ſomnium fuit è cælo. Benè; ſed cur adeò Ioſephi dignitas ſomnio duplici confirmetur, cùm ſatis ſit, ſi vel vnico prædicatur? Recole textum, & videbis triginta annorum fuiſſe, quando dignitatis culmen in-

ſcendit: *Triginta annorum erat, quando ſtetit* Gen. 41. v. 46.
in conſpectu Regis Pharaonis: adeoque inſolitum eſt ſub adoleſcente gubernatore felicitatem florere, & miſeriam exulare, vt iteratum ſit ſomnium ad firmitudinis argumentum. Profectò primum ſomnium diuinitus immiſſum Ioſephum teſtabatur ad depellendum famis periculum eligendum, aſt quia rarum eſt adoleſcentem Reipublicæ eſſe ſubſidio, opus fuerit

Digitized by Google

fuerit ſomnio ſecundo : & quidem licèt reuelationi non addiderit firmitudinem, audienti addidit ſecuritatem : ne quis ſomnium exiſtimaret vaniſſimum, quod prædicebat iuuenem fore Reipublicæ ſalutem, miſeris auxilium, ſterilitati remedium. Adde ſub iuuenibus, adoleſcentuliſque gubernatoribus eam calamitatem aliquando ſuſtinere Rempublicam, vt meliùs cum illa actum videatur, ſi tradatur hoſtibus, quàm ſi regatur iuuenibus. Et quidem iuuenes voco non tam de exiguis annorum tractibus, quàm de moribus.

159. Iſai 3.v.1. Iſaias, vt extremè miſerandum Reipublicæ ſtatum deſcriberet, ſic aiebat : *Ecce Dominatur Dominus exercituum auferet à Ieruſalem, & à Iuda validum & fortem, &c. honorabilem vultu, & conſiliarium, & dabo pueros Principes eorum*, & effœminati dominabuntur eis, & irruet populus vir ad virum. Audis à Deo ingentem prædici his verbis calamitatem, dum loco ſenum iuuenes apprehenderunt Reipublicæ clauum; ſed licèt illa Iſaiæ tempore grandis fuerit calamitas, maior hìc deſcribi videtur aduerſitas, quando Hebræi hoſtibus inſeruiunt captiui, & pretio famulantur taxati : Tradidit eos in manus diripientium, qui ceperunt eos, & vendiderunt hoſtibus. Proh duriſſimum fatum! proh ſortem vltimam! Leniùs tantiſper agi videtur cum populo Iſaiæ tempore, quandoquidem etſi pueris ſubditi, non ſerui; at in hoc ſecundo Iudicum capite duriùs cum eis agitur, quando aduerſariorum deſpiciuntur ſerui, non iuuenibus propriis ſubditi. Imò inquit Lyra (Lyra.) ad Iſaiæ 3. meliùs cum captiuis agitur, duriùs cum aliis proceditur : *Sciendum quod tunc populus remanens fuit peſſime gubernatus : propter quod in populo ſurrexerunt contentiones, & diuiſiones, & aliæ miſeriæ, ita quod illi, qui ducti fuerant in Babylonem, iudicabantur melioris conditionis, quàm illi, qui remanſerant : & hoc eſt quod dicitur : Dabo pueros Principes eorum.* Dum poteſtatem habet rationi aduerſus, & ſolùm paſſionibus gubernatus, nihil eſt ab iniuria immune, nihil tyrannidi reſeruatum, violentiæ nihil indebitum : quidquid pudoris, abigitur; quidquid religionis, temeratur; quidquid æquitatis, corrumpitur: ac denique, vt ingruente procella maius periculum ſubeunt naues diuerſis ventorum flatibus impetitæ, quàm quæ in portu ab aduerſariis reſident captæ : ita qui hoſti inſeruit, ſæpè degit ſecurior; qui à iuuene regitur, periculoſior : iuuenem namque præcipitat paſſionis impetus vſque ad delitium; maturum aduerſarium rationis gubernat frænum: vnde ſatius eſt inſeruire rationi, quàm obedire temeritati.

160. Cùm Dauid eligitur, miracula, quibus electio confirmetur, patrantur : Samuel de Iſai filiis Regem inauguraturus delegatur, & cum propheta de rege eligendo oraculum loquitur : *Prouidi in filiis eius mihi Regem.* Regem (1.Reg.16. v.1.) tetigit, nec clarè dixit : paruit propheta, & cum filiorum Ieſſe chorus circumſtaret, ac poſt ſacrificium ad vnctionem alacriter compararetur, ignota erat de vnctione ratio, & cùm iam conſumpta penè eſſet filiorum copia, rogat Propheta, an filius alius ſuperſit : *Numquid iam completi ſunt filij?* Grandæuus pater reſpondit : *Adhuc reliquus eſt paruulus.* O patris ignauiam! cùm debuerit properare, & quantociùs de paſcuis filium afferre, moras trahit, & regno efflagitandum non credit. Adhæc oleum inuerſo cornu ſurſum detinetur, cùm ad reliquos fratres initiandos manus prophetica properaret; at cùm Dauid adeſt, properè fluxit, & in Regem non ſine adſtantium ſtupore delegit. Ecquis hoc ait? Seleucienſis Baſilius oratione decimaquarta : Seleucienſ. *Cornu inuergens reiectaneum, vt vngeret, cogebat; ſed oleum fluere recuſabat, ne cum errante propheta faceret, & fluxa natura ſurſum retinebatur gratiæ legibus obſecuta.* Itaque dum Dauid eligitur, miraculum refertur, & parens refragatur. Et cur hæc? Quia puer adhuc Dauid : & quidem neceſſum erat, vt miraculum omnem ſuſpicionem adimeret, & à Deo ad Reipublicæ ſalutem prouiſum aſſeueraret. Samuel Iſai affirmabat de filiis eius Regem à Domino inaugurandum; at prudentiſſimus ſenex, dum electionem oculis metitur humanis, Dauidem paruulum non vocauit: quia ad Reipublicæ commodum eligi poſſe non credidit: *Non ſimpliciter*, aiebat citatus Baſilius, *prouidi; ſed mihi in Regem. Arcanum aliquod myſterium continet* : dum puerulus thronum inſcendit ad Reipublicæ vtilitatem, opus eſt coruſcare miracula, quibus depellatur ſuſpicio humana, & prouidentia agnoſcatur diuina : non credebat pater paruulum Reipublicæ allaturum ſalutem, & quidem, ni à Deo prouiſus, afferret citiùs calamitatem, quàm maturarit ſalutem. Diſcant hinc, qui electorum funguntur munere eos ſuperiores, aut Reipublicæ gubernatores eligere, quibus tempus ſuffragium ferat, & quorum iam matura, & ſenilis ætas rationi famulaturos promittat. Certè iuuenis immaturus quouſque eruditur, quouſque rationi obſequitur, quouſque legibus ſuffragatur, non modicum inſumit tempus, quo & animos ſuſpenſos tenet, & de reginimis modo ſolicitos habet. Vnde Diuus Auguſtinus ſermone decimoquarto, ad fratres in eremo : *Tunc Regnum Romanorum pacifice tamdiu perſeuerauit, quamdiu ſapientes regere permiſerunt; ſed dum iuuenes, & inexpertos regere permiſerunt, tamquam iuſtitiam ignorantes, acceptores perſonarum facti ſunt, & ſic iuſtitiam perdentes dominium orbis terrarum perdiderunt.* Iuuentus aptior gubernari, quàm regere : cana prudentia aptior regere, opportuniorque gubernare.

---

§. XXXVII.

Creſcit peccandi reatus, quando nullus peccandi fructus.

Piſces & feræ oblectamentis capiuntur, & ſibi putarunt deluſi commoda, quæ ſenſere detrimenta. inſitam vitæ cupiditatem ſequuntur, dum quo vitæ conſulant, ſtudioſè ſectantur; verùm nec brutalitas ſine ſpecie commodi præcipitatur in ferrū, aut ſibi ſolicitat præcipitium: In hac parte ſtultiores brutis homines inueniuntur, quando nullo allecti cōmodo à ratione degenerant extremæ prauitatis ſtudio: *Nudū*, aiebat Senec. ep. 14. *latro tranſmittit, etiā in obſeſſa via pauperi pax eſt*: vbi ſpes nō irritat, nec facinoro- Senec. 161.

 ſos,

ſus,& ſceleſtus malitiæ inſeruit,nec ſe execrando ſceleri ſubdit. Certè qui aliqua vtilitate pellectus, aut commodis incitatus delinquit, non tam probatur improbus, quàm ſtultè vitæ ambitioſus. Fatearis neceſſum eſt inſitam eſſe nobis corporis charitatem, & vitæ ſuſpirare ſemper tutelam. Hinc vt corpori, & ſaluti ſeruiamus,multis & quidem indecorè inſeruimus: alter rapinis ſtudet,vt vitam alat, alter, vt copioſum lucretur aurum, non ſolùm non horret;ſed extremum diſcupit perpetrare flagitium. Aliquali venia digni ſunt, quæ commoditas, aut vtilitas etſi bracteata defendit: tunc namque potiùs cenſetur homo improbæ naturæ cedere: quàm iniquitati inſeruire. *Dicitur*, aiebat Caſſiodorus lib.3. variar.31. *commodi cura priuati aquam formarum, quam ſumme deceret ſtudio communi, ad aqua molas exercendas, vel hortos irrigandos fuiſſe deriuatam: & quia non poſſumus admiſſi qualitatem intra iura corrigere, ſi huius nefandiſſima rei Dominus Tricenny præſumptione munitur, accepto pretio competenti ſuum vendat errorem: vt quod læſionem publicis præſtat fabricis, non præſumatur vlteriùs: ne quod nunc ſub largitate corrigimus, poſteà ſeueriſſimè vindicemus.* Aqua commoditatis ſtudio deriuata fuit deriuãtis culpa;ſed ſub largitate debuit corrigi, quod aliquomodo probabatur vtilitate defendi:digna ſapiente ſententia fuit cogere ad grandi pretio compenſandum errorem, ne exinceps iteraretur peccatum, dum in eo iam non apparebat lucrum;ſed agnoſcebatur diſpendium. Inſtigat ſeueritatem, quæ punienda exercet nullo commoditatis, vtilitatiſve velo contecta malitia: quia tunc limites prorupit audacia. Filij Iſraël à veritate rectoque itinere deuiantes Baalim inſeruiunt,& Deum ad ardentiſſimam iram inflammarunt.*Fecerunt filij Iſraël malum in conſpectu Domini, & ſeruierunt Baalim, ac dimiſerunt Dominum Deum patrum ſuorum, qui eduxerat eos de terra Ægypti, &c. & ad iracundiam concitauerunt Dominum.*Alibi,dum vitulum colerent,aiebat:*Dimitte me,vt iraſcatur furor meus*; hîc concitatus refertur furor: *Ad iracundiam concitauerunt eum.* Et quæ diſcriminis ratio eſt? Quia licèt vtrobiquè cęciſſimè errauerint,neſcio quod in conflando vitulo vtilitatis apparebat ſtudium, & gratitudine coloratum mendacium: aiebant nãque:*Fac nobis deos, qui nos præcedant.* Et iterum:*Hi ſunt dij tui Iſraël,qui te eduxerunt de terra Ægypti*; at in Baalim adorando nulla erat vtilitatis ſpes,aut ſpecies vtilitatis: dum ergo nullis ſpebus allecti,nullis delinquunt commodis incitati, ſolaque probantur nequitia impulſi, acrioribus inueniuntur ſupplicijs digni. *Vocantur alieni*,ſcribit Abul.q.12. *dij non pertinentes ad Hebræos,ſcilicet quos non coluerunt patres eorum;ſed alienæ nationes, & ſunt alieni, id eſt, incogniti: quia Iudæi non poterant cognoſcere iſtos vt deos:dupliciter enim hoc cognoſcitur,ſcilicet per oſtenſionem magnæ potentiæ in operatione miraculorum,vel per collationem ſpecialium beneficiorum.* Subiungit opportunè ad mores: *Neutrum autem erat,quantum ad Iudæos:quia ipſi non nouerant deos Chananæorum per oſtenſionem virtutis,cùm illi nulla vnquam miracula egiſſent:nec etiam ſecundo modo: quia nunquam benefecerant Iſraëlitis* Iure ad iracundiam concitatus refertur Dominus,cùm ſceleſtior hic Hebræorum apparuerit affectus, quandoquidem nec falſis beneficiis allecti, nec ſpebus, quantumuis euanidis deliquerant incitati: nulla acceperant dona, nulla ſperare poterant beneficia, & impendebant obſequia;quo inſaniora apparerent adorationis deliria.

Caſſiod.

Exod.32. v.10

Abulenſ.

162. Variæ inſidiæ, quas in Dauidem Saul odio aduſtus excogitauit, theſi noſtræ confirmandæ deſeruiunt. Cùm aliquando lyram retractaret, & voce malum vice medicaminis medicaretur, haſtam contorſit impuriſſimo ſpiritu inhabitatus, & gehennali furiæ prorſus addictus: *Per diem alteram inuaſit Spiritus Dei malus Saul,& prophetabat in medio domus ſuæ; Dauid autem pſallebat manu ſua, ſicut per ſingulos dies,tenebatque Saul lanceam, & miſit eam putans quòd configere poſſet Dauid cum pariete.* Alibi lanceam etiam contorquet; nec tamen ſpiritu agitatus refertur: *Arripuit Saul lanceam,vt percuteret eum*, Ionathan ſcilicet Dauidis cauſam modeſtè ſatis tuentem. Inquiramus, cur addictior dæmoni altera præ altera actione referatur? Cur haſtam non contorquet in Dauid menti reſtitutus, aut cur in Ionatham non iaciat furiis gehennalibus agitatus? Fortè quia alibi aliqua vtilitatis ſpecie mouebatur, alibi nullo commodo illectus; imò damnis plurimis retardatus: *Omnibus diebus*, aiebat Ionatham alloquens, *quibus filius Iſai vixerit ſuper terram, non ſtabilieris tu, neque regnum tuum*: hîc regni cupidine in hæredem ſibi non annuentem ita exagitatur;alibi in paſtorem medicum commouetur: ibi ergo peſtilentior arſit malitia, vbi nulla lucri,aut commodi apparuit cauſa: non poterat non totus à dæmone poſſideri, quem in medicum conſtabat armari: furebat, non tamen obſeſſi ad inſtar, in Ionatham haſtam contorquens: quia non eſt ab homine alienum ambitione cæciſſima aduri; eſt tamen dæmonis proprium omni præciſo vtilitatis affectu armari: *Per inuidiam*, aiebat Baſilius Seleucienſis orat.15. *dæmonem vocat, nec ſine irarum ſignificatione haſtam iacit in Dauidem.* Dum ſola inuidia in medicum,quem præſentem nouerat, haſtam eiaculatur, & medicinæ pretium cædem offert, dæmoni probatur addictus,& à mente prorſus alienus;at dum ſtabiliendi in familia regnum, dum ad poſteros tranſmittendi dominium cæca cupiditate inardeſcit, etſi prodatur peruerſus, dæmoni non refertur addictus: eſt namque gehennalis ſolùm ſpiritus ſine ſpecie vtilitatis; imò clariſſimo detrimento furere, cùm ab adulterata hominis natura alienum non ſit ſpebus inflammatum deerrare.

1.Reg.18. v.10.

1.Reg.20. v.33.

163. Cùm Adamus in paradiſæis topiariis deliciaretur animalium præſes,& creaturarum dominus, dæmon, vt eam ſibi dominationem præriperet, ſerpentis facie perſonatus frauduléter meditata aggreditur,curatorem imitans vanis adulationibus Euam extollit,vaniſſimis promiſſionibus allicit:ac denique ignauiã reprehendens acriùs ad malitiam inflãmat: demit mortis terrorem,quo legis munimenta ſubruat,pœnam adulterat,quo ad violandam legem propellat:Quid mulier aiebat recuſas plantam,cuius ope Deus eris?Deniq; his mulier ſubuerſa vetitum præguſtat cibum,& miſerandũ poſteris relinquit legatum; cúmque Deus cauſæ diſcuſſor aduentarit, duram in ſerpentem ſententiam tulit: *Quia feciſti hoc,maledictus es inter omnia animantia, & beſtias terræ.* Gen.3 v.14

Quærunt

Digitized by Google

Quærunt Patres, cur ſerpens graui adeò ſupplicio mulctetur, cum à dæmone motus dicatur? In dæmonem ſententiam fulminet, vtpotè qui ſerpentem efferatus induit, quique hominem ab apice dignitatis eiecit. Sanè dæmon ſententiam accipit, etſi litteris non expreſſam, ad noſtram tamen eruditionem ſerpens maledictum incurrit, vt quem nulla vtilitatis ſpes allexit; ſed ſola libidine peccandi deliquit: ambiuit dæmon homini conceſſum ſibi dominium, vidit creaturam omnem ſub eius manu poſitam, & impatienter tulit, ſibi non fuiſſe commiſſam: ergo hæc cupiditas, etſi cæca tantiſper dæmonis colorauit malitiam; at cùm ſerpentem nulla vtilitas prouocatit, eius extrema declarata eſt malitia, & extrema iacuit ſub
Tertullian. maledicto dementia. Adeſt Tertullianus lib. de ſpectac. cap. 2. *Neque mirari, neque dubitare oportet vniuerſam ſubſtantiam eius pariter cum ipſo* (homine) *in peruerſitatem demutatam aduerſus inſtitutorem.* Cape ſtudioſiùs: *Vt quam doluerat homini conceſſam, non ſibi, in ea ipſa & hominem reum Deo faceret, & ſuam dominationem collocaret.* Dæmon inſidias aggreſſus eſt, dominationem ſuam in rebus creatis collocare deſiderans, at ſerpens inſeruiuit dæmoni ſibi nil amans: huius ergo grauior cenſetur culpa: quia nulla lucri aut commoditatis fuit cauſa. Profectò ſerpens totus dæmone proditur occupatus, cùm deliquit, vt delinqueret, cùm dæmon deliquerit, vt haberet: *Vt quam doluerat homini conceſſam, non ſibi, in ea ipſa & hominem Deo reum faceret, & ſuam dominationem collocaret.* Quæuis culpa, ſiue cupiditatis ſit fructus, ſiue puræ iniquitatis ſit partus, grauiſſimæ pœnæ cenſetur obnoxia: nec enim dignum venia eſt cupiditate ad peccatum moueri, aut commodis inflammari; ea tamen extrema probatur peruerſitas ſolo amore peccandi delinquere, vt videatur cupidus tantiſper minus peccare.

164. Cùm dæmon à Deo acciperet poteſtatem in Iobi bona, contentus non eſt Chaldæos ciere, hoſtes truculentos armare; ſed domum, qua filij, filiæque germana charitate celebrauere conuiuia, miſera deiecit tragedia flammas de cælo adduxit, quibus tactæ oues prorſus decineteſcerent, Sabæos prouocauit, qui violenter omnia diriperent; verùm plagarum aliæ improbo adſcribuntur homini, aliæ non homini;
Iob 1. v. 15. ſed impurato ſpiritui: *Irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia.* Hanc calamitatem noua excepit calamitas: *Ignis Dei cecidit è cælo, & tactas oues, puerosque conſumpſit.* Et cur ignis tempeſtas dæmonis cognoſcitur artificium, cùm in direptione hominum agnoſcatur ingenium? Quia alibi Sabæi, etſi violarint iuſtitiam, augere improbis artibus nitebantur ſubſtantiam; at ignis elementatis ſic omnia conſumpſit, vt in cineres conuerteret: hæc ergo plaga, quæ ſola de nocendi ſtudio promanare cognoſcitur, dæmonibus iuſtè adſcribitur; at vbi aliquale emolumentum adlexit, hominibus applicatur; quaſi ſpebus allici ad æquitatis iniuriam fuerit humanum; at ſola nocendi rabie diabolicum. Huc voco Origenem lib. 1. in Iob: *Ignis, inquit, cecidit è cælo. Non mentiris, ô diabole, quòd ignis cecidit è cælo, ſed non quem Deus mitteret; ſed quem tu finxiſti.* Addit poſt pauca. *Tu, inquit, es, ò diabole ignis ipſe, qui de cælo cecidit.* Sabæus deprædatur vt habeat; Chaldæus infert innocenti vim, vt poſſideat; at ſolus dæmon vrit, vt vrat; vrit, vt conſumat, non vrit, vt habeat: eſt enim prorſus diabolicum peccare non cupidine habendi, ſed de voluptate peccandi.

---

§. XXXVIII.

Oppoſitum parentis exemplum filij condemnat delictum.

PRodigioſum eſt infirma radice floridum germen prodire, & ſana marcidum pullulare: à radice fugit, quidquid ramus in viridantia folia, in amœnos floſculos, & in ſaporatos digerit fructus: *Arbor*, aiebat Caſſiodorus 9. var. 2. *quam florere vides, quam ſumma conſpicis viriditate lætari, ſubterraneo ſucco fœcunditatis animatur reddens in ſuperficie, quod continet in radice. Hominum quoque vultus magna hilaritate decoratur, ſi viſceribus ſanis grauamen nullius ſentiat læſionis.* Neſciunt vel trunci diſcrepare à radice, nec diſſidere vultus à corde; at hanc naturæ normam fruſtratur malitia, dum peruerſitatis ingenio homo degenerat à natura. Ferarum catuli ſequuntur parentes, cæſpiti ſuo reſpondent virgulta, vitis propago originis ſeruat ſaporem, & diſcrepat homo à parentum ingenio; vt degeneratit delicto. Hebræi vel inter Ægyptios labores Deum verum coluerunt, cuius etiam ſuppetias ſibi clamoribus conciliarunt: teſtatur Dominus cum Moyſe diſſerens: *Clamorem eorum audiui*; verùm iam iugo diſcuſſo, iam regno florentiſſimo obtento in eam deuenerunt amentiam, vt ſtudioſiſſimè refragarentur pietati, & contradicerent religioni: iam non ſolùm indulgent appetitui; ſed ſtudent falſitati: *Seruierunt Baalim, ac dimiſerunt Deum patrum ſuorum*: vt cumulatius exaggeratet delictum contrarium retulit parentum exemplum: aliqualis criminis excuſatio eſt ab origine fugere quod poſteà conſtat prauis actionibus pullulare; at ſumma malignitatis exaggeratio eſt degenerare ignobiliter, genus refutare factis indignis, ac actionibus origini oppoſitis. Huc voco quod aiebat Caſſiodorus 9. var. 22. *Magnus verecundiæ ſtimulus eſt laus parentum, dum illis non patimur eſſe impares, quos gaudemus auctores*: bonorum hæres ſine ceſſatione compellitur, quia virtutibus maiorum ſtimulatur: vnde extremum malitiæ genus eſt auita à religione diſcedere, quando ipſa origo compellit perſeuerare.

Expendebat Tertullianus in apologetico cap. 9. Iouem humano ſanguine oblectari, vt ſe Saturni oſtenderet filium: *Ecce in illa religioſiſſima vrbe Æneadarum piorum eſt Iupiter quidam, quem ludis ſuis humano proluunt ſanguine. O Iouem Chriſtianum, & ſolùm patris filium de crudelitate!* Ne Iupiter à patre, Saturno ſcilicet, cui infantes litabantur, degeneraret, ſanguinem humanum ſitiebat, quaſi puderet aliud oſtendere factis, quàm paternis admonebantur exemplis.

Dauid opportunam occaſionem nactus Nabal per ſocios ſupplex deprecatur, vt egenti ſubueniret; ille verò vti agreſtis & inciuilis

Marginal notes (right column): 165. Caſſiod. *Vultus non diſſidet facilè à corde.* — Exod. 3. v. 7. — Caſſiod. *Magnus virtutis ſtimulus laus parentum.* — 166. Tertullian. — 167.

durè reſpondit: *Quis eſt David, & quis eſt filius Iſai?* David alias mitiſſimus inciuili adeò
1.Reg 25. v.10. reſponſo ſic offenſus eſt, vt milites ſuos iuſſerit ad vltionem armari, & de ingrato ruſtico vltionem expetere: *Accingatur vnuſquiſque gladio ſuo.* Et cur David alias patientiſſimus, in Nabal inſurgat exaſperatus? Forſitan quia dum à genere diſcrepare cognouit, ſumma audere malignitate putauit: nec hanc criminis circumſtantiam ſilentio textus inuoluit; imò diſertiſſimis verbis expreſſit: *Durus*, inquit, *& peſſimus, & malitioſus; erat autem de genere Caleb.* Dum genus refertur, & peſſimus comprobatur, quandoquidem Caleb contrariis illum accendebat exemplis, & virtutum ac honeſtatis ſtudiis: Caleb ciuilis, vrbanus, & fideliſſimus olim reſplenduit: adéoque Nabal genus actionibus refutauit, vt pro vrbano fuerit durus, pro virtutis ſtudioſo peſſimus, pro candido malitioſus: ergo dum à parentum exemplis adeò diſcrepans dehoneſtat Dauidem, extremam prodit malitiam, ideoque duram meretur ſenten-
Lyra. tiam: *Erat de genere Caleb. Hoc non additur*, inquit Lyra, *ad deſignandum quod Caleb fuerit talis: quia fuit virtuoſus, & bonus, vt patet Numer. 14. & Ioſue 14. ſed ad oſtendendum quòd Nabal erat de tribu Iuda, ſicut & Dauid, & ideò grauius peccauit ipſum vituperando.* Dum contraria in parte inueniuntur, grauiùs Nabalis delicta mulctantur: neque enim quibat eſſe non peſſimus, qui parentum moribus adeò inueniebatur contrarius.

168. Diues ille de purpura tranſlatus ad flammam ſic gehennali fumo cæcatus erat, vt dum nititur pietatem pulſare, reatum agnoſcatur augere: quos ſemper depreſſit in terram, modo oculos leuauit ad ſydera, & viſus Lazarus incrementauit tormentum, quia aliquando pietati debuit eſſe motiuum. Abrahami charitatem doloſus pulſat, & quo plus ad miſericordiam cogat, titulum cognationis allegat: *Pa-
Luc.16. v.24. ter Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Titulus quo affectum ſatagit commouere, mulctam compellebat incrementare quando de parentis exemplo eius cumulabatur malitia, & plus agnoſcebatur inſania. Aptè Chryſolo-
Chryſ. gus ſerm. 122. *Infelix, quem ſic ipſa origo arguit, quem ſic ipſe lucis auctor addicit.* Abraham totus pietati natus, & miſericordiæ totus adſcriptus parum ſe beatum credidit, niſi pauperem Lazarum refoueret: ergo dum patrem pauperi aſpicit ſubuenire, & gemitibus inhiat dicare, gehennæ comprobatur vernula, & piæ flammis æſtuare malitia: ſe filium ad affectum pulſandum allegat; ſed eo ipſo titulo oculos iudicis plus inflammat. Redeat iterum Chryſologus ſerm. 123. *Vocat filium, vt magis magiſque filij prodatur impietas, quando cum tali etiam paterni ſermonis pietas perſeuerat... Tunc vtique reſpondiſſet generi, ſi pius, ſi hoſpitalis, ſi miſericors, in pauperem ſi fuiſſet humanus.* Abraham intimis in viſceribus pauperem refouebat; peregrinis pia exhibebat obſequia, miniſtrabat obſonia; at diues vel micas pauperi denegabat, & crimen de moribus oppoſitis adaugebat, quandoquidem Abrahami exemplum filij exaggerabat delictum.

169. Cùm homines multiplicari cœpiſſent, & hominum malitia creuit: iam fœminæ exquiſitis artibus venuſtatem augebant, iam pompatico cultu libidinem reſpirabant, cùm filij Dei originis obliti ſucatam virtutis viam deſeruerunt, & ſe libidinibus macularunt: *Videntes filij Dei filias hominum, quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus, quas elegerant.* Geneſ.6.v.2. His factis in eam Deus iracundiam ſuccenſus eſt, vt genus hominum delere, & æſtuantem hominum libidinem vorticibus ſtatuat extinguere: *Non permanebit ſpiritus meus in homine.* Profectò flagitium non ex grauioribus videbatur, & tamen grandi ſupplicio punitur. Et quæ huius adeò ſeueræ vindictæ ratio? Explicuit textus: *Videntes*, inquit, *filij Dei.* Sethi poſteri patrem ſortiti ſunt, qui cæleſtem vitam moribus terris exprimeret, & Abeli innocentiſſimi virtutem factis exuſcitaret. Ergo creſcit filiorum delictum, cùm parentis vita oppoſitum adeò illos docuerit exemplum: grandis erat malitiæ ardor, quando nec nominis auctoritate (vocabantur namque filij Dei) frænatus, nec exemplis patrum extinctus: adulterini ſanè moribus comprobabantur, qui ſic à cæſpite actionibus diſcrepabant, vt ſolum id, quod maiores auidiſſimo ſtudio amplexi, nati fuerint ani- Seleucienſ.
mitus auerſari. Prodeſt Baſilius Seleucienſis orat. 6. *Sethi poſteri partem adepti meliorem, & appellatione honorati, & paterna benedictionis heredes filias ex Caini poſteritate formoſas conſpicati, ſplendidas, & ornatu florentes, ſeruamque libidini rationem tradentes diuina calcant edicta, & execrabilium egreſſu fœdantur: fluxam & caducam voluptatem æternarum rerum votis anferentes adulterant indolem ſuetam virtutis ire viam, ac iniquitatis natura mancipatur.* Dum à Setho originem ducentes Setho perpetrauere contraria, ſumma ſe intinctos ſunt conteſtati malitia: quid enim ad reprimendos animos efficacius, quàm via maioribus ſueta, & norma à prædeceſſoribus aſſeruata? O infauſtum, ſi dici poteſt, virtutis fatum, quando poſteri ferè ſemper probantur prauis maiorum moribus tenaciſſimè adhærentes, & ſolùm ab inſtitutis laudabilibus diſcrepantes. Sethus virtutis iter monſtrauit, Cainus viam iniquitatis aperuit, & cùm à Caino deſcendentes obliquos mores, adulterinoſque ſtudioſè ſeruarint, Dei filij mores optimos veluti hæreditate transfuſos aggreſſi ſunt defœdare, & ſtudiis adulteratis corrumpere: auctores extiterunt improbitatis, cùm optimis informarentur exemplis. Adde hoc piaculum adeò graue eſſe, vt patientia diuina, etſi alia diſſimulet, ſeueriſſimè puniat.

Rediit prodigus ille ventre arido, ore ſicco, 170.
& toto corpore nudo: pater, vt erat pientiſſimus famelicum ſatiat, nudum veſtit, ſitientem recreat, & quæ erga obſequentiſſimum filium potuiſſet præſtare generoſa liberalitas, præſtitit erga degenerem pietas: erat filius ſenior in agro, cùm hæc in paterna domo celebrarentur, & fortè pater ingenij non ignarus non vocarat ad menſam, ne inardeſceret ad inuidiam; verùm ſonorus harmoniæ concentus ruſticum & Luc.15.v.28.
inciuilem admonuit, non aures recreans dulcedine cantus; ſed referiens, vtpote quas inuidentiæ deprauarat affectus: *Indignans nolebat introire.* Et cur foris remaneat filius, cùm intra epuletur ſeruus? Si vocantur cæci & claudi ad nuptia

nuptiarum pompam, cur filius non admittatur ad menſam? Forſan quia filius videbat patrem charitate diffluentem, videbat miſero opitulantem, videbat ad alienam inopiam ſubleuandam diuitias laudabili prodigalitate profundentem, & cùm tot patris ad fraternam charitatem adurgeretur exemplis, virulentiſſimæ inuidiæ ad maleuolentiam adigebatur ſtimulis. Ergo etſi multos annos à patris domo non fuerit ſecluſus, modo remanſit foras abiectus, quandoquidem ad culmen videbatur eius perueniſſe malitia, quæ paternis actionibus probabatur oppoſita. Adeſt Chryſologus ſerm. 4. *Inuidum fugat ſymphonia pietatis, chorus charitatis excludit, & quem venire ad fratrem, & appropinquare domui vocat ratio naturæ, hunc peruenire zelus non ſinit, liuor non patitur introire.* Expende illud *ratio naturæ*: quaſi dicat Chryſologus: Cùm ipſa natura transfuſam pietatem de paternis accepit exemplis; ſed corrupit; ſed adulterauit; ſed refutauit oppoſitis inſtitutis. Ergo ad menſam non ſedet: ſed abiectus foris manet.

Chryſol.

171. Beatus Iob cum Deo diſſerens aiebat: *Inſtauras teſtes tuos contra me, & multiplicas iram tuam, & pœnæ militant in me.* Et cur iram ſuam multiplicare dicitur Deus, cur acriores militant pœnæ, cùm producit teſtes? Egetne conteſtatione eius ſcientia, aut alienis teſtimoniis notitia? Teſtes producit, hoc eſt patrum teſtimonia demonſtrat, quatenus dum tot egregiis exemplis informari ſe agnoſcit conſcientia, formidine doleat conſtricta: nec enim non multiplicari ira poteſt, cùm agnoſcitur homo optimis parentum actionibus informatus, & actionibus contrariis auerſus. Adeſt Gregorius lib. 9. moral. cap. 35. *Beatus Iob, quia vitam patrum præcedentium conſpicit, quid in ſe gemere debeat ſubtilius agnoſcit; ſed magni doloris magiſterio, dum ſua plangit, ad lamenta nos inſtruit, vt quò virtutes in aliis cernimus, eo apud diſtrictum iudicem noſtra ſolicitè delicta timeamus.* O quàm contra nos teſtes inſtaurans iram multiplicat, dum bonorum vitam noſtris oculis obiicit, & ab eorum exemplis exorbitantes oſtendit! Excuſationis colorem habet, qui patrum preſſa iam ſectatur veſtigia; ſed nullam vel excuſationis ſortitur vmbram, qui honeſta à maioribus culta imitari reſpuit exempla.

Iob. 10. v. 17.

Gregor.

§. XXXIX.

Deus non inuitatus benefacit, à nobis compulſus punit.

172. VT benigni Principis eſt, generoſè à ſe, & ex ſe ipſo copioſa beneficia impertire, ſic ſubiectos niſi criminibus exigentibus non mulctare: Principis liberalitas cum Sole debet contendere, vtque Sol, dum lucem ſpargit, viuit, ſic Princeps, dum beneficia largitur, lucet: vnus idemque adeò pro qualitate rerum ſibi eſſe debet ſimilis, vt de profuſo liberalitatis ingenio exceſſus quodammodo ſit frænandus, & ob pietatem affectus ad pœnam ſit compellendus. Punire neceſſum eſt; velit tamen Princeps ſemel & iterum ſine legum iniuria, & ſine damnabili ignauia adurgeri, &, ſi fas eſt dicere, cogi: nobilitat in ſupplicio tarditas punientis ſtudium: quia paternum prodit affectum: *Vltra deſideria ſupplicum*, aiebat Caſſiodor. 5 var. 40. *frequenter nos præſtitiſſe beneficia gaudemus, quod eſt difficillimum, humanæ ambitionis interdum vota ſuperamus.* Optimus Princeps vincit deſideria donis, & delicta necdum plenis punit ſuppliciis. A ſe ſtimulatus ſpargit, impulſus ab exceſſibus punit. Intus eſt, qui ad dandum vigeat liberalitatis affectus, ab extrinſeco ſemper, & violenter iubetur cruciatus. Ecce Hebræorum populus magnis à Deo reſplenduit nobilitatus muneribus; ipſe vero ſe deuouit calamitatibus. *Ad iracundiam concitauerunt Dominum.* Et iterum: *Quocumque pergere voluiſſent, manus Domini ſuper eos erat, ſicut locutus eſt, & iurauit eis.* A nullo inuitatus benefecit; irritatus, & concitatus puniuit; imò iuſiurandum addidit, veritus ne vel exigentibus cauſis differret ſupplicia, qui ſine iuramento larga ſolet conferre dona: *Ad iracundiam concitauerunt Dominum*, ſcribit Abulenſis q. 12. *id eſt, prouocauerunt eum ad inferendas pœnas.* O quàm non intuliſſet, ni prouocatus! at ipſi vi quodammodo adegerunt, & nolentem irritarunt: ideò grauiſſima illos diuexauere ſupplicia, vtpotè ab eo, qui deſiderabat eſſe proficuus, & reddebatur infenſus: nam, vt diſertè Caſſiodorus 11. var. 7. *Cauete, ne reddatur infeſtus, qui vobis cupit eſſe beneficus: nam grauius ſemper iraſcitur, qui contra propoſitum commouetur.*

Caſſiodor. *Optimus Princeps ambitionis ſuperat vota, & euincit deſideria.*

Abulenſ.

Caſſiodor. *Qui contra propoſitum commouetur, grauius ſed ſemper iraſcitur.*

Expendebam eodem tempore Dauid pro Hebræis & contra Goliam certare; diuerſiſſimis tamen circunſtantiis: nam cùm bellica illa hominis forma, aut cùm ille homo ſpecie bellua montis inſtar ſtaret, & inſolentiſſima audacia ad duellum Hebræorum optimum quemque minis laceſſeret, & deſpectu ſuperbiſſimo proritaret, nulluſque inueniretur, qui hominis aſpectum poſſet ſuſtinere, aut in campum vellet prodire: tunc Dauid populi ſtimulatus zelo, & coërcendi audaciam ſtudio in campum proſilit pro Hebræis contra Philiſthæum: & quidem hunc prouocatus ferit, illos defendit non inuitatus: ipſe ſe ingerit, vt populo benefaciat; nec vnicum niſi laceſſitus priuauit vita: *Non concidat cor cuiuſquam in eo: ergo ſeruus tuus vadam & pugnabo aduerſus Philiſthæum.* Nec ſolùm pro populo ſe opponit non inuitatus; ſed inſtat importunè repulſus: *Non vales reſiſtere Philiſthæo iſti*, aiebat Saul, *nec pugnare aduerſus eum; quia puer es*: nec à rege deſpici, nec parui æſtimari liberandi populum imminuit ſtudium, aut benefaciendi frænauit animum. Iam in arenam proſiliens iterum prouocatur ab aduerſario. *Dixit ad Dauid: veni ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cæli, & beſtiis terræ.* Plena ſunt omnia myſteriis. Ecce nec à Saule repudiatus à beneficiis deſiſtit, nec gigantem niſi ſemel & iterum prouocatus ferit. Nec mirum cùm Dei portarit imaginem, qui nec ab hominibus impeditus beneficentiæ ſuæ pluuiam arcet, nec niſi prouocatus & irritatus ad infligenda ſupplicia venit: *Saul*, ſcribit Seleucienſis Baſilius orat. 15. *interim in tumultu erat, Iſraël in expectatione ſeruitij, terror ipſe vires refrænabat, hoſtilis aſpectus Iſraëlitas vel armatos de ſtatione deturbabat: minæ intempeſtiuæ ani-* 173.

1. Reg. 17. v. 32.

Seleucienſ.

Digitized by Google

mot percellebant; amè viri mente quàm corpore conſternebantur. Vides quantis populus adurgeretur periculis, vide modo quantis Dauid beneficiis affecerit. *Cum nullus,* proſequitur Baſilius, *è toto exercitu probaretur ſatis, eſſetque in periculo Saul, tunc militem ſuum producit in medium gratia, verè Regem factis declarans, dum pugnæ prouocationem ad ſe Dauid rapit, & oratione conſauciatum Saulis animum præſanat.* Regem profectò, & Numinis ſimulacrum oſtendit gratia, dum non inuitatus pro Hebræis prælium ſuſcipit, & dum giganti prouocatus ſupplicium infert: eſt enim Dei propriiſſimum ex ſe ipſo inuolare ad beneficia, & renitentem trahi ad incutienda tormenta.

174. Dum Iacob fratris iram fugiens diuitem ad auunculum tenderet, ſomno corripitur, dormienti ſub diuo obiicitur Deus, magnificis adeò beneficiis illum afficiens, vt ſpes humana maneret victa, & fides ad ſpeciem defatigata: non capiebat eius cupiditas, quæ diuina contulit liberalitas:

Geneſ.28. v.12.

Vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum. Poſt aliquot annos lares repetebat; cùm traductis omnibus ſolus manſit, & certamen cum Deo iniuit:

Geneſ.32 v.25.

Ecce vir luctabatur cum eo vſque mane: vulnus luctando Iacob accepit: *Tetigit neruum femoris eius.* A quo hæc lucta cœperit, quærunt Patres: Iſidorus putat hîc Iacobum gerere poſterorum perſonam, illorum præcipuè qui vocibus contra Dominum inualuerunt, crucifigi petentes, & eius ſanguinem ſuſpirantes.

Chryſol.

Annuit Chryſologus ſerm. 131. *Iacob vianti conuiator occurrit, & ita ſe humano collegio ſocium præbet, vt prouocanti homini Deus totus in luctam inſeratur.* Vides Deum Iacobo occurriſſe, vt conuiatoris inſtar itineris moleſtias colloquiis placidiſſimis temperaret; at Iacob poſterorum perſonam referens inſtigauit ad luctam, & vel renitentem impulit ad certamen. Sed quæramus, cur niſi prouocatus, in arenam non deſcenderit; cùm non prouocatus dormienti adſtiterit, & anguſtias profugi temperarit? Sanè ob id ipſum: à ſe, & ex ſe vel dormienti ea promittit beneficia, quæ humanæ cupiditatis metas ſuperarent; aſt cùm dolorem eſt incuſſurus, cum inflicturus vulnus, nec à ſe, nec ex ſe accedit ſolicitus; ſed à Iacob prouocatus: *Prouocanti homini Deus totus in luctam inſeritur.* Quòd ſi in eodem caſu vtrumque inuenire deſideras, expende victorem victo benedixiſſe, & quaſi victus eſſet, pro manubiis benedictionem legaſſe: *Benedixit ei in eodem loco.* Audi Chryſologum: *Tunc videbatur neruis & lacertis vincere, quando victor cæleſtia dat dona, munera dat diuina.* Vincebat, cùm benedixit, vt conſtaret munera dediſſe diuina non vi compulſum; ſed ſpontaneum: *Tunc videbatur neruis, aut lacertis vincere, quando victor cæleſtia dat dona, munera dat diuina;* verùm femur tangit, dolorem incutit, ab homine prouocatus &, ſi dicere licet, compulſus: *Prouocanti homini Deus totus in luctam inſeritur.*

175. Degebat Adamus in paradiſo deliciis referto, & voluptatum locupletiſſimo; verùm cùm naturæ ſuæ non haberet conſortem, non adeò pleno lætitiæ ſenſu capiebatur. Quid tunc? Deus de fabricanda muliere conſilia agitat, Adamo ſopore correpto molitur ſponſam, & ad virum ducit:

Geneſ.2. v.22.

Ædificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam. Non ſolùm Adamo occurit cæleſtis nymphagogus; ſed Caino; ea tamen differentia, vt dum Caino apparet, quo à fratris cæde auertat, quo iratum emolliat, nullam aduentus ſui cauſam indicarit: *Dixit Dominus ad eum: Quare iratus es?* Cainus nec tam familiari alloquio delinitus à peſſimis ſtudiis deſtitit;

Geneſ.4. v.6.

ſed orco viam aperuit, & dexteram fraterno ſanguine cruentauit. Non deſpexit Dominus iuſti vitam; ſed aduentauit, vt Abeli ageret cauſam; ſanguinis tamen ſtimulatus clamoribus, & clamoſis adactus ſtimulis: *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris ſuper terram.* Si ſponſam de Adami latere producit ab Adamo non exoratus, ſi Caino apparet vltroneus, cur poſteà tantus eſt in affirmando ſe ſanguinis clamore excitatum, & quodammodo impulſum? Sanè vt conſequentia illa: *Nunc igitur maledictus eris,* agnoſceretur non promanaſſe ab ingenio; ſed à delicto: cùm ſponſam format benefacit largus, cùm prius Caino apparet, monet beneficus; at cùm ſecundò aduentat, punit; vtque ſupplicium non à ſe; ſed à crimine conſtaret infligi, continuis ſe ſanguinis clamoribus aſſeruit impelli: non rogatus, non oratione incitatus mulieri non exiſtenti dedit exiſtere: non vocatus; imò Caini excandeſcentia exacerbatus optimum præbiturus conſilium apparuit; pœnam tamen ob mortem non niſi prouocatus inflixit.

Chryſoſt.

Ecce, aiebat Chryſoſtomus apud Lippoman. *quouſque volat vox ſanguinis huius, & vſque ad cælum a terra aſcendit, & prætercurrens cælum, cæloque ſuperiores virtutes regio throno, aſſiſtit, & tum deplorat homicidium, ac nefarium hoc ſcelus denuntiat: Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Vt ad curiam mitti ſolet, qui tribunalibus adſtans, & clamoribus aures diuerberans pro aliquo ſcelere indagando iudicem impetret, nec quouſque obtinuerit, deſiſtat, ita ſanguis clamorem miſit, qui Deum veluti dormientem excitaret, & ad ſumendam de flagitio tanto vindictam compelleret: vocem inclamaſſe teſtatus eſt, vt conſtaret omnibus ex ſe Deum non irrogare tormenta, etſi à ſe, & ex ſe Adamo contulerit bona, & præſtiterit Caino conſilia. Profectò concitatus dicitur, cùm Hebræos in diripientium manus tradit, ne quis Hebræos ipſos infelicitatis ſuæ cauſas non extitiſſe putarit; ſed Deum ab ipſis compulſum, & prouocatum crediderit. O nos miſeros, qui diuinam iram prouocamus perpetrando flagitia, & iuſtitiam vrgemus ad decernenda tormenta.

---

§. XL.

Eximia perfectio eſt perduci ad impotentiam ſceleris, vt cumulata malitia, ad impotentiam honeſtæ actionis.

Plurimum profecit, qui cupiditates frænauit, qui inſanas appetitus eruptiones repreſſit, qui temperantiam, fortitudinem, & iuſtitiam excoluit; verùm adhuc grandis via reſtat: enitendum eſt virtutes in naturam conuer- 176.

tere,

Digitized by Google

tere, vt improbi vitia conuertunt in mores. Seneca *Idem erat ſemper*, (ſcribit Seneca epiſtol.120. de quodam perfecto.) *Et in omni actu par ſibi, iam non conſilio bonus; ſed more, eò perductus, vt non tantùm rectè facere poſſet; ſed niſi rectum, facere non poſſet.* Profectò, dum lucis vſura fruimur, benè, aut malè agere in noſtro arbitrio eſt; verùm qui perfectioni ſtudent, adeò ſe virtutibus inſeruerunt, vt diuelli non facilè poſſint: adeò iam in naturam, ſi fas eſt dicere, conuerterunt pudicitiam, vt vitiorum blandimentis nullatenus titillentur; imò horrore, ſi blandimenta occurrerint menti, concutiantur: nec minori ſtudio eò nititur iniquorum aſcendere prauitas, vt iam non tantùm iniquè facere poſſit; ſed niſi iniquè facere non Philo. poſſit. Optimè Philo lib. de ſacrif. Cain, in Cain agnouit *Malitiæ characteres*: non ſolùm quia mortis veluti alphabetum edocuit poſteros; ſed quia adeò illi adhæſit malitia, vt inſtar characteris nec ipſa morte potuerit auelli, aut calamitate diſpungi. Peſſimi venumdantur delicto, vernulæ inſeruiunt peccato, & iam non eunt; ſed quodammodò feruntur, quo appetitus ducit; nec audet ratio reſiſtere aut fugere: ita debilitata marcet, ita eneruis timet. Hebræi, dum ſacrilegis cultibus, & deteſtandis ſuffitibus circumſtantium populorum idolis inſeruiunt, captiuitatem ſibi ſacrilego cultu conciliant: *Secuti ſunt deos alienos, deoſque populorum, qui habitabant in circuitu eorum.* Improba adoratio ſceleſtiorem peperit ſeruitutem: *Iratus Dominus contra Iſraël tradidit eos in manus diripientium, qui ceperunt eos, & vendiderunt hoſtibus, qui habitabant per gyrum, nec potuerunt reſiſtere aduerſariis ſuis.* Venumdati iam ſerui, nec ſolùm ſerui; ſed eo timore debilitati, ea animi imbecillitate preſſi, vt nequiuerint aduerſariis reſiſtere, nec iugum Caietan. tentauerint frangere: *Sunt puniti*, ſcribit Caietanus, *Impotentia ſtandi coram inimicis ſuis.* Videbant ſe capi, ſe in ſeruitutem abduci, adeoque eorum vires deficiebant infirmæ, vt nec reſiſtere auderent, nec audere poſſent. Ecce quomodò ſeruiant, qui idola colunt, vt noueris qualiter debeas obſequi Numini: non ſtetit illorum malitia, donec virtus ſtare non poſſet: ergo tua militet virtus, quouſque nec appetitus audeat, nec irrationabilis motus reſiſtat.

177. Deuter.33. v.16. Moyſes dum Patriarcharum virtutes exprimeret, ad Ioſeph deueniens aiebat: *Benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat ſuper caput Ioſeph, & ſuper verticem Nazarai inter fratres ſuos.* Alludit ad celebratum illud rubi prodigium, quando in Arabiæ montibus oues agenti Moyſi Deus apparuit rubo inſidens ardentiſſimis flammis correpto, & inter ardores florido Et forſitan exæquauit Ioſephum inter Egyptiæ adulationes, & iuuentutis fraudes pudicitiâ vernantem rubo illi miraculosè florenti: vt enim ingens prodigium erat rubum alias debilem voracibus impetentibus flammis non conſumi; ita veluti portentum inuiſum ſæculis erat iuuenem adoleſcentiæ ardoribus, occaſionis opportunitatibus, Ægyptiæ libidinibus impetitum non maculari. Benè; ſed arcanum aliud ſcrutemur. Ita rubus inter igneos globulos illæſus manſit, vt floruerit, quaſi non fuerit ignis materia, ſed periculi exorti adornatus natura. Plulo. Adeſt Philo Hebræus lib.1. de vita Moſis: *Rubus erat frutex ſpinoſus, & inualidus: is nemine ignem admouente ſubito incenſus eſt, correptuſque totus à radice vſque cacumen flamma in morem fontis ſcatente, manebat integer & illæſus, quaſi non eſſet incendij materia, ſed ipſe ab igne aleretur* Nobiliter rubus degenerarat, & de Numinis conſortio, periculo etiam obnoxietatem exuerat: erat materia apta flammis ali, & impotens flammis aduri: hanc ergo laudabilem proprietatem Moyſes imprecatur Ioſepho ad gloriæ augmentum, & ad perfectionis cumulum: quaſi tunc ſolùm queat de virtute ſibi gratulari, cùm extra vitiorum lineam potuerit ſtabiliri. Enitendum eſt rubi benedictionem ſortiri, & extra pericula nobili audacia vagari. Qui eò perductus non eſt, vt niſi rectè, facere non poſſit, perfectionis apicem nondum inſcendit: & quidem indecorè à peruerſis vincimur, quandoquidem eo ſe collocant, vnde quamuis velint, ad virtutes nequeant deſcendere, à malitiaque proſilire.

178. Exod.14. v.14. Pharao populum inſequitur per marinos vortices curribus & equitibus ſtipatus: *Perſequentes Ægyptij ingreſſi poſt eos & omnis equitatus Pharaonis, currus eius & equites per medium maris.* Ignis contra ſe flammas concitarunt, quibus curruum rotæ aduſtæ, & axes ſunt diſſipati: *Subuertit rotas curruum, ferebanturque in profundum.* Quid tunc? *Dixerunt Ægyptij: Fugiamus Iſraëlem.* Ecce fugere volunt; ſed inſtrumentis ad fugam deſtituti non poſſunt: eò perducti ſunt cupiditatis amentia, furoris inſaniâ, cæca rationis væcordiâ, vt ſe fugere velle inſinuent; ſed nullatenus poſſint: currus rotis fulciebatur, vt perſequeretur innocentiam; ſed caruit rotis, vt fugeret mulctam. Itaque malitia adeò excreuit, eoque perducta eſt, vt retrocedere non valuerit prorſus reſipiſcentiæ inſtrumentis debilitata, & prorſus ferè impedita: & quidem hiſtoria erudirioni noſtræ inſeruiuit, & malitia virtutibus militauit: *Remotis rotis*, ſcribit Hugo de ſancto Victore apud Lippoman. Hugo. *Ab axibus curruum, conſequens fuit, vt loco motus progreſſiui mouerentur deorſum ſecundum grauitatem.* Ecce Pharao, vt à delirio abſtineat, inſtrumentis caret, cùm habuerit, vt innocentiam perſecutus vexarit: ſub hiſtoriæ cortice quid improbis ſæpè accidat, nobis oſtendit ſcriptura ſacra: omnibus ad exercendam prauitatem inſtrumentis & falcultatibus obarmantur; ſed vt à prauitate deſiſtant, viribus deſtituuntur: habuit Pharao, quibus iuſtos perſequeretur, rotas velociſſimas, non habuit, quibus fugeret vel tardas: eò amentiâ perductus eſt, vt non perſequi non poſſet: fugam ſe arripere velle ſimulat; ſed grauitate preſſus non tendit verſus ſalutis portum; ſed pelagi verſus profundum: rotis caret, vt iniquitatis euadat periculum. O vtinam adeò frequentia oculis non obiicerentur exempla; ſed proh dolor! eò plures peccandi conſuetudine deuenerunt, vt prorſus videantur deſtituti viribus ad virtutem, cùm integras ſortiantur ad prauitatem: verſus profundum tendunt, cùm ad ſpeciem diffugiunt: non poſſunt Hebræi coram hoſtibus ſtare; quia de praua conſuetudine, de virium debilitate ſolùm n·uerunt ſe ſubiecìſſe.

179. Matth.12. v.39. Ionas Chriſti Domini ſimilitudinem in piſcis viſceribus induit, aſſerente Domino: ſicut

Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, ſic erit filius hominis in corde terræ. Et cur Domini ſolùm implet imaginem, dum piſci inuiſceratus, & feræ incluſus? Hiſtoriam recole: delegabatur ciuitati culpæ ardoribus æſtuanti opportunam allaturus de terrore medelam; ſed ipſe honoris ſui nimiùm ſtudioſus arripuit fugam: nauim inſcendit Tharſum petiturus; ſed confuſis procellæ turbinibus non valuit proſequi præpeditus. Quid tunc? Ipſe ſpontaneum naufragium adit, & feræ viſcera expetit: ibi fertur non naufragus; ſed viator: littus, quò tendebat, inuenit, quin arripere fugam valuerit: ibi ergo Domini portauit imaginem, vbi non potuit ab obedientia reſilire, nec à recta nauigatione tantiſper flectere: cùm eo deuenit, vbi iam opus, quo mittebatur, peruenire, Domini perſonam geſſit, & perfectionem factis
Zeno. vti coloribus delineauit. *Ionas* ſcribit Zeno Veronenſis ſerm. de timore, *timens Dominum, ſpontaneum non timet adire naufragium: ceto inhiante miſerabiliùs ſepelitur, quàm præcipitatur; & tamen littus, quò tendebat, inuenit, antequàm videat, felix magis ſepulchro quàm naui.* Felicior perfectionis norma ceto, quàm nauigio reſplenduit, quandoquidem timens Deum eò peruenit, vbi non obire legationem non poſſet, quandoquidem non tam ibat, quàm ferebatur; & quidem ſi, vt dicebat Philoſophus, turpe eſt non ire; ſed ferri, dum ad vitia tenditur; hic honeſtum eſt ferri, non ire, dum honeſtas adſpiratur. O quàm honeſtum eſt eò te collocaſſe, vnde pedem referre nequeas ad vitia; ſed inuolare ad præcepta! Ionas in naui excuſſo iam ſomno culpam agnoſcit, & proximorum ſaluti incumbit; at quia ibi à virtute potuit reſilire, perfectionis typus non extitit, nec Chriſti imaginem virtutibus pro coloribus adumbrauit; at vbi honeſto timore pro conſiliario vſus ſe piſcis viſceribus incluſit, & ad præceptum ſibi portum, quin reſilire poſſet, peruenit, & Chriſti imaginem induit. In ceto orabat, in ceto verſus Niniuem tendebat, quin non tendere valuerit: hoc ergo erat perfectionis norma, & ſub hiſtoriæ veritate pulchrum virtutis ænigma. Tunc in te Domini imaginem expreſſam miris coloribus puta, cùm eò te perduxeris, vnde nequeas pedem à præceptis referre; ſed tenearis voluntariâ violentiâ progredi.

180. Ieroboam à propheta reprehenſus eo furore correptus eſt, vt manum contra prophetam te-
3. Reg.13. merarius extenderet: *Extendit manum ſuam de*
v.4. *altari dicens: Apprehendite eum:* Manus vigore priuata manſit extenſa: *Et exaruit manus eius, quam extenderat contra eum, nec valuit retrahere eam ad ſe.* Hæc regis manus peruerſitatis emblema eſt: tota ſe extendit contra virtutem, eoque furore exarſit, vt viribus conſumptis arueri t: non poterat à perſequendo propheta retrahere, quam potuit contra prophetam extendere: *Nec valuit retrahere eam ad ſe.* Potuit quidem Dominus extenſionem impedire, vt retractionem inhibuit; verùm vt agnoſceremus peruerſos integras ſortiri vires ad prauitatem ſectandam, & eis prorſus deſtitui ad malitiam relinquendam: regis brachium valuit extendi; ſed non potuit retro trahi: naturali vigore vſus brachium contra prophetam extendit; ſine miraculo non retraxit.
Seneca. Hoc voco quod aiebat Seneca epiſt. 39. *Deſinit eſſe remedio locus, vbi quæ fuerant vitia, mores ſunt.* Vitium fuit manum extendere; ſed iam mos eſt extentam ſemper ſortiri: vnde non eſt locus remedio, niſi elaboretur miraculo. Monui initio, in virtute, & in ſcelere hominis conſpici libertatem: quando ergo de impotentia, aut potentia ago, non aſſero libertatem imminui; ſed de conſuetudine aut debilitati ad bonum, aut vires augeri ad malum.

---

§. XLI.

Exaggeratior calamitas ludibrio haberi, & aduerſariorum furori tradi.

HVmilis res eſt ſtultitia, aiebat Seneca epiſt. 181.
37. *abiecta, ſordida, ſeruilis, multis affecti-* Seneca.
bus, & ſæuiſſimis ſubiecta. Profectò culpa, quæ Stultitia res abiectiſſima.
vera ſtultitia eſt, multis & ſæuiſſimis affectibus inuenitur ſubiecta, ac ærumnis grauiſſimis diuexata; verùm inter alios, quos ſecum aſportat culpa labores, ille grauior eſt quòd homines, vt de paupertate aiebat quidam, ridiculos facit, quòd furori hoſtium exponit. Non minus ſæpè fortuna in nos incurrit, quàm nos in illam; imò ſæpè homines ſuam fortunam irritant, & quò offendat durior, exacerbant: *Turpe eſt non ire,* addit ibi Philoſophus; *ſed ferri, & ſubitò in medio turbine rerum ſtupentem quærere: Huc ego quemadmodùm veni?* Vt aliquando flumen quis intrat, & blandiſſimis vndis paulatim abductus in rapidiſſimos vortices incidit, quibus violenter conuoluitur, & ferè in contraria vno eodemque temporis momento rapitur; ita peccator vitiorum intrãs viam, noxioque ac periculoſo profectu à ratione abductus iam non tam it quam feratur; graues dominos, impotentes ſcilicet appetitus ſuſtinere cogitur, & contraria amplecti compellitur. Ecce Hebræorum populum felicitate abuſum, vitiis indulgentem, & criminibus ſtudioſè ſubiacentem grauis pœna ſecuta eſt: diripientum namque manus perpeſſus, & exiguo hoſtibus pretio venumdatus miſerandus ingemuit, & Numinis iram ſuſtinuit: *Iratus Dominus contra Iſraël tradidit eos in manus diripientium, qui ceperunt eos, & vendiderunt hoſtibus, qui habitabant per gyrum.* Facultatibus diſpoliantur adeò poſſeſſoribus ipſis deſpecti, vt vel illorum opera neglexerint vti, & maluerint viliſſimo pretio ta-
xari: *Iſta erat infeliciſſima conditio,* Scribit Abu- Abulenſ.
lenſis quæſt. 13. *nam quod hoſtes diſſiparent bona Iſraëlitarum erat aliquid tolerabile; quòd tamen eos venderent; peſſima ſors erat.* Addit ſtatim: *Accedebat etiam aliud, quod magis eorum acerrimam grauaret ſortem, ſcilicet quia non ſolùm vendebantur: nam ſi gentibus ignotis venderentur, fortè propter humanitatem miſererentur eorum: nunc autem hoſtibus venditi non ſolùm duram ſeruitutem; ſed etiam acerrimam vindictam tolerabant.* Hoſtium, quos ipſi olim exacerbarant, furori traduntur ad vltionis victimam, & ad exaggerationem miſeriam. Vti mancipia viliſſi mavendebantur, vti acerrimi hoſtes affligebantur, quo ſimul ſuſtinerent & furoris odium, & nundinationis deſpectum.

Dauid Pſalmo 43. vt extremam populi miſe- 182.
riam exaggeraret, aiebat: *Poſuiſti nos opprobrium* Pſal.43.
vicinis noſtris, ſubſannationem, & deriſum his, qui ſunt in circuitu noſtro. Præmiſerat Pſaltes bonorum

Digitized by Google

norum diſpoliationem, captiuitatis miſeriam, & quò labores, ærumnaſque populi pleniùs cumulatas referret, haberi ab inimicis contemptui explicuit: *Qui oderunt nos, diripiebant ſibi: dediſti nos tamquam oues eſcarum, & in gentibus diſperdidiſti nos: vendidiſti populum tuum ſine pretio.* O quàm ad extremas anguſtias reduxit malitia Hebræos, dum diuitiis nudati hoſtes ſuos vident ſpoliis ditatos, & facultatibus ablatis onuſtos: non adeò graue eſſet aurum amiſiſſe, ac erat ſibi ablatis hoſtes ditatos ſpectaſſe. Adhæc non ſolùm facultatibus orbantur; ſed infami ſeruitutis iugo premuntur: & quò acrius furat odium, acerrimos olim hoſtes commemorat, & quò grauiùs vrat deſpectus, ferè inter nullius pretij mancipia numerat: *Tradidiſti nos ſicut oues*, exponit Euthymius hîc, *Oues dico, non quæ in poſſeſſionem, ac pro patrimonio retineantur; ſed quæ viliores ſint, &*

Euthym. *carnificinæ exponantur* Addit Euthymius: *Et quod ait, ſine pretio, ad populi contemptum dictum eſt: prauos enim ac mancos ſeruos ſolemus ſine pretio tradere, atque eorum emiſſionem lucro putare.* Vt dignam de tot ſceleribus vindictam Deus experiretur, ludibrio dedit homines aliàs ingenuos, & florenti fortuna vſos. O quàm intimus præcordia depaſcebatur dolor, dum vili adeò ſe pretio animaduertebant taxari, vt lucri loco illorum domini æſtimarint illis carere: non erat mori adeò durum; non erat perire adeò arduum, vt haberi parui onerosum: & hoc non ab hominibus grandis nobilitatis, aut feliciſſimæ ſortis; ſed ab his ipſis, quos anteà ſubegerant, & ſeruituti tradiderant.

183. Deus fons bonitatis inexhauſtus Adamum in paradiſo collocat, & ſub eius manu creaturas omnes conſtituit: ibi leo adſtabat blandè ſubſultans, lupus inter oues pacatè agebat, & ſerpens hominis arbitrio obſequebatur ſubiectus; verùm mutuata ſerpentis linguâ diabolus vſus confuſionem inuexit, & mortis pœnam, quam Deus præſcripſerat, mentitis coloribus adulterauit: deliquit homo periculo mortis ſe ſubiiciens, & prolixam pœnam ob breuiſſimam voluptatem

Gen. 3. v. 6. amplectens: *Tulit de fructu illius & comedit, deditque viro ſuo, qui comedit* Præuaricationem ſententia ſtatim non eſt ſecuta, etſi nuditas & inopia afflixerit mortis vicaria; verùm inquiramus, cur

Gen. 2. v. 17. illa à principio fulminata ſententia: *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris*, effectum non fuerit ſortita; ſed quodammodò ſuſpenſa? Et quidem oportebat ab initio culpam ſubſequi à tergo ſupplicium, quo homines diſcerent præceptionibus obedire, nô depulſo metu calcare. Cur ergo Deus Adamum morte non punit; ſed vitam protrahit? Quia iam Adamus, ſcribit Baſilius Seleucienſis orat. 3. grauiorem morte vitam ſuſtinebat, quandoquidem ſerpens olim ſubiectus iam eius calamitatem ridebat, & non ſine contemptu inſultabat: depretiabat iam Dei imaginem cum dedecore conſpurcatam, irridebat hominis imprudentiam, obiiciebat olim prædiuiti veluti extremam inopiam: adeoque acerrimus erat dolor à ſubiectis olim, hoſtibuſque irrideri,

Seleucienſ. vt lenius fuerit Adamno mori: *Ridebat forte diabolus, cùm dedecore Dei conſpurcaſſet imaginem: tales enim dæmonis ſunt machinationes, cum voluptate ſauciat, & accuſat pudendum in modum, ad ruinam impellit, & ruentes publicis ignominiæ notis conſignat; verùm enim verò miſertus erroris Deus ad arrigendum currebat.* Vidit Deus hominem morti ſubiectum, à ſerpente diabolo inhabitato vidit deriſum, & qui mortem non abſtulit, dedecus irriſionis non tulit: erat enim acerbius homini aliàs ingenuo Principique à maledicto ſerpente ſibilis deſpici, riſu depretiari, inſultatione contemni. Suauiùs fortè cum Adamo actum eſſet, ſi mortem oppetiiſſet; at dum tulit ſerpentis riſum, dum ſubiit contemptum, ſententiam grauiorem perpeſſus eſt. Et fortaſſis dum Dominus illi comminabatur: *Quocumque die comederis ex eo, morte morieris*; non ſolùm vitæ breuitatem diem iam vnicum ſupputans explicuit; ſed pœnam hanc homini acerbiſſimam declarauit: quaſi dicat: Quocumque die comederis, te ſerpens olim tibi ſubiectus non ſine deſpectu irridebit, tibique inſultabit, quod mors geminata erit: *Morte morieris*, hoc eſt, depretiaberis, irrideberis, minimi æſtimaberis, quod morte grauius, & ingenuis ſepulchro acerbius.

Dum Chriſtus Dominus peccatoris perſonam gereret, vt peccatum de corde peccatorum diſpungeret, venditus eſt, & ferè ſine pretio. Iudas namque iniquiſſimus venditor de auiditate pecuniæ ipſi eſt refragatus cupiditati: 184.

Quid vultis, aiebat, *mihi dare, & ego vobis eum tradam?* Vt quid haberet, pretium non taxauit: Matt. 26. v. 15. inimicorum odium magni emeret; ſed diſcipuli cupiditas ſic ad habendum exarſit, vt nullatenus periculum non vendendi voluerit intrare; ſed emptoris voluntati relinquere: iam pretio taxatus Pilato traditur, homini quidem etſi ambitioſo, ad ſpeciem benigno, quandoquidem de inuidentiæ manibus eripere conatus eſt; verùm ſic furit inuidia, vt cedat illi potentia: ſucclamabant hoſtes excitatis de induſtria tumultibus, datiſque in populo turbis, vt cruci illum affigeret; verùm, vt grauior crucifigendo eſſet pœna, hoſtium voluntati eſt traditus, & arbitrio illorum commiſſus: *Ieſum* Luc 23. v. 25 *tradidit voluntati eorum.* Minus fuit quidquid ab Euangeliſtis expreſſum; plus quod his verbis incluſum. Quas putas intulerint pœnas peſſimi hoſtes acerrimo, vt putabant ipſi, inimico? Quantas credis ſubiiſſe anguſtias, quàm extremas ſuſtinuiſſe miſerias, qui ſe hoſtili furori, videbat traditum, & furentium aduerſariorum indignationi ſubiectum? O quàm grauem, acerbamque de peccato Deus expetiuit vindictam, dum peccatoris perſonam gerentem tradidit hoſtibus vt, taxauerint pœnam. Certè ſi Pilati arbitrium pœnam decreuiſſet, tantiſper ſtipes deliniretur, quandoquidem prodiret pœna à deprauato iudicio, non à ſufflammato odio; at inimicorum traditus voluntati duriores cruciatus pertulit ab ardentiſſimo odio diſpoſitos, & cum maxima voluptate aduerſariorum inflictos. Theophylactus Theophyl. legit: *Ieſum tradidit arbitrio eorum:* additque poſteà: *Vide quàm diſcrepantia congreget diabolus, ſolùm vt Chriſto mortem præparet: in vnam enim conſpirationem copulat & conciliat inimicos.* Annuit etiam Euthymius: *Tradidit volun-* Euthym. *tati eorum: voluntas eorum erat vt crucifigeretur.* Dum crux per inimicorum arbitrium decernitur, & pœna durior, & ſtipes diſcruciat ſæuior.

Huius veritatis non ignarus Ieremias, vt pœ- 185. nam exaggeraret, aiebat: *Dedi dilectam ani-* Ierem. 7. v. 12. *mam meam in manu inimicorum eius: facta eſt mihi hæreditas mea quaſi leo in ſilua.* Nulla adeò truculentior beſtia, nulla rabidior fera, vt

inimicus

inimicus odio vehementiſſimo exacerbatus: ideò cùm Dominus charitatis ſuæ flammas oſtentare voluit, non dixit leoninos vngues ſuſtinuiſſe; ſed in odientium manus vitam ſuam ad patientiæ cumulum tradidiſſe: quaſi vel infinita patientia opprobriis inimicis tradita ſaginetur, & ad ſpeciem ſaturata impleatur: *Dedi dilectam animam meam in manus inimicorum eius: id eſt* Interlin. *Iudæorum*, Inquit Interlinearis. Lyra de Nabu- Lyra. chodonoſor interpretatus eſt prophetiam: *In manus inimicorum, id eſt Nabuchodonoſor & exercituum eius.* Vt pœnas de Iudæis tepeteret, inimicis & inſuper militibus tradidit, vtque ſub hac hiſtoria pœnas Chriſti Domini depingeret, odientium manibus obtulit: quid enim adeò durum, quid ita acerbum, vt odia, & tormenta ſuſtinere, & manibus cum voluptate affligentium tradi? Huc voco quod aiebat Tertullianus de patient. cap. 3. *Traditur, ſcilicet hoſtium vo-* Tertull. luntati. Subdit poſteà tationem Tertullianus: *Saginari voluptate patientia diſceſſurus volebat:* Ni inimicorum manibus traditus, nec patientiæ cumulo oppletus; at dum, traditur inimicis, vel infinita ſatiatur patientia, & immenata ſaturatur tolerantia.

---

§. XLII.

Duriſſima probatur malitia quam nulla potuit corrigere pœna.

186. VT feruens brutorum impetus iniectis cohibetur frænis, ita hominum inſania, & peccandi æſtus ſuppliciis. Tolle pœnam, & interempta ſunt omnia; tolle pœnam, & lex iam neruos omnes amiſit: tolle pœnam, & quidquid honeſtum perit. Profectò virtutis pulchritudo debuiſſet allicere, & vitiorum feritas deterrere; verùm adeò ſerpentino veneno viſus rationis turbatur, vt nec pulchritudinem virtutis videat, nec fœditatem criminis horreat. Homo cùm in honore eſſet, non intellexit, & comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis: vtque iumentum, ne à recto tramite exorbiter, virga compellitur, ſic & homo metus habenis frænatur. *Licentia vrbium*, aie- Seneca. bat Seneca epiſt. 97. *Aliquando diſciplina metuque, nunquam ſponte conſidet.* Spontè ruimus, ſtudioſſimè labimur in vitiorum adulationes, & proſequimur odio virtutes; verùm metus audaciam aliquando reprimit, ad virtutemque inſtruit: vigebit virtus, dum viguerit & timor. Gen. 2. v. 17. *Quocumque die*, aiebat Deus, *comederis ex eo, morte morieris*: Terrorem obiicit, vt virtuti metus fuerit auxilium, vtque, ſi vti ruſticanus de luto efformatus homo non alliceretur præmio, Seleucienſ. deterreretur ſupplicio. Adeſt Baſilius Seleucienſis orat. 3. Dei nomine cum Adamo diſſerens: *Ideò mortis terrorem cum lege tibi obtuli contra nefariam appetentiam auxilio futurum, & ſi mens ad eam inclinet, terrore obiecto firmetur: eſt enim* Temperantia neruus eſt metus. *temperantia neruus præuaricationis metus.* Itaque criminis pœna erat criminis medicina, ne homo auderet attingere, quod tanti agnoſcebat ſtare: nondum illis temporibus inoleuerat vitium, nondum hominum dicatum erat crimini ingenium; verùm peruerſa ſerpentis aſtutia pœnæ metum abſtulit, & timore propulſato crimen facillime intulit: *Nequaquam morte moriemini.* Geneſ. 3. v. 4. Non credidit dæmon homines poſſe crimen amplecti, dum ſuadebat pœna auerſari. Redeat iterum Baſilius: *Furtim demit mortis terrorem, vt legis mummenta depradetur: pœnam adulterat, quò ad legem perfringendam propellat, excuſſo timore, pœnaque ſublata contra Deum bellum conflat.* Itaque pœnæ pro Deo militant, quas ſi dæmon non ſuſtuliſſet, nec in virtutes bellum conflaſſet. Verùm, proh dolor! quod nec dæmon præſumpſit, hominis malitia exercuit: nec inflictis pœnis corrigitur; ſed, quò peruerſitatem exaggeret, in mediis ſuppliciis ad ſcelera debacchatur. Ecce Hebræorum populus duriſſimis pœnis luget ferè conciſus; & tamen iniquitatibus plenus: *Quocumque pergere voluiſſent, manus Domini ſuper eos erat, ſicut locutus eſt, & iurauit eis, & vehementer afflicti ſunt, ſuſcitauitque Dominus iudices, qui liberarent eos de vaſtantium manibus; ſed nec eos audire voluerunt.* Suppliciis attriti perſeuerant percuſſi obdurantur: vt noueris ad cumulum perueniſſe malitiam, quandoquidem nec ſuppliciis potuit frænari, nec pœnis acerbiſſimis cohiberi. Huc voco citatum ſuprà Senecam: *Quid-* Seneca. *quam fuiſſe corruptius illis moribus credis, quibus libido non ſacris inhiberi, non iudiciis poterat?* Omnes limites ſupergreſſa furebat prauitas, quando nullam efficaciam ſortiebantur ſupplicia, nullam vim oſtendebant medicamenta.

Ad infernum tranſlatus oculos leuauit diues 187. ille, qui olim, vt ſibi conſuleret, erat cæcus: ibi ſub ſpecie pietatis Abrahamum rogat, vt Lazarum mittat, aquæ guttula flammarum æſtibus aliquale refrigerum præbiturum: in ipſa deprecationis humilitate ſuperbiſſimus non vult duci ad Lazarum; ſed ad ſe Lazarum vult deduci: *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui* Lucæ. 16. v. 24. *in aquam, vt refrigeret linguam meam: quia crucior in hac flamma.* Abrahamus diuitem nullius refrigerij capacem oſtendit; imò addictum gehennalibus flammis docet: *Inter nos & vos chaos magnum firmatum eſt.* O quàm obfirmatum erat chaos non tam flammæ, quàm malitiæ! Certè grauiſſima vitiorum pœna illum debuiſſet frænare, & ad ſaniorem mentem reducere; at cum ardentibus flammis adureretur ob culpam, proſequebatur culpam ardentibus vſtus flammis: hîc ergo iam chaos magnum firmatum erat, quandoquidem malum remediorum adeò deuicerat efficaciam, vt in ipſis pœnis, ob quam puniebatur, adaugeret ſtudioſè malitiam. Opportunè Chryſologus ſerm. 122. *Adhuc diuitem ma-* Chryſol. *litia non deſerit, quem iam poſſidet pœna: qui non ſe ad Lazarum duci poſtulat; ſed ad ſe Lazarum vult deduci.* Adhuc furit crudelis in Lazarum, & quæ impietas pœnis debuiſſet conſumi, ipſis in pœnis comprobatur augeri: gehennæ profectò erat vernula, cui ſic inutilis medicina: pœna diuitem poſſidet, & malitia adhuc diuitem non relinquit. Profectò qui voluptatibus, vitiiſque inſeruit, nondum ſupplicio correptus, emendationis ſpebus cenſeri nequit prorſus deſtitutus; at qui nec pœnis ſapit eruditus, quique iniectis ſuppliciorum frænis adhuc furit obcæcatus, omnem emendationis ſpem caſſam & eluſoriam oſtendit, & in morborum auxilium remedia trahit. Summè mores corrupti ſunt, quando pœnis indurantur, & remediis abutuntur.

Deploratam Hebræorum ſalutem oſten- 188. dit Dominus: quia nulla ſpes à ſuppliciorum medela,

Digitized by Google

medela, quia in pœnis nulla efficacia: *Væ genti*
peccatrici, populo graui iniquitate ſemini nequam,
Iſai. 1. v. 4. *filiis ſceleratis: dereliquerunt ſanctum Iſrael, ab*
alienati ſunt retrorſum. Super quo percutiam vos
vltra addentes præuaricationem? Omne caput lan-
guidum, & omne cor mœrens. Ecce deplorationis
cauſam: nec ardentibus corporis febribus ſtu-
dium prauitatis conſumi; imò nec languoribus
peſtiferis cohiberi: vulnus dum acerbum ſen-
ſum doloris ingerit, cupiditatis ardorem lenit:
dum corpus tumet plaga, detumeſcit cordis ma-
litia: ergo dum ipſis remediis infirmitas auge-
batur, & ſalus deplorabatur: *Væ genti peccatrici.*
Adeſt Hieronymus hic: *In quo percutiam vos?* &c.
Quo teſtimonio diſcimus idcirco Deum percutere
delinquentes, vt percuſſos corrigat, & non tam pœ-
na ſit, quàm emendatio. Eſtque ſenſus: Non inuenio
quam plagis veſtris poſſim adhibere medicinam:
Omnia membra veſtra plena ſunt vulnerum. Ad-
Hieron. dit poſtea Hieronymus: *Nullas inuenio plagas,*
quibus veſtram frangam duritiam: quantò enim tor-
menta maiora ſunt, tantò magis creſcit impietas, &
iniquitas. Profectò dum morbi vis ad ſe trahit ef-
caciam remedij, vel induſtrius medicus deplorat
ſalutem, & artis vires ſupergreſſam teſtatur mor-
borum peruerſitatem. O nos miſeri, qui dignis à
Deo flagellis quotidie percutimur, nec tamen
reſipiſcimus, nec emendamur.

189. Cùm pater familias nuptias filio ſuo pompa-
ticè celebrare voluiſſet, plures ad opiparum pran-
dium vocauit: illi, vt erant inciuiles, vocantis
menſam ſpreuerunt variis ſtudiis diſtracti, & oc-
cupationibus vanis deluſi: hos vt mulctaret,
nihil de cœna guſtaturos aſſeruit: *Nemo virorum*
Luc 14. v. 24. *illorum, qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam.* Ex-
cuſãtium loco debiles & claudi vocantur: *Debi-*
les, & cæcos, & claudos introduc huc: Paruit ſeruus,
cúmque iam menſæ epulis differtæ, & conuiua-
rum circumſtantia honoratæ, rex, vt diſcum-
bentes videret, intrauit, adeoque eius oculos ho-
mo ſordidus, & pannoſus offendit, vt ligatis ma-
nibus ac pedibus mitti iuſſerit exteriores in te-
nebras: *Ligatis manibus, & pedibus eius mittite*
Matt. 22. v. 13. *eum in tenebras exteriores.* Magnum æquitatis
pondus huic ſententiæ ineſſe condemnati ſilen-
tium teſtatum eſt: *Ille obmutuit*; verùm ponde-
ratione dignum eſt inuitatos ruſticè ſe excuſan-
tes cœnæ ſolùm priuatione mulctari, & panno-
ſum vinculis adurgeri. Ad hæc ſi alij vocantibus
ſeruis varias excuſationis cauſas colorarunt,
dum alius villam, alius boum iuga, & alius
alia audacter ſatis allegat; cur hic damnabili
ſilentio obmuteſcit, nec aliquam pro ſe op-
portunam rationis excuſationem affert: *Ille*
obmutuit. Et quare? Quia priùs inuitatis nul-
lis morbis afflicti, nulla paupertate preſſi,
nulla calamitate frænati; hic verò de pau-
perum grege, de debilium numero, de miſero-
rum cenſu. Ergo ora ſilentio ſignat: quia nouit
ſe ipſo remedio infirmari, & ipſa medela praui-
tatem augere. Certè debilis ad ſordidam pecca-
torum veſtem abiiciendam, & induendam gra-
tiæ nuptialem compellebatur; verùm nullis la-
borum diuexationibus potuit adduci, vt ſtuduc-
rit virtutibus, & abſtinuerit criminibus: cum aliis
ergo indulgentius actum eſt; quia nondum illis
adhibita ſupplicij medela, quia ſpes ſanitatis
nondum deluſa; at hic debilitate diuerberatus, &
vitiis ſordidus nihil habuit, quo ſuam audaciam
defenderet, & procaciam excuſaret. Huc voco
Gregorium Magnum hom. 5. in Euang. *Quid* Gregor.
fratres chariſſimi, quid in eius iudicio dicturi ſumus,
qui ab amore præſentis ſæculi nec præceptis flecti-
mur, nec verberibus emendamur? Nihil poteſt
reſpondere inflictis verberibus non emendatus,
etſi aliqualem habeat excuſationem ſemper
proſperitate innutritus. Mirum non eſt, ſi boum
iugis exundans parere Domino paruipendat,
quandoquidem cupiditate diſtrahitur, & occu-
patione diſtringitur: non eſt inſolitum, ſi villæ
dominans non obediat, quando ſæculi poten-
tes ignorant præcepta, ſi iam conculcare non
affectarint mandata: rarum non eſt carnis deli-
cias ſectatum virtutis contemnere fructum, &
cum Domino animitus auerſari commercium:
horum quiſque neſcio quod patrocinium quo
errorem ſuum defendat, à felicitate mutuatur; at
reſpondere non poteſt, quid ob culpam debilita-
tus, in ipſa debilitate reinduere diſcupit culpam:
tacuit, ora ſilentio ſignauit, labia vel damnatus
preſſit: quia in ipſa debilitate ſordidus, quando
ob debilitatem debuiſſet micare mundus.

Inſtauras teſtes tuos contra me, aiebat Iob, *Et* 190.
multiplicas iram tuam & pœna tua militant in me. Iob. 10. v. 17.
Non multum aberrabit à vero, qui cenſeat hîc
moraliter ipſas pœnas eſſe teſtes, qui inſtauran-
tur, & opponuntur: *Pœnæ*, inquit, *militant in me.*
Et quare? Quia dum doloribus me ad virtutem
compellunt, duritiei, & prauitatis in me profe-
runt teſtimonium: quid enim expectandum eſt
ab homine nullis doloribus erudito, & nullis ad
virtutem pœnis compulſo? Pœnæ militant in
ſuſtinentem, ni virtuti ſtudeat, quandoquidem al-
tiſſimum militiæ vulnus oſtendunt. Huc vo-
co Gregorium lib. 9. moral. cap. 35. *Ex ipſo labore* Gregor.
cognoſcimus, ſi emendari, dum tempus eſt, nolumus,
quanta poſt animaduerſione feriamur. Ipſe labor,
ipſa ærumna, ipſa calamitas apertiſſimè oſtendit,
quàm dura ſupplicia maneant illos, quibus nil
profuere tormenta: vt iam ipſæ pœnæ impatien-
ter perlatæ nouas perferendas parturiant pœnas;
& qui ad ſalutis remedium inflictus dolor con-
temnitur, duriori poſteà opus eſt dolore ſolua-
tur: itaque in beneficiorum cenſu enumeratur
calamitas, quæ ſi non proderit, pœnarum adau-
get ſummam, & pullulantium de calamitate ca-
lamitatum miſeriam. Opportunè Saluianus l. 6. Saluian.
de gubernat. Dei. *Vaſtata eſt Italia tot iam cladi-*
bus: ergo Italorum vitia deſtiterunt? Obſeſſa eſt vrbs
Romana & expugnata: ergo deſierunt blaſphemi ac
furioſi eſſe Romani? Inundauerunt Gallias gentes
barbaræ: ergo quantum ad mores perditos ſpectat, non
eadem ſunt Gallorum crimina, quæ fuerunt? Tranſ-
cenderunt in Hiſpaniæ terras populi VVandalorum:
mutata quidem eſt ſors Hiſpaniæ; ſed non mutata
vitioſitas. Quid plura? Quæ veriora?

---

§. XLIII.

Qui Apoſtolorum loco ſufficitur, totum ſe proximi vtilitatibus impendiſſe tenetur.

H*Onorem noſtrum,* aiebat Caſſiodorus 11. var. 191.
8. *ſola vos optamus gratulatione ſentire, & re-* Caſſiod.
gnantibus bona petere, qui veſtra deſideria viſi ſunt Honor ſublimis deliberalitate cenſetur.
præſtitiſſe. Dignè electoris honorauit decretũ, qui
ad cunctorũ electus videtur votum; imò non tam
ad cunctorum votum electus, quàm ipſiſſimum

eſſe cunctorum placitum. Quid deſideret egenus, niſi auxiliatorem habere: quid cæcus niſi ductorem ſortiri? Ille digniſſimè ad dignitatis faſtigium inſcendit, qui de omnium gratulatione non mentitum honorem habuit: diuerſiſſimus ſæpè eſt erga rectorem oris vultus & animorum affectus, quando ſubiecti timori ſuo adulantur de externo obſequio; ſed parent non ſine interno faſtidio. Is dignè, plenéque regiminis honore rutilat honeſtè ſuperbus, qui iuſtis cunctorum votis inuenitur adſcriptus; verùm etſi quilibet dignitatis iure publicæ ſuorum vtilitati debeatur; tamen qui Apoſtolorum vicarius, quique in diſcipulorum Domini locum ſuffectus, ſpeciali iure tenetur omnibus opitulari, & indigentibus
[1. Cor. 9. v. 22.] ſubuenire, teſte Paulo, qui aiebat: *Omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos.* Explicatiùs tradit quas ſe, Prothæi ad inſtar, acceperit formas, vt omnium depuliſſet miſerias: *Factus ſum Iudæis tamquam Iudæus, his qui ſine lege erant, tamquam ſine lege eſſem:* Se emptitium putabat, vt auxiliaretur proximis, quia ſolùm animarum inhiabat lucris. Ergo dum munus implet, qui Chriſti diſcipulorum & locum tenet, generalis refloret ſalus, & ſaturnia tempora redeunt. Hebræorum ferè omnes abauita patrum religione degeneres, & ſceleribus maculati ab omni felicitate premebantur alieni. Sub haſta vendebantur ipſis dominis odioſi, & odientium ſerui: *Vendiderunt hoſtibus, qui habitabant per gyrum, nec potuerunt reſiſtere aduerſariis ſuis.* Quid tunc? Suſcitauit Dominus iudices, qui liberarent eos de vaſtantium manibus. Per iudices intelligit Hugo Charenſis prælatos: *Iudices ſunt prælati & Apoſtoli.* Iam qua obligatione teneantur, explicat: *Liberare debent eos prædicationis gladio, orationis clypeo, item ſacramentorum miniſterio, eleemoſynarum ſubſidio: hæc enim quatuor debent prælati ſubditis, prædicationem, orationem, ſacramentorum adminiſtrationem, bonorum ſuorum communionem.* Ecce quanta debeat Eccleſiaſticus prælatus, ſcientiam videlicet ignoranti, eleemoſynã egenis, ſacramẽta ad vitã, orationis excubias ad tutelã. Et quidẽ iniuſtè Superioris occupat locũ, qui adimplere nõ ſtudet officiũ: Prælati nãque ſubiectis probantur impoſiti, non vt preſſerint onere; ſed vt opportuno foueant iuuamine.

[Hugo. Prælati debent plura ſubiecta.]

193. Eliſæus, dum ſupra puerum illum demortuum incumbit, Superioriſque locum tenet, ſe adeò conformauit defuncto, vt ſe totum impendiſſe cenſeres: *[4. Reg. 4. v. 34.]* *Orauit ad Dominum, & aſcendit, & incubuit ſuper puerum, poſuitque os ſuum ſuper os eius, & oculos ſuos ſuper oculos eius, & manus ſuas ſuper manus eius, & incuruauit ſe ſuper eum, & calefacta eſt caro pueri.* Adeò propheta ſpiritus ardore micabat, vt vel cadauer refuſo calore diſponeret, vt oratione tenebras mortis depelleret: puer ſubiecti, & quidem demortui gerit figuram; Eliſæus ſuperioris perſonam gerit, & ſequentibus normam honeſtæ, vtiliſſimæque ſuperioritatis præſcribit: totus eſt in morte depellenda, totus in corpore honeſtè fouendo, totus in diuino Numine conciliando; orauit, fouit, laborauit, nec ab opere deſtitit, quouſque ſibi ſubiectus luci reſtituturus reuixit: *[Ambroſ.]* *In Eliſæo,* ſcribit Ambroſius in 3. c. Eccle. *Figura Domini præceſſit, qui proiecit ſe, vt mortuum erigeret.* Dum Chriſti Domini gerit figuram, totus miſero impenditur, & totus vitæ ac ſaluti dicatur. Vides Eliſæi oratione mortuum reſtitutum, vide etiam Apoſtolorum cura, & eleemoſynarum ſubſidio populum à periculo ereptum.

Chriſtum Dominum ingens hominum copia 193.
vſque ad deſertorum errores ſecuta eſt: eius alloquij dulcedine, & cæleſtis doctrinæ pabulo recreati vel naturæ indigentiæ inueniebantur obliti, at dum ipſi vel alimoniam obliuiſcuntur audiendi deſiderio, Chriſtus Dominus diſertam parat menſam præmiandi hanc lucroſam obliuionem ſtudio: homines iubet fœnum calcare, quò poſſint panem cæleſti ſapore fragrãtem edere: *[Matth. 14. v. 19.]* *Dedit diſcipulis ſuis panes: diſcipuli autem turbis.* Diſcipulis dedit, vt conſtaret non eſſe alienum à diſcipulo accipere; ſed auarè retinere: non vetat habere; ſed iubet famelicis generoſiſſimè dilargiri: diſcipulis dedit, vt probarẽtur diſcipuli, dum de præſtito populis eleemoſynarum ſubſidio vitam alerent, mortem arcerent: defendit Eliſæus vitam orando, defenderunt etiam diſcipuli dilargiendo: & dum à Deo accepta ſibi non auarè ſeruant; ſed egenis impertiunt, copioſiorem meſſem de charitatis fundo, de miſericordiæ fertilitate recipiunt: Dedit diſcipulis, vt ipſi darent: dederunt ipſi, vt munus diſcipulorum implerent: *[Hilarius.]* *Dantur Apoſtolis panes,* ſcribit Hilarius apud D. Thomam: *Qua per eos erant diuina gratia dona reddenda: idem autem edentium numerus inuenitur, qui futurus fuerat credentium: nam ſicut in libro Apoſtolorum continetur, ex Iſraël populi infinitate virorum quinque millia crediderunt.* Apoſtoli & temporali vitæ ſubueniunt, & animæ etiam neceſſitatibus prædicatione ſuccurrunt: *[Actor. 4. v. 4.]* *Multi eorum, qui audierant verbum, crediderunt, & factus eſt numerus virorum quinque millia.* Ioannes Petruſque vitæ alimento ſubueniunt, & animæ etiam prædicatione proſpiciunt, vt oſtendant futuris Apoſtolorum vicariis non poſſe prædicationis verbum ſubtrahere, & teneri ſubſidia etiam temporalia elargiri. Itaque cæleſtem panem adminiſtrant, quo famem depellant, & orãt, vt oratione ſuffulciant. Profectò prælati Apoſtolorum actionibus informati agnoſcuntur, cùm orationibus populorum ſalutis ſatagunt, cùm exhortationibus ad viam adducunt rectam, cùm eleemoſynis temperant miſerorum inopiam, cùm ſacramentis ſuffulciunt vitam. Ecce Dei miniſter debet populi ſcientiam, ecce debet temporalia ſubſidia, orationis munimenta, ſacramentorum diuina. Videant ergo qui Apoſtolorũ loco ſuffecti ſunt, ſi prolixas præ ſuis noctes inſõnes duxerint, ſi copioſas eleemoſynas impertiuerint, ſi prædicationis ſuſtinuerint labores, ſi Chriſti in ſacramentorũ adminiſtratione geſſerint vices: cũ ipſa dignitate cõiunctũ eſt miſerorũ auxilium, & honeſtæ captiuitatis elogiũ. Quiſquis à Deo eligitur, ſibi iã credat ſe prorſus negatũ, & ſubiectis prorſus addictum.

Somnium vidit Ioſeph clarum dignitatis præ- 194.
ſagium, ſcilicet ſpicarum decorè turgentium manipulum: *[Geneſ. 37. v. 7.]* *Putabam nos ligare manipulos in agro, & quaſi conſurgere manipulum meum, & ſtare.* Priùs vidit manipulũ, poſteà Solis, Lunæ, & ſtellarum obſequium. *Quaſi ſolem, & lunam, & ſtellas vndecim adorare me.* Inuerſus tantiſper videtur ordo: ſatius namque videbatur ad dignitatem Ioſephi aptis ſymbolis diuulgandam ſecundũ ſomnium præmiſiſſe, & primum ordine ſecundum locaſſe. Nonne glorioſius eſt de luminis tributo lucere, quàm de ſpicarum manipulo deſignari! O vtiliſſimam nobis eruditionem! Manipulus refert fructum; ſydera pendunt obſequium: ergo vt noueris Principis gloriam plus fulciri propriis fructibus, quàm alienis obſe-

Digitized by Google

quiis, præceſſit manipulus, ſecutus eſt ſyderum cultus: non adeò dignitas illa agnoſceretur cæleſtis, quantumuis ſyderum tremuli radij Ioſephum adoraſſent, ac ſi turgentes ſpicæ famelicos de vitæ diſcrimine liberatos oſtenderent: ideò prior obiicitur ſomnianti manipulus, & poſteà Theodoret. exhibitus à cæleſtibus luminibus cultus: *Manipulorum ſomnium*, ſcribit Theodor. apud Lippoman. *præſignat fratrum frumenti gratia in Ægypto adorationem.* Aug. Annuit Auguſt. in ſermonib. de temp. ſerm. 82. *Coacti ſunt ſteriles manipuli fructuoſum manipulum adorare, per quem de famis periculo liberandi erant.* Ipſum ſymbolum, quod dignitatem præſaginit, & ſubditorum vtilitatem ſignauit: nec enim à Deo electus poterat ſibi ſtellarum plauſum quærere, & manipulum prætermittere. Itaq; vt à Deo quis ad dignitatis culmen agnoſcatur electus, & miſer gaudere debet de famis periculo liberatus. E contra non ſemel ſolet contingere: plures namque faſtigia occupant, qui moribus faſtigia denigrant.

195. *Audite Principes Iacob, & duces domus Iſraël,* aiebat Michæas: *numquid non veſtrum eſt ſcire iudicium, qui odio habetis bonum, & diligitis malum* Michææ 3. v. 1. *qui violenter tollitis pelles eorum deſuper eis, & carnes eorum de ſuper oſſibus eorum.* Poteſtatem nacti aſſueuerunt etiam violentiam, & quibus ſola erat pellis pro veſtimento deſuper, carnem tulerunt, vt vel hoc carerent ornatu, qui debebant pauperum alere vires, contra pauperes inflammarunt cupiditates, vt ipſi, qui debuiſſent eſſe tutores, effectu non ſemel videntur fures. Hugo. Adeſt Hugo Charenſis ad Iudic. 2. *E contra faciunt multi prælatorum: oues ſuas non liberant vt paſtores, ſed ſpoliant vt fures.* Ad virtutem nec exemplis alliciunt, nec prædicatione exhortantur: non ſubueniunt eleemoſynis, non fuſis adiuuant precibus, ſuperioris tenent locum; ſed ignorant prorſus officium. Huiuſmodi iure à Zachar. 11. v. 17. propheta vocantur idolum: *O paſtor & idolum derelinquens gregem:* nam vt idolū oculos habet, & non videt; aures habet, & non audit; labia habet, & non loquitur; ita nonnulli cùm Dei ad inſtar cultum depoſcant, nec contra vitia loquuntur, nec ſuorum peccata reprehendunt; imò ſe neſcire ſimulant, quia infeliciſſimo commercio & ſubiectus pendit ferè ſacrilegum cultum, & idolum non videt vnquam peccatum: hi profectò iudices non ſunt, qui poſſint eripere de vaſtantium manibus; ſed qui vaſtantibus fuerint auxilio, & vaſtatis ingentiſſimo detrimento. Se quiſque alta tenentium examinet, ne cùm adoratur à populo idolum, vituli illius fœnum comedentis, nec greſſum ad ducatum explicantis, ſuſtinere cogatur ſupplicium: ille namque prophetica ira flammas ſuſtinuit contritus, & nigras diſparuit in fauillas redactus.

§. XLIV.

Qui à Deo ad apicem dignitatis eligitur, omnibus probatur beneficus, vt qui ambitionis aſcendit artibus, inuenitur nociuus.

196. Caſſiodor. *Principis meſſis cunctorum quies* EXeunt *à nobis*, aiebat Caſſiodorus 6. var. 23. *dignitates relucentes quaſi à Solis radiis, vt in orbis noſtri parte reſplendeat cuſtodita iuſtitia: ideò enim tot emolumentorum commoda ferimus, vt ſecuritatem prouincialium colligamus: meſſis noſtra cunctorum quies eſt.* Profectò dum à Principe prodit dignitas, vti in prodeuntibus à Sole radiis, omnium promanat commoditas, præcipuè ſi nulla affectionis inueniatur exorbitantia, nulla rationem obſcurauerit nebula: dum ad faſtigium dignitatis ſedula meditatione eligitur dignus, totus Reipublicæ reformatur ſtatus; at ſi ambitio emerit, ſi ars iniqua dignitatem extorſerit, illius eſt meſſis multorum gemitus, & æquitatis cruciatus. Vendunt ſæpè ſententiam iudices, tutelam milites, & quæ fors non inferret tyrannus, ſolet infligere proprius: qui ad munus trahitur, à cupiditate inuenitur alienus, qui ſuſpirat munus, variis inueniri ſolet cupiditatibus defœdatus. Iam ſi quem ad honorem extulit Principis meditatrix ſententia, omnibus habetur beneficus, qualis erit, qui omniſcia prouidentia ſignatur? Pompa quidem meritorum eſt diuinum iudicium, dum neſcit niſi dignos eligere, & voluntatem ſuam ſubiectorum commodis exæquare. Ad eam populus Hebræorum calamitatem deuenerat, vt natus ſolùm videretur ad hoſtilis rapacitatis victimā, ad furoris rabidi eſcam: bonis omnibus diſpoliabatur, atterebatur ſeruitute, conſumebatur dolore; verùm Deus pro ſua pietate, etſi plurimis offenſionibus irritatus, proſpexit oculis benignis afflictos, & quod obtinere non potuit perſonæ meritum, anxietudinis impetrauit eximius labor. Iudices ſuſcitauit, qui diuexatos defenderent, & à violentiſſimis hoſtium incurſionibus cuſtodirent: *Cum Dominus iudices ſuſcitaret, in diebus eorum flectebatur miſericordia, & audiebat afflictorum gemitus, & liberabat eos de cæde vaſtantium.* Vide quanta iudex à Deo electus præſtiterit populo, & quàm verum ſit quod Caſſiodorus aiebat, exire ſcilicet à Deo dignitates relucentes, quaſi à Solis radiis: nam vt Sol diſpergit nubila, & depellit nocturni temporis tenebroſa, ita qui à Deo eligitur, diſpungere calamitatem probatur. Felix reſpublica, quæ à Numine electis paret, infelix quæ humana ſolertia elatis inſeruit: nam vt illi pro meſſe habent cunctorum quietem, ita iſti ſolùm auri ſuſpirant meſſem. *Liberabat eos de manu vaſtantium,* ſcribit Abulenſis quæſt. 14. *ſcilicet per manum* Abulenſ. *iudicis ſuſcitati nouiter: nam iſte faciebat bella contra hoſtes Iſraël.* Statim ac à Deo electus iudex dignitate efflorebat, & Reipublicæ marceſcebat calamitas: quia electus non merebat de honore inhoneſtum ſibi lucrum; ſed eius erat placidiſſima meſſis cunctorum commodum. E contra qui ſe inſerunt, & intrudūt, qui pecuniis emunt, quæ vendant, in Reipublicæ perniciem dignitatum faſtigia occupant.

Dominus per Michæam cum huius populi Principibus diſſerens expoſtulabat: *Violenter* 197. Michææ 3. v. 2. *tollitis pelles eorum deſuper eos, & carnem deſuper oſſibus eorum.* Excoriabant, nec contenti pellibus nunquam ſaturi ſaturabantur & carnibus. Et quæ huius cauſa eſt? Dominandi poteſtatem emiſſe, & faſtigia nefariis artibus impetraſſe: reſtantur ipſi, dum à lautiſſimo illo regis conuiuio inurbanè ſe excuſant: *Primus dixit ei: villam emi, & neceſſe habeo exire, & videre illam, rogo* Luc. 14. v. 18. *te, habe me excuſatum.* Non poterat Domino approximare, qui villam, hoc eſt, dominationem emerat: iam in his dominationem ementibus Iudæorū præſides deſignari tradit Chryſoſt. apud Chryſoſt. D.Thom. *Hos intelligimus fuiſſe eos, qui renne-*

Digitized by Google

runt prædictorum cauſa venire, niſi præſides Iudæorum, quos per totum ſacram paginam de his redargutos eſſe videmus. Annuit Auguſtinus ibi: *In villa empta dominatio notatur.* Auguſt. Itaque faſtigia dignitatum emerunt, & quam emendo inſumpſerant, largè dempto munere redemerunt pecuniam, dum inferunt ſubiectis violentiam: pelles tollunt, carnes abſcindunt, & huius regiminis forma eſt ſubiectorum laniena. Fortè ingentia ſoluerunt lucra, vt qua munus emerent, mutuatam pecuniam acciperent, & iam munus tributarium eſt pecunias mutuanti, & munere vtenti.

198. Moyſes à Deo eligitur populi Princeps, & dum eligitur, & calceamentis nudatur: *Solue calceamentum de pedibus tuis*: Exod.3.v.5. ſibi nudus, & populo opportuniſſimus: virgam prehendit, qua elementis imperet & à Deo electus oculos non amouit à paſtoris officio; imò cum oues in deſertis ageret, calceatus inceſſit: cùm populi Princeps creatus eſt, pedibus inceſſit nudus: minus habuit, dum altius ad faſtigia dignitatis aſcendit. Et quidem hoc erat veluti lapis diuinæ electionis lydius: nam ſi Moyſes dignitatis honore adauctus, & diuitiis diteſceret locupletior, & pretioſis domus ſupellectilibus exornatior: non haberet diuinæ electionis teſſeram, nec paſtoris præſcriberet formam: at dum non ſine reluctantia deligitur, dum conſtringitur mandato, & ipſe incedit nudior, & populus emicat ditior. De Ægypto educitur fractis iam duriſſimæ captiuitatis vinculis, ruptis catenis: & qui olim vel paleis carebant, auro diteſcunt, argentoque exundant: Exod.12. v.35. *Petierunt ab Ægyptiis vaſa argentea, & aurea, veſtemque plurimam.* Ecce non ſolùm populi miſeriam depellit; ſed & diuitiarum copiam adauget: illos educit, olim diſcalceatos vti ſeruos: iam vti ingenuos calceis & veſtibus decenter ornatos; cùm tamen ipſe olim calceatus, inceſſerit modò nudus: *Duo arbitror per hoc ſignificari*, ſcribit Theodoret. Theodoretus quæſt.7. *primum quidem vt religioſiorem hac ratione illum redderet; deinde verò vt prædoceretur qua ratione oporteat ſacerdotes in tabernaculo deſeruire.* Seleucienſ. Conſonat Seleucienſis Baſilius orat.26. *Nec cùm ab ouibus oculos amouiſſet, artem paſtoritiam deſiit; ſed comprehenſa virga elementis imperabat, & conſerui vox lata paſcebat Iſraël.* Ecce Moyſes à Deo electus non excoriat, non carnibus nudat; ſed paſtoris agit officium, quàm anteà, nudior, & religioſior: ſe omnibus abdicauit, vtque olim pro diuitiis habebat gregis commoditatem, ita modò ſe putabat diuitem, ſi commodior ſubiectis regeret, & vtilior omnibus imperaret: diuinæ electionis teſſeram in nuditate ferebat, quam ambitioſus deleret, & ſuperbus obſcuraret.

199. Conferamus ſi placet, Dauidem Abimelecho: hic à Ioathã ſub rhamni ænigmate deſcribitur: Iudic.9.v.14. *Dixerunt omnia ligna ad rhamnum: Veni & impera ſuper nos.* Dauid non rhamno ſimilis; ſed Pſal.51.v.10 fructiferæ, ſpecioſiſſimæque oliuæ ſpeciem gerens: *Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Dei.* O quàm diuerſa, ſibique oppoſita vtriuſque arboris ſunt officia! Rhamnus totus hiſpidus, & totus tribulis obarmatus accedentes pungit, & ex ſe flammis euomitis dum agitatur vento, vel diſtantes adurit: oliua lucis mater miſeris procurat ſalutem, & vlceratis vulneribus ſanitatem: ille namque qui in prædonum manus inciderat, olei auxilio, blandiſſimi liquoris fomento ſanitatem recuperauit, periculum depulit; ſed cùm vterque rex fuerit, & Dauid & Abimelechus, non erit abs re indagare, cur alter adeò alteri diſſimilis, cur alter ſpinoſiſſima planta pingatur; alter verò fructuoſiſſimæ oliuæ ſpecie declaretur. Non tacuit textus, dum qualibus quiſque thronum artibus inſcēderit, retulit, Abimelech ambitione exæſtuãs cognatos corrupit, vt dignitatis illum honoribus decorarent: *Abiit Abimelech filius Ierobaal in Sichem ad fratres matris ſuæ: & locutus eſt ad eos.* 1.Reg.16. v.1. Dauid de mapalibus adducitur, à regni cupiditate remotiſſimus, prorſuſque alienus: *Imple cornu tuum oleo, & veni, vt mittam te ad ad Iſai Bethlehemitem: prouidi enim in filiis eius mihi Regem.* Hic diuino decreto quæſitus eſt ad regalem thronum: ille humanis artibus ad regni peruenit faſtigium. Ergo qui intruſus, populo fuit inſtar rhamni: qui à Deo electus, inſtar oliuæ. Quid è rhamno ſperes, niſi diſpoliari, niſi dilacerari, niſi exuri? Et quid ab oliua niſi oleum lucis nutrimentum, vulnerum medicamen, cultuſque nitorem? Qui à Deo eligitur, fructiferæ oliuæ munus exercet, qui inſcendit humani fauoris artibus, aut fortunatis ambitionis ſucceſſibus, acri vanitatis præſumptioniſque vento agitatus vel cedros adurit, & à quo ſperandum erat auxilium, graue ſuſtinetur tormentum. *Non ſine concurſu gratia*, ſcribit Baſilius Seleucienſis orat. 26. Seleucienſ. *Dauidem Samuel vnxit, vnaque cum oleo gratia ſpiritus circunfundebatur, & paſtoritiis lapidibus Goliat appetitus violentè occubuit. Ouium paſtor ſpiritus miles euaſerat, & ouicula ritu è Goliati faucibus Iſraël extractus eſt.* Ecce quam fructifera oliua Dauid extiterit, quandoquidem contribules metu liberauit, & appetens iugum, antequam premeret colla, fregit. Abimelechus rhamni ingenium induens fratrum ebibit ſanguinem, & reipublicæ maturauit digniſſimam mortem: à Deo electus omnibus ſaluti fuit, humano fauore promotus omnibus fuit excidio, & omnes ardentiſſimo vſtulauit incendio.

Dum improbus dæmon ambit imperium, & 200.
conſulit caſum: *Hæc omnia*, aiebat, *tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* Matth.4. v.9 Non potuit diſiungere adorantis caſum ab ambitioſiſſimo imperio. Tranſi mente ad alium montem, vbi Chriſtus Dominus fulgurans ſpectaculum edidit: ibi à patre Magiſter Princepſque deſignatur: *Ipſum audite.* Quid tunc? Diſcipulos metu proſtratos leuat, ne caſum ſuſtineant: *Acceſſit Ieſus, & tetigit eos, dixitque eis: Surgite, & nolite timere.* Matth.17. v.5. Itaque hic cadentes erigit, ille caſum conſuluit: nec mirum, quando Chriſtus Dominus rex à patre conſtituitur, & virulentiſſimus hoſtis artibus iniquiſſimis eleuatur. Quid ſperes ab ambitione niſi ruinam! Quid à medico, niſi medelam? Qui à Deo eligitur, omnes erigit: qui vanus inſcendit cacumen, omnes allidit. Felix reſpublica, cui Princeps à Deo electus contigit, infauſta, quæ prælatum ambitione intruſum ſuſtinuit: *Lapſus quærit*, aiebat Chryſol. Chryſologus ſerm.13. *præcipitia imperat.* Dum ambitio imperat, præcipitium iubetur, & ruina omnibus maturatur.

§. XLV.

Digitized by Google

§. XLV.

Sic nonnulli deſipiunt criminum famulatui addicti, vt libertatem repudient, & ſeruitutem anhelent.

201. NOn eſt procliue vitiis aſſuetum virtutibus informari, & ad rectitudinem citò flecti. Incurua robora induſtriæ calore explicantur, & ad rectitudinem reducuntur; verùm diuturna conſuetudo ſic naturæ inſita illam ad ſe traxit, vt non credideris vitium eſſe naturæ; ſed naturam vitij: vt enim inſertus extraneus ſurculus totam plantam ſuam conuertit, in indolem, & iam frugiferam ſe miratur oliuam, qui inutilis natus eſt oleaſter, vtque de inſito ſaporem trahit, qui naturalem depellat, & ab origine transfuſum corrumpat. ita accidere ſolet homini: vitium illi inſeritur, & iam natura rationalis prorſus videtur amiſiſſe rationis prærogatiuam, & tranſiſſe ad appetitus inſaniam: & quidem vt ſemel inſita arbor aliam non facilè inſitionem admittit, aut admiſſam fouet; ita cui inſerta peccandi conſuetudo, virtutis ſurculum repudiat, & quidquid rationi conſonum, de peccandi conſuetudine ignorat, *Cupio me hercule am cum tuum reformare*, aiebat
Seneca. Seneca epiſt. 112. *vt deſideras, & inſtitui; ſed valdè durus capitur; imò potius, quod eſt moleſtius, valde mollis capitur, & conſuetudine*
Ita induratur peccator, vt rationem non admittat. *mala ac diutina fractus. Non qualibet inſitionem vitis patitur; ſi vetus & exeſa eſt, ſi infirma graciliſque, aut non recipiet ſurculum, aut non alet, nec applicabit ſibi, nec in qualitatem eius, naturamque tranſibit: ſic, de quo ſcribis, & mandas, non habet vires, indulſit vitiis, ſimul & emarcuit, & induruit: non poteſt recipere rationem, non poteſt nutrire.* Solùm qui rationi ſeruit, ſeruitutis iugum excuſſit; cumque homo eo peccandi conſuetudine deueniat, vt nullatenus rationem admittat, nec excutere velit infame iugum; imò aliquando violenter ablatum ſuſpiret anxiè, ceruicem ſubdere aſſuetus, & ſine vitij onere plus grauatus. Deus ſuæ miſericordiæ vel inſtigantibus offenſionibus memor iudices ſuſcitauit, qui afflicti Iſraëlitarum populi calamitatibus ſubuenirent, quique à miſerorum collis grauiſſimum ſeruitutis iugum depellerent: *Cùm Dominus iudices ſuſcitaret, in diebus eorum flectebatur miſericordia, & audiebat afflictorum gemitus, liberabat eos de cæde vaſtantium.* Violenter fruebantur libertate, lubentiſſimè premebantur ſeruitute. Ecquis hoc ait? Ipſe ſanè textus: ſubiungit namque: *Poſtquam autem mortuus eſſet iudex, reuertebantur, & multo faciebant peiora, quam fecerant patres eorum, ſequentes deos alienos, ſeruientes eis.* Itaque grandi Numinis prouidentia de captiuitate extracti ipſa libertate affligebantur, & antiquam ſeruitutem ambiebant ſtudioſiſſimè: adeò namque inſita idololatria deprauatos in ſe animos prorſus conuerterat, vt libertatis ſurculum non admitterent, & ſeruitutem amarent. Huc voco, quod
Philo. aiebat Philo lib. de temulentia: *Vitiis adſueti more voluntariam ſeruitutem ſubeuntium vltro ſibi acerbos dominos aſciſcunt, quamuis ingenui.* Ipſi amant vitiis inſeruire, ipſi repudiant ſpiritus libertate gaudere: adeò inoleuit peccandi conſuetudo, vt ſolùm ambiant delinquere, & faſtidiant virtutibus ſtudere.

Prodigus ille, qui ad patris vitam fatigabatur vitiis indulgere diſcupiens, in longinquam 202.
regionem profectus eſt: *Diſſipauit ſubſtantiam* Luc. 15 v. 13
ſuam viuendo luxurioſè; verùm qui copioſiſſimum ea celeritate cenſum profundere ſtuduit, vt citiſſimè inops & pauperrimus manſerit, adhuc abactus & repulſus, quia diſpoliatus, vitia deſerere non ſolùm non cogitabat; ſed ſtudioſius fugientibus adhæreſcebat. Noſcebat, etſi ſera experientia à laſciuiæ cultricibus ſe non admiſſum perſonæ amore; ſed diuitiarum cupidine; & tamen cui vendatur, Dominum quærit, & quod ab inopia acceperat, repudiauit libertatis beneficium, & improba conſuetudine ſeruitutis ipſe quæſiuit dehoneſtamentum: *Abiit, & adhæſit vni ciuium regio-* Chryſol.
nis illius, & miſit illum in villam ſuam, vt paſceret porcos. Seruiebat libidini diues, manumiſſus eſt pauper; verùm adeò erat in ſeruire aſſuetus, vt ipſe dominum ſibi ſolicitauerit manumiſſus: *Adoleſcens iſte planè non ætate; ſed ſenſu*, inquit Chryſologus ſerm. 1. *qui congregauit bona patris, & abiit longè plus mente, quam loco, vt dato, non accepto pretio miſera ſe venderet ſeruituti.* Non ſeruiuit bello captus, non infami progenie exortus; ſed ſuo deprauato arbitrio ſubiectus: ipſe emit dominum, & cùm iam paupertatis beneficio iugum excuſſiſſet, improba conſuetudine perſuaſus iugum iterum ſuſpirauit: *Abiit, & adhæſit vni ciuium regionis illius*, vt repetat Chryſologus: *Deputatur porcis, porcis addicitur, porcorum traditur ſeruituti.* Ipſe ſe tradidit, ipſe ſeruitutis dedecus, vt quiret faſtigium gloriæ, anhelis votis ambiuit: *Abiit & adhæſit*: vel excuſſus adhæreſcebat, vel abactus rogabat, vt videas qualem ad ignominiam, mentiſque cæcitatem improba deduxerit conſuetudo, quandoquidem miſer non poterat viuere ſine iugo: quia libertas illi ingenua iam extiterat pro tormento.

Populus cùm Moyſes cum Deo de condendis legibus ageret, deos ſibi producere quærit; 203.
vrgetur Aaron: *Surge, fac nobis deos, qui nos præ-*
cedant. Apim, quem ſub vituli ſpecie in Ægy- Exod. 32. v. 1.
pto adorauerant, depoſtulaſſe tradit Interlinearis apud Lippoman. *Quia bouem adorauerunt* Interlin.
in Ægypto, aliud forſitan idolum non ſuſciperent. Itaque etſi Ægypti iugum iam mitis extracti abiecerint, aſſueti bouem adorare iterum pro boue inſtant, quaſi ſine ſacrilego illo cultu nec poſſint viuere, nec gaudere. Quid tunc Aaron? Ingens pro conflando vitulo aurum depoſcit, inaures videlicet, quas populus libentius offert: *Fecit populus quæ iuſſerat, deferens inaures ad Aaron.* Huius inſanæ cupiditatis penicillo miré depicta eſt humani cordis ineptia, & conſuetudinis efficacia: plurimis retroque inuiſis miraculis populus ille ſeruitutis ignominiam depulerat ingenuitati originis redditus; verum reſtaurauit originis gloriam ob conſuetudinis ignominiam: maluit antiquo idolo inſeruire, quam libertate gaudere: & quia iam victores vti mancipia reiectitia ſub haſta nequibant vendi; ipſi inſaniæ temeritate ſatagunt dominos ſibi mercari. Adeſt
Philo Iudæus ſupra: *Ideò cùm vendi non poſſint,* Philo.
miranda temeritate ipſi emunt dominos, idem

faciendo, quod ſolent iſti ebrioſi numquam vino ſatiabiles: nam & hi volentes non coacti magnam meri vim ingerunt, & ſua ſponte ſobrietate profligata ex anima ſibi conciſcunt delirium. Itaque vt aſſuefacti vino ad ſobriam ſolùm mentem redire ſolent, vt iterum mero inſeruiant, & iteratam ſibi inſaniam aſciſcant; ita nonnulli deteſtandæ illius fœminæ Babylonicæ potati calice ſic eius veneno aſſueſiunt, vt ſe concitent, & ad plus bibendum irritent. Ergo populus colla ſubdere, vituloque aſſuefactus inſeruire in Ægypto, idem liber diſcupit in eremo, vt prudenter æſtimes libertatem ſolùm recepiſſe, vt illam iterum infandæ ſacrauerint ſeruituti.

204. Saul à dæmone inhabitatus mirè inſaniebat: tranſuerſim agebantur oculi, ne rectè aſpiceret: de mentis arce præcipitabatur prudentia, vt æque nunquam cenſeret: aderat Dauid, qui cantu malum leniret, & vice medicaminis hymnum in dæmonem iaceret: Saul ad ſobriam mentem reducebatur, impurato illo ſpiritu cantu excuſſo, & melodia abacto: *Leuiùs habebat: recedebat enim ab eo ſpiritus malus*: iam menti reſtitutus non ſine irarum ſignificatione haſtam in Dauid contorquet, vt flagitiis dæmonem iterum reuocarit: (1.Reg 16. v.23.) *Tenebat Saul lanceam, & miſit eam putans quod configere poſſet Dauid cum pariete, & declinauit Dauid à facie eius ſecundò.* Seleucienſis Baſilius orat. 15. haſtam ieciſſe putat, vt ſobrietatem abigeret, & abactum impuratum ſpiritum reuocarit, quaſi iam ſceleſtiſſimo hoſpitio aſſuefactus nequiret viuere ſobrius. Audi Baſilium: *Redintegratur inuidia,* (1.Reg 18. v.11.) *& in ægritudinem tranſit ægritudo, rurſuſque per inuidiam dæmonem vocat, nec ſine irarum ſignificatione haſtam iacit in Dauidem.* Expende illud, *Rurſus dæmonem vocat*: anteà hoſpitio excepit, non vocauit; verùm iam eam de hoſpitis ſocietate deteſtandam oblectationem cepit, vt ſine hoſpite ſe putaret non poſſe viuere, nec (Seleucienſ.) lætari: ipſe abactum reuocat, & ſobrietati reſtitutus ſobrietatem dæmoni conſecrat, & furiis dicat: *Quaſi ad mentem ſobriam*, præmiſit Baſilius, *ideò ſe recepiſſet, vt iterum ſeruiret inuidiæ.* Parum illi videbatur aduenianti dæmoni vitiis excultum, & nidoribus ſuffitum hoſpitium exhibere, niſi & fugientem reuocarit, & quodammodò renitentem adduxerit: iam non poterat degere ſine furiis, qui initio cum furiis nequibat viuere: non ſolùm in ægritudinem tranſiuit ægritudo; ſed in naturam conuerſa eſt. O quàm plus timendum eſt, quàm ab ipſa nequitia, & à nequitiæ perſeuerantia, quandoquidem quod initio conſcientiæ iniiciebat morſum, iam tranſiit in delectabilem appetitum! Quæ prius timori afferebant cruciatum, tranſeunt poſteà in oblectamentum, & ipſa naturæ prauitas de vſu conuertitur in naturam: (Martial.) vt reperi poſſit illud Martialis: *Zoilus non eſt vitioſus; ſed vitium.*

205 Lex conditur Exodi 21. ad ſpeciem ſuperuacanea, vt ſcilicet Hebræus ſeruus, qui ſeptimo anno libertate gaudebat, æternam ſeruitutem ſubiret, ſi repudiata libertate ſeruitutem (Exod.21. v.5.) proſequi vellet: *Si dixerit ſeruus: Diligo dominum meum, & vxorem, ac liberos, non egrediar liber, offeret eum dominus diis,* &c Sanè pro impoſſibilibus lex cenſetur inepta, quando nullus eius vſus, nec eius exercitio tempus: ergo hæc lex, ſi prorſus non inepta, ad ſpeciem cenſetur ſuperuacanea: quis namque libertatem adeptus pro ſeruitute velit commutare, aut excuſſum iugum ſibi iterum vltro imponere: ſeruitus vt in plurimum violentiæ eſt fructus, non voluntatis partus: ergo cùm ſeptem elapſis annis redeat libertas, non adeò obbruteſcet, vt ſeruitutem amet voluntas. Profectò lex vti à Deo condita, prudentia & eruditione refulget plena: eò namque ſeruiendi conſuetudo deduxit homines, vt ſe faſtidiant liberos, & ament ſeruos; ſolùm exoptant gaudere libertate, vt commutauerint ſeruitute: attritis namque iugi vſu ceruicibus ſolùm ſciunt colla obliquare, neſciunt erigere: tunc ſe putant ſeruos, cùm ſe habent liberos, tunc quidem liberos, cùm ſe ſubiecere ſeruos: *Ille qui erat ſeruus*, ſcribit D. Thomas apud Lippoman. (D.Thom.) *nolebat beneficio legis vti, vt liber exiret: vnde pro pœna ei infligebatur, vt in perpetuum ſeruus remaneret.* Nouit ſapientiſſimus legiſlator futuros homines? quibus libertas ingrata, & ſeruitus de vſu iucunda, ob idque legem condidit, qua efficaciam conſuetudinis edoceret.

Inuitabatur quis ad regalis ſaporatas menſæ delicias; ſed repudiato honore ruſticus & in- 206.
ciuilis reſpondit ſe boues emiſſe: *Iuga boum* (Luc.14.v.19.) *emi quinque*: & cui emit iuga? Non bobus ſanè; ſed ſibi: nec contentus eſt ſingulare mercari iugum; ſed quintuplex: profectò toroſa bouis ceruix gemit vnico attrita, & adeò frons hominis dura eſt, vt laborem non ſentiat iugis quinque defatigata: *Iuga*, inquit: *emi quinque.* Viuere non poterat ſine iugo, & ne vel exigua libertatis ſpes maneret, multiplicibus, eiſque grandi pretio emptis ſe deuouit, conſecrauit, addixit. Adeſt Auguſtinus apud D. Thomam: (Auguſt.) *Dicuntur iuga boum, quia per ſenſus iſtos carnis terrena requiruntur: boues enim terram verſant.* Cum ſine iugo eſſe non poſſint, quale illud eſt, vt excuſſo vno, eoque vtpotè Chriſti ſuauiſſimo, quinque ſuſpirent. Iuga emunt ſibi, ſi alius illos non emerit iugo, vt videas quàm malè homines cum libertate conueniant, & quàm anhelis ſeruitutem ſibi votis requirant.

---

§. XLVI.

Peccati via ſubiectis aſpera, Superiori inuenitur aſperrima.

INiquitas quò longius à natura degenerat, 207.
eò proximiùs calamitati ac dolori appropiat, non eſt adeò complanatum, & periculis liberum vitiorum iter, vt tractus multos non habeat ſcrupulis plenos & confragoſos: imò & prærupros. Profectò ſudandum eſt, vt per virtutis incedas ſemitam; ſed & egregiè laborandum, vt per vitiorum, quantumuis latam, inceſſeris viam: eſt enim tribulis conſita, ſpinis inſerta, & periculis immixta: *Amicum tuum hortare*, aiebat Seneca epiſt. 36. (Seneca.) *vt iſtos magno animo contemnat, qui illum obiurgant, quòd vmbram & otium petierit, quòd dignitatem ſuam deſtituerit, & cùm plus conſequi poſſet, prætulerit, quietem omnibus. Quàm vtiliter negotium ſuum geſſerit, quotidie illis oſtendet: hi, quibus inuide* (Ambitioſi aut eliduntur, aut cadunt.)

inuidetur, non deſinent tranſire. Addit moraliſſimè *Alij elidentur, alij cadent.* Itaque qui ambitionis ſectantur viam, qui per vitiorum iter ad ſpeciem complanatum gradiuntur, perferunt & colliſiones & caſum. Vitium difficultatibus armauit prouidentia, quo temeritatis refrænaretur audacia. Et quidem vt roſa exertis ſpinis veluti ſpiculis defenditur, ſic vitium difficultatibus obarmatur. Non eſt obuium aliena pulchritudine frui, facile non eſt ſtudere adulterio, & cupiditatis delirio; verùm etſi obſcuris hominibus nonnullam vitium difficultatem obiiciat, illis tamen, qui ob vitæ inſtitutum, quique ob dignitatis faſtigium puriores candicare tenentur, grauiora opponit obſtacula, & difficiliora obiectat impedimenta. Ecce Hebræi, quibus per deſertorum etiam confragoſa viam virtus ſtrauerat, complanaueratque, ſopitis torridis Solis æſtibus, & temperatis noctis horroribus vitia ſectantur, idola colentes, & deteſtandis ritibus adorantes. Et quidem adeò appetitus nebulis impeditus rationis oculus caligauit, vt viam difficultatibus plenam ſibi promiſerint delicioſam: *Non dimiſerunt adinuentiones ſuas, & viam duriſſimam, per quam ambulare conſueuerunt.* Profectò duriſſima erat via, quia difficultatibus plena, & periculis copioſa; verùm cum illam non ſolùm Hebræi; ſed allophyli etiam calcarint: ait namque de Hebræis textus: *Multo faciebant peiora, quàm fecerant patres eorum, ſequentes deos alienos, ſeruientes eis, & adorantes illos.* Nobis quærendum eſt, cur duriſſima Iſraëlitis præ cæteris deſcribatur, & denotetur. Idem ſanè idolum ab allophylis adorabatur vt proprium, ab Hebræis colebatur vt alienum: vnde ergo durior erat hæc via veri Numinis cultui dicatis, quàm erroribus ſemper addictis? Dura erat via vel allophylo, quando opus erat filios Saturno litare, Iouis item copioſis muneribus delinire, fulmen aut præſtigiis arcere verùm dum his innutriti, conſcientiæ non patiebantur morſum, nec iudicij reluctantis cruciatum; at Hebræi verum Deum agnoſcentes, dum alienis impendebant ſeruitium; non poterant ratione contradicente conſcientiaque repugnante non ſuſtinere tormentum: quod allophylis durum, religioſis Hebræis, & ad dignitatem euectis compro-
Hugo. babatur duriſſimum. Adeſt Hugo Cardinalis: *Peccati via dura eſt in laicis, durior in clericis, duriſſima in prælatis.* Non adeò durum eſt ſæcularem vitiis innutritum cupiditati addici, vt Eccleſiaſticum à peccati via remotiorem crimina colere, & cupiditatibus ſtudere: nec adeo diſſonat crimen in clerico, vt diſplicet in prælato. Adde hanc duritiem non ſolùm à rationis diſſonantia oriri; ſed à difficultatibus etiam generari: nam cùm difficilius ſit modeſtiam profitenti occaſionem, opportunitatemque ad exercendum vitium inuenire, aut parare, laborioſius diſponuntur, quæ à laico facili negotio parantur. Non poſſunt, qui ſub obedientia viuunt, ſe vt vellent, vti: non poſſunt, qui in culmine degunt, ab adſtantium oculis ſe ſubtrahere: vnde plus illis dureſcunt difficultates: quia maiora obſtacula, & grauiora impedimenta.

208. Probemus, ſi placet de grauiori infligendo pro perſonarum qualitate ſupplicio: probaturi poſteà de obſtaculo. Viam iniquitatis ingrediebatur muliercula cupiditate inflammata, & ſpebus vanis illuſa: *Vadam poſt amatores meos, qui* Oſeæ. 2. v. 5. *dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam, & linum meum, oleum meum, & potum meum.* O quantas in via illa ſibi erroris penicillo voluptuoſas depingebat cupedias, quas ſanguinolentas poſteà adinuenit ſpinas: *Propter hoc ego ſepiam viam tuam ſpinis.* Putabat ſe roſas odoriferas calcaturam, & ſpinis doluit terebrata. Conferamus, ſi placet, locum hunc cum illo Lucæ 10. vbi diues homo ab Ieruſalem ad Iericho deſcendens in ſæuas adeò latronum incidit manus, vt & diuitias abſtulerint, & inflictis altis vulneribus etiam ſanguine diſpoliarint: Luc. 10. v. 30 *Incidit in latrones, qui etiam deſpoliauerunt eum, & plagis impoſitis abierunt ſemiuiuo relicto.* Et cur fœminam mordaces ſolùm ſpinæ lacerant, quandoquidem eamdem viam inuenitur ingreſſa: aut cur hominem illum grauis adeò diſcrucient calamitas, & duplici vita hoc eſt ſalute & auro priuet aduerſitas? O quam lenior promanat vel à Numine offenſo pœna, quàm à creaturis beneficio etiam obſtrictis mulcta! dæmones, quibus homo ille paruerat, ſæuiſſimis vulneribus confoderunt, Numen à muliere offenſum ſparſis pientiſſima manu tribulis lacerauit: nec mirum cum dolores alibi ſparſerit flagrans ſalutis ſtudium, & ardentiſſimum alibi plagas inflixerit odium. Verùm reuertamur ad rhetim. Qui à Ieruſalem ad Iericho deſcendebat, erat generis Princeps Adamus ad ſacerdotij vt Tertulliano placet dignitatem euectus, & regimine creaturarum donatus: ergo quo ſacratior, nobiliorque deliquit, & viam ſibi duriorem inuenit. Adeſt Auguſtinus apud D. August.
Thomam: *Homo iſte ipſe Adam intelligitur in genere humano: Ieruſalem ciuitas pacis illa cæleſtis, à cuius beatitudine lapſus eſt.* Locus vbi Adamus degebat, longius ab itinere Iericho diſtabat: vbi viuebat mulier, proximior erat: ergo qui à remotiori loco progreſſus, & plus laborauit defatigatus: vbi generis Princeps ipſo dignitatis honore frænatus, & ſacerdotij dignitate impeditus diſruptis tot honeſtis vinculis viam carpſit, duriora ſupplicia inuenit: nec enim adeo deliquit mulier de vitioſa radice orta, nec tot virtuti titulis dedicata, ac Adamus in paradiſo degens, de afflatu Numinis viuens ac imperio creaturarum refulgens. O! duriores deprædantium ſibi crediderunt manus, qui ſacratiori degunt loco, quique diuiniori vtuntur officio. Dura erit laico peccati via: ſed Eccleſiaſtico durior prælato grauior.

Iudæorum Pontifices mentito religionis, ac 209.
Sabbathi cultus zelo indulgebant ſæuiſſimo in Chriſtum odio, cumque his egregiè flammis adurerentur, miniſtros impiiſſimos delegarunt, qui illum caperent, captumque adducerent: Ioan. 7. v. 32. *Audierunt Phariſæi turbam murmurantem de illo hæc; & miſerunt Principes & Phariſæi miniſtros, vt apprehenderent eum.* Profectò actio ab animo diſſidere videtur: nam ſi deſiderant iniquiſſimis votis, ſi ardentiſſimis anhelant deſideriis Chriſtum capere, cur aliis committunt? Nonne ſatius per ſeipſos rem aggredi, quandoquidem nullas odium moras permittit, nec in explendo negotio ignauiæ lentitudinem ſuſtinet? Certè miniſtri de more lentiores, vtque non adeò ſæuis odij, inuidentiæque flammis aduſti, patebunt tardi: odio ergo ſuo iniuriam

irrogant, dum miniſtros ſolùm delegant. Fortaſſe quis ſuſpicetur tales de more tribunalium eſſe miniſtros, vt ad affligendum Chriſtum præ reliquis deputêtur aptiores. O quàm furunt in innocentiam, ô quàm lædunt ipſam iuſtitiam, ô quàm deprædantur inopiam, quàm ſuſpiciunt contra legem opulentiam; verùm hîc miniſtros delegarũt, vt faciliùs rem exequerentur: oportebat namque ſine tumultu, ſine ſtrepitu, ſine populi notitia rem fieri, nec Phariſæus vti religioſus, nec Princeps vti ipſa dignitate grauatus poterat opportuno tempore, aut ſine pompa prodire, & deſiderata adimplere: ergo per miniſtros odio ſuo adulantur: quia per ſe ipſos rem exequi difficiliùs & laborioſiùs.

Chryſoſt. *Ipſi quidem*, ſcribit Chryſoſtomus apud D. Thomam, *non audebant Chriſtum capere periculum timentes; miniſtros autem mittunt.*

Euthym. Aptius Euthymius: *Cùm ipſi frequenter tentaſſent, nec potuiſſent, miniſtris rem commiſerunt.* Itaque non adeò erat facile Phariſæis, Principibuſque vota per ſe ipſos executioni mandare, vt miniſtris erat implere, Phariſæi namque vtpote religioſi ipſo vitæ inſtituto arcebantur, ne inuidiam oſtenderent, ne contra innocentiam inſurgerent. Principibus erat arduum ſine pompa incedere, & populi notitiam vitare, vnde mille difficultatibus præpediti, & ipſa experientia edocti rem miniſtris committunt, nec ipſi abſoluunt: *Cùm ipſi frequenter tentaſſent, nec potuiſſent, miniſtris rem commiſerunt.* Iam rem per miniſtros aggredi impedimenta illorum explicuit. Sæcularis homo multa per ſe ſine alieno ſubſidio quit perficere, quæ religioſus, & prælatus non valet agere: opus eſt ſæpè non ſine rubore operis alienis vti, & induſtria aliena adiuuari.

210. Cum impio edicto Pharao naturam concluſiſſet, Hebræorum infantes iugulabantur: erat commiſeratione digniſſimum videre recens natos nondum ſolare lumen contuitos vorticibus deuoratos: generari erat crimen, & quod Dei efformabat manus ſolertia, Pharao ambitionis obliterabat inſania: hac tempeſtate natus eſt Moyſes veluti gratiarum manibus factus, & totus ad miraculum venuſtus: cumque eius parentes fluuio expoſuiſſent, Pharaonis filia, quæ leuandi animi cauſâ per fluminis crepidinem gradiebatur, capſulam contuita, vnam è famulabus miſit quæ infantem afferret,

Exod. 2. v. 5. *Cùm vidiſſet fiſcellam in papyrione, miſit vnam è famulabus ſuis.* Contra patris edictum eleganti puero vitam deſiderat elargiri; verùm quia per ſe ipſam non poteſt, famulæ, cui confidebat, opus committit: ecce vt regis filia pulchritudine pueri allecta, legique refragata fruitur votis, opus eſt mille commentis: Hebræa vocatur clanculum, quæ nutriat, famula muneribus ſubornatur, vt taceat, ac denique Principis filia homini per ſe non potuit accedere, cùm ſeruæ fuerit facillimum proximare. Et quàm anxiè putas torquebatur, dum famula tenderet, dum adduceret, dum extraheret: & quàm putas patris iram extimuit, dum nutriretur abſconſus, dum adoleſceret innutritus. Pulchritudine hominis feriebatur; ſed mille difficultatibus impediebatur, & cum facile fuerit puellæ contra edictum regis extrahere, dominæ non erat facile poſſidere.

Philo. Adeſt Philo Hebræus lib. 1. de vita Moyſis: *Ferunt à capite ad calcem contemplatam, miratamque formam, & habitudinem ploranti condoluiſſe.* Addit ingenioſus Hebræus: *Cumque didiciſſet eum eſſe natum ex Hebræis parentibus tunc edicto regis territis, conſultaſſe de alendo puero: nec enim tutum videbatur confeſtim eum ferre in regiam.* Deſiderabat vehementer puerum ferre in regiam, vt eius pulchritudine frueretur; erat tamen difficilimum, vt quod ſeuerum patris vetuiſſet edictum: vnde neceſſum fuit Hebrææ nutricis opera, & famulæ fide vti: & cùm Hebræa facilè potuerit nutrire, reginæ erat difficillimum occultare.

ſ. XLVII.

Homines ad vitia ſemper propenſi, virtutes aliquando colunt adacti.

211. Aliquando diſplicet homini vitium, virtus placet aliquando. Hinc citò facileque redeunt homines cum vitio in gratiam, & diſſoluunt facile cum honeſtate amicitiam.

Seneca. *Cupit ipſe* (aiebat Seneca epiſt. 112. de quodam, qui virtutem aliquando ſuſpirabat, cùm ſemper vitio indulgeret) *noli credere: non dico illum mentiri tibi, putat ſe cupere: ſtomachum illi fecit luxuria; citò tamen cum illa redibit in gratiam.* Exaſperatur aliquando homo conſcientiæ morſu, rationis latratu, auri diſpendio, ſalutis periculo, & tantiſper in ſe recedit; verùm citiſſimè voluptatis blanditiis delinitur, & fallaciis prolectatur: homines vitam ſuam & amant & oderunt; verùm id inter vitium, virtutemque diſcrimen eſt, quod vitium frequentiſſimè illis placet, & ſemel aut tarò diſplicet: virtus è contra ferè ſemper illis diſplicet, ſi aliquando, ſemelque placuit. Hinc naſcitur procliuitas ad vitium innata, & difficultas ad virtutem immenſa:

Aug. nam, vt aiebat Auguſtinus, *Trahit ſua quemque voluptas*, cumque in vitio collocatam putauerint, facillimè trahuntur, cumque omni oblectamento nudam virtutem crediderint, aduerſantur vt horridam, & diffugiunt vt auſteram. Hebræi mille incommodis ad virtutem inſtigabantur, preſſi, & miſeriis ferè extremis adacti, aliquando tandem ſuſpirauere virtutem: *Clamauerunt ad Dominum*; verùm ſi tantiſper illis reſpirare permiſſum, antiqua conſuetudine impulſi, ad antiqua vitia reuertebantur exprompti. Itaque ad vitia currebant auidè, ad virtutem aliquando trahebantur inuitè. *Poſtquam mortuus eſſet iudex, reuertebantur, & multo faciebant peiora, quàm fecerant patres eorum.* Viuente iudice timore compulſi virtutem non amabant; ſed à vitiis abſtinebant; at illo demortuo, cùm vrgens ad virtutem deeſſet metus, inuolabat ad vitia expromptiſſimus appetitus: *Reuertebantur, & multò faciebant peiora*: vt de exceſſus vitio tempus illud reſtituerent, quod viuente iudice metu compellente negarunt.

Abulenſ. *Conſuetudo in naturam tranſit.* Itaque vitiis tributarij quæ aliquo tempore metu impediti non ſoluerunt tributa, poſteà curabant cumulatiùs ſoluere vectigalia: *Erant Iſraëlitæ*, ſcribit Abulenſis q. 15. *aſſueti ad colendum idola in Ægypto, & poſteà in terra Chanaan, ideò licet aliquando ex neceſſitate quaſi compulſi colerent Deum; tamen rurſus*

data

Digitized by Google

data opportunitate redibant in idololatriam. A vitio recedebant inuiti, ideò ad illud redibant expromti: vt è contra quia ad virtutem accedebant adacti, ab illa non recedebant inuiti. Profectò virtuti ob neceſſitatem aliquam cultæ parum fidendum eſt: citò namque homo cum vitiis redit in gratiam: & quia cultus virtutis eſt adurgentis neceſſitatis effectus, vbi defecerit cauſa, & virtutis ſeriam auolabit reuerentia.

212\. Prodigus ille cenſu diues, auro copioſus, ſalute robuſtus in regionem longinquam properat, quò vitiis effrænatior inſeruiat: *Profectus eſt in regionem longinquam, & ibi diſſipauit ſubſtantiam ſuam viuendo luxurioſè.* Patris immemor degebat, cum valida fames eas ad anguſtias redegit, vt porcos ingenuus paſceret, & nobiliſſimus gregi cœnoſo inſeruiret; verùm cùm vile illud miniſterium attereret vires, nec ſatiare valeret famem, in patris domum redire cogitur, & vrgentiſſimis ſtimulis famis adducitur: *Quanti mercenarij* in domo patris mei abundant panibus; ergo autem hîc *famè pereo. Surgam, & ibo.* Expende diſcrimen, nulla neceſſitate compulſus virtutem deierat, luxuriam amat: at cùm abiurat vitium, fame aduritur, cùm virtutem ſuſpirat, periculo mortis vrgetur: quaſi ab extrinſeco ad virtutem tractus eſt, & quaſi ab innato deſiderio in regionem illam longinquam properauit: dum neceſſitas non vrget: dum fames non cogit, non ſolùm virtus exulat ab affectu; ſed etiam à cogitatu: virtutis, prorſus immemor degebat, dum opulentus; ſolùm meminit fame aduſtus, vt noueris quàm expromptè ſequantur homines indecora, & quàm coactè aliquando amplectantur honeſta. Adeſt Chryſologus ſerm. 2. *Fames reuocat quem ſaturitas exularat*: fames illi patrem dedit ſapere, cui copia tulerat ſentire *genitorem.* Sapuit patrem de inedia, cùm non ſentiret de copia: cum ſui iuris eſt, cùm à nullo adigitur, & voluptatibus conſectatur, ſolúmque virtuti reſtituitur, cùm lurida fame adurgetur. Iam in ipſo animi propoſito relucebat illa coactio: *Surgam*, inquit, & ibo ad patrem meum, & dicam ei... *Fac me ſicut vnum de mercenariis tuis.* Tempus ſeruituti taxauit, cùm luxuriæ non præſcripſerit: cum adhæſit ciui porcos paſturus, tempus intra modum non cohibuit; ac cùm ad patrem rediit, mercenarij munus ſubire voluit: quod expendens citatus Chryſologus aiebat: *vt* locatione annua ſeruitus *innouetur*: noluit tunc patri officium exhibere niſi per annum, vt poſteà recedere quiret, ſi vellet; at luxurioſæ vitæ tempus non præſcripſit, ne poſſet, quamuis recedere vellet: temporis ignorauit menſuram, vbi voluptas allexit: circumſcripſit modum, vbi fames ad patrem traxit, vt agnoſceres hoc ob neceſſitatem violentum, & illud ſemper expromptum.

Luc. 15. v. 13.

Chryſol.

213\. Duo piſces modò memoriam ſubeunt. Tendebat Tobias Angelo comitatus, cumque ad Tygris ripas tantiſper ſubſtitiſſet, pedes emaculare cupiebat; cùm immanis fera proſiluit, vt iuuenem deuoraret: *Ecce piſcis immanis exiuit ad deuorandum eum.* Alibi cùm ab exactoribus Cæſaris didrachma exigeretur, Dominus Petro præcipit piſcem hamo extrahere: *Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies ſtaterem, illum ſumens da eis pro me & te.* Tendat ad mare Petrus; ſed quid hamo opus, quando exiuit piſcis è Tygri ſine hamo: ſi cùm Tobias accedit ripæ, currit expromptiſſimè bellua, cur non exeat, dum accedit Petrus, niſi hamo violentiſſimè tracta? Ipſe textus diſcriminis innuit rationem: piſcis Tygrim deſerens inuolabat innocentiam deuoraturus: hic neceſſum erat præbere aurum quo Petrus & Chriſtus redimerentur: ergo de operum diuerſitate & affectuum etiam nata eſt diuerſitas: piſcis expromptiſſimis votis vel natiuas aquas deſeret, vt noceat, vt deuoret, vt diſponet, vt inſeruiat crimini; at hamo trahit, & quidem non ſine violenta induſtria, vt inſeruiat virtuti, & Chriſti Domini opituletur neceſſitati. O quàm hic piſcis vltro non exiret, vt aurum Domino offerret. O quàm vltro ille proſiluit, vt raperet! Alter inuolauit ad deuorandum, eluctatus eſt alter, ne exiret ad ſuccurrendum: *Iſte piſcis primus captus*, ſcribit Hieronymus apud D. Thomam *eſt primus Adam, qui per ſecundum Adam liberatur, & id quod in ore eius, hoc eſt in confeſſione fuit inuentum, pro Petro & Domino redditur.* Vide quanta violentiæ fuerit opus; quanta induſtria, quantis illiciis, vt peccator peccata confeſſione euomat, vt cœnoſa loca relinquat; cùm tamen ſine violentia deuoraturus exierit, & ad carnem inuolarit. Annuit Origenes ibi: *Cùm videris auarum hominem ab aliquo Petro correptum, qui abſtulit de ore eius verbum pecuniæ, dices eum aſcendiſſe de mari.* Vt peccator reſtituat, quæ aliena vorauit, hamo erit opus; imò priùs ſanguinem effundet percuſſus, quàm aurum reddiderit ſpontaneus; aſt ad vorandum innato appetitu properat, & gradum properanter accelerat.

Tobiæ 6. v. 2.

Matth. 17. v. 26.

Hieronym.

Origen.

214\. Ænigmate pro penicillo vſus Dominus hominis erga vitium & virtutem ingenium eleganter expreſſit: *Homo quidam*, inquit, *deſcendebat ab Ieruſalem in Iericho, & incidit in latrones*: vulneratus, diſpoliatuſque iacebat, cùm Samaritanus appropians miſericordia motus eſt, & alligatum, iumentoque impoſitum in ſtabulum tulit: *Duxit in ſtabulum, & curam eius egit.* In homine percuſſo peccatorem exprimi tradunt Patres: hic ergo Iericho verſus tendit ſpontaneus; ad ſtabulum verò peruenit adductus: quod ſi diſcriminis cauſam cupis agnoſcere, audi ab Euthymio: *Deſcenſum ab Ieruſalem in Iericho* (intelligimus) *viam à virtute ad vitium, & ab obedientia ad inobedientiam, & à ſublimi viæ inſtituto ad terrenam conuerſationem: eſt enim Ieruſalem ſublimis; Iericho verò humilis.* Audiſti qualis ſit deſcenſus, audi quale ſit ſtabulum: *Diuerſorium*, addit Euthymius, *eſt Eccleſia.* Vt Eccleſiam intret, vt præceptis ſe ſubdat, neceſſum eſt duci illigatum, illigari percuſſum: vt liberiorem vitæ ſtylum ſuſpiret, non erit opus ducatu: quia ipſe properauit deſcenſu, ipſe deſcendit ad Iericho; ſed ab alio ad Eccleſiam eſt ductus, & ad ſalutem promotus. Neſcio quo inſano appetitu ad vitium tendimus, neſcio quo irrationabili tædio honeſtatem faſtidimus: *Deſcenſum intelligimus viam à virtute ad vitium.* Quàm nullo ſollicitante hanc viam infelix viator ingreſſus eſt, quàm ad diuerſorium non peruenit niſi alio ducente! Profectò ni periculum vitæ adurgeret, nec

Luc. 10. v. 30

Euthym.

nec ab alio ductus iret. Vitium Ierichuntinas roſas obiecit; ſed prædonum ſpicula occuluit, & quamuis nulla ſine ſpinis roſa, homo iſte vt frueretur roſis, deſpexit morderi ſpinis: vitium doloribus immixtum eſt, & tamen ambitur: virtuti innatum eſt gaudium, & tamen contemnitur: ni vulnera vires debilitaſſent, ne duceretur ad Eccleſiam, validè teſtitiſſet; ipſe deſcendit ad vitium ſanus, ductus eſt ad Eccleſiam infirmus, nec perueniret, niſi ægritudinis beneficio, nec à Iericho auerſus eſt tam graui ſalutis damno. Adhuc vulneratus ab incepto itinere non deſiſtebat: nec Samaritanum vocauit, vt ſubueniret; ſed forte accedenti reſtitit, ne diuelleretur ab optatis vltrò ſe committebat periculis.

§. XLVIII.

Hominibus pluris eſt vitium vtilitati coniunctum, quàm diuinum ſine humana vtilitate præceptum.

215. Rex noſter eſt animus, hoc incolumi cætera manent in officio, parent, & obtemperant: ſi paululum vacillauerit, ſimul omnia nutant, & in quam ſe inclinauerit partem, ſequuntur: pro ratione ſemper debet ſtare, vtpote rationis cunabulis natus, & ab honeſtate innutritus; verùm neſcio quibus ſerpentinis præſtigiis faſcinatus, & impeditus ſe voluptatis inſaniis, & euanidis ambitioſiſſimè tradidit lucris: nec ſolùm hęc expromptè ſequitur; ſed quę ſolida & honeſta, animitus auerſatur. Quàm benè Seneca epiſt. 75. *Qui aliquid virtute melius putat, aut vllum præter illam bonum; ad hæc cùm à fortuna ſparguntur, ſinum expandit, & ſolicitus miſſilia eius expectat.* De rege tranſit animus in tyrannum, nec iam rationis attendit normam; ſed cupiditatis, vtilitatisve inſaniam: ſe fortuitis tradit, vnde ingentem ſibi materiam perturbationis inueniet: vna hæc via eſt ad tuta vadenti externa deſpicere, & honeſto contentum eſſe; at quia homines ſolùm contenti ſunt vtili, deſpicere didicerunt honeſtum: experiuntur ludos facere fortunam, & in hunc mortalium cœtum honores, diuitias, & voluptates excutere; & tamen concitatiſſimo impetu in illam partem prorumpunt, cui maiorem harum rerum copiam contigiſſe intuentur: minuta pro maximis habentur, vnde & gratia perit, & amor ad honeſta ſæpiſſimè languet. Hebræi veritatem edocti mendacium ſequuntur, & idolis ſequendis deuouentur veri Numinis repudiato cultu, & religioſo refutato venerationis affectu: *Non dimiſerunt adinuentiones ſuas, & viam duriſſimam, per quam ambulare conſueuerunt.* Quærit Abulenſis, cur ſuetam patribus virtutis viam reliquerint, contrariam ingreſſi, & rationi prorſus oppoſiti? reſpondetque quæſt. 15. Deum aliquando dum eius religionem amplecterentur fame & inopia tentaſſe, illoſque ob id exaſperatos anguſtiis ad idolorum religionem inuolaſſe: quaſi ex illorum cultu feliciora ſibi tempora crediderint, & fortunatiora ſibi ſæcula reputarint: *Cauſa huius erat, quia Deus ad tentandum Iudæos, vel ob alias cauſas forte aliquando, quando colebant eum, permittebat famem, vel aliqua incommoda ſuper eos, & aliquo tempore, quo colebant idola, euenerunt eis proſpera: & quia Iſraëlitæ erant populus rudis ſoli ſenſui traditus, colebant illum in Deum, cuius tempore videbant ſibi temporalia bona euenire.* Ratio honeſtatem proponebat, vtilitas ad idololatriam vocabat, & temporum ſolùm attendentes diſcrimen in Deum adorabant, non qui illos optimis motibus inſtrueret; ſed qui diuitiis, vt putabant ipſi, repleret: Deus apud illos erat, qui copioſiora commoda largiretur, quaſi diuinitas non conſtaret magnitudine; ſed largitate. O quoties qui largior, nobilior, qui liberalior, honeſtior. Aurum eſt veluti diuinitatis patria, magnitudinis officina, Deitatis, etſi falſæ, ars: nam illum omnes Numinis ad inſtar religionibus colunt, à quo copioſiora munera accipiunt: ſequuntur homines tempora, non honeſtatis præſcripta; & ille habetur cæteris dignior, cuius ætas fortunatior: euentibus cæci magnitudinem metiuntur: vnde ſi infauſta euenerint dum ſeruitur Numini, illum Deitate exaugurant, ſi euenerint proſpera, dum idolo obſequuntur, diuinum prædicant.

Seneca. *Ad fortunæ miſſilia ſinū expandimus*

Abulenſ.

216. Ieremias acri obiurgatione refractarium populum reprehendebat ad veritatis ignorationem ferè perductum, & idololatriæ erroribus obcæcatum; ille verò quaſi regeretur ſtudio, prodidit, dum frui vtilitatibus idolorum tempore obiecit: *Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te; ſed facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore noſtro, vt ſacrificemus reginæ cæli, & libemus ei libamina: ſicut fecimus nos & patres noſtri, reges noſtri, & Principes noſtri in vrbibus Iuda, & in plateis Ieruſalem, & ſaturati ſumus panibus, & benè nobis erat, malumque non vidimus.* Debitum Numini abiiciunt cultum, reginæ cæli adorationis amplectuntur delirium: quia dum à veritate alieni, diuitiis onuſti, vti paupertate preſſi, cùm Numinis religioni dicati, *Ex eo autem tempore*, addunt apud Ieremiam, *quo ceſſauimus ſacrificare reginæ cæli, & libare ei libamina, indigemus omnibus, & gladio & fame conſumpti ſumus.* Ecce quam amplectantur cultus regulam, & adorationis normam: ratio ſi algens, ſi diuitiis nuda, ſi voluptatibus caſſa, veluti probroſa abiicitur: idololatria ſi auro fulgens, ſi vtilitates promittens, ſuſpicitur, & ſacrilego cultu adoratur: nec enim homines res de qualitate taxant; ſed de vtilitate lance iniquiſſima ponderant. Adeſt Gloſſa moralis: *Vt ſacrificemus reginæ cæli, id eſt Lunæ, per quam ſignatur fortuna, eo quòd eſt variabilis ſicut illa: vnde dicit quidam: Rota fortunæ variatur imagine Lunæ: creſcit, decreſcit, in eodem ſiſtere neſcit:* Subiungit Gloſſa; *Omnes autem prædicti in cultu fortunæ ſunt occupati: nam ad quærendum bona fortunæ ſunt totaliter intenti.* Fortunam ſequuntur, honeſtatem reſpuunt, & in ipſo cultu Lunæ probantur iniurij, quando placentas offerunt non in magnitudinis proteſtationem, vt adorauerint; ſed in propriæ cupiditatis obſequium, vt plura acceperint. Lunæ offerunt, dum pertumida, dum integro lumine plena; at ſi cadat, ſi lumine viduetur, abiiciunt eius cultum prorſus reſpuentes, & ad fortunatiorem ſemper migrantes. Omnes ſequuntur fortunam, omnes adorant proſpera, cùm ferè omnes, ſi nuda, auerſentur honeſta: putat aliquando idolum illum venerationis religioſum cultum

Ierem. 44. v. 16.

Gloſſa.

cultum impendi ſibi, cum ad ſpeciem deuotus ſuæ ſolummodò perſoluat cupiditati: vel Deus ipſe relinquitur, ſi acciderint infauſta; vitium colitur, ſi acciderint opportuna.

217. Ioſeph ſe fratribus excellentiorem ſomnio videt, & refert, illi verò vſque ad ſomnia inuidentiæ rabiem extendentes, ne adorauerint, vendiderunt: (Gen. 37. v. 7.) *Putabam nos ligare manipulos in agro, & quaſi conſurgere manipulum meum & ſtare, veſtroſque manipulos circumſtantes adorare manipulum meum.* Poſt ſomnium hoc aliud refert, & ad ſpeciem auguſtius: *Vidi per ſomnium quaſi Solem, & Lunam, & ſtellas vndecim adorare me:* Pro notho venditus Ægyptum intrat, & nauigato non ſine labore inſani amoris pelago inſcendit thronum ſterilitati opportunum remedium prouida ſolicitudine præbiturus: aduentant fratres, & iam quem rebantur Ægyptium, ſubmiſſo vultu, & profunda ceruicum inclinatione fratrem adorant: (Gen. 42. v. 6.) *Cumque adoraſſent eum fratres ſui.* Duo nobis ad inſtruendos mores expendenda locus hic præbet: primum ſomniorum ordo cenſeri potuit inuerſus: nam ſi intendebat Deus fratres ad Ioſephi venerationem allicere, nonne opportunius eſſet priùs à Sole, Luna, ſtellisque impendi obſequia, quam exhiberi à manipulis officia? Profectò dignior apparebat cultu à cælis adoratus, quàm manipulis ſuperpoſitus: ergo referatur priùs cælorum obſequium, & poſtea manipulorum officium. O ſapientiam immortalem! Dum Ioſephus adoratur à cælis, eius oſtenditur clariſſime dignitas, dum tritici manipulus eleuatur; fratrum præſagitur commoditas, adeóque homines vtilitate ducuntur, vt facilius alliciantur, ſi ſperauerint fructum, quàm ſi cæli adſpiciant exemplum. Dum à cælis adoratur Ioſephus, nullum ibi apparet vtilitatis veſtigium, dum manipulus flaueſcit, iam apparet vtilitatis præſagium: ergo dum vult Deus illorum inuidiam flectere, priùs depingit ipſorum commodum, & poſtea Ioſephi meritum: mouentur namque homines tardius merito, celerius lucro. Benè; ſed ſi fratres ſtellis redimitum, cæleſtibus fulgoribus illuſtratum adorare animitus adeo renuerunt, vt ne adorarent, vendiderint, cur ipſum ſub Ægyptij ſpecie adorare non renuunt; ſed cultu allicere ſibi ſtudioſe diſcupiunt? Certè dignior erat Ioſephus, in cuius animo omniũ virtutum floribus amœniſſima prata vernabant, quàm Ægyptius opinione idololatra, in cuius ad ſpeciẽ animo vitia omnia degebant; & tamen fratres Ægyptium ambitioſe adorant: & Ioſephum adorare repugnant. Et quæ diſcriminis ratio eſt? Obuia equidem: dum à cælis audiunt adoratum, dum cæteris manipulis ſuperpoſitum, non præſagiunt ipſi quid ab ipſo ſe accepturos; vident meritum, non tamen ſperant lucrum; at ab Ævpto famis ſperant ſolatium, etſi nullum viderint meritum, adeóque ingenium hominum obbruteſcit, vt ſolum adorent, quod ſpes alit, & reſpuant, quod nuda virtus oſtendit: ſi putaſſent ipſi in manipulo famis præſignari remedium, nullatenus impendiſſe tenuerent cultum, quandoquidem Ægyptium ad ſpeciem ariolum, auguratoremque quia eius ſæculum fortunatum. & adorauere ſubmiſſi, & demiſerunt vultum ad terram vſque depreſſi. Hebræum ſyderum vocibus acclamatum, & omni virtute excultum dum nulla illis ſpes apparet, non ſolùm renuent colere; ſed moliantur pro notho vendere, quò noueris cultum fortunæ impendi, perſonæ, aut virtuti non ſolui. Adeſt Rupertus apud Lippoman. (Rupert.) *Primo introitu beneuolentiam Principis ambientes adorauerunt, id eſt, regio more ſalutauerunt. Quam ob cauſam adorauerunt? Videlicet, vt emendi, quæ vellent, haberent licentiam: nam vt alimenta emerent, idcirco cum ſaccis ſuis aduenerant, quod facere abſque Ioſeph imperio, vel nutu non poterant: edixerat enim, & hanc legem ſtatuerat Pharao dicens: Ego ſum Pharao: abſque tuo imperio non mouebit quiſquam manum aut pedem.* Itaque Ioſeph dum Principi placet, dum ab illo præfertur, ab omnibus adoratur, cùm pro ſe cælum habet, contemnitur. O quàm aliter ſuſpiciunt homines Ioſephum throno, quàm agro: dum in agro, vendunt; dum in throno, colunt: ſequuntur fortunam, & non attendunt perſonam: vel Ægyptium ad ſpeciem idololatram colent, ſi ſperauerint: à Sole cultum deſpicient ni lucrum aliquod præſagiuerint.

---

§. XLIX.

Cum Deus in hac vita punit peccata, ad ſpeciem videtur iratus, ſed reuera probatur benignus.

218. VT ſæpè odium amoris comitur fuco, ita & amor & odij tegitur velo: *Meliora ſunt vulnera diligentis,* ſcribit Sapiens, (Prouerb. 27. v. 6.) *quàm fraudulenta oſcula odientis.* Itaque & in ipſa vulneris inflictione relucet amor, & in ipſis oſculis odium. Appetitui indulgere, ſceleta permittere, & delinquenti adulari, non eſt amantis, etſi aliquando vtilitati ſit conſulentis: paternum erga iuſtos Deus amorem habet, illos expolit, & in ſui imaginem præparat. Argutè Tertull. in Apologet. c. 12. quas gentiles putabant diuini odij impreſſas Chriſtianis notas, ardentiſſimi probauit amoris euidentiſſimas flammas, quandoquidem gentiles ipſi, quos ad diuinitatis cultum euehere deſiderabant, variis inſtrumentis, & laboribus perpoliebant: *Vngulis deraditis latera Chriſtianorum; at in deos veſtros per omnia membra validius incumbunt aſciæ, & ruſcinæ, & ſcobinæ.* Itaque vt idolorum artifices aſciis, ruſcinis, & ſcobinis atterunt, vt compta, vt expolita, vt lucidiora aris conſecrent, & ad diuinitatem inaugurent. Ita Deus quos æternitati deſiderat ſacrare, laboribus & ſuppliciis nititur expolire, vtque artifex in idolum odij flammas oſtenderet, ſi incomptum & expolitum, ne læderet, cultu & veneratione priuaret: ita odij clariſſimum eſſet argumentum otio voluptatique deditum nulla adhibita correptione relinquere, & imbutum malis deſerere. Quod patitur in hac vita Chriſtianus, diuini erga illum eſt amoris argumentum: nam viuidius reſplendet, dum expolitur patientia, & animi commendat fortitudinem tolerantia. Ecce Iſraëliticus populus difficilis ingenij, ceruicis duræ ſibi ipſi ſæuior hoſtis ad falſum idolorum cultum tranſibat, & auitum ac legitimum deſerebat. Quid tunc? Iras Deus pietate plenas aduocabat, & variis afflictionibus inſaniam frænans nititur exterminare culpam, vt æternis poſſit gaudiis dicare vitam: *Iratus eſt furor Domini in Iſrael, & ait: Quia* (Abulenſ.)

irritauit

irritum fecit gens iſta pactum meum, quod pepigi cum patribus eorum, & vocem meam audire contempſit; & ego non delebo gentes, quas dimiſit Ioſue, & mortuus eſt. Iratus refertur: quia ſpeciem refert irati; at latebat ardentiſſima amantis flamma ſub illa vmbratili odientis cruſta: *Iratus eſt furor Domini in Iſraëlem*, ſcribit Abulenſis quæſt. 15. *id eſt videbatur iratus contra Iſraëlitas, eo quòd inferebat eis malum.* Dum fame adurit, dum cladibus frangit, dum ſeruituti ſubigit, videtur ad ſpeciem iratus; ſed vti pater in filios, quos anhelat de correctione ſeruare, non de ſuppliciis occidere.

219. Dominus nauim cum diſcipulis inſcendit, & in ipſa naui à magiſtro tantiſper diſtant, ipſeque Luc. 8. v. 23. dormit: *Nauigantibus illis obdormiuit. Et deſcendit procella venti in ſtagnum, & complebantur, & periclitabantur; accedentes autem ſuſcitauerunt eum.* Et cur Dominus inuſitata tempeſtate diſcipulos vexat, cur per momenta periculis defatigat? Elati venti, horriſonus fluctuum ſonitus, rudentes cum velo collapſi, cæteraque inſtrumenta colliſa adeò diſcipulos diuexabant, vt quodammodò mortem eligerent, ne crebrum terrorem diſcriminis ſuſtinerent. Et cur Dominus adeò eos angit? Prodidit textus: *Et accedentes*, inquit, *diſcipuli*! ecce afflicti accedentes referuntur, cùm ante acceſſum diſtantes inuenirentur: ergo & tempeſtatem ciuiſſe non erat ad illos torquendum: ſed ad vocandum: *Eſto mihi*, Seleucienſ. aiebat Baſilius Seleucienſ. Dei nomine orat. 21. *Diſcipulorum præceptor, ô mare, & pro flagro fluctuum terrorem iniice: attollantur vndæ tuæ, armentur venti, iactetur vndequaque ſcapha, naufragij minæ intententur, mors oſtentetur, mortis expectatione pendeant.* Audi quæ ſubnectit: *vſque ad ſpem tamen ſtet terror: nam terreri volo, non occidi.* Non procellæ periculis diuexabat, vt occideret; ſed vt traheret, & quidem euentus euidenter declarauit ſtudium; nam vbi acceſſerunt, mare purpuraſcebat, venti cogebantur, & tempeſtas prorſus ſedata eſt: ſi anteà acceſſiſſent, & tempeſtas deferbuiſſet antea: erat namque totus procellæ apparatus ad terrorem vocandum diſtantes, non ad tradendum naufragio Chriſto olim adhæreſcentes: non orta eſt procella ab ira, ſed à grandi miſericordia, quandoquidem ſi adſpirante fauonio placidè vndas ſchapha traiiceret, & diſcipulus à magiſtro diſtaret; at dum ſub ſpecie furoris ſæua tempeſtas armatur, & diſcipulis prouidetur.

220. Ficum habebat Dominus plantatam in vinea ſua; illa verò glebæ pinguedine abuſa euanidam nutriebat pompam, pompaticam foliorum viriditatem, quin ſaporatos produceret fructus, aut agricolæ debitos perſoluere curaret prouentus. Luc. 13. v. 6. *Ecce tres anni ſunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio: ſuccide ergo illam, vt quid etiam terram occupat?* Vineæ agricola veniam exorat, accuratius circa arborem illam ſtudium ſe impenſurum promittens: Domine dimitte illam & hoc anno, vſque dum fodiam Auguſt. circa illam, & mittam ſtercora. Auguſtinus apud Diuum Thomam per ſtercora, ſordeſque dolorem intelligit peccatori incuſſum, & ſtudioſè, induſtrieque conciliatum: *Sordes cultoris dolor eſt peccatoris.* Profectò videbatur colonus arboris ſuſcepiſſe cauſam, & inuenitur procuraſſe miſeriam: profectò ardentior illuxit amor per tam longa tempora diſſimulando, quàm ligone duro fodiendo: putaſne viuidiùs amaſſe plantam cultorem fodientem, quàm Dominum per longa tempora expectantem? Profectò tenerior videtur Domini affectus, cum diſſimulat, cùm in tempus aliud ſpem mittit, cùm falli ſe patitur, cùm ne ferro arborem lædat, reprimitur. Imò non adeò tenerè amabat, dum luxuriantem permittebat diſſimulatione patientiæ, quàm dum amputat luxuriantes ramos, quàm dum fodit, quàm dum ſtercore affligit: poſt illam namque patientiam imminebat arbori excidium: *Succide illam*; at poſt culturæ labores, poſt ſordium æſtum, poſt ſtercoris ignominiam & eluſo periculo floret, & dulces fructus producit: *Dimitte illam & hoc anno*, ſcribit Auguſtinus, *id eſt tempore iſto* Auguſt. *ſub gratia, vſque dum fodiam circa illam: circumfodere eſt humilitatem & patientiam docere.* Itaque cùm ad fructum ficulnea patitur, tempus eſt gratiæ, cùm permittitur inutiliter frondeſcere, ad nitorem ſolummodò virere non erat tempus gratiæ, etſi fuerit indulgentiæ. Itaque viuidius ardet amor, dum exercet arboris patientiam ad fructum, quàm dum diſſimulat ad miſerabilem caſum: dum in vlteriora tempora differtur mulcta, & arboris creſcit inſania, & de inſania durior fulminatur ſententia; aſt dum ferro domatur, dum vtiliter præciditur, reprimitur pompaticus faſtus, & dulcis prouidetur fructus: patitur ramorum inciſiones, ne funditus eradicata marceſcat, & ignis pabulum ardeat.

Elias ille magnus, vt vidit homines ad Dei 221. iniuriam partis diuitiis abuti, religioſo zelo adductus nubibus iniecit clauſtra, pluuiam ſuſpendit, & terram herbis, plantis, ac floribus viduauit: *Viuit Dominus Deus Iſraël, in cuius conſpectu* 3. Reg. 17. v. 1. *ſto, ſi erit annis his ros & pluuia, niſi iuxta oris mei verba.* Profectò Elias odio, eoque ardentiſſimo in ſuos concitari videtur, quando bonis omnibus regio priuatur: & quid facere potuiſſet virulentiſſimus hoſtis præterquam ſiti adurere, fame torquere, & bonis tam è cælo, quàm è ſolo partis priuare. Ergo Elias patienter ſuorum errores ſuſtineat, quo amoris flammas oſtendat. Imò, inquit Baſilius, non amaret adeò ardenter, niſi puniſſet, & ſuppliciis emendaſſet: vidit populum vſque ad auctoris ſui ignorantiam perductum Dei erga ſe charitatem in impietatis materiam conuertentem, debitum Deo cultum dæmonibus impendentem, & ira piiſſima impietatis materiam abſtulit, & ad reſipiſcentiam perduxit. Ne populus æternum ſitiret diuitis illius ad inſtar, qui clamabat: *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti* Luc. 16. *ſui in aquam, & refrigeret linguam meam*; ſiti tempus præſcripſit, vt ſiti ſitim medicaretur, & quaſi auxiliaretur de peruerſo, dum ferè eaſdem qualitates adhibebat aduerſus peſtiferas periculi qualitates: ſiti macerat; ſed ad tempus, ne populus immetato tempore pateretur ſitim: nec tenerè adeò diligeret, ſi iniqua compaſſione temporalem ſitim differret, quo populus ſitim æternam incurreret. Adeſt Baſilius Seleucienſis Seleuc. orat. 21. *Ira pietatis auxiliatrice adſumpta vocem emiſit, quæ cælo legem ſiccitatis impoſuit.* Et iterum: O ira pietatis plena! Videtur Eliæ vox dura, videtur odio ad ſpeciem illita; ſed erat pietate & amore plena. Cælum frænat; ſed vt homines frænet, ne præcipitati intereant,

&

Digitized by Google

& interempti diſpareant. Et quidem eo ſupplicio Iudæi, qui in idolorum venerationem inclinauerant, ad Creatoris agnitionem conuerſi ſunt, & propriis edocti calamitatibus cæli Dominum agnouerunt, fameſque fuit religionis magiſtra. Itaque plus amauit, dum ſuppliciis correxit, quàm ſi diſſimulanter nouis morbi accretionibus occaſionem de tolerantia procuderet.

222. Iſraëlitæ vt erant ingratiſſimi, linguas in Deum armatas gerebant, criminabantur anguſtum potum, inſipidam eſcam, cauſabantur ſe de Ægypto eductos, & per marinos vortices fuiſſe tranſuectos. Quid tunc? Deus oppanſa nube torridi æſtus depellebat ardores, & horridæ noctis caligines: *Dominus præcedebat eos ad oſtendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis.* (Exod.13. v.21.) Zeno Veronenſis in hac nube durum iam præſagiti iudicium autumat. (Zeno.) Audi illum ſerm.1.de Exodo. *Columna nubis te perduxit per diem, vt oſtenderet cæcum, ignis columna per noctem, vt admoneret arſurum.* Et cur vmbra placida ardentet minetur flammam? Cur nubes ab ardore defendens nubem illam, quia iudex eſt aduenturus, flammaſque eiaculaturus prænuntiet? Ratio facilis: quia præſente Deo ille populus probabatur ingratus: dum ergo ingrato placidas miniſtrat vmbras, dum depellit omnes moleſtias, extremas in futurum & præmonet etiam anguſtias. Clementius cum populo actum eſſet, ſi laboribus doctus, & anguſtiis diuexatus ab impietate refrenaretur; at dum liberrimè indulget vitiis, & dum nubes cunctis liberat etiam moleſtiis, prænuntiat arſurum flammis, hæc namque patientia rigoris adiutrix eſt, quando abuſi Numinis tolerantia in grauiores præcipitantur culpas, & ſceleribus onuſti grauiores ſuſtinere coguntur pœnas. Plus Deus amat, quos ad veniam arguit, quos ad reſipiſcentiam caſtigat, minùs quos aut tolerat deſpiciendo, aut deſpicit tolerando.

---

§. L.

Virtus nondum reſplenduit cumulatè perfecta, quouſque & opportunitate & exemplo in contrarium vocantibus conſtitit imperturbata.

223. Liquere omnibus non dubito neminem poſſe beatè viuere, niſi fuerit virtutis alumnus ſapientiæque ſtudioſus: beatam vitam virtus effecit perfecta, tolerabilem etiam inchoata; verùm plus operis eſt in ad virtutis faſtigium perueniendo, quàm auiditate tentando. Quàm benè Seneca epiſt 16. (Seneca.) *Plus operis eſt in eo, vt propoſita cuſtodias, quàm vt honeſta proponas: perſeuerandum eſt, & aſſiduo ſtudio robur addendum, donec bona mens ſit, quòd bona voluntas eſt.* Diſertiſſimè dixit: aliud eſt bona voluntas, aliud bona mens: ſæpè namque voluntatis impetus honeſtatis pulchritudine illectus flammeſcit, & prorumpit pulchritudinis amans: facilè tamen citò ille impetus languet, aduerſis non ſemel impeditus, aut contrariis rebus ſolicitatus. Non eſt quod quiſque ſibi citò: & facilè credat eſt namque ad fidem faciendam opus ſe obſeruare ſtudioſè, perſcrutari variè, & excutere non otioſè. Tunc ſibi quiſque prudentiùs credit: cùm, vt citatus aiebat Seneca, ſedet ad gubernaculum, & per ancipitia fluctuantium dirigit curſum. Itaque naucleri ſolertia non celebratur acclamationibus, dum per tranquillum pelagus ſine offenſa dirigit ratem; ſed dum ea arte ſuffulſit, ea gubernandi peritia rexit, vt quamuis coniurati deſcendant ad prælium clari fluctus, & horriſoni venti fruſtrati attulerint plauſum, non nauigio detrimentum. Tunc animum non ſolum virtus format: ſed fabricat: & quidem ſupra petram, cùm eius firmitudinem nec occaſio labefactauit, nec improbum exemplum vacillare coëgit: Quiſquis oppoſitis ab exemplis, occaſioniſque opportunitatibus non habuit virtutis firmiſſimæ teſtimonium, nondum ad virtutis peruenit cumulum. Iſraëlitæ promiſſionis terram ingreſſi nonnullos patiebantur allophylos, quos Deus manere permiſit, vt Hebræorum virtus clariùs conſtaret, & experimento irrefragabili plus luceret: *Ego non delebo gentes, quas dimiſit Ioſue, & mortuus eſt.* Addit cauſam: Abulenſ. *Vt in ipſis experiar Iſraël, vtrùm cuſtodiant viam Domini, & ambulent in ea, ſicut cuſtodierunt patres eorum, an non.* Abulenſis quæſt.15. hanc expetientiam ait referendam non eſſe ad Deum, vtpote omniſcium, nec temporum interuallo erga agnitionem ſuſpenſum; ſed vt conſtaret omnibus an Iſraëlitæ, dum grandis idololatrandi opportunitas ad actum ſacrilegum prolectabat, dum improbum Chananæorum exemplum ferè cogebat, perfecta virtute reſplenderent ornati, an vacillarent concuſſi: Abulenſ. *Senſus eſt quod ipſiſmet Iſraëlitis, & aliis gentibus daretur experientia, an Iſraëlita colerent Deum vel non, præſentibus Chananæis: Quaſi dicat: Manentibus eis in terra habebant maiorem opportunitatem & occaſionem ad colendum idola, quam expulſis eis: ideò ſi expulſi eſſent, non tantùm pateret intentio Iſraëlitarum circa cultum Dei: ſed præſentibus eis verè nota fieret.* Nota indubiaque exiſteret ſæculis Iſraëlitarum intentio, ſi impellenti occaſione, ſi ſuadente exemplo, ſi alliciente opportunitate vetum Numen colerent, nec ad ſacrilegum idolorum cultum deflecterent, at Chananæis expulſis, quantumuis veræ religioni ſtuderent, eorum virtus nondum haberetur perfecta, vtpotè occaſionis prolectantis, opportunitatis allicientis ſuffragia nondum ſortita, nec plauſum de exemplo contrario adepta.

Abrahami virtutem in medium terrarum orbis ſtadium proditurus, quo omnibus & admirationi eſſet, iubet filium poſteritatis ſurculum, 224. ſpei fulcimentum, virtutis brauium ſuper vnum montium offerre, & oculis ſuis litare: Gen.22.v.2. *Tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum....Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis, atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper vnum m ntium, quem monſtrauero tibi.* Cur hæc terra viſionis appelletur, quærunt Patres, & ſacri interpretes; ſed ni fallor, gentium Apoſtolus ad Hebræos ſcribens enodauit arcanum: *In parabolam,* inquit, *accepit.* Hebr.11. v.20. Quaſi dicat Paulus: In illo Iſaaci ſacrificio eſt adumbratum, & Abrahamo cognitum quicquid poſteà in Lippom. Chriſto Domino expreſſum. Adeſt etiam Lippomanus teſtatus montem illum vocati Myrthæ, ſubditque rationem: *Quid enim acerbius vel Abrahæ, vel Chriſto per Iſaac ſignato contingere potuiſſet, quàm paſſionis & mortis horror, &*

T dolor

dolor eo monte exhibitus. Itaque non ſine myſterio in illo præ alio monte ſacrificium offerri iuſſit,quo Abrahami fidem,religionemque egregiè tentatam,& tentatione nobilitatam ſæculis omnibus promulgaret,& abſolutam prorſus oſtenderet. Sed age & explicemus quid locus Abrahamiticæ religioni præ alio contulerit ad elogium: Vidit Abraham propheticis oculis montē illo Chriſtum Dominum à toto Iſraëlitarum populo non ſolùm religione non cultum; ſed immenſo dedecore reprobatum: vidit ibi inter nocentiſſimos homicidas cruci affigendum,& lancea tranſuerberandum,& ibi ab omnibus reprobatum coluit,& dehoneſtato ab omnibus filium dicauit: hoc ergo perfectius eius virtutis erat elogium, & perfectionis teſtimonium indubium: quouſque Abraham, etſi ſuorum exemplo impulſus,& ipſius loci vtpote impietatis ſcholæ documentis inclinatus ibi coluit, ibique filium ſacrauit: magnam de ſe opinionem nondum ſæculis delegarat;aſt dum nec tentaminibus ceſſit, virtute conſummatus illuxit: vbi cæteri deſpiciebant, ipſe venerabatur, & in monte impietatis domicilio ſe geſſit vti in religionis theatro: firmus pro virtute ſtetit, imò quò eius religio omnibus luceret clarior & reſplenderet lucidior: *Tentat ergo non ob ſuam ignorantiam,*ſcribit Seleucienſis Baſilius orat.7. *Sed vt inſtum populis innulget*: vt ſerui virtutem pluribus faciat teſtatiorem, tentatione purgat Abrahamum patientiæ ſimulacrum,vt nitidiori opere oſtentato ſpectantem rapiat in admirationem: nauiculam ventis agitat,quo gubernatoris artem magis admireris. Itaque non ſolum tardabat manum natura;ſed violare præceptum frequentiſſima ſuadebant exempla: ibi ergo deuotior reſplenduit cultus,vbi totius populi confuſaneus deliquit clamor:locus ipſe inter latrones crucifixum oſtendens victimas diſſuadebat offerre; imò ſuadebat Chriſtum Dominum depretiare. Ergo dum tot amoris machinis muri ad inſtar Abrahamus perſtitit inconcuſſus, ſæculis illuxit perfectus. Certè in regione virtutis domicilio virtutem colere vel mediocribus non eſt arduum; at in impietatis regno impietatem proculcare, virtutemque aduerſus exempla oculis frequenter ingeſta colere eſt eximiæ ſanctitatis faſtus, & ſumptuoſior virtutis cumulus.

Seleuc.

215. Cum Moyſes in monte cum Domino differens dies quadraginta ſibi breuiſſimum quidem ſpatium; ſed longum expectanti populo ſæculum poſuiſſet,idolum conflant, ac ſacrilegis ritibus coluit: deſcendit Moyſes, furoreque pietatis patrono percitus vitulum confregit,imminuit,&ne minus inſeruiret religioni zelus,quàm inſeruierat impietati improbus appetitus,ſi diabolica ars conflauit aurum in vitulum magico artificio, ipſe quoque aurum conuertit in cineres non ſine prodigioſo miraculo: iterum montem inſcendit, punita iam culpa bene de populo ſperans, & ſpatium ſimile abſentiæ dicans: deſcendit tandem facie luminibus ſcatente, & quidem ex humana facie radij prodibant, qui Solares longè vincerent, & ad æmulationem nobilem prouocarent: *Ignorabat quòd cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Domini* Iam occurrit non modica difficultas: ſi idem ſpatium priùs in monte poſuit: nec tamen radiis ſolaribus illuſtratur, cur poſteà luminibus rutilat,& fulgoribus cum Sole decertat? Ea ſe mihi offert ratio,ſcilicet fregiſſe vitulum,quem cæteri adorauere procaces,& acclamauere amentes. Nil mirum ſi Moyſes priùs cum Domino differens orationi vacarit,ſi ieiunium coluerit, ſi religionem fuerit amplexus, & contemplationi dicatus; at inter populi væſani errores eamdem animi firmitudinem, & religionem ſeruare,idolumque ab omnibus adoratum minuere erat ſumptuoſius virtutis elogium, & perfectionis clariſſimum argumentum. O quàm videre tunc fuit ieiunium inter differtas populi menſas excultum,zelum parentelæ ſuaſionibus non tepeſcentem,religionem inter peruerſa adeò exempla prorſus illæſam: ergo poſtaquam vitulum fregit ab omnibus adoratum, poſtquam ieiunium coluit à populo ſpretum,poſtquam aurum redegit in cineres ſtudioſè ab omnibus cultum, iure apparuit micantior, & fulgoribus Solis illuſtrior. Profectò dum in monte priùs degeret, lux illa latebat; at dum nec exemplis prouocatus vacillauit,nec vitij opportunitatibus inuitatus à virtute pedem amouit: omnibus micantior prodiuit, & hominem Deo prorſus dignum aſſeruit: Lippom.

Exod. 34. v. 30.

*Dicet aliquis,*ſcribit Lippomanus,*cùm etiam anteà tot diebus fuerit cum ea conuerſatus,& cum eo in monte locutus,cur etiam tunc rediens non fuerit tam ſplendidus? Reſponderi poteſt quòd quia interim multò magis in ſpiritualibus donis,atque diuina contemplatione profecerit.* Profecit in monte ieiunio vacans; ſed & deſcendens profecit à populo toto diſcordans:ideò iam probatus clariùs emicuit, & plus tentatus reſplenduit. Huc voco etiam Chryſoſtomum apud Lippoman. Chryſoſt. *Qui quadraginta dies reliquerat populum,inuenit eum idola fabricantem, & ſeditiones commouentem: deſcendens autem ille de monte increpauit.* Stetit pro virtute eo campo, vbi populus totus pro crimine. Ergo & externis luminibus meruit reſplendere, & perfectionis teſtimonio potiri.

216. Cùm Nathanael ad Dominum aduentaſſet, illuſtre elogium audiuit: *Ecce verè Iſraëlita, in quo dolus non eſt*: cumque elogij rationem Nathanael curioſus inquireret,reſpondit Dominus: Ioan 1. v. 47. *Dum eſſes ſub ficu,vidi te*:præconia adauxit,dum extitiſſe ſub ficu, nec admiſiſſe dolum aſſeruit: ficus arbor fuit, cuius pulchritudine parentes illecti,cuius fructibus inuitati legem tranſgreſſi ſunt: ibi ergo iuſtitiam colere, vbi ficut tranſgreſſionem ſuadebat, vbi exemplum in contrarium vocabat, erat perfectionis ſumptuoſius elogium,& veluti ſæculis celebrandum miraculum. Chryſoſt. *Hæc loquebatur Chriſtus*, ſcribit Chryſoſt. apud D.Thom.*vt inſuſpicabile fiat Chriſti teſtimonium.* Dixerat dolum non habuiſſe; hoc tamen nondum perfectionis oſtendebat faſtigium:ergo ſub ficu illam perfectionem habuiſſe oſtendit, vt perfectionem vti de exemplo & loco tentatam omnibus reddidiſſet inſuſpicabilem. Ergo improba exempla cæcis oculis tranſi, ſurdis auribus voces opportunitatis præteri, ſi ad perfectionis apicem deſideras peruenire, & virtutibus teſtimonium habere.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT TERTIVM.

Vers.1. HÆ ſunt gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret
in eis Iſraëlem,& omnes, qui non nouerant bella Cha-
nanæorum: 2. Vt poſteà diſcerent filij eorum certa-
re cum hoſtibus, & habere conſuetudinem præliandi:
3. Quinque Satrapas Philiſthinorum,omnemque Cha-
nanæum,& Sidonium,atque Heuæum, qui habitabat in
monte Libano,de monte Baal Hermon vſque ad introi-
tum Emath 4. Dimiſitque eos,vt in ipſis experiretur Iſraëlem, vtrum audiret
mandata Domini, quæ præceperat patribus eorum per manum Moyſi, an non. 5.
Itaque filij Iſraël habitauerunt in medio Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, &
Pherezæi,& Heuæi & Iebuſæi: & duxerunt vxores filias eorum, ipſique filias ſuas
filiis eorum tradiderunt, & ſeruierunt diis eorum. 7. Feceruntque malum in
conſpectu Domini, & obliti ſunt Dei ſui, ſeruientes Baalim & Aſtaroth. 8. Ira-
tuſque contra Iſraël Dominus, tradidit eos in manus Chuſan Raſathaim regis Me-
ſopotamiæ, ſeruieruntque ei octo annis. 9. Et clamauerunt ad Dominum: qui
ſuſcitauit eis Saluatorem,& liberauit eos,Othoniel videlicet filium Cenez, fratrem
Caleb minorem: 10. Fuitque in eo Spiritus Domini, & iudicauit Iſraël.Egreſ-
ſuſque eſt ad pugnam, & tradidit Dominus in manus eius Chuſan Raſathaim re-
gem Syriæ, & oppreſſit eum. 11. Quieuitque terra quadraginta annis, & mor-
tuus eſt Othoniel filius Cenez. 12. Addiderunt autem filij Iſraël facere malum
in conſpectu Domini; qui confortauit aduerſum eos Eglon regem Moab: quià fe-
cerunt malum in conſpectu eius 13. Et copulauit ei filios Ammon, & Amalec:
abiitque,& percuſſit Iſraël, atque poſſedit vrbem palmarum 14. Seruieruntque
filij Iſraël Eglon Regi Moab decem & octo annis 15. Et poſteà clamauerunt ad
Dominum: qui ſuſcitauit eis Saluatorem vocabulo Aod, filium Gera filij Iemini,
qui vtraque manu pro dextera vtebatur. Miſeruntque filij Iſraël per illum munera
Eglon regi Moab. 16. Qui fecit ſibi gladium ancipitem habentem in medio ca-
pulum longitudinis palmæ manus,& accinctus eſt eo ſubter ſagum in dextro femo-
re. 17. Obtulitque munera Eglon regi Moab Erat autem Eglon craſſus nimis
18. Cúmque obtuliſſet ei munera, proſecutus eſt ſocios, qui cum eo venerant.
19. Et reuerſus de Galgalis, vbi erant idola, dixit ad regem: Verbum ſecretum
habeo ad te,ô rex. Et ille imperauit ſilentium: egreſſiſque omnibus, qui circa eum
erant, 20. ingreſſus eſt Aod ad eum: ſedebat autem in æſtiuo cœnaculo ſolus,
dixitque: Verbum Dei habeo ad te Qui ſtatim ſurrexit de throno. 21. Exten-
ditque Aod ſiniſtram manum, & tulit ſicam de dextero femore ſuo, infixitque
eam in ventre eius. 22. Tam validè vt capulus ſequeretur ferrum in vulnere,
ac pinguiſſimo adipe ſtringeretur. Nec eduxit gladium; ſed ita vt percuſſerat, reli-
quit in corpore: ſtatimque per ſecreta naturæ alui ſtercora proruperunt. 23. Aod
autem clauſis diligentiſſimè oſtiis cœnaculi,& obſirmatis ſera. 24. Per poſticum
egreſſus eſt. Seruique regis ingreſſi viderunt clauſas fores cœnaculi,atque dixerunt:
Forſitan purgat aluum in æſtiuo cubiculo. 25. Expectanteſque diu, donec eru-
beſcerent,& videntes quòd nullus aperiret tulerunt clauem: & aperientes inuene-
runt dominum ſuum in terra iacentem mortuum 26. Aod autem, dum illi tur-
barentur,effugit,& pertranſiit locum idolorum, vnde reuerſus fuerat. Venitque in
Seirath: 27. Et ſtatim inſonuit buccina in monte Ephraim: deſcenderuntque
cum eo filij Iſraël ipſo in fronte gradiente 28 Qui dixit ad eos: ſequimini me:
tradidit enim Dominus inimicos noſtros Moabitas in manus noſtras. Deſcende-

Digitized by Google

runtque poſt eum, & occupauerúnt vada Iordanis quæ tranſmittunt in Moab: & non dimiſerunt tranſire quemquam. 29. Sed percuſſerunt Moabitas in tempore illo, circiter decem millia [illegible]ines robuſtos, & fortes viros, nullus eorum euadere potuit. 30. Humiliatuſque eſt Moab in die illo ſub manu Iſraël; & quieuit terra octoginta annis. 31. Poſt hunc fuit Samgar filius Anath, qui percuſſit de Philiſthiim ſexcentos viros vomere: & ipſe quoque defendit Iſraël.

§. I.

Commentarius Litteræ.

Verſ. 1. Hæ ſunt gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Iſraëlem, & omnes, qui non nouerant bella Chananæorum.

1. VIrtus elucet rebus aduerſis, & quid quiſque poſſit, aduerſarius patefacit. *Miſerum te iudico*, aiebat Seneca de prouident. cap. 4. *quod nunquam fuiſti miſer: tranſiſti ſine aduerſario vitam: nemo ſciet quid potueris, ne tu quidem ipſe, opus eſt enim ad notitiam ſui experimento: quid quiſque poſſet, niſi tentando, non didicit.* Torpeſcunt animi eneruata felicitate, permadeſcunt ſenſus, niſi acceſſerit irritator, & veluti perpetua ebrietate ſopitos vellicet. Certè periculoſiſſima res eſt felicitas: quia eius ſolet eſſe comes intemperantia. *Quid ni ſatius ſit*, aiebat citatus Seneca, *perpetuam infelicitatem, quæ aduocat ad virtutem, ſuſtinere, quàm infinitis, atque immodicis bonis rumpi?* Hæc eſt ratio, ob quam prouidentiſſimè Deus aliquas gentes reliquit, nec terram Hebræis abactis prorſus inimicis omnibus, dederit. Hebraicum verbum pro *dereliquit*, ſonat quieſcere ſiuit, ſecuritate videlicet permiſſa, & illo timore depulſo; quo anteà penitus conſternati ante victoriam certamen Iſraëlitis concedebant, & ſecum benè actum putabant, ſi duriſſimis etiam conditionibus viuere permitterentur. Hæ ergo gentes, dum in armis viuere Iſraëlitas cogebant, armorum etiam vſum non permittebant ignorari, nec artem militarem dediſci. Profectò reſpublica, quam ars militaris non ornat, reipublicæ nomine indigna eſt, quantumuis floreat, & tranquilla pace gaudeat. Prouidendum eſt in futurum, & pacis tempore diſponendum eſt bellum: ne ergo Iſraëlitarum generationibus bellorum artes ignotæ fuerint, hoſtes aliquos manere permiſit, quos iam enumerat.

Seneca.
Tentatio prodit virtutem.

2. *Quinque Satrapas Philiſthinorum, &c.* Non erat Iſraëlitarum diſſidium cum paucis, cum inopibus, aut imbellibus; ſed cum Palæſtinorum Satrapis, quos ſubiectorum copiæ opulentos, diuitiæ audaces, concordia ferè inuincibiles, vt felicitas alacres, & expromptos effecerat. Horum Satraparum ciuitates fuerunt Aſcalon, Gaza, Azotus, Gathan, Ghekro: præter has autem ciuitates complures alij ſtrenuiſſimi, & infenſiſſimi hoſtes extiterunt, qui nunquam torpere Iſraëlitas permitterent, ſed ad continua bella excitarent; at Iſraëlitæ, qui legi parentes horum debuiſſent animitus fugiſſe conſortia adeò degenerarunt, vt cum eorum filiabus ambierint connubia *Duxerunt*, inquit textus, *vxores filias eorum, ipſique filias ſuas filiis eorum tradiderunt.* Ne paterentur hoſtes, ne bellicis laboribus ſtudere cogerentur, nuptiis ſtabilierunt concordiam, pacem, & amicitiam. Hoc igitur pacto Iſraëlitæ in nationum medio habitare cœperunt, tam alacri contentoque ſtudio, vt nunquam diſciſſum iri metuerent; imò celebratis coniugiis perpetuam fore conſuetudinem deluſi putarent. Deus, ne detritis penitus hoſtibus feræ truculentiſſimæ deſertam, deſolatamque ſolitudinem occuparent, neue Iſraëlitæ otio, vt dicebam, ignauiſſimo torpeſcerent, bellorum miniſtrauit ſemina; verùm Iſraëlitæ, vt ferè ſemper accidit hominibus, acceptum beneficium in dantis detorſerunt probrum, & maluerunt figmentis infanda thura immolare, quàm veritati inſeruire.

§. II.

Commentarius Litteræ.

Verſ. 8. Iratus contra Iſraël Dominus tradidit eos in manus Chuſan Raſathaim regis Meſopotamiæ, ſeruieruntque ei octo annis.

LIcèt Deus ſumma Hebræorum impietate offenſus fuerit; ob illorum tamen ſanctiſſimos parentes, pactumque cum illis initum eas illis pœnas inflixit, quæ ab ſceleribus reuocarent, & antiquam ad religionem reducerent. Et quidem grandis erat miſericordia vindictam culpam à tergo ſequi, ne qui veluti equi rationem conculcauerant, ſi fræno liberi, miſerabilius præcipitarentur, & ipſam vindictæ tarditatem in criminis verterent occaſionem. Diſertè aiebat Theodoricus 1. var. 30. *Nos clementiæ noſtræ ſolita prouiſione* (crimen) *comprimimus, ne paulatim ſinendo grauiorem vindicare cogamur offenſam: benigni quippe Principis eſt non tam delicta velle punire, quàm tollere. Ne aut acriter vindicando æſtimetur nimius, aut leuiter agendo putetur improuidus.* Ergo iniuncta pœna fuit Chuſan cognomento Reſathaim in ſeruitutem tradi, & ærumnis ſeruitutis affligi. Hunc Regem nomen fuiſſe ſortitum à rebus ciuilibus tractandis, & à criminibus puniendis, videtur Paraphraſtes Chaldaicus indicare. Sunt qui opinentur nomen à loco fuiſſe ſortitum, quod videntur indicare Septuaginta interpretes, dum reddunt: *Vendidit eos in manus Chuſar Sathen regis Syriæ fluminum.* Dura ſeruitute oppreſſi excuſſere lethargum, & clamoribus à Deo impetrauerunt auxilium: *Clamauerunt*, inquit, *ad Dominum.* Tot malis medendis Othoniel populi ſuſcepit imperium: de quo poſſet repetere Caſſiodorus, quod 3. var. 43. ſcripſit: *Confundi non debent iura imperante iuſtitia, nec poteſt abiecto fauere ſeruitio libertatis defenſor: aliorum fortè regum prælia captarum ciuitatum aut prædas appetunt, aut ruinas, nobis propoſitum eſt Deo iuuante ſic vincere,* 3.

Caſſiodor.

Septuag.

vt

Digitized by Google

vt ſubiecti ſe doleant noſtrum dominium tardius acquiſiſſe. Id fuit Othonielis dominium, vt doluerint Hebræi tardius illum in Principem inaugurasse, & acquiſiſſe; verùm cui admiranda non venit Dei clementia, qui tot tantiſque iniuriis offenſus primis clamoribus fuit indignationis oblitus, vt repetere poſſit Ambroſius, quod de Theodoſio in eius obitu: *Beneficium ſe putabat accepiſſe auguſtæ memoriæ Theodoſius, cùm rogaretur ignoſcere.* Othoniel Saluator vocatus eſt, vt ipſo nomine moneretur debere ſe & culpas expungere,& miſerias etiam depellere. Certè Saluatoris, Principiſque nomen ſolus ille implet, qui virtutis ſtudioſus, & à cupiditate prorſus alienus. Profectò Marcus Curius cùm illi ob virtutem & benè geſtam Rempublicam tantum agri decerneretur, quantum arando vno die circuire potuiſſet teſte Seneca lib. 7. de benef. ſapienter reſpondit: *Non eſt vobis eo opus ciue, cui plus opus ſit quam vni ciui.* Optimus erat ille imperando, qui abhorrebat à concupiſcendo. Certè qui ſibi terminum non conſtituit, non eſt medendis aliorum affectibus aptus, nec deterendis hoſtibus opportunus. Itaque Othoniel vir iam in populo celebratiſſimus, & reportatis victoriis clarus, Dei ſpiritu afflatus bellum contra hoſtes aggreſſus eſt eo felici euentu, vt citiſſimè Chuſan deleuerit, & populum antiquæ libertati reſtituerit. Non refert textus quibus militaribus copiis inſtructus proceſſerit, quantamque hoſtis militum oppoſuerit manum, vt liqueat triumphum partum fuiſſe non tam humano ſubſidio, quam diuino decreto. Nec ſine cauſa præmiſſum eſt illud: Iudicauit Iſraël, antequam referatur certamen, vt conſtet omnibus primum præcipuumque Othonielis ſtudium fuiſſe ſuorum reformare mores, iamque reformatis hoſtiles domare vires. Certè fallitur quiſquis erga mores ſubiectorum incurioſus, præſumit hoſtes deterere armatus: tardius namque obtinetur victoria armis, citiùs virtutibus. Hic non inuenies aliquam prædæ, aut ſpoliorum mentionem: Othonieli namque ſolùm fuit animo ſuos ab oppreſſione liberare, non diuitias acquirere. Profectò cupiditate obſcurati plenis triumphis nequeunt reſplendere conſpicui. *Epaminondas*, teſte Plutarcho in apophthegm. *cum Theſſalorũ Princeps Iaſon Thebanorum ſocius in vrbem veniſſet, atque aureos duo millia Epaminondæ, cui anguſtiæ erant rei familiaris, miſiſſet, aurum repudiauit.* Certè Epaminondas ſi ſitiuiſſet aurum, amiſiſſet & triumphum. Huius belli effectus fuit longa populi tranquillitas, & efflorens per annos quadraginta proſperitas. Per hos quadraginta annos religio inſtaurata eſt, floruit diuinarum legum vigor, & ceſſauit armorum ardor.

Ambroſ. Seneca. Plutarch.

§. III.

Commentarius Litteræ.

Verſ. 12. Addiderunt autem filij Iſraël facere malum in conſpectu Domini: qui confortauit aduerſum eos Eglon regem Moab: quia fecerunt malum in conſpectu eius.

Florente pace abuſi, & optimo rectore Othoniele viduati ad vomitum redierunt, 4.
adeòque fuit pertinax illorum mens, vt otij commoditatem in vecordiæ, libidinis, omniumque deliciarum occaſionem deflexerint, vt verum fuerit illud Catulli lib. 1. *Otium reges ſimul & beatas perdidit vrbes.* Itaque quaſi virtutis illos pœnituerit, vt tempus virtuti impenſum criminibus aliquandò ſoluerent ac reſtituerent, maiora ſcelera cogitarunt, & artibus nequiſſimis adimplerunt. Nec iam Dei faciem verebantur; ſed in ipſius oculis, quò grauior fuerit iniuria, perpetrare non refugiebant ſcelera: *Nec contenti fuerint*, ſcribit Arias Montanus, *præteritorum illorum ſcelerum exemplo, cuius cauſa in ſeruitutem Syris dati fuerint, niſi etiam quietis illius temporis diſpendium flagitiorum numero, & magnitudine compenſarent, vel ſuperarent vagi.* Qui crimina criminibus addiderũt, experti etiam ſunt hoſtes hoſtibus copulatos,& exitiali Hebræis fœdere vnitos. Eglon Moab rex filios Ammon & Amalec in pugnam contra Hebræos aſciuit, quorum ope, armiſque illos inuaſit, & per longa tempora oppreſſit. Palmarum vrbs harum plantarum copia,& ſingulari balſami felicitate nobilis, in ditionem hoſtis deuenit, qui præſidiis ibi collocatis partæ victoriæ per decem & octo annos nullo interturbante potitus eſt. Oppreſſio iterum conſuluit clamorem, & clamor iterum impetrauit ſaluandis ducem. Aod filius Geræ eligitur, & iam populo felicitas oritur. Viri huius familia ex minima tribu erat, nullis famoſis imaginibus, nullis ſplendoris, dignitatiſve ſtemmatibus nobilitata; verùm quod ab origine non accepit, origini Aodus addidit; *Cicero*, ſcribit Plutarchus in apophtegm. *cùm illuderetur eius nomen, monerentque amici, vt id immutaret: redditurum ſe nomen Ciceronis, ait, Catonibus, Catullis, & Scauris illuſtrius.* Itaque etſi nomen, genus, ac familia Aod ex his non fuerint, quæ admirationem ingenerant, conſpicuæ adeò fuerunt eius virtutes, vt principatum ſibi acquiſierit & populum liberarit. Vtraque manu pro dextera vſum tradit textus, quorum verborum interpretatio varia eſt apud varios. Ex Hebræo vertunt nonnulli: *Siniſtra manu ſua dextera.* Septuaginta ambidextrum reddiderunt. Annuit Ioſephus lib. 5. cap. 5. *Vtraque*, inquit, *manu ex æquo promptus.* Conſentiunt Toſtatus, Lyra, & alij plures. Verùm Rabbini, Pagninus, & Caietanus putant dextera manu nihil potuiſſe efficere; ſed ſiniſtra. Conſonat cum his Hebræus textus, qui ita habet: *Virum clauſum dextera manu ſua*, id eſt, dexteræ ſuæ vſu priuatum, & interdictum.

Catull. Montan. Plutarch. Septuaginta. Ioſephus. Toſtatus. Lyra. Rabbini. Pagninus. Caietan.

A prio

A priori ſententia ſto: puto namque elegiſſe Deum hominem, cui nihil ſiniſtrum, quique ex omni parte mereretur elogium. Per hunc vtpote iam apud ſuos virtutibus clarum tyranno tributa annualia, & exactiones miſerunt. Profectò Hebræorum prudentia elucet, dum exactorum vitat rapinas, & regalium miniſtrorum violentias. Non expectarunt caram miſericordiam iniquamque temporis redemptionem: quia nouerant grauius Reipublicæ eſſe incommodum exactorum ſitim ſatiare, quam vectigalia Principi ſoluere. Quàm benè Caſſiodorus 12. var. 10. *Prudens ſe ipſe compellit: minùs cautus eſt, qui vrgetur ab altero.* Addit exactoribus loquens: *Parcendo non parcitis, exonerando prægrauatis, & dum venales moras quæritis, tributi onera duplicatis.* Itaque, ne duplicarent tributa, opportuno tempore perſoluerunt vectigalia. Aodus ergo, qui iam diu opportunam occaſionem quærebat, & de libertate populi cogitauerat, gladium fabricauit ancipitem, habentem in medio capulum, eoque ſago contectò in dextro femore proceſſit armatus. De huius gladij artificio nonnulla tradunt interpretes: putant nonnulli ea arte fuiſſe fabrefactum, vt leuiſſimo motu quaſi è vagina proſiliret, & hominem è contra poſitum vulneraret. Ita Abulenſis quæſt. 18. Itaque gladius vtpotè exiguæ longitudinis, facilè ſub ſago celari poterat, & vti arte fabrefactus valenter ferire valebat. Regis gratiam ſibi muneribus conciliauit, & feliciter legationem abſoluit. Iam domum repetebat, cum ad Galgala perueniens vidit locum olim præſentia Numinis ſacrum, idolis profanatum, & figmentis prorſus addictum, adeòque eo ſpectaculo perculſus eſt, vt maluerit vitam periculo exponere, quàm Religionis apertam adeò ignominiam iniqua patientia ferre; vt eius nomine repetat Baſilius Seleucienſis orat. 15. *Deo contumelia dicitur, ecquis in pugnam non armetur?* Itaque nullum conſilij ſui conſcium admiſit, & præcauens, ne ſocij quibus aduenerat ſtipatus, aliquod ſubirent periculum, ad ſua remiſit. Certe gemino diſcrimini ſilentio occurrit: nam ſi ſocij conſilij participes fuiſſent periculum erat renuntiandi; ſi non eſſent, illos vti imparatos capiendi: ob id prudentiſſimè ſuo diſcrimini occurrit tacendo, & ſuorum periculo, ad propria illos relegando. Itaque ad curiam regreſſus Regi indicauit magni momenti negotium ſe habere, quod teſtes non admitteret, ne vulgatum careret effectu, & ipſi renuntianti aſciſcere poſſet periculum. Rex ſecretum illud ſciendi auidus, illum tacere iuſſit, quouſque ſerui omnes diſcederent, quò opportuniùs ille poſſet ſecreta prodere, & rex audire. *Ille*, inquit textus, *imperauit ſilentium.* Hebræus explicatiùs tradit teſte Pagnino: *Sile; & egreſſi ſunt ab eo omnes.* Conſonant Septuaginta: Tace: & dimiſit à ſe omnes, qui aſtabant ſuper *eum.* Itaque cum iam in ſecretiora admiſſus Aodus ſolus cum rege eſſet, ſecretum, quod ſe habere dixerat, non humanum eſſe teſtatus eſt; ſed diuinum: *Verbum Dei habeo ad te.* Verebatur Aod, ne fallente ictu mortem non inferret, & grande ſibi periculum procrearet: vtque commodius opportuniuſque ferire poſſet, ſecretum eſſe diuinum dixit; ſciebat namque regem ſurrecturum, vt debita reuerentia Numinis audiret legatum: quod mirè commendat, quanta attentione, quantaque reuerentia Dei verbum debeat audiri, quando ethnicus & ſuperbiſſimus homo aſſurgit, & thronum regalem deſerit: *Statim ſurrexit de throno, ſcilicet in reuerentiam verbi Dei*, ſcribit Abulenſis quæſt. 22. *vt non audiret illud ſedendo.* Itaque cùm iam adſtanti, religioneque attento, aut fortè non modica ſuperbia elato, quòd illi cum Deo colloquium eſſet, Aod diſſimulanter gladium nudauit, adéoque validè in pinguiſſimi regis ventrem infixit, vt citiſſimè proruperint exta, & ſine voce perierit, qui vnica voce tot tremere ſubiectos coëgit. Certè ipſa rei conficiendæ celeritas, & facilitas præſentiſſimum Dei auxilium teſtata eſt. Alioquin adeò exiguo temporis momento, ac vnico ictu nec vox deficeret, nec vita penitus auolaret. Notauit textus gladium non eduxiſſe; ſed reliquiſſe in ipſo corpore vulnerati: fortaſſis vt nouerimus quam altus ſtrictuſque fuerit. Re feliciter peracta Aod nullo modo obturbatus; ſed quaſi nihil effeciſſet, immotus cœnaculi oſtia diligentiſſimè clauſit: & egreſſus per poſticum iter ſollicitè arripuit. Chaldæus ſic habet: *In facie ſua clauſit.* Quod indicare videtur Aod non feſtinum, nec obturbatum; ſed ſedatum omnino fores, quæ fortè, vt modò etiam in Regis aula, ſine claue claudebantur, quod Hiſpanè dicimus *de golpe*, nec aperiri poterant ſine claue, clauſiſſe, & ipſis ſeruis videntibus obſeraſſe. Itaque cum vultus, habitus, inceſſuſque Aodi recedentis, nullam Regis miniſtris ſuſpicionem creaſſent, expectabant illi vt Rex illos interpellaret, ne, ſi importuno tempore ingreſſi, animum eius exacerbaſſent. Verùm cùm multa iam mora intercederet, tarditas timorem, & erubeſcentiam ingenerabat, præcipuè cùm admotis auribus animaduerterent, tumorem nullum audiri, nec quid videri. Itaque oſtia claue aperuerunt, & regem in terra iacentem, & exanimem intuiti ſunt: quo inopino ſpectaculo tanta obturbatione, admiratione, doloreque adeò perculſi obſtupuerunt, vt à ſe ipſis quaſi alieni viderentur, nec aliquod tunc conſilium aut ſubirent, aut caperent. Seruorum obturbatio opportunitatem fugiendi præbuit Aod, qui ad ſua recto itinere, celerrimoque volatu peruenit, & facinus à ſe factum quàm citiſſimè ſpargens, & ad opportunam libertatis occaſionem omnes vicinos conuocans bellum inſtruxit.

Caſſiodor. Abulenſ. Seleucienſ. Pagnin. Septuagint. Abulenſ. Chaldæus.

§. IV.

Commentarius Litteræ.

Verſ. 27. Statim inſonuit buccina in monte Ephraim, deſcenderuntque cum eo filij Iſraël, ipſo in fronte gradiente.

NOn ſolùm Deus Aod animos indidit, vt rem adeò ad ſpeciem arduam tentaret, feliciterque perficeret; ſed eius circumuicinos ad illi parendum incitauit, commouitque. Et certè neſcio, an grandius eluxerit auxilium Numinis

Digitized by Google

nis in prompta Ephraimitarum obedientia, aut in Aod inſolita audacia. Itaque Aod nulla captata requie, nulla intermiſſione quæſita Hebræos cogit, & hoſtes ferè perturbatione exanimes improuiſo certamine inuadit. Agnouit dux ſtrenuus, quantum conduceret temporis opportunitas, & occaſionis celeritas, quamque tunc iuuaret aduerſariorum ob caſum ſtupiditas; noluitque inuitantem occaſionem fruſtrare, ſciens non facilè ſemel amiſſam poſſe inueniri. *Epicurus*, ſcribit Seneca epiſt. 22.

Seneca. *ſubiiciet nihil eſſe tentandum, niſi cùm aptè poterit, tempeſtatiuéque tentari; ſed cùm illud tempus,* diu captatum venerit, exiliendum ait... Spectat etiam ex difficillimis ſalutarem exitum, ſi nec properemus ante tempus, nec ceſſemus in tempore. Ergo Aod Epicuri ſententiam ſecutus, nec tempore inuitante dormiuit, nec ante tempus immaturè properauit. Suos alacriter anteibat, vt animos illis faceret, & periculum abeſſe ſuaderet.

Verſ. 28 Deſcenderuntque poſt eum, & occupauerunt vada Iordanis, quæ tranſmittunt in Moab: & non dimiſerunt tranſire quemquam.

6. Præſidium à rege ad Hebræos domandos poſitum, vt agnouit regis caſum, & Aod coëgiſſe exercitum, grande ſibi imminere periculum agnoſcens, quippè præſidiarij milites ſe concluſos, & in arcto poſitos videbant, tranſmeare ad tutiora loca parabant: erat illis opus Iordanis vada traiicere, & ob id primum conſilium Aod fuit ea vada occupare, quibus occupatis nullum dimiſerunt ex iis, qui citra fluuium in præſidio erant: *Percuſſerunt Moabitas in tempore illo circiter decem millia omnes robuſtos & fortes viros.* His ſtragibus adeò Moab humiliatus eſt, vt auſus non fuerit per octoginta annos bellum cum Iſraëlitis gerere, etſi non defuerint nonnulli prædones, qui aliquas irruptiones fecerint, & iam hos, iam illos Hebræorum vexauerint: ſed nec iſta aduerſariorum temeritas impunita remanſit: nam Samgar filius Anath, qui poſt Aod ſucceſſit, pœnas de prædonibus ſumpſit: *Poſt hunc*, inquit textus, *fuit Samgar filius Anath, qui percuſſit de Philiſthiim ſexcentos viros vomere: & ipſe quoque defendit Iſraël.* Ea fuit Samgaris valentia prudenſque audacia, vt id tentauerit, perfeceritque facinus, quod fidem ad ſpeciem videbatur vincere, cuique nullum ſimile ab hiſtoricis editum, vel à poëtis fictum poſſit referri. Exiguo tempore huius Samgaris dominium floruiſſe, interpretibus certum eſt. Apud Ariam Montanum vltra annum præfecturam non protraxiſſe putant nonnulli. Eo tempore Aodo ſublato cùm iam vulgus licentius viuere, & voluptuoſiùs viuere cepiſſet, nacti ſunt Paleſthini occaſionem illos iterum inuadendi, inſectandique? at Samgarus eo robore viguit, vt ferè inermis, vomere ſcilicet tantùm armatus ſexcentos aduerſarios vno ictu percuſſerit, & audaciam reliquorum repreſſerit. Ob quod celebre facinus & nomen ſibi æternauit, & Saluator Iſraëlitarum audiuit.

§. V.

Militia ſi rectè geritur, felicitatis eſt vena, & ſalutis officina

Non eſt pacatè ius dicere, non eſt tranquillitatis delicias colere, dum hoſtilis exagitat timor, dum vndique ferum circumſonat bellum, & imminet ab hoſte periculum: *Rectè*, 7.
aiebat Caſſiodorus 7. var. 4. *munimenta ſunt Italiæ, & clauſtra Prouinciæ, quæ non immeritò ſic appellata eſſe iudicamus, quando contra feras & agreſtiſſimas gentes velut quædam plagarum obſtacula diſponuntur: ibi enim impetus gentilis excipitur, & tranſmiſſis iaculis ſauciatur furibunda præſumptio.* Ni caſtra feris hoſtibus opponantur, nulla Reſpublica venuſtate pulcheſcit, nulla lex iuri, nulla vis legi: omnia marcent, quæ poſſent eſſe decori reipublicæ, & omnia vigent, quæ grauiſſimæ auxilio ſunt peſti. *Non paruam rem*, addit Caſſiodorus, *tibi reſpicis fuiſſe commiſſam, quando tranquillitas regni noſtri tua creditur ſolicitudine cuſtodiri. Ita tamen, vt milites tibi commiſſi viuãt cum prouincialibus iure ciuili, nec inſoleſcat animus, qui ſe ſentit armatum.* De militis labore honeſtum promanat otium Reipublicæ, & de alienis vigiliis capitur ſomnus, & copioſus de ſudoribus fructus. Cùm facile Deo fuerit gentes omnes Hebræo nomini cõtrarias delere, & de promiſſionis prorſus tellure diſpungere, nonnullas prouidè habitare permiſit, quo Hebræorum Reſpublica bello eruditior floreret: *Hæ ſunt gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Iſraëlem, & omnes, qui non nouerant bella Chananæorum, vt poſtea diſcerent filij eorum certare cum hoſtibus*, & habere conſuetudinem *præliandi.* Ni hoſtes remanſiſſent, dum ad prælia non cogebantur Hebræi, præliandi dediſcerent vſum, & maior illis, quàm ab hoſte, de hac ignorantia periculum: ſi enim militibus ad bella doctis non circumdaretur armata, & omni marceret robore illa reſpublica deſtituta. Ita Caietanus. *Hæ ſunt gentes*, &c. *Vt exercerentur Iſraëlitæ cum filij in arte militari habendo iuxta ſe delendos hoſtes, & omnes iſtæ rationes concernunt bonum populi Iſraël.* Annuit Abulenſis quæſt. 1. *Hæ ſunt gentes*, &c. *id eſt, vt erudirentur ad pugnam: nam ſi non haberent hoſtes, nunquam pugnarent, eſſentque viri inepti ad bellum, & ad omnia opera fortitudinis.* Ni Reſpublica illa viris militaribus floreret, nullis commodis exundaret, fortitudine prorſus exucca, pace inerti otioſa, & otio peſtifero ignaua; at dum hoſtes patitur, & ad certamina virtutibus eruditur.

Caſſiod.

Caietan.

Abulenſ.

Domine, aiebat Pſalmiſta, *vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos.* Coronam vocat ſcutum, nec abs re quidem: nam coronæ fulgor in militari ſcuti vmbone veluti in pacis gloriæque officina elaboratur & à militari fortitudine, vti à felicitatis vena producitur, militis ſcutum regi corona eſt: nec enim pacatè poſſet redimiri corona, ni miles loricatus de omni imbonitate hoſtilia tenderet ad certamina: ſine ſcuto nulla tranquillitas: quia niſi hoſtilis inſultus repellatur audacia, firma verticem nullatenus ambiet corona. Huc voco quod aiebat 8.

Pſal. 5. v. 13

citatus Caſſiodorus: *Clypeus ille exercitus noſtri quietem debet præſtare Romanis*: quos ideò conſtat appoſitos, vt intus vita felicior ſecura libertate carpatur. Profectò dum clypeus, hoc eſt exercitus à bona Dei voluntate non diſcrepat, & rempublicam felicitate coronat: milites ſunt munimenta Reipublicæ, felicitatis ſunt clauſtra: nam de proprio periculo ſalutem alienam cudunt, & fortunam ſemper cuſtodiunt: agat copioſas Numini propheta gratias, ſi bonæ voluntatis populum coronauit ſcuto: nam clypeus & quietem præſtat, & vitæ felicitatem maturat: *Clypeus exercitus quietem debet præſtare, quos ideò conſtat appoſitos, vt intus vita felicior ſecura libertate carpatur.* Clypeus ictum ſuſtinet, corpuſque defendit: ergo miles dum hoſtilem furorem patitur, Reipublicæ corpus tuetur.

9. Thronum vidit Iſaias præcelſum quidem, quo Dominus placidiſſimè requieſcebat: *Vidi*
Iſai 6.v.1. *Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum, & ea, quæ ſub ipſo erant, replebant templum.* Templum gloria fulget, templi Dominus tranquillè ſedet: & quidem alibi rubo obiicitur non ſedens; ſed ſentibus laceratus, & ſi fas eſt dicere, circatum flammis aduſtus. Et cur hic ſedeat, & miris ſplendoribus niteat? Textus expreſſit; *Seraphim ſtabant ſuper illud, ſex alæ vni, & ſex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* Hos Seraphinos veluti militares excubias eſſe, tradit Bernardus ſerm.5. de
Bernard. verb. Iſai. *Quid æſtimare vetat deiecto Lucifero ad peruigiles excubias Seraphim conſtitutos, ſicut eiecto homine, teſte Scriptura Cherubim ad cuſtodiam poſuit Deus?* Ecce cur throno inſidens pace fruatur, cur templum fulgoribus ſit repletum: quia Cherubini Deo adhærentes militares cuſtodias agunt: non audet ſerpens virulentiſſimus tranquillitatem illam turbare, non tentat felicitatem ſubuertere: quia metu contrahitur Seraphinorum repreſſus, & illorum armis frænatus. O ſacram militiam, quæ à Deo non diſiungitur, vt defendat; ſed inhæret, vt cuſtodiat: hoc exercitu armata Reſpublica hoſtiles deſtruit technas, pacatiſſima vita fruitur, & bonis omnibus exundans pace adornatur. Et quidem careret militiæ vtilitate, imò hoſtilibus premeretur incommodis, ſi excubiæ Deo non adhæreſcerent; ſed ſeparatæ diſtarent: tunc enim timendum plus eſſet à milite, quàm ab hoſte, quandoquidem illi non minor audacia, & maior nocendi copia. Verùm age & in militum gratiam expendamus, cur Ezechiel Cherubinum, illum qui triumphali pompæ inſeruiebat, alis tantum quatuor inſtructum viderit: Quatuor pennæ vni, cùm Iſaias ſenis Seraphim ornatum conſpexerit: *Sex alæ vni.* Si Seraphim ſex alis glorioſè ornatur, cur Cherubim quatuor ſolummodò inſtruitur? Aut ſi Cherubim quatuor ſolummodò gaudet, cur Seraphim ſenis fulget? Iam reſpondit Bernardus lepidè quidem: quia Seraphim militares agit excubias: quia militis gerit perſonam aduerſus Luciferi truculentiam, contraque ſerpentis nequitiam: ergo à Principe dum periculoſius ad ſpeciem munus ſubit grandioribus donatiuis ditatus reſplendet, & ſumptuoſiori honore fulgens relucet: nec enim fas erat aquilam plumis ſolummodo vtentem, vt aſſiſtat palatio, ſumptuoſiori pompa fulgere, & ad apices dignitatis volare: ſatis eſt, ſi aquila adſtans Principi non geminis, vt cæteræ aues; ſed quaternis alis ornetur: & indecens quidem eſſet, & regimini recto prorſus aduerſum, ſi Seraphim excubias agens plumis nudus algeret, & algens militiæ laboribus renunciaret; gloria templum repletum eſt, dum Seraphini plumis ornantur: quia de gloriæ ardore contemnunt pericula, & de gratitudine hoſtilia euertere animoſè conantur caſtra. Verùm quia pro militibus diximus, & contra militiæ vitia dicamus: Adeò deprauari mores eſſe ſolent militibus, vt non tantum timendum ſit ab hoſtili rabie, quàm à militiæ propriæ furore. *Non tantum vitia*, aiebat ſupra Aurelius, *quantum bella ſuſpecta ſunt.* Rapiunt audacter, temerant religionem ſacrilegi, in rationem, & in legem audent violenti: quaſi idem fuerit militari baltheo ornari, & ab omni lege, & humanitate diſſolui. Vbi ſe ſentiunt armatos, prodigioſè inſoleſcunt, & quæ inimicus hoſtibus non inferret, miles infligere audet.

In Eliſæum copiæ Syrorum armantur, ciuitas intempeſtæ noctis ſilentio obſidetur, vt 10.
iam de prophetæ vita, & de ſalute ciuitatis 4.Reg 6. v.15.
puer prophetæ actum putarit, & copioſis lachrymis mortem inferendam ſtatim luxerit: *Conſurgens diluculo miniſter viri Dei egreſſus, vidit exercitum in circuitu ciuitatis, & equos, & currus, nuntiauitque ei dicens: Heu, heu, domine mi, quid faciemus?* Propheta imperturbatus reſpondit ſe copioſioribus turmis inſtrui, & milite numeroſiore defendi. Et quidem pueri viſus caligine deterſa ita eſſe conſpexit: *Ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Eliſæi*: Cæleſtis militia prophetam defendit, & ciuitati non nocuit: non equites ciuium domos ingreſſi defenſionis titulo ſunt ſubſtantiam depopulati, nec maturatis direptionibus furorem hoſtilem anteuerterunt: in monte conſiſtunt elementari igne obarmati, qui nec indigeat paſtu, nec cibo plus inardeſcat
ingeſto: *Non timet*, ſcribit Ambroſius ſerm.1. Ambroſ.
de Eliſæo propheta, *aduerſarios, quos proſpicit: quoniam ſcit Angelos ſecum eſſe, quos credit: non metuit terrenas inſidias: quia cæleſtia adeſſe ſibi noſcit auxilia.* Angelorum acies in innocentiæ defenſionem armantur, nec armati ad iniurias ſuorum cernuntur. Quam timeret tota illa prouincia à militibus ignis ingenium referentibus, ni fuiſſent Angeli, & iure quidem: nam citius ignis omnia depaſceretur, & grandius proximioribus nocumentum inferret, quàm aduerſariorum acies adducerent; at dum milites Angelorum conuiuunt iure, & aduerſariorum repelluntur inſidiæ, & ciuitati paratur ſine diſpendio tutela. O quàm dignum fuit cæleſtes copias armatas videre gaudio, non metu! Dum ſic pugnatur, & tranquilla, dulciſque intra ciuitatem vita cuſtoditur.

In huius rei confirmationem de Geneſi aliud producamus exemplum. Reuertebatur Iacob patriam repetens, cumque fratris ingenium pertimeſceret, ei Angeli militari ordine inſtructi occurrunt, quo timorem ſedarint, & violentiam inimici repreſſerint: *Fuerunt ei obuiam Angeli Dei, quos cùm vidiſſet, ait: Caſtra Dei ſunt*: Vt noueris Deo non diſplicere armatam militiam

Digitized by Google

militiam, quam ſolum contra hoſtem inſtruxit Reipublicæ tranquillitas, innocentiæ tutela, pacisque cuſtodia, Angeli militiæ nomina etiam dederunt, & ſe bellicis gladiis armarunt. Huc voco quod aiebat Caietanus aliorſum hoc ipſo in c. Iudicum: *Scripta ſunt hæc in doctrina ſacra, attributaque Deo, vt intelligamus gratam eſſe Deo non ſolùm pugnam aduerſus vitia; ſed etiam ipſam armatam militiam aduerſus hoſtes, quam hodie vituperant vitia militum; ſed Eorum iniquitas, non militia, ipſa in culpa eſt.* Militia ritè peracta eſt Angelica cuſtodia, pacis officina, tranquillitatis vena, legum vigor, criminum terror, inſultus exilium, politiæ ſuffragium: denique gratiſſima Deo, quando improba militum vita hoc non dehoneſtat exceſſibus inſtitutum, & vitæ erroribus fulcimentum.

§. VI.

Non ſemel Deus incipientibus omnia mollit, & poſteà rerum difficultates ad profectus conſummationem oſtendit.

12. Virtutis iter non adeò complanatum eſt, vt laboribus prorſus careat: pugnandum eſt paſſim cum difficultatibus, cum hoſtibus, cum appetitibus; verùm quia magis vrgent dura inexpertos, & quia graue eſt teneræ ceruici iugum, ſic Deus prouidenter diſpoſuit, vt virtutis via gradi incipientibus non occurrant, quæ poſſint horrore iniecto abigere, ſed quæ poſſint dulcedine prolectare. Nondum tyrones digni viſi ſunt Deo, in quibus experiatur, quantum natura humana poſſit pati, & quanta poſſit interrita vincere: vt enim duces in caſtris duriora fortiſſimis, & veteranis imperant, facilia inexpertis: ita Deus tyronibus ſæpè indulgere videtur, & vti nondum mollitiem deſueris omnia mellit, & quæ aſpera videri poſſent, emollit. Videtur dimiſſus ille; verùm non eſt dimiſſus; ſed dilatus, expectat numen, vt à vitiis longiùs receſſerit, vt ſaporem virtutis recipiat, vt tantiſper induretur de virtutis exercitio, & de probitatis ſtudio: Optimè Seneca lib. de prouidentia cap. 4. *Ad ſuſpicionem vulneris tyro palleſcit, audacter veteranus cruorem ſuum ſpectat, qui ſcit ſe ſæpè viciſſe poſt ſanguinem. Hos itaque Deus, quos probat, quos amat, indurat, recognoſcit, exercet.* Si tyroni periculoſa occurrerent, caſtra deſereret, ſi veterano non imperarentur difficilia, virtutem non proderet. Hinc Deus quidquid poſſet incipienti timorem incuteret, auertit, & bellorum iam doctum in campum, vt glorioſius coronetur, contra fortiſſimum inimicum producit: *Hæ ſunt gentes,* inquit textus, *quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Iſraelem, & omnes qui non nouerant bella Chananæorum, vt poſteà diſcerent filij eorum certare cum hoſtibus & habere conſuetudinem præliandi.* Initio Deus Iſraëlitarum bella gerebat, & pro ipſis ipſe pugnabat aſſerente Moyſe: *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* Dum Iſraëlitæ nondum virtutis viam ſalutauerant, dum adhuc torpentes de vinculorum conſuetudine greſſus ponebant, Dominus pro ipſis bellum ſuſcepit, & cùm ipſis ditiſſima dederit ſpolia, ipſe ſolus ſuſtinuit prælia: Dominus pugnat pro eis contra nos, clamabat Pharao, & Chryſol. ſerm. 6?. *Miro contubernio Iſraëlitis Deus ſtatus in caſtris numeroſas gentes nunc ferit fulmine, nunc tangit grandine, nunc ſolo tubarum clangore proſternit, vt ſine conflictu, ſine vulnere Deus ducat victores acies quas præcedit;* At modò inimicos remanere permittit, vt Hebræi vires exerant, & audacter in hoſtes laudabili gloriæ cupidine irruant. Innuit Arias Montanus: *Anteà qui ſcire poterant Iſraëlitæ, aut harum gentium virtutem ſentire, & cognoſcere quas non ſuo arcu, aut gladio, non ſuis viribus, & conſiliis; ſed vnica Dei voluntate, & efficacitate, atque infinita virtute ſibi expugnatas, traditaſque videbant.* Anteà filij Iſraël fruebantur triumphis; non tamen virtutem propriam oſtenderant præliis: ergo iam Deus cum hoſtibus illos committit: quia iam viſi ſunt digniores, in quibus experiretur virtutis valentiam, & conſuetudinis efficaciam.

Seneca.

Tyro citò ad iſtum leuem palleſcit.

Exod. 14. v. 14.

Chryſol.

Arias Mont.

13. Nato Domino Magi properant ſtella ducti, & lumine ſemper edocti: *Vidimus*, inquiunt, *ſtellam eius in oriente, & venimus adorare eum.* Veniunt; ſed allecti lumine; ſed prolectati nitore: fulgentiſſimum antecedebat ſydus, & clariſſimis radiis greſſus dirigebat, & omnes itineris difficultates vitabat: peruenerunt, agnouerunt propiùs Chriſtum, coluerunt muneribus: quid tunc? *Per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam.* Et cur modò incognitam ingrediantur viam, qui repetere quirent ſuetam. Adhæc, ſi dum adueniant, luce præeunte reguntur, cur dum redeunt, micante ſydere non ducantur? Ecqua diſcriminis cauſa eſt? Quia iam propiùs acceſſerant, quia Deum penitùs iam nouerant. Magi erroribus obſcurati tot deos, quot ſydera adorare aſſueti, ac itineris veritatis prorſus ignari: ſi dum virtutis arripiunt viam, veluti adulante ſydere non ducerentur, ſi non prolectarentur luminibus, pedem retuliſſent difficultatibus impediti, & improba vitiorum conſuetudine prorſus detenti. Ideò neceſſum fuit blandè ducere, illorum arbitrium ſequi, & ſydereo lumine prolectare; at cùm iam à vitiorum conſuetudine remotiores, cùm obſequentiores Deo, lumine externo priuantur, propriæ iam non ſine interno auxilio induſtriæ relicti, difficultatibus traditi: externa priuantur luminis conſolatione; ſed oſtenduntur robuſtiores virtute: ipſa honeſta ſyderis adulatio illorum oſtenderat tyrocinium, & infantile honeſti itineris deſiderium; at profectus innuitur, cum ſine externo iuuamine per difficiliorem viam & reditus imperatur. Adeſt Gregorius hom. 10. in Euang. *Regio quippe noſtra paradiſus eſt, ad quam Ieſu cognito redire per viam, qua venimus, prohibemur: à regione etenim noſtra ſuperbiendo, inobediendo, viſibilia ſequendo, cibum vetitum guſtando diſceſſimus; ſed ad eam neceſſe eſt, vt flendo, obediendo, viſibilia contemnendo, atque appetitum carnis refrenando redeamus.* Expende illud: *Viſibilia ſequendo:* Quaſi dicat Gregorius: Magi poſt errores veritatem ſecuti ſunt; verùm nondum omnem ſuperbiam abiecerant, nondum ſe amore viſibilium proſus abdicarant: ideò viſibili fulgore ducti, & ſtellæ illiciis attracti; at quia iam tyrocinium depoſuerant, Deumque adorarant, arctiorem viam ingredi fuit opus, qua externis non prolectarentur delinimentis; ſed vel impediti progrederentur obſtaculis.

Matth. 2. v. 2.

Gregor.

Sponſa

14. Cant.1 v.1. Sponſa in has Sponſi laudes inopinè prorupit: *Oſculetur me oſculo oris ſui: quia meliora ſunt vbera tua vino*, fragrantia vnguentis optimis. Non multò pòſt ſe decoloratam ardore conqueritur, & ſtudioſè oppugnatam à fratribus lamentatur: *Decolorauit me Sol: filij matris meæ pugnauerunt contra me, poſuerunt me cuſtodem in vineis.* Et cur modò citet ad pugnam, quam anteà tota vnguentorum fragrantia oblectare ſtuduerat Sponſam? Si ibi vbera præbebat vino ſapidiora, cur modò ad vineas delegat, vbi torridis æſtus ardoribus decoloretur, vbi veluti in ſtadium prodeat, & cum fratribus decertet? Citò adeò degenerauit blandus ille amor, & tener dilectionis affectus, vt quam modò vnguentis optimis ad nitorem imbuebat, modò etiam veluti faſtidiens repudiet, & excubiarum moleſtiis oneret. Pro diuerſitate ætatis, & diuerſitas fuit tractationis: dum anima ſugebat virtutis vbera, ipſa namque ait: *Meliora ſunt vbera tua vino*, omnia illi mellita, & de induſtria ſaporata; at quia iam creuit, quia iam cuſtodiendis vineis, & agendis ouibus acta certamini exponitur, & oblectamentis illis priuatur. Et quidem ſi dũ infans ſugebat vbera, certaminis difficultates ſentiret, fors & virtutem abiuraret; at iam adulta, & Solis tolerare potuit æſtus, & fratrum vincere adſultus. Adeſt opportunè Delrius: Delrius. *Amabilis permanſit perſecutionibus gaudens, creſcens efflareſcenſque, & in ſuis infirmitatibus glorians fidei & charitatis pulchritudinem immaculatam retinuit.* Adhuc non depoſuerat infantiam, quæ prolectabatur illiciis, & alliciebatur oblectamentis: tunc inter brachia ſua gratia defendebat, & nutrix optima veluti honeſtè inebriatam nulla vrgeri difficultate curabat; at dum creſcens, efflореſcenſque certamina præliaque ſuſtinuit, quo viribus validiſſimis agnoſceretur prædita, & iam virtute robuſta. Optimè aiebat Seneca Senec. lib. de prouid. cap. 4. *Magnus es vir; ſed vnde ſcio, ſi tibi fortuna non dat facultatem exhibendæ virtutis? Deſcendiſti ad Olympia; ſed nemo præter te: coronam habes, victoriam non habes: non gratulor tãquam viro forti; ſed tamquam conſulatum, præturamue adepto: honore auctus es, idem dicere & bono viro poſſum, ſi illi nullam occaſionem difficilior caſus dedit, in qua vna vim ſui animi oſtenderet.* Nondum fortis vir habitus eſt, cui Deus difficultates celauit, & ſolum quibus potuerit allici, oſtendit. Exercet ſuos, dum robuſtos videt, initio oblectamenta illis offert, & quidquid aſperum, mellit.

15. Chriſtus Dominus Petri nauim intrat, & piſcium copioſa abundantia replet: Luc.5.v.3. *Aſcendens in vnam nauim, quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere puſillum.* Hoſpitij mercedem ſæuit copioſiſſimam. *Concluſerunt piſcium multitudinem copioſam; rumpebatur autem rete eorum, & annuerunt ſociis, qui erant in alia naui, vt venirent, & adiuuarent eos, & venerunt & impleuerunt ambas nauiculas.* Componamus hiſtoriam hanc cum illa Marci 4. vbi cùm nauim inſcendiſſet Dominus diſcipulis comitantibus, ſæua ſcapham tempeſtas adoritur, & Apoſtoli ad portum, Mat.4.v.37. qui in naui erat, recurrere adurgentur: *Facta eſt procella magna venti, & fluctus mittebat in nauim, ita vt impleretur nauis.* Ecce nauis impletur fluctibus, ſi olim exundabat piſcibus: nec enim ſemper vrget calamitas, aut prolectare poteſt proſperitas. Sed inquiramus, cur priùs nauis illa Petri in altum ducta non ſolùm non ſenſerit ventorum adſultus; ſed piſcium exundarit prouentibus: ibi omnia placida, omnia tranquilla, omnia fortunata: & quidem ſi de Domini præſentia ibi manauit felicitas; hic etiam de præſentia Domini fugere debuiſſet tempeſtas: hic Deus adeſt, ibi etiam adſtat præſens: cur ergo non ſimilem naues ſortiuntur euentum, aut patiuntur caſum? Solutio facilis: quia ibi Petrus tyro virtutis, ibi incipiebat obedire, & cum Domino cohabitare; at hic iam poſuerat tyrocinium, iam virtutis adeptus illuxerat magiſterium: vtque eius clariùs niteſceret virtus, cum ventis, cum procellis, cum difficultatibus prælium oboritur, & colluctari permittitur: impleri poſteà fluctibus eſt robuſtæ virtutis teſtimonium, vt impleri initio piſcibus nondum formatæ virtutis fuit argumentum. Adeſt opportunè Baſil. Seleuc. orat. 21. Seleuciens. *Quæ volatu, & ingenio ſecant aërem aues pullos ſuos recèns genitos fouent, & callidè accurant, proprioque labore paſtu comparato fructum fœtibus offerunt abſque vllo eorum labore; at vbi eos pennis aptos viderint, vnde eductos ad volatum exercent: & ipſæ ſimul aërem tranantes exercitationem volandi tutam fœtibus adhuc teneris præſtant: nonnunquam etiam deſerunt intereà volitantes, quò virtutis volandi experimentum capiant: ſic interdum Chriſtus Dominus.* Petrum recens virtuti genitum fouit, & callidè accurauit: non ſolùm Domino obediens paſſus non eſt procellam; ſed piſcium ſuſtulit copiam, quod ipſe quærebat ab arte, quo auidius illam ſequeretur, recepit à virtute; at vbi iam pœnis aptus, ad volatum exercetur, & tempeſtate agitatur. Lacte priùs nutriebatur vti infantulus, pane poſteà vti adultus iuxta illud Pauli: *Tamquam paruulis in Chriſto lac vobis dedi, non eſcam.*

---

§. VII.

Miſerum eſt non ſolum vitiis ſe tradere; ſed pugnare in vitia neſcire.

VArius eſt euentus belli, & in hanc iam, & 16.
iam in contrariam partem inclinat. Qui pro viribus pugnans vulneratus eſt, aduerſam tulit fortunam, non inſcitiæ pertulit notam: qui ignauus culpabilis eſt, quãdo vt indulſerit quieti, prouidere noluit honori; verùm non adeo vituperabilis eſt ignauia, quàm damnabilis inſcitia. Profectò ad aduerſariorum pingueſcit gloriam, qui inſcius artis nec tentare potuit pugnam: neſcit non vinci, qui nunquam nouit præliari: *Quia fida Republica ſalus eſt defenſor armatus*, ſcribit Caſſiod. 1. var. 40. Caſſiod. diſcat miles in otio, quod proficere poſſit *in bello*. Profectò animos ſubito ad arma non erigunt, qui ſe timent inidoneos, quique nulla præmiſſa exercitatione ſibi non fidunt. Profectò vituli vel in ipſis ludis certamina delibant, quæ poſteà ætate robuſta compleant: niſi animi hominum timorem de experientia depulerint, prorſus inuenientur pauidi cùm debuerint de fiducia videri erecti. Primordia cuncta pauida ſunt, addit Caſſiod. & aliter timiditas non tollitur, niſi cum rebus neceſſariis nouitas abrogatur. Hinc plures autumo manus dediſſe vitiis: quia qualiter pugnandum ignorant, & illorum imperitia eſt aduerſariorum victoria.

Digitized by Google

victoria. Gentes nonnullas reliquit Deus,ne inter Hebræos bellica virtus langueſceret,& dum pugnare neſcirent, & certamina pertimerent. *Hæ ſunt gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Iſraëlem, & omnes, qui non nouerant bella Chananæorum, vt poſteà diſcerent filij eorum certare cum hoſtibus, & haberent conſuetudinem præliandi.* Grauius periculum etiam abactis hoſtibus appetebat: pugnare namque ſcienti poteſt deſeruire aduerſarius triumpho, imperitia ſemper eſt probro. Alia adiungitur ratio, ſcribit
Caietan. Caietanus,quare relictæ ſunt iſtæ gentes, videlicet vt Iſraëlitæ ſcirent præliari.Grande profectò commodum,quod aſſidui adeò laboris comparabatur tributo,vt detrimentum exaggeratius certaminis ignorantia,& armorum imperitia.

17. Cum magno in periculo verſaretur Iſraël, dum gigas ille intempeſtiuis minis vires refrænabat,Dauid,qui ad caſtra patri obſecutus deuenerat, zelo inflammatus prorupit, & prouocationem ad ſe certaminis rapuit: regiis armis inſtruitur;ille verò armorum inexpertus ipſis prægrauatus auxiliis,propriiſque præpeditur armis.
1.Reg.17. v.40. Quid tunc? *Elegit ſibi quinque limpidiſſimos lapides de torrente.* Militem ſuum producebat in campum gratia, miraculoſamque illi victoriam diſponebat prouidentia;verùm ille,quamuis inimicum in eius manus à Deo tradendum, & oppugnandum prædixerit: *Dabit te Dominus in manu mea:* nihilominus armorum inexpertus,& iaciendi lapides doctus timuit vti miraculi impedimentum imperitiam, & vti famulatricem vocauit ſcientiam: lapidibus nullatenus prægrauatur:quia cõtorquendi in feras lapidis dexteritate munitur;at regalibus armis oneratus eſſet fortaſſe hoſtili furori victima, nec coronaretur victoria. *Quibus feras ſternebat Dauid*, ſcri-
Seleuc. bit Baſilius Seleucienſis orat. 16. *his Goliathum impetiit*: Quia ſuperbiſſimus feræ ad inſtar vixit,& ferarum ſupplicio occubuit:à ſe migrarat, & ab homine tranſierat in beſtiam ſuperbia tumidus, & ambitione ſuperbus. Vide Dauidis prudentiam: nouerat à pueritia paſtorem agens fundam lapide inſtructo circumrotare, nouerat in ſcopum ludendo dirigere; at armorum nullam habebat experientiam: ideò & arma depoſuit,& fundam tulit. Ni Dauid in monſtra didiciſſet pugnare. Iſraël cogeretur iugum ſubire: omnes reliqui vel ante certamen victoriam hoſti concedebant terga vertentes,quia ignorabant cum feris certamen inire, & cum monſtris decertare. Et quid aliud facturus erat homuncio à monſtro impetitus,niſi aut cadere aut fugere? tota illius populi felicitas in eo conſtitit, quòd ſcilicet Dauid cum feris habebat certaminis ſcientiam & lapides iaciendi peritiam.Ignorant ſæpe ſæpius miſeri homines quibus virtutum armis varia impetenda ſint vitia, cúmque protſus inueniantur indocti ad hæc armorum certamina, cadunt ſæpe ſæpiùs occiſi, aut ſaltem ab hoſtibus vulnerati.

18. Vt Philiſthijm imperturbato imperio Iſraëlem opprimerent,ſub grauibus pœnis iuſſerunt ne ferrarius faber Iſraëlitarum terram incoleret, & ne Hebræi lanceam aut gladium habe-
1.Reg.13. v.19. rent. *Porrò faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Iſraël: cauerant enim Philiſthiim, vt exacueret vnuſquiſque vomerem ſuum, & ligonem, & ſecurim, & ſarculum.* Multa ad mores noſtros inſtruendos locus hic vt fœcundiſſima moralitarum vena ſuppeditat: eſto non permittatur faber ferrarius, qui haſtile poſſit lanceæ conficere,aut gladium fabricare;at permittatur, qui ligonem, vomeremque poſſit exacuere, ne Hebræus agriculturæ diſpendio marceat, & in tributorum iniuriam egeat. O prouidam malignè cautelam! Non vetabant Philiſthæi Hebræos vomeribus & ligonibus vti, quandoquidem ipſi exacuendo adaptabant, ne tamen militare aliquod inſtrumentum quirent fabricare, illis nec vomerem permittebant acuere? adeoque ſuis in ſtudiis prouidè inuigilabat malitia, vt quò longiùs à periculo aduerſariorum armorum inuenirentur, non ſolùm non permitterent gladij artificem;ſed nec vomeris exacutorem. O ſi ab improbis addiſceremus cautelam,& à diſcrimine longam procuraremus diſtantiam! verùm quid interrat, ſi gladium aut lanceam vni aut alteri permitterent, quando ab vno, aut ab alio armato nullatenus ſibi poterant prudenter timere. O prudentiam execrandam! vt imperium ſuum æternarent, vt inconcuſſam tyrannidem ſtabilirent, curarunt non ſolùm ab illis auferre omnem bellicam armaturam; ſed etiam omnem peritiam: dum nulla ſortiuntur arma, nullam poſſunt, & vtendi armis habere ſcientiam: ergo nulli arma permittunt, ne vel exigua ſit in populo præliandi notitia, aut aliqua certaminum ſit ſcientia. Et quidem non illos ſua opinio fefellit,quando miraculosè tantummodò victi, & prodigiosè fugati: *Factum* 1.Reg.14. v.15.
eſt miraculum in caſtris. Aſcendit Ionathas, & eius armiger, & Philiſthinorum caſtra ſubuertit; ſed miraculosè, erat enim ſupra omnes naturæ vires populum certandi inexpertum vincere, & populum armorum doctum fugari: *Factum eſt miraculum*, ſcribit Lyra, *in percuſſione* Lyra. Ioſephus.
eorum, qui erant in ſtatione. Annuit Ioſephus apud Gloſſam: *Dicit Ioſephus quod quadam nebula ſubitò ſurrexit: propter quod Philiſthiim non cognoſcebant Ionatham,nec ſeipſos ad inuicem, & ſic mutuò ſe trucidabant.* Per miraculum vicerunt certaminis imperiti, & armorum vſus ignari: *Cùm eos viciſſent alienigenæ*, ſcribit Theodoretus quæſtione 30. *vniuerſum ferrum* Theodor.
acceperunt, & prohibuerunt,ne poſſiderent aliud: quamobrem apud eos fiebant agri colendi inſtrumenta. Imperitia aduerſariorum firmabat regnum; & Hebræorum grauabat iugum. Quam miſera erat gens, quæ non ſolum patiebatur armorum inopiam; ſed & armorum vſus habebat omnimodam imperitiam, & quam ſecurus degebat, ni miraculum contradiceret Philiſthæus, quando armorum vſum ignorabat penitus aduerſarius.

Cùm Hebræorum populus conueniſſet in 19.
pugnam, ab aduerſariis prouocati citiſſimè terga verterunt: tunc de aſportanda arca conſulunt, & adducunt: Philiſthæi timore turbantur, dum Deum pro Hebræis ſtare exiſtimant:
Timuerunt Philiſthiim dicentes: venit Deus in 1.Reg.4.v.7.
caſtra. Verùm adhuc timore perculſi confortantur, & victoriam ſe adepturos præſumunt: *Confortamini,& eſtote viri Philiſthiim,ne ſeruiatis Hebræis.* A ſe prorſus diffidere videntur:ſi ſciunt Deum illũ Ægyptiorum euertiſſe caſtra, cur adhortantur ad prælia. Quæ illis victoriæ potuit ſpes ineſſe,quãdo Deum in Hebręorũ caſtris teſtantur aſſiſtere?Profectò Hebręorum in depræliando cum aduerſariis imperitia. Putabant pro Hebræis

Digitized by Google

Hebræis Numinis ſtare potentiam ; videbant tamen nullam vſus armorum habere ſcientiam, & vel auxiliante Deo ſibi promiſerunt victoriam. Profectò errarunt : nam ſi Deus Hebræorum culpis exaſperatus ab Hebræorum tutela manum non amouiſſet, Hebræus ſine dubio triumphum reportaſſet ; verùm allophylorum error magna nobis eruditio eſt : ſic namque qui pugnare neſcit, furoris hoſtilis probatur victima, vt vel Deo adiuuante putetur aduerſarios coronatura victoria : *Nihil ſibi*, ſcribit Arias Montanus ad cap.3. Iudic. *non promittere potuerant gentes illæ; maximè verò aduerſus imperitos, bellandique rudes, quibus nulla à maioribus ſuis militaris diſciplina tradita fuerat, qua ſeſe tueri poſſent, ac ſi nunc primum accipienda erat, non ab aliis, quàm ab hoſtibus ipſis magiſtris eam accipi neceſſe fuit.* Quia cum Philiſthinis certare non didicerant, vel aduerſus Dei auxilium gentes ſperabant : errarunt quidem : Deo namque nullus valet reſiſtere, ſed errore ſuo quantum noceat, de certandi imperitia mirè exaggerarunt, & inexpertos terroribus impleuerunt. Qui ab infantia otio voluptatibuſque addictus ferè nullam virtutem exercuit : qui neſcit quibus armis pro diuerſitate tentationum vtendum ſit, quomodò illis vtetur ad fructum, niſi intercedat miraculum ? Infeliciſſima eſt ſcientia, quæ ab hoſte percitur, quandoquidem ſine grandi detrimento nunquam habetur. Hinc parentes, qui filios ſuos vitiis non lædi deſiderant, militarem illos contra vitia artem edoceant, ieiuniis arment contra laſciuientis ætatis impetum, ciliciis contra luxuriæ æſtum, eleemoſynis contra tenacitatis ſtudium, oratione contra vitiorum illicia, vt pro temporis opportunitate fructuosè in aduerſarium mouerint arma : nam inexperti indoctique erunt vitiorum præda, & aduerſariorum.

Montan.

§. VIII.

Felicitas & otium fœcundi parentes criminis, & progenitores erroris.

20. OTium eſt vitiorum domicilium, mentis inertia, virtutis virus, malitiæ fœnus: otium eſt improbitatis ſchola, fœcundiſſima erroris vena : felicitas non minus eſt vitiorum nundinæ, morum peſtis, honeſtatis naufragium, erroris emporium. Verùm etſi harum quæuis peſtis per ſe graſſetur per animos nocentiſſima, ſæuior, duriorque omnia virtutis præſidia euertit, ſi altera altera ſit conſerta. *Illos meritò quis dixerit miſeros*, aiebat Seneca lib. de prouident. cap.4. *qui nimia felicitate torpeſcunt, quos velut in mari lento tranquillitas iners detinet.* Addit poſteà : *Fugite delicias, fugite eneruatam felicitatem, qua animi permadeſcunt, niſi aliquid interuenerit, quod humanæ ſortis admoneat velut perpetua ebrietate ſopiti.* Qui per otium vitam tranſigit, peſſimum habet conſiliarium, à quo crebro ſuggeruntur vitia, & conſuluntur peccata; aſt ſi felicitate careat, inſtrumentis ad improbitatem deſtitutus, exteriùs non furit, etſi intus inſaniat: infelicitatis, paupertatiſque habenis repreſſus torpet, & veluti ſerpens rigore contractus in imis deliteſcit. Quem verò felicitas poſſedit, ſecum ipſe periculum tulit: eſt namque periculoſiſſima felicitatis intemperantia, quæ mouet cerebrum, & in vanas mentem imagines euocat, ac multum ne rationis oculus poſſit diſcernere inter falſum ac verùm caliginis mediæ diffundit. Verùm ſi qui felix honeſtis laboribus incumbat, ſi occupationibus neceſſariò diſtrahatur, & cogentibus negotiis ſibi ipſi negetur, voluptatum inſania non furet; imò nec deſipiet : id verendum maximè eſt, ſi amico fœdere copulentur, & otioſitas, & felicitas : tunc namque otioſus fortunatus habet, à quo peſſima conſilia accipiat, & opportunitatem, qua expleat : otioſi felicis ferè deſperata eſt ſalus : quia vt in prouerbio dicitur : *Nec Hercules contra duos.* Hebræorum populus promiſſionis terram adeptus felicitate fruebatur ; verùm Deus illorum ſaluti prouidens nonnullos, quibus cum decertaret, hoſtes ad exercitium reliquit : *Quinque Satrapas Philiſthinorum, omnemque Chananæum, & Sidonium, atque Heuæum, qui habitabat in monte Libano, & de monte Baal Hermon, vſque ad introitum Hemath.* Facillimo negotio potuiſſet Deus omnes Hebræorum hoſtes de promiſſionis terra diſpungere, & prorſus exterminare ; at veritus eſt, ne dum felices florent, ſe tradiderint otio, nullo ad arma compellente aduerſario : erat enim hoc illis copioſa vitiorum ſeges, quando felicitas opportunitates ſuppeditabat, & vitia otioſitas ſuggerebat. Maius à ſe ipſis paterentur diſcrimen fortunati, & otioſi, quàm armis hoſtilibus impetiti, & decertare compulſi. *Tertia* (ratio inimicos permittendi) *ad effugandam ignauiam*, ſcribit Caietanus, *molitiemque à populo ſpectat.* Præmiſerat Caietan. *Omnes iſtæ rationes concernunt bonum populi Iſraël.* Felices florent, at ab hoſtibus prouocati honeſtæ militiæ incumbunt, vt quam offerebat peccandi occaſionem diuitiarum copia, depulerit ardua & laborioſa militia : nec enim inertibus indulgere poterant voluptatibus, dum militaribus incumbebant ſolicitè certaminibus: felix & otioſus eſt deterior ſibi inimicus.

Senec.
Miſer eſt nimium felix.

Caietan.

Cogitationem aliquando ſubiuit: cur Deus à 21.
vaſtatore Angelo Ægyptiorum primogenitos intempeſtæ noctis ſilentio occidi permiſerit: *Factum eſt in noctis medio percuſſit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti à primogenito Pharaonis, qui in ſolio eius ſedebat.* Quis fuerit hic vaſtator Angelus, quærunt Patres. Reſpondentque plures dæmoni ſupplicij executionem commiſſam. Sed inquiramus cur magnates dæmoni non tradantur occidendi, dum vigilant, cur nocte ſomno indulgentes in dæmonis poteſtatem deuenenerint, & incuſſam mortem ab illo tulerint. Rupertus arcanum in hac hiſtoria myſterium ad mores componendos inuenit : *Cur potiùs medio noctis*, rogat libro ſecundo in Exod. capite decimoſeptimo, *dormientes placuit interfici ? videlicet vt hiſtoricum quoque exemplum dormitantibus proficeret, atque ad vigilandum eos percellerent.* Dies accupationibus deputatur, nox otio addicitur : ergo dum primates, & primam fortunam adepti otio torpent, ſomnoque inertiſſimo corripiuntur, à vaſtatore dæmone iugulantur. Primogeniti die felicitate vtebantur, ſed otio non indulgebant ignauo, reliqui nocte otio tradebantur; ſed felicitate carebant: ergo ad noſtram

Exod.12. v.29.

Rupert.

Digitized by Google

noſtram eruditionem dæmon neque otioſos felicitate deſtitutos ferit, nec primogenitos occupatos; ſed primores otio addictos, quaſi in hos ſpecialiſſimum ius obtinuerit, dum felices inſaniunt ebrij, & otio dormiunt ſepulti. Iam malos Angelos harum plagarum fuiſſe mini-
Pſal.77. v.49. ſtros tradit Pſalmiſta Pſal.77. *Miſit in eos iram indignationis ſuæ, indignationem, & iram, & tribulationem, immiſſiones per Angelos malos.* Adeſt
Euthym. Euthymius hic: *Omnia ſcilicet immiſſa ac delata ſunt per Angelos malos.* Ecce quantum malis Angelis liceat in primoribus otio deditis: profectò dæmoni minus liceret in primogenitos vigilantes aut in non felices dormientes, cùm alij etſi felices, non otioſi; alij etſi otioſi, non felices; aſt vbi in poſſidentis perniciem otioſitas, & felicitas fœderantur, primogeniti à dæmonibus impetuntur.

22. Iſai 14.v.12. Hoc primi Angeli fuiſſe delirium tradit Iſaias cap.14. *Quomodo cecidiſti Lucifer, qui mane oriebaris, corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes: qui dicebas in corde tuo: In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti.* Vtrumque iunxit, & felicem eſſe, & otioſum, vnde egregiè deſipuit Dei ſimilitudinem exambiendo: *Similis ero Altiſſimo,* quandoquidem in otioſa felicitate, & felici otio imprimi non poterat Dei imago; ſed criminis delineari ſimilitudo. Certè Seraphim inueniuntur feliciſſimi, & ſuper thronum excelſiſſimum
Iſai.6.v.2. ſublimati. *Seraphim ſtabant ſuper illud*; at illis non nocuit felicitatis exceſſus: quia ſacer ſtabiliuit felicitatem volatus: *Duabus volabant*: inueniuntur quidem fortunati; ſed non dehoneſtantur otioſi; at dum lucifer ſedere voluit fortunatus & otioſus, ſapientiam prorſus amiſit, quandoquidem liquebat vel cæciſſimis oculis non
Bernard. poſſe Dei in ſe ſimilitudinem geſtare, qui geſtiebat inerti felicitate ſedere. Adeſt Bernard. ſerm. 5. de verb. Iſai. *Exultauit lucidus eſſe, non feruidus, non incenſus, quod Seraphim ſonat: non ergo ſtetit, quia contempſit; ſed nec volare potuit, quod præſumpſit:* Non volauit, quia ſedere voluit: Deo non potuit aſſimilari, quia ſplendere diſcupiuit: itaque eius iure ſugillatur ſtultitia, dum Dei ſimilitudinem ſe habiturum præſumpſit fortunatus & otioſus inſidens & fortunatus.

23. *Adiutor*, aiebat Pſaltes, *in opportunitatibus,*
Pſal.9.v.10. Euthym. *in tribulatione.* Euthymius legit: *Adiutor in proſperitatibus, in tribulatione.* Et quidem inuertendus videbatur ſermo, quandò citiùs indiget tribulatus adiutorio, quàm fortunatus auxilio: cur ergo priùs opem implorat Pſaltes ad felicitates, quam ad labores? An quia plus homini timendum eſt ab optima fortuna, quàm ab extrema miſeria? An quia plus fortuna exagitat, & ideò opus eſt maiori auxilio? Certè vigilans adſtitit Dominus naui piſcibus exundanti, dormiens fluctibus adimpletæ: dum nauis tempeſtate concutitur, nondum incepit ſubmergi; at impleta piſcibus, penè nequibat ſaluari. Benè; ſed theſi reſtituamur. Orat Pſaltes anxio cordis deſiderio, ne felicitas pariat ignauiam, quaſi de ſalute deſperet, ſi conuenerint ſocordia & fortuna: inertia namque improbanda ſuggeret, fortuna executioni
Euthym. mandabit. Adeſt Euthymius: *Neque enim ij ſolum auxilio indigent, qui in calamitatibus ſunt; ſed illi etiam qui in proſperitatibus, vt felicitatem ſuam conſeruent, & ne in ignauiam calamitatum matrem decidant.* Vetitus eſt Pſaltes, ne proſperitas conſuluerit otium: ſciebat namque vrgentiſſimum periculum eſſe; imò ferè ſemper naufragium indulgere ignauiæ, & opibus exornari fortunæ: diuinum deprecatur auxilium, vt proſperitas inertiam non pariat: quia nouerat non adeò timendum eſſe à tribulatione, quàm ab otioſa felicitate: ideò ergo citiùs, priuſque huiuſcemodi felicitati quæſiuit remedium, quàm calamitati depoſtulatit auxilium: *Adiutor in proſperitatibus, in tribulatione.* Profectò ad tuendam fortunam alia fortuna opus eſt; aſt ad ſeipſum tuendum à fortuna ignauiæ matre non ſufficiet vel geminata fortuna, niſi benigna Numinis opituletur miſericordia. Expertus non ſine damno in hæc vota Pſalmiſta prorupit: quia infelici euentu nouit, quam criminum pateant inſidiis, quàm dæmonum telis, qui & inertes & felices.

Pecora agebat Dauid deſertorum errori- 24.
bus, cùm ferè otioſo leo rugiens occurrit; vicit tamen adoleſcens audaciam, & à bellua expe-
tiuit vindictam: *Leonem & vrſum interfeci ego* 1.Reg.17. v.36.
ſeruus tuus. Palatium intrat iam fortunatus, & filiæ regis nuptias celebraturus: cumque nequam ſpiritus Saulem incitaſſet, haſtamque in pſallentem, manuque citharam retractantem contorſiſſet, teli expectatione fruſtratus eſt:
Declinauit Dauid; verùm poſt tot victorias, 1.Reg.18. v.11.
cùm die quadam regiè epulatus eſſet, & oblectationis cauſa in ſolario deambulaſſet ab aduerſario muliebris pulchritudinis telo occubuit transfixus, & iacuit miſerrimè vulneratus: *Miſſis Dauid nuntiis tulit eam.* Mirantur Patres virtutum optimatem telo poſt tot victorias percuſſum, cùm anteà & leonem illæſus vicerit, & dæmonis inſidias fruſtrarit: ſi in palatio fulgens telum inſidioſe contortum eluſit, ſi mapalibus degens leonis rictus felici triumpho repreſſit, quomodo hic leuiori ad ſpeciem occaſioni ſuccubuit? Quia etſi mapalibus, reſpondet Baſilius Seleucienſis orat.17. otioſam quodammodò vitam gereret, non fulgebat fortunatus, & licet fulgeret in palatio, non inueniebatur otioſus; at poſteà conuenerunt in vnum fortuna & inertia, & quod dæmon obtinere non potuit inſidioſis dolis, nec leo viribus validiſſimis, facillimè obtinuerunt ignauia felicitatis auxiliis, & fortuna otij ſuppetiis: nec miles adeò ſtrenuus, vt erat Dauid, potuit vincere & fortunam & ignauiam: *Cùm regiè Dauid epulatus eſſet, ac pollucibili menſa emollitus animo meridiana ſeſe oblectaret obambulatione, tunc diabolus, tunc animi, curaque neruum remiſſum conſpicatus, & mentem paſſionum aurigam indiligenter frenis ſuccinctam, at paruula quadam ſui parte nudatum ab armis optimatem furtim cecidit* Quid verius & vſitatius?

§. IX.

Non ſemel nutriuntur filij à parentibus vltionis deſiderio, & inimicorum odio.

Eſt & alius ſummus impatientiæ ſtimulus, 25.
ſcribit Tertullianus libro de patient. capite 10. *vltionis libido negotium curans aut gloria aut malitia:* Sic mortales vaniſſimæ gloriæ

 inhiant

Digitized by Google

inhiant, ſic malitia exœſtuant, vt impatientiæ
ſtimulis agitati ætatum iura peruertant, & in
leges temporum irruant: infantia ſolùm no-
uit formam ſimplicitatis referre, & bonitatis
imaginem præſentare: neſciunt pueri inflam-
mari odio, concitari neſciunt vltionis ſtudio;
verùm ea eſt vltionis libido, vt filij à parenti-
bus ſimul cum vitæ alimento, hoſtili nutrian-
tur odio. In ſimplicitatis tempore flammis in-
ardeſcunt vltionis, & cùm neſciant verba pro-
ferre, iam nouerunt immortalia pectore odia
Senec. nutrire. *Vltio*, aiebat Seneca de Clement. capite
vigeſimoprimo *ſolatium affert ei, qui accepit in-
iuriam.* Vt nullus viuere poteſt ſine oblecta-
mentis, pro oblectamento multis ſunt deſideria
vltionis. Parum eſt pubeſcentem præſtolari
ætatem, quo moneatur iniuriam vltione depel-
lere, & vltorem de vita expungere. In ipſis cu-
nabulis nutriuntur infantes deſiderio vindictæ,
& ſtudio infligendæ hoſtibus pœnæ. Hoſtes
remanſerant in Hebræorum ditione, vt vel à
teneris vnguiculis filij à parentibus decerta-
re inſtruerentur, & vltio laudabilis ingenium
ſortiretur terribilis: *Vt poſteà diſcerent filij
eorum certare cum hoſtibus, & habere conſue-
tudinem prœliandi.* Non ſolùm parentes cum
hoſtibus depræliabantur; ſed filij certare diſ-
cebant, & in ipſis puerilibus ludis ſe iam con-
tra parentum hoſtes armabant. *Ratio itaque
Caietan. relictarum gentium iſtarum fuit*, ſcribit Caie-
tanus, *vt Iſraëlitæ exercerentur ad bellum, ita
quòd filij non alerentur à parentibus abſque arte
militari ſubſiſtente cauſa debellandi gentes iſtas.*
Profectò iuſtum erat gentes illas debellare,
vtpotè Numini oppoſitas, & veræ religioni
contrarias; aſt honeſti odij coloribus, quod in-
decorè ſæpè accidere ſolet, depingitur, ſcilicet
filios eodem tempore ad vitam à parentibus in-
nutriri, & monitis ad vltionem armari, vt cum
ipſo alimento immixtum corda poſſederit
odium, & tranſeat in naturam improbum vl-
tionis ſtudium.

26. Herodias immortale in Ioannem odium
conceperat, verita, ne inceſtuoſæ turpitudinis
opportunitatem auferret, ſi regem voce tempe-
rantiæ fulgore coruſcante ad veritatem allice-
ret, & ab imputatis affectibus perſanaret: cúm-
que aliquando natalitius dies illuxiſſet, magna-
que adulantium corona celebraretur, puella
diem etiam impudicis ſaltibus celebrauit, adeò-
que Regi dexteritas placuit impudica, vt lautiſ-
ſima promiſerit præmia: illa cucurrit ad ma-
trem, quæ & Baptiſtam inimicum oſtendit, &
Matt 4 v 8 in eius vitam ſtudioſè armari præmonuit: *Illa
præmonita à matre ſua. Da mihi, inquit, hic in
diſco caput Ioannis Baptiſtæ* Nihil aduerſus puel-
lam ioannes protulerat, nulla iniuria affecerat;
at mater ſibi aduerſari dolebat: vtque de pro-
pheta ſæuiſſimè vlciſceretur, ſatis illi non fuit
gehennalis vltionis flammas pectore aduerſus
Baptiſtam gerere; ſed eiſdem communicatis ge-
ſtiuit filiam armare. *Præmonita*, inquit, *à matre
ſua.* Detulit puella ad matrem regium promiſ-
ſum, vt concilium acciperet, & quod ſibi vtilius,
poſtularet: illa tunc declarauit ſine dubio in-
fenſiſſimum ſibi hoſtem fuiſſe Baptiſtam, eius
denigraſſe honorem, læſiſſe famam, dum publi-
cis vocibus regis carpſit intemperantiam, opuſ-
que eſſe, vt de tam acerrimo hoſte vindictam
expeteret; & ad eius caput poſtulandum pro
præmio greſſibus ocyſſimis inuolaret. *Hero-
dias*, ſcribit Hieronymus apud D.Thomam, *ti-* Hieron.
*mens ne Herodes aliquando reſipiſceret, vel Phi-
lippo fratri amicus fieret, ac ſic illicitæ nuptiæ re-
pudio ſoluerentur, monet filiam, vt in ipſo ſtatim
conuiuio Ioannis caput poſtulet.* Aptius Auguſti- August.
nus ſerm. 10. in nouis ſermonibus: *Mulier de-
teſtabilis odium concipiebat, quod aliquando dato
tempore pareret; quando autem parturiebat, pepe-
rit filiam, filiam ſaltantem.* Vel in ipſo partu cùm
filiæ communicauit naturam, communicauit
& odij rabiem: iam filia nutriebatur in Ioan-
nem odio, iam ſaltare addiſcebat in ipſis cunis
vltionis rabido deſiderio: filiam peperit ipſo in
exordio ſaltantem, & in Ioannem materni odij
flammas vomentem: iam ardebat Ioannis ſan-
guinem, iam hiabat ad mortem, vtque matris
vlciſceretur iniuriam, regnandi contempſit glo-
riam, & de Ioanne ſuſpirauit vindictam. Sic non
ſemel filij à parentibus innutriuntur, & auitis
transfuſis odiis armantur.

Iob aquilæ proprietates deſcribens aiebat: *In* 27.
arduis ponit nidum ſuum, in petris manet, & in Iob.39.v.27
*præruptis ſilicibus commoratur, atque inacceſſis
rupibus: inde contemplatur eſcam, & de longè ocu-
li eius proſpiciunt, pulli eius lambent ſanguinem.*
Bellum gerit aquila cum ſerpente: hæc enim
auiditate malefica aquilæ, eiuſque ouis inſidia-
tur: teſtatur Plinius lib. 10. natural. hiſtor. cap. 4. Plinius.
*Acrior eſt cum dracone pugna: oua hic conſectatur
aquilæ auiditate malefica; at illa ob hoc rapit vbi-
cumque viſum.* Aquila in præruptis ſilicibus,
vbi ſerpentes domicilium ſuum habere ſolitant,
ad deuorandum expectat, vtque eius filij ſerpen-
tino ſemper hiauerint ſanguini, eo illos nutrit,
vt ſimul nutriantur alimento, & mortali inflam-
mentur odio: pulli aquilæ quanta in illorum
patres ſerpens machinatus fuerit, agnoſcunt,
& eius ſanguine ſitim inexplebilem non tam
ſedant, quàm inflammant: vbi excluſi ab ouis
ſerpentinum ſanguinem ſitiunt, & hæreditariis
inimicitiis ardeſcunt, *Inde contemplantur eſcam,*
ſcribit Lyra, *id eſt prædam ad ſui & pullorum nu-* Lyra.
*tritionem: & quia communiter accipit prædam
viuam, ideò dicitur: pulli eius lambunt ſangui-
nem, ſcilicet de præda ab ea occiſa currentem.* Ita-
que aquila in abruptis petris ſerpentes obſer-
uat, ibique rapit, & eius ſanguine filios nutrit:
vt pulli cum ipſa vita vltionis ſtudium capiant,
& in ſerpentinum ſanguinem libidine vltio-
nis auiditate prorumpant. Et quidem quod
aquilæ accidit, & hominibus ſæpè contingit:
filios ſuos alunt cruentiſſimis deſideriis, arden-
tiſſimis vltionis ſtudiis referunt, quas ab inimi-
co iniurias acceperint, qualiter genus lingua
maliloqua dehoneſtarit, quomodò immatura
cæde aliquem ex maioribus abſtulerit, vt iam
ſanguinis deſiderio innutriti impetant aduer-
ſarios armari. O vtinam ſic in animæ hoſtes
inſtruerent, ac in honoris, vitæque aduerſarios
obarmant: tunc namque eſſet laudabilis diſci-
plina, quæ probatur modò malitiæ ac vltionis
ardentiſſima flamma. O vtinam aquilam imi-
tarentur, & conceptum in veternoſum illum ſer-
pentem odium, vt illa pullis, & ipſi hæreditate
legarent filiis. Sed proh dolor! Rariſſimus pa-
rens in ſerpentem generis quidem corruptorem,
honori iniurium, hoſtem ſaluti vitæque virulen-
tum filiorum exacuit odium, cùm aduerſus hu-
manos hoſtes à cunis exulcerauerit animum.

Cùm

Digitized by Google

28. Cùm Saul in Gelboë montibus Philiſthinorum ſagittis transfixus occubuiſſet, nuntium ad Dauid delatum eſt: ille vt erat animo generoſo, & ſoli gratiæ ſeruire gnato eis lachrymis planxit oſoris mortem, quibus potuiſſet flere parentem: nec prædiuiti regni hæreditate dolorem ſolatus eſt: nec enim illum tantùm ambitura verticem oblectabat corona, vt Dei populique diſcruciabat animum ignominia. Quid tunc? Vt rationabile in hoſtes odium oſtenderet, publico edicto parentibus iuſſit, vt filios arcum docerent. 2.Reg.1. v.18. *Præcepit, vt docerent filios Iuda arcum, ſicut ſcriptum eſt in libro iuſtorum.* Profectò opportunius videbatur filios inſtruere clypeo, quandoquidem Saul clypeo abiecto hoſtilibus fuit telis confoſſus, & ſagittis transuerberatus: 1.Reg.31. v.3. *Vulneratus eſt vehementer à ſagittariis.* Ergo priùs iubeat vſum clypei edoceri, & poſteà arcus peritia erudiri. O vtilem nobis doctrinam! Eo in Dei hoſtes ardebat odio, vt non priùs propriæ conſuleret vitæ, quàm ſtuderet illorum pœnæ. Clypeus vitam protegit, ictus iaculorum repellit, arcus diſtantes vulnerat, aduerſarios lædit: ergo priùs iuſſit, quod ad aduerſariorum pertinebat excidium, quàm quod ad temporalis vitæ tutamentum. Benè. Sed cur contentus non eſt parentum in iaciendis iaculis peritia, & in non deerrando ab ſcopo ſcientia? Cur filios contorquendi ſagittas ſcientiam deſiderat edoceri, & vel pueros in aduerſarios armari? Sanè hoc fecit, vt dicebam, pio religionis ſtudio, & allophylorum digniſſimo odio: ſed odij viuacitatem expreſſit, cùm vel pueros hac inſtrui peritia iuſſit. Dei populus grandem acceperat iniuriam à Philiſthæis: ceciderant bello Saul, Ionathas, & magnatum plures: ergo à teneris annis voluit pueros doceri in allophylos iactare ſagittas, quò iuſtiſſimi illis odij clariùs oſtenderit flammas. Sciebat Dauid plures de iniuſta vltionis libidine filios inſtruere ad vindictam, & ad puniendam formare iniuriam, noluitque minori inardeſcere deſiderio ad vltionem iuſtam, quam alij inardeſcere ſolent ad illicitam. Lyra. *Scribitur in benedictione Iuda* (verba ſunt Lyræ) *Manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, quod fuit impletum potiſſimè tempore Dauid, qui inimicos Iſraël potenter in circuitu debellauit, ad quam debellationem multum fecit ars ſagittandi, in qua filios Iuda inſtrui præcepit.* Iudas à patre præmonitus fuerat inimicos debellare, hoc eſt Dei hoſtes, & Dauid de Iuda ſatus auiti præcepti memor hoſtes debellare vehementer diſcupiit, & ad hoc ſagittandi artem vel pueros doceri voluit. Quicumque Iudæ filius auito tenebatur monito: & ideò non poterat ſagittandi artem auido non addiſcere deſiderio. Profectò Iacobus & Dauid quale in veritatis, æquitatiſque hoſtes odium debeat eſſe oſtenderunt: puderet namque ſe ignauiùs gerere in Dei honoris vindictam, ac mundiales ſe gerunt ad abſtergendam hoſtili ſanguine notam, nobiſque iuſti deſiderij penicillo vindictæ delineauerunt ſtudia, & vltionis vota. Nec enim nonnulli patres putant ſe odio ſuo ſatisfeciſſe niſi filios cum alimento, & in hoſtes imbuerint odio.

§. X.

In eam peccatores deuenerunt ſæpiùs amentiam, vt mala ſua non ſolùm noluerint fugere; ſed ambitioſè ſuſpirauerint æternare.

29. Seneca. *Salutis initiũ eſt ſenſiſſe ſe ægrotum.* HOc ipſum, aiebat Seneca epiſt. 6. *argumentum eſt in melius tranſlati animi, quod vitia ſua, quæ adhuc ignorabat, videt: quibuſdam ægris gratulatio fit, cùm ſeipſos ægros eſſe ſenſerunt.* Ægritudinem ſentire, & medicamina ſuſpirare non modica ſanitatis pars eſt: ſalutis namque ambitioſus vlulans & mugiens manus medici ſuſtinebit, nec ſinapis incendia, aut cauteria recuſabit; at qui ægritudinem ſalutem putat, non minus eſt anxius in tuendo morbo, ac debuiſſet eſſe in ſolicitando remedio. Ad eam ſtupiditatem, cæcitatéque homines ſua traducunt crimina, vt vera ſuadeant illius Circes medicamenta: non ſolùm curari non ſuſtinent; ſed ægritudini ſuæ adulantes geſtiunt anhelis votis cauſas ægritudinis adaugere, & ſalutis occaſiones præcidere. Quàm benè, & quam verè aiebat Tertullianus aduerſus Gnoſtic. capite quinto: Tertull. *Eſt & hæc peruerſitas hominum, ſalutaria excutere, exitioſa ſuſcipere, periculoſa quæque medicamina vitare: mori denique citiùs quàm curari deſiderare.* Itaque adeò diſtant à ſalutis voto, vt peruerſitatis ardeant deſiderio: *Mori denique citiùs quàm curari deſiderare.* Medicinæ præſidium plures refugiunt, & ſi aliquando diſceſſurum animæ putauerint morbum, timoris perpetiuntur tormentum: hinc malis ſuis prorſus addicti, & voluptatibus conſecrati nil curant auidiùs, quàm ſuam infelicitatem fulcire, & cauſas infirmitatis æternas reddere. Cautum erat lege, ne Hebræi cum allophylis fœdera inirent, ne inter illos habitarent; verùm legis obliti ſibique iniurij in medio allophylorum habitare contendunt, & amicitias arctiſſimas ineunt: *Itaque filij Iſraël habitauerunt in medio Chananæi.* Hanc Scripturæ phraſim pacem & tranquillitatem indicare docet Arias Montanus ad hunc locum: Montan. *Eſt hæc perpetua ferè elocutio Hebraico ſermoni familiaris, cùm ſecuritatem, concordiam, amicitiam, pacem, conſuetudinem, & familiaritatem indicari voluerit.* Vides fugiendam familiaritatem, & deteſtandam amicitiam Hebræos iniuiſſe, vide modò quàm anxiis votis illam æternare curauerint, quàm nullis cauſis familiaritatis pepercerint: *Duxerunt*, inquit, vxores filias eorum, ipſique filias ſuas filiis eorum tradiderunt, & ſeruierunt diis *eorum*. Ne aliquando diuerſa religio amicitiæ vincula diſſolueret, omnem abiurauere pietatem, & deteſtandam ſimulacrorum amplexi ſunt religionem: & quia nulla maiora ſocietatis ſunt pignora, quam coniugum ac cõmunes liberorum neceſſitudines, hæc exambiunt naturæ fœdera, vt amicitiæ æternauerint vincula. Adeſt Arias Montanus citatus: *Hac igitur pacta Iſraelitæ in medio iſtorum habitare optarunt, idque tanto tamque contento ſtudio egerunt, vt ne aliquando illam familiaritatem diſciſſum iri metuerent, non ſolum vitæ, & negotiorum communione; ſed neceſſitudinem etiam vinculis adſtringerent.* Neceſſitudinem illam debuiſſent abiurare, & anhelis votis diſcindere, in eam tamen deuenerunt amentiam voluptatis præſtigiis,

vt nihil magis metuerint, quam ne praua illa ſcinderetur concordia, & refrigeſceret amicitia. Et vtinam ſolùm id Hebræis accidiſſet; ſed ſæpiſſimè nobis omnibus contigiſſe cognouimus, dum criminum occaſiones ſtudioſiſſimè ambimus.

30. Antiochus poſtquam plurima abſtulerat, poſtquam tributis Dauid ciuitatem oppreſſerat, eam igni ſuccendit, & excitatis denuò muris altiſſimis communiuit: 1.M chab. 1. v.35. *Ædificauerunt ciuitatẽ Dauid muro magno & firmo, & turribus firmis, & facta eſt illis in arcem, & poſuerunt illic gentem peccatricem, viros iniquos.* Eis muris vi ablatã ciuitatem cingunt, quos nulla vis poſſit ſubruere, nullaque violentia euertere: ſatis illis non fuit ſanctitatis locum deſtruere, niſi flagitium muris firmiſſimis æternarint. Hugo. *Ciuitatem Dauid ædificant*, ſcribit Hugo de Foileto in allegor. Tilmani, *Dum mentem cuiuſlibet manu fortis, id eſt, benè operantis in partem contrariam mutant, muro magno, & turribus firmis, muniunt, dum peruerſa opera, & eorum defenſiones in circuitu ponunt.* Oblectantur vitiis, & ne amittendi voluptates inquietentur timoribus, muris obarmantur altiſſimis, & numquam ad ſpeciem vincendis armis. In Antiocho cupiditatem ſignari, in armis & eſcis voluptates deſcribi tradit idem auctor: *Cupiditas tributa recipit: quia & in Eccleſia, & in qualibet anima exactiones complures agit* Addit poſt aliqua: *Poſuerunt arma & eſcas, arma defenſionis verba, eſcæ delectationes terrenæ: huiuſmodi cibis arcem muniunt, qui terrenis delectationibus mentẽ paſcunt* Studioſè adeò mentẽ terrenis delectationibus exambiunt paſcere, vt adamantinis muris laborauerint cõmunire. Proh extremam peccatoris calamitatẽ! Vbi cõſcientia dediſcit monitoris officiũ, iam non angitur animus ob commiſſa? ſed angitur, ne fuerint aliquando amittenda: eſcas muris defendit, & muros eſcis: delectationibus terrenis inhians timet peccator illis aliquando carere, & improbis conatur ſe laboribus in periculum obarmare.

31. Dei populus cæleſti manna, pane Angelorum induſtria conformato altus adhuc ſuſpirabat furfuraceum illum Ægypti panem, aſſueti viliſſimis eſcis ali dedignabãtur pretioſis, adeoque conſuetudo guſtum adulterarat, vt inhiarint deteſtandis, & renuntiarint ambiendis: Num.11.v.5. *Quis dabit nobis ad veſcendum carnes?* Tumultuoſis vocibus inclamabant: Deus vt de improbo deſideriũ puniret, vtque liberalitatis ſuæ opinionem defenderet, coturnicũ ferè immenſam copiam immiſit: *Ventus egrediens à Domino arreptas trans mare coturnices detulit* Populus nocte dieque coturnicibus congregandis iucunda fatigatione laborat, & carnes induſtriè ſiccat: *Siccauerunt eas per gyrum caſtrorum.* Et cur carnes ſiccauerint, rogant interpretes. Caietanus feciſſe hoc ex nimia carnium auiditate reſpondet: ſatis illis non fuit carnibus tunc oppleri; ſed vel ingluuiei vacantes in futurum tempus laborauerunt producere: carnes ſiccauerunt, ne putreſcentes perirent, & deſideria pereuntes fruſtrarent: *Ne putreſcerent; ſed ſeruarentur*, inquit Caietanus, Caietan. *expanſæ ſunt coturnices iugulatæ, & exenteratæ.* Impenſiſſimum illorum ſtudium erant gulæ voluptatiſque occaſiones producere, & quia illis iucundiſſima culpa, iam angebat periculi contingentia. Et quidem antea etiam carnes concupiuerant, & iam olim coturnix fuerat illis conceſſa: Exod. 16. v.13. *Veſpere aſcendens coturnix cooperuit caſtra*: Nec tamen grauis adeò Numinis deſæuiit ira, cùm hic carniuoros indignationis deuorauerit flamma: *Ecce furor Domini concitatus in populum percuſſit eum plaga magna nimis.* Quæres cur alibi carnibus veſcentes plaga non adulſerit, cùm hic mulcta grauiſſima flagellauerit? Ea ſe mihi offert ratio; alibi ſcilicet vti imbecilles carnibus inhiaſſe; non tamen firmandis in poſterum gulæ opportunitatibus ſtuduiſſe; at hîc ſummam oſtentauere malitiam, dum ſatis illi non fuit præſenti indulgere delicto; ſed curarunt occaſionem præparare futuro. Adeſt iterum Caietanus: *Plaga hac facta ſignificatur, quòd adhuc vtebantur hoc cibo promiſſo per menſem.* Numinis benignitas improborum non puniuit deſideria fragilitati adſcribens volantibus coturnicibus veſci deſideraſſe; at dum ſiccant, dum in futurum diſponunt, ſummam errandique ſtudioſam oſtentauere nequitiam, & ideò digniſſimam paſſi ſunt pœnam: irritat namque in ſe diuinam iram peccator, cùm non ſolùm occurrentibus delinquendi occaſionibus ſe ſubiicit imbecillus; ſed curat in futurum occaſiones peruerſus.

32. Conſummata deprædicatur nequitia, dum Zachariæ obiicitur amphora libidine plena, quam duæ fœminæ aſſumptis milui alis rapiunt, & in Sennaar terra ſtabilire contendunt: *Vt ædificetur ei domus in terra Sennaar, & ſtabiliatur, & ponatur ibi ſuper baſem ſuam.* Zachar. 5. v.11. Satis mulieribus illis non fuit amphoram impietate plenam poſſidere; ſed conatæ ſunt in ſæculum æternare: adeò gaudent impietate frui, vt periculum omne ſtuduerint excludere, & deteſtandam ſibi ſecuritatem firmare: anxius illarum conatus erat amphoram ſuffulcire, & ad id in Sennaar regionem deferre: illuc illarum pennas mouet ſtudium, quo nullum impietatis amphoræ timeri quiuerit detrimentum: vt enim qui aurum poſſidet, ne amittendi timore ſolicitetur, ea ſeruat cautela, quæ furis manus eludat; ita hæ mulieres ſtudioſè adeò perſequuntur luxuriam, vt inuolent totis viribus ſtabilitatem ſuſpirantes, & criminis æternitatem ambientes: domum impietati ædificant, *vt ædificetur ei domus*, & in terra Sennaar ædificant, vt omni ſtabilimento ſuffulciant: *Vt ſtabiliatur:* Stabiliri volunt, quia impietate carere fugiunt. Adeſt Rupertus ad hunc locum: Rupert. *Quæ eſt iſta baſis eius? Domus eſt mortis, baſis eſt perditionis ſtantis, & permanentis: quia ſepulchra eorum, ait Pſalmiſta, domus eorum in perpetuum, & non eſt ibi ſpes, ſiue expectatio tranſeundi ad alium Dominum, transmigrandi ad alium locum.* Ibi quieſcunt, vbi nulla ſpes eſt alium ad locum tranſeundi, & amphoram amittendi. Proh peſſimum ſtabilimentum! proh deteſtandum ſtabilitatis ſtudium! Non ſemel mulierculæ libidinis victimæ, dum aliquem ſortiuntur amaſium, quem aufugere poſſe verentur, veneficiis illigant, incantamentis ſtabiliunt, præſtigiis vinciunt, tuncque ſolùm plena ſe voluptate frui exiſtimant, cùm iam omne periculum ſuſpicantur ſemotum, & vitium ſemper ſecurum. O quàm pudere debet virgines illas ſponſum præſtolantes, ſomnoque indulgentes, non curaſſe periculum depellere, & in futurum lampades concinnare, cùm improbæ hæ fœminæ, non greſſibus vt prudentes virgines ad ſponſum; ſed ocyſſimis contenderint ad impietatem volatibus.

Non

Digitized by Google

Non inuenies deteſtandas has fœminas indulſiſſe ſomno; ſed impietatem ſtabiliſſe ardentiſſimo ſtudio: domum vitio ædificant: quia non vt hoſpites breui cupiunt tempore diuerſari, ſed vt indigenæ longo viuere.

---

§. XI.

Quod ſæpe in ſe ipſam detrimentum imprudens architectata eſt malitia, vertit in commodum prouidentia.

33. CVm peccator quiſque nil aliud quàm commoda propria ſuſpiret, plurimum ab ſcopo cæciſſimè deerrare ſolet: quæ putat auxilia, certiora ſunt detrimenta, & inhians gaudio, duro dicatur ſæpè tormento. *Sic agere nos debemus*, aiebat Seneca epiſt. 14. *non tamquam propter corpus viuere debeamus; ſed tamquam non poſſimus ſine corpore, huius nimius amor timoribus inquietat, ſolicitudinibus onerat, contumeliis obiicit.* Curant homines commodis ſuis adulari; ſed ipſa cura angoris doloriſque mater ac nutrix eſt. Inde naſci ſolent ſæpiſſimè detrimenta, vnde voluptati gaudioque expetebantur auxilia: quia charitatis in nos neſcimus modum tenere, conſtat ſæpiſſimè à propoſito deuiare; verùm ea eſt paterna Numinis pietas, ea eſt Dei in homines charitas, vt quæ ipſi contra ſe ipſos imprudentes moliebantur incommoda, vertat in felicitatis auxilia: *Nonnunquam*, aiebat Tertullianus lib. 1. de Anima cap. 2. *& in procella confuſis veſtigiis cæli & freti aliquis portus offenditur proſpero errore: nonnunquam & in tenebris aditus quidam & exitus deprehenduntur cæca felicitate.* Vt aliquando accidit nauim, quæ ab indocto proreta in ſcopulos imprudenter aurigabatur, & cæciſſima gubernandi arte vrgebatur in naufragium, ingruenti procella deferri in portum cæca felicitate; ita aliquando ipſi errores, ipſæ calamitates ſic à Domino diriguntur, vt felix cæcitas inueniantur: de hominis errore nata eſt cæcitas; ſed de Domini benignitate exorta eſt de ipſa cæcitate vtilitas: quo agnoueris longè excellentiorem Dei erga homines eſſe charitatem, quam ipſorum erga ſeipſos amorem, quandoquidem ipſi malè ſe amando commoda verterunt in damna, cùm Deus offenſionibus etiam exaſperatus ipſa damna vertat in commoda. Filij Iſraël lege diuina prohibebantur Chananæos ditione ſua ſuſtinere, aut habitare permittere, verùm cupiditatis præſtigiis ſic delirauere obcæcati, vt ne vile tributum amiſerint, ſecuritatem, felicitatemque imprudenter abiecerint. *Itaque filij Iſraël habitauerunt in medio Chananæi.* Chananæos permittunt ſibi ingentiſſima futuros detrimenta: quia infami lucro perſuaſi putabant commoda. Quid tunc Deus? ipſis Chananæis vtitur ad Iſraëlem erudiendum, & iners ad otium non ſine vtilitate fugandum: *Hæ ſunt gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Iſraëlem.* Ecce res eadem diuerſas induit ſpecies: nam quod ſibi imprudentiſſimè Hebræus ſtabilierat periculum, Deus in fortitudinis vertit incitamentum: ipſo ab Hebræis excogitato contra ſe damno Deus vtitur ad virtutis auxilium, & ad honeſtatis ſuffragium. Adeſt Abulenſis q. 2. *Quamquam fines ſint contrarij, ſatis ſtat quòd eadem res ſit ad illos, quoniam prouenit ex magna Dei ſapientia: cui ipſum quoque quod malum eſt; bonum eſt, ideò cùm aliqua res ſit ad malum ſiue ad pœnam, Deus ex ſapientia ſua ordinat eam ad aliquem finem bonum, quem ſimul res illa attingat cum aliquo fine malo, vel pœnali, & ſic erat hic.* Itaque ipſi Hebræi Chananæos permittentes; detrimenti, pœnæque ſuæ euaſerunt præter opinionem artifices; verùm quam pœnam ſibi fabricarat malitia, vertit in delinquentium commodum prouidentia. *Quia pœna*, addit Abulenſis, *quodammodò habet rationem mali, ſaltem quantum ad eum, qui eam ſuſcipit, Deus qui eſt omnipotens, & immenſus in ſapientia, produxit alia bona ex iſta pœna, ſcilicet quòd Iſraëlitæ haberent cum quibus exercitarentur ad pugnam.* Res eadem diuerſis inſeruiebat ſtudiis, & quod Hebræus ſibi procuderat criminis piaculum, Deus vertit in virtutis incitamentum.

Seneca.

Nimius corporis amor eſt anxietatis occaſio.

Tertullian.

Abulenſ.

34. Degebat homo in deliciarum topiario innoxiis voluptatibus circumfuſus; verùm ficus morte infectas ad vitæ ſtabilimentum ambiuit, & ſibi cæcus vitæ exambitor mortem & dolorem elaborauit: *Tulit de fructu illius & comedit, deditque viro ſuo, qui comedit.* Circa fici arborem parentes noſtros præuaricatos communiter tradunt Patres: itaque ficus extitit cauſa doloris, & occaſio infirmitatis. Tranſi modò ad regem illum Ezechiam, qui, vt placet Patribus, elationis cauſa infirmitatem incurrit: *Ægrotauit Ezechias vſque ad mortem*: Iſaias maſſam ficorum afferri iubet, qua vlcus medicatus eſt. *Afferte maſſam ficorum, quam cùm attuliſſent; & poſuiſſent ſuper vlcus eius, curatus eſt.* Profectò à medicinæ legibus hæc curatio diſcordare videtur, quando de peruerſo infirmitati auxiliatur: ſi ficus ob hominis imprudentiam euaſit vlceris officina, quomodò vlceris inuenitur medela? Quia ea eſt diuina bonitas, vt in ſalutis vertat auxilium, quod homo ſalutis effecerat detrimentum. Certè ficus doloris vlceriſque fœcunda ambitioſis extitit vena; at dolenti homini vertitur in remedium memoria & idem, quod ambitio infirmitatis conſtituit cauſam, Dei gratia dolore memoriam pungens vertere didicit in medelam. Adeſt Stephanus in allegor. Tilmani ad 1. Oſee prophetæ: *Per ficus peccata intelliguntur, vnde primi parentes poſt peccatum de foliis ficus fecerunt ſibi perizomata.* Addit poſt pauca: *Apponenda eſt ergo maſſa ficuum vulneri, vt peccatum curetur recordatione peccati.* Ecce ipſum peccatum homini cooperatur in bonum, dum homo eius recordatione ſalubri dolore compungitur, & vtiliſſimo mœrore vrgetur. Peccatum curatur recordatione peccati, & vt de vipera conficitur contra veneni peſtem remedium, ita diuina gratia de peccato contra peccatum medicatur antidotum.

Geneſ. 3. v. 6.

4. Reg. 20. v. 1.

Stephan.

35. Gentium Apoſtolus ad Romanos ſcribens ſic aiebat: *De peccato damnauit peccatum in carne*, id eſt peccatum mortem intulit; ſed quod homo contra ſuam vitam perpetrarat, Chriſtus non iam in mortalis ſolùm vitæ; ſed in æternæ meritum moriendo conuertit; aut ſi placet, Pauli locum de ipſa Dominica morte interpretemur: Scribæ Phariſæique Chriſto Domino mortem machinantur, vt temporale regnum ſtabilierint, vtque temporalem ſibi gloriam

Ad Rom. 8. v. 3.

Digitized by Google

firmarint; at Chriſti mors ab ipſis decreta erat regni excidium, calamitatiſque magiſterium; verùm quod ipſi in ſe machinati fuerant ambitione delirando, Deus ad illorum ſalutem vertit mortem patientiſſimè ſuſtinendo; itaque Chriſti mors vt ab hominibus decreta vitæ hominum erat excidium; at vt ab ipſo perlata, vitæ non ſolùm caducæ; ſed æternæ promptuarium: quam homines contra ſe mortem ſunt imprudenter moliti, Deus in ſalutis vitæque auxilium conuertit: *De peccato itaque*, ſcribit Anſelmus, *id eſt morte, quæ per peccatum accidit, damnauit peccatum in carne.* Homo æternæ vitæ inhians mortem ſibi fabricauit; ſed quam mortem architectata eſt imprudentia, in vitæ immortalis ius conuertit Domini gratia: mortis patientia, quam ambitio intulerat mortem, Dominus conuertit in vitam, & de morte damnauit mortem, vt illuſtrior illuxerit prouidentia, vbi cæca adeò deſipuerat malitia: Deus mortem non fecit; ſed homo induxit; at quod induxerat homo felicitatis quidem detrimentum, in æternæ Deus conuertit felicitatis auxilium.

Abulenſ.

36. Cùm populus indigeret aqua, Moyſes contra Dei præceptum ſilicem repetitis ictibus ferit: *Cùm eleuaſſet Moyſes manum percutiens virga bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ ita vt populus biberet & iumenta.* Non ſolùm aquæ largiſſimæ referuntur egreſſæ; ſed Paulus 1. Cor. 10. petram fontis ad inſtar populum conſecutam fuiſſe teſtatur: *Bibebant de ſpiritali conſequente eos petra; petra autem erat Chriſtus.* Geminatam percuſſionem crucem deſignaſſe tradit Auguſtinus quæſt. 35. *ſignificatur ergo de Chriſto profluens gratia ſpiritualis, qua interior irrigatur ſitis; ſed quod virga petra percutitur, crux Chriſti figuratur: ligno enim accedente ad petram gratia manauit, & quod bis percutitur, euidentius ſignificat crucem.* Expende quàm deſipiat Moyſes peccatorum figuram agens petram conuulnerando, & quam vulnera illa in populi vtilitatem Deus conuertat aquas largiſſimas exhibendo: *Egreſſæ ſunt*, inquit, *aquæ largiſſimæ*: non adeò largæ profluerent, ni Moyſes virga petram ſemel & iterum verberaret. Quod Moyſes perpetrauit, ſitis non erat auxilium; ſed incrementum, quando cogebat ſilicem non ad frigidas exhibendùm vndas; ſed ad euomendum ardentiſſimas flammas; verùm ipſis ictibus, quibus vltrix prouocabatur flamma, copioſior manauit vnda, & crux, quam ad promerendas flammas conſtruxit malitia, in copioſiſſimum vndarum fontem conuertit miſericordia. Idem ictus vt à Moyſe incuſſus ſolicitabat ſupplicium; ſed vt à petra patienter latus, ſitis promeruit remedium, & vertit patiens prouidentia in auxilium, quod Moyſes in maximum hominum perpetrarat detrimentum.

Num. 20. v. 11.

1. Cor. 10. v. 4.

Auguſt.

37. Ioſephi fratres, dum inuident eius felicitati pro notho vendunt; at venditio in vendentium vitæ euaſit auxilium, quandoquidem Ioſephus enauigatis proſperè imminentis odij, & inſani amoris fluctibus, ad regnum peruenit, & reſeruatis prouidè fluctibus ſterilitati conſuluit. *Vos*, aiebat cùm fratribus diſſerens, *cogitaſtis de me malum: ſed Deus vertit illud in bonum.* Ipſum malum à fratribus cogitatum Deus vertit in bonum, & ſapientior euaſit, quàm inuidia, prouidentia. Contra ſe ipſos fratrem vendiderant, & naturam dehoneſtauerant; verùm dum ipſi naturam dehoneſtant fratre vendito, Deus ad regnum nobilitat exaltatum: de ipſa actione, qua ſibi ſeminauerant ignominiam, copioſam meſſuere gloriam, malum in bonum conuerſum eſt, & quod malè ſibi prouidi cogitarant ad commodum, cæci moliti ſunt detrimentum; ea tamen eſt diuina bonitas, vt ipſum detrimentum in illorum verterit commodum. Lippom.
Quamuis Ioſeph venditio, ſcribit Lippomanus, *non fuerit à diuina voluntate, nec placita Deo, in quantum iniqua, & à voluntate fratrum peruerſa, in quantum tamen actus fuit, & opus, ac via, & diſpoſitio ad bona plurima, quæ ex ea elicere decreuit Dominus, fuit à Deo, & placuit voluntati ipſius.* Clariùs infra: *Dicat ergo Ioſeph: veſtrum quidem fuit peccare in fratrem, Dei autem proſpicere electis etiam peccatoribus, vt nunc videre licet: occaſionem enim præbuiſtis veſtro peccato occidere me volentes, vt viuificarentur multi populi, non vos ſoli. Locus clariſſimus de prouidentia Dei, qui peccatis hominum, & quibuſcumque malis abutitur in gloriam ſuam, & fidelium bonum.* Decertat non ſemel prouidentia cum malitia, & vt malitia Dei abutitur in erroris auxilium bonis, ita Deus in gratiæ fauorem abuti ſolet delictis, & de tenebris lucem ſplendeſcere facit; imò tenebras in lucem vertit. Quid plura?

Geneſ. 50. v. 20.

§. XII.

Ea eſt hominum amentia, vt in ipſis quærant ſecuritatem periculis, & commoda ſuſpirent in detrimentis.

EA eſt in crimine obſcura flamma, vt & affectum adurat, & intellectum tetris ac caliginoſis fumis, ne videtit repleat. Imò tolerabilis eſt hæc cæcitas, quæ agenda videre non patitur: deterior alia eſt, quæ fictis, falſiſque coloribus ſe putat videre, quæ non ſunt, nec ignorat ſolùm quæ ſunt. *Cæcitatis*, aiebat Tertullianus in apolog. cap. 10. *duæ ſpecies facilè concurrunt, vt qui non vident quæ ſunt, videre videantur quæ non ſunt.* Iure quidem: nam veritatis ignoratio falſitatis patrona eſt, & dum veritas mentis oculos cæcis adfectionis caliginibus obſcuratos eludit, falſitas veritatem cenſeri exambit, & dum oculis noſtris imponimus, pro veris falſa ſuſcipimus. Animus noſter eodem colore affectum & iudicium veſtit, & dum voluptas deprauata degenerat, viſum intellectus adulterat: *Non poteſt alius eſſe ingenio*, aiebat Seneca epiſt. 114. *alius animo color: ſi ille ſanus eſt, ſi compoſitus, grauis, temperans, ingenium quoque ſiccum ac ſobrium eſt: illo vitiato hoc quoque afflatur.* Eſt inter affectum iudiciumque ſtrictiſſima neceſſitudo: eodem ſæpè colore veſtiuntur, & ſimul deſipiunt, aut ſapiunt: ſi languet animus, membra trahuntur, & pigrè pedes mouentur: hoc magis intellectui accidere puta: animo permixtum eſt, illi paret, & legem ſæpiſſimè ab illo petit. Cæcitate regitur, & quæ prærupta, illi ſæpius videntur plana. Ecce Iſraëlitæ in medio Chananæorum habitare contendunt. *Itaque filij Iſraël habitauerunt* 38.

Tertul.

Seneca. *Idem color animo & ingenio.*

in

in medio Chananai, & Hethai, & Amorrhai, & Pherezai, &c. Iuxta Scripturæ phraſim idem eſt in medio [illegible] cuius habitare, ac concordiam, pacem, & ſecuritatem habere. [illegible] fectò Chananæi infeſtiſſimi erant Iſraëlitis; hiſque diuina lege ob maxima pericula cautum, ne ſocietatem inirent; verùm dum luxui traduntur, denſis adeò tenebris obcæcantur, vt allophylorum ambiuerint conſuetudinem, vti ſecuritatis vinculum, & concordiæ magiſterium. Adeſt Arias Montanus ad hunc locum: *Non ſolùm vt nationes alias longius remotas haberi illos par fuit; ſed vt hoſtes animo, ac ſtudiis diſcordes, ſibique omnino infenſos, ſaltem infidos, vt res ipſa demum docuit; & tamen habitauerunt in medio illorum: eſt autem perpetua ferè elocutio Hebraico ſermoni familiaris, cum ſecuritatem, concordiam, amicitiam, pacem, conſuetudinem, & familiaritatem indicare voluerit*. Ecce ideo Hebræi obcæcati deſipiunt, vt hoſtes amicos putent, vt ipſum diſcrimen ſecuritatem arbitrentur, & ipſam perfidiam fidelitatem reantur: Proh miſerum peccatorum ſtatum, ſecuriſſimos ſe credunt ipſo in periculo; imò periculum emere exambiunt ſecuritate. Certè ſi Hebræi diuinis paruiſſent legibus, & allophylis aduerſarentur vt hoſtibus ſecuri floruiſſent, & victores ſemper regnaſſent; aſt ſic à veritate aberrarunt, vt ſecuritati non fiderent, & concordiam in ipſa diſcordia quærerent. Incolumes ſecuroſque ſe putabant, ſi cum allophylis pacem inirent; periculoſos, ſi non haberent, cùm prorſus contrarium arceret periculum, & ſtabiliret imperium; adeo tamen intellectus lumen elanguit, vt periculum ſecuritatem putarit, & ſecuritatem ipſam periculum fore crediderit: quo veriſſimam agnoſcas Tertulliani ſententiã, has ſcilicet duas cæcitatis ſpecies non ſolùm ſibi eſſe adnexas; ſed porſus etiam immixtas, vt ſcilicet qui non videt, quæ ſunt, videre videatur quæ non ſunt

Montan.

39. Iudæi regni ſui ſtabilitatem votis peruerſiſſimis ſuſpirantes Chriſti Domini caput acutiſſimis terebrauere cuſpidibus: *Plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput eius*. Fœdiſſimis tribulis pungunt, vt vineam ſuam tribulis & ſpinis ſepiant, & de alieno dolore fulgeant. Ita Stephan. in allegor. Tilman ad c. 2. Oſee. *Agricolæ nolentes ſegetes ſuas à viatoribus conculcari, caput viæ ſpinis claudunt, ſic Iudæi, ne locum & gentem amitterent, caput Chriſti ſpinis confixerunt*. Itaque ſpinas vocauere in auxilium, quò ſecurius firmarent regnum; ſed vide quanta obcæcati delirent amentia, quando caput, quod ſpinis terebrant, & coronæ ſymbolo honorant: coronam de ſpinis intexunt, & dum coronam exambiunt, ipſam coronam amittunt. Ab ſpinis ad conſeruandum regnum ſatagunt flagitare ſuppetias, & ipſis ſuppetiis hoſti ad ſpeciem ſuo fabricauere coronam. Sic cæci deſipiunt, vt ipſo amittendi regni præſagio regnum geſtiuerint ſuffulcire, & putauerint æternare. Peſſimi & ſtultiſſimi agricolæ hæredem extra vineam non ſine violentia pulſum ſpinarum coronâ terunt; ſed dum terũt, ipſa priuati corona à regno exulant expulſi, & amittunt imperium dominatione priuati. Adeſt Hieronymus apud D. Thom. *Spinis, id eſt, compungentium quondam peccatis gentium coronatur: eſt enim aculeus in ſpinis, ex quibus Chriſto victoria corona contexitur* In ipſa ſui ad ſpeciẽ hoſtis victoria exambiũt ſibi triumphum, & in ſua ipſorum captiuitate ſtultè moliuntur firmare imperium; ſic deſipiunt impii, ſic ſapiunt peruerſi.

Matth. 27. v. 29.

Stephan.

Hieronym.

Populus Moyſis abſentiæ impatiens deos ſibi producere quærit, & Aaronem ad fabricam nefariam adiget: *Fac nobis deos, qui nos præcedant*: ad concupitas ſedes ocyſſimè exambiunt inuolare, nulliſque ſumptui parcunt, vt celeriùs viam carpſerint, & ad dulciſſimos nidos peruenerint. Quid tunc Aaron? vitulum conflat: *Fecit ex eis vitulum conflatilem*: nec abſque illorum placito: nam teſte Gloſſa apud Lippoman. *Aliud forſitan idolum non ſuſciperent*. Profectò omnia præter bouem idola ſuſcepturi videbantur, vt votis adularentur: bos namque inter animalia pigro gradu, lentiſſimo inceſſu, non tam graditur, quàm vrgetur: cur ergo bouem gradum potius exprimentem, quàm explicãtem admittunt? Quia ea eſt peccatorũ ſtupiditas, vt dum votis ſuis auidius moliuntur fauere, impudentius reperiantur obſiſtere: in ipſa pigritia quærunt velocitatem, in ipſa morte tentant procudere vitam, & in ipſa calamitate fortunam. Eſi Aaron aquilam finxiſſet ocyſſimo volatu viſum fruſtrantem, nullatenus ſuſciperent: quia hoc veluti ineuitabile peccatori fatum eſt, ſcilicet votis ſuis obniti nõ deſiderio oppoſito; ſed euentu prorſus contrario: bouem ędificant, & grauiſſima illum materia onerant, cùm celerrimum ductorem ſuſpirant; vt noueris quàm ab ſtudio opera diſtent, & ab animo actiones diſcordent. 40.

Exod. 32. v. 1.

Gloſſa.

41. Iam Baptiſta Chriſto Domino teſtimonium præſtiterat, iam vox paterna intonuerat, iam columba alis candidis inuolarat, vt baptizati verticem coronaret, vt Dei filium proderet, cùm Dominus in deſerta ieiuniis & orationibus intenturus receſſerat: maluit cũ feris degere, quàm cum inuidis curialibus habitare; verum ſi in populorum frequẽtia fuit inuidorum æmulatione impetitus, in deſertorum etiam receſſibus eſt dęmonis malignitate tentatus: fors erudire nos voluit nec deſertorum receſſus carere tentatoris inſultibus, nec priuati curiam candidiſſimis columbæ volantibus. Nequis in ciuitatis frequentia deſperarit, & ne in deſertorum antris præſumpſerit: nactus famis occaſionem tentator accedit, & lapides pro panibus offert: *Dic vt lapides iſti panes fiant*. Eſurienti tenera debuiſſet offerre, non dura obiectare: profectò lapide inediam exaggerat, non appetitum irritat. Notauit Chryſolog. ſerm. 11. *Lapides eſurienti offert, humanitas talis eſt ſemper inimici; ſi paſcit mortis auctor, ſic inuitus vitæ*: Itaque oppoſita offert deſiderio, & dum excitat ad prouidendum ventri, offert, quæ conſulunt fami Et cur dæmon ſic deſipit, vt artes ſuas imprudenter oſtendat, & ipſe votum oblatis eludat. Imò, inquit Caietan. hæc tentatio ingenioſè ſatis proceſſit: optabat dæmon, an Chriſtus quid amplius homine eſſet experiri, clariuſque agnoſcere, & votis obtulit votis repugnantia, quo dilucidior fuerit notitia, ac ſecurior experientia: *Suadendo protulit hanc ſententiam, quæ explorationem continet, an Filius Dei ſit*. Adeo frequens eſt homini in lapide mollitiem quærere, in veneno vitam ambire, in aſperis duriſſimiſque blanda diſcupere, in felleis mellita fingere, vt dæmon obtulerit aſpera, famique oppoſita, vt de repulſa nouerit Deum, vel de vſu experiatur hominem: ſuadet vitæ conſulere, & quæ mortem conciliauerint, offert: ratus Chriſtum, ſi diuinitate careat in ipſo lapide gulæ irritamenta

Matth 4. v. 4.

Chryſol.

Digitized by Google

quæſiturum,aut ſi non careat, ipſa repulſa prodendum. *Explorationem continet,an ſit filius Dei.*

Zachar. 5. v. 9.

Hugo.

42. Zachariæ obiicitur amphora iniquitate exundans, cuius ſtabilimentum adeò anxiè ardenterque duæ fœminæ deſiderabant,vt mutuatis alis aëra ſecuerint,quò citiùs ad deſideratum locum inuolarint: *Ecce duæ mulieres egredιẽtes,& ſpiritus in alis earum, & habebant alas quaſi alas milui,& leuauerunt amphoram inter terram & cælum.* Propheta ſpectaculo correptus, quo deferatur amphora, ſciſcitatur: cui Angelus: *Vt ædificetur ei domus in terra Sennaar, & ſtabiliatur, & ponatur ibi ſuper baſem ſuã* Hugo Carenſ. ibi ait amphoræ ſtabilimentũ ambiſſe,vbi olim peccatores irrito conatu conſtabat ſuperbiam ſtabilire tentaſſe. *In terra Senaar,in campo ſcilicet Chaldæorum, vbi ædificari debuit turris Babel.* Ecce campus Sennaar neſciuit fulcire ſuperbiam, aut ſuperbiæ pati fabricam;& tamen ibi quæritur ſtabilimentum, vbi turris paſſa eſt excidium. Proh mulierum ſtultitiam! Ibi ſtabilire geſtiunt ſuperbiam, vbi conſtabat ſuperbiam concuti, & ſubrui. In hoc campo ſtabilitatis ignaro geſtiunt impietatem ſtabilire, vt mulieres omnino liqueat obbruteſcere. *Duæ iſtæ mulieres*, ſcribit Stephanus in allegor. Tilman. *Iuxta Gregorium ſunt ſuperbia & vanagloria.* Superbia vbi ſubruitur, vbi comprimitur, vbi euertitur,ibi auidiùs ſtabiliri conatur,&quem debuit habere ſuſpectum campum, ſecurius ſibi exiſtimat fulcimentum: non modico pondere vanagloria premitur,& tamen inuolat grandi onere fatigata,vt ibi ſtabile conſtruat ædificium, vbi nullum inueniri poteſt cæmentum.

Stephan.

ſ. XIII.

Grande peccatoris ſupplicium, ſi improbum nanciſcatur infelix votum.

43. QVid peccatori præcipuè vitandum æſtimas? Certè votum: anhelant dulce venenum, hiant ad peſtem mentitam coloratam ſalute: ipſam miſeriam auidiſſimè exambiunt; vel anguſtiorem felicitatem. *Augemus*, aiebat Seneca epiſt. 13. *dolorem, aut fingimus,aut præcipimus.* Peccatores dolorum ſunt artifices, fictoreſque, adeoque indocta manu operi induſtriam adhibent, vt vitulum fingant, cùm effingere Deum ſibi laborant. Peccatum ipſius peccati maximum ſupplicium eſt,ſicque in ſe ipſos manus ſuas improbi armant,vt acrior de illis experiri nequeat vindicta,quàm ſi anhelis ſuſpiriis concupita illis euenerint vota. Quàm benè aiebat Tertullianus aduerſ. Gnoſtic. cap. 5. *Grauatur pati nunc homo ex remedio, quod non eſt tunc grauatus pati ex vitio: diſplicet occidi in ſalutem, cui non diſplicet occidi in perditionem: nauſeabit ad antidotum, qui hiauit ad venenum.* Hiant ad venenum improbi, & ideò non eſt opus alio ſupplicio, quàm ardentiſſimo ipſorum voto: hiantibus ad venenum quid exitialius decernere poſſet crudelis ſæuitia præter infeliciſſima ipſorum vota: nullus adeò alij inimicus eſt, vt improbus ſibi. Lege præcipiebantur Hebræi allophylos felici proſequi odio; ſed dilexerunt infeliciſſimo ſtudio: *Filij Iſraël habitauerunt in medio Chananæi, & Hethæi*, &c. Fœdera inierunt, non ſolùm expellere non conati; ſed amicitias firmare viribus totis moliti. Quid tunc Deus? Quas amabant gentes, reliquit: Hæ ſunt gentes, quas Dominus dereliquit. Certè vt infligeret dignam mulctam, vt expeteret digniſſimam pœnam. Adeſt Abulenſis quæſt. 2. *Iſraëlitæ poterant delere Chananæos, quando ipſi peruenerunt ad aliquantam multiplicationem; ſed noluerunt, quin potius communicauerunt eis in coniugiis, & aliis contractibus.* Attende ſubiungenda: *Et ob hoc Deus noluit in pœnam Iſraëlitarum delere Chananæos de terra.* Ecce idem eſt & dignum ſupplicium, & improbum votum: permiſit Deus quæ Hebræi obcæcati deſiderabant, vt egregiè illos puniret, & digniſſimis flagellis mulctaret. Adde mitiùs cum peccatore agi, ſi vel virulentiſſimo hoſti tradatur, quàm ſi ſibi derelinquatur permiſſus, & deſideriis inſanis traditus.

Seneca.

Peccator doloris artifex.

Tertullian.

Hiant homines ad venenum.

Abul.

44. Pugnabat Naas Ammonites aduerſum Iabes Galaad, qui oppreſſi ſe ſeruituti ſubiicere promiſerunt: *Habeto nos fæderatos, & ſeruiemus tibi.* Ea ille conditione admiſit, vt oculos dextros erueret, & altero lumine orbaret. In hoc feriam vobiſcum fœdus, vt eruam omnium veſtrum oculos dextros. Vides acerrimum hoſtem, & virulentiſſimum aduerſarium dextris tantùm oculis mulctare aduerſarios velle, & alterum oculorum permittere. Tranſi ad ipſos Hebræos, qui contra præceptum Domini agentes allophylos permiſerunt, quos experti ſunt duros adeò,vt claui fuerint in ambobus oculis, & acutiſſimæ cuſpides in lateribus: *Qui remanſerint, erunt vobis quaſi claui in oculis,& lanceæ in lateribus.* Non iam oculorum alter patitur; ſed vterque clauis configitur: nec tantùm oculorum improbi patiuntur mulctam; ſed acerbiſſimam in vtroque latere pœnam. Nocentior fuit ſibi Hebræus, quàm extiterat aduerſarius. Adeſt Caietanus ad Numer. 33. *Angent vtrimque quaſi collaterales ſcindendo, & cruentando Iſraëlitas.* Ecce à Naas luſci, à ſe ipſis inueniuntur ſciſſi. Clauos elaborarunt ſuis oculis, & conflarunt lanceas lateribus: vt noueris mitiores fuiſſe aduerſarios, ſibi nocentiores Hebræos.

1. Reg. 1. v. 1.

Num. 33. v. 55.

Caietan.

45. Dauid Chriſti perſonam agens de Iudæorum duritie queritur, vtpotè qui illum non ſolùm non admiſerint; ſed ſupplcio crucis mulctauerint: *Iſraël non attendit mihi.* Sæuæ idéoque iniuſtæ mortis dum mulctam prænuntiat, teſtatur deſideriis ſuis tradendos,& adinuentionibus mancipandos: *Dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus ſuis.* Profectò non iraſcentis,nec iniurias ſibi illatas vindicantis hæc videntur verba,imò cenſeri poſſent grati animi indicia: quid enim homini gratius iucundiuſque, quam votis non fruſtrari;ſed deſideratis frui? Adeo de miſerendi vſu Deus dedidicit inferre ſupplicia, vt pro ſuppliciis decreuerit deſideria? Imo, inquit Euthymius, vt duriori, acerbiorique illos ſupplicio affecerit, è corde ſcatere nocentiſſima deſideria permiſit,& ipſorum cupiditatibus tradidit: quaſi nulla bellua nocentior homini eſſe valeat, quam ipſe ſibi Dæmoni tradidit Paulus hominem ad medelam; ſed peccator ſibi traditur ad ſæuiorem vindictam: Dominicæ mortis ſcelus cætera omnia

Pſalm. 80. v. 12.

Digitized by Google

omnia longiſſimè excedit & malitiæ cenſu pleniſſimo vincit:ergo grauiori delicto & grauius ſupplicium decernitur, dum peccator ſibi per-
Euthym.hic. mittitur: *Dimiſi,inquit, eos, veluti incredulos ferri iuxta voluntatem ſuorum cordium.* Addit ſtatim: *Ibunt in ſtudiis ſuis,protectione ſcilicet diuina deſtituti, atque omni ſuperna gratia ſpoliati veluti immedicabiles:ibunt autem hoc pacto deſtituti ſimul ac ſaluatorem repulerint.* Saluatoris repulſa ingenti ſoluitur pœna:nec enim peccatores hoſtibus traduntur extremis calamitatibus affligendi, aut belluis truculentiſſimis lacerandi;ſedini quitatis deſideriis, & adinuentionum ſtudiis, vt ſi peccator es,te ipſum præcæteris hoſtibus verearis, quando tu tibi durior pœna,& grauior probaris mulcta.

Populus, dum Moyſes cum Deo ageret, deos ſibi producere quærit: vrgetur Aaron, & quem exambiebat, conflat ambitioſiſſimus vitulum:
Exod.32. v.4. *Fecit ex eis vitulum conflatilem.* Iſraëlitæ improbi deſiderij,& iniquè expenſi auri pœnas imprudenter prænuntiant, dum vituli adoratores ad futuros vitulos inhiant: *Hi ſunt dij tui,qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Occiſi ſunt ad viginti tria millia: *Ceciderunt in die illa quaſi viginti tria millia hominum:* Grauis ad ſpeciem mors videbatur pœna; verùm durior erat prænuntiata in futurum culpa; lenius Moyſes culpam vindicauit idololatras occidendo, quàm ipſi noua idola
Ambroſ. ſuſpirando. Adeſt Ambroſius apud Lippoman. *Cur caput vituli exierit ſequentia docent: quia ſignificabatur futurum quòd Ieroboam poſteriore tempore hoc genus ſacrilegij induceret, vt populus Hebræorum adoraret vitulos aureos,ſiue quod omnis perfidia ſimilis immanitatis atque beſtialis inſipientiæ ſit.* Ecce perpetrata culpa in populũ euaſit immanis: non adeò deſæuiit gladius vitam abſcindendo, quàm vitulus duplici cornu adoratores ſuos ventilando: culpa immanitatis ſpeciem retulit, & ad nouum peccatum tranſiit: in ipſa ſua inſipientia Aaron prudentiſſimus apparuit, dum culpam immanis feræ facie procudit: erat enim actior in perfidos mulcta ipſa brutalis perfidiæ offenſa, quàm per Leuitas expetita vindicta.Et quidem Leuita Dei vices agens manu vna ferit;at vitulus duplici cornu geminata veluti haſta diſcerptos morti adoratores tradit: culpa duplici cornu iure fingitur ab Aarone obarmata:vt nouerint improbi adoratores altero impetere vitam, & ferire altero animam. *Omnis perfidia ſimilis immanitatis eſt:* vitulus fuit immanis, cùm leuita non apparuerit crudelis.

47. Diues ille,quem diuitiæ ſuperbum, quem epulæ reddiderunt ſtupidum anxiis votis aquæ ſtillulam poſtulabat: *Pater Abraham mitte Laza-*
Luc.16.v.24. *rum. vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Iure cruciatur ſiti, qui variis crapulatus ferculis indigeriem ſuã ſæpè ructabat:non meminit; dum purpura, byſſo, delicatis veſtibus, epulis blandis ferrea viſcera innutriebat, aliquando ſe ſiti macerandum, & futurorum immemor ſic intumuit præſentibus, vt Lazari contempſerit ſubuenire calamitatibus; verùm inuerſa fortuna eſt, & cui negauit micam, ſupplex poſtulat liquoris guttulam: *Miſerere mei:* paterna viſcera non poſſunt miſericordiæ obliuiſci.Sed audi quid reſponderit Abrahamus, *Fili recordare quia recepiſti bona in vita tua* Chryſologus, vt erat acutiſſimo ingenio ſerm.

123. expendit hìc mira Abrahamum pietate luxiſſe,& diuitem grandi in ſe crudelitate deerraſſe. *O mira pietas! Adhuc vocat filium, quem degeneraſſe propria crudelitate ſic reſpicit,* Profunda quidem Chryſologi meditatio: in ſe ipſum putat diuitem imprudenti crudelitate ſæuire, & Abrahamum patris affectum oſtendere. Expendamus,ſi placet,cur diues in ſe crudelis appareat, dum aquæ refrigerium exambit, & cur paterna pietas fulgeat, dum petentis votum eludit: nonne clementior appareret aquam dilargitus,quàm inficiatus. Et quæ crudelitas eſt refrigerium expetere, & aquam flammæ exambire? Profectò flamma, qua diues vritur, non ſopitur aqua. Petebat Lazari aduentum, ne videret felicem. Ita Chryſol.ſem.122. *Eſt illis incendium non ferendũ, quos aliquando habuere contemptui, videre felices:* Ergo ſi propinquaret dum clarior,micantiorque appareret fortuna, & dirior, ac durior vrgeret flamma: adeóque diues gehennali fumo obcæcatur, vt damni incrementum vitæ exiſtimarit ſuffragium: plus arderet votum aſſecutus,quàm ardet deſiderio fruſtratus. Ergo Abrahamus paternam pietatem oſtentat, dum flammas denegando mitigat: & in ſe crudelis apparet diues, dum acceſſum Lazari expetens, liuoris cauſas adauget, & flammarum incendia adurget. Iure ergo Chryſologus paternam Abrahami pietatem exaggerat:quia grauior pœna diuiti eſſet, ſi nanciſceretur cupita, & obtineret deſiderata: *O mira pietas! Adhuc vocat filium, quem degeneraſſe propria crudelitate ſic reſpicit.* Abrahamus pie vti cum filio agit, diues immane in ſe ipſum deſideriis improbis furit. Chryſol.

---

§. XIV.

Ex matribus facilè filiorum præuidetur ingenium, & ex filiis maternum agnoſcitur inſtitutum

R*Erum cauſæ ſemper in ſemine ſunt,* aiebat Caſſid.9.var.23.*Fructus editus prodit auctores.* Neſcio qua occulta naturæ vi ad poſteros tranſit parentum ingenium,quamuis quid virtutis aut vitij,ſpectet ad voluntatis arbitrium.Non temera præſumptione proborum parentum filius creditur probus, vt delinquentium iniquus: *Quid de vobis iudicemus,expendite,*aiebat vbi ſuprà Atalaricus, *cùm ad ſummarum culmina dignitatum germinis veſtri viros,quos nunquam vidimus, eligamus:non faſtidio negligentiæ;ſed honorabili præſumptione naturæ.* Iure de paternis moribus fructus cenſetur, & qualis futurus non imprudenter prænoſcitur,teſte Ariſtotele 1. Politic. vltimo cap. matres dimidium liberorum ſunt:nam cum matribus fructus editi partiuntur gloriam; verùm à veritate multum non aberrabit, qui vtramque partem filiorum dixerit matrem,alteram ob naturæ legem, alteram ob à tenera ætate inſtitutionem. *Refert,* aiebat citatus Ariſtoteles,*ad rectam inſtitutionem Reipublicæ pueros & mulieres eſſe benè inſtitutos: eminenterò referat neceſſarium eſt: nam mulieres media pars ſunt hominum liberorum.* O quot prolis præter opinionem inueniuntur ſores, dum non benè inſtitutas in matrimonium duxerunt matres! Venuſtas appetitus illex dum oculorum oblectat intuitum, deſipere ſuadet animum. Non attendunt

48. Caſſiod. Fructus prodit auctorem.

Ariſtotel. Matres ſunt media pars liberorum.

dunt ſæpè homines an fœminæ optimis reſplendeant moribus inſtitutæ; ſed an oris ſpecie ſint pulchræ: vnde contingit naſci filios corpore quidem elegantes; ſed actione deformes. Hebræi Chananæorum filias in vxores acceperunt, quod Dominum adeò irritauit, vt ſeruituti tradide-
Abulenſ. rit: *Duxerunt vxores filias eorum.* Abulenſis q. 8. rogat cur Deus vetuerit Chananæorum filias in vxores accipi, quandoquidem arduum non videbatur, vt ducta idololatriam abiuraret, & veram religionem ſuſciperet. Eſto Hebræorum filiæ Chananæis non tradantur vxores, ne religionem deſeruerint; & ad impietatem allophylorum tranſiuerint; at in accipiendis fœminis Chananæis hæc non militabat ratio contra religionem; imò militare videbatur contra impietatem: cur ergo admitti prohibetur in vxorem Chananæa, & in coniugium extranea? Quia filij facilè à patre degeneraſſent, & matrum improbam inſtitutionem à teneris annis nunquam deſerendam bibiſſent. *Maior pars facultatis, vel opportunitatis ad hoc,* ſcribit Abulenſis, *eſt in matre: nam cùm mater bona fuerit, erunt boni filij. Cauſa huius eſt, quia potiſſima doctrina virorum eſt ſecundũ ea, quæ accipiũt in tenera ætate: nã ſiquis ad rectè agendum à pueritia inſtruatur: facile ſibi poſteà eſt tenere rectam ſemper conſuetudinem; ſi autem inſtruatur in malo, cùm nimia difficultate poſteà ad bonum retrahetur.* Filij præcipuè pendent à matre, vtpotè cui tradũtur alendi, & tenera in ætate formandi: hinc magnam debuiſſent homines circa in matrimonium ducendas adhibere diligentiam, ne poſteà cogantur filios ob mores improbos repellere, & de memoria vti proſapiæ dedecora expungere.

49. Sethi filij nobilis progenies, generoſa propago, proles legitima per generationum traduces dignitatem originis conſeruabant, quouſque formoſas, pulchraſque hominum filias conſpica-
Geneſ. 6. v. 2. ti ſibi acceperunt vxores: *Videntes,* inquit, *Filij Dei filias hominum, quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus, quas elegerant.* Iam procreati ex his connubiis filij ſic inueniuntur degeneres, vt filiorum Dei innubilarint elogium, ſolum filiorum hominum conſeruarint vocabulum? *Dixitque Deus: Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum: quia caro eſt.* Quid ſic inquires filiorum Dei poſteros originem fecit adulterare, vt iam omnes ſe indignos recipiendo ſpiritui reddiderint, & honorificos proſapię titulos refutauerint? Certè ex ignobilibus matribus duxiſſe originem: tantum valet matris ingenium, vt iam fœtus ab illis prodeuntes homines appellentur, & Dei filiorum orbati titulo cupi-
Seleucienſ. ditatibus obſequantur. Adeſt Baſilius Seleucienſis orat. 6. *Sethi poſteri partem adepti meliorem, & appellatione honorati, & paternæ benedictionis heredes filias ex Caini poſteritate formoſas conſpicati, ſplendidas, & ornatu florentes, ſeruamque libidini rationem tradentes diuina calcant edicta... adulterant indolem ſuetam virtutis ire viam.* Ecce quantam in filiis partem habuerint matres, quando prognati à Dei filiis, & ab hominum filiabus indolem adulterauerint virtutis viam ire ſuetam, & olim diuinis legibus mancipatam. A matribus vitiis addictis procreati ſunt filij, qui ſpiritum excluſerint, quique deprauatis moribus diluuium extorſerint: ibi filiorum Dei generatio ſucciſa eſt, vbi vxor dignis moribus non inſtructa eſt in coniugium admiſſa, & in matrimonium recepta.

Matrizant ſæpè teſte Ariſtotele, filij, & è viſceribus, quibus coagulantur, neſcio quam trahunt aut ad honeſtatem inclinationem, aut ad vitia procliuitatem.

Producamus huius veritatis aliud non obſcu- 50.
rum teſtimonium. Abraham duo filij nati ſunt, alter, Iſaac ſcilicet, de ingenua; alter, Iſmaël ſcilicet, de captiua; adeoque diuerſis, oppoſitiſque moribus erant inſtructi, vt Iſaac Domini imago præceſſerit, Iſmaël vitia actionibus delineauerit: *Abraham duos filios habuit,* ſcribit Apoſtolus, Ad Galat. 4.
Vnum de ancilla, & vnũ de libera; ſed qui de ancilla v. 22.
ſecundum carnem natus eſt; qui autem de libera, per repromiſſionem. Addit poſteà Paulus. *Is, qui ſecun-* Ancillarum filij ad malum procliues
dum carnem natus fuerat, perſequebatur eum, qui ſecundum ſpiritum; Verùm ſi vterque filius ab Abraham traxit originem, cur alter virtutis honeſtatiſque viam ingreditur, & alter vitiorum temeritatem adoritur? Explicuit Paulus: quia diuerſi ingenij matres ſortiti ſunt: vbi mater incompoſitis moribus obſcura, & proles criminibus obſcurata: vbi ingenua mater, ingenuus & filius: Iſmaël Abrahami erat progenies; valuit tamen plus matris conditio ad naturam adulterandam, quam patris virtus ad nobilitate fulciendam. *Diſcimus,* ſcribit Oleaſter ad Geneſ. 21. Oleaſt.
Vt plurimum filios ancillarum eſſe ad malum procliues. Iſmaël quodammodò materna traxit de origine virtutibus aduerſari, & ambitionis faſtu tumere, Iſaac de optima matre progenitus optimis moribus luxit, de matre improba ſatus à virtute forſan facillimè deuiaret. Profectò cùm Abrahamus in conſortium Agar ſeruilibus moribus obſcuratam admiſit, præter intentionem & filium excludere domo decreuit. Non videbatur Iſmaël Abraham filius, quia moribus referebat matrem, & materno ingenio repellebat à ſe virtutem.

Egregiis facinoribus, & magnis in populum 51.
beneficiis collatis Dauid reſplenduerat; verum acſi communis hoſtis eſſet, odio habebatur: cumque aliquando deſertorum errores inhabitare compulſus inopia adurgeretur ſocios in modum ſupplicis miſit, Nabalem vrbaniſſimis verbis exorans, vt indigentibus ſubueniret; verùm ruſticus ille, dum exoratur, ſuperbit, & in Dauidem probroſiſſima verba
iacit: *Quis eſt Dauid & quis eſt filius Iſai? Ho-* 1. Reg. 25. v. 10.
die increbuerunt ſerui, qui fugiunt dominos ſuos. Vt contra legem, & contra dominorum ius Dauidem agere ſtabiliat, Iſai filium pronun-
tiat. *Quaſi dicat,* ſcribit Lyra, *Nullius va-* Lyra.
loris, quia deſcendit de alienigena muliere, ſcilicet de Ruth Moabitide Et non ſolùm vituperauit Dauid; ſed & viros eius dicens: Hodie increbuerunt ſerui. Itaque notauit eos de ſeruilitate, & malignitate, propter quam fugitiui eſſent. Vt Dauidem malignum, & improborum ducem aſſereret, de ignobili, idololatraque matre exortum teſtatus eſt. Et quamuis Iudæ proſapiam nouerit, cenſuit aduerſus paternum inſtitutum malignitatem ſequi de materna vilitate. Falſus quidem eſt; ſed blaterantis error, quantum matres ad filiorum virtutem, aut malignitatem valeant, oſtendit, quando longam de Moabitide originem retulit, vt Dauidem non virtute ornatum, ſed malignitate demonſtraret obſcurum.

Vt quanta Chriſtus Dominus virtute ful- 52.

ſerit,

ſerit, vt qua in improbiſſimis reducendis dexteritate,& efficacia viguerit,aptiſſimis Symbolis ſpiritus ſanctus oſtendat, Oſeam iubet vxorem ſibi eligere fornicariam, ex qua filius concipi-
Oſee.1. v.2. tur Iezrahel: *Abiit & accepit Gomer filiam Debelaim,& concepit & peperit ei filium,& dixit Do-*
Stephan. *minus ad eũ: Voca nomen eius Iezrahel.* Stephanus in allegor. Tilmani ad hunc locum,Iezraël Dei
Hugo. ſemen interpretatur: *Iezrahel ſemen Dei.* Hugo Charẽſis hiſtoriæ penicillo Chriſti diuinitatem & in procreandis ſpiritualibus filiis illuſtriſſimam virtutem depingi teſtatus eſt: *Nota quòd in hoc propheta de aduentu Chriſti, & vocatione gentium prenuntiatur.* De vxore voluptatibus dedita, vitiis innutrita morigerum filium, & compoſitis moribus nobilem gignit propheta, vt oſtendat Chriſtum diuinitate pollere, & improbos quoſcumque ad veritatis ſemitam poſſe reducere. Itaque Oſeas Dei, omnipotentiſque perſonam gerit, dum de muliere improba, de vxore non publica liberum procreat ingenium maternum moribus refutantem, & virtutem patris actionibus exprimentem. Mira res, Dei ſemen apparet filius de vxore immodeſta genitus, quod omnipotentiam innuit, & virtutem miram requirit. Quod ſi de vxore virtute non prædita filium virtute præditum gigni Chriſti omnipotentiam adumbrat, viderit quanto ſe periculo exponat, qui accipiendæ in vxorem mulieris mores non examinat; ſed aut pulchritudine ineſcatur,aut copia diuitiarum allicitur.

---

§. XV.

Improborum amicitia calamitatum eſt vena, nobilitatis nota, & criminis officina.

53. Euripides. *Vir bonus nobilis eſt.*

BOnus vir mihi nobilis videtur, aiebat Euripides in Dictye, *Qui verò non iuſtus eſt licet a patre meliore,quam Iupiter ſit,genus deducat ignobilis mihi cenſetur:* Nobilitati primum à virtute eſt ſuffragium,illuſtris poſteà originis argumentum: qui iniuſtus eſt, nobilitatem obſcurat, & originis gloriam temerat. Et quidem quamuis vnuſquiſque ſatis ſuper quæ ſibi ſit ad malitiam exercendam, ingenuis ſæpè non tam ab ingenio, quàm ab amicorum degenerare contigit ſodalitio: non tam innata quàm aſcititia ſeſe obſcurauere malitia, dum ſe improbis, nebulonibuſque aſſociant, & peruerſorum pompam oſtentant.Neſcio quo miſerabili fato nobiles,diuiteſque in improborum familiaritatẽ incidunt, à qua illis veluti à fœcundiſſima calamitatũ vena emanare ſolitat claritatis nota, morum corruptela, & ſalutis ac diuitiarum iactura. Dignè prolixum inſumeretur tempus, in deligendis, ac inquirendis amicis, à quibus ſæpè aut proma-
Cicero. nat calamitas, aut proſperitas: *Sunt firmi & ſtabiles, & conſtantes eligendi*, ſcribit Tullius apud Politicum Chriſtianum tom.2. cap.13. cuius *Generis eſt magna penuria, & iudicare difficile ſanè niſi expertum: experiendum autem eſt in ipſa amicitia, ita præcurrit amicitia iudicium, tollitque experiendi poteſtatem* Optimè dixit magnam honeſtæ veræque amicitiæ penuriam eſſe: nam vt à bono amico tranquillitas, ita ab improbo exoritur ſæua tempeſtas: trahit improbus amicus amicitiæ vinculo illigatum amicum ad temeritatis inſaniam, ad impotentem laſciuiam, ad periculoſam rixam, & qui ſe huiuſcemodi amico commiſit, veluti naufragio tradidit: Magna ab humana vita voluptas excluderetur, ſi fas non eſſet amico corridere,animi curas, angoreſque cum ipſo communicare, & pleniorem de conſortio lætitiam felicitatis haurire; verùm vt bonus amicus eſt honeſtæ voluptatis officina, ita improbus ardentiſſima flamma. Hebræi nobilitate illuſtres, diuitiis exundantes, & imperio inueniebantur potentes; verùm cum allophylis & cognationis contrahunt vinculum, & amicitiæ ac familiaritatis conſortium: *Duxerunt vxores filias eorum, ipſique filias ſuas filiis eorum tradiderunt.* Quanta de hac amicitia ſocietateque corpori, animæ nobilitati malorum colluuies fuerit exorta textus non tacuit; ſed ad noſtram eruditionem expreſſit. *Seruierunt,* inquit, *diis eorum.* Ecce animæ dehoneſtamentum: *Iratuſque contra Iſraël Dominus tradidit eos in manus Chuſan.* Ecce nobilitatem ſeruitute commutatam: nam ex Hebræo legitur: *Vendidit eos*, id eſt in ſeruos venales dedit. Hic miſeriis oppreſſi, & ad extremas calamitates redacti clamoribus afflictionem teſtati ſunt. *Clamauerunt ad Domi-*
num. Iam omnia iſta à peſſimorum amicitià, Montan.
familiaritateque promanaſſe tradit Arias Montanus: *Verum enim verò Iſraelitis longè ſecus exiſtimantibus res acta eſt, quibus interdicta gentium harum amicitia, & ſocietas accepto per Moyſem mandato diuino potior fuit.* Amicitiam contraxerunt cum improbis, quod prouidentiſſimè ne fieret, Dei erat mandatis cautum, & præceptis vtiliſſimis vetitum: vnde & ad vitia tracti, & libidini addicti, & ſeruili iugo ingemuerunt preſſi. Profectò Numinis omnipotentia, & improborum decertabat amicitia, erantque Hebræi huius certaminis quodammodò arena: omnipotentia, nobilitate, diuitiis, virtutibus exornarat; ſed peſſimorum amicitia, cui Hebræorum arbitrium contra ſe ferebat ſuppetias, felicior hoc in certamine fuit, quando & nobilitatem venali ſeruitute obſcurauit, quando diuitiarum cenſum paupertate depulit,quando virtutes vitiorum colluuie obruit: tanta à peſſimorum amicitia calamitas producta eſt, vt diſcas improborum conſortium fugere, & familiaritatem vitare.

Iſaias, vt miſeram magnis viris calamitatem
prænuntiet, & cauſas calamitatis refert. *Audi-* 54. Iſai.28.v.15. Hugo.
te verbum Domini viri illuſores, qui dominamini ſuper populum meum, qui eſt in Ieruſalem: dixiſtis enim: Percuſſimus fœdus cũ morte,& cũ inferno fecimus pactum: ſi flagellum inundans, cum tranſierit, non veniet ſuper nos. Ab his fœderibus ſe muniri credebant, à quibus ſæuiorem quidem poſſent calamitatem vereri, & excidium expectare: aut certè ſi de amitia cum Romanis,penes quos tunc ferè totius mundi erat imperium, ſermonem fecerunt prudenter, & mortem & infernum appellarunt. Quid à morte ſperari poteſt, niſi bonis omnibus diſpoliari,& in cineres viliſſimas,redigi? Quid ab inferno niſi flammis ſemper aduri? Iure ergo improborum amicitiam mortem & infernum vocarunt: quia ab illa & corpori

Digitized by Google

corpori iam imminebat periculum, & animæ non dubium minitabatur tormentum: *Percuſſimus fœdus* exponit Hugo, *amicitia cum morte, id eſt, cum diabolo, vt eum non impugnemus: ſicut paſtor cum lupo dicitur feciſſe fœdus, cùm lupo rapiente non clamat.* Addit: *Et cum inferno fecimus pactum, vt cum magna ſocietate illuc veniamus.* Ecce quo venitur improbo fœdere, ad mortem ſcilicet, & ad infernum: vt noueris omnia bona improbæ amicitiæ flammis conſumi, & vel felicitatis veſtigia prorſus aboleri.

Hugo.

55. Inter alios, quos familiares ſibi, & amicos Dominus conciliauit, Iudas numeratus eſt: amici nomen obtinuit, dicente Domino: *Amice ad quid veniſti?* Et quamuis nullum virtuti detrimentum attulerit, mortis ſtragem ipſi Domino conciliauit: conatus eſt dæmon peruerſis aſtutiæ artibus ad mortem impellere, & præcipitium conſulere; ſed veluti alapa percuſſus fugit & repulſus eſt. Hoſtes ſæpiùs mortem Domino intentarunt inuidentiæ œſtro agitati, & flammis ambitionis aduſti; verùm inſidiarum expectatione fruſtrati ſunt; at dum Iudas in amicorum cenſu numeratur, Domini vitæ & periculum imminet, & inimicorum rabies improba deſideria ad effectum perducit: inimicorum cohors irruit; ſed primus periculo creando improbus accedit amicus, & poſteà percutit aduerſarius. Imò Tertullianus grande diuinitatis Domini teſtimonium fuiſſe teſtatus eſt, non tam mortuos ſuſcitare, & elementorum leges violentia laudabili infringere, quàm nullum de Iudæ conſortio detrimentum virtutis pati: *Ingratos curauit* (verba ſunt Septimij lib. de patient. c. 3.) *inſidiatoribus ceſſit: parum hoc, ſi non etiam proditorem ſuum ſecum habuit.* Addit Septimius: *Hinc vel maximè Phariſæi Dominum agnoſcere debuiſtis:* Quaſi dicat: Grande diuinitatis teſtimonium fuit tot inſidiantium conatus eludere, clarum omnipotentiæ teſtimonium naturam miraculo reformare; verùm quod clarius eius diuinitatem prodit, eſt Iudam habere ſocium & amicum, & nullum virtutis ſuſtinuiſſe detrimentum: hoc enim nemini hominum contigiſſet, niſi diuinitate prædito, & cæleſti virtute armato. Itaque egregium diuinitatis teſtimonium eſt agere cum improbo amico ſine virtutis iniuria, ſine morum nota. Et quidem, etſi Chriſtus, vtpote Deus nullâ ob Iudæ amicitiam virtutis ſuſtinuerit notam, nihilominus paſſus eſt ſalutis iacturam, vt noueris quanta homini ab amico improbo promanent detrimenta, quando vel Domino hæc promanauerunt incommoda.

Matth. 26. v. 50.

Tertull.

56. Iſaias, vt prodigia gratiæ tempore futura commendaret, aiebat: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit: vitulus, & leo, & ouis ſimul morabuntur:* Ecce ſæculis inuiſum retro miraculum, ſcilicet agnum cum lupo amicitiam contrahere agninaque innocentia perſiſtere, & moribus antiquis ornari. Mira res, agnum nullum de lupi ſocietate vitæ detrimentum ſentire, & innocentes mores ſeruare: hoc omnipotentiæ exaggeratio eſt, Chriſti Domini mortis effectus, & gratiæ legis ornatus. Vis ad liquidum noſcere, quàm reformata luceat humana natura, quanta ad mundi reformationem ex Chriſti Domini ſanguine promanauerit gratia, expende agnum cum lupo contraxiſſe amicitiam, nec temeraſſe innocentiam: *Horum figuratus ſenſu aperietur,* ſcribit Euſebius lib. 7. de demonſtrat. c. 9. *Siquis radicem Ieſſe & virgam, & florem ad ſenſum conuertens interpretetur.* Multa de Aaronis virga miracula referuntur; ſed de Ieſſe virga vnum refertur, quod longè alia ſuperat, ſcilicet agnum lupumque amicabiliter viuere ſine virtutis damno, ſine vitæ detrimento: Horum figuratus ſenſus aperietur; ſi quis virgæ Ieſſe flores, fructuſque hos interpretetur fuiſſe, & ab illa hæc miracula promanaſſe. Scindat Aaronica virga mare, vitreos ſuſpendat in muros, elementis imperet, à Ieſſe tamen virga ſuperatur, dum pro floribus, fructibuſque habet inter lupum & agnum amicitiam nullo incommodo, nullo damno. Clariùs noſter Sanctius: *Hinc iam apparet quid preſtitura ſit Emmanuelis poteſtas:* ſubiungit: *Ad eam enim æquitatem rediget ea, quæ toto anteà erant cælo diuerſa, vt infimi iam & ſummi, robuſti, atque infirmi, moribus atque natura diſſidentes communem iam vitæ conſuetudinem amplexi eodem vtantur viuendi genere, neque alij ab aliis quicquam ſibi metuant, aut cauendum putent.* En quali poteſtate Emmanuel, ſiue virga illa Ieſſe viguerit, vt ſcilicet nullus ſit agno timor, dum amicitias init cum lupo, nec hœdo, dum conſuetudinem habet cum pardo. Sed dum difficultas virtutem exaggerat, ipſa exaggeratio & periculi magnitudinem etiam commendat.

Iſai. 11. v. 6.

Euſeb.

Sanctius.

§. XVI.

Libido regnorum depopulatrix, ac dedecoris eſt nutrix.

Libido dum mentem obnubilat ad rationis iura, iuriſdictione priuat etiam ad imperia: nequit imperare, qui huius appetitus inſaniam nequiuit vincere: & quidem regnorum fundamenta virtutes ſunt; at inter cæteras virtutes eximium fulcrum eſt caſtitas: quod ſi luxuria ſubuerterit, tota imparij machina ruit. Vires luxuria euirantur, rationis lumen obtenebreſcit, & quaſi in ſcena imperat, qui libidini impotenter ſe tradit: *Sardiani* ſcribit Plutarchus de Græcorum, & Romanorum comparatione, *cum Smyrneis bellantes iuxta eorum mœnia caſtra poſuere, ſignificaueruntque eis per legatos non antea recepturos ſe, quàm concubitum vxorum ſuarum ipſis permiſiſſent.* Smyrnæi neceſſitate cogente excultas ingenuarum loco ancillas miſerunt, quibus Sardiani vſi ſic viribus deſtituti ſunt, vt hoſtium fuerint præda, quia fuerant libidinis victima. *Illi,* addit Plutarchus, *ab ancillis fatigati in hoſtium poteſtatem venere.* Victores victi ſunt, & qui de aduerſariorum armis triumpharant, propria ſunt libidine ſubiugati: nec enim poterat illorum ſtare imperium, quod nullum pudicitiæ firmabat fulcrum. Audi Saluianum lib. 7. de gubernat. Dei, vbi de Hiſpaniarum agens captiuitate ſic ait: *Dupliciter in illa Hiſpanorum captiuitate oſtendere Deus voluit quantum & odiſſet libidinem, & diligeret caſtitatem, cùm & VVandalos ob ſolam maximè pudicitiam illis ſuperponeret, & Hiſpanos ob ſolam vel maximè impudicitiam ſubiugaret.* Dum impudicitia Hiſpanici Imperij vires adorta eſt VVandalis tradidit, & captiuitati ſubiecit. Nec minùs Hebræorum Reſpublica quæ lata dominatione fulgebat, & populis plurimis imperabat, dum allophylorum filias in vxores ducentes terminos pudicitiæ tranſgreſſi ſunt, ſubiugata ingemuit, & indecorè ſeruiuit: *Duxerunt*

57.

Plutarch.

Libido captiuitatu præſagium.

Seleucienſ.

vxores

Digitized by Google

vxores filias eorum, ipſique filias ſuas filiis eorum tradiderunt, & fecerunt malum in conſpectu Domini, & obliti ſunt Dei ſui. Quid tunc? Iratuſque contra Iſraël Dominus tradidit eos in manus Chuſan Raſathaim Regis Meſopotamiæ, ſeruieruntque ei octo annis. Vbi auditur libido contra præceptum, & ſeruitutis auditur iugum: iam Hebræi caſtitate deſtituti non potiebantur imperio; ſed infami addicebantur ſeruitio: nec enim poterat ſtare, quod regnum luxuria probabatur impetere. Huc voco citatum Saluianum: *Infirmiſſimis hoſtibus cuncta tradidit, vt oſtenderet ſcilicet non vires valere; ſed cauſam, neque tunc ignauiſſimorum quondam hoſtium fortitudine obrui; ſed ſola vitiorum impuritate ſuperari.* Impuritas imperium abſtulit: erat namque indignum, vt qui vernulæ inueniebantur libidinis, faſtigia ocuparent dignitatis: imperium ſeruitute commutarunt: quia & caſtitatem libidini ſubiecerunt, quando puritas futura erat imperij fulcrum, & contra vires aduerſariorum obſtaculum.

58. Baptiſta, vt Deum timere didicit, omnem timorem virtuti aduerſum depoſuit: libera voce Herodis impudicitiam damnabat, & clamando vt poterat, rationi ſatisfaciebat: *Non licet tibi habere eam.* Matt.14.v.4. Baſilius Seleucienſis putat liberè adeò illum increpaſſe: quia quaſi hiſtrionicè regem animaduertebat citiſſimè regno mulctandum, & regalibus inſignibus deſtituendum: Seleucienſ. *Vidit*, inquir, oratione decimaoctaua: *hominum quidem dominatorem eſſe Herodem, affectuum verò ſeruum: vidit regem intemperantia mancipium, & ſchemate quidem regni tyrannum.* Vidit tyrannum ſub regis habitu, & ſub purpuræ ſchemate habitum iam præuidebat ſeruilem: ideò cum illo vt cum plebeio agebat, & decenter liberrimis vocibus increpabat. Dum Nabucho ab hominibus eiicitur, rex appellatus eſt. Dan.4.v.28. *Tibi dicitur Nabuchodonoſor rex:* Regis titulum in ipſa ſententia expreſſit. Regis titulum ipſa ſententia expreſſit; Ioannes verò in increpatione ſubticuit: nam quamuis Nabuchodonoſorem regno per aliquod tempus amouiſſet ſuperbia, ab eo non erat auferenda prorſus corona; at dum Ioannes vidit libidinis mancipium, priuauit titulo, quia & priuari videbatur regno. *Erat ſchemate rex*, vtque reges hiſtrionici exiguo tempore durant, ſic Herodes imperans exiguo erat tempore regnaturus, regno in poſterum mulctandus.

59. Vita excedente Ioſepho rex improbus thronum adit, & appetere ſibi excidium regni præſumens, iniquiſſimis artibus aggreſſus eſt ſeruare, & ſtabilire: Exod.1.v.8. *Surrexit intereà rex nouus ſuper Ægyptum, qui ignorabat Ioſeph, & ait ad populum ſuum; Ecce populus filiorum Iſraël multus, & fortior nobis eſt.* Duo mirè textus coniunxit, Ioſephum ſcilicet ignorare, & excidium regni timere: & quidem vti Ioſephi ignoratio peruerſum, ſic timor oſtendebat aſturum: caſtitatis ignarus non imprudenter, quibus fulcitet regnum, artes quæſiuit, quaſi iam agnouerit labi, quod caſtitatis fulcris conſtabat nullatenus ſuffulciri. *Fortior fit populus Iſraël*, ſcribit Lippomanus, Lippom. *ob mediocres labores, & lacticinia, dum interim libidine & luxu Ægyptij eneruantur, & molliores exiſtunt. Conſilium capiunt nocendi peregrinis, callidè conſultant.* Experiebantur ſe libidini addictos, credebantque prudenter facili negotio triumphandos, vnde compulſi ſunt mutuari à violentia, quod nequibant à caſtitatis prærogatiua. *Timens*, addit Lippomanus, *ne multiplicatus Iſraëlitis ipſe opprimatur, & illi liberi euadant, vt impius eſt, ita impias etiam rationes ſectatur, quibus ſperat ſe euaſurum periculum.* Simul apparuit cautus & peruerſus: peruerſus dum per fas & nefas fulcire conatur imperium; cautus dum ob libidinem imminere agnouit periculum: ſuo timore nos docuit facilè ob impudicitiam regna euerti, & ad alios dominos inuolare: improbè ſibi conſuluit; ſed improbitate nos docuit. Iure libidinum victimas appellauerunt lupas antiqui: nam vt lupus gregem lacerat, & agnos deuorat, ita infames mulierculæ luparum ad inſtar adoleſcentiam depaſcunt, iuuentutem deperdunt, & quidquid in Republica nitoris, conſumunt. Tertull. *Aſpice*, aiebat Tertullianus libro de pallio capite quarto *lupas populatium libidinum nundinas: ipſas quoque frictrices (etſi præſtat oculos abducere ab eiuſmodi propudiis occiſæ in publico caſtitatis) aſpice tamen vel ſublimis, iam matronas videbis, cum latrinarum Antiſtes ſericum ventilat, & immundiorem loco ceruicem monilibus conſolatur.* Lupas vocauit, vtpote Reipublicæ depopulatrices, latrinis affixit vtpote infames.

60. Dum populi ſtragem paterno Dominus plangit affectu, in has voces doloris teſtes prorupit. Iſai.3.v.12. *Populum meum exactores ſui ſpoliauerunt, & mulieres dominatæ ſunt eis.* Quos exactores dixit teſte Ruperto capite duodecimo in Iſaiam, & mulieres vocauit: hi ergo ad eam miſeriam populum redegerunt, vt dominium miſera commutauerit ſeruitute, & grauiſſima calamitate. Rupert. *Qui exactores* (verba ſunt Ruperti) *ipſi & mulieres, exactores propter rapacitatem, mulieres propter paſſiuam, & Sodomiticam libidinem: exactores iſti, mulieres iſtæ Scribæ, & Phariſæi fuerunt, qui turpis lucri gratia, vt acciperent decimas & primitias, vnde libidines ſuas explerent, populo perſuaſerunt, vt crucifigerent Dei Filium.* Audi quæ annectit theſi noſtræ opportuna: *Hoc faciendo nimirum omni gloria populum ſpoliauerunt, & nudum inter hoſtes conſtituerunt.* Expende quanta populis emerſerit à libidinibus mala: caruit gloria, exundauit ignominia, & qui nutriebatur in croceis, dum amplexatur ſtercora, duriſſimum ſubit iugum, & proprium amittit regnum. O quàm fœcunda eſt miſeriarum libido, quàm illas fouet, quàm nutrit. Improbi exactores populum ſpoliauerunt, & mulieres dominabantur, vt iam notum omnibus eſſet, quàm eſſet expeditum & facile à fœminis regnum eripere, & indecore victas depellere.

61. Deus de eligendo Rege cum Samuele differens aiebat: 1.Reg.16.v.1. *Veni, vt mittam te ad Iſai Bethlehemitem: prouidi enim in filiis eius mihi regem.* O ſapientiam immortalem! ô arcanam eligendi eruditionem! Filium tegit: nec enim clarè dixit: Vngatur mihi rex Dauid; ſed prouidi in filiis Iſai. Communi filiorum appellatione eligendum regit, & vnctorem Samuelem ad populum mittit. Ecce præſtò erat

Samuel, & filiorum Ieſſe chorus circumſtabat, ac poſt ſacrificium vnctionem accelerari geſtiebat: medius Samuël hærebat dubius, quia nondum quis regno dignoſcebatur electus. Iſai naturæ ordinem honorans, Eliab obtulit adoleſcentem quidem elegantem corporis habitu, pulchrumque aſpectu, cumque propheta cornu inuergeret, & tantiſper pulchritudine allectus in regem vngere feſtinaret, diuino retardatur præcepto, nec eligendum teſtatur throno: *Ne reſpicias vultum eius, neque altitudinem ſtaturæ eius, quoniam abieci eum.* Huius repulſæ facti interpretes cauſas requirunt. Chryſoſtomus hom. 1. in Pſalm. 50. innuit animæ honeſtate caruiſſe: eſt enim non raro pulchritudinis appendix impuritas, ob idque regno priuatum, vt eadem electio caſtitatis prædicauerit gloriam, & impuritatis prodiderit ignominiam. Dum Eliab facie decorus honeſtatem non ſequitur, indecorè à propheta abiicitur: *Numquid magnitudinem corporis quærimus? Ingenuitatem animæ deſideramus. Nolo pulchritudinem corporis, honeſtatem mentis requiro:* in adulta pulchraque laſciuientis Eliabi ætate nihil erat, quod ad repulſam non cogeret, quodque vnctionem ſacram non impediret. Non deligeretur in populi ſalutem, qui colere deſpexerat caſtitatem: honeſtas mentis requirebatur, quò populi calamitatibus occurreretur: *Honeſtatem mentis requiro.* O quanta Eliabus lucraretur honeſtus, quanta amiſit laſciua pulchritudine obſcurus! Abiectus eſt ingenti repulſæ nota: quia vt innuit Chryſoſtomus, caſtitatis carebat prærogatiua.

Chryſoſt. *Impuritas repulſam patitur dignitatis.*

§. XVII.

Improba ſuperbia abiectionis eſt officina: vera humilitas honeſtæ altitudinis vena.

62. Vitium non tantùm virtuti aduerſum, ſed ſibi ipſi inuenitur oppoſitum: ſuperbiendo cadit, & dum Icareis alis inuolare conatur ſtudioſiùs, ruit ſemper miſerabilius. E contra humilitas dum depreſſior, reſplendet honeſtè elatior: decreſcendo augetur, & quibus conatur artibus obſcurari, eiſdem præter votum conſtat ſplendidiſſimè refulgere. Quàm benè Attalaricus Burgantino 8. var. 13. *Vir, quem nobilitatis ſita inflat elatio, modeſtia humilis, prudentia ſemper à malis, quid à nobis mereatur, intendite, quando ad gloriam noſtram trahimus.* Dignus erat, qui traheretur ad gloriam, qui fugiebat gloriam, vt obſeruaret modeſtiam. *Magni animi eſt;* aiebat Seneca epiſt. 39. *magna contemnere, ac mediocria malle, quam nimia: illa enim vtilia, vitaliaque ſunt; at hæc eò quòd ſuperfluunt, nocent.* Elati animi, dum nociua ſuperbia turgent, dum odioſa omnibus inflatione tumeſcunt, ſibi maturauere ruinam, & acciuere miſeriam: *Segetem nimia ſternit vbertas,* addit Stoicus, *ſic rami onere franguntur, ſic ad maturitatem non peruenit nimia fœcunditas. Idem animis quoque euenit, quos immoderata felicitas rumpit, qua non tantùm in aliorum iniuriam, ſed etiam in ſuam vtuntur.* In ſuam calamitatem felicitate abutitur, qui felicitate ſuperbit: vtilius erat mediocri fortuna ſeruari, quàm excellentiori perire.

Caſſiod.

Seneca. *Magnanimi eſt mediocria malle, quàm nimia.*

Nimia fœcunditas ad maturitatem non peruenit.

Hebræi promiſſas nacti ſedes triumphis plurimis redimiti ea intumuerunt ſuperbia, vt idolis ſacrificaturi confragoſa montium inſcenderint culmina: *Seruierunt diis eorum, feceruntque malum in conſpectu Domini, & obliti ſunt Dei ſui, ſeruientes Baalim & Aſtarot.* Quid tunc? *Iratuſque contra Iſraël Dominus tradidit eos in manus Chuſan Raſathaim.* Origenes homilia tertia in Iudices quærit cur præcipuè huic Regi fuerint traditi, & imperio eius ſubiecti. Reſpondetque Chuſan interpretari humiliationem, illique iure traditos ob elationem ſuperbiæ, & tumorem arrogantiæ: *Interpretatur Chuſarſaton humiliatio eorum: traditi ſunt ergo in manus eius, qui humiliaret eos, & quia ipſi in excelſis montium impiè agebant in Altiſſimum, propterea ab ipſo in humilitatem traduntur.* Deo nolebant ſubiici; imò eius memoriam auerſati ſibi conflabant deos, quibus ſuperba humilitate non tam parerent ſubditi, quàm de conſtructione imperitarent ſuperbi: hi ergo humiliationi traduntur, vt nouerit eiſdem artibus, quibus nitebantur improbè eleuari, digniſſimè premi: quaſi ipſa ſuperbia fuerit vena humiliationis fœcunda, & dedecoris meſſis copioſa. Addit Origenes: *Poſtquam indeptus fuerit ſummas infulas poteſtatum, & ad ipſa ſuperbiæ faſtigia ſumma conſcenderit, inde deiectus traditur huic Chuſarſathon, vt humiliet eum, qui nimis fuerat exaltatus, vt affligat, & conterat.* Contritionem infelicitatemque ſibi conciliauit ſuperbia, & dum nititur altiora inſcendere, miſeriæ cogitur inſeruire.

Origen.

Iſaias de Leuiathan agens ſerpentem vocat tortuoſum: *In die illa viſitabit Dominus, &c. Super Leuiathan ſerpentem tortuoſum.* Et quæ hæc ſerpenis tortuoſitas? Suſpiraſſe ſcilicet hominis humiliationem non deiiciendo, ſed eleuando: deſideraſſe addendo minuere, & incrementando infirmare. Adeſt Gregorius libro quarto moral. capite decimotertio, *Leuiathan quippe interpretatus dicitur additamentum eorum. Quorum ſcilicet niſi hominum?* Addit poſt pauca: *In eo quod ſe addere homini ſpopondit: tortuoſis ad eum finibus irrepſit: quia dum falſò impoſſibilia promiſit, verè & poſſibilia ſuſtulit.* Ecce vafritiem, ecce tortuoſitatem, hominis felicitatem depreſſiſſe, non ad ſpeciem imminuendo; ſed illam incrementando: ſuaſit homini ambitione elatiſſima ſuperbire, & ad diuinitatem conari: ergo dum metas rumpere ſuaſit, addendo imminuit; vt ad cinerem vſque deiiceret, vſque ad diuinitatem erexit: quaſi certior fuerit via ad humiliationem ſuperbia, quàm ipſiſſima ruina. De elatione tot homini fluxerunt calamitates, tot promanarunt humiliationes. Impulit tortuoſus ſerpens hominem ad ſuperbiam, quo contrariis ad ſpeciem votis æternaret abiectionis, & humiliationis anguſtiam. 63. Iſai. 27. v. 1.

Gregor.

Videamus, ſi placet, Luciferi conatus & fructus. Ea ambitione Lucifer ille proprio obcæcatus lumine intumuit, vt cælum conſcendere, & aſtra ſibi ſubiicere ſuſpirarit: *In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum.* Hunc ipſum, qui ſuper aſtra imperium nititur obtinere, aſtris ſubiectum conſtat ingemiſcere: *Vidi Angelum deſcendentem de cælo,* ſcribit Ioannes, *habentem clauem abyſſi, & catenam magnam in manu ſua,* 64.

Iſai. 14. v. 13.

& apprehendit draconem ſerpentem antiquum,
Apocal. 20. v. 1. *qui eſt diabolus, & Sathanas, & ligauit eum per annos mille.* Expende quàm votis aduerſetur euentus. Aſtra Dei, hoc eſt Angelos Lucifer ſuperbiſſimus dedignabatur calcare, & Angelis ſubiectus dura cogitur vincula ſuſtinere. Et quæ tantæ infelicitatis fuit cauſa? Ipſa profectò immoderata ſuperbia. Non potuit ignominioſè non vinciri, qui vltra modum de-
Gregor. ſiderauit lucere. Adeſt Gregorius citatus: *Ille apoſtata Angelus, qui ita conditus fuerat, vt Angelorum cæteris legionibus emineret, ita ſuperbiendo ſuccubuit, vt nunc ſtantium Angelorum ditioni ſubſtratus ſit, quatenus nunc ad vtilitatem noſtram eis miniſtrantibus religatus lateat.* Ad Angelorum arbitrium ligatur, aut ſoluitur, qui ni ſuperbiſſet, ſibi imperantibus modò Angelis ſine dubio præeſſet; at naturæ dotes ſuperbiæ obſcurauit delirium: deiecit eleuando, & poſtpoſuit præferendo: vinctus ac obſcuro carceri traditus ſibi ipſi latet inuiſus, qui ſupra ſeipſum lucere voluit ſuperbus. O quot homines, dum ſplendidiùs, dum ſupra conditionem ornatiùs ad tempus cupiunt nitere, in futurum ſibi dura diſponunt vincula, & ſordidiſſima carceris ignominioſæ latibula: ipſis ſæpè, quibus imperaſſent indecorè ſubiiciuntur, & inferiorum parent arbitrio, quia ſuperbè abutebantur imperio: Angeli natura inferiores iam Luciferum ligant, iam in carcerem detrudunt, iam tenebris altis latitare compellunt, & dum humiles conditionis ſuæ limites noluerunt abrumpere, in Luciferum obtinuerunt imperium, & lucrati ſunt de humilitate dominium. *Hi electi ſpiritus*, addit *Gregorius ſuperbum apoſtatam comprimunt, qui humiles hunc ſequi noluerunt.* Videbantur ſacri ſpiritus in Luciferum nullatenus obtenturi dominium, quando inueniebantur inferiores ſtatus lege, & Lucifer videbatur nunquam Angelis ſubiiciendus, quibus ſuperior refulgebat naturæ conditione; verùm dum ſuperbiendo hic non habuit modum, non ſolùm amiſit gloriam; ſed ſubiectionis pertulit ignominiam; at illi, dum ſui conſcij humilitatem addiſcunt, & ad dominium Angeli ſuperioris perueniunt: Vt eodem exemplo videas, quàm ſit fœcunda dedecoris mater ſuperbia, & quàm annexa humilitati ſit gloria.

65. Saul ſuperbia conſulente, & inuidentia inſtigante Dauidi nuptias diſponit, non quo exoſum cohoneſtet; ſed quo ſuperbientem deſtruxerit: contorti non ſemel teli expectatione fruſtratus ad induſtrioſam nequitiæ artem conuerſus eſt: voluit ſuperbia pulſare, quo faciliùs poſſet throno depellere: prudenti doloſitate credidit Dauid citiùs confectum iri, ſi pulſaretur arrogantia, quàm ſi telorum impeteretur violentia; at Dauid præ animi moderatione oſtendit humilitatem, & de humilitate firmauit imperium, quando de ſuperbia
1. Reg. 18. v. 23. excitabatur illi naufragium: *Num parum videtur vobis generum eſſe Regis? Ego autem ſum vir pauper & tenuis.* Ab humilitate opem contra regis dolum aſciuit, & regis expectatio-
Seleuc. nem fruſtrauit. Addit Baſilius Seleucienſis oratione 16. *Sponſaliorum legatos mittit huius thalamum dolo prætexens; ſed Dauid non auidiùs in domum inuolat, quin potiùs præ animi moderatione reginæ nuptias repudiat.* Itaque Saul Dauidis pulſat animum regalium nuptiarum promiſſione, vt dum altiorem ambit ſtatum, ſibi matutarit excidium, aut ſaltem dum reportatis de hoſte triumphis tumidiùs ſuperbit, omnium offendat oculos, & in ſe exacerbarit affectus: non deſiderabat Dauidem ante nuptias ſpectare victorem; ſed de nuptiis triumphiſque ſuperbientem: nouerat namque nullam tam efficacem felicitatis eſſe peſtem, quàm elationem. Et quidem ni Dauid humilitatis clypeo doloſæ malignitatis tela retudiſſet; nuptiis triumphoque honeſtatus nunquam radiaſſet. Diſce ab improbitate humilitatis ſuperbiæque differentiam, quando hæc felicitatis tinea dedecus, mortemque aſciſcit, illa contra doloſas nequitiæ artes & felicitatem, & regnum parit.

Componamus, ſi placet, ſtellam illam Magorum ductricem cum ſeipſa, dum Herodi fa- 66.
ciem abſcondit, & puerum præſepi iacentem tremulis radiorum luminibus redimiuit: *Ecce* Matt. 2. v. 9.
ſtella, quam viderant, in oriente, antecedebat eos, vſque dum veniens ſtaret ſupra vbi erat puer. Et cur tuguriolum radiis non dedignatur nobilitare, quæ Regi Herodi refugit apparere? Profectò aptius videbatur in curia oſtentare ſplendorem, & præſepis auerſari humilitatem; & tamen cæleſtis lux hæret tuguriolo firma, non dignatur videri in aula: nec mirum: præſæpi namque colebatur humilitas, in Herode dura regnabat ſuperbia: ergo ſuperbus luce non potuit radiare, nec potuit humilis luce carere: *Cum intrauerunt Ieroſolymam*, ſcribit Chry- Chryſoſt.
ſoſtomus apud D. Thomam, *occultauit ſeipſam:* Tenebris ſorduit Herodes de ſuperbiæ nocte; reſplenduit Chriſtus de luminoſæ humilitatis ſcaturigine: vt videas humilitatem eſſe honoris fontem, ſuperbiam tenebrarum, ac dedecoris matrem.

§. XVIII.

Hiſtorici ferè ſemper viuentibus adulantur, nec exactè veritati obſequuntur.

VEra ſemper inueniuntur iudicia, quæ nulla potuerunt deprauati adulationis, aut mu- 67.
neris corruptela: magna faſtigia omnibus exundant præterquam veracibus: quia ibi & certamen eſt adulandi, & nullus aut rarus ſtudioſus inuenitur veritatem dicēdi: totum eximium creditur, aut certè vt eximium ab hiſtoricis prædicatur, quod à faſtigia tenētibus exercetur: dubium non eſt Magnatum plures eſſe abſolutè mirabiles, neque à veritate diffidere, qui futuris ſæculis illorũ gloriam ſtudioſè nititur cōmendare; verùm adeò eſt improba malignitatis ſuſpicio, & ſuſpicax non ſine experientię ſuffragiis prudentum etiam intentio, vt quæ ſcripta de Principe viuente narrantur, à veritate diſcrepare ſæpè putentur. De illis, qui iam exceſſerunt, liberiùs quisloquitur, & quales fuerint, veriùs futuris ſæculis traditur: *Commune eſt cunctis*, aiebat Caſſiod. 10. var. 19. Caſſiodor.
in ſuis imperiis prædicari; ſed illud eſt omnimodis ſingulare, in extranea gente laudes proprias inuenire. Rationem ſubdit conſul diſertiſſimus:

Digitized by Google

Non ſunt vera iudicia, quæ timiditate aut ambitione non libera. *Quia ibi ſunt vera iudicia, vbi neminem comprimit vlla timiditas.* Hiſtoriographus legibus veritatis tenetur; ſed timiditate ſæpeſæpiùs comprimitur, & ſtudio adulationis pulſatur. Hinc eſt vt glorioſa facta exaggeratius laudentur, aut ſilentio deteſtanda ſcelera ſepeliantur. Exaggerationis penicillo exornatur, & coloribus miris comitur, quidquid potuit apparere laudandum, & induſtrio artificio abſconditur, quidquid apparere potuit obſcurum. Ecce in hoc libro quæ ſcelera quouis tempore perpetrata, quæque egregia facinora deſcribuntur: Fecerunt malum in conſpectu Domini, & obliti ſunt Dei ſui ſeruientes Baalim, & *Aſtaroth.* Caietanus, vt erat ingenioſus, rogat an liber hic Iudicum tempore fuerit ſcriptus, an demortuis ipſis memoriæ proditus: concluditque ipſis viuentibus non fuiſſe memoriæ traditum, quandoquidem aliquorum errores refert, & non ſine illorum nota poſteris tradit. Verùm quid refert errata ſacrum hiſtoriographum retuliſſe, vt liber poſt errantium mortem putetur conſcriptus, & futuris ſæculis delegatus. O egregiam eruditionem! Profectò ſacri-hiſtoriographi, vtpote Dei ſpiritu impulſi, nullatenus potuerunt leges veritatis exactiſſimè non implere, aut ab indubio vel tantiſper deuiare, verùm ad noſtram eruditionem voluit Deus librum hunc poſt illorum mortem ſcribi, vt hac prouidiſſima cautela noſcamus à ſuſpicionis calumnia non eſſe libera, quæ de magnaribus ſuperſtitibus inueniuntur litteris commendata.

Caietan. *Prudens lector aduerte, quòd ex eo quòd auctor libri, antequam tractet de ſingulis iudicibus, ſummauit alterna bona & mala totius temporis Iudicum, manifeſtè patet, quòd liber iſte non eſt ſcriptus tempore, quo res gerebantur; ſed poſt tempora iudicum completa.* Semper ſacer hiſtoriographus veritatem ſectaretur, ſiue iudices fuerint demortui, ſiue exiſterent viui, at ea eſt ferè hiſtoriographis omnibus placendi cupiditas, vt quò faciliùs hiſtoria pro factorum qualitate deſcriberetur, voluerit Deus librum hunc iudicibus viuentibus non ſcribi; ſed illis demortuis memoriæ prodi.

68. Liber obiicitur Ioanni ſigillis munitus, & obſignatus: arcana continebat myſteria, quæ Ioannis curioſitatem, honeſtiſſimam quidem vehementiùs accenderent, & ardentiùs inflammarent: expectabatur tamen agni interitus, vt reſeraretur liber, & omnibus paterent iam nota, quæ ante mortem ſigillabantur arcana:

Apoc. 5. v. 6 *Vidi agnum ſtantem tamquam occiſum, habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem Spiritus Dei miſſi in omnem terram. Et venit, & accepit de dextera ſedentis in throno librum: & cum aperuiſſet librum.* Non ſine myſterio poſt agni occiſionem ſigilla reſerantur, & arcana libro contenta aperiuntur. Et cur anteà liber reſeratus non fuerit; ſed occiſionem agni expectarit? Et clariùs, ſcribit

Ambroſ. Ambroſius capite quinto in Apocal. & veritas conſtaret, & captioſa plus calumnia timeret, Euangeliorum liber non poterat à veritate aberrare; at ſi viuente Domino reſeraretur, fortè quis improbus criminatus ſit multa adulationis coloribus exaggerata, multa timiditate ſuppreſſa: ergo iam demortuo Domino, cæloſque inſcendente liber proditur, quo & ſuſpicio omnis deletur. Quando paſſus eſt, & ſurrexit: & in cælum aſcendit, librum teſtamenti *aperuit.* Apertus eſt liber mortuo iam Chriſto, iam abſente, ne quis diceret plura ibi ſcripta magnalia de ſtudio placendi, & de artificio adulandi. Diligeris quidem, aiebat Caſſiodorus vbi ſuprà, Caſſiod. piiſſime Imperator, in propriis regnis; ſed quanto præſtantius in Italiæ partibus plus *amari.* In proprio amari regno, in conſpectu deprædicari, ferè cunctis commune eſt: quæ in abſentia dicuntur, excluſa tamen æmulatione vera iudicia probantur: quia ibi nec metus frænat: nec adulatio prouocat, nec cupiditas exaggetat, nec metus honeſtat. Quæ de ſuperſtite ſcribuntur, generaliter, & minus vera notantur.

Nullus audet in præſentia liberè adeò loqui: 69.
quia ipſe intuitus & linguæ ingerit metum, & poteſtas reprimit etiam iudicium. Adeſt Samuel huius veritatis moraliſſimus teſtis: Cùm Saul diuina præcepta cæca cupiditate tranſgreſſus Amalecitis pepercilſet, malè cupidum increpaturus aduentat, ipſeque tantiſper ſe impeditum fatetur, dum ſini ad proferendam veritatem precatur: *Sine me, & indicabo tibi, quæ locutus ſit Dominus ad me nocte.* 1.Reg.15. v.16. Poſtea cum illum iam demortuum Saul conſuleret, liberiùs futura refert: *Faciet tibi Dominus ſicut locutus eſt in manu mea, & ſcindet regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo Dauid.* 1.Reg.28. v.17. Expende hîc ſini ſe ad veritatem dicendam non poſtulaſſe, ſed futura liberrimè prædixiſſe. Quod ſi inquiras, cur alibi venerationis quodammodò vinculis ſe fateatur impeditum, & alibi his prorſus vinculis liberatum, quandoquidem Saul eadem dignitate vtrobique fulgebat præditus; textus difficultati occurret, dum huius collocutionis circumſtantias exponit: ſuſcitatus eſt Samuel non magicis artibus, quæ fingere ſolùm nouerunt commenta, nec valet reſerare ſepulchra, & dum ſepulchro egreditur, pallio operitur: *Senex*, inquit ſaga, *aſcendit, & ipſe opertus eſt pallio:* oculos induſtriè arcuit, vt liberiùs caneret, & futura expeditiùs prædiceret: expertus fuerat propheta ſe olim tantiſper regia præſentia impeditum, & ad veritatem liberè proferendam aliquomodo retardatum: & modo, vt diſcrimini occurreret, pallio oculos texit, ne regẽ libero intuitu reſpiceret: veritus quodammodo ſe de veneratione impediendum, & de præſentia tardandum. Innuit Zeno Veronenſ. Zeno. ſerm. de reſur. *Samuel egregius ille ſacerdos mortis iam lege diſpunctus Sauli Regi deſideranti, ſine ambiguitate non tantum ſuam præſentiam exhibet; ſed etiam ad conſulta reſpondet.* Audi quæ annectit: *Liberiuſque canit mortuus, quàm canere conſueuerat viuus.* Viuus & mortuus idem propheta eſt, veritatis patronus, ſpiritus interpres, lingua Numinis; at quia mortuus, pallio habet oculos obtectos, & ſudario viſus priuatur: *Amictus eſt pallio:* liberiùs loquitur, nec maieſtate terretur, dũ perſonam non reſpicit, & liberiùs etiam canit: eſt namque magnatum præſentia, ſi non veritatis damnum, dicentis frænum: non audent proferre, quæ de abſentia non timent liberrimè prædicare. Caput pallio obnubitur, & dũ operitur, libertas floret, & plus dicendi facultas viget: *liberiùs canit mortuus, quàm canere conſueuerat viuus.*

Mira doctrina Chriſtus Dominus ſæculorum 70.
magiſter, vt magnatum exarauerit geſta, ab eis auertit oculos, & declinauit obrutus. Veritatis inſidiatores captioſiſſimas prætexuere cauſas, & colorauere technas, quibus Chriſtus Dominus,

aut

Digitized by Google

aut de miſericordia legi appareret aduerſus, aut de ſeueritate clementiæ inueniretur contrarius; obſeruarunt, qua poſſent adulteram capere, opportunitatem. Et quidem ſi illud noſtris ſimillimum erat tempus, non fuerit multum temporis præſtolandum, aut grandi adulterium difficultate inueniẽdum, captam non ſine confuſo dedecore adducunt, & in Chriſti Domini præſentia ſiſtunt: vrgetur Dominus, quo ſententiam proferat, & ipſi nequiſſimi accuſatores legem adulterant, dum adulteræ ſolicitant pœnam: de alieno peccato malitiam ſuam cumulant, & legem corrumpunt, dum ad ſpeciem defendunt: vmbratili armantur zelo; ſed rabido inuidentiæ agitantur delirio. Quid tunc humaniſſimus Dominus? *Ieſus inclinans ſe deor-*
Ioan. 8. v. 6. *ſum digito ſcribebat in terra.* Patres in hac Chriſti Domini actione multa myſteria inuenerunt & ad mores reformandos, & ad adſultus aduerſariorum prouida induſtria fugiendos. Alcuinus his nos factis inſtrui docuit, ne cito proximorum delicta ad nos delata credamus; ſed diſcretionis digito examinemus: *Nos inſtruit*, ſcribit apud D. Thomam, *ut cum qualibet mala proximorum conſpicimus, non ſtatim ea temerè damnemus; ſed prius ad conſcientiam cordis humiliter reuerſi digito diſcretionis ea ſolicitè diſquiramus.* Auguſtinus ibi ſe inclinaſſe tradit, vt à potentibus magnatibuſque oculos amouiſſet illorum facta ſcripturus, & litteris veritatem obſignaturus: *Dominus in reſpondendo & iuſtitiam ſeruaturus eſt, & à manſuetudine non receſſurus: ſequitur enim: Ieſus autem inclinans ſe deorſum digito ſcribebat in terra.* Nulla adſtantium auctoritas veritatem ipſam Chriſtum ſcilicet quibat corrumpere, aut poterat ſubornare; verùm quò ſuis nos Dominus factis inſtrueret illorum facta ſcripturus (tradunt namque plures ſcripſiſſe cunctorum accuſatorum peccata) oculos à magnitudine auertit, & à præſentia ſubmouit: quaſi nequeat manus facta ſcribens veritatem exprimere, ſi oculum contigerit magnatum pompam videre. Inclinans ſe deorſum, ſcribebat: & quare? Quia iuſtitiam ſeruaturus eſt: adeò impedit magnatum præſentia, potentium pompa. Ergo dum in libro Iudicum errores nonnullorum traduntur, poſt illorum mortem litteris expreſſi probantur: hiſtoria namque potentium tempore ſcripta, ſi veritatem non lædit, adulationis ſaltem opinionem nullatenus fugit.

Marginalia: Alcuin. — Delata diligentiſſimè examinanda. — Auguſt.

---

§. XIX.

Durius eſt ibi extremis adurgeri miſeriis, vbi lautis maiores exundauere diuitiis.

71. CAlamitas non ſemel de antiqua felicitate exacuitur, & ad cruciandum proſperitate exornatur: torquendi ars eſſe potuit aliquem honorare diuitiis, vt grauius poſteà adurgeretur miſeriis: *Super flumina Babylonis*, aiebat apud Pſaltem olim Hebræus, *illic ſedimus; & fleuimus, dum recordaremur tui Sion.* Memoria elapſæ felicitatis durus erat infelicitatis ſtimulus, & quæ ab ingenio diſcrepabant, præter naturam concordauerunt ad pœnam. Idem ſolito ingenio expendebat Zeno Veronenſis ſerm. 2. de Exodo: *Manna de cælo guſtaſti, vt cum eſſes ad egeſtatem poſtmodum deuolutus præteritorum bonorum recordatione acrius torquereris.* Verum etſi antiquæ proſperitatis recordatio miſero ſit ſupplicium, grauiùs tamen tunc animum vrget, mentem dilacerat, præcordia diſcruciat, cùm ſe quis ad extremam redactum eo loco contemplatur miſeriam, quo maiores diuitiarum potiti ſunt abundantiam: tunc namque locus ipſe, dum non permittit ſopiri antiquæ felicitatis memoriam, vehementiſſimè adauget pœnam, inuidioſus maiorum faſtus copioſiores producit doloris fructus. Hebræi vt inconſtanti animo erant cæci & ingrati, vitiis indulſerunt, & ardentem contra ſe indignationem Numinis prouocarunt: *Fecerunt malum in conſpectu Domini, & obliti ſunt Dei ſui ſeruientes Baalim, & Aſtaroth.* Quid tunc? Iuſtiſſima inardeſcit ira, & refractarios Chuſan Regi Meſopotamiæ tradit in ſeruos: *Iratus contra Iſrael Dominus tradidit eos in manus Chuſan Raſathaim Regis Meſopotamiæ: ſeruieruntque ei octo annis.* Quærunt Patres cur huic præ alio Rege Hebræos Deus tradiderit, & in Meſopotamia iugum ſuſtinere voluerit. Nec ſolùm in Hebræo textu prouincia deſcribitur; ſed & ciuitas declaratur: nam vbi legit noſter textus, *Regis Meſopotamiæ*, Hebræus habet, *Regis Haran*: nomen ergo ciuitatis pœnam exaggerat: in Haran venumdantur pro ſeruis, vt extrema opprimantur miſeria: quia ibi Rachel & Iacob exundante diuitiarum luxerunt copia. Adeſt Caietanus: *Iuxta Hebræum habetur Regis Haran fluuiorum. Haran ciuitas eſt, in qua peregrinatus eſt Iacob, vnde orta eſt Rebecca, quæ appellatur Haran fluuiorum, eo quòd ſita eſt inter Tygrim, & Euphratem.* In Haran venales ſeruierunt, vbi Iacob illorum pater gregum auctus eſt copia: vnde Rebecca magno comitatu deducta, & regiis iocalibus exornata: minùs cum Iudæis ageretur, ſi alij regi traditi, ſi alij ſeruirent captiui; aſt vt ira Dei agnoſcatur ardentior, ea in ciuitate ſeruili preſſi ſunt iugo, vbi illorum parentes ferè ſunt potiti imperio.

Marginalia: Pſal. 136. v. 1. — Zeno. — Caietan.

Non ſine myſterio Chriſtus Dominus Ieroſolymam elegit paſſioni, & Bethlehem natiuitati; imò Ieroſolymis montem illum, vbi olim Abrahamus filium immolauit, ibi oblato Iſaac non ad doloris ſupplicium; ſed ad amoris argumentum audiuit: *Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris: poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum.* Montem hunc myrrhæ vocatum fuiſſe autumant ſacri interpretes: quia videlicet ibi acrior Chriſto Domino amaritudo, pœna durior, & cruciatus ſæuior. Adeſt Lippomanus: *Quidam æſtimant montem illum ſic dictum à myrrha, & inde terram myrrheam, de quo etiam dicitur Cantic. 4. Ibo ad montem myrrhæ.* Addit Lippomanus: *Et profectò rectè myrrhæ, id eſt amaritudinis locus dicitur: quid enim acerbius Chriſto per Iſaac ſignato contingere potuiſſet, quàm paſſionis & mortis horror, & dolor eo monte exhibitus?* Taceo quòd Dominus figitur: ad hoc enim venerat; ſed dum ſaginari deſiderat voluptate patiendi, non ſolum eligit lignum; ſed locum: & quidem dum locus ille monebat maiores ſuos ſtellarum inſtar fulſiſſe, & arenæ ad inſtar elatos fluctuum vortices prementis 72.

Marginalia: 72. — Geneſ. 22. v. 17. — Lippom.

aduerſarios ſubiugaſſe, crucis ignominiam mirè adaugebat, & calamitatem acriùs exaggerabat: quid enim durius, quid acerbius, quàm ignominioſum crucis ſupplicium ſubiſſe, vbi parentes conſtabat iubare toto ſtellarum radiaſſe. Ergo Dominus dolorum auidus, & pro hominibus patiendi ambitioſus, ibi elegit infamem pati ſententiam, vbi eius parentes & regni promiſſionem audierunt, & ſydera ſplendoribus ſuperarunt.

73. Diues ille qui flammis purpuram commutauit, cùm vehementiſſima ſiti adurgeretur, compulſus vel ſitulæ refrigerium quærere, ſe vbi Lazarus degebat, adduci renuit, & ad ſe Lazarum deduci ſatis fraudulenter quæſiuit, verùm cùm illi denegaretur optatum, iterum inſtat, & ad paternam domum delegari Lazarum obnixiùs rogat: *Rogo te pater, vt mittas eum in domum patris mei*: ſi diues fratrum ſalutem ad ſpeciem ſuſpirat, cur ſibi delegationem non ambit? cur non exorat: Mitte me in domum patris mei, quando ſi ipſe ex mortuis iret, quod deſiderabat in Lazaro, ſecurius poſſet correctionem fratrum ſperare, & quod debebat ipſe fratribus, pietatis officium exhibere: manere eligit gehennalibus flammis cinctus, cum petat, cùm inſtet, quòd Lazarus tetenderit delegatus. Profectò ad illam patris domum Lazarum mitti poſtulat, in qua quotidianæ ſplendidæ epulæ, annoſa vina, & ſeruorum circumſtantia vanitatem, & arrogantiam nutriebant: Luc.16. *Induebatur*, inquit, *purpura, & byſſo, & epulabatur ſplendidè*: ad hanc ergo patris domum ire ipſe recuſat, & Lazarum delegari ſuſpirat. Ecqua huius cauſa eſt? Quia veretur ſe diriùs ibi torquendum, & recordatione durius diſcruciandum. Si diues tenderet bonis omnibus iam exutus, & pœnis irreuocabilibus traditus, ibi vrgentiorem pateretur miſeriam, quia ibi eius maiores, fratreſque ſuperbiſſimam diuitiarum habuerunt copiam. Ergo Lazarum mitti ad illam ianuam, ante quam iacuit, precatur obnixè; ire tamen recuſat ipſe ſtudioſè: quaſi facilius fuerit flammis, ſiti in regione gehennali aduri, quàm in opulentorum fratrum, parentumque regione aquæ guttulis indigere. Iam domum, ad quam Lazarum ire precatur, illam Chryſol eſſe, in qua lautè epulabatur ipſe, tradit Chryſologus ſerm. 66. *Rogo te pater. Quid? Vt mittas Lazarum in domum patris mei, ante quam benè iacuit Lazarus, ad illam ianuam, in qua fame ſua inhumanitatis tua titulum fixit*. Ecce ad quam domum petat mitti, & ipſe recuſet accedere, vbi famulorum copia, vbi lautiſſima menſa, vbi diuitiarum exundantia: ad hanc ergo patris domum ipſe non exorat ire; ſed Lazarum delegari, quaſi durius ipſa gehenna putarit tormentum in tam prædiuiti patris domo indigere aquulæ refrigerio, ibique extremis anguſtiis angi, vbi olim viſus fuerat tot lautitiis exundare, & tot inſanis ſumptibus innutriri. O quàm acerbum tormentum eſt filium ibi ſiti aduri, ibi pane indigere, ibi precario viuere, vbi eius fratres, parentes, maioreſque pompatice vſque ad inuidiam fulſerunt; & diuitiis ſuperbiſſimis exundarunt. Quamuis ad ſpeciem optet Lazarum fratribus ſubuenire, ipſe renuet conſtantiſſimè tendere, quaſi ſatius duxerit gehennæ pati ſupplicium, quàm in prædiuitum parentum regione emendicare aquæ guttulæ refrigerium.

Prodigus ille de cenſu egenus, de auro indigus, 74. cùm ad extremam calamitatem deueniſſet, ſibi eſt reſtitutus, ſi proſperitatis veneficiis à ſe receſſit exterminatus, vtque grauiſſimam offenſam grandi compenſauerit pœnitudine, propoſuit ad patris regionem tendere, ibique miſeræ vernam mercedis ſeruire, vbi eius parentem maioreſque conſtabat toto iubare felicitatis fulgere: *Pater peccaui in cælum, &* Luc.15. v.18. *coram te: iam non ſum dignus vocari filius tuus; fac me ſicut vnum de mercenariis tuis*. Gregorius Nyſſenus grandè aggreſſum pœnitentiam teſtatur apud D. Thomam: *Non priùs redit ad pri-* Nyſſ. *ſtinam felicitatem, quàm in ſe rediens ſentiret opprimentis ærumnæ præſentiam, & meditaretur pœnitentia verba*. Veneror huius patris ſententiam; verùm rigidam non videtur pœnitentiam amplecti, qui in villa porcorum ſeruus eſſe diſcupit mercenarius: ſi amplecteretur duriora, pœnitentis poſſet titulis inſigniri; hic vero ſibi indulgens poterat denotari: cur ergo Nyſſenus rigidè pœnitentis nobilitarit elogiis, quando commoditatis videtur vacaſſe ſtudiis. O amabo te, expende locorum differentiam, & inuenies grandi diſcupere dolore expungere culpam; porcorum addicitur ſeruituti, cœnoſa, lutulentaque paſcua diſcurrit ore ſicco, ventre arido, luridus, & denudatus; ſed in villa, vbi à nullo agnoſcitur, vbi quis ſit, protſus neſcitur; at in paterna regione ad ſeruilem conditionem reduci, & vbi maiores diuitiis, honoribuſque erat indubium radiare, pannoſum ſordere, erat vanitati duriſſimum, & intimæ pœnitudinis certiſſimum argumentum: vtque videas, quàm iuueni hoc fuerit aſperum, quam animo ſeruilem conditionem amplecti propoſuerat, patri accedens nullatenus explicauit, ſed deſiderium reticuit: *Pater*, inquit, *peccaui in cælum, & coram te, iam non ſum dignus vocari filius tuus*. Et vbi eſt illud: *Fac me ſicut vnum de mercenariis tuis*? Propoſuit conſtanter; verùm rei difficultate impeditus hoc patri propoſitum non deprompſit: defatigabantur namque plurimum animi vires, dum ſe ibi ad ſtatum vernulatum contemplabatur reductum, vbi parentes ſortiebantur diuitiarum, honoriſque faſtum: tantùm dolet ibi adurgeri miſeriis, vbi maiores fauſtis ſunt vſi fortunis. Ergo Deus, quò Iſraëlitarum dignè peccata punierit, in Haram ciuitate, vbi illorum maiores fulſerunt nobilitate, infami decreuit diuexari ſeruitute: *Tradidit eos in manus Chuſam Raſathaim Regis Haran*. Dignum ſceleris ſupplicium, & ſupplicium ſanè durum.

§. XX.

Magna calamitatis pars eſt cauſam ignorare, vt remedij illam ſcire.

PEccatoris miſeria de geminata coaleſcere 75. ſolet cauſa, de culpa videlicet & inſcitia: ipſum errorem ſolet exiſtimare virtutem, & quia obcæcatus diſpicere nequit damnum, neſcit ſibi ſolicitare remedium. Benè cum peccatore actum eſſet, ſi errores ſuos à ratione exorbitantes agnoſceret: quia ſalubris notitia excitaret

citaret conſcientiam, & conſcientia ad quærendam inſtigaret morſibus medicinam; at dum infirmitatis prorſus latet cauſa, quàm longè diſtat medela. Quædam fatua, quæ Senecæ domi erat, ſubitò oculorum viſum amiſit; ſed viſu carens viſu ſe gaudere putabat, & intempeſtiuas diei caligines adſcribebat. Audi Senecam epiſt. 50. *Hæc fatua ſubitò deſiit videre: incredibilem tibi narro rem; ſed veram: neſcit eſſe ſe cæcam: ſubinde pædagogum ſuum rogat, vt migret; ait domum tenebroſam eſſe.* Itaque fatua tenebrarum cauſam ignorabat, & proprias tenebras lucidiſſimo aëri adſcribebat: quærebat remedium, aliam ſcilicet domum luci magis peruiam, Solique patulam, cúmque in ſe caliginis haberet fontem, credebat auram exundare caligine. Et quidem cùm omnis peccans ſit ignorans, hanc incurrere ſtupiditatem non dubites: qui ambitioſiores, iactant ſe modeſtos, qui auariores ſe putant hoc vitio intactos. Audi ibi Senecam: *Hoc quod in illa ridemus, omnibus nobis accidere liqueat tibi: nemo ſe auarum eſſe intelligit, nemo cupidum.* Profectò qui ſe experiuntur cæcos, quærunt ducem; at cæci, qui perſpicaciſſima ſe oculorum acie valere putant, longè ſunt à duce ſibi comparando, & à pædagogo quærendo. Nec ſolùm has malignas tenebras vitium offundit; ſed deteſtabiliorem lucem delinquenti affert: non ſolùm ſuos ignorauere prorſus errores; ſed quod peius eſt exiſtimauere virtutes. Audi Saluianum lib. 5. de gubernat. Dei de hæreticis ſic ſcribentem. *Hæretici ſunt; ſed non ſcientes: denique apud nos ſunt hæretici, apud ſe non ſunt: nam in tantum ſe catholicos eſſe iudicant, vt nos ipſos titulo hæreticæ appellationis infament... Veritas apud nos eſt; ſed illi apud ſe eſſe præſumunt: impij ſunt; ſed hoc putant veram eſſe pietatem.* Ad eam peccatores veritatis ignorationem ſolent peruenire, vt iam non ſolùm ſuam non agnouerint impietatem; ſed religionem crediderint. Hebræorum populus Chuſan Raſathaim Regi Meſopotamiæ ſubiicitur, & longo tempore producit anguſtiam: quia ignorauit penitus cauſam: *Iratus contra Iſraël Dominus tradidit eos in manus Chuſan Raſathaim Regis Meſopotamiæ, ſeruieruntque ei octo annis.* Abulenſis quæſt. 9. rogat cur tanto tempore iugum Chuſan improba impatientia tulerint, nec frangere aut excuſſiſſe tentauerint. *Quæret aliquis quomodò tanto tempore manebant Iſraëlitæ ſub ſeruitute regis Syriæ: nam quando inuocabant Dominum, exaudiebat eos, & dabat eis Saluatorem.* Quæſtioni reſpondet adeò ſuis criminibus obcæcatos, vt nullatenus crediderint eſſe calamitatem illam criminis prolem; ſed aliam cauſam habere nutricem: idéoque orationis opem non implorаſſe, nec ad pœnitudinis amaritudinem recurriſſe: *Cùm Iudæi receſſiſſent à cultu Dei, fortè non putabant malum iſtud euenire eis propter deſertionem cultus diuini; ſed ex aliis cauſis: ideò tolerabant amaritudinem ſuam; poſteà autem vexatione eis dante intellectum cognouerunt quòd euenerant mala hæc, quia dereliquerant Dominum, ideò clamauerunt ad ipſum.* Violata religio, negata Deo fides extremas illas anguſtias pepererunt; verùm Hebræi adeò ipſo crimine obcæcati deſipiebant, vt nullatenus malorum inuenire quiuerint fontem; ſed ignorarint prorſus originem. Magna medicaminis pars

Seneca.

Saluian.

Abulenſ.

fuit cauſam ægritudinis inueniſſe; quia iam facile erat & clamoribus adhibitis profanaſſe.

Diues ille grandius in lingua patiebatur in- 76.
cendium, vtque illam refrigeret, Lazarum ad ſuos vult aduocare cruciatus: *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam: quia crucior in hac flamma.* Profectò gehennæ proditur filius, dum de aliena calamitate ſuam ſatagit releuare miſeriam. Linguam præ cæteris membris vri in cauſa fuit pauperi maledixiſſe, & miſericordiam erga Lazarum non imperaſſe. Adeſt Chryſologus ſerm. 66. *Lingua plus ardet, quæ miſericordia vt fieret, iubere neglexit.* Itaque crudelis erga Lazarum impietas illam linguæ flammam nutriebat, & continuò flabellabat: ad aquæ diues refrigerium accurrit, cùm interioris flammæ in Lazarum crudelitas fuerit: ecce fomentum addit deteſtanda calamitatis ſæuitia, dum ardori quærit medelam: adeò obcæcabatur inuidia, vt fouens morbum morbo ſe quærere putarit remedium: aquam quærit, quia illa flamma nequit ſopiri: quia neſcit flammæ originem perſcrutari. *Quos oculos leuas*, aiebat Chryſologus ſerm. 122. *ipſi non placant iudicem; ſed inflammant: non reportant veniam; ſed reatum, & exigunt pœnarum cumulum, non ſolamen.* Dum ignorat cauſam, ipſo refrigerij ſtudio flammæ addit obcæcatus materiam: erat petendum refrigerium à pœnitudine, & petiuit à liuore: ſic errant; imò ſic peccatores delirant. *Quid prodeſſe poterit antidotum*, aiebat Saluianus lib. 5. de gubernat. Dei, *cui ſuperfunditur venenum.* Diues ſuperinfundebat venenum, & voce quærebat antidotum: vtque olim Hydra fabuloſa per ſua damna creſcebat, iacturaque multiplicabatur, ſic modò ſæpe delinquens per ipſa remedia adauget calamitatem, & per refrigerium ipſum nutrit ardorem. Magna diuinæ miſericordiæ pars eſt, cauſam originemque malorum agnoſcere, vt poſſis cognoſcendo vitare. Ecce diues caſſa voce, clamore inani quærit aquam, qua ſopiat incendium, qui breuiori tempore flammas extingueret, ſi pœnitudine deleſſet peccatum: vnde deſiderium flammarum ardori ſuffragabatur, pœnitudinis medicamine incendium prorſus extinगueretur. O quot tempus terunt inutilem malis ſuis anxiè perquirendo medelam, qui inuenirent facilè, ſi malorum agnoſcerent cauſam. Hoc virulentiſſimum dæmonis artificium eſt celare cauſam, quo diutiùs produxerit pœnam.

Luc. 16.

Chryſol.

Saluian.

Pueri corpus dæmon inhabitarat, parentesque ad gemitus ſæpè cogebat: pater ad Chri- 77.
ſtum accurrit, vt malo medeatur fuſis lachry- Matth. 17.
mis depoſcens: *Domine miſerere filio meo: quia* v. 14.
lunaticus eſt, & malè patitur: nam ſæpè cadit in ignem, & crebro in aquam. Pater dum miſeriam explicat, & ſuam etiam prodit inſcitiam: Lunæ namque, ſyderibuſque adſcribit filij calamitatem, & de cauſa querebatur externa, cum interna & domeſtica fuerit cauſa. Adeſt Chryſologus ſerm. 52. *Simulatione iſtius miſeri ſefellerat patrem: nam ibi ſic ſupplicat: Domine miſerere filij mei quia lunaticus eſt, & malè torquetur: aut humana natura aut cæleſtis elementi dæmon, quod ſuæ artis fuerat, voluit tunc videri, aptans Lunæ curſibus hominis paſſiones: vexat corpus lunaribus incrementis, vt eſſe Lunæ crederent, quod erat*

Chryſ.

Dæmon eſt qui ſuam alteri culpam adſcribit.

diabolici criminis & furoris. Aliquando tantiſper reprimebat, vt ſtabiliret furorem: ſedando aggrauat, & incrementando ſedat: acrius deſæuit, cùm & lux productior: quia ſemper dæmon veretur lucem: extraneis cauſis diſcupit morbum adſcribi, quo nullatenus eius parentes nouerint medelam apponere: voluit vt Lunæ eſſe crederent, quod erat ſæuitiæ, quodque infamarent naturam, dum ignorauerint cauſam. Certè dum agnoſcitur doloris cauſam eſſe impuratiſſimo ſpiritu diuexari, ad Chriſtum adducitur, & ſanatur; at dum ignarum fugit cauſa, & producitur etiam miſeria. Sæpè perſuadet peccatoribus dæmon ægritudines à crimine ortas, ob climatis parum fauentis intemperiem accidiſſe, & ob diuerſas fictaſque cauſas promanaſſe, quò dum neſcitur origo, in quærendo caſſus inſudarit labor remedio

78. Ezechias celebri victoria elatus morbum contraxit, & cui tot aduerſariorum millia militauerunt trophæis, vna internaque culpa periculoſis adurget morbis: ægrotanti mortem prædicit Iſaias, quò ipſam mortem de mortis enuntiatione depellat, & felicitatem de timore infelicitatis producat: *Morieris tu, & non viues.* [4.Reg.20. v.2.] Ezechias non aſciſcit medicos, non ſolicitat ſuccorum, & herbarum peritos; ſed ad parietem conuerſus à pœnitudine quæſiuit medelam: quia culpam ægritudinis nouit cauſam: *Fleuit itaque Ezechias fletu magno*: lachrymæ peccatum extinguunt, & iam amota cauſa retractatur etiam ſententia: *Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas, & ecce ſanaui te.* Vides ſanitatem perfectam lachrymis, quæ nullatenus valeret perfici medicinis: nec mirum, quia ægritudinis cauſa non ex iis erat, quæ docta medicinæ curantur arte; ſed quæ fuerit pœnitudinis depellenda dolore: fletus attulit ſalutem, quia intulerat culpa calamitatem: *Moriens*, aiebat Tertullianus lib. 3 aduerſus Marcionem, [Tertullian.] *lachrymis annos ac tempora vita accepit: merito talem tulit actus honorem.* Quæſiuit à lachrymis, & ab humilitate medelam: quia nouerat elatione infirmitati dediſſe cauſam. *Ezechias*, ſcribit Cyrillus Alexandrinus lib. 3. in Iſaiam cap. 38. [Cyrill.] *abductus eſt breui, vt Hebræorum filij aiunt, & animo magno elatoque fuit, ac in ſuperbiæ laqueos incidit. Hanc ob cauſam ex amore virgam ei intentauit Deus.* Agnouit Deum offendiſſe ſuperbia, & humilitatis ac fletus applicuit vulneri medicinam.

79. Quàm aliter Philiſthæis cōtigit! Detenta apud ipſos arca durè illos percuſſit & idolum de throno ad terram deiecit. [1.Reg 5. v.3.] *Ecce Dagon iacebat pronus in terra*: ne caſum arcæ adſcriberent virtuti, adſcribere maluerunt caſui: idolum reſtituunt; ſed dum auidius eius ſatagunt fulcire gloriam, adaugent imprudenter miſeriam: nam Arca iam non ſolùm throno detrudit, ſed etiam capite & manibus ſpoliauit: *Inuenerunt Dagon iacentem ſuper faciem ſuam in terra coram Arca Domini; caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abſciſſæ erant*: grauius idolo parant excidium, dum excidium reputant caſum: ſecundæ deiectionis notam prorſus vitaſſent; ſi primi caſus occaſionem nouiſſent, at dum ignorant, inſtant, & dum inſtant, infelicitatem aggrauant. [Abul.] *Cognouerunt hac vice*, ſcribit Abulenſis q. 12. *viri Azotij quòd Deus Hebræorum humiliauit Deum ſuum.* Secundum Numinis ſui caſum non tuliſſent, ni cauſam primi ignoraſſent; at dum priùs iacuiſſe caſu putarunt, & throno reſtituerunt, & de ignoratione cauſæ cauſam addiderunt miſeriæ.

---

§. XXI.

Virtutis via cito deſeritur, in vitiorum tramite prolixum tempus inſumitur.

80. EA eſt virtutis pulchritudo, ea eſt æquitatis honeſtas, vt vel fabuloſis diis commendabilis fuerit, nec idolorum cultores inter tot errorum deliria virtutem auſi fuerint diis odioſam dicere, aut à deorum cœtu relegare. *Gaudebat iuſto ſapienteque Diua Minerua*, aiebat quidam apud Plutarchum de audiendis Poëtis. Additque, *Huiuſcemodi elogium dat, non diuite vllo, non formoſo, nec robuſto deam gaudentem; ſed prudente: & iuſtè fingens demonſtrat vnum ex rebus noſtris diis acceptum & diuinum virtutem eſſe.* [Grata Deo pulchritudo virtus eſt.] Placet virtus; verùm Deo, non hominibus: hi namque ea vitiorum caligine ſuffuſi ſunt, vt eius venuſtatem non videant; imò tolerari poſſet, ſi eodem modo circa voluptatem ac virtutem cæcutirent; verùm neſcio quibus præſtigiis vitiorum illis abſcondantur errores, & ſolùm euanidæ appareant vtilitates, cùm è contra in virtute ſolùm aſpexerint, ſi quæ dura, nec viderint quæ formoſa. Hinc naſcitur, vt ad virtutem non ſine coactione trahantur, cùm vitia ſtudioſa auiditate ſectentur. Aliquando virtutis arripitur via occaſione ſtimulante, aut ratione ipſa cogente; verùm vt violenta diu durare nequeunt, citò deſeritur, aut fugitur, aut contemnitur. E contra vitium vel cum eluſis opportunitatibus euaneſcit, votis ambitioſiſſimis procuratur, & reluctans apprehenditur. Ex rebus noſtris acceptum Deo, diuinumque virtus eſt; ſed quod Deo acceptum, homini inuenitur odioſum, vt vitium Deo ôdioſum homini probatur gratum. Ecce Hebræi variis, frequentibuſque calamitatibus fracti virtutem amplecti conati ſunt; ſed citiſſimè faſtidierunt per eius itinera gradi, & greſſibus firmis procedere. [Iudic.2. v.17.] *Citò deſeruerunt viam, per quam ingreſſi fuerant patres eorum.* Non ait ingreſſos non fuiſſe; ſed à recta illa via quam breuiter declinaſſe. Hi ipſi traditi Chuſan Raſathaim Regi Meſopotamiæ longo tempore iugum tulerunt: *Seruieruntque ei octo annis.* Expende quam longo tempore Meſopotamiæ vias triuerint, quàm citò virtutis tramitem deſeruerint: adhuc laboribus agitati, adhuc ærumnis preſſi, adhuc ſeruitute viliſſima obſcuri à vitiorum via nolebant fugere: quia ſtuduerant tenaciſſimis greſſibus inhærere; at virtutis itinera leuibus adeò veſtigiis premebant, vt ferè non imprimerent, ne inhærerent. Non ſolùm effecti ſunt venales multi eorum, ſcribit Caietanus; [Caietan.] ſed manentes in vrbibus ſeruierunt regi. Vitio prolixis annis ſeruitur, & exiguo tempore virtus colitur: vtque verbo vno dicam, homines vitiorum ſunt incolæ, virtutis & rarò hoſpites.

81. Quale hominum fuerit ingenium erga vitium virtutemque, nubes illa, qua vſus Dominus populum ductabat, & quem anxiis votis depoſtularunt, vitulus oſtenderunt. De ergaſtulo extractos non ſine prodigiorum ſumptu,

non

non ſine admiratione naturæ Dominus dirigebat, nube vſus, quæ ſolaris lucis die æſtum temperaret, & tenebroſos horrores nocte depelleret. *Dominus præcedebat eos ad oſtendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis.* Et cur aliam ſpeciem non induit; ſed nubis, quandoquidem nubes facilè vento acriùs aſpirante diſpergitur, & candente ſole ſæpiſſimè diſſipatur? Nonne opportunius eſſet ea vti materia, quæ & temporum fruſtraretur adſultus, & fragilitatis neſciret caſus. O ſapientiam immortalem. Eam ſecuturis ſpeciem obiecit, quæ illos non exaſperaret; ſed commodius alliceret. nollent ſequi virtutem, ſi multo tempore duraturam putarent: nubem ſequuntur, quia citiſſimè credunt diſſoluendam, aut ventorum flatibus diſſipandam: quia ad modicum tempus ſibi ductricem promittunt nubem, quamuis non ſine faſtidio tendunt, aliter non ſecuturi, ſi prolixiori tempore duraturam putarent, aut materiam ſolidiorem viderent. Huc voco quod aiebat Zeno Veronenſis ſerm. 2. de Exodo: *Columna nubis te perduxit per diem, vt oſtenderet cæcum, ignis columna per noctem, vt admoneret arſurum: Angelus præuius tua caſtra promouit vt etiam præſenti Deo probareris ingratus.* Præuius nube Angelus caſtra promouit; ſed nube obtectus, ne populus fugeret exaſperatus: per diem promouit: vtque ſi ſuccus eſt infirmis cibū faſtidientibus paulatim offerre, ac induſtria cautela quodammodò fallere, ita Angelus ſe per diem, non per annum offerebat ductorem, quo induſtriè temperaret faſtidium, & conſequeretur faciliùs votum: neceſſum erat breuem viam oſtendere, & viatores, ſi fas eſt dicere, fallere. Iam ſi placet poſt hanc faſtidioſam virtutis ſequelam, qualem ſibi ducem conflauerint, non ſine ſumptu, perpende.

Zeno.

82. Aberat Moyſes in Sinæo cum Deo agens, & de condendis legibus diſſerens, cum populus idololatriæ furore correptus deos ſibi producere quærit, & Aaronem adurget: *Fac nobis deos, qui nos præcedant*: ille timori cedens, aut ambitioni ſtudens vitulum conflauit aureum: *Fecit ex eis vitulum conflatilem.* Gloſſa Interlinearis apud Lippomanum ait vitulum aureum conſtruxiſſe, vt ſe inſanis populi votis attemperaret. *Aliud*, inquit, *forſitan idolum non ſuſciperent.* Et quare non ſuſciperent aliud? Quia illorum deſideria vitium idolumque ſuſpirabant, quod tempora non ſentiret, nec de materiæ fragilitate cultores angeret: idolum expetebant firmiſſimum, duraturum, & qui virtutem quaſi perfunctoriè ſecuti, vitium æternare ſtudioſiſſimè ſunt conati. Aaron etſi impiè, prudenter tamen populi ſe votis accommodauit: quia ſi formaſſet de argilla, idolum non ſuſcepiſſent, quandoquidem non inhiabant ſolùm vitio; ſed durationi; at è contra Deus, ne illos aut fugaret, aut tædio afficeret, eam oculis materiam obiecit, quæ ſequentibus diuturnam ad ſpeciem non promitteret durationem, aut longæuam perpetuitatem. *Aliud forſitan idolum non ſuſciperent*, ſcilicet de luto conſtructum, aut de materia fragili elaboratum. Imo vt videas quam anxiè vitiis ſe addixerint, animaduerte in ipſo vitij exercitio vitium diſcupere, & perpetuitatem curare. De lynce aſſeritur, etiam dum aliquo paſtu fruitur, oculos in alium dirigere, ſimulque ſe præſenti oblectatione nutrire, & alterius anhelo deſiderio inardeſcere. Hi ergo lyncis ad inſtar etiam cum idolo inſeruiebant, vlteriora idola anhelis votis, deſiderabant, quod voce clariſſima deprompſerunt: *Hi ſunt*, inquiunt, *dij tui.* Quod expendens Ambroſius apud Lippoman. ait: *Cur caput vituli exierit, ſequentia docent: quia ſignificabatur futurum quod Ieroboam poſteriore tempore hoc genus ſacrilegij induceret, vt populus Hebræorum adoraret vitulos aureos.* Vel cùm præſenti ſe vitio impendunt, vlteriora vitia ſitiunt, & mente iam tractant de futuri criminis opportunitate, vel cum fruuntur vitio præſente. Adhæc ſi circumſtantias expendas, quanta fuerint erga vitium anxietate inflammati, quantoque tædio erga virtutem affecti, clarè deprehendes, quandoquidem opus eſt virtutem illis mellire, & ſi quid in ea laboris abſcondere, cùm vel perſpectos vitij horrores ſitiant, & auidiſſimis conatibus ambiant. Ecce Deus nube incluſus temperatis vmbris, & placidis luminibus ſequentes prolectat: *Per diem in columna nubis, & in columna ignis per noctem*: cum Moyſes de monte deſcendens, vitulum nigras in fauillas reduxerit, & potandas populo dederit: *Arripiens vitulum, quem fecerant, combuſſit, & contriuit vſque ad puluerem, quem ſparſit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Iſrael.* Non adeò mirum eſt populum vitulum aureo nitore fulgentem adoraſſe, vt nigros cineres combibiſſe, quandoquidem nitore alibi prolectabantur, alibi verò obiectis honoribus frænabantur; verùm ea erat vitiorum ſitis, vt turbidiſſimam aquam auido ore combiberent, nec obiectis horroribus vota inſaniſſima temperarint: tantus erat vitij appetitus, adeò exiguus virtutis erat affectus. Qui vrgentiſſimis febribus tenentur, ſi deſit alia, turbidiſſimam aquam appetunt vehementiſſimè, & caloris exceſſus, qualitatem inaurat potus. Ita ergo Hebræi ardenter adeò vitia ſitiebant, vt vel fauillarum nigredinem hianter haurirent, & horrores ipſos vorarent.

Exod. 32. v. 4.
Gloſſa.
Ambroſ.

Lot eiuſque vxor Sodomam inhabitabant, 83.
cúmque Dominus apud ipſos hoſpitio exceptus appetens Pentapoli flammarum denuntiaſſet excidium, ſurdis quodammodò auribus nuntium excipiebant, conſcientiam corrumpentes, aut varias excuſationis cauſas colorantes. Angeli vi extrahunt, & manibus apprenhenſos periculo eripiunt. *Diſſimulante illo apprehenderunt manum eius, & manū vxoris eius, ac duarum filiarū eius, eo quod parceret Dominus illi, eduxeruntque eum, & poſuerunt extra ciuitatem.* Iam extractus, vt ſibi liceret ad ciuitatem proximam tendere poſtulauit: *Eſt ciuitas hæc iuxta ad quam poſſum fugere.* Annuit indulgentiſſimus Dominus. Quid tunc? Vxor oculos ad incendium flectit, & ſupplicium ſalis incurrit: *Reſpiciens vxor eius poſt ſe verſa eſt in ſtatuam ſalis.* Expendamus, ſi iuuat, cur tam ſpontaneè nulloque cogente in via ſubſtiterit, & oculos ad ciuitatem direxerit, quæ iter illud adeò coactè eſt ingreſſa, & penè violenter educta: ſi ciuitatem petens ſalutem aſſequitur: ſi Sodomam incolens grande periculum patitur, cur Sodomæ inhæret, & cur grauibus adeò veſtigiis fugit? Nec cogente violentia videbatur in itinere detinenda, vt periclitantem ciuitatem nullo impellente cuaſura; & tamen ad deſerendam ciuitatē fuit violentia opus, & ad Segor petendū adhuc ſatis non fuit violentia. Et quæ huius diſcriminis cauſa eſt? Quia dum Segor petit, præceptis Dominicis paret, dum ciuitatem ſpectat, cupiditatibus

Geneſ. 19. v. 16.

Digitized by Google

tatibus ſeruit: ergo dum viam virtutis ingreditur, citiſſimè laſſatur;at in Sodoma vitiorum metropoli, voluptatis emporio, ac deliciarum theatro ſic immorabatur iucundè, vt educta non fuerit niſi violentè. Citò deſeruit ſalutis viam, à rationeque citiſſimè deuiauit, cùm ferè concarnata, & agglutinata Sodomæ ſæcula poſuerit, & eius deliciis niſi cogentibus Angelis, nullatenus renuntiarit. Adeſt Caietanus: *Diſſimulante illo, iuxta Hebræum habetur: Et tardauit, in quo manifeſtè apparet tepor Lot.* Ecce quàm tardat Lot, vxorque eius, vt à vitiorum tramite deflectant,& viam ſalutis arripiant, cùm citò à ſalutis via mulier deuiarit, & oculos ad Sodomam iterum flexerit.

Caietan.

84. Abrahamum iubet Deus hoſtiam offerre de filio: *Tolle filium tuum,quem diligis Iſaac:* Meram celauit, quo virtutem patientiæ oſtenderet: poſt tres dies locum vidit: *Die tertio eleuatis oculis vidit locum procul.* Quod expendens Origenes apud Lippomanum ſic ait: *Omitto nunc quid ſacramenti contineat dies tertia.* Sapientiam & conſilium tentantis intueor: ſic in proximo non erat mons aliquis, cùm totum ageretur in montibus; ſed per triduum iter protenditur? Ad obedientiæ exemplar Deus Abrahamo imperat ſacrificium, & ad perfectionis pompam temporis producit ſpatium, quo nouerint futura ſæcula ea perfectione Abrahamum floruiſſe, vt per triduum obedientiæ ſtuduerit, nec à recto virtutis tramite deuiarit: adeò arduum eſt diu viis honeſtatis inſiſtere, nec aliorſum obliquatum greſſum deflectere, vt Abrahami virtus eximia deprædicetur non ſolùm de ſacrificio; ſed de itineris ſpatio: erat enim non vulgare per triduum virtutis viam carpſiſſe, & conſtanter gradiendo perſeueraſſe.

Gen.22.v.2

Origen.

---

§. XXII.

Principes virtutibus ſibi emunt victorias, vitiis fabricauere catenas.

85. Virtus non ſolùm animi ornamentum eſt: putabis me fallere, etiam eſt voluptatis officina, & honeſtæ vanitatis materia: bona falſa multi pro veris habent, & velut longo fallacique ſomno deluſi virtutẽ ſibi depingunt exſuccam,horridam,vultu trucem,aſpectu ſæuã, & denique omni gaudio,& omni voluptati inimicam; falluntur tamen: gaudent namque magni viri virtutis brauiis, & honeſtatis lautiſſimis præmiis.Quid glorioſius Principi, quid iucũdius, quàm hoſtes ſubigere,& verticem nunquam morituris lauris coronare: hoc ergo virtute emitur, honeſtateque comparatur. *Si hoc places ad beatam vitam ire*, ſcribit Seneca de beata vita cap.14.*comitatum, virtus antecedat,comitetur voluptas, & circa corpus vt membra verſetur: virtutem quidem excelſiſſimam omnium voluptati tradere ancillam, nihil magnum animo capientis eſt: prima virtus ſit, hæc ferat ſigna, habebimus nihilominus voluptatem.* Vera voluptas eſt virtutis appendix, & conſequentia: quis credat poſſe à virtute obtineri, quod ab ambitione conſtat ſolicitari? Vis mundiali fulgere gloria, ſtude virtuti: hæc enim fœcunda lætitiæ mater gloriam, gaudium, & hilaritatem parit. Profectò qui voluptati, ambitionive obſequuntur, vtroque ſolent carere, & virtutis lucro, & ambitionis voto. Plures non ipſi voluptatem; ſed ipſos voluptas habet, cuius aut defectu torquentur, aut exceſſu ſtrangulantur. Ecce Hebræorum populus, dum voluptatis eſt ſecutus inſaniam, duram ſibi inuenit catenam: *Iratus contra Iſrael Dominus tradidit eos in manus Chuſan Raſathaim.* Hebraica littera habet: *Vendidit eos:* & quo pretio? Exiguo quidem: nam Chuſan vri veritatis hoſtis cultor nullatenus fuerit virtutis: verùm ſic peccatores vileſcunt, vt nec nauci valeant,ideoque ne contractus læderetur iuſtitia,minimo pretio peccatorum vendita eſt copia. Iam quale fuerit hoc pretium, quærit Caietanus, putarque Chuſan aliquam exercuiſſe virtutem, cuius pretio ſibi de Hebræis comparauit victoriam, vt Hebræus olim dominans, vitiis indulgens ſeruilem ſibi elaborauit catenam. Adeſt Caietanus: *Iuxta Hebræum habetur: Et vendidit eos: tum quia in ſeruos venales dedit, tum quia pro pretio alicuius boni operis, quod fecerat ſubiunctus rex, dedit eos.* Virtuti aliquando ſtuduit, & quod ab armis non obtineret, facilè à virtute impetrauit. Victoriæ emit gloriam virtuti obſequens, & quidem citiùs quàm à potentia, aut ab ambitione obtineret. Contrariæ cauſæ contrarios pepererunt effectus: Hebræus vitiis inſeruiens fabricauit ſibi catenam, allophylus emit virtute victoriam: vt noueris & plauſum, & victoriæ lætitiam à virtute pari, & ab honeſtate obtineri.

Seneca.
Virtutis ſolida comes eſt voluptatis.

Caietan.

Ezechiël c.29. Pharaoni viliſſimam prænuntiat ſeruitutem, vt Nabuchodonoſori victoriæ gloriam, & triumphorum excellentiam: *Ecce ego ad te Pharao rex Ægypti: draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum*, &c. Et ponam frænum in maxillis tuis. Ecce qui deitatis præſumptione turgebat, collum inexpertum iugo ſubiecit, & ora fræni dedecori contumelioſiſſimo tradidit: cùm eodem tempore Pharao triumphis rediniatur, & exuuiis hoſtilibus diuitetur. *Ecce ego dabo Nabuchodonoſor regem Babylonis in terra Ægypti, & accipiet multitudinem eius, & deprædabitur manubias eius, & diripiet ſpolia eius, & erit merces exercitus illius.* Si Pharao iniectis catenis luget,cur Nabuchodonoſor manubiis ditiſſimis gaudet? Explicuit textus:quia aliter, ſcilicet Pharao totus ſuperbiæ, totus ambitioni, totus ſeruiuit impietati; at Nabucho quid Deo gratum fecit, cuius pretio emit victoriam,& victoriæ ſibi comparauit lætitiam: Erit merces exercitus illius. Profectò victoria non erat copiarum, armorum,militariſue fortitudinis merces,quandoquidem illa priuatus eſt Pharao, cuius militaribus copiis tellus inueniebatur anguſta, & cuius armis quæuis exigua videri potuit victoria: virtutis alicuius nummo Nabucho emit immortalibus redimiri lauris, & hoſtilibus diteſcere exuuiis: non obtinuiſſet à militari robore, quod obtinuit à virtute. Adeſt Hieronymus ibi: *Cum Nabuchodonoſor mercedem accepit boni operis, intelligimus ethnicis,ſi quid boni fecerint,mercedem red di.* Ecce boni operis merces,victoria, exuuiæ,diuitiæ: & ecce malignitatis ſupplicium à ſolio detrudi, & ſeruitute mulctari: Pharao propriis oppugnatus vitiis 86.

Ezech.29. v.3.

Hieron.

Digitized by Google

vitiis ſibi inexpertam calamitatem ſuſtinuit, Nabuchodonoſor ob virtutem detriumphauit. Boni operis redditur merces victoria, vt culparum eſt ignominia.

87. Zara & Phares vterini fratres in materno pectore de principatu certabant; vitam non verebantur expoſuiſſe diſcrimini, quo arcanæ inſeruiuerint ambitioni; verùm Zara viribus præualens primogenituram fratri præripuit, & manum in

Geneſ. 38. v. 27. triumphi ſignum leuauit: *Vnus protulit manum, in qua obſtetrix ligauit coccinum dicens: Iſte egredietur prior.* Rubeum illud filum vires adeò eneruauit, vt qui prior eſſe cœperat fortitudine, iam delituerit ligatus, & ſeruituti fratris ſubiectus: tunc Phares viribus ad ſpeciem impar primogenituræ prærogatiuis potitur ad faſtigium dignitatis elatus, & fratri validiori præpoſitus. Rogant Patres; cur Deus voluerit Zaram in victoriæ argumentum manum oſtentaſſe, & poſteà ligatam, & quaſi vinctam ad maternas latebras reduxiſſe: cur Phares; qui viribus probabatur inferior, excellentiis lucet glorioſior? Adeò antiquum eſt deteriores anteferri, & nobiliores poſtponi? O vtilem nobis eruditionem! Rubeum illud coccinum erat ſanguinis Dominici fundendi ænigma: vtque omnibus conſtaret Zaram plus tardari crimine, quàm iuuari fortitudine, tuncque potiri excellentia, quando carebat & culpa, antequam ſanguine pollueretur, vicit glorioſus; ſed ſanguine maculatus iam fratri ſeruiuit vinctus. Phares, ſi vires corporis ſpectaueris, ſeruus erat futurus; ſed qui à natura ſeruus, à virtute inuentus eſt Do-

Rupert. minus: *Manum coccino ligatam citò retraxit*, ſcribit Rupertus apud Lippoman. *Id eſt conſcientiam*

Diodorus. *Chriſti ſanguine pollutam auertit.* Annuit Diodorus ibi: *Animaduertendum eſt quod natura quidem primogenitus erat Zara, qui prior manum protulerat; at verò Deus ipſi Phares tribuit Principatum, ex quo genus Regium profectum eſt, & Dauid, & ad poſtremum etiam Dominus.* Si vires conferas, Zaræ victoriam adſcribes; verùm dum polluitur conſcientia, & adſtringitur ligatura, actione ſibi fabricauit catenam, qui à viribus primogenituræ obtinuerat gloriam. E contra dum Phares Chriſti ſanguinem non effundit; ſed infundit, regia dignitate exornatur, & quod nequiuerat viribus obtinere, inuentus eſt actionibus impetrare, vt noueris theſim noſtram eſſe veriſſimam, ſcilicet plures ſibi vitiis elaboraſſe catenam, & virtutibus obtinuiſſe victoriam. Phares Chriſto inſeruiens, ac illi ſanguinem ſubminiſtrans obtinuit virtuti inſeruiendo, quod obtinere non potuerat certaminibus depræliando; at Phares quamtumuis robore armatus, dum conſcientiam polluit, & vinculis manum inſeruit.

88. *Solue vincula colli tui*, aiebat propheta, *capti-*

Iſai. 52. v. 2. *ua filia Sion* Inutile perfunctoriumque videri poterit conſilium, quando captiuis vincula rumpere non eſt liberum, vt ſuſtinere eſt moleſtum: ſi ab aduerſariis premitur, quomodò diſrumpet vincula, & ſeruitutis excutiet infamiam. Si captiuis fas eſſet vincula diſrupiſſe, & diſrumpendò libertatem recuperaſſe, nullus eſſet, qui violenter non diſrumperet, aut arte non prætentaſſet. Ergo propheta adhortetur Dominũ non moneat ſeruum; imò ſeruum monet, inquit Interlinearis: quia hæc captiuitas non tam de tyranni fortitudine, quàm de ipſius captiuæ promanabat actio-

Interlin. ne: *Solue vincula, id eſt peccata* Peccata vincula elaborarunt & ceruicibus iniecerunt. Quæ olim gloriæ veſtibus induebatur, modò captiuitatis ſubit miſeriam: quia & peccati non vitauit ignominiam: ſibi ipſi vincula iniecit, & pro arbitrio poteſt diſrumpere: quia & victoriam poteſt ſibi virtutibus comparare. O quot ab origine felices, à fortuna prædiuites, naturæ partibus excellentes, ſibi vincula miſeriæ, dolorum, calamitatumque elaborarunt, dum voluptatibus inſeruierunt!

Quàm verè, & quàm benè teterrimus ille virtu- 89.
tum hoſtis Goliat, dum quemque Hebræorum optimum ad certamina prouocaret, victis catenam promiſit: Eligite ex vobis virũ, & deſcendat ad ſingulare certamen: ſi quiuerit pugnare mecum, & percuſſerit me, erimus vobis ſerui: ſi autem & ego præualuero, & percuſſero eum, vos ſerui eritis. In gigante illo vitium adumbrari tradunt interpretes. Ita Gloſſa moralis: *Hic agitur* 1 Reg. 17. v. 8.
de duello Dauid contra Goliath Gethæum, per quod Gloſſa.
ſignificatur allegoricè pugna contra diabolum: Iurè *Multis vitiis ſubiectum premitur, qui ab vno vincitur.*
ſeruitutem minatus eſt: ille namque quem diabolus percutit oblectando, quem decipit blandiendo, Philiſthinis opus eſt inſeruiat, & dum ab vno percutitur, vitiorum agminibus ſubiugatur: qui vni vitio manus dedit, & vitiis multis inſeruiet. Vide ergo quomodo ſibi elaborarit catenam, qui cum vitio imbellis decertat: dum vitio ſuccumbit, & imperium ad Philiſthinos tranſmittit. E contra verò Dauid virtute ſibi coronam emit, dum contra vitium inſurgit. Itaque Dauid non armis; ſed diabolum proculcando de Philiſthinis illuſtriſſimam eſt adeptus victoriam, & Saul dum non pugnat, iamiam ſubibat catenam, non poterat Saul ſine Chriſto in Dauide figurato firmare regnum, nec Philiſthium non vinceres ſeruitutis frangere iugum: dum Saul Dauidem ſortitur, iam & exuuiis ditatur: dum Dauid aberat; iamiam & ſeruitutem ſubibat: vt noueris de virtute emi victoriam, vt de inopia virtutis ſeruilem fabricari catenã. Non potuit non audire ſeruus, qui à gigante hoc eſt à vitio percuſſus, nec potuit non emere de Philiſthinis victoriam, qui Chriſti geſſit figuram, Dauid dum aſſimilatur Chriſto, ſortitur victoriam, Philiſthæus, dum ſecum habet gigantem, ſubit catenam. Itaque ſiue Dauid viri geſſerit perſonam perfecti, ſiue Chriſti, noſtram eodem modo comprobat theſim: nam dum Chriſti ſpeciem refert, Saul Chriſtum in exercitu habens, hoc eſt virtutem, reportat triumphum, & Philiſthæus gigante hoc eſt vitio armatus ſeruitutis ſubit iugum: aut, ſi inter gigantem & Dauidem fiat comparatio, Dauid obtinet de virtute victoriam, Philiſthæus de crimine ſubiuit miſeriam.

§. XXIII.

Angelorum ſolicitudine diffugiunt ſæpiſſimè aduerſa, & aſciſcuntur felicia.

Rem facit optimã, & ſibi ſalutarem, qui laudabili obſtinatione, & honeſta duritie ſuſpi- 90.
rat ſemper honeſtum. Pete à te quod impetrare à te potes: neceſſum non eſt in cælum conſcēdere, aut exorare æditumm, vt nos ad Numinis aures quaſi magis exaudiendos admittat: prope eſt cuique Deus, intus & exteriùs: quæcũque occurrunt nobis, ni caligãtibus oculis aſpiciamus, diuinitatẽ vocitant, & nos ad virtutem ſolicitant; verùm ea mortales amentia poſſidet, vt à quo recedere non poſſumus corpore, affectu ſæpè fugiamus:

mus: ambitioſè quærimus nocitura, & nobis ipſis elaboramus induſtriè ingentiſſima detrimenta: vt pueri pædagogo indigent, ne monilia pretioſa lapillo maculis diſtincto commutent, vt pericula ſæpè ſibi non conſtruant, ita homines improbitatis præſtigiis repueraſcentes opus habent pædagogo; cuius conſiliis admoniti virtutem ſuſpirent, & veram felicitatem agnouerint. Et quidem diuina prouidentia paternum adeò in homines amorem pectore fouet, vt pædagogos nobis deſtinet ſactos ſpiritus, quorum regimine vitemus aduerſariorum fallacias, quorum ductu blandas fruſtremus vitiorum inſidias: *Sacer intra nos*, aiebat Seneca epiſtol. 41. *Spiritus ſedet malorum, bonorumque noſtrorum obſeruator, & cuſtos .... An poteſt aliquis ſupra fortunam, niſi ab illo adiutus exurgere? ille dat conſilia magnifica, & erecta.* Itaque ſacer ſpiritus bona noſtra cuſtodit, malaque depellit: cælo adeſt; ſed in noſtrum etiam aduentat auxilium, & vires imbecillis ſuppeditat. *Vis iſtuc*, addit Stoicus, *diuina deſcendit, animum excellentem, moderatum, omnia tamquam minora tranſeuntem: quidquid timemus, optamuſque, ridentem cæleſtis potentia agitat: non poteſt res tanta ſine adminiculo Numinis ſtare. Itaque maiore ſui parte illic eſt, vnde deſcendit: quemadmodum radij Solis contingunt quidem terram; ſed ibi ſunt, vnde mittuntur: ſic animus magnus & ſacer, & in hoc demiſſus, vt propius diuina noſſemus, conuerſatur quidem nobiſcum; ſed hæret origini ſuæ: illinc pendet, illuc ſpectat, ac nititur, noſtris tamquam melior intereſt.* Melior nobis intereſt, vt meliores faciat, vt malis noſtris opituletur, vt felicitatem ſuffulciat, vt à recto virtutis tramite aberrantem hominem dirigat, propriaque vigilantia ſocordiam noſtram depellat. Ecce Hebræorum populus eius ſolicitante nequitia Chuſan Raſathaim improbanda patientia ſuſtinet durum imperium, nec ignominioſum molitur frangere iugum, donec Othoniel arma ſumere conſiliis crebris impellit, & ad clamores, quibus à Deo opem implorauerint, vtilis irritator adducit: *Suſcitauit eis Saluatorem, & liberauit eos, Othoniel videlicet.* In Othoniele ſacrum Angelum deſignari tradit Origenes homilia tertia in Iudic. *Quoniam diximus ſpiritalem quemdam intelligi poſſe Chuſarſaton regem, & vnum de aduerſariis, & aeriis poteſtatibus Principem, ita conſequens mihi videtur etiam Gothonielem iſtum, qui ad liberandum populum ſuſcitatus eſt, eſſe vnum aliquem de militia cæleſti, & Archangelicis turmis, qui ad adminiculum mittuntur eorum, qui hæreditatem capiunt ſalutis, & ſunt Angeli Saluatoris.* Magna ab Angelis nobis ſubſidia ſunt, quibus ardentiſſimum noſtræ ſalutis eſt votum, & honeſtè ambitioſiſſimum deſiderium.

Seneca. *Angelum in tutorem habemus.*

Non poteſt mundus ſine Numine ſtare.

Origen.

91. Iob, qui tot calamitatum ictus inuicta tulit conſtantia, in noctem illam peccati matricem laudabili inflammatus eſt impatientia: *Maledicant ei qui maledicunt diei, qui parati ſunt ſuſcitare Leuiathan.* Leuiathan ſerpens ille antiquus, vmbris protectus in vmbra calami requieſcit; dum quæ poſſidet, nullis hoſtibus perturbantur, nullis aduerſariorum inſultibus appetuntur. Somnum profectò placidum produceret, niſi dominium eius aliqui molirentur depellere, & in arma concitare: *Parati ſunt ſuſcitare Leuiathan.* Inquiramus, ſi placet, qui ſint hi Leuiathan excitatores, illi importuni; ſed nobis opportuniſſimi. Diuus Gregorius libro quarto moral. capite decimotertio de electis ſpiritibus locum interpretatur: *Maledicant ei, qui maledicunt diei, id eſt illi electi ſpiritus erroris eius tenebras damnandas denuntient, qui magnitudinem claritatis illius iam ab exordio fictam vident. Benè autem ſubditur: Qui parati ſunt ſuſcitare Leuiathan.* Ad arma ſuſcitant; imò armis inſurgunt, vt maledictum depellant. O quàm non ſolùm altiſſimum ſomnum; ſed profundiſſimum etiam letargum diu homines paterentur, ni ſancti Angeli dormientes excitarent, & quam putabant deluſi claritatem, caliginem deteſtandam oſtenderent. Non patiuntur ſacri ſpiritus peſtilenti Leuiathan ſomno homines correptos dormire: quia opportunis vocibus nituntur nociuum ſomnum depellere. Vbi noſter textus habet: *Maledicant ei, qui maledicunt diei*, &c. in tranſlatione veteri, vt teſtatur Gregorius lib. citato capite duodecimo ſic legitur: *Maledicat eam, qui maledixit diem, qui capturus eſt grandem cetum.* Verba hæc Angelis adaptari teſtatur Sanctus Doctor, cuius hæc ſunt verba: *Hac tranſlatione hac, quæ ad nos ex Hebræo eſt, Arabicoque ſermone deriuata, de electis eius Angelis memoratur.* Cetum grandem capiunt, dum eius vires imminuunt, dum captioſas eius fallacias oſtendunt, ad noſtram ſemper ſancti Angeli vigilauere ſalutem, & vitiorum depellere conati ſunt peſtem. Iam non ſolùm homines ab ignitis gehennalis hoſtis iaculis defendere; ſed ab ipſis Numinis telis liberare teſtatur locus ille Exodi 33.

Iob 3. v. 8.

Gregor.

Populus tot prodigiis de dura ereptus captiuitate, tot beneficiis obligatus prodigioſa adeò ingratitudine ſe ſibi rationique negauit, vt idolum cuderit, & victimis, thureque commentitiam eius diuinitatem veneratus fuerit: Deus in ipſa indignationis flamma miſericordiæ memor populo conſulit, & offenſis irritatus præcurſorem Angelum mittere in populi patrocinium decernit: *Mittam præcurſorem tui Angelum, vt eiiciam Chananæum, &c. non enim aſcendam tecum: quia populus duræ ceruicis es, ne fortè diſperdam te in via.* Potentiæ ſuæ videtur detrahere, cùm populum nititur Angelico præſidio munire. O quàm charitatis ſuæ commendauit ardentiſſimam flammam, dum potentiæ ad ſpeciem auerſatus non eſt iniuriam! Nonne quantumuis Angelus ad defenſionem armetur, Dominus iræ ſuæ poterit tela vibrare, & iniquos dirè punire. O mirum geminumque elogium & diuinæ charitatis, & Angelicæ defenſionis. Valet quidem Deus mulctam infligere: quia Angelus diuinæ voluntati nec reſiſtere poterit, nec audebit: at vt noſceremus quàm Angeli diuinam indignationem precibus ſopiant, quàm ſe miſericorditer cum hominibus gerant, ſuæ ipſi indignationi prouidenter adhibuit obſtaculum, dum Angelicum populo adeſſe voluit ſubſidium: *Magna ſacramenti, & mira profunditas*, ſcribit Auguſtinus quæſt. 150. *tamquam miſericordiam maiorem poſſet Angelus habere, quàm Deus, qui populo duræ ceruicis parceret, cui Deus, ſi cum illis eſſet, non parceret.* Deus dum punit, iudicis adimplet officium: dum indulget, patris implet miniſterium; at Angelus, ni innoxiè homines perduxerit, non videtur miniſterium præcurſoris impleuiſſe, munuſque conſummaſſe: 92.

Exod. 33. v. 2.

Auguſt.

Digitized by Google

ſummaſſe : ergo vt ſuo muneri ambitione laudabili ſatisfaciat, diuinam iram precibus humillimis frænat, & peccatores ad reſipiſcendum exagitat. Vel contra ipſum Deum, dum defenſorem ſortitur Angelum, populus habebit auxilium.

Hugo. *Ne diſperdam te*, addit Hugo de Sancto Victore apud Lippomanum, *iratus aliquando tua ſtultitiâ*. Certè ſi populus Angelum non haberet, ſtultitia diuinam indignationem flabellante periret; at ſi adfuerit Angelus, habebit ſapientiam, quæ miſericordiam exoret, quæque indignationem frænet.

93. Iſai. 17. v. 1. *In illa die*, aiebat Iſaias, *viſitabit Dominus in gladio ſuo duro, & grandi, & forti ſuper Leuiathan ſerpentem vectem, & ſuper Leuiathan ſerpentem tortuoſum, & occidet cetum qui in mari eſt: in die illa vinea meri cătabit ei*. Dum Leuiathan luget, vinea meri pompaticè floret: Leuiathan namque falsò impoſſibilia promittens deprædatus eſt poſſibilia: tortuoſus ſerpens tortitudine fluxa ſuadet mollitiem, & in ipſa mollitie duritiæ rigiditatem: quos per blanditias decipit, ipſis blanditiis contra virtutem indurat: vinea meri nec redimiri gratis valebit floribus, nec protenſis dilatari palmitibus, nec aureis dulciſſimiſque fœcundari racemis: dum Leuiathan eius inſidiatur felicitati, & aduerſatur nitori; at dum Dei gladius, ſacer ſcilicet Angelus, adminiſtratorius ſpiritus ſerpentem ferit, vinea depulſo timore floret:

Gregor. *Ille apoſtata Angelus*, aiebat Greg. citato cap. 13. *qui ita conditus fuerat, vt Angelorum cæteris legionibus emineret, ita ſuperbiendo ſuccubuit, vt nunc ſtantium Angelorum ditioni ſubtractus ſit*. Addit ſtatim Gregorius: *Hi electi ſpiritus ſuperbum apoſtatam comprimunt, qui humiles hunc ſequi noluerunt*. Comprimunt Angeli Leuiathan vafritiem, effumigatumque in obſcura antrorum latibula abdi compellunt, & iam victo relegatoque ſerpente vinea meri viridibus pampinis floret ornata, & fructibus diteſcit ſaporatis oppleta. O quanta Angelicis ſpiritibus beneficia debemus! Concupiſcentiæ ardorem temperant nube interpoſita, noctis depellunt tenebras ſplendore luculentiſſimo, panem ſaporatum irrorant, ſtupentes maris vortices ad ſecuritatem ſuſpendunt, ac denique ſuos clientulos ad nidulos fortunatiſſimos ducunt. Inceſſanter Deo gratias debemus agere, quod noſtram ad tutelam ſacram adeò diſpoſuerit cuſtodiam, noſque erga ipſos Angelos tenemur exhibere gratiſſimos, à quibus & ſalutis effugantur pericula, & vitæ animæque innumera proueniunt commoda. Adde de ſuis erga Deum exhibitis officiis nobis auxilium comparare, & hoſtiles manus reprimere.

94. Dan. 7. v. 10. Audi Danielem hanc mirè veritatem pingentem: *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant: iudicium ſedit, & libri aperti ſunt. Aſpiciebam propter vocem ſermonum grandium, quos cornu illud loquebatur, & vidi quoniam interfecta eſſet beſtia*. Beſtia horribilis ferreis dentibus obarmata omnia comminuens, & comminuta pedibus proterens timorem mortalibus incutiebat, verbiſque grandiſonis blaterabat, & intempeſtiuis minis animos audientium premebat; hæc tamen beſtia interfecta dicitur; ſed quo gladio, interfecta non videtur: audiuntur Angelorum exhibita officia: *Miniſtrabant*, inquit, *ei*; ſed inferri non videtur ſerpenti plaga: quo ergo vulnere deperiit? Sanè Angelorum officiis: ſuas namque virtutes ad defenſionem noſtram conuertunt in arma, & aſſiſtentes Deo ſerpenti altiſſima figunt vulnera.

Damian. Adeſt Petrus Damianus lib. 1. epiſtola 17. *Ad hoc Deo miniſtrant, vt nos ab iniquorum ſpirituum impugnationibus protegant: vnde & Paulus ait: ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos qui hereditatem capiunt ſalutis: nec enim verſutia tam callidi, tam exercitati hoſtis poſſet fragilitas humana reſiſtere, niſi eos à tentationibus electorum virtus Angelica propulſaret*. Deo inſeruiunt, & inenarrabili charitate pro virtutum ſtipendiis noſtram ſuſpirant ſalutem, & de Numinis aſſiſtentia truculentiſſimam ac ſæuiſſimam beſtiam inſanabili occidunt plaga. Ecquis iam affectuoſa cordis deuotione ſacros non veneretur ſpiritus, ob quos tam copioſos temporalis & æternæ felicitatis demeri conſtat prouentus.

---

§. XXIV.

Princeps populi eſt ſalus, dum priùs armatur in vitia, & poſteà in aduerſarios apprehendit arma.

95. OPtimo Principi primum cum ſubiectorum vitiis certamen erit, & prælium poſteà cum aduerſariis inibit: parum iuuat immetatas militum copias cogere, & in campum proſilire, ſi quod præcipuum eſt, negligitur, & animorum reformatio poſtponitur. Prima regentis laus non eſt reportata ab hoſtibus laurus, ſed moribus reformatus populus.

Plutarch. *Vbi viget iuſtitia, ibi habitatio, ſecura.* *Leon Euchratide interrogatus, qua in vrbe habitare queat quis ſecurè* (verba ſunt Plutarchi in apophthegm.) *vbi, inquit, iuſtitia vigebit*: quod ciuitates defendit non eſt ſuperba murorum ſubſtructio; ſed virtutis cultus, & ad pietatem affectus: priùs colenda eſt iuſtitia, deinde alacriter capienda ſunt arma: nam priùs confligere cum hoſte deſpecto crimine eſt ordinem prorſus adulterare, & quæ ambitur de hoſte victoriam moribus refragantibus perdere. Scipio dum ſigna cum hoſtibus collaturus in caſtra aduentaſſet, moreſque militum corruptos vidiſſet, priùs aggreſſus eſt, & quidem prudétiſſimè noxiam correxiſſe licentiam, quam accendere pugnam: teſtatur citatus Plutarchus:

Lenones & laſciui ab exercitibus expungendi. *Poſtquam in caſtris ſub aduentum ſuum ingentem licentiam, laſciuiam, ſuperſtitionem, & luxum offendit, extemplo fatiloquos, ariolos, & lenones exegit*. Iure quidem. Scipio priùs caſtra dignis formauit moribus, quàm armatis inſtrueret militibus: nam virtus inermis vincit, & quantumuis armata laſciuia facillimè ſe hoſti ſubiecit: Deus extremis Hebræorum calamitatibus condolens iudicem excitauit, qui in antiquam libertatem aſſereret: *Clamauerunt ad Dominum, qui ſuſcitauit eis Saluatorem, & liberauit eos, Othoniel videlicet filium Cenez fratrem Caleb minorem: fuitque in eo ſpiritus Domini, & iudicauit Iſraël, egreſſuſque eſt ad pugnam*. Ecce optimam Politices formam, ecce imitandam gubernationis ideam: ſpiritu priùs ſuorum mores reformat: *Iudicauit Iſraël*: & poſteà hoſtem robore inuicto profligat: Egreſſuſque eſt ad pugnam, & tradidit Dominus in manus eius Chuſan. Fors Chuſan eius in manibus nullatenus fuiſſet traditus, ſi ordo

regiminis fuiſſet inuerſus; verùm dum ſuorum priùs attendit reformationi, & poſtea cum aduerſariis certamini, inuidioſis coronatur lauris, & copioſis diteſcit exuuiis: *Ecce modus quomodo ſuſcitauit Deus Othonielem in Saluatorem populi*, ſcribit Caietanus, Caietan. *infundendo ſcilicet ſpiritum ſuum in eum, proculdubio ſpiritum accenſiuum populi ad ſeruitutem Dei, ad vindicandum ſe in libertatem ad bellum.* Vt ſe in libertatem vindicent, non priùs adhortatur ad bellum; ſed potiùs ad morum concinnitatis ſtudium: ſicque populi Saluator dicitur, aliter hoſtium ſolùm appellari potuiſſet domitor. O quàm falluntur, qui ſe totos expendunt in cogendis militum copiis in parandis armis, in conſtruendis muris, in aperiendis foſſis, in parandis aggeribus, cùm ſe ignauè geſſerint erga reformandos mores, & ſtabiliendas virtutes, quanno Othoniel Principum exemplar priùs morum attendit ſtudioſæ reformationi, & poſteà alacriter ſtudet certamini.

96. Fallar, niſi hanc politiam & regiminis formam Deus in Dauide delinearit; iam erat prophetica manu ad regnum vnctus, cum palatium intrat dæmonem de Saulis pectore fugaturus: 1.Reg.16. v.23. *Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat: recedebat enim ab eo ſpiritus malus.* Non multò poſt cùm Philiſthiim in prælium deſcendiſſent, & ſpurius ille gigas intempeſtiuis minis, vultus ferocia, clamoris inſolentia, armorum oſtentatione Hebræorum animos perculiſſet, & timore perterritos refrænaſſet, Dauid certaminis ad ſe prouocationem rapit, & vti contra feram funda & lapidibus armatus in campum proſilit: 1.Reg.17. v.32. *Non concidat cor cuiuſquam in eo: ego ſeruus tuus vadam, & pugnabo aduerſus Philiſthæum.* Selene. Baſilius Seleucienſis orat. 15. expendit Dauidem priùs cum dæmone, & poſtea cum gigante decertaſſe, ob idque triumphum de vtroque tuliſſe: *Iam Saul à dæmoniaca vexatione liberatus erat, & lyra pulſu Dauid impurati ſpiritus dominationem fregerat, vinctamque animam ſoluerat ab inconſpicua obſidione; ſed conflictus cum Goliat dæmonis pugnæ ſucceſſit, ac ne ſolius regis ſoſpitator eſſet Dauid; verùm etiam palam de vniuerſo Iſraële benemereretur, & ſubditis allata ſalute rex ſtabiliretur, atque promulgaretur ſuum rurſus militem in bella mouebat gratia.* Ecce quomodò Dauidis regnum ſtabiliatur, dominationem ſcilicet dæmonis priùs frangendo, & poſteà cum aduerſariis pugnando. Et forſitan ob id Saulis regnum ſtabilitum non eſt: quia ille ſtudioſior, acriorque fuit, quàm in ſubiectorum moribus reformandis, in aduerſariorum phalangibus deterrendis. Ergo Othoniel in Principem auguratus, quod viuidius, & efficacius curauit, fuit populum exhortationibus, & exemplis ad pietatem virtutemque promouere, & ſecundo poſuit loco cum hoſtibus decertare.

97. Sub mulieris ſpecie Eccleſiæ Ioannes producit imaginem: Apoc.12.v.1 *Signum*, inquit, *magnum apparuit in cælo, mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim, & in vtero habens clamabat parturiens, & cruciabatur, vt pariat.* Mulieris fulgentiſſimus nitor, vt poſſet ardentiſſima flamma, draconis inuidiam aduſſit, & prælium ad inſanum armauit: *Draco ſtetit ante mulierem;* totus quidem horridus, fœdis ſquamis armatus, totus flammiuomus; verùm mulier clamores proſequitur pariendi deſiderio, non timoris conſilio: peperit tandem, cúmque draco mulierem perſequi non deſiſteret, aquilinis armatur alis, quibus ſerpentinos poſſit eluſiſſe conatus; imò & gehennales frangere adſultus: *Datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum locum ſuum, vbi alitur per tempus & tempora, & dimidium temporis à facie ſerpentis.* Quærunt Patres cur ſtatim ac ſerpens apparuit, alæ mulieri non fuerint datæ, quandoquidem videbantur opportuniſſimæ ad fruſtrandum periculum; imò ad obtinendum de ſerpente nobilem triumphum: aquila namque inimica ſerpenti illum diſcerpit, & eius ſanguine plumas nobiliſſimè tingit: priùs volet, & poſteà clamet: quia draco volantem proreptans non lædet, & clamantem vti ſuperbus deſpiciet: profectò hæc non de incuria ſic diſpoſita; ſed de arcana prouidentia: vbi namque cum dracone prælium ineundum eſt, priùs oportet Chriſtum in ſubditis parere, & poſteà militum alas inſtruere: ergo mulier ſtellis coronata, & ſtabilis regni forma non priùs curauit habere alas militibus copioſiſſimas; ſed in clamores prorumpere, quibus vitas ſubiectorum moribus excoleret reformatas: Cretenſis. *Tantiſper parturire dicitur*, ſcribit Andreas Cretenſis apud Gloſſam, *donec Chriſtus in illis formetur.* Itaque clamor ad morum reformationem tendebat. Iam in alis militares Lyra. ſignari copias, tradit Lyra. *Aquila ſignum eſt imperij Romani: ideò per ipſam intelligitur Heraclius; alæ verò eius ſunt acies ſui exercitus.* Forſitan viciſſet draco, ſi mulieri priùs eſſet grande circa aquilinas alas ſtudium, & poſteà clamoris, adhortationiſque magiſterium; at vbi prima cura fuit Chriſtum in cordibus parere, & poſteà militares phalangas in campum producere: ſerpens compulſus eſt ima petere, vbi contractus, & proprio ſanguine tinctus vires extimeſcat inuictas, & lauros ab inimico doleat reportatas. Primum, maiuſque regnorum ſtabilimentum eſt iuſtitiæ cultus, & populus concinnis moribus reformatus. Diſcant ergo Principes regeſque ſtudioſius conſulere, vigilantiuſque prouidere erga ſubiectorum mores, quàm erga militares apparatus, & ferè innumeros præ multitudine exercitus.

98. Iudith illa prudentiſſima fœmina, dum populum de extremo ferè periculo liberare diſponit, ieiuniis, orationibus, & corporis afflictationibus vacat, & presbyteros Chabri, & Charmi vocat: reprehenditque tempus miſericordiæ Domini præſcripſiſſe, & monet pœnitentia, & lachrymis indignationem Numinis deplacare: Iudith.8. v.11. *Qui eſtis vos, qui tentatis Dominum? Non eſt iſte ſermo, qui miſericordiam prouocet; ſed potiùs qui iram excitet, & furorem accendat.* Addit diſertiſſima fœmina: *Sed quia patiens Dominus eſt, in hoc ipſo pœniteamus, & indulgentiam eius fuſis lachrymis poſtulemus.* Quàm indubium erat victoriæ præſagium pœnitentiæ velle conſortium, nec admiſiſſe criminis nocumentum: cum presbyteris pœnitere voluit, votis aſſentire conſtantiſſimè recuſauit. Quid tunc? In hoſtilia caſtra ſe proripit, & ibi de ope diuina confidens, hoſtem hoſtis gladio trucidat, & victoriam ſæculis celebrandam reportat: percuſſit

Digitized by Google

Iudith. 13. v. 10. *Percuſſit bis in ceruicem eius, & abſcidit caput eius, & abſtulit conopæum eius à columnis, & euoluit corpus eius truncum*; Verùm ſi inſtabat periculum, cur non citiùs tendit barbari caput abſciſſura; ſed tempus inſumit, & ſi fas eſt dicere, terit? Nonne poſtea tempus erit, quo preſbyteris poſſit imprudentem temporis taxationem carpere, & culpabilem diffidentiam obiicere. Si prudentis eſt grauiori periculo occurrere, & vrgentiori tempore ſubuenire, cur non properet triumpho coronanda; ſed ciues ſuos reprehendat detenta; imò vt conſequatur victoriam de aduerſariis, priùs pœnitentiam conſulit ſuis: Lyra. *Confidebat Iudith*, ſcribit Lyra, *quòd ex humiliatione populi negotium verteretur in oppoſitum.* Cùm deſiderat periculum conuerti in triumphum, ſuorum mores reformat, & iam reformatis aduerſarium pugione vulnerat, quo boni regiminis præſcribat normam & fulciendi regni futuris pulchram delinearit ideam. Quantumuis anguſtum tempus, quantumuis appetens videatur periculum, prius attendendum eſt ſubiectorum moribus, & poſteà aduerſariorum adſultibus. Et quidem parum aut nihil profuiſſet militares copias producere, ſi ſuis oppugnarentur moribus Bethulienſes; at facilè vel vnica muliere reportant triumphum poſt arreptum componendis moribus documentum.

§. XXV.

Oratio non ſolùm eſt criminum medela; ſed etiam calamitatum temporalium eſt medicina.

99. ORatio eſt veluti precaria omnipotentia, veluti felicitatum omnium officina: ſine oratione nec animæ ſalus diu conſiſtit, nec fortunæ proſperitas floret: oratio eſt ſuſtentaculum vitæ, ſalutis fulcrum, vitiorum excidium, dæmonum naufragium, rationis gubernaculum, cum cælo commercium, criminis exilium, horrendum diabolo fatum. Quam diſertè aiebat Tertullianus lib. de oratione capite primo: Tertull. *Oratio est Euangelij breuiarium.* *Reuera in oratione breuiarium totius Euangelij comprehenditur.* In Euangelio & mortui reſurgunt, & dæmones effugantur, & reformatur moribus anima, & miraculis redintegratur natura: ergo totius Euangelij compendium oratio eſt, in qua ſanitatis viget energia, & veluti inuincibilis aduerſus degeneres animi affectus efficacia. Nyſſen. Vnde Nyſſenus ſermone primo de oratione aiebat: *Dignis ſe diſcipulis orandi ſcientiam exponit.* Quaſi dicat: Vt prædiuitem, honeſtiſſimamque virtutis ac proſperitatis venã diſcipulis omnia ob ipſum ſpernentibus aperiret, orandi formam oſtendit, qua repellerentur procul tentatoris inſidiæ, & corporis abigerentur miſeriæ: in orationis forma & panis inuenitur, & regni aduentus ſperatur, & congreſſus tentatoris repellitur: *In oratione breuiarium totius Euangelij comprehenditur.* Hebræorum populus ſeſe exceſſibus impugnauit, & dum felicitati inhiant auidius, & abigunt imprudentiùs Infami premebantur ſeruitute, & extrema adurgebantur calamitate ſed qui à ſe contra ſe appetitus mouerunt arma, à ſe etiam pro ſe orationis conciliauerunt auxilia: *Clamauerunt*, inquit textus, *ad Dominum qui ſuſcitauit eis Saluatorem, & liberauit eos.* Dum indulgent vitiis, dum ſe inſanis addixere cupediis, incurrunt animæ & corporis ſeruitutem, aſt dum aſciſcunt orationis ſuppetias, inueniunt animæ, & corporis libertatem: *Suſcitauit*, inquit, *eis Saluatorem, & liberauit eos.* Dum tribulationem de qua liberati, non exprimit, de omnibus liberatos non obſcurè prodit: illis namque orationis clamor lux fuit, quæ reluminaret mentem, & gladius, qui abigeret hoſtem: ab animæ corporiſque anxietatibus ſunt expediti, qui orationis auxilio armati: *Clamauerunt filij Iſraël ad Dominum*, ſcribit Caietanus: *tandem ad cor reuerſi ex intimo corde,* Caietan. *magno feruore, non oris clamore inuocauerunt fontem eſſendi.* Proſperitatis fontem inuocant, & dum inuocant, venam copioſam proſperitatis eliciunt, & calamitatis catenas rumpunt. Oratio peccatores ſibi ipſis reſtituit, & ſeruitutis iugum confregit, vt noueris de orationis armamentario prodire aduerſus calamitatem animæ auxilia, & aduerſus inimicos corporis arma.

Abrahamum iubet Deus hoſtiam de filio offerre, & iucundum cælo holocauſtum ſacrare: 100.
Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Iſaac, Gen. 22. v. 2. *& vade in terram viſionis, atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper vnum montium, quem monſtrauero tibi.* Frontem non contriſtat deuotiſſimus Abraham; ſed grato adæquè animo audit immolationis præceptum ac ortus auſcultarat promiſſum. Imò de nocte conſurgens, ea vtitur obſecuturus cautela, qua vti poſſet præceptum tranſgreſſurus aſtutia. *De nocte conſurgens ſtrauit aſinum ſuum ducens ſecum duos iuuenes, & Iſaac filium ſuum.* Totus fuit in re Saræ celanda, & curioſitate vel mulieris eludenda. Iam ſi quæras cur Sacræ ſtupendam adeò actionem non communicarit, reſpondebit Baſil. Seleuc. orat. 7. Seleucienſ. veritum fuiſſe, ne mater, dum plorat, dum ingemit, mutare ſententiam cogat, ac Deo vim precibus inferat. Accipe eius verba: *Vereor ne lachrymis ſacra fœdet*: Addit ſtatim: *Deoque vim afferat.* Profectò ſi Abrahamus ſuſpicatur Deum ſeriò ſacrificium illud imperaſſe, ex animoque iuſſiſſe, irrationale videtur timore cõcuti, metuque turbari. Quid intererit deploret mater? quid iuuabit anxias fuderit preces, vt Deus immutarit decretum, & ſuſpenderit ſacrificium. Poteruntne lachrymæ vim Deo afferre, & ad retractandam ſententiam cogere? O dignum orationis encomium! Dum ferrũ Iſaaci ceruicibus minitatur, eius ad ſpeciem corpori, vitæque impendet dura calamitas: ea tamen eſt orationis energia ad calamitatem propulſandam & ad gratam Numini vim inferendam, vt deuotiſſimus Abraham, dum geſtit in Numinis obſequium litare filium maternæ orationis vereatur obſtaculum: quaſi ita ſecum ratiocinetur: ſi Sara caſum nouerit, anxiè filium deplorabit, & pro eius vita preces ſtudioſè fundet, eaque precibus vis eſt ad vim Deo afferendam, vt ſi orauerit, iam Deus ſententiam immutet, & obſequium retro ſæculis inuiſum ceſſet. Quid pro oratione illuſtrius? Quid exaggeratius? Profectò oratio eſt fœcunda proſperitatis vena, vitæ ſuffragium, ſalutis auxilium, contra dæmonis technas armarium; imò contra Numinis iram cæleſte profugium: oratio eſt grata Deo violentia præualens ſemper victoria, inuincibilis efficacia, inſuperabilis energia, bonorum ſcaturigo, appetitus frænum, animi candor, intellectus reluminatio, voluntatis flamma, ac dæmonum peſtilentia.

Digitized by Google

101. Vt quam gehenna irremediabilis ſit, eleganti penicillo Dominus oſtenderit, hiſtoriam illam mendici Lazari, & diuitis epulonis depingit: induebatur diues purpura & byſſo, epulis indigeſtis, & tetris indigeſtionis fumis obſcurus: dum exquiſitis deliciis edacitati adulatur, gulęque blanditur, immaturam mortem aſciſcit, & eis ipſis rebus, quibus vitam exiſtimares fouere, inuentus eſt præter opinionem breuiare: de purpura tranſlatus cruciabatur ad flammam, vt quo laborum fuerat inexpertus, eò ſuſtineret & duriùs: leuauit oculos, & qui inter voluptatum nebulas iacentem cominùs nequiuerat ſpectare, vel inter denſos tetroſque gehennæ fumos mendicum iam felicem valuit videre: naturæ affectum pulſat Abrahamum patrem appellans, & allegata, qua eximiè cruciabatur anguſtia, ſubueniri ſibi precatur vel exigua
Luc. 16. v. 24 aqua: *Ipſe clamans dixit: Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam: quia crucior in hac flamma.* Clamauit; ſed non obtinuit: orauit; ſed caſſo effectu. Quod
Chryſol. expendens Chryſologus aiebat miris coloribus hac parabola depingi, quam gehennæ damna careant remedio, quandoquidem oratio refrigerium linguæ non obtinuit: *Ibi caſſa vox eſt*, ſcribit ſermone 66. *iſtic inanis eſt clamor: audi prophetam dicentem: In inferno autem quis confitebitur tibi:* In inferno quis miſericordiæ locus? in tormentis quæ ſpes veniæ? vt noueris apud inferos nec refrigerij ſpem vigere, nec deleri crimen iam poſſe: audi diuitem caſſa voce clamantem, & clamore inani petentem: ea namque eſt orationis efficacia ad impetrandum, vt ſi damnatorum miſeria poſſet releuari, ſine dubio & afferret refrigerium, & vires miniſtraret validiſſimas contra vitium: dum ergo caſſa inuenitur oratio, damnatum nullo poſſe vti refrigerio conuincitur; imò Caietanus aduertit preces non proceſſiſſe ex bono affectu, & ob id vmbratilem ſolummodò eſſe orationem: nam ſi perfectæ diuitis fuiſſent preces, eius abſque dubio & depuliſſent
Caietan. calamitates: *Non proueniunt hæ preces ex bono affectu.* Oratio illa ſolùm erat vmbra, quæ veritatis careret ſubſtantia: ideò non impetrauit refrigerium, nec ab animo depulit vitium: nam ſi vera fuiſſet, & reformaret affectus ſtudium, & linguæ ſopiret incendium. Adde eam vim orationi ineſſe, vt Deus ficta vmbratilique diuitis oratione pulſatus, ſi non mendicum, Lazarum illum nobilem excita-
Chryſol. uerit. Ita Chryſologus ſermone 66. *Sicut diues petit Deus pro Lazaro Lazarum miſit.* Deprecabatur diues, vt quis ex mortuis veniret, quò faciliùs demortuo viuentes crederent, & quod deprecabatur improbè, Deus adimpleuit honeſtè, vt quanta orationi vis inſit, demonſtrauerit, dum orationis annuit vmbræ, & ſi fas eſt dicere, malitiæ aſſentitur petenti.

102. Fortaſſis, vt quantam oratio ſortiatur energiam Moyſes edoceret, priùs ad ſpeciem ad eius cucurrit auxilium, quàm ad virgam mirabilium inſtrumentum. Poſt inaudita tetro miracula Pharao populo inuitus libertatem conceſſit, & quàm illam conceſſerit coactus, citiſſimè probauit euentus: ſtipatus namque militibus fugientes inſecutus eſt. Hebræi vtrinque periculis cingebantur: à tergo namque armatus eques inſiſtebat mucrone, à fronte fluuius fluctuum minabatur congerie. Quid tunc? Moyſes ad orationem confugit, nec virga vtitur:
Dixit Dominus ad Moyſem: Quid clamas ad me? Loquere filiis Iſrael, vt proficiſcantur; tu Exodi 14. v. 15.
autem eleua virgam tuam, & extende manum tuam ſuper mare, & diuide illud. Iure reprehenditur Moyſes, quando valens fluctus ſcindere baculo, & puluerulentam populo aperire inter medios fluctus viam, recurrit ad orationis inſtantiam. Quid intereſt vrgeat fugientes Pharao quadrigis, & militibus ſtipatus, ſi Moyſes Pharaonis eſt Deus? Nonne maior Deo erit potentia, quàm Pharaoni fuerit audacia? Ergo Pharaonis Deus virga omnipotentiæ vicaria fluctus feriat, quo percuſſum mare Hebræis iter miniſtret peruium, & dignum attulerit Ægyptiis naufragium. *Quid*, inquit, *clamas ad me?* Profectò hîc Deus non carpit; ſed commendat orationis ſtudium, quando tacente Moyſe corde abſtruſum ignaris prodit affectum: prudenter Moyſem confugiſſe ad orationis auxilium publicat vti ad præſentaneum calamitatum remedium: adeò namque celeriter animæ corporiſque fugiunt calamitates orationis efficacia, vt Pharaonis Deus non priùs mare virga percuſſerit, ſed orationis opem implorarit: *Cum eduxiſ-*
ſet Moyſes populum de Ægypto, ſcribit Chryſo- Chryſoſt.
ſtomus apud Lippoman. *& per deſertum ad mare rubrum veniſſet, Ægyptij poſt tergum inſequebãtur populum, ante mare fremebant fluctus. Moyſes in anguſtiis erat; tacebat quidem; ſed mente grandia cogitabat.* Subdit quæ fuerit hæc cogitatio: *Ad Dominum igitur mente clamabat.* Ecce quæ grandia mente tractarit, quæ auxilia contra tot diſcrimina exambierit, orationis ſcilicet ſuppetias: geſtabat ſanè dextera virgam omnipotentiæ vicariam, & nihilominus ab oratione mutuatus eſt energiam, vt doceret, quàm præſentaneum ſit orationis auxilium, & quam ſecurum contra tribulationes remedium. Ergo ſi periculis cingeris, ſi calamitatibus adurgeris, ad orationem recurre, cuius ope & marinos calcabis vortices, & aduerſitatum abiges peſtes.

§. XXVI.

Eximium ſuperiorem cudit rationabilis tolerantia, & ſagaciſſima prouidentia.

SVperior vt multis præeſt imperando, mul- 103.
tos cogitur ſuſtinere regendo: alius inardeſcit ira, quia lædi ſe deluſus putauit offenſa: alius ipſum detorquet, & malè interpretatur obſequium, & ſuperiorem exiſtimat pectore fouiſſe odium: ipſa ſagaciſſima prouidentia ſæpè ſugillatur vti ſuſpicioſa temeritatis malignitas, & vnde lucrari debuit elogia, ſuſtinere cogitur non ſemel dehoneſtamenta: qui dignitatem inſcendit, comitem patientiam aduocet, & vt ſubiectis opus eſt alimentorum prouidere copiam, ſibi opus nouerit, & magnam patientiæ colligere ſummam. *Vtile eſt,*
aiebat Caſſiodorus ſeptimo var. 27. *vnum ſem-* Caſſiod.
per eligere, cui reliqui debeant obedire: quia ſi voluntas diuerſorum vaga relinquitur, confuſio culparum amica generatur. Itaque ciuitatis veſtræ comitiuam per inditionem illam nos illi largitos fuiſſe noueritis, cui ſaluberrimam patientiam

commo

Digitized by Google

commodate, vt cauſis veſtris ferat remedium, & iuſſionibus publicis procuret effectum. Expende illud: *Patientiam commodate.*: quaſi ſuperior mutuari teneatur magnam patientiam, nec ſic ea ſubiectus indigeat, vt obediens prælato, quam prælatus, vt imperaret ſubiecto. Et quo putas patientiæ cenſu debeat ſuperior ditari, quem conſtat plurimis aliquando cauſis irrationabilibus adurgeri. Ecce diues ille, dum Abrahamum inuocat patrem, prætendit dolos, & exacerbat modeſtiam inuidentiæ colorans fallaciam: *Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum.* Luc. 16. v. 24. Quid tunc prudentiſſimus Abraham? *Inter nos & vos chaos magnum firmatum eſt,* &c. Prudenter ad impoſſibilitatem recurrit, & fallacias agnoſcens grandi patientia reſpondit: *O mira pietas,* aiebat Chryſologus ſerm. 123. *adhuc vocat filium, quem degeneraſſe propria crudelitate ſic reſpicit.* Inferni vernula inuidentia præ flammis aduſtus concionat dolos, & neceſſitatis ſpecie tegit æmulationis ſtimulos. Abrahamus ergo, ne acerbis reſponſis indignationem ſuſflammet, & ne votis doloſis annuerit, vocat filium, & impoſſibile teſtatur votum. Chryſol. *Voco filium* addit Chryſologus Abrahami nomine, *vt in me mea patientia, & in te tua maneat pœna.* Improbus helluo Abrahamum nitebatur fallere, & Lazarum de ſinu auellere: magna ergo patientia neceſſaria fuit, ne fallaciis, doliſque exacerbata denigraretur patientia, & ne furentis creſceret flamma, & inardeſceret pœna. Iam non ſolùm debere ſuperiorem patientia ornari; ſed & prouidentia muniri, ipſe teſtatur Dominus, dum ait: *Vos eſtis ſal terræ, vos eſtis lux mundi*: lux tempora prænotat, & futuros euentus præſignat: Math. 5. v. 13. poſuit namque Deus in firmamento lucem, vt eſſet futurorum index, & tacitis monitionibus cogeret præſentire occulta, & manifeſtaret incerta: Geneſ. 1. v. 14. *Dixitque Deus: Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem ac noctem, & ſint in ſigna & tempora.* Lux in Sole, lunaque, & ſtellis euentus futuros præmonet, vt aduerſi caueantur, & placidiùs proſperi ab hominibus ſpectentur. Ergo ſuperiores, qui in Republica Solis, Lunæque ſimulacra & labores debent patientia honeſtiſſima ſubire, & futuros euentus prouidenti ſagacitate anteuertere. Populus Hebræorum amaris, multiplicibuſque clamoribus Saluatorem ſibi emit, & à Domino iudicem impetrauit, Othonielem ſcilicet: *Clamauerunt ad Dominum, qui ſuſcitauit eis Saluatorem, & liberauit eos, Othoniel videlicet filium Cenez fratrem Caleb minorem.* Hugo Charenſis expendit vocari Caleb fratrem, & filium Cenez, quaſi Cenez tolerantiam, & Caleb deſignauerit prouidentiam: Hugo. *Sic filius Cenez, id eſt, ſpernens mundum ipſe prælatus, & frater Caleb, id eſt patiens, & prouidus, & ſic poterit ſaluare Iſrael.* Ecce quem oratio diuturna ſuperiorem ſibi impetrauit patientem, & prouidum, vt patientia ſubditorum ſuſtineat infirmitates, & prouidentia calamitatis vitauerit occaſiones: prouidus & patiens, ne de impatientia dilaceret, ne de improuidentia periculo exponat: vtraque virtus optimo Superiori perneceſſaria, ingenium ſcilicet blandum, & ſtudium ſagaciſſimum. Redeat iterum Hugo huius veritatis teſtis.

104. Sponſus Sponſæ elogia proferens, cùm de naſo ageret, ſic ait: *Naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum.* In hoc membro deſignari ſuperiores teſtatur Hugo vbi Cant. 7. v. 4. ſupra: Naſus Eccleſiæ prælatus eſt. Sed videamus cur prælatus turri, & turri contra Damaſcum comparetur? Quia ex Damaſco frequentes aduerſariorum imminebant, adſultus, quos turris prænuntiabat, & repellebat: & quia turris forti, & inuicta materia conſtat. Ergo vt intelligamus ſuperiorem futura debere odorari, naſus dicitur: & vt intelligamus indomabili patientia muniendum, turris appellatur: *Naſus Eccleſiæ prælatus eſt propter diſcretionem, qui* Hugo. *comparatur turri propter altitudinem vitæ, propter fortitudinem patientiæ, propter munimenta virtutum*: Præmiſerat paulò antè: *Qui prælatus conſtituitur, debet eſſe cordatus, & ſagax procul odorans ſubditorum neceſſitates, prauidens dæmonum verſutias, & calliditates.* Ecce mirè depictas, quibus debet prælatus ornari, proprietates: odore ſcilicet ad futura, & tolerantia ad moleſta: eminet quidem, vt turris; ſed ſi ſciuerit pati, & nouerit prouidere: aliter namque eminebit turris; ſed non altitudine vitæ, ſed elatione ſuperbiæ: eminebit turris; ſed non quæ reſpiciat contra Damaſcum; ſed quæ Damaſci cenſeri poſſit ſubſidium: Comparatur turri propter altitudinem vitæ, propter fortitudinem patientiæ: vtraque virtute eſt opus, vt prælatus mereatur laudem, vtque adimpleat obligationem.

Paſtor ille, cuius viſcera ouis periculum 105.
adurgebat, ſyluas obit, montes adit, campos diſcurrit, deſideriorum alis inuolat, vt amiſſam ouem inueniat: & quidem non tam ſtudio lucri, quàm timore damni: tandem inuentam ouiculam imponit humeris, & domum reuocat: *Cum inuenerit eam, imponit in humeros ſuos gaudens.* Tertullianus lib. de patient. cap. 12. Luc. 15. v. 5. expendebat grandius de paſtoris impatientia imminere oui periculum, quam de errore ipſo naufragium. Certè ſi paſtor contemneret, ſi errantem miſeratus humeris non ſuſciperet, iam de oue actum fuerit, at dum errantem quærit, dum defatigatam fouet, dum ad ouile reducit, Tertullian. & centenarium numerum perficit. Accipe Tertullianum: *Erroneam ouem patientia paſtoris requirit, & inuenit: nam impatientia vnam facilè contemneret; ſed laborem inquiſitionis patientia ſuſcipit, & humeris inſuper aduehit, baiulus patiens peccatricem derelictam.* O quanta paſtori erat opus patientia, cùm vidit ouis ingratitudinem, cùm aduertit ſedulum eius contemni ſtudium, & anxiis votis inuolare ouem ad truculentiſſimum lupum: quanta patientia opus erat ad ouis emolumentum propria defatigatione curandum, & ad humeris conuehendum: *Impatientia facilè contemneret*; ſed patientia derelictam peccatricem recuperauit: *Patientia ſuſcipit.* O felicem ouem talem paſtorem ſortitam, cui nec ingenium aſperum, nec ſupercilium ſuperbum. *Humeris aduehit baiulus patiens peccatricem.* Diſcant ſuperiores patientia mederi, non rigore exacerbare. Plures de ſuperbiæ faſtu non ſolum non dignantur humeros ſubiicere; ſed nec verba, quibus alliciant, proferre. Othoniel genere nobiliſſimus, triumphis nobilitatus, patientia fractæ penè Reipublicæ mederetur, & ad antiquum nitorem reſtituere conſultiſſima prouidentia molitur.

Digitized by Google

106. Paſtorem pater ille ſequatur, cui vt pignora dulcia, ita & extiterunt ingrata. Redit prodigus fame luridus, ſiti aridus, nuditateque ſordidus; ſed filium prodigum patris patientia & recipit, & veſtit, & paſcit; imò apud fratrem excuſat, & fratris ingratitudinem tolerat.
Luc. 15. v. 22. *Proferte ſtolam primam, & data annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius, & adducite vitulum ſaginatum.* Ruritius lib. 1. epiſtol. ingenioſè expendit non ſolùm nudum ornaſſe, famelico ſubueniſſe; ſed dediſſe annulum calceamentúmque, quæ modò non adeò videbantur neceſſaria; imò cenſeri poſſent ſuperflua. Quid opus annulo, etſi opus calceamento. Vt
Rurit. impleuerit optimi Superioris officium: dat annulum, quo veluti vinculo teneatur; apponit menſam, qua periculum famis exterminetur. Accipe Ruritium: *Dat annulum, ne rurſus à patre perfidia duce diſcedat: calceamenta dat pedibus, quo faciliùs arduì itineris aſpera & dura contemnat.* Adſtipulatur Tertullianus vbi ſuprà:
Tertullian. *Illum prodigum filium patientia patris & recipit, & veſtit, & paſcit.* Sic filius recuperatur, ſic recipitur prodigus, ſic pater luculentius adimplet munus. Mirè vtramque virtutem in receptione prodigi commendauit; patientiam, dum offenſionibus non exacerbatur, dum auri diſpendiis non vritur; prouidentiam, dum annulo illigat, & pericula prouidenter exterminat: ſatis non erat famelicum patienter ſuſcipere, nec erat ſatis ſolùm annulum exhibere; at dum patientia fouet prodigum, dum prouidentia vitat periculum, iam patris dignitas reſplendet pleniſſimè cumulata, & cumulatè adimpleta. Obmurmurabat frater; ſed ſuperior patris nomine digniſſimus materiam murmurationi non miniſtrauit; ſed apud conſcium, & fratrem honeſtas excuſationes prætendit. *Apud*
Tertull. *impatientiam*, ſcribit Tertullianus, *ira fratris excuſat: ſaluus eſt igitur qui perierat.* Non ſemel ſuperiores, quamuis paternum prodant affectum rationabili de patientia, charitatem lædunt de murmurationis prurìtu, ſugilationiſque deſiderio. Euangelicus verò pater fami ſubuenit, in futurum prouidet, nec filij cum ſeruis aut fratre obmurmurando mores ſugillat; ſed prudentiſſimè apud obmurmurantem excuſat: *Apud impatientiam irati fratris excuſat.*

---

§. XXVII.

Sibi hoſtis eſſe probatur, qui vires oratione non abſtulit inimico: nam oratio eſt calamitatis depultrix, & fortunæ conciliatrix.

107. IMproborum, addictorumque vitiis turba ſub peſſimæ vitæ merito benè gemit: ſic obcæcatur iniquus, vt dum fucatis ad ſpeciem con-
Seneca. ſulit deliciis, veriſſimis, meriſſimiſque opitaletur miſeriis. *Ecce*, aiebat Seneca epiſt. 45.
Superuacuis fortunam ſatagimus obfirmare, & felicitatem ſtabilire. *tota mihi vita mentitur, hanc coargue, hanc ad verum, ſi acutus es, redige; neceſſaria indicat, quorum magna pars ſuperuacua eſt: etiam quæ non eſt ſuperuacua, nihil in ſe momenti habet in hoc, vt poſſit fortunatum, beatumque præſtare.* Superuacuis, & hanc ad rem prorſus inutilibus ſatagunt homines ſuam beatitudinem cumulare, & fortunam irrequieta agitatam orbita ſtabilire: parum hoc, nocituris etiam, impedituriſque ſtultè fortunam quærunt, dum calamitatem imprudenter ſuffulciunt: nec ſolùm reperiuntur homines ſuo infelices voto; ſed infeliciores ſilentio. Certè in ipſa lingua canis ad inſtar habent vulneribus myrothecium: orando, confitendoque poſſent mederi vulneri, quod imprudentia intulit, aut adfectus attulit; verùm infortuniis ſuis oblectari ora deteſtando Pſal. 113. v. 5. ſilentio ſigillant, quo calamitati ſuæ vires addant, & tempus calamitatis producant. *Os habent*, aiebat Pſaltes, *& non loquentur: ſimiles illis fiant, qui faciunt ea.* Linguæ vſu priuauit, quò incuſſis pœnis grauiùs affligeret: nam vel idolorum artifices, ſi à vera oratione mutuentur auxilium, aſciſcent & calamitati remedium: quas miſerias attulit culpa, oratione depellit lingua. Et quidem Petrus clamando eluſit, quod naufragium diffidendo contraxit: *Cùm cœpiſſet mergi, clamauit dicens: Domine ſaluum me fac.* Matth. 14. v. 30. De orationis auxilio ſibi naufraganti ſubuenit, pluſque ſibi nocuiſſet tacendo, quàm nocuerat dubitando. Ecce Hebræorum populus, dum libidini, auaritiæque vacat, libertatis gloriam, & quibus inhiabat, diuitias ipſas amiſit, & duro Chuſan Raſathaim Regis Meſopotamiæ oppreſſus iugo inſeruiuit: ipſa ſeruitute ad eum ſtuporem perductus eſt, vt octo annos damnabili tolerantia conſumpſerit, quin excutere iugum tentarit: *Seruierunt ei octo annis:* tandem vrgentiſſimis ærumnis, grauiſſimiſque anguſtiis compellentibus calamitatem ſuam in clamores deplorauerunt effuſi: citiſſima ſalus fuit orationis appendix, ipſumque clamoris ſtudium doloris comitabatur remedium: *Clamauerunt ad Dominum, qui ſuſcitauit eis Saluatorem, & liberauit eos.* Quærunt Interpretes, cur tanto tempore permiſerit Deus egregiè populum diuexari, & duris calamitatibus premi. Origen. Origenes hom. 3. in Iudices cenſet ſeruitutem tuliſſe ob delictum, prolixitatem temporis ob ſilentium: & quidem dum clamantibus præſentaneum datur auxilium, indecorum damnatur ſilentium: libertatem, ſalutemque conſecuti citò depuliſſent miſeriam, ſi orationis pro ſe aſciuiſſent efficaciam; at dum ora nocentiſſima ſibi taciturnitate ſigillant, vires calamitatibus incrementant. Audi Origen. *Notandum quia dum ſeruirent Chuſan Raſathaim, & non clamarent ad Dominum, nemo ſuſcitatus eſt, qui ſaluare eos poſſet: cùm ergo clamauerunt, ſuſcitauit eis Saluatorem Othoniel, qui interpretatur tempus mihi Dei, per quem ille populus de ſeruitute ereptus eſt, & pax populo reddita, quam ſuperbia, & diuerſa plebis facinora fugauerant.* Ipſi de improbo ſilentio ſibi aduerſati ſunt, qui ſi affectuoſæ orationis ſuppetitias aſciuiſſent, calamitates omnes citiſſimè exterminaſſent: *Niſi clamaſſent*, ſcribit Gloſſa apud Hugonem Cardi- Gloſſa. nalem, *non ſuſcitaretur eis Saluator*: aſt dum clamant, iam non dominatur tyrannus; quia euitatur clamoribus inimicus.

Deus hominem fabricatus animantibus præ- 108.
fecit, & paradiſæis deliciis ad largitatis commendationem donauit: Adamus innoxiè deliciabatur, & honeſta deſeruiebat virtuti voluptas, quia nondum illam infecerat ſerpentini veneni prauitas; at ictus inuidia dæmon fru-

ctum

Digitized by Google

ctum arboris inuidè prohibitum teſtatus eſt, & qua ipſe æſtuabat inuidentia, aſſeruit Deum obſcuratum inuidia: iam enim à primordio tales quiſque alios putat, qualis ipſe eſt: deliquit homo, & dum inſipido inhiat fructui, ſuæ inuidet proſperitati: Deus hominis miſeratus errorem, tempus conceſſit feruoris inſaniæ, ambitioniſque phreneſi, ne delicti furor ad ſe medicaminis traheret efficaciam, aut euiraret ſaltem valentiam: ſub veſperum aduentat terribili voce intonans, quo ipſe terror incolumitati ſuffragetur: *Cùm audiſſet vocem Domini Dei deambulantis in paradiſo ad auram poſt meridiem, abſcondit ſe Adam & vxor eius.* In dubium verti poteſt, quis Adamo fuerit nocentior, ſerpens eloquio, an ipſe ſilentio: Dei audiuit vocem illum ſanè de originis loco exterminantis, qui forſitan non audiſſet, ſi anteà ipſe reſipiſcendo clamaſſet: ſerpentinum venenum non ſolùm patulas ab exordio mendaciis, murmurationibuſque aures conſtuprauit; ſed linguam hærere fecit: rapuit truculentiſſimus lupus Dei ouem, quia nullo paſtorem illa excitauit balatu; at ſi balaſſet, territus lupus fugiſſet. Adeſt Rupertus lib. 3. in Geneſ. *Non reus, & præuaricator Adam prior inuocauit; ſed Deus index præuaricatorem prior vocauit, cùm hoc illi magis expediret, vt præoccuparet faciem eius in confeſſione, & dignam ſatageret ſaltem poſt peccatum ſatisfactionem offerre.* Aptius antecedenti capite: *Ille, ſcilicet Adam & vxor eius, vterque pari pertinacia ſilentium tenuit* Si clamaſſet, ſi faciem Domini plorando præoccupauiſſet, damnis ſuis mederetur linguâ, & votis non frueretur plenis nequiſſimi nebulonis fallacia; at pertinax ſilentium, dum oris improbandum ſigillum calamitatem auxit, & hoſtis vires ſtabiliuit.

Geneſ. 3. v. 8.

Rupert.

109. Pſalmiſta Pſalmo 77. repulſum ait tabernaculum Silo, ſacerdotes conſumptos, gloriam populi diſſipatam, quia Dominus ſomnum cepit: *Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt, & viduæ eorum non plorabantur: & excitatus eſt tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus à vino, & percuſſit inimicos ſuos.* Dormiente Domino gliſcit calamitas, tabernaculum Silo ſordeſcit repulſum, & hoſtile ſtabilitur imperium; at ſomno excuſſo inimici conteruntur, & populi calamitates citiſſimè exterminantur; ſed expendamus, ſi placet, cur aſſeruerit Dominum ſopitum, cùm potuerit dignis iracundiæ flammis prodere ſufflammatum? Dormiſſe prodit, vt populi ſtuporem grauius condemnet vt ſilentium deteſtandum exaggeret: excitato Domino lux rediit, fugit calamitas, cúmque in arbitrio hominis fuerit illum clamoribus excitare, damnabili adeò ſilentio ſigillauit ora, vt de induſtria cẽſeatur ſua produxiſſe infortunia; vt facile eſt dormientem clamoribus excitare, ſic populo facile erat ſuam calamitatem depellere; at dum tacet, dormire Dominum ſinit; eoque dormiente inimicus ſtabilitur, qui expergefacto depelleretur: durauit calamitas, quod & ſomnus: durauit ſomnus, quod & tempus, perſeuerauit ſilentium, quo durior qui patiebatur, quàm qui intulerat calamitatem, videatur ſibi inimicus. Huc voco Rupertum citato libro cap. 13. *Tota culpa illius eſt: quia cuſtodem ſuum dormire permiſit: nam vt ille non dormiat, in arbitrio hominis eſt, qui ſemper illum, ne dormitet, aut dormiat, inquietare debet: vnde & per prophetam Spiritus eius dicit Qui reminiſcimini Domini, ne taceatis, & ne detis ſilentium ei.* Dum populus tacet, Numini dat ſilentium, ſilentium conciliat, & fouet ſomnum Dominoque dormiente præualet calamitas, quo expergefacto arrideret proſperitas Ergo facile clamoris remedium deprauatum hominis damnauit arbitrium, dum oſtendit non tam hoſtem læſiſſe illata violentia, quàm ipſum ſibi nocuiſſe occluſa ſilentio linguâ.

Pſal. 77. v. 64.

Rupert.

Dominus cum diſcipulis nauigans mare in virtutis & fidei ſtadium apparat, ac excita tempeſtate fidem dormientem excitat, quo diſcipulos mirè erudiat: ſcapha mediis in fluctibus erat, cùm inuſitata tempeſtas horriſono cum fragore inſurgens recurrentes inuicem ventorum turbines armat in ſcapham, & ſublatiſſimis vndis naufragij per momenta minatur obturbatis miſeriam, aduerſus diſcipulos cùm tanta taliſque deprædaretur tempeſtas, dormiebat Dominus: *Erat ipſe in puppi ſuper ceruical dormiens.* Baſilius Seleucienſis orat. 22. tempeſtatis inquirit cauſam, & Domini ſomnum prodit: *Ecquod hoc tantum nauigantibus prælium? Somnus.* Contra diſcipulos elati inſurgunt venti, caua fluctuum nauim ſatagunt deglutire volumina, præualet ſæua tempeſtas, & totum hoc, quia ſomnus Dominum occuparat. Quid tunc? Vocem diſcipuli ingeminant, qua dormientis ſomnum excutiant: *Excitant eum:* & iam excito mare tranquillitatem ſuſcipit, & turbinis procellam dediſcit: *Ceſſauit ventus, & facta eſt tranquillitas magna.* Oratione adinuentum remedium diſcipulorum ſilentium ſugillauit, & ipſos tempeſtati vires permiſiſſe dilucidè oſtendit. De ſomno Domini recrudeſcit tempeſtas, de ſilentio fouetur ſomnus: ergo diſcipuli dum permittunt dormire, in ſe ipſos probantur procellæ vires armare: non tam illis aduerſabatur tempeſtas turbinibus deſæuiens, & ventis elatiſſimis furens, quàm ipſorum lingua tacens: citius tranquillitate fruerentur, ſi citius ſomnum fuſis precibus, & clamoribus diſcuſſiſſent, & magiſtrum excitaſſent. *Quæſitæ*, addit Baſilius, *ab arte ſpes, tamquam & ipſæ naufragium facerent, omiſſis rebus recurrunt ad portum, qui in ſcapha erat, & aſſtanter clamant: Magiſter, magiſter, ſalua nos, perimus.* Expende illud: *Tamquam ipſæ naufragium facerent*: ab induſtria opem quæritantes, & in arte ſpes ſuas ponentes; at ipſa illorum induſtria tempeſtati ſuffragabatur: nec enim poterat abire procella, dum occludebatur ſilentio lingua; at dum vocem ingeminant, dum ad orationem recurrunt, ipſa in ſcapha portum firmiſſimum adinueniunt, & appetens naufragium eludunt Profectò non ſemel, qua premi ſoles, miſeriam depelleres, ſi quærere remedium ſcires: defatigaris in aſciſcendo peritiſſimos medicos, qui morbis medeantur, & dormire Dominum ſinis, & fouendo ſæpius miſeriæ cauſam, ab arte quæris medelam. Clama, ingemina vocem, exora Deum: quia ſi non patiaris illum dormire, de clamore poteris remedium tuis calamitatibus comparare. Profectò qui pane egebat, voce veluti pecunia emit, & laudabili importunitate dormire amicum non ſiuit: pane caruiſſet, ſi non clamaſſet: clamor fuit inopiæ remedium, ſilentium fuiſſet calamitatis auxilium. Ecce Chuſan Hebræos armis ſubigit,

110.

Marc 4. v. 38.

Seleucienſ.

Humana ſpes calamitati ſæpè auxiliatur.

ſed ſeruitutis tempus non tam protendit tyranni violentia, quàm deteſtanda ſilentij ignauia; *Cùm clamauerunt, ſuſcitauit eis Saluatorem*: cum non clamarunt, & tyrannum pertulerunt.

§. XXVIII.

Vbi vitia ſibi ſuppetias ferunt, longum captiuitatis tempus producunt.

111. VItium quodlibet blandiendo graſſatur, & perniciem adulando molitur: ipſæ, quibus homines illigat, blanditiæ duriſſimæ ſunt catenæ, & miſer homo ſpontaneis ſe tradit nexibus, dum ſtudioſiùs indulgere nititur voluptatibus: premit quod oblectat, imò dum iucundius

Iſaiæ 27. v. 1. oblectat, ſtrictiùs premit. Leuiathan apud Iſaiã vocatur ſerpens vectis: *Super Leuiathan ſerpentem vectem.* Duo coniunxit ad ſpeciem ſibi inimica, ſerpentis mollem fraudulentiam, & vectis ferrei duritiam: quomodo ergo mollis, ſi durus, aut ferreus, ſi mollitie tortuoſus? Optimè quidem

Gregor. inquit Gregorius lib. 4. moral cap. 13. quia ſcilicet ipſa mollities, qua homo allicitur, eſt dura ac ferrea catena, qua imprudenter illigatur. *Quærendum nobis eſt*, verba ſunt Gregorij, *cur qui ſerpentem dixerat, tortuoſumque, illico ſubiungens interpoſuit vectem: niſi fortè quòd in ſerpentis tortitudine fluxa mollities, in vecte autem eſt duritia rigiditas, vt ergo hunc & durum ſignaret & mollem, & vectem nominat, & ſerpentem.* Blanditur voluptas, prolectat turpitudo; ſed quos mollites trahit, tractos ſtrictiſſimè tenet: ferreus vectis eſt in claudendo, quod erat ipſa mollities in prolectando.

Seneca. Nil homo diu colit. *Infirmi ſumus*, aiebat Seneca de tranquillitate animi. cap. 2. *ad omne tolerandum, nec laboris patientes, nec voluptatis, nec noſtra, nec vllius rei diutius.* O vtinam hoc verum eſſet; at patientiſſimi ſumus ad ferendam voluptatem, & diuturnam vti improbam his fallaciis producendis comparamus patientiam. Verùm etſi quodlibet vitium non modico tempore producere nitatur imperium, tunc longius, latiuſque protrahit, cùm diuerſas aliorum conciliat fallacias, & aſciſcit ſibi ſuppetias. Iſraëlitæ idololatriæ inſeruientes ſibi calamitates elaborarunt, ſeque Chuſani ſeruituti addixerunt: Tradidit eos in manus Chuſan Raſathaim regis Meſopotamiæ, ſeruieruntque ei octo *annis*. Vides longo tempore infame tuliſſe iugum, improbumque ſuſtinuiſſe indigna patientia imperium; at nec ipſis calamitatibus eruditi ſibi conſulere didicerunt; imò Eglonis ſerui per decem & octo annos coacti ſunt ſuam amaritudinem deuorare, nec vel querelis acerbiſſimum dolorem ſopire: *Seruierunt filij Iſraël Eglon Regi Moab decem & octo annis.* Iam pungit difficultas, cur ſub Eglone pluſquam duplicatum calamitatis tempus ſuſtinuerint, aut cur Chuſani breuius confregerint iugum? Innuit ſanè textus, dum non refert Chuſan alios ſibi aduerſus Hebræos copulaſſe, quos Eglonem prodit ſibi amico fœdere deuinxiſſe: *Copulauit ei filios Ammon & Amalec.* Dum filiis Amalec & Ammon incedit confœderatus, & calamitatis tempus producitur, & iugum tyrannidis protelatur. Iam

Hugo. in Eglone, in Ammon, in Amalec filiis vitia depingi, tradit Hugo Cardinalis, *Superbia copulantur Ammon & Amalec, id eſt cupiditas, & luxuria.* O quàm difficilè peſſimus hic triplex funiculus rumpitur! Neſcit breui tempore criminis excutere iugum, qui non tantum ſuperbiæ ſe addixit; ſed cupiditati, & luxuriæ. Profectò Chuſano vnico inſeruientes etſi iugum tolerarint, non per prolixas adeò moras ſuas produxerunt anguſtias; at Eglonis ea erat vis de Ammon, & Amalec filiorum conſortio, vt Iſraëlitæ lõgiori, productiorique tempore manus tradiderint vinculis, nec ſe ferreis expedierint catenis. Tolerabile quidem eſſet, ſi homo vni aut alteri vitio inſeruiret; at dum vitia in hominem fœderantur, longiſſima calamitatis tempora producuntur.

Nequiſſimus ille Pharao populum tyrannide premens, contentus non eſt ſuo obſequentiſſimos videre imperio; ſed damnabili prouidentia ſtuduit occurrere defectionis etiam periculo: animaduertebat naturam Deo obſecundantem, numeroſam ſobolem tegerere, & nequiſſimis artibus aggreditur Hebræorum vires præcidere: *Ecce populus filiorum Iſraël multus, & fortior nobis eſt, venite ſapienter opprimamus eum, ne fortè multiplicetur, & ſi ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis noſtris, expugnatiſque nobis egrediatur de terra.* Solicitabatur timore periculi, vtque diutiùs premeret, & tempore longiore ſubiiceret, alios ſimiles ſibi vocauit: *Venite*, inquit, quaſi iam iniquorum fœdus omnem propulſarit metum, & æternum tyrannidis ſtabiliuerit iugum: *Mutuùm ſeſe exhortantur*, ſcribit Lippomanus, *ad praua ſtudia, & ad crimina conſentientes, moliuntur inſidias.* Eas inſidias credit nunquam euadendas quæ multorum confœderatione ſtruebantur, & contra Dei populum callida prudentia colorabantur: vnius antè Pharaonis Iſraëlitæ opprimebantur violentia; modò ſuſpirant, & modò aquis obliterantur, multorum in illos impia deſæuiente concordia, quaſi hoc pacto iugum protrahatur diutius, & premat miſerabilius. 112.

Exod. 1. v. 10.

Lippom.

Ecce tuli de manu tua calicem ſoporis, aiebat Deus per Iſaiam, *fundum calicis indignationis meæ non adiicies vt bibas illũ vltra, & ponam illum in manu eorum, qui te humiliauerunt, & dixerunt animæ tuæ: Incuruare, vt tranſeamus*: Anima calicem ſoporis bibit, quia dicẽtibus: *Humiliare, vt tranſeamus*, imprudentiſſimè & patuit & credidit: aliquam ſtultæ credulitatis habuiſſet excuſationem, ſi vnico dicenti fidem adhibuiſſet; at dum ſe plures vnanimes prodiderunt, ſummam credentis ſtultitiam notarunt: non poterant tranſire; ſed inhærere, qui numero plures, qui nocendi ſtudio conformes. Adeſt Bernardus apud Hugonem Cardinalem ad cap. 1. Exodi: *Ne acquieſcas dicentibus: Incuruare: nec credas adiicientibus, vt tranſeamus; non enim tranſeunt; ſed hærent, ex quo ſemel ſuppoſueris corpus tuum, & terram, & viam trãſeuntibus: inundatio tranſeuntium ſurgere non permittit.* Profectò, etſi anima vni ſe vitio ſubiecerit, & ad tranſitũ humiliarit, poterit non ægrè aſſurgere, dum aliud de nouo adueniens veſtigiis non conculcarit; at dum plures quaſi inundatione opprimũt, deiectam ſemel aſſurgere non permittunt: quid enim iuuat, ſi reſipiſcat quis à ſuperbia, dum impetitur à luxuria! ſi renunciet libidini, ſi inſeruit cupiditati? Satis non eſt, vt liber incedas pedem vnum expediuiſſe à vinculo, ſi geminatum vinculum alium oppreſſerit pedem. Omnia rumpenda ſunt virtutis obſtacula, vt valeas expediri: quia 113.

Iſaiæ 51. v. 22.

Bernard.

quia difficillimum eſt contra ictum fluuij conari. Diu inſeruies, diu iugum patieris, ſi te plurimis vitiis ſubdideris:illa namque ſibi inuicem ſuffragantur, & ab vno transfugam aliud apprehenſum reſtituit, & antiquæ captiuitati oppreſſum miſerè reddit: vt fallant vitia ſe citiſſimè tranſitura promittunt;at hærent;imo quaſi inuiſcerata, & concarnata per ſpatia longiſſima perſeuerantia durabunt.

114. Dauid cùm oues parentis ageret,ſic indefeſſè illatum ſaluti incumbebat,vt laborioſa aggrederetur certamina,quo prouidentior fulgeret cura. Leo aut vrſus aliquando fame ſtimulatus audebat in gregem; ſed Dauid intrepida fortitudine mortis inferebat pœnam,quò belluæ puniret audaciam: *Paſcebat ſeruus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo,vel vrſus,& tollebat arietem de medio gregis, & perſequebatur eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum.* Ecce licèt ouis aliquando leoninos rictus tulerit, citò ouili gregique reſtituebatur, nec diu perſeuerabat violentia,quamuis feralis rapuiſſet audacia.Tranſi modò,ſi placet, ad Iobi hiſtoriam, vbi Chaldæi inuadentes non ſolùm tulere camelos; ſed & percuſſerunt paſtores: *Chaldai fecerunt tres turmas, & inuaſerunt camelos,& tulerunt eos,nec non & pueros percuſſerunt gladio,& ego fugi ſolus.* Profectò diuerſa videbatur futura ouis & cameli conditio, quandoquidem camelus fortis, ouis imbecillis:& adhæc alibi rapiebat,etſi ferus, homo;alibi truculentiſſimus leo;& tamẽ non lego camelũ reſtitutũ, cùm arietẽ legã de vnguibus leonis ereptum. O fortunatiſſimam ouium ſortem,quibus paſtor contigit Dauid, qui officio non detrahat fuga; ſed gregi conſulat piâ audaciâ: non vnicus vt oues paſtor cuſtodiebat camelos; & tamen ouis exiguo tempore fuit leonis præda,cùm camelus hoſtem ditarit per longa ſpatia.Et quæ diſcriminis cauſa eſt? vnico hoſti, etſi leoni,ouem fuiſſe ſubiectam, & camelum plurimis hoſtium turmis impetitum, & à plurimis captiuatum: *Fecerunt tres turmas,& inuaſerunt camelos.* Quid? *Et tulerunt eos.* Vbi plurima vitia aſſociata quemquam captiuant, non facilè rumpit vincula,nec citò ſe expedire à multiplici quit violentia.In his tribus Chaldæorum turmis agnoſcit Hugo Cardinalis tria notiſſima vitia,ſcilicet luxuriam,auaritiam, ſuperbia.n: *Tres turma*, inquit,*concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, ſuperbia vita.* Iniquum vitiorum fœdus non ſolùm camelum fortem oppreſſit;ſed reſtitutionis ad ſpeciem ſpem præcidit:ab vno vitio captus ſe forſan expediuiſſet camelus; at dum multis ſubiacet,diu ſub tyrannico iugo gemit.

1. Reg. 17. v. 34.

Iob. 1. v. 17.

Hugo.

115. Zachariæ obiicitur mulier amphora quodammodò incluſa: *Ecce mulier vna ſedens in medio amphora.* In muliere hac impietatem ſignari,non poteſt in dubium verti, quando ab ipſo Angelo conſtat ediſſeri: *Et dixit: Hac eſt impietas:* Amphoram occupabat impietas;verùm nondũ erat impietatis firma ſedes;imò ad ſpeciem vti lutea, infirma & fragilis; verùm dum aliæ duæ mulieres amphoram aſſociatæ leuant, adeò firmatur, vt ſtabilita miſerè fruſtretur periculum, & ferri induerit ingenium: *Ecce dua mulieres egredientes, & ſpiritus in alis earum, & habebant alas quaſi alas milui,& leuauerunt amphoram inter terram & cœlum. Et dixi ad Angelum,qui loquebatur in me: Quò iſta deferunt amphoram? Et dixit ad me vt ædificetur ei domus in terra Sennaar,& ſtabiliatur.*

Zachar. 5. v. 7.

Modo ſtabilimentum accipit anteà non habebat: anteà namque vnius erat mulieris deteſtandæ poſſeſſio; at plures modò in amphoram ſortiuntur dominium: iam erit ſtabilis poſſeſſio malitiæ: quia non vnico,ſed plurimis vitiis inſeruit. Aptè Gregorius lib. 14. moral. cap. 16. *Quid aliud in his duabus mulieribus accipimus,niſi duo principalia vitia, ſuperbiam ſcilicet & inanem gloriam,qua impietati abſque vlla dubitatione coniuncta ſunt?* Quid aptius? Iam impietas firmatur ſtabilis: quia impia vnio in pericula armatur, & contra inimicos fulcitur.

Gregor.

---

§. XXIX.

Qui quanta vitiis ſoluantur tributa expendit, ſceleris iugum excutere ardenter ſatagit.

Sequi vitia promiſſis allectum commodis, eſt errantis; at tributa vitiis patienter pendere, eſt egregiè cæcutientis: auaritia pecuniæ ſpebus alitur, luxuria voluptatibus innutritur, ambitio plauſu togaque prolectatur: aliqualem excuſationis colorem habent, qui magna ſibi, etſi nunquam futura fingunt, & vitiorum ſuffragio exambiunt. *Auaritia*, aiebat Seneca epiſt. 69. *Pecuniam promittit, luxuria multas ac varias voluptates; ambitio purpuram & plauſum, & ex hoc potentiam, & quidquid potentia poteſt: mercede te vitia ſolicitant:* Dum vitia mercede ſolicitant, mirum non eſt nanciſcantur aſſeclas; at extra fidem videtur duriſſima exigere vectigalia, & nihilominus hominum ſibi allicere ſtudia! inardeſcit affectus, dum quocumque ſe verterit, pretium aliquod erroris videt; ſed qui pretio allicitur, diſpendio videbatur auertendus & effugandus; eæ tamen ſunt vitiorum præſtigiæ, vt vſque ad cæcitatem perducant, mercede promiſſa impellant, & iam obcæcato vectigalia duriſſima imponant. Certè ſi oculos depulſis caliginibus luci reſtitueremus,penſaremuſque quanta à nobis, quamque dura exigat vitium, impatienter illius toleraremus imperium; at offundit tenebras oculis id ipſum quod impoſitis premit tributis. Meditare quàm laborioſa, quàm ardua, quàm periculis plena aliquando tentaueris, & ſtupebis, diceſque: Quomodò hæc ſuſtinui? & ad hæc ſoluenda quomodò veni? Aod à populo delegatur, vt Egloni tributa ſoluat: *Miſerunt filij Iſrael per illum munera Eglon Regi Moab.* Tributa deferens Eglonis necem meditatur, & tyrannici imperij iugum excutere adoritur: *Extendit Aod ſiniſtram manum, & tulit ſicam de dextro femore ſuo, infixitque eam in ventre eius.* Antequam munera offerret, imperium tyrannicum tolerabat; at cum quanta exigeret, animaduertit, imperium eius excuſſit: *Miſſus eſt in nuntium*, ſcribit Abulenſis quæſt. 17. *ad Regem Eglon, & ex hoc habuit opportunitatem occidendi ipſum, miſeruntque per illum munera filij Iſraël Eglon regi Moab: iſta munera erant tributa, ad qua tenebantur ſingulis annis Iſraëlita Regi Eglon.* Ecce occaſionem occidendi tributa illa numerare, & illorum pretium expendere: tributa ſoluens Eglonem 116.

Seneca. Vitia mercede ſolicitant.

Abulenſ.

Digitized by Google

Eglonem occidit: quia ipſa tributorum grauitas iniquam condemnabat patientiam,& de Eglone vitiorum imagine repetere ſuadebat vindictam. O ſi expenderemus quot tributa ſoluimus,quot duriſſima vectigalia vitiis numeramus!Profectò totis viribus iugum moliremur excutere, & virtuti nos reſtituere. Aod quouſque tributa referēs quanta eſſent, animaduertit,Eglonem ſuſtinuit; at dum expendit,pia audacia tyrannum occidit.

117. Hoc ipſum caput hanc veritatem oſtendit. Chuſan Raſathaim rex Meſopotamiæ deuictis Hebræis ad copioſa tributa compellebat,Othoniel Domini ſpiritu plenus populo ſuaſit tot vectigalia non ſoluere;ſed infame iugum excutere, Iudic. 3. v.10. quod & obtinuit: *Fuit in eo ſpiritus Domini & iudicauit Iſrael,egreſſuſque eſt ad pugnam.* Rebellauit Othoniel tributa ſoluere dedignatus, & eius conſilio populus maluit honeſtè occumbere in campo, quàm caro adeò deteſtandoque frui Abulenſ. otio. *Egreſſus eſt ad pugnam*, ſcribit Abulenſis quæſt. 10. *Iſtud bellum motum fuit ex parte Chuſan Raſathaim: nam prius dominabatur Iſraelitis & recipiebat ab eis tributa, quæ volebat; cùm autem incidit ſpiritus Domini in Othonielem, noluit quòd ſoluerentur tributa,& tunc Chuſan mouit bellum,ad quod egreſſus eſt Othoniel* Cùm prudentia Dominique ſpiritus mentem reluminauit, quæ tributa ſolueret,populus animaduertit,& pugnare maluit,quàm ſoluere:honeſtius iudicauit belli ſuſtinere laborem, quàm caram otij adeò deteſtandi nanciſci tranquillitatem. Quæ pericula cæciſſimè non vorantur,quæ diuitiæ non prodiguntur, quæ ærumnæ non ſuſtinentur?Pugnandum eſt honeſtè rebellanti; ſed & laborandum ſoluenti.Et quidem bellum attulit gloriam,iners illud otium pepererat ignominiam.

118. Naas Ammonites aduerſus Iabes Galaad pugnans ad eas anguſtias Galaaditas redegit, vt ſeruos ſe libenter traderent, ſi in ſeruos vellet admittere: ille, vt erat ſuperbiſſimus, ea conditione annuit, vt dextros oculos omnibus illis 1. Reg.11. v.2. erueret: *In hoc feriam vobiſcū fœdus, vt eruam omnium veſtrum oculos dextros.* Illud tributum exegit,quod lucem auferret,& opprobrium illis adduceret: ſic fœderatos teſtatur ſe habiturum, ſi priuati lumine ſeruiant: aliter namque parum illis fidet, quia rebellaturos citiſſimè credit. Et quidem aſtutus apparuit vti iniquus, quandoquidem agnouit oculis vſos nullatenus duri adeo iugi diu perlaturos labores, & laborum pœnalitates: ipſa fœderis conditio erat tyrannidis exaggeratio, quandoquidem verebatur nullatenus ſuum admittendum imperium abiis, qui lumine non obcæcarentur priuati, & oculorum aciebus orbi: illos admiſit cæcos, vt habere poſſet captiuos; & iure quidem: nam qui cæcitate non preſſi, vitio dedignantur ſer- Gloſſa. uire. *Per Naas*, ſcribit Gloſſa moralis, *qui ſerpens interpretatur, diabolus intelligitur.* adſti- Theodoret. pulantur Theodoretus, & Procopius apud gloſſam: *Iſraelitas bello inutiles reddere voluit: ſiniſter enim oculus clypeo tegitur; dextro autem hoſtes aſpicimus.* Ne poſſent rebellare, priuare ſatagebat aſpectu, præuidens quod ſi vterentur oculis, iugum frangerent, nec ſeruirent. Naas iniquitas nobis pro doctrina eſt: cæciſſimus namque conuincitur, qui ſerpenti præſtat obſequium, quandoquidem ſi frueretur luce, mallet quàm obedire, pugnare.

119. Salmanaſſar Aſſyriorum exercitus cogit contra Oſee filium Ela Samariæ regem: Oſee vi oppreſſus ſeruitutem admiſit, & pendere tributa ſpopondit: *Factus eſt ei Oſee ſeruus,* 4. Reg.17. v.3. *reddebatque illi tributa*: Tributa aliquanto tempore pependit,verùm ſolutione prægrauatus, & calamitate monitus iugum molitur excutere, & pro viribus rebellare: *Cùm deprehendiſſet rex Aſſyriorum Oſee quòd rebellare nitens miſiſſet nuntios,*&c. Oſee ſe Regem ac ſeruum ſimul agnoſcens veluti geminatis ſtimulis vrgebatur, maieſtatis ſcilicet dignitate,& miſera ſeruitute: videbat quantis Salmanaſaris iugum admittens tributis,ſe conſtituerat obnoxium,& ipſa vis, quæ cogebat ſoluere,conſulebat rebellare: non ſuppetebat illi aurum ad dignitatis ſplendorem imò neceſſum erat anxio labore colligere, quod hoſti poſſet impendere, libertate ferè mulctatus ſeruiebat,miſera captiuitate premebatur ſeruus, qui origine nobiliſſimus: nitebatur ergo iugum excutere, quia ſe tributis agnoſcebat prægrauari: *Penſitauit Oſee*,ſcribit noſter Sanctius, Sanctius. *aliquot annis tributum, quod ex pacto debuit Aſſyriorum Regi, quod cum graue exiſtimaret ſibi, & populo, id tacitè meditabatur, vt ſeruitutem illam ignominioſam, & duram quam primùm excuteret.* Duro iugo preſſus compellebatur deſiderare animo libertatem, & ignominioſam illam abiicere ſeruitutem: voluit ſaltem vitam defendere: quia iam libertatem viderat penitus perdidiſſe. O ſi depulſis tenebris nobiſcum meditaremur, quàm duras tributorum nobis leges, vitium imponat! Profectò reſipiſcentes laudabiliter rebellaremus tueri libertatem niſi, & erga ſalutem prouidi. Quibus periculis adulter non ſubiicitur? Quod libidini aurum non ſoluitur? Quæ infirmitas non contrahitur! Prudentibus ipſa vitiorum miſeria pro armis eſt, pugnat namque aduerſus crimen ipſa criminis tyrannis, & dum imperat duriſſimè vitium, conſulit pro vita ac libertate pugnare, & feritatem eius in ipſum vitium torquere. Quàm benè Saluianus lib. 5. de Saluian. gubernat. Dei. *Vna re ad duas diuerſiſſimas coarctantur: vis ſumma exigit,vt aſpirare ad libertatem velint; ſed eadem vis poſſe non ſinit, quæ velle compellit.* Vitij ingenium dum ad graue cogit tributum, compellit pro libertate certare, & iugum infame excutere.

Iudas Machabæus contra Apollonium aciem 110.
inſtruit, fortiſque inimicum exarmat, & propriis armis oppugnat: *Accepit ſpolia eorum,* 1. Machab. 3. v.12. *& gladium Apollonij abſtulit Iudas, & erat pugnans in eo omnibus diebus* Stephanus in allegor. Tilmani ad mores hiſtoriam adaptans ſic ſcribit: *Iudas pugnat cum gladio Apollonij, cùm confitens attendit, quanta ſit miſeria mundi, quàm breuis voluptas, & per talem conſiderationem cauet ſibi.* Penſat non adulterata prudentiæ lance diſertiſſimus Iudas voluptatem breuiſſimam,qua vitium prolectat, & miſeriam grauiſſimam, qua homines ſubiugat,& de miſeria arma contra voluptatem procudit: dum voluptati inſeruientem diſpoliari auro,libertate,animæ corporiſque ſalute cognoſcit,æqua lance penſat tributa ſoluenda,& arma procudit ad denegāda. Quibus nos vitium ſubigit armis,ſi diſpicere vellemus,facilè libertatem noſtram poſſemus tueri,& in ipſum depræliari. Quiſque deterſis improbæ affectionis nebulis ſecum reputet quàm dura tributa vitio ſoluerit,quàm miſerè impenderit,vt iugum frangat,

vitamque

Digitized by Google

vitamque honeſtè rebellando defendat. Adde tolerabile ad ſpeciem fore, ſi tyrannus penſitatis tributis contentus quid aliud non moliretur ad ſubiectorum perniciem, & cæcorum calamitatem; ea tamen eſt hydropica huius tyranni ſitis, vt acceptis vectigalibus ſoluenti moliatur ruinam, & quibus videbatur emolliendus, inardeſcit plus iracundus.

121. Adeſt huius veritatis teſtis Ezechias, in quem cùm Sennacherib victoriis inſolens inſurgeret, quodcumque vellet, tributum pendere neceſſitare coactus ſpopondit: *Omne, quod impoſueris mihi, feram.* (4. Reg. 18. v. 14.) Improbus tyrannus ferè innumeram ſummam tributorum indixit, & pendere ſibi coegit: *Indixit itaque rex Aſſyriorum Ezechiæ regi Iuda trecenta talenta argenti, & triginta talenta auri.* Ezechias, ne indignationem ſufflammaret, Domini theſaurum, regiaſque gazas impendit, & templi valuas auro nudauit, vt Aſſyriorum ſuperbiam inſolentiſſimam innutriret. In tempore illo confregit Ezechias valuas templi Domini, & laminas auri, quas ipſe affixerat, & dedit eas Regi Aſſyriorum. Quid tunc? Tributis non contentus exercitum mittit, vt ciuitatem, & dominationem auferret: *Miſit autem rex Aſſyriorum Tharthan*, &c. Rogant interpretes, cur exercitum inſtruxerit, quando tributa pendi conſtabat: reſpondentque priùs impoſuiſſe tributa; ſed acceptis tributis ſuſpirare etiam imperia. (Lyra.) *Sciendum,* ſcribit Lyra, *quòd rex Aſſyriorum accepta pecunia ſub pacto dimittendi regnum Ezechiæ in pace, infideliter agens pactum non ſeruauit; ſed miſit exercitum & nuntios in Ieruſalem ad terrendum Ezechiam, vt territus redderet ciuitatem.* Sitis eius ipſis tributis inflammabatur, & quibus videbatur ſopienda, conſtitit flammantius arſiſſe, & in vitam, regnumque exercitum ipſis tributis comparatum armaſſe. Profectò mirè in Sennacherib depictum eſt vitiorum ingenium: illis tributa pendimus, & ipſis tributis hoſtes in nos duriores armamus: à nobis accipit vitium, quæ ſuis militibus ſtipendia largiatur, & dilargitis annonis nouam in nos calamitatem molitur.

---

§. XXX.

In grande vergit Reipublicæ commodum exactoribus carere, & venali illorum indulgentiæ obuiari.

122. Rationum publicarum debita infauſtæ ſunt ægritudini comparanda: grauant, & grauatum debilitant, niſi ſub celeritate ſoluantur: reatus quidem magnus eſt ſub tributorum iacere debito: nec liber poteſt veraciter dici, qui exactori probatur obnoxius. Prudentiſſimus eſt, qui ſe ipſum ad ſoluendum vrget, quo rapacem exactorum indulgentiam, aut ſeueritatem fugiat iniuſtam. Principi tributum ſoluitur; ſed exactori tributa: vtque peccatum vnum alterius peccati eſſe ſolet illicium; ſic eſt alterius etiam vectigalis vectigal; neſcias quid grauius, duriuſque ſit, exactores venalitate parcere, aut feritate ſæuire. (Caſſiod. *Exactores parcendo grauant.*) Quàm prudenter de exactoribus Caſſiodorus 12. var. 10. *Parcendo non parcitis, exonerando prægrauatis, & dum venales moras quæritis, tributa duplicatis.* Crudeli miſericordia concedunt inducias, & beneficia vndequaque fellita in rapinæ aſſumunt auxilium, & plus premunt, dum graſſando exigere differunt: debitores ſua damna carè mercantur, & miſeri dilati tantiſper temporis ſpatium incommodis redimunt, & noua iniquæ miſericordiæ tributa ſoluunt. Iſraëlitæ ab Eglone ad nimia adurgebantur tributa, vtque grauem adeò calamitatem, vt licebat, leuarent, per Hebræum Aod Principi remiſerunt tributa, plus veriti exactorem ſuſtinere, quàm aurum Egloni ſoluere: *Miſerunt filij Iſraël per illum,* (id eſt Aod,) *munera Eglon regi.* (Lyra.) Lyra tributum aſſerit munus appellari: *Miſerunt munera, id eſt, tributum:* quaſi tributorum careat grauamine, quod non penditur exactori: tributa deferebantur; verùm appellantur munera: quia dum Hebræi exactoribus non opprimuntur, ipſi contributionibus non grauantur. Huc voco quod aiebat citatus Caſſiodorus: (*Prudens ſe ipſum compellit.*) *Prudens ſe ipſe compellit; minus cautus eſt, qui vrgetur ab altero.* Per Aod manus tributa mittuntur, vt exactorum ſæua vitetur indulgentia, nec dura vexet ſæuitia.

123. Antiochus duriſſima Hebræorum peſtis, vt prorſus illos attereret, copioſo exercitu Ieroſolymam intrauit: quidquid deſiderabile, tulit, & pretioſum omne diripuit; verùm his non contentus tributorum Principes aut exactores miſit, qui igni ciuitatem ſuccenderunt, & ignis ad inſtar omnia depopulati ſunt: *Poſt duos annos dierum miſit rex Principem tributorum in ciuitates Iuda, & venit in Ieruſalem cum turba magna.* &c. *& irruit ſuper ciuitatem repentè, & percuſſit eam plaga magna, & perdidit populum multum ex Iſraël, & accepit ſpolia ciuitatis, & ſuccendit eam igni, & deſtruxit domos eius.* (1. Machab. 1. v. 30.) Maligna prudentia tributorum exactorem delegat, cùm omnia prorſus abolere præoptat. Ipſe Antiochus etſi populum ad miſeranda lamenta compulerit; flammis tamen voracibus domos non tradidit; at dum exactorem tributorum delegat, perniciem Hebræorum conſummat: *Hic conſequenter ponitur perſecutio,* ſcribit Lyra, *quam fecit Antiochus per ſuum ducē fallacem.* (Lyra. Gloſſa.) Annuit Gloſſa moralis: *Studet vi vel fraude rapere bona ſubditorum, & iſte mittitur à diabolo.* Si diabolus aliquem virulentiſſimo quo ardet in homines odio, mittere decreuiſſet, non alium niſi tributorum Principem delegaſſet: domos diripuit, ciuitatem euertit, & ignis ad inſtar, quidquid tributariis erat, vorauit.

124. Vt Chriſtus Dominus quantum pœnitentia obtineat, miris coloribus, penicilliſque delinearit, Phariſæum & Publicanum orantes in templo inducit. *Publicanus à longè ſtans nolebat nec oculos ad cælum leuare; ſed percutiebat pectus ſuum dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori. Dico vobis: Deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam.* (Luc. 18. v. 13.) Et quod huius hominis crimen: Nullum exprimitur; ſed omne delictū ipſo titulo denotatur: implacabilis rapacitas, latrocinium auctoritate fultum, vis omnibus inſidians, cuius de aliorum calamitate theſaurus, & cuius fructus aliorum gemitus. Adeſt Baſilius Seleucienſis orat. 35. (Seleucienſ.) *Publicanus ipſo vitæ morūque inſtituto accuſabatur, qui curam ceperat vectigalium, plura concupiſcendi licentiam, implacabilem rapacitatem, latrocinium legibus pro armis vtens, vim inſidiantem terra marique ſoluentibus.* Ecce quæ crimina ipſo nomine inſcribantur. Profectò qui publicanum ſuſtinuit, aduerſarium duriſſimum tolerauit. Exactores nāque ſunt diuitiarum tineæ paulatim omnia abſumentes, lenteque deuorantes: *Vectigalium redemptio,* addit Baſilius, *ad vtraque elementa inexplebilium publicanorum manus diuidit, vectigalium*

redemptio,

Digitized by Google

redemptio, cuius fructus aliorum lachryma, cuius theſaurus aliorum miſeria. Vt peſti ingenitum eſt omnia inficere, & ſalutem prorſus depellere, ſic publicanis innatum Reipublicæ ſalutem depaſcere, & theſaurum de gemitibus miſerorum opplere. Ergo dum publicanus indulgenter remiſſus ad diuinæ clementiæ proditur pompam, exprimitur ad quantam aliorum exactione vtatur miſeriam. Ergo qui prudenter ſibi conſulere ſtatuit, quantum fas erit exactorem ſuſtinere vitabit.

125. Populus Iſraëlitarum magnis ſpebus olim ab Ægyptiis allectus, duriſſimis poſteà tributis ingemiſcebat grauatus, nec ſolum grandem laterum numerum pro tributo tenebatur conficere; ſed pueros recenter natos cum nulla humanitate dolebat fluctibus deuorari; verùm iuſtitiæ oculus miſerorum calamitates non deſpexit; ſed orationis clamore impulſus & excitatus auxi-
Exod 3.v.7. lium impendere calamitoſis decreuit: *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui propter duritiem eorum, qui præſunt operibus.* Hebræi naturæ fluctibus edicto tyrannico mulctabantur, natura veluti obſidione concludebatur, & genitum eſſe iniquæ ſententiæ ſubiacebat; verùm etſi deteſtandum hoc facinus parentes afflixerit, ad clamores populum compuliſſe textus expreſsè non prodidit; at ea erat exactorum nequitia, vt nullum viuere paterentur; ſed ad copioſas & amaras lachrymas cogerent, & ad grauiorem ipſa morte vitam ſuſtinendam compellerent: *Clamorem eius*, inquit, *audiui propter duritiem eorum, qui præſunt operibus.* Exactorum durities ſic miſeros vrſit, vt in clamores proruperint vitamque morte commutare deſiderarint. Nam ſic dolebant ob tyrannicum contra pueros edictum, ac ob ferinum intractabileque exactorum ingenium. Expreſſit
Chaldaica. hoc Chaldaica paraphraſis: *Clamorem eius audiui à facie exactorum eius, id eſt propter exactores*
Lippom. *eius*, exponit Lippomanus. Pharao, vt attereret populum, variis, nequiſſimiſque artibus vſus eſt, maſculorum damnauit parturas, multiplicauit exactores, adeoque hoc extremo dolo attriuit populum, vt in eius liberatione Numinis potentia luxerit, & valentia brachij radiarit. Iam diſpoliatos fuiſſe ab exactoribus Hebræos textus innuit, dum diſpoliandos Ægyptios monet.

126. Aurum iubet Deus veſteſque pretioſas ab Ægyptiis accipere ad iuſtam compenſationem:
Exod 3.v.22 *Spoliabitis Ægyptum.* Diſpoliationem hanc bonorum fuiſſe reſtitutionem, docent Patres, &
Lyra. ſacri interpretes. Adeſt Lyra: *Nec habuerant*
Exod.1.v.11 *recompenſationem laboris ſui nec violentia ſibi factæ: & ideo Ægyptij eis in multis tenebantur.* Lego ædificaſſe ciuitates Principi: *Ædificauerunt vrbes tabernaculorum Pharaoni:* ſed illorum bona rapta non lego: cur ergo Ægyptij ſoluunt, quod non tulerunt? Imò abſtuliſſe conſtat, dum conſtat plures exactores præfuiſſe operibus: ſi talionis lege ſunt Ægyptij puniendi, omnibus bonis ſunt diſpoliandi: aurum ſub ſpecie mutuationis reſtituunt: ſpoliauerant namque exactores omnibus diuitiis Hebræos, dum ad violentiam auro redimendam cogunt, & pretioſis quibuſque rebus placare feritatem compellunt. Principi ciuitates ædificarunt; ſed exactores ædificantium domos vacuas rebus omnibus reddiderunt.

127. Chriſtus Dominus vt omnibus benefaceret, Matthæum publicanum muneri renuntiare Matth.9.
ſuaſit: vidit hominem ſedentem in telonio Mat- v.9.
thæum nomine, & ait illi: *Sequere me:* hoc vt erant criminationis ſtudioſiſſimi Phariſæi vti delictum obiiciebant, ſcilicet publicanos vocare, & cum illis edere. Quid tunc Dominus? Ad Oſeam prophetam remittit, vt miſericordia Deum gaudere nouerint: *Diſcite quid eſt, miſericordiam volo.* Dum exactorem vocat, omnium miſeretur, & iam non in vnum aut alterum oſtendit miſericordiam; ſed communis calamitatis redimit cauſam. Huc voco D. Laurentium Laurentius
Epiſcopum Mediolanenſem: *Quid eſt publica-* Mediolan.
nus? Nonne caput rapinæ, & lex violentiæ? Quid eſt publicanus? Prædo ſine pudore, medicus extermini: nonne immanior furibus eſt publicanus? fur namque vel timens furatur; hic autem delinquit confidenter: fur laqueos legis timet, hic quidquid fecerit, legem putat: lex furem deterret ab illicitis, hic ad iniquum malitiæ ſuæ compendium legem trahit. Exactores vt homines ſunt frequenter obſcuræ conditionis, ſic notiſſimæ rapacitatis: nihil ab illis tutum, quia ipſa lege abutuntur ad latrocinium, & lex quæ graſſatoris prohibet manus, adulterata defendit exactorum adſultus.

Copioſis lachrymis deflebat Iſaias populum 128.
ab exactoribus diſpoliatum, & ad mulieres per- Iſaiæ 3.v.12
ueniſſe dominium, *Populum meum exactores ſui ſpoliauerunt, & mulieres dominatæ ſunt eis.* Quàm miſer erat populus, cui mulieres libertatis gloriam, cui exactores abſtulere pecuniam. *Hoc faciendo*, ſcribit Rupertus lib. 1. in Iſaiam cap. 12. Rupert.
nimirum omni gloria populum ſpoliauerunt, & nudum inter hoſtes conſtituerunt. Sub tyranno beatior eſſet, qui ſub magno exactorum numero populus extitit infelicior. Quàm aptè Sal- Salvian.
uianus libro quinto de gubernatione Dei. *Exactionis publicæ nomen in quæſtus proprij emolumenta verterant, & indictiones tributarias prædas ſuas eſſe fecerunt, qui in ſimilitudinem immanium beſtiarum non rexerunt traditos ſibi; ſed deuorarunt; nec ſpoliis tantum hominum, vt plerique latrones ſolent; ſed laceratione etiam, &, vt ita dicam, ſanguine paſcebantur.* Infeliciſſimus populus, cuius quiſque ciuis cogebatur exactores plures ſanguine paſcere, cum non haberet vnde impendendum ſanguinem poſſet adquirere. Grauiora latrocinia, & duriſſima ſpolia, quam penitus conabantur auertere, communi ſaluti dicebantur ſtudioſiſſimè militare, vt neque hoc miſerrimis hominibus remaneret ſolatium, poſſe ſcilicet querelis lenire dolorem, quandoquidem ipſi, qui illos iniquiſſimè diſpoliabant, fellita miſericordia parcebant. Ergo qui Reipublicæ incolumitatem ſuſpirat Princeps, vigilantiſſimo ſtudio conetur hanc exactorum peſtem prorſus auferre, aut ſaltem quantum fas erit, minuere. Aod celebratiſſimus Princeps, cùm populi ſatagit calamitatem temperare, ſtuduit tributum colligere, & ſoluere, nedum differt, paſcendi miſerorum carnibus exactores inuolarint, & ferè extremis calamitatibus nouas calamitates addiderint.

§. XXXI.

Digitized by Google

§. XXXI.

Mirum eſt à populo ſoluta integra ad Principem peruenire, vt dilargita à Principe incorrupta ad accepturos deſcendere.

129. ILluſtrior eſſet Principum liberalitas, ſi vt ab
illis exeunt relucentia beneficia, quibus deſti-
nantur, deſcenderent: vt populi etiam deuotiùs,
grandiuſque reluceret obſequium, ſi, vt ſoluitur,
ad Principem perueniret tributum; verùm idem
fatum contigit obſequiis, & beneficiis: per mini-
ſtrorum manus ſæpiſſimè corrũpuntur, & ad in-
ſtar bibulæ arenæ combibunt, ſuguntque quid-
quid per illas effluxerit, Principis gloriæ appli-
catur, quidquid generoſa ſubiectis humanitate
conceditur. Regnantis fulget liberalitas ditior,
cùm honeſtè cenſus diſſipatur profuſior; ve-
rùm ea eſt geminata Principis, & ſubiectorum
iniuria, vt per quorum tranſeunt ſæpiſſimè ma-
nus, aut à Principe conceſſa vendantur, aut miſſa
à ſubiectis adulterentur. *Hanc cauſam*, aiebat
Caſſiodor. Theodericus Iuliano Comiti patrimonij 1.
var. 16. *Sublimitatem tuam iubemus diligenter in-
quirere, vt quantum eos minus vendidiſſe conſtiterit,
de reliquis primæ indictionis habita moderatione
detrahatis: ita tamen vt nulla fraus noſtris bene-
fici inſeratur, ne aliqua negligentia reddaris
obnoxius, qui ſemper nobis promida intentione pla-
cuiſti: quia ſicut nos tangunt ſupplicum damna,
ita nobis eorum fructuoſa debent eſſe compendia.*
Verebatur ſapientiſſimus Princeps quod ad ſup-
plicum vtilitatem concedebatur beneficium, de
miniſtrorum auaritia, venalitate corrumpen-
dum, & commercio iniquo obſcurandum. Et
quidem ita eſt: ſæpè namque miniſter vnicus,
qui inter ſubditos & Principem medius, gemina
inuenitur auaritia pollutus, dum à Principe col-
latum vendit, & à ſubiectis ſolutum imminuit.
Solabatur Caſſiodorus 12. var. 5. Rempublicam
calamitate vexatam: quia iam exactorum manus
effugerat: quaſi commodius fuerit premi inopia,
quàm exactorum diuexari rapina: *Nolite igitur
eſſe ſoliciti: euaſiſtis exigentium manus: tributa
vobis præſens adimit apparatus; ſed quò facilius in-
ſtrueretur veſtra notitia, imputationum ſummas
infraſcriptis Breuibus credidimus exprimendas, vt
nemo vobis vendat beneficium, quod publica noſci-
tis largitate collatum.* Confert Principis largitas;
ſed vendit miniſtrorum cupiditas. Populus He-
bræorum ad ſoluenda Egloni tributa compel-
lebatur, contractas ſummas per Aod manus ob-
tulit Principi: *Miſerunt filij Iſraël per illum mu-
nera Eglon Regi Moab.* Quid tunc? Munera inte-
gra fide obtulit, nec ſummam imminuit: *Obtulit*
Interlinear. *munera Eglon Regi Moab.* Interlinearis filium
laudis Aod vocat, vt iam omnibus haberetur
tur laudandus, qui accepta à ſubiectis tributa
fide integra reddidit, nec ſuadente auaritia im-
minuit: *Aod interpretatur laus.* Et iure lau-
dabilis, cuius manus rapina nullatenus ſordeſcit
polluta; ſed vtraque habetur dextra: *Miſe-*
Lyra. *runt*, ſcribit Lyra, *filij Iſraël per illum
tamquam per ſolemnem nuntium munera Eglon
Regi Moab, id eſt, tributum.* Solemnis
& ſingularis Aod proponitur celebrandus,
vt potè per cuius manus à populo ſoluta ſi-
ne fraude thaſauris fuerint Principis applicata.

130. Chriſtum Dominum vſque ad deſertorum
errores turbæ ſequebantur, adeò ab eius
ore pendentes, vt vel alimoniæ oblitæ ſer-
moni intenderent verborum dulcedine ille-
ctæ; verùm quia Dei verbum auſcultanti-
bus deeſſe non poteſt ad vitæ ſuſtentatio-
nem neceſſarium, multiplex aggreditur pa-
trare prodigium: iubet cibos requiri, puer
quinque panes & duos piſces obtulit: *Eſt* Ioan 6. v. 9.
*puer vnus hic, qui habet quinque panes hor-
deaceos, & duos piſces:* quos in manus Principis
deueniſſe prodit expreſſè Matthæus: *Acce-* Matth. 14. v. 19.
*ptis quinque panibus, & duobus piſcibus aſpi-
ciens in cælum benedixit & fregit, & dedit
diſcipulis panes, diſcipuli autem turbis.* Hic
populus quaſi celebriori miraculo excitatus
in Regem inaugurare diſcupit; & quidem
perfeciſſet, niſi matura fuga illius anteuer-
teret votum, & fruſtraretur ſtudium: *Illi* Ioan. 6. v. 14.
*ergo homines cùm vidiſſent quòd Ieſus fece-
rat ſignum, dicebant, quia hic eſt verè
propheta, qui venturus eſt in mundum.*
Mortuos excitans, claudos reformans, cæ-
corum lumina illuſtrans non magnam adeo
apud populum diuinitatis famam ſortitus eſt.
Dicebant alibi adoleſcente ſuſcitato: *Propheta* Lucæ 7. v. 16.
magnus ſurrexit in nobis: hîc iam non ma-
gnum, vti alios olim prophetam inclama-
bant; ſed verè Meſſiam, prophetarum do-
minum, ac diuinitate præditum agnoſcebant.
Ecqua huius ratio? Vidiſſe panes non ſolùm
in Domini manibus illæſos; ſed etiam in
miniſtrorum, diſcipulorumque manibus au-
ctos, quod adeò inſolitum erat, vt omnipo-
tentem crediderint, ac Meſſiam nouerint.
Dicendum, ſcribit Abulenſis quæſt. 104. ad Abulenſ.
c. 14. Matthæi, *quòd poſitio communis Doctorum
eſt, quod iſta augmentatio fiebat tam in manibus
Chriſti frangentis panes, quàm in manibus diſcipu-
lorum portantium.* Non eſſet inſolitum, nec in ad-
mirationem turbas raperet panem Dominum
multiplicaſſe, cùm iam Elias oleum farinamque
contra leges temporum adauxiſſet, cùm iam Eli-
ſæus exiguo oleo in modum fontis fluere impe-
raſſet; erat tamen perquàm rarum panum fra-
gmenta portantium manibus non imminui; ſed
in populi vtilitatem augeri. Hanc virtutem di-
uinitatis indicem negare vel inuidi non po-
tuerunt: ideoque exertis vocibus Chriſtum
verum Meſſiam deprædicarunt. *Hic eſt ve-
rè propheta, qui venturus eſt in mundum.* O
quanta hîc mira patrata ſunt! à puero ac-
cepta ad Chriſti manus venere integra, & à
Chriſto populo data deſcenderunt ad popu-
lum incorrupta. Adde ad noſtram eruditio-
nem Chriſtum Dominum omnipotentia præ-
ditum, quique in cuiuſque manus, panes
potuiſſet multiplicare, huius largitatis ſolos
diſcipulos delegiſſe adminiſtros, ac ſi veri-
tus ſit in aliorum manibus vel miracula fore
obſcuranda, & fragmenta minuenda. Nota-
uit Abulenſis citatus quæſt. 58. *Dedit diſci-
pulis ſuis: ipſos enim ſolos fecit adminiſtratores
huius conuiuij, diſcipuli autem turbis, id eſt panes
fractos, & piſces minutos, ſicut à Domino ac-
ceperunt, appoſuerunt turbis.* Magna Principis
diligentia ad largitatis ſuæ gloriam quærere
debent adminiſtros: aliter etſi à Princi-
pe exeant relucentia ad ſubiectos bene-

ſicia prouenient obſcura : adulterantur namque inter diripientium manus, & auaritiæ in ipſis manibus patiuntur adſultus.

131. Adeò extra naturæ leges eſt miniſtros, per quorum manus quid mittitur, nil fraudare, vt quamuis ſpecie inferiores apparuerint creaturæ, cenſendi ſunt ſacri ſpiritus cælorum lege viuentes, & ſine concupiſcentiæ periculo miniſtrantes. Ecce Elias intuitus populum Dei beneficiis abutentem, & rerum copiam in vitiorum ſuffragium adulterantem, ira pietatis ſplendore coruſcanti aſſumpta ſiccitatis legem imponit : Deus prophetæ zelum reueritus, ne cum refractariis communem ſuſtineret vindictam, iubet deſertum petere, teſtatus ſe coruis, vt illum paſcerent, præceptum: paruerunt corui, & innato exuentes ſe ingenio prophetæ integrum miniſtrarunt alimentum : *Corui deferebant ei panem & carnes mane : ſimiliter panem & carnes veſperi.* Abulenſis in his coruis ſuperiores agnoſcit creaturas. *Quæretur*, ſcribit quæſt. 15. *an iſti, qui portabant carnes, & panem Eliæ eſſent corui, & quomodo portabant, vel vnde? Reſpondendum quod littera vult iſtos eſſe coruos; ſciendum tamen quòd poſſemus dicere iſtos fuiſſe Angelos : qui miniſtrabant Eliæ ducendo ei cibos.* Si ſpectes alimoniam integram Eliæ delatam, quid coruis maius miniſtros credes, ſi externam intuearis ſpeciem, coruos dices ; ſed adeò perrarum ac inſolitum eſt miniſtros, per quorum manus ad ſubiectos à Principe beneficia deſcendunt, integra incorruptaque peruenire, vt aduerſus oculorum intuitum putandum ſit Angelorum hoc miniſterium, aut certè ſpecialiſſima credenda eſt Angelorum cura, cùm ad Eliam delata eſt non imminuta alimonia : *Coruis præcepi*, ſcribit Nicolaus de Lyra, *miniſterio Angelico ad hoc eos inducente*, Ex quo oſtenditur mirabilis diuina prouidentia. Specialiſſimo Angelorum ſtudio actum eſt, vt Elias integrè donis Principis frueretur; aliter corui diſtraherent, & liberalitas obſcurata ſorderet.

3. Reg. 17. v. 6.

Abulenſ.

Lyra.

132. Chriſtus Dominus quod ſanguinis pretium Iudas accepit ad ſæuiſſimæ cupiditatis augmentum, decreuit ad ſacrum peregrinorum ſepulchrum : ſera deteſtandaque pœnitudine ductus pretium reddidit miniſtris, vt ſi vel reddito pretio poſſet inuidentiam ſopire, quam nouerat dato ardere : *Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quòd damnatus eſſet, retulit triginta argenteos Principibus ſacerdotum, & ſenioribus dicens : Peccaui.* Quàm miſerum fuit nummos ſolùm ad criminis culpam accepiſſe, nec vnum vel in ſui commodum erogaſſe. Templi miniſtri argenteos in agro emendo pauperibus inſumpſerunt, & totum ſanguinis pretium peregrinorum commodis dedicarunt: *Conſilio inito emerunt ex illis agrum figuli in ſepulturam peregrinorum.* Sed nequis de hac veritate ambigeret, aut ſuſpicione pulſatus aliquomodò dubitaret, ſic factum fuiſſe Euangeliſta teſtatur, & reuelatum illi à Deo non ſine myſterio adſtruitur : *Acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiauerunt à filiis Iſraël, & dederunt eos in agrum figuli, ſicut conſtituit mihi Dominus.* In his verbis reuelationem ſibi factam atteſtari Euangeliſtam, tradit Auguſtinus apud D. Thomam : *Ex perſona Euangeliſtæ accipiendum eſt, & in[illegible] inſertum : quia hoc ex Domini reuelatione cognouerit, & ad hanc rem, quæ de Chriſti pretio facta eſt, huiuſmodi pertinere prophetiam.* Benè ; ſed quid neceſſum eſt Euangeliſtam factam ſibi reuelationem prodere, & omnem dubitationem expellere, quando res ipſa creditu non erat difficilis; imò facilis? Emiſſe agrum de pecunia fidem non fatigat: cur ergo Euangeliſta in adſtruenda huiuſcemodi emptione adeò laborat? *Sicut conſtituit*, inquit, *mihi Dominus.* O Euangeliſtæ prudentiam! non ſolùm aſſerit agrum emptum; ſed totum ſanguinis pretium per miniſtrorum manus decurrens in hoc opus integrè inſumptum: *Acceperunt triginta argenteos pretium appretiati:* adeoque inſolitum eſt decretum ad miſerorum auxilium, ſi per miniſtrorum decurrat manus, purè & incorruptè tranſire, vt opus fuerit reuelationem prodere, ne quis de veritate poſſit ambigere. Totum ſanguinis pretium à Deo decretum deſtinatumque ad peregrinorum ſepulturam in hoc opus expenſum traditur. Ergo ad fidem reuelatio diuina proditur.

Matth. 27. v. 3.

Auguſt.

§. XXXII.

Sæpè Deus inſtrumentis parum ad ſpeciem aptis mundi confundit ſapientiam, & ſuam oſtentat miris operibus efficaciam.

MOdò eſt felix & certa conditio negotiorum, ſcribit Caſſiodorus 8. var. 18. *quando ille ſententiam dicit, qui non poteſt ignorare, quod eligit.* 133.
Electio felicitatis, aut infelicitatis in negotiis indubium probatur auſpicium, quando dignè electus non facilè erroris vitio ſordeſcit, vt qui muneri non aptus, non facilè errorem vitabit. Itaque vt ſæpè aquis color, aut ſapor, per quos effluit, accreſcit ex tractibus, ita negotia ab inſtrumentis per quæ diſponuntur, aut lucent feliciter conſummata, aut remanent indecorè ſæpè imperfecta: multum attribuendum eſt mediis, inſtrumentis multum; verùm hoc totum intelligendum eſt reſpectu humanæ prudentiæ, quæ ab ipſis mediis mutuatur auxilium, & per quæ producit effectũ; at Deus, vt omnem gloriã ſibi arroget, nec quidquam laudis cũ inſtrumentis partiatur; imò vt ab ipſa mediorum improportione efficaciæ ſuæ vires dilucidius oſtentet; ſæpè, vt teſtatur Paulus, *Infirma mundi eligit, vt confundat fortia*; quæ fortia difficilè aſſequerentur, facilè infirma aſſequuntur, & Dauid paſtor, bellique indoctus gigantem proſternit, nequis adſcriberet armis, quod ſupernis adſcribi debuit auxiliis. Hebræorum populus duriſſimo Eglonis attritus iugo diuinam opem clamoribus ſibi ſolicitat, Deus, vt qui exorari diſcupit, ſuſcitat ei ſaluatorem, vt placet plurimis, manus dextræ vſu priuatum, & læuæ ſolùm virtute munitum : *Clamauerunt ad Dominum, qui ſuſcitauit eis ſaluatorem vocabulo Aod filium Gera, filij Iemini, qui vtraque manu pro dextera vtebatur.* Communis interpretum ſententia eſt Aod ambidextrum fuiſſe ; verùm nonnulli Hebraicum penitiùs textum conſiderantes legunt : *Virum clauſum manu dextera ſua.* Ita Caietanus : *Iuxta Hebræum habetur : virum clauſum manu dextera ſua :* vbi clarè patet non ſignificari virum vtentem vtraque manu pro dextera; ſed impeditum quoad vſum dexteræ manus. Itaque Aod iuxta Hebræos ſiniſtra vtebatur pro dextera, & hunc ad ſpeciem inutilem

ad

Caſſiod.

Electio de ſcientia proueniens laudabilis.

1. Cor. 1. v. 27

Caietan.

Digitized by Google

ad pugnam,Deus deligit ad victoriam. *Non eſt* Abulenſ. *veriſimile*, Abulenſis q.17. *quod homo priuatus altera manu efficeretur Princeps pugnatorum; cum ex hoc ad pugnam eſſet inutilis.* Si rationem humanam ſpectes, eligi non debuit ſiniſter, vtpotè ad pugnam inutilis;at ſi electionem fuiſſe cognoſcas diuinam, intelliges ad ſumptuoſius diuinæ potentiæ elogium, inſtrumentum ſæpè ineptum ad ſpeciem aſſumi, illoque arduum, & difficile negotium perfici. Audi noſtrum textum: *Extendit Aod ſiniſtram manum, & tulit ſicam de dextero femore ſuo infixitque eam in ventre eius tam validè, vt capulus ſequeretur ferrum in vulnere.* Poſſetne dexter felicius rem conſummaſſe, & altius vulnus tyranno inflixiſſe? Ergo vt clarius agnoſcerent Hebræi ſpecialiſſimum Dei auxilium, parum aptum eligitur inſtrumentum, & inepto ad ſpeciem inſtrumento parta eſt inſperata victoria; & illata tyranno pœna: tam facilè res ſuccedunt, cùm Numen præſtat auxilium: *Aodum*, ſcribit Arias Montan. Montanus, *ad ſalutis afferendæ rationem inutilem alias indicatum, & ad res ſtrenuè gerendas minimè vt putare vulgus poſſet natura comparatum, ita animo inſtruxit, conſilio, ac prudentia firmauit, & corporis viribus ac dexteritate, agilitate, & alacritate auxit, vt in tyranni necem, & populi ſui liberationem, intentum feliciſſimo ſucceſſu amplificauerit.* Annuit Saluian. Saluianus de prouid. Dei ·. *Per infirmos acta res eſt, ne opus cæleſtis dexteræ virtuti aſſignaretur humanæ.* Læuâ tantùm Aod vtitur, vt intelligatur opus hoc dexteræ fuiſſe diuinæ non dexteritatis humanæ.

134. Expendebat acutè Drogo Oſtenſis de ſacram. Domin. paſſion. duplicem ſtatuam ictu lapidis euerſam: gigas inſolentiæ, & ſuperbiæ forma in ſe Dauidis prouocat iram, dum infert Deo contumeliam. Saul Regiis munit paſtorem armis; ſed quarum non habebat vſum, vt potè impedimenta depoſuit: fundam & lapides tulit, in quibus iactandis ea pollebat dexteritate, vt ab ſcopo aut ratò aut nunquam ab- 1. Reg.17. v.40. erraret: *Fundam manu tulit.* Gigas lapidis ictu corruit, & aptis inſtrumentis ad iactum Dauid præualuit. Tranſi mente ad Nabuchodonoſorem, cui ſtatua grandis inter dormiendum obiicitur, quam lapillus ſine manibus iactus,& veluti caſu deciſus ſic contriuit, vt nec veſtigium Daniel.2. v.34. poſt ictum apparuerit: *Abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus, & percuſſit ſtatuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos.* Profectò ad proſternendam belluam aptiſſima erant inſtrumenta funda & lapis; at ad comminuendum aurum & ferrum lapis ineptum prorſus apparebat inſtrumentum: nec enim lapis poteſt in ferrum ſed è contra ferrum in lapidem: cur ergo Deus electionem ſuam tantiſper infamat, cùm ad deterendam ſtatuam eo vtitur inſtrumento, quod ad ſpeciem refragatur ſtudio? Imò ſuam hic efficaciam commendat. Dauidi opus erit ad proſternendam belluam benè intexta funda, limpidiſſimoque lapide; at Deo opus non eſt inſtrumenti proportione, quia Drogo. infinita pollet virtute. Drogonem accipe: *Lapis eſt abſciſſus de monte ſine manibus, & iactus eſt lapis, & percuſſit Goliam in fronte, & ſtatuam in pedibus. Iſte eſt iactus tuus longè à nobis.* Mirum non eſt lapis proſternat hominem funda rotatus, & dextero manus impulſu adiutus;at mirum eſt lapidem ſine manibus non iam mortalem proſternere;ſed inuictum ferrum domare. Plus ſine manibus lapis iſte perfecit;ille minus manuum adminiculo perpetrauit: vt iſte iactus agnoſcatur ſemper diuinus, vt ille humanus: *Iſte eſt iactus tuus Domine.* Ad domandum ferrum vterentur homines ardentibus flammis, & aliis mille inſtrumentis, eſſetque ridiculum tentare ferrum in fauillas ictu lapilli conuertere; verùm Deus ad omnipotentiæ pompam rem delegit ad ſpeciem prorſus ineptam: *Iſte eſt iactus tuus Domine*, & illa ſuperbiſſimam proſtrauit ſtatuam.

135. Mittebatur Moyſes ad Pharaonem legatus,ille negotij difficultates ſubodorans extrahere nitebatur imperium allegata linguæ difficultate: Exod.4.v.10 *Non ſum eloquens ab heri & nudius tertius, & ex quo locutus es ad ſeruum tuum,impeditioris,& tardioris linguæ ſum.* Quid tunc Dominus? *Ego ero in ore tuo,doceboque te quid loquaris.* Profectò cùm ſe os hominis feciſſe teſtetur: *Quis fecit os hominis?* Opportunum videbatur illam linguæ tarditatem depellere,& in eloquentiam mutare: ſi fabricatus eſt mutum,etiam de muto fabricari poterit eloquentem: cur ergo ſe in ore affuturum adſerat, qui tarditatem non mutat? Imò vt in Moyſis ore Deum adeſſe agnouerint homines non vult eloquentiam infundere;ſed tarditatem illam conſeruare. Profectò, etſi in ore Aaronis Deus fuerit, non ſic eius agnoſcebatur omnipotentia, dum expeditè loqueretur eloquens Aaronis lingua; at dum lingua Moyſis blæſa, & tarda verbis tyrannum confundebat, & Hebræorum ſalutem curabat; nullus dubitare poterat illud non eſſe linguæ effectum;ſed ſuperioris virtutis afflatum: Moyſis lingua diuinam teſtabatur efficaciam,dum balbutiens Magorum ſapientiam confundebat, dum mundialem eloquentiam blæſis ſuperabat.Huc voco, quod aiebat Hieronymus ad 1.cap.1. ad Corinth. *Elegit* Hieron. *quæ non ſunt ſapientia, fortia,nobilia, vt quæ ſunt talia, diſſiparet.* Per inutiliſſima inſtrumenta mundi ſapientia vincitur, & ſuperbia diſſipatur.

136. Cum Deus Gedeonem in potentiſſimos aduerſarios armaret, illeque aggredi rem timeret, iuſſit in caſtra deſcendere, ſomniumque audire: referebat commilitoni commilito à ſe huiuſcemodi viſum inſomnium: *Videbatur mihi quaſi* Iudic.7.v.13 *ſubcinericius panis ex hordeo volui,& in caſtra Madian deſcendere: cumque perueniſſet ad tabernaculum,percuſſit illud,atque ſubuertit, & terræ funditus coæquauit.* Qui ſomnium auſcultabat, ſomnium enodans ſic ait: *Non eſt hoc aliud niſi gladius Gedeonis filij Ioas viri Iſraëlitæ:tradidit enim Dominus in manus eius Madian, & omnia caſtra eius* Profectò interpretatio cōtraria prorſus ſomnio videbatur:panis nāque nec caſtris euertendis aptus, nec terræ coæquandis funditus opportunus:panis vitam alit, vires roborat, non euertit: cur ergo pane euertuntur,& immetatæ aduerſariorum vires alimento ſuperantur? Ad hæc panis non deligitur triticeus;ſed qui agnoſcitur ſēper infirmior,hordeaceus.Quod expendens Lyra ſic Lyra. aiebat: *Per quē* (panē) *ſignificabatur Gedeō,qui nullius reputationis erat in conſpectu regū Madian,ſicut panis ſubcineritius vilis eſt ex materia & forma.* Ecce vt vel ab ethnicis,cæciſque hominibus vni Deo attribuatur victoria, hordeaceus panis eligitur, eiuſque ictu totum aduerſariorum robur euertitur: *Tradidit*, inquit Madianita,

Digitized by Google

Dominus in manus eius caſtra Madian: non ferro euertit; ſed pane: vt clariùs agnoſceretur omnipotentia, dum ad aduerſarios deterendos
Procop. pane vtebatur pro ferro. Adſtipulatur Procopius hîc: *Panis hordeaceus ſignificauit leuem aliquam turbam ſæpè potentiorem ſuperare.* Madianitæ, Amalecitæque euertuntur prorſus detriti, quo videbantur nutriendi. Et quidem hoc ipſo in bello inepta inſtrumenta ad omnipotentiæ, efficaciæque ſuæ commendationem elegiſſe Deum teſtatur Theodoretus quæſtione 15. in Iudices.

137. Contraxerat Gedeon ingentem manum; verùm Deus illi aperit, homines tali eſſe ingenio, vt nemini velint virtute cedere; imò victoriam ſæpè ſibi potiùs, quàm Deo malint adſcribere, ſi magnis viribus copiiſque freti. Ergo vt omnibus notum ſit totam hanc rem ab eius auxi-
Iudic.7.v.3. lio pendere, iubet plurimos manumitti: *Reuerſi ſunt de populo viginti duo millia virorum, & tantum decem millia remanſerunt.* Adhuc iubet Deus, vt circa meridiem cùm æſtus feruet, exercitum ducat ad fluuium, & quotquot procumbentes biberent, eos viros fortes crederet, ſepararetque; quotquot autem trepidè ac tumultuariè potum ſumerent, eos metu hoſtium hoc feciſſe concuſſos, & ferè ad fugam paratos exiſtimarit: inuenti ſunt ex his viri trecenti: hos iubet Deus hoſtes impetere, & victoriam reportare: *In trecentis viris, qui lambuerunt aquas, liberabo vos, & tradam in manu tua Madian.* Et cur non in aliis; ſed in his, quando tutius, opportuniuſque videbatur hos à caſtris relegare, illoſque retinere. Ita profectò futurum erat, ſi ad humanæ prudentiæ normam res ageretur; verùm vt diuinum auxilium clariùs eluceſceret, milites contrariorum cauſam potiuſquàm ſuam agentes iubet aſſumi, & triumphum ineptis
Theodor. triumpho militibus reportare. Accipe Theodoretum: *Cùm plures celeriter ſe demittentes genuflexo biberent, trecenti verò per ignauiam hoc non agentes manu aquam ori admouerent, hos ſolùm vt ignauos & ſocordes iuſſit in hoſtes irruere, vt omnibus perſpectum eſſet auxilium diuinum.* Ecce ferè ineptis inſtrumentis res perfectiſſimè impletur, vt clariùs efficacia Numinis agnoſcatur.

§. XXXIII.

Optima Politice dignos deligit, minùs laudabilis conſanguineos ſolum præponit.

138. PRo cognatione apud prudentes eſt meritum, apud alios pro meritis eſt cognatio: ſi quæ impertienda munera, ſi quæ honorabiles munerum tribuendæ functiones, eos ſolum eligunt, quos ſanguinis cognatio commendat, aut affinitas adaptat. Mirum eſt ſiquis muneri ſuo conſulat, nec amore conſanguinitatis corrumpat.
Caſſiodor. *In ſobole*, aiebat Caſſiodorus 4. var. 2. *frequenter fallimur; ignaui autem eſſe neſciunt, quos iudicia pepererunt: hi enim gratiam non de natura; ſed de ſolis meritis venit.* Iudicia dignos eligunt; ſed fallitur in prole, & in cognatis ſententia, & locum ſubit iudicij non rarò affectus. Qui cognationis vinculo adſtrictus, inuenitur ad munera ſemper aptus, & dum fert pro cognato ſententiam conſanguinitatis ſuffragium, eleuat ad dignitatis faſtigium. Aod munera fert Egloni à populo miſſus, & meritis ac virtutibus ſanè præclarus: *Miſerunt filij Iſraël per illum munera Eglon regi Moab.* Iam Hebræorum Reſpublica propior accedebat ſaluti, & vicinior iam libertati, cum ob virtutis Aod eligitur teſtimonium, non ob conſanguinitatis, aut cognationis ſuffragium. Ambidexter proditur, vt iure electus ſignetur: vtraque manu pro dextera vtebatur: ſu-
per quæ Origenes apud Gloſſam: *Qui ſuſcitatur ad ſaluandum Iſraël, nihil habet in ſe ſiniſtrum, ſed vtramque manum dexteram dignus populi Princeps, dignus Eccleſiæ iudex.* Aod ambidexter digniſſimus, qui eligeretur; ſed & laudandus populus, qui elegit virtutibus exornatum, non conſanguinitatis fauoribus antepoſitum. Origen.

Saul dum odio in Dauidem adurgeretur, captioſiſſimas inſidias, quibus periret captus, tetendit; ſed quem ſuperna defendebant auxilia, nocere non valuerunt excogitata ad eius necem machinamenta: tandem aſcitis ſeruis, qui illi aſ- 139.
ſiſtebant, in has querelas prorupit: *Audite nunc filij Iemini, numquid omnibus vobis dabit filius Iſai agros & vineas, & vniuerſos vos faciet tribunos, & centuriones, quoniam coniuraſtis omnes aduerſum me.* Ecce omnes honorabiles ſerui, qui Sauli aſſiſtunt Iemini filij vocantur, hoc eſt, de Benjamin tribu deſcendentes: & ſtatim occurrit difficultas cur omnes ſeruos hac de tribu elegerit, cum ex reliquis tribubus meritis ornatiſſimos, & regali præſentia dignos valuerit eligere? Nonne tribus Iuda viros habuit originis nobilitate conſpicuos, certaminibus fortunatos, & palariis aſſuetos? Nonne Ioſeph tribus homines offerebat aulæ aptiſſimos, & virtutibus ſemper floridos? Cur ergo omnes regi aſſiſtentes de Benjamin tribu aſſumuntur, nec vel pauci de tribubus reliquis deſignantur? Facilis ſolutio: Saul hac deſcendebat de tribu: ergo ſolùm cognatos, & iure conſanguinitatis coniunctos muneribus, 1.Reg.22. v.7.
honoribuſque delegit reliquis omnibus repudiatis. Ita Abulenſis q. 11. *Omnes iſti, qui aſſiſtebant regi, erant de genere ſuo: nam ipſe elegerat de genere ſuo miniſtros, & familiares, vt magis eis ſe credere poſſet. Etiam quia volebat, quòd potius illi, qui erant de genere ſuo, haberent dignitates, quàm extranei.* Nolebat ſecreta ſua rationi ſæpe diſſona committere integerrimis viris: ſuſpicabatur namque ſibi reſtituros: ergo ſuos eligebat: quia putabat cognationis iure & vel impietati plauſuros: ſe non credebat extraneis conſcientia ſtimulatus: ideoque ſuffragium quærebat à ſuis. Non potuit multo tempore Saulis poteſtas ſtare, quando ad honores & munera cognationis ſolùm iure miniſtros conſtabat aſſumi. Et quidem in ipſis regnorum Saulis, & Dauidis primordiis ſtabilitatem aut caſum depingi video. Abulenſ.

Samuel magnus ille propheta, dum Saulem ad regnum inaugurat, hæc verba profert: *Cuius erũt optima quæque Iſraël? Nonne tibi, & domui patris tui?* Hunc, cuius domui optima promiſerat, olei lenticula ad regnum conſecrat: *Tulit Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput eius.* Vides Saulis electionem. Tranſi ad electionem Dauidis. De eligendo Deus propheta cum propheta loquitur, cornu iubet oleo adimpleri, & ſuper deligendi caput effundi: *Imple cornu tuum oleo, & veni, vt mittam te ad Iſai Bethlehemitem:* 1.Reg.9. v.20. 1.Reg.10. v.1.

Digitized by Google

mitem, prouidi enim in filiis eius mihi Regem. Samuel obtemperat, & Dauidem vngit: 1.Reg.16. v.1. Tulit ergo Samuel cornu olei: & vnxit eum in medio fratrum eius. Profectò Samuel apparere potuit in Dauidem non benè animatus, quando & in rege deſignando ſtylus videtur inuerſus: ſi Sauli cuius verticem exigua olei lenticula deliniuit, Iſraëlis promiſit optima; nec tantùm ſibi; ſed & patris ſui cognationi, cur eadem Dauidi non promittat, cuius caput copioſius oleum conſecrauit, & ad imperium delegit. Ipſa dubitandi ratio eſt dubitationis ſolutio: exiguo oleo conſecrauit Saulem, quia Iſraëlis optima ſibi & cognatis erat arrogaturus: Dauidem oleo copioſiori, vtpote qui ad munera non eligeret iure conſanguinitatis; ſed ſuffragio ſemper virtutis. O quàm firmum ac ſtabile erat regnum, vbi cognationis non attendebantur leges, & ad munera examinabantur virtutes? Quàm labile imperium fuit, vbi quidquid optimum, deputabatur iam non virtuti; ſed cognationi. Adeſt citatus Abulenſis: Abulenſ. Dixerat ei Samüel, quando voluit eum regem conſtituere ſcilicet *Cuius erunt optima quæque Iſraël? Nonne tibi, & omni domui patris tui, id eſt cognatis tuis.* Lyra. Adſtipulatur Lyra: *Abner Princeps militiæ, & alij potentes de domo Saul his temporibus potiti ſunt bonis regni.* Qui cognatos ad optima quæque elegit, lenticula vti exiguo tempore duraturus inungitur; qui leges cognationis dedidicit, copioſiori oleo deſpecturus tempora conſecratur. Gregor. Audi Gregorium Magnum lib. 4. in 1. Reg. c. 5. *Lenticula Saul vngitur, non pro præſignanda doctrina; ſed ad exprimenda futura: lenticula quidem paruum eſt vas: quid ergo eſt, quòd lenticula olei Saul vngitur, niſi quia in fine reprobatur.* Addit poſt pauca. *E contra autem cùm electus rex vngi præcipitur, eidem prophetæ Dominus ait: Imple cornu tuum oleo.* Itaque dum domui ſuæ optima omnia diſtributurus prodiitur, citò exaugurandus, vel ipſo vnctionis vaſe notatur; at quia Dauidi dici non potuit Iſraëlis optima domui per ipſum tribuenda, & olei vnctio copioſior, & dignitas etiam firmior. Quàm labaſcit Reſpublica quæuis, in qua quidquid optimum, quidquid honorificum, quidquid vtile, ad cognatos ſuperioris deriuandum agnoſcitur, quin honeſtatis virtutiſque ſuffragium pro electionibus attendatur.

141. Cùm Chriſtus Dominus de paſſione ſua cum diſcipulis differeret, mater ætate longæua, filiorumque amans ſecans Apoſtolorum chorum thronis inhiat, & cognationis pro ſe adducit ſuffragium, vt adipiſcatur facilius thronum. Matth. 10. v. 21. *Dic vt ſedeat hi duo filij mei vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo.* Nec mulier filiorum amore thronum poſtulans potuit non quid ſiniſtrum in illo regno ſuſpicari: Chryſoſt. *Et vnus,* inquit, *ad ſiniſtram in regno tuo.* Quod expendens Chryſoſtomus apud D. Thomam Hieronym. aiebat: *Manifeſtum eſt quod nihil ſpirituale petebant, nec intelligentiam ſuperioris regni habebant.* Adſtipulatur ibi Hieronymus: *Audacem fecerat eam ad petendum naturæ affectus.* Allegat ad impetrandum thronum filios ſuos Chriſto affinitate coniunctos; ſed cum hoc iure petit, regnum æternum non noſcit; temporale putat, dum conſanguinitatem allegat: & quidem vel ipſa in petendo imprudentia ſibi perſuadere non potuit regnum illud vbi celſiores dignitates pro arctiori conſanguinitatis iure diſtribuebantur, ignoraturum caſum; imò paſſurum putauit excidium. Addit citatus Chryſoſtomus: *Contulit ſe diabolus ad conſueta arma mulierum; vt ſicut Adam per mulierem ſpoliauit, ita & iſtos ſepararet per matrem.* Adami regnum euertit diabolus per mulierem, dum ad vetitum inflammauit. Ergo vt Chriſti regnum euertat, iterum ad mulierem recurrit quaſi vel ipſum Dei regnum nequeat ſtare, ſi dignitates non diſtribuantur pro meritorum qualitate; ſed merita fundentur in cognatione. Verùm Chriſtus Dominus de ipſo ſerpentis veneno confecit antidotum, vtque regnum ſuum ſtabile ſemper oſtenderet, honeſtos ad ſudores recurrit: *Poteſtis,* inquit, *bibere calicem, quem ego bibiturus ſum.* Quaſi dicat: in regno meo vtpote æterno virtutum attenduntur merita, non cognationis ſuffragia. Non eſt Chriſti regnum caſui expoſitum, ideò nec legibus cognationis addictum: Seleucienſ. *Thronus*: ſcribit Baſilius Seleucienſis orat. 24. *laborum præmium eſt, non ambitionis donum gratuitum: ex rectè geſtis thronus comparatur, nudam poſtulationem datio non conſequitur.* Profectò ſi præſtantiora ſibi arriperet parentela, vel Chriſti regno imminere videretur ruina: ergo vt ſtabile firmumque prodatur, ſudor ad thronum expenditur, & conſanguinitas ignoratur.

142. Michas ſe non Deo; ſed idolo famulari teſtatus eſt, dum aram conſtruxit, & de filiis ſuis ſacerdotem produxit: Iudic. 17. v. 6. *Impleuit vnius filiorum ſuorum manum, & factus eſt ei Sacerdos.* Notant Patres in ſacerdotem aſſumptum, qui à ſacerdotio edicto legis clariſſimo expellebatur; verùm contra reclamantes leges filiorum præualuit amor, & ne dignitate carerent, timor. Adeſt Lyra: *Deſcribitur abuſus Sacerdotij duplex; primo quia facit ſibi ſacerdotem vnum de filiis ſuis:* Lyra. Addit: *Cùm tamen nullus eſſet promouendus ad ſacerdotium,* niſi de filiis Aaron; Michas autem non erat de illa; ſed de tribu *Ephraim.* Addit Gloſſa moralis, Micham interpretari quaſi nullum: *Interpretatur quaſi, id eſt quaſi nullus.* Iam Gloſſa. ruinæ nomine portabat ſententiam, qui ſolùm attendebat proſapiam. Michas erat quaſi nullus, & ideo totis viribus ambiuit dignitatibus ſuos fulgere, & benemeritis denegari.

---

§. XXXIV.

Frequentiſſimum eſt aulicis & vulnus infligere, & manum prorſus abſcondere.

143. EA eſt humana calliditas, vt duplici paſſione agitetur, nocendi ſcilicet rabie, & tuendi honoris amore: volunt plures videri innocui, cùm velint eſſe peruerſi: amant ouinam innocentiæ veſtem, & lupinam etiam rabiem; toti ſunt in coniungendo ſimplicitatis innocuæ laudem, & lupinæ voracitatis perniciem. *Attendite,* aiebat Dominus, *à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces:* Matth. 7. v. 15. nocent ſæuiſſimis dentibus, & affectant ſe nihil moliri; imò pietatem ſemper ſectari: *Iſta, quæ cum bono animo fiunt:* ſcribit Auguſtin. apud D. Thomam, *ſunt propria*

ouibus veſtes; cùm autem malo in errore: non aliud, quam lupos tegunt: mentiuntur animi candorem exterius, cùm gerant rabiem intrinſecus: nolunt lupi videri; ſed anhelant dilaniare: diſcupiunt, ne inflicta aliis damna illis imputentur; cùm tamen infligere ſtudioſè ipſi moliantur. Hoc aulicorum ſtylo laudabiliter vſus eſt Aod, vt Eglonem tyrannum percuteret: *Fecit ſibi gladium ancipitem, habentem in medio capulum longitudinis palmæ manus, & accinctus eſt eo ſuper ſagum in dextro femore.* Cùm Scriptura notanter aduertat huius gladij artificium, occaſionem arripuerunt interpretes plura de hoc gladio diſputantes. Abulenſis quæſt. 18. eo artificio putat elaboratum, vt ipſe gladius, quin educeretur manu, de vagina leui motu erumperet, & aduerſarium feriret: *Quæret aliquis, quare Aod fecit ſibi talem gladium?* Reſpondet: *Aliquis reſpondebit quòd hoc fecit, vt ipſe gladius percutere poſſet.* Addit ſtatim: *Leui motu poterat euaginari ipſo nihil agente, & infigeretur in femore aduerſarij.* Itaque tali artificio diſpoſitus erat gladius, vt quin manus ſtringeret, ipſe è vagina proſiliret, & aduerſarium vulneraret: videbatur vulnus fortuitum, & erat ſtudioſè excogitatum. His vtuntur artibus aulici, & cùm ſæpè alios moliantur de Principis gratia detrudere, aut de faſtigio deiicere, tali hoc cautela & ſagacitate diſponunt, vt nec ſuſpicio acutiſſima illis poſſit adſcribere, quod certum eſt perpetrare. Manus nil agit; imò contrarium videtur perficere; ſed occultus dolus altiſſimum molitur vulnus inferre. (Abulenſ.)

144. Has nocendi artes mirè exercuit doloſus Ioabus: timebat Amaſam ſibi præponendum, & gratiam Principis aditurum, vtque dolo periculum redimat, gladio accingitur eo artificio fabricato, vt leui motu de vagina excuteretur ſagittæ adinſtar, quin manus educeret, aut prenſaret. Ita accinctus Amaſam amplectitur, ſed dum manus ſtrictiſſimo ſibi amore Amaſam deuincire videntur, excuſſo gladio vulnera lethalia infliguntur. *Ioab veſtitus erat tunica ſtricta ad menſuram habitus ſui, & deſuper accinctus gladio dependente vſque ad ilia in vagina, qui fabricatus leui motu egredi poterat, & percutere: Dixit itaque Ioab ad Amaſam: Salue mi frater, & tenuit manu dextera mentum Amaſæ quaſi oſculans eum: porrò Amaſa non obſeruauit gladium, quem habebat Ioab, qui percuſſit eum in latere, & effudit inteſtina eius in terram.* (2.Reg.20. v.8.) Manus, ne poſſit culpari, mentum apprehendit, oſculum ſollicitans, & amorem ad ſpeciem oſtentans; verùm gladius mortem infert, & corda ferit. Quàm à caſu inflicta potuit cenſeri plaga! Quàm iniquo dolo ſtudioſa mortem incuſſit induſtria! Nihil tam cordi Iacobo fuit, quam mentiri caſum, quod erat inuidiæ ſtudium. Adeſt noſter Sanctius: *Accedebat aliquod artificium, quo leui motu gladius eximeretur; imò & ſponte egrederetur è vagina, & leui, atque occulto impetu aduerſarium perfoderet.* (Sanct.) Annuit etiam aliquomodo Ioſephus lib. 7. antiquit. cap. 10. *Ioabus thorace munitus accinctuſque gladio accedente ad complectendum Amaſam, de induſtria gladium ſibi de vagina elabi paſſus eſt.* (Ioſeph.) Nihil tam anxiè diſcupiebat Ioabus, quam Amaſam de medio tollere, & nihil tàm anxiè procurare videbatur, vt beneuolis brachiis detinere. Proh vſitatum curialibus artificium, & frequens nocendi ingenium!

Sæpeſæpius ſe mentitur cauſæ patronum, qui ſe rectè exhibet virulentiſſimum inimicum. Nec Aod habitus hanc improbauit veritatem: *Fecit ſibi gladium ancipitem habentem in medio capulum longitudinis palmæ manus, & accinctus eſt eo ſubter ſagum in dextro femore.* Ecce quando veſtiatur ſago habitu ſcilicet militari, cùm gladium gerit: Sagum eſt pallium militare, ſcribit Hugo, quadratæ formæ. (Hugo.) Si exteriorem habitum aſpicias, putabis Aod vtpotè regis militem nihil aliud ardentius ſuſpirare, quàm regni eius limites vlterius protendere, vitamque tueri; verùm dum ſe exteriùs mentitur militem, interius ſe probat hoſtem: gladius neci paratus ſub ſago tegitur, vt nec ſuſpicio calidiſſima poſſit coniectare illum eſſe contra regem, quem ipſe habitus oſtendebat pro rege militem.

Saul, quò auguſtioribus à Dauide beneficiis afficiebatur, acrioribus, viuidioribuſque inuidentiæ flammis adurebatur: cùmque plures nocendi artes vanè tentaſſet, vt illum ſub amoris & venerationis ſpecie, grandi traderet periculo, & ferè euidenti committeret detrimento, in hanc fraudulentiſſimam cogitationem deuenit, vt ſcilicet filiæ nuptias promitteret; verùm quo dolo honorem adulterauerit: audi: *Dixit Saul ad Dauid: Ecce filia mea maior Merob ipſam dabo tibi vxorem; tantummodò eſto vir fortis, & præliare bella Domini: Saul autem reputabat dicens: Non ſit manus mea in eum; ſed ſit ſuper eum manus Philiſthinorum.* (145.) (1.Reg.18. v.17.) Vide quanto ſtudio abſconderit manum, quàmque anhelo deſiderio Dauid conciliarit periculum. Apparebat rerèligionis ſpecies: Præliare bella Domini, vt putari poſſit virtutis ardor, quod nocentiſſimus erat liuor: periculis obiiciebat odium; ſed videbatur pietatis & amoris ſtudium. Adeſt Baſilius Seleucienſ. orat. 16. *Vt ante thalamũ præconſumeretur: vtque mors nuptias anticiparet, necis inſtrumentum facit alienigenas.* (Seleucienſ.) Vt dux optimus ſtrenui militis æſtimationem oſtendit difficiliora imperans, & acrioribus belli inſultibus opponens: ita Saul quantam de Dauidis fortitudine habeat æſtimationem; mentitur, dum opus, ſi non impoſſibile, prorſus arduum aggredi imperat. Deſiderabat præconſumere, non cohoneſtare; nolebat tamen apertè mortem illi aſciſcere, ne videretur opinioni ſuæ gloriam adulterare: abſcondit manum: *Manus*, inquit, *mea non ſit in eum*: conſummauit odium: *Præliare bella Domini*: vt noueris quantum in aulici diſcrepet ab animo lingua, quamque diuerſa ſit cordis & oris ſententia: ni abſtruſiora inuidentiæ machinamenta textus vulgaſſet, nullus pereunte Dauide Sauli inuidentiæ notam inuſſiſſet: eo namque, artificio res diſponebatur, vt nec opinio obſcuraretur, nec Dauid coronaretur.

Putabam aliquando apud me aulico hoc ſtylo Numen in aulicum vſum fuiſſe. Nabucho ſtatua ferè immetatæ magnitudinis obiicitur; verùm vt illex eſt infelicitatis immetata altitudo lapidem videt ſine manibus exciſum ſimulacrum percutere, prorſuſque euertere: *Abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus, & percuſſit ſtatuam in pedibus eius ferreis & fictilibus, & comminuit eos.* (146.) (Dan.2.v.34.) Si digna adeò pœna, cur euitatur notitia? Si Dauid manu rotat fundam, ſi iacit in viuentem aliam ſtatuam lapidem, cur Deus non oſtendet manum, vt intulerit dignum ſupplicium?

Digitized by Google

cium? Fallar, ni artibus aulici aulicum puniuerit: Dauid gigantem percuſſit in arena; lapis ſtatuam in aula, adeóque frequens aulicis eſt vulnus infligere, & manum prorſus abſcondere, vt quamuis ſuperbia gigantis oſtenſa manu Drog. fuerit punita, ſtatua in palatio ſine manu cadat euerſa. Iactus differentiã notauit Diogo Oſtienſis de paſſion. Domin. *Lapis eſt abſciſſus de monte ſine manibus, & iactus eſt lapis, & percuſſit Goliam in fronte & ſtatuam in pedibus.* Gigas in campo decertabat, cum illo confligebat paſtor, ſtatua in palatio euertitur, in aulaque percutitur: quamuis ergo alibi percuſſoris appareat manus, alibi ſolùm apparebit euerſionis effectus, vtque noueris hunc nocendi ſtylum Numen ab aulicis fuiſſe mutuatum, animaduerte Pharaonis in nocendo doloſiſſimam calliditatem.

147. Cùm animaduertiſſet Pharao Hebræorum gentem in dies magis ac magis augeri, veritus, ne cum indigenis hoſpites de Principatu contenderent, illorum vires deteſtandis artibus præcidere adoritur, idque vſitata in palatiis ſapientia molitur, obſtetricibus imperans, vt partus tempore mares ſtrangulent, & ſine ſtrepitu Exod. 1. v. 16 occidant: *Quando obſtetricaueritis Hebræas, & partus tempus aduenerit, ſi maſculus fuerit, interficite eum, ſi fœmina, reſeruate.* Id erat in Hebræos odium, vt nec vnum admitteret; ea erat libido, vt fœminam nullam contemneret. Ita Lippom. Lippomanus: *Mandat crudeliter, vt tempore partus in ipſis ſellulis, ſuper quibus mulieres pariunt, maſculos Hebræorum clam interficiant, ac fingant ipſos ita mortuos natos; fœminas autem, de quibus defectionem minimè dubitabat, & quibus ad libidinem, ſeruitium, vel artificium vti ſolebat, reſeruent*: tanta erat liuoris rabies, vt nec vnum maſculum permitteret reſeruari: prodigioſa adeò erat libido, vt nullam fœminam voluerit perire. Itaque qua ſapientia opprimere voluerit Hebræos, dum aiebat: *Venite, ſapienter opprimamus eum*, præceptum obſtetricibus datum oſtendit: voluit, vt mors, quam diſponebat inuidia, attribueretur naturæ: alienis manibus; imò quæ videbantur vitæ conſulere, vitæ aggreſſus eſt inſidiari: non vetat obſtetrices; ſed nequiſſimo mittit præcepto armatas, vt mentiantur auxiliares manus afferre, & pueros conentur occidere. *Audet*, ſubiungit poſteà idem auctor, *hæc ſceleratus rex tenebrarum duntaxat propter tyrannicam libidinem regnandi tentare & vrgere: quæ cùm ipſum quoque aggredi pudet, manum fœminæ perficere cogit.* Alienis manibus vtitur, & de aulico ſtylo ſic doloſus inſtruit, vt videri poſſit auxiliaribus manibus ſubuenire cùm animus ſit nocere.

§. XXXV.

Laudabilis aſtutia obarmetur in culpam: quia impia ſagacitas obarmatur in gratiam.

148. PEruerſitas non ſolùm virtutem nititur ſubruere viribus innatis; ſed & induſtriè acquiſitis mutuatur à ſerpente calliditatem, ſtudet aſtutiis, vt quaſi geminatis armis dæmonis cauſam promoueat, ſcilicet & improbo ingenio, & aſtuto etiam ſtudio. Ergo qui virtutibus inſeruit, debet etiam decoctis & expunctis fæcibus, vti laudabili aſtutia, & honeſta calliditate. Aſtus imitatur malitiæ; ſed ad bonum, vt aliquando virtuti opituletur ſagacitas, ſi à primordio nocuit doloſitas: totus ſe dæmon ſerpente abſcondit, & inuidiæ inſeruiens mentito pietatem fuco colorauit. Aod etiam totum, quo Eglonem interemit ferrum manubrio abſcondit, & laudabili induſtria armorum obiectat oculis imperitiam: *Fecit ſibi gladium ancipitem habentem in medio capulum longitudinis palmæ manus, & accinctus eſt eo ſubter ſagum in dextro femore.* Hugo Carenſis Aod deprædicat induſtriam, dum totum gladium manubrio abſcondit, & eo in dextro femore accinctus tendit: *Ad cautelam hoc fecit, vt videretur imperitus armorum.* Addit poſteà Hugo: *Sica eſt genus gladij, cuius ferrum in manubrio abſconditur totum.* Vides Aod in portando gladio calliditatem, in tegendo induſtriam, & ſub imperitiæ ſpecie Eglonem aggredi, & laudabiles inſidias vitio moliri: eſſet namque indecens, ſi zelus non addiſceret laudabilem, ſi dicere fas eſt, verſutiam, quando dolus ad ſuffulciendum vitium ſolet mentiri innocentiam. Serpens præcepti mentitus eſt ignorantiam, vt perimeret iuſtitiam: *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno paradiſi?* Geneſ. 3. v. 1. Aod etiam ambit dexter, quo depopuletur malitiam, ſimulat armorum inexperientiam.

Hugo.

149. *Radix ſapientiæ*, inquit Eccleſiaſticus, *cui reuelata eſt, & aſtutias illius quis agnouit?* Eccli 1. v. 6. A ſe ipſo Eccleſiaſticus diſcordare videtur, cùm ſapientiæ adiungit aſtutias, & aſtutiis annectit ſapientiam. Profectò ſapientia aſtus, & nequitiæ ſtratagemata prorſus ignorat vt malitia ſynceritatẽ & ſimplicitatẽ fugit: ergo ne ſapientiæ intulerit notam relegarit aſtutiam; imò vt ſapientiam luculentiùs commendauerit, illi attexuit honeſtam calliditatẽ: eſſet namq; minus ſapientia dignũ, ſi honeſtos contra vitium ignoraſſet aſtus, quando peruerſitas contra virtutem deteſtandos didicit dolos: *πανουργίαν peculiari quodam vſu in laude poſuit*, ſcribit Ianſenius hîc, Ianſen. *pro peritia, exercitatione, & cautione, cùm ea vocabula magis malitiam notent.* Addit poſteà: *Aſtutias ſapientiæ dicit prudentes illas rationes, ſecundum quas omnia per Dei ſapientiam valde circumſpectè fiunt.* Vocabula poſuit, quæ malitiam ad ſpeciem denotant; verùm ad laudem; in aſtutia namque inuenitur ſagacitatis ingenium, & malignitatis ſtudium: ergo ſapientia expuncto malignitatis ſtudio, ingenioſo vtitur artificio, & columbinam annectens ſimplicitatem ſerpentinæ prudentiæ Dominicum adimplet præceptum, & interimit aduerſarium. Dolum ſine dolo vocauit Auguſt. piam illam Iacobi fraudem: *Quis eſt iſte dolus*, ſcribit apud Lippoman. *hominis ſine dolo?* Iacob, vt ſuam tueretur iuſtitiam, non vt fraudaret alienam, manus contexit, & piè callidus dolum ſine dolo didicit: nec enim artificio admiſcuit peccatum; ſed expuncto peccato exercuit mirè artificium.

Forſan vt hanc nobis Deus laudabilem ſagacitatem oſtenderet: Moyſem in Egyptios armans, quid manu geſtarit, rogat: cúmque ille virgam reſponderet, iubet in terram proiicere, quæ ſtatim in ſerpentem animata eſt: *Verſa eſt in colubrum*: colubrum iubetur manu 150.

prehendere: *Apprehende caudam eius*: & iam coluber redit in virgam: *Extendit, & tenuit, verſaque eſt in virgam*: totumque hoc perpetratum, ait, vt ſolemnis à Deo nuntius delegatus credatur, & honoretur: *Vt credant*, inquit, *quòd apparuit tibi Dominus Deus*. Sanè ſi humana ratione opus hoc expendendum eſſet, aptius videbatur, vt fidem infirmaret, quam, vt muniret: quid enim virtuti & veritati magis contrarium, quàm rectitudinem in tortuoſitatem degeneraſſe, & ſerpentis faciem induiſſe? Serpentem conuerti in virgam virtutis videtur opus, quandoquidem tortuoſitas tranſiuit in rectitudinem; at malitiæ videtur ſpecies rectitudinem tranſire in tortuoſitatem. O ſapientiam immortalem! rectitudini ſerpentinam adiunxit aſtutiam; aſtutiæque attexuit rectitudinem, vt iam virga illa Dei appellaretur, quæ nouerat rectitudinem non amittere, & ſerpentinam prudentiam addere: ſerpens ſine rectitudine diaboli cauſas egit, & hominem de originis loco exterminauit: rectitudo populum forſan non facilè de Ægyptiaco ergaſtulo educeret. Quid ergo? Virga ſerpens, & ſerpens virga Numinis commendat ſapientiam, & virtutis agit cauſam: ſerpens namque hic cum prorſus careret malitia, non priuabatur ſapientia: erat namque virga ad rectitudinem, cùm eſſet ſerpens ad calliditatem, & eius calliditas carebat dolo,
Beda. cùm non careret ingenio: *Virga verſa in colubrum*, ſcribit Beda apud Lippoman. *plagam à Deo ſignifi at, quæ Ægyptiis noceret, & Iſraëli non noceret*. Ecce ea aſtutia plaga ſuperinducta eſt, vt nec iuſtos læderet, nec impiis parceret: virga coluber auxiliabatur iuſtis, & refragabatur peruerſis. Rationabilis aſtutia venenum euomebat in refractarios, & virgæ adinſtar fulciebat Hebræos, vt ſuum etiam virtus ſortiretur ſerpentem, ſi nequitia ſortita fuerat ſuum colubrum. O quàm laudandis artibus Dei ſerui vtuntur ad piè peccatores fallendos, & in lucem à tenebris tranſmutandos! Bibere petit Dominus à Samaritide, cùm aquæ promittat fontem; & aquæ promittit fontem, vt de habēdi deſiderio mulier repudiauerit turpitudinem.

151. Gentium Apoſtolus ad Corinthios ſcribens aiebat: *Cùm eſſem aſtutus, dolo vos cepi*. Ex aliquorum ſententia, refert Paulus, quę illi obiiciebant, & inſuſurrabāt, ſcilicet ſe dolo captos, & à moribus antiquis auulſos; alij tamen putant hoc dixiſſe Apoſtolum in gratiæ commendationem: quandoquidem honeſto dolo cepit, quos ſine dolo aut tardè, aut nunquam cepiſſet. Quàm dignus Apoſtolico zelo dolus, qui errores depulit, & ad virtutis ſtudium traxit. Audi Baſilium apud Hugonem ad hunc locum: *Aſtutia eſt omnium*
Baſil *operum artiumque peritia: qui ergo omnium operum peritiam recipit, aſtutus eſt: operum autem quædam ſunt bona, quædam mala, & ideò & in bono & in malo accipitur aſtutus*. Paulus ſibi, & iis, qui cum eo erant, manibus laborabat, vt victum ſuppeditaret, & ſerpentina, ſed honeſta aſtutia muneribus attrahebat, ne minus inſeruiret virtuti honeſta calliditas, quàm peruerſa vitio inſeruierat doloſitas.

2. Cor. 12. v. 16.

152. Vulpes vineis inſidiari oſtendit Sponſus;
Cant. 2. v. 15 dum capi imperat: *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas*. Vulpes animal fallax & aſtutum mitis ſæpè fraudibus furtum exercet: nihil tutum, nihil otioſum, nihil patitur eſſe ſecurum; verùm ſi vulpes à dæmone immiſſæ Dominicæ vineæ & fructibus, & floribus inſidiantur, etiam pia induſtria vulpes capit, & captis allophylorum ſegetibus nocet: Samſon namque vulpibus vtitur ad Philiſthinorum ſegetes conſumendas, ſi vulpibus dæmon vtebatur ad vineæ florentis ſpes fruſtrandas: *Perrexit,* Iudic. 15. v. 4
& cepit trecentas vulpes, caudaſque earum iunxit ad caudas, & faces ligauit in medio, quas igne ſuccendens dimiſit, vt huc, illucque diſcurrerent, quæ ſtatim perrexerunt in ſegetes Philiſthinorum, quibus ſuccenſis & comportatæ iam fruges, & adhuc ſtantes in ſtipula concrematæ ſunt in tantum vt vineas quoque, & oliueta flamma conſumeret. Quibus inſtrumentis vtebatur malitia ad flores Dominicæ vineæ deterendos, vſa eſt etiam ſagacitas ad allophylorum fructus cremandos: & quidem laudabili induſtria Samſon perfecit, quod hoſtis iniqua doloſitate perficere cogitauit: *Hæreticus*, ſcribit Ambroſius ad Cantic. 2. *vulpes comparat: denique cùm gentes vocat, hæreticos* Ambroſ.
excludit: vulpes enim plenum fraudis eſt animal. Itaque dæmon Dominicæ vineæ multiformes parat inſidias de vulpium doloſitate & aſtutia. Quid ergo? Etiam Samſon induſtriè allophylorum vineis molitur perniciem, ne minus opitularetur virtuti pia calliditas, quàm vitio fraudulenta doloſitas. *Ideo*, addit Ambroſius, *Samſon ad caudas earum faces ligauit & in meſſes alienigenarum dimiſit, eo quòd hæretici fructus incendere conantur alienos*. Vulpes olim inſidiabantur honeſtis floribus: ergo per Samſonem etiam inſidiantur indignis fructibus, vt ſi virtutis impeditus eſt malignitate prouentus, etiam improbitatis decoquatur aſtutia fructus, & pugnet pro veritate honeſta cautela, ſi decertauit ſagax contra veritatem aſtutia. Miſit Samſon ad vulpes vulpes, vt illos caperent grandi fructu, ſi improbo illæ virtutibus nocebant latratu: dolus pugnauit cum dolo, aſtutia decertauit cum aſtutia, & malignitatis fructus aduritur vulpe, ſi vineæ flos decoctus eſt fraude.

Sapiens Prouerbiorum 13. aiebat: *Aſtutus* 153.
omnia agit cum conſilio. Vtrumque iunxit, aſtutiam, & conſilium, vt conſilium excluderet malitiam, & aſtutia conſeruaret ſolertiam. Iniquorum aſtutia ſolers; ſed malignitate vt acumine plena; at iuſti ſolùm deſumunt ſolertiam, quia oderunt ſemper malitiam: hæc ergo aſtutia inimica vitio, & auxiliatis virtuti ſemper prudenti ſectanda, vt contraria ſemper fugienda.

Prouerb. 13. v. 16.

ſ. XXXVI.

Diuino Zelo inflammatus vt patienter in ſe tolerare diſcit offenſam, ſic in Deum vindicare geſtit iniuriam.

Eſt & alius ſummus impatientiæ ſtimulus, inquit Tertullianus lib. de patient. cap. 10. *vl-* 154.
tionis libido negotium curans aut gloriæ aut malitiæ. Tertullian.
Sapienter dixit: nec enim ſemper impatientiæ ſtimulus malitiæ inſeruit: nam aliquando & gloriæ negotium agit: & quidem vt impatientiæ ſtimulus in vindicandis offenſis propriis Domino ſemper odioſus, ita in non vindicandis Dei offenſis patientiæ ignauia ſemper damnata. Qui in exequenda illatæ ſibi iniuriæ vltione ſe ſuperiorē conſtituit, quod ſemel factum eſt,

eſt, duplicat. Itaque vltio diuinæ iniuriæ de patientia odioſa, vt iniuriæ propriæ impatientia ſemper damnanda: Dei zelus proprias iniurias tranſit; ſed Numinis ſuſtinere ſibi nullatenus perſuadet. Vltio humana non depellit iniuriam; ſed celebriorem facit offenſam; at qui Dei zelo ſtimulatur, deſpicit pericula, vt diuina vindicauerit probra. Ecce Aod qui grauiſſima tributa impendere cogebatur, patienter ſuſtinet, & vel auctariis tributa defert ornata: *Obtulit munera Eglon Regi Moab:* verùm hic ipſe, qui adeò patienter ſuam calamitatem ſuſtinebat, ad Galgala perueniens; eo in tyrannum odio inflammatur, vt citiſſimè mortem illi inferre impatientia laudabili machinetur: *Reuerſus de Galgalis, vbi erant idola, dixit ad Regem, &c. Extenditque Aod ſiniſtram manum, & tulit ſicam de dextero femore ſuo, infixitque eam in ventrem eius.* Quæres cur qui obtulerat largiſſima donatiua, altiſſimam incuſſerit plagam, & impatientia agitatus Egloni abſtulerit vitam: ſi occidere ſuſpirabat, ad quid munerum obſequia ferebat? aut ſi muneribus honorat, cur tecto gladio trucidat. O quàm ſæpeſæpius ſtudioſius cauendum eſt à muneribus, quàm ab hoſtibus! Oblatis largè muneribus Principis ſibi deuinxit animum, quò facilius traderet morti deuinctum. Quærunt hic Patres, cur hoc articulo temporis mortem Aod Egloni intulerit, aut cur anteà munera dederit. Hugo Charenſis vtrumque putat diuini zeli commendare excellentiam, & ſacram oſtendere ardoris flammam: dum munera offert, in ferendo duriſſimo iugo oſtendit patientiſſimam tolerantiam: cùm de Galgalis, vbi erant idola, ad inferendam mortem reuertitur, commendat laudabilem impatientiam. O quàm careret laude hæc vltio, ſi antequam perueniſſet ad Galgala, perpetrata: cenſeri tunc poſſet ob tributa immodica impatientia inflammatum Egloni intuliſſe excidium, quod malitiæ, non gloriæ negotium videretur curare; at dum tributa offert, dum viſis idolis necem infert, conſtat diuini zeli flammis ardere, quando nec in propriis damnis ferendis obſcurata eſt tolerantia, nec in diuinis

Hugo. iniuriis propulſandis patientia. *Reuerſus de Galgalis,* ſcribit Hugo Charenſis, *vſque illuc proſecutus fuerat ſocios redeuntes, & inde viſis idolis regis non potuit ſe continere, & reuerſus eſt ad regem.* Diuinus zelus probatur, qui patienter tulit propria grauamina, quique impatienter tulit idola: *Non potuit ſe continere viſis idolis:* quià ſic laudabilis impatientiæ ſtimulis eſt agitatus, vt nec vitæ diſcrimine valuerit retardari, aut à tyranni morte prohiberi. Hanc ingenitam zelo proprietatem in Dauide agnouit Seleucienſis Baſilius.

155. Aulam ingreditur Sauli furore percito allaturus medelam, & cantu ſopiturus ardoris flammam: Saul in Dauidem, quem præſentem viderat, telum contorſit, & captioſis inſidiis occidere procurauit; verùm Dauid non ſolùm tulit patienter teli iactum; ſed iterum atque iterum vi-

1. Reg. 18. v. 11. ce medicaminis malum deliniebat concentu: *Declinauit Dauid à facie eius ſecundò.* Hic idem cùm monſtrum illud ſuperbiç tanta reliquos excellens inſolentia, quanta ſupereminebat corporis ſtatura, de iactis in Deum iniuriis iactanter gloriaretur, pugnam ad ſe rapuit, & cùm ipſe non laceſſeretur, laudabili temeritate ani-

1. Reg. 17. v. 32. moſus in arenam proſiluit: *Ego ſeruus tuus vadam, & pugnabo aduerſus Philiſthæum:* Saul atmorum imperitiam obiicit, hoſtiſque valentiam: Non vales reſiſtere Philiſthæo iſti: nec pugnare aduerſus eum: quia puer es; verùm inuicta Dauidis conſtantia plus obiectis impedimentis reſplenduit, dum ad ſpeciem impoſſibilia deuicit: Saul à pugna conatur auertere; nec tamen Dauidis ardor ſuſtinet moras; ſed honeſta impatientia in arenam geſtit proſilire, & cum bellua humana ſpecie certare. Expendamus ſi placet, cur certaminis tempus non ſuſtineat differri, & cur impetitus telo non deſtiterit; ſed medicinæ præſidium, lyram ſcilicet patienter tulerit iterum atque iterum tertactari. Facilis ſolutio: gigas in Deum euibrat linguam, Saul in Dauidem contorquet haſtam: ergo ad conſummatæ virtutis elogium nec indignatione inflammatur offenſus, nec patienter fert, ſi diuinus honor ſordeſcat obſcurus. Adeſt opportunè Baſilius orat. 15. Dauidis nomine. Qua ratione à propoſitò certamine conatus es auertere, actius ò Rex ad pugnam exacuiſti: hic quidem bellator; ego verò belli inexpertus, quæ res animos mihi facit: nec enim viribus meis fretus; ſed gratiæ in aciem prodeo: Deo contumelia dicitur, ecquis in pugnam non armetur? Vides zeli ardorem, audi & patientiæ lenitatem. *Goliat cæde peremptus fuerat, & Saul ab inuidentia ſaucius, Dauid autem adepta victoria lenitatem immenſam, quæque prophetam deceat, ac morum facilitatem præſefert: iterum enim Rege Saule furore percito, & mente alienato Dauid Lyram, qua medicinam faceret, retractabat.* Facilè in ſe remittit offenſam, qui nec ad punctum differt diuini honoris vindictam: armatur ad intentatas Numini contumelias: *In Deum contumelia dicitur, ecquis in pugnam non armetur?* Tantoque abeſt ab impatientiæ ſtimulis, vt oſoris, & maleuoli calamitatem depellat vice medicaminis cantu. Diſcat zelus à patientia erga proprias iniurias petere commendationem, & dignam ſortiri laudem: aliter namque non curabit negotium diuinæ gloriæ; ſed propriæ malitiæ.

Dum Petrus audentis in Chriſtum militis in- 156.
ſolentiam gladio feſtinaret reprimere Dominus ferri operæ maledixit, & recondi gladium præcepit: *Conuerte gladium tuum in locum ſuum.* Matt. 26. v. 52.
Quod Tertullianus expendens lib. de patient. Tertull.
cap. 3. ſic aiebat: *Ne vnius quidem diſcentis gladium in vltorem probauit. Patientia Domini in Malcho vulnerata eſt. Itaque gladij opera maledixit in poſterum, & ſanitatis reſtitutione ei, quem ipſe non vexauerat, ſatisfecit per patientiam miſericordiæ matrem.* Vides in ſe audenti ſanitatem reſtituere, & miſericordiam impendere. Tranſi modo ad Ioan. 2. vbi cùm ingreſſus templum inueniſſet vendentes boues, & alia ad ſacrificium ſpectantia flagellum de funiculis texuit, quò durius venditores percuteret. *Cùm fe-* Ioan. 2. v. 15.
ciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo: diſcipuli hîc zelum agnoſcunt: *Recordati ſunt verò diſcipuli eius, quia ſcriptum eſt: Zelus domus tuæ comedit me.* De patientia zeli viuidius reſplenduit flamma, & ſe in contrarios non agitari duro liuoris ſtimulo; ſed diuino & ardétiſſimo zelo probauit ſanitas Malcho reſtituta, & Petri animoſitas retardata: non agebatur ambitioſo liuore, aut liuido ambitionis ſtudio flagello verberans, qui proprias iniurias ea tolerauit patientia, vt omnis illi diſplicuerit vindicta.

Certè

Digitized by Google

Certè zelum minus commendaſſet venditores è templo eiiciens, ni gladij opera maledixiſſet, dum traditur, dum adducitur, dum deſpicitur: *Eſt illud conſiderandum*, ſcribit Toletus hic: *Zelus comedit me, quo non ſolum zelus; ſed etiam quantus ſit exprimitur: omni enim poſtpoſito periculo, quod à ſacerdotibus & illis, quorum res agebatur, & qui tam ignominioſè expellebantur creari poterat, Dei honorem tuetur.* Proprium periculum contempſit; ſed diuinam iniuriam vindicauit: vt diſcas non inardeſcere ad vltionem iniuriæ propriæ, & ad vltionem proſilire diuinæ. Ita quidem fieri oportebat; verùm plures econtra larga tolerantia, & vituperanda patientia Dei ſuſtinent honorem contemni, cùm viperarum ad inſtar mordeant, ſi illorum videatur honor vel tantiſper obſcurari. (Tolet.)

157. Amanus ille ambitioſiſſimus adeò ſuperbia intumuit, vt Numinis ad inſtar voluerit à populis adorari, vtque intolerabilem ambitionem religionis vmbris colorarit, quaſdam idolorum imagines veſtibus attexuit, aut ſi Chaldæo credas, pectore ſuſpenſas tulit, quo dum occurrentes imagini adorationis tributum pendunt, turpidiſſimè ſuperbiæ adulerur, dum ſibi ipſi impenſam adorationem mentitur, iuxta illud prophetæ: *Mentita eſt iniquitas ſibi.* Ita noſter Sanctius ad cap. 4. Eſther: *Alij minus improbabiliter dicunt habuiſſe Amanum in veſtibus textiles, aut ſubtiles deorum imagines. Ita putant communiter Hebræi, & Chaldæus, qui dicit geſtaſſe in pectore idolum Aman.* (Sanctius.) Itaque Aman, quo ab omnibus adorationem extorqueret, idolum in pectore ferebat ſubdolus, & factam idolo adorationem, ſuam ad vanitatem detorquebat ſuperbus. Et quidem omnes, qui in aula morabantur, genua Amano flectebant, ſuamque erga Principem reuerentiam (ſic namque præceperat) genuflexione adornabant: *Cuncti ſerui regis, qui in foribus palatij verſabantur, flectebant genua & adorabant Aman: ſic enim præceperat eis Imperator.* (Eſther. 3. v. 2.) Mardochæus nobili ſuperbia has abiectiſſimas adorationes deteſtatus adduci non potuit periculis aut exemplis, vt Amanum ſuperbiſſimum adoraret: *Solus Mardochæus non flectebat genu, neque adorabat eum.* Res ad Amanum ab ambitioſis adulatoribus delata eſt, ille experimento voluit agnoſcere, ne dum citò delatoribus credit, ſuam prudentiam dehoneſtarit. Quid tunc? Agnouit quidem ſibi genua Mardochæum non flectere, & ardentiſſimam in iram excanduit. *Quod cùm audiſſet Aman, & experimento probaſſet, quod Mardochæus non flecteret ſibi genu, nec ſe adoraret, iratus eſt valde.* Profectò Mardochæus, ſi peccat, non ſolùm iniurius exiſtit Amano; ſed etiam idolo. Nulli adorationem exhibet, nulli obſequium præſtat, nulli religioſum cultum ſubminiſtrat. Ergo Amanus idolo honorem non exhibitum vindicet, nec ſibi denegatum doluerit. O quàm mirè ſuis factis ſuperborum depinxit ingenium! Non idolum vindicat; ſed illatam ſibi iniuriam punire rigidiſſimè anhelat. Expende textum: *Cùm experimento probaſſet quod Mardochæus non flecteret ſibi genu, nec ſe adoraret, iratus eſt valde.* Quàm patienter tulit idolo opinione Deo denegari cultum, quàm impatienter ſibi non præſtari obſequium: potentia abuſus in vltionem iniuriæ, vt putabat, ſibi illatæ inſano zelo inflammabatur, vindicandi Numinis obliuiſcitur: Adeſt noſter Sanctius: *Cognouit experimento Amanus, quod à Regia domus cuſtodibus audierat, eſſe verum, & implacabile in illum concepit odium.* (Sanctius.) Suam propulſare geſtiuit iniuriam, idoli non curauit offenſam. Aut ſi mauis, alio modo locum expendere, ſcito Amanum vindictam propriæ offenſæ religioſo zelo coloraſſe: erat namque de ſtirpe Agag, quem Samuel occiderat, vtque parentis ſanguinem vindicaret, Mardochæo oppoſuit, idolo à ſe geſtato adorationem non exhiberi, vt diuini honoris ſpecie facilius, quam ſuſpirabat, vindictam ſumeret, & maioris ſanguinem vindicaret. Ita Lyra: *Iſte fuit ex Amalec, vt habetur 1. Reg. 15. quem Samuel occidit, vt ibidem dicitur, & ideo iſte Aman habebat exoſos Iudæos.* (Lyra.) Aman de ſtirpe Agag proditur deſcendiſſe, cúmque iſte Agag ab Hebræis prodatur occiſus, vindicare geſtiuit adulteratus, & falſus zelus. O vtinam vnus Amanus hoc tantummodò cogitarit; verùm nonnullos habebat imitatores, qui falſo muniuntur zelo, cùm ſæuiſſimo vltionis inardeſcant ſtudio.

§. XXXVII.

Sit aliquando munus vitij venenum, virtutis auxilium, cùm ſæpè criminis auxilium, & virtutis fuerit venenum.

MVnera ſæpè ſæpiùs in virtutem inſidiæ ſunt, & ipſis, quæ cupiditas habet, habetur: piſcis & fera fallacibus oblectamentis capiuntur, & dum ſitæ adulantur cupiditati, ſuffragantur miſeriæ: mirum erit, ſi auro doniſque pretioſis fidelitas non degenerarit violata, ſi amicitia non obſcuretur querula, ſi iuſtitia non ſordeat corrupta. *Qui volunt*, aiebat D. Paulus, *diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum.* Ecce diaboli laqueus, aurum: nam cùm ferè omnes diuites fieri deſiderent, diuitiis inhiant, & dum muneribus oblectantur, capiuntur. *Dum ambitione bonorum*, ſcribit Hieronymus, *tumentes, ad cælum eleuati, vſque ad inferos demerguntur.* Donorum pondere trahuntur, qui virtutis pennis ad ſpeciem eleuabantur. Mirum eſt, ſi magnifica donatiua animum non corruperint, & quidquid audent in virtutem, non impetrauerint. Celebratur & iure Callicratidas quod muneribus vel in egeſtate non potuerit corrumpi; ſed illæſam maluerit amicitiam ſeruare: *Callicratidas*, ſcribit Plutarch. in apophthegm. *amicis poſtulantibus Lyſandri largiretur ipſis vnum certum ex inimicis ſuis interficiendum, daturos ei ſe quinquaginta talenta: ille quamuis in magna rei nummariæ difficultate foret ad commeatum nautis expediendum, haud annuit tamen.* Mirum fuit munus implere, muneribus ſolicitatum, & contra amicitiam impulſum. Et quidem Cleander eius conſiliarius improbauit conſilium: Conſiliarius eius Cleander, addit Plutarchus: *Ego verò, inquit, ſi tu eſſem, acciperem.* Cui ingenioſè Nauarchus reſpondit: *Sanè ego quoque, inquit ille, tu ſi eſſem.* Vnicus in tota illa claſſe inuentus eſt, qui ſe muneribus præſtiterit pro virtute inexorabilem: tanta eſt ad corrumpendos mores auri eloquentia, & munerum efficacia. Verùm prudentiſſimi viri expunctis fæcibus, vitiiſque decoctis munera adulterant 158. 1. Ad Tim. 6. v. 9. Hieron. Plutarch. Amicitia etiam in egeſtate ſeruanda.

lauda

laudabiliter, & quæ virtutis extiterant naufra-
gia, iam virtutis inueniuntur auxilia: vt verum
fuerit illud Poëtæ dictum: *Munera, crede mihi,
placant hominesque deoſque.* O quàm celebrari
debet prudentia, quæ muneribus vtitur non ad
prouocandam Dei iram; ſed ad promerendam
gratiam. Ecce Eglon Iſraëlitas diuexat dura ty-
rannide, gemebant miſeri ſub vitij iugo: quid
tunc? Decantatiſſimus Aod munera offert, & de
oblatis muneribus Eglonem capit: *Obtulit mu-
nera Eglon regi Moab.* Muneribus ſe in Eglonis
familiaritatem inſinuat, & quibus manibus mu-
nera obtulit, & mortem intulit. *Extendit Aod
ſiniſtram manum, & tulit ſicam de dextero femo-
Stephan. re ſuo, infixitque eam in ventrem eius.* Stephanus
in allegor. Tilmani hiſtoriam moralitati ada-
ptans ſic ait: *Aod prælatus, Eglon cupiditas,
ferrum verbum Dei.* Itaque ſi in ipſo Eglone
moralitatem quæras, verbum Dei in viſcera ad-
miſit, dum muneribus cupidus inhiauit: quid
enim recuſaret cupidus admiſiſſe virtutem,
quando ſimul cum virtute donis explebat cupi-
ditatem? Itaque in Eglone non eſt extincta na-
tura; ſed extincta cupiditatis offenſa: diſertiſſi-
mus namque Aod ipſis muneribus Dei verbum
immiſcuit, vt iam innoxia cupiditas frueretur
cupitis, & careret prorſus offenſis. Verùm ne ad
Eglonem ſolum arctemus conceptum, expende
munera illa fuiſſe vitij laqueum, vt eſſe ſolent
virtutibus detrimentum: eadem arte vſus eſt
Aod ad Iſraëlitam liberandum, qua vti ſolent
improbi ad Iſraëlitam capiendum. *Is,* ſcribit de
Ioſeph. Aod Ioſephus libro quinto antiquit. capite 5.
*in familiaritatem Eglonis ſe inſinuauit, crebris
muneribus hominem ſibi concilians.* Vt cupidita-
tem in homine occideret, crebris ſibi muneribus
conciliauit: muneribus vſus eſt ad auferendum
de Hebræorum ceruicibus iugum, ſi dona inge-
nuos infame compulere ſæpe ad ſeruitium. In
mentem mihi venit meus Xauerius celebratiſſi-
mus Indiarum Apoſtolus, dignuſque Doctoris
gentium diſcipulus, qui aliquando legationem
obiit, ad idololatram munera deferens, vt con-
ciliato ſibi muneribus homine idololatriam
fidei pugione interimeret, & hominem ad veri-
tatis candorem traheret.

159. Luc. 5. v. 4. Non ſine myſterio Chriſtus Dominus, qui
alias Petro rete in vndas dare præceperat: *La-
xate retia veſtra in capturam:* vt tributa ſolue-
ret, non rete; ſed hamum mittere iuſſit: *Vade ad
mare, & mitte hamum.* Et cur hamus hîc mitti-
tur, & non rete? Profectò rete nihil offert; ſed in-
duſtria violētia capit, at hamus oculis obiectabat
munuſculum, & munuſculo inſerit ferrum. Ergo
hamum munere inſtructum iactare iubet, vt
Seneca. munus etiam inſeruire virtuti probet. *Et fera,*
aiebat Seneca epiſt. 8. *& piſcis ſpe aliqua oble-
ctante decipitur: munera iſta fortunæ putatis, inſi-
diæ ſunt.* Itaque munera pro inſidiis ſunt piſci-
bus, & dum ſpe oblectantur capiūtur: hac etiam
arte vti iubetur Petrus, vt de cœnoſis aquis, &
de fluxis prorſus voluptatibus rudem piſcem
educat; & ad ſoliditatem littoris trahat. Iam in
Hieron. piſce illo hominem auaritiæ deditum, vitiiſque
addictum ſignari tradit Hieronymus: accipe eius
verba: *Videtur mihi ſecundum myſticos intellectus
iſte eſſe piſcis, qui primus captus eſt, qui in profun-
do maris erat, & in ſalſis amariſque gurgitibus
morabatur, vt per ſecundum Adam liberaretur
primus Adam.* Serpens dum Euæ offert dona,
Euam capit, & ſpe oblectante decipit: ergo Pe-
trus, vt illud Magiſtri conſiliū, *Eſtote prudentes,
ſicut ſerpentes,* fructuoſè adimpleat, Euam mu-
neribus oblectat, & quæ de paradiſi ſoliditate
excluſa turbulentiſſimis fluctibus iactabatur,
iam de ſordidiſſimis aquis extracta Deo inſer-
uit, & portum adit. Ecce ſanctiſſimum Antiſti-
tem Nicolaum, qui, vt ab imminenti naufragio
pulchellarum puellarum caſtitatem in ſecurum
portum deducat, munera offert, prudentiſſimus
quidem ſerpens, vtpotè qui donando puellas
cepit ad caſtitatem, ſi verſutiſſimus, & tortuoſus
coluber donando ceperat Euam ad confu-
ſionem. Plures videas ſanctiſſimos viros alen-
tes fœminas, decentem ornatum ciboſque præ-
bentes, vt inopia peſſimo conſiliario depulſa
pudori inſeruiant, & virtutem ſtudioſiſſimè co-
lant: donis militant pro virtute, ſi vaniculi, li-
bidinoſique donis militauere pro crimine.

Sponſus, vt Sponſam ad virtutem viuidius 160.
prolectaret, blandiſſimis eloquiis affatur: *Surge* Cantic. 2.
propera, amica mea, columba mea, formoſa mea, v. 13.
*& veni: iam enim hyems tranſiit, imber abiit &
receſſit.* Addit: *Ficus protulit groſſos ſuos.* Allu-
dit fortè ad antiquam ficum: nam cùm homines
in paradiſo olim deliciarentur, plantis omnibus
vtebantur ad guſtus cupedias vnica ficu inter-
dicta; verùm inuidia ictus dæmon ſerpentem
induit, & eius lingua mulieris aures infecit: iun-
xit perſuaſionibus folia & fructus ficus, vt dum
captioſis inhiat muneribus, legem adulteret.
Iam ficum fuiſſe, circa quam parentes noſtri
præuaricati ſunt, tradit Iſidorus Peluſiota epiſt. Peluſiota.
51. *Arcanus quidam ſermo adnexus eſt à ſenibus
ſapientibus ad nos graſſatus, nempe hanc tranſgreſ-
ſionis arborem eſſe, cuius etiam foliis hi, qui man-
datum violarunt, vſi ſunt.* Itaque dæmon ſerpen-
tinæ voci dolum coniunxit, & mandatum viola-
re donis, ſi dicere fas eſt, coëgit. Quid ergo Do-
minus pro ſua ſapientia? Simile donum turturis
voci adiungit: *Vox,* inquit, *turturis audita eſt,* vt
cùm eiſdem donis frui poſſit & ſerpentem au-
ſcultans, & turturis vocem exaudiens, malit au-
dire turturem, quàm ſerpentem. Fortè ſola tur-
turis vox non alliceret, ſi ſerpentina vox donis
armata vocaret; at dum Sponſa non fraudatur
ambitis, faciliùs obtemperabit mandatis, & iam
ficus, quæ extiterat occaſio præuaricationis, erit
occaſio virtutis: *Vox turturis,* ſcribit noſter Del- Delrius.
rius, *poteſt intelligere de ipſomet Chriſto.* Chriſti
vox groſſis coniungitur, quo efficaciùs attrahat,
& ſecurius teneat. *Surge, veni,* ſcribit Ambroſius, Ambroſ.
*proxima mea, id eſt, ſurge à delectationibus mundi,
ſurge à terrenis, & veni ad me.* Ne quærat terre-
nas delectationes, delectationes offert innocuas,
ne donis capiatur fallacibus, honeſtis ſibi deuin-
cit muneribus: ceciderat ob ficus groſſos, groſ-
ſos ergo ficus offert prudentiſſimus, vt reſurgat.

Iſaac Eſau obſequiis frequentiſſimis delini- 161.
tus illi benedictionem præmaturè ſatis dilargiri
diſponebat: erat contra oraculum ſanè patris
ſtudium: quod prudentiſſima mater præſciens
Iacob ſerio imperat, vt delectabiles patri eſcas
quàm citius afferat: perrexit ille, hœdos attulit
opimos: mater, qua amor conſulebat, ſolicitudi-
ne condit, & ad patrem deferri iubet: ille etſi vo-
ce monitus, manibus tamen allectus Iacobum
benedictione adornat, & oraculum confirmat;
Vox quidem vox Iacob eſt; ſed manus manus ſunt Gen 27. v. 22.
Eſau. Quàm prudenter Iacob manus Eſau mu-
tuatus

tuatus eſt: oblatis namque muneribus patrem ab errore liberauit, quem Eſau manus ad errorem oblatis muneribus impulit: munera patris deuinciebant affectum, militabantque contra oraculum: ergo Iacob ſimilibus manibus ab errore vindicat patrem: quia iam non poterat contraire præcepto, quando etiam obſequens adulabatur palato. Profectò ſi Eſau ſaporata obſonia offerret, & Iacob aut inſipida, aut nulla, nil mirum oblectatus pater aliis, aliaque faſtidiens, quantumuis refragaretur oraculum, Eſau contenderet ditare benedictione, & Iacobum diſpoliare hæreditate; at dum Iacob, quibus pater libentiſſimè veſcebatur, offert; dum ſaporatè condita, dum ad guſtum ſaporata famelico defert; ſibi etiam deuincit affectum, & donis implet oraculum: *Cùm oblatos comediſſet, obtulit ei etiam vinum* Quid tunc? *Benedicens illi ait: Det tibi Deus de rore cæli, &c.* Profectò, vt aiebat Nazianzenus in ſententiis: *Munera faciunt, vt ſapientes quoque viri allucinentur, atque vt aues laqueo, ſic homines auro capiuntur*; verùm hìc etiam proferre poſſumus: Munera faciunt; vt homines cæci lumen recipiant, & Numinis oraculo obediant. Impetrauit Iacob muneribus, ne pater peccatum committeret, & vt oraculum adimpleret: *Non animo fallendi patrem*, ſcribit Caietanus; *ſed animo aſſequendi diuinum promiſſum, manifeſtat ſe rem hanc attentaturum.* Non prætendebat fallaciam, imò ne pater affectus pateretur fallaciam, ſatagebat. Eſau muneribus patris animum inclinabat contra præceptum, traxit Iacob muneribus ad explendum oraculum, ne videretur iniquus frater prudentior, & frater iuſtus ignauior.

Nazianz. *Vt aues laqueo ſic homines capiũtur auro.*

Caietan.

§. XXXVIII.

Nulli tutò ſecretum committitur, præcipuè ſi gratia aut lucrum de proditione ſperatur.

161. NAtura humana garrulitatis inuenitur ſtudioſiſſima, impatiens ſilentij omnia prodit, & quod illi committitur ſecretius & ſacratius, prurit effundere ſtudioſiùs, & prodere auidius. Huius veritatis conſcius Cæcilius Metellus cuidam tribunorum roganti, quid in hoſtes moliretur, reſpondit apud Plutarchum in Apophthegmat. *De eo mihi, ſi tunica eſſet conſcia, detractam in ignem conijcerem.* Noluit prudentiſſimus Dux animi ſtudia indicare, veritus ne, dum ſacratiori fidei committit, viuidius euulgandi ingeneraret ſtudium, inflammaretque deſiderium. Seleucus exercitus ſui fugatis fractiſque aciebus in villam quamdam ſe recepit, panem & aquam à villæ domino poſtulauit: ille benignè excepit, faciemque regis agnoſcens, & ignotari cupientem videns tantiſper diſſimulauit; verùm non potuit ſibi imperare ſilentium; ſed diſcedentem proprio nomine ſalutauit, quod celerrimam mortem illi acciuit, dum ſpem de notitia fouet. *Si tacuiſſet tunc*, ſcribit Plutarchus de Garrulitate, *& aliquantiſper ſibi temperaſſet, rebus florentibus poſt Regis, cuius magnæ opes fuerunt, præmia profectò ſilentij, quàm hoſpitalitatis, retuliſſet maiora. Cæterùm habuit hic impotentia occaſionem ſpem; & comitatem.* Dum notitiam fore vtilem ſibi putauit, premere ſilentio nequiuit. Neſcio quo ſecreta prodendi ſtudio homines impellantur, & œſtro ad effundendum ſibi commiſſa agitentur? neſciunt tacere, præcipuè ſi de loquacitate garrulitateque aliquod affuturum ſibi præmium liceat præſumere. Ob id ſtrenui duces, prudenteſque viri altiſſimo ſilentio, vtiliſſimaque diſſimulatione facienda tegunt, ne ſpe ſolicitent quos putauere fideles: *Demens ac vanus ille eſt*, inquit Onoſander in ſtrateget: *qui priuſquam neceſſe ſit, negotiorum arcana cum multitudine communicat: nam tunc præcipuè temporis ſcelerati quidam ad hoſtes malitiosè tranſeunt, quod ab illis proditionis gratia honores & præmia ſe adepturos ſperant.* Ingenita homini ambitio de ſpe flabellatur, nec veretur fidei iniuriam, ſi de proditione Magnatum ſibi promiſerit gratiam. Huius certiſſimæ veritatis, & optimæ politiæ Aod ſtrenuus Hebræorum dux non ignarus, cùm grande facinus tentaret, nulli vel fideliſſimo aperuit, timens imbecilliorem fore fidem ad ſilentio ora ſignanda, quàm ambitionem oſtenſis præmiis ad aperienda. Poſtquam Eglonem adierat, ac multis comitatus munera obtulerat, eiſdem ſociis Galgala petiit, indeque dimiſſis omnibus ad regem reuertitur, & ſecretum verbum ſe habere teſtatur: *Reuerſus de Galgalis, vbi erant idola dixit ad Regem: Verbum ſecretum habeo ad te, ô Rex.* Secretum verbum, quia nulli commiſſum, habuit; imò ſocios dimiſit, vt verbum eſſet ſecretum: etſi occidendi tyrannum ardentiſſimo æſtuauerit deſiderio, maluit tantiſper differre, quàm vel amiciſſimis ſuſpicionem ingenerare: veritus eſt, ne vel fideliſſimi ad ſpeciem ſocij coniecturis rem odorati ad Eglonem detulerint, & vniuerſali ſaluti concitarint naufragium, dum ſibi ambiuerint præmium: *Timuit indicare hoc Aod alicui*, inquit Abulenſis quæſt. 19. *quia fortè vt eſſet acceptus Regi Eglon, nuntiaret ei quiſquam quid diſpoſuiſſet agere contra eum Aod: ex quo ſequebatur periculum omnium Iſraëlitarum: ideò noluit cuiquam pandere, quod propoſuerat.* Rem difficultatibus plenam aggreditur periculi non ignarus; verùm plus timuit ambitioſæ garrulitatis pruritum, quàm medios inter hoſtes arduum opus aggredi ſolum. Scipionem imitatus eſt, de quo Polybius lib. 10. *Scipio ſi quam ciuitatem obſeſſurus eſſet, aliamue militarem expeditionem ſuſcepturus, cunctos propoſiti ſui volebat celatos, dum tempus eſſet deſtinata exequi, & propalare.* Ni Aod verbum ſecretum habuiſſet, Hebræorum ſalutem nullatenus conſummaſſet, at prudentiſſimus factis docuit, in momenti rebus nulli ſecreta committere: quia aut ambitionis conſilio, aut garrulitatis ingenio omnia vulgantur, & diuulgata impediuntur.

Plutarch. Onoſander. Abulenſ. Polybius.

Pharaonis filia cum leuandi animi cauſa fluuium petiiſſet, capſulam agitatam fluctibus conſpicata eſt, in eaque puerum forma elegantiſſima inueniens, pro filio adoptare ſtatuit, & ſororis fratris ſecretum fidei commiſit: *Perrexit puella, & vocauit matrem ſuam. Ad quam locuta filia Pharaonis: Accipe, ait, puerum iſtum, & nutri mihi.* Eo res ſecreto peracta eſt, vt quæ ſe grauidam anteà finxerat, puerum illum peperiſſe valuerit mentiri, & mendacium colorare: quod vti eximium diuinæ prouidentiæ miraculum commendat Philo lib. 1. de vita Moſis: *Facit filium ſuppoſititium, quæ iam antè muliebri arte finxerat ſe grauidam, vt natiuus putaretur, non aſcititius: tam facilè ſuccedit quidquid Deo placet, quantumuis* 163.

Exod. 2. v. 8.

Philo.

tumuis arduum. Maxima hic Dei eluxit erga Hebræos prouidentia, & omnipotentiæ efficacia, quandoquidem ſecretum matri Moyſis ſororique commiſſum, nullatenus diuulgatum eſt, verùm quid mirum mater non vulgauerit, ac ſoror preſſerit, quando filij, fratriſque vita ſuadebat, cùm grandius ſubiret periculũ de notitia, quàm fluuiali eluſerat vnda? Profectò mirum fuit ſororem, matrem, patremue pueri, non affectaſſe erga regem fidelitatem, & tyranno deferentes notitiã non quæſiſſe de contra naturam facinore gloriam. Facilè ſeruatum eſt ſecretum, quantumuis arduum; ſed ad omnipotentię elogium, & ad prouidentię indiciũ. *Tam facilè ſuccedit, quidquid Deo placet, quantũuis arduum.* Arduum ſanè erat ſororem ſodalibus non aperire ſecretum, & vel matrem ſibi non publicaſſe commiſſum.

164. Moyſes ad ſuos egreſſus, cùm videret præfectum quẽdam rabie efferatum, feras carniuoras venenataſque immanitate longè ſuperantem, ferro adamanteque duriorem, adeoque humana natura exutum, vt vel humillimis exacerbaretur precibus, & ad immanitatem accẽderetur, gemitibus, illum intereſſe fas eſſe ratus occidere viperam in hominum perniciem viuentem: ea hoc cautela perfecit, vt ille ſolus, cui ferebatur exi- Exod.2.v.11 lium, ſcire potuerit: *Egreſſus eſt ad fratres ſuos, viditque afflictionem eorum, & virum Ægyptium percutientem quemdam de Hebræis fratribus ſuis: cumque circumſpexiſſet huc atque illuc, & nullum adeſſe vidiſſet, percuſſum Ægyptium abſcondit ſabulo* Die altera duos Hebræos inuenit rixantes, & iniurium ſeuerè carpſit; at ille patratum à Moyſe homicidium referens, an ſuſpicet aliud, rogauit: *Num occidere me tu vis, ſicut heri occidiſti Ægyptium*: Moyſes timore concutitur, & fugere iam adoritur: *Timuit Moyſes* Profectò nihil videbatur timendum à propriis, contribulibuſque. Quid intererat Hebræum aliquem mortis eſſe conſcium, vt iam Moyſes fugam adoriretur ſalutis arbitratus periculum? Prudenter timuit, quod & euentus probauit: *Audiuit Pharao ſermonẽ hunc, & quærebat occidere Moyſem* Agnouit Moyſes vnicum illum Hebræum, in cuius ſalutem mors perpetrata fuerat, improba garrulitate inſultanti modò communicaſſe, verituſque eſt fœdi lucri deſiderio citiſſimè deferendum ad Principem, & odoratus periculum, petiuit matura fuga deſertum. Videbantur Hebræi ſecretum adeò facinus in illorum gratiam perpetratum altiſſimo ſilentio preſſuri; at Moyſes humani ingenij non inſcius, vt audiuit factum ſuum inter duos vulgatum, fugam arripuit; & quidem ni maturè tentaſſet, pœnas dediſ- Philo. ſet: *Patulas aut aures*, ſcribit Philo vbi ſuprà, *impleuerunt plurimis calumniis hinc inde inſuſurrantes, vt de amittendo Principatu reddiderint ſolicitum.* Adſtipulatur Abul. hic: *Timuit Moyſes: quia cùm cognouit quòd aliquis huius rei conſcius erat, credidit quòd citò veniret ad aures Pharaonis, qui eum occideret: & ſic factum eſt* Pharao tyrannica feritate Hebræos opprimebat, Moyſes Hebræis auxilium ſummo ſecreto præſtabat; at ipſi, qui gaudebant beneficio, ad Principem detulerunt ambitioſiſſimo deſiderio: obliti ſunt cognationis, & gratitudinis iura, vt piſcarentur Abulenſ. indigna præmia. *Admiratus fuit*, addit Abulenſ. *in hoc Moyſes, quia quando ipſe occidit Ægyptium, circumſpexit huc atque illuc, & neminem vidit. Ex hoc etiam videtur quòd nullus de Hebræis viderat præter illum, cum quo rixabatur Ægyptius.* Ipſe, qui receperat beneficium, neſciuit cuſtodire ſecretum, & ex ipſis Moyſis ſociis non defuit, qui regi retulerit aut inuidiæ ſtudio, aut gratiæ Principis deſiderio. *Aliquis de Iudæis* (verba ſunt Abul.) *qui erat maliuolus Moyſi, retulit hoc regi.* Hinc diſces quanto periculo vel familiari, vel amico, vel fratri committatur ſecretum, quando Hebræus beneficiatus neſciuit tacere; ſed geſtiuit ad Principem inuolare

Deus hominem conſtruens, paradiſæiſque voluptatibus præficiens præceptum de fructu ligni ſcientiæ non comedendo impoſuit prouidentiſ- 165. ſimus, non auarus: *De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas.* Gen.2.v.16. Auguſt. inuenit grande myſterium in ſtyli varietate: legit namque: *In quocumque enim die comederitis ex eo, morte moriemini.* Itaque pœnam duobus intentat, cùm præceptum poſuerit vni; verùm adeò certum erat præceptum Adamo poſitum ſtatim Euæ referandum, vt quamuis vni dixerit, ſtatim cum duobus vti rei conſciis iam egerit. Audi Auguſt. apud Gloſſam: Auguſt. *De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas: non dixit, ne comedatis: poſteà pluraliter alloquitur: In quacumque die comederitis ex eo, morte moriemini: fortè quia facturus erat mulierem, ſic præcepit, vt per virum ad mulierem perueniret.* Certum erat adeo Adam præceptum ſibi impoſitum reſeraturum, vt ſatis fuerit ipſi dicere, nec abs re ſtatim cum duobus agere. Verùm, vt propiùs theſi accedamus, ecce ſerpẽs; imò dęmon ſerpentis facie perſonatus accedit diuinitatem Euæ promittens, & æternitatem ſpondens, ad hocque, cur ligno illo imprudenter abſtineant, doloſè rogat: *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederitis de omni ligno paradiſi?* Gen 3.v.1. Ecce diabolus ignorat ſecretum, quod videtur interiùs hominibus intimatum. Quid tunc Eua? Rem aperit, & quòd ſecretò acceperat, veritatis hoſti ſtultè prodit: Adeſt Baſil. Seleuc. orat. 1. *Exarmaſti te* Seleucienſ. mulier, Dei voce diabolo credita: quid ille igitur? Nequaquam moriemini..... Deus mortem tranſgreſſoribus ſtatuit, & diabolus vitam contra legem agentibus *ſpondet*. Mulier dum promiſſionibus, adulationibuſque ineſcatur, deluſa neſcit cuſtodire ſecretum, ad hoſtem defert, quæ acceperat, & ſe donandam credens diuinitate, ſingularitatis ambitioſa omnem poſteritatem virulentiſſima infecit peſte: communi ſaluti præpoſuit ſingularem vtilitatem, & quia mercedem ſperauit, Dei vocem hoſtibus prodidit.

166. Quàm aliter prudentiſſima Iudith, cum Holofernem impetere, ſuoſque liberare decreuiſſet, nec ipſis Preſbyteris pandit conſilium; ſed ſibi vni reſeruauit ſecretum: *Nolo vt ſcrutemini actum meum, & vſque dum renuntiem vobis, nihil aliud fiat, niſi oratio pro me ad Dominum noſtrum.* Iudith.8.v.33. Quid intererat Presbyteris hominibuſque, à quibus omnis ſuſpicio aberat, conſilium ſuum aperire, & quid cogitauerit, denuntiare? Plurimum ſanè; nam quamuis Iudith mali nil de Presbyterorum fidelitate præſumpſerit, prudentiæ leges conſilium celando impleuit: *Orat*, ſcribit noſter Sanctius, *ne ipſi de ſuo conſilio quicquam ſcrutentur*: Sanctius. à ſe enim ſuo tempore & conſilium, quod nunc celatum vult, & rerum exitum eſſe *aperiendum*. Non ſuſpicabatur Iuditha conſilium Presbyteris commiſſum fore ad Tyrannum deferendum; non tamen ignorabat eſſe poſſe, ſi committeretur, periculum: ergo vti cum

fideliſſimis agens, illorum orationes preceſque efflagitat, & conſilium vti prudentiſſima celat. Liuius. *Legimus*, ſcribit Liuius libro quarto apud Froſſardum boni iudicij ſcriptorem, Anglorum morem antiquitus fuiſſe, vt in expeditionem ituri, priùs ſolemni ſeſe adſtringerent conſiliarij iuramento, nemini ſuſcipiendi itineris cogitationem detegerent, quod inſtitutum & & laudabile fuit, & idoneum, quod cæteræ poſteà nationes *imitarentur*. Quid aptius?

§. XXXIX.

Natura humana, vt ſecretum inueſtigandi eſt auidiſſima, ſic effundendi, percupida.

167. DVplici veluti ingenito, & innato vitio ſæpiſſimè laborat humana natura, nimio videlicet ſtudio eruendi venandique ſecreta, & anxio pruritu effundendi nota. Videbis homines eximiis dotibus exornatos; hac tamen veluti nauſea euomendi ſecreta ſic laborantes, vt neſciant quieſcere, quouſque in alienas aures communicauerint, & quaſi venenum euomuerint: Iam non inferior eſt ſecreta eruendi cupiditas, venandique abſtruſiora ſtudioſitas: diſcruciatur quodammodo animus, ni prodat ſibi commiſſum, torquetur, ni aperuerit inuolutum: humana titillatur lingua; imò aduritur ſecreti flamma: æſtuat ſecretum, & vti ignis natiuum tendens ad centrum montes, concutere, & diſrumpere ſolet, ita ſecretum, quouſque peruenerit ad aures, cor inquietat, & quodammodò viſcera rumpit. Anacharſis, vt continendæ linguæ difficultatem exprimeret leuiori fræno domitam intemperantiam, arctiorique opus eſſe docuit ad continendam, ne ſecretum funderet, Plutarch. linguam: *Anacharſim*, ſcribit Plutarchus de garrulitate inuitatum apud Solonem, *cùm accubuiſſet, viderunt lauam virilibus, ori dextram tenentem admotam; quippe fræno cenſebat firmiore opus habere linguam. Qui rectè cenſuit: neque enim facilè recenſeas libidinis intemperantia viros tot periiſſe, quot vrbes & imperia verba prolata recondita deleuere.* Non ſunt homines ſecreti compotes, pectore ebullit, labia impellit, linguam exacuit, vt iure dixeris ſecretum garrulitatis cotem: vt enim ferrum cote exacuitur, quo faciliùs ſcindat, ſic ad ſecretum lingua, quò citiùs effundat. *Fuluius Auguſti Cæſaris amicus, cùm ab Auguſto acciperet vxoris ſuæ filium in ſucceſſorem imperij adoptandum vxori ſuæ reſerauit, illa Liuiæ Cæſaris vxori: Liuia tarditatem decretum perficiendi apud Cæſarem expoſtulauit*, teſte Plutarcho vbi ſuprà: Meritò, inquit pœnas dabis, cùm ingenij mei non ignarus ſecretum commiſeris. Plutarchum audi: *Reſciuit, inquit, Cæſar me arcanum illud retexiſſe, adeò conciliabo mihi ipſe mortem.* Cui vxor: *Meritò inquit mulier, qui cùm tamdiu matrimonium tenueris meum, non proſpectam, & ſuſpectam habueris incontinentiam meam; verùm ſine me priorem emori, arreptoque pugione ante viri lethum traiecit ſe.* Ecce mulier eo animo prædita fuit, vt mortis acerbitatem valuerit intrepidè deuorare; non tamen potuit commiſſum ſibi non fundere. Iam quanta ſit curioſitatis libido, non eſt explicatu facile. Prudens Ægyptius cum quid inuolutum ferret, à quodam rogatus eſt quid illud eſſet; ſed opportunè reſpondit ideò inuolutum, ne notitiæ reſeratum. Ità Plutarchus de curioſitate: *Scitum* Plutarch. *eſt hoc Ægyptij ad eum, qui quid ferret inuolutum, requirebat: Hac de cauſa inuolutum eſt; tu verò quid anxiè laboras de eo, quod abſconditum eſt?* Quidquid notitiam fugit, non ſolum titillat, ſed indagandi acriter inflammat ſtudium, & ſæpè in ſcrutantis non modicum detrimentum. *Cum magna impudentia*, ſcribit ibi Plutarchus, *aliorum origines excutimus, vicini Syrum auum fuiſſe, auiam Threſſam, tria illum talenta habere æris alieni, neque vſuram diſſoluiſſe: exquirimus item huiuſmodi, vnde huius reuerſa ſit vxor, quid ille & ille ſeorſum collocuti ſint in angulo:* tanta eſt abdita ſcrutandi cupiditas, garrulitas tanta effundendi. Hinc Aod humani ingenij non inſcius ſecretum ſociis non commiſit, & ſecretum ſe dicturum Regi affirmauit: *Cùm obtuliſſet ei munera, proſecutus eſt ſocios, qui cum eo venerant, & reuerſus de galgalis, vbi erant idola dixit ad regem: Verbum ſecretum habeo ad te ô rex.* Quid tunc? Rex ſilentium imperat, vt ſecretum quàm citò capiat: *Imperauit ſilentium:* animaduerte Aod prudentiam: quod facere propoſuerat, nec ſociorum vni commiſit, & ſecretum regi propoſuit: ſciebat namque eodem ardore humanam inflammari naturam, vt commiſſum ſibi ſecretum effundat, & vt aliis ſecretum audiat: *Iubet eum ſurgere*, ſcribit Ioſeph. Ioſephus libro quinto antiquitatum cap. quinto: *dicens habere ſe ſomnium, quod ex Dei mandato regi ſit indicandum: cùmque ille audiendi cupidus alacriter aſſurrexiſſet, Iodes inflicto in cor pugione, & relicto in vulnere exiuit.* Ecce arcani ſciendi auiditate facilè Eglonem allexit, & ſecreti occaſione occidit. Auiditas ſecreta ſciendi Egloni conciliauit periculum, qui ni adeò curioſus, curioſitatis pœnas non dediſſet occiſus; verùm non minus Aodis prudentia reſplenduit in excitando regis ſtudio, & in celando ſociis negotio. *Timuit*, Abulenſ. ſcribit Abulenſis quæſtione decimanona: *indicare hoc Aod alicui.* Addit ſtatim: *Ideò noluit cuiquam pandere, quod propoſuerat.* In vtroque prudentiſſimus, & in ſecreto celando, & in proponendo: eſt enim ſummus impatientiæ ſtimulus, vt prodatur ipſum ſecretum, & ſummus vrgentiſſimuſque pruritus, vt aliquod indagetur arcanum. Adde eam eſſe ſecreti effundendi libidinem, vt iam non ſolùm ille, cui committitur; ſed ipſe ſecreti artifex veluti parturiens conetur effundere. Quàm benè Seneca epiſtola tertia: *Tu* Seneca. *ita viue, vt nihil tibi committas* (ita legit Lipſius) *niſi quod committere etiam inimico poſſis.* Seipſum debet homo ea cautela vereri, ac ſi ſui ipſius ſit apertiſſimus inimicus: geſtiunt namque plures euomere, & ſecreto proprio pectus exonerare, etſi ſibi noceat abſtruſorum notitia, etſi honorem infuſcet nota.

Cùm vrbs Romana Neronis excutere imperium decreuiſſet, & ſummo, vt exigebat 168. negotium, rem ſilentio tractaſſet, vnico homini, qui intrepido animo videbatur præditus, rem aggredi, perficereque, quo decebat

Digitized by Google

bat pretio & cautela commiſerunt : hic cùm damnatum ad beſtias, ſortemque ſuam deplorantem vidiſſet, libidine ſecretum vel obſcure indicandi commotus acceſſit ad damnatum conſulens, vt voto diis facto ſupplicij tempus vel in alterum diem differri impetraret, quod ſi obtinuiſſet, acturum ſe conſulenti gratias aſſeruit: ad beſtias producendus noluit vitam ſuam contingentiæ exponere;ſed de proditione aſſerere,accitoque Nerone rem aperuit, qui tormentis veritatem omnem extorſit, & homo ille expertus eſt, quàm in ſuum caput ſecretum vel ſuſpicioni commiſerit, & reliqui experientia didicerunt plures nec ſecreti, quod ſua intereſt, eſſe compotes; ſed prorſus ad tacendum imbecilles: Audi Plutarchum de garrulitate: *Vna ſupererat nox, poſtquam tollendus erat tyrannus; inſtructis omnibus, qui eum trucidaturus erat profectus ad theatrum, vidit quemdam pro foribus ad beſtias damnatum, qui erat Neroni producendus, ad hunc ſortem ſuam lamentantem propiùs accedens, atque in aurem ſuſurrans: Heus tu, inquit, fac votum, vt diem hodiernum modo prætereas, cras ages mihi gratias.* Quod magni illius intererat, reſerauit, & reſerati ſilentij digniſſimas pœnas tulit. *Mox quæſtiones, ignis, flagella expedita neganti expreſſerunt, quæ citra neceſſitatem indicauerat.* Soluit immaturam dicendi libidinem vita, qui ſi tacuiſſet, reſplendere potuiſſet palma. Adde diſertum, prudentemque virum, quæ ſilentio ſigillanda amico non ſemel committere; ſed poſtquam multis experimentis de illius fide certus, & in rebus minoris momenti indubia experientia doctus.

Plutarch.

169. Chriſtus Dominus ſynagogæ Principis filiam excitaturus pompam vitat: nec enim ſtudebat vanitati;ſed conſulebat ſaluti: miraculi fideliſſimos teſtes habere voluit, Petrum, Iacobum, & Ioannem: *Cùm veniſſet domum, non permiſit intrare ſecum quemquam, niſi Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & patrem, & matrem puellæ.* Theophylactus rogat, cur hos præ aliis aſſumpſerit,& delegerit. Reſpondetque hos vti Apoſtolorum vertices delegiſſe, vt an ſecretum occulerent,experiretur:nolebat namque Dominus illud miraculum euulgari. Audi Theophylactum apud D.Thomam: *Solos hos intromiſit tamquam diſcipulorum vertices, & potentes miraculum occultare: non enim volebat ipſum ante tempus pluribus reuelari.* Itaque his tribus Apoſtolis ſecretum commiſit rei,quæ non erat quidem magni momenti. Poſtea cùm editiſſimo loco fulgurans ſpectaculum editurus eſſet,gloriæ ſuæ teſtes fideliſſimos eoſdem aſſumpſit: *Aſſumpſit Petrum,& Iacobum, & Ioannem, & aſcendit in montem,vt oraret* Gloriam ſuam illis aperuit,& nemini dixerint, ſeriò iuſſit: Præcepit eis Ieſus dicens: Nemini dixeritis viſionem, donec filius hominis à mortuis reſurgat. Præceptum obſeruantiſſimè coluerunt, & ſilentio ora ſignarunt, quod notanter aduertit Lucas: *Tacuerunt,& nemini dixerunt in illis diebus quidquam ex iis quæ viderant.* Silentio altiſſimo tegunt arcanum illorum fidei commiſſum,magiſtrique adimpleuere præceptum, vt & diſcipulorum appareat obſeruantia,& magiſtri luceat prudentia.Internam lucem nulli alij prodendam amicis reſerauit;ſed poſtquam in rebus non adeò magni momenti expertus, & de illorum taciturnitate indubius,

Luc. 8. v. 51. Theophyl. Luc. 9. v. 28. Matt. 17. v. 9.

Adeſt Theophylactus ad Lucæ 9. *Aſſumpſit tres ſolos Petrum, & velut magis taciturnos, & ſilere valentes.* Quibus iam alia celanda ſine periculo commiſerat, & noua reſerat: nec enim fas erat ſibi vni ſecreta ſeruare, nec niſi probatiſſimis aperire. Optimè aiebat Seneca citata epiſtola. *Si aliquem amicum exiſtimas,cui non tantumdem credis,quantum tibi,vehementer erras,& non ſatis noſti vim veræ amicitiæ. Tu verò omnia cum amico delibera;ſed de ipſo prius: poſt amicitiam credendum eſt, ante amicitiam indicandum.* Iudicauit priùs de Apoſtolis in paruis expertus, vt illis maiora iam committere poſſet ſecurus. Optimam Chriſtus ſecreta communicandi formam præſcripſit, dum priùs quàm commiſerit maiora, genium indicarunt non adeò magna. Ergo Aod, qui nondum ſociis minora commiſerat, maiora ſibi vnico reſeruauit: & dum nulli aperit, ſe habere ſecretum valet aſſerere; aliter potuiſſet nullatenus affirmare. Iam ſciendi occulta, abſtruſaque magnum eſſe homini pruritum, non dubia exempla teſtantur.

Theoph. Seneca. *Omnia cum amico deliberanda;ſed de ipſo prius.*

Iſaiæ Dominus obiicitur geminatis Seraphinorum alis obtectus: *Duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius.* Gloſſa moralis in Seraphinis prælatos intelligit, qui zeli flammis Numinis conantur notitiam ingerere,& ad penitiorem eius notitiam allicere: *Per Seraphim Prælati, qui ſuper curam Eccleſiæ debent ſtare:* Addit: *Per duas alas ſuper caput erectas ſignificatur motus contemplationis in Deum.* Profectò cui videantur ſibi actionibus contraire, & votis apertiſſimè refragari: ſi ingerere ſatagunt Dei notitiam, ſi ad contemplationem mouere, cur alis inuoluunt? Per alas ſuper caput erectas ad contemplationem motum teſtatur gloſſa ſignari; ſed meliùs dixiſſet ad ſpeciem contemplationem alis impediri. O Seraphinorum prudentiam! Sciunt humani cordis ad abſtruſiora ſcrutanda pruritum, & quò auidius excitent,ingenioſiùs occulunt: ipſa occultandi actio erat ad contemplationem motus: quia de ipſo ſecreti generabatur pruritus: tanta eſt occulta nocendi auditas, tanta eſt humana curioſitas. Aut ſi mauis, alio modo locum expende, ſcilicet Seraphinos alis ocyſſimis inuolare, & ad proprios excitandos volatus Domini caput alis inuoluere: quaſi hac ingenioſa induſtria, ſcilicet alis caput tegendo alarum velociorem edant volatum, & viuidius excitent contemplationis ſtudium: *Per duas alas ſuper caput erectas ſignificatur motus contemplationis in Deum.* Erectæ alæ dum caput quodammodò celant,duas alas ad ocyorem volatum incitant: adeò creaturas vrget occulta indagandi ſtudium,& abſtruſa noſcendi deſiderium. 170.

Iſaiæ 6. v. 2. Gloſſa.

§. XL.

Ægrè patitur Deus dicatum ſibi locum culpis infici,aut vel alieno crimine maculari.

LEon Euchratide interrogatus *quali in vrbe habitare queat quis ſecure*, ſcribit Plutarchus in apophthegmat. *Vbi, inquit, iuſtitia vigebit.* Prudens eam ſibi habitationem deligit, vbi perpetuò floret iuſtitia, & à qua vel criminis fugit vmbra: prudentiæ opprobrium eſt 171.

Plutarch.

Digitized by Google

habitationem deligere, cui periculum immineat, & qua vitium floreat: *Quemadmodum aliqua veſtis*, ſcribit Seneca epiſt. 51. *ſapienti ac probo viro magis conuenit, quam alia, ſic regio quoque eſt, quam ſapiens vir, aut ad ſapientiam tendens declinet, tamquam alienam bonis moribus. Itaque de ſeceſſu cogitans nunquam Canopum eliget, ne Baias quidem: diuerſorium vitiorum eſſe cœperunt: illic ſibi plurimum luxuria permittit, illic tamquam aliqua licentia debeatur loco, magis ſoluitur.* Itaque vel loca inhabitantis maculare poſſunt prudentiam, & prudentiæ iniuria eſt ſalubrem regionem non elegiſſe, & male tutam inhabitaſſe. Hinc Deus vtpotè prudentiſſimus credendus eſt eam ſibi habitationem delegiſſe in ſapientiæ, prudentiæque elogium, quam nec macularit peccatum, nec reddiderit anxiam periculum. Hanc veritatem firmè, fixéque ſtabilit ſupplicium ſacra loca temerantibus irrogatum: quòd ſi durè punit humanam audaciam, ſi habitationis ſuæ locum de culpa infamare, aut obſcurare contendat, quis credat Matrem culpa denigratam, & macula obſcuratam? Eglon ad dura Iſraëlitas tributa cogebat; verùm ea eſt miſerorum ſors, vt non ſolùm iniuſtè ſibi impoſita ſoluant; ſed vt timori ſuo medeantur, & auctaria addant. Per manus Aod munera tyranno mittunt, nec ſolum tributa ſoluunt: *Cùm obtuliſſet ei munera, proſecutus eſt ſocios, qui cum eo venerant.* Vix Aod reuerſus Galgala attigerat, cùm idola intuitus, eo diuini zeli ardore inflammatus eſt, vt reuerſus dimiſſis ſociis Regem occidere cogitarit, & opprobrium illud expungere: *Et reuerſus de Galgalis, vbi erant idola, dixit ad regem: Verbum ſecretum habeo ad te, ô rex.* Quærunt Patres, cur Aod priùs regem non fuerit aggreſſus, & cur poſteà laudabili adeò in illum odio inflammatus? Reſpondet Lyra, Eglonem in contemptum loci, in quo tabernaculum fuerat, idola ibi erexiſſe, quod adeò Aod exacerbauit, vt inultum non fuerit paſſus; ſed punire eam temeritatem aggreſſus: *Vſque ad illum locum redierat cum ſociis ſuis; ſed quando vidit idola, quæ Eglon poſuerat in Galgalis, quem locum Hebræi reputabant ſanctum, ... Quia arca teſtamenti, & tabernaculum fuerunt ibi, quouſque tranſlata fuerunt in Silo, vt dictum fuit Ioſue 18. quod fecerat Eglon in contemptum loci ſacri; ex hoc fuit accenſus Aod ad reuertendum, vt interficeret regem Eglon.* Itaque cùm Deus ad tabernaculi ſui habitationem terram illam delegiſſet, Eglon aggreſſus eſt oſtendere idolorum capacem, culpæque participem, quod adeò ægrè Aod tulit Dei cauſam agens, vt quem patienter ob alia plurima delicta permiſerit viuere, ob flagitium hoc decreuerit luce priuare: videbatur namque magnum diuinæ ſapientiæ probrum locum ſuæ habitationi prouidenter electum de admiſſis idolis infamari, & de crimine obſcurum reddi.

Seneca. | Lyra.

172. Pſalmiſta ad ſummi Regis decorem ſummam palatij munditiem pertinere teſtatus eſt: *Domum tuam decet ſanctitudo, Domine, in longitudinem dierum.* Decora domus, elegans aula index eſt maieſtatis, & in probrum Domini vertitur, ſi habitatio maculis aut ruinis defœdata conſpicitur. *Hanc, inquit*, exponit Euthymius, *domum decet ſanctitudo, hoc eſt, vt ſit ſancta, ea nimirum ratione, quia Dei ſancti domus eſt; verùm hoc ita demum fiet, ſi in iis, qui illud templum habitant, munditia extiterit ab omni prorſus inquinatione.* Non ſolùm in ipſa domo Pſalmiſta requirit munditiem; ſed in his, qui domum illam calcant, quaſi vel externa culpa obſcuretur, & contagio alieno lædatur. Et quis credat ipſam habitationem interna macula pollutam ſordeſcere, quando nec externis patitur Dominus maculari: Dei domum decet ſanctitudo non ſolùm interna, & propria; ſed vel aliena & extranea, hoc eſt, tanta debet rutilare munditie, vt omnis illuc ingrediens omni appareat prorſus inquinamento alienus, & omni ſanctitatis ornamento conſpicuus. *Hoc ita demum fiet, ſi in iis, qui illud templum habitant mundities extiterit ab omni prorſus inquinatione.* Contra habitatoris eſſet decentiam, ſi vel qui domum intrant, aliqua inquinatione ſordeſcerent; imò ni virtute exculti radiarent. Quod ſi vel externum locum habitationis ea vult ſanctitatis venuſtate fulgere, quis credat maternam carnem, quam diuinitati elegit habitaculum, contagione aliqua defœdatam, culpaque infectam. Adde non ſolùm domum Dei ſanctitatem decere; ſed omne illi extraneum eſſe periculum, & alienum detrimentum.

Pſalm. 92. v. 5. | Euthym. Tēpla nimia munditia decet.

Offenderant filij Iacob ſacrilega illa temeritate vel eos, qui non intulerant honori probrum; Iacob anxius populorum indignationem metuebat; verum Dominus, vt timorem ſedaret, & anxietatem ſopiret, iubet Bethel aſcendere, ibique habitare: *Aſcende Bethel, & habita ibi.* Admonitus viam carpere tentat; ſed quæ locum illum decuerit ſanctitas præſcius, omnia idola ſub therebintum infodit: *Infodit ea ſubter therebintum.* Arbitratus eſt prudentiſſimè dedecere, ſi in loco illo Deo ſacro eiuſque domicilio quis inueniretur ſecum deferens idola, & dæmonum ſimulacra, quaſi ea Dei habitatio puritate debeat fulgere, vt non patiatur vel dæmonis vmbram, nec extraneam ſuſtineat maculam. Quid tunc? Terror Dei omnes per circuitum habitatores inuadit, ne perſequi auderent, aut Domini domui approximare tentarent: *Cùm profecti eſſent, terror Dei inuaſit omnes per circuitum ciuitates, & non ſunt auſi perſequi recedentes.* Ecce qui Dei domum ingrediuntur habitaturi, non ſolùm carent idolis; ſed carent etiam periculis: ni Dei terror gentes finitimas refrænaſſet, audere valuiſſent, & quamuis non reportaſſent trophæum, ſanè poterat minari periculum. Ergo Deus omni ex parte periculum arcuit, & quæ domum ſuam deceret ſanctitas, docuit: non ſunt auſi inimici perſequi domus Dei habitatorem, vt videris, quàm longè abfuerit periculum, quando permiſſum hoſti non eſt vel excitandi periculi deſiderium: non hoſtes præſumpſerunt triumphare; imò nec auſi ſunt bellum ciere. Et hoc totum ad domus gloriam, & ad ſanctitatis famam: *Rationabile eſt*, ſcribit Caietanus, *vt accelerantes receſſum caruerint commoditate conſumendi ſimulacra igne, & propterea abſcōderint ſub terra, in qua erat quercus. Et nihilominus vt nec materia erea, argentea, vel aurea ſimulacrorum, & ornamentorum eorum relinqueretur apud eos, qui cum Iacob ibant.* Domus illa nec defæcatam iam materiam ſimulacrorum apud aliquem remanere patiebatur: reſpuebat non ſolùm dæmonum vmbram; ſed quæ vmbræ deſeruierat, materiam: ergo Iacob non vult ignibus repurgare; ſed altiſſima terra infodere, vt Dei domus incolæ

173. | Gen. 35. v. 2. | Caietan.

Digitized by Google

incolæ carerent vel iam purgata materia, in qua dæmonis extiterat vmbra. Iam de timore gentibus incuſſo ita Chryſoſtomus apud Lippoman. *Non ſolùm eum, & filios eius à timore mortis Deus liberauit; ſed alios etiam, qui vlturi erant,*
Chryſoſt. *timore eos inuadente à conatu perſequendi retraxit.* Domuum habitatores omni materia idolis olim ſubiecta carent, nec ſatis fuit carere inquinamento; ſed omni prorſus periculo: dum inimici non audent inuadere, non poſſunt vinci: ergo ad Dominicæ domus ſanctitatis pompam omne periculum excluditur, omne ſimulacrum repellitur. Profectò in vanum ad ſpeciem Chriſtus laboraſſet domum ſibi ædificans, ſi alienus inhabitaſſet, aut peccatum ibi vixiſſet.

174 Deuteronomij 20. præcauebat Deus, ne qui domum nouam ædificaſſet, ad bellum tenderet, ne alius, antequam ille ædificij commodis frueretur: *Siquis eſt homo, qui ædificauit domum nouam, & non dedicauit eam, vadat, & reuertatur in domum ſuam, ne fortè moriatur in bello, & alius dedicet eam.* Infauſtus eſſet profectò fabricatoris labor, ſi alius domum inhabitaſſet, antequam ipſe dedicauiſſet: *Et non dedicauit eam,* ſcribit Oleaſter ad litteram, *id eſt, de nouo non incepit ea vti.* Addit ipſe ad mores: *Aduerte hic Domini dignationem, qui noluit alienum de meis laboribus gaudere, & eis frui.* Lege cautum eſt in laboris præmium, ne domus fabricata, ab extraneo inceperit habitari. Quod ſi hæc erga alienas domos Deo cura, quale putas erga proprium eius ſtudium? Fabricauit ſibi Mariam in Regalem Domum, & in magnificentiæ ſuæ palatium. Ambroſius lib. 10. epiſt. ad Siriſ. Mariam vocat *Aulam cæleſtem.* Bernardus ſerm. 7. ex paruis, & Anſelmus apud Bonauenturam in ſpeculo cap. vltimo, *Domum à Deo fabricatam.* Ergo ab extraneo dedicata non fuit; ſed ab ipſo incepit habitari, cùm Dominus ad bellum proceſſerit, hoſteſque in crucis campo debellarit. Adde vel ad Dei imaginem; imò vel etiam ficti in nominis reuerentiam materiam experi omni puritate conſpicuam, & cæteris omnibus antelatam.

Deuter. 20. v. 5. — Oleaſt. — Ambroſ. Bernard. Anſelm.

175 Populus idololatriæ furore percitus Deos ſibi producere ſatagit, & Aaronem ad opus vrget *Fac nobis deos, qui nos præcedant.* Aaron Dei vmbram fabricare coactus inaures flagitat: *Tollite inaures aureas de vxorum filiorumque, & filiarum veſtrarum auribus, & afferte ad me:* ipſum erroris delirium eruditionis fuit magiſterium: Deo materiam quæſiturus non popoſcit ferrum; ſed aurum; imò ex auri iocalibus ea efflagitauit, quæ puriori, pretioſiorique materia conſtabant. Ita Interlinearis apud Lippoman. *Aurum illud petit, quod eſt purius & carius.* Itaque Aaron conflando Deo auri materiam decreuit; imò eam auri partem delegit, quam puriorem & pretioſiorem eſſe conſtabat. Profectò in ipſa ſua inſipientia prudens apparuit: nam cùm ſibi Deum conflaturo hanc aut illam materiam eligere fas eſſet, ipſo in errore deſiperet, ſi pretioſiorem non deſignaret: *Aurum illud petiit, quod erat purius & carius:* falſi etiam Numinis effigiei non opportunam materiam arbitratus eſt ferrum; ſed pretioſius delegit aurum; imò ex ipſo auro eam Numini partem ſegregauit, quæ reliquas & pretioſitate anteiret, & puritate præcelleret. Quod ſi Aaron mëriti Numinis, & veri doli artifex ſic erga materiam prouidet, quis non crediderit Æternum Patrem eam carnem Verbo materiam delegiſſe, quæ omni prorſus vel culpæ vmbra caruerit; imò & periculo culpæ vacarit. Licebat Deo præ Aarone materiam deligere vero Numini; ſi ergo Aaron puriorem delegit ficto, & Pater puriſſimam delegit Verbo.

Exod. 32. v. 1. — Interlin.

§. XLI.

Citius gratia Principum promeretur muneribus, quàm virtutibus.

Eis munera ſibi animos deuinxere præſtigiis, eis ſibi auri alligauere catenis, vt de hoſte amicum, de odiente beneuolum, de diſtante affectu efficiant vicinum. Trahit ſua quemque voluptas, & cùm ab exordio homines habendi inflammarit deſiderium, gratum illis ſemper eſt donum. Mirum erit, ſiquis obtinuerit virtutibus gratiam quam ſibi obtinuit muneribus. Theodoricus rex oblata munera faſtidiens innocuum abſoluit, & prauis ſuſpicionibus obſcuratum opinionis candori reddidit. Quod iure celebrat Caſſiodorus 5. var. 44. *Laudi viciſſitudinem, in qua poſſumus parte reddentes ſynceram purgationem pura mente ſuſcepimus; ſed auri tranſmiſſi munera non tenemus, vt & ipſi intelligatis cauſam per iuſtitiam fuiſſe motam, quam nulla potuit finire venalitas. Fecimus vtrique regalia: ſic nos ſuperauimus tyrannicam cupiditatem, ſicut & vos feciſſe conſtat errorem. Redeant ad cubiculum veſtrum munera, quorum tantum oblatio videtur eſſe gratiſſima, negligatur aurum, vbi electum eſt conſcientiæ præmium: patiatur aliquando repulſam, quod ſemper auaris regibus imperabat.* Munera ſæpè valent ſine conſcientia; at pura deſpici ſolet conſcientia, niſi munus ſuſceperit patrocinia. Cæca auaritia, dum tota occupatur, in auro, nec attendit ad virtutes, nec ad errores: cauſæ qualitas ſolet taxari de munere, & liberalior deprædicatur ſæpiſſimè iuſtior, & magnaribus ſemper inuenitur acceptior. Mira res, aurum aliquando pati repulſam: quia cum cupiditate ſtrictiſſimam percuſſit fœderis amicitiam. Ecce Aod tunc ſeruus eam cum Eglone familiaritatem contraxit, vt in ſecretius cœnaculum admiſſus cæteris remotis colloquia texeret, & cum rege ageret: *Dixit ad Regem: Verbum ſecretum habeo ad te, ô rex, & ille imperauit ſilentium, egreſſiſque omnibus qui circa eum erant, ingreſſus eſt Aod ad eum.* Rogat Abulenſis quæſt. 19. quomodò Aod de captiuorum cenſu eam cum Principe familiaritatem contraxerit, & ad amicitiam peruenerit. Reſponderque muneribus obtinuiſſe, doniſque acceſſum ad Principem ſibi paraſſe: *Iam Aod erat notus, & acceptus apud Regem, quia obtulerat munera: ideo poterat accedere faciliter ad Regem, quandocumque vellet.* Ni obtuliſſet munera clauſum inueniret aditum, & quantauis polleret virtute, conſequi non poſſet acceſſum; at muneribus pro clane vſus pro libito obſerata aperiebat, & clauſa reſerabat: Erat acceptus Principi munerum merito, non ſanctitatis ſuffragio.

176 — Caſſiodor. — *Auri negligitur, ſi conſcientiæ puritas adamatur.* — *Aurum auaris imperat.* — Abulenſ.

Duo Pharaonis ſerui coniiciuntur in vincula, ibi ſomnia intuentur clara futurorum præ- 177

ſagia. Vidit alter vitem floribus vernantem, emergentibus botris diuitem, quæ paulatim ad maturitatem peruenientibus gratum fru-ctum adſpicientibus offerebat: pincerna pulchritudine inuitatus ſibi videbatur vuas decerpere, & in regium calicem eliquatas poculum ſaporatum Principi miniſtrare: huic Ioſeph felicitatem denunciat, & in priſtinum officium reſtitutionem iam iam adeſſe adſeuerat.
Geneſ. 40. v. 13. *Tres propagines tres adhuc dies ſunt, poſt quas recordabitur Pharao miniſtery tui, & reſtituet te in gradum priſtinum.* Seruorum alter ſomnium refert, ſcilicet ſiligineo pane cæli aues paſcere, & innutrire: *Et ego vidi ſomnium quod tria caniſtra farinæ haberem ſuper caput meum, & in vno caniſtro, quod erat excelſius, portare me omnes cibos qui fiunt arte piſtoria, auesque comedere ex eo.* Quid tunc Ioſeph? Prænuntiat infauſta, & inſtare monet ſupplicia: *Auferet Pharao caput tuum.* Lippomanus ſomnia interpretatus piſtorem ait cæli aues, hoc eſt ſanctas animas, quarum conuerſatio in cælis eſt, aluiſſe, & virtutibus irradiaſſe: *Cibum volucres cæli percipiunt, dum animæ ſanctæ, quæ per cæli ſignificantur aues, ſpiritaliter aluntur, & in lege Domini meditantur die ac nocte, qui poſſunt dicere cum Apoſtolo: Noſtra conuerſatio in cælis eſt.* Itaque piſtor, qui ſtudebat virtutibus, qui pietatis operibus relucebar, & ſanctitati vacabat, rigida damnatur ſententia, & ſeuera punitur mulcta, cùm alter gentilitatis figuram gerens fuerit in regis gratiam admiſſus, & dignitate donatus: *In pincerna, qui eductus de carcere* (verba ſunt Lippomani) *& ſuo reſtitutus eſt miniſterio, gentilis ſignificatus eſt populus.* Et quæ huius diſcriminis cauſa eſt? Alterum ſcilicet obtuliſſe munera, alterum non obtuliſſe. Vel gentilis vitiis obſcuratus, dum offert, honores aſſequitur, aulam intrat, & familiaris Principi radiat; at alter, etſi virtutibus exornatus, dum non offert, duram, diramque ſententiam cogitur ſuſtinere, & ab aula gratiaque Principis exulare. Adeſt Philo Hebræus lib. de Ioſeph: *Videbar decerpere, & exprimere in regium poculum, moxque regi offerre muſtum meracum; Ioſeph poſt modicum ſilentium; felicitatem, inquit, hæc viſio tibi nuntiat, & reſtitutionem in priſtinum officium.* Prudentiſſimus coniector gentili offerenti denuntiat felicitatem, piſtori cum cæli auibus conuerſanti; non tamen offerenti infelicem prædicit ſortem: nouerat namque apud Ægyptium Principem munera præ virtutibus valere, & gratiam dona lucrari: ideò non dilargienti munera, quantumuis virtutibus decorato, denuntiat ingratiam, & donanti quantumuis vitiis obſcuro prædicit beneuolentiam. Eadem cauſa vtruque hominem in carcere detinebat; ſed pincerna de munerum eloquentia ſic inculpatus apparuit, vt ſtatim vinculis abſolutus pro iniuriæ compenſatione fuerit honoribus ampliſſimis decoratus; piſtor verò, quia caruit auri patrocinio, acri eſt punitus tormento. O vtinam ſolùm apud improbos Ægyptios fuerint hæc vera; vereor tamen ne his ſomniis, quæ apud Chriſtianos etiam, fuerint adumbrata. Non ſuſpicor iudicem aliquem, togatumue miniſtrum muneribus corrumpi, & auro emi; at quæ à mundi primordio acciderint, refero, quo munera vereantur accipere vti iuſtitiæ impedimenta, & efficaciſſima mutandis af-fectibus veneficia.

Lippom.

Philo.

178. Ioſeph eximiis virtutibus emicabat, in ipſo infantiæ flore mores maturauerat ſenectutis: non iucundabatur mendaciis, ludis, aut puerorum inſtar, aſſentationibus: malebat modeſtiàm, grauitatemque præferens audire, ſpectareque vtilia: nec paterna dilectione abuſus eſt ad licentiam; ſed ad maiorem virtutibus ſtimulum, & reſpondendi generi deſiderium; verùm inuidentia naturæ peſtis fratribus ſuaſit fratrem odiſſe, & ſupercilio toruo ſpectaſſe: *Oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui.* Geneſ. 37. v. 40. Odio inflammantur, cùm florere virtutibus intuentur. Quid tunc Deus? Somnium puero immittit, quo ab illo alendos noſcerent, & honoribus donandos non obſcurè coniicerent: *Putabam nos ligare manipulos in agro, & quaſi conſurgere manipulum meum & ſtare.* Cur Deus hæc ſomnia immiſerit, rogat Lippomanus: reſponderque hoc diuina prouidentia procuratum, vt fraternum odium maturè reprimeretur, aut conſummatiſſimum agnoſceretur. *Myſterium alio ſomnio & clariori reſerans Deus, quaſi admonere fratres videbatur ad reſipiſcentiam à fraterno odio.* Lippom. Profunda ſanè Lippomani mens: putarim fraternum odium ſomniò nullatenus ſopiendum; ſed flabellandum: ſi fratres maiores dignitate, auctoritateque pollentes viſis tot gratis virtutum floribus; imò maturiſſimis fructibus odium in amorem non mutarunt, ſi fratrem ad texendum ſecum colloquia non admiſerunt, quomodo manipulum eius intuiti, turgentibus ſpicis plenum mutabunt ſtudia, aut antiqua deponent vota? Quia manipulus quantis illos muneribus affecturus eſſet, declarabat: vidit Deus Ioſephum fratribus inferiorem apud illos virtutibus non valere, & ſomnium indidit, quo munera illis fore dilargiturum conſtaret, ſicque aut immedicabile probaretur odium, aut degeneraret nobilitet in amoris ſtudium: Ioſeph manipuli ſpecie ſignatus fratribus donaria, veſtes, pecuniamque dilargitus eſt, illaque eſt hominum conditio, vt oblatis facilè alliciatur muneribus, etſi tenuerit deuinciri virtutibus: virtutibus præditum faſtidientibus remedium aliud Numinis procurauit prouidentia, dum nobilitandos muneribus promiſerunt non vana ſomnia; at dum munera odio placari non perſuaſerunt, ferè immedicabilem morbum ſæculis deprædicarunt. Adde apud mundiales Summates munera loco virtutum eſſe, illumque omnibus virtutibus haberi excultum, quem amplioribus fuiſſe conſtat dilargitis muneribus largum.

179. Succedant in huius veritatis teſtimonium iam meliora ſapientes Ioſephi fratres: patri obedientes in Ægyptum deſcendunt, vt empta auro alimenta portarint: Ioſeph Ægyptium ſe ſimulans aſpero ſupercilio, & verbis indignationem ſpirantibus cum fratribus agit: *Quaſi ad alienos durius loquebatur.* Poſteà cum domum reuerſos iterum pro alimentis emendis remittere vellet pater, Proregis indignationem oppoſuerunt, ne ſi Beniamin non detulerint, de mendacio ſuſpecti grauiorem ſibi conflauerint iram, & conciliauerint pœnam. Quid tunc pater? *Sumite, inquit, de optimis terræ fructibus in vaſis veſtris, & deferte viro munera.* Munera iuſſit deferre, quibus prorex placaretur, & iam clementiori vultu illos adſpiceret, nec

Geneſ. 42. v. 7.

Geneſ. 43. v. 11.

minis

Digitized by Google

minis, vt prima vice terreret. Adeſt Oleaſter ad (Oleaſter.) mores: *Mira eſt huius ſenis prudentia: nam quia nouerat quàm benè negotium cum fratre ceſſerit ob munera præmiſſa, docuit filios ſic modo rem ſuam apud Ægypti Principem expedire.* Eſau muneribus placatus Iacobum docuit facilè omnia muneribus apud ſæculi Principes expediri: ideò quamuis nouerit in virtutibus adornatos extitiſſe aſperum, modò credidit munera offerentibus fore benignum. (Stephan.) Imo Stephanus in allegor. Tilman. his donis teſtatur deſignari virtutes. *De optimis terræ fructibus in pura conſcientiæ vaſis ſummus, quando perfectæ religionis inſtituta cum ſuperna contemplationis ſtudio laudabiliter viuendo exequi conamur.* Illis in muneribus virtutes ſunt deſignatæ: quia apud Ægyptios Principes ſunt munera pro virtutibus.

---

§. XLII.

Non ſemel grauiorem Numinis ſuſtinet iram irrogata ſacris locis irreuerentia, quàm ipſi Numini illata iniuria.

180. DEcet grandem palatiis Principum exhiberi reuerentiam: nam ibi grauius peccatur, & ſeueriùs culpa punitur: quod in foro exigua haberetur culpa, ſi in aula perpetretur, grandi (Seneca.) ſeueroque cenſetur ſupplicio digna: *Egregiè Ariſtoteles ait* (verba ſunt Senecæ naturalium (Sacerdos modeſtia exemplar.) qq. c. 30.) *nunquam nos verecundiores eſſe debere, quam cùm de diis agitur: intramus templa compoſiti ad ſacrificium acceſſuri vultum ſubmittimus, togam adducimus, in omne argumentum modeſtiæ fingimur.* Sacra Numini loca neſcio quam exhalát diuinitatem, ob quod ad eximiam cogunt venerationem: qui aulam intrant, decoram veſtis munditiem ſolicitè curant, modeſtiã vultus adſumunt, & de habitus ſtudio maieſtati Principis adulantur, & excellentiam verentur. Superioris dignitatem teſtatur quiſquis eius domum, ni compoſitus, intrare veretur; imò vel irreuerentiæ leuiſſima nota duro vindicatur ſæpè ſupplicio, & aboletur graui tormento. *Creditum eſt*, ſcribit (Valer.) Valerius Maximus lib de Relig. c. 6. *Varronem conſulem apud Cannas cum Carthaginenſibus tam infeliciter dimicaſſe ob iram Iunonis, quòd quum ludos Circenſes ædilis faceret, in Iouis Opt. Max templo eximia facie puerum hiſtrionem ad excubias tenendas poſuiſſet.* Dum puerum modeſtiæ expertem, libidinis victimam templo ad excubias conſtituit, Numinis iram paſſus eſt. Carebat certè delubrum illud diuinitate; ſatis tamen fuit ad ſupplicium diuinitatis non caruiſſe opinione; dum hiſtrioni committit excubias, & locum paruipendit & cultum. Iure ergo ob religionis neglectum hoſtibus traditur ad ludibrium, vt victus ſubiret infamiam, qui deorum delubris non impenderat reuerentiam. *Aditum*, aiebat (Tertullian.) Tertullian. contra Valentinianos c. 1. *prius cruciant, diutius initiant, quam conſignant, cum & portas ante quinquennium inſtituunt, vt opinionem ſuſpendio cognitioni ædificent, atque ita tantam maieſtatem exhibere videantur, quantam præſtruxerũt cupiditatem.* Valentiniani templi ſui portas initiabant, ſiparia appendebant, ſilentiumque altiſſimum ingreſſuro imperabant, vt vel in aditu totam eſſe diuinitatem putaret, ſeque totum ad venerationem cõponeret. Quod ſi tanti vitrum, quanti faciendum eſt margaritum? Si tanta exhibebatur reuerentia deteſtandis delubris, quanta ſacris debebitur templis? Sibi caueat quiſquis in templo immodeſtus, quiſquis in Eccleſiis irreligioſus. Eglon dura tyrãnide Dei populum opprimebat ad iniuſta tributa cogens, & duris laboribus ſubigens; verùm miſeri patienter tolerabant, nec excutere de ceruicibus iugum audebant; imò Aod populi iudex donari offert quo crudelitatem mitigaret, & feritatem muneribus ineſcatam ſopiuerit. *Miſerunt filij Iſrael per illũ* (Iudic 3. v. 16) *munera Eglon regi Moab.* Iam legatione functus domum repetebat Aod; verum ad Galgala perueniens viſis ibi idolis adeo offenſus eſt, vt ad ſupplicium regi infligendum propero greſſu inuolarit, & pericula quæque ſpreuerit: *Reuerſus de Galgalis, vbi erant idola, dixit ad Regem*, &c. Si Aod reuerſurus erat, vt Regem occideret, cur Galgala petiit; aut ſi petiit, cur palatium iterum adiit? Quia Religionis zelo, ſcribit Lyra, (Lyra.) adeo inflammatus eſt, vt quem anteà Eglonem decreuerat tolerare, iam feſtinarit occidere, vidit ſacrum Galgalorum locum olim Dei Arcæ, tabernaculoque dicatum conſtructis idolis profanum; & de religione neglecta obſcurum, adeoque pia in ſacri loci vindictam flamma indignationis exarſit, vt Eglonem inflicto vulnere occiderit: *Fecerat Eglon in contemptum loci ſacri.. ex hoc fuit accenſus Aod ad reuertendum, vt interficeret regem Eglon.* Aod Redemptoris perſonam gerens vel impium Regem muneribus adorharát; at qui ſuſtinuit tyrannum, paſſus non eſt inferentem Galgalis probrum: Eglonem interemit ob ſacri loci contemptum, qui non interemerat ob durum iugum: *Ex hoc fuit accenſus Aod ad reuertendum, vt interficeret Regem Eglon*, ſcilicet ex idolorum aſpectu, quibus conſtructis ſacrum locum impius profanauerat, & grande probrum intulerat: *Fecerat Eglon in contemptum loci ſacri.* Loci ſacri contemptor inflicto periit ſupplicio, qui magnis culpis obſcurus non caruit dono.

181. Reuerenti Iacob Deus luctator obiicitur, & certatoris conſtringit amplexu: ille calceatus non timet accedere, & cum Numine ipſo luctari: *Ecce luctabatur cum eo vſque mane.* (Geneſ. 32. v. 24.) Hic ipſe Dominus cùm rubo illo flammanti Moyſi obiiceretur, prohibet calceatum propinquare, & ſumma imperat reuerentia loco illo conſiſtere: *Solue calceamentum de pedibus tuis: locus* (Exod. 3. v. 5.) *enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Hoc Moyſi iuſſum, ne dum calceatus accedit, mortem incurrat, tradit ad hunc locum Rupertus: *Moyſes tanquam comburendus appropinquare prohibetur, niſi ſoluat calciamentum de pedibus.* (Rupert.) Inquiramus, ſi placet, cur Moyſem calceatum calcare terram prohibeat, qui calceatum Iacobum brachiis illum amplexari non vetuit? Mors Moyſi imminet, ſi calceatus acceſſerit, cùm Iacob non incurrat, etſi calceatus pugnarit. Ecqua (Iſidor.) diſcriminis ratio eſt. Iſidorus apud Lippoman. teſtatur Moyſi imminere periculum, quia in rubo illo delineabatur Eccleſia: *Moyſes excalceari iubetur, ne ad Eccleſiam, quæ in rubo ſignificabatur, quaſi ſponſus calceatus accederet.* Moyſes Eccleſiæ rubo adumbratæ minùs reuerenter ad ſpeciem tentat accedere, adeoque Numinis iram habita ſacris templis irreuerentia ad ſupplicium irrogandum accedit, vt Moyſes

peritet, ſi irreuerenter accederet rubo, quamuis
non perierit, qui calceatus colluctatus eſt Deo.
Iacob Deum conſtringit calceatus, nec tamen
mors illi intentatur; at Moyſi Eccleſiæ calceato
accedenti mors in ſupplicium decernitur.

Cogitabam apud me cur Zachariæ de futura
182. ſibi prole Angelum ſciſcitanti labia fuerint ſi-
lentio ſigillata, linguaque impedita: *Ecce eris*
Luc.1.v.20. *tacens, & non poteris loqui*, quando in ipſum
Deum audentibus apud Lucam irrogata pœna
legatur nulla: *Duxerunt illum vſque ad ſuperſi-*
ciem montis, ſuper quem ciuitas illorum erat ædifi-
Luc.4.v.29. *cata, vt præcipitarent eum.* Iam non modica inſur-
git difficultas, ſcilicet cur magna adeò flagitia
tentantibus nullum ſit ſupplicium decretum,
cùm Zachariæ verbum imprudenter proferenti
diuina ſeueritas abſtulerit linguæ vſum. Ea ſe
mihi offert cauſa, ſcilicet Zachariam in templo
deliquiſſe: ait namque textus: *Ingreſſus in tem-*
plum Domini, &c. alios extra templum peccaſſe:
deteſtanda temeritate conciues præcipitia Chri-
ſto moliuntur; ea tamen eſt diuina bonitas &
clementia, vt ſuſtinuerit ad patientiæ commen-
dationem; at Zachariæ in templo delinquenti
iniungitur mulcta, quò qualis ſit templis haben-
da denuntietur omnibus reuerentia. Tulit in ſe
ipſum audentes, qui puniuit in templo leuia
peccata, ſuperflua verba: *Egit Angelus*, ſcribit
Chryſologus ſerm.90. *vt tali documento Ponti-*
Chryſol. *fex eruditus non dicat amplius: vnde hoc ſciam?*
vel ſuperflua verba in templo iactata puniuit, &
quali veneratione ſacra loca fuerint habenda
perdocuit Thodulphus Aurelienſ. Epiſcopus in
Theodulph. epiſtola, quæ habetur tom. 9. Bibliothecæ ſic
ſcribebat. *Non debetis ad Eccleſiam ob aliam*
cauſam conuenire, niſi ad laudem Domini, &
eius ſeruitium faciendum; diſceptationes verò &
tumultus, & vaniloquia, & cetera actiones ab
eodem ſancto loco penitus prohibenda ſunt: vbi enim
Dei nomen inuocatur, Deo ſacrificium offertur,
Angelorum frequentia ineſſe non dubitatur: peri-
culoſum eſt tale aliquid dicere, vel agere, quod
loco non conuenit. Grande periculum eſt in Ec-
cleſia loqui vana, proferre ſuperflua, quando
Zacharias proprio ſupplicio nobis præſtitit do-
cumentũ, & grauis ob leuem culpam inflicta pœ-
na oſtendit creuiſſe de loci ſanctitate peccatum.

183. Tertullianus in apolog. cap.15. comparans
ethnicos deorum ſuorum templa fœdantes cum
Chriſtianis idola ſpernentibus, putat, ſi ita diis
illis ineſſet, plus in cultores ſuos æſturos, quàm
Tertullian. in Chriſtianos: *Cæterum ſi adiiciam, quæ non mi-*
nus conſcientiæ omnium recognoſcunt, in templis
adulteria componi, inter aras lenocinia tractari,
&c. *neſcio plus ne de vobis dij veſtri quam de Chri-*
ſtianis querantur. Chriſtiani idola vti veriſſima
figmenta contemnunt, & aliquando in caca-
bum, vel in ollam illorum materiam cudunt:
ethnici, vti diuinitate prædita venerantur; ſed
illorum delubra lenociniis defœdant, & adul-
teriis vituperant: ſi ergo, inquit Septimius à diis
illis vindicta ſumenda eſſet, grauioribus ſuppli-
ciis corriperent in templo irreuerenter agentes,
quàm diuinitatem negantes: *Plus de vobis dij ve-*
ſtri, quàm de Chriſtianis querantur. Certè Deum
offendere conuincitur ignorantia; at fateri delu-
brum, & conſpurcare, agnoſcitur clariſſimè in-
iuria, & indignatio rationabilius deſæuit in Nu-
mini iniurios, quam in ſceleribus deprauatos.

184. Hebræorum Reipublicæ Magnates Chriſto
Domino cædem moliuntur, vtque clariſſimè in-
uidentiæ rabies agnoſceretur, cohors contra va-
cantem diuinis precibus obarmatur. Petrus in-
dignatione commotus gladium educit; ſed ma- Matth 26. v.52.
giſter vlciſci prohibet: *Conuerte gladium tuum in*
locum ſuum. Hic ipſe Dominus, qui gladij operi-
bus maledicit, templum ingreſſus ſic pia indi- Ioan.2.5.
gnatione inardeſcit, vt flagellis intentatis de
templo negotiatores depulerit: *Cùm feciſſet quaſi*
flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo. Pro-
fectò qui actiones has humanis oculis metire-
tur, inuertendas diceret, & ordinem contrarium
tenendum vtrobique putaret, ſcilicet prohibitu-
rum ſiquis in templo inſiſtentes inſurgeret, &
permiſſurum, ſiquis in adeò iniurios, & proca-
ces gladium ſtringeret, & tamen texuit flagel-
lum, vt vendentes puniret, & Petri manum præ-
cepto, ne peſſimos feriat ligauit; proprias iniu-
rias patientiſſimus tulit; ſed in templi violato-
res deſæuiit. Quaſi plus deliquerint, qui fœ-
dauerint templum, quam qui manus iniecerint
in templi Dominum: *Ecce*, aiebat Auguſtinus
apud D. Thomam, *templum illud figura adhuc* Auguſt.
erat, & eiecit inde Dominus omnes, qui ad nundinas
venerant, & quæ ibi vendebant, quæ opus habe-
bant homines in ſacrificio illius temporis. Quid ſi
ibi ebrioſos inueniret? Conſonat Beda ibi: *Zelo do-* Beda.
mus Patris Saluator eiecit impios de templo. Pec-
cata, quibus templo inferebatur iniuria pientiſ-
ſima compeſcuit ità, cùm in ſuam perſonam
commiſſa grãdi ſuſtinuerit tolerantia, & inuicta
ſemper patientia. Si Dominus, aiebat citatus
Theodulphus, illos de templo eiecit, qui victi-
mas, quæ ſibi offerrentur, emebant, vel vendebãt,
quantum magis illos iratus inde abiiciet, qui
mendaciis, vaniloquiis, riſibus, & huiuſcemodi
nugis locum diuino cultui mancipatum fœdãt?
Si iram commouit tunc indecentia, quam pu-
tas indignationem commoueat culpa.

---

§. XLIII.

Ardorem ſæpè inſpirant contra peccata, dum ſacra inuiſuntur loca.

PRo diuerſitate locorum, & temperiei nullus 185.
dubitabit diuerſitatem: alia regio corpori in-
uenitur ſalubris, alia ſalutis eſt peſtis, hoc cæli
clima & ſyderum conſtitutio diuerſimodè ac
aliud mouet, & ſubiectos inclinat: itaq; pro loco-
rum varietate & variæ inclinationes videntur, &
qualitates variæ naſcuntur. Loca neſcio quam
inclinationem inſpirant: ſic campus ad Martem
vocat, vt Dauid qui paſtor aduentarat, in pugnã
proſilire feſtinet. Vitigis rex in campo ſe electũ
populis promulgauit, quo ſemper hoſtes debel-
laturum oſtẽderet: *Non in cubilibus anguſtis*, ſcri-
bit apud Caſſiodor. 10. var. 31. *ſed in campis latè* Caſſiod.
patentibus electum eſſe noueritis: nec inter blandien-
tiũ delicata colloquia; ſed tubis concrepantibus ſum
quæſitus, vt tali fremitu concitatus deſiderio virtutis
ingenita Regem ſibi Martium Geticus populus in-
ueniret. Campus tubarumq; ſtrepitus Martem ac-
cendit, nec poteſt in pugnam non proſilire, quẽ
in caſtra contigit aduentare. *Illic*, aiebat Seneca Seneca.
epiſt. 51. de quibuſdam amœnis locis, *ſibi plurimũ*
luxuria permittit, ibi tãquã aliqua licentia debeatur
loco, magis ſoluitur. Loca quæ frequẽtantur, neſcio
quid

Digitized by Google

quid exhalant, quo aut commendant vitium, aut vitiis indicunt bellum. Theatralis aër libidine inficitur, & ardet quiſquis ab aëre tangitur. *Loca ſeria*, aiebat citatus Seneca, *ſanctaque eligere oportet: effœminat animos amœnitas nimia, nec dubiè aliquid ad corrumpendum vigorem poteſt regio: quamlibet viam, iumenta patiuntur, quorum durata in aſpero vngula eſt, in molli paluſtrique paſcua ſaginata citò ſubteruntur, & fortior miles ex confragoſo venit: ſegnis eſt vrbanus & verna.* Valet locus ad componendos, corrumpendoſue mores: qui ſanctitatem reſpirantia adit templa, caſtior, & ſeuerior redit. Ecce Aod regi Eglon munera offert, ab eoque diſcedit; verùm cùm ad Galgala perueniſſet, ad Eglonem interficiendum reuertitur. *Reuerſus de Galgalis.* Si occidere tyrannum ardet, cur Galgala inuiſurus differt? aut ſi differt, cur reuertitur è Galgalis? Profectò ante legationem mortem inferre molitum fuiſſe, gladius induſtriè elaboratus, ſagoque tectus non patitur dubitari. Quid ergo in aula auertit mentem, aut quid in Galgalis zeli inflammauit ardorem. Putauerim ipſum loci aſpectum excitaſſe memoriam antiqui cultus, ſacræque Religionis, hacque recordatione adeò Aod in tyrannum ſufflammatum, vt & animosè cogitarit occidere, & illico cogitationem implere. *Locum Hebræi*, ſcribit Lyra, *reputabant ſanctum eo quòd ibi primò manſerat poſt tranſitum Iordanis, & circumciſi fuerant, & paſcha celebrauerant, vt habetur Ioſue 4. & 5. & quia Arca teſtamenti, & tabernaculum fuerant ibi.* Deſiderauerat tyranni iugum excutere; at timore refrænatus ad ſpeciem deſtiterat ab inceptis; verùm vbi attigit Galgala, vbi loca Arcæ olim ſacrata inuiſit, animoſus pro virtute ſpreuit pericula, & perfecit cogitata. Adſtipulatur Abulenſis quæſt. 19. *Quæret aliquis quare nunc reuerſus eſt Aod de itinere ad occidendum regem, cùm potuiſſet priùs, quando obtulit munera id facere quod poſteà fecit.* Quæſtioni ex aliorum ſententia reſpondet Abulenſis: *Aliquis reſpondebit, quod nondum venerat ſibi in mentem, & quod forè Deus poſuit hoc in corde eius quando venit in Galgala, & reuerſus eſt.* Vbique poterat Deus eius animum excitare, & ſalubrẽ illam cogitationem imprimere; voluit tamen in Galgalis animum eius mouere, vt docuerit omnes in ſacris locis præſentiora Dei auxilia, & contra vitiorum adſultus arma. In Galgalis Eglonem cogitauit occidere, qui extra Galgala munera ſatagebat offerre.

Voluptuoſi frequenter ſunt ſegnes. — Lyra. — Abulenſ.

186. David captioſis variiſque ſoceri techriis impetitus domum adit, & recumbens lectulo requieſcit: Saul vt ſtudioſiſſimè eius veſtigia obſeruabat, ſatellites mittit, qui aut occiderent, aut afferrent: *Miſit Saul apparitores, qui raperent David.* Mulier charitatem in virum teſtata eſt, & per feneſtram depoſitum paterno furori eripuit, & vigilias inuidentiæ fruſtrauit, Dauid eluſis periculis in Nobe aduentat, indeque armatus recedit. *Dixit Dauid ad Achimelech ſi habes hic ad manum haſtam aut gladium? Quia gladium meum & arma mea non tuli mecum: ſermo enim regis vrgebat.* Inquiramus cur è domo fugerit exarmatus, qui iam in Nobe gladio & quidem ſtrenuiſſimo inuenitur munitus? Certè in eius domo ad manum videbantur futura arma, in Nobe nullatenus videbantur futura; & tamen in tabernaculo gladio inuenitur munitus, qui in domo ſine armis fuerat inuentus?

1. Reg. 19. v. 14. — 1. Reg. 21. v. 8.

O amabo te, expende in quem arripienda fuerint hæc arma, in Saulem ſcilicet dæmonis habitaculum, vitiorum domicilium, criminum emporium, inuidentiæ conceptaculum; in vitia ergo, dum curiam incolit, dum decumbit lectulo, dum domi latitat, nequit armatus procedere, ſatis eſt periculum declinare; aſt Dei templum inuiſens, tabernaculum ingrediens, iam de armis cogitat, & quibus defendi poſſit, requirit: domi in mentem illi non venerunt arma, quamuis adurgerent pericula; at in Dei tabernaculo, etſi remotiora fuerint pericula, ſuſpirat arma. Vt noueris quantùm ſacra loca vigoris in vitia inſpirent, & quàm animos obarmauerint. *Per hoc quod Achimelech dedit Dauid gladium*, ſcribit Gloſſa moralis, *ſignificatur quòd Chriſtus armat ſuos fideles contra dæmonum inſultus:* Dauid contra dæmonum inſultus armatur; ſed Nobe inuiſens, & Domini domum repetens. Si vis in Saulem aliquem obarmari, Dei templum frequenta, & ſacri panis menſis propinqua.

Gloſſa

Paſcebat Moyſes Iethro oues ea cura, eaque ſolertia vt paſtoribus reliquis inuidiæ eſſet, dumque nullum laborem fugitat, vt pinguia & fœcunda pecudibus paſcua inueniat, Horeb Dei monti propinquat, ibi viſionem vidit horribilem: Deus namque in rubo flammis correpto, & flammarum ardoribus irrigato paſtori obiicitur, in Ægyptioſque voce veluti imperiali teſſera obarmat: *Cum minaſſet gregem ad interiora deſerti, venit ad montem Dei Horeb, apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Si Deus tanto liberandi populum ardet ſtudio, vt flammanti oſtenderit ſigno, cur Moyſi non apparet, antequam ſecretiora deſerti, montiſque confragoſa adierit? cur modò virgam apprehendere in tyrannum iubet? Citiùs libertas abſolueretur, ſi citiùs fuiſſet Moyſes delegatus: & delegaretur citiùs, ſi Deus non montis apice; ſed locis à monte diſſitis apparuiſſet: cur ergo tardat beneficium, cùm beneficij exaggeret deſiderium. Profectò vt honorauerit locum: mons ille erat ſacer teſtante Domino: *Terra, in qua ſtas, terra ſancta eſt:* Ex monte ergo ſacro procedit Moyſes in Pharaonem armatus, qui è curia diſceſſerat olim timidus: in curia Moyſes quærebatur ad mortem, in monte iam tyranni ſuſpirat necem, vt pro diuerſitate locorum, & diuerſitas fuerit affectuum: Adeſt Baſilius Seleucienſis orat. 9. *Vox ferebatur, quæ Moyſem contra Ægyptios armabat imperatoria pro populo data teſſera. Quibus Moyſes rebus incitatus populum depoſcebat exolui.* En Moyſes adeò in Horeb diuinis monitis excitatur, vt iam populum depoſcat ex olui, qui anteà gratulabatur ſibi captioſis Pharaonis inſidiis non teneri. Nec ſolùm Moyſes è ſacris locis hunc in vitia vigorem halari teſtatus eſt; ſed & paſtorium agolum confirmauit. Iubetur Moyſes virgam in terram proiicere: *Proiice eam in terram.* Vt terram tetigit, ſpiritus vitales aſſumpſit, & quæ anteà ſenſu carens, iam viuebat ſenſibus vigens. *Verſa eſt in colubrum.* Quæres quid neceſſum fuerit virgam in terram proiici, vt verteretur in colubrum, quando in ipſa Moyſis dextera patrari valuit prodigium? Obſtabat ne humana dextra virgæ prouentibus, & diuinæ gratia fructibus? O quàm virga auctior, dum ab homine remotior! quos poſteà in Pharaonis aula oſtentauit ſpiritus, hinc virga accepit, & in futurum ſeruauit. Profectò, vt dicebamus, terra illa ſancti-

187. — Exod. 3. v. 1. — Seleucienſ. — Exod. 4. v. 3.

tate

Digitized by Google

tate florebat, Numinis præſentia nobilitata, & flammeſcentis rubi prodigio à profanitate ſecluſa: ergo dum virga terram attigit, ſpiritus in Pharaonem diaboli figurâ aſſumit: mutata eſt de contactu, & quæ extra locum ſacrum prorſus exanimata, iam illo ſpiritu probatur plena. Huc voco quod aiebat citatus Seneca: *Seuerior loci diſciplina firmat ingenium, aptumque magnis conatibus reddit*. Loci ſanctitas virgam magnis conatibus aptam reddidit, & contra vitium vigorem indidit. Plures hanc in ſe veritatem experiuntur, ſcilicet dum delubra adeunt, dum loca Numinis præſentia nobilitata inuiſunt, mutari, optabili pauore concuti, virtutis ſtudio in ardeſcere, & iam quæ antea ipſis gratiſſima faſtidire.

188. 1. Reg. 19. v. 8. Saul palatium inhabitans dæmone impurato adurgetur: *Factus eſt ſpiritus Domini malus in Saul; ſedebat autem in domo ſua*. In Ramatha venit, & iam non malo ſpiritu exagitatur; ſed prophetiæ ſpiritu impletur: *Abiit in Naioth in Ramatha, & factus eſt etiam ſuper eum ſpiritus Domini, & ambulabat ingrediens, & prophetabat*. Nota grande non ſine myſterio diſcrimen. Idem Saul iam eſt Domini ſpiritus conceptaculum, iam dæmonis domicilium. Et quæ miræ adeò varietatis eſt cauſa? Indicauit, ni fallor, textus, ſcilicet dum in domo ſua ſedentem dæmonis teſtatus eſt conceptaculum extitiſſe, in Naioth ſanctitatis loco inhabitandum ſe ſancto ſpiritui paraſſe. *Sic ſæpè contigit*, ſcribit Hugo, *quòd aliqui intrant clauſtrum vt exploratores, qui poſteà remanent boni clauſtrales*. Præmiſerat: Naioth locus eſt in Ramatha, vbi ſedit Dauid, & vbi pſallebant tunc prophetæ. Pſalmodia, ſacerque cantus non ſolum nequam ſpiritũ abegit; ſed ſpiritu prophetico Saulem ornauit, in virum alterum mutatus eſt de ſacris loci, præſtigiis, & honeſtiſſimis Circæis artibus. Mutauit in Naioth ſtudia, & ibi expunxit de flammanti animo odia. In aula ſe nequam ſpiritui vtendum dedit, eumque ibi Dauid ægritudine illa leuauit; at prophetarum chorus, ſacer locus ſpiritu ſancto impleuit. Præſunt præ vnius multorum exempla, & vigorem ad virtutem ſacra Sauli etiam inſpirabunt loca. Ergo fuge theatra, frequenta templa.

§. XLIV.

Vt dæmon ſomniis vti ſolet in virtutem pro armis, ita in vitium Deus pro armis vtitur ſomniis.

189. Somnia ſæpiſſimè illuſoria probantur, & vana: illis nullatenus niſi prudentiâ conſulente credendum: qui non benè affecti corporis ſunt indicia, & dum ſopitis ſenſibus animus perturbatur, crudi humoris exuberantia laborare colligitur. Profectò; verùm ea ipſa inſomnia ſapienti ſcientiam non ſemel conciliant, & prouidentiam obarmant. *Abſurdum eſt*, aiebat Plutarchus in præceptis ſalubribus, *coruorum crocitibus, gallinarum murmure, cloſmos vocant Græci, & ſuibus, fœni faſciculos raptantibus, vt Democritus ait, ſedulò attendere, & præſagia capere ventorum, & imbrium, corporis motus, fluctus, & præcurrentes affectus non percipere, & præcauere, neque indicia habere impendentis, & futura in ſe tempeſtatis, ſomnus aduertendus interpellatus, & non placidus, qui inæqualitates habeat, atque interruptiones: & verò etiam ſomniorum monſtra*. Inſolentes ſomno viſiones humoris affluentiam, craſſitudinemque denuntiant, & corpus in morbum præceps eſſe teſtantur: quo veluti monitore vti ſolet Deus: vt qui in vigilia omnibus ſenſibus, negotiis variis, aut voluptatibus noxiis addictis appetere mortem non ſenſerat, iam ſequeſtratis quodammodò ſenſibus inſtare cognoſcat; & qui totum tempus terebat improuidè, iam ſomno à ſenſibus, ſi fas eſt dicere, diuiſus & dimidiatus colligat tempus prudenter. Itaque ſomnia vel ex naturalibus cauſis contingentia pro doctrina ſapienti ſunt. Adde non ſemel, vt à dæmone immiſſa ad vitia ſolent animum inflammare, ita à Deo etiam conciliata ad virtutem excire. *Ecce vrgemur etiam de ipſorum ſomniorum retractatu*, aiebat Tertullianus de anima c. 46. *quibus anima iactatur, exprimere, & quando perueniemus ad mortem. Et hîc dixerim, cùm Deus dederit, nulla longa mora eius, quod eueniet. Vana in totum ſomnia Epicurus indicauit liberans à negotiis diuinitatem, & diſſoluens ordinem rerum, & impaſſibilitate omnia ſpargens, vt euentui expoſita & fortuita*. Itaque de errore Epicurus notatur, dum exiſtimat Deum ſomniis non aſſiſtere, nec aliquando futura ſomniis prænuntiare, quandoquidem conſtat dormientes admonere ſæpè futura pericula, vt eluſerint prouidentia. O quoties horrenda ſomniantis animum concuſſere, & compulerunt vitia quodammodò deierare! ſomniis Deus in vitia pro armis non ſemel vtitur: quia animus tunc tantiſper à fallaciis ſolutus recipendæ veritati plùs inuenitur idoneus. Dei populus ſub Eglonis imperio degens eius tyrannidem damnabili impatientia ſuſtinebat, iugumque indigniſſimum tolerabat, quouſque Aod ſomnio à Deo inſtructus Eglonem adit, & laudabili audacia occidit: *Reuerſus de Galgalis, vbi erant idola, dixit ad Regem: Verbum ſecretum habeo ad te, ô rex*. Quod hoc verbum ſecretum fuerit, rogant interpretes: Ioſephus lib. 5. antiquit. cap. 5. Somnium autumat: accipe eius verba: *Iubet eum ſurgere dicens habere ſe ſomnium, quod ex Dei mandato Regi ſit indicandum, cumque ille audiendi cupidus alacriter aſſurrexiſſet, Aodes inflicto in corpus pugione, & relicto in vulnere exiuit clauſis prius foribus*. Ecce ſomnium occaſionem Aod præbuit, vt tyranni vitiique emblematis iugum propulſaret, ac Dei populum in libertatem aſſereret. Iam huius veritatis teſtes Magi illi adſunt, qui vt ad veritatem ſplendidiſſimo ducuntur aſtro, ſic dolum eludunt immiſſo ſomnio.

Plutarch. Tertullian. Ioſephus.

190. Nato Domino lingua cælorum Magos admonuit inuolare, & recens nati regis cunabula pretioſis nobilitare muneribus, & pretioſioribus animorum adfectionibus: ſydere conſpicuo ducti ciuitatem Ieroſolymitanam intrant, & dum rogant, deſidiæ inſultant; Herodes, qui dæmonis gerebat perſonam; imò cuius perſonam poſſet dæmon gerere, ſi cupiat liuoris ac malignitatis ingenium incrementare, feliciſſimo nuntio obturbatus dolum tegit, & votum recens natum obſequiis colendi fingit. Magi candida ſimplicitate fallenti credunt, & abeunt; verùm tuguriolum iam ingreſſos, & eximiam cordis reuerentiam exhibitis muneribus obteſtatos blandus blandus occupauit ſomnus, & dum dormiunt aduerſus captioſas Herodis technas ſomnio muniuntur.

Digitized by Google

Matth 2. v.12. muniuntur: *Reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam.* Non minus virtuti profuit ſomnium, quàm aſtrum: ſomnio fraudis cluſere periculum, aſtro ducti tenero regi exhibuerunt obſequium: ſomnio diſcunt captioſum fugere dolū, ſi didicerunt ſydere præſtare ſeruitium: *Fit hac reſponſio,* inquit Gloſſa apud D. Thomam, *Per ipſum Dominum: quia nullus alius viam reuerſionis inſtituit, niſi ille, qui dicit: Ego ſum via.* Dormientibus Dominus reſpondet: quia dum ſalutis viam conantur ſectari, pio Dominum vel dormientes interrogabant affectu: *Sicut Moyſes tacitus clamabat,* addit Gloſſa, *Sic iſti pio affectu interrogabant, quid diuina iuberet voluntas.* Laudabili cum Deo vel dormientes agunt commercio, ſicque nec ſomnus myſterio caruit arcano. Nec mireris Deum pro armis ſomno vti in vitium, quandoquidem dæmon vtitur & ſomno in Deum.

Gloſſa.

191. Apoſtolis aduerſarij furorem Dominus prædixerat, quo ſoliciti eius eluderent technas, & detriumpharent inſidias; verùm calliditſimus, ac vaferrimus hoſtis ſomnum immiſit, quo grauati orationis arma deponerent, & ictus tentationis exciperent: *Inuenit eos dormientes erant enim oculi eorum grauati.* Somno grauantur, ne orationi indulgeant: ſed conſentiant tentationi. Itaque ſomnus diſpoſuit animum ad tentationis miſeriam, dum orationis depulit vigilantiam. Adeſt Tertullianus de oratione cap.8. *Adeò tentati ſunt Dominum deſerendo, qui ſomno potius indulſerant, quàm orationi:* In orationem hoſtis vaferrimus ſomnum armauit, vt iam conſtaret omnibus dormiendo homines ad tentationem diſponi.

Matth.26. v.40. — Tertul.

192. Dum populus graui onere apud Babylonios premeretur, non deerant pſeudoprophetæ, qui immiſſa à dæmone ſomnia felicitatem populo portendentia proferrent, vt populus, dum à gemitu temperat, calamitatem producat: *Non vos ſeducant prophetæ veſtri, qui ſunt in medio veſtrum, & diuini veſtri, & ne attendatis ad ſomnia veſtra, quæ vos ſomniatis.* Somniabant felicitatem adeſſe, longiſſima illis manere tempora, florentiſſimum ſe habituros imperium, & dum ſe deluſoriis ſomniis fore putabant felices, nec calamitatem dolebant, nec adeſſe mortem putabant. Hanc ergo Deus dæmonis fraudē aperit, & contra inſomnia Hebræos inſtruit: *Somniatores fuiſſe in Babylone,* ſcribit Hieronymus apud Gloſſam, *inter eos, qui cum Iechonia tranſlati ſunt, Ezechiel teſtatur.* Conſonat Gloſſa: *Non vos ſeducant prophetæ veſtri, ſcilicet falſi, reditum propinquum denuntiando.* Iugum, quod Iſraelitæ ſibi conciliarant delinquendo, deterere quibant plorando. Ergo dæmon, quo mœrorem abſtergeret, & falſiſſimum gaudiū infunderet, in ſomnis repræſentabat inimicos deuictos, nec ſolùm catenam ruptam; ſed & coronā poſſeſſam, vt eluſoriis his imaginibus falſi à gemitibus abſtinerent, & mortem miſerandam ſubirent. O quantos vaniſſimis inſomniis dæmon fefellit! Viderunt ſomnia felicitatem ſibi portendentia, & dum putant producenda vſque ad impletionem ſalutis ſpatia, non curant depellere perpetrata delicta, & dum pœnitentiæ deluſi parcunt, inopinam mortem incurrunt. Ergo Deus, ne in benefaciendo inueniatur remiſſior, quàm hoſtis in nocēdo ſæuus, ſomniis vtitur ad ſalutem, vt aduerſarius abutitur ad perniciem.

Ierem 29. v.8. — Hieron. — Gloſſa.

193. A primordio Deus iam ſoporem, ſomniumque virtuti dicauit: *Immiſit,* inquit, *Dominus Deus ſoporem in Adam, cùmque obdormiſſet, tulit vnam de coſtis eius, & repleuit carnem pro ea.* Dormiens Adamus de veritate inſtruitur, & veritatis compos euadit. *Sic,* aiebat Tertullianus lib. de Anima cap.45. *& in primordio ſomnus cum ecſtaſi dedicatus: Et miſit Deus ecſtaſim in Adam, & obdormiuit: ſomnus enim corpori prouenit in quietem, ecſtaſis animæ acceſſit aduerſus quietem.* Somnus ille ecſtaſis erat, & dormiens didicit quod oculis cernere non valuerat. Hanc ipſe Adamus veritatem teſtatur, dum inopinam membri amplificationem intuitus exclamauit: *Hoc nunc os ex oſſibus meis.* Audi Bernardum ſerm. 2. de Septuag. *Qualis ille ſopor dicendus eſt fuiſſe, vel credendus, in quo ſine ſenſu omnino doloris in mulierem ædificanda coſta ſublata de latere dormientis?* Mihi quidem non niſi incommutabilis veritatis intuitu, & abyſſo diuinæ ſapientiæ corporeis excedens ſenſibus obdormiſſe videtur: quod ex eius verbis vel maximè coniici poteſt. Conſonat apud Lippomanum Auguſtinus: *Ecſtaſis hæc, quàm Deus immiſit in Adam, vt ſoporatus obdormiret, rectè intelligitur ad hoc immiſſa, vt & ipſius mens per ecſtaſim particeps fieret tamquam Angelicæ curiæ, & intrans in ſanctuarium Dei intelligeret nouiſſima.* Certè Adamus dum ſomno videt corporis membra ſeparari, circa nouiſſima inſtruitur, & dum adeò recens conditus ſtructuram illam intuetur diſſolui, agnoſcit vitæ finem vel in vitæ primordio inſtare. Et vtinam Adam ſomno edoctus non obſequeretur mulieri, profectò obſtitiſſet calamitati. Inexcuſabiliter Amalecita ille periit, qui admonitus ſomno non fugit.

Geneſ.2.v.21 — Tertullian. — Bernard. — Auguſt.

Gedeon ad hoſtilia caſtra deſcendens militem commilitoni ſomnium referantem audiuit, ſcilicet hordeaceum panem volui, & caſtra Madian euertere. Quid tunc ſocius? *Non eſt hoc aliud, niſi gladium Gedeonis filij Ioas viri Iſraelitæ: tradidit enim Dominus in manus eius Madian.* Ecce de inſomnio poſſet miles euaſiſſe infortunium, & appetens eluſiſſe periculum: Deus namque immiſſo inſomnio deterrebat, ne in Dei populum decertaret, & ne decertans periret; at dum ſomnium credit euanidum, vitæ eſt perpeſſus excidium. Cur credendum erat ſomnium illud contigiſſe caſu, quando admonebat idem quod ratio vigilantiſſima prouidenti admonet ſæpè conſilio, ſcilicet pro nequitia non ſtandum, Dei populum non opprimendum, imminere aliter agentibus dignam vltionem & peccatori perniciē. Profectò ſomnia, quæ virtuti patrocinantur, quæ in illam agentibus minantur ſæua, à Numine agnoſcuntur immiſſa: alia, quæ ridiculas chimeras depingunt, quæ blandiuntur vitiis, quæ adulantur ſuperbiæ, à dæmone immittuntur, aut caſu ex humoribus generantur. Somnio Gedeon in vitia armatur, & ſomnio ſub vitio militantibus, quò maturè fugiant, excidium portenditur. *Audito ſomnio,* ſcribit Ioſephus lib.5. antiquit. cap.10. *eiuſdemque percepta interpretatione, ſpem magnam habuit pariter, & fiduciam, iuſſitque ſuos armari.* Ecce ſomnium ciuit ad arma, vt iam opitularetur virtuti, ſi dæmon ſomnia immittit ſuffragantia vanitati. 194.

Iudic.7.v.14. — Ioſephus.

§. XLVI.

§. XLV.

Diſcat virtutis amator à peſſimis, vitiorum omnia abolere veſtigia, vt illi virtutum deterunt monimenta.

195. EA eſt improbis peccandi libido, vt quidquid vitium redolet, amplectantur ſolicitè, & quod honeſtatis memoriam excitat, effugerint ſtudioſè: non ſolùm virtutis amorem exuere conantur; ſed odium fouere moliuntur: ob id oculos & aures ab honeſtis diligenter auertunt, & illorum loco, quæ varias voluptates perſuadeant, ſubſtituunt. *Sine dediſcere oculos tuos*, aiebat Seneca epiſt. 58. *ſine aures aſſueſcere ſanioribus verbis: quoties proceſſeris, in ipſo tranſitu aliqua, quæ renouent cupiditates tuas, tibi occurent.* Vbique mundialibus occurrit, quod cupiditates renouet, quod auaritiam citet, quod ambitionem inflammet: coegerunt oculos ſuos vel ad virtutis vmbram cæcutire, aures ad doctrinam ſanam obſurdeſcere: ſciunt citiſſimè reuelare affectus, præcipuè ſi monitor aliquis clamet: ideò ſolerter vitant quidquid virtutem conſulit, quidquid vitiorum licentiam carpit, & veluti authoramento ſequuntur ambitionem, & ipſam irritant cupiditatem: non ſolùm virtutem detrectauere ſuſcipere; ſed illi nolunt accedere. Aod in Galgalis intuetur idola: *Reuerſus de Galgalis, vbi erant idola.* Cur ibi potius quàm alibi fuerint erecta quærunt interpres, aſſeruntque ab improbo Eglone ibi fuiſſe conſtituta idolorum figmenta, vt virtutis prorſus abolerentur veſtigia. Olim in Galgalis & populus circumciſus, & veri Numinis cultum tabernaculum. Eo ergo in virtutes nequiſſimus inflammabatur ardore, eo debacchabatur odio, vt omni virtutis offenderetur veſtigio, læderetúrque documento. Ergo in Galgalis vana ſimulacra curauit ſtudioſiſſimè erigere, quo faciliùs poſſet virtutis omnia veſtigia delere. Adeſt Lyra: *Quia Arca teſtamenti & tabernaculum fuerant ibi, quouſque tranſlata fuerunt in Silo, vt dictum fuit Ioſue 18. fecerat Eglon in contemptum loci ſacri, ſicut Antiochus Epiphanes poſuit idolum in templo Domini.* Galgala ſacri cultus erant clariſſima monimenta, & antiqua virtutis & honeſtatis præconia, adeoque his virtutis indiciis improbus torquebatur, vt ibi ſtabilire conatus ſit vitium, vbi aliquale virtutis exiſtebat monimentum. Ergo ab improbo diſce ad vitia caligare, & falſis vitiorum promiſſionibus nullatenus aures præbere.

Seneca.

Lyra.

196. Prodigus ille pietatis deſertor ſibi nocet, dum ſibi indulget, prædiuitem cenſum efflagitat, quo iuuentute, auroque veluti geminatis calcaribus incitatus celerius inuolarit ad vitia, & deteſtanda expleuerit deſideria: à paternis oculis abductus ſic omnia ingenitæ nobilitatis aboleuit veſtigia, vt iam nulla apparerent oculis argumẽta: *Diſſipauit ſubſtantiam ſuam viuendo luxurioſè.* Omnia diſſipauit, omnia conſumpſit. Adeſt Chryſologus ſerm. 1. *Quod vitæ, quod morum, quod pietatis, quod libertatis, quod eſt gloriæ, nihil reliquit.* Vides vitium vel ingenita deuoraſſe, nilque quod vel excitaret memoriam, permiſiſſe. Attende modò quid pientiſſimus pater: dum filium recipi iubeat: *Proferte, inquit, ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius, & adducite vitulum ſaginatum.* Paternam profectò oſtentat ſenex pietatem; ſed dignam ſene ad ſpeciem non oſtentat prudentiam: ſatis videbatur indigno filio vel graue ſupercilium oſtendere, & ornamentis ſatagit expolire? Cibos offerat, dum adurget fames, non tamen expolitos largiatur calceos vt vel pedum nuditas iuuenis arguat inſipientiam, & denotet ſtultitiam. Imò eximiam pater oſtentauit prudentiam, inquit Chryſologus ſerm. 5. ne minus fecerit pietas, quàm perpetrarat improbitas. *Date calceamenta in pedibus eius, ne vel in pede remaneret deformitas nuditatis.* Mirè virtus vitium eſt imitata: illud antiqui ornatus non permiſit vel leue indicium, illa indignæ nuditatis omne prorſus abſtulit probrum: nec in pede tulit indignæ paupertatis indicium charitas, quia dignæ nobilitatis indicium pedibus non permiſit improbitas: nudus ac diſcalceatus cœnoſo inſeruierat pecori: ideò prudentiſſimus pater vult, vt omni nuditate ornamentis iam tecta filius inſeruiat virtuti. Certè vitium improbitate ſenem erudiuit, & quid faciendum, contraria ſectantem docuit. Virtus vitij vel leuiſſima: quia vitium nulla virtutis permiſerat ornamenta.

Lucæ. 15. v. 13.

Chryſol.

Populus idololatriæ libidine percitus deos ſibi conflari poſtulat, adeoque Aaronem vrget, vt conſtruxerit idolum, quo ſalutis propulſarit periculum: aberat hoc tempore Moyſes cum Deo differens apud Sinæi verticem: quadraginta dies ſcribendæ legi præſcripſit, vitulus exiguo tempore conflatus eſt, vt iam ipſa mora celeritaſque teſtaretur, idolum erroris partum; & legis tabulas Numinis fuiſſe conſilium: vireſcunt citò gramina, annum expectauere frumenta: virtus expolitur; vitium, ſi fas eſt dicere, innaſcitur: denique cùm Moyſes decalogi tabulas manu geſtaret, ira pietatis auxiliatrice percitus ad montis radices tabulas proiecit, & comminuit: *Vidit vitulum & choros, iratuſque valde proiecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis.* Verùm ne minus pro pietate faceret zelus, quàm pro nequitia fecerat dolus, vitulum conterit, & in pulueres minutiſſimos redigit: *Arripiens vitulum, quem fecerant, combuſſit, & contriuit vſque ad puluerem.* Vide pietatem cum impietate certantem: impietas leges obliterat, & lapideas etiam tabulas frangit; pietas idolum deterit, & nigros fœdoſque in cineres redactum ſpargit. Adeſt Ambroſius de Elia & ieiunio: *Tabulas legis, quas accepit abſtinentia, conteri fecit ebrietas:* Tot ieiuniorum ſpatia legem tabulis exarari meruerunt; ſed citiſſime conteri fecit ebrietas, & in minutiſſimas partes, nequid inſcriptum legis maneret, redegit imprudens prorſus ſalacitas: verùm par pari retulit Moyſes: nam ignis auxilio nequid ſupereſſet, vituli formam prorſus obliterauit, & in cineres nigros redegit: *A Deo ſibi traditas tabulas*, ſcribit Gregorius Nyſſenus apud Lippoman. *ad populum defert, quibus diuina lex continetur; ſed dura cum peccato colliſione dirupta conteruntur, peccatum verò ſimulacri cultus erat in vituli ſimilitudine conſtituti, quod à Moyſe contritum, aquaque diſſolutum ipſis, qui peccarunt, factus eſt potus: ita omnimodo ea materia, quæ hominum peccato ſubminiſtrauit, deleta eſt.* Colliſio tabulas fregit; ſed vitulum etiam 197.

Exod. 32. v. 19.

Ambroſ.

Nyſſen.

Digitized by Google

etiam colliſio contriuit, ne minus lex poſſet in idolum, ac vituius potuerat in legem: ipſa idololatria dum comminuit ſanctiſſima legum inſtituta; docuit audere in deteſtanda commenta. Moyſes adſumpta ira pietatis adiutrice idoli non permiſit memoriam, ſi populus anteà vitiis indulgens non accepit legis notitiam.

198. Nequiſſimus ille Pharao fera hominis facie crudeliſſima, doloſis artibus Hebræorum vires accidere aggreſſus eſt, duriſſimis premebat operibus, nec his contentus omne Iſraëlitarum ſemen prorſus extinguere, ac fluentis tradere cogitauit: *Quidquid maſculini ſexus natum fuerit, in flumen proiicite* (Exod. 1. v. 22). Parum illi viſum eſt improbis laboribus adurgere, ſi illorum aliquem pateretur ſeruari. Itaque quod Dei manus efformauerant, obliterabant vndæ, nec parentibus iugulatorum infantiũ concedebat membra: quia ardebat omnia Hebraici nominis abolere veſtigia. Quid tunc? Moyſes Dei vices gerens, virgaque elementis imperans plurimas & grauiſſimas infert tyranno calamitates: fructus iamiam maturi à locuſtis æruginequе depaſcebantur, quò grauius dolerent, dum ſpes auctior, fructuſque vicinior: dies inutili otio conſumebatur, quia importunæ tenebræ lucem euincebant, & inuidentia obcæcatos externo lumine iure priuabant; verùm huius vindictæ curſus anteà non potuit abſolui, quàm nequiſſimus Pharao, eiuſque populus aquarum vorticibus tumularentur extincti, & inferis prorſus traditi: *Fugientibus Ægyptiis occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Dominus in mediis fluctibus* (Exod. 14. v. 27.). Profectò Moyſes parum ſalutis ſuorum ſtudioſus videtur, cùm tyranni mortem tanto tempore diſtuliſſe probatur. Nonne ſatius eſſet mortem maturare, & duriſſimis vinculis contribules abſoluere? O prophetæ prudentiam! Didicit à malitia pro virtute decertare, & Pharao dum Hebræos tradit aquis penitus obliterandos, Moyſem docuit vorticibus tradere Ægyptios prorſus extinguendos: non permiſit Moyſes remanere Ægyptiorum notitiam, quia Ægyptij abolere prorſus Iſraëlitarum ſuſpirauere memoriam. Profectò indignum eſſet, ſi Moyſes minus faceret pro virtute, quàm cogitarat improbus pro impietate. Adeſt Seleucienſis Baſilius orat. 9. (Seleucienſ.) *Quod Dei manus efformabant, Regis manus aquis obliterabant.* Pharao obliterare à Deo formatum molitus eſt: ergo nequitia magiſtra didicit Moyſes perſecutorem delere, & vorticibus ſepelire. *Nec verò*, addit ibi Baſilius, *iſtius vindictæ curſus antè potuit abrumpi, quàm virga percuſſum mare his iter, illis ſepulchrum fuerit, & mare continentis inſtar viam Abrahamitis aperuit, cæteros fluctus hauſit.* Eiſdem in contrarium artibus vſus eſt Moyſes, pro virtute falciẽda, ac Pharao pro exterminanda: rapidiſſimis fluctuũ voluminibus deleuit Ægyptium, quia Ægyptius fluctibus delere aggreſſus fuerat Hebræum. O quàm cæleſtis hæc probabatur vindicta, quando zelus aſſimilabatur odio, & improbitati charitas, quando vt tyrannus Hebræorum memoriam, Hebræus Ægyptiorum delebat vndis notitiam. Si huius vindictæ curſus anteà fuiſſet diſruptus, plenè non refulſiſſet conſummatus; at dum à malignitate delendi mutuatur ingenium, virtutis deprædicatur Elogium. Quàm rarus inuenitur Moyſes, quàm frequens Pharao! Inuenies plures, in quibus ſic omnia integrè poſſedit vitium, vt nullum ibi virtutis obiiciatur oculis argumentum, cùm rarus alicui vitio non ſeruiat, etſi virtutibus floreat.

§ XLVI.

Vitia omni ſecreto ſunt corrigenda, & correctio cunctis celanda.

NOnnulli conciliare diſcupientes ſalutem, maturant mortem, & dum vulnera pandunt, acrius irritata imprudenter accendunt. 199.
Ridebat Tertullianus libro. de Anima capite. 10. (Tertullian.) Herophyli medicinam, qui, vt homines curaret, occidit: rimari voluit penitiſſima omnia interanea, nequa illum latere poſſent ſecreta; at dum nimis ſcrutatur, pernicioſè edocetur, & dum curando homini laborauit, homini mortem aſciuit: *Herophylus ille medicus, aut lanius, qui ſexcentos execuit, vt naturam ſcrutaretur; qui hominem odit, vt noſſet, neſcio an omnia interna eius liquidò explorauit, ipſa morte mutante quæ vixerant, & morte non ſimplici.* Lanius, non medicus erat, qui vt interna hominis vitia curaret, nimia, noxiaque ſcrutatione non ſolum ſtuduit addiſcere; ſed omnibus euulgare: ſecretiora vt mederetur pandit; ſed certè publicatio plus ardentiſſimum indicauit odium, quàm curationis ſtudium: mortem intulit, vt ſalutem repararet: quæ imprudentiſſimus diſcupiebat ſecreta ſcire, ipſa nimia indagatione immutauit; adulterauit; corrupit. Quàm alius erat Herophylus à prudentiſſimo illo Samaritano, qui alligauit vulnera vel externa, vt efficaciùs ſalutem infunderent medicamina. Profectò vt de reguli proditur viſu, qui aliena ſtudioſiùs rimatur crimina, exulcerat, exacerbat, irritat. Tegenda ſunt prudenti ſagacitate animi vulnera, ne reſpuerint, ſi iam nora medicamina. Ingenioſi, ac induſtrij medici eſt vulnus curare, & vel cicatricis vmbram depellere. Ecce Aod, vt quod Iſraëlitas opprimebat, virium abſcindat, gladium induſtriè ſub ſago tegit, nil ſociis aperit, & Eglonem vitij quidem ænigma arbitris remotis occidit: *Egreſſis omnibus, qui circa eum erant ingreſſus eſt Aod ad eum.* Omni ſecreto vſus eſt, vt cupiditatem de medio auferret, ne ſi proderet, impediret. Adeſt Stephanus in allegor. Tilman. (Stephan.) *Aod prælatus, Eglon cupiditas, ferrum verbum Dei, capulus operatio: prælatus ergo ſic perſuadeat, vt verbum operatio ſubſequatur, nec educat gladium: non enim ad horam; ſed ſemper impugnanda eſt cupiditas. Et clauſis oſtiis exeat, vt gloriam de exterminatione cupiditatis non quærat.* Quàm optimam correctionis formam Aod prælatus prælatis ſuo facto depinxit, omnem remouit arbitrum cupiditatem exterminaturus, adeoque religioſum obſeruauit ſilentium, vt nec ipſi Iſraëlitæ, à quibus auferebatur cupiditas, nouerint, cùm ſalutem repulſa cupiditate receperint. Neceſſum eſt aliquando ea arte pugnare cum vitio, vt nec ipſe, à quo aufertur, prænoſcat: aliter namque furore malè conſulente exagitatus medicam impediet manum, aut criminis adaugebit delirium. Et quidem Dalila virtutem à Samſone depulit, quin ipſe ſentiret: *Dormire eum* (Iudic. 16. v. 19.)

 fecit

fecit ſuper genua ſua,& in ſinu ſuo reclinare caput, vocauitque tonſorem, & raſit ſeptem crines eius. Antè nudatus eſt virtute, quàm ipſe ſe nudandum præſagiret. Proſper. *Raſo capite*, ſcribit Proſper libro. de promiſſ. capite.22. *Samſon diſceſſit & virtus.* Neſciuit quod alieni comedebant robur eius, & Dalila, ne impediretur deradendæ virtutis ſtudium, ipſi conciliauit Samſoni ſomnum. Ergo Aod virtutis patronus cupiditatem ab Iſraëlitis abſtulit, quin ipſi præuoſcerent, aut coniicerent.

200. David Pſalmo 105. dum populi liberationem depingit, Iſraëlem ait exiccato mari veſtigiis puluerulentis eductum, mareque increpitum: Pſal.105.v.9 *Increpuit mare rubrum,& exiccatum eſt;& deduxit eos in abyſſis, ſicut in deſerto.* Si hiſtoriam Exodi 14. perlegas, non inuenies vllum verbum in mare iactum: quæ ergo iſta increpatio fuit nec curioſis auribus percepta, nec alieni dedecoris obſeruatoribus annotata: *Et increpuit*, inquit, *mare, & exiccatum eſt.* Difficultatem attigit August. Auguſtinus quo pollebat ingenio ad prædicti Pſalmi verba: *Non legimus vllam, qua increparetur mare, emiſſam cælitus vocem; ſed potentiam diuinam, qua id factum eſt, increpationem appellauit.* Addit moraliſſimè ingenioſiſſimus Doctor: *Niſi fortè quis dicat latenter increpitum.* Mare exiccandum erat, vt puluerulentis veſtigiis populus liberatus incederet; at ſuperbis tunc fluctibus, elatiſque vorticibus tranſitum denegabat, & viantibus obſiſtebat. Quid tunc? Deus increpat; eo tamen ſecreto, vt exiccationis teneatur effectus,& nullus vocis audiatur ſonus. O dignam Numine increpationem! O imitandam increpandi omnibus prælatis formam! frænandi ſunt impetus, & virtuti aperiendus greſſus, eo tamen modo vt quiſque non tam adſcripſerit corrigentis dominio, quàm obſequentis ingenio.

201. Omnibus ſcitum eſt, quod Leo Magnus ſerm.7. de paſſione adnotauit; verùm aliqua fortè nouitate ad mores vtili proferemus. Conuiuium diſcipulis inſtruens Dominus, cum diſcipulis ſuis de paſſione diſſerebat, & ne quis deputaret violentiæ, quod amoris ſuadebat flamma, in has blandas querelas erupit: Matth.26. v.21. *Vnus veſtrum me traditurus eſt:* Oſtendit præſcientiam, nec traditoris expreſſè notauit culpam: & totum hoc, vt mederetur ſceleri, nec impingeretur nota opinioni: Notam ſibi traditoris, ac proditoris conſcientiam demonſtrauit, non aſpera, nec aperta impium increpatione confundens; ſed leni ac tacita admonitione conueniens, vt faciliùs corrigeret pœnitudo, quem nulla deformaſſet abiectio: verùm Iudas de ſecreti patientia medendus, ipſo ſecreto acriùs inuenitur ſtimulatus, & quia ſe latere putauit, impium ſtudium promouit: S. Leo. *Cur, infelix Iuda*, addit Leo, *tanta benignitate non vteris? Ecce parcit auribus tuis Dominus, & nulli te niſi tibi indicat Chriſtus: nec nomen tuum nec perſona detegitur; ſed veritatis, & miſericordiæ verbo cordis tantùm tui arcana tanguntur.* Nec tanta lenitas exacerbatum vulnus valuit curare; ſed obſtinatior de ipſa lenitate reatum eſt aggreſſus producere, & cùm cæteri immaculati, innocenteſque ad denuntiationem facinoris ſtupefacti expaueſcerent, contriſtatique formidarent, non de conſcientiæ reatu, de humanæ mutabilitatis incerto; Iudas tamen abſcondi ſe ſua credit audacia, & incredibili ad ſpeciem occultari malitia. Et certè adeò extra humanæ malignitatis metas magiſtri videbatur proditio, vt vel ipſa diuina veritas præſcientiam muniuerit iuramento: Amen dico vobis. Hoc tempore Petrus pio, magiſtrum tutandi ſtudio Ioanni innuit, vt è pectore, ſuper quod recumbebat dilectus, ſecretum eruat, Ioannes ſciſcitatur,& Dominus, ne quid dilecto negarit: *Ille eſt, ait, cui ego intinctum panem porrexero:* Ioan.13. v.26. panem Iudæ porrigit ſtatim intinctum,& iam Iudas dæmonis eſt habitaculum. *Poſt buccellam introiuit in eum Sathanas:* tantiſper criminis euulgatum ſecretum in eam Iudam amentiam ad ſpeciem impulit, vt iam deteſtabile implere votum & decreuerit firmius, & procurauerit ſtudioſiùs: Audi Leonem: S. Leo. *Secutum eſt itaque dilectiſſimi, ſicut Ioannes Euangeliſta narrauit, vt cum traditori ſuo Dominus manifeſtius deſignando panem porrexiſſet intinctum, totum Iudam diabolus occuparet.* Effectus prudentiſſimam illam denuntiationē ſecutus, quanto ſecreto debeant crimina corripi declarauit. Ecce dum Iudæ malignitas ſuo in pectore omnibus claudebatur arcana, nondum totum occupauerat inimicus; at dum vel vni proditur, integrum poſſedit diabolus: quod ad noſtram eruditionem magiſter ſapientiſſimus ſic diſpoſuit: vt ſcirent prælati magnam medicaminis partem eſſe ſecretum, & vulnus exacerbari ſæpè, ſi publicum.

Puerum à teneris annis dæmon inhabitarat: 202.
filij calamitas patrem adurgebat, quia viderat filium ſe genuiſſe dolori tandem pignoris ſtimulatus calamitate tanto malo medelam perquirit, & ad Apoſtolos curandum affert. Illi non valuerunt curare, quia grandius erat malum, vt humana poſſet depelli virtute: pater medias inter turbas filij calamitatem euulgat afflictione cæcus, cæcitate imprudentiſſimus: *Reſpondens vnus de turba dixit: Magiſter attuli filium meum ad te habentem ſpiritum mutum, qui vbicumque eum apprehenderit, allidit illum,& ſpumat, & ſtridet dentibus, & areſcit. Et dixi diſcipulis tuis, vt eiicerent illum,& non potuerunt.* Matth.9. v.16. Neſcias an hic fuerit pater, an inimicus: dentium ſtridorem, qui à domeſticis ſolùm audiebatur, denuntiat populo,& notas facit omnibus filij miſerias, quas paternus amor debuiſſet occulere,& in aurem vel Chriſto Domino denuntiare: dum Apoſtolis omnibus curandum filium præſentat, vires Apoſtolorum imprudenter euacuat, quandoquidem ea capiebat morbus de publicatione virium incrementa, vt niſi potentia expelli nequiret diuina: ſanauit Chriſtus in medio turbarum, vt oſtenderet omnipotentiæ efficaciam, & virtutis energiam: *Impoſſibilitatem diſcipulorum magiſtri imperitia aſſignans*, ſcribit Chryſologus ſermon.51. Chryſol. *Iudaico liuori, inuidia ſcribarum talem ſatisfaciens per clamorem.* Profunda ſane Chryſologi mens: & cur dum clamat, aduletur ſcribarum inuidiæ, qui clamoribus ſatagit extremæ dolorem delinire miſeriæ: quia dum clamat, dum filij ægritudines publicat, difficilem adeò curationem reddit, vt nec Apoſtoli mederi valuerint; imò nec Chriſtum æmuli curaturum præſumpſerint: inuidia ad virtutem Chriſti obſcurandam deſiderabat ægritudinem non depelli: ergo pater inuidiæ ſatisfacit, dum ægritudinem imprudenter denuntiat, quia validiſſimas vires addit: ſanitati reſtituit Dominus puerum ad omnipotentiæ gloriam, & ad vtiliſſimam nobis

doctrinam

Digitized by Google

doctrinam, vt ſcilicet nouerint, qui gubernant, quantum proſit iis medicandis paſſionibus prudens ſecretum, & quàm morum vulnus exacerbetur, ſi publicum.

103. Centurio ille, cuius fides Dominico deprædicatur elogio, ſerui ſanitatem perquirens ad ſanitatis fontem inuolauit: Chriſto aperit ſeruum ſe habere malè diſtortum: *Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur.* O magnatum faſtum! ſeruum non affert curandum; ſed curare diſcupit domi detentum: *Iacet*, inquit, *in domo.* Profectò alij, qui paralytici ſalutem expetebant, in lecto etiam recumbentem per tectum demiſſum ante Domini oculos ſubiecerunt: cur ergo Centurio, qui ſatellitio facilè præcipere poſſet, paralyticum ante Domini non offert conſpectum; ſed domi abſconditum vult ſanitatem impetrare, morbumque depelli. Profectò non hic ſugillatur tumentis ſuperbia; ſed prudentiſſima commendatur induſtria: humilitatem oſtendit, dum ſe qui Dominum hoſpitio recipiat, fatetur indignum: *Non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum:* prudentiam, dum ægrotum non adducit in medium: vitauit pudorem, quia quærebat ſanitatem. Adeſt Chryſologus ſerm. 15. *Iacet in domo, ne familiaris infirmitas publicè & dolori ſit & pudori: monet Centurio iudicem, talia & tanta dum perorat.* Meritò Centurioni cuncti ſerui obſequentiſſimi obediebant, iureque amabant: meritò prælaturæ gaudebat honore, qui ſic nouerat ægritudines depellendas, vt nec creſcerent de rectoris ignauia, nec dehoneſtarent infirmum de aliorum notitia: aſciuit medicum, occuluit infirmum: veritus eſt, ne dum profert, ne dum adducit in publicum, dolorem exacerbet, & impatientiam irritet: *Ne familiaris infirmitas publicè & dolori ſit & pudori.* Diſcant ſpirituales medici à Centurione magnam curationis partem eſſe ſecretum; imò fuſis ad Deum precibus ſanare ſatagant medicaminis inſcium: ſeruus neſciebat, & prælatus preces ad Dominum fundens ſanitatem eius ſtudioſiſſimè procurabat.

Matt. 8. v. 6.

Chryſol.

---

§. XLVII.

Patet facilior mendaci ad Principem aliquando aditus; veridico eſt difficilior acceſſus.

104. SÆpè apud Principes durum eſt veritati fatum; ingratis excipiunt auribus, toruo adſpiciunt vultu, & quia ſuſpirant cæca ſua deſideria laudari, veritatem auerſantur, à qua nouerunt ſæpiſſimè contradici: nec mirum, renuunt corrigi geſtiunt palpari. Hinc ferè omnes iucunda architectantur mendacia, & veritatem fugiunt, vtpotè ambitæ gratiæ venena. Querebatur Auguſtus nullum Agrippam, nullum ſe Mecœnatem, qui verum illi diceret tot inter hominum millia reperire; verùm quod animitus ipſe vetabat, quærebat; ſuſpirabat veridicos, cùm auerſaretur ſeueros. *Quid putem*, aiebat Seneca lib. 6. de benef. cap. 32. *defuiſſe ſimiles, qui aſſumerentur, an ipſius vitium fuiſſe, qui maluit quæri, quàm quærere? Non eſt quod exiſtimemus Agrippam, & Mecœnatem ſolitos illi vera dicere, qui, ſi vixiſſent, inter diſſimulantes fuiſſent.* Auidius audi quæ ſubdit: *Regalis ingenij mos eſt in præſentium contumeliam amiſſa laudare, & iis virtutem dare vera dicendi, à quibus iam audiendi periculum non eſt.* Vel Agrippa, vel Mecœnas, ſi non falſa dicerent, veritatem ſaltem de placendi ſtudio diſſimularent, ne Auguſtum offenderent. Phœnicis inſtar orientalis illius alitis in palatiis inuenitur aliquando veridicus, & ſyncerus; ſed de ſingularitate famoſus, & de nouitate mirandus. Cùm Magnates ſæpè ſæpiùs à veritate deerrent, eiuſdem coloris amant; alios oderunt vti cenſores, & acerrimos iudices: patet in palatiis adulationibus aditus, veritati negatur acceſſus, quod adeò verum eſt, vt Aod ad Principem propinquare deſiderans mendacium vocauerit in patrocinium, eiuſque ope interius acceſſerit ad cœnaculum: Aod ad interiora palatij non facilè perueniſſet, ni mendacium aduocaſſet; aſt votis fruitur repulſæ fruſtratus periculum, dum pro ſe habet ſimulationis ſuffragium: *Dixit ad Regem: Verbum ſecretum habeo ad te, ô Rex; & ille imperauit ſilentium, egreſſiſque omnibus, qui circa eum erant ingreſſus eſt ad eum Aod.* Rogat Abulenſis q. 20. cur mentitus fuerit Aod: reſpondetque mendacium confinxiſſe, vt ad Eglon illi pateret aditus; aliter namque præcluderetur acceſſus: *Dicendum quòd mentitus eſt Aod ad occultandum intentionem ſuam, & vt poſſet illam exequi: nam alias non potuiſſet accedere ad Regem*; Si Aod vera proferret, nullatenus ad Regem pateret aditus; imò nec ad aulam liceret acceſſus; at dum fallit, dum fingit, dum ſimulat, ad ſecretiora peruenit admiſſus, & illi ad Regem patuit acceſſus: *Aliàs non potuiſſet accedere ad Regem*, ſcilicet ni mentitus eſſet. Vt noueris veridicos; adulationiſque ignaros à palatiis indecorè ſæpè repelli; adulatores verò, & qui ad guſtum loquuntur, facilè admitti.

Seneca. *Eoi non ſemel Princeps vti veridicos ſuſpirat, à quibus audiendi v. rū, nullum periculum.*

Sæpè laudantur amiſſa in præſentium contumeliã.

Abulenſ.

Balthaſar dum opiparis menſis, & generoſis vinis ingurgitatur, & acerrimo timore adurgetur: manus articulos in parietis ſuperficie ſcribentes aſpicit, quorum viſu in luctum cithara verſa eſt; Rex Chaldæos magos & aruſpices vocat, & ad ſcripturam legendam, & enodandam grandi propoſito præmio impellit; verùm non valuit ambitio ſcripturam legere, nec cæleſtia arcana deſideranti aperire. *Ingreſſi omnes ſapientes Regis non potuerunt neque ſcripturam legere, nec interpretationem indicare Regi.* Quid tunc? Ignotum Regi Danielem in curia habitare Regina indicat, & ad myſteriorum indagationem vocari rogat: *Eſt vir in regno tuo, qui ſpiritum deorum ſanctorum habet in ſe.* Mira res: Danielem ſomniorum interpretatione celebrem latere Regi prorſus ignotum, cùm grandem adeò magnorum, & aruſpicum aluerit numerum: *Ingreſſi*, inquit textus, *omnes ſapientes Regis*, Id eſt, quorum conſilio vtebatur, quoſque vti palatio familiares admittebat, & honoribus decorabat: vnus Daniel ab aula exulabat ignotus, & à ſapientium numero excluſus. Et quæ huius cauſa? Quia ſapientes reliqui non erant veritatis interpretes; ſed adulationis artifices, cum Daniel neſciuerit adulari, ſolùmque didicerit veritatem fateri: illum tantùm hominem non admittebant palatia, qui pollebat veritate, nec polluebatur adu-

Daniel. 5. v. 8.

latione. Quàm familiaris eſſet Balthaſari Daniel, ſi cæterorum more improba deſideria foueret, ſi loqueretur placentia, & architectaretur mendacia! at dum verax carpit, dum veritatem defendit, dum conſilia opportuniſſima præbet, nec in Principis viuit memoria, nec in aulicorum gratia: *Ea, quæ pridem geſta fuerant*, ſcribit
Thodor. Theodoretus oratione quinto: *vt ignarum docet, & beatum ei Danielem indicat, quem diuino ſpiritu plenum eſſe confitetur.* Daniel vera Nabucho ſemper dixerat, omnique ſpecie adulationis caruerat; ſed ob id ipſum vti ignotus indicatur, & extra palatium quæritur: Rex illorum admirabatur ſapientiam, & colebat amicitiam, qui veritatem Dei non ſolùm non valebant edicere, ſed nec legere. Solus excludebatur à magorum cenſu veridicus, & ſolus erat Regi incognitus Domini Spiritu plenus.

106. Captioſis Saulis inſidiis impetitus Dauid, vt pericula eluderet, ad Geth Regem tranſire non imprudenter decreuit, ibi prædas agens de Geſſuri, & de Gerzi, & de Amalecitis ſe contra meridiem Iudæ inſurrexiſſe aſſerebat, vt ingredi liceret curiam, vtque Principis promereretur & gratiam: *Dicebat ei*
1.Reg.27. v.10. *Achis: In quem irruiſti hodie? Reſpondebat Dauid: contra meridiem Iudæ.* Rogant interpretes, an Dauid fuerit mentitus? Lyra teſtatur, aſſeritque ad mendacij recurriſſe ſuffragium, vt Achis ſuam ad familiaritatem admitteret beneuolus, aliter depulſurus: *Videtur*
Lyra. *quòd Dauid non excuſetur à mendacio: quia tali modo loquendi vtebatur, vt Achis crederet ipſum filios Iſraël deprædaſſe, vt patet ex ſequentibus; iſtud tamen mendacium erat officioſum, ſcilicet pro ſalute ſui & ſuorum.* Profectò ſi Dauid Achis vera diceret, aut exularet abactus, aut legeret fortè punitus; at dum mendacia confingit, Principis conſeruat colloquia, & promeretur gratiæ beneficia. Mentiendo luxit, qui fors vera aſſerendo periret: vti Dei habetur Angelus, dum nuntiat iucunda, quamuis non vera; & faſtidiretur vti inimicus, ſi proferret vera non grata.

207. Dæmon inuidia ictus hominis dominationem ſubripere, aut obſcurare ſaltem exambit, & quibus poſſit facilè ſtudia conſequi, ſecum alta meditatione diſcurrit: tandem ſer-
Gen.3.v.1. pente perſonatus accedit: *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem, &c.* Deſiderio nocendi exæſtuans, votis ſuis apparet ad ſpeciem repugnans: ſerpens namque ſeriem fœdi corporis lentè per tellurem trahit turpiter adrepens, & tortuoſas ſpiras mouens: ergo deſiderium tardat, dum ſerpentem induit inuidus, qui citiùs accederet columbinas alas mutuatus. Certè candida columbæ ſimplicitas videbatur ſimulando dolo opportunior, vt calliditas ſerpentis ineptior. Ergo deſipit dæmon tenebris obcæcatus inuidiæ, dum non columbæ; ſed ſerpentis induit ſpeciem. Imò, inquit Tertullianus aduerſus Valentinianos capite ſecundo, hoc facto ſuam aſtutiſſimam vafritiem clarius oſtendit: deſiderabat ad Principes humani generis inuenire aditum, & facilem ſortiri acceſſum: apud illos ſuſpirabat valere, quò facilius poſſet illorum felicitatem ſubruere: ideò lucifugæ beſtiæ, fraudulentiſſimæque, non columbæ ſimplicis, ac veritatis amicæ mutuatur ſpeciem: quaſi iam ab exordio veritas hæc non ſine veritatis detrimento fuerit ſtata, apud humanos ſcilicet Principes valere mendacium, & præ ſimplicitate inuenire aditum dolum: *Chriſtum columba demonſtrare ſolita eſt; ſerpens verò tentare: illa & à primordio diuinæ pacis præco, ille à primordio diuinæ imaginis prædo. Ita facilius ſimplicitas ſola Deum & agnoſcere poterit, & oſtendere.* Columba vtpotè ſimplex, & veritatis ſymbolum in editis habitans facilem habet ad Deum in Iordane acceſſum; non adeò facilem apud humanos principes aditum; at è contra ſerpens Deum ignorat in abditis detruſus, & veritati ſemper aduerſus; ſed à primordio generis Principi amicus. Eam diabolus Principes aditurus induit perſonam, quam nouerat apud terrenos Principes valituram, & præ ſimplicitate columbina pluris habendam: *Abſcondat itaque ſe ſerpens*, addit Tertullianus, *quantum poteſt, totamque prudentiam in latebrarum ambagibus torqueat, altè habitet, in cæca detrudatur, per anfractus ſeriem ſuam euoluat, tortuoſè procedat, nec ſemel totus: lucifuga beſtia: noſtra columba domus ſimplex etiam in editis ſemper & apertis, & ad lucem: nihil veritas erubeſcit, niſi ſolummodò abſcondi.* Itaque columba veritatis gerit figuram, dum erubeſcit abſcondi, mendacij coluber, dum timet videri. Ergo diabolus, quò facilius gratas Euæ inuenerit aures, quo longiora miſceat colloquia, & adiuerit penetralia, veritatis auerſatur ſpeciem, & mendacij induit imaginem. Non negauerim plures Principes veritatis ſtudioſiſſimos, & mendaciis prorſus aduerſos; verùm adeò commune eſt in curiis præ veritate valere fraudem, vt ambitores ſerpentis induant perſonam, columbæ auerſentur ſpeciem. Columba Chriſtum veritatem oſtēdit, ſine ambagibus procedens, & lucem diligens; verùm ob id ipſum quo debuiſſet placere, ſæpè abacta cogitur exulare; at ſerpens dum prudentiam latebrarum ambagibus ſimulat, dum tortuoſè procedens ſe totum non prodit; ſed partem fœdis ſpiris tegit, partimque reptando & adulando producit, gratiam lucratur, & quo offendit, promeretur.

Tertull. *Columba ab exordio pacis præco, ſerpens diuinæ imaginis prædo.*

Serpens habetur prudēs dum ambagibus tortuoſis procedit.

Veritas ſolùm erubeſcit abſcondi.

Nato Chriſto Domino ſtella fulgentiſſima apparuit, & cælorum lingua Regem præſepio latentem prodit: Magi noui ſyderis ductum ſequuntur, & ſacta ambitione geſtiunt adorare, quem iam cæleſti contigit ſydere agnoſcere: *Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorū? Vidimus enim ſtellam eius in oriente, & venimus adorare eū.* Chryſol. ſerm. 156. vt erat acutiſſimo ingenio, inſolitum adſtruit ſyderis fuiſſe miraculum; ſed grandius de Magis ipſis prodigiū: *Plus cæleſte de Magis, quàm de ſtella ſignum eſt.* Ecquod hoc grande de Magis miraculum? Apud illos ſanè veritatem valuiſſe, & ſydus illorum oculos luce veritatis indice prolectaſſe. Vtque agnoueris quàm hoc inſolitum, quàm hoc rarum, vide ipſos in curia ſciſcitari vbi natus fuerit Rex Iudæorum. Interrogationis occaſionem tradunt Patres fuiſſe ſyderis abſentiam: *Cùm intrauerunt Ieroſolymam*, ſcribit Chryſ. apud D.Th. *occultauit ſeipſam; deinde vbi Herodem reliquerunt, ſe ipſam monſtrauit.* Vides veritatis linguam à curia exulantem; vide modò fraudē valentem: nam cum Herodes ſacerdotes, & ſcribas exortus locum interrogaret, reſponderunt Ducē Bethlehem naſciturum:

Math.2.v.2

Chryſol.

Chryſol. *Miraculum eſt Principes veritatem gratis oculis aſpexiſſe.*

Exiet

Exiet Dux: non Rex; ſed Dux: *Scriptum erat*, addit ibi Chryſoſtmus: *Ex te exiet Rex.* Itaque prophetiam præciderunt, & colubri ad inſtar ſe non prodiderunt totos; ſed partem prophetiæ occultantes, partem Herodi ſunt adulati prodentes. Nec in tranſitu curia cæleſtem veritatem admiſit, cùm mendacium curiæ incolam ſemper haberet. Itaque cæleſtis lingua gratas Herodis nō inuenit aures: quia iam illas præoccupauerat mendaciū, & ambientium ſibi deuinxerat artificium. Ergo Aod, vt in palatij ſecretiora admittatur, mendacium confingit: quia adire aliter non valeret.

§. XLVIII.

Vt nullus eſt locus, in quo vitium non aggrediatur virtutem; nullus etiam ſit, in quo virtus non aggrediatur improbitatem.

109. EA eſt vitiorum impudentia, vt nulla vereatur loca; imò quæ virtuti ſacrata auidius nititur prophanare, & ſtudioſius euertere: *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt*, deplorabat olim Oſeas. Oſeæ 4. v. 2. Mirè vitiorum inſolentiam inundationis nomine explicuit: vt enim fluuius tunc dicitur inundare, cùm adſcriptas ſibi metas diſrumpens, riparum ſolidiora defœdat, ac ſordidat, ita vitia limites ſuos prorumpunt, & in ipſa virtutis ſoliditate fluxam exambiunt voluptatem locare, & in dominium vanitatis traiicere: Signāter dicitur *inundauerunt*, vt placet Stephan. in allegor. Tilman. (Stephan.) vt notetur vitij audacia & criminis inſolentia: *Tunc fluuius inundare dicitur, cùm alnei ſui ripas excedit, & vicina loca occupat.* Itaque vt inundatio loca ſoliditati dicata ſolet occupare & peruertere; ita vitium limites rumpit, & virtutis loca peruadit. Ergo ne imbecillior virtus videatur, neceſſum eſt, vt dicata etiam vitio honeſta violentia loca inundatione peruadat, & taxatos ſibi limites rumpat: vtque nullus eſt locus, quem non peruadat malignitas virtuti nocendi ſtudio: ita nullus ſit, quem virtus non penetret euertendi vitium deſiderio. Ecce Aod ad Galgala perueniens, ibique regis idola perſpiciens ignauiam ſuam incuſat, & Eglonem occiſurus in ſecretius cœnaculum inuolat: *Reuerſus de Galgalis, vbi erant idola, dixit ad regem: verbum ſecretum habeo ad te ò Rex: & ille imperauit ſilentium, egreſſiſque omnibus, qui circa eum erant, ingreſſus eſt Aod ad eum: ſedebat autem in æſtiuo cœnaculo ſolus.* Aod eo dolore de idolorum aſpectu inflammatum tradunt interpretes, vt decreuerit loca vitio dicata vendicare virtuti: quia virtuti ſacra inſeruire conſpexit crimini, ita Hugo Charenſis: (Hugo.) *Viſis idolis regis non potuit ſe continere, & reuerſus eſt ad regem.* Non ſolùm viſa inflammarunt ſimulacra; ſed etiam ſimulacrorum loca: Galgala namque olim fuerant loca celebratiſſima, vbi Iſraëlitæ circumciſi, vbi Paſcha celebratum, vbi tabernaculum conſtitutum: Ergo Aod, dum Eglonem vidit ad ſacratiora loca inuolaſſe pro idololatria fulcienda, ſecretiora etiam vitij cœnacula ingreditur pro virtute vindicanda: *Fecerat Eglon*, ſcribit Lyra, *in contemptum loci ſacri. Ex hoc fuit accenſus Aod ad reuertendum, vt interficeret regem Eglon.* Puduit ſanè Aod minori in vitium armari audacia, ac in virtutem vitium armabatur inſolentia: in Galgalis religionis, virtutiſque aſylis Eglon eſt aggreſſus virtutem euertere: ergo in æſtiuo cœnaculo ingluuiei, intemperantiæque emporio Aod aggreditur vitium occidere, ne minus pro virtute videatur effeciſſe, quàm conſtabat Eglonem pro crimine perpetraſſe.

Non ſine myſterio prodigioſa illa Numinis virga colubri faciem in aula Pharaonis aſſumit, & 110. Magorum mendacia euertit: *Tulit Aaron virgam coram Pharaone, & ſeruis eius, quæ verſa eſt in colubrum.* Exod. 7. v. 9. Et cur nobiliorem ſpeciem, aut fortiorem nō aſſumat? Cur Moyſes vti cùm aquas verberat, regem aulam egreſſū non expectarit; ſed in ipſa aula Magorum dracones auidiſſimè deglutiuerit? Recole quid dæmon in virtute excogitarit, inueniesque in ipſo paradiſo loco virtuti ſacro facie ſerpentis perſonatum irrupiſſe, & veritatem mendaciis adulteraſſe? *Sed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem*, &c. Geneſ. 3. v. 1. Pietatem ſimulat cædem ſuſpirans: nec contentus eſt virulentiſſimus hoſtis Cainum extra paradiſum impetere; ſed veritatem ipſo in paradiſo molitus inuadere. Ergo Moyſes, ne ignauior cenſeatur in vindicanda virtute, contentus non eſt extra aulam mendacium vincere; ſed in ipſa aula conatur euertere vt mendaciorum regio ſit veritatis theatrum, ſi veritatis emporium fuit mendacij domicilium: *Moſeij veritas*, aiebat Tertul. lib. de Anima c. 57. Tertull. *mendacium deuorauit.* Mendacium veritatem deuorauit in paradiſo; ſed & veritas etiam mendaciū deuorat in palatio: & ſi olim iniquitas ſerpentis facie perſonata in paradiſum irrepſit veritas modò adſūpta ſerpentis facie in palatium etiam irrumpit: puderet namque Moyſem pepercisſe palatio, cùm ſerpens non pepercerit paradiſo. Et fortaſſis hac de cauſa Chriſtus Dominus, dum moritur, dum ad inferna deſcendit, ſerpentis aſſumit faciē: *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto*, inquit: *ita exaltari oportet filium hominis.* Ioan. 3. v. 14. Et cur modò ſerpens? Certè vt peruadat profundum animas detentas miſſurus ad cælum, vti diabolus ſerpentis forma inuaſit cælum, vt ſtellas deiiceret in profundum: *Cauda eius trahebat tertiā partem ſtellarum cæli, & miſit eas in terram.* Si hoſtis auſus eſt cælum ipſum inquietare, & ſtellas fraudulenta ac ſerpētina doloſitate deiicere: cur non audeat Dominus penetrare inferna, & extractas animas eleuare? Salutem infudit ſerpens venenatis, quia ſerpens venenū euomuerat olim vegetis.

Chriſtus naſcitur, & inuolutus pannis in præſe- 111.
pi recumbit: *Pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio.* Lucæ 2. v. 7 Et cur etſi pauperi, honeſtiori loco nō collocetur? Profectò in ipſo ſpecu locum ſortiri poſſet digniorem; imò quilibet eſſet honeſtior: præſepe namque brutis eſt dicatum, & concupiſcentiæ brutali addictū. Ergo Maria hanc amori ſuo iniuriam non irroget, ſed Dei Filium decentiùs collocet; imò vt ſuam erga Chriſtum dilectionē amplius cōmendet, in præſepio viliſſimo collocauit. Homo peccando comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis: adeò ſe vſque ad homine indigna deiecit, vt beſtialis præſepi paſcatur, & locis fœdiſſimis delectetur. Ergo præſepe brutalitatis aſylum, cupiditatis regio, ignorātiæ patria à Domino aditur, vt cōuerſus degeneret nobiliſſimè in aram: Cainus aram conuerterat in præſepe collocans in ea cupiditatis cæciſſimæ teſtimonium, & irreligioſitatis clariſſimum argumentum: in vaniſſimarum palearum, granis ab exordio dicatum

locum conuertit: *Factum eſt poſt multos dies, vt offerret Cain de frugibus terre*: Ergo Dominus palearum locum optimo grano nobilitauit, & Angelici panis horreum conſtituit: *Reperit hominem*, ſcribit Cyrillus apud D. Thomam, *factum beſtialem in anima. & ideò in præſepio loco pabuli ponitur, vt vitam beſtialem mutantes ad conſonam homini perducamur ſcientiam, pertingentes non fœnum; ſed panem cæleſtem vitæ corpus*. Ara locus religioni dicatus eſt, præſæpe locus ſordidus brutalitati eſt addictus: quia ergo aram temerauerat auaritiæ inſolentia, decebat vt præſepe nobilitaret virtutis etiam audacia, & vti vitium loca inuaſerat ſacrata, ita virtus irrũperet in obſcura: ne minus auderet virtutis ſtudium, ac aggreſſũ fuerat piaculum in præſepi brutalitatis loco erecta Angelorũ pani reſplẽdet
212. ara: quia ara in præſepe à Caino fuerat cõuerſa. (Cyrill.)

Lot editiſſimo in monte degens intemperantia fœdatus eſt: *Ingreſſa eſt maior, dormiuitque cum patre*: editiſſimum montem caſtitati dicatum libido corrupit; ſed & caſtitas libidinoſiſſimam ciuitatem inuaſit. *Nunquid*, aiebat Abrahamus, *perdes iuſtum cum impio?* Iuſtus Lot viuebat cum peruerſis, & erãt caſtitatis odor inter fœtidiſſimas carnis ſpurcitias. Ad hæc Angeli duo Sodomam ingrediuntur: *Venerunt duo Angeli Sodomam*: vt ſi duæ filiæ in caſtitatis altiſſimo monte inuexere libidinem, duo Angeli in libidinis theatro inducerent caſtitatem. *Lot*, aiebat Gregorius lib. 6. Regiſtri epiſt. 4. *in ipſa peruerſa ciuitate fuit iuſtus, in monte peccauit*: ipſe in ciuitate vindicauit virtutem, ſi in monte exercuit imprudenter prauitatem: & ſi mulieres duæ à vino ſuppetias impetrarunt, vt caſtitatem conſtuprarent, duo etiam Angeli honeſta violentia Lotum filiaſque eduxerunt, vt caſtitatem defenderent: viguit puritas in ipſo caſtitatis naufragio, ſi ſalacitas viguit in ipſo caſtitatis aſylo. ſæpè vanitulorum, & politorum procacia, immodeſtiaque adit templa, vt vaniſſimis colloquiis, & inſuſurrationibus libidinis cauſam agant, & ſanctiſſima loca temerent: ergo zelotypi, & diuini honoris æmuli adeant forum, vt modeſtia ædificent, vt Dei verbum diſſeminantes ipſam Zizaniorum terram fructibus copio-
213. ſiſſimis ac maturis reddiderint abundantem.

(Geneſ. 19. v. 33. — Geneſ. 18. v. 23. — Geneſ. 19. v. 1. — Gregor.)

Nabucho rapacibus vnguibus inſtruitur, quò nitidioribus, diſcoloribuſque plumis vaniſſimè decoretur: aquilæ ſpeciem aſſumit, quò celerius ad prædam ſacrilegus inuolarit: libanum celſiſſimum montem nubibus coæquatum candoris incorruptibilitatiſque gloriam adit nec contentus eſt externas frondes auellere; ſed interiora cedrorum viſcera emedullare: *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu plena plumis & varietate venit ad libanum, & tulit medullam cedri. ſummitatem frondium eius auulſit, & tranſportauit eam in terram Chanaan*. D. Hieronymus ænigma interpretatus ſic ait: *Multis imperans nationibus, & innumerabili vallatus exercitu venit ſuper domum Dei, haud dubium quin templum ſignificet, ſiue, vt nunc Scriptura dicit, ad Libanum*. Vides quanta cupiditas temeritate, quantaque inſolentia Libanum conſtuprare, profanareque templum orbe celebratiſſimum pertentarit: ergo ne minus audeat virtutis amor, quàm vitij furor, Deus ad populum ex Ægypto educendum aquilæ ſpeciem aſſumit: *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, expandit alas, & aſſumpſit eum, atque portauit in humeris ſuis*. Ægyptus tenebrarum erat regio, vitiorum Libanus: ibi idololatria vti proprio in domicilio vigebat, ibi ſæua tyrannis opprimebat virtutem: quid ergo? Faciem Dominus aſſumit aquilæ, vt criminis emporium petat, & miſeros captiuos eripiat; ſi Nabucho aquilæ mutuatus plumas ſacratiorem inuolauit ad curiam, vt ingenuos iugo traderet, ac ſeruituti duræ ſubiiceret. Diſpoliauit aquila varietate ornata religionis templum; ſed & aquila idololatriæ ſpoliauit aſylum: inuaſit altera virtuti dicata; ſed altera inuaſit & vitio addicta: celeri volatu altera petiuit Ieroſolymam pacis ac lucis prouinciam: petiuit altera Ægyptum confuſionis, & caliginis patriam: eripuit altera ingenuos, vt traderet ſeruituti, captiuos extraxit Lyra. altera, vt traderet libertati. Opportunè Lyra: *Inuenit eum in terra deſerta, id eſt priuata Dei cultura, in loco horroris, quia Chaldæi colebant ignem tamquam Deum, quod eſt horrendum: ſecundò ab errore Ægyptiorum, à quo reuocauit eos*. Hæc aquila, vt ad lucis locum captiuos transferret, ad locum inuolauit horroris, ſi illa, vt ingenuos ad locum transferret horroris, inuolarat ad patriam lucis. Diſce ergo à deteſtandis malitiæ auſibus piam pro virtute audaciam, &, ſi fas eſt dicere, laudabilem inſolentiam.

(Ezech. 17. v. 3. — Hieron. — Deuter. 32. v. 11.)

§. XLIX.

Dei verbum magna attentione eſt auſcultandum, & reuerenter audiendum.

Dei verbum ea coruſca diuinitatis luce reſplendet, & maieſtate ſemper augu- 214.
ſta nitet, vt ad reuerentiam aures compellat, & ſibi totum attentionis ſtudium dicari expoſcat. Eam leonis rugitui reuerentiam animalia reliqua exhibere traduntur, vt gradum figant, & quaſi ſuſpenſa attentione exaudiant. Vox Principis ſitienti aure percipitur, & ambitioſa obſeruatione auſcultatur. Qua ergo veneratione non humani, ſed diuini Principis excipienda ſunt verba, in quibus tota animæ vulnerum medicina. Aptè Caſſiodorus Caſſiodor. lib. de diuin. lection. cap. 16. *Verbum non inaniter cadens, nec tardat effectus, quod promittit affatus, obedientibus conferens æternam ſalutem, ſuperbis reſtituens perenne ſupplicium: atque ideò non ſolùm audire; ſed implere ſanctis operibus commonemus*. Addit poſt aliqua Aurelius. *Quot verba, tot præmia, quot ſententiæ, totidem vltiones, nihil vacat ab vtili doctrina, niſi cùm ſilet lingua magnalia. O ſi nunquam ceſſaretur à talibus, peccatis profectò tolleretur locus, ſi otioſum tempus non haberet mens inquieta mortalium*. Profectò & Regia diuini verbi maieſtas, & grandis audientis vtilitas ad religioſum cogunt aures obſequium, ne ignauè aut faſtidioſè percipiat, quod iure deuotionem citat, & honeſtam cupiditatem inflammat. Aod Eglonem idololatram adit ſecretum verbum ſe habere teſtatus: *Verbum ſecretum habeo ad te ô Rex*: ille audiendi cupidus iubet ſatellitium abire, & ſedens in throno imperat ſecreta proferri; verùm Aod non humanum; ſed diuinum nuntium aſſerit ſe proditurum:

(*Peccatis occaſio tollitur, ſi etiam lectione vtili reſecatur.*)

Verbum

Digitized by Google

Verbum Dei habeo ad te. Quid tunc? Nuntium
Dei nomine miſſum ea veneratione colit, vt è
regia ſella ſurrexerit, quo ſtudioſius & religio-
ſius audiuerit: *Statim ſurrexit de throno.* Ecce qui
antea ſecreta auditurus ſedit, Dei verba perce-
Caietan. pturus aſſurgit, vt vel ethnicus Chriſtianorum
ignauiam de audiendi reuerentia confundat.
Adeſt Caietanus ad hunc locum: *Nuntius Dei*
quanto honore aſſiceretur, teſtabatur aſſurrectio
Regis. Humana auditurus iuberet genuflecte-
re nuntium; at percepturus diuina corporis
habitu venerationem oſtendit, & qualiter con-
Abulenſ. cio Dei nomine accipienda ſit, docuit. An-
nuit Abulenſis quæſt. 22. *Nunc dixit quod ha-*
bebat verbum Dei, vt rex deſcenderet de thro-
no, qui ſtatim ſurrexit de throno in reuerentiam
verbi Dei, vt non audiret illud ſedendo. Satis fuit
ethnico & idololatriæ Regi putare ad ſe Dei
verbum delatum, vt exhibuerit aſſurgendo re-
uerentiæ teſtimonium. Adde Deum, cuius ver-
bum Aod aſſerebat ſe afferre, ab Eglone Rege
non coli: erat enim Eglon idolorum cultor; ſa-
tis tamen illi fuit ſuſpicari prodendum ſibi
verbum, Dei, vel quem non colebat, nomi-
ne afferri, vt ſtatim thronum reliquerit. Ita
Abulenſis quæſt. 23. *Siue eſſet Deus Hebræorum,*
ſiue gentis cuiuſcumque, Rex Eglon ducebat illum
dignum honore: ideo non curauit petere, cuius
Dei eſſet verbum illud; ſed illico vt audiuit quòd
erat verbum Domini, ſurrexit de throno. Vtinam
hæc ethnici reuerentia noſtram non condem-
net ignauiam, quando non Dei alterius gen-
tis; ſed quem colimus, quem adoramus, ea
ſacris irreuerentia ſolemus aſſiſtere, vt non tam
videamur religioſum præſtare cultum, quàm
oſtentare contemptum. Diſcant ab Eglone
Chriſtiani qua debeant Dei verbum deuotione
percipere, quando illum Dei à ſe non adorati
verbum conſtat relicto throno auſcultare.

215. Oues agenti Moyſi Deus obiicitur in rubo
fulgentiſſimo flammis correpto, & periculi
prorſus inſcio: Moyſes prius hæſit prodigij
nouitate ſtupens; verùm vt ſe tantiſper recepit,
videndi propiùs auiditate inuolauit; ſed cur-
Exod. 3. v. 5. ſus reprimitur, & ſoluere calceamenta iu-
betur: *Solue calceamentum de pedibus tuis.* Va-
rias huius præcepti cauſas Patres afferunt: placet
Theodoret. inter alios Theodoretus quæſt. 7. qui putat hac
Dei verba cum timore excipienda. reuerentia ad diuina percipienda verba præpa-
rari, & quanta debeant deuotione ſuſcipi, præ-
moneri: *Duo arbitror per hoc ſignificari: Primum*
quidem vt religioſiorem hac ratione illum redderet.
Aptius ipſe Theodoretus apud Lippom. *Duas*
res hoc loco ſignificare mihi videtur: primo ipſum
magis ac magis religioſum ac reuerentem his ver-
bis Dominus Moyſem reddit, vt cum tremore
mandata auribus accipiat. Vox è rubo deferreba-
tur, quæ Moyſem contra Ægyptios armaret,
quæque futura edoceret, & ne Moyſes, vti ſo-
lebat audire humana, audienda exiſtimet ver-
ba diuina, iubetur & calceamenta ſoluere, &
totis attentionis viribus, quod dicitur, auſcul-
tare. Nec myſterio vacat calceamentis nudari,
cùm iubetur aures attentas præbere: hoc enim
ſigno olim ſolebat fieri renuntiatio: ergo Moy-
ſes omnibus curis iubetur renuntiare, vt Dei
verbum reuerenterq; poſſit audire: *Nonnulli tradi-*
derunt, addit ibi Theodoretus, *Moyſem iuſſum*
fuiſſe, vt calceamenta ſolueret, hoc eſt, vt huius vitæ
curas, atque ſollicitudines deponeret. Ne mens va-
riis diſtracta negotiorum curis Dei verbo oſci-
tanter attenderet, neue inde traheret de irreue-
rentia periculum: vnde accipere deberet cala-
mitatis remedium, omnes, quo tempore vox in-
ſonuerit diuina, curas monetur longè aman-
dare, & opportunius in tempus mittere. O nos
miſeros, qui frequenter ea ſedulitate euanidis
& ſæcularibus ſtudemus, qua diuinis verbis at-
tendere debebamus! Moyſes calceamenta depo-
nit, hoc eſt curis omnibus, & negotiis renun-
tiat, vt religioſius, attentiuſque Numinis ſer-
monem audiat, *Vitæ curas ac ſollicitudines deponit.*

Ezechiel pulcherrimo ænigmate quanta Dei 216.
verbum reuerentia, quanta ſtudioſitate fuerit au-
diendum, nos edocet, dum ſe vidiſſe teſtatur Dei
gloriæ quadrigam nobiliſſimorum animalium Ezech. 1.
humeris vectam: alas, inquit, habebant animalia, v. 24.
quaſi illa pigeret pedibus terræ inhærere, &
altius ambiuerint inuolare: *Audiebam ſonum ala-*
rum, quaſi ſonum aquarum multarum, quaſi ſonum
ſublimis Dei: cùm ambularent, quaſi ſonus erat mul-
titudinis: verùm cum cæleſtis vox reſonaret, non
ſolùm abſtinebant curſu, ſed etiam gradu: *Cum*
fieret vox ſuper firmamentum, quod erat ſuper caput
eorum, ſtabant, & ſubmittebant alas ſuas. Profectò
à ſe ipſis diſſidere ſacra hæc animalia videntur:
ſi cæleſti impulſu aguntur, ſi eo ardore inuolare
diſcupiunt, vt ipſam pernicitatem incuſauerint
lentitudinem, cur modò alarum remittunt ſtu-
dia, & hærere videntur immota? O intermiſſio-
nem arcanis myſteriis plenam! Alas mouebant
animalia, vt illarum ſonitus plures dormientes
excitaret, & ſacro ſtrepitu commoneret; ſed vt
ſibi etiam conſulerent, aliquãdo ſtant, alaſque
ſubmittunt, quo de ſacro illo otio inſtruatur
celerior curſus, ocyorque volatus: ſibi audiunt, vt
aliis poſteà loquãtur: quieſcunt aliquo tempore
diuinis prorſus intenta, quò ſtudioſiùs valeant
aliis enuntiare ſalubria. Dum quieſcunt ſuum, &
aliorum negotium agunt: nam indefeſſas otium
conſeruat vires, quas tantiſper defatigarat vo-
latus. Benè; ſed theſi noſtræ accedamus propius.
Notanter ait Propheta alas tunc ſubmitti, cur-
ſumque ceſſare, cùm ſacra vox reſonat, & anima-
lium aures cælitus perpulſat: *Cùm fieret vox, ſta-*
bant, & ſubmittebant alas ſuas. Dei verbum reue-
rentia, auiditateque ea excipiunt, vt mouere pẽ-
nas non audeant, gradumque ſuſpendant: ab
omni opere prorſus ceſſant, intermittunt volan-
di ſtudium, & ipſo corporis habitu reuerentiæ
teſtantur obſequium. Adeſt Gregorius Magnus Gregor.
hom. 8. in Ezechielem: *Cùm vox ſuper firmamen-*
tum fit, ſtant animalia, & ſubmittunt alas ſuas; quia
ſanctorum mentes, cùm Creatoris ſui potentiam *Vel eximiæ*
intenta contemplatione conſiderant, vileſcunt eorum *virtutes Dei*
animo virtutes, quas habent, & tanto fiunt apud ſe *vocem au-*
humiles, quanto eis illud aliatum eſt, quod ſuper *dienti humi-*
Angelos ſonat. Gradum animalia ſiſtunt, ſonum *litate vileſ-*
alarum deponunt, cum audiunt: & quidem *cunt.*
dum ita audiunt, humilitatem addiſcunt, &
Numinis maieſtatem perfectius agnoſcunt.
Hinc noueris cur plures Dei verbum ſæpius
audientes nec augeantur virtutibus, nec de-
nudentur criminibus: quia ſcilicet ſtrepitu ne-
gotiorum diſtracti attentionis pedem non fi-
gunt: & quamuis exterius vox pulſet auditum,
rarò aut nunquam refert animum. Cæleſtia hæc
animalia imitare, ſi vtiliter exoptas audire.

Sponſa, vt nos Dei vocem vtiliter percipere 217.
ſuo doceat exemplo, ſe operatorio correptam

Cantic 5.v.2. teſtatur ſomnio: *Ego dormio, & cor meum vigilat: vox dilecti mei pulſantis.* Addit qui effectus auditionem ſit comitatus: *Expoliaui me tunica mea, quomodò induar illa? Laui pedes meos, quomodò inquinabo illos?* Et ſomnum & vigiliam mirè coniunxit: *Ego dormio & cor meum vigilat:* quò aures pulſantis verbi vocem ſtudioſius ac reuerentiùs audirent, ab omni rerum ſtrepitu, ab omni terrenorum ambitu dormiens ſenſus auertit, & curas omnes ſopiuit, vt mundo dormiens attentiùs vigilaret vocanti, & attenderet ſtudioſiùs dicenti. *Eſt ſomnus ſanctorum*, ſcribit hìc Ambroſius, *feriatus ab omnibus corporis voluptatibus, ab omni animi perturbatione tranquillitatem menti inuehens, placiditatem animæ, vt tamquam ſoluta nexu corporis ſe ſubleuet, & Chriſto adhæreat. Hic eſt ſomnus vitæ ſanctorum: dormiat caro tua, vigilet fides: dormiant illecebræ corporis, vigilet cordis prudentia.* Sic Sponſi vox auditur, ſic Sponſa & veterem Adami tunicam deponere, & pedes emaculare edocetur. O quàm nec manus tactum ſentiret, nec vtili terrore concuſſa timeret, ſi è contrario cor dormiret, ſenſuſque vigilaret! Profectò rerum tumultus, curarum torrens, negotiorum illuuies adeò malè vigilantem opprimerent, vt non ſolùm vocem non audiuerit; ſed nec tactum vtili terrore perſenſerit; at Sponſa vocem audit: *Vox dilecti mei pulſantis*: & quid præcipiat, agnoſcit: *Aperi mihi ſoror mea:* qualeſque vocem effectus ſecuti fuerint, adiungit, dum ait: *Expoliaui me tunica mea, laui pedes meos:* vt noueris debere illecebris carnis prorſus dormire, qui diuina cupit voce pulſari: quàm priùs vox Sponſam inſtruxit, tactus timere perdocuit: auditum comitatus eſt tremor, & totum hoc, quando ſenſus ab omni terrenarum rerum ſtrepitu quieſcebat feriatus, & diuinæ voci excipiendæ attentiſſimè cordis inuigilabat auditus.

Ambroſ. *Cordis vigilat prudentia, cùm carnis dormit inertia.*

§. I.

A Deo electus ſuperior proprio labore ſubiectorum procurat commodiſſimè aliquando ſuo illorum arcet pericula.

218. QVi dignitatis culmen inſcendit, irrequieta debet ſolicitudine laborare, & ſubiectis prouidenter conſulere: ipſa ſublimitas ſuperiorem ſuratur ſibi, vt reſtituat optimum ſuis. Profectò aptè de ſuperioribus dici poteſt, quod Caſſiodorus 1.var.11. de fidei publicæ miniſtris ſcripſit: *Superiorum officium ſecuritas ſolet eſſe cunctorum: quoniam ius omnium eius ſolicitudine cuſtoditur: alios enim depopulantur incendia, alios nudat furtiua ſubreptio, nonnullis negligentia perit, quod diligens auctor acquirit; ſed de fide publica robuſtiſſimè reparatur, quidquid à priuatis amittitur: diligentior eſt in alienis, quàm poteſt eſſe cura de propriis: non admonitus facit, quod vix rogatus impleret.* Pro ſalute ſuperior excubare debet cunctorum, & propria putare damna, quæ ſuorum ſentit pericula: regere eſt officium, non commoditatis augmentum, aut vtilitatis lucrum: dormiunt reliqui, dum ipſe vigilale tenetur, & ne quis vel leue patiatur damnum, ſubit ipſe ſæpè periculum: qui ſe dignitati ſubiecit, ſibi ſe eripuit: nec ſectari debet otium, cui commiſſum eſt aliorum imperium: poterit aliquando ſubiectus laborem intermittere, & honeſto otio moleſtias aliquantulum releuare; at qui tenuit alta, nunquam debet ceſſare à cura. Ecce ſacra illa animalia; quorum ceruicibus Dei aureus, fulgentiſſimuſque currus vehebatur, alas aliquando tantiſper demittunt, & volandi auiditatem deponunt: *Cùm fieret vox ſuper firmamentum, quod erat ſuper caput eorum ſtabant, & ſubmittebant alas ſuas.* Conferamus, ſi placet hunc locum cum illo Iſaiæ 6. vbi Seraphini throno eminentes irrequietè agitant alas, & per aëra librant continuò pennas: *Duabus volabant.* Ezech.1. v.25. Quæres cur Seraphini volandi nunquam intermittant ſtudium, cùm Cherubini & alas intermiſſione recreent, & gradum ſiſtant. Alibi ait: *Stabant, & ſubmittebant alas ſuas.* Alibi: *Duabus volabant.* Et ne nobis difficilis diiudicandi eſſet ratio, textus explicuit cauſam diſcriminis, cùm Seraphinos prodidit eleuatos ad thronum, & altitudinem dignitatis: *Seraphim ſtabant ſuper illud.* Qui parent Cherubini, qui ſuper capita nobile iugum, & expetendum onus geſtare videntur, aliquando otio indulgere, & abſtinere curſibus comprobantur, at qui, vt decet, ad apicem dignitatis euectus eſt, nec poteſt Seraphinus quieſcere, nec arcanis volatibus vnquam ceſſare. Hinc voco, quod aiebat Gregorius Magnus lib.6. regiſtri epiſt.4. *Qui regendam nauem ſuſcepit, tantò ampliùs neceſſe eſt vigilet, quanto ampliùs littus relinquit: vt aliquando futuras procellas ex ſignis præuideat, aliquando venientes aut directo clauo, ſi paruæ ſint, ſuperet, aut ſi vehementer intumeſcant, dato in obliquum latere irruentes declinet, & ſæpè ſolus vigilet, cùm cuncti illi, quibus nulla nauis cura commiſſa eſt, quieſcunt.* Dormiunt placidè ſæpè parentes, qui imperat, & ſomnum debet curis intercipere, & vel dormiens imminentibus periculis prouidere. Aod populi iudex delectus, vel inter dormiendam ſatagit de ſalute cunctorum: teſtatur ipſe Regem alloquens: *Verbum Dei habeo ad te.* Ioſephus 5. antiquit cap.5. ſomnium putat fuiſſe: *Iubet eum ſurgere dicens habere ſe ſomnium, quod ex Dei mandato regi ſit indicandum.* Dormiens didicit quod omnibus ſibi ſubiectis prodeſſet. Ad hæc cum comitibus aſſociatus munera regi obtuliſſet vſque ad Galgala proſecutus eſt ſocios, quibus dimiſſis rediit, & illuſtre facinus, tyranni ſcilicet mortem intrepidus perpetrauit. *Proſecutus eſt ſocios, qui cum eo venerant, & reuerſus de Galgalis, vbi erant idola, dixit ad regem, &c.* Quærunt Patres, cur ſocios dimiſerit, & ſolus tem adeò ad ſpeciem difficilem fuerit aggreſſus: *Quæret aliquis*, ſcribit Abulenſis quæſt.19. *quare nunc reuerſus eſt Aod de itinere ad occidendum regem, cùm potuiſſet priùs, quando obtulit munera idem facere, quod poſteà fecit?* Tempus videtur deterere Aod in eundo, redeundoque; verùm de hac temporis vtiliſſima iactura munus ſuum decantanda cumulauit ſæculis gloria: ſtudioſiſſimè curauit ſecuritatem ſuorum, cùm ipſe, vt fruerentur libera tranquillitate duriſſimo excuſſo iugo non dubitarit adire grande periculum, & proprio diſcrimine procurare ſubditis commodum: *Non expediebat*, addit Abulenſis, *quòd manerent ſocij in loco, in quo occideretur rex Eglon, quia aliqui ex puſillanimitate obſtupeſcerent, & mutarent colorem, in quo Moabitæ, qui aderant, colligerent argumenta*

Iſai.6.v.2. Gregor. Ioſephus. Abulenſ.

Caſſiod. *De fide publica reparatur, quod à priuatis amittitur.*

menta malorum, & poſſet impediri factum, vel tenerentur Iſraëlitæ: ſubiungit paulò pòſt. *Ideò voluit ipſe ponere ſocios ſuos in loco, in quo de eis iam timendum non eſſet, & tunc ipſe expeditus rediit ad faciendum quod intendebat.* Suorum incolumitatem proprio labore tuetur, & periculo proprio iudex prouidentiſſimus cunctis requiem adipiſcitur: vt diſcant, qui dignitatis aſcendunt celſitudinem, labore proprio, commodo conſulere alieno.

219. 1.Reg.16. v.23. Dauid in regem vnctus curiam intrat malo ſpiritu exagitato medicamentum laturus. *Quandocumque ſpiritus Domini malus arripiebat Saul, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat: recedebat enim ab eo ſpiritus malus;* verùm Saul furore percitus medicinæ pretium cædem Dauid obtulit; ſed Dauid teli expectationem fruſtratus fugit. 1.Reg.18. v.10. *Poſt diem autem alteram inuaſit ſpiritus Dei malus Saul, & prophetabat in medio domus ſuæ:* Dauid autem pſallebat manu ſua ſicut per ſingulos dies: tenebatque Saul lanceam, & miſit eam putans, quod configere poſſet Dauid cum pariete, & declinauit Dauid à facie eius ſecundo. Profectò dum Dauidis proditur ſecunda fuga ad ſpeciem ſugillatur prudentia. Quid intereſt Saul impurato ſpiritu torqueatur, aut furiis dilaceretur? Vitæ ſuæ conſulat, & dignitati in regem iam vnctus prouideat. Imò, inquit Baſil. Seleucienſis orat. 15. fuga hæc, & immiſſa haſta muneris ſunt ornamentum, & grande regis elogium, quandoquidem vel temporalis ſalutis periculo animæ à dæmone obſeſſæ ſuccurrebat, & de proprio, ſi fas eſt dicere, diſcrimine medelam damno vrgentiori parabat. Æqua rationis trutina expendit, & animæ ab impurato ſpiritu damnum, & temporale, quod ſubibat ipſe, periculum, tantoque ardore inflammatus ſubiectorum commodis attendebat, vt deſpiceret plagam; imò & offerret pro ſalute ſubiecti vitam: *Dauid adepta victoria lenitatem immenſam, quaque prophetam deceat, ac morum facilitatem præſefert: iterum enim rege Saule furore percito, & mente alienato Dauid Lyram, qua medicinam faceret, retractat, cantione vice medicaminis malum leniens.* Docuit ſuperiores quomodo cum furore percitis, mentequealienatis agendum fuerit, blanda ſcilicet voce, & cantu non exacerbante; ſed demulcente: fortis manu, vt gigantem miſſo lapide obſeſſum poſſet comprimere; verùm regiminis forma edocuit cum belluis, & cum hoſtibus decertandum, ſubiectis verò medendum. Itaque dignitatis impleuit formam; dum proprio periculo ſubiecti animæ parans medelam: *Producit in medium gratia,* dixerat Seleuc. Baſilius, *vere regem ſe factis declarans:* ſuo ſe facto regem prodidit, cùm proprio labore; imò & ſalutis iactura ſubiectorum prouidit commodis, & animæ medelam attulit damnis.

Seleuc. *Cum furore percitis leniùs agendũ.*

220. Iob.26.v.5. Iob de ſuperioribus agens aiebat: *Ecce gigantes gemunt ſub aquis;* verùm quò hic tendat gemitus, alius ſcripturæ locus explicuit, vt ſcilicet ſubiecti ſicco pede profunda maris calcarint, & ad riparum tuta peruenerint: *Filij Iſraël ambulauerunt per ſiccum in medio eius.* Exod 15. v.19. Gigantes, qui ordine poteſtatis; quique dignitatis culmine præ aliis excellunt confuſis aquarum voluminibus colluctantur, & gementes vel ſub aquis ſudant, quo ſiccum tramitem, & ſubiectorum veſtigiis facilem adaperiant. Tranſeunt Iſraëlitæ puluerulento veſtigio, quia iam gigantes grandi labore denudauere fluctibus alueum. Huc voco Gregbrium citatum: Iuxta Ioannis vocem aquæ populi ſunt, & gigantes ſub aquis gemere eſt, quia quiſquis in hoc mundo quaſi quadam corporis mole ordine poteſtatis excreuerit, tantò pondera maioris tribulationis ſentit, quantò ſuper ſe regendorum populorum curam ſuſceperit. Sed ſi ſancti Spiritus virtus afflictam mentem afflauerit, protinus hoc, quod Iſraëlitico populo corporaliter factum eſt nobis ſpiritaliter contingit: ſcriptum quippe eſt: *Filij Iſraël ambulauerunt per ſiccum, & medium mare.* Profectò qui ſub poteſtatis onere non fictè gemit, Deum, ſi fas eſt dicere ad viam periculis ſibi denudandam cogit, quem ſenſum Gregorij verba videntur habere; ſed & noſtræ theſi poſſumus decenter aptare: Ecce filij Iſraël ſuſpenſis vorticibus ſtupefactis vndis per medium maris puluerulenti procedunt, dum gigantes ſub aquis ingemiunt, dum Moyſis ſcilicet auditur clamor, dum manum virga obarmatam eleuat, & cum vorticibus pugnat: *Dixit Dominus ad Moyſem: Quid clamas ad me: Loquere filiis Iſraël, vt proficiſcantur; tu autem eleua virgam tuam, & extende manum tuam ſuper mare, & diuide illud, vt gradiantur filij Iſraël in medio mari per ſiccum.* Vides gigantem gemere, vides marinos fluctus diuidere, vides manum armatam virga leuare, & hoc totum, vt Iſraëlitæ gradiantur per ſiccum, & deluſerint aduerſarium: de proprio gemitu, de proprio labore Moyſes ſubiectis ſuccurrit, & vias tutiſſimas aperit. O quàm aliter fieri ſolet! De ſubiectorum periculis nonnulli ſuperiores rumori ſuo adulantur, & quo cæciſſimè ambitionis adimpleuerint vota, ſubiectis conciliauere, pericula.

Gregor. Exod.14. v.15.

221. Ioan 7. v.32. Ecce ſcribæ, & Phariſæi inuidia in Dominum æſtuantes, & ambitione furentes miniſtros, qui Chriſtum apprehenderint, non ſine periculo legant: *Audierunt Phariſæi turbam murmurantem de illo hæc, & miſerunt Principes & Phariſæi miniſtros, vt apprehenderent eum* Et cur ipſi Principes non contendunt: Vt ſe, inquit hic Theophylactus, ſuperiores peſſimos prodant: ſibi ſubiectos periculo obiiciunt ambitionis ſtudio, & inanis gloriæ deſiderio. Accipe Theophylactum: *Miſerunt; ſed non ipſi venerunt metuentes turbam, ne tumultuaretur, & propterea miniſtros mittunt, ſeipſos ſubducentes, ne quid periculi ſuboriretur; illos autem furori populi exponentes.* Subiectos periculo exponunt, inuidiæque furori obiiciunt, cùm, vt ſuperiorum munus implerent, debuiſſent ſe pro ſubiectis obiicere, & pericula pro virtutibus deuorare. Theophyl.

§. LI.

Manum admoueat operi, qui ſubiectos cupit parere virtuti.

MVlta, obuiaque inueniuntur, quæ doceant ſubiectos non tam cogendos mandatis, 222. quàm alliciendos exemplis. Paſtori, dum greges ſequitur, opus eſt aliquando illas ſtimulis adurgere, at dum ante illas vadit, pro ſtimulis ſunt exempla, & antecedentis veſtigia: *Oues vocem eius audiunt* (verba ſunt Chriſti Domini Ioannis 10.) *& proprias oues vocat nominatim, & educit eas, & cum proprias oues emiſerit, an-* Ioann.10. v.4.

te

Digitized by Google

te eas vadit, & oues illum ſequuntur. Fortè, ni præiret, oues aut non calcata timerent, aut allectæ voluptatibus deuiarent; verùm dum præcedunt exempla, depellunt ſine violentia pericula.
D.Thom. *Exempla ſunt pro miraculis ad mouendum.* *Emittit ſiquidem eas*, ſcribit Gloſſa D. Thomæ, *de tenebris ignorantiæ ad lucem, dum ante eas vadit, quaſi in columna nubis & ignis.* Exemplum ſanè pro miraculis eſt ecce conſequitur ab ouibus paſtor, quod olim nubes conſecuta eſt ab Hebræis: nube illa obſcuræ caliginoſæ noctis tenebræ depellebantur, ſolares radij frangebantur, ardores temperabantur, quibus retto inuiſis Iſraëlitæ allecti miraculis Ægyptiaca vincula ruperunt, & in deſerto frequentes errores deuitarunt. Quod ergo tunc Iſraëlitæ miraculis, oues modò perficiunt paſtoris illectæ exemplis. Imò vt exemplorum melius efficaciam expendas, recole Hebræos ſæpeſæpiùs à recto itinere deflexiſſe, & votis ad Ægyptum inuolaſſe: *Reuertamur*, aiebant, *in Ægyptum*; at oues à recto veritatis tramite nullatenus deuiant: quia paſtor ſequenda veſtigia ſignat. Magnam adeò vim ſortiuntur ad perſuadendum exempla, vt videantur ſuperare miracula. Aod occiſo iam Eglone, vt Iſraëlitas in aduerſarios viuidiùs inflammet, buccina inſonat, & in fronte exercitus antecedit: *Inſonuit buccina in monte Ephraim, deſcenderuntque cum eo filij Iſraël ipſo in fronte gradiente.* Dum ante reliquos graditur, celebri populus victoria potitur: nec contentus eſt ciere contra inimicos clamore; ſed & operibus nititur inflammare: & quidem fortè non accenderet, aut accenderet parum buccinans, & accendit ardentiſſimè Martem cæteris antecedens: vtrumque ſatis opportunum fuit, inclamare ſcilicet, & ante reliquos pergere: nam qui mouebantur ſono, proſequebantur
Abulenſ. exemplo. *In hoc*, ſcribit Abulenſis quæſt. 18. *reddebat eos attentos ad agendum, quod ipſe ageret, & ob hoc ipſe præibat in fronte exercitus: quia volebat quòd cæteri ſequerentur eum.* Qui non præeunt, caſſis non rarò clamoribus fatigantur: quia ſubiecti acriùs accenduntur exemplorum viſu, quàm præceptorum auditu, iuxta illud: *Mouent leuius demiſſa per aures, quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus.*

123. Cùm Chriſtus Dominus in deſerto degeret, & poſt prolixa ieiunia, quod erat humanæ naturæ, eſuriret, dæmon humana forma perſonatus accedit, pietatem ſimulat, cùm ad cædem accurat, lento & compoſito greſſu mentitur virtutem, demiſſis ſuperciliis modeſtiam, verbis
Matth.4.v.3. Chryſol. ſupplicibus humilitatem: *Si filius*, inquit, *Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant.* Chryſologus ſerm. 11. quo pollebat acumine tentatorem verſutiſſimum inſimulat imprudentiæ: *Miſer, malus vis eſſe; ſed non potes; tentare cupis, ſed neſcis.* Et quæ dæmonis in tentando ignorantia? Verbis ſolùm incitaſſe, & exemplis non allexiſſe: ſtultiſſimus apparuit, dum nihil agens credidit ſe incitare poſſe ad actionē: ſemper eius verſuta malignitas Chriſtum aggreſſa expectatione careret; at ſi lapides ipſe Magicis artibus in panes conuerteret, ſuam in tentando non oſtenderet imprudentiam, etſi oſtenderet temeritatis audaciam; aſt dum otioſus accedit, & audaciam prodit, & imprudentiam. Cupit tentare, dum ſuadet, dum verbis allicit, dum quantum in ſe eſt, impellit; ſed neſcit, quia quod non perſuadetur exemplis, tardè ſuadetur alloquiis. Et fortaſſis ſtultiam ſuam deprehendens, aliter ſequentes dæmon tentationes inſtruxit, & arma fortia arripuit: *Mitte te*, aiebat, *deorſum*: & inſuper: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* Ipſe de cælo ſe iactauerat ad profunda, ipſe ambitione inflammatus ceciderat: credidit ergo infelix ſibi felicius ſucceſſuras ſequentes tentationes de exempli efficacia, quàm prima ſucceſſerat de coloratæ pietatis fallacia, & eloquentiæ peritia: *Mitte te deorſum*, aiebat Chryſologus ſerm. 13. *vt de alto præcipitet validiùs in ruinam*; anteà tentauerat ieiunium violare donis; ſed vt validiùs modò tentet, caſum perſuadet exemplis: Vt noueris quantum in vtramque partem valeant exempla, & quanta exemplorum ſit efficacia. Chryſol.

Scribæ & Phariſæi compoſitis ſermonibus, eloquentiaque reſplendentibus audientes ad virtutem promouebant: dabant ad honeſtatem præcepta; ſed quæ potiùs grauarent pigritantes, quàm commendauerint exequentes: *Alligant*, aiebat Chriſtus Dominus, *onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum.* Et cur hæc onera nequeāt portari, ſi validus humerus recuſat nullatenus ſubiici? Iam explicat ipſe Dominus: *Dicunt, & non faciunt: Digito ſuo nolunt ea mouere.* Dum præceptor adeò ſe ignauum exhibet, vt nec admoto digito onus tāgere velit: vires onera portantis flacceſcunt, & iam infirmato robore onus nec poteſt excuti nec portari: aliquando humeros oneri ſubiiciunt admoti; ſed ſuccumbunt ignauia præcipientium tardati, quo fit, vt onus potiùs deſeruiat ad ignominiam ſuccumbendi, quàm ad valentiam commendandam portandi: *Duplicem eorum malitiam oſtendit*, ſcribit Chryſoſtomus apud D.Thomam: *vna quidem in hoc quòd ſine venia expetunt à ſubiectis ſummam diligentiam vitæ; aliam verò in hoc quòd ſibi ipſis multam concenunt licentiam: oportet autem bonum Principem è contrario ſe habere: in his enim, quæ ſecundum ſe ipſum ſunt, grauem iudicem eſſe, in ſubiectis autem manſuetum.* Profectò lenitas & aſperitas veluti indiuiduæ ſorores nunquam ſeparantur: qui ſibi aſper inuenitur cæteris lenis, vt qui ſibi lenis, faſtiditur omnibus aſper. Verùm altius expendamus, cur hæc præcepta appellentur onera importabilia, id eſt, quæ ferentis ſolùm vires diuexent, quæque ſolùm deſeruiant ad humeros deterendos & fatigandos. Sanè iam Chriſtus explicuit: *Dicunt*, inquit, *& non faciunt*, id eſt, quam docent legē, trāſgrediuntur, & quam expleri ſuadent verbis, inexplebilem reddunt peruerſis factis. Hæc ergo onera incomportabilia ſunt: quia plus poſſunt exempla ad lapſum, quam præcepta valeant ad curſum. Itaque miſer talium magiſtrorum auditor verbis impellitur, ſed exemplis alligatur: & dum detinetur validiſſimè exemplis, vrgetur & monitis. Adeſt Chryſoſtomus iam citatus: *Maximè accuſatione dignus eſt, qui doctrinæ auctoritatem habens legem tranſgreditur.* Subdit cauſam: *Quia plus corrumpit.* Quaſi dicat: Dum præcepta tradunt, homines per virtutis viam ad incedendum impellunt; ſed peruerſis exemplis ad obliquam viam, & erroribus plenam trahunt: ergo vt carina ſibi repugnantibus ventis agitata non progreditur; ſed feritur, & circumuoluitur; ita homo à Doctore præuaricatore monitus non progreditur; ſed ligatur: quia efficaciùs trahit Doctor operando, quàm in contrariam partem mouet docendo.

Matth.23. v.4.

Chryſoſt. *Superior ſeuerus ſit, cū ſubiectis blādus. Qui ſibi lenis, inuenitur cæteris aſper, & è contra.*

Chryſoſt. *Legis defenſor, ſi illam temeret, grauius delinquit.*

Dæmon

215. Dæmon inuidia ictus, dum ſerpentis facie perſonatus mulierem aggreditur, vt per mulierem validius hominem impulerit in ruinam, quàm ſi propria induſtria tentauerit conciliare Gen. 3. v. 1. miſeriam: *Serpens*, inquit, *erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem.* Profectò à calliditatis elogio eius actio diſſidere videtur: nam ſi ardet inuidia in Adamum, ſi illum vti generis caput anhelat deiicere, quo infelici iure ad poſteros tranſeat hæreditaria miſeria, cur prius non hominem; ſed mulierem aggreditur? Accedat prius Adamo, & aurea eloquentia ſuadeat diuinitatem ambire, & interdictum pomum contra diuinum præceptum rapere: nam ſi hoc Adamo ſuaſerit, citiùs venenatum aſſequetur ſtudium, & cumulabit peruerſiſſimum odium: mulierem aggredi tempus eſt terere. O peruerſiſſimam odij patientiã! Cogitauit ſerpens verſutiſſimus apud ſe, quòd ſi ipſe Adamo accedat, poterit verbis, quibus præſtabar, ſuadere; at ſeductam ſemel Euam poſſe ad præuaricationem allicere exemplis; & de peruerſitatis aſtutia elegit Adamum ſubruere, dum exempli mutam efficaciam, non dum elegantem parat facundiam. *Tulit de fructu illius & comedit, deditque viro ſuo, qui comedit.* Dum venenata cum muliere colloquia miſcet, illa addubitans præceptum opponit, & præuaricationem aliquantulum tempus differt; at dum mulier morſum iam oſtendit pomum citiſſimè ſine verbis ſuadet ad comedendum: Adamus non dicitur quidquam Euæ pomum largienti obieciſſe, cùm dicatur Eua aliqua colubro ſuadenti obiectaſſe: ea namque fuit exempli efficacia, ea manus rhetorica. Gregor. Lippom. Huc voco Gregorium apud Lippoman. *Cùm cibum ligni vetiti oſtendit, ad comedendum ſuaſit.* Aptiùs Lippomanus: *Accepit non ſerpens; ſed mulier de fructu ligni.... conſentit in opus prohibitum, peccandique proficiens conſortem ſceleris ineſcando virum præcipitauit.* Eua eſt ſeducta colloquio, Adamus præcipitatus exemplo: citius peccauit Adamus conſpciatus præuaricantem, quàm Eua colubrum percipiens loquentem.

216. Mirabar quàm facilè Iacob idola abſtulerit à Rachele, totaque familia, cùm Laban importuna ſcrutationis diligentia, grandique ſolicitudine non fuerit aſſecutus idola auferre, & ſimulacris Genes. 31. v. 16. filiam vaniſſimis ſpoliare: *Deluſa*, inquit textus, *ſolicitudo quærentis eſt.* Ecce anxia ſolicitudo deluditur, cùm non multò poſt Iacob blandis verbis Genes. 35. v. 2. ſuos, *Abiicite deos alienos, qui in medio veſtri ſunt,* admoneat: & præceptum obedientia promptiſſima comitetur: *Dederunt ergo ei omnes deos alienos.* Expende illud *ei*, ſcilicet Iacob, non Labano, ſed ſtatim pungit difficultas, cur Labanus intentatis ſuppliciis, fulminatis minis, & veluti exercitu comparato Rachelem priuare nequeat idolis, cùm Iacob facilè idola abiicere perſuaſerit; imò pluſquam perſuaſerit, obtinuerit: Ratio facilis: apud Iacobum nihil Labani diligentiſſima ſcrutatio inuenit; imò nec leui idololatriæ vmbra infici importuna quærentis ſolicitudo affirmauit. Ad hæc Dei domum aſcendit aram erecturus, & vnicum ac veriſſimum Numen inuocaturus. Ergo qui omni candore puritatis micabat, facilè ſuaſit familiæ idola abiicere, veſteſque mundare; at Labanus, quia idololatria conuincebatur obſcurus, nec minis, nec ſuperciliis, nec terroribus à filia idola auferre valuit, quamuis tota ſolicitudine armatus: parum mouebant Rachelem verba, quia patris contrarium docebant facta; at Iacob, apud quem Princeps huius mundi nihil, quod ad ſe ſpectaret, inuenit, facile omnibus idola abiicere perſuaſit: *Iſtud ergo myſticum*, ſcribit Ambroſius de Iacob & vita beata, Ambroſ. *quòd venit ad Iacob Laban, hoc eſt dealbatus, quia & Sathanas transfigurat ſe in Angelum lucis, & cœpit ab eo ſua requirere: reſpondit ei Iacob: Cognoſce, ſiquid eſt tuorum apud me, hoc eſt nihil tuorum habeo: quare ſiquid agnoſcis vitiorum tuorum, & criminum: nihil mecum abſtuli: fraudum tuarum dereliqui conſortia, illa non habeo, omnia tua tamquam contagium refugi, & quæſiuit Laban, & nihil ſuum reperit.* Ille, apud quem vitiorum non inuenitur contagium, facile à reliquis aufert idolum. Omnem familiam promouit ad virtutem, quia ipſe ſectatus eſt veritatem.

---

§. LII.

Vitia non ſolùm ſunt deterenda; ſed ad illa etiam itinera præoccupanda.

217. QVi celebrandos ſæculis triumphos exambit, non ſolùm debet in omne armari vitium; ſed & impedire ad illud prorſus acceſſum: vitiorum via laudabili ſolertia debet præoccupari, nec vel vni tranſitus impia pietate concedi: ſiquid vltoris manus euaſerit, copioſam conducet manum, & periculoſum citabit ad bellum: parum intereſt vnum, aut aliud vitium debellaſſe, ſi cætera non iacuerint occiſa; ſed pro tempore ſolùm amota: quæ modò fugiunt, opportuniori tempore accedent, & ſi acceſſerint, forſan ignauos ſubiicient: ſtultus vitiis concedit fugam contentus illorum ad tempus diſtantia; at ſapiens extinguit, ne premat iterum contingentia. Ecce Aod, poſtquam Eglonem occidit, Hebræos ad Martem accendit, & illius primum ſtudium eſt Iordanis occupare vada, ne Eglonis militibus aliqua remaneant effugia: nec enim triumphum putauit perfectum, ſi ſolùm fugauerit inimicum: *Inſonuit buccina in monte Ephraim, deſcenderuntque cum eo filij Iſraël ipſo in fronte gradiente: qui dixit ad eos: Sequimini me: tradidit enim Dominus inimicos noſtros Moabitas in manus noſtras. Deſcenderuntque poſt eum, & occupauerunt vada Iordanis, quæ tranſmittunt in Moab, & non dimiſerunt tranſire quemquam.* Parum nocere videbatur triumpho, ſi vnus aut alter Moabitarum ad Moabitas tranſiret, & tamen Aod totus eſt in itinere præoccupando, & hoſtibus impediendo: nec contentus fuit hoſtes abigere; ſed prorſus diſcupiit exterminare. Vel ab vno timuit, ſi ſupereſſet; imò ſi iter eſſet fugæ expeditum, & non militibus præoccupatum: *Deſcenderunt cum eo filij Iſraël*, ſcribit Abulenſis q. 28. Abulenſ. *non omnes Iſraëlitæ; ſed illi, qui congregari citò potuerunt de monte Ephraim: nam licèt magnam multitudinem potuiſſet congregare Aod: quia tamen interim Moabitæ fugientes tranſirent vada Iordanis, accepit quos potuit viros belli, & præoccupauit vada Iordanis.* Dum nulla ad vitium expedita remanet via, perfectiſſima lucet victoria, nec illuſtris adeò eſſet etiam Eglone

eccíſo,

occiſo, ſi Moabitis eſſet expeditum fugere, & ab Hebræorum caſtris diſtare: nam etſi tunc Eglonis morte obturbati non ruerent in arma, poſteà acriori impetu in occiſores mouerent prælia. Ergo Aod vti prudentiſſimus viam præoccupat, ne Moabitarum vel vni effugium remaneat.

128. Cùm Dei populus partis victoriis ad promiſſionis terram inuolaret, Balac, quia non poterat viribus, illorum plauſum aggreditur accidere incantationibus: Balaam ariolum importunis precibus, & pretioſis muneribus allicit, vt virtutem faſcinet arcanis auguriis, deteſtandiſque veneficiis: Balaamus, etſi initio coactus diſſenſerit, diſcupiebat tamen regi obtemperare, & ideò precibus ſecundis allectus viam carpit celerrimus; verùm Angelus populi patronus & cuſtos vianti obiicitur, & terroribus ambitioſum tardare aggreditur: *Angelus ad locum anguſtum tranſiens, vbi neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram poterat di-uertere, obuius ſtetit: cumque vidiſſet aſina ſtantem Angelum, concidit ſub pedibus ſedentis.* Profectò inutile videtur ſtudium in itinere deterrere, quem ipſo in termino facilè poterat impedire: expeditus Balaam concedatur tranſitus, quando longi itineris ſolùm erit vexatio fructus. Sanè ſi in ipſo termino Balaam auguriis vti liceret, non mirarer armatum Angelum vianti occurrere, & maturè ſtudium peſſimum impedire; at ſi perueniens liberum adhuc linguæ non habet vſum; ſed ſermonem format ad Angeli præcipientis arbitrium, quid intereſt tendat celeri greſſu, aut ambitioſo volatu? O profundam nobis eruditionem! Balaam, etſi approximauerit termino, populo nequibit nocere, aut auguriis faſcinare; ea tamen virtutis alumnus vtitur vigilanti ſolertia, & prouidentiſſima vigilantia, vt non ſolùm appareat contrarius culpæ; ſed etiam viæ. Viam impedit Angelus: quia quamuis progrediens nequeat virtuti nocere, oportet itinera præoccupare: *Ego veni*, inquit, *vt aduerſarer tibi: quia peruerſa eſt via tua, mihique contraria.* Non ſolùm culpa virtuti probatur aduerſa; ſed culpæ via: ergo Angelus, vt ſuo nos erudiat exẽplo, & peccatori opponitur, & peccatoris itineri: prouidentiſſimè impedit nequitiæ viam, quò ſecuriùs virtus floreat, & ſalus vigeat. Quod ſi Balaami, cùm nequeat in termino vti cõtra virtutẽ auguriis, impeditur prudenter iter; quàm damnabilis erit ignauia, ſi liberum tranſitũ reliquerit vitio, cùm nocere poſſit, ſi acceſſerit termino? Theodoretus quæſt. 42. ait: *Perterret illum tam aſini voce præter naturam miſſa, quàm Angeli viſione, vt cognoſcat quantam populi curam Deus gerat. Aiunt nonnulli Angelum illum eſſe Michaelem, qui populo præerat.* Profectò maledictio vatis inefficax in termino erat futura, quandoquidem Dominus diſſipat conſilia gentium, reprobat cogitationes populorum, & conſilia Principum; verùm ad prouidentiæ commendationem, vtiliſſimamque doctrinam, viam præoccupat, vt iam maledictio non ſolùm nequeat nocere; ſed nec populo propinquare.

Numer. 22. v. 26.

Theodoret. Michael Balaamo obuiat armatus.

129. Hoc fortaſſe conſilio cùm Paulus in diſcipulos Domini fureret, & imprudenti zelo inſaniret, in via proſternitur, & ſtudia mutare cogitur: putabat ille Chriſti ſequaces veritati inferre iniuriam, & virtuti incutere notam: vtque erat animo excelſo, labores deſpexit, paternas leges labentes iam ad ſpeciem; in integrum reſtauraturus; at dum auidiùs inuolat, voce cæleſtius emiſſa percutitur, &c., vt recipiat viſum, obſcuratur. Ananias à Domino mittitur, vt quem ipſe piè percuſſerat, benignè ſanet: & ſic lucet diſcipuli in perſequutorem benignitas, & Chriſti diſcipulo digna charitas. O quàm mirabile erat diuexatum diſcipulum perſecutori ſalutem afferre, & magiſtrum voce obſtupefactum Saulum frænare! Chriſtus ſuam vocat diſcipulorum cauſam: *Quid me perſequeris?* quia diſcipuli arbitrabantur alienam. Eo animo Ananias benefecit hoſti, quo inſeruiſſe poſſet parenti; ſed iam diſcipuli verba audiamus: *Saule frater, Dominus miſit me Ieſus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, vt videas*, &c. Fratrem vocat ſæuiſſimum hoſtem; quia nec inſania ferientis flammam ſopire potuit charitatis. Verùm inquiramus, cur Dominus Damaſcum ingreſſum non terrefecerit; ſed viantem adhuc frænatit? *Apparuit*, inquit, *tibi in via.* Poſſet ſanè Dominus confecta iam via Saulum reprimere, vt in via potuit frænare; verùm vt noſtram inſtruat diligentiam, vtque obuiandi vitiis præſcribat formam, non expectat ad terminum pertingentem; ſed in via reprimit ambulantem: præoccupat Dominus prouida impatientia viam, vt ſecuriùs à ſuis depellat offenſam. *Prohibendus erat*, ſcribit Interlinearis, *cùm appropinquaret ciuitati.* Saulus in via deterrendus erat, ne minus verus pro virtute tentaret zelus, quàm zelus tentarat fictus: Paulus namque viam virtutis præoccupare feſtinabat: *Acceſſit*, inquit, *ad Principem Sacerdotum, & petiit ab eo epiſtolas in Damaſcum ad ſynagogas, vt ſi quos inueniſſet huius viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Ieruſalem* Ecce Saulus ad virtutem viam præoccupare geſtiebat: ergo & Dominus in errorem præoccupat viam; prohibendus erat, cùm appropinquaret ciuitati, vt impediretur erroris via, quando Pauli erat ſtudium, vt via impediretur virtutis. *Acceſſit ad Principem*, ſcribit Chryſoſtomus apud Gloſſam, *petiit epiſtolas ab illo, vt vinctos caperet quotquot inueniret eſſe in via.* Quotquot in via ſalutis erant, perſequebatur, ne ad veritatis terminum peruenirent. Ergo Dominus viam etiam præcludit errori, ne ad terminum impietas accederet. Iure Aod vada occupat, nec Moabitis permittit viam: quia ſecurior erit victoria, ſi præpediatur citiùs inimicorum audacia. Adde hoc dæmonum eſſe ſtudium, non ſolùm impidire virtutem; ſed etiam ad virtutem negare viam: tunc enim ſecuriùs degunt, quia & iniquiùs agunt. 130.

Actor. 9. v. 17

Interlin.

Chryſoſt.

Impuratiſſimi ſpiritus miſeros homines diuexabant, & ſepulchra inhabitare cogebant: impuris erat pro deliciis fœtor, pro voluptatibus ſpurcus horror: nec iam in duos obſeſſos ſolùm deſæuiebat furor; ſed in omnes armabatur ſæuitiæ ardor: *Cùm veniſſet trans fretum in regionem Geraſenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia de monumentis exeuntes ſæui nimis, ita vt nemo poſſet tranſire per viam illam.* Et cur tranſitum denegant per hanc viam potiuſquàm per aliam? Quia via hæc, ſcribit Chryſologus ſerm. 16. tendebat ad locum, vbi tunc Dominus habitabat. Ergo dæmones contenti non ſunt ab hominum præcordiis auferre virtutem;

Matth. 8. v. 28.

Digitized by Google

virtutem; ſed geſtiunt impedire ad virtutem tranſitum, denegare curſum. Ecce conſummata ſæuitia, ecce pleniſſima rabies, non ſolùm odiſſe Chriſtum; ſed præoccupaſſe, impe-
Chryſol. diſſeque ad illum tranſitum. Accipe Chryſolo-
Vita dæmonis cura homines à Ieſu ſocietate ſeparare. gum: *Videtis quia dæmones venientibus ad Chriſtum præcluſerant viam, tranſitum denegarant: etenim dæmonum iſta cura, ne ad Deum homines poſſint reditum inuenire: non enim aliter poſſunt dæmones homines poſſidere, niſi eos ab auctoris ſui ſocietate ſubducant.* Dum patet via, etſi homines ignauè orientur, nec ad Dominum tendant, poſſunt tamen tendere, & peruenire; at ſi via præcludatur, & denegetur, iam impoſſibilis eſt acceſſus, quia & impoſſibilis tranſitus. Ergo dæmones non quieſcunt, dum amittendi homines ſuſpicantur periculum, & ideò ne illos diuexarit periculum, geſtiunt impedire tranſitum: viam præoccupant, ne tranſire quempiam permittant: *Dæmones venientibus ad Chriſtum præcluſerant viam, tranſitum denegarant.* Ergo Aod, vt vindicarit virtutem, venientibus ad dæmonem tranſitum denegat, & viam prudenti vigilantia præcludit.

---

§. LIII.

Non rarò alta poſſidentes ſunt crimini tributarij, humiles de vitiis triumphant glorioſi.

231. ADeò obſcuris ſæpè affectionum nebulis hominum obtenebrantur iudicia, vt nihil aliud ſtudioſiùs quàm ſuam ſatagant elaborare perniciem; nihil adeo faſtidire ſoleant, vt ſalutem: nam cùm ſæpè ſalus ſecuritaſque abiecta humilique ſpecie tegatur, & pernicies falſo nitore, & ambitioſa pulchritudine decoretur, ſuis imponunt oculis, & externis alliciuntur aut deterrentur. Profectò quæ videntur alta, prærupta
Plinius. ſunt, vt quæ deiecta, ſecura. Ita Plinius minor
Tutius per plana iter. lib. 1. epiſtolar. epiſt. 26. *Plerumque altis & excelſis adiacent abrupta: tutius per plana iter.* Videntur plures, dum ſumma nituntur aſcendere ſibi conſulere; ſed experientia miſerabili, tardaque dolent ſibi imprudentiſſimè refragari. Qui ſectatur humilia, ſæpè notatur ignauiâ; cùm tamen iter hoc ſit veræ prudentiæ. *Illi*, aiebat Se-
Seneca. neca epiſt. 90. *quos aliquod nemus denſum à Sole*
In purpura ſæpè verſat ſolicitudo. *protexerat, qui aduerſus ſæuitiam hyemis, aut imbris vili receptaculo tuti ſub fronde viuebant, placidas tranſigebant ſine ſuſpirio noctes: ſolicitudo nos in noſtra purpura verſat, & acerrimis excitat ſtimulis, mollem ſomnum illis dura tellus dabat.* Tuti ſecurique viuebant, qui rudi culmo vtebantur: laborant, qui auro teguntur. O quanta tributa impendunt anxietati, & ſolicitudini, qui altiſſimis exambiunt apicibus eminere: circa humilia nulla rixa, quia omnes aut auerſantur, aut fugiunt, aut contemnunt: ad culmina acerrimum omnium contendit ſtudium, & quauis ſolertiæ induſtria, quauiſque laboris patientia obtinere diſcupit votum: & quia ſæpè alta poſſideri nequeunt honeſtis artibus, deteſtandis poſſidentur criminibus. Profectò ſacer textus miris hiſtoriæ coloribus, quæ circa interiorem hominem accidant, nobis depingit: vtque noueris quàm inhoneſtis ſubiaceant tributis, qui alta poſſident, quàm coronentur lauris, qui ſectantur humilia, expende Aod poſtquam Eglonem occidit, cauo inſonuiſſe lituo; omneſque in monte Ephraim degentes conuocaſſe, vt infame iugum excuterent, & in aduerſarios deſcendentes impetu irruerent: *Inſonuit buccina in monte Ephraim, deſcenderuntque cum eo filij Iſraël, ipſo in fronte gradiente, qui dixit ad eos: ſequimini me: tradidit enim Dominus inimicos noſtros Moabitas in manus noſtras, deſcenderuntque poſt eum, & occupauerunt vada Iordanis, quæ tranſmittunt in Moab, & non dimiſerunt tranſire quemquam.* Ecce dum in monte degunt, dum altiora occupant, Egloni impendunt tributum, & coguntur tributis conteſtari ſeruitium; at dum deſcendūt, dum ſectantur humilia, iam non ſolùm dura non impendunt vectigalia; ſed digna inferunt aduerſariis ſupplicia. Aod diſertiſſimus, dum accendit Martem ad triumphum, admonet etiam deſcenſum: quaſi altè incedentes nequiuerunt non premi iugo, vti humilia ſectantes ornari lauro. Adeſt Ioſeph. lib. 5. antiquit. c. 5. *Eos* (id eſt hoſtes) *Iſraëlita præoccupato Iordanis tranſitu in fuga intercipiebant maximè circa ipſa vada, ita vt ne vnus quidem incolumis euaderet, atque ita Hebræi Moabitarum imperium excuſſerunt.* Ecce quomodò imperium excuſſerunt, montis ſcilicet deſerentes culmina, & Iordanis humilia occupantes vada. O quamdiu ni deſcenderent, inſeruirent! Quàm citò vicerunt humiles, qui graue ceruicibus onus in monte ſuſtinuere ſuperbi. Ioſeph.

Quàm feliciter de aduerſariis triumphet humilitas, quàm aduerſariis inſeruiat vanitas, veritatis oſtenderunt & æmulus & patronus. Diabolus poſtquàm Chriſto Domino acceſſerat humanitatis larua veſtitus, illique obtulerat lapideum panem, in celſiſſimum templi culmen euexit, & veluti duobus grauiſſimis ponderibus inopia ſcilicet & ſuperbia in præceps rueret: *Aſſumpſit eum diabolus in ſanctam ciuitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi, & dixit ei: ſi filius Dei es, mitte te deorſum.* O quàm magna erat virtutis exploratio inopem euexiſſe ad alta, quando & amor conſeruandæ celſitudinis, & nuditas paupertatis in improbum conſpirauere conſilium, admittendum inſtantes hoſtis virulentiſſimi imperium. O quot, dum alta poſſident, cenſuque ad pompam celſitudini debitam fraudantur, dæmoni ſe ſubiiciant, vtque auxiliares manus inueniant, ſe in præceps agunt. Quid Dominus? Alta deſpicit, & non cadens; ſed animas iuſtorum extrahit, ad inferorum humiliora deſcendens. *Multa*, inquit Euangeliſta, *corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt.* Ecce inimicus, vt de virtute reporter triūphum, ducit ad celſa; & Dominus, vt triumphum conſequatur de infernis, ſectatur humilia, quò liqueat omnibus humilitatem dæmoni ſemper aduerſam, vt elationem faſtigij appendicem virtutibus inimicam. Adeſt Chryſolog. ſerm. 13. *Non de pinna templi tantùm ſe dedit ad terram; ſed de cælis ſe ad inferos vſque iactauit, vt non cadentium forma; ſed eſſet reſurrectio mortuorum.* Chriſtus vt mortuorum ſit reſurrectio, deſcendit ad inferorum profundum; dæmon diſcupiens ſit cadētium forma, deduxit ad altum: ſciebat namque peruerſiſſimus hoſtis ſæpiſſimè altitudinem eſſe vectigalem vitiis, & oſtendit Dominus ſemper humilitatem floridis ornari lauris. O quàm efficax dæmonū venenum eſt magnitudo ſe honeſtè deiiciens, non alta ambiens! O quàm vitiis ſe multiplicibus ſubdit inopia ad altitudinem eleuata, & conſeruandæ celſitudinis ambitioſa! 232. Matt. 4. v. 5. Matth. 27. v. 53. Chryſol.

Zachæus, vt honeſta induſtria acquireret, quod natura illi negarat, ſycomorum inſcendit, Chri- 233.

 ſtum

Digitized by Google

Lucæ 19 v. 3. ſtum Dominum in tranſitu videndi percupidus: *Quærebat videre Ieſum quis eſſet, & non poterat præ turba, quia ſtatura puſillus erat: & præcurrens aſcendit in arborem ſycomorum, vt videret eum, quia inde erat tranſiturus.* Nouit turbam puſillis grandi impedimento eſſe, nec virtutis poſſe pectore fouere ſtudium, niſi vitarit eius conſortium: quia conſortio & annexum ſæpè contagium. *Senec. Nullus ſe turbæ committat tutò.* Quàm benè aiebat Senec. epiſt. 7. *Quid tibi vitandum præcipuè exiſtimes, quæris: Turbam: nondum enim illi te tutò commiſeris.* Qui nondum formatus, qui adhuc puſillus, grandi diſcrimine ſe turbæ committit: nam vt in natando tyro rapidiſſimorum fluctuum violentia inuitus rapitur, & circumuoluitur; ita turbæ illuuione virtutis tyro mergitur & ſuffocatur. Inſcendit arborem puſillitatis quærens remedium, ſuo facto docens poſſe honeſtum vires naturæ addidiſſe artificium; verùm quid Dominus pro ſua ſapientia? Non caſum imperat; ſed deſcenſum: eſſet namque caſus ſtultæ deſperationis, vt deſcenſus obſequentiſſimæ probabatur virtutis: Zachæe feſtinans deſcende. *Chryſol.* Quærit Chryſol cur imperetur deſcenſus, quando aſcenſus virtutis probabatur ſtudioſus: *Si benè aſcenderat*, inquit Chryſol. ſerm. 54. *quare ei dicitur, deſcende?* Profectò ob idipſum: deſiderium namque ab actione diſſidebat: cupiebat videre Dominum, & ad ſpeciem contrarium elegit medium; imò in ipſo ſuo errore eruditionis magiſter non credidit poſſe ſe in culmine Chriſtum diu contemplari; ſed in tränſitu ſolùm videre: *Quia inde*, inquit, *erat tranſiturus*: vnde tranſiturus? Ab altitudine, ab ambitione, à faſtigio, à culmine. Deſcendens excepit domo, qui aſcendens vidiſſet in tranſitu: *Feſtinans*, monet Dominus, *deſcende: quia hodie in domo tua oportet me manere*: manſio eſt apud humiliter deſcendentem, in tranſitu apparet ad alta honeſto etiam deſiderio inuolanti: *Deſcende*, addit Chryſolog. *Chryſol.* *vt deponas tantæ fraudis onera, pondera cupiditatis, vſurarum molem, magiſterium publicani, exactionis crudeliſſimæ principatum.* Profectò dum arboris cacumine eminet, pondere cupiditatis premitur, & ambitioni tributum ſoluit; at dum ſectatur humilia, deponit onera, & virtutis amplectitur documenta.

234. Amorrhæus, vt Danitas opprimeret, triumphiſque ſpoliaret, magnam adhibuit curam, ne de monte deſcenderint; ſed culmina inhabitarint: *Iudic. 1. v. 34* *Arctauit Amorrhæus filios Dan in monte, nec dedit eis locum, vt ad planiora deſcenderent, habitauitque in monte Ares, quod interpretatur teſtaceo, in Aialon, & Salebin.* Profectò in culmine continere amici poterat cenſeri ſuffragium, non aduerſariorum votum; & tamen Chananæus Danitas nõ patitur ad planiora, humiliaque deſcendere, dum acrioribus moleſtiis illos nititur diuexare. O quàm ſæpè arctantur, quàm ſæpè affliguntur, qui videntur apicibus eminere, & culminibus altis radiare. Dum Danitæ excelſa habitant, inimicorum patiuntur inſidias, & coguntur ſuſtinere moleſtias: ſi ad planiora deſcendiſſent, arctationis dolorem prorſus vitaſſent: ergo Amorrhæus, quò arctiùs premat, deſcenſum impedit, & alta habitare cogit. *Auguſt.* Auguſt. quæſtione 21. in Iudices ſic ait: *Contribulauit Amorrhæus filios Dan in monte: quoniam non permiſit eos deſcendere.* Anhelis votis Amorrhæus procurabat Danitis caſum, vetabat deſcenſum; imò vetabat deſcenſum, ne Danitæ vitarent caſum: non poterant non contribulari ab hoſtibus, qui excellere videbantur culminibus: *Teſtaceo*, ſcribit Hugo Charenſ. *id eſt, mons teſtaceus a teſta: nam quid fragilius teſta niſi ſuperbia?* *Hugo. Superbia teſta fragilior.* Mons duplici fragilitate cõſtabat, ſuperbiæ ſcilicet, teſtæque, vt noueris ipſam altitudinem, etſi non ſordidetur vitio, nũquam conſtare, aut inniti ſolido; imò ferè ſẽper fragilitati naturæ adiungi fragilitatẽ ſuperbiæ: ſi ad plana deſcendiſſent, de Amorrhæis ſanè triũphaſſent; at dum non deſcendunt, lauros nullatenus aſſequuntur.

Mirabar ſtatuam illam Nabucho luteis pedibus ſordidatam, cùm & ſordidis veſtigiis obſcuram: ſi auro nitet, ſi argento reſplendet, ſi ære ſolidatur, cur ferreis penitus pedibus non fulcitur? O quàm fragili tota illa innititur moles! Hanc ſtatuam celſitudine ſuperbam, ſuperbia ferè immetatam lapillus non manu iactus; ſed deſcendens ad ima ſubuertit, & terræ funditus coæquauit: *Abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus, & percuſſit ſtatuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos* Dan. 2. v. 34. Ecce lapis dum ad ima non deſcendit, triumphum de ſtatua non agit; at ipſe deſcenſus fuit triumphus: ſtatua dum magnitudine ſua ſuperbit, obſcuris veſtigiis ſordeſcit, & ſordidis pedibus maculatur. Non potuit altitudo ſine ſordibus inueniri, nec lapilli deſcenſus ſine triumphis potuit videri. *Is*, ſcribit Auguſt. apud Gloſſam, *ante oculos Iudæorum humilis erat.* *Auguſt.* Lapis humilis triumphauit, ſtatua ſuperbiſſima corruit: vt compertum fuerit qui ſectatur humilia, triumphos adipiſci, vt qui ſectatur alta, luteis maculis non carere.

§ LIV.

Plus deterendis Chriſti inimicis valet ſimplicitas ſapientia deſtituta, quàm ſapientia ſimplicitate priuata.

236. D*Epono hoc apud te*, aiebat Sen. ep. 68. *nunquã plus agere ſapientẽ, quàm cùm in conſpectum eius diuina atque humana venerunt:* *Seneca.* dum vtraque in conſpectum veniunt, humana ſcilicet, & diuina, prodeſt plurimum ſapiẽs virtutum patronus, & cupiditatum aduerſarius; at ſi humana ſolùm eius occupauerint animum, non ſolùm virtuti non proficiet; ſed lædet. Vtrumque Dominus ad noſtram eruditionẽ aptiſſimis depinxit ſymbolis, cùm Apoſtolos ſuos mittens ad vitia extinguenda, & ad virtutum ſemina mortalium cordibus commendanda, aiebat: *Ecce ego mitto vos, ſicut oues in medio luporum: eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* *Matth. 10. v. 16.* Columba de cælo inuolat, coluber de terra prodit: ergo vt lupos trucidandis virtutibus inhiantes reprimat, iuſſit cæleſtia, terreſtriaq; in proſpectu ſemper habere & ſimplicitatem innoxia, calliditate coniungere. Profectò ſerpens aſtutè adeò mulieri acceſſit, vt gratas inuenerit aures, vt tenuerit ſuſpenſam, & veneni prorſus auidam: ergo à ſerpente mutuanda eſt ars captandi animum, & à columba diſſeminandæ veritatis ſtudium. Sanè incondita verba, impolitique ſermones, quantumuis interna virtute ſolidi, ſæpè audientibus ingrati offendunt, aut ſaltem non alliciunt, vt etiã nimis limatæ ſententiæ, nimis cultus & elegans ſermo, etſi ſuſpendit, & oblectat ſæpius auditum, ad virtutem non mouet animũ. Copioſa virtutũ meſſis exuberat, dum ſapientia floret virtute immixta, & virtus ſapiẽtia fota. Quod ſi aliquid ex his deſiderandum fuerit, plus valet ſimplicitas virtute armata, quã ſapientia virtutibus deſtituta: dæmones honeſtã vitam oderũt, quantumuis

tumuis humana non adornetur ſapientia: inermis erit in vitium mundialis ſapientia, ni optimis moribus deprælietur armata. Samgar populi iudex non exiguos hoſtes interimit vomere ruſticano ſanè inſtrumento: *Percuſſit de Philiſthum ſexcentos viros vomere, & ipſe quoque defendit Iſrael.* Origen. Adamantius hom. 4. in Iudices hiſtoriam moribus adaptans ſic ſcribit: *Interficiuntur etiam ſic allophyli, cum non argumentis, & acumine contra aduerſarios vtimur; ſed agreſti, & ſimplici commonitione de animis auditorum vitia propellimus.* Samgar vti agricola, indoctus, & ruſticanus; verùm virtutibus prædirus: ergo inimicos deuincit, quia etſi vitæ ſimplicitas non fuerit ſplendenti ſapientia imbuta viguit tamen virtutibus obarmata. Minus in hoſtes valeret elaboratis induſtriè, acutiſſimiſque ſcientiæ argumentis, plus ruſticanus valuit virtutis armis: ſapiens terga fors indecorè verteret, virtute præditus audacter in hoſtes irruit.

Origenes.

237. Serpens aſtutia pollens dæmoni linguam commodat, & parētes primos aggreſſus virtutis regnū euertit: *Serpēs erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus.* Vides ſapientiam virtutis venenum fuiſſe, quia ſimplicitate & virtute nuda. Tranſi modò ad Matth. 3. vbi Domino inſeruit ſimplicitas: *Vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam & venientem ſuper ſe.* Itaque alibi columba apparet ſine ſerpente: ſerpens alibi ſine columba: qui vtrobique fructus pullularint, attende: Serpens ſapientia tumidus, aſtutia inflatus, ſimplicitateque deſtitutus ſic à firmando virtutis regno diſtat, vt criminis imperium ſtatuat: colūba verò candida ſimplicitate prædita, quāuis ſerpentina ſapientia priuata Chriſtum demōſtrat, & linguas maliloquorum refrænat: quod aduertit ingenioſiſſimè Tertullian. aduerſus Valentinianos c. 2. *Chriſtum columba demonſtrare ſolita eſt; ſerpens verò tentare: illa & à primordio diuinæ pacis præco, ille à primordio diuinæ imaginis prædo.* Attende ſubiungenda: *Ita facilius ſimplicitas ſola Deum & agnoſcere poterit, & oſtendere: prudentia ſola concutere potius & prodere.* Itaque ſi altera ab altera ſeiungenda ſit, ſimplicitas ſola ſæpius pro virtute ſtabit, prudentia ſola concutiet. Profectò piſcatores virtutibus præditi magnis piſcibus rete impleuerunt, cùm ſapientes totum circumeant orbem, vt proſelytum vnum faciant. Ambagibus eruditionis ſerpens fallit, quia terram comedit; at ſimplicitatis pennis columba cælum pernici volatu petit: corda non ferit; ſed demulcet aures quæ culto ſermone nitet ſapientia: vt è contra non adulatur auribus; ſed animos percellit ſimplicitas, quam virtutis armat efficacia.

Geneſ. 3. v. 1.

Matth. 3. v. 16.

Tertullian.

238. Cùm Pharao nequiſſimus Dei populum dira tyrannide opprimeret, nec miſeris ſuppeterent vires, vt durum adeò iugum à ceruicibus penè attritis auerterent, à clamoribus opem mutuati ſunt, & quidem præſentaneam: mittitur namque Moyſes Aarō, qui paſtoritio agolo pro haſta vſi inimicum reprimant, & indignum iugū de contribulium ceruice excutiant: ventum eſt ad certamen, & poſt multa Moyſis Aaroniſque cū Magis ſapientibus iurgia ad educendos ſciniphes comparantur: Aaron agolum manu tenens puluerem ferit, & ſciniphes aculeis acutiſſimis mordentes educit: *Extendit Aaron manum virgam tenens, & percuſſit puluerem terræ, & facti ſunt ſciniphes in hominibus & in iumentis.* Magi conuocantur, & doctis incantationibus ſciniphes educere moliuntur; verùm non ſimiles; ſed aculeis carentes confingunt: *Feceruntque ſimiliter malefici incantationibus ſuis, vt educerent ſciniphes & non potuerunt.* Iam quod malefici ſciniphes eduxerint aculeo orbatos, morſuque deſtitutos tradit Rupert. lib. 1. in Exod. c. 33. *An ſciniphes videri quoque potuerunt; ſed quia moleſtos aculeos nulli infixerunt, idcirco fallaciter feciſſe conuicti ſunt?* Addit poſt pauca: *Sciniphes quia moleſto quoque aculeo aperte diiudicantur, idcirco nonfecerunt, quia quod verum eſſet, quod veraciter ſentiretur, homines ſine Deo creare non potuerūt.* Magi ſciētia ſapientiaq; florent; ſed Deo carent: ideò ſciniphes educunt aculeo cōtra inimicos catētes, & ſolùmodò aëra variis repetitiſque concurſationibus fatigantes: habuit in Magorum ſciniphibus hoſtis quod ſpectaret; ſed non non habuit quod ſentiret; at Aaron virga paſtoritia, ruſticano agolo, dum Dei adiuuatur digito, educit ſciniphes, qui aculeis acutiſſimis veritatis hoſtes dirè mordeant, & duriſſimos cruciatus ſuſtinere compellant. Simplex agolum educit, quod pungat, virga ſapientum non producit, quod lædat. Et quidem quod refert hiſtoria, ſæpiſſimè comprobat experiētia: homo namq; mediocriter doctus; ſed virtutibus inſtructus, dū concionatur ad populū verba facit, ſępè profert quod conſcientiā pungat, quod dolorem exuſcitet, quod ad ſingultus moueat, cum eruditus, & ingenioſus pomparicis ac limatis verbis dum ſapientiam ructat, nil aliud proferat, quam ventoſa & volatica verba: conducibilior virtuti eſt paſtoritia virga Dei digito armata, quam ſapientium virga Numine orba. Adde quòd ſi aliquando verbis induſtriè elaboratis & acutis aliquem concionator feriat, erit miraculi ad inſtar, cum incultis ſæpè nec limatis verbis peccatores plures feriantur, & ad pœnitudinem adducantur. Hoc ipſo in capite ſymbola huius veritatis aptiſſima habemus, iam ſi placet, producamus.

Exod. 8. v. 17.

Rupert.

Aod populi iudex Eglon interficere cogitat, & limatum gladium induſtriéque laboratum callidè parat: *Fecit gladium ancipitem habentem in medio capulum.* Hugo Charenſis interpretatur *ancipitem, id eſt, ex vtraque parte acutum.* Vides Aod gladio acutiſſimo & affabrè facto obarmari: hic ad Dei verbum proferendum ſe aduentaſſe teſtatus eſt: *Verbum Dei habeo ad te:* concionatoris munus agens gladio armatur acutiſſimo. Quid tunc? Eglonem occidit: *Extendit Aod ſiniſtram manum, & tulit ſicam de dextro femore ſuo, infixitque eam in ventre eius:* Vides Eglonem vnicum interemptum acutiſſimo gladio, & induſtria artis elaborato. Tranſi ad Samgar, qui in ſexcentos viros irruit, & vomere ſtrauit: *Percuſſit de Philiſthiim ſexcentos viros vomere.* Vomis nec adeò acutus, nec vtraque parte limatus proſcindendæ ſolùm telluri aptus, & ſulcis profundè aperiendis diſpoſitus: gladius acutior, ſplendidior, limatior; ſed vt noueris quanto plures Dei hoſtes mediocriter acuto inſtrumento, quàm limatiſſimo, & acutiſſimo conteratur, Aod vnicum Eglonem occidit, Samgar ſexcentos peccatores euertit: vterque profectò Aod & Samgar populi iudex à Domino deſtinatus, & Apoſtolorum, vt iam vidimus locum ſortitus; verùm ipſa fortè inſtrumenti acutior aut minus acuta acies celebriorem, aut minorem triumphum effecit, quaſi nos Scriptura velit docere inſtrumentis nimis acutis, limatiſque non tot pec-

239.

Iudic. 3. v. 16

Hugo.

catores feriti, plures non adeò elaboratis euerti:
Hugo. *Samgar*, ſcribit Hugo, *ruſticanus homo fuit, defendit Iſraël.* Ruſticitate defendit, & plures veritatis hoſtes occidit.

240. Saul in regem vnctus, & ad demoliendos Amalecitas à Domino delegatus, ſtultè adeò cupiditate irretitus eſt, vt regni diſpendio gregi
1. Reg. 15. v. 22. inhiauerit: tunc Samuel longa elegantique oratione culpam eius reprehendit: *Nunquid vult Dominus holocauſta & victimas, & non potius vt obediatur voci Domini? Melior eſt enim obedientia, quam victimæ, & auſcultare magis, quam offerre adipem arietum: quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere.* Vides doctum & ſapientia plenum ſermonem variis comparationibus diſtinctum, & florido ſtylo exornatum: quid tunc? Adhuc honores ambit Saul, & licèt fateatur peccatum, vera pœnitudine non vrgetur: *Peccaui; ſed nunc honora me coram ſenioribus populi mei, & coram Iſraël.* Tranſi cogitatione ad c. 28. vbi ro-
1. Reg. 28. v. 19. gatus Samuel de futuro euentu ſic ait: *Cras tu & filij tui mecum eritis.* Quid tunc? *Statim Saul cecidit porrectus in terram: extimuerat enim verba Samuelis.* Ecce modò timore concutitur, qui anteà ambitione agitabatur: ſi modò Samuëlis verba adhuc ſuperbientem reprimunt, vt vſque ad terram demitti cogant, ſi pauore implent, quomodo priùs ambitionem non depulerunt? Si idem Samuel loquitur vtrobique, cur vtrobique non idem verborum fructus, & concionis euentus? Ecqua huius diſcriminis
Zeno. cauſa eſt? Quia modo, inquit Zeno Veronenſis ſerm. de reſurrectione mortem verbis ſimpliciſſimis prædicauit; anteà neſcio quibus ambagibus, & elaboratis comparationibus vitium carpſit, & ſupplicium prædixit: eaque eſt ſermonis non induſtriè politi vis, vt alta vulnera incutiat, cùm nimis artificioſus in cute lædat. Samuel dum ſine ambagibus prædicat, dolorem & humilitatem vel ſuperbiſſimum docet; cùm ambagibus vtitur, peccatorem non adeò pungit, nec eius ambitionem depellit: *Samuel egregius ille ſacerdos mortis iam lege diſpunctus, Sauli regi deſideranti ſine ambiguitate non tantum ſuam præſentiam exhibet ſed etiam ad conſulta reſpondet*, Simpliciſſimis verbis mortem alibi prædicat, alibi politioribus peccatum carpit arguitque delictum; vtque videas quantum veritatis aciem retundat induſtria, & obturet elegantia, Saul alibi perſiſtit honoris cupidus, alibi ad terram proſternitur humiliatus.

§. LV.

Prudens ſuperior aliquando diſtrictionis vtatur gladio, aliquando leniori ad virtutem incitarit ſtimulo.

241. SVperior, ſi ſapit, nunquam ſubiectorum vulnera exacerbabit; imò non aliter vitabit excandeſcentiam, quam turbulenti maris audaciam: temerarius gubernator repugnantium ſecum ventorum minas contemnit, & ipſa temeritate plauſum ſibi conciliare imprudentiſſimè cupit; aſt vt ſapiens nociturum rabiem vitat, aut ſi non poſſit, demulcet; & induſtriæ artibus lenit, ita etiam qui ſuis in ſubiectos habet, declinat nociturain iram, quæ facilè degenerat in inſolentiam: nonnunquam ſinapis incendio, & cauterio opus eſt ad ſerpentem luem abſcindendam; tunc blanda medicamenta adhibere eſſet fouere contagium, & ſanis membris conciliare detrimentum; aſt cùm huius generis non fuerit morbus, blandiori manu eſt tractandus & demulcendus. Profectò fera, quæ inſectatorem fugit, ſi ſe in arcto concluſam viderit, fugam in audaciam conuertit, & quia non poteſt propriam aliter euadere, audet mortem vrgenti inferre. *Furoris*
genus eſt, aiebat Caſſiodorus 11. var. 8. *in ſæcu-* Caſſiodor.
lo pacato, turbulento ſtudere propoſito; ſed quia vobis de iudicibus, etſi non verus, tamen oritur rationabilis metus, dum inexperta poteſtas trahit potius ad timorem: quantum ad meum propoſitum pertinet, iuuante Deo, rerumque domino regnantibus omnia vobis iuſta, omnia moderata promittire. Quàm prudens oſtendebatur ſuperior, qui moderata promittebat, nec ſemper duris & aſperrimis diuexabat! Profectò aliquando ſubiectos, dum tenuit honeſtis præceptis obſequi, aperit excedendi viam, & mitigatam irritat excandeſcentiam. Superior etiam, ſi nimis vrgeat, & contemnere docet imperia, & imprudenter inflammat odia: *Præceptis etiam noſtris*, addit Caſſiodorus, *obedientiam æquali moderatione præſtate: compellat rationabiliter proprius animus, ne vos vrgeat terror armatus. Odium ſibi excitat,* Odium ſibi excitat, qui iuſtis reſultat imperiis.
qui iuſtis reſultat imperiis: quæ iam coëgero, non amabo: ſic enim cuncta, quæ agenda ſunt, volumus explicari, vt vos nullo compulſore faciamus immunes. Regimen de ſubiectorum querelis infamatur, vt de regentis ignauia contemnitur. Hinc eſt quod omnibus caſibus certa non poteſt norma præfigi: quia prudentis arbitrio conſtat pro diuerſitate caſuum benè diſponi. Aod Princeps inauguratus in Eglonem vitij vmbram armatus incedit, & fabrefacto gladio induſtrius occidit: *Extendit Aod ſiniſtram manum, & tulit ſicam de dextro femore ſuo, infixitque eam in ventre eius.* Samgar in iudicem etiam electus populum etiam defendit. *Ipſe quoque defendit Iſraël*; nec tamen vtitur gladio; ſed ad agitandos boues ſtimulo: *Percuſſit de Philiſthiim ſexcentos viros vomere.* Rabbi Leui legit *aculeo*, id eſt ſtimulo R. Leui.
Lyra. boum. Accinit etiam Lyra: *In Hebræo habetur, ſtimulo bouis.* Ecce Samgar leui ſtimulo populi libertatem tuetur, cùm Aod gladio ancipiti tueatur. Quod Origenes hom. 4. in Iudices ad mores adaptans ſic ait: *Samgar percuſſit allophylos in ſexcentis viris in ſtiua, vel pede aratri. Aliud*
genus laudis in Samgar video: iſte in ara- Origen.
tro pugnat, Aod, inquit, in gladio; vincit tamen & hic, & proſternit allophylos. Alius vicit gladio, & alius vicit ſtimulo: quia illorum quiſque pro opportunitate rerum ad conſequendum triumphum arripuit aptiſſimum inſtrumentum. Fortè Samgar non peperiſſet ſalutem gladio, nec Aod ſtimulo. Addit Origenes: *Poteſt ergo fieri, vt Eccleſiæ iudex non ſemper gladium proferat, id eſt non ſemper auſteritate verbi, & acumine correctionis vtatur; ſed imitatur agricolam velut aratro ſulcans animæ noſtræ terram, & ſæpius clementi monitione reſcindens, vt aptet eam ſuſcipiendis ſeminibus.* Semina aliquando leui ſulco germinant; altiori & profundiori aliquando. Itaque ſapiens agricola pro qualitate ſeminis ſulcum aperiet, vt

etiam

Digitized by Google

etiam doctus chirurgus pro qualitate vulneris aut leni aut acri vtitur medicina. Non poſſunt communia omnibus præcepta tradi, ſed Superioris prudentia exigit pro rerum opportunitate aptiora & temporibus neceſſaria.

242. Dum plures importunis precibus, quem regimini putabant idoneum, contenderent inaugurare, ſe medicæ artis prodidit imperitum,
Iſai.3.v.7. quo illorum tardaret votum: *Non ſum medicus, & in domo mea non eſt panis, neque veſtimentum: nolite me conſtituere Principem populi.* Ad principatum medicinæ artem credidit neceſſariam. Et quare? Quia medicus multa decernit temporis conſilio, vultus monitu, & artem accommodat viribus, non vires arti. *Non poteſt medi-*
Seneca. *cus*, ſcribit Seneca epiſt. 22. *per epiſtolas cibi aut balnei tempus eligere: vena tangenda eſt. Vetus prouerbium eſt, gladiatorem in arena capere conſilium: aliquid aduerſarij vultus, aliquid manus*
Vigilantis eſt occaſionem obſeruare. *mota, aliquid ipſa inclinatio corporis intuentem monet. Quid fieri ſoleat, quid oporteat in vniuerſum, & mandari poteſt, & ſcribi: tale conſilium non tantum abſentibus; ſed etiam poſteris datur.* Profectò vt ars medica medicamina in vniuerſum morbis decernit, quæ aliquando etſi arti conſona, ob varias circumſtantias eſſent ægrotanti nociua, ita ars regiminis, etſi facienda in vniuerſum decernat, prudentia pro temporum qualitate applicat. Addit Stoicus: *Illud alterum, quando fieri debeat, aut quemadmodum, ex longinquo nemo ſuadebit: cum rebus ipſis deliberandum eſt: non tantum præſentis; ſed vigilantis eſt occaſionem obſeruare properantem.* Sollicitudo & ſuperioris prudentia docet quali medicamento morbus indigeat: vtit aliquando piè ſæuus, & ſæuè indulgeret pius. Aliquando noceret auſteritas, & vice medicaminis eſt ſuauitas. Ergo prudentiæ relinquitur exequendum, quod pro ſingularibus circunſtantiis nequit definiri, aut doceri. Adde aliquando oportere manu vrere, voce prolectare: itaque noceret tunc flamma linguæ, cùm flamma proderit dexteræ.

243. Adamus in paradiſo deliciabatur; verùm
Geneſ.3.v.9 ſerpentinis fraudibus corruit, & quo loco paulò antè innoxiis iucundabatur voluptatibus, poſt lapſum gelidis iam agitabatur terroribus, lucem fugiebat, latibula adibat, &, ſi fas eſt dicere, animo obturbatus erat ſibi ipſi moleſtus. Quid tunc Dominus pro ſua ſapientia? Voce compellat humaniſſima: *Vocauit Dominus*
Apoc.1.v.16. *Deus Adam, & dixit ei: vbi es?* De originis loco extermìnat, & Cherubinum flammeo enſe obarmat: *Collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium.* Ad hæc dum in Apocalypſi Ioanni obiicitur, ex ore acutiſſimo gladio prodeunte obarmatur: *De ore eius gladius vtraque parte acutus exibat, & facies eius ſicut Sol lucet in virtute ſua.* O quàm neceſſaria erat candidiſſima lux oculis, dum conſtabat gladium ineſſe verbis, ne aut feriret ſana aut non abſcinderet putrida. Verum expendamus cur inter paradiſæas plantas obambulans ex ore contra Adamum non protulerit gladium, qui inter candelabra aurea flammeum euomere cenſetur cultrum? Profectò vt temporibus adaptauerit munus; Adamus terrore concutitur, & timore exagitatur: *Audiui vocem tuam*, inquit, *& timui*: ne ergo aſpera duraque vox anxiè timentem longius abire compelleret, humaniſſimè compellauit: nimius namque rigor noceret, quem vox humana, &, ſi dicere fas eſt, flebilis perſanaret; at in Apocalypſi eo ardore erat opus, vt corrigerentur vitia, vtque exinceps curarentur ſcelera. *Compellat humaniſſimè: Adam, Adam vbi es?* ſcribit Iſauriæ Epiſcopus
orat. 3. *O Domini in homines amorem! tanquam* Seleucienſ.
ignarus quærit. Quid tunc? *His fretus arrectuſque vocibus* addit Baſilius, *qui latebat, foras proſpectat.* Humanitas dum timorem mitigat, confidentiam excitat, & fidens iam accedit medico, qui renuiſſet appropinquare iracundo. Ergo pro omnigena ſua ſapientia Deus ſuperiorum forma aliquando voce vtitur inſtar gladij, aliquando inſtar lamenti. Et quidem ſæpeſæpius, qui curationem obit, ægrotanti imbecilli blandis adulatur, qui ſi tantiſper viderit vires coaleſcere, auſteriori vtitur medicina. Ecce flebili voce Deus Adamum compellat humaniſſimè, dum territus, dum timore fugatus; at poſtquam foras prorumpens Deo acceſſit; poſtquam perpetratum crimen agnouit, iam igneo gladio deterretur, & terrore audacia reprimitur.

Gentium Apoſtolus ad Corinthios ſcribens: 244.
Vultis, inquit, *veniam ad vos in virga, an in* 1.Cor.4.v.21
charitate, & ſpiritu manſuetudinis? Optimum ſe ſuperiorem oſtendit, dum nec ſolo manſuetudinis ſpiritu præditus, nec virga ſolùm armatus pro morum diuerſitate variis medicaminibus vtebatur, & quem videbat à recto virtutis itinere veluti imprudenter deuiare, reuocabat viam verbis blandiſſimis oſtendens; at quem videbat deflectere peruerſitatis conſilio, virga reuocabat puniens, & morum diuerſitati dabatur optio, vt ipſa optio eſſet regentis plauſus, D.Thom.
quandoquidem illum degener non gubernabat affectus; ſed gubernandorum ſtatus: *Committitur eis correctionem*, ſcribit Angelicus Doctor lect. 3. *reſeruans tamen correctionem arbitrio eorum dicens: Quid vultis? In virga ſcilicet diſciplinæ veniam ad vos ſcilicet caſtigando, an in charitate, id eſt, oſtenſione amoris, & in ſpiritu manſuetudinis, vt ſcilicet nihil durius vobiſcum agam: hoc enim pendet ex vobis.* Superior, qui pro qualitate affectionis infert ſupplicium, ſub regentis larua eſt virulentiſſimus hoſtis, & regiminis inimicus: in arbitrio ſubiectorum, non in gubernatoris arbitrio ſita debet eſſe correctio: eſſet enim prorſus deteſtandum, ſi rector pro affectus modo percuteret innocuum, & parum, aut nil percuteret variis criminibus obſcuratum.

Certè Moyſes non tam ſuam, quàm Hebræorum populi perſonam gerens à ſilice vndas flagitaturus repetito verbere ferit: *Cùm eleuaſſet* 245. Num.20.v.11.
Moyſes manum percutiens virga bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ. Silex in modum fontis vndas ſitientibus miniſtrans bis percutitur; cùm tamen Ægyptius fluuius innocentes recens natos deglutiens, ſemel & hoc de Domini imperio fuerit diuerberatus: *Eleuans virgam percuſſit aquam fluminis coram Pharaone, & ſer-* Exod.7.v.20.
uis eius, quæ verſa eſt in ſanguinem. Sanguinolentum fluuium ſemel virga ferit, & hoc Domini præcepto impulſus; at ſilicem liberaliſſimum bis percutit, non Domini præcepto impulſus; imò ne fecerit, monitus. Quid tunc Dominus pro immortali ſua ſapientia? *Non introducetis hos populos*, inquit, *in terram quam dabo eis.*

Iure optimo mulctauit imperio, tali obſcuratum delicto: *Multum diſtinxit*, ſcribit Rupert. Rupertus lib.1.in Numer.cap.7. *multum & longè aliter quàm ſolitus erat, locutus eſt in labiis ſuis: Audite, inquit, rebelles & increduli: num de petra hac vobis aquam poterimus eiicere? Non ſic loqui conſueuerat verbi gratia cùm mare diuideret.* Addit poſt aliqua Rupertus: *Moyſes petra percuſſor, & hoc loco incredulus, Moyſes, inquam, & Aaron hoc loco increduli, item in myſterio vel figura Scribæ fuerunt & Phariſæi.* Phariſæi, & Scribæ erga Ægyptum benè animati, vt illorum ſæpè ſuſpiria, votaque declararunt, dum regiminis virgam prenſant, Ægyptium fluuium puerorum carnificem leui ictu vulnerant; at in ſilicem, Chriſtum ſcilicet iuxta Paulum 1.Cor.10. malè affecti repetito verbere percutiunt, vt iam videas non eſſe in fluuij aut ſilicis arbitrio caſtigationis modum, quando pro arbitrio ſuo deprauatus tenentis virgam diſponit affectus. Iure expulſi ſunt, iure prohibiti, iure honore regiminis ſunt priuati, apud quos non tam ſubiectorum cauſa, quàm affectionis valet aut inuidia aut beneuolentia.

246. Petrum Eccleſiæ caput iubet Deus retia in capturam iactare: *Laxate retia veſtra in capturam*: Luc.5.v.4. huic vni, ſi benè memini, magiſter præcipit, vt ad mare tendens hamum mittat, & piſcem trahat: *Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle.* Matth.17.v.26. Cæteri Apoſtoli ſine ferro trahunt: nam qui ſuperioris locum non tenet, manſuetudine debet allicere, non rigore; at Petro vtpote capiti pro temporum diuerſitate præcipitur vt ferro trahat, aut reti ſine ferienti ferro ad littus adducat: ad hæc vnus hamo capitur, & plures piſces reti trahuntur, vt nouerit ſæpiùs lenitate, rarò ſe vſurum rigore. Itaque in Petri manu inueniuntur, & hamus, & rete, vt pro ſua prudentia piſces extrahat, retis pia fraude captos, aut hami ferre prehenſos. *Benè Apoſtolica inſtrumenta*, ſcribit Ambroſ. Ambroſius ad Lucæ 5. *piſcandi retia ſunt, quæ non captos perimunt; ſed reſeruant, & de profundo ad lumen extrahunt, & fluctuantes de inferis ad ſuperna perducunt. Eſt & aliud Apoſtolicum piſcandi genus, quo genere ſolum Petrum piſcari Dominus iubet dicens: Mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle. Magnum quidem eſt, & ſpirituale documentum.* Dum cæteri Apoſtoli perſonam ſuperioris non gerunt, blando reti fluctuantes piſciculos trahunt; at Petro & rete & hamus committitur, quibus prudenter vtatur.

---

§. LVI.

Facilè imminens vitium propellitur; difficulter, ſi iam corda poſſedit, abigitur.

247. TVrpius eiicitur, aiebat Poëta, *quàm non admittitur hoſpes.* Et iure etiam dixiſſet: difficilius culpa, quam non admittitur, pellitur: rationis vires, ſi iam corda poſſedit, faſcinat, & ipſo contactu eneruat: alliciunt ſæpè falſæ, fictæque voluptates intuentis oculos, & blandis irritamentis titillare ſolent affectus; verùm dum adhuc extra cordis hoſpitium verſantur, ſi inuigilet ratio, citò abiguntur; at ſi in præcordia blandè irrepſerunt, rationem impediunt nebulis, & illigant vinculis. Sirenas finxit antiquitas ea cantus dulcedine præditas, vt aures vocibus illigauerint, & audientes prorſus deuinxerint; verùm Ithacus auribus cera obturatis periculum vitat, & facillimo declinat remedio, quod ſi audiſſet ſemel, vel grandi forſitan non poſſet vitare incommodo. Optimè Caſſiodorus 2.var.40. Caſſiod. *Nautis ſolicitatorem protinus obſtruxit auditum contra noxiam dulcedinem: cogitauit vir prudentiſſimus feliciſſimam ſurditatem.* Audi quæ ſubiungit: *Et quam vincere intelligendo non poterat, meliùs non aduertendo ſuperabat.* Superauit facilè non aduertendo, quod difficile vinceret auſcultando. Quam obuium fuit aures obturare cera! quàm eſſet ferè impoſſibile, ſi iam faſcinatrix illa ligaret animum muſica. Ecce noſter textus hanc veritatem clariſſimis docet exemplis. Nam Aod, vt Eglonem interimat, gladium tota artis induſtria fabricat: *Fecit ſibi gladium ancipitem habentem in medio capulum longitudinis palmæ manus*: cùm tamen Samgar non vnicum Eglonem; ſed ſexcentos Philiſthinos aratro percuſſerit, & peremerit: *Percuſſit de Philiſthiim ſexcentos viros vomere, & ipſe quoque defendit Iſraël.* In Hebræo pro vomere habetur, *in ſtimulo boum.* Profectò iure pungit difficultas curioſitatem, ſcilicet cur Aod ambidexter, & apud ſuos decantatiſſimus ad occidendum vnicum Eglonem vſus fuerit ancipiti gladio, cùm Samgar ſexcentos viros potuerit occidere leui ſtimulo? Difficultatem aduertit Origenes hom. 4. in Iudices: Origen. *Iſte in aratro pugnat, Aod, inquit in gladio.* Et quæ huius diſcriminis cauſa eſt? Expreſſit clariſſimè textus: *Et hic*, inquit, *defendit Iſraël.* Sexcenti illi viri Iſraëlitas iugo premere conabantur; verùm Samgar illorum reſtitit votis, & vel ſtimulo boum bellum intulit aduerſariis; at Eglon iam duro Iſraëlitas dominio ſubegerat, iam Aod opus erat non liberos defendere; ſed captiuos è iugo eripere. Vt ergo noueris, quàm facilius ſit imminentes propulſare iniurias, quam iam prementes dirupiſſe catenas, Samgar defendit ſtimulo, Aod liberauit gladio: *Non erat Iſraël clamans ad Dominum*, ſcribit Abulenſis quæſt. 32. Abulenſ. *quando ſurrexit Samgar; ſed Philiſthini veniebant ſuper terram Iſraël, & Samgar obuius illis percuſſit ſexcentos: hoc etiam patet, quia dicitur hic in littera: Et ipſe defendit Iſraël; de aliis autem iudicibus dicitur, quod liberauerunt Iſraël.* Addit Abulenſis: *Differentia autem horum eſt: quia defendere eſt reſiſtere alicui inuadenti: liberare vel ſaluare eſt tollere aliquem, qui premebatur, de poteſtate opprimentis. Sic Samgar reſtitit Philiſthinis venientibus, ne introirent: & non repulit, vel excluſit aliquos iam dominantes; Othoniel autem & Aod expulerunt hoſtes iam dominantes in terra.* Ecce hoſtium diuerſitas inſtrumentorum inuexit diuerſitatem. Philiſthinus à Samgar victus eſt ſtimulo: quia duro Iſraëlitas non premebat adhuc imperio; at Aod, quia Iſraëlitæ duro premebantur imperio, occidit Eglonem fabrefacto & polito gladio.

248. Hinc lucem accipit ratio illa Dauidis, qua Saulis animum timore perterritum perſanauit: cùm inimica caſtra Iſraëlitarum & Philiſthinorum manus iam conſertura viderentur, gigas ille naturæ monſtrum præſens aderat, qui in-

genti

Digitized by Google

genti robore fretus,&alioquin præ tumore animi ſuperbiſſimus, ad conflictum, ſingulareque certamen Iſraëlitarum optimos ſatis audacter prouocabat: graue ſupercilium, vox horriſona, greſſus tumidus, aſpectus inflammatus adeò Iſraëlitas de ſtatione turbabat, vt nullus è toto exercitu probaretur, qui mente priuſquam corpore conſternatus victoriam ante certamen non concederet inimico, & benè ſecum actum putaret, ſi ſuperſtes inſeruiuerit aduerſario; hac rerum difficultate Dauid in certamen geſtit deſcendere, & à rege facultatem ſacra nititur ambitione impetrare; verùm cùm ægrè Saul in ſpes induceretur, & terrore victus ætatis excuſationem prætexeret, ſic illum egregius pa-
1.Reg.17. v.34. ſtor alloquitur: *Paſcebat ſeruus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo, vel vrſus, & tollebat arietem de medio gregis, & perſequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum.* Grande facinus in leonem audere, vrſumque deuincere; ſed non ad ſpeciem inferius cum gigante decertare. Ad hæc in hoc cum gigante certamine totius populi ſalus verſabatur, in lucta cum leone ſalus ſolummodò ouiculæ: ergo Dauid ad ſpes regi faciendas de leone reportatam minus opportunè adducit victoriam, nec de alterius certaminis victoria alterius erigit confidentiam. O Dauidis prudentiam! iure partos refert triumphos, dum gigas nondum Iſraëlitas preſſerat, nondum ſubiugauerat: nam qui valuit raptam iam ouiculam de poſſidentis dentibus extrahere, facilius poterat imminens
Seleucienſ. iugum depellere: *Metu,* ſcribit Baſilius Seleucienſis orat. 16. *regem liberauit, priuſquam ſer-*
Chryſoſt. *uitij iugum contribules experirentur*, repulit. Aptiùs Chryſoſtomus hom. 46. in Geneſ. & apud Gloſſam: *Coactus fuit vir diuinus hæc narrare, nolens vanam hinc gloriam aucupari; ſed vt illi animos adderet.* Grandes fecit audienti animos ouiculæ liberationis teſtimonium, quando facilius erat immenens depellere ingũ. Imò vt hanc veritatem penitius noueris, vide quàm aliter ſe Dauid cum belluis geſſerit, ac cum gigante: *Illi*, inquit, ſcilicet leo & vrſus, *conſurgebant aduerſum me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam, interficiebamque eos.* Itaque duobus brachiis leonem amplexus ſtrangulabat, vrſumque inter brachia validiſſimè conſtrictum halare vitam cogebat; at gigantem dextera fundam rotans, & lapidem iaciens proſtrauit, vt hanc victoriam faciliorem oſtenderet. O quàm fallitur, qui admittit vitium, ſibi promittens facillimè depellendum, cùm Aod vtraque manu pro dextera vtatur in Eglonem, & Dauid in leonem vtriuſque manus dexteritate! Obſta principiis: nam in mores tranſeunt vitia, & aliquando facilius fuerit rumpere, quàm à natura diuellere.

249. Chriſti Domini fama commoti pueros affe-
tebant parentes, vt illis manus imponeret, &
Matth.19. v.15. à dæmonis vexatione ſeruaret: *Cùm impoſuiſſet eis manus, abiit inde.* Leui tactu confirmabatur
Origenes. felicitas, & quæuis depellebatur calamitas. Ita Origenes apud D. Thomam: *Iam ex præce-*
Dominica tactus à futura ruina præſeruat. *dentibus virtutibus eius experti fuerant, quàm per impoſitionẽ manus,& orationem repellantur mala. Offerunt ergo ei pueros conſiderantes, quàm impoſſibile eſt, vt poſtquam per tactum Dominus dederit in eis diuinam virtutem, vt ruina vel dæmonium aliquod tangere eos poſſit.* Itaque leui tactu non ſolùm à calamitate; ſed etiam à calamitatis poſſibilitate pueri reddebantur immunes: tantum Dominicus tactus valebat, ſic pueros ſeruabat. Verùm, ſi placet, componamus hunc Matthæi locum cum illo Marci 9. vbi cùm puerum à dæmone inhabitatum pater Domino obtuliſſet, Chriſtus non præceptis adurget hoſtem; ſed tota manu è terra eleuat innocentem: *exclamans, & multum diſcerpens eum exiit ab eo, & factus eſt ſicut mortuus, ita vt multi dicerent, quia* Matt.9. v.25.
mortuus eſt. Quid tunc Dominus? Manum eius non ſolùm tangit; ſed tenet: nec ſolùm tenet; ſed leuat, vt è terra puellus reſurgat: *Ieſus autem tenens manum eius eleuauit eum, & ſurrexit.* Iam pungit ſcrupulus: Si pueros alios leui tactu à dæmone liberat, cur iſtum maiori diligẽtia, &, ſi dicere fas eſt, violentia grandi ſanitati reſtituit. Ibi conſpicitur tactus; ſed non auditur præceptum; hic auditur præceptum, & conſpicitur non leuis tactus. Ecqua huius diſcriminis cauſa eſt? Quia puerum alium iam dæmon poſſederat; in alios verò nunquam intrarat: ergo ſatis eſt leuis Dominicæ dextræ tactus, ne dæmon vel temeritate ſuaſus puerorum tentet corpora diuexare; aſt cùm iam veluti cordis incola habitat, cùm arcana poſſidet; ſic vel in ipſum Deum rebellat, vt opus fuerit & adurgere præcepto, & grandi leuare dexteræ auxilio. O quàm illi pueri nec ſtrident, nec ſpumant, nec illiſi ad terram voluuntur! O quàm leui manus tactu ſeruantur, cùm tamen inhabitatus à dæmone ad terram voluetur, & compri-
matur: *Tota dæmonis poteſtas*, ſcribit Chryſolo- Chryſol.
gus ſerm. 51. *antiquis & veternoſis ſedibus ſuis gemens, & tremens, & eiulans effugatur*: dum de veternoſis antiquiſque ſedibus effugatur, non poteſt non grandis reſiſtentia agnoſci, & omnipotentiæ energia nequit non armari: leni tactu non ingreditur; præcepto, & grauiori tactu fugatur. O quantas tragœdias dæmon excitauit, ne fugeret; quàm facilè impeditus fuit, ne pueros inhabitaret! Diſce ab ipſis Domini operibus, & ab alienis miſeriis locum criminii non concedere: nam ſi præcordia ſemel poſſederit, tarde aut difficulter fugiet.

Ipſe dæmon non potuit non hanc veritatem 250.
confiteri, vel cùm molitur Dominum adoriri: Matth.4.
acceſſit, & præcipitium ſuaſit: *Mitte te deor-* v.6.
ſum: ſcriptum eſt enim: quia Angelis ſuis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Ecce non potuit negare dæmonis obſequenti imperiis plures Angelorum manus neceſſarias eſſe ad auxilium; cùm tamen non obſequenti, verbo ſatis fuerit ad triumphum: *Vade Sathan*, inquit Dominus; qui ſtatim fugit verbo effumigatus, & veluti excantatus: in ipſa fraude plures Angelorum manus requirebat cadenti, qui ceſſit verbo imperanti. Vt noueris quàm facilè fugetur, ſi nondum ſibi ſubiecit animum, & quot Angelorum requirantur manus, ſi ſemel conſecutus eſt triumphum; verbo peractus eſt triumphus à reſiſtente, cùm ipſe dæmon neceſſarias aſſeruerit multorum manus miſerè obtemperanti.

Digitized by Google

cunctas regiones, & quantam partem fructuum per ſeptem annos fertilitatis, qui iam nunc futuri ſunt, congregent in horrea. Placuit Pharaoni conſilium, & ipſum Ioſephum ad dignitatem euexit, & mutato nomine mundi Saluatorem vocauit: *Vocauit eum lingua Ægyptiaca Saluatorem mundi*; verùm cur Saluator vocetur modo, qui nullum damnum auertit. Vocetur Ioſeph Saluator, cùm premente fame vexatos liberat, non cum fruges in horrea congregat: nec immaturo antea potitur honore, quàm ſubiectos liberauerit fame. Imò ob id ipſum, ſcribit Hieronymus in qq. Hebraic. digniſſimè poſſedit elogium: nec enim depulit damnum; ſed auertit detrimentum: nam ſi de iam premente fame liberaret, non adeò plena Saluatoris luce ſplenderet: nondum aduentarat periculum, & iam aderat grande remedium: Saluator fuit, quia prouidentiſſimo medicamine morbum anteuertit. Certè Elias vidnam fame oppreſſam de periculo liberauit: nec tamē Saluatoris vocabulum eſt ſortitus. Certè Eliſæus viduam de creditoris modeſtiis hydria in modum fontis oleo ſcatente gratus abſoluit; non tamen integra Saluatoris luce reſplenduit; at Ioſeph dum multa ante famis tempora frumento repleuit horrea, iure Saluator dicitur; non quia de premente fame liberauerit; ſed quia ne fames premeret, ſapienti ſtudio prouidit: *Interpretatur ſermone Ægyptio* (verba ſunt Hieronymi) *Saluator mundi, eo quod orbem terræ ab imminenti famis excidio liberauerit.* Poſt ſeptem annos oppreſſuræ famis præſens iam obſiſtit remedium, & vt ſolet infirmitas expectare medelam, hic medela anteuertit infirmitatem. Ea fuit ſapientis Ioſephi induſtria, vt contra temporum leges hominum conſuluerit ſaluti, & impendenti obuiarit calamitati: *Saluator mundi, eo quod orbem terræ ab imminenti famis excidio liberarit.* Ergo Samgar iure ſaluator dicitur, dum Ioſephi ad inſtar, ne populus calamitatem incurreret, induſtriè vetuit, & ſtudioſè prouidit.

Hieronym.

254. Expendebam aliquando, cur Angelus cum Agar diſſerens, & conceptum in lucem edendum afferens faciem ſubtraxerit: cum Abrahamo Angelus de imminenti gladio Iſaacum liberans aperuerit. Referamus hiſtorias. Fugiebat Agar Saræ ſupercilium eligens magis deſerto pacatè viuere, quàm in opulenta domo cum irata domina cohabitare; itineris labor, fugiendi dominæ ſupercilium, anxium ſtudium proli adeò nocuit, vt anteà mortis experta fuerit anguſtiam, quam ad lucis peruenifſet vſuram; verùm miſertus Dominus famulæ occurrit, & conceptum in lucem edendum teſtatus eſt: *Ecce, ait, concepiſti, & paries filium, vocabiſque nomen eius Iſmaël.* Hic poſteriora videntis ſe aſpexiſſe teſtata eſt: *Profectò hic vidi poſteriora videntis me.* Non multò poſt iacebat Iſaacus ſub oculis ceruicem vulneri excipiendo explicans, & Abrahamus infligendo vulneri timans cùm Dei Angelus manum ligat, & ſe ſpectandum obiectat: *Ecce Angelus Domini de cælo clamauit dicens, &c. Non extendas manum tuam ſuper puerum, neque facias illi quidquam.* Dei Angelum in aëre viſum fuiſſe tradit Caietanus: *Decima hæc viſio diuina Abrahæ quemadmodum fuit ſenſibilis quoad vocem, ita ſenſibilis viſa eſt quoad ſenſum viſus.* Itaque Angelus in ſpecie viſibili apparuit. Vides alibi faciem ſubtraxiſſe, alibi oculis præſentaſſe: & quæ huius diſcriminis ratio eſt? Quia vt dicebam, & teſtantur Hebræi apud Abulenſem, Iſmaëlem iam ob anxiæ fugæ labores abortiuum alibi ſuſcitauit, alibi verò ne Iſaac mortem incurreret, impediuit. *Dicunt quidam Hebræi quod Agar paſſa fuerat abortum in deſerto in pœnam datam à Deo: quia Dominam contempſerat, & ex labore itineris magnus motus in vtero factus fuerat... Et poteſt reduci iſta expoſitio ad litteram noſtram, in qua dicitur: Ecce concepiſti ex concubitu cum Abraham: nunc autem iterum eundem fœtum concepiſti diuina gratia fœtum mortuum viuificante.* Vtrique puero vitam largitus eſt, Iſmaëli mortem depellendo, Iſaaco morti impendenti obuiando: hic ergo tota luce Seruatoris reſplenduit, ibi faciem prouidenter ſubtraxit, quaſi tunc dignius glorioſiuſque nomen Seruatoris impleat, dum malum, antequam incurratur, auertit. Imò notauit Caietanus vocari Iehoua dum Iſaaco vitam largitur, non dum Iſmaëli: *Iuxta Hebræum habetur, & vocauit ad eum Angelus Iehoua.* Subnectit rationem: *Deſcribitur autem Angelus Dei, quatenus eſt fons eſſendi ratione operis nunciandi: veniebat enim ad ſeruandum eſſe Iſaac.* Ieſus ſeu Saluatori nomen aſſumit, cum Iſaaco vitam prouidenter ſeruat, ne appetentem mortem incurrat. Et licet vbique Saluator, hic plenior i luce rutilat, & auguſtius faciem oſtentat: eſt enim nobilior ſeruandi modus mortem non depellere; ſed impedire.

Geneſ. 16. v. 11.

Gen. 22. v. 11

Caietan.

Abulenſ.

Caietan.

§. LVIII.

Qui Dei Spiritu agitur, magna & aliis inacceſſa ſemper aggreditur.

Plerumque *altis & excelſis*, aiebat Secundus Plinius lib. 9. epiſtolar. epiſt. 26. *adiacent abrupta: tutius per plana, ſed humilius & depreſſius iter, frequentior currentibus, quam reptantibus lapſus; ſed his non labentibus nulla laus, illis nonnulla laus, etiamſi labantur: nam vt quaſdam artes, ita eloquentiam nihil magis, quam ancipitia commendant.* Profectò infantium eſt reptare; hominum, & quidem agilium currere; imbecillitatem ſuam profitetur, qui nunquam ancipitia; ſed humilia ſemper ſectatur: *Hi, quibus deterreri me putas*, aiebat Seneca lib. de prouid. cap. 6. *incitor: libet illic ſtare, vbi ipſe Sol trepidat, humilis & inertis eſt tuta ſectari: per alta virtus it.* Languida ingenia, & in ſomnum itura, aut in vigiliam ſomno ſimillimam puerorum ad inſtar non ſolùm exiguis; ſed etiam ridiculis, & euanidis detinentur: vtque pueri caſulas citiſſimè dilapſuras conſtruere aggreſſi, ſibi gratulantur, ſi perfecerint opus, in quo ſolus defatigationis eſt fructus, ita plures ſenio refragante repuerafcentes ſolùm perficere parant, quæ pueriles vires nunquam excedant. Ignis probat aurum, & viros fortes ſtudium. *Vides*, addit ibi Plinius *qui per funem in ſumma nituntur, quantos ſoleant excitare clamores, cùm iamiam caſuri videntur, ſunt enim maximè* mira

255.

Plinius. *Tutius per plana iturì ſed depreſſius eſt iter.*

Seneca. *Curſus laudem meretur etſi aliquando acciderit lapſus.*

Digitized by Google

mirabilia, quæ maximè inſperata. Quæ vel expectationem excedunt, admirationis plauſum extorquent, & quantum virtus valeat, oſtendunt. Samgar Hebræorum populum liberat: *Poſt hunc fuit Samgar filius Anath, qui percuſſit de Philiſthum ſexcentos viros vomere, & ipſe quoque defendit Iſraël.* Audis defenſorem populi; ſpiritu tamen Dei incitatum non audies, cùm tamen in aliis iudicibus adnotetur: *Clamarunt*, inquit, *ad Dominum, qui ſuſcitauit eis Saluatorem, & liberauit eos, Othoniel videlicet filium Cenez, fratem Caleb minorum, fuitque in eo Spiritus Domini*: Et iterum: *ſuſcitauit eis Saluatorem vocabulo Aod.* Aod Domini ſpiritu refertur permotus, cum tamen Samgar Dei ſpiritu expreſsè non dicatur excitatus: quod animaduertit Abulenſis quæſt. 32. *Quæretur, quare de Samgar non dicitur, quod ſuſcitauit eis Dominus Saluatorem nomine Samgar, ſicut dicitur de aliis: Suſcitauit eis Saluatorem nomine Othoniel, vel Aod.* Quæſtioni reſpondet Abulenſis alios iudices magna tentaſſe; at Samgar rem non adeò magni momenti perfeciſſe: ideò hunc non referri cæleſti pulſu permotum, cùm de Aod dicatur ſpeciali prouidentia Numinis excitum: *Reſpondendum quòd fuit propter duo: primo quia ſpiritus Domini ſignificat aliquid magnum, & nunquam dicitur de aliquo, quod mouetur à ſpiritu Dei, niſi egerit aliquid valde magnum: Samgar autem non fecit aliquid magnum in Iſraël: quia non triumphauit in magnis bellis, ſicut alij iudices: ideò non dicitur quod ſuſcitauerit eum Deus.* Vicit hoſtes, vt placet plurimis, ſociis aliis inſtructus: debellauit ſexcentos; non tamen ingens adiuit periculum, vt Aod: ob id ergo non dicitur excitus, nec præmotus: vt hinc noueris illum Dei pulſari ſpiritu, qui magna aggreditur, qui ardua pro virtute molitur; at qui ſectatur humilia, eo ſpiritus excellenti pulſu nullatenus agitatur.

Abulenſ.

256. Samſon parentibus aſſociatus Thamnatha petebat, cúmque ad vineas oppidi perueniſſet, tantiſper à parentibus diſceſſit: vianti occurrit leonis catulus incitatus fame totus horridus & ſæuus: iam mortem homini minabatur, nec humanum apparebat effugium; ſed certiſſimum mortis periculum. Quid tunc? *Irruit ſpiritus Domini in Samſon, & dilacerauit leonem quaſi hœdum in fruſta diſcerpens.* Modò Dei ſpiritu profertur armatus, cum alia opera perficiens hoc diuino pulſu non referatur permotus; & quæ huius diſcriminis cauſa eſt? Hic adiiſſe grandia pericula, & tentaſſe homini ad ſpeciem inacceſſa. Inſolitum eſt hominem belluam inuadere, illamque diſcerpere; at dum ſpiritus mouet, tentat Samſon cæteris inſperata, & de ſingularitate famoſa: *Irruit ſpiritus Domini*, ſcribit Lyra *id eſt ſpiritus fortitudinis: illa enim fortitudo non inerat ei ex complexione, ſeu virtute naturali.* Cæleſti pulſu, non naturali conſilio in belluam irruit, leonem diſcerpſit: nec potuit leonem non aggredi, quem conſtabat ſuperno ſpiritu impelli. O quàm mira perpetrauere cæleſtes homines hoc ſpiritu acti, virtuteque exciti! Si humanis oculis dimetiaris, putes fabulam, ſi ſpiritus vires ponderes, veritatem credes meriſſimam: nihil eſt perfectiſſimis arduum, ipſis in procellis dexteritatem ſuam oſtentant, & cæleſti ſpiritus afflitu inter caua confuſaque fluctuum volumina nauem illæſam aurigant *Nunquam par gubernatoris eſt virtus* (verba ſunt citati Plinij *cùm placido, & cùm turbato mari vehitur: tunc admirante nullo illaudatus inglorius ſubit portum; at cùm ſtridunt funes, curuatur arbor, gubernacula gemunt, tunc ille clarus, & diis maris proximus.* Deo agnoſcitur proximus, & virtute cæteris antelatus, qui cum rumpuntur funes, cùm gemunt antennæ, cùm vela collapſa ruunt, cùm iter non inuenit vndique retuſa prora, fluctus ſecat vortices ſubigit, ſyrtes vitat, & portum illæſus adit.

Iudic. 14. v. 6.

Lyra.

Plinius.

257. Notabam aliquando Moyſis virgam Dei non appellatam, dum illa vtebatur in deſerto, Deique vocari virgam, dum deſcendit in Ægyptum: *Quid eſt, quod tenes in manu tua?* rogat Dominus; cui Moyſes: *Virga.* Poſt longum cum Domino ſermonem petit Ægyptum, & iam portare Dei virgam refertur: *Reuerſus eſt in Ægyptum portans virgam Dei in manu ſua.* O quàm de fortuna Moſis virgæ reſplenduit etiã fortuna! Dum Moyſes oues ageret, agolum erat ruſticanum quidem, & cæteris agolis ſimillimum; at dum ad altiorem ſtatum Moyſes euehitur, iam virga qua vtitur, appellationem mutat, nobilitatem induit; imò & diuinitatem oſtendit. Benè; ſed noſtræ theſi adaptemus: diuerſa nomina diuerſæ occupationes procudérunt: anteà illa virga vt paſtoritiæ aliæ, oues agebat in deſerto, communi ſtylo, & communi etiam ſtudio; at poſteà in tyrannum armatur, elementis imperat, maris liquorem ſuſpendit, adéoque mira facinora patrat, vt diuinam exigant fidem: ergo nec anteà Dei virga debuit dici, nec modò oportuit Dei non appellari: de operum qualitate & vocabulorum qualitas nata eſt: *Virga Dei appellatur*, ſcribit Lippoman. *per quam Deus facturus erat miracula.* Accinit Baſilius Seleucienſis orat. 26. *comprehenſa virga elementis imperabat.* Dum elementis imperat, Dei virga dicitur; dum magna non tentat, virga paſtoritia vocatur.

Exod. 4. v. 2.

Lippom.

Seleucienſ.

258. Cùm Saul impurato ſpiritu torqueretur, nec humana medicamina ſubſidio eſſent, Doëg Dauidem vocari conſuluit, & in eo ſpiritum Domini reſplendere aſſeruit: *Vidi filium Iſai Bethlehemitem ſcientem pſallere, & fortiſſimum robore, & virum bellicoſum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum, & Dominus eſt cum eo.* Profectò non dubitauit Dauidem, ſi aſciſceretur, venturum, cùm ardua adeò res eſſet dæmonem pellere, & cum impuratiſſimo ſpiritu decertare: facilè fuerit à Saule delegatis nuntiis Dauidem vocari; non tamen facile videbatur hanc Dauidem prouinciam ſuſcipere; & tamen de aduentu non dubitatur, nec Dauid excuſationes molitur. Et quæ huius ratio? Iam certè aulicus præmiſerat: *Et Dominus*, inquit, *eſt cum eo*: non poterat non magna tentare; imò & non geſtire, qui Dei ſpiritu reſplendebat ornatus, & virtute non communi munitus: arduum ſanè opus dæmonem in aula vincere, & furentem Principem cantu ſedare; verùm Dauid audebit intrepidus: quia Domini ſpiritu agnoſcitur agitatus: *Ego exiſtimo*, ſcribit noſter Sanctius, *ex quo Dauid cum vnctione alia quo-*que

1. Reg. 16. v. 18.

Sanct.

quæ dona accepit planè rara, multis ex iis, qui proximè habitabant, eſſe notiſſimum, & in eā fuiſſe exiſtimatione, vt Deum haberet propitium, & fauentem, a quo eſſet inſtructus: nec enim vulgaris erat aut numerus, aut ſpiritus, qui cernebatur in Pſalmis. Cognoſcebant omnes Dei Spiritu agitari, eoque moueri: ideò qui conſilium Regi præbuit, Dauidem contra Dæmonem aggreſſurum bellum, quantumuis arduum, nullatenus dubitauit. Adeò apud omnes in aperto eſt moliri magna quicunque Dei ſpiritu agitur, & monetur. Iam ipſe Dauid hanc etiam iterum veritatem ſuffulciat.

259. Nouum cum vnctione accepit Spiritus incrementum: *Directus eſt Spiritus Domini à die*
1. Reg. 16. v. 13. *illa in Dauid:* hoc Spiritu plenus, cùm in caſtra aduenraſſet, & ad gigantis conſpectum turbatos de ſtatione vidiſſet, certaminis prouocationem ad ſe rapuit, & inermis in arenam
1. Reg. 17. v. 32. proſiluit: *Ego ſeruus tuus vadam & pugnabo aduerſus Philiſthæum.* Qui eo ſpiritu non agebantur, non ſine dedecore corporis conſulebant ſaluti, vitæ de ignominioſa fuga prouidebant; at Dauid, quia iam agitabatur ſpiritu, rem tentat ad ſpeciem impoſſibilem, pro virtute deſpicit vitam, & tentat pro virtute vi-
Lyra. ctoriam: *Directus eſt ſpiritus Domini,* ſcribit Lyra, *id eſt ſpiritus fortitudinis & conſtantiæ ad liberandum populum. vnde & ſecundo capite dicitur quod inermis iuit conſtanter & voluntariè ad pugnandum contra Philiſthæum.* Ipſe occaſionem quæſiuit: ipſe non laceſſitus certaminis ad ſe prouocationem rapuit, ipſe aggreſſus eſt hoſtem, ipſe adiit periculum, nec armorum quæſiuit auxilium, quia in ſe ſpiritus habebat armarium: ſi cum inferiori hoſte Dauid componeretur, minus ſpiritus agnoſceretur efficacia, & impulſus agnoſceretur minus valentia: ingens hoſtis magnitudo ſpiritus commendauit virtutem: quia niſi magna inaceſſaque adeò Dauid tentaſſet, iniuriam ſpiritui intuliſſet. Non aguntur grandi ſpiritu, qui ſectantur humilia: per alta virtus it. Quàm benè Hierony- Hieron.
mus de Demetriade: *Contenta non eſt communi hoc, mediocrique genere viuendi, & quod facilè ipſa multorum ſocietate vileſcat; nouum aliquid & inuſitatum requirit, præcipuum ac ſingulare quoddam flagitat.* Ipſa gaudet virtus difficultate, de peregrinitate ſibi blanditur, inacceſſaque tentat, vt agitanti Deo aduletur: *Con-* Seneca.
tra fortunam, aiebat citatus Seneca, *illi* (id eſt viro forti) *tenendus eſt curſus, multa accident dura, aſpera; ſed quæ molliat, & complanet ipſa.* Minori virtute ornatos deterrent aſpera; ſed cæleſti ſpiritu vſi aſperis non deterrentur; ſed complanare moliuntur. Ergo Aod dum ardua, & inacceſſa tentat, à Domino dicitur excitatus; at Samgar dum exequitur communia, à Domino non refertur permotus: *Celſitudo* Cassiod.
(verba ſunt Caſſiodori 2. var. 2.) *niſi confidentia magna non appetit, dum generoſi eſt animi optare quod ſummum eſt. Audentes facit homines fiducia ſui: quia ſe non patitur occulere, quem præcipit natura prodire.*

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

VERS.1. ADDIDERVNTQVE filij Iſraël facere malum in conſpectu
Domini poſt mortem Aod, 2. & tradidit illos Dominus in
manus Iabin regis Chanaan, qui regnauit in Aſor: habuitque
ducem exercitus ſui nomine Siſaram, ipſe autem habitabat in
Haroſeth gentium. 3 Clamaueruntque filij Iſraël ad Domi-
num: nongentos enim habebat falcatos currus, & per viginti annos vehementer
oppreſſerat eos. 4. Erat autem Debbora prophetis vxor Lapidoth, quæ iudi-
cabat populum in illo tempore. 5. Et ſedebat ſub palma, quæ nomine illius vo-
cabatur, inter Rama, & Bethel in monte Ephraim: aſcendebantque ad eam
filij Iſraël in omne iudicium. 6. Quæ miſit, & vocauit Barac filium Abinoëm
de Cedes Nephthali; dixitque ad eum: Præcepit tibi Dominus Deus Iſraël, vade,
& duc exercitum in montem Thabor, tolleſque tecum decem millia pugnato-
rum de filiis Nephthali, & de filiis Zabulon: 7 ego autem adducam ad te in
loco torrentis Ciſon, Siſaram principem exercitus Iabin, & currus eius, atque
omnem multitudinem, & tradam eos in manu tua. 8 Dixitque ad eam Ba-
rac: Si venis mecum, vadam: Si nolueris venire mecum, non pergam. 9. Quæ
dixit ad eum: Ibo quidem tecum; ſed in hac vice victoria non reputabitur tibi,
quia in manu mulieris tradetur Siſara. Surrexit itaque Debbora, & perrexit cum
Barac in Cedes. 10. Qui, accitis Zabulon, & Nepthali aſcendit cum decem
millibus pugnatorum, habens Debboram in comitatu ſuo. 11. Haber autem
Cinæus receſſerat quondam à cæteris Cinæis fratribus ſuis filiis Hobab, cognati
Moyſi: & tetenderat tabernacula vſque ad vallem, quæ vocatur Sennim, & erat
iuxta Cedes. 12. Nuntiatumque eſt Siſaræ, quod aſcendiſſet Barac filius Abi-
noëm in montem Thabor: 13. Et congregauit nongentos falcatos currus, &
omnem exercitum de Haroſeth gentium ad torrentem Ciſon. 14. Dixitque
Debbora ad Barac: Surge, hæc eſt enim dies, in qua tradidit Dominus Siſaram
in manus tuas: en ipſe ductor eſt tuus. Deſcendit itaque Barac de monte Thabor,
& decem millia pugnatorum cum eo. 15. Perterruitque Dominus Siſaram, &
omnes currus eius, vniuerſamque multitudinem, in ore gladij, ad conſpectum
Barac: in tantum vt Siſara de curru deſiliens, pedibus fugeret, 16. Et Barac
perſequeretur fugientes currus,& exercitum,vſque ad Haroſeth,gentium & omnis
hoſtium multitudo vſque ad internecionem caderet. 17. Siſara autem fugiens
peruenit ad tentorium Iahel vxoris Haber Cinæi. Erat enim pax inter Iabin regem
Azor, & domum Haber Cinæi. 18. Egreſſa igitur Iahel in occurſum Siſaræ,
dixit ad eum: Intra ad me domine mi: intra, ne timeas. Qui ingreſſus taberna-
culum eius, & opertus ab ea pallio, 19. dixit ad eam: Da mihi, obſecro, pau-
lulum aquæ, quia ſitio valde. Quæ aperuit vtrem lactis, & dedit ei bibere, &
operuit illum. 20. Dixitque Siſara ad eam: Sta ante oſtium tabernaculi: &
cùm venerit aliquis interrogans te, & dicens: Nunquid hîc eſt aliquis? Reſpon-
debis: Nullus eſt. 21. Tulit itaque Iahel vxor Haber clauum tabernaculi, aſſu-
mens pariter & malleum: & ingreſſa abſconditè & cum ſilentio, poſuit ſupra tem-
pus capitis eius clauum, percuſſumque malleo defixit in cerebrum vſque ad
terram: qui ſoporem morti conſocians defecit, & mortuus eſt. 22. Et ecce Ba-
rac ſequens Siſaram veniebat: egreſſaque Iahel in occurſum eius, dixit ei: Veni,
& oſtendam tibi virum, quem quæris. Qui cùm intraſſet ad eam, vidit Siſaram
iacentem mortuum, & clauum infixum in tempore eius. 23. Humiliauit ergo
Deus in die illo Iabin regem Chanaan coram filiis Iſraël: 24. Qui creſcebant
quotidie, & forti manu opprimebant Iabin regem Chanaan, donec delerent eum.

§. I.

Digitized by Google

§. I.

Commentarius Litteræ.

Verſ. 1. Addideruntque filij Iſraël facere malum in conſpectu Domini poſt mortem Aod.

1. Mira populi deſcribitur ad delinquendum malitia, quando nec frænari potuit reportata de hoſte victoria. *Themiſtocles*, ſcribit
Plutarch. Plutarchus in apophthegm. *adhuc adoleſcentulus in vino, & luſtris volutabatur; at vt in Marathone fuit, fugauitque Miltiades dux legiones barbarorum, non offendes deinceps agentem Themiſtoclem diſſolutè. Eam ſtupentibus conuerſionem: Haud ſinit, inquit, me dormire, aut torpeſcere Miltiadis trophæum.* Ipſe honor honoris ſitim ingeſſit, & ne indignis actionibus partum obſcuraret trophæum, voluptatibus bellum indixit. Non miratur Hebræos ante glorioſa trophæa eneruibus deliciis, indigniſque illecebris auidè adeò ſtudere; miror tamen nec extremis cladibus frænatos, nec honoribus ſummis contentos. A culpis reſipiſcentia ſæpè ad dominij maieſtatiſque faſtigium eos extulit, & extremis depulſis calamitatibus gloria honoreque coronauit: vt è contrà culpa peccandique libido ſpoliauit gloria, nudauit fama, indecora obſcurauit ignominia, ac duriſſima ſeruitutis preſſit catena. Verùm licèt honore, ſeruitureque veluti geminatis calcaribus ad honeſtatem impellerentur, ea delinquendi erat libido, vt quotidie magis ac magis inſoleſcerent, & omni pudore abacto, & ſtudio honoris omni depulſo, noua retroque inuiſa ſcelera cogitarent. De his ſcribere potuit Poëta: *Quiſnam hominum eſt, quem tu contentum videris vno flagitio?* Huius liberioris vitæ occaſionem fuiſſe longæuam Principis ſenectutem, autumant nonnulli: nam cùm iam Aodus longa imbecillaque ſenecta poſtremis vitæ temporibus langueſceret, nequibat populi regimini antiqua, ſtudioſaque ſedulitate vacare: & quidem populus grandæuum Iudicem, & ætate penè confectum animaduertens, incepit leges ſeueritatis violare, & honeſtatis cultum faſtidire. Itaque mores paulatim corrupti ſunt; cúmque eruditione & coactione tunc temporis iam carerent, ad antiquum redierunt ingenium, & inuitante licentia inuolauerunt ad vitium. Adhæc poſt Aod mortem, cùm vel laxato illo fræno prorſus carerent, veluti impotentia nequitiæ, omni metu ſepoſito non ſolùm damnatos proſecuti ſunt mores; ſed auxerunt nequitiam nouis exceſſibus, & ſtupendis reatibus. Hoc, ni fallor, exprimit textus, dum ait: *Addiderunt facere malum poſt mortem Aod:* quaſi dicat: Extremo Aodi tempore iam reuocare mores vulpinos inceperant; ſed eo defuncto licentiùs, procaciùs, & impudentiùs vixerunt. Verùm dum totos improbitatis, ac deteſtabilis licentiæ ſinus expandunt, & diuinæ etiam iuſtitiæ vindictam ſentiunt: eos namque tradidit Dominus, ſeu, vt in Hebræo eſt, *vendidit*, in manus Iabin Chananæi, & potentiſſimi regis, qui antiquis exemplis eruditus, ſolicitiùs ſtuduit populum adeò opprimere, vt nec liceret libertatem ſuſpirare. A Iabino victoriam de Hebræis non tam humanis viribus, aut militaribus copiis, quàm Dei vindicis ac in Hebræos irati fauore partam textus dilucidè prodit, dum traditos refert: Aliquantulum operæ laboriſque poſitum eſt à Chananæis in Iſraëlitarum debellatione; verùm profuiſſet nihil omnis Chananæorum potentia, ni Hebræi ſe ob nequitiam diuino priuaſſent auxilio, & vires addidiſſent contrario: Iabinum hunc non fuiſſe antiquum illum in Aſor olim regnantem Ioſuæ hiſtoria clarè demonſtrat; fuiſſe verò ex eo prognatum, quique aduerſæ fortunæ tempore cum familiæ ac gentis ſuæ reliquiis ſe in munitum aliquem locum, ſyluamue receperit, tradit Arias Montanus. Hic ergo paulatim auctus exuſtam Aſorem iterum reædificauit, & ſe cum exercitu ſuo illuc contulit, & vt potuit, curiam inſtituit: vtque agnoſcas quàm ſint bellorum caſus incerti, ipſe qui regno pulſus ſyluam coactus eſt habitare, de ſylua prodiit, & regalem iterum thronum inſcendit. Iabin nomen hoc vti commune illius ditionis regibus, aut in aui, patriſue honore retinuit, eoque iactantiam ſuam veluti inſculptam oſtendit, & ſuperbiam populis omnibus oſtentauit: ſignificat namque Iabin, vt placet Ariæ Montano, *intelligentia, & prudentia perpetuæ compotem.* Et quidem Reipublicæ Montan. clauum tenentibus magnam prudentiam diligentiamque neceſſariam eſſe nullus ignorat. *Hinc intelligitur* aiebat Caſſiodorus 7. var. 8. *quid* Caſſiod. *ſentire maiorum potuiſſet auctoritas, quando præfectos vigilibus appellare voluerunt, qui pro generali quiete diſcurrunt.* Ipſos vigilantes, intelligenteſque antecellere longè debet conſiliis vigiliiſque, qui præfecturam inſcendit; alioquin nomen honore vacuum portabit; Rex hic ſuam declarauit prudentiam, dum in militiæ Principem elegit Siſaram hominem quidem ea induſtria pollentem, vt ferè omnes gentes ad ſe traxerit, & confluere fecerit: *Habuit ducem exercitus ſui nomine Siſaram: ipſe autem habitabat in Haroſeth gentium:* Ciuitas, quam Siſara incolebat, vocata eſt *Haroſeth gentium:* quia gentes vndique confluebant, & ad Siſaræ ciuitatem inuolabant. Itaque etſi Iabinus grandi falcatorum curruum potentia, & militum copia floruerit; felicior fuit quia Siſaram ſtrenuum ducem ſortitus eſt. Certè ſi magnæ potentiæ imbecillus ignauuſque miniſter acceſſerit, languet; vt è contra floret exigua etiam potentia ſoletti ac ſagaci miniſtro armata. *Clariſſimatus honorem*, aiebat Caſſiodorus 7. var. 7. *ornamenta* Caſſiod. *iudicij noſtri regia tibi largitur auctoritas, quod præbeat & exacta vita teſtimonium, & futuræ proſperitatis pollicetur augmentum.* Futuræ proſperitatis pollicetur augmentum miniſtrum elegiſſe benè moratum, & tractandis rebus induſtrium. Ergo Siſara induſtrius, & armis exercitatus Domini ſui auxit gloriam, & ſit maſſe videbatur fortunam. Alcimus lib. 6. cap. 15. Siſaram Alcimus. ait giganteæ proceritatis fuiſſe.

——Maximus ille,
Forma gigantææ quem fecerat horrida molis
Conſpicuum, immenſamque humani verticis arcem,
Siſara.

Sub hoc duce duriſſimam Hebræi patiebantur ſeruitutem, quod Hebræus textus explicuit, dum

Digitized by Google

dum loco aduerbij *Vehementer*, reddit *in violentia violentè.* Itaque ipſam violentiam veluti violentabat, & vltra violentiæ limites extendebat. Sic oppreſſi ad expertum ſibique iam notum aſylum, pœnitentiam ſcilicet & lachrymas confugerunt. *Clamauerunt filij Iſrael ad Dominum.* Nimia vexatio lachrymabilem clamorem extorſit, & inſolens tyranni potentia, quæ nongentis falcatis curribus innitebatur, ſic terminos feritatis progreſſa eſt, vt ſummis extremiſque calamitoſæ gentis miſeriis oblectaretur. Adhæc memoria receptæ antiquitus cladis animum ex ſe trucem ſæuumque continuò excitabant, & veluti admotis calcaribus adigebant: vt repetere poſſimus:

Necdum etiam cauſæ irarum ſæuique dolores
Exciderant animo: manet alta in mente repoſtum
Decus amiſſi, damna, atque iniuria regni:
Et genus inuiſum, strageſque, neceſque ſuorum.

De falcatis curribus multa apud interpretes: armabantur curuis, & acutiſſimis enſibus in modum falcis, equi ab aurigis verſus eam partem, qua opus erat, agitati eo impetu currebant, vt quidquid obuium diſſecarent, & comminuerent: ob id nullus audebat reſiſtere; imò benè ſecum actum putabat, ſi potuiſſet euadere.

---

§. II.

Commentarius Litteræ,

Verſ. 4. Erat autem Debbora prophetis vxor Lapidoth; quæ iudicabat populum in illo tempore.

2. PEr id temporis ne aliquod miſeris deeſſet ſolatium, excitauit Deus mulierem Debboram nomine, vt ipſo vocabulo in hoſtes armaret aculeum, & elaboraret calamitoſiſſimis ſanum: Debbora namque interpretatur apis. Hæc ergo mulier, quæ vxor Lapidoth refertur, à contubernio hominum ſeparata ſub palma deſcribitur degens, & ibi oracula prodens; vt illi aptari poſſet, quod de Ariſtide

Plutarch. ſcribit in apophthegmat. Plutarchus: *Ariſtides iuſtus Rempublicam ſemper ſuis opibus gerebat, ac ſodalitia defugiebat.* Semota ab hominibus, hominibus proficiebat, & auſtera eius vita erat pro populis arma: *Neque videri iuſtus hic; ſed eſſe vult, alta receſſum mente poſſidens, ſcatens ex quo ſalubria conſilia per Græciam,*

Æſchilus. ſcribebat Æſchilus de Magnate Reipublicæ ſalutari. Ergo Debbora optimis conſiliis populum adiuuabat, & ad patrios mores reducebat. Erat tunc temporis opportuniſſimum hoc per mulierem agi, ne tyrannus quid ſibi timeret, & in ſuſpicionem deueniens impediret. Quærunt interpretes, quis nomine Lapidoth veniat intelligendus. Rabbinorum pleriqueBaracum putant; hi tamen refelluntur à noſtro Serario q. 2.

Serarius. quia Baracum Nephthalitam, & Debboram Ephraimitam putat: cumque licitum non eſſet tribus confundi, non videtur mulierem ſpiritus domicilium legem violaſſe, & nuptias cum

3. viro alterius tribus iniſſe. Iam ſtatuto quòd Lapidoth non fuerit Barac, quæritur, an tunc fuerit vxorata, aut vidua. Viduam fuiſſe tradit S. Ambroſius libro de viduis: refragatur Ambroſ.
Hieronymus epiſt. ad Furiam ſub finem: Arias Hieronym.
Montanus & Abulenſis quæſt. 6. ſic videntur Montan. Abulenſ.
has concordare ſententias, vt putent ex eo tempore, quo vaticiniis afflata fuit, ſic à viri toto ſeiunctam fuiſſe, vt inſtar viduæ ſe geſſerit, & omnibus vxorum ornamentis renuntiarit. Dubium eſt etiam, an mulier hæc poteſtate iudiciaria viguerit, ita vt debeat inter populi iudices recenſeri, & annumerari. Videtur textus litem dirimere, dum ait: *Quæ iudicabat populum in illo tempore.* Aſſentit D. Ambroſius libro de viduis: *Vidua*, inquit, Ambroſ.
populos regit, & rurſum fœmina iudicauit, fœmina diſpoſuit. Suffragatur quantum ad iudiciariam poteſtatem citatus ad Furiam Hierony- Hieronym.
mus, & in præfatione in Sophoniam. Adſtipulatur Caietanus, & Genebrardus libro 1. Caietan. Genebrard.
Chronolog. Putant alij eam tantummodò vocari iudicem: quia promebat è diuina ſapientia reſponſa & oracula, cùm excitabatur aliquod de iure iurgium, aut graue occurrebat negotium. Itaque cùm Iſraëlitis iudiciaria poteſtas per tyrannum adempta eſſet, recurrebant ad fœminam, non tamquam ad iudicandi poteſtate præditam; ſed tamquam ad vatem ſacram. In hanc ſententiam conueniunt Rabbini, Abulenſis quæſtione 5. & 7. Arias Monta- Abulenſ.
nus, Munſterus, & Tremelius. Cogitatio- Montan. Munſter.
nem ſuam ſtabiliunt quia cùm mentio de iudicibus fit, non ipſa; ſed Baracus nominatur, Tremelius.
vt patet ex Paulo ad Hebr. 11. verſ. 32. Noſter Serarius putat verè fuiſſe iudicem; non Serarius.
tamen exercuiſſe tunc in populum plenum ob Iabini tyrannidem dominatum. Abulenſis Abulenſ.
quæſtione 7. quærit, an fœminis licitum fuerit iudicare, & in Eccleſia loqui: reſponderque communiter regulariterque inconueniens eſſe mulierem poteſtate iudiciali fulgere; poſſe tamen ob ſingulare Numinis priuilegium, ea prudentia, ac animi conſtantia pollere, vt conueniens ſit, & ius dicere, & loqui. Quo in loco hæc iudicia ſeu oracula proderentur, explicat textus, dum ait: *Et ſedebat ſub pal-* Chald.
ma. Chaldæa paraphraſis: *Et fuit habitans in vrbe in Ghataroth Debbora inter Rama, & inter Bethel in monte domus Ephraim.* Oportebat quidem iudicia hæc in aperto exerceri, ne ſi intra domum, in abſconditoque fierent, ſuſpicionem aliquam hoſtibus generarent, & ſuſpiciones ipſæ rem impedirent. Ab ipſa Debbora nomen accepit palma; quæ nomine illius Debbora vocabatur. Inter Rama & Bethel in monte Ephraim viruiſſe oſtendit textus, ibique Debboram contitiſſe; vt commodiùs ad illam populus poſſet confluere, & nullis foribus aut miniſtris retardari.

Verſ 6. Quæ miſit & vocauit Barac filium Abinoem de cedes Nephthali; dixitque ad eum: Præcepit tibi Dominus Deus Iſraël, &c.

Abinoem interpretari patrem pulchritudinis, aut patrem pulchrum, amœnum, & glorioſum, tradit noſter Serarius hîc quæſtione 8. Serarius
Et quidem iam Baracus compellebatur ad ma- Caſſiod.
gna, quando in patente tot præceſſerunt elogia, *Grande*
vt repetat Attalaricus 9. var. 23. *Nullum me- compendium*
lius poteſt eſſe compendium, quàm laudibus ſuc- laudibus
ceſſiſſe maiorum. Baracus fulgor interpretatur: *ſucceſſiſſe maiorum.*
nec

nec enim à luce niſi fulgor prodire poſſet: & licèt nihil à Baraco referatur ante electionem geſtum, electionis eius iudicium iam in patre præceſſerat approbatum: nam, vt benè citatus Attalaricus: *Vos dilexiſſe iudicium eſt, vnde libertatis augmentum & noſtri imperij creſcit ornatus, rerum cauſæ ſemper in ſemine ſunt: fructus editus prodit auctorem, & quidquid à diuinitate meremur, de felici prole colligitur.* Qualis futurus eſſet filius in glorioſo iam agnoſcebatur parente: ergo hic eligitur, vt populum ab oppreſſione liberet, & vires tyranni edomet. Quidam putant Baracum Debboræ fuiſſe patrem, alij filium: pro iſtis eſt S. Ambroſius lib. de viduis: pro illis Genebrardus, aut certius Nangiacus. Refragatur Hieronymus citata in epiſtola. Debboram per Angelum monitam, lumineque prophetico excitatam abſentem ad ſe vocaſſe, illique diuina mandata expoſuiſſe, dubitare non ſinit verſus ſextus. Baracus ergo diuino audito decreto, quamuis inualida manu potentiſſimum hoſtem ſe aggreſſurum ſpondet; ea tamen conditione, vt Debbora illum comitetur. Quo in reſponſo, ni fallor, viri reſplenduit coniuncta cum humilitate animoſitas, & cum modeſtia fiducia. Amplectebatur periculum; ſed ſupra vires ſuas illud exiſtimabat negotium; & ob id prophetidis expetiuit conſilium, & exambiuit conſortium. Septuaginta reddunt, apud D. Auguſtinum quæſtione 16. *Neſcio diem, in qua proſperat Dominus Angelum mecum.* Apud Ambroſium lib. de viduis: *Non noui diem, in qua dirigit Dominus Angelum ſuum mecum.* Quaſi dicat: Cùm ſummè oporteat, victoriæque reportandæ conducat bellandi tempus à Domino decretum non proteſare; ſed opportunè præripere, te vti prophetide indigeo, quæ mihi opportunum tempus poteris demonſtrare, & ſine qua nullatenus queo ſcire. An hæc Baraci reſponſio culpabili fuerit cunctatione obſcurata, dubium apud interpretes eſt. Et quidem mulctatum fuiſſe victoria, aliquam innuit culpam: quam ſententiam in ipſum protulit Debbora: *In hac vice victoria non reputabitur tibi:* quaſi dicat, ſi totum te diuino auxilio mandatoque commiſiſſes, integra inſignique gloria fruereris: at dum meam ſocietatem expetis, & victoriæ laudem amittis. Arias Montanus putat timuiſſe Baracum vulgi iudicium, ne ſi prophetis abeſſet, crederent multa ſuo arbitrio diſponere, nec præceptionibus diuinis parere. Verùm etſi omnis culpæ hìc Baracum non credant expertem, illum miror, quia laude priuatus, & victoriæ honoribus deſtitutus nec pedem retraxit, nec colligere manum diſtulit. Itaque Debbora comitatus perrexit in Cedes, vnde Zabulonios, & Nephthalitas aſciuit, & conſilium Domini declarauit: illi vt nouerunt ſe à Domino eligi, exprompté libenterque animas ſuas certamini obtuluerunt, & omni ſe negotio expeditos ſine mora Baraco & Debboræ præſentarunt.

Ambroſ. Genebrard. Hieron.

Septuaginta. Auguſt. Ambroſ.

§. III.

Commentarius Litteræ.

Verſ. 11. **Haber autem Cinæus receſſerat quondam à cæteris Cinæis fratribus ſuis filiis Hobab, cognati Moyſi: & tetenderat tabernacula vſque ad vallem, quæ vocatur Sennim, & erat iuxta Cedes.**

QVàm prouidè ante tempus omnia ad victoriam neceſſaria ſummo conſilio Deus diſpoſuerit, verſus hic edocet: nam cùm Cinæi Ietro poſteri cum Iudæ tribu in deſerto habitare elegerint, Haber ſine dubio ſuperno pulſu afflatus decreuit cognatos ſuos deſerere, & in Iabini ditione; fœdere tamen cum illo inito inhabitare. His rebus ita diſpoſitis fama perlata eſt ad Siſaram, Baracum ſcilicet manum cogere, & in prælium proſilire. Arias putat ab exactoribus nuntium perlatum, aut à Principis gratiam ambientibus ſuggeſtum. Siſara belli expertus, ne tempus maiores copias colligendi haberet Baracus, celeritate maxima præuerti, frangique oportere cenſuit. Ob id quam maxima potuit: breuitate falcatis curribus inſtructus, & omni exercitus comitatus ad Ciſon torrentem perrexit: nec ſine ſpe temeritatem, vt ipſe putabat, Baraci puniendi, & eius exercitum facillimè profligandi. Itaque cùm iam caſtra fixiſſet iuxta Ciſon, Debbora Barac admonuit, & tempus victoriæ opportuniſſimum indicauit: *Dixit Debbora ad Barac: Surge, hæc eſt enim dies, in qua tradidit Dominus Siſaram in manus tuas.* Nihil tam arduum eſſe poteſt, quod fortunatè, fauſtéque non perficiatur, ſi diuinum adſit auxilium: ergo Debbora diuinam opem adeſſe denuntiat, & quamprimum adoriatur bellum, ſolicitat. Barac breui oratione excitatus de monte in planum deſcendit, quo ſigna cum inimico contulerit: nec dum commiſſum eſt prælium, cùm ſæua ingruit procella, quæ horrendo fragore inimicorum animos perculeret, enitaret, ingentique grandine facies feriret, & frigore incuſſo ferè ineptos ad arma redderet: *Perterruit Dominus Siſaram*, &c. Abulenſis quæſtione 15. putat vel iactis lapidibus, vel ingenti grandine Siſaram perterruiſſe. Ioſephus 5. antiquit. capite 6. ſic habet: *Commiſſa pugna vehemens imber mixtus grandine ſuperuenit, quem ventus in aduerſos Chananæorum vultus ingerens, & proſpectum adimens inutiles eorum iaculatores ac funditores reddidit.* Diuina ope res ad ſpeciem difficillima citiſſimè fuit perfecta: copioſa namque Siſaræ manus eo terrore perculſa tabuit, vt Iſraëlitarum armis patuerit; imò ſe propriis enſibus trucidauerit. Itaque cùm iam currus, qui præcipuum erant Siſaræ ſubſidium, attriti fuiſſent, cùm eneruati equi, cùm milites omnes ſtupefacti, Siſara de curru deſiluit, & fuga vitam redimere feſtinauit. Rogat Abulenſis quæſt. 16. cur non

41

Abulenſ. Ioſephus.

Abulenſ.

Digitized by Google

curru tentauerit manus hoſtium effugere; ſed pedes inuolarit. Reſponderque vel obturbato animo id feciſſe, vel putaſſe melius ſe poſſe euadere, ſi non vti dux curru conſiſteret; ſed vti gregarius miles viam carperet. Et quidem honeſtius fuiſſet acie occubuiſſe, quàm indecorè fugiendo vitam ſeruaſſe. Nullus de Hebræis deſideratus refertur, cùm tot militum millia occiſa referantur. De Lucullo ſcribit Plutarchus in apophthegmat. Cum decem millibus peditum, & mille equitibus bellum mouiſſe in Tigranem centum quinquaginta militum millibus imperantem, quos & fudit, & quinque tantùm ex ſuis deſideratis edomuit: *Effuſos in fugam omnes conſectans quinque de ſuis deſiderauit, de hoſtibus concidit plus centum millia.* Felicior deprædicandus eſt Baracus, qui nullum de ſuis deſiderauit, & plus fortè de aduerſariis contriuit. Barac fugientes perſecutus eſt vſque ad ciuitatis portas ingenti adeò illorum clade, vt ferè nullus effugerit. Itaque nec labore fatigatus ab incepto deſtitit; ſed victoriam perficere pertinacia laudabili feſtinauit. Intereà Siſara ſe in tentorium Iaëlis recepit ob fœdus inter Iabin, & Cinæum Iahëlis virum, ſecuritatem ſibi promittens, & hoſtium manus eludens. Iahël fugienti occurrit, & vt potuit, ſolata eſt promittens domi ſuæ inimicorum poſſe manus effugere, & animum exagitatum metu ſedare. Arias Montanus putat ingenioſè cauteque hoc iniuiſſe ſtratagema, vt incautum faciliùs interimeret, aut ſaltem hoſtibus traderet. An Iahël fidem violauerit, crimenque commiſerit, quæſtio interpretibus eſt. Arias Montanus, vt dicebam, totum ad ſtratagemata contra legitimum hoſtem licita refert. Abulenſis quæſt. 24. tenet honeſtè, licitéque feciſſe tum ob communem ſalutem populi, tum quia nouerat Siſaram à Deo quaſi proſcriptum, & bannitum; hoc autem ſciuiſſe facillimum erat, cùm nullus dubitare poſſet de cælo contra Siſaram pugnari curruis coruſcationibus, contortis fulminibus, & inauditis anteà fragoribus. Siſara & periculo ſolicitatus, & vrbanitate Iahëlis allectus tabernaculum ingreſſus eſt, vbi pallio opertus latere ſtuduit. Exiſtimabat miſer ille Iahëlem ſtudioſè conſulturam eius vitæ, & proſpecturam ſaluti; verùm longè aliud erat mulieris conſilium: ſatagebat namque illum detinere, & quidem, ſi poſſet, occidere, aut ſi non poſſet, honeſtè dedere. Pallium, quo Siſara opertus fuit, ex muliebribus ornamentis fuiſſe, tradit Arias Montanus. Et quidem iure muliebris ornatus illum non occuluit; ſed infamauit: inſtar mulieris enim haberi debuit, qui exanimatus ſic fugit. Ni velis nullum aliud tegumentum aptius ad veritatem occultandam, quàm muliebris mundus, & fœmineus ornatus.

Plutarch.

Montan.

Abulenſ.

§. IV.

Commentarius Litteræ.

Verſ. 19. Dixit ad eam: Da mihi, obſecro, paulului aquæ, quia ſitio valde. Quæ aperuit vtrem lactis, & dedit ei bibere, & operuit illum.

ITineris labore defatigatus, puluere, & calore aduſtus vehementer ſitiebat: vnde deprecatiua, modeſtaque voce aquam efflagitauit; 5.
verùm etſi neceſſitas illum vſque ad petitionem deiecerit, ea erat hominis ſuperbia, vt quaſi famulæ ſeruæque modum, & legem illum aſſeruandi præſcripſerit, & intimarit: *Sta ante oſtium tabernaculi, & cum venerit aliquis interrogans te, dicens: Numquid eſt hic aliquis? Reſpondebis: Nullus eſt.* Iahël mandatum audiuit, & potum non aquæ; ſed lactis ſuppeditauit: *Aperuit vtrem lactis, & dedit ei bibere:* non præbuit aquam; ſed lac, vt ſe obſequentiorem oſtenderet, vtque ipſo obſequio illi periculum conciliaret: lac namque ſoporem exciuit, & ſomno reſolutus Siſara iacuit: & ne lux, dum pulſat oculos, impediret, operculum miniſtrauit. Itaque Siſara ſperans Iaëlem ante oſtium excubaturam, eiuſque induſtria plus iuſto fidens ſopori traditur, & ſomno immergitur. Iahël virulentiſſimum hoſtem veluti letargo traditum conſpicata excogitauit libertatẽ patere populo, & necem inferre ſopito: itaque prudenti conſilio, & magna animi conſtantia vno ex paxillis ferreis, quorum ad continenda in tentorio vela vſus erat, ſupra dormientis tempore impoſito, & valenter malleo percuſſo hominis caput transfodit, & tellure confixit. Siſara ſomno veluti oppreſſus, & mortis dolore perculſus ante ferientis pedes voluebatur, adeoque celerrimè egit animam, vt mors ictus echo quodammodò fuerit: dum Iahëlis tentorio perculſus inimicus peribat, Baracus omni ſtudio, ſolertiaque illum perſcrutaturus veniebat: ſatis non fuit grandis certaminis labor, tanta hoſtium ſtrages, vt laſſus in hoſte quærendo tantam animi non oſtenderet promptitudinem; imò nulli pepercit moleſtiæ, quo prædictum à prophetide triumphum perficeret, & indefeſſa ſedulitate compleret. Iahël, quæ in occurſum Siſaræ egreſſa fuerat, & Baraco etiam occurrit, vt lætum nuntium acceleraret, lætitia geſtiens ſe intra tabernaculi limites non potuit continere; ſed feſtinauit venienti occurrere, oſtenditque Baraco tabernaculum ſanguine madens & quidem pulchrius, & nece aduerſarij firmius. Quod Iahël nuntiabat, citiſſimè Baracus oculis aſpexit, & quem paulò antè curru ſuperbiſſimo vectum, milite copioſo ſtipatum, tot militum dominio ſuperbum viderat, iam transfoſſum ad terramque miſerè deuolutum videbat. Hac accepta clade adeò Iabin humiliatus eſt, vt iam nec vindictæ foueret animos, nec ad bellum haberet ſpiritus. Vbi textus noſter ſcribit *Humiliauit*, Chaldæus Paraphraſtes tranſtulit, *fregit.* Itaque & robore & animo fractus ſolùm viuebat, vt dolore agitaretur, & ſumma calamitate

Chaldæus.

calamitate ſolueret, quod olim inſolenti, ſuperbaque vanitate deliquit. Feliciſſimus triumphus non ſolùm hoſtes repreſſit; ſed exinceps fauſtos ſucceſſus populo prænuntiauit. Ergo iam viribus aucti præualuerunt, vt hoſtem penitus & profligauerint, & deleuerint.

§. V.

Qui ſub ſpontanea paupertate degit, facilè virtutes colit, & alios ad colendam virtutem trahit.

6. Diuitiæ ſemper extitere vitiorum fomenta, cupiditatum calcaria: appetitus inſania delicatis ac copioſis ciborum deliciis irritatur, libido vti facibus vinis pretioſis accenditur, dum corpus blandis ſtudioſius fouetur, ipſis fomentis validiùs contra virtutes armatur. *Zeno*, ſcribit Plutarchus lib. qua ratione ex inimicis emolumentum capias, *nauigium ſuum meritorium cùm fractum accepiſſet, probè ſanè facis, inquit, fortuna, ad lanam quæ nos redigis: vt enim animantes, quæ valentibus ſunt ſtomachis, & firmiſſima valetudine, angues & ſcorpiones vorant & conficiunt, quædam lapidibus & teſtis veſcuntur, quæ robore & feruore peragunt ſpiritus, cùm faſtidioſi, & valetudinarij, ſi panem & vinum aſſumant, nauſeent.* Paupertas eſt veluti vitiorum febris, qua illorum vires elanguent, & languentes à peſtilentibus cibis abhorrent: vt enim feræ dum integro robore vigent, venenoſos ſerpentes & ſcorpiones auidè ſæpè mandunt, quæ tamen morbo correptæ quodammodò ingenium deponunt, & à noxiis retrahuntur, ita homines diuitiarum copia valentes in omne nefas, ſi non inſolenter, ſaltem audacter ruunt; paupertate tamen frænati meliora ſapiunt, & ad virtutem proficiunt. Ecce Hebræorum populus vitiis anteà addictus ſub Samgare vno impetu inimicos plures occidit, & ſub illo vitam pacatè traduxit: *Poſt hunc fuit Samgar filius Anath, qui percuſſit de Philiſthiim ſexcentos viros vomere, & ipſe quoque defendit Iſrael.* Hugo Cardinalis in expoſitione capitis 4. Iudicum ſic ait: *Samgar interpretatur incola, & ſignificat viros bonos, & fortes, temporalium contemptores... Samgar viuente terra fuit in pace: quia dum tales fuerunt prelati in Eccleſia pax fuit: nullus enim de paupertate contendit: vnde ſecundum philoſophum paupertas eſt odibile bonum, ſanitatis mater, curarum remotio, reparatrix ſapientiæ, negotium ſine damno, poſſeſſio abſque calumnia, ſine ſolicitudine felicitas: Samgar, id eſt, prælati contemptores temporalium defecerunt.* Dum ſub Iabino diuitiis onuſtiſſimo, & magnis facultatibus prædito populus vixit, & crimina criminibus auxit: *Addiderunt*, inquit, *filij Iſraël facere malum in conſpectu Domini.* Sub diuite floruerunt vitia, ſub paupere viguerunt merita: vno veluti impetu inimicos omnes paupertas confregit, & illorum vires accidit: vt noſcas ſub paupertate pompam explicari virtutis, vt ſub diuitiis vigere inſolentiam criminis.

Plutarch. Salus vitiis indulget, infirma valetudo abſtinet.

Iudic.3.v.31.

Hugo. Nullus de paupertate contendit.

7. Eliſæus à magiſtro inuitatus geminum obnixè flagitauit ſpiritum: *Fiat in me duplex ſpiritus tuus.* Petitionis difficultatem magiſter exaggerat, non vt donationis gratiam adulteret; ſed vt diſcipulum ad inuigilandum ſolertiùs excitet: *Rem difficilem poſtulaſti, attamen ſi videris me, quando tollar à te, erit tibi, quod petiſti.* Igneo curru rapitur, & diſcipulus duplici & contrario affectu mouetur, lætatur de gloria, percellitur dolore de abſentia, cùmque pectus dolorem non caperet, veſtes rupit, quo anxietatem tantiſper euaporaret: iam nudus melotem accipit gemini ſpiritus teſtimonium, & votorum complementum *Leuauit* pallium Eliæ, quod *ceciderat ei*: qualis fuerit huius petitionis ſcopus, addubitant Patres: ſentiunt plures multiplicatam ad miracula virtutem depopoſciſſe, & in pallio veluti alligatam à magiſtro non ſine myſterio impetraſſe. Adeſt Rabbi Salomon apud Lyram: *Dicit Rabbi Salomon quòd petiit habere ſpiritum in dupla proportione reſpectu Eliæ, & ad hoc inducit quod octo miracula tantùm ſcribuntur facta per Eliam... ſedecim verò ſcribuntur in Eliſæo* Itaque contra mortem, contra morbos, contra vitia duplicatum clamoribus poſtulauit ſpiritum, & accepit in pallio: *Non à caſu cecidit*, ſcribit Lyra; *ſed ex diuina ordinatione, vt Eliſæus ipſo operiretur in ſignum quòd ſpiritus Eliæ requieſcebat ſuper eum.* Itaque pallium in Eliſæo, erat duplicati ſpiritus teſtimonium. Quòd ſi quæras cur idem pallium in Eliſæo prodat augmentum, cùm in Elia gemini ſpiritus non fuerit indicium, in promptu reſponſio eſt, Eliam ſcilicet propria indutum fuiſſe melote, Eliſæum verò aliena, & precariò emendicata. Ergo qui ſtrictius coluit paupertatem, & duplicatam contra morbos vitiaque accepit pallio virtutem, dumque pallium grauioris paupertatis exiſtit indicium, & duplicati etiam eſt ſpiritus argumentum: Eliſæus plus in vitia valuit: quia & Elia pauperior vixit: vt noueris paupertatis in vitia validiſſimas eſſe vires, vt diuitiarum ſunt in virtutes. Quiſquis amat vigere ſpiritu, pompa micare virtutum, colat animitus paupertatem optimam virtutum nutricem, ſine qua ſi penitus non marcent, ſaltem paulatim creſcunt, & exuccæ viuunt. *Quòd ſit virtutibus cognata paupertas*, ſcribit Chryſologus ſermon.28. *terrena & cæleſtis comprobat diſciplina: athleta ad luctamen nudus accedit, confligit cum fluctibus nauta nudus, miles in acie non niſi expeditus aſſilit: qui tendit ad philoſophiam, totum quod in rebus eſt, ante contemnit.* Itaque paupertas eſt virtutum ſchola, ſpiritus mater, morum excultrix, probitatis ſocia, & vitiis ſemper aduerſa.

4.Reg.2.v.9.

R. Salomon.

Lyra. Chryſol. Paupertas virtutis cognata.

Cogitabam non ſemel in Apoſtolorum electione magnum inueniri diſcrimen: *Ambulans Ieſus*, inquit Matthæus, *iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, quia vocatur Petrus, & Andream fratrem eius mittentes rete in mare: erant enim piſcatores, & ait illis: Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum.* Ad expiſcandos homines, extrahendoſque de fœtido libidinis luto, de procelloſis paſſionum fluctibus, de lubrico voluptatum cœno piſcatores vocantur, cùm Matthæus ad telonium ſedens ad expiſcandos homines expreſſè nullatenus inuitetur: *Vidit hominem ſedentem in telonio Matthæum nomine, & ait illi: ſequere me.* Iam vrget difficultas: cur Petrus & Andreas ad 8.

Matth.4. v.18.

Matth.9 v.9.

Digitized by Google

ad veſtigia ſectanda vti Matthæus non vocentur, aut cur Matthæus ad expiſcationis munus non transferatur? Fuitne fraterna charitas dignior, aut Chriſtus Dominus erga fratres liberalior? omnia ſanè myſteriis exundant: Matthæus vſuris diues, lucris onuſtus, cautionibus plenus: hic ergo priùs ad colendas virtutes vocatur, quàm ad aliorum vitia detergenda legetur. Satis eſt diuiti virtutibus viuere: nec enim alios à vitio facile quibit extrahere; at Petrus & Andreas, pauperes non inuitè probantur, & moribus exculti produntur: ideò non vocantur ad veſtigia ſectanda; ſed ad animarum lucra quærenda. Adeſt Chryſologus iam citatus: *Petrus & Andreas, Iacobus, & Ioannes germanitas combinata; imò congeminata paupertas in Apoſtolorum Principes eliguntur, pauperes cenſu, loco humiles, viles arte, obſcuri vita, labore communes, addicti vigiliis, fluctibus mancipati, negati honoribus, iniuriis dati, præſidio retis, ſolo piſcium captu victum, veſtitumque conquirentes.* Addit non multò poſt: *Venite, inquit, & faciam vos fieri piſcatores hominum, vt vitalis eſca iactu, vt hamo cæleſtis verbi de mortis gurgite animas ad lucem tollerent ſempiternam captores piſcium fiunt hominum piſcatores.* Itaque etſi Matthæus vocetur, quia diues ad vitia hominum detergenda non delegatur; ſed Dominica ſequi veſtigia iubetur; at Petrus Ioanneſque hominum piſcatores eliguntur: quia vti paupertatis cultores præditi honeſtiſſimis moribus comprobantur. Pauperi ſpontaneo parum eſt mores ſuos excolere, niſi & aliorum vitia conetur detergere: diuiti non eſt adeò facilè contra hominum vitia depræliari: quia clarè non conſtat virtutibus ſuffulciri.

Chryſol.

9. Cùm helluo ille ingluuiem ſiti ardentiſſima ſolueret, & flamma purpuram commutaſſet, ſui accuſatores leuauit oculos, & quia ſibi obtinere nequibat auxilium, fratribus anxiè ad ſpeciem procurabat remedium: Abrahamum obnixè obſecrat, vt in patris ſui domum Lazarum mittat, qui fratres ſuos horrendas vitare flammas ſuadeat: *Rogo te, pater, vt mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres, vt teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum.* O quàm nigro obcæcatur fumo, dum ardet inſano odio! Si fratres ſuos Abrahami teſtatur progeniem, opportunius videbatur paternum citare amorem, adurgereque charitatem. Quid Lazarum ad fratrum vitia detergenda anhelet, nec Abrahamum pergere exoptet, quandoquidem arctiſſimum conſanguinitatis vinculum & accelerare gradum, & difficultates vincere cogebat affectum. Proh doloſam diuitis aſtutiam! Odium vult zeli coloribus adumbrare, vtque melius fecerit, non poſtulat ad expungenda aliorum vitia mitti diuitiis onuſtum; ſed paupertati dicatum. Et quidem ſi peteret Abrahamum armentis copioſum, gregibus exundantem, auro prædiuitem tendere, preces doloſas ac fraudulentas non dubiè proderet; at dum expoſcit pauperem ad virtutes edocendas accurrere, artificioſa malitia niſus eſt affectum iniuſtum tegere: recurrit namque ad medium ad ſpeciem opportuniſſimum: paupertas namque eſt virtutum clypeus, & limatus in vitia gladius. *Mitte ad fratres meos*, ſcribit Chryſologus ſerm. 123. *vbi? in domum patris mei. Vt quid? Habeo enim, inquit, quinque fratres, vt teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum.* Pauperem & veluti ſe ipſo nudum ad fratres à vitiis reuocandos vult mitti: quia nouit in crimina exertis ſemper viribus paupertatem vigere. Certè qui Euangelicæ paupertatis frequentarit ſcholam, qui ambitioni diuitiiſque renuntiarit, nec adulatione veritatem corrumpit, nec iuſtæ reprehenſionis rigorem mollit: ſemper ſtat pro virtute ſuccinctus, & quia nihil ex his, quæ mundus amat, exoptat, arma intrepidè in vitia vibrat; at qui ambitionis ſuæ conſiliis ducuntur, & rationi ſæpè adnetſantur: timent audientium aures veris offendere, quia animos ſibi exoptant adulationibus deuincere: delictorum notitiam diſſimulant, aut, quod deterius eſt, vitia ipſa colorant, ne proferre cogantur verba aſpera, quibus ſugillent; ſed mollia & mellita, quibus oblectent. Ergo diues, etſi affectione deprauata, Lazarum petiuit prudenti ad ſpeciem ſolertia: erat namque paupertas extirpandis criminibus aptior, & pro virtute ſemper validior.

Luc. 16 v. 27

Chryſol.

---

§ VI.

Magnum peccati ſupplicium elabi in reprobum ſenſum

Vitium quodlibet contra rationem inſurgit, & dum corda tyrannide blanda opprimit, immane ferit: blanditiis accendimur, cum difficultate certamus, adeoque animus improba conſuetudine obdureſcit, vt veluti impenetrabilem ſibi callum obducat, ne continuos rationis ictus, & morſus conſcientiæ ſentiat; verùm aliqua ſpes ſalutis effulget, quando ratio & affectus diſſident, & quod cupiditas ambitioſo voluptatis lenocinio fucatum commendat vitium, intellectus excuſſis tenebris periculis oſtendit plenum; at ſi voluptas ad intellectum etiam extenderit principatum, difficile morbo inuenietur remedium: ipſa ratio cupiditatis fumo obſcurata initio cæcutit, poſteà agitata furore inſanit, ac tandem quæ animum debebat prudentiæ frænis aurigare, iam aſſueſcit iniquis affectibus obedire: *Vitia noſtra*, aiebat Seneca epiſtola 116. *quia amamus, defendimus, & malumus excuſare illa, quàm excutere: ſatis natura homini dedit roboris, ſi illo vtamur, ſi vires noſtras colligamus, ne totas pro nobis, certè non contra nos concitemus: Nolle in cauſa eſt, non poſſe prætenditur.* Verè dixit, ſatis nobis ineſſe roboris, ſi vt fas eſt, illo vti velimus, vt etiam malle nos vitia noſtra defendere, quàm excutere. Hinc ſubornatus voluptatis blanditiis intellectus prudentiam adulterat, adeoque inſanit, vt ipſam inſaniam exiſtimarit prudentiam: hoc opus, hic labor eſt: ómnis namque rationi via inuenitur præcluſa: quia ratio à ratione degenerat obſcurata. 10.

Seneca.

Vitia amamus, expedire nos non poſſe prætendimus.

Digitized by Google

rata. Ecce filij Iſraël tot calamitatibus non frænati, nec tot duris laboribus erudici antiqua delicta nouis erroribus cumularunt: *Addiderunt filij Iſrael facere malum poſt mortem Aod.* Quid tunc? Illos Dominus tradit in manus Iabin regis Chanaan: *Et tradidit illos Dominus in manus Iabin regis Chanaan.* Profectò dum augentur culpæ, & augeri debuiſſent pœnæ: deliquerunt olim Iſraëlitæ, illoſque tradidit Deus hoſtili iugo: *Tradidit eos*, inquit textus, *in manus Chuſan*: & cum modò delictis noua addiderint incrementa, videtur Deus eadem ad ſpeciem decreuiſſe illis ſupplicia: nam vti olim delinquentes in manus Chuſan tradidit, ita nunc peccantes tradit in manus Iabin. Et cur durius non feriat iuſtitia, cùm grauiùs deliret inſania? Imò inquit Gloſſa Interlinearis, quia cæciùs delirat inſania, grauiùs illos percellit iuſtitia: Iabin namque figuram gerit reprobi ſenſus, vel adulteratæ prudentiæ: huius ergo poteſtati tradi grauiſſimum ſupplicium eſt. Dum leuius Iſraëlitæ peccabant, tradebantur compedibus, calamitatibus, afflictionibus; at dum increbreſcunt ſcelera, in reprobum traduntur ſenſum, vt augeantur etiam ſupplicia:
Gloſſa. *Iabin*, inquit Gloſſa, *ſenſus vel prudentia: qui enim non probant Deum habere in notitia, traduntur in reprobum ſenſum.* Conſo-
Orig. n. nat Origenes homil. 4. in Iudices: *Iabin interpretatur ſenſus vel prudentia: ſi ergo non probauerimus Deum habere in notitia, tradet nos Deus in reprobum ſenſum repletos iniquitate, nequitia, fornicatione, & auaritia,* &c. Vides qui ſunt, & quales ſint, qui traduntur in reprobum ſenſum, & Iabin Principi Chananæorum. Ecce duriſſimum peccatoris flagellum iter præruptum, ac periculoſiſſimis foueis plenum exiſtimare planiſſimum: nam etſi peccator voluptatis œſtro impulſus & agitatus per deuios ac periculoſos tramites deliciarum inceſſerit, ſi intellectus agnoſcit pericula, frænat aliquando audaciam, dum continuo monet cautelam; at ſi intellectus in reprobum ſenſum traditus cæcutiat, iam rationis habenas delicto tradit, & ad certiſſimum præcipitium impellit. Dum filij Iſraël addunt malum facere, & Deus etiam addit duriùs, diriuſque punire: grauius namque punitur in reprobum ſenſum traditus, quam ingenti calamitate percuſſus.

11. Cùm gentium Apoſtolus horrenda hominum retuliſſet delicta, & ſeuero etiam iudi-
Rom.1 v.28. cio retulit caſtigata: *Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant ea, quæ non conueniunt.* Quiſque peccator ea, quæ non conueniunt, cæciſſimè perpetrat: cur ergo Paulus de in reprobum ſenſum traditis quaſi miſero priuilegio prælatis ait: *Vt faciant ea, quæ non conueniunt?* Quia præ reliquis, inquit Anſelmus, ea rationis obſtupiditate cæcantur, vt non ſolum illicita perpetrauerint; ſed perpetrata putauerint licita: *Ex ea-*
Anſelm. *dem culpa factum eſt, quod tradidit illos Deus in reprobum ſenſum vt putarent omnia reprobanda eſſe facienda, & cum tam turpia operarentur, neſcirent ſe malum operari.* Omnis veritati via occluſa eſt: nam dum ratio ſic obbruteſcit, vt nihil niſi diſtortum exiſtimauerit rectum, quia rectum, putabit ſemper diſtortum.

Saul dum ad regnum eligitur ſeptem dies expectare non abſque rationabili cauſa iubetur, anxius, penduliſque votis torquetur, vt quam ſit expectare durum in regni exordio experiatur: violauit imprudenter præceptum, vt offerret ſacrificium. Proh miſerum, qui non ſolum deliquit inobedientia; ſed victima! A propheta argutus reſpondit: *Neceſſitate compulſus obtuli holocauſtum.* Quid tunc? *Dixitque Samuel ad Saul: Stultè egiſti, nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi.* Dum à regno repellitur, ſic eius mens obſcuratur, vt crimen ipſum religioſum exiſtimauerit ſacrificium, ac gratum Numini arbitratus fuerit obſequium: non proditur ſolùm vitioſus; ſed declaratur eximiè ſtultus: *Stultè egiſti.* Adeò ambitionis fumo obſcuratus eſt miſer, vt cenſeret Deum delictis inobedientiæ placandum, & eius auxilium ſceleribus promerendum: *Dixi: Nunc deſcendent Philiſthiim ad me in Galgala, & faciem Domini non placaui: neceſſitate compulſus obtuli holocauſtum.* Si ſacrificium illud exiſtimaret piaculum, ipſa conſcientia aliquale fuiſſet remedium; at dum exiſtimat Deo ſe præſtitiſſe obſequium, morbo non inuenitur medela, & indignationem Numinis affectata clariſſimè prodidit ignorantia. Qualem cum cognoſcat propheta, ſcribit Gregorius hic, qui ſe cognoſcere noluit, ſubiungens ait: *Stultè egiſti.* Noluit Saul ſe agnoſcere, quia maluit delinquere; imò vt omnem luci præcluderet aditum, culpam credidit ſacrificium: cumque temeritate impulſus impatienter proruperit, ſe adactum neceſſitate deprædicauit. 12. 1.Reg 15. v.12.

Hanc cordis, mentiſque ſtupiditatem vti durius peccatorum ſupplicium Dominus clariſſimè oſtendit, dum Pharaonis cor indurandum Moyſi prædixit: *Dixit ei Dominus reuertenti in Ægyptum. Vide vt omnia oſtenta, quæ poſui in manu tua, facias coram Pharaone: ego indurabo cor eius.* Inflictis cælitus flagellis egregiè Ægyptus vapulabit, & quaſi leuiſſima fuerit hæc pœna, cordis prænunciatur duritia. Profectò Ægyptus flagris non modicis affligebatur, flumen virga percuſſum purpuraſcebat, vndantia ranarum agmina aures ingratis clamoribus verberabant, locuſtæ in morem modumque nubium è cælo volitantes fructus abrodebant, ſexcentæque aliæ plagæ refractarios diuexabant, & quaſi hæc exigui fuerint momenti prætereuntur, & durities cordis refertur. Interpretes ſacri quid duritiei nomine ſignificetur, inquirunt, ſentiuntque miſerum adeò Pharaonis ſtatum ſignificari, vt Magorum incantamenta diuina exiſtimarit miracula & diuina Moyſis miracula deluſoria incantamenta. *Præſtigia*, ſcribit Græcus apud Lippomanum ad Exod. 7. *pro miraculis habebantur.* Addit Hugo de Sancto Victore ibi: *Non putabat ea fieri diuina poteſtate, & voluntate; ſed artificio, & maleficio Moyſi.* Ecce grandius delictorum ſupplicium in adeò tetram deueniſſe mentis obſcuritatem, vt Magorum 13. Exod.4.v.21 Græcus. Hugo.

Digitized by Google

præſtigias credat miracula, & vera Moyſis miracula exiſtimarit præſtigias. Profectò aliis plagis percuſſus aliquando agnouit delictum, & confugit ad remedium; at dum induratus denſiſſimis tenebris tradit intellectum, omne prorſus occluſit ſibi profugium. Ergo iure Deus hanc cordis duritiem,quæ mentis conſtabat obſcuritate vti grandius exaggeratiuſque peccatorum ſupplicium retulit, vtpotè quæ reliquas peccatorum pœnas longè ſuperarit. O vtinam aliis nos Deus peccantes pœnis corripiat, nec tremenda hac mentis caligine feriat: habet namque quicumque mala ſe perpetrare cognoſcit, in ipſo conſcientiæ morſu ſpem aliquam ſalutis; at ſi delicta non intelligat, copioſiſſimam meſſem improbitatis.

14. Rex Moab cum regni ſui timeret excidium, Balaamum ariolum muneribus corrupit, honoribuſque oblatis allexit: ſubdenſque legationis
Num.22.v.6 cauſam ſic ait: *Noui quod benedictus ſit, cui benedixeris, & maledictus, in quem maledicta congeſſeris.* Proh cæciſſimam cognitionem! Ariolum habebat magni,nec adulatione errabat;ſed errore turpiſſimo cæcutiebat: *Non dicebat iſta*
Abulenſ. *rex Moabitarum Balaam ariolo*,ſcribit Abulenſ. quæſtione 4. *adulando ei,ſicut aliqui ſolent alios interdum extollere,vt aliquid inde habeant,quamquam contrarium nouerint;rex tamen Moab verè intelligebat quòd Balaam poſſet efficaciter benedicere & maledicere* Quid tunc?Miſerum regni finem Balaamus portendit,& extremam calamitatem prædicit: *Ecce populus vt leæna conſurget,& quaſi leo erigetur*: Non accubabit, donec deuoret prædam, & occiſorum ſanguinem bibat. Non poterat radicitus non perire,quem ſic conſtabat errare:quæ namque ſalutis ſpes affulgere poſſet regi, qui arioli inſaniam Numinis credebat ſententiam. *Balaam hic*,ſcribit Origenes homil. 3. in Numer. *diuinus erat dæmonum ſcilicet miniſterio, & arte magica nonnunquam futura prænoſcens:rogatur à Balaac rege ad maledicendum populo Iſraël:legati veniunt, diuinacula in manibus ferunt,ſtant attonitæ gentes, & anxiè expectantes quid reſpondeat Balaam, de quo perſuaſum habebant,quod dignus diuinis colloquiis haberetur.* Extrema profectò appetebat calamitas,cùm deluſa adeò errabat credulitas:non poterat regia non mulctari corona, qui clara ſe pollere exiſtimabat notitia, dum cæciſſima delirabat ignorantia.

§. VII.

Apud bonum Principem minùs valent conſanguinitatis iura, plus virtutum merita.

15. MVlta ſunt,quæ in virtutem pugnent,multa quæ merita eneruent: vicit non ſemel opulentia honeſtatem, &copioſis redditur facultatibus, quod eximiis tribuendum erat virtutibus. Iam conſanguinitas merendi non ſemel titulus inuenitur, & affinitas præripit affectione ſubornata,quod ſanctitas merebatur exculta. Rhamnus in regem titulo affinitatis deligitur, & oliua lucis mater in dedecus eligentis ſpernitur;at apud bonum Principem cognationis prorſus ignorantur iura,ni virtutum adiungantur ſuffragia. Iam ſi affinitas virtute nuda,& virtus confligat ſanguini extranea, ille ſolùm proprius habetur,qui virtutibus ornatus dignoſcitur. Quàm benè Theodahadus rex 10.var.5. Caſſiod. *Præſenti iuſſione præcipimus,vt quicumque ad domum noſtram noſcitur pertinere, & curæ tuæ probatur eſſe commiſſus, nullis præſumptionibus inſoleſcat:quia ſolùm dicendus eſt ille meus,qui legibus potuerit eſſe tranquillus. Augete famam noſtram per patientiam veſtram. Siquis habuerit cum altera fortè negotium,ad communia iura deſcendite. Fora vos tueantur,non iniqua præſumptio.*

Solus dicendus eſt proprius, qui legibus probatur tranquillus.

Plures dum iudicum, magnatumque familiaritate florent,aut cognationis elogio vigent,iniquè præſumptuoſi omnia ſibi licere putant, & præſumptionibus potentiam infamant. Fama iudicis digniſſimè augetur,cùm iuſtè ad patientiam cognatus cogitur. Ecce Deus iuſtiſſimæ poteſtatis exemplar Iſraëlitas peculiarem ſibi populum Iabino tradidit:quia Iabinus præ Iſraëlitis virtute floruit: *Addiderunt filij Iſraël facere malum in conſpectu Domini poſt mortem Aod,& tradidit illos Dominus in manus Iabin regis Chanaan.* Iuxta Hebræum teſte Caietano habetur: Hebræus. *Et vendidit eos Iehoua in manu Iabin regis Chanaan.* Nomẽ Iehoua,quod,vt placet pluribus, idem ac Ieſus valet,exprimitur,quò expreſſiùs cum populo Iſraëlitico conſanguinitas denotetur. Verùm cur conſanguinitatis titulus proditur, cum populi venditio refertur? Nonne ſatius eſſet titulum celare, ne videatur notam ſibi ad ſpeciem inurere;imò titulus proditur,vt vendentis fama augeatur:qui vendit,attendit pretium:ergo vbi virtutum pretium emit victoriam,aduerſus conſanguinitatis iura protulit Iehoua ſententiam: *Expone*, inquit Caietanus hic, *venditionem vt ſupra*, id eſt, vt ſupra explicuerat cap.3.ad illa verba: *Et tradidit eos in manus Chuſan.* Audi Caietani verba: Caietan. *Iuxta Hebræum habetur: Et vendidit eos: tum quia in ſeruos venales dedit, tum quia pro pretio alicuius boni operis, quod fecerat ſubiunctus rex,dedit eos.* Itaque de victoria certabant, & conſanguinitatis Iſraëlitici populi cum Domino elogium,& Iabini regis meritum, eaque fuit Domini incorrupta ſententia,vt prætulerit virtutem conſanguinitati, non conſanguinitatem virtuti: *Tradidit eos*, virtutis pretio, reclamante conſanguinitatis titulo, vt repetere poſſit Caſſiodorus: *Solus dicendus eſt ille meus, qui legibus potuerit eſſe tranquillus: Augete famam noſtram per patientiam veſtram.* Fama Domini augetur, dum conſanguineus iuſtè ad patiendum damnatur.

Diuinitatis argumentum eſt potentiam ſubieciſſe rationi, non rationem poteſtati. Cùm ad 16.
fines Tyri & Sidonis Dominus perueniſſet,
voluit latere,nec tamen potuit: *Surgens abiit in* Mat.7.v.24.
fines Tyri, & Sidonis, & ingreſſus domum neminem voluit ſcire,& non potuit latere:mulier enim ſtatim vt audiuit de eo, cuius filia habebat ſpiritum immundum, intrauit, & procidit ad pedes eius. Chryſologus quo ſolet ingenij acumine aduertit Euangeliſtam Domini potentiæ ad ſpeciem inuſſiſſe notam,cùm ait quod deſiderabat, non conſecutam potentiam. Accipe eius verba ſerm.100. Velle & non poſſe non eſt diuinæ maieſtatis, eſt infirmitatis humanæ: ſcriptum eſt enim: Chryſol. *Omnia quæcumque voluit Dominus,fecit in cælo & in terra,in mari,& in omnibus abyſſis. Et Apoſtolus: voluntati eius quis reſiſtit?*

Succum

Digitized by Google

Succumbit neceſſitati, quæ non libera, & abſoluta voluntas: leproſus dicit ad Dominum: ſi vis, potes me mundare: Et Euangeliſta dicit: Voluit & non potuit Audiſti ingenioſam Chryſologi quæſtionem: ſolutionem etiam ab eo accipe. Promiſerat Chriſtus cognato populo, affini Iudæo copioſam animæ corporiſque ſalutem. Et ne gentilis raperet, quod cognatis erat exhibendum, latere decreuit; at Syrophœniſſa, dum fidem affert, gratam omnipotentiæ vim infert, & Dominus vbi alienigenæ vidit meritum, ceſſit virtuti, qui latere voluerat ſuffragatus affinitati. Certè poteſtati eius nihil reſiſtit; at vt noſcas diuinam eſſe potentiam, quæ cedit rationi, non quæ poſtponit meritum affinitati, & latere voluit, & ceſſit, vt latendi deſiderium omnem odij ſuſpicionem excluderet, & ceſſiſſe meritis diuinam omnipotentiam probaret: *Promiſſionis ſuæ memor Chriſtus*, addit Chryſologus, *Iſraëlitici populi primùm venerat ad ſalutem, vt quod Abrahæ promiſerat, & ſemini eius David, eiuſque poſteris fidele redderet perſolutum; ſed quia indignos ſe ſua perfidia præſtiterunt, obtinuit, rapuit, traxit fides gentium, quod infidelitas ſpreuit, & perdidit Iudæorum.* Chriſtus vitæ ſalutiſque copioſiſſima ſcaturigo venerat Hebræis infudiſſè ſalutem, vt ornaret affinitatem; at gentilis alata fide vim intulit, & licèt ne ſui priuarentur ſalute, voluerit gentiles latere, dum gentilis affert meritum, decreuit, iuſſit, ne habeatur ſolùm humanus, ſi meritum poſtponat affinitati, cedere potentiam rationi. O quàm probatur cælorum incola, qui affectum non adulterat cognationis ſubornatus auro; ſed incorruptum ſeruauit marito. Succedat iterum Chryſologus ſerm. 122.

17. Detruſus diues ille de præſumptionis faſtigio ad tartara leuauit viſum, cum liuore deprauaret affectum, interna dicans liuori externa, & ad ſpeciem ſolùm deputauit pietati: zelus mentitur, cùm liuoris flamma augeatur: oculos leuauit, & in Abrahamum parentem incidit. Vidit Lazarum in ſinu eius placidiſſimo otio quieſcentem, & quaſi gemina face, aliena ſcilicet fortuna, & propria miſeria aduſtus voces ingeminat, & refrigerium exorat: *Pater Abraham, miſerere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam: quia crucior in hac flamma.* Flammis anteà adurebatur, & tacebat; ſed viſo Lazaro clamat: quaſi plus illum vſſerit Lazari felicitas, quàm gehennalis premat calamitas: tota à furiis excogitata tormenta non compulerant ad clamorem, & cogit viſus Lazarus ad explicandam clamoribus anxietatem: quaſi plus torſerit alienæ felicitatis inuidia, quàm inferorum horribilis flamma. Verùm in hac controuerſia, vbi conſanguinitas inſurgit in pauperem, & meritum allegat pro paupere contra diuitem: ſic Abrahamus proditur integerrimus, vt cognationis inficietur nullatenus titulum; ſed meritis impendat affectum. Audi Chryſologum: *Hoc loco iam non geritur poſtulatio; ſed controuerſia.... Pater Abraham miſerere mei. Benè diceres, ſi Lazarus in ſinu reſidens ipſum pectus iudicis non teneret: bene diceres, ſi Lazarus iuſtiſſimi cognitoris tota non poſſideret arcana.* Ne quid orationi denegatum putes, animaduertit Chryſologus hanc non fuiſſe orationem; ſed controuerſiam: vtque noueris Abrahamum iuſtiſſimum eſſe, quantumuis ex alia parte cognationis reclamet titulus, Lazari ſanctitas ſibi deuinxit affectum: pectus iudicis tenet Lazarus, vel cum filiationis refragatur Lazaro titulus: *Bene diceres, ſi Lazarus in ſinu reſidens ipſum pectus iudicis non teneret.* Cælicolarum more viuebat Abrahamus, cùm dicabat affectum non ſanguini; ſed virtuti, quando ſic adulteratur frequenter ratio, ſic iudicium corrumpitur, vt pro meritis ſit affinitas, conſanguinitas pro ratione, amicitia pro virtute.

Lucæ 16. v.24.

Chryſol.

Ezechiel, vt has affectus dementias, & dementes verſutias coloribus miris depingat, ſic aiebat de Iſraële: *Cùm vidiſſet quòd infirmata eſt & periit expectatio eius, tulit vnum de leunculis ſuis, leonem conſtituit eum, qui incedebat inter leones.* Dignitati Princeps quærebatur, aderant leones viribus validi, neruis robuſti, ſanguine generoſi: aderat etiam leunculus viribus inferior, fortitudine imbecillior; & tamen, vt de more eſt, indigniores culmen dignitatis aſcendere, hic effertur, & leonibus anteponitur: *Tulit vnum de leunculis ſuis, leonem conſtituit eum.* Nil mirum conſtitueretur leunculus Princeps alias inter feras, ſi leones deeſſent, quandoquidem & ſanguine clarior, & viribus inuenitur validior; at leunculum euehere, cùm leo pollet: eam dignitatem ſortiri, electoris eſt contumelia, prudentiæ nota: cur ergo & leones reiiciuntur, & leunculus antefertur? Explicuit textus: *Tulit*, inquit, *vnum de leunculis ſuis:* erat ſuus, & quamuis viribus inferior leunculus, viſus eſt præ leonibus aptior, & robuſtior. Neſcio quibus præſtigiis affectio eludit iudicium, vt geminatam incurrat cæcitatis ſpeciem, videndo ſcilicet quæ non ſunt, & non videndo quæ ſunt. Aderant & leunculus, & leones dignitatis ambitores; ſed quia proprius leunculus, viſus eſt leo, & quia non proprij leones, eligenti apparuerunt leunculi. Elaborantur merita ſæpè affectionis officina, & efflorent parentelæ efficacia. Quàm benè aiebat Bernardus ad Eugenium: *Eſt item vitium, cuius ſi te immunem ſentis, inter omnes, quos noui ex his, qui cathedras aſcenderunt, ſedebis me iudice ſolitarius.* Solitarius ſedet, qui affectu non ducitur, & à quo conſanguineus, affinis, & amicus ad munera non præfertur. Leunculus erit leo, leo extraneus nondum leunculus. 18.

Ezechiel. 19 v.5.

Bernard.

§. VIII.

Qui elabitur à perfectionis faſtigio, demergi ſolet grandi vitiorum naufragio.

VIdes, inquit Seneca lib. de prouidentia c.5. *quàm altè aſcendere debeat virtus: ſcies illi non per ſecura vadendum eſſe.* Quæ eminent alta, inueniuntur ſæpè præcipitiis vicina, & magna faſtigia caſibus miſerrimis ſunt expoſita: minori detrimento in plano cadit; è faſtigio ſi prolabatur quis, ruit. Sciant qui laudandis laboribus, & indefeſſis vigiliis perfectionis apicem poſſederunt, obtinuiſſe ſe glorioſa, non tuta, quò maiori ſolicitudine ſibi conſulant, ne è faſtigio grauiori periculo ruant. Diſcant ab ambitioſis non timorem ſuperuacuum; ſed vtilem, & nouerint caſus in ſublimi maximè lubri- 19.

Senec. Virtus per abrupta incedit.

cos

Digitized by Google

cos,& aliquando miſertimos : nullus ſibi fidat, ſi tenuit virtutis alta , ſed Seraphinorum ad inſtar inuolet ſtudioſus,& ſe protegat maiori cura Iſai.6.v.1.2. ſolicitus : *Vidi Dominum* , inquit Iſaias , *ſuper ſolium excelſum & eleuatum , & ea quæ ſub ipſo erant , replebant templum : Seraphim ſtabant ſuper illud , ſex alæ vni , & ſex alæ alteri : duabus velabant faciem eius , & duabus velabant pedes eius , & duabus volabant.* Cherubini apud Ezech.1.v 8. Ezechielem quatuor alis muniuntur ; *Pennas per quatuor partes habebant* ; at Seraphini ſenis armantur : quaſi plus ad noſtram eruditionem vereantur caſum , qui eleuatius poſſident ſolium : per plana ambulanti mediocris ſatis eſt cura ; ſed per alta præruptaque gradienti opus eſt diligentiori ſolertia : ergo cæleſtes ſpiritus, vt mores noſtros informent , quo altiores lucent faſtigio , grauiori irrequietis volatibus occurrunt metui. Seneca. Quæ videntur celſa, iis videntur prærupta. Huc voco quod aiebat Seneca epiſtol. .4. *Oſtendat ex conſtitutione vulgi beatos in iſto inuidioſo ſuo faſtigio trementes , & attonitos , longéque aliam de ſe opinionem habentes, quàm ab aliis habetur : nam quæ aliis videntur excelſa , ipſis prærupta ſunt. Itaque examinantur , & trepidant, quoties deſpexerunt in illud magnitudinis ſuæ præceps : cogitant enim varios caſus, & in ſublimi maximè lubricos.* Itaque ambitioſorum more Seraphini humilitate ſe contegunt , ſacris vinculis greſſus muniunt , & libraris alis trepidationem oſtentant , dum occupant alta : quia à culminibus noſcunt diſtare nullatenus præcipitia. Omni ſtudio innitendum eſt perfectioni adhærere,& ſi fas eſt dicere, agglutinari,ne ſtulta ſocordia,& vaniſſima confidentia,dum ſecuritatem promittunt,calamitatem ingerant,& in præcipitium trahant : nouerint virtutis cultores aliquos , qui perfectionis tenere videbantur faſtigia, ſemel prolapſos non ſtitiſſe gradum vſque ad vitiorum extrema.Hoc fortaſſis innuit noſter textus , dum execrandas idololatrias populi referens,Iſraëlitarum titulo prodit : *Addiderunt filij Iſraël facere malum in conſpectu Domini.* Mali nomine idololatriam taxari ſacris interpretibus certum eſt : ergo filij Iſraël , dum ab antiqua virtute & perfectione labuntur , ad idololatriam præcipitantur. Huc voco Anſelmum ad caput 6. epiſt.ad Hebtæos: Abulenſ. *Tales ſunt , qui prius ad ſumma virtutum profecere , & poſt ad ima vitiorum prolapſi ſunt.* In præceps agitur non ſemel , qui à faſtigio virtutum ruit Quid à veritate diſtantius,quàm idololatria?Quid perfectius,beatiuſque,quàm Numinis potiri præſentia?Ergo qui olim Iſraël, id eſt Deum videns,iam prolapſus idolum colit.

20. Chriſtus Dominus de Iſraëlitis agens ouium Matth.15. v.14. vocabulo nuncupauit , *Non ſum miſſus , niſi ad oues,quæ perierunt domus Iſraël.* Oues audis, attende iam feras ſæuitia vincere, immanitateque Matth 7. v.15. ſuperare:*Intrinſecus ſunt lupi rapaces.* Non ſolùm lupi;ſed ſitienter rapaciſſimi,& immaniſſimè feri. Profectò iam vrget difficultas : ſi lupi deſæuiunt , quomodò ouium naturam ſortiri, aut quomodò ſi ouium naturam ſortiri , ad inſtar luporum ſæui ? Ipſum dubium ſecum affert dubitationis reſponſum : qui olim ouium manſuetudinem,& innocentiam coluerunt,iam prolapſi , ad luporum ſunt ſæuitiam iniquiſſimam deuoluti : vtque optimum vinum , ſi degeneret, in acerbiſſimum tranſit acetum, ita perfectionis vias ire aſſuetus , ſi deuiet , miſerandos ſuſtinet caſus. Nihil oue manſuetius, nihil innocentius, nihil placidius , lupo truculentius ac ſæuius nihil:ergo ouis tranſit in lupum:vt noueris exiguo ſpatio aliquando diſtare extrema adeò oppoſita , & ſibi omnino aduerſantia. Ad rem Chryſologus ſerm.100. *Audi ipſum dicentem: Non ſum miſſus niſi ad oues perditas domus Iſraël;ſed oues luporum contagione iam rabidæ , & ipſis beſtiis propria feritate ſæuiores , laniare , & violare ſuum ſemper voluere paſtorem.* Chryſol. Sic degeneraſſe inueniuntur , vt quæ olim innoxiæ,iam rabidæ,& quæ placidæ,iam feræ : ruerunt vſque ad luporum ſæuiſſimam truculentiam, qui olim manſuetiſſimam ouium coluerant vitam, & qui ſe vti innocentiſſimam obtulerant victimam, iam nocentiſſimam ſitiunt rapinam , de ouina innocentia nata eſt lupina ſæuitia : & qui olim rationi ſubiectus, iam truculentiſſimus rationis proditur aduerſarius,vt nullus quantumuis virtutibus exornatus ignaue dormiat;ſed ſolicitius incumbat.

Apocalypſis 12.claro ænigmate hanc verita- 21.
tem inuenio traditam, & penicillo eleganti expreſſam : ibi luciferi & aſſeclarum irreparabilis refertur caſus; ſed ſub diuerſis nominibus : corruerunt Angeli ambitione obſcurante ſplendorem , & qui cælo fulgentiſſima micabant aſtra, Apocal.12. v.4. iam tellure iacere obſcura : *Cauda eius* , ſcilicet draconis,*trahebat tertiam partem ſtellarum cæli, & miſit eas in terram.* Stellarum nomen retinent vel ad terram miſſi,cùm tamen ipſe Lucifer ſplendens luciferi vocabulum in ſerpentis mutarit probrum:*Proiectus eſt draco ille magnus.* Et cur probroſo adeò dehoneſtetur vocabulo,cùm ſequaces ſpiritus nobiliori vocentur titulo?Profectò corruerunt omnes:ergo ſi ſimilem experti ruinam,cur æqualem vocabuli non ſubeant notam ? Sane , vt noſtræ theſis veritas clariùs eluceat : Lucifer alios excelluit perfectionum præ- Ezechiel.28 v.12. rogatiuis,teſte Ezechiele:*Tu ſignaculum ſimilitudinis,plenus ſapientia,& perfectus decore,&c.* Ergo miſerabilius ruit,quia altiori è faſtigio decidit,ceciderunt alij ſpiritus:ſed quia nondum ad perfectionis apicem eleuati,ſtellarum adhuc vocabulum detinuerunt detruſi ; at lucifer vſque ad ſerpentinum dedecus lapſus in præceps deuenit:quia altiori è faſtigio ruit:*Rectè diabolus,* Ambroſ. aiebat Ambroſius hîc,*ſerpens vocatur , ſiue quòd per ſerpentem primum hominem deceperit , ſiue quod veneno ſuæ malitiæ genus humanum perdiderit ; diabolus verò interpretatur deorſum ruens: ruit quippe per ſuperbiam de cælo.* Qui maiori cæteris emicuit prærogatiuarum gloria inſolentiori lucifer intumuit etiam ſuperbia, & iam ſuperbiæ,& ambitionis præſtigiis in ſerpentem in imis delituit conuerſus , qui faſtigio virtutis eminuit clarus:*Interpretatur deorſum ruens:*alios ſpiritus leuior obſcurauit caſus,luciferum miſerabilior preſſit ruina , quia nobilior ornauerat excellentia:alij ceciderunt;ſed iſte ruit.

Petrus,aliique condiſcipuli ſæua cum tempe- 22.
ſtate depræliabantur ; verùm magiſter vt vidit ſcapham confuſis agitari fluctibus , opem allaturus tumentia æquoris terga intrepidis & inoffenſis calcauit greſſibus : Petrus , vt erat feruentior , liquidas vndas intrepidè calcat non naufragus ; ſed viator, verùm ventus acrius adſpirans timorem vianti ingerit , & iam miſerandum naufragium apperit : *Cùm cœpiſſet mergi,clamauit.* Matth 14. v.30. Cæteri Apoſtoli , licèt turbinibus agitentur

agitentur, non merguntur, at Petrus iam mergitur, & in æquoris profunda trahitur. Et quæ huius diſcriminis ratio eſt? Textus tradidit, alios ſcilicet condiſcipulos ad eam perfectionem non deueniſſe, vt fluctibus graderentur intrepidi: ſecabant æquora naui; non vndas premebant pede; at Petrus cæteris excellentior Dominicos imitatur inceſſus, & pia audacia exæquare contendit paſſus; ſed dum titubat, dum vacillat, dum labitur, grandiori vrgetur periculo, & miſerabiliori naufragio: *Ibi cadit*, ſcribebat Ambroſius (Ambroſ.) de negat. Petri, *quò nullus aſcendit: ibi nutat, vbi nemo ambulat.* Vt Petrus cæteris marinos per liquores proceſſu excelſior, ita & naufragio inuenitur obnoxior: dum graditur, titubat, & iam à fidei culmine elapſus grauiori ventorum vrgetur impulſu, & miſerabiliori premitur caſu. (Hieron.) Opportunè Hieronym. apud D. Thomam: *Ardebat in animo eius fides; ſed humana fragilitas in fundum trahebat.* Aliorum mediocris eſt caſus, non rarò perfectorum extremus: ſi labi incipiant, ſolent ruere vſque ad profundum, qui poſſederant perfectionis excelſum. Ergo reliqui Apoſtoli, qui Dominicos per æquora non imitantur inceſſus, non labuntur naufragio, etſi ventorum agitentur impulſu; at Petrus à virtute deficiens mergitur: quia reliquis excelſior per vndas graditur.

23. Cogitabam aliquando mecum inter reliquos à Chriſto Domino mortuos excitatos ſolum Lazarum grauiſſimo fœtore fatigaſſe ſenſum, & (Ioan 11. v. 39.) copioſiorem Domini exegiſſe ploratum. *Domine iam fœtet, quatriduanus eſt enim.* Et cur viduæ filium, aut Principis filiam fœtere non refertur, & de ſolo Lazaro proditur? Cur hic Dominus lachrymas fundit, qui alibi tactu & imperio mortem deuicit? Attende quid de Lazaro dixerit ipſe Dominus: Lazarus amicus noſter *dormit.* Alij defuncti amici non decorabantur titulo; at Lazarus glorioſo nobilitabatur elogio: ergo qui ab amicitia deciderat, fœtorem præ cæteris emittebat: ſuſcitauerat Dominus filiam Iairi (Chryſol.) Principis Synagogæ; ſcribit Chryſolog. ſerm. 64. ſed adhuc funere calente. Addit: *Suſcitauit & vnicum matris, ſed ſic vt retineret feretrum, vt anticiparet ſepulchrum, vt corruptionem ſuſpenderet, & præueniret fœtorem, vt antè mortuo vitam redderet, quàm totà mortuus iura mortis intraret. Circa Lazarum verò quod geritur, totum ſingulare eſt, cuius mors, cuius reſurrectio commune nil habet cum prædictis: quem circa & vis tota mortis impleta eſt.* Vis mortis in aliis nondum impleta; at in Lazaro pleniſſimè conſummata: vt noueris Dei amicum, ſi in mortis deciderit baratrum, & grauiore fœtore corrumpi, & grandiore lapide premi. O timeant virtuti addicti indulgere vitiis: quia tenacius, & ſtudioſiùs ſolent adhærere; imò inhærere nociuis oblectamentis.

§. IX.

Decet Maieſtatem per ſeipſam remunerare, & per alios decet punire.

24. Decet Regalem animum fontis ad inſtar copioſa largitate diffluere, & ſubiectorum animos hilarare. Auara manus regalem dignitatem obſcurat, dum furatur famæ, quidquid acquirit pecuniæ. Sæuire, & ad vltionem armari dedecet eximia dignitate fulgentem, & regia maieſtate micantem: *Magnam fortunam*, aiebat (Seneca.) Seneca lib. 1. de clement. c. 5. *magnus animus decet.* Addit: *Non decet Regem ſæua & inexorabilis ira.* Et poſt pauca: *ſeruare proprium eſt excellentis fortunæ, quæ nunquam magis ſuſpici debet, quàm cùm illi contigit idem poſſe, quod diis, quorum beneficio in lucem edimur.* Seruare, benefacere, & à periculis eruere magnitudinis regiæ eſt decorus ornatus, & excellentis potentiæ cultus: manus cruentare, ſupplicia inferre, vitam abſcindere carnificis proprium eſt: ergo quiſquis dignitatem ſuam decorè deſiderat exornare, neſciat per ſeipſum pœnas inferre, & larga nouerit beneficia largiri. Hebræorum populus diuinam irritauit patientiam nouis ſcelerum acceſſionibus, & inuiſis ſæculis retro impietatibus: *Addiderunt filij Iſraël facere malum in conſpectu Domini.* Quid tunc? *Tradidit illos Dominus in manus Iabin regis Chanaan:* tradidit vtique puniendos alienis manibus, qui propriis decreuerat liberandos. (Abulenſ.) *Iſta eſt tribulatio*, ſcribit Abulenſis quæſt. 1. *ſcilicet quia traditi ſunt in ſeruitutem.* Per Iabin affliguntur, qui à Domino liberantur: decet namque maieſtatem per ſe ipſam beneficia effundere, & per alios pœnas inferre: poterat quidem Deus varias in delinquentes peſtes immittere, & inflictis flagellis duriſſimis verberare; at ne maieſtatis decorem læderet, à vindicta prudentiſſimè abſtinuit: vſus eſt Iabini feritate ad mulctam, qui ex ſe, & per ſe exercuit magnificentiam.

Cùm gigas ille horrendum vanitatis monſtrum, & ipſius ſuperbiæ delirium, montis inſtar extaret, & audaciſſimis minis populum deterreret, Dauid zelo inflammatus occaſionem rapuit inopinæ felicitatis, & certaminis prouocationem admiſit: Saul, qui in tumultu erat, illum propriis armis loricat, & thorace regali obarmat, verùm Dauid, vt erat prudens, ante certamen præluſit, & arma ſibi fore impedimento cognouit: *Non poſſum ſic incedere.* Iam ſi quæras quibus armis prægrauetur, reſpondebit Baſilius Seleucienſis, regiis ad certamen fuiſſe munitum: *Saul remiſſo timore propriis armis Dauidem loricat, regioque belli ornamento exuto Dauidem circumdat.* Addit poſt pauca: *Quare arma tamquam victoriæ impedimenta Dauid exuit.* Intendebat Dauid gigantis punire audaciam, & caput ab humeris diuidendo dignam intuliſſe pœnam: ergo ab ipſis regalibus armis impediebatur, quaſi inter ſe diſſiderent hæc duo, per ſeipſum pœnam irrogare, & Regis perſonam gerere. Paſtoritia ſtola indutus proſternit gigantem; at impeditur purpura, & regia grauatur pompa. Alibi ſanè manu oſtentat purpuram; imò & regiam dignitatem oſtentat; quia videlicet inimici vitam ſeruauit, & magnis beneficiis ferè inſanientem edomuit: *Vide & cognoſce oram chlamydis tuæ in manu mea: quoniam cum præſcinderem ſummitatem chlamydis tuæ nolui extendere manum meam in te.* Cùm benefacit, purpuram in dignitatis teſtimonium oſtentat; cum incuſſo lapide ferit, nudat: decet namque dignitate fulgentem per ſeipſum fauere, at non decet actione propria punire.

(25. — 1. Reg. 17. v. 49. — Seleuc. — 1. Reg. 24. v. 12.)

Caïnus cædis magiſter, orci ianitor, dedicator mortis, diabolicæ inuidiæ hæres, metu agitatur, & ad mortem recurrere adu ge- 26.

turi

tur ; verùm Dominus ſignum imprimit ſalutis teſſeram : Gen. 4.v.15. *Poſuit Dominus Cain ſignum, vt non interficeret eum omnis qui inueniſſet eum:* hic à Lameco refertur occiſus, & telo tranſuerberatus : *Occidi*, teſtatur ipſe, *virum in vulnus meum.* Quod ſi quæras cur ad imprimendum ſignum non vtatur manu aliena Dominus ; ſed propria, cùm ad cædem vſus non fuerit propria ; ſed manu aliena ? reſpondebit Philo. Philo Hebræus libro de profugis, vtrumque regiam maieſtatem decere, ſcilicet per ſeipſum vitæ conſulere, & per miniſtrum pœnam irrogare : *Non eſt decorum, vt ipſe Deus puniat, cùm ſit primarius legiſlator optimus; ſed per alios animaduertit in homines noxios, non per ſemetipſum.* Annectit ſtatim diſertiſſimus Hebræus : *Conuenientius enim eſt, vt gratias, beneficia, munera porrigat ipſe ſuapte natura bonus ac munificus ; ſupplicia verò non ſine iuſſu eius, qui regnum ſempiternum tenet; per alios tamen exigantur, quos decet tale miniſterium.* Iudæorum eſt regiæ maieſtati noxios non ſolùm punire ; ſed puniendis propinquare ; at decet teſſeram præbere ad vitam, & propria manu imprimere ſignum, quod atteſtetur clementiam, Ergo Cain à Domino munitur ſigno, à Lamecho interiit transfoſſus telo.

27. Nabucho in proceram arborem creuit vanitatis vndis, & lutoſis tumoris aquis ; verùm dum cælo propinquare altitudine ſomniat, ſcindi ramos, folia diſcuti, & diſpergi fructus ſpectat : Dan.4.v.10. *Ecce vigil & ſanctus de cælo deſcendit, clamauit fortiter, & ſic ait : ſuccidite arborem, & præcidite ramos eius, excutite folia, & diſpergite fructus eius.* Quibus arboris deiectionem imperat, & cur imperat, cùm per ſeipſum deiicere valeat ? Profectò cùm tres illi pueri flammis horrendum quid reſonantibus traderentur, non eſt dedignatus deſcendere, & æſtuante fornace ſimul cum pueris includi : Dan.3.v.92. *Et ſpecies quarti ſimilis filio Dei.* Si ergo per ſeipſum hîc implet miniſterium, cur alibi ad alios profert mandatum ? O expende, amabo te, cauſarum diuerſitatem : hîc deſcendit ; ſed vt flammam excuteret, vt ardores in ventum placidiſſimum verteret, vt inſontes eriperet : *Excuſſit*, inquit, *flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem.* Alibi pœna irroganda erat, arbor foliis, floribus, ac fructibus denudanda, vtque vtrobique decori dignitatis conſuleret, aliis ſuccidendam arborem tradidit, & flammas per ſe ſopiuit. Zeno. Adeſt Zeno Veronenſis ſerm.7. de trib. pueris. Æſtuantibus globis rubeſcit quoque ipſum alienis ignibus cælum: *Illo præcipitantur inſontes, ibidemque propter quem præcipitantur, inueniunt : denique excipiuntur non flamma; ſed rore Dei; dignitate, non pœna.* Ecce vbi in gloriam vertitur pœna, adeſt Deus honeſtè iactabundus, & puerorum triumphis glorioſus ; at committit aliis proceræ plantæ ſupplicia, & hominis ſuperbiæ delirio penè obbruteſcentis tormenta.

28. Deſcendebat infelix viator à Ieruſalem in Iericho, cùm viam graſſatores obſeruitarent, & inſidias cautela iniqua prætenderent : in ſæuas latronum manus incidit imprudens, nec ſatis fuit ſpoliare auro ; ſed, vt adularentur feritati, alta incuſſerunt vulnera ſemiuiuum crudeliter relinquentes : nec enim diſtulerunt mortem, vt exiguam vitam aleret ; ſed vt lentiori productiorique ſæuitia interiret : auro cupiditatis ſopiuerunt ſitim, effuſo ſanguine crudelitatis temperarunt tantiſper rabiem ; verùm tot aduerſæ fortunæ iras fauſta felixque excepit miſericordia: Samaritanus namque illac ſtudio non caſu iter agens miſeratus vulneribus confoſſum, vulnera blanda manu ligauit, vinoque & oleo vitæ ſolicitauit auxilium : *Appropians alligauit vulnera* Lucæ 10. v.34. *eius infundens oleum & vinum, & imponens illum in iumentum ſuum duxit in ſtabulum, & curam illius egit.* Vides vulnera conſtringentem, vide modò ligatura ſtringere dedignantem : cùm ad opiparum prandium plures vocarentur, ibique inueniretur ſordidus iuſtiſſima ſententia cum dedecore præcipitatur depulſus : *Dixit rex mi-* Matth.22. v.13. *niſtris : Ligatis manibus & pedibus eius mittite eum in tenebras exteriores.* Iam eumdem eſſe, qui regiam maieſtatem oſtentans conuiuium adornauit, & qui altiſſimis ſemiuiui plagis vinum infudit, apud ſacros interpretes compertum eſt: quòd ſi quæras cur non iuſſerit miniſtris ſemiuiuum ligare, aut cur ſordidum per ſe noluerit ligaturis conſtringere ? reſpondebit ipſe textus alium ligari ad vitam, & vinciri alium ad pœnam : vbi maieſtati iniurius puniri debuit, per miniſtrorum manus ſunt vincula iniecta: regiam namque dedeceret maieſtatem propriis illigare manibus, & iniectis diuexare pedem compedibus ; at commẽdabat pietatem ſaucium per ſeipſum ligare, & medicaminibus refouere : ob id ergo alibi miniſtrorum non vtitur operâ ; alibi verò propria ſauciato fauet induſtria. *A miniſtris regis*, ſcribit Gregorius in catena, Gregor. *ſuper vincula conſtitutis ligatus inceſſione, qua non eſt vſus ad bonum, & apprehenſoria virtute : quia nullum opus ad bonum impleuit, condemnatus eſt in loco ab omni lumine alieno.* Miniſtros conſtituit ſuper vincula, à ſeipſo decreuit ſalutis exhibenda fore remedia : *Samarita-* Auguſt. *nus*, aiebat Auguſtinus in catena, *Chriſtus eſt:* ligare nouit ad vitam, qui ignorauit ligare ad pœnam : noluit miniſtrorum vti induſtria, vt iniecta à graſſatoribus ſanitatem reciperet plaga : nec per ſeipſum ſordidum ac procacem gehennali vinxit catena : vt doceret maieſtatis eſſe decus, vel extrema officia pro ſalute ſuorum exercere ; non tamen culpas punire : miniſtros habuit, qui iniectis vinculis audacem premerent ; illis committere noluit, vt vinum & oleum vulneribus ſaucij infunderent.

Cùm amicus aduentanti inopinè hoſpiti ad 29.
officium exhibendum inueniretur imparatus vti improuidus, decreuit amici precibus aſciſcere auxilium : media ad illum tetendit nocte, nec recuſauit ſugillari importunus, ne cenſeretur hoſpiti fameſcenti inhumanus : amicus varias prætendit excuſationes, non vt panem denegaret ; ſed vt viuidius petentis anxietatem accenderet : *Iam oſtium clauſum eſt, & pueri mei* Lucæ 11. v.7. *mecum ſunt in cubili : non poſſum ſurgere & dare tibi.* Ipſa excuſationis ratio alebat fiduciam, & petendi nutriebat audaciam, quandoquidem pueris circumdatum non erat neceſſe ſurgere; ſed illorum vni imperare : inſtitit amicus : quid tunc ? *Surget, & dabit illi quotquot habet neceſſarios.* Alibi pueros iubet mnam ab ignauo auferre : *Auferte ab eo mnam* ; hîc tamen pueris Lucæ 19. v.24. non præcipit dare : *Surget*, inquit, *& dabit*. Animaduertit Chryſologus ſermone 39. *O quàm pulſanti*

pulſanti iſte geſtiuit occurrere, qui ſic ſecreti ſui cubile ipſam collocauit ad ianuam! Addit Rauennas Antiſtes: *Dormientibus ſeruis pulſantis neceſſitatem ſolus & primus audiuit.* Ipſe dedit, & ſeruus abſtulit, vt vtrumque regiam commendauerit maieſtatem, dum geſtit indigenti ſubuenire, & recuſat vel torpentem ſeruum auro ſpoliare.

---

§. X.

In curia criminum ſecuriùs degunt, & impugnantium vires certiùs eludunt.

30. RArus locus eſt, quo non vitiorum peſtifera lues irrepſerit, quemque graſſata pernicies non temerauerit: vitia non temporum; ſed hominum ſunt: vbicumque fuerit mortalis conditio, & morum aderit deprauatio: pro hominum cenſu, & vitiorum cenſus eſt, ibique exundat criminum copia, vbi ingentior hominum ſumma; verùm etſi vbique vitium dominetur, in regum curiis ſecuriùs degit, & inſolentius efflorét. Ea eſt in curiis audax vitiorum temeritas, vt ſi deuicta ibi, victoris commendet omnipotentiam, & diuinitatis prodiderit efficaciam: *Niniue ciuitas erat inter Aſſyrios*, ſcribit Seleucienſis (Seleuc.) orat. 12. *hominibus refertiſſima, peccatis naturæ terminos ſupergreſſi; non tamen diuinæ clementiæ metas exuperabat.* Ecce diuinæ clementiæ infinitudinis euidentiſſimum teſtimonium, non ſuperati à Niniue Aſſyriorum curia criminibus, procacibus non vinci ſceleribus: copioſus namque adeò vitiorum in curia obarmatur exercitus, vt diuinæ virtutis triumphare fuerit elogium. Naturæ terminos ſupergreditur malitia, exterminat longiſſimè caſtitatem luxuria, abiicit omne medicamentum procacia: ob id, & quidem iure, curia vocatur à Caſſiodoro 9. var. (Caſſiod.) 25. emporium libertatis, *Curia libertatis:* quaſi curiales nec rationi pendant tributum, nec virtuti præſtent obſequium: liberi prorſus ſunt; ſed damnabili libertate, qui debuiſſent honeſta obtemperare legibus ſeruitute. Ecce Iabin in Aſor regnare deſcribitur: *Tradidit illos Dominus in manus Iabin regis Chanaan, qui regnauit in Aſor.* Quærunt interpretes, quomodò Iabin regnare potuerit in Aſor, cùm Ioſue 11. diruta & exuſta referatur. *Quæret aliquis*, ſcribit Abul. quæſtione 3. *quomodò potuerit Iabin regnare in Aſor: quia illa iam combuſta erat: nam Iſraëlitæ combuſſerunt eam, & diruerunt, vt patet Ioſue 11.* Itaque ſolertiſſimo ſtudio Ioſue præ aliis ciuitatibus hanc diruit, & anhelantibus flammis redigendam nigros in cineres tradidit, verùm adeò ardenti huius præ aliis ciuitatibus deſiderio inflammati ſunt Chananæi, vt nulli labori pepercerint, quò illam iterum conſtruxerint, & in magnum ſibi munimentum reædificarint. *Reſpondendum eſt*, addit Abulenſis, *quòd Aſor erat princeps communium ciuitatum, & regnorum terræ Chanaan: ideò Chananæi, vt non perderent iſtum principatum, conſtruxerunt inſtaurantes Aſor; & rex huius terræ dominabatur toti Terræ Chanaan: ideò Chananæi, vt non perderent iſtum principatum, conſtruxerunt inſtaurantes Aſor.* Plures Chananæi amiſerant ciuitates, nec inſtaurare curarunt; huius tamen ardenti adeò deſiderio inflammabantur, vt nullis ſumptibus, nullis ſudoribus, laboribus nullis pepercerint, quominus ſibi citiſſimè reſtituerint: nam cùm eſſet metropolis, ſine illa, quantumuis aliis fruerentur, ſe reputabant præſidio nudos; ea verò munitiſſimos: nec fallebantur: vitium namque ſine curia nunquam potitur imperio; in curia tamen infelici reſplendet ſolio: *Vt non perderent principatum conſtruxerunt Aſor*: ſine curia carebant dominio, in illa vitia amplo potiebantur imperio.

Adde cum Ioſue ſolùm ciuitates in plano ſitas combureret, & collibus montibuſque conſtructas ſeruaret, hanc penitus combuſſiſſe, quantumuis monte emineret, vt regnandi ſpebus priuaret Chananæos. Verùm ſic aduerſarij metropoli carere doluerunt, vt dirutam, exuſtamque ingentibus inſtaurarent laboribus, ea muniti fidebant obuiare ſe poſſe aduerſariorum adſultibus, & miſeris occurrere caſibus. Ita Abul. citata quæſtione. *Vrbes, quæ erant in collibus, poterant faciliter defendi: ideò illas non combuſſerunt* (Iſraëlitæ) *excepta vnica ſcilicet Aſor, quæ erat ſuper colles, & in loco forti; tamen combuſta eſt, vt patet Ioſue 11.* Subdit rationem doctiſſimus interpres: *Ratio ſpecialis fuit, quia Chananæi ſpecialiter afficiebantur ad illam vrbem: quia ipſa fuerat caput regnorum ſuorum, & dato quòd teneretur ab Iſraëlitis, Chananæi pugnarent aduerſus illam, & caperent: ideò vt totaliter deſperarent de illa, combuſta & diruta fuit; ſed adhuc tanto deſiderio mouebantur ad illam Chananæi, quòd illam inſtaurauerunt magnis laboribus.* Ecce Ioſue cum alias vrbes ab incendio ſeruaret, vt qui facilè ſe putaret poſſe ab aduerſariis defendere, curiam combuſſit, quaſi illam non poſſet ab aduerſariis ſeruare, nec ſine illa ſpes aduerſariorum florere. Itaque & excidium, & Chananæorum deſiderium, quàm crimen in curiis floreat, apertiſſimè comprobarunt. Ioſue metropolim adurit arbitratus non poſſe ab aduerſariis defendere; aduerſarij magnis ſumptibus, & laboribus conſtruunt, quia ibi ſolum exiſtimant ſe regnare. 31.

Abulenſ.

Dæmon Saulis animum nactus proprium ſibi effecerat domicilium: erat ſanè commiſeratione digniſſimum videre hominem exteriùs regnantem, & interiùs vitio ſeruientem: cùm poſt celebrem illam de gigante victoriam in curia quieſceret à campo regreſſus, iniquus prophetare in medio pallatio illum cogebat ſpiritus: *Poſt diem autem alteram inuaſit ſpiritus Dei malus Saul, & prophetabat in medio domus ſuæ.* Et cur non in campo; ſed in domo ſua propheter à malo ſpiritu arreptus? Aptior videbatur vocando nequam ſpiritui vitæ militaris libertas, morum in campo inconcinnitas, armatorum procacitas, quàm regium palatium, & tranquillum otium; & tamen ab impurato ſpiritu domi corripitur, qui in campo non poſſidetur: nec mirum: in curia namque ſemper vitium viguit floridius, & regnauit inſolentius. Idem ipſe Saul non ſic dæmoni Martiali parebat in campo, vt regia ſeruiebat domo: vt nouerís quàm aduerſa curia ſit virtuti, quàm apta dæmoni: *Prophetabat in medio domus ſuæ*, inquit Caietanus, *hoc eſt inſaniuit ad ſimilitudinem prophetantium: aliena à communi ratione agentium, & dicentium.* Aliena à ratione agit, & dicit in medio domus, qui aliena à ratione nec dixerat, nec egerat in medio exercitus: 32.

1.Reg.18. v.10.

Caietan.

Digitized by Google

citus: ibi inſaniuit: quia & voluptas profuſior, & ſuperbia tumidior, & faſtus ſuperbior, & intemperantia procacior: vti fœcundo in agro citius adoleſcunt plantæ, quæ alibi tardius florerent, fructuſque protruderent: ita qui difficilius alibi parerent vitio, in curiis obuio ſtimulantur exemplo.

33. Egregiè immiſſis diuinitus flagellis vapulabat Ægyptus; nec tamen emolliebatur duritia; imò nutriri, augerique videbatur proteruia: Deus prænuntiat ſupplicium, quò ipſa pœna culpæ adulettur prænuntiata miſericordiæ: grandinem futuram prædicit, & omnia tacta bruta mortem oppetitura, quò euaſerint intra curiæ
Exod. 9. v. 19. muros protecta: *Mitte ergo iam nunc, & congrega iumenta tua, & omnia, quæ habes in agro: homines enim & iumenta, & vniuerſa quæ inuenta fuerint foris, nec congregata de agris, cecideritque ſuper ea grando, morientur.* In ipſa pœnæ comminatione miſericordia relucet: & quidem, vt moribus adaptemus hiſtoriam, quæramus quid iuuet, vt moriantur iumenta in agro verſari, aut quid vetet domibus contineri? Cur alia non decernatur plaga, quæ adæquè graſſetur campo, & domicilio; ſed grando? Expende cuius rei bruta fuerint ænigmata, & ſolutionem inuenies. Profectò brutalis appetitus irrationalis affectus eiuſdem ſunt Pharaonis ſiue intra curiam degant, ſiue extra curiam excurrant; at dum foris verſantur; cælitus aliquando tanguntur, & tactum quidquid brutalitatis eſt, moritur; at intra curiam ſic contra cæleſtem pulſum armantur, eiſque artibus præmuniuntur, vt eludatur protſus cæleſtis grando, & quod æquitati ſeruit auxilium. Cùm Dominus teſtatur animalia, intra curiæ limites aſſeruanda, extraque perdenda, clarè docet, quàm ſeuerè quidquid brutale eſt, curiis degat, & quàm aduerſus cæli
Laurent. vires eſfloreat. *Iumenta ſunt*, ſcribit Lauretus Cetuarienſis in allegor. *ſenſu pigriores, & minus ratione vtentes, qui immundis, & terrenis actionibus occupantur.* Ecce qui terrenis actionibus occupantur, dum extra curiam degunt: cæleſti pulſu tanguntur, quo moriantur culpæ, & reuixerint gratiæ; at dum intra curiam degunt, ea ſe malignitatis armatura protegunt, vt nullatenus tangi ſe permittant, aut percelli cæleſti clamore queant. Ita curia defendit à gratia, ita in ea intrepida degit culpa.

34. Diuus Bernardus libro quinto de conſideratione capite quarto, monet deligi perſonas ea perfectione reſplendentes ad Epiſcopalis muneris adminiſtros, vt illos curia deprauare non poſſit; imò qui nunquam fuerint ex curia, quaſi in curia viuere, & mendacium, adulationemque ignorare ſit poſſibilitatis metas tranſilire:
Bernard. *Clericum curiam frequentantem, qui non ſit de curia, ad idem noueris pertinere ambientium genus.* Addit poſt aliqua: *Hoc tibi perſuade: Qui admittendi ſunt, difficilè in curia poſſe probari, & ideò, ſi fieri poteſt, viros probatos oportere deligi, non probandos. Quod ſi plures in ea defeciſſe bonos, quàm malos profeciſſe probauimus, quærendi ſanè, quibus nec defectus timeatur, nec profectus optetur, vtpotè iam perfectis.* Itaque curia bonos inficit, malos conſeruat, & ex ſacerdotibus ſacriſque miniſtris excudere ſolet profanos, adulatores, & ambitioſos. Neſcio quæ ſcelerata aura reflet ſæpè ſæpiùs in curiis, qua & honeſti marceſcunt mores, & virtutis decidunt fructus, vt criminis augentur prouentus. Adulantium certamen initur, aſtutæ doloſitatis ſchola ſæpiſſimè frequentatur, viget in curiis mendacium, fallacia degit non ſemel extra periculum. Vel Petrus in curia negat, mentitur, abiurat: & quem ventus validiſſimus non potuit marina terga calcantem deiicere, potuit exigua cum curialibus communicatio à virtutis culmine deturbare. Recepit ſanè curia Petrum amore Chriſti flagrantem, reddidit virtuti contradicentem: vt Bernardus repetat: plures in ea defeciſſe bonos, quàm malos profeciſſe probauimus.

---

§. XI.

Ad recuperandam mundialem gloriam omnis dulceſcit moleſtia, cum torpeat ad virtutem recuperandam ignauia.

FAteor, ſic eſt, eo ambitionis ardore humanus animus inflammatur, vt quò volaticum lu- 35.
cretur plauſum, nullum recuſarit periculum.
Ambitio humana, aiebat Caſſiodorus in gno- Caſſiod.
mologiâ, *niſi per metum damni non poteſt inhiberi*; verùm eruditi pace, metu crediderim rarò frænari: ſic namque inardeſcit audacia, vt temerè deſpiciat diſcrimina: adhæc, adeò viſus eluditur, ac rationis vſus adulteratur, vt nihil appareat arduum, nihil videatur præruptum. Gloriæ ardor flabellatur in incendium, & quiſque inſanis flammis aduritur, ſtudioſo vitandi æſtum deſiderio, nec certo obiici recuſabit naufragio: ſolùm ad recuperandas honeſtatis diuitias torpet ignauia, & hic de induſtria confinguntur difficultates, cùm illic ingentes auidè
exhauriantur labores. *Non emo*, aiebat Tertul- Tertull.
lianus in apologet. capite 42. *capiti coronam:*
viuidius apud Pamelium: *Non emo capite coro-* Pamelius.
nam. Quaſi dicat Tertullianus: Cùm ipſo capite capiti à pluribus exambiatur corona, ex illorum numero non ſum. Et quidem non modica laus eſt impatiens gloriæ frænare deſiderium, & ambitus agnouiſſe periculum, cùm plures Abſalomi imitatores eam mentis cæcitatem incurrant, vt quo impendioſum euanidæ laudis ſibi maturauerint luctum, graue acceleratint tormentum. Iabin in Aſor olim non ſolùm diruta; ſed flammis anhelantibus tradita regnaſſe ſcribitur: *Regnauit in Aſor.* Quod ſi inquiras, quomodò quiuerit in Aſor gerere principatum, quandoquidem radicitus paſſa eſt illa ci-
uitas excidium: reſpondebit Abulenſis quæ- Abulenſ.
ſtione tertia Chananæos ardenti adeò deſiderio antiquæ ciuitatis recuperandæ fuiſſe inflammatos, vt nullis vigiliis, nullis laboribus, nullis ſumptibus, periculis nullis pepercerint, quominus euerſam vrbem inſtaurauerint, & ad amiſſum ſplendorem erexerint: *Chananei pugnarent aduerſus illam; & caperent: ideò vt totaliter deſperarent de illa, combuſta, & diruta fuit; ſed adhuc tanto deſiderio mouebantur ad eam Chananei, quòd illam inſtaurauerunt magnis laboribus, & fecerunt eſſe caput terræ Chanaan, ſicut à principio.* Itaque quamuis magnis ſumptibus, diſcriminibuſque opus eſſe ad ciuitatem inſtaurandam cognouerint, animum non deſponderunt;

Digitized by Google

derunt; imò ipſa difficultate actiùs incitati diu noctuque laborarunt,& votum, etſi infeliciſſimè, explerunt.

36. Sponſa cæleſti Sponſo inueniebatur deſtituta,vt inerti ſomno ſoporata, aduentauit ille, & quamuis blando alloquio allexerit, titulis dulciſſimis excitauerit, illa nihilominus varias excuſationis cauſas colorat, & gradum repigrat: *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodò inquinabo illos?* Itaque vt abſentem Deum domo excipiat, gradum non ſolùm accelerat;ſed retardat. Tranſi modò ad Ioannis 11. vbi cùm Dominus amicum Lazarum aduentaret excitaturus, & nuntium ad Martham delatum eſſet, propero volatu cucurrit: Martha ergo vt audiuit quia Ieſus venit, occurrit illi. Inquiramus cur Martha auxiis inuolarit ocyſſima deſideriis, cùm Sponſa non adeò ſtimulata cucurrerit? O quàm moroſis greſſibus, & quàm ineptis excuſationibus torquet Sponſa aduentantis patientiam cùm Martha Domini ad ſpeciem ſugillarit pigritiam! Audi Chryſologum ſerm.64.*Sic ſeruus non fuit, non proximus, non amicus:certè qui aderat conſolator, vt mulier ſola medias per turbas, per caſtrum totum extra ciuitatem, & luctus tempore venienti occurreret Saluatori.* Reddit rationem dubij ingenioſus Doctor:*Vt vitam viro referat, hæc anhelat.* Martha ſatagit reſtituere fratri vitam,Sponſa tenetur cæleſtis Sponſi ambire præſentiam:adeoque diuerſa eſt ambarum ſolicitudo, vt cunctetur Sponſa paucos greſſus cubiculo ponere,& Martha anhelet Domino occurrere: *Vt vitam viro referat, hæc anhelat.* O quàm aliter quæ ad ſpiritum, & quæ ad temporalia commoda pertinere ſolent,tractamus.Quidquid virtutis,ſatis deſidioſè,quidquid humanæ vtilitatis,ambitioſè ſatis.

Cantic.5. v.3.

Chryſol.

37. Vidit Iſaias Dominum excelſo throno fulgentem, cui adſtabant Seraphini duo protenſis alis faciem eius obnubilantes: *Seraphim ſtabant ſuper illud,ſex alæ vni, & ſex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius,& duabus volabant.* Diuus Bernardus profundus myſteriorum inueſtigator exiſtimat Seraphinos appoſitos ad viſum diabolo arcendum,ne auderet irrumpere, vti Cherubim flammeo gladio ſtetit pro paradiſi foribus in excubiis, ne Adamus audaci temeritate aggrederetur intrare. Audi eius verba ſermone quinto de verb.Iſaiæ: *Quid exiſtimare vetat deiecto Lucifero ad peruigiles excubias Seraphim conſtitutos, ſicut eiecto homine teſte Scriptura Cherubim ad cuſtodiam poſuit Deus?nec incongruè forſitan Cherubim flammeus traditur gladius, vt à ligno vitæ inciſio pariter, & incenſio, quibus nihil carni terribilius, manum prohibeant corporalem. Porrò Seraphim tantùm alas accipiunt, quarum velamine arceant oculum ſpiritualem.* Itaque ex Bernardi ſententia, ne Dei alta, profundaue deiectus Lucifer audeat contemplari, Seraphim ad peruigiles conſtituitur excubias armatus alis, vt Cherubim ad lignum vitæ cuſtodiendum igneo enſe, & acutiſſimo igne; verùm Bernardi ſententia prouidentiam videtur ſugillare diuinam, quandoquidem excellentiora maiori cura debent ſeruari, & diligentia ſolicitiori cuſtoditi: cur ergo Deus ad prohibendam dæmonis audaciam conſtituit pro gladio plumam, & ad lignum vitæ ſeruandum verſatilem, & voraciſſimam flammam? Nonne longè præſtantior Dei aſpectus, quàm ligni fructus? Ergo maiori ſolicitudine debebat prouidentia ſeruare, quod longè reliquis conſtabat excellere. Ergo inuertatur ordo, adhibeaturque ad throni cuſtodiam flamma, & ad vitæ lignum pluma. O ſapientiam immortalem! Adam temporalem perdidit vitam, Lucifer ſpiritualem ſupra cæteros excellentiam, adeóque diuerſum eſt creaturarum ſtudium ad temporalia recuperanda, & ſibi ſpirituália reſtituenda, vt ſatis ſit pluma: adeò leuis eſt ad impediendum viſionis conatum, cùm opus fuerit ardentiſſima flamma ad inſtaurandæ vitæ arcendum ab homine deſiderium. Mirum erit, ſi Adamus per medias non inuolarit flammas, quo pomum rapiat vitæ ſcaturiginem,& humanæ ſalutis fontem, at ſi vel pluma arceat Luciferi viſum,facilè vincetur obſtaculo, & cedet impedimento. Mira ergo ſapientia qui excubat Seraphim, ad viſum Dei arcendum armatur plumis, & Cherubim ad prohibendum Adamum flammis: ardentius namque tentabit Adamus amiſſam reſtaurare vitam, quam Lucifer deperditam excellentiam. *Nec incongruè Cherubim flammeus traditur gladius, vt à ligno vitæ inciſio pariter & incenſio manum prohibeant temporalem.*

Iſai.6.v.2.

Bernard.

Huius veritatis teſtis adeſt Saul: deſertam à gratia eius animam nactus dæmon pro domicilio poſſedit: erat commiſeratione digniſſimum videre hominem Tyria foris purpura collucentem, & interius miſerè vapulantem: nec grauior erat calamitas pati doloris tormentum; ſed denſiſſimis tenebris obnubilari iudicium: luctuoſam miſeriam damnabili ſuſtinebat patientia, & indigna patiebatur tolerantia: eius ægritudo ſic ſeruos ad commiſerationem commouit, vt veluti ipſo morbo ſopitum excitarint, & prouidere ſibi monuerint. *Dixerunt ſerui Saul ad eum: Ecce ſpiritus Dei malus exagitat te: iubeat Dominus noſter, & ſerui tui, qui coram te ſunt, quærent hominem ſcientem pſallere cithara, vt quando arripuerit te ſpiritus Domini malus, pſallat manu ſua, & leuius feras.* Serui admonent ſatis ignauum, & vrgent ad quærendum ſibi remedium pigrum: tranſi modò ad caput 19. vbi non ſerui Saulem; ſed Saul adurget ſeruos, vt quo loco latitarit Dauid ſolerti indagatione perquirant, & ad ipſum non ſine præmij ſpe deferant: *Locutus eſt Saul ad Ionatham filium ſuum; & ad omnes ſeruos ſuos, vt occiderent Dauid:* Expende Saulis hic ſolertiſſimam diligentiam,& ibi deſidioſam ſatis ignauiam:contrarium rationi videbatur quidem conformius,& prudentiæ cógruentius:ad depellendum dæmonem nulla otioſa fuiſſet diligentia,ad Dauidem occidendum laudabilis eſſet deſidia: cur ergo Saul alibi ignorantiam protelat in occaſionem, & conſcientiam corrumpit in diſſimulationem, cum alibi nimis adurgeat ſeruos ſolicitus,& moneat anxius? Ratio facilis: quia alibi,quæ ad ſpiritus ſalutem,& alibi quæ ad regni tractabantur durationem:dæmonem expellere, & gratiam ſibi reſtituere, erat maximum; ſed ſpirituale lucrum, Dauidem de medio tollere temporalis regni cenſebatur fulcimentum: ergo ad quod iam iam labebatur regnum, inſtaurandum, nulli labori parcitur, at ad depellendum dæmonem nec leui ſtudio adurgetur. 38

1 Reg.17. v.15.

1.Reg.19. v.1.

Ee 2

getur. Et vtinam vni Sauli hoc contigiſſet ; verùm ſunt plurimi eius diſcipuli imitatoreſque: ad quodcumque temporale recuperandum vigilant, obnoctant, laborant, ſudant; cùm ad ea, quæ pertinent ad virtutem, prorſus ignauè ac deſidioſè ſe gerant. Non Saul tetendit, vt Dauidem quæreret à dæmone exagitatus, cum tamen laborioſiſſimis itineribus fugientem quæſierit liuore aduſtus ? *Deſertam a gratia*, ſcribit Seleucienſis Baſilius orat. 14. *nec habitatam Saulis animam nactus dæmon proprium ſibi effecit domicilium*, Additque : *Seruus ſequeſtris Dauidi ſupplex fuit:* Per ſeruos vocat Dauidem ad dæmonis depellendam violentiam, & ad inſtaurandam gratiam; cùm tamen ſeruos ipſe moneat vt vrgeat; imò illorum diligentia non fidens per ſeipſum campis excurrat, ſyluas obeat, montibus exerret, & antra ferarum intret, conſeruandæ purpuræ deſiderio, & diadematis fulciendi ſtudio. *Legati deſtinati*, verba ſunt Baſilij, *pro donis hortamenta tunc deferunt.* Quando tunc? Quando recuperandæ gratiæ agitur cauſa, non quando ſtabiliri deſideratur corona.

Seleuc.

Seleuc.

§. XII.

Senſus volaticis oblectationibus fallit, & laboribus duriſſimis terit.

39. Senec. *Firmum eſt, quod ratio commendat.*

Speciosa & magna, ſcribit Seneca epiſt. 66. *contrà viſentibus, cùm ad pondus reuocata ſunt, fallunt. Ita eſt, mi Lucili, quidquid vera ratio commendat, ſolidum, & æternum eſt, firmat animum, attollitque ſemper futurum in excelſo: illa, quæ temerè laudantur, & vulgi ſententia bona ſunt, inflant inanibus lætos.* Viſus frequenter fallitur, & quæ à longè commendauit ſpecioſa, ſine venuſtate inueniuntur propiùs diſcuſſa: inanibus illudit animum ſenſus, & ad volatica anxium inflammat ſtudium : quæ incorrupta ratione taxantur, ſolida & profutura inueniuntur. Qui ſenſuum paret imperio, euanidis deliciis eluditur, & laboribus duriſſimis diuexatur: vt è contra qui rationis imperium colit, laboribus ad ſpeciem premitur, & gaudiis veriſſimis fruitur. Ecce Hebræorum populus repetitis augmentis diuinam exulcerat iram, vt grauiora etiam decreuerit illis tormenta, dum antiqua nouis ſemper excedit delicta : *Addiderunt filij Iſraël facere malum in conſpectu Domini poſt mortem Aod, & tradidit illos Dominus in manus Iabin regis Chanaan.* Origenes homilia quarta in Iudices, Iabin interpretatur ſenſum : *Si malum*, inquit, *fecerimus in conſpectu Domini, morietur nobis Aod, & auferetur Samgar, & obſcurabitur lux noſtra, & trademur in manus Iabin regis Chanaan, qui interpretatur ſenſus.* Profectò cùm ſenſus ſint voluptatis inſtrumenta, ſenſibus tradi, inſeruireque durum non videtur ſupplicium ; imò iucundiſſimum oblectamentum : cur ergo Deus, vt de tot ſceleribus veluti improbitatis metas ſupergreſſis dignam vindictam ſumat, ſenſibus tradit peccantes, & voluptatibus indulgentes : hoc namque ad ſpeciem eſt promouere illorum ſtudia, non illis inferre damna. Imò vt digna mulctentur pœna, referuntur ſenſibus traditi, & à rationis imperio alieni. Nec tacuit textus : habuit namque Iabin exercitus ducem Siſaram, vt nongentis falcatis curribus vehementer oppreſſos tereret, & in fruſta ſibi ſubiectos reduceret : *Nongentos habebat falcatos currus, & per viginti annos vehementer oppreſſerat eos.* Putares Iabin, Siſaræque, hoc eſt ſenſibus traditos ab omni dolore immunes ; imò deliciis ac voluptatibus exundantes ; verùm ingemiſcere coguntur afflicti, nec cordis valent deuorare gemitus vehementer oppreſſi. *Nongentos habebat falcatos currus, quibus affligeretur*, ſcribit Interlinearis, *populus duræ ceruicis.* O quàm verè ſapienterque aiebat citatus Seneca : *Bona vera idem pendunt, idem patent ; falſa multum habent vani.* Vanum eſt quidquid in virtute mordet, vaniſſimum quidquid in voluptatibus allicit. *Vtraque res*, addit Philoſophus, *ſine cauſa animum & diffundit, & mordet : nec illa gaudio, nec hæc metu digna eſt : ſola ratio immutabilis, & iudicij tenax eſt : non enim ſeruit ; ſed imperat ſenſibus.* Dum ratio non ſeruit ; ſed imperat, falcatis homo non teritur curribus ; at falcatis atteritur, dum ſubiicitur imprudentiſſimè ſenſibus. O quot morbos edacitas generat, quos parſimonia curat ! O quanta pericula vitæ & honori affert libido, quæ depelleret caſtitas ! O quàm grauia ſibi imponit onera, qui ſectatur ſenſuum præcepta.

Origen.

Interlinear.

Solus gaudet qui imperat ſenſibus.

Prodigus ille à patre longo interuallo ſeiunctus, & fœdo appetitui traditus non ſine intimo cordis gemitu noſtram theſim ſtabiliuit, dum ſqualentis cibi ardentem pectore appetitum cæciſſimè fouit : *Cupiebat*, inquit, *implere ventrem de ſiliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.* Quid tunc ? *Ego*, clamat, *hîc fame pereo :* vtrumque iunxit, & ardorem deſiderij, & tormentum ſupplicij : deſiderium famem acuebat, & exacuta fames erat viperæ ad inſtar cupientis pœna, & concupiſcentiæ digniſſima mulcta : porcorum addictus ſeruituti indulget ſenſibus ; ſed dum indulget ſenſibus, & duris diuexatus gemit cruciatibus : non potuerunt ſenſus oblectamenta immixta non habere famis ſupplicia. *Luxuria*, ſcribit Chryſologus ſermone primo, *ventri, gulæ fames tortor apponitur, vt ibi vltrix pœna ſæuiat, vbi pœnalis reatus exarſerat : facta eſt fames valida, ad talem finem ſemper voracitas tendit, ad talem peruenit terminum fugiendæ voluptatis effuſio.* Deſiderij anxietas, famis ardor tortoris gerit officium, & dum prodigus traditur ſenſui à ratione prorſus extraneus, ſibi probatur nocentiſſimus inimicus. Addit Chryſologus ſermone quinto, *Epicuro ſe tradunt vltimo deſperationis, & voluptatis auctori, & manducant ſiliquas, hoc eſt voluptatibus corporis malè dulcibus inhiant, & paſcunt dæmones, qui ſemper corporis vitiis ſaginantur, & ſordibus : quia ſicut Domino qui ſe iungit, vnus ſpiritus eſt, ita qui ſe iungit diabolo, eſt dæmon vnus.* Qui ſenſibus addicitur, duriſque illorum præceptis obſequitur, dæmon eſt, diabolo adhæreſcens : *Adhæſit*, inquit, *vni ciuium regionis illius.* Ergo vt diabolus nunquam non tortus, ita qui adhæreſcit illi, inuenitur ſemper vexatus. Paſcit & eſurit ; imò viuidius eſurit, dum lautius paſcit : eſt namque cibus ipſe famis auxilium, & cupiditatis fomentum. 40.

Lucæ 15. v. 15.

Chryſol.

Corporis voluptates malè dulces ſunt.

Diues

Digitized by Google

41. Diues ille, qui apud Lucam diuitiis exundabat, ſtultus audiit, dum ſecum meditatur profundius: *Stulte hac nocte animam tuam repetunt* Luc.12.v.20 *à te.* Et quæ huius ſugillationis eſt cauſa? Profectò inuitaſſe animam ad ingluuiem, & ad placidiſſimam ſimul quietem, putaſſeque poſſe delicias in longum tempus conſiſtere, nec celerrimo volatu euaneſcere: *anima habes multa bona poſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe, epulare.* Ecce geminata ſtultitia, & corporis voluptates in annos plurimos credidiſſe duraturas, & ſibi quietem placidam promittere, dum laboris, anxietatiſque ſibi conſtabat cauſas augere. O benè ſtulte, qui quietem in laboribus tibi ſpondebas, & diuturnitatem de rebus vaniſſimis ſperabas. Quàm benè Bernardus tract. de diligendo Deo: *Hoc ſtultum & extrema dementia eſt, ea ſemper appetere, quæ nunquam non dico ſatient; ſed nec temperent appetitum, dum quidquid talium habueris, nihilominus non habita concupiſcas, & ad quæque defuerint, ſemper inquietus anheles.* Addit ingenioſus Doctor rationem: *Ita enim fit, vt per varia, & fallacia mundi oblectamenta vagabundus animus inani labore diſcurrens fatigetur, non ſatietur.* Extremæ profectò dementiæ fuit repugnantia inter ſe coniungere, & extrema clariſſimè ſibi aduerſantia concordare: *Habes*, inquit, *bona repoſita in annos plurimos.* Quæ bona? Adeò ſanè fallentia, vt illum vaniſſimis promiſſionibus inquietarint, aſſeruandique curis torſerint, mentitaque promiſſa veram ac præſentem requiem abſtulerint. Stultus qua poſſet nocte, non quieuit, & nunquam ſibi futuram deluſus quietem promiſit. In ipſis rebus, quæ vel ſolùm conceptæ ſomnum abſtulerant, anxietatemque & laborem generauerant, requiem credidit futuram ſtabilemque deluſus, & placiditatem ſibi promiſit omnino falſus. Ergo iure auari ſugillatur ſtultitia: quia de gulæ ac ſenſuum tyrannide ſomni diſpendium expertus ſibi ipſi imponere eſt niſus.

Bernard.

42. Pſaltes internorum affectuum optimus indagator homines erudiens aiebat, *Mentita eſt iniquitas ſibi.* Et quæ eſt huius iniquitatis impoſitio? Pingere ſanè deſiderij penicillo euanida gaudia ſoliditatis coloreſibique promittere illuſoriis votis ipſa in fatigatione requiem, ipſo in dolore placiditatem. Certè aſſolet alios fallere, qui ſtudet aliis criminibus; at ſibi ipſi mentitur, qui propriis inſeruit ſenſibus: non poteſt non in ipſis votis defatigari, & in ipſis oblectamentis torqueri: tendens namque ad finem laboris, principium inuenit anxietatis: ergo mentitur ſibi, dum promittit finem conſummantem, & finem inuenit conſumentem. Adeſt opportunè ſuprà datus Bernardus: *Voluptas peruerſa contendit ad optimum, feſtinat ad id, vnde poſſit impleri; imò verò his anfractibus ludit ſecum vanitas, mentitur iniquitas ſibi.* Addit poſt pauca; *Curris per deuia, & longè antè morieris, quàm hoc circuitu peruenias ad optatum. Hoc ergo in circuitu impij ambulant naturaliter appetentes, vnde finiant appetitum, & inſipienter reſpuentes, vnde propinquent fini: fini dico non conſumptionis; ſed conſummationis. Quamobrem non beato fine conſummari; ſed conſumi vano labore accelerant, qui rerum magis ſpecie, quàm auctore delectati.* Quàm benè dixit voluptatum alumnos anfractibus ſe terere, & ipſis voluptatibus fatigari: vti in circulo nunquam inuenitur finis; ſed iugis ac laborioſus ſemper rotatur, ita impiis accidit, ambulant in circuitu, quin vnquam perueniant ad votum; imò ſemper ſuum proſequantur tormentum: voluuntur profectò Ixiones, ſe ſeque & ſequuntur, & fugiunt: ventos paſcunt, & dum ſibi promittunt cibum, ſe ipſos eludunt vento: non carent labore; ſed fructu: non fraudantur dolore; ſed voto.

Pſal.16. v.12.

Bernard.

43. Dauid miſeriam populi depingens aiebat: *Multa flagella peccatoris; ſperantem autem in Domino miſericordia circumdabit.* Cuius peccatoris? Illius videlicet, qui aiebat: *Sedebamus ſuper ollas carnium, & comedebamus panem in ſaturitate.* Saturitatis recordantur, flagellorum obliuiſcuntur; cum tamen duriſſimis flagris fuerint proſciſſi, & effuſo ſanguine trucicati: *Flagellatique ſunt*, inquit textus. Ecce vbi ſenſus ingluuie, & ſaturitateque oblectabantur, & flagris ſæuiſſimis diſcruciabantur: nec enim poterat carere flagris, quæ ſenſuum Ægyptus exundabat deliciis: carnibus Iſraëlitæ replebant ventrem; ſed cruentis tergora nudabant etiam verberibus, & premebantur duriſſimis anxietatibus: panis ſaturitas miſeriis immiſcebatur gemitibus, & triſtiſſimis edacitas luctibus. *Multa flagella peccatorum*, ſcribit Drogo de Sacram. Domin. Paſſion. *his flagellis ſæculi Pharao cædebat filios Iſrael.* Paſcit Ægyptus & ferit: ſaturat ingluuie, & inflicto cruentat verbere: paſcuntur ſenſus; ſed & augentur cruciatus: vt noueris non poſſe deeſſe duriſſima flagra, vbi ſenſus volatica ſibi exambiunt oblectamenta. O quàm duris operibus premebantur per longa ſpatia, qui ſuper ollas carnium breuiſſima inſederant per momenta. *Sedebamus*, inquiunt, *ſuper ollas carnium*; ſed verberibus proſciſſi? ſed flagris diuerberati. Ergo ſi vitare cupis flagra, fuge & ſenſus oblectamenta. *Maior ſum*, aiebat Seneca epiſt. 65. *& ad maiora genitus, quàm vt mancipium ſim mei corporis.* Addit poſt pauca: *Contemptus corporis ſui certa libertas eſt.* Vti mancipia durè tractantur, ita qui corporis voluptates ſequuntur. Ergo ſi ingenuus ac liber cupis micare, diſce has fallaces delicias fugere.

Pſal.3. v.10. Exod.16. v.3. Exod.5. v.14.

Drogo.

Seneca. *Contemptus corporis vera libertas eſt.*

§. XIII.

Sumptuoſior miniſtrorum pompa non indubia eſt ſubiectorum miſeria.

44. VT in flore elucet fructus, ita in ſumptuoſiori miniſtrorum ſupellectili præuidetur iniuſta rapina, & ſecuta ſubiectorum miſeria, vtque procerior planta teretibus ramis latior, viriditate pulchrior, & fructuum abundantia copioſior plures ad viriditatem conſeruandam depoſcit latices: & abundantiores vndas, ita ſuperbus miniſtrorum faſtus, & nimius ædificiorum, aulæorum, familiæque cultus ad copioſiores cogit ſubiectos gemitus. Hæc floriditas ſubiectis inuenitur calamitas, triſtibus illorum rigatur fletibus, quæ indignis vanitas exundat fructibus. Quàm ſeriis verbis expendebat hoc Saluianus lib. 4. de gubernat. Dei: *Quid enim omnium aliud dignitas ſublimium,*

Saluian. *Aliquorum præfectura eſt publica præda.*

quàm proſcriptio ciuitatum, aut quid aliud quorumdam, quos taceo, præfecturæ, quam præda? Nulla ſiquidem maior pauperculorum eſt depopulatio, quàm poteſtas: ad hoc enim honor à paucis emitur, vt cunctorum vaſtatione ſoluatur: quo quid eſſe indignius, quid iniquius poteſt? Reddunt miſeri dignitatum pretia, quas non emunt, commercium neſciunt, & ſolutionem ſciunt: vt pauci illuſtrentur, mundus euertitur: vnius honor orbis excidium eſt. Itaque grauius omnibus denunciatur excidium, quo miniſtri ſumptuoſior probatur ſplendor: fulgentiſſima eius lux flammas eiaculatur ardentes, quibus miſerorum tecula, & debiles facultates penitus aduruntur, & diſſipentur. Diuus Baſilius in catena D. Thomæ ad illa verba Luc. 18. *Non furtum facies*, ingenioſè ait non ſolum prohibitor fuiſſe burſarum inciſores; ſed miniſtros præcipuè ac duces: hi enim licentiori, non minori audacia furantur, vtque vanitatis innutriant pompam, ſubditorum augent miſeriam: *Siqui duces legionum ſtatuit, vel commiſſo ſibi regimine ciuitatum aut gentium, hæc quidem furtim tollunt; hæc verò vi ac publicè exigunt.* Itaque publicè à miniſtris aliquando exigitur, quod à furibus abſconditè, & tenebrarum ſuffragio aufertur. Raró miniſtrorum ſacris in litteris refertur ſumptuoſior pompa, quin & luctuoſior ſubiectorum referatur miſeria. Ecce cùm Iabinus multis curribus, manisque Haroſeth ædificiis indecorè refertur clarus, Hebræorum populus copioſis ſingultibus luget miſerrimus: *Habuit ducem exercitus ſui*, ſcilicet Iabin, *nomine Siſaram, ipſe autem habitabat in Haroſeth gentium, clamaueruntque filij Iſrael ad Dominum: nongentos enim habebat falcatos currus. & per viginti annos vehementer oppreſſerat eos.* Vbi primùm Iabini refertur ſumptuoſior pompa, duciſque Siſaræ depingitur inflatior etiam ſuperbia, populus vehementer luget oppreſſus, & pompaticis curribus ferè attritus. *Clamauerunt*, inquit, *filij Iſrael ad Dominum: nongentos enim habebat falcatos currus.* Itaque clamoris redditur cauſa tot habuiſſe currus: quaſi nequiuerit tot quadrigis exundare, quin populus copioſis lachrymis, miſeriſque clamoribus compelleretur lugere. Adeſt Arias Montanus ſatis opportunè. *Non videtur Iabinus tyrannidis initio tanto apparatu, tantoque molimine bellico instructus fuiſſe; ſed poſtea proſpero rerum ſucceſſu, copiiſque ſuorum adauctis, atque Iſraëlitarum ære omni tributis, vectigalibuſque aſſiduè imperatis exhauſto tantum opum congeſſiſſe, vt ſuum ſibi regnum omnibus ad confirmandum commodis, atque artibus inſtructus tueri poſſet.* Addit ſtatim: *Hoc ſignificare nobis videtur rationalis vocula enim: Clamauerunt, inquit, filij Iſraël ad Dominum, cùm iam Iabinus poſt præfectum rebus bellicis Siſaram nongentos currus ferreos, qui quocumque ducerentur, firmiſſimi præſidij inſtar haberent, ſibi inſtruxiſſet, inſolenti, atque duriſſima dominatione in victos, & ſubactos vſus.* Itaque licet Iſraëlitici ſubiecti Iabino inſeruierint, non ita lugere initio compulſi ſunt: quia Iabinus, Siſaraque nec tot initio curribus exundabant, nec ſuperba adeo maieſtatis pompa ſplendebant; at vbi auctus refertur apparatus, & miſerrimus auditus populi luctus: quaſi hæc duo ſibi inueniantur connexa, auctior ſcilicet miniſtrorum pompa, & luctuoſior ſubiectorum miſeria.

Vnius honor multorum inueniri ſolet excidium.

Baſil.

Montan.

45. Non ſine arcano myſterio cum Dominus noſtra delicta ſuis pœnis ſolueret, depictaque ærumnis oſtenderet, purpura duris cum ſentibus coniuncta eſt: *Exuentes eum*, inquit Matthæus, *chlamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput eius.* Itaque poſt ſanguinem purpuræ ornatum refertur ſpina, & habuiſſe dicuntur, quibus caput terebrarent, ſpinas, qui ſplendentis murice ornatus vaniſſimas poſſederant glorias: quod expendens Drogo Oſtenſis de Sacram. Domin. paſſion. ſic aiebat: *Chlamydem ei coccineam hoc eſt veſtimentum mixtum ſanguine circumdant: cùm propter crudelem ſanguinolentiam à pleriſque & honoratur & circumdatur: vnde & plectentes coronam de ſpinis ponunt ſuper caput eius, cum de rapina pauperum ſpinas ei diuitias coaceruantes caput eius ad regnum elationis efferunt.* Vides miniſtros non carere ſpinis, quibus Chriſti caput terebrent, dum non carent, qua illum purpura ad illuſionem circumdent: nec enim poterat ſeparari iniuſta pauperum rapina à purpuræ ſplendiſſimæ pompa. Itaque iniuſti violentique ſentes de venis pauperum ſanguinem biberunt, quo veſtem tingerent, & fulgenti murice colorarent. O quantis ſentibus ſubiectos miniſtri lacerant, vt veſte purpurea fulgeant. Chlamydem coccineam habent; ſed ad chlamydem conſeruandam horridis exundant ſentibus, queis ſubiectorum ſanguinem duris exhauriant cruciatibus. Ecce Dominus peccatorem agens dum ſplendidiori amicitur ſtola, non potuit rapiente carere ſpina, vt iam compertum fuerit ſumptuoſiorem ornatum grauiorem afferre ſubiectis gemitum. Et quomodò poterat qui nuper pannoſus, aut certè copioſis cenſibus non ditatus breuiſſimo temporis interuallo, grato purpuræ nigrore ſplendere, ni habuiſſet ſpinas, quibus ſibi ſubiectos & quiuerit diſpoliare. Vbi reſplendet ſumptuoſior ornatus, & horridus ſubiectis minatur tribulus: *De rapina pauperum ſpinas, & diuitias coaceruantes*: quas coaceruant ſibi, diuitiæ, aliis ſunt duriſſimæ ſpinæ. E contra accidere videas: nullum certius eſt popularis felicitatis præſagium, quàm miniſter exigua ſemper ſupellectili inſtructus: quia & æquitati probatur intentus.

Math.27. v.29.

Drogo.

46. Filij Iſraël ad miſerrimam redacti ſeruitutem anxiis pulſare cælum clamoribus compelluntur: Deus vti clementiſſimus eſt, illorum precibus inclinatus, & compaſſione commotus Debboram illis fœminam, virtutibus tamen illuſtribus decoratam ſuſcitat, quæ calamitati poſſit remedium afferre, & populi fortunam ferè attritam penitus reparare: vtque textus huius proſperitatis præſagium prodat indubium, aſſerit habitaſſe palmetum: *Erat Debora prophetis vxor Lapidot, quæ iudicabat populum in illo tempore, & ſedebat ſub palma.* Habitatio accuratè refertur, vt non ſplendida domo, nec ſeruulorum pompa radiaſſe ſciatur: ſub palma habitabat: quia ſuperbiæ faſtum fugiebat. O quàm incorruptam cauſis dirimendis promebat ſententiam, quæ ſuperbi faſtus omnem reſpuebat ſtudioſiſſimè pompam! O quàm iam populi appetebat felicitas, dum à Debora colebatur paupertas! *Appellatam fuiſſe palmam illam inſigni ac celebri Debora cognomento hiſtoricus ait* (ita Montanus hic) *idque tum*

Iud.4.v.4.

ad

ad illius temporis facultatem, & opportunitatem: tum etiam ad proſperitatis memoriam aptiſſimè factum innuit; palmam vero non vnicam tantum arborem; ſed plures fuiſſe exiſtimamus ad iudicis ſedem, & conuenientis populis hoſpitium commodè comparatas. Profectò ipſa palma, quæ iudici præbebat vmbram, iam populo protendebat victoriam: nec enim poterat non felicitate radiare, dum iudicem conſtabat nullo tumidam ornatu habere: non erat iudicis domus auratis laquearibus micans, non picturis ad miraculum celebratis ornata: non erat aulæis peregrinis de regionibus aduectis artemque vincentibus pulchra; ſed palmetum intextis induſtriè palmarum foliis vmbroſum, & arcendis æſtibus aptum: ergo palma vocatur Debora, vt conſtet proſperitatem populo iam arriſiſſe, dum iudex Debora ſedebat, & habitabat ſub palma: *Ad proſperitatis memoriam aptiſſimè factum innuit.* Minus aliquando populus lugeret, ſi iudex aut miniſter minus exculta habitatione radiaret.

47. Chriſtus Dominus naſcitur ad miſerorum auxilium, & ad calamitatis naufragium, & ne paſtores feliciſſima de ſorte ambigerent, ſignum præbet Angelus, iacere ſcilicet in præſepio pauperibus etſi mundis faſciis inuolutum, paleiſque reclinatum. *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus, in ciuitate Dauid: & hoc vobis ſignum, inuenietis infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio.* (Luc.2.v.10.) Mirum profectò ſignum. Nonne ſatius eſſet aſſerere oſtro ornatum, ſuperbumque palatium inhabitantem copioſa familia cinctum, quàm præſepio reclinatum? Quod gaudium populo eſſe poterat ſortiri reipublicæ ac ſalutis adminiſtrum anguſto loco arctatum, faſciſque inuolutum? Ergo Angelus ad firmandum paſtoribus gaudium aptius protulerit ſignum? Imò hoc protulit ſignum, vt indubium firmaret gaudium. Chriſtus namque, vt putabatur, de pauperculis oriebatur parentibus, & miniſter procurandæ felicitati delegabatur: pompatior ergo ornatus, & ſuperbior cultus eſſe non poterat felicitatis præſagium; ſed calamitatis ad ſpeciem clariſſimum teſtimonium: cenſu namque pauper, & pauperculis parentibus natus ſuſpicionem ingeneraret ſplendidus; at dum anguſtiorem, quàm in parentum domo poſſet habere, habitationem delegit, felicitatem populo denuntiauit. Hinc eſt quod ſapientiſſimus Angelus ad ſtabiliendum gaudium voluntariæ affert paupertatis indicium: *Notandum*, inquit Beda in catena D. Thomæ, *quod ſignum nati Saluatoris datur non Tyrio exceptum oſtro; ſed pannis ſqualentibus inuolutum, non in ornatis auro ſtratoriis; ſed in præſepibus inueniendum.* (Beda.) Dum populi adſtruitur non euerſor; ſed Saluator, pauper, & pauperrimam domum ſpontaneè inhabitans oſtenditur: penderet namque ſuſpenſa prudentia, ſi fabri filium videret maiorum cunabula ſpernentem, & miris ornamentis lares ſibi decorantem; at dum anguſtiori loco, quàm eius depoſcebat ſtatus, cernit, allaturum populo ſalutem non ambigit. Dum gaudet reclinatus præſepio, qui poterat in parentũ domo, ampliori reclinari cubiculo, indubium felicitatis popularis producit ſignum, & confirmat teſtimonium.

48. Expendebam aliquando, cur ſuadente gratia, regia ſe ſtola Dauid nudarit, cùm in arenam deſcendit: Goliat ille, qui longè ſuper cæteros homines ſe ſuperbia & ſtatura efferebat, certamen ad ſingulare inſolentiſſimus prouocabat: Dauid ſe regi offert, à quo vti publicæ ſalutis miniſter delegatur, & regalibus armis induitur: *Induit Saul Dauid veſtimentis ſuis.* Verùm Dauid veſtes deponit vti victoriæ impedimenta, & paſtoris fundam ſcilicet agolumque reaſſumit inſignia: *Fundam manu tulit.* (1.Reg 17. v.38.) Hoc gratiæ fuiſſe conſilium teſtatus Baſilius Seleucienſis orat. 15. *Cùm Dauid regiè iuxta ac bellicè eſſet armatus, declarat Deus, vt nihil opus ſit armis, bellum Deo adiuuante: quare arma tamquam victoriæ impedimenta Dauid exuit.* Si paſtor in miniſtrum publicæ ſalutis delectus antiquum obliuiſceretur ſtatum, & regium affectaret celerrimè cultum, populo non ſtabiliret ſalutem; ſed afferret fortè perniciem. Maiora victoriæ obſtacula nõ erant ſuperbientis belluæ rictus; ſed ſplendidus paſtoris ornatus: nec enim poterat miniſter in vitium audacter inſurgere, dum compellebatur regium ornatum geſtare: *Non poſſum*, inquit *ſic incedere.* Et quare? Quia non ſuppetunt vires paſtoritium colenti ſtatum ad ſuſtentandum eximium corporis cultum. Saul ſuam oſtendit imprudentiam, dum miniſtrum ſupra eius vires ornauit pompa: quia in illa & populi conſpiciebatur miſeria. Quid verius? Quid vſitatius?

§. XIV.

Qui humanam ſtudioſè colit prudentiam, rationis ac virtutis deſerit normam.

49. SIc eſt, crede mihi, vitia multa nobis ſub virtutum nomine obrepunt, & externo colore imponunt: quiſquis apertè delinquit, ipſo delicti reatu erubeſcit confuſus, & confunditur denigratus; at ſi vitium virtutis mutuetur vocabulum, grandius ſecum affert periculum: deluſa dormit falſa ſecuritate cautela, & liberius furit, at ferit malitia. Profectò Iacob fratrem non ſubegit prælio, & Eſau eius vicit tectus ornatu: non aliter plura vitia, quæ legitimo non ſuperarent certamine virtutem aſcititio virtutis vincunt colore. Quàm benè Seneca epiſt. 45. (Seneca.) *Res fallunt, illas diſcerne, pro bonis mala amplectimur.* Addit poſt aliqua: *Doce quemadmodum hanc ſimilitudinem dignoſcere poſſim: venit ad me pro amico blandus inimicus, vitia nobis ſub virtutis nomine obrepunt: temeritas ſub titulo fortitudinis latet, moderatio vocatur ignauia, pro cauto timidus accipitur: in iis magno periculo erratur: iis certas notas imprime.* (*Vitia virtutum nomine obrepunt.*) Laborandum eſt, vt certis notis fallacem hanc vitiorum cum virtute ſimilitudinem diſtinguamus; verùm etſi alia vitia in virtutes virtutis larua decertent, humana prudentia frequentius inſurgit: quia ipſo, quo ferit, nos allicit. Sibi nimis conſulere cùm ſæpiſſimè ſit ignauia, aut iniuſtitia, deprædicatur prudentia, & dum ſub honeſto titulo latet vitium, nullatenus procuratur remedium. Ecce Hebræorum populus Iabino traditur, & malum perpetraſſe ipſo ſup-

plicio dignoſcitur: *Addiderunt filij Iſraël facere malum in conſpectu Domini poſt mortem* Interlin. *Aod, & tradidit illos Dominus in manus Iabin regis Chanaan.* Interlinearis Gloſſa Iabin interpretatur prudentiam: *Iabin prudentia.* Origen. Adſtipulatur Origenes hom. 4. in Iudic. *Interpretatur ſenſus vel prudentia.* Longiùs receſſerunt à virtute, dum Iabino ſeruiunt, quàm dum aliis ſubiiciuntur: nec mirum: nam Iabin humanæ prudentiæ titulo decoratur, & populus prudentiæ ad ſpeciem normam ſecutus deliquit grauius, erubuit minus. Non poterat, qui humanæ prudentiæ colebat præcepta, non violaſſe diuina iura; imò grauius deliquit, dum minus deliquiſſe ſe credidit. Fuge improba humanæ prudentiæ conſilia, ſi diuina cupis expleuiſſe mandata: nec nomine fallaris virtutis: quia res eſt pleniſſima iniquitatis: Origen. *Si malum fecerimus*, ſcribit Origenes vbi ſuprà, *in conſpectu Domini, morietur nobis Aod, & auferetur Samgar, & obſcurabitur laus noſtra, & trademur in manus Iabin regis Chanan, qui interpretatur ſenſus vel prudentia.*

50. Gentium Apoſtolus ad Romanos ſcribens vtiliſſimo illos obarmauit documento, ne fre- Rom. 8. v. 6. quenti dilaberentur periculo: *Prudentia carnis*, inquit, *mors eſt, prudentia autem ſpiritus vita & pax: quoniam ſapientia carnis inimica eſt Deo.* Alia vitia ducunt ad mortem, at carnis prudentia eſt mors ipſa: *prudentia carnis mors eſt*, ſanè virtutis & probitatis. Et quidem quo honeſtiori vocabulo tegitur in virtutem ſæuiùs graſſatur. Dum colore virtutis aſpergitur, faciliùs vitium voratur, & quia nullum aut leue putatur de- Anſelm. lictum, cordis viuidius accenditur deſiderium. Opportunè Anſelmus ad hunc locum: *Hac nimirum prudentia vſu à iuuenibus ſcitur, hac à pueris pretio diſcitur, hanc qui ſciunt, cæteros deſpiciendo ſuperbiunt, hanc qui neſciunt, ſubiecti & timidi in aliis mirantur.* Subdit Anſelmus rationem. *Quia ab eis hac eadem duplicitas æquitatis nomine palliata diligitur, dum mentis peruerſitas vrbanitas vocatur.* Nobis imponit calliditas, dum appellatur vrbanitas. O quoties plus iuſto indulgemus corpori, & prouidere credimus ſanitati! Ignauia & malitia habetur apud ſæculum prudentia, & dum colitur vti prudentia, non abiuratur malitia. Humanæ ergo prudentiæ improba fucataque animitus fuge conſilia, ſunt namque virtutis notiſſima detrimenta.

51. Saul expectare iuſſus dum de impatientiæ confinio præſcriptam à Propheta legem infregit, imperium etiam amiſit; verùm inquiramus qua ratione ad offerendum ſacrificium fue- 1. Reg. 13. v. 11. rit impulſus, qui expectare ſeptem dies à propheta fuerat admonitus: *Quia vidi*, inquit, *quòd populus dilaberetur à me, & tu non veneras iuxta placitos dies; porrò Philiſthiim congregati fuerant in Machmas, dixi: Nunc deſcendent Philiſthiim ad me in Galgala, & faciem Domini non placaui: neceſſitate compulſus obtuli holocauſtum.* Ecce Saul non mouetur cæco impetu; ſed rationabili ad ſpeciem diſcurſu. Animaduertit populum moræ impatientem dilabi, periculum adurgere, & cenſet prudentiæ humanæ conſiliis ampliùs non expectandum; ſed holocauſtum ſtatim fore Numini placando ferendum. Profectò ſi humanis ſolùm oculis rem dimetiaris, Saulem prudentiſſimè ſe geſſiſſe non tenues, neceſſum namque erat retinere fugientes, reprimereque inſultantes: nullum aliud opportunius his leuandis anguſtiis videbatur remedium, quàm ſacrificium. Ergo Saul poſt longam ratiocinationem prudentia ſtimulante offert holocauſtum; verùm Samuel non leuiter carpſit vti delictum: *Stultè egiſti*; imò prudenter: vtrumque profectò eſt verum: nam quæ humana apud ſæculum dilaudatur prudentia, apud Deum ſugillatur ſtultitia. Forſitan Saul de ſacrificij oblatione intumeſcebat inflatus, quaſi apparuerit eo tempore prudentiſſimus; ſed ſæculi prudentia inuenta eſt Numi- Ambroſ. ni & rationi inimica. Huc voco quod aiebat Ambroſius ad allatum ſupra Apoſtoli locum. *Prudentia carnis*, inquit, *mundanis rationibus inflata negat aliquid fieri, quod mundi careat ratione.* Expectare iuxta placitos dies adurgente periculo Sauli viſum eſt carere mundi ratione. Ergo humana innixus prudentia tranſgreditur prophetæ mandata. Quo noueris diuinis ſemper obuiare mandatis, qui mundialis prudentiæ innititur regulis. *Neceſſitate compulſus*, &c. Quaſi dicat, exponit Gregorius hîc: *Tu me de magno reatu arguis*, Gregor. *cùm reatus tanto ſit leuior quanto non temeritate conſtat; ſed neceſſitate.* Ni prudenti ad ſpeciẽ rationi deliquiſſet ſuffultus, delictum nullatenus excuſaret reprehenſus; verùm dum mundialis prudentiæ obſeruat regulam, temeritatis impudentiùs defendit audaciam, grauiterque veram obſcurauit ſapientiam, dum auidius coluit humanam: nec enim poterat diuinis non obuiare iuſſis, qui prudentis ad ſpeciem ratiocinationis decreuit obedire conſiliis.

52. Cùm Niniue inter celebres mundi ciuitates notiſſima ardentiſſimis vitiorum febribus laboraret, eo ipſo quo diuinam incendebat iram, Numinis ad compaſſionem prouocauit miſericordiam: Ionam delegat Deus, qui Ion. 1. v. 2. medelam morbo offerat, impietatemque minarum terrore iniecto cohibeat: *Vade in Niniuem ciuitatem grandem, & prædica in ea*: iuſſus prædicare aggreditur fugere, quaſi ipſum præceptum iniecerit ad delinquendum igniculum: *Surrexit Ionas, vt fugeret.* Iam Theodoret. ſi inquiras quæ illum impulerit cauſa, reſpondebit Theodoretus ad caput 1. Ionæ, humana prudentia motum, non ignauia, metuue agitatum: *Non neſcius quod ſi reſipiſcerent Niniuitæ, omnino diuinam miſericordiam aſſequerentur: itaque prædictionem eius falſam videri ſibi turpe exiſtimauit, ſeque pro propheta vocari mendacem... ac Iudæis ſuſpicatus eſt fore crimini, ſi Niniuitæ ſibi obtemperarent, homini nimirum ignoto, & externo.* Conſonat Baſilius Seleucienſis orat. 12. Ionæ nomine loquens: Seleucienſ. *Populus quidem impius ſine noxa inuenietur; ergo verò pudore mendacij confundar. Quid ergo? Inopiam conſilij fuga leuabo.* Prophetæ muneri ad ſpeciem conſuluit, criminis notam, mendacij ſcilicet incurrere renuit, & ne deſpicerent Niniuitæ prophetam, noluit ciuitatis non futuram prænuntiare ruinam. Ecce quàm ſapiens argumentatrix humana videtur ſibi prudentia, & quàm dum videtur ſibi ſapiens, Numinis ſpernit mandata: quiſquis ſpecie tenus quæ prophetam impellebant, cauſas diſcuteret, prudenter cepiſ-

ſe

Digitized by Google

ſe fugam cenſeret;verùm qui meditaretur altius, non dubitaret prudentiæ humanæ conſilium illaturum Numini bellum: non cepit fugam eo animo,vt delinqueret;imò vt prophetæ honori debito prouideret:non cepit fugam,vt Ninitiuæ perirent;ſed ne Hebræi grauius de contumacia delictum exaggerarent; verùm dum humanæ prudentiæ obſequitur,diuinæ refragari voluntati probatur: quo noueris humanæ prudentiæ conſilia fugere, ſi vis Numinis præceptionibus adhærere.

53. Amnon adeò venuſtate ſororis illectus exarſit, vt amore eius periret:erat regis filius, quem non decebat quidquam aggredi;imò nec mente concipere non ingenuum: erat etiam Thamar regis filia, eademque ſoror, quam vel laſciuis oculis ſpectare non licebat: cumque pudor & libido iuuenis corde certarent, & quas fouebat corde,flammæ oris pallore ac marcore ſe proderent,Ionadab, quem ſibi vſu & generis communione amiciſſimum regis filius colebat, prudentia humana aggreditur ſalutis depellere detrimenta: *Erat Amnon amicus nomine Ionadab* (2.Reg.13. v.2.) *filius Semmaa fratris Dauid vir prudens valde, qui dixit ad eum: Quare ſic attenuaris macie, fili regis, per ſingulos dies?* Quid tunc? Vlcus aperit, & amici conſilio indecentem medelam procurat morbo: ſororem infanda temeritate oppreſſit,& religioſa adeò conſanguinitatis iura violauit. Ecce Amnon delinquit, dum prudentiam conſulit, cùm cenſeres de prudentiæ conſiliis frænandum, & ab opere inceſtuoſiſſimo prohibendum: nil mirum erraret, ſi iuuenem imprudentem conſuleret; mirum tamen fuit deliquiſſe,dum conſtabat prudentiam celebratiſſimam conſultaſſe;at dum prudentis conſilium,& iuuenis refertur erratum, patenter innuitur prudentiæ humanæ conſilia aduerſus honeſta ſemper militare legis mandata: *Sapiens hic non vocauit Scriptura conſilium Ionadab,* ſcribit Theodoretus quæſt.29. (Theodor.) *ſed illius ingenium, vt quod eſſet aptum ad perſiciendum quid eſſet agendum; ſed non eſt vſus ingenio ad id, quod oportebat; imò verò Amnonis libidini opem tulit.* De ſapientiæ humanæ conſilio prouidit vitæ,& refragatus eſt legi, quo noſtra theſis indubia fuerit,ſcilicet à lege, rationeque deuiare, quiſquis humanam prudentiam ſtuduit colere.

---

§. XV.

Facilè peccatores amittunt vel venti flatibus,quod magnis ſibi comparauere laboribus.

54. CÆca adeo deſipit in ſeipſam cupiditas, vt ignoret prorſus ſtabilire, quod magnis curarum & laborum impenſis ſibi adnititur comparare: ſuis votis opponitur, & anxiis laboribus refragatur: nam cùm præcipuum felicitatis fulcimentum ſit virtus,huius oblita ſitit diuitiarum cumulum anxia:non ſemel fragili felicitate lucet improbus copiis diuitiarum auctus, & ad dignitatum lumina euectus; verùm reflante vento facilè perit, & ad inſtar vmbræ fugit. O quot gloriantur curribus, exercitibus ſuperbiunt,turgent felicitatibus,cùm ſolùm vmbratilis illorum proſperitas nata fuerit ad doloris incrementum, & ad virtutis exemplo miſerabili auxilium. *Quidquid attigerit*, ſcribit Seneca de virtute epiſt.66. *in ſimilitudinem ſui adducit,& tingit, actiones, amicitias, interdum domos totas, quas intrauit, diſpoſuitque condecorat: quidquid tractauit,id amabile, conſpicuum, mirabile facit.* (Seneca. Virtus ſecum affert decus, & plauſum.) Domus condecorat,quia fulcit,quia firmat,quia ſtabilit: virtus concuti poteſt,vinci non poteſt: quantumuis namque recurrentes ventorum eam impetiuerint turbines, non labefactabunt conſtantiam; ſed conſpicabilem oſtendent gloriam. Ecce Siſara penè infinito milite armatur, & falcatis curribus cingitur: Nongentos habebat falcatos currus. His armis munitionibuſque conſerturus manus cum exiguo hoſte deſcendit;ſed venti flatibus diſſipatur, & ab aduerſariis conteritur: *Perterruit Dominus Siſaram,& omnes currus eius, vniuerſamque multitudinem in ore gladij ad conſpectum Barac.* Ioſephus lib.5. antiquit. cap.9. putat Hebræos, poſtquam in prælium deſcenderant, de fuga cogitaſſe, & ad hoſtium arma, multitudinemque obſtupuiſſe, tuncque tempeſtatem exortam, cuius flatibus omnis Siſaræ exercitus eſt diſperſus, ipſeque certamini Iaëlis tentorium petiit ignobili fuga ſubductus: *Cùm Iſraëlitæ obſtupeſcentes multitudinem hoſtium de fuga iam cogitarent, Debora* (Ioſephus.) *retinebat eos, & ipſa die dimicare præcipiebat, victoreſque eos Deo auxiliante pollicebatur. Congreſſis ergo atque permixtis eis imber magnus influxit, & aqua nimia ſimul & grando, & pluuia in faciem Chananæorum verſa, & ventus eorum aſpectibus imminebat,ita vt arcus eorum,& fundibula inutiles fierent,& armati præ frigore vti gladiis non valerent.* Exercitus penè innumerus, quem bellica æternare videbatur fortitudo, actius adſpiranti vento diſſipatus eſt: nec enim quem non ſtabiliebat virtutis valentia, curruum aut militum eripere caſibus potuit copia: quò iam conſtaret omnibus inſanos illos ſumptus,ſuperboſque armorum,ac militum apparatus augendo deſeruiſſe labori,& miſera addidiſſe incrementa calamitati.Barac exiguo exercitu decantando ſæculis coronatus eſt triumpho, vt liqueret omnibus parum prodeſſe immetatas vires,niſi illas comitatæ fuerint virtutes.

Baldad Suhites cum Iobo diſſerens ſic de 55. fiducia peccatoris aiebat: *Sicut tela aranearum* (Iob 8.v.14.) *fiducia eius: innitetur ſuper domum ſuam,& non ſtabit,fulciet eam,& non conſurget.* Eleganti ſanè comparatione vſus eſt,vt quàm ſit euanida peccatoris proſperitas,indicarit, & quam eius fiducia firmitate careat, euidenter oſtenderit: ſicut tela,inquit aranearum. Aranea anxiis curis,continuis laboribus telam texit, itque reditque fila ducens replicans, & ſubtiliſſimè expandens: cùmque aliquando eius tela imitetur nubeculam magnitudine, fortius adſpiranti vento obuoluitur confuſa,& per aërem inuolat diſſipata. Nec aliter accidit plurimis, qui in ſæculo magnas obtinuere diuitias: anxio labore ſibi coacertant aurum, copioſo auro emunt dignitatis faſtigium, laborioſo ſudore deliciarum, & felicitatis augmentum; ſed citiſſimè vel ventorum flatu omnia diſſipantur,& diſſipata amittuntur. Opportunè Gregorius lib.8.moral.cap.16. *Aranearum tela ſtudioſè texitur:ſed ſubitò venti flatu* (Gregor.) *diſſipatur* In momento diſparent,quæ diuturnus anxiuſque labor acquiſiuit, & ſeruiunt dolori, quæ cæca cupiditas anhelauerat voluptati.

Vidimus

Vidimus profectò noſtro ſæculo homines opibus onuſtos, familia copioſos, filiis exundantes, quorum non extat memoria, nec vel leuiſſima remanſere veſtigia.

56. Pſaltes hanc improborum acceleratam calamitatem deſcribens ſic aiebat: *Inſpiritu vehementi* Pſal.47.v.7. *conteres naues Tharſis.* Quantis laboribus nauium conſtet ſubſtructio, quam artificis vires fatiget eius compaginatio, nulli dubium eſt: has ergo operoſas induſtrias, & induſtrioſas operas acrior venti flatus ſic diſſipat, perditque, vt nec veſtigia ſæpè relinquat; ſed infelici naufragio tradat: Conteres naues Tharſis: quæ ex Tharſis ditiſſima quidem regione, auroque exundati naues aduehũtur, diuitiis onuſtæ, & deliciis ad omnem luxũ ſuperbiunt prædıtæ: has vrens aquilo concutit & illidit. Citiſſimè pereũt profundo traditæ, aut inter ſe arietantes, aut duris ſcopulis impingentes. Profectò multorũ dierum labores vna hora abſtulit, & concuſſis fluctuum voluminibus Genebrard. merſit. *Venti validi violentia,* ſcribit Genebrardus, *& impetu franges, conteres, & diſſipabis naues Tharſenſium, & cæterarum ſuperbarum nationum.* Superbiebant peccatores opulentiſſimis claſſibus auro onuſtis, & diuitiarum copia refertis, ſibi gratulabantur iam iam portum appellentes diuerſos fortunæ vultus euaſiſſe, & veluti æternam ſibi felicitatem firmaſſe; verùm repentino venti pulſu omnia repererunt illiſione confracta, & naufragio abſorpta, vt iam ingemant peccatores videntes exiguo temporis momento amiſſa, quæ tot prolixis annis, tot laborioſis fuerant operibus comparata. Certè vt nulla mari adhibenda eſt fides, quantumuis placidis vndis, & ſurdis ventis nauigantibus aduletur, ita peccatorum proſperitati nulla eſt ſecuritas, quantumuis videatur fortunæ deſpicere adſultus, & contra aduerſos firmari caſus. Nulla eſt impio radix: ideò citiſſimè corruit flante vento, & ſolicitante peccato. Iuſtorum felicitas firmior: quia iuſtitiæ anchora fundatur firma, & contra ventorum flatus ſtabilitur firmata.

57. Pharao iniquis artibus Hebræorum vires accidere aggreſſus eſt, nihil non tentauit, vt improbo labore conſumeret, & odioſa paupertate vexaret. E contrà Ægyptiis ſuam felicitatem miſerorum lachrymis irrigabant, & gemitibus adaugebant: ſuperbiebat tellus animalibus opulenta, ligna copioſis fructibus exornata; verùm ingruente repentina tempeſtate omnes Ægyptiorum perierunt diuitiæ, & amiſſæ dolorem auxe-Exod.9.v.25 runt copiæ: *Percuſſit grando in omni terra Ægypti, cuncta quæ fuerunt in agris ab homine vſque ad iumentum, cunctamque herbam agri percuſſit grando, & omne lignum regionis confregit, tantùm in terra Geſſen, vbi erant filij Iſraël, grando non cecidit.* Ecce ſecurius eſt modicum æquitate poſſidere, quam ſine iuſtitia inuidioſis facultatibus exundare, quandoquidem ad anguſtam Geſſen tellurem redacti Hebræi, licèt modicis, diuitiis potiuntur ſecuris, quando Ægyptij latiſſimis terminis extenſi, & ferè innumeris diuitiis onuſti ſubitò cunctis priuantur, & diſpoliati vehementer anguntur: *Cum Ægyptus ipſa hyeme ver agat,* Philo ſcribit Philo Iudæus apud Lippoman. *neque penitus niuem ſentiat, ſubitò tamen aër ille tenuis & temperatus naturam nouam propemodum induit, vt quæcunque iam vireſcere cœperant, læderentur:* Expende illud: *ſubitò induit aliam naturam.* Non paulatim amiſerunt tot ſudoribus innutrita, & operoſis agriculturæ laboribus procurata: nitentes fructibus arbores ipſam cupiditatem vincebant, longéque auaritiæ vota ſuperabant; verùm inuerſa eſt culpa cogente natura, & violentia tempeſtatis momento temporis ſunt detrita, quæ ſpebus longiſſimis ſperata. Quam ſibi imponunt iniqui, dum ſe circumfuſos diuitiis, vallatos facultatibus, & fœtoſis exundantes gregibus aſpicientes ſibi ſecuritatem promittunt: citò namque verſa in contrarium fortuna omnia deuorat, & quàm innixi caducis, monſtrat. Ecce Siſara penè innumeris falcatis curribus ſuperbiebat glorioſus, & fortunam deſpiciebat ſuperbus; verùm orta citò horrendo cum fragore tempeſtas in fugam compulit, & inimicos eius ſpoliis ditauit. 58.

Pſaltes Pſalmo 36. ne peſſimorum adſpecta felicitate prudentes doleant excitati ad inuidiam ex ipſa felicitate inopinam oſtendit prodire mi- Pſal.36.v.1. ſeriam: *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem.* Et quare? *Quoniam tamquam fœnum velociter areſcent, & quemadmodum olera herbarum citò decident.* Dum fœnum floret viridius, iam ariditate marcet, & ipſa floriditate perit. Et quidem ſi Pſaltes criminoſi calamitatem vocaſſet fœnum, nil mirum velox prædixiſſet excidium; at quomodo fœni ad inſtar peribit illa Nabuchodonoſoris procera planta, quæ altiſſimas nubes tranſgreſſa cælo altitudine propinquabat, & tempora toroſitate Dan.4.v.8. euincebat? *Magna arbor & fortis.* Granum illud ſinapis, quod exiguitatem reſpuens plantæ altitudinem honeſtæ præſumpſit, deperibit; at teres truncus aduerſos non timebit euentus; ſed temporum deſpiciet adſultus. Imò, vt noueris quàm res ſpecie fallant, & quam ſibi inueniantur diſ- Matt.13.v.31. ſimiles, dum granum ſinapis cælum proprietatibus refert, & ſæculorum vires eludit: *Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis*; at proceritas illa plantæ non erat ſolida; ſed ſomniata: vnde quæ oculos allexerat pulchritudine, & animos perculit inopia calamitate: durant namque quæ iuſtitia firmat; euaneſcunt quæ vitium ſomniat. Improborum felicitas fœni ad inſtar euaneſcit, quantumuis videatur toroſa planta firmis radicibus ſtabilita, & copioſis fructibus obfirmata. Incognit. *Hic oſtendit,* aiebat Incognitus ad citatum Pſalmum, *propoſitum ſuum, ſcilicet quòd malorum proſperitas in præſenti eſt modica, & non durabilis: quia ſicut herba florens præciſa citò areſcit, ſic & omnis proſperitas mundi ad modicum durans citò areſcit.* Nullus humanæ aduerſitatis impulſus ſinapis granum in arborem coaleſcens potuit eradicare, dum cælica virtute conſtat fulciri; at Nabuchodonoſoris plantam nulla firmitas, nulla induſtria humana valuit defendere: quia cæleſtis ſecuris properabat excidere. Diſce ergo hinc honeſtis laboribus procudere tibi fortunam, & partam deſpice iniquis fraudibus pompam.

§. XVI.

Sibi ipſi probatur offenſior, qui inuenitur Numini durior.

VT deuotus dignis obſequiis animum ſuperioris deuincit, & expromtis officiis allicit, ita refractarius, & durus ipſam pietatem exulcerat. 59.

Digitized by Google

Tertull. *Artificium promerendi eſt morigerè ſubiici.* exulcerat,& vel genium blandiſſimum exarcebat. *Artificium promerendi*, aiebat Tertullianus lib.de patient.cap.4. *obſequium eſt obſequij verò diſciplina morigera ſubiectio eſt.* Promeretur quiſquis morigerè ſubiicitur, in ſe pœnas exacuit, quiſquis imprudenter obſtinatur.Et ſanè ſcribere potuiſſet Septimius;artificium eſt ſibi incrementandi ſupplicia præceptis reluctari,& monitionibus contraire. Benignitas monitionibus culpæ labem conatur detergere, ne inflictis cogatur verberibus reum punire; opus tamen eſt inflictis plagis frænare, quem conſtat monitis ſalubribus nullatenus cohiberi. *Ad monitionem*, aiebat

Caſſiod. *Lenis patientia diſtrictionem præcedat.* Caſſiodorus 4. var. 29. *potius iuſſa conueſtimus, ne ſit noſtra diſtrictio nimia, quam lenis patientia non præcedat.* Dum patientia lenis præcedit, diſtrictionis nimietatem honeſtat, dum compertum eſt non promanare vindictam ab infligentis ſtudio; ſed à duro reluctantis ingenio. Eneruat iram quiſquis citò confugit ad obſequiorum tutelam;at dum delinquere perſeuerat admonitus, clementiam offendit ingratus, & iram offenſionibus exacuit ſibi inimicus. Ecce Iſraëlitarum populus in ſe ipſum deliquit crudelis; ſed expectauit diuina patientia, & ad ſaniorem mentem ſalubri ſtuduit reducere diſciplina;at denſis paſſionum caliginibus cæcus, & delinquendi conſuetudine,ſi dici poteſt, coactus maiora inſoleſcens perpetrauit delicta,& obſtinatiſſima ceruice ſalutaria ſpreuit monita. Quid tunc? Iabino traduntur, qui falcatis curribus illos non ſolùm premat;ſed membratim etiam diuidat: *Nongentos habebat falcatos currus, & per viginti annos vehementer oppreſſerat eos.* Vehementer afflixit, quia & populus vehemẽter induruit.Opportunè

Interlin. Interlinearis: *Nongentos habebat falcatos currus, quibus affligeretur populus dura ceruicis.* Conſonat Ioſephus 5. antiquit. capite 9. Iſraëlitæ, quos præteritæ calamitates nihilo caſtigatiores reddiderant, in priſtinam impietatem, atque inobedientiam relapſi, priuſquam ſatis à Moabitica ſeruitute reſpiraſſent imperio Iabini Chananæorum Regis *ſubiugati ſunt.* Anteà populus tradebatur ferreis compedibus opprimẽdus, modò falcatis curribus diſſecandus, & ſibi quidem ipſi inueniebatur offenſior, dum & rationi refragatus eſt durior. O ſi citius pareret monitis, quàm eximeretur falcatis! at cæcus exacuit iram, dum abiicit obſtinatiſſimus pœnitentiam.

60. Dauid omnium mitiſſimus in Nabalem armatur:ardet extremam illi calamitatem inferre, &

1. Reg.25. v.22. memoriam eius expungere: *Hac faciat Deus inimicis Dauid,& hac addat,ſi reliquero de omnibus, qua ad ipſum pertinent,vſque mane mingentem ad parietem.* Profectò à ſe ipſo videtur Dauid deſciſcere: ſi lenis adeò, vt Sauli pepercerit, vt ſemel & iterum poſt eiaculatam haſtam citharam ad afferendam morbo medelam humaniſſimè retractarit,cur extrema modò ſupplicia decernit, & in vindictam Nabalis ardet? Explicuit] ſanè textus: *Vir*, inquit, *durus,& peſſimus,& malitioſus:* dum obſtinatur durus, & delinquit peſſimus, probatur ſibi inimicus:dura ruſticitas,& fixa firmaque obſtinatio gladios exacuit,& durum diſcrimini extremo obiecit:deliquit profectò Saul, & impurato ſpiritui habitaculum pectus conceſſit; verùm ſe ad ſaniorem mentem cantus melodia ſemel & iterum recipiebat,& ſibi reſtitutus antiquam ſententiam adiurabat:perſequebatur Dauidem; ſed Ionathæ monitis ſopiebat iras, & ad Dauidis vocem copioſas fundebatur in lachrymas: *Leuauit Saul vocem ſuam & fleuit: dixitque ad Dauid: Iuſtior tu es, quàm ego.* Correctus fleuit,qui inuidia ſtimulatus deliquit; at Nabal durus perdurauit ſententia, & Dauidem irritauit iniuria. In hunc ergo gladio accingitur, qui ne Saulem læderet, abſtinuit gladio: vt noueris de dura ſibi obſtinatione Nabalem periculum procudiſſe,& lenitatem ipſam ad vindictam irritaſſe. Duro ſententia mortis decernitur, Sauli parcitur: *Repellit à ſe*, ſcribit Gloſſa moralis, *inſtinctus diuinos, qui ſunt quaſi quidam nuntij Dei à malo retrahentes.* Conſonat Rabanus apud Gloſſam: *Vir durus & peſſimus Iudæos ſignificat, qui vna fellis, & botri amaritudine ebriati dura ceruice, & incircumciſi corde ſemper ſpiritui ſancto reſiſtebant.* Non poterat non ſugillari peſſimus, qui delinquebat duriſſimus: nec Dauid poterat in durum non armari, etſi alias lenitatis conſiliis nouerit iram ſopire.Vt videas quàm periculoſum ſit lapideſcere,& cor exitiali obſtinatione indurare. 1 Reg 24. v.17. Gloſſa. Rabban.

Gentium Apoſtolus ad Romanos ſcribens 61.
ſic aiebat: *Secundum duritiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ.* Non theſaurizat iram Dei, qui peccat; ſed qui Dei monitis dura ceruice reſiſtit, & pietatem inuitantem perfricta fronte contemnit:durus impœnitenſque ſibi ipſi probatur inimiciſſimus, dum theſaurizat contra ſe iram, & indignationis imprudenter accendit flammam: maius pertinaci ſupplicium eſt illum ſibi tradere,& propriæ contumaciæ relinquere: ipſe namque ingenioſiſſimus eſt miſeriæ artifex, & calamitatis magiſter: in peruicaciæ officina ſibi procudit tormenta, & elaborat miſero ingenio ſupplicia. Adeſt Anſelmus ad citatum locum Pauli: *De benignitate Dei iram ſibi reprobus theſaurizat: quia dum ad pœnitentiam tempus accipit, & ad peccandum expendit, ipſum remedium gratia vertit in augmentum culpæ.* Peruicacia, duritieſque, dum ſalutis excutit remedia, adaggerat ſibi damna: de ipſa Dei pietate durus ſibi procudit indignationem, & vertit in miſeriæ ac luctus materiam, quam Deus dilargitus fuerat miſericordiam. Rom.2.v.5. Anſelm.

Miſer homo gehennalibus furiis conceſ- 62.
ſerat habitaculum, in monumentis habitabat, nec catenis comprimi quibat: *Domicilium habebat in monumentis, & neque catenis iam quiſquam poterat eum ligare.* Aduentauit Chriſtus extremas hominis ærumnas miſeratus; verùm ipſe homo cucurrit ſaluti procurans impedimenta, & miſericordiæ apponens obſtacula: *Adiuro te per Deum, ne me torqueas.* A Domino ſe torqueri mentitur, cùm ipſe tormentis ſuis ſtudioſiſſimè ſuffragetur. *Quid patitur*, aiebat Chryſologus ſermon 17. *fragilitas humana talibus & tantis ſubiecta miſeriis? Ecce diabolus patrona voce hominis hominem petiturus inclamat, & tota membra hominis hoſti ſuo ſuam militant in ruinam.* Dum non patitur ferreis ligari catenis, dum fœtidis exambit latitare ſepulchris, dum obuiat aduentantis ſaluti, ipſe homo ſuam hoſti ſuo militat in ruinam; non ſolum ſibi aduentante iudice inuenitur offenſior; ſed vel ipſo dæmone durior: dum recuſat aures monenti præbere, calamitates ſtudet incrementare: non didicerat hoſtis vitæ auctori Marci.5.v.3. Chryſol.

auctori reſiſtere,& nouit miſer ſalutem inuitantem depellere : ſibi cucurrit nocentiſſimus, dum noluit illicitum greſſum moderari ligatus : *Patrona voce hominis hominem petiturus inclamat.* Ecce ad duri hominis patrocinium confugit dæmon : quia nouit nocentiorem ſibi fore , dum reſiſtit,dum mortem ſpernit, dum vincula frangit. O quam diſertè aiebat Saluianus lib.4. de gubernat. Dei : *Tanta in nobis peccatorum exacerbatio eſt,vt per nos cogatur iraſci. Vim,vt ita dixerim , facimus pietati ſuæ , ac manus quodammodo afferimus miſericordiæ ſuæ , cumque eius benignitatis ſit, vt velit nobis iugiter parcere , cogitur malis noſtris ſcelera , quæ admittimus , vindicare.* Vim patitur Deus , & quidem ſibi ingratiſſimam , & cùm offenſus ipſe peccatori inueniatur placatior, ipſe peccator probatur ſibi nocentior.

Saluian. *Vim facimus diuinæ patientiæ.*

63. Deus Niniuitarum impietatis febribus mederi diſcupiens medicum delegat,qui ſalubri veritatis pharmaco inſanientes medicari poſſit delirio : Ionas miniſter deligitur ; verùm non erat bonus pietatis adminiſter:nam non metuit diuinam fuga lædere pietatem, vt proprium conſeruaret honorem:nauim Tharſum petituram inſcendit ; inuenit tamen vndis machinam ſuo conſilio valentiorem : ſæua namque tempeſtas fugacem adoritur , & in nauim inſanientes fluctus eiaculatur ; verùm Ionas inertiſſimum recurrit ad ſomnum , ne mutare ſententiam appetens ſuaderet periculum : à proreta excitatur , & Dominum inuocare monetur. Quid tunc ? *Dixitque ad eos : Tollite me , & mittite in mare.* Ecce Ionas inuenitur nocentior ſibi: Deus namque rationabili illa tempeſtate vertere monebat ſtylum ; non tamen Ionæ conciliabat naufragium : vſque ad ſpem ſtabat terror , quia tempeſtas non fuerat exorta , vt propheta periret ; ſed vt viam ad Niniue ciuitatem conuerteret ; verùm ipſe naufragij ſui extitit auctor , & quo durior ſalutaribus refragatur conſiliis, propriis imprudentior patrocinatur miſeriis : à fera deuoratus ſuo periſſet conſilio , ni benignitas Numinis miraculoſè eripuiſſet naufragio. Huc voco loco citato Saluianum : *Nos quippe nobis accuſandi ſumus: nam cùm ea , quibus torqueamur , admittimus, ipſi tormentorum noſtrorum auctores ſumus.* Deus tempeſtate vitare ſatagebat naufragia ; ſed ipſe Ionas , dum obſtinatur, dum imperio contraire nititur , auctor eſt ſuæ calamitatis , & ſibi ipſi periret relictus , ni benignitate Numinis in ſepulchro viuo degeret aſſeruatus.

Ion.1.v.12.

Saluian. *Ipſi auctores ſumus tormentorum noſtrorum.*

64. Iſaias cap.50. hanc ipſam veritatem confirmat : *Ecce vos omnes accendentes ignem accincti flammis, ambulate in lumine ignis veſtri , & in flammis , quas ſuccendiſtis.* Ipſi peccatores dum pulſanti Numini ianuas mentis occludunt, acriores ſibi flammas ſuccendunt : nolunt greſſus cohibere ; ſed inter æſtuantes delictorum flammas ſtudioſiùs deſiderant ambulare : ipſi ergo , dum incendio proximant , incendia ſibi procurant. Profectò ni lumini reſtitiſſent, ignis æſtus nullatenus toleraſſent ; at dum malitia perſtant , in ſe ipſos viuidiùs ignem inflammant. *Quid ergo* , addit Maſſilienſis Epiſcopus , *de pœnarum acerbitate querimur? Vnuſquiſque noſtrum ipſe ſe punit : & ideò illud propheticum ad nos dicitur : Ecce omnes eius ignem accenditis , & vires præbetis flammæ.* Peccator dum induratur , dum contraire ſaluti nititur , vires præbet flammæ,& addit incrementa miſeriæ. O ſi nos ipſos diligeremus prudenter, quanta depelleremus pericula, & fruſtraremur incendia ; at dum inſtar dementium deliramus,damna noſtra imprudentiſſimi augemus.

Iſai.50.v.11.

Saluian.

§. XVII.

Sæpè calamitas orationis eſt magiſterium, & virtutis aſylum.

ADeò humana mens diuitiis intumeſcit ſuperba , adeò delirat deliciarum incantamentis deluſa, & à ſe ipſa voluptatibus alienata,vt nihil ſibi proficuum cogitet, nec fugiendum quid ſibi exiſtimet : lethæi ad inſtar mentem felicitas eripit , & longam cæleſtium rerum obliuionem inducit : nihil tam contra nos eſt, quàm quod fortunatius ſuccedit , & felicius ad ſpeciem contingit. Ab exordio rerum obortum durat inter virtutem & felicitatem diſſidium: rarò adeò conueniunt , vt nec ipſi Numini atteſtanti fides habeatur ; ſed veluti impoſſibile exiſtimatur. Ecce Iobum affluentibus bonis Deus de iuſtitia commendat : *Numquid conſideraſti ſeruum meum Iob , quod non ſit ei ſimilis in terra: homo ſimplex & rectus , ac timens Deum , ac recedens à malo.* Et tamen diabolus non adhibet fidem ; ſed malignam non recuſat opponere ſuſpicionem. Notauit Chryſoſtomus hom.5. de patient. Iob. *Cùm poſſidebat , vel ſuſpicionem diabolus habuit.* Sic ſæpè diſſident felicitas & virtus , vt quaſi nullo modò valeant concordari, ad inuicem putentur excludi. E contra verò aduerſitas & calamitas nutrices exiſtimantur virtutis : reflans namque aduerſitatis ventus , quibus mens præpediebatur , nubila diſſipat , & iam ratio agnoſcere , quod ſibi congruit , inceptat. *Ad hoc* , aiebat Saluianus lib.1. *miſeri eſſe debent , vt mali eſſe deſinant.* Miſeria non ſemel eſt veluti malitiæ exilium, & erroris obſtaculum. En populus lætiſſimis temporibus fruens ſic deſipuit , vt manuum figmenta coleret , & Numinis ad inſtar delitia inſana adoraret. *Addiderunt filij Iſrael facere malum in conſpectu Domini.* Peruerſi calamitati traduntur, & iam calamitas componit animos , & cordatos nutrit affectus : *Clamauerunt filij Iſrael ad Dominum : nongentos enim habebat* (Iabin) *falcatos currus , & per viginti annos vehementer oppreſſerat eos.* Oppreſſi clamant , qui tempore lætiori deliquerant.Notauit Interlinearis : *Obſerua quia neſciunt clamare filij Iſraël ad Dominum , niſi traditi in manus Iabin regis Chanaan, vel per Siſaram Principem militiæ eius afflicti.* Ecce afflicti diſcunt clamare , qui læti didicerant ora nociua ſilentio occludere:Clamorem extorſit afflictio, & orationem docuit tribulatio : ad hoc miſeri eſſe debuerunt , vt mali eſſe deſinerent : aliter namque malitia nunquam illos deſereret, niſi calamitas adurſiſſet. 65.

Iob.1.v.8.

Chryſoſt.

Saluian.

Interlin.

Paterna domo degebat Iſmaël lautè viuens, & paternis facultatibus fruens:lauta fortuna filio matrique cauſa ſuperbiæ fuit:cùm Iſaac ludebat, aut potiùs illudebat : *Cùm vidiſſet Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Iſaac filio ſuo,* &c. Qualis fuerit ludus , apud interpretes dubium eſt. Hieronymus putat idola feciſſe , & 69.

Geneſ.21. v.9.

Hieron.apud Lipp.om.

ad

ad illorum cultum Iſaacum prolectaſſe. *Ab Hebrais exponitur quòd idola ludendo fecerit.* E paterna expulſus domo deſerto oberrat, & ſiti aduſtus ad Dominum clamat: *Exaudiuit Deus vocem pueri.* Iſmaelem ad Dominum audis clamantem, cùm paulò antè idola finxerit, & illorum cultum procurauit. Quod ſi quæras quomodò qui tam denſis errorum tenebris paulò antè obſcurabatur, vt idola coleret, modò iam veritatis alumnus ad Deum inclamarit, aut quomodo qui modo agnoſcit Deum, egregiè adeò deſipuerit:
Aug. ſt. reſpondebit Auguſtinus apud Lippoman. alibi à matre deſertum, ſiti aduſtum, & extrema calamitate vexatum: & alibi affluentibus deliciis fuiſſe innutritum: vbi ergo rerum omnium aderat copia, ibi & idolum colebat inſania; at vbi dura vrſit egeſtas, ad orationis puer confugit auxilium, & vnicum clamore faſſus eſt Deum. *Quid mirum ſi illa ætate matre diutius non viſa, & tamquam perdita, eo loco, vbi ſolus remanſerat, puer fleuerit?* In paterna domo exundabat deliciis, in deſerto extremis premebatur miſeriis: ergo miſeria ad Dominum docuit clamare, quem proſperitas paterna in domo idola docuit effingere. Profectò Deus orationis auidiſſimus calamitatem non ſemel infert, vt clamorem orationis extorſerit. Et quidem ſi homines non adeo obliuiſcerentur orationis, frequentes adeò non ſubirent ærumnas calamitatis; verum quia obliuio deteſtanda irrepit, opus eſt monitore calamitate.

67. Iſai.8.v.21. *Cum eſurierit*, ſcribit Iſaias, *iraſcetur, & maledicet regi ſuo, & Deo ſuo, & ſuſpiciet ſurſum*: qui ante famis preſſuras appetitui vti regi inſeruiebat, & figmenta vti diuina adorabat, ſtimulante iam fame abiurat errorem, & nouam menti comparat lucẽ; iam vel de inuito ieiunio intellectus reluminatur, & caligo cæcitatis diſcutitur. Adeſt Baſilius ad hunc locũ: *Qui omnia diſpenſat, ac moderatur Dominus, ad procurandã hominum ſalutem, nonnunquam & famem inducit, vt eorum conſulat vtilitati, qui primùm ad virtutem erudiuntur diſciplinis: ait enim. Afflixi vos, & fame ac penuria quaſi angina affeci, vt benè tibi facerem.* Ecce abrenuntiant antiquis moribus, & fame veluti manuducti iuſtitiæ ingrediuntur vias, & veritatis inueniunt ſemitas: *Quis iſte eſt Princeps*, addit Baſilius, *nimirum is, in quem maledicta congeruntur, ab his, qui ſalubriter ac benè cõtriſtantur, Princeps ſcilicet mundi huius, cui maledicunt, quos pœnitet malè actorum.* Ante famem rerum affluente copia mundi huius Principes exprompte ſequebantur conſilia, & vanitatis vti Numinis amplectebantur præcepta; at iam fame afflicti, iam tribulationibus preſſi ad veritatis recurrunt portum, & antiquum vertunt ſtylum: vtilem adeò ſcientiam fame didicerunt magiſtra, & à tribulationis tantam lucem perceperunt ſchola.

68. Diſcipuli cum Domino differentes ſuam ignorantiã produnt, dũ ſcientiã orationis exambiunt:
Luc.11.v.1. *Domine doce nos orare.* Ij ipſi nauem inſcendentes cum tempeſtate deprœliabantur: dormiebat interim magiſter, & recurrentes ventorum turbines fluctus in ſcapham eiaculabantur, ſublatiſſimæque vndæ per momenta minabantur naufragiũ. Quid tunc? Diſcipuli ad portũ, qui in ſcapha erat,
Mar.4.v.38 orationem ingeminantes recurrunt: *Dicunt illi: Magiſter non ad te pertinet, quia perimus?* Quæres quomodò deuotam hîc inuenerint orationẽ, cũ alibi neſcire ſe orare confeſſi fuerint. Profectò hic non eſt opus edoceri, cùm neceſſũ alibi fuerit erudiri. Solutio facilis: quia hic tribulationis frequentabant ſcholam; alibi nullam tunc patiebantur ærumnam. Ergo non afflicti orare neſciunt, qui magiſtra afflictione fundere preces ſciunt: magiſtri vices geſſit periculum, & citiſſimè erudiuit calamitas, quos forſitan adeò cito non edoceret proſperitas. Adeſt Seleucienſis Baſilius orat. 22. Seleuc. *Recurrunt ad portum, qui in ſcapha erat, & adſtantes clamant. Magiſter, magiſter, ſalua nos, perimus O timorem naturæ magiſtrum! O periculum, quo docetur, vbi ſalutis ſit anchora! O mare exanimatos metu diſcipulos præceptori reconcilians: Magiſter, magiſter: vocẽ ingeminat animi perturbatio, & timorem arguit oratio.* Expende illud: *O periculum, quo docetur.* Docuit orationem periculum, & qui extra periculum orandi inſcij, iam in periculo edocti; imò & cæterorum magiſtri, vt verum ſit, quod aiebat Interlinearis: *Neſciunt clamare filij Iſrael ad Dominum niſi traditi in manus Iabin regis Chanaam.* Interlin.

Degebat Moyſes in Pharaonis palatio Regiis deliciis educatus, & innutritus, hic tamen lingua 69.
blæſus erat, nec poterat clamare; imò nec loqui: in Arabiæ deſertis paſtorem agens, & pacatiſſimo otio fruens hoc ipſum impedimentum linguæ experitur, & quod mirabilius eſt, confitetur: *Impeditioris, & tardioris linguæ ſum*; verum cùm Exod.4.v.10. iam peracta feliciter legatione populum exoluiſſet, & ad promiſſionis terram duxiſſet, inopinum grandeque occurrit periculum, Pharao ſcilicet copioſo milite ſtipatus, & flammis cupiditatis aduſtus: nec vndas perere erat calamitatis remedium; imò certiſſimum videbatur naufragium. Itaque plurimus exercitus inſequebatur à tergo iamiam vulnera infligens mucrone, & grauiorem ſeruitutem comminabatur immaniſſima feritate, cùm mare tardaret greſſum, & adaugeret periculum. Quid tunc? Moyſes ad Dominum clamat, & quò cæleſte citius aſciuerit ſibi auxilium, implorat orationis ſuffragium: *Dixit* Exod.14.v.15 *Dominus ad Moyſem: Quid clamas ad me?* Philo Philo. Hebræus, vt erat diſertiſſimus lib. *quis rerum diuinar. hæres.* grande inter Moyſis actiones animaduertit diſcrimen: nam aut lingua non erat tardus & penè mutus, qui exertis potuit clamoribus diuinas aures ferire, aut ſi parum vocalis, & omnino lingua blæſus, non poterat hîc inclamare: quomodò ergo ſibi contrarius alibi refertur mutus, cùm referatur alibi vocaliſſimus? Accipe Philonẽ: *Hic parum vocalis, ac lingua tardus, ac pene mutus, alicubi non loqui ſolùm inuenitur, ſed & clamans introducitur.* Iam ſi diſcriminis quæras cauſam, inuenies à calamitate mutuaſſe vocem, qui lætiori fortuna linguæ confeſſus eſt tarditatem. *Stabat Moyſes mæſtus*, ſcribit Ambro- Ambroſ. ſius ad Pſal. 118. *ſolicitus anxius populi & periculis & querelis.* Addit ſtatim: *Dicit ad eum Dominus: Quid clamas ad me? Sonum eius non audio, vocem eius agnoſco, ſilentium eius lego, clamorem eius in operibus deprehendo.* Mutus forſan perſeueraſſet, ni tantis adurgeretur periculis, & duris exacerbaretur querelis; verùm ipſa calamitas oris impedimentum abſtulit, & clamorem orationis inſeruit: non potuit anxias non fundere preces, qui tot à tergo verebatur pericula, & ſe coram videbat etiam naufragia: quod in palatio neſciuerat, quod in deſerto ignorarat, calamitate adurgente didicit, & ipſa naturæ impedimenta medico dolore exoluit. Non ſic clamaret, ni adeò calamitas adurgeret.

Ezechias pulli hirundinis clamorem referre 70.
exambit, & columbinos gemitus diſcit: *Sicut* Iſai.38.v.14.

Ff *pullus*

Digitized by Google

pullus hirundinis ſic clamabo, meditabor vt columba.
Hieron. Hieromynus apud Gloſſam exiſtimat hîc ſibi à proſperitate cauere, & ad laboris magiſterium confugere: pullus namque hirundinis fame ſtimulatus clamat, & ſi fas eſt dicere, magiſtra neceſſitate cæleſte auxilium implorat. Ergo Ezechias, quo ab oratione non ceſſauerit, calamitatis ſemper habere memoriam ſtabili voto decreuit. Accipe Hieronymum: *Cum Deus Ezechiæ ſine labore victoriam dediſſet, nec ille ei condignas gratias reddidiſſet, infirmitate coactus laudes perſoluit, quas in proſperitate neglexit.* Proſperitas, dum animum inflat, gratam ſuffuratur memoriam, & obliuio aſciſcit pœnam. Ergo Ezechias hirundinis pullum imitatur, quò clamet viuidiùs, & fundat preces deuotius. *Hirundinum pulli,*
Sanctius. ſcribit noſter Sanctius, *in ſuo nido, dum cibum expectant, clamant vehementer, ſuamque famem multis ſignificationibus oſtendunt: ſic puto Ezechiam oſtendere hac ſimilitudine voluiſſe, & dolorem ſuum in gemitu columbæ, & vitæ, lucisque deſiderium in pullorum hirundinis clamore incitato & vario.* Vitæ lucique reſtitutus ſic ſe clamaturum propoſuit, ac ſi calamitate vrgeretur: ſciebat namque calamitatem eſſe optimam orationis matrem, vt non ſemel proſperitatem nouercam.

---

§. XVIII.

Indecorum eſt virtute ab imbecillioribus vinci: nam illorum præſtantia ignauiæ ſemper eſt nota.

71. IN virorum dedecus dignitatis culmen mulier inſcendit, ſi cordata ratio pro meritis dignitates præſtiterit: conſtat namque præſtantiorem ſexum ſordeſcentibus viriis adulteratum, dum publicis actionibus & vtilitatibus eligitur imbecillus. Certè à gigante vinci non modicum eſt ſolatium; ſed à puero ſuperari incrementat ſemper opprobriũ: naturale eſt ſtellas Solaribus radiis occuli; ſed magna eſſet Solis iniuria aſtrorum luminibus vinci: vbi de eligentis æquitate nulla poteſt ingenerari ſuſpicio, ſemper vergit in aliorum probrum imbecillioris electio: nam dum ignobilior ſexu eligitur, aut tempore refragante puer ad dignitatem præfertur, olim præſtantiores plurimis obſcurari vitiis probatur. Profectò Magi ſapientiſſimi inſultabant Hebræis, vbi naſceretur puer ad thronum ſciſci-
Matth. 2. v. 2. tati, & ſydus inſolitum denuntiaſſe confeſſi: *Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam eius in oriente.* Quàm Hebræorum caligauerat viſus, cùm non vidit, quam Magorum ſtellam animaduertit aſpectus: *Dicendo:*
Chryſol. *vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum, non interrogant; ſed inſultant*, ſcribit Chryſologus ſerm. 156. *quando ſcientes interrogant, neſcientes non ignorant; ſed negligentes arguunt, increpant deſides, malos produnt, contumaces verberant.* Indubium erat Hebraicæ malitiæ teſtimonium Magis apparuiſſe aſtrum, quandoquidem citiùs debuiſſent vocari, ad quos ſpecialiter conſtabat Principem pertinere; profundiſſima infidelitatis nocte degebant ſepulti, dum ſydereo iubare non ſunt, vt Magus, illuminati. Certè dum Magus trahitur, perfidia Iudæorum confunditur: ingens namque erat malignitatis argumentum vocatus Magus, & olim ſtellam ſpectans cæcus: nec enim expelleretur, ni peruerſus eſſet, Hebræus, dum diſtans adducitur Syrus. *Increpant deſides, malos produnt:* Ipſa Magorum electio erat Hebraicæ malignitatis proditio. Hanc veritatem noſter textus confirmat, dum Deboram iudicandi poteſtate, & prophetiæ ſpiritu nobilitatam honorat: *Erat Debora prophetes vxor Lapidoth, quæ iudicabat populum in illo tempore.* Theodoretus q. 11. Theodor.
in Iudices exiſtimat hic non ſolùm Deboræ deprædicari virtutem; ſed ſugillari virorum iniquitatem, quandoquidem mulier non adeò vt viri regimini apta, culmen inſcendit dignitatis, & reſplenduit prophetici fulgore luminis: *Exiſtimo Deboram in contumeliam virorum prophetiæ donum adeptam eſſe: nam cum ex viris nullus inueniretur dignus, qui ſpiritum ſanctum promereretur, hac donum ſanctiſſimi ſpiritus eſt conſecuta.* Dum ſexu inferior luce dignitatis reſplendet, viros ſplendore confundit: nam ſi viri rationis legibus paruiſſent obſequentiſſimi, nunquam dignitate fuiſſent mulctati.

Ioſeph, vt illatam ſibi à fratribus iniuriam hu- 72.
maniſſimè vlciſceretur, conuiuium inſtruxit, & venditores Euangelicam legem ſecutus vel ante Euangelium cibauit; verùm inter ipſos honores illorum perſtringit audaciam, & inurit plus Beniaminum honorans, notam. *Maior* Gen. 43. v. 34
pars venit Beniamin, ita vt quinque partibus excederet. Si naturæ legibus ſtaret, amplioribus non deberet honoribus minor anteferri; ſed fratrum choro poſtponi; at dum ad ampliorem honorem deligitur, cæterorum improbitas ſugillatur. Adeſt Ambroſius lib. Ambroſ.
de Ioſeph capite 10. *Ideo in conuiuio pars eius quintuplicitèr maior effecta eſt, quo haberet superioribus anteferri.* Conſonat Chryſoſtomus apud Chryſoſt.
Lippoman. *Cum daret omnibus partes, Beniamin ſeptemplices dat, & neque ſic ſentiunt, quæ fiebant.* Profectò non potuit illos plus percellere, quàm inferiorem præferendo, & præ reliquis munerando; eo tamen tenebantur animi ſtupore, eaque mentis caligabant cæcitate, vt non ſentirent refraganti naturæ lege Beniaminum anteferri, illorumque crimen præmij iunioris exceſſu apertiſſimè ſugillari.

Hoc idem in Apoſtolorum probrum apparet 73.
ſcriptum, cùm fœminæ ſexu & ordine poſteriores referuntur prælatæ, viriſque præpoſitæ: nam cùm ſæua illa paſſionis tempeſtas recurrentibus perſecutionũ, odiique turbinibus diſcipulos diſperſiſſet, fœminæ pietate naturã ſupergreſſæ, & à fœmineo ſexu nobiliter degenerantes fœmineã imbecillitatem repudiarunt, & viriles animos reſumpſerunt: *Veſpere Sabbathi, quæ luceſcit in prima Sabbathi, venit Maria Magdalene, & altera Ma-* Matth. 28.
ria videre ſepulchrum. Quæ videre properauerunt v. 1.
defunctum, inuenerunt ſplendoribus coronatum: nuntiæ delegantur fœminæ, vt Apoſtolorum temperauerint metum, & videndi accenderint etiam ſtudium: *Reſpondens Angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos: ſcio enim quòd Ieſum, qui crucifixus eſt, quæritis.* Et iterum: *Citò euntes dicite diſcipulis eius, quia ſurrexit.* Quæ diſcere debuiſſent, modò iubentur docere, & colloquiis dignantur Angelicis, quia humanis non timuerunt ſe obieciſſe periculis. Profectò in virorum opprobrium fœminæ referuntur antelatæ, & Apoſtolis hîc præpoſitæ. O quàm confuſione percellebatur Petrus, qui olim cæterorum doctor, dum modò fœminarum diſcipulus! Quàm reliquorum ſugillabatur ignauia,

ignauia,relata deuotæ fœminæ diligentia! Animaduertit Chryſologus ſermone 75. *Præcedunt Apoſtolos ad miniſterium fœminæ, quæ ſexu viros,ordine diſcipulos quæ ſequuntur.* Sequebantur mulieres ordine;ſed antecesſerunt pietate, ipſaque muliebris præſtantia Apoſtolorum fuit nota, quandoquidem quæ mulieres deuicere pericula,virilis horruit conſtantia.

74. Gigas ille montis ad inſtar ſuperbus, & ſuperbiſſimè elatus Iſraëlitarum optimos ad certamen prouocabat, & iniuriis propudioſiſſimis laceſſebat: Saul interim erat in tumultu, Iſraël in expectatione ſeruitij, cumque nullus è toto exercitu probaretur ſatis,ecce de repente Dauid puerulus, impubeſque certaminis prouocationem ad ſe rapit, & proſilire in arenam geſtit: Saul ætatis excuſationem prætendebat, quo à certamine auetteret, ſuamque ignauiam prudentiæ vmbris coloraret, verùm Dauid, quem diuini inflammabat honoris zelus, regiis conſiliis non deſtitit perſuaſus. Et quidem admirabilior mihi videtur Dauid Principis ſermonibus non perſuaſus, quàm cum gigante pugnam aggreſſus. [1.Reg.17. v.33.] Ait Saul ad Dauid: *Non vales reſiſtere Philiſthæo iſti,nec pugnare aduerſus eum: quia puer es:hic autem vir bellator eſt ab adoleſcentia ſua.* Dum refert pueritiam, propriam ſugillat ignauiam:erat enim maturo viro, armato militi ſtatura reliquos excedenti indecorum petterrefactum timere,quem non imprudenter puer hoſtem nouit deſpicere:gigas puerili manu,bellorumque indocti dextera proſtratus dedecus fuit regiæ dignitatis, & opprobrium fortitudinis, quandoquidem grandior apparuit imbecillitas, dum metuit quæ puerilis deuicit ætas: [Seleuc.] *Terrore victus*,ſcribit Baſilius Seleucienſis orat. 16.*ætatis excuſationem prætexebat:Non vales reſiſtere Philiſthæo illi,nec pugnare aduerſus eum:quia puer es; hic autem vir bellator eſt ab adoleſcentia ſua. Ignorabat quòd terrore premonſtrato victoriam admirabiliorem faceret.* O quàm Dauid Saulem terrore victum oſtendit, dum puer in campum cum aduerſario proſiluit. Certè ne grandem inureret ſibi notam,differre, imò impedire Saul conatus eſt pugnam: nouerat namque Dauidis trophæum fore ignauiæ ſuæ euidentiſſimum teſtimonium:nam Dauid inermis,inexpertus,puerulusque adeptus eſt triumphum,cùm Saul thorace munitus, armiſque loricatus victus terrore effugerit aduerſarium. Proh quàm accuſabunt virorum ignauiam pueri triumphis coronati, quàm ſugillabunt hominum impudicitiam paruulæ,teneræ,ac caſtiſſimæ virgines! Certè maiorum vitia acriter confunduntur, dum inferiorum, imbecilliumque virilia, & glorioſa geſta narrantur.

75. Chriſtus Dominus de impurato ſpiritu triumphum egit; verùm Phariſæi, ſcribæque aduſti flammis inuidiæ tenebras conati ſunt offundere miraculi gloriæ: vtque Dominus illorum ſtupiditatem perſtringeret,auſtri reginæ meminit, & iudicio generationem illam condemnaturam fore affirmauit: [Lucæ 11. v.31.] *Regina auſtri ſurget in iudicio cum viris generationis huius,& condemnabit illos: quia venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis,& ecce plus quàm Salomon hic.* O quàm verberabat contumaces reginæ factum proponens! illa namque muliebri teneritudine, mollitieque refragante, regiiſque vinculis impedita, & viæ difficultatibus retardata, adhuc inſtitit deſiderio auſcultandi ſapientem, cùm ipſi abacta omni difficultate renuerint auſcultare ſapientiorem: illi viri,illa fœmina;illi expediti, illa difficultatibus prægrauata:illi ſapientiorem nacti;illa non adeò nacta ſapientem;& tamen omnia deuicit obſtacula, vt honeſta impleuerit deſideria, cùm ipſi damnabili torpuerint deſidia.Huc voco Hieron. [Hieron.] lib.1.aduerſus Iouinianum ſic ſcribentem: *Hæc norma Scripturarum,vt deficientibus viris ſanctis mulieres in virorum laudentur opprobria.* Profectò mulierum laudes ignauorum ſunt hominum ſugillationes, quandoquidem de aliena virtute cumulatius apparet illorum vitium,& grandius obſcurat illos opprobrium:quo enim honeſtare quibit non audiuiſſe Dominum Salomone ſapientiorem, qui omni ad audiendum fruebatur commoditate,quando delicata fœmina, mollisque regina nullis,vt Salomonem audiuerit, fuerit itineris difficultatibus impedita, aut laboribus retardata?

76. Vt Achabi cæcam cupiditatem digna ſugillatione damnauerit textus, Sareptanæ viduæ deuotum pinxit ſtudium, & religioſum affectum: clauſtra nubibus erant iniecta, tellus fructibus cunctis nudata,cum Elias Sareptam adiens à vidua,eaque paupercula efflagitat alimentum, & itineris defatigationi ſubſidium: cucurrit illa pietatis alis,& prophetæ obſequuta famem etſi anguſtiis religioſis vicit obſequiis: *Abiit & fecit iuxta verbum Eliæ.* [3.Reg.17. v.15.] Tranſi modò ad Achabum potentiſſimũ regem, qui vt ſibi hortum olerum ampliaret,Nabuthæ vineam ardentiſſimè diſcupiuit. O inſanum ſtudium! vt inutile plantauerit olus,fructuoſam eradicat vitem,& vanis futurorum ſpebus præſentibus nocet fructibus: nec timuit vt ampliaret fundum, horrendum perpetraſſe homicidium: *Locutus eſt Achab ad Naboth dicens:Da mihi vineam tuam, vt faciam mihi hortum olerum.* [3.Reg.21. v.2.] Vides magnum regem æſtibus concupiſcentiæ peruſtum, vides copioſiſſimis circumfuſum diuitiis olera ſuſpirantem, cùm mulier paupercula,& ferè morti vicina non dubitarit,quo alienæ conſuleret ſaluti,dedicare ſe fami. O quàm duram in Achabi cupiditatem viduæ pietas fulminabat ſententiam, quandoquidem hæc legem charitatis impleuit plurimis magniſque difficultatibus impedita,cùm ille pietatem læſerit diſſuadente diuitiarum, deliciarumque copia: [Ambroſ.] *Dignum*,ſcribit Ambr. de Elia & ieiunio c. 2. *vt ad condemnationem Regis ſacrilegi propheta ad viduam in Sareptam Sidoniæ mitteretur,quæ quoniam deuotionem cibo prætulit, meruit vt ariditatis publicæ ſola non ſentiret ærumnam.* Vidua inops ſtuduit deuotioni, & vitæ propriæ alimentum obtulit alienæ fami cum rex potentiſſimus,vt infructiferæ terminos hæreditatis protenderet, necem ſancto intulerit homini. Ergo Achabi piaculum de viduæ deuotione damnatur,& impietas de pietate confunditur.

§. XIX.

Optimus Reipublicæ adminiſter nunquam denegat aditum;ſed omnibus apertum exhibet oſtium.

77. QVi variis Reipublicæ cauſis ac negotiis adminiſter deſignatur,quo poſſit ſubiectis

expeditiùs reſtitui,ſe bibi ſuffurari tenetur; ſuus non eſt,qui adminiſter publicus eſt:plures togati & conſules ianitores ad oſtium adhibent,quo aduentantes prohibeant ingreſſu,& quo ipſi liberiori fruantur otio; verùm quod ſibi tempus impédunt,muneri,& muneris gloriæ ſubripiunt! omnibus debet patere,quem pro omnibus conſtat muneris dignitate honorari. *Tunc felicem,* Senec. ſcribebat Seneca ad Lucilium epiſt. 43. *te eſſe indica,cùm poteris in publico viuere,cùm te parietes tui tegent,non abſcondent.* Domum iudex & adminiſter inhabitet;ſed quam afflictus & litigans poſſit omnibus horis intrare, & quàm licitum ſit omnibus horis adire. O quàm miſerum eſt curſare miniſtrorum domos,& inuenire eos non ſolum parietibus tectos;ſed induſtriè abſconditos. Vel humanum debent ingenium exuere, quos conſtat pro populo tribunal inſcendere. Inueniat miſer aures afflictioni patulas,nec opus ſit ad loquendi opportunitatem mercandum copioſas profudiſſe pecunias. Ecce Debora Dei ſpiritu gubernata degit ſub palma: *Erat Debora prophetis vxor Lapidot, quæ iudicabat populum in illo tempore,& ſedebat ſub palma.* Nullus ambiget potuiſſe Deboram amplam domum inhabitaſſe,nec ad id auro caruiſſe. Hinc ergo oritur difficultas, cur ſcilicet ſub palma inſederit, nec domum aliquam habitarit. Profectò, ni fallor, quæſtioni textus reſpondit: *Iudicabat*, inquit, *populum in illo tempore:* ſcilicet eo tempore, quo iudicabat populum, habitabat ſub palma:latuit cùm munus illud non ageret, ab humanis oculis prorſus remota, & ſecretis domus penetralibus abdita; at quia Dei agebatur ſpiritu, dum iudiciale munus pro populo obiit, & in aperto omnibus vixit: quod & honeſtæ actionis erat teſtimonium, & illuſtre muneris complementum. Primum teſtatur vbi ſuprà Stoicus: Seneca. Conſcientia ianitores adhibuit. *Rem dicam, ex qua mores æſtimes noſtros: vix quemquam inuenies, qui poſſit aperto oſtio viuere: ianitores conſcientia noſtra, non ſuperbia oppoſuit: ſic viuimus,vt deprehendi ſit,ſubitò adſpici.* Quàm laudabiliter viuebat Debora,quę ianitores prorſus ignorabat! ſecundum ſcilicet patere omnibus, magnum eſſe muneris decus, teſtatur ad Montanus. hunc locum Arias Montanus: *Hic igitur & iudicis iudicando, & vatis populum admonendo officium illuſtris illa mulier Debora exercens ſedebat.* Præmiſerat Arias Montanus: *Non intra priuatos parietes,vel occulto aliquo,aut obſcuro loco; ſed palam in edito ſinu in monte Ephraim ſub palmeto, quod docenti, atque iudicia exercenti vmbram præbebat ipſi, & confluenti populo communem.* Ipſa iudicis habitatio confluenti populo erat communis,ne aut opus eſſet ſemel & iterum domum adire,aut ad negotiorum expeditionem tempus prolixum terere.

78. Vt omnia Chriſti Domini facta myſteriis exundant plena,expendere libet,cur Petro intra priuatos parietes iudiciariam poteſtatem non fuerit largitus;ſed in loco mari, terræque communi: latebant diſcipuli poſt ſæuam illam in Chriſtum Dominum excitatam acribus liuoris flatibus tempeſtatem; verùm qui ab initio ingratos curauit,& ingratis modò diſcipulis etiam benefecit. Clauſis ianuis,mortis infernorumque victor intrat:nullum namque amoti reſiſtit impedimentum, nec retardauit charitatem obſtaculum:ſic diſcipulos diſcupiebat inuiſere, vt redemerit tempus, & ne traherent moras in aperiendo,obices intrauerit penetrando: *Cum ergo ſerò eſſet die illo vnà Sabbathorum, & fores eſſent clauſæ vbi erant diſcipuli congregati propter metum Iudæorum, venit Ieſus, & ſtetit in medio, & dixit eis: Pax vobis.* Ioan 20. v. 19. Pacem clauſis exhibet: & quidem qui tranquillitati,pacique ſtudet, arcere oculos & habitare obfirmatis ſeris debet receſſus: poſteà cùm ad Tiberiadis mare diſcipuli piſcarentur in littore conſtitit Dominus,& cùm accurtiſſent diſcipuli Petro regendi munus iniungit: *Paſce agnos meos.* Ioann. 21. v. 15. Et cur hanc paſcendi agnos Petro non iniunxit curam, cùm pacis commendauit concordiam? cur expectauit adiniungendum munus, qui deſiderabat adeò agnellis prouidere, & paſtorem tuendis ouibus præparare? Profectò ipſæ locorum circumſtantiæ aliquid innuunt: noluit Dominus Petrum iudiciali dignitate fulgere, quando clauſis foribus opus erat adeunti aut foris remanere, aut ingens miraculum perpetrare: maris littus nauigantibus facile, viatoribus non difficile, omnibus patet nulli clauſum; ſed ſemper peruium: ergo in littore iudex paſtorque eligitur, vt nouerit iam non claudendas eſſe fores; imò fores non futuras: nam licet priuatus homo clauſis foribus,potuerit inhabitare ſecretum, iam Reipublicæ adminiſter debet habitare publicum. Huc voco quod aiebat Traiano Plinius. Plinius. *Ab Ioue ipſo coram ac palàm repertus electus eſt: quippe inter aras & altaria, eodemque loci quem Deus ſibi tam manifeſtus ac præſens, quàm cælum ac ſydera inſedit.* Coram omnibus eligitur, & iudex aperto in loco prouidenter inauguratur: vt nouerit Petrus iam in domi receſſibus non occultandum; ſed omnibus palam, coramque exhibendum. O quàm miſerum eſt eos Reipublicæ adminiſtrationem fuiſſe ſortitos, qui ſe negotiis ſubtrahunt, & fores aduenientibus claudunt!

Hoc ipſum in Saulis electione videre libet: 79.
quærebat ille de patris præcepto amiſſas aſinas; & quidem vbi labores inaurat obedientia attendi non debet, an magnis aut minimis rebus locetur opera. Samuel in Regem inauguraturus ad extremam ciuitatis partem adducit, & ſocium à ſe amandare prudenter præcipit: *Cùm deſcenderent in extrema parte ciuitatis, Samuel dixit ad Saul: Dic puero,vt antecedat nos & tranſeat; tu autem ſubſiſte paulìſper, vt indicem tibi verbum Domini; tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput eius.* 1. Reg. 9. v. 27. & c. 10. v. 1. O quantis vnctio reſplendet ad noſtram eruditionem myſteriis! Saulem regimen adeptum à ſuis iam voluit diſtare, & vel extremis adeſſe. Ad vltimam ciuitatis partem tulit, & qui poterat cœnaculo vnxiſſe occulto, loco inaugurauit aperto. Quod expendens Gregorius,ad hunc locum ſic aiebat: Gregor. *Quid eſt enim quod in extrema parte ciuitatis rex ducitur, & vngitur? Sed extrema pars ciuitatis eſt vltima pars populi ſubiecti:* pauperiores debilioreſque ciuitatis ſolent habitare ſuburbia, vt magnates ac potentes ſuperborum ædificiorum palatia. Ergo debilibus ferè immixtus inungitur: vt nouerit pro obſcurioribus ac pauperioribus deſignari: non vngitur in cœnaculo,clauſoue in loco, vt nouerit nulli denegaturum aſpectum,qui inſcendit dignitatis faſtigium. Suos à ſe remouere iubetur, ne parentelæ amicitiæ, aut affinitatis affectione degeneri

corrum

Digitized by Google

corrumpatur: vtque noueritis totum hoc non caſu; ſed prouidentiæ accidiſſe delectu, tranſi mente ad ipſius Saulis celebriorem vnctionem. Cùm concio copioſiſſima adſtaret Samueli, de inungendo rege agit, ſortes mittit, ne quis humanæ adſcriberet adfectioni, quod Numinis applicandum voluntati: Sors peruenit vſque ad Saul; verùm non apparuit quæſitus, qui domus latebris degebat abſconditus. *Reſpondit Dominus: Ecce abſconditus eſt domi.* Quid tunc? *Cucurrerunt itaque, & tulerunt eum inde: ſtetitque in medio populi.* O quàm rebus congruebant actiones. Quærebatur eligendus, ſeque ſtudioſè ſutrahebat aſpectibus dignus; verùm quid neceſſum fuit è domo, ſi fas eſt dicere, extrahere, & in medio populo conſtituere? Nonne celeriùs inauguraſſent, ſi domi latitantem acclamarent, qui cucurriſſent? Prudentiſſimè ſanè tulerunt inde, vt ipſa electione noſſet idem eſſe dignitatis adire faſtigium, & latebrarum fore relinquendum ſecretum. Lateat, antequam inſcenderit, ſed ſi iam inſcenderit, pateat. Profectò plures cũ ad piſcandas dignitates, miniſtrorum, electorumque domos terentes, domos proprias tempore inhabitarint exiguo, iam adepti conduntur, & recondantur ſecreto. In medio populi debet conſiſtere, vt omnibus liqueat electum à Domino propinquare. Humanum eſt aditum reſerare magnatibus, denegare humilibus; at electionis diuinæ teſſeram habet, qui omnes indifferenter admittit. *In medio populi*, addit ibi Gregorius, *ſtare, non in ſolitudine cernitur*; domi abſcondebatur priuatus; ſed iam omnibus patet electus.

Gregor.

80. Angelus miniſter à Dominó delegatur, qui Dominici triumphi denunciatione ſolatur mœrentes, & aſpectus luce, veſtiumque candore recreauerit aduenantes: hic ergo vbi aduenit, lapidem, qui arcebat ingreſſum, reuoluit, ſuperipſumque ſedit, vt prorſus remoueret obſtaculum: *Angelus Domini deſcendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem & ſedebat ſuper eum.* Patuit ad cæleſtem miniſtrum omnibus aditus; imò ipſe trepidantes mulieres vocat, vt feliciùs quod petebant, negotium expediat: *Venite & videte locum.* O quàm cæleſtis probabatur miniſter, qui remotum impedimentum effecerat ſibi thronum! & qui thronus Angelo dignior, quàm ablatum ad Chriſtum venientibus obſtaculum, & ſolicitis remotum impedimentum? Expendebat ſolito acumine Chryſologus ſerm. 74. *Et Angelo quæ cauſa ſedendi erat? Sed ſedebat vt fidei doctor, vt reſurrectionis miniſter.* Ablato impedimento ſedit, ne arcerentur oſtio, qui deſiderio inuolabant anxio. Profectò vrgentiſſima fœminas diuexabat cura, dum anxiè inter ſe quærebant: *Quis reuoluet nobis lapidem ab oſtio monumenti?* Vt Chriſti dignitatem hoſtes innubilarent, lapide, & quidem magno arcere moliti ſunt aduenantes, at cæleſtis miniſter amouit obſtaculum, & facilem aduenantibus exhibuit aſpectum. O ſi regum Principumque miniſtri Angeli ſequerentur exemplum, & omne amouerent obſtaculum, quantas ab aduenantibus depellerent anxietates, quandoquidem prima litigantium cura eſt, & quidem ſolicita inuenire aditum ad miniſtrum, ſecunda expedire negotium.

Matth. 28. v. 1

Chryſol.

§. XX.

Quò quis Deo coniungitur ſtrictior, alios non ſolùm iuſtos; ſed perfectos deſiderabit ardentior.

81. VT ex conſortio improborum virtus languet, & honeſtatis robur marceſcit, ita ex bonorum collegio floret virtus, & honeſtus inardeſcit affectus: *Cum his verſare*, aiebat Seneca epiſt. 7. *qui te meliorem facturi ſunt; illos admitte, quos tu potes facere meliores.* Qui cum optimis commoratur, & alios ad virtutem reducendi deſiderio adurgetur. Quod ſi de iuſtorum ſocietate lucidior emicat virtus, quid putas de intima cum Numine vnione? Certè quo quis ſtrictius Deo adhæret, & proximorum ſalutem ardentius ſitit: vtque ſerpentis ſibilus per aures in præcordia dimiſſus Euam ad concupiſcentiam prouocauit, prouocataque contenta non eſt decepiſſe pomum, ni infecerit etiam Adamum, ita qui ſerpenti cruci affixo, venenoque vacuo aures præbet, quem in alios fructuosè fundat, ſpiritum haurit: Non ſuſtinuit, aiebat de Eua Tertullianus lib. de patient. cap. 5. *ſola conuenta; ſed apud Adam, nondum maritum, nondum aures ſibi debentem impatiens etiam tacendi eſt, ac traducem illum eius: quod à malo hauſerat, facit.* Colloquij cum veternoſo ſerpente habiti teſtimonium fuit eiuſdem impatientiæ participem quærere, & adhortatione efficere. Quod ſi hoc ſequacibus præſtat improbitas, cur non præſtabit & charitas? Vrgentur viſcera, & dum viuidius ardent, & aliis ſtudioſius lucent. Ecce Debora dum Dei ſpiritu afflatur, Baracum in hoſtem armari, & ad Thaboris cacumen peruenire molitur: *Erat Debora propheti uxor Lapidoth, quæ iudicabat populum in illo tempore, & ſedebat ſub palma, quæ miſit & vocauit Barac filium Abinoem de Cedes Nephtali, dixitque ad eum: Præcepit tibi Dominus Deus Iſrael: Vade & duc exercitum in montem Thabor.* Excelſa habitans monet Baracum moliri ſublimia, & quæ triumphalem poſſederat palmam, vult & alium obtinere victoriam. O quàm Bethel, hoc eſt domus Dei probatur vicina, quæ ſpiritus Baraco deſiderauit crementa! *Rhama*, ſcribit Interlinearis, *interpretatur excelſa, & Bethel domus Dei.* Conſonat Adamantius apud Gloſſam: *Inter domum Dei ergo & excelſa dicitur habitare: non enim docet quæ ſuper terram ſunt, quærere; ſed quæ in cælis eſt, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, illuc nos hortatur aſcendere, illuc diſcipulos ſuos molitur mouere prophetia.* Quæ Dei domui proximabat vicina, aſcendere Baracum adhortabatur excelſa: contenta non eſt Baracum hoſtem vincere; ſed vbi Chriſtus eſt, admonuit ſcandere. Vt videas quàm vera ſit noſtra theſis, ſcilicet quo quis coniungitur Deo ſtrictius, ſuſpirare aliis non ſolùm virtutem; ſed perfectionem ardentius.

Senec. a.

Tertullian.

Origenes.

82. Sponſa anxio Sponſi deſiderio ciuitatem circuit ſedula, & inuenit fortunata: illum tenet ſtrictiſſimè amplexa, & intimo amoris vinculo vnita: *Inueni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in*

Can. 3. v. 4.

domum matris meæ , & in cubiculum genitricis
meæ. O quàm aliis non denegat bonum auara,
nec ſubtrahit inuida , in commune vult eſſe,
vtque ſibi potiori iure poſſit acquirere , anhelat
aliis etiam communicare : *Deligit* , aiebat Ber-
Bernard. nardus ſerm. 79. in Cant. *in commune commu-*
nem venire ſalutem , quæ ſic ab omnibus capitur,
vt nihil ſingulis minuatur. Verùm his conten-
ta non eſt : non ſolùm exoptat in domum in-
troducere ad matris ſalutem ; ſed in cubiculum
Luc.19.v.9. ad eximiam perfectionem. Profectò quam Do-
minus domum intrat, ſalute donat , ipſo te-
ſtante apud Lucam cap. 19. *Quia hodie ſalus*
domui huic facta eſt ; verùm Sponſa contenta
non eſt ſalute ſtabilite , niſi & perfectione obti-
neat condecorare. Certè cubiculum quies eſt
Sponſi , domus hoſpitis eſſe poteſt recepta-
culum : ergo quæ ſtrictiſſimè tenuit Deum,
ſuſpirauit matrem non ſolùm impertiri ſalute;
ſed augere perfectione, *Dixit* (verba ſunt Ber-
nardi) *velle ſe introducere quem tenebat, non mo-*
dò in domum matris ; ſed & in cubiculum quoque,
quod eſt prærogatiuæ indicium ; ſufficiebat ad ſalu-
tem, ſi domum intraret ; at ſecretum cubiculi ſignat
gratiam. Addit mellifluus Doctor : *Nunc iſta*
pollicetur reducere illum , & domui matris eius
perditam ſalutem reſtituere : & , ſi hoc parum vi-
detur , audi quid boni adiiciat : Et in cubiculum
genitricis meæ. Qui ingreditur thalamum , Spon-
ſus eſt. Sponſus Sponſam ornat miris virtutum
ornamentis , domum , quam intrat , ſalutis
nobilitat donis : ergo quæ Sponſo intimè ad-
hæſit, contenta non eſt in domum introducere
ad animarum ſalutem ; ſed in cubiculum ad
virtutis perfectionem.

83. Apoſtoli ſic inueniebantur ad alendam vi-
tam ſubſidio deſtituti , vt inter procelloſas Paſ-
ſionis Dominicæ tempeſtates , inter ſolicitas
curas ad mare retenderint , vt arte , laboreque
vitæ periculo non ſine periculo vitæ occurre-
rent , adeoque ſi ſemel cœpit toruo adſpicere
vultu , premere perſeuerat fortuna , vti inutili
noctis impendio laborauerint, quin ſoliciti la-
bores fami ſubſidium attulerint : mane in litto-
re apparuit magiſter , vt nutantes firmaret mi-
raculis , & famelicos præparatis aleret epulis:
iuſſit rete in nauigij dexteram mitti , & iam co-
pioſa piſcium multitudo pondere laſſabat tra-
Ioan.21.v.6. hentium brachia , & timore amittendi preme-
bat etiam ſtudia : *Iam non valebant illud trahere*
præ multitudine piſcium. Petrus à Ioanne præ-
monitus , magiſtrique deſiderio ſtimulatus ſe
ſuccinctum vndis commendat , quo ad magi-
ſtrum peruenerit citius , & vndas tranauerit
ſtudioſius : *Miſit ſe in mare.* Quid tunc alij
diſcipuli ? Captos piſces per vndas trahunt,
non tamen ad littoris ſoliditatem adducunt:
Alij diſcipuli nauigio venerunt trahentes rete piſ-
cium. Magiſter iubet de piſcibus prehenſis af-
ferri aliquos , & iam Petrus ad terram trahit
rete magnis piſcibus plenum, quin rete aliquod
patiatur damnum : *Aſcendit Simon Petrus &*
traxit rete in terram. Certè plus quam piſcibus,
exundat rete myſteriis : alij Apoſtoli incluſos
ſagena trahunt ; non tamen è fluctibus marinis
educunt ; at Petrus contentus non eſt è lutu-
lentis ſinibus auellere, & reti illis vtiliſſimo ve-
luti cuſtodia includere ; ſed anhelat etiam ad
ſoliditatem littoris trahere. Et cur Petrus præ
aliis diſcipulis hoc inardeſcit ſtudio , & cæte-
ros honeſto ſupergreditur deſiderio. Iam textus
explicuit. Petrus Apoſtolorum coryphæus &
vertex præ cæteris Domino niſus eſt propin-
quare : ergo qui non adeò propinqui , curarunt
piſces obſcuris è ſinibus ad retis ſecuritatem
vocare ; at Petrus vtpote Domino propinquior
& intra ſagenæ aſylum concluſit , & conclu-
ſos ad ſoliditatem littoris traxit. *Ipſe* , ſcribit
Gregorius apud D. Thomam , *piſces ad ſolidita-* Gregor.
tem littoris pertrahit : quia ſtabilitatem æternæ pa-
triæ fidelibus oſtendit. Hoc egit verbis , hoc epi-
ſtolis , hoc egit quotidie miraculorum ſignis. Addit Chryſoſt.
Chryſoſtomus ibi : *Petrus feruentior erat , &*
ideò promptius venit ad Chriſtum. Qui feruen-
tior adhæſit, piſces & incluſit & traxit : non
adeò propinqui condiſcipuli ſtuduerunt è cœ-
noſis latebris piſces extrahere ; non tamen re-
ti incluſos è marinis fluctibus extraxerunt ; ſed
intra retis ſpatia incluſis, marinis fluctibus frui
non denegabant ; ſed permittebant ; at Petrus
vti propinquior, è ſinibus traxit ad retis profu-
gium , è retis profugio ad ſolidiorem aduexit
portum. O quàm inardeſcunt Deo coniun-
ctiſſimi , quàm proximorum curant ſalutem, &
animarum quærunt vtilitatem. Certè deſideria
perfectionis ſunt indices : diſtantior inueni-
tur à Deo, qui proximorum ſalutem tepidiori
quærit ſtudio ; proximior, qui ardentiori con-
ſulit deſiderio.

Expendebam quàm alius fuerit Moyſes oues 84.
in deſerto agens , & montis cacumine cum
Domino degens : pecorum prouidentiſſimus
nullum laborem fugitat , vt irrigua læta, & illi-
bata paſcua nutriendis gregibus adinueniat : ad
deſerti interiora minanti gregem Deus conſpi-
cuus obiicitur rubo flammis cincto , & virore
prorſus illæſo : hic iubetur Pharaonem adire,
& contribules à miſera tyrannidis oppreſſione
in libertatem aſſerere ; verùm ille mandatum
extrahere nitebatur varias cauſas colorans , & Exod.4.v.10
obſtacula tarditatis allegans : *Obſecro , Domine,*
non ſum eloquens ab heri , & nudius tertius : hic
idè cùm Dominus digno furore in vituli ado-
ratores commoueretur , & dignam tanto fla-
gitio expetere diſponeret mulctam , proprio
etiam diſpendio populi totis viribus ſolicitauit Exod.32.
tutelam , & auertere molitus eſt mulctam. *Aut* v.32.
dimitte eis hanc noxam , aut ſi non facis , dele me
de libro tuo quem ſcripſiſti. Inquires , cur hic
Moyſes , lucroſo gloriæ , vt multis placet, diſ-
pendio ſuorum procurarit ſalutem , qui in Ma-
dian ad ſpeciem deſpexerat libertatem. Illic mo-
ratur à duris ſeruituris catenis extrahere , illic
anxiè diſcupit ad promiſſam terram inducere.
Et quæ diſcriminis cauſa eſt ? Expreſſit pro-
fectò textus , dum Madian ageret , prohibitus
eſt accedere , & iuſſus longius conſiſtere : *Ne*
appropies huc. In monte agebat cum Domino
facie ad faciem, ſicut homo loqui ſolet ad ami-
cum ſuum. *Dixit Dominus ad Moyſem* : *Aſcen-* Exod.3.v.5.
de ad me in montem, & eſto ibi. Ergo pro diſtan-
tiæ aut propinquitatis diſcrimine tepidius , aut Exod.24. v.12.
ardentius flagrauit proximorum amore : Deo
intimius adhæreſcens gloriæ etiam iucundita-
tem ſpreuit , vt à proximorum animis noxam Bernard.
placato Domino expungeret ; at Deo remotior
ouium curam ſuſcipiebat alacrius , & proximo-
rum curam tepidius : *O vere hominem* , ſcribit
Bernardus ſerm. 12. in Cant. *vnctum vnctione*
miſericordiæ ! Loquitur planè parentis affectu,
quam

quam nulla poſſit delectare felicitas exortibus, quos parturiunt. Addit Rupertus apud Lippoman.

Rupert.

Videre ſibi videtur maieſtatem cæli omnibus ac terris tremendam de ſolio ſuo ſurgere, & accedere vulnerato corde, rogare amicum quaſi diſcedentem, ne deſerat ſe, dicentemque v. g. Ego oſtendam omne bonum tibi, & vocabo in nomine Domini coram te. Hoc ſentiens anima beata fortitudine ſua vtitur. Accedit Deus Moyſi rogaturus, ne dignum furorem impediat, aut orationibus ſopiat: at dum accedit, ſibi ipſi mirè contrarius ipſa acceſſione incitat, ne annuerit votis; ſed vindictæ obſtiterit deſideriis. Certè Moyſes, ni Deo adeò colloqueretur propinquus, populi cauſam vt olim tractaret ignauus; at ipſa Numinis propinquitas illum ad orandum prouocabat, & ad ſalutem ſuis procurandam mirè compellebat.

---

§ XXI.

Non poteſt non florere Reſpublica, vbi dignitas non tam tribuitur generis nobilitati, quàm animorum virtuti.

85. Seneca. *Virtus ſui magnum decus eſt.*

Errare mihi viſus eſt, aiebat Seneca epiſt. 66. *qui dixit: Gratior eſt pulchro veniens è corpore virtus: nullo enim honeſtamento eget: ipſa & magnum ſui decus eſt, & corpus ſuum conſecrat... poteſt ex caſa vir magnus exire, poteſt ex deformi, humilique corpuſculo formoſus animus ac magnus.* Virtus corpus ſuum conſecrat, longa auorum felicium ſeries exteriùs ſolùm teſte Philoſopho inaurat. Non aſſentior omnimodè, arbitror namque verum dixiſſe poëtam: Virtus ſi clariſſimis natalibus fœderata, latius ſuæ claritatis ſpargit radios, & intuentium iucundius prolectat oculos: non tamen inficiabor virtutem nullo præter ſe indigere honeſtamento, quandoquidem ipſa corpus ſuum conſecrat, & nobilitat. Profectò ex caſa, tugurioloque magnus vir poteſt exire, & quamuis obſcurus repugnet exortus, debet virtute vacuis nobilibus anteferri. Rempublicam odit qui vacuos dotibus nobiliores antefert: nam vbi virtute conſpicuus potitur imperio, floret Reipublicæ commodo. *Indiſcreti hominum mores*, aiebat Caſſiodorus 9. var. 22. *confuſique vagarentur, ſi aut culpa formidinem, aut virtus præmia non haberet.* Profectò mores lugent confuſi, ſi vitium ſanguine nobilitatum dignitatis faſtigio lucet, & virtus ſanguinis ſuffragio carens abiecta deliteſcit; at ſi dignis præmiis virtus refulgeat ornata, & reſpublica vernat florida. *Electio noſtra*, aiebat Attalaricus, vbi ſuprà, *de meritis venit, & tantò quis regali animo proximatur, quantò bonis ſtudiis ſocietate coniungitur.* O quàm ſuo prouidebat imperio, qui dignitates impertiebatur ſemper virtutibus culto. Age & noſtram theſim ſacris ſtabiliamus exemplis. Hebræorum populus ſub Iabin tyrannide, ſub feritate Siſaræ ingenter lugebat afflictus, & penè viribus fractus. *Per viginti annos vehementer oppreſſerat eos*: verùm Deus populi ſui miſertus Deboram mulierem ſexu fragilem prophetico ſpiritu exornat, & populus ad Iudicis faſtigium eleuat. *Erat Debora propheteſ vxor Lapidoth, quæ iudicabat populum in illo tempore.* Profectò ſexui non videbatur congruere iudicis prærogatiua radiare, quandoquidem virilis ſexus nobilitate illuſtrior & antiquitate nobilior: in detrimentum ergo afflictæ Reipublicæ fœmina electa eſt, cùm potuerit vir eligi, & deberet fœminis anteponi. Imò in magnum Reipublicæ commodum dignitate potitur: erat quidem fœmina; ſed præ viris virtutibus exornata: ergo vbi de meritis, nec ſolum de naturæ dotibus conſtabat electio, iam appetebat inimicorum deſtructio. Et quidem euentus rem comprobauit: nam Siſara interemptus occubuit, & florere Hebræorum Reſpublica cœpit. *Multi iudices*, ſcribit Ambroſius lib. de viduis, & apud Gloſſam, *in Iſrael; ſed nulla ante iudex fœmina, nullus propheta, & ideo lectum iſtius puto eſſe iudicium, ne mulieres ab officio muliebris ſexus infirmitate reuocentur. Vidua populos regit, vidua duces eligit, vidua bella diſponit, mandat triumphos.* Ecce vbi viris Spiritu vacuis fœmina Spiritu plena præponitur, & inimicus conteritur, & populus liberatur. O quàm erraret, qui naturæ ſolùm leges attenderet. Profectò ſi fœmina, quia viro minùs nobilis, & vir vti longè nobilior, potiretur throno, hoſtis viguiſſet potentia, & populi perſeueraret ruina; at vbi electio venit non de naturæ excellentia; ſed de virtutis præſtantia, lætior fuit populi ſtatus, & interiit hoſtis occiſus.

Ambroſ.

86. Dum in Siſaram plurimo exercitu armatum Baracus eligitur, eius genealogia non ſine myſterio tacetur: *Miſit & vocauit Barac filium Abinoëm de Cedes Nephthali, dixitque ad eum: Præcepit tibi Dominus Deus Iſrael: Vade, & duc exercitum in montem Thabor*: Congruum profectò videbatur Baraci referri progeniem, vt ſanguine noſceretur nobilitatus, qui tanto muneri reſplendebat electus; verùm Scriptura Sacra arcano nos edocuit ſilentio, ad faſtigia non tam attendendam clariſſimam genealogiam, quàm virtutum excellentiam. Notauit Abulenſis quæſt. 8. *Non ponitur hic modus ſtirpis Barac.* Tacuit Scriptura ſtirpem, retulit, quem nomine præferebat, fulgorem. Et ſanè non dubium erat felicitatis præſagium Baracum ad dignitatem electum, non titulo ſanguinis; ſed virtutis: *Ergo adducam ad te in loco torrentis Ciſſon Siſaram Principem exercitus.* Victoria prædicitur, Baraci proſapia non ſine arcana prouidentia tacetur: erat ille ſanè fumoſis antiquorum ſtemmatibus nobilitatus; verùm ne quis de felicitate ambigeret, progenies ſilentio arcano ſepelitur, & virtus proditur. O quàm iam felix florere incipiebat reſpublica, vbi electio non veniebat de nobilitate; ſed de virtute; imò vbi ſolùm virtus colebatur, & ſola originis claritas non attendebatur. Certè nobilitas magni ſemper habenda, & ſemper omnibus æſtimanda; verùm ad electionem pluris habenda eſt virtus: quia fortunatus, aut infortunatus ab electione pendet euentus: *Barac*, inquit Gloſſa moralis, *fulgor interpretatur vel coruſcatio, quem ſequitur tonitruum, & ideò ſignat fulgorem bonæ vitæ, & ſonum ſanæ doctrinæ.* Vitæ doctrinæque in Baraco quæſitus eſt fulgor, non ſanguinis nobilitate conſpicui elogium: nam ad reportandum triumphum plurimum conducebat fortiſſimi induſtria, parum generoſa imbellis proſapia.

Iudic. 4 v. 6. — Abul. — Gloſſa.

Caſſiod. — *Electio de meritis veniat.*

Digitized by Google

87. Ioſue ſtrenuus ille dux ſtrepenti tubarum clangore Iericho ciuitatem euertit, quo incolarum radicitus impietatem abſtulerit; verùm quam terribili ille ſono honeſtiſſimè euertit, Chriſtus Dominus humanitate nititur reparare: *Ingreſſus*, inquit Sanctus Lucas, *perambulabat Iericho.* Hanc Domini perambulationem eo tetendiſſe, vt abolita impietate ſalutem ciuitati afferret, tradit Chryſologus ſerm. 54. *Iericho*, inquit, *ciuitas ipſa eſt, quam Ieſus Naue ſeptemo tubarum clangore ſubuertit; ſed quia Chriſtus venit ſaluare, quod perierat, ingreditur Iericho, vt quod lex terribile vociferatione deiecerat, Ieſus clamore pia prædicationis attollat.* Itaque Domini ſtudium erat euerſæ ciuitati ſalutem afferre, & felicitatem largiri. Ergo videamus quid fecerit. Aſcenderat Zachæus ſycomorum, publicanorum Princeps, diuitiis nobilis; ſed meritis vſque ad illud tempus carens: illi Dominus deſcenſum imperat, ne tota ciuitas ſuſtineat caſum, ſi Zachæus occuparit faſtigium. *Zachæe feſtinans deſcende.* Non poterat ciuitas reparari, dum conſtat aurum, nobilitatemque alto cacumine ſine meritis refulgere. *Princeps publicanorum*, addit Chryſologus, *in ciuitate perdita perditis operis Zachæus egiſſe ſcribitur Principatum. Ex loco, perſona, officio reatus magnitudo monſtratur.* Itaque Domino primum ſtudium fuit Zachæum faſtigio priuare, quo poſſet ciuitatem meliorem ad fortunam erigere: nam dum Zachæus, qui perditio operis interpretatur, tenet faſtigia, non poteſt non preſſiſſe ciues miſeria: Princeps eminebat diuitiarum ope, non virtute: ergo ciuitas iacebat euerſa: nec enim poterat felicitate radiare, dum conſtabat diuitias faſtigium dignitatis inſcendere: ciuitas erigitur, dum Zachæus de faſtigio deponitur, & deſcenſus celerrimus imperatur: *In ciuitate perdita egiſſe deſcribitur Principatum.* O quàm ſolerter attendendum fuerit, vt electio veniat ſemper de meritis, non de nobilitatis, aut auri prærogatiuis: dum faſtigium poſſidet virtutibus excultus, felix omnium efflorescit ſtatus; at ſi quis dignitatis occupauerit celſa diuitiarum artificio, aut ſolùm proſapiæ merito, nec arridebit fortuna, nec à populo auolabit miſeria.

Luc 19.v1.

Chryſol.

88. Dominus vt Samuelem in copioſas lachrymas fuſum ſolaretur, regem à ſe prouidentiſſimè delectum teſtatur: *Veni, vt mittam te ad Iſai Bethlehemitem: prouidi enim in filiis eius mihi regem*: calamitati populi occurrit regem prouidens, & ſolertiſſimè, ſi fas eſt dicere, quærens; verùm cur non attenderit inoculatiſſima prouidentia Iſai filios nullatenus ſanguinis claritate conſpicuos: imò ob alienigenam Ruth nobilitate priuatos? Nonne ſatius eſſet alium generis prærogatiuis eligere ornatum, & ſanguinis nobilitate conſpicuum? Prouidentiæ videtur nota repudiaſſe nobilem, & elegiſſe paſtorem. O ſapientiam immortalem! Vt generalitati ſalutem afferat, ad faſtigia virtute exornatum eleuat: non attendit claritatem originis; ſed virtutis: vtque noueris quàm populo ſalutaris fuerit electio, Philiſthinorum à Dauide repreſſa eſt audacia, & gigantis porſus extincta iacuit inſolentia, Adeſt Baſilius Seleucienſis orat. 14. *Ornauit figmentum meum rebus benè geſtis, adiunxit ad artem creandi meam animi decus, hunc prouidi mihi in regem. Non ſimpliciter prouidi; ſed mihi in regem. Arcanum aliquod myſterium continet.* Ecce cùm Dauid ob animi eligitur nobilitatem, non ob ſanginis claritudinem, regnum Dei iam proximat, & perennis felicitas appropinquat: non elegit purpuratum; ſed animi virtute decorum, & ad bellandum induſtrium. Hæc diuina electio, hæc populo ſalutaris promotio, Saul cæteris quidem altior electus eſt; ſed tunc prouidentia non commendatur; at cùm Dauid antefertur non obnoxia fallaciæ ſapientia prædicitur. Sub Saule cæteris corpore ſolum altiore montibus Gelboë periit Populus, & triumphauit Philiſthæus; at ſub Dauide pluſquam ſanguine, virtute conſpicuo. Et gloria populi eſt aucta, & audacia Philiſthinorum repreſſa: *Agit deinde virum in certamina*, addit Baſilius Seleucienſis orat. 16. deliteſcentem in adoleſcente boni theſaurum non ſine *pompa extrahit in lucem. Arbitremur igitur gratiam in Dauide delectus inıti rationem reddere, cur in ipſum ſolum inſpiciens alios omnes homines deſpexerit.* Eodem in campo adſunt Saul magnitudine cæteris altior, & Dauid virtute cæteris cultior. Quid tunc! Spurius ille gigas in certamen non ſine probroſiſſimis iniuriis vocat. Sub Saule terga indecorè vertit populus; at Dauidis manû proſternitur Philiſthæus: quaſi gratia electionis ſuæ rationem voluerit reddere, dum non ſine pompa oſtendit ad populi felicitatem opportuniorem eſſe virtutibus exornatum, quàm magnitudine excelſum.

1.Reg.16. v.1.

Seleucienſ.

§. XXII.

A carnis abſtineat prorſus deliciis, qui reſplendere exambit Sancti Spiritus priuilegiis.

NVlli dubium eſt terrenas voluptates in animam corpuſque pugnare, & frequenter virtutibus contraire: deliciæ corporis in corporis non tarò tranſeunt tormenta, & ex blanditiis dura generatur anguſtia: *Epulæ cruditates afferunt*, aiebat Seneca epiſtola 24. *ebrietates neruorum torporem, tremoremque, libidines pedum, manuum, articulorum omnium deprauationes.* Quod ipſa amica corporis delinimenta ſalutis inueniuntur naufragia, quantum putas nocebunt virtuti, cui ſemper aduerſantur oppoſita, & belligerant contraria? Verùm etſi omnes deliciæ in virtutes obarmentur, quæ ad carnem tamen ſpectant, peculiariter inueniuntur oppoſitæ, & implacabiliter inimicæ. Sine pudicitia, caſtitateque virtutum citiſſimè corruet fabrica, nec ſtare poterit ſtructura. *Pudicitia*, aiebat Tertullianus lib. de pudicitia cap. 1. *flos morum, honor corporum, decor ſenſuum, integritas ſanguinis, fides generis, fundamentum ſanctitatis, præiudicium omnis bonæ mentis.* Expende illud. *Fundamentum ſanctitatis*: quaſi ſine pudicitia nequeat virtus aſſurgere; ſed perire. Bonæ indolis teſſera pudicitia eſt; imò ſpiritus teſtimonium: quia etſi omnis virtus carnis refugiat contagium, ſpiritus præcipuè licitum etiam ſæpè dedignatur carnis

89.

Seneca.

Tertullian. Pudicitia eſt flos morum.

com

Digitized by Google

commercium. Profectò qui purè ſanctéque carnis exercent negotia, virtutum obtinere poterunt ornamenta; at ſacri Pneumatis pulſus, & cæleſtis afflatus animos amant eo puritatis candore ornatos, vt à deliciis huiuſmodi prorſus inueniantur alieni, & veluti caſtitati ſacrati. Ecce Debora cùm refertur ſpiritu afflata, & à viro tradetur longè remota: *Erat Debora prophetes vxor Lapidoth, &c. quæ miſit, & vocauit Barac.* Barac virum Deboræ fuiſſe tradunt plures interpretes: Magiſter in hiſtoria ſcholaſtica, & Andreas. R. Salomon, & R. Dauid Kimhi apud Abul. quæſtione 6. Quòd ſi inquiras, cur à viro fuerit diſiuncta, cùm matrimonij lex ad ſanctum obligarit commercium, & purum vſum: reſpondebit citata quæſtione Toſtatus licitis etiam corporis deliciis renuntiaſſe, vt Sacri Spiritus illuſtraretur affatu, & nobilitaretur impulſu: *Quamquam vir & vxor regulariter debeant cohabitare; tamen Debora propter ſpiritum propheticum non cohabitabat viro: quia ſpiritus prophetiæ non tangit prophetas tempore, quo vacant acceſſibus carnalibus, etiamſi illis ſint liciti.* Itaque vel licitæ carnis deliciæ quodammodò opponuntur ſpiritus incrementis, & propheticæ nobilitatis elogiis. Quod ſi licitæ voluptates impediunt ſpiritus excellentiam, quàm impedient illicitæ huius decoris prærogatiuam?

Magiſter. Andreas. R. Salomon. R. Dauid.

Abulenſ.

90. Sæpeſæpius Dominus apparuit Abrahamo; ſed in conualle Mambre clariùs appáruiſſe deſcribitur, dum candicante Sole inttaſſe eius hoſpitium refertur: *Apparuit ei Dominus in conualle Mambre ſedenti in oſtio tabernaculi ſui in ipſo feruore diei*; ad Lot duo Angeli venerunt non micante luce, ſed tenebreſcente veſpere: *Venerunt duo Angeli Sodomam veſpere* Caietan. notauit manſiſſe Numinis gerentem perſonam, nec Sodomitis ſuam exhibuiſſe præſentiam: *Qui gerebat perſonam Dei, poſtquam receſſit ab Abraham, non apparuit ampliùs.* Quæramus, ſi placet, cur Loto non Deus; ſed Angeli appareant cùm ipſe Dominus Abrahamo fuerit obiectus, & apud quercum refrigeratus; imò cur Deus anteà Abrahamo non adeò apparuerit conſpicuus; ſed ſacris caliginibus tectus? Profectò Sara, dum carnis deliciis operam dedignatur præbere, diu ab eis abſtinuiſſe agnoſcitur declarare: *Voluptati,* inquit, *operam dabo?* Quaſi dicat: Iam me carnis deliciis diu abdicaui, nec facilè repetam, quæ ſapienti conſilio amoueram. Adeſt Lyra: *Ex hoc videtur quòd Sara continuit ab actu coniugali.* Itaque eo tempore, quo Abraham & Sara deliciis renuntiarunt, Deum clariùs viderunt, & quia non conſtat Lotum ab honeſtis matrimonij abſtinuiſſe deliciis, non refertur claræ præſentiæ Numinis honoratus priuilegiis: Angelis præbuit ob eximiam ſanctitatem hoſpitium; non tamen Deo ob voluptatis commercium: vt noueris quàm ingens diſtantia ſit inter deliciis carentes, illiſque vacantes, Abrahamo Deus obiicitur clariſſima luce, & Loto Angelus & veſpere.

Gen. 18. v. 1.

Gen. 19. v. 1. Caietan.

Lyra.

91. Samuel ad regalis culmen dignitatis Saulem inaugurans futura prædicit, vt noueris electionem fuiſſe cæleſtem, Rachelis ſepulchrum tranſgreſſo prophetarum chorus occurrit obuius, aures pſalterio, tympano ac variis inſtrumentis demulcens: *Cùmque abieris inde, & vltra tranſieris, &c. venies in collem Dei, vbi eſt ſtatio Philiſthinorum, & cum ingreſſus fueris ibi vrbem, obuium habebis gregem prophetarum deſcendentem de excelſo, & ante eos pſalterium, & tympanum, & tibiam, & citharam, ipſoſque prophetantes, & inſiliet in te ſpiritus Domini, & prophetabis cum eis.* Non vacat myſterio Rachelem tranſiſſe; cùm cæleſti pulſatur afflatu, & prophetico agitatur ſpiritu: *Cùm abieris inde, & vltra tranſieris.* Et cur ſpiritus iuxta Rachelem eius non poſſideat animum, & reluminet intellectum? *Cùm tranſieris*, inquit: erat namque opus pulchritudinem, muliebréque venuſtatem tranſire, vt poſſet nobili ſpiritus adornari excellentia, & prophetæ nobilitati prærogatiua: quaſi noluerit ſpiritus iuxta Rachelem eius pulſare animum, aut poſſidere intellectum? Rachele tranſacta dum tympano demulcetur auditus, Saulem iam ſacri Spiritus exornat afflatus, quaſi abſque tympani ſono nequeat gaudere ſpiritus priuilegio. Iam quid tympanum reſonet, tradit Gregorius lib. 4. in cap. 1 o.1. Reg. *Tympanum ſonabat, qui dicebat: Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam.* Grex prophetarum niſi Rachelem tranſeunti non obuiat, & dum tympanum percutitur: Saul in alterum virum mutatur: nec enim niſi à deliciis carniſque voluptatibus longè diſtiterit, ſpiritus prærogatiuis fulgere poterit. Tranſeundum eſt pulchritudinis fallacias, venuſtatis illecebras, carnis delicias, fulgentiſſimum Sancti Spiritus lucem exambienti, & eximiis prærogatiuis ornari deſideranti: aliter namque ad excelſum prophetarum collem non veniet, nec ſpiritus excellentia præſtabit. Et nota ſepulchrum etiam tranſire, quia non ſolùm obeſt viſa elegantia; ſed venuſtatis memoria.

1. Reg. 10. v. 1.

Gregor.

In ipſa hominis, fœminæque molitione arcanum adinuenio myſterium. Adamum formatum Deus nobiliſſimis ſimilitudinis, imaginiſque titulis honorauit, & iam formato corpori ſpiritum vitæ infundit: *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.* In fœminæ molitione non legitur ſpiritus inſpiratus, & à diuino ore in cor mulieris transfuſus: *Ædificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam.* Profectò Adam, Euaque vitali fruebantur ſpiritu, vt gaudebant etiam imaginis, & ſimilitudinis priuilegio; verùm quia Scriptura nos ſilendo erudit, vt loquendo inſtruit: non erit otioſum inquirere, cur in Euæ molitione taceatur, quod in hominis extructione clariſſimè exprimitur? Iam innuit textus: *Adduxit,* inquit, *eam ad Adam,* ad generis quidem amplificationem, ad filiorum procreationem, ad ſancti coniugij vinculum, & honeſtum carnis commercium: *Quomodò non iterum erimus vna caro*, ſcribit Baſilius Seleuc. orat. 2. *naturæ vi conglutinata, qui anteà cohærente fuimus.* Itaque mulier iam iterum cum Adamo vna caro: ergo dum carnis negotium geritur, infuſus ſpiritus non auditur. Non quod honeſtum, ſanctumque coniugium virtuti, aut ſpiritui refragetur; ſed quia ad ſpiritus pompam, & excellentem prærogatiuam aptior eſt virginalis puritas, & ab omni carnis commercio caſtitas. 92.

Gen. 2. v. 7.

Seleuc.

Deus Moyſi oues in Madian deſertis agenti obiicitur: rubus erat tantæ maieſtatis ſolium, cui ardens flamma ſopito prorſus ardore conſpicuam 93.

Digitized by Google

ſpicuam præbebat lucem: Moyſes inuolat myſterium curioſis oculis inſpecturus; verùm cogitur gradum ſiſtere, & calceamenta nudare: *Solue calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Quæ ex tribus perſonis flammeſcenti tubo apparuerit, dubium interpretibus eſt. Auguſtinus ſecundo de Trinitate capite decimotertio non abnuit Spiritum ſanctum fuiſſe. Non poteſt hic Deus Pater intelligi, ſed aut filius, aut Spiritus ſanctus. Itaque Spiritus ſanctus, qui ſæpiùs ignis ſpeciem aſſumpſit, hic in flammæ ſpecie Moyſi apparuit, & ab vxore diſiungi Ægyptum petiturum docuit. Ita Diodorus apud Lippomanum: *Quidam dixerunt ideo Moyſi iuſſum fuiſſe, vt calceamenta ſolueret, ne vxorem accipiens in Ægyptum deſcenderet.* Verum quid intereſt ſecum vxorem duxerit, aut ab illa ſeparatus abierit? Eſtne vxorem ducere virtuti contrarium, aut ſanctitati inuenitur aduerſum? Non equidem: nam cum vir vxorque ſint duo in carne vna, illorum concordia, & ſocietas ſanctè ſuffragatur virtuti, & matrimonij adulatur legi: cur ergo per aliquod temporis ſpatium Moyſes fuerit ſeparandus, & prorſus ab vxore abſtrahendus? Iam ipſe ſpiritus cauſam reddiderat: *Ego ero in ore tuo, doceboque te quid loquaris.* Cùm Moyſes ſpiritus inſtrumentum eligitur, à licitis carnis deliciis, & honeſtis etiam voluptatibus abſtinere iubetur: nam licèt purè ſanctéque matrimonium geſſerit, non adeò aptus his curis diuiſus, vt ſolùm contemplationi dicatus. Adeſt citatus ſuprà Abulenſis: *De Moyſe ferunt quòd ſeparabat ſe ab vxore ſua propter ſpiritum propheticum, qui continuò quaſi ſedebat in illo.* Amat ſpiritus mentem omni puritate conſpicuam, & caſtimonia ſacratam. Ab vxore ſeparetur Moyſes, vt ſpiritus ſit lingua: quia aliter non fulgebit ſpiritus excellentia.

Ezech. 3. v. 5 — Diodor. — Abulenſ.

94. Hoc idem notauit Tertullianus in mundi molitione. Abyſſus tenebrarum proditur ſedes, aqua ſancti Spiritus habitaculum: *Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, & Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas.* Has tenebras eſſe carnis delicias tradit Hugo Charenſis: Caro per luxuriam, ſpiritus per ſuperbiam vel malitiam corrumpitur. Itaque vbi legitur deliciarum carnalium vmbra, Spiritus nullatenus refertur præſentia; at vbi puritatis conſpicuus nitor reſplendet, ibi Spiritus ſanctus lucet. Audi Tertullianum de baptiſmo capite tertio: *Habes homo in primis ætatem venerari aquarum quòd antiqua ſubſtantia: dehinc dignationem quòd diuini ſpiritus ſedes, gratior ſcilicet cæteris tunc elementis: nam & tenebræ totæ adhuc ſine cultu ſyderum informes, & triſtis abyſſus, & terra imparata, & cælum rude: ſolus liquor ſemper materia perfecta, læta, ſimplex, de ſuo pura, dignum vectaculum Deo ſubiiciebat.* Itaque dum ſuper abyſſum impendebant tenebræ, hoc eſt carnis deliciæ, non ferebatur ſpiritus; at dum depulſis omnino tenebris purus liquor reſplenduit, inſidentem, inhabitantemque ſpiritum habuit.

Gen. 1. v. 2. — Tertull.

§. XXIII.

Prudens fœmina omnem accuratè pudicitiæ vitabit notam; imò iniqua etiam ſuſpicionis audaciam.

Foeminarum decus pudicitia eſt, de cæleſti plantario micans hic gratiſſimus flos pullulat, & odoris ſuauitate cælicolas recreat; verùm vti ſupra cæteros virtutum flores ſingularitatis emicat excellentia, ita facillimè vel leui deuenuſtari ſolet iniuria: non ſolùm obſcuratur attactu, non ſolùm viſu; ſed peruerſiſſimæ linguacitatis anhelitu. Hinc pudicitiæ ſtudioſæ fœminæ ſe periculis agnouerint circumdatas, vt vigilanti cautela ſe didicerint præmuniendas. Caſta fœmina nullis oculis pateat, aut ſi hoc non licet, à nullius oculis deprehendi refugiat. *Caſtis*, ſcribit Plutarchus ſerm. diſput. amator. *neque amare, neque amari conuenit.* Adde ex Tertulliano de veland. virgin. cap. 15. neque videre, neque inſpici. *Vera, & tota, & pura virginitas nihil magis timet, quàm ſemetipſam, etiam fœminarum oculos pati non vult, alios ipſa oculos habet, confugit ad velamen capitis, quaſi ad galeam, quaſi ad clypeum, qui bonum ſuum protegat aduerſus ictus tentationum, aduerſus iacula ſcandalorum, aduerſus ſuſpiciones, & ſuſurros, & æmulationum, ipſum quoque liuorem.* Sic caſtitas ſe cautelæ arte commcommunit, & protegit, vt nec ſerpentina lingua peſtiferæ murmurationis veneno queat infuſcare florentem famam, nec virulenti liuoris cæca temeritas denigrare tentauerit gloriam: ab omnibus prudenter cauet: quia ſe ab omnibus lædi, aut deuenuſtari cognoſcit. O quàm grauiter Ambroſius in exhortatione ad virgines: *Docet ſolitudo verecundiam, & gymnaſium pudoris ſecretum eſt.* Itaque ſic de ignoratione, de ſecretoque caſtitas pugnat, vt ſuſurros, & ſuſpiciones, dum fugit, euincat. Verùm quia non ſemper caſtis, pudiciſque fœminis licet ſecretò degere, & humanos oculos deuitare, curabunt ita in omnium conſpectu inſtituere vitam, vt nunquam amauerint latebram. Itaque caſtitati conuenit aut penitus amare ſecretum, aut nullatenus recuſare publicum, quandoquidem ipſa publicitas obmurmuratorum linguas cohibet, & honorem pudicitiæ defendit. Hinc eſt quod Debora vidua, vt Ambroſio placet, cùm pro munere ſuo, erat enim iudex, cum hominibus agere teneretur eam habitationem delegit, quæ omnium oculis ſemper expoſita, & vel repentè ſuperuenientibus peruia: *Erat Debora propheti ſvxor Lapidoth, quæ iudicabat populum in illo tempore, & ſedebat ſub palma.* Populi iudex ſub diuo viuebat, & loco omnibus patentiſſimo iudicabat. Et cur domum non delegit, ad cuius fores cuſtodes conſiſterent, qui pro temporum opportunitate litigantes admitterent, aut arcerent? Aliam huius dubij ſequenti paragrapho rationem dabo, modò ſic pro caſtitate reſpondeo, Deboram ſcilicet vti Dei ſpiritu afflatam, & prudentiſſimam apertum delegiſſe, quo omnem ſuſpicionem facilius poſſet vitare, & criminationes maliloquorum reprimere: profectò ſi cubiculi ſecretis litigantem aliquem admiſiſſet, muneri ſatisfaciens, non deeſſent ſuſurrones, & maliloqui, qui peſtifero dente virtutem eius morde

95.

Plutarch. *Caſta fœmina nec amat, nec amatur.* — Tertull. *Virginitas ſe ipſam timet.* — Ambroſ. *Secretum eſt pudoris gymnaſium.*

Digitized by Google

morderent, & quantumuis vanis famam ſuſpicionibus denigrarent. Ergo quia omnium prorſus oculos pro ſtatus ſui conditione non poterat amouere, decreuit prudentiſſimè & nullius aſpectum refugere, vt opitularetur virtuti publicum, quandoquidem non poterat illam tueri
Montan. ſecretum. Adeſt Arias Montanus ad hunc locum: *Quis aduerſus illius decus atque honeſtatem quicquam fugere auderet, cuius ſapientia, & ſanctitas diuinis illuminationibus commendata, & comprobata erat, cuius ſtudium vel in ſuadenda hominibus virtute ac pietate; pœnitentiaque poſtulanda, vvel in dirimendis, indicandiſque cauſis conſumebatur.* Addit ingenioſus interpres. *Idque non intra priuatos parietes, vel occulto aliquo, aut obſcuro loco; ſed palam in edito ſitu, in monte Ephraim ſub palmeto.* Ipſa publicitas obmurmuratorum reprimebat audaciam, & caſtitatis tuebatur gloriam: quis enim malignas potuit ſuſpiciones fouere, quando nullo tempore conſtabat Deboram latitare. Diſcant hinc fœminæ
96. criminantium linguas occludere, & omnem malignitati ſuſpicionem eripere.

Apocal.21. v.19. Euangeliſta Ioannes dum virginis Ieruſalem agni Sponſæ venuſtatem depingeret, ſic aiebat: *Fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioſo ornata: fundamentum primum iaſpis, ſecundum ſapphirus*, &c. Muro cingitur, cuius tutela nec emittat proprios, nec oculos admittat alienos; nec contenta muro murum ipſum ſtabiliuit ſapphiro. Quod ſi inquiras quid intenderit, dum ſuper ſapphirum murum ſtruxit, reſpondebit lib 4. apologor. cap. 8. Cyrillus à noſtro Corderio latinitati donatus, Sapphirum ira micare, vt nullatenus admittat vmbram, nec infuſcari ſplendoris patiatur gloriam. Ergo pudiciſſima, & cordatiſſima Sponſa non ſolùm curauit vir-
Cyrillus. ginitatem fortiſſimo muro defendere; ſed virginitatis famam, nitoremque ſapphiro pretioſiſſimo cuſtodire. Accipe Cyrilli verba: *Sapphirus mirabilis caſtitatis omnem fugans & deſtruens famam venenoſam.* Conſuluit famæ ſapphiro innixa, virtuti ſtuduit inexpugnabili muro vallata: vtrumque ad gloriæ complementum neceſſum fuit: quid enim proderat volatica, mendacique caſtitatis florere fama, ſi virtutis careret gloria. Incommodaret etiam, quantumuis virtutis incorrupta potiretur gloria, ſi pudicitiæ careret fama. Ergo ad gloriæ complementum vtraque curauit ſtudium, ſcilicet de muro omnem propulſare iniuriam, & de ſapphiro omnem ſuſpicioſæ temeritatis audaciam. Nonnullæ fœminæ paruipendunt iuuenum oculis obiici, iocoſa verba miſcere, ineptias effutire, dum pudicitiæ cuſtodierint virtutem; ſed imprudentes neſciunt his aut virtutem faſcinari, aut famam virtutis lædi. Hic flos delicatiſſimus eſt,
97. vel à longè viſus conuulneratur, & ſplendentis pompa nitoris exuitur.

Fugiebat Siſara anxio deſiderio, ac anhelo vitæ ſtudio, ſe ad Iaëlis recepit tabernaculum: quia nullum ibi (intercelſerat namque fœdus) ſuſpicabatur periculum; verùm dum oculos
Iud.4.v.21. ſomno tradit, certaminibus ſubductus petit: interemit Iaël virtutis hoſtem: licitum namque eſt pia fraude capere fraudulentum: *Poſuit ſupra tempus capitis eius clauum, percuſſumque malleo defixit in cerebrum vſque ad terram* Rogat Abul. quæſtione 21. *quare Iaël occiderit per ſeipſam Siſaram, & non tradiderit eum in manus Iſraëlitarum.* Profectò ſugillari de imprudenti temeritate poſſet fœmina, quæ ſe videbatur conieciſſe in pericula: nonne ſatius ſoporatum ſeruare, & Baraci militibus dediſſe? Decet fortem militem honeſta truculentia, dedecet mulierem audacia: cur ergo Iaël ſuæ non conſuluit opinioni; Abulenſ. ſed Siſaræ ſtuduit neci. Profectò, reſpondet Abulenſis, neci ſtuduit, vt opinioni prouiderit: nam ni morte odium in Siſaram conteſtata eſſet, ſuſpicari poſſet temeritas illum tabernaculo recepiſſe non virtutis ſtudioſam; ſed voluptatis amicam: vtque non ſolùm pudicitiæ virtute; ſed virtutis etiam illæſa ſemper reſplenderet opinione, hoſti peruerſiſſimo necem intulit, & opinionem ſeruauit. *Alia ratio erat* (verba ſunt Abul.) *quia ſi ipſa non occidiſſet eum; ſed tradidiſſet in manus inquirentium eum, forſitan præſumeretur contra eam.* Si Baraci milites illuc perſcrutantes Siſaram aduentaſſent, quantumuis ipſa ſcrutantibus proderet, non deeſſet forſan qui ſuſpicaretur illum tradidiſſe compulſam, admiſiſſeque obſequioſam: vtque hanc à ſe penitus ſuſpicionis propulſauerit notam, lethalem Siſaræ feſtinauit inferre plagam. Siue Iahel occideret, ſiue confoderent milites, idem manebat Baracianis trophæum, & Siſaranis excidium; non tamen omnis ſuſpicandi de Iahële præcidebatur occaſio. Ob id facinus aggreſſa eſt, vt ſimul populi conſuleret ſaluti, & pudicitiæ etiam ſtuderet 98.
opinioni.

Ioſephus ille caſtitatis ſpeculum, qui nec ætatis fraudibus potuit vinci, nec repetitis heræ adulationibus emolliri, licèt inuiolatam cuſtodiuerit pudicitiam, amiſit nihilominus pudicitiæ apud plurimos famam: vti adulter in vincula conijcitur, imo ipſa quæ putabatur viciſſe fœmina, vel mentito ſpolio obſcurabatur in gloria: Gen.39.v.16
doloſiſſima vociferatur, & pallium in audaciæ iuuenilis teſtimonium oſtendit: *In argumentum fidei retentum pallium oſtendit marito reuertenti domum.* Baſilius Seleucienſis, vt erat ingenioſiſſimus, hoc argumentum non ſolùm ait in Ioſephum militare; ſed tenenris etiam famæ indecoram notam inurere, quandoquidem iam conſtabat virum intra cubiculum fuiſſe admiſſum, fuiſſeque laſciuis, vt putabatur, oculis inſpectam, & audacis manibus attrectatam: manus ergo pallij geſtatrices, & geſtantis erant accuſatores, quando pudica mulier ita debuiſſet conſulere caſtitati, vt non ſolum propulſaret piacu- Seleuc.
lum; ſed & occaſionis periculum. *O inſaniam barbaricam*, ſcribit Baſilius orat. 8. *cum pallij, quo manus accuſentur, ſit geſtatrix, lingua accuſanti creditur.* Itaque manus de pallij contactu accuſabantur pollutæ, quandoquidem longiſſimis interuallis à contingendi occaſione eſſe debuiſſent remotæ: accuſat ipſa tragœdias excitans iuuenis intemperantiam, & propriam exaggerat pudicitiam; verum imprudentiſſima conuincitur, dum eius manibus iuuenis pallium geſtatur: debuiſſet namque ſi pudicitiæ ſtudioſa, non ſolùm iuuenis pallium non contrectaſſe; ſed omnem contrectandi occaſionem ſedulò ſtudio fugiſſe. Non reſplendebat pudicitiæ gloria, quæ contactu accuſabatur incauta. Quod ſi quæ ad ſpeciem pudiciſſima retento pallio videbatur, minùs pudica de pallij contactu inſultur, qualem ſe credunt opinionem habituras, quæ ornatum geſtant non alienæ procaciæ teſtimonium; ſed propriæ procacitatis indicium?

§. XXIV.

Digitized by Google

§. XXIV.

Qui ſub crucis degerit vmbra, non poterit carere victoria.

99. NOn inficiabor, ſic namque eſt: vitia etiam fortium animos blandis titillatos emolliunt illecebris, & robur omne euanidis nituntur expectorare deliciis: iucundum eſt nihil negare deſiderio; ſed inter inſanias & cupedias inertem oblectare animum, & cupitis innutrire, & fouere voluptatibus appetitum; verùm vt nihil iucundum eſt, ſi magna immineat calamitas, quia de futura anxietate præſens perturbatur voluptas; ita ſi voluerimus oculos caliginibus pulſis diducere, ſpernemus voluptates vtpotè quas à tergo ſequuntur anxij dolores. Quàm
Seneca. optimè Seneca de vitia beata cap. 11. *Aſpice Nomentanum, & Apicium terrarum ac maris, vt iſti vocant, bona conquirentes, & ſuper menſam recognoſcentes omnium gentium animalia: vide hos eoſdem è lectis ſuis ſpectantes popinam ſuam, aures vocum ſono, ſpectaculis oculos, saporibus palatum ſuum delectantes mollibus, leuibuſque fomentis totum laceſſitur eorum corpus, & ne nares interim ceſſent, odoribus variis inficitur locus ipſe in quo luxuriæ parentatur. Hos eſſe in voluptatibus dices, nec tamen illis benè erit: quia non bono gaudent.* Prudenter dixit: inter ipſam namque deliciarum, blanditiarumque affluentiam animus ſibi præſagit imminere ſæua, & remanere duriſſima: vnde nondum plenè hilarem inſaniam poſſident, quia imminentium malorum pericula timent. Eodem modo in contrarium philoſophari neceſſum eſt: plures ſunt qui corpori ſuo amicabiliter aduerſantur, qui voluptates rigidè compeſcunt; imò qui ſe doloribus conſecrant, & corporis afflictationibns vtiliſſimis dedicant; hi tamen de futura lætitia nonnihil inter ærumnas ipſas prægustant, & animum concepta fiducia recreant. In campum prodeunt milites omni imbonitati aſſueti: quia de triumphorum ſpe & arduos melliunt labores, & aſperas emolliunt difficultates: ergo victoria, quam certiſſimè adepturos præſentiunt, aſpera leuigat, imò ipſam aſperitatem euitat. Ecce Debora placidè degit ſub palma, cùm tamen palma vti crucis ænigma copioſis exundet dolorum prouentibus, & ad terebrandum corpus clauos protrudat pro fructibus: *Sedebat ſub palma.* Quod ſi inquiras quomodò crux gratam potuerit præbere vmbram, reſpondebit Hugo Charenſis: de non falſis victoriæ ſpebus non ſolùm moleſtias temperaſſe; ſed iam vertiſſe in gaudium, ipſum quod excruciabat tormentum. *Per palmam* (verba ſunt Hugonis) *crux intelligitur.* Addit: *ſub vmbra huius palmæ, id eſt, ſub fide crucis ſedendum eſt, id eſt, quieſcendum per ſpei ſecuritatem.* Et quæ ſpei ſecuritas? A palma ſcilicet promanare ſemper victoriam: *ſedebat ſub palma*, præmiſerat ipſe Hugo locum ad mores interpretatus, *quod erat ſignum victoriæ futuræ: palma enim datur victoribus deferenda.* Expendebat Debora ſe eo tempore chara libertate priuatam, captiuitati duræ ſubiectam, & Iabini tyrannide iniquiſſima afflictam; at ad crucis aſylum confugiens ipſis iam doloribus lætabatur: quia triumphos ſibi certiſſimè promittebat, & ſtylum in contrarium vertendum nouerat. Suſtinebat Iabin dominium; ſed præuidebat etiam Iabini captiuitatem: patiebatur ærumnam; ſed ſperabat victoriam. Ergo ſuccenſa laudabili recruciationis deſiderio, & triumpho allecta non dubio ſub cruce quieſcebat, & victoriæ vmbra iam animi ægritudines temperabat. O ſi videre liceret quanta iuſti animus inter dolorum morſus, inter afflictionum cruciatus ſerenitate, ac placiditate fruatur, quàm dignè admiraremur ſtupentes, & ſtuperemus mirantes: vt enim voluptatibus circumfuſos inquietant, & perturbant futurorum malorum præſagia, ita laboribus afflictos futurorum oblectant bonorum exordia.

Dauid, vt erat diuini honoris zelotypus, certaminis prouocationem ad ſe rapuit, & contra 100.
gigantem pius, non temerarius in arenam proſiluit: illum Saul propriis loricat armis, & regalibus obarmat munimentis; verùm ipſe gladium abiicit expolitum, & agolum præfert prorſus incultum: *Tulit baculum ſuum, quem ſemper* 1. Reg 17.
habebat in manibus. Miraberis Dauidem confi- v. 40.
denter alacriterque in certamen proſilire, quandoquidem ſolum baculum conſtabat habere: quid enim baculo paſtorali cum triumpho? Profectò gigas in riſum effuſus ſtatim ac ludicrum ad ſpeciem militem ſpectauit non ſine ludibrio deſpexit, verùm carebat oculo fidei, ſuperbia cæcus, & tumore penitus obcæcatus: baculus namque crucis ænigma Dauidi trophæum, & vitio prænuntiabat excidium. Adeſt Aug. ſerm. 198. August.
de tempore: *Baculus crucis typum habuit:* Vbi Dauid is ba-
ſe cruce armatum Dauid aſpexit, & redimien- culus crucis
dum victoria agnouit: nec enim validiora ſunt typus.
in dæmones arma, quam mortificata membra. Ea ipſa manus, quæ Dominico cruciabatur ligno, adepto reſplenduit triumpho, & dextra quo mortificatione debilior, lapidem contorſit dexterior. Non imprudenter Dauid ante certamen omnibus prædixit victoriam: quia crucis ſecum ferebat vmbram, & quidem quem armat crucis vmbra, nequibat non nobilitare victoria.

Signum magnum apparuit in cælo, mulier 101.
Sole armata, & fulgentiſſimis ſyderum gemmis redimita, at quæ conciliare debuiſſet reuerentiam, lux virulentam adauſſit inuidiam: ſerpens adeſt flammiuomus; & ſquamis fœdiſſimis loricatus: mulier locum iræ præbet, & in ſolitudinem fugit; verùm adhuc inſtat peruerſitas, & fugientem doloſa perſequitur tortuoſitas. Quid tunc? *Datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ,* Apocal. 12.
vt volaret in deſertum locum ſuum: ſerpens vbi v. 14.
volantem agnouit, à perſecutione deſtitit, & quaſi effumigatus, & incantatus ſpiris contractis in terrarum imis delituit: *Abiit facere prælium cum reliquis.* Profectò iure ſerpentis ſugillabis aſtutiam, & damnabis imprudentiam. Nonne ſatius eſſet ſolaribus cinctam radiis fugiſſe, & in alienis armatam plumis bellum inſtauraſſe? Hic certior, ſecuriorque videbatur victoria, illic dubium non erat vſtulandum ſolari ſerpentem flamma: cur ergo cedat volanti triumphum, qui in Sole veſtitam excitauerat prælium? Quia dum volat, ſcribit Hieronymus Hieron.
ad Marci 15. in ſe crucis Dominicæ exhibet formam, & iam crucis forma æternam ſerpenti procudit ac parat ignominiam. Itaque vtrobique ſerpens infelicem ſuam oſtentauit aſtutiam, & dum non timet ſyderibus obarmatam, & dum timet crucis figura munitam: *Aues* (verba ſunt

Hieron. ſunt Hieronymi) *quando volant ad æthera, formam crucis aſſumunt:* Itaque dum volat, aſſumit crucis formam:& ideò iam ſerpens ſe luget deuictum,& penitus detriumphatum.

Exploratores à Ioſue miſſi terram ab hoſte poſſeſſam luſtrant, & neſcio quæ monſtra ſpectant. Ad ſuos regreſſi populum timore percellunt,& à proſequendi itineris ſtudio abducunt: Num.13. v.33. *Ibi vidimus monſtra quædam filiorum Enac*; verùm Ioſue & Caleb animo erecto, omnique timore proſtrato victoriam offerunt,& manubias quodammodò diuidunt: *Sicut panem, ita eos poſſumus deuorare: receſſit ab eis omne præſidium: Dominus nobiſcum eſt, nolite metuere.* Examinemus quod præſidium ab allophylorum populo receſſerit, quodque Iſraëlitici populi vires adauxerit. Non tacuit textus:*Pergentes*, inquit, *vſque ad torrentem botri abſciderunt palmitem cum vua ſua, quem portauerunt in vecte duo viri:* In vua Chriſtum Dominum ſignificari, vt in palmite crucem tradit Iſidorus apud Gloſſam: *Botrum in ligno de terra promiſſionis duo adnehunt: quia Chriſtus pendens in ligno crucis promiſſus gentibus de terra genitricis Mariæ ſecūdum carnem natus.* Iſidor. Itaque vbi animaduertit Ioſue & inimicorum populū cruce nudatum,& Iſraëlitarum his armis munitum non temeritatis audacia; ſed optimè præſagientis iudicij prudentia allophylorum prædixit ruinam, & Iſraëlitarum victoriam: *Vt panem*, inquit, *eos poſſumus deuorare:* nam dum cruce conſtat priuatos, & inimicorum trophæis dubitari nequit expoſitos. Omnis ab eis cum cruce euolauit virtus, & ad nos in cruce deriuata refloret ſalus: à Dominica namque cruce pendet omnis armatura fortium,& qui deprœliatur nudus his armis,hoſtilibus militabit trophæis. O quàm ſuæ inuident gloriæ quicumque ſub Dominica militare cruce refugiunt, & obcæcati delictis inſeruiunt: crux namque eſt præpilatum in vitia telum, cupiditatum excidium,libidinis venenum, dæmonum flamma, imbecillium etiam inuincibilis armatura,& inuulnerabilis ſemper conſtantia.

103. Dauid Dominum introducit inferni portas confringentem, inimicoſque detriumphantem: Pſalm.23. v.7. *Attollite portas Principes veſtras, & eleuamini portæ æternales:* tartareæ legiones veluti ignorantiam affectantes, & conſcientiam corrumpentes, quis ſit,interrogant, non vt informauerint intellectum; ſed,vt diſtulerint, quantum in ipſis eſt,triumphum:*Quis eſt iſte rex gloriæ?* Iam audiunt prælio fortiſſimum: *Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio.* Profectò ipſa reſponſio non mediocre generat dubium: quid enim omnipotenti accreſcere potuit in prælio? *Dominus*, inquiunt, *potens in prælio*, quaſi extra prælium minus viguerit viribus, aut captis in prælio potentiam adornarit trophæis. Profectò idem ipſe eſt extra & in prælio; nihil accreuit potentiæ, nihil virtuti; verùm dum in campo cum ſæuiſſimo hoſte congreditur,& ligno crucis armatur, eas inuincibiles vires oſtentat, vt æreas inferorum portas confringat,& habitatores proſternat. Adeſt Hieron. Hieronymus epiſtol.17. *Pulchrè leuari iubentur portæ,& in ſublime erigi, ſiquidem iuxta diſpenſationem carnis & myſterium & victoriam crucis maior regreditur.* Crucis ligno valentes adeò inferni portas Dominus arietauit, vt ruptis clauſtris inimicos protriuerit: nec enim poterat adamantinos vitij muros victor non ſubruere, qui in prælio cruce armatus didicerat militare. Viderant tartara pauperrimis pannis faſciatum, viderant paleis viliſſimis tectum, & tamen ferarum vectiumque fortitudine confidebant;at vbi armatus cruce reſplenduit,& virtus inimicorum elanguit.

§. XXV.

Non adeò reſplendet dignitas de adſtantium pompa,vt de leuata calamitoſi miſeria.

INſtitutum ſuum prouidentia noſtra non deſerit, 104.
aiebat Caſſiodor. 3.var.14 *cum ſubiectis ſemper inuenta profutura diſponit, vt ad maiorem deuotionem concitentur, qui ſui curam non habuiſſe cognoſcunt.* Caſſiod. Plures ſunt, qui dignitatem circumſtantia ſequentium non ornant; ſed tumentis animi ſuperbiam oſtentant. Vera dignitatis ornamenta non ſunt nigreſcentis purpuræ gratus ſplendor,adulatione certantium multitudo, tracta ſeruorum copia;ſed leuata infelicis ærumna, & calamitoſi miſeria. Inſtitutum ſuum prouidentia non deſerit, cùm miſeris profutura diſponit; ac ſi non diſponat,deſeret, quantumuis vndique circumfluat ſeruorum illuuies, quantumuis creſcat aſſeclarum numerus, & vaniſſimæ pompæ faſtus. *Luctetur*, aiebat Senec.lib.1. de clem.cap.17.*cum vitiis, reſiſtat,aliis morbum ſuum exprobret,quoſdam molli curatione decipiat, citius meliuſque ſanaturus remediis fallentibus. Agat Princeps curā non tantùm ſalutis,ſed etiam honeſtæ cicatricis.* Senec. *Superior curam agat honeſtæ cicatricis.* Cura alienæ ſalutis eſt regiminis gloria,non vana crudis, mentitiſque adulatorum ſalutationibus affluentia.Ecce Debora ad dignitatis faſtigium euecta non refertur ſeruorum floruiſſe copia,non ædificij elegantia, non ornatus induſtria,*Sedebat ſub palma*, aſt dignitatem ſuam adornaſſe cognoſcitur, dum populum ab oppreſſione liberare vigilantiſſimè ſtuduiſſe refertur.*Miſit & vocauit Barac,&c.dixitque ad eum:Præcepit tibi Dominus Deus Iſraël:Vade,& duc exercitum.* Arias Montan. aduertit Deboræ nomen felicitatis extitiſſe præſagium,dum vigilantis, ſedulæque mulieris nomen ſolicitum adimpleuit ſtudium. Montanus. *Fuit elegans,& virtuti, atque præſtantia, laborumque aſſiduitati, atque publicæ rei in muliere ſtudio optimè conueniens nomen Debora in ſacra lingua, quod admirabili illi volatili impoſitum eſt, quam Latini apem dicunt.* Nomen ipſum elogiis celebrem indicat,& ſublimiter volantem demonſtrat: nec enim nomen ſortita eſt ab aurea ſede, elatove throno; ſed à præſtito calamitoſis officio: dulciſſimos fauos elaborauit, quibus fellea miſerorum depelleretur amaritudo, & felicior arrideret illi fortuna tantā depulſa miſeriā.

Cùm Dominus Ieroſolymam peteret multis 105.
gentiū comitatus agminibus cæcus obiicitur cęcitatis remedium quærens, & ad compaſſionem clamoribus mouens;illi Dominus viſū reſtituit, & iam ſequentibus Chriſtum inſertus,oculis recèns illuminatus medici virtutem prodebat, & peritiam oſtentabat: *Sequebatur illum magnificans Deum.* Lucæ 18. v.43. Plures Chriſtum Dominum fuiſſe ſecutos tradit Euangeliſta:*Cùm audiſſet*, inquit, *turbam prætereuntem interrogabat quid hoc eſſet.* Itaque ingens hominum affluentia Dominum comitabatur, at inter ſequaces ſolùm hic cæcus

Digitized by Google

Domini prodebat virtutem, & oſtendebat diuinitatem: *magnificans Deum.* Et cur hic tot inter turbas egregius virtutis euulgator, & diuinitatis index? Quia iam receptum lumen depulerat cæcitatem: leuata cæci miſeria virtutem Domini in lucem extrahebat præ turba: nec enim adeò magnus reſplendet, qui poſt ſe multam aſſeclarum anxiè ſequentium trahit copiam, vt qui alienis malis affert medelam. Adeſt
Chryſoſt. Chryſoſtomus apud D. Thomam. *Patet quòd à duplici cæcitate liberabatur, corporali ſcilicet, & intellectuali: nec enim glorificaſſet vt Deum, niſi verè vidiſſet.* Itaque qui vidit, Deum glorificauit; alij comitabantur, verùm quouſque cæcus vidit, non reſonuerunt elogia: quia virtutis clara adeò non apparuerant pluribus argumenta.

106\. Ioſeph, in cuius animo tota virtutum prata
Gen 37. v. 7. vernabant, dignitatem virtutemque immiſſis diuinitus ſomniis Deus fratribus prodit: *Putabam,* inquit ipſe germanis ſecreta referans, *nos ligare manipulos in agro, & quaſi conſurgere manipulum meum & ſtare, veſtroſque manipulos circumſtantes adorare manipulum meum.* Aliud etiam ſomnium retulit, ſcilicet Solem, Lunam, & ſtellas officioſa præbere obſequia, & obſequioſa exhibere ſemper officia: *Vidi per ſomnium quaſi Solem, & Lunam, & ſtellas vndecim*
Lippom. *adorare me.* Lippomanus his ſomniis conſtare clariſſimè ait hunc honorem Ioſepho cælitus decretum, & impertitum: *Significabatur Ioſeph à Deo preparatus honor.* Et cur vt Ioſephi virtus prodatur, manipulorum ſomnium priùs menti offertur? Nonne grandior erat honor à ſplendiſſimis ſyderibus adorari, & planetarum Principibus coli? Referat Ioſeph priùs ſtellas luminoſis radiis linguarum ad inſtar eius promulgare virtutem, & poſteà manipulos præſignare diuitiarum vbertatem, ne inuerſus ſomniorum ordo mundialem ſequatur ſtylum, vbi non ſemel primas videmus ſortiri, quod debuiſſet inter vltimos nominari. O ſapientiam immortalem! vt pueri cumulauerit dignitatem priùs elegit manipulorum ſomnium, vti indubium etiam inuidis argumentum: dum à ſyderibus colitur, nulli calamitati conſuluiſſe refertur; at inopiæ panis ſubuenitur, cùm à manipulis adoratur, adeoque illuſtrius dignitatis teſtimonium eſt depulſa miſerorum ærumna, quàm adſtans luminum circumſtantia, vt Deus vti certiorem indicem priùs immiſerit manipulorum ſomnium, & poſteà oſtenderit aſtrorum plauſum: *Sic Deus iuueni*
Cyrillus. *Ioſeph,* ſcribit Cyrillus apud Lippoman. *per ſomnia ſignificabat illum aliquando clariſſimum.* Sic eius prodebat Deus claritatem, prænuntiando ſcilicet per manipulorum ſomnium fratres de famis periculo liberandos, & luminoſos cælorum flores liberatori plauſum præbituros. O quàm falluntur qui ſolùm de ſeruulorum pompa, de adſtantium circumſtantia, vti de magnitudinis teſtimonio ſuperbiunt, cum ille ſolus verè dicendus ſit magnus, qui Solis ad inſtar lucet omnibus profuturus, non tumidè ſplendidus.

107\. Tanta eſt ſagacitas fidei, vt nolente ad ſpeciem Deo diuinum valeat inueſtigare ſecretum, tantaque eſt confidentiæ vis, vt gratam Deo violentiam inferat, & ad ſibi obſequendum trahat; tale eſt illud Syrophœniſſæ mulieris, quæ latere Dominum non eſt paſſa: tale eſt illud Hemorroiſſæ, quæ deſperato morbo medelam eſt celeriter aſſecuta. Pergebat Dominus multis comitatus cateruis; imò non ſolùm comitatus; ſed etiam prementibus turbis compreſſus. O quàm humanus plauſus preſſuram afferat, & moleſtiam non ſemel inferat. Hemorroiſſa ſalutis deſiderio aggreditur diſſecare turbam, vt veſtimenti tangere poſſit laciniam. O quantas inueniſſet excuſationis cauſas, ſi exanguis, diuturna infirmitate debilis, & pene ſpiritum agens tot hominum turbas iuberetur ſcindere, & Domino pro ſalute animæ propinquare! Salutis corporis deſiderium vires ingeſſit exangui, & ardua tentare conſuluit debili: aſſecuta eſt tactu feliciter, quod pia tentauit audacter, & quod illa ſilenter, verecundéque rapuerat, Dominus interrogatione non tam ad ſuæ virtutis laudem, quàm ad commendandam mulieris promulgat fidem. *Quis tetigit veſtimenta mea?* Diſcipuli reſpondent: *Vides turbam comprimentem te, & dicis: Quis me tetigit?* Itaque turbæ compriment, Marci 5. v. 31.
cùm mulier tangit, & Dominus in ſuæ diuinitatis teſtimonium piam mulieris promulgat audaciam, non turbarum affluentiam. Adeſt opportunè Chryſol. ſerm. 100. *Clamat non homo;* Chryſol.
ſed Deus: non caro, ſed ſpiritus: Quis me tetigit? vt eum proderet virtus operis, quem tunc humanitas occultabat. Itaque vel hominum cateruis circumdatus non adeò habebatur magnus; at dum mulierem ſanat, iam omnibus habetur eximius. Et quare? Quia virtus operis diuinitatem prodebat, quam vel in tanta hominum affluentia humanitas occultabat. Cæleſtem redolet virtutem ſubuenire miſeriæ: circumdari multis hominum turbis aliquando ſuffragari poterit vanitati: plauſu inaniter turgens ſuperbit vanus, qui depulſa calamitoſi miſeria non rutilat pius. Honeſtè ſuperbi, & vanitatem profuturã omnibus nutri: eſto miſeris ſolatium, calamitoſis auxiliũ, naufragis portus: hoc enim eſt veræ magnitudinis teſtimonium, & indubium cognationis cum cælicolis argumentum. Chriſtum Dominum imitare, qui ægræ fœminæ ſalutem reſtituit: *Vt eum proderet virtus operis, quem tunc humanitas occultabat.*

Cùm diſcipuli cum tempeſtate deprǽliarentur, 108.
Dominus ſuper tumentes maris ſpumas gradiẽs properat opem periclitantibus allaturus: tunc Petrus dubia ad ſpeciẽ fide exigit pro teſtimonio miraculum, & anhelat capere experimentũ: *Domine, ſi tu es, iube me ad te venire ſuper aquas.* Pro- Matth. 14. v. 28.
fectò fidem videtur incredulitas confundere, & verba verbis apertiſſimè refragari: *Domine ſi tu es:* Dominum vocat, & an ſit Dominus dubitat: magiſter pientiſſimus facultatem facit diſcipulo: nec enim ambiebat de ſingularitate gloriam; ſed augebat de cõmunicatione excellentiam: Petrus ſuper tumentia æquoris dorſa fertur non naufragus, ſed viator; aſt qui in naui procellæ agitabatur afflatu, acriori per vndas gradiens venti exagitatur impulſu. Humana fragilitas in profundum trahebat; ſed orationis clamor portum ipſo in naufragio parabat. *Cùm cœpiſſet mergi, clamauit dicens: Domine ſaluum me fac.* Inquiramus, cur modò non addat, *Si tu es ſaluum me fac,* cùm dixerit antea: *Si tu es iube me venire ad te ſuper aquas:* fortè meliùs agnouit Dominum de remedio, quàm de prodigio: gradi ſuper vndas erat naturæ legibus contraire, & poteſtatis pompam oſtendere; dexteram porrigere naufrago erat infudiſſe ſalutem, & depuliſſe calamitatem: ergo Dominum vocat manum porrigen-

rigentem, & addubitabat, an eſſet Dominus, per vndas intuitus ambulantem. Adde cum pediſequo per vndas Petro nauem inſcendiſſe, ventoſque fræna ſſe. Quid tunc? Qui ſuper vndas putauere phantaſma, iam agnoſcunt diuinitatem, & iterata concelebrant acclamatione virtutem: *Cùm aſcendiſſent in nauiculam, ceſſauit ventus; qui autem in nauicula erant, venerunt, & adorauerunt eum dicentes, verè filius Dei es.* Et cur dum vident Petro ſequente ſaluo liquore vndas premere, Deum non agnoſcunt, quem iam vento ceſſante Dei filium non abnuunt? Quia vento ceſſante nauigantium occurrebat calamitati, Petrum per vndas ſecum trahens oſtentabat magnitudinem, adeóque clarius magnitudinis diuinitatiſque teſtimonium eſt miſeris ſubuenire, quam pompaticè incedere, vt vti Deum non adorauerint Petrum per vndas trahentem; & coluerint ventos frænantem. *Nunc magis virtutem ſuam demonſtrat,* ſcribit Chryſoſtomus apud D.Thomam, *ſuper mare ambulando, & alij hoc idem facere iubendo, & periclitantem ſaluando: ideoque dicebant ei: Verè filius Dei es, quod ſupra non dixerant.* Vt paulatim ad virtutis ſuæ cognitionem nauigantes adducat, ſuper fragiles tumentis pelagi fluctus labitur; verùm nondum eius agnoſcunt virtutem: nouo iterum prodigio nititur cæcitatem depellere, & Petro concedit tumentis pelagi fluctus calcare, nec tamen agnoſcitur. Quid tunc? Manum porrigit periclitanti, & iam vti Dei Filius ab omnibus adoratur. Vt videris magnitudinem, virtutemque non tam agnoſci de comitantium pompa, quàm de leuata miſeria.

Chryſoſt.

§. XXVI.

Iuſti ita incerti ſunt, vt confidant: ita confidunt, vt ob ſecuritatem non torpeant.

109. GEmini ſcopuli vitandi ſunt virtutibus ſtudenti, improuida confidentia, & exanimis ignauia: qui dubietate nimis angitur, obſcurare confidentiam cenſetur: qui nimium fidit, deſidiam fouere probatur. Profectò mens dum iuſto plus trepidat, dum pauore quatitur, & ſiniſtris ſuſpicionibus adurgetur, deſpondet animum, & quod timebat ob culpam, aſciſcit ſibi diſcrimen ob diffidentiam. Iam qui nimium fidit, ſolet ſuſtinere naufragium, quia improuidus deſpexit periculum: ita ergo fiducia debet timore miſceri, ita incertitudo confidentia attemperari, vt nec ignauia timore torpeat, nec imprudentia nimis confidat. Vtrumque latus cingendum eſt: incertitudo debet virtutis fouere ſtudium, non infantilem nutrire metum: erecta fiducia non debet nutrire ignauiam; ſed prudenter cautam ingerere prouidentiam. *Ire*, aiebat Sextius, *quadrato agmine exercitum, vbi hoſtis ab omni parte ſuſpectus eſt, pugnæ paratum.* Adiicit Seneca epiſt. 59. *Idem ſapiens facere debet, omnes virtutes ſuas vndique expandat, vt vndecumque infeſti aliquid oritur, illic parata præſidia ſint, & ad nutum regentis ſine tumultu reſpondeant.* Inſurgit acris metus copioſis perpetratorum ſcelerum copiis armatus; quid tunc? Chriſtiana occurrat confidentia, & Chriſti Domini noſtri infiniti valoris meritis timoris adſultum depellat armata: adulteratur aliquando imprudenti ſpes ſocordiæ comes, & deſidiæ nutrix, dum putat indubiè ſe adepturum coronam, & deluſus fouet ignauiam, tunc commiſſa crimina debent in campum produci, vt inſeruiant gratiæ, quæ extiterunt pignora culpæ. Vtrumque adfectum mirè docuit Debora, dum ſedens ſub palma inſtruxit in hoſtem bella: *Sedebat ſub palma, quæ nomine illius vocabatur inter Rame & Bethel in monte Ephraim, &c. quæ miſit, & vocauit Barac filium Abinoen de Cedes Nephthali, dixitque ad eum: Præcepit tibi Dominus Deus Iſraël: Vade, & duc exercitum in montem Thabor.* Palma triumphalis arbor vti victrici præbebat vmbram; at dum victoria fidit, & bella prouidenter diſponit. O quàm laudabilis erat fiducia, quæ producebat in hoſtem arma: quàm honeſtus erat metus milites cogens, qui ſibi de diuino auxilio promittebat victoriam, & ad triumphum prænſabat palmam! Huc voco Gregorium Magnum libro nono in Iob capite decimo octauo: *Sciendum eſt quòd viri ſancti ita incerti ſunt, vt confidant, atque ita confidunt, vt tamen ex ſecuritate non torpeant:* quem torporem poſſet deuians gignere confidentia, reprimebat incertitudinis anxia anguſtia, & quem nimia poſſet timorem ingerere anguſtia, erecta exterminabat confidentia, quo iam veluti duabus alis libratus cælum petere poſſet animus, ſerpentis deludens aſtutias, & dæmonis fraudulentias.

Senec.

Gregor.

Sapiens Salomon vel deliciis ſuis militauit ſapientiæ: lectulum fabricat, quo placidiſſimum capiat ſomnum, & ſolicitum apponit cuſtodiæ exercitum: *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi.* Profectò Salomon deſipere tantiſper videtur, dum adurgente periculo ſomnum capit, aut dum florente ſecuritate copioſam militum manum inſtruit. Cur dormiat curis omnibus amandatis, qui in nocturnos timores arma vibrare debuiſſet inſomnis, aut cur diſponat arma periculo immunis? O ſapientiam imitandam! ſic fidit, vt obarmetur timore, ſic timet, vt quieſcat ſecuritate. Prudenter miſcuit anguſtiam & confidentiam, ne dum confidentia caret armis, aduerſariorum capiatur inſidiis, neue dum nimis timor exagitat, confidentiæ vires imminuat. *Lectulus ſanctorum*, ſcribit Ambroſius in collectis, *Chriſtus eſt, in quo vniuerſorum feſſa ſæcularibus præliis corda requieſcunt.* Addit: *Hunc lectulum ſexaginta potentes ambiunt ſtrictis armati enſibus, & eruditi præliaribus diſciplinis: qualis nimirum fuit Dauid rex & propheta, qui ducum omnium fortiſſimus confidenter canebat: Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Itaque & timor capit arma, & placidiſſimum ſomnum conciliat intrepida confidentia: laudibus extollendus eſt lectulus, in quo armis prouidenter munitur ſomnus, & confidit placidè metus. 110.

Cantic. 3. v.7.

Ambroſ.

Producamus in medium Iobum huius doctrinæ magiſtrum: *Verebar*, inquit, *omnia opera mea, ſciens quòd non parceres delinquenti.* Certè aut Iob dum ſtudioſè incumbit operibus, delinquit, aut fruſtra metuit: quid anteuertens 111.

Solem pro filiorum peccatis offerat holocauſta, ſi ipſis in holocauſtis timidus veretur delicta? Fruſtra ſanè ipſis deterretur auxiliis, aut fruſtra nititur placare peccatis: non ſurgat ſacrificia veritus, aut non vereatur ſacris altaribus oblaturus. O quàm prudens & lucem anteuertit, & timet! Feſtinat oblatis Domino ſacrificiis confidens, & ne virtutem irrepens corrumpat elatio, meruit, ſicque confidentia timore conditur, &
Gregor. fiducia timor attemperatur. Adeſt citatus Gregorius vbi ſuprà, cap. 17. *Quid ergo eſt quod mira opera faciens hæc ipſa etiam veretur pauens, cùm dicit: Verebar omnia opera mea, niſi quod in ſancti viri actibus, verbiſque colligimus, vt ſi placere Deo veraciter cupimus, poſtquam peruerſa ſubegimus, ipſa in nobis etiam benè geſta timeamus: duo quippe ſunt, quæ in bonis operibus neceſſe eſt vt ſtudiosè formidentur, deſidia videlicet & fraus.* Elatio propriæ dilectionis filia fraudulentam gignit confidentiam: pauidus timor parere ſolet ignauiam: ergo ſanctus vir & mira opera perficit, & perfecta timet, ne dum nimis fidit, delinquat, neue dum nimis timet, torpeſcat.

112. Theſi noſtræ robur addat ſtrenuus athleta: patriam repetebat Iacobus, cùm celebrem inire
Gen. 32. v. 24. luctam compulſus eſt: *Ecce vir luctabatur cum eo vſque mane:* vicit luctator egregius & in mo-
Oſee 12. v. 4. dum victi benedictionem expoſcit: *Inualuit ad Angelum,* inquit Oſeas, *& confortatus eſt, fleuit & rogauit eum* Hilar. 5. de Trinit. Iacobi etiã opera ſecum colluctari teſtatur: adeò namque vires exerit animoſus, vt ſe Angelum poſſe vincere credat honeſta audacia munitus: ſic luctam veretur, vt profundens lachrymas ad ſpeciem rogauerit ſuperatus: neſcias an exagitetur timore, an ſuperbiat animosè virtute: verbis il-
Hilar. lis: *Non dimittam te*, viribus audacter fidit, & victoriam arrogantia laudabili canit; at dum ſubnectit: *Niſi benedixeris mihi*, videtur ſe fateri victum, & contrarium triumphis ornatum. Accipe Hilarij verba: *Quid eſt iſtud quod imbecillum oras, quod ab infirmo expectas? Hunc, cuius benedictionem rogas, complexu tuo validior elidis: à geſtis corporis tui mentis tuæ opus diſſidet: aliud enim, quàm agis, ſentis.* Ingeniosè veréque dictum: agit namque vt validus, ſentit vt infirmus, ne ignauus timor refrænauerit vires, ad luctam tendit confidenter, ſperat laurum, nec futurum dubitat triumphum; at ne ipſa victoria pepererit arrogantiam fatetur lachrymis diffidentiam. Itaque victor contra elationem timorem aſciſcit, & ad egregiè pugnandum robur animoſiſſimus exerit: nec torpuit ad certamen deſes ignauia, nec adulterauit triumphum arrogans confidentia. Aliud, quàm agit, ſentit, quin quod ſentit, impediat agere, aut quod agit, vetet ſentire. De victoria certus eſt: *Non dimittam te*, ſed ipſa certitudine lachrymas effundit timidus, vt doceat ita iuſtos inter incertitudinem, & confidentiam verſari, vt incerti indubiè confidant, & fidentes nullatenus torpeant.

113. Sponſa reperta pace honeſtè iactabunda, &
Cant. 8. v. 10 gloriabunda dicebat: *Ego murus, & vbera mea ſicut turris, ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens.* Profectò ni pacem reperiſſet, prudenter erigeret turris munimenta, & in muris erigeret propugnacula; at caſſus videtur labor, & ſtultus profectò ſudor muros timoris indices, & periculi teſtes laboriosè erigere, ex quo pacem conſtat habere: ſi circumſonarent bella, ſi perſtreperent arma, ſi circumquaque vigerent pericula, prudenter murorum erigeret munimenta, & turrium curreret ad auxilia, at dum timorem erectione murorum prodit, & ſe inueniſſe pacem exertè dicit, aut innubilat prudentiam, aut prodit nobis fallaciam; imò docet cordatam iuſtorum fiduciam, & fidentem prouidentiam: ſibi gratulatur de pace; ſed turres erigit de timore: turrem conſtruit, ne ignaua deſidia torpeat: pacem reperit, ne ſuæ inuideat felicitati, dum ſuccumbit imprudenter timori. Innuit Rupertus ad hunc Rupert.
locum: *Propterea dixit: ego murus, & vbera mea ſicut turris; non autem hoc ex me; ſed ex gratia dilecti; propterea & iſtud ſubiunxi: Ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens, id eſt, ex quo per fidem accepi peccatorum remiſſionem: nam ex tunc propter ipſum, quod & credidi, pacem reperi, & reconciliata ſum Deo per mortem dilecti filij ſui.* Quaſi dicat Sponſa: dum variis, multiplicibuſque perpetratorum ſcelerum armis oppugnor & angor ad vnigeniti filij Dei merita recurrens inuenio pacem: nec enim maior eſt mea iniquitas, quam eius miſericordia, imò infinita adeò eſt eius miſericordia, vt mea delicta eius comparatione videantur exigua; at ne dum ſanguine ornata torpeo, & damnabili deſidia reſoluta confido, hoſtes irruant, & prædam agant, incumbo ſolicita muris ſubſtruendis, & timor ipſe prodeſt aduerſariorum inſultibus profligandis. Itaque aptè coniungitur pax & murus, vt murus periculi memoriam ingerat, & pax confidentiam alat.

Filij calamitate percitus, & alieno dolore 114.
vehementer perculſus ad Chriſtum pro ſalute inuolat pater, vtque miraculi gloria inter parentis fidem, & iubentis virtutem diuidatur, teſtatur Dominus omnia eſſe poſſibilia credenti, & de virtute Domini nullate-
nus dubitanti: *Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti.* Mat. 9. v. 22.
Conſilio Domini eruditus, & tormento filij incitatus in clamores, lachrymaſque effuſus fidem affert, & ſuam ſimul incredulitatem metuit: *Continuò exclamans pater pueri cum lachrymis aiebat: Credo, Domine, adiuua incredulitatem meam.* O quàm oculorum lux largiſſimo fletu confunditur, & quàm ratio doloris fluctibus pulſa agitatur! Quid credis? Abigendum, reſpondit, dæmonem, reſtituendum puerum ſaluti: *Credo, Domine:* ſi ergo iam tibi triumphum de confidentia promittis, cur lachrymis incredulitatem oſtendis. *Adiuua,* inquit, *incredulitatem meam.* Profectò fides incredulitatem abigit, aut incredulitas fidem confundit: cur ergo verba ſecum repugnantia prodis, dum fidere, & diffidere ſimul fateris? O quàm ad Dominum iam acceſſiſſe, & virtutibus conſtat propinquaſſe! Erecta quidẽ fiducia ſibi promittit victoriam: *Credo, Domine;* & tamen timorem aſciſcit, ne inciderit in ignauiam: credit, & plorat, vt ploratus depellat diſſidiam, & fides de-
pulerit diffidentiam. Adeſt Hieron. apud D. Th. Hieron.
Fides cum lachrymis optata vota capit: plorat, & ex ſe quidquid poteſt, affert, & erecta fide ſolùm Domini virtute cõfidit, vt timor, quem incredulitatẽ vocat, ſuffragetur fiduciæ, & erecta fiducia in dæmonem honeſtæ auxiliata ſit diffidentiæ:

fidit

Digitized by Google

ſidit Domino, diffidit ſibi, & vtrumque in hoſtem militat, triumphumque reportat. *Per hoc etiam monſtrat*, præmiſerat Hieronymus, *quòd credulitas noſtra infirma eſt, niſi innixa ſubſiſtat adiutorio ſubſidij Dei.* Ergo fiduciam cape laudabili timore armatam, nec timeas pugnam fiducia honeſta munitam.

---

§ XXVII.

Laudabilia ſæpè ſordeſcunt, ni congrua ſede potiantur.

115. Virtus innato ſibi ſplendore etiam inuidos allicit oculos, & in ſe conuertit vel æmulatorum aſpectus: quod rationi conſonum, rationi numquam eſſe potuit ingratum: compellit ad laudem, quidquid in ſe virtutis exprimit pulchritudinem; verùm etſi quod venuſtis moribus eſt concinnum, & laudandis meritis exornatum, meretur ſemper elogium. neſcio quid venuſtatis, dignitatiſque congruis ſibi mutuentur à locis: quidquid incongruis ſedibus collocatum, videtur ſordeſcere, etſi
Caſſiodor. aliàs propriis meritis conſtet radiare. Opportunè Caſſiodorus. 5. var. 22. vbi dignius eloquens, quàm in ciuitate proficiat litteratum, vt ibi declaret meritum, vbi nutriuit ingenium. *Aptum eſt omne bonum locis ſuis, & laudabilia quæque ſordeſcunt, niſi congrua ſede potiantur.* Oculus capiti inſertus innato lumine fulget, qui eodem lumine in pede collocatus ſorderet: accipiunt à ſedibus commendationem, & laudem plura, quæ minus aptis locis inſerta admirationem non parerent; imò nec laudem nutrirent. Altiſſima cedrus montis cacumina premens diſſitos etiam in ſe conuertit aſpectus, quæ profunda valle degens nec proximos incitaret obtutus. Hinc eſt quod ſacer textus lo-
Interlin. cum Deboræ tam accuratè nobis expreſſerit, quo eius elogium incrementarit. *Sedebat ſub palma; quæ nomine illius vocabatur inter Rame, & Bethel in monte Ephraim.* Iudex aptum ſibi delegit locum, ne humili ſede degens gloriam dignitatis minueret, quantumuis virtutibus præpolleret. *Sedebat ſub palma*, ſcribit Interlinearis, *quia iuſtus ſicut palma florebit.* Addit: *Inter Rame, quæ interpretatur excelſa.* Quæ palmæ ad inſtar florebat, congruum palmæ delegit locum, ne aliter obſcuraret iudicium.

116. In Pharaonem armatur Moyſes, & proiecta in terram virga conuertitur in ſerpentem ex-
Exod.7.v.10 preſſam Chriſti Domini imaginem: *Tulit Aaron virgam coram Pharaone, & ſeruis eius, quæ verſa eſt in colubrum.* Pharao non ſolùm non
Exod.5.v.2. agnoſcit potentiam; ſed affectat ignorantiam: *Quis eſt Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Iſraël? Neſcio Dominum, & Iſraël non*
Exod.14.v.25. *dimittam.* Verùm hic idem, qui Dominum ignorabat, nec ad adeò ingens prodigium obſtupeſcebat, cùm Dominus è columna illa nubis & ignis fulmina eiacularetur: *Fugiamus*, inquit, *Iſraelem; Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Iam ſeſe offert non modica difficultas: ſi Pharao Dominum ſub colubri ſpecie deſpexit, cur eumdem in nube agnoſcit? idem namque erat, qui laudabili adreptatione Magorum deuorauit figmenta, & Ægyptiaca voracibus flammis in nigros redegit cineres plauſtra: ergo alibi timetur, alibi non depretiatur. Magna profectò virtus totas ſubuertere; ſed maior magicos ſerpentes vorare: nubem namque fulmina parturire nubis virtutem non videbatur excellere; at virgam in ſerpentem verti, Magicoſque ſerpentes deglutire retro ſæculis inuiſum erat miraculum, & ſtupendū prodigium: Cur ergo potentiam fatetur in nube, qui deſpexerat in dracone? Sanè ipſa dubitatio eſt dubitationis ſolutio. Eadem virtus & in ſerpente viget, & in nube fulget; at ſerpens reptat tellure, cùm nubis igniſque columna regalis inſtar ſolij leuetur in aere. Ergo eadem virtus eleuata ſuſpicitur, & ad terram deuoluta ignoratur. *Nunc*, ſcribit Caietan.
Caietanus, *confitentur quod non magica arte; ſed ipſe Iehoua eſt qui pugnat pro Iſraëlitis contra Ægyptios, & ex hac confeſſione inſinuatur quod ex illa columna nubis, quæ erat in aere inter Iſraël, & Ægyptios, ſenſibilis actio emanabat contra Ægyptios perſequentes Iſraelem: alioqnin non dixiſſent: Fugiamus Iſraëlem: quia Iehoua pugnat pro eis contra nos.* Ni fulgeret in nube, quantumuis leges immutaret naturæ, quantumuis inuiſa miracula perpetraret ad confirmationem potentiæ, Ægyptij non ſolùm non ſuſpicerent plauſu; ſed aſpernarentur deſpectu; at excelſo loco micans, iam timetur Dominus, & iam valida eius inimicos deterret manus: tantum valent ad commendandas virtutes & eximias animi dotes congruæ, dignæque ſedes, tantùm nocent incongrua loca, & meritis aduerſantia. Repetat diſertus Caſſiodorus: *Aptum eſt omne bonum locis ſuis, & laudabilia quæque ſordeſcunt, niſi congrua ſede potiantur.*

Abrahamo tres apparent Angeli: eo nam- 117.
que nomine cùm Sodomam attingerent, vocati ſunt: *Venerunt duo Angeli Sodomam.* Sanè Geneſ. 19. v.1.
ex illis tribus venerunt duo; & tamen qui natura Angeli, apud Abrahamum vocantur viri: *Apparuit ei Dominus in conualle Mambre ſedenti in oſtio tabernaculi ſui in ipſo feruore diei: cùmque eleuaſſet oculos, apparuerunt ei tres viri ſtantes propè eum.* Gen.18.v.1.
Vides Angelos virorum nomine nuncupatos, tranſi modò ad Geneſ. 22. vbi Gen.22. v.10.
cùm deuotiſſimus Abrahamus plurimâ de filio paraſſet hoſtiam, & iam dexteram ferro armatam ſubleuaſſet, geminata voce comprimitur, & dignis præmiis, & elogiis allaudatur. *Ecce Angelus Domini de cælo clamauit.* Et cur vir non clamarit de cælo, aut cur Angelus non apparuerit conualle? Qui modò clamat, illic apparuiſſe compertum eſt: & qui ibi apparuit, vocem hic ingeminaſſe non dubium: ergo aut vbique Angeli nobilitetur elogiis, aut viri appelletur titulis. O expende, amabo te, quàm noſtra theſis ſit vera: idem qui clamat, apparet; & qui apparet, clamat; verùm dum apparet, eſt in conualis profundo: *Apparuit ei Dominus in conualle*; cùm vocem ingeminat, aut fulget in aere, aut aſpicitur in cælo: & quamuis eadem fuerit perſona; tamen pro locorum varietate eſt etiam variatum vocabulum, vt
agnoſcatur myſterium. Redeat iterum Caietanus: Caietan.
Angelus in ſpecie viſibili apparuit non in terra; ſed in aere. Similis vtrobique ſpecies in Angelo afficitur aſpectui; at dum eleuatus aere, quantumuis humanam gerat perſonam, vti Angelus Dei ſuſpicitur, & appellatur; in conualle verò, quamuis Angelicam ſortiatur natu-

ram, humanus creditur, & terreſtris appellatur: quaſi ab ipſis ſedibus promanauerit meritum, aut obſcuratum fuerit elogium. O quot meritis non conſpicui; imò vituli ad inſtar obbruteſcentes, vti quid diuinum ſuſpiciuntur, dum celſo throno eleuantur. *Hi ſunt*, aiebat populus, *dij tui Iſraël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Vel brutum dignitatis titulo inſipiens populus inſigniuit, dum ad faſtigium eleuatum conſpexit: & fortaſſis Deum depretiaret, ſi humili loco videret.

Exod. 32. v. 4.

118. Cùm Domini humilitatis formam præſcripturus ad Iordanis fluenta properaſſet, & à Baptiſta fluentis intingeretur, præmium tulit, cælorum videlicet plauſum: fulgurans Patris vox aere reſonans aquis intinctum puritatis fontem; & ſanctitatis normam oſtendit: Ecce vox de cælis dicens: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Nec ſolùm Paterna vox Filium prodidit; ſed Spiritus Sanctus etiam columbinum induens candorem, ac vertice inſidens declarauit: *Vidit Spiritum Dei deſcendentum ſicut columbam, & venientem ſuper ſe.* Vides geminam hìc Trinitatis perſonam aquis intincto teſtimonium tuliſſe: tranſi modò ad Thaboris verticem, vbi cùm Dominus coram electis diſcipulis mirum ſpectaculũ prodidiſſet, & Solares radios conſpicua luminis claritate longè ſuperaſſet, pater iterauit teſtimonium, & clariſſima voce delectum ſibi conteſtatus eſt filium: *Ecce vox de nube dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Hic columbæ ſpecies non videtur; ſed Patris ſolummodò teſtimonium auditur. Et profectò ſiquis humanis ſenſibus vtramque taxauerit, hìc aliquid defuiſſe, aut in Iordane ſuperfuiſſe cenſebit. Si ſatis eſt vox paterna, vt Chriſtus Dominus ab audientibus Patris vnigenitus & credatur, & adoretur, ad quid ille columbæ volatus, & ad Iordanem deſcenſus? Aut ſi neceſſarius fuit in Iordane ad diuinitatis teſtimonium deſcenſus, cur in monte liquidum etiam celer non diſſecuerit volatus? Facilis ſolutio: quia ſcilicet, quamuis Chriſtus vtrobique idem filius; non tamen idem vtroque tempore locus: Iordane namque apparebat humillimus, & ad Baptiſtæ pedes deuolutus, Thabore ad apicem eleuatus & Moyſis ſplendorem, & Eliæ flammam longiſſimè ſupergreſſus. Ergo licèt ſatis fuerit vtrobique aut Patris vox, aut columbæ inſeſſio: quia tamen homines merita ſæpè mentiuntur de ſede, opus fuit gemino teſtimonio, vt ad genua deuolutus haberetur à circumſpicientibus magnus: nec opus erat gemino teſtimonio, vt coruſcans apice haberetur ab omnibus filius. Et ob id in monte vox reſonat ſola, in Iordane voci adſtipulatur etiam columba: *Viſionis modus*, ſcribit Baſilius Seleucienſis orat. 43. *eſt notitia veſtra modus.* Addit poſt pauca. *Quærit modò locum nubibus coaquatum: erant illi quidem congruentes ſpectatores; oculi verò in ſpes ſuas expandebantur, & animus cum reuerentia viſionis deſiderium producebat.* Ecce reuerenter adſpicitur, dum Thaboris culmine eleuatur, & viſionis modus eſt etiam notitiæ modus, ne humanum ſolummodò credant, quem ſede humili deſpicabilem ad ſpeciem conſpiciunt, opus eſt vocis ſonitu, & columbino volatu; at facilè filium credunt, quem vertice elatum conſpiciunt.

Matth. 3. v. 17.

Matth. 17. v. 5.

Seleucienſ.

Expendebam aliquando diuerſiſſimo vſum Ioannem Euangeliſtam ſtylo, cùm in Apocalypſis 12. de eadem muliere ageret cælo micante, & deſerta loca petente: *Signum*, inquit, *magnum apparuit in cælo, mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim.* Hic, vt contingit ſæpè, ſerpentinam ſplendor excitauit inuidiam, & ad doloſam excitauit fallaciam; verùm prudentiſſima & cauta mulier ſolitudinem adit, quò facilius callidos ſerpentis eluderet actus, & acrius inuidos diſtorqueret affectus: *Et mulier*, inquit, *fugit in ſolitudinem.* Et cur modò celebri illo priuetur elogio, cur in ſolitudine ſolùm mulier, quæ modò deprædicabatur prodigium, & ſuſpiciebatur venerandum ſæculis ſignum: *Signum*, inquit, *magnum apparuit in cælo.* Locorum diuerſitas & ſtyli diuerſitatem edocuit. Mulier dum cælo micat, dum ſtellis fulgurantibus redimitur, dum Solaribus radiis exornatur, & prodigium ſæculis ſtupendum habetur; at ſi ipſa iam nec luce coruſca, nec cælo inſerta; ſed loco humillimo collocata, illo carebit elogio, & mulctabitur ad noſtram eruditionem honoris titulo: *In cælo*, exponit Anſelmus ad hunc locum: *quia res cæleſtis fuit, quæ apparuit. Mulier ecce ſignum.* Mulier eſt ſignum & miraculum, dum apparet cælo; at ſi externis nudata, iam non ſignum magnum; imò nec exiguum ſignum. Ergo Debora celſa habitet, dum ad inſtar palmæ floret: nam licèt interna effulgeat virtute; ab externis tamen rebus non modica fruetur laude. 119.

Apocal. 12. v. 1.

Anſelm.

§. XXVIII.

Non ſemel exigua recula magnam obſcurauit gloriam, & impediuit æternam.

CONtemnenda, aiebat Seneca epiſt. 115. *miramur, ſimillimi pueris, quibus omne ludicrum in pretio eſt: parentibus quippe, nec minus fratribus præferunt paruo ære empta monilia.* Pueri ſenſu & ratione carentes patri anteponunt res ludicras, & quo lucrentur leues calculos varietate pulchros, res maioris valoris tradunt, iucundéque commutatas amittunt: nec aliter nobis accidere intelligas: puerorum more exigua æſtimamus, & ob exigua magna ſæpè & glorioſa deperdimus. Iure Chriſtus Dominus cum diſcipulos ad mare Tiberiadis piſcantes inuenit, puerorum vocabulo interpellauit. *Pueri numquid pulmentarium habetis?* In piſcandis piſciculis occupari Chriſtum in littore ſtantem non adibant, & glorioſo carebant ſpectaculo, vt ſtuderent laborioſo, & exiguo lucro. O quàm ſe pueros teſtabantur, qui magnis præferebant ludicra, & pretioſis anteponebant exigua. *Ibi erat Petrus*, ſcribit Chryſologus ſerm. 78. *qui negauerat, Thomas qui dubitauerat, Ioannes qui fugerat; non ergo vt fortiſſimos milites; ſed pueros compellat.* Ecce puerorum ad inſtar gaudent puerilibus, qui gaudere debuiſſent cæleſtibus: negauit Petrus, Ioannes ſe ſubtraxit triumpho; & Petrus & Ioannes piſcationis ſtudio verſantur pelago: ad magna electi neſcimus nobiliter ſuperbire; ſed animos turpiter & abiectè deponere. Ecce Baracus à Deo 120.

Seneca.

Ioan. 21. v. 5.

Chryſ.

Digitized by Google

Deo deligitur ad decantandum ſæculis triumphum, & ad immortale trophæum: *Præcepit tibi Dominus Deus Iſraël*, aiebat Debora, *vade & duc exercitum, in montem Thabor, tolleſque tecum decem millia pugnatorum de filiis Nepthali, & de filiis Zabulon; ego autem adducam ad te in loco torrentis Ciſſon Siſaram Principem exercitus Iabin, & currus eius, atque omnem multitudinem, & tradam eos in manu tua.* Quid tot tantiſque promiſſis allectus, & inuitatus reſponderit: audi: Si venis mecum, vadam, ſi nolueris venire mecum, non *pergam*. Deboræ ſocietatem prætulit triumpho, & ne à conſortio eius diſcederet, victoria carere maluit; ſed iam dignam accepit ſententiam. *Ibo quidem tecum; ſed in hac vice victoria non reputabitur tibi.* Reputaretur illi celebratiſſimus, & decantatiſſimus thriumphus, ni illum deuenuſtaſſet affectus: vt ſecum haberet Deboram, victoriæ perdidit famam; illi præparabatur, & deſtinabatur triumphus; ſed triumpho illum imprudens priuauit affectus: prætulit lapillum auro, & rudi aſſimilatus eſt puero: *Homines*, ſcribit Arias Montanus hic, *qui ad virtutem, atque ad rem gerendam nati, comparatiue ſunt, illud in primis curent, ne quid molliter, effœminatè, atque ignauè, denique ne quid indecorè ab ipſis fiat, quod gerendarum rerum dignitatem, gloriamque imminuat.* Baracus dum Deboræ ſolatio tenuit priuari, victoris gloria conſtat carere. O quoties grandia innubilantur facinora ignauia, & eximia amittitur gloria, nec amittatur exigui momenti recula.

Montan.

121. Elias ille magnus propheta ad cælos rapiendus erat: hoc non latuit Eliſæum, qui laudabili pertinacia decreuit comitari magiſtrum: Elias monet tantiſper intermittat laborem, & præſtoletur ſub vmbra ſedens aduentum: *Dixit et Elias: Sede hic, quia Dominus miſit me vſque ad Iordanem* verùm Eliſæus noluit ſpiritus amiſiſſe incrementum ob breuiſſimæ quietis commodum; *Viuit Dominus, & viuit anima tua, quia non derelinquam te.* Si Eliſæus otio indulſiſſet, magiſtrum non videret ad æthera aſcendentem, nec ſpiritum in pallio audiuiſſet delegantem: tantus vatis profectus leui impediretur ignauia, & amitteretur inertia; verùm à Deo illuſtratus diſcipulus quietis renuntiauit commodo, ne ſpiritus multaretur cremento. Prestolari ſuadebat Elias; ſed vt doceret ſequentes rerum magnarum luctum exiguis ſæpè rebus impediri aut firmari, reſpuit Eliſæus otium, & exambiuit ſpiritum. *Elias*, ſcribit Abulenſis quæſt. 6. *volebat occultare receſſum ſuum ab Eliſæo.* Itaque ſi inſideret, occultaretur receſſus, etſi occultaretur receſſus, fortè non duplicaretur ſpiritus: viſui namque attributum eſt hanc ſortiti gratiam, aſſerente Elia: *Si videris me, quando tollar à te, erit tibi quod petiſti.* Profectò ſi Eliſæus labori parceret, ſpiritus augmento careret; at noluit prudentiſſimus eximia priuari gratia, vt nullius momenti ſectetur otia.

4 Reg 2. v.6

Abul.

122. Mirè decantandi ſæculis luctatoris prudentia eluxit, cùm luctæ labores intermittere tenuit: patriam repetebat, cùmque ad Iaboc vadum perueniſſet, & in traducendis omnibus, quæ ad ſe pertinebant, honeſtè quod diei ſupererat, collocaſſet, remanſit ſolus, & vt aſſoret, qui dum gregibus ditatus, dum familia plendibus paſſus non eſt aduerſarium iam omnibus denudatus, & ſolus cogitur pati ad ſpeciem inimicum: luctæ certaminique tempus decreto cæleſti præfixum eſt: *Ecce, inquit, vir luctabatur cum eo vſque mane.* Quaſi explicet textus ſtatutum fuiſſe luctæ vſque ad mane ſpatium: expendit namque fideliſſima trutina certantis vires, vt attemperet & luctę difficultatem: Itaque cùm iam definitum tempus auolaret, triumphuſque Iacob appeteret, luctator deuictus aurora illuceſcente inducias poſtulauit obnixè: *Dimitte me, iam enim aſcendit aurora.* Ipſa, quæ abſtinere à certamine ratione perſuadebat, ad certamen inuitabat. O quantæ ſugillaretur Iacobus imprudentiæ, ſi micante iam aurora, luctæ intermiſiſſet ſtudium! nam luctoſi etiam laboris amiſiſſet emolumentum: ſi aduerſario multo ante inducias efflagitanti Iacobus annueret, honeſtam ad ſpeciem haberet excuſationem, fors non accepiſſet altiſſimam plagam, & anxiam certaminis longo tempore vitaret anguſtiam; at ſtultiſſimum eſſet poſt vulnus, poſt anxios labores, poſt longum luctandi ſpatium, ne exiguo tempore laboraret, intermittere luctam & amiſiſſe de intermiſſione victoriam. Nouit hoc optime ſtrenuus athleta, & cùm rogaretur laxare lacertos, fortiùs ſtringens rogatorem aiebat: *Non dimittam te, niſi benedixeris mihi*: quaſi diceret: iam luctæ tempus ferè conſumptum eſt, iam arridet mihi victoria: quæ ergo eſſet modò à certamine abſtinere prudentia? Validiori modo amplexu te adſtringam, conaborque decertare ſtudioſius, vt glorioſè conſummauerim prælium, ac decantandum reportauerim triumphum. Ideò, ſcribit Angelicus Doctor ad hunc locum, *Deus fingebat ſe omnino receſſurum, vt inſtantia precum fortius retineretur, & quaſi violentaretur.* Quia multum temporis interuallum Iacobus collocarat egregiè, noluit ob tantillum tempus triumphum amittere ignauè: ſi vel per inſtans decertandi alacritas ad ignauiam vertiſſet, totam in certando peritiam, ac audaciam laudabilem adulteraſſet. Conſtitit triumphi gloria in exiguo ſpatio, nec aſſequeretur Iacobus elogium, ſi alacre decertandi intermiſiſſet ſtudium.

Geneſ 32. v.24.

D.Thom.

Deus precibus quaſi violentatur.

Saul ad regnum electus oram prophetici veſtimenti apprehendit, ac rupit: *Converſus eſt Samuel, vt abiret; ille autem apprehendit ſummitatem pallij eius, quæ & ſciſſa eſt. Samuel ſummitatem pallij habenti fore mulctandum regno prædicit: Scidit Dominus regnum Iſraël à te hodie.* Multa hic nobis panduntur arcana, luxere myſteria. Eo die, quo manum violenter miſit in Eccleſiaſtica bona, & regalia amiſit imperia: pallij Sacerdotalis ſummitas fuit dignitatis tinea: quia fuit & poteſtatis audacia. Ita; ſed rem theſi noſtræ aptemus. Stultus audiuit Saul, & merito: quia vt ſortiretur veſtimenti laciniam, amplam amiſit coronam, quæ dextera miſſa eſt in pallium, amiſit & ſceptrum: *Sciſſa eſt*, ſcribit Lyra, *in ſignum ſciſſionis regni à Saule.* Itaque recula illa manu retenta ſatis fuit ad priuandum regem corona: ni miſiſſet manum, poſſediſſet forſitan regnum; at dum & Sacerdotis ornamentum ſibi conatur adiungere, vtrumque ſacerdotale ſcilicet, & regium conſtat deperdere: throno ſtabiliretur, ni ambitioſè inhiaſſet oribus, & ſacerdotalibus ornaſſet dexteram veſtibus. Parum erat, quod 123.

1.Reg.15. v.27.

Lyra.

Digitized by Google

magna impediuit, & magnis regem priuauit.

124. Phariſæus Chriſto Domino opiparum conuiuium offert, admiſit Dominus non vt conſuleret ventri; ſed vt tumentis mederetur infirmitati: differta erat menſa annoſis vinis, ſaporatis ac pretioſiſſimis ferculis; verùm conuiuij gloriam leuis obſcurauit incuria, & damnanda negligentia: *Intraui*, exprobrat Chriſtus, *domum tuam; aquam pedibus meis non dediſti.* Luc 7.v.44. Quàm imprudenter Phariſæus conuiuium implere omiſit, dum abluendis pedibus aquam non obtulit: dum facile intermittit obſequium, conuiuij alias ſplendidiſſimi denigrauit ſtudium: magnis, multiſque expenſis exquiſitas quæſierat dapes, mirè ornauerat menſam, conuiuantium vocauerat turbam, & tot pietatis labores lauacrum infamauit oblitus, & conſummare ſibi conuiuij gloriam ſpreuit ignauus. Ambroſ. *Quaſi dicat*, ſcribit Ambroſius apud D. Thomam, *facilis eſt vſus aquarum, non eſt facilis lachrymarum effuſio, in promptis non es vſus*: promptiſſimum erat aquas lauandis pedibus miniſtrare, non adeò facilè dapes exquiſitas acquirere: ergo de exiguis arguitur, & magnus conuiuij labor ſugillatur. Itaque ſi aquam, vnguentum, & oſculum miniſtraſſet, obſequium religioſiſſimum impleuiſſet; at dum minus attentus ſpernit exigua, non potuit perfeciſſe glorioſa. Ergo Baracus dum tenuit ad exiguum tempus priuari Debora, & triumphorum priuatur gloria.

§. XXIX.

Omni ſe muniat ſtudioſè cautela, qui contra vitium inſtruit certamina.

125. RES plena periculis vitium eſt, grauiſſimam minitatur ruinam, & aſpectu faſcinat roboris Herculei valentiam: nulla ſolertia probatur nimia, ſi cum vitio quis deſcendit in arenam depræliaturus: manus cum occaſionibus conſerit, & ne inficiatur contagio, opus eſt ſolertiſſimo ſtudio. Obfirmandus eſt animus, & omni diligentia muniendus, vt quis poſſit vitium aggredi, nec feriri. *Nemo miles*, aiebat Tertullian. Tertullianus ad martyras cap. 3. *ad bellum cum delicijs venit, nec de cubiculo ad aciem procedit; ſed de papilionibus expeditis, & ſubſtrictis, vbi omnis duritia, & imbonitas, & inſuauitas conſtitit.* Prudentes milites ſe ipſos durant, & aduerſus vitiorum irruptiones obarmant: *Etiam in pace*, addit Tertullianus, *labore & incommodis bellum pati iam ediſcunt, in armis deambulando, campum decurrendo, foſſam moliendo, teſtudinem denſitando.* Præludunt in pace, ſeque foſſa muniunt, arma tractant, ne ſi imparati, aduerſam ſubeant fortunam, cum ardentiùs ſuſpirabant victoriam. Imparatum hoſti ſe obiicere, non eſt fortitudinis ardor; ſed dementiæ furor: prudens non deponit animum; ſed decens cautelæ ſolicitat ſemper auxilium. Plures dum incautè ſe obiecerunt periculis, acceptis perierunt plagis. Ecce Baracum iubet Deus inſurgere in Siſaram non ſine ſponſione victoriæ: Duc exercitum in montem Thabor, tolleſque tecum decem millia pugnatorum de filiis Nephtali, & de filiis Zabulon; ego autem adducam ad te in loco torrentis Ciſſon Siſaram Principem exercitus Iabin, & currus eius. Quærunt Patres, cur iuſſerit in Thaborem montem exercitum duci, dum Baraco præcipit prælium in Siſaram adoriri. Difficultatem hanc tetigit Abulenſis quæſt. 9. *Quæret aliquis, quare Deus miſit Barac, quod duceret exercitum in* Abulenſ. *montem Thabor.* Dubio ex aliquorum ſententia reſpondet: *Reſpondebit aliquis, quod hoc factum fuit ex prudentia bellica, ſcilicet vt Barac haberet locum tutiorem ad pugnandum; mons autem Thabor erat altiſſimus.* Profectò non miraret hunc præ alio locum bellica delectum prudentia, ni cæleſti auxilio reportanda foret victoria. Verùm ſi ingentium lapidum ictibus, ſi horriſonis ſæuæ tempeſtatis fragoribus erat Siſara diſſipandus, quid præ alio editiſſimus Thaboris prodeſſet ſitus? Imo ipſa cautela auxilij cæleſtis videbatur iniuria: cur ergo Deus egregij ducis obſcurat fiduciam, dum Thaboris iubet expetiiſſe tutelam? Imò vt mores inſtruat, etiam cùm promittit trophæum, montis præcipit eligere ſitum: falcati namque currus nequeunt per rupes excurrere, nec verticem montium inſcendere, è contra qui verticem montis habitant, in falcatis vectos curribus contorquere poſſunt iacula, & præpilata iacere tela. Ergo ne temeritatis Baracus ſubiiciat notam, omni ſtudio, montis præſidio tegitur, & intrepidè contra Siſaram depræliatur: à Domino ſperabat victoriam; ſed prudens nullam non quæſiuit ſalutis tutelam: montem inſcendit, quo ab hoſtilibus armis degat ſecurior, & hoſtes vulneret animoſior: dum cautior ſagaciorque fugit periculum, eſt glorioſum conſecutus trophæum. Ergo in Iabinum vitij emblema pugnare iuſſus, Thaboris munimenta requirit cautus. Prudentiam bellicam commendauit Baracus de victoria à Domino certus, dum tutiora quæſiuit, & hoſti inacceſſa conſcendit. O quot dum ſalutis animarum agunt imprudenter cauſam, miſeram ſunt perpeſſi ruinam, quia ſolicitam ſpreuerunt cautelam! Egregium eſt culpas hominum impugnare; ſed opus verticem altiſſimum orationis inſcendere, 1.Cor 9. corpuſque ieiuniis flagriſque affligere iuxta v.27. Apoſtoli exemplum: *Caſtigo corpus meum, ne cùm aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.*

Dominus de aquila cum Iobo differens ſic 126.
aiebat: *Numquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum ſuum? In petris manet, & in præruptis ſilicibus commoratur, at-* Iob.39.v 27 *que inacceſſis rupibus: inde contemplatur eſcam, & de longe oculi eius proſpiciunt.* Quaſi dicat: Aquila meum ad præceptum eleuatur, in arduis ponit nidum ſuum, vt inde contempletur ſerpentem, cuius ſanguine filios alat, pulloſque innutriat: *Munimenta ſaxorum ſublimitas noſtra eſt*, ſcribit Gregorius lib. 31. moral. cap. 20. Gregor. *cum fortium Patrum præcepta, & exempla reſpicimus, atque ab infima cogitatione ſeparamur. Munimenta ſaxorum ſublimitas noſtra eſt, cum mente choris, caſtriſque cæleſtibus iungimur & inſidiantes malignos ſpiritus ſtantes in arce cordis quaſi ſubter poſitos expugnamus.* Aquila Dominicum præceptum reuerita adoritur contra peſtiferum anguem pugnam; ſed confugit ad abruptiſſimam petram; non de ignauiæ imbellis conſilio; ſed de prudentiſſimæ fortitudinis horta

Digitized by Google

hortamento, nidum collocat in arduis, quo ſerpens nequit ad oua perdenda repere, & inde contemplatur fœdas ſpiras terra trahentem, quò exacutis poſſit roſtro & vnguibus dilaniare. Diſtat in arduis collocata à periculo; ſed non priuatur trophæo. Hoc ergo Euangelicæ aquilæ exemplum debent imitari quicumque cupiunt lauris immortalibus redimiri. Quòd aquila nidum conſtruit in arduis, non eſt ignaua timiditas; ſed dilaudanda ſagacitas.

117. Dauid Pſalmo 34. ſupplex precatur Deum, vt arma aduerſus malignantes capiat, & in ſcele-
Pſal. 34. v. 2. ſtos irruat: *Apprehende arma & ſcutum, & exurge in adiutorium mihi, effunde frameam, & conclude aduerſus eos, qui perſequuntur me.* O quàm animo apparuit turbatus, dum inimicos expauet timidus! prudenter nititur diuinas ſibi conciliare ſuppetias, & acutiſſimas in hoſtes effundi frameas; verùm diuinæ fortitudini notam inurit, dum ſcuto obarmari monet: ſcutum namque ad ictus aduerſariorum repellendos deſeruit: & qui aduerſarij Deum poſſunt percutere, aut non fruſtranda iacula contorquere? Inuulnerabilis eſt diuina valentia, & extra periculum cæleſtis natura: ergo exoret prudenti ira in hoſtes veritatis irruere, non ſcuti munitionibus obarmari. Profectò Deus munimine, ſcutiue tutela non eget; verùm vt milites ſuos erudiat factis, & ad bellum inſtruat exemplis, apprehendit ad cautelam ſcutum, cùm in aduerſarios euibrat telum.
Hieron. *In armis*, exponit Hieronymus hic, *cæleſtia adiutoria, in ſcuto diuinam protectionem deſignat.*
Incognit. Conſonat Incognitus: *Hic conſequenter poſtulat, vt in adiutorium ſuum ſe Deus armet vt miles.* Vti miles aggeribus, vallis, ac foſſis ſe munit, vt iacula in aduerſarios contorquens illos poſſit euertere, ac imminens periculum poſſit vitare, ita Deus ſcutum apprehendit, & telum iacit. Quod ſi ipſa ſecuritas, dum in aduerſarios mouet arma, hac præmunire ſe ad noſtram eruditionem non dedignatur cautela, qualis illorum erit temeritas, qui natura fragiles, qui praua conſuetudine infirmi non refugiunt bellum adoriri obliti prorſus armis defenſiuis ſe tegere. O quot miſeris ſuis ſtragibus erudierunt ſequentes, dum deſpexere pericula imprudentiſſima confidentia: *Cum pugnæ meminerit,*
Euthym. ſcribit Euthymius, *conſequenter etiam armorum genera appoſuit, non quod eis vtatur Deus; ſed humano locutus eſt more: terribili enim hac armorum commemoratione prauos ac ſceleſtos omnes perterrefacit.* Territi aduerſarij fugiunt, non ſolùm ob telum; ſed ob ſcutum: quia dum non poſſunt referire, agnoſcunt & ſe non poſſe non cadere.

118. Iſaias normam prædicatoribus, & anima-
Iſai. 33. v. 15. rum miniſtris præſcribens ſic aiebat: *Qui ambulat in iuſtitiis, & loquitur veritatem, qui proiicit auaritiam ex calumnia, & excutit manus ſuas ab omni munere, qui obturat aures ſuas, ne audiat ſanguinem, & claudit oculos ſuos, ne videat malum, iſte in excelſis habitabit, munimenta ſaxorum ſublimitas eius.* Profectò neceſſaria non videtur in præruptis rupibus habitatio oculos à vanitate auertenti, & ne vel otioſo verbo vulnerentur, aures obturanti. Ad hæc ſi loquitur veritatem, ſi cæleſti alios ſatagit erudire doctrina, quomodo longa adeò diſtabit abſentia? *Qui loquitur*, inquit, *veritatem, iſte in excelſis habitabit; munimenta ſaxorum ſublimitas eius*; Imò commorabitur inter populos, mediis deget in ciuitatibus, vt prædicationis clamore homines queat ad veritatem adducere, & caliginoſas culparum tenebras clara doctrinæ luce repellere. Certè ni prædicandæ veritatis illi munus iniunctum, remotum poterat habitare deſertum; at dum huic muneri vacare iubetur, inter præruptas montium latebras habitare non ſinitur. Et cur Euangelicus propheta minus aptè receſſum prædicationi coniungit? Imò aptiſſimè, & ſapientiſſimè. Qui loquitur veritatem, prædicationis armis conſurgit in vitia: huic ergo opus eſt ſagaci adeò ſe præmunire cautela, vt inter peccatores verſetur honeſtè exoculatus, & ſurdus: *Obturat aures ſuas, ne audiat ſanguinem, & claudit oculos ſuos, ne videat malum.* Et quaſi nec adeò ſolicita ſenſuum cautela fuerit ſatis, muniri præruptis petris monetur, & receſſus habitare præcipitur: *Iſte in excelſis habitabit, munimenta ſaxorum ſublimitas eius.* Quaſi dicat: Neceſſum eſt excelſa habitet, & ſaxorum munimenta ſibi ſolicitet, qui extirpandis, eruendiſque vitiis deſudat, & proximorum ſaluti conſulere anhelat: *Qui loquitur veritatem*, ſcribit
Lyra, *quantum ad ſanitatem, doctrinæ.* Huc Lyra.
voco Caſſiodorum 3. var. 49. *Quid eſt gra-* Caſſiodor.
tius, quam humanis rebus cautelam ſemper adhibere, quæ aut ſit neceſſaria, aut non grauat eſſe ſuperfluam. Addit poſt aliqua de caſtello in Veruca conſtructo: *Agger ſub pugna, obſeſſio ſecura, vbi nec aduerſarius quidquam præſumat, nec incluſus aliquid expaueſcat.* Itaque hæc cautela adhibenda eſt, quæ ſit habitanti ſecura obſeſſio, & ex qua hoſtes terribilis labefactare poſſit irruptio. Qui alios veritatem geſtit docere; oculos, & aures debet prorſus vanitati obturare, & ad hæc ſublimia ſaxorum petere munimenta, ne incauta poſſit ſuſtinere pericula. Ergo Baracus Thaborem inſcendit cum Siſara pugnaturus, vt mens ſecuram præbeat tutelam, & ardor bellicus decantandam adipiſcatur ſemper victoriam.

§. XXX.

Qui à Deo eligitur, propriam ſpernit gloriam, vt à ſuis depulerit maculam.

PLeniſſimum gaudium conſtat eſſe cuncto- 129.
rum cognoſcere cæleſti nutu approbari dominantis exordium: nam tunc qui auditur ad dignitatis culmina peruenire, creditur & vniuerſos protegere: menſura lætitiæ de magnitudine nuntij venit, & certa animi denuntiatur alacritas, quia cum à Deo electo indubia aduentat etiam felicitas: quem protulit commota ſeditio, quem Martia bella pepererunt, non ſemel de ſubditorum incommodis ſplendere nituntur, & miſerorum lachrymis pompam ſuam irrigare probantur.
Qui propriis ſtudet commodis eligentis opi- Caſſiodor.
nionem infamat, & ſubditorum ſecuritatem *Qui ceteris*
perturbat. *Ad hanc menſuram*, aiebat Caſſio- *vtilior, & honoratior.*
dorus

Digitized by Google

dotus 6. var. 18. *cenſenda ſunt dignitates, vt tantò quis honorabilis habeatur, quantò ciuibus profuiſſe cognoſcitur.* Dignitatis gloria de commodis ſubditorum reſultat, & tacitis actionum præconiis, qui ſubiectis conſulit, electorem allaudat. Ecce Baracus à Deo eligitur, quo deuictis hoſtibus optima triumphorum gloria potiatur: *Præcepit tibi Dominus Deus Iſrael: Vade duc exercitum in montem Thabor, tolleſque tecum decem millia pugnatorum de filiis Nephthali, & de filiis Zabulon; ego autem adducam ad te in loco torrentis Ciſſon Siſaram Principem exercitus Iabin, & currus eius, & tradam eos in manu tua.* Non dubitat triumphis ſe coronandum, ſi ſolus ducat exercitum; & tamen Deboræ exambit conſortium: *Dixit ad eam Barac: ſi venis mecum, vadam; ſi nolueris venire mecum, non pergam.* Debora ire non renuit; ſed Baracum victoriæ gloria interdicendum denuntiat: *Ibo quidem tecum; ſed in hac vice victoria non reputabitur tibi.* Audiit Baracus, ſi Debora comitatus perrexerit, ſibi non adſcribendam victoriam; & tamen non retractat ſententiam. Profectò imprudentiæ ſugillandus videtur, qui ob leue ſolatium glorioſum adeò amiſerit triumphum. Eſto antequàm ſe priuandum audiuerit triumphi gloria, deſiderauerit vt caſtris adeſſet Debora; at prudentis erat retractare conſilium, & charum adeò reſpuiſſe conſortium; imò prudentis fuit, ſcribit Arias Montanus, à Deoque in ſalutem cunctorum electi proprium ſpernere plauſum, vt à ſubiectis depulerit detrimentum. Erat Debora mulier prophetis diuino ſpiritu afflata, quam omnes obſequenter audiebant, & expromptè obtemperabant. Ergo Baracus propriæ gloriæ diſpendio, ne milites tardius obtemperarent, aut eius dictis non crederent, ſecum voluit habere Deboram, quò omnem in ſubiectis culpæ vitauerit cauſam. Montan. Adeſt Arias Montanus: *Certiſſimum eſſe Dei ad ſe mandatum non dubitauit Barac, quod videlicet non ſua; ſed virtute diuina rem conficiendam promittebatur; verumtamen eos, quos inducere iubebatur, non facilè credituros, officiumque facturos veritus eſt: vtpote varij ingenij vulgus, & ſeruili oppreſſione, atque labore fractos, & maximè hoſtium opinione conſternatos niſi præſentis Dei mandatum id eſſe doceri contingeret.* Itaque Baracus non dubitauit, ſi exercitum duceret, ſe celebri potiturum victoria; at prudenter veritus eſt vulgus temerandum fore imprudenti diffidentia: vtque huic prouidenter occurreret damno, præſentis Deboræ milites armari deſiderauit conſilio: ſciebat namque vtpote ab omnibus veneratione ſuſpectam, ad firmandos animos plurimum valituram: *Hoc,* addit Arias Montanus, *commodiſſimè fieri poſſe exiſtimabat ipſius prophetidis præſentia, cuius iam cognita perſpectaque auctoritas ad perſuadendum populo plurimum valitura crederetur.* Itaque ſi Debora non pergat, temerabit populum diffidentia; Baracum verò illuſtrem reddet victoria: ſi perrexerit, Baracus carebit triumphorum gloria; at ſubiectos non obſcurabit imprudentiſſima diffidentia, vtque ſe à Deo actionibus probet electum, propriam generoſus ſpreuit gloriam, vt à ſuis auerteret prouidentiſſimus culpam. Ceſſit laudibus glorioſior, quia meliora elegit prudentior. Diſcant à Baraco, qui ſe à Domino electos teſtari deſiderant, non caducis ſtudere plauſibus; imò plauſus detrimento conſulere animarum profectibus. Et quidem vti erat contraria electio, ita & Siſaræ contraria fuit actio.

130 Iabini miniſter in campum ducit exercitum; verùm infeliciſſimus probauit euentus, quàm fideret vanis, & quàm gloriaretur caducis: ferè immenſam coegit militum manum; ſed nequibant humana iuuare conſilia, quem aſtra impugnabant cæleſtia: turbinibus impetitus Siſaræ exercitus fit hoſtium præda, qui iactabundus aduenerat de victoria. Quid tunc? Siſara aufugit, vtque ſibi conſuleret, confractum exercitum dereliquit: Iud.4. v.15. *Perterruit Dominus Siſaram, & omnes currus eius, vniuerſamque multitudinem in ore gladij, ad conſpectum Barac, in tantum, vt Siſara de curru deſiliens pedibus fugeret.* Infortunatus euentus cogebat ducem, vt vitæ etiam periculo confractos erigeret, timidos animaret, fugientes retineret; verùm ſe à Iabino, non à Domino oſtendit electum, cùm vniuerſali vtilitate poſtpoſita, duce indignam fuga quæſiuit ſalutem. Adeſt iterum Arias Montanus: Montan. *Muneris, officiique immemor, cum ſe Principem exercitus eſſe ſciret, ſibi vni tantum proſpiciendum duxit, nulla vel amittendi exercitus, vel proprij honoris atque decoris cogitatione cunctatus, quin ſalutem fuga quæreret.* Fors ſi ſibi adeò ſtudioſè non conſuluiſſet, confractas exercitus partes erigeret, & bellum exemplo, & adhortationibus inſtauraret; verùm ſibi vni attendit, ſuorum ſaluti minimè ſtuduit. Quàm miſera fuit gens, cui præerat Siſara, quandoquidem lætis in rebus premebatur ſuperbiente, & fortuna aduerſa deſerebatur metu indecoro aduolante. E contra Hebræorum populus à Deo electum Baracum ſortitus, & reſplenduit fortunatus, quandoquidem Princeps oblitus eſt propria commoda, ne ſuos macularint ſcelera.

131 Quærebat ſponſa anxio conatu dilectum, incidit in ciuitatis cuſtodes, incompto, imprudentique ad ſpeciem ſtylo ardeſcentem oſtentauit affectum: Inuenerunt me vigiles qui cuſtodiunt ciuitatem: Cant.3.v.3. *Num quem diligit anima mea vidiſtis? Paululum cùm pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea.* Rogat vigiles; at illi ſe produnt verè vigiles dum ſuum non detinent ad ſolatium; ſed velociter ipſos pertranſire, adquirentis admonet lucrum: *Paululum cùm pertranſiſſem, inueni.* A quibus admonita eſt pertranſire, vt feliciſſimum poſſet ſtudium lucrari? *Ab ipſis ſanè cuſtodibus,* ſcribit Bernardus ſerm.79. Bernard. *qui non quæſierunt quæ ſua erant; ſed quæ Ieſu Chriſti.* Certè ſi morarentur delicatam fœminam pulchritudine eximiam, corporis habitudine decoram, dotibuſque plurimis exornatam, non exiguum caperent oblectamentum aſpectum recreando, & ſermones varios miſcendo; at quærentis præferunt ſalutem, & ſuam poſtponunt caducam vtilitatem. *Oportebat quidem Sponſam tranſire per eos, per quos cognoſceret veritatem; ſed tamen & pertranſire: niſi enim pertranſiſſet & ipſos, non inueniſſet, quem quærebat.* Subiungit moraliſſimè Bernardus: *Atque hoc ipſum ſuaſum ab illis non ambigas: non enim prædicabant ſemetipſos; ſed Dominum ſuum Ieſum.* Agnoſcunt vigiles, ſi fœminam multiplici colloquio detineant, ſibi decens futurum oblectamentum; ſi tranſire adurgeant,

Digitized by Google

urgeant, citò inuenturam Sponſum; cumque
non quærerent, quæ ſua erant; ſed quæ Ieſu-
Chriſti, maluerunt proprij oblectamenti diſpen-
dio fauere honeſto quærentis lucro, quàm miſ-
ſis quærentis lucris propriis conſulere oblecta-
mentis. Certè qui audiendæ exomologeſi aſſi-
ſtunt, qui concionandi labores ſubeunt, dignos
ſe Dei miniſtros produnt, dum animas Sponſum
quærentes non detinent confabulationibus va-
nis; ſed cæleſtibus pertranſire adurgent conſiliis.

132. Profectò iure Sponſa tenerrimo affectu pro-
ditur ab Sponſo dilecta, dum alienæ ſalutis an-
Cantic.3.v.5 helo deſiderio inuenitur ſtudioſa: *Adiuro vos,
filiæ Ieruſalem*, aiebat Sponſus, *per capreas ceruoſ-
que camporum, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis
dilectam, donec ipſa velit*. Et cur modò glorioſo
adeò eam impertit elogio? Præmiſerat ipſa: *In-
ueni*, inquit, *quem diligit anima mea: tenui eum, nec
dimittam, donec introducam illum in domum ma-
tris meæ, & in cubiculum genitricis meæ*. Ecce
Sponſa Iacobi non imitatur exemplum: inuenit
etiam ille, & arctiſſimo amplexu ſtrinxit, pro in-
uentioniſque mercede benedictionem efflagita-
Geneſ.32. v.26. uit: *Non dimittam te, niſi benedixeris mihi*. Ergo
Sponſa ſimilem occaſionem nacta eodem di-
mittat inuentum præmio, & Iacobi aſſimiletur
ſtudio? Imò nobiliori Iacobi ſtudium ſuper-
greſſa complexu proditur: Iacob namque dum
benedicitur, bonis temporabilibus adaugetur:
Geneſ.27. v.28. *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ
abundantiam frumenti, & vini*. Ergo ſibi conſulit,
dū brachia myſterioſe laxauit; at Sponſa omnia
temporalia præteruolans ſpernit diuitiis auge-
ri, & matrem cupit emaculari. Certè dum Spon-
ſus in matris domū introducitur, abfuiſſe ab illa
domo culpa probatur: ergò videt Sonſa, ſe poſ-
ſe, ſi Iacobi ad inſtar dimittat, temporales augere
diuitias; ſi non dimittat, abſtergere matris cul-
pas, & prudentiſſima eligit depelli culpas, non
augere benedictione diuitias. *Et Sanctus Pa-
triarcha*, ſcribit vbi ſupra Bernadus: *Non te, in-
quit dimittam, niſi benedixeris mihi. Iſta non vult
eum dimittere, & fortè magis quàm patriarcha, id
non vult: quia nec pro benedictione quidem, ſiqui-
dem ille benedictione accepta dimiſit eum; iſta au-
Bernard. tem non ſic*. Addit Bernardus: *In domum matris
meæ introducam eum, inquit; in quam domum, niſi
de qua olim prænuntiarat Iudæis: Ecce relinquetur
vobis domus veſtra deſerta? Et nunc iſta pollice-
tur reducere illum, & domui matris ſuæ perditam
ſalutem reſtituere*. Oblita eſt temporalis com-
modi, ne ſynagoga maculis ſorderet dilecti. Er-
go hæc dilecta, & iure appellatur Sponſa. Recor-
dor Sanctiſſimi mei Parentis Ignatij, qui arden-
ti adeò diuinas impediendi offenſas deſiderio
æſtuabat, vt propriæ gloriæ non detrectaret ani-
moſè ſubire periculum. Supergreſſus eſt Iacobi
virtutem: ille namque benedictionis deſiderio
occupatus in alienam domum introducere eſt,
quem tenebat, oblitus; at Ignatius Sponſæ imi-
tatus affectus propriam bedictionem non ſpre-
uit; ſed honeſtè tranſiuit, & animarum lucra Ze-
lotypus anhelauit.

---

§. XXXI.

*Quæ diuini ardoris igne proferuntur mi-
cantia verba, citò auditorum inflam-
mant corda.*

IVre ab antiquis eloquentia miris elogiis eſt 133.
celebrata: quia audientium animos gratis
rationum vinculis ligat, & eloquij dulcedine
ſaporata delectat: vir eloquens verba aurea
profert, & dum aures iucundè ſibi deuincit in
contrarium euntes animos trahit: *Fama tem-
poruia*, aiebat Caſſiodorus 7. var.13. *de legi-* Caſſiod.
tima atque eloquenti iuſſione generatur: om- Omnia bona
nia ſi quidem bona cumulat lingua diſerta, & cumulat lin-
quod à nobis præcipitur, gratia dictantis ornatur. gua diſerta.
Incompta verba dum faſtidium auribus pa-
riunt, animos audientium offendunt, diſerta
lingua laudabili adulatione, titillationeque ho-
neſta demulcet aures, vt deuinciat ratione men-
tes; verùm ſatis non eſt florido eloquentiæ
ſtylo nitere, vt audientium poſſit corda Do-
ctor eloquens inflammare: ſi de pectoris flam-
ma, ſi de charitatis igni flammantia pro-
deunt eloquia, neſciunt non accendi corda
rigenti etiam gelu poſſeſſa. *Redde nunc Pli-
nium*, ait citatus Caſſiodorus, *& ſume Tra-
ianum: habes magna quæ dicas, & ſi tu ſi-
mili oratione reſpondeas*. Magna dicit, qui
magnis dictis non ſolùm reſplendet; ſed
etiam reſpondet. Glorioſa eſt ſcientia litte-
rarum, digniſſima laude eloquentia; ſed ſi
primum mores dicentis purgarit, quò viui-
dius in audientium cordibus flammas accen-
derit. Sine voce ſuadet virtus, raro ſine vir-
tute eloquentia. Ecce Debora Baracum mo-
net potentiſſimum contra aduerſarium inſur-
gere, & exiguo milite copioſis exercitibus au-
daciam arrogantiſſimam frangere: *Miſit & vo-
cauit Barac filium Abinoem de Cedes Neph-
thali: dixitque ad eum: Præcepit tibi Domi-
nus Deus Iſraël: Vade & duc exercitum in
monte Thabor; tolleſque tecum decem millia pu-
gnatorum*. Decem millibus ſtipatum ducem iu-
bet pugnare contra hoſtem innumeris fermè
turmis accinctum, & nongentis falcatis curri-
bus obarmatum: Nongentos, inquit, habebat
falcatos *currus*. Quid tunc? Baracus obtem-
perat, etſi ſecum pergat Debora, inſurgere
non recuſat: ſi venis mecum, *vadam*. Ci-
tò perſuaſus eſt, cùm tamen ingentes retrahe-
re potuerint difficultates. Et vnde tanta De-
boræ ſermonibus efficacia? Duplici profectò
ex capite: quia ſcilicet ſpiritu ornabatur pro-
phetico: *Erat*, inquit, *Debora prophetes*: &
quia quod monuit, perfecit: *Si venis mecum,
vadam*. Non potuit Baracus non obtemperare
iuſſis, quando Debora firmabat exemplis. Citò
perſuaſus eſt ſermonibus ſacro ſpiritu tinctis,
& ab inflammato charitate corde prolatis: *In-
ter domum Dei*, ſcribit Origenes apud Gloſſam, Origen.
*& excelſa dicitur habitare: non enim decet quæ ſu-
per terram ſunt quærere, ſed quæ in cælis, vbi Chri-
ſtus eſt in dextera Dei ſedens, illuc nos hortatur aſ-
cendere, illuc diſcipulos ſuos molitur mouere pro-
phetia*. Prophetes Dei ſpiritu plena, excelſaque
virtutum habitans Baracum Thaboris ardua

hortatur

hortatur inſcendere,mittitque ad prælium,quando ipſam iam victricem inter palmas teſtabatur habitaculum. O quanta erat energia fœmineis verbis Spiritu cæleſti ptolatis : non poterat à victrice monitus prælium recuſare Baracus: quia virtute monentis adurgebatur compulſus; citiſſimè perſuaſus patuit, quem monentis virtus accendit.

134. Iob.8.v.14. Baldad Suhites Iob 8. de hypocritis eruditis loquens ſic aiebat : *Sicut tela aranearum fiducia eius.* Profectò aranea fila per ordinem ducit, & artificioſa ſubtilitate componit : mirum eſt quàm ſubtiliter operetur, quamque tennuiſſimam telam ordiatur; verùm ni hilin hac tela vtilitatis, nihil virtutis. Quod ad mores Gregor. aptans Gregorius Magnus libro 7. moralium capite 16. ait plures aranearum inſtar ſubtilem, eloquentemque ſeriem verborum componere, & nihilominus non proficere; imò ſolùm artificio quærere laudes, non fouere in auditore virtutes. *Plerumque ſacra legis eruditione fulciuntur, doctrinæ verba proferunt, omne quod ſentiunt, teſtimoniis accingunt; nec tamen per hac vitam audientium; ſed proprios fauores quærunt, quia nec proferre alia nouerunt, niſi quæ auditorum corda ad rependendas laudes excitent; non autem ad lachrymas accendant.* Subnectit moraliſſimus Doctor: *Mens quippe concupiſcentus exterioribus occupata igne diuini amoris non calet : & idcirco ad ſupernum deſiderium inflammare auditores ſuos nequeunt verba, quæ frigido corde proferuntur.* Ignis generatur igne, non gelu : vnde ni contingat miraculum, corda Doctorum frigida nequeunt verba proferre flammantia : nec verba, quæ ſacro igne non reſplenduerint flammantia, accendere auditorum poterunt corda. Profectò vti aranearum tela, etiam dum ob ſubtilitatem habetur miranda, deſpicitur vti nullis vſibus commoda; ita aliquorum eloquentia eſt mirabilis artificio, ſubtilis ingenio; ſed omnino vacua fructu, & inani turgeſcens faſtu.

135. Quærebat Sponſa dilectum ſuum, cumque illi Ieruſalem fœminæ occurriſſent, illas Cantic.5. v.8. adiurat, vt ſi Sponſum inuenerint, quàm eius amore ardeat, denuntient : *Adiuro vos, filiæ Ieruſalem, ſi inueneritis dilectum meum, vt annuntietis ei, quia amore langueo.* Vrbanè monet, vt inquirant, vt exoptent, vt amplectantur, adeoque eius adhortatio tenebris impeditas, & fœminea mollitie retardatas accendit, vt per ardua etiam quærere non detrectarint; imò conſortium eius ambi- Cantic.4. v.3. uerint: *Quæremus eum tecum.* Et vnde tanta eius ſermonibus efficacia? Ipſa explicuit: Quia amore langueo : nec ipſa ſolùm; ſed & Sponſus etiam declarauit : *Sicut vitta coccinea,* aiebat, *labia tua, & eloquium tuum dulce.* Flammeſcebant verba de ſacris animi æſtibus, micabantque eloquentiæ dulcedine, & ardebant ſimul charitate. Ergo licèt tot obuiarent impedimenta, ad Sponſi inquiſitionem filias Ieroſolymitanas citiſſimè accendit : nec enim illarum corda remanere poterant frigida, dum ardentiſſima aures inflammabant Sponſæ verba : non poterant non ſuaderi quæ adeò dulciter ſe videbant inflammari. Ad- Gillebert. eſt Gillebertus ſermon 24. in Cant. *Ea labia ligant & rutilant, quæ de tali ventris fructu loquuntur : concepta in corde charitas quaſi ignis flammigerans colore coccineo labia inficit, per quæ erumpit.* Expende illud: *Ligant & rutilant.* Vagabantur filiæ Ieruſalem Sponſi prorſus ignaræ, & forſitan deliciarum ambitioſæ; at vbi Sponſa ardentibus eloquiis illas Sponſi docuit pulcritudinem, ſic ligauit, vt iam Sponſum cupiant inquirere, & quæſitas antea voluptates non detrectent repudiare : impediebat nox, vrgebat gelu, fœminea refragabatur fragilitas, voluptuoſa alliciebat illas commoditas; at ſic accenſæ Sponſæ verbis flammeſcunt, vt hoc vnum, Sponſum ſcilicet ſuſpirent anhelis votis, & quærant ardentiſſimis deſideriis.

136. Moliebatur Dauid conterere Philiſthæos vitiorum ænigmata, & criminum clara emblemata, conſultum oraculum iubet inire prælium, cùm in cacumine pyrorum audiuerit ſonum: *Cùm audieris ſonitum clamoris gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium:* 1. Reg.5. v.24. *quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam, vt percutiat caſtra Philiſthiim.* Rabanus hiſto- Rabanus. riam moribus adaptans ait pyros Græcè ſonare ignem, tuncque non poſſe clamorem validè inimicos non euertere, cùm inflammatus arſerit igne : ſatis non eſt ignis ſine clamore : vacuus eſt clamor ſine igne; at vbi clamor bellum infert hoſtibus, totus ignitus, & charitate inflammatus non poteſt carere effectu: quia exundare didicit fructu. Adeſt Rabanus apud Gloſſam : *Pyrus dicitur ex Græco πῦρ, quod eſt ignis; pyri ſancti, cacumen ſublimitas vitæ eorum, in qua flante ſpiritu Sancto intonuit prædicationis ſonitus.* Subnectit: *Dum hic ſonitus auditur, à noſtro Dauid Philiſthæi intelligibiles ſuperantur.* Non poſſunt non ſubiugari peccatores, dum prædicatoris verba eiaculantur ardentiſſimas faces: non prodeſt ſonitus, aut certè parum, niſi arſerit ſacra flamma, quæ emollire didicit duriſſima corda. Tunc verus Dauid, hoc eſt Chriſtus ditiſſimas,& copioſas manubias deuictis hoſtibus adipiſcitur, cum clamore prædicationis igne flammeſcente animus audientis pulſatur.

Diuus Paulus I. Corint.8. *Scientia*, inquit, 137. 1.Cor.8.v.1. *inflat, charitas verò ædificat.* Profectò ſapiens, quantumuis mira ſcientiarum eruditione perpolleat, inflatus aures poterit demulcere; verum rarò aut nunquam obtinebit veritati ſubiugare : buccinat, tumentia profert verba; ſed quæ citò diſparent, & in ipſis auribus euaneſcunt, quin corda valeant referire,aut habitaculum veritati præparare. Adeſt Gregorius ſu- Gregor. prà citatus : *Nec enim res, quæ in ſe ipſa non arſerit, aliud accendit : vnde fit plerumque, vt dicta & audientes non erudiant, & eoſdem ipſos, qui ea proferunt, elatos laudibus deteriores reddant : atteſtante enim Paulo, ſcientia inflat, charitas verò ædificat.* Itaque vti ſine artifice nulla poteſt per aërem ſubſtructio aſſurgere, nec incrementis nouis augeri, ita ſine charitate rarò aut nunquam audientis conſcientia erigitur; imò Doctor non ſemel vanitate inflatus peruertitur.

Cùm Moyſes cum Pharaonis Magis decertaret, ventum eſt vti ad ſtadium ad puluerem: 138. Moyſes ſciniphes eduxit aculeis acutiſſimis terebrantes, morſuſque inferentes : *Percuſſit* Exod.8.v.17. *puluerem*

pulverem terræ, & facti ſunt ſciniphes in hominib., &c. Malefici vaferrimis artibus, & factis ad ludibrium dolis eadem tentarunt; verùm educere ſciniphes aculeis obarmatos nullatenus potuerant: *Fecerunt ſimiliter malefici incantationibus ſuis, vt educerent ſciniphes, & non potuerunt*: Sciniphes educere non potuerunt, à Moyſe eductis ſimiles, aculeo ſcilicet inſtructos, & ſpiculo armatos.
Rupert. Ita Rupertus apud Lippoman. *An ſciniphes videri quoque potuerunt; ſed quia moleſtos aculeos nulli infixerunt, idcirco fallaciter feciſſe conuicti ſunt.* Itaque de Ruperti ſententia Moyſes & Magus ſciniphes procrearunt; eo tamen diſcrimine, vt Magorum ſciniphes per aëra ſolùm volitarent, nec ferirent; à Moyſe verò educti morderent, & volitarent, cuius rei cauſam ipſi prodiderunt Magi: *Digitus Dei eſt hic.*
Hieronym. Hieronymus apud Lippoman. tradit in digito Spiritum Sanctum denotari: *Manus & brachium Dei filius eſt, & digitus eius Spiritus Sanctus.* Ecce Moyſes, quem Sanctus Spiritus inſtruebat, eduxit ſciniphes peccatorem mordentes, & conſcientiam terebrantes; at Magus hac viuifica flamma carens ſciniphes etiam eduxit ſcientiæ artificio, & ſubtili ingenio; ſed qui per aëra volitantes oculos ſolùm modò paſcerent, ſalubri ſpiculo non ferirent: Scientia ſciphes produxit acutiſſimos, miraque ſubtilitate elaboratos: ſed qui nec morſum imprimerent, nec dolorem generarent; at Moyſes Dei Spiritu plenus ſalutarem inflixit plagam, & aculeo vrſit conſcientiam.

139. Hoc ipſum mirè adumbratum inuenio in Gedeonis triumpho: eius milites ardentes faces manibus geſtabant, & eodem tempore
Iudic.7.v.20 ſonoris buccinis perſtrepebant: *Tenuerunt ſiniſtris manibus lampades, & dextris ſonantes tubas, clamaueruntque.* Quid tunc? *Caſtra conturbata ſunt, & vociferantes, vlulanteſque fugerunt.* Non ſatis erat ardentes geſtare lampadas, non ſatis inflatas mugire tubas; at dum ardens flamma, & erudita reſonat lingua, non potuit inimicus ſubſiſtere, quia didicit Gedeonis miles triumphare. Audi
Gloſſa. Gloſſam: *Chriſto duce ad bellum procedunt, qui quod ore annuntiant, opere oſtendunt, qui fluenta doctrina ſpiritualiter hauriunt; nec tamen in prauis operibus carnaliter inflectunt.* Addit: *Et notandum quòd ſteterunt hoſtes ante lagenas, fugerunt ante lampades.* Perſtrepentibus tubis perſiſtebant inimici, dum non apparebat flamma; at vbi manus illuxit, & lingua intonuit, obtenta victoria eſt: erat namque lampas prædicationis energia, quæ dum flammiuomum reddebat buccinantem, compellebat ad fugam hoſtem, Ergo quiſquis perſuadere molitur, charitatis flammis armetur.

§. XXXII.

Felicitati ſuæ detraxit, quiſquis inuitantem occaſionem in tempus futurum miſit.

Occaſio alis volucribus depingebatur inſtructa: inuolat, & niſi attentiſſimo conatu apprehendatur, nobis imponit & illudit. 140
Amplectenda occaſio eſt, aiebat Tertullianus libro 1. ad vxorem capite 7. *fugit ac primum ſe oſtendit*: qui in poſterum ea frui miſit ignauus, iam dolere potuit deluſus. Quàm benè Seneca epiſt. 22. *Occaſionem obſerua properantem.* Et Symmachus libro 1. epiſt. 7. *Occaſionem accipere prudentis eſt.* O quot ſuæ inuiderunt felicitati, dum inuitanti non annuerunt occaſioni: citiſſimè labitur, nec ſi elabatur, tenetur. Benè Liuius ore Martij ducis lib. 25. monebat: *Si occaſionis momento, cuius prætervolat opportunitas, cunctatus paululum fueris, nequicquam mox amiſſam queraris.* Imprudenter queritur, qui alliciente occaſione non fruitur: cum tempore elabitur, & ad inſtar temporis non reducitur. Hinc Iaëlis decantatiſſimæ fœminæ emicuit prudentia, & ob prudentiam illuſtri eſt redimita victoria. Hiſtoriam repetamus. Baracus Dux Iſraëlitarum à Domino contra Siſaræ tyrannidem deligitur; & à Debora ex Dei nomine armatur: *Præcepit tibi Dominus Deus Iſraël: Vade & duc exercitum*, &c. ille tantiſper videtur extraxiſſe mandatum, & Deboræ ambiuit conſortium: *Si venis mecum, vadam; ſi nolueris venire mecum, non pergam.* Quid tunc Debora? *Ibo quidem tecum; ſed in hac vice victoria non reputabitur tibi: quia in manu mulieris tradetur Siſara.* Spiritu prophetico Iaëlis prædixit Debora triumphum: & quidem Iaël quæ non eſt Baracus adeptus telo, triumphum eſt potita clauo: *Poſuit ſupra tempus capitis eius clauum, percuſſumque malleo defixit in cerebrum.* Et cur Iaëli tanti triumphi reſeruata eſt gloria, & Baraco denegata? Facilis ſolutio: quia Baracus inuitantem occaſionem repulit, Iaël in futurum tempus prudentiſſima non remiſit. Vidit dormientem Siſaram, & quamuis expectare potuerit Baraci milites, quibus occidendum traderet, verita eſt, ne dum venturos præſtolatur, expergefactus Siſara omnium deſideria fruſtretur. Ergo roborauit brachium ſuum, & fœmineum deponens metum, virilem reſumpſit animum, dumque non ſpernit properantis occaſionis opportunitatem, decantando ſæculis gaudet triumpho, & pio virtutis hoſtem transfodit clauo. Adeſt Abulenſis quæſtione 21. *Quia timebat quòd fortè nullus veniret ita citò ad inquirendum ipſum, & ipſe expergefactus de ſomno fortè recedere inde vellet, & deluderetur intentio Iaël; ideò feſtinauit occidere eum per ſe ipſam.* Certè gloriæ occaſio pauidi metus alis ad eius inuolauit tentorium. Ergo feſtinauit arripere, ne ſi moras traxerit, eius fruſtraretur ſtudium. Ecce ergo cauſam, qua Baracus caruit triumphis, & reſplenduit mulier trophæis: quia ſcilicet ille moras traxit, iſta occaſionem arripuit. Si metus interpellaret

Tertull. Seneca. Symmach. Liuius. Abulenſ.

terpellaret ſomnum, & expergefactus Siſara fugeret, Iaël eximiam gloriam deperderet; at vti prudens clauo ſtabiliuit fortunam, dum nullam occaſioni texuit moram. O ſi nobis ipſis perſuaderemus, quàm interſit pœnitentiæ tempus, triumphandique de gehennalibus occaſionem non amittere! Profectò totis viribus conaremur firmare; at plures ſtulti, plures timidi, plures ignaui, dum in diem craſtinum ſalutis mittunt ſtudium, miſeri patiuntur naufragium.

141. Mulier profluuium ſanguinis patiebatur, nec tantum ſanguine ob infirmitatem marcebat exucca; ſed diuitiis ob procuratam medelam vacua: geminam patiebatur calamitatem, non opportunam ſcilicet infirmitatis medelam, & importunam labentis ſanguinis copiam; verùm Chriſtus Dominus obnixis multiſque precibus à Iairo inuitatus eius domum celer adiret, quò dexteræ attactu penè exanimem filiam ſaluti redderet, mulier opportuna beneficio turbam diſſecat, & fimbriam ſacræ veſtis contingere anhelat: (Marci 5. v. 27.) *Cum audiſſet de Ieſu, venit in turba retro, & tetigit veſtimentum eius.* Chryſologus ſolito acumine expendit ſermone 33. viante Domino fuiſſe ſalutem adeptam, nec diu de hoc remedio cogitaſſe; ſed properantem occaſionem rapuiſſe: (Chryſol.) *Amplius ferre & ſuſtinere dolor diuturnus & continuus non ſinebat, & deliberandi tempus Chriſti prætereuntis celeritas amputabat: econtrà nouerat quòd tacenti, quòd occultanti morbum ſuum ſanitas non daretur. Inter hæc bella cogitationum ſolam ſalutis viam mulier, curam vt furaretur, inuenit:* Vt fures ſtudioſè inſidiantur prætereuntibus, & rapere occaſionem feſtinant: quia, ſi deſides, cupito priuantur auro, & anxio defraudantur ſtudio, ita hæc pia mulier furis ad inſtar, tranſeuntem aggreditur, vt pio furto medelam ægritudini nanciſcatur. Certè ſi celeriter tranſeunte Domino cunctabunda hæſiſſet, & negligens deliberaſſet, ſalutis euolaſſet occaſio, & forſitan iterum non inueniret ſanandi opportunitatem, & laborioſum cogeretur ſuſtinere languorem: docuit hæc mulier religioſo furto occaſionem non prætermittendam; ſed omni ſtudio ac ſedulitate captandam. Tranſibat celeriter ſalus, quam niſi ſtudioſè raperet, forſitan nec plurimo labore inueniret; at dum prudens difficultates, & obſtacula vincit, immundum morbum depellit.

142. Saul exercitum aduerſus Philiſthæos in campum ducit: ex Philiſthæis optimos quoſque Iſraëlitarum ad certamen monſtrum plus ſuperbiæ tumore, quàm corporis magnitudine non ſine deſpectu prouocabat: Iſraëlitæ minis perculſi, & truci hominis vultu exanimati victoriam ante certamen concedebant: tunc Saul, vt eximiis præmiis animos adderet, & cum gigante ad certamen induceret, filiam promittit; verùm nec his præmiis incitabantur nimio timore perterriti, & terrore iam captiui. Quid tunc? Dauid qui caſu in caſtra venerat, certaminis prouocationem ad ſe rapit, & proſilire in arenam geſtit: (1. Reg. 17. v. 32.) *Ego ſeruus tuus vadam, & pugnabo aduerſus Philiſthæum.* Si Dauid in poſterum miſiſſet, triumpho & honore careret; at dum prudentiſſimus felicitatis occaſionem præterire paſſus non eſt, decantandis triumphis reſplenduit. Puer temporis non expectauit ſuffragium, ne expectando amitteret triumphum. (Tertull.) Huc voco quod aiebat Tertullianus libro de pœnit. capite quinto: *Rape occaſionem inopinatæ felicitatis.* Non opinabatur paſtor poſſe oues agendo regiæ ſe familiæ inſerere, & ad dignitatis culmen peruenire; verùm in Martialem campum deueniens vidit occaſionem inuitantem, & alacriter decertanti eximium præmium offerentem, & ne ſemper mapalibus degeret, reſumpſit animos, & pia audacia aggreſſus eſt inimicos. Forſitan ſi differret in ſequentem diem, gigas à prouocatione abſtineret, aut fratrum aliquis impediret, at dum non trahit moras, dum ſe pugnæ glorioſiſſimè exponit, dum cum ſuperbiſſimo hoſte confligit, thronum ſibi maturat, & felicitatem populo accelerat. O vtinam hac in re peruerſitatem imitaremur! nec per inſtans vnicum malignitas votorum ſuorum occaſionem differri ſuſtinet; imò maturare ſtudioſiſſimè geſtit.

Herodes exoſum ſibi habebat Baptiſtam: 143.
quia eius libidinem voce temperantiæ fulgore coruſcante frænabat, & ſine metu carpebat, Herodias licet acriori inflammata odio, & furens necis ardentiſſimo deſiderio: non audebat palam deſæuire; ſed virus cogebatur præcordiis tegere. Verùm cùm Herodes natalem diem conuiuio opiparo celebraſſet, puella maternos mores actionibus publicans coram conuiuis ſaltauit, adeò placuit omnibus non oris modeſtia; ſed impudenti ſaltandi audacia, vt Herodes ſaltationis lucar vel dimidium regni promiſerit iuramentoque ſanxerit: puella feſtina conſulit matrem, & illa illico perpetrari compulit necem. (Mat 6. v. 25.) *Cùm introiſſet ſtatim cum feſtinatione ad regem petiuit dicens: Volo vt protinus des mihi in diſco caput Ioannis Baptiſtæ.* Expende quanta auiditate negotium geſſerit. Ad promittentem regem ſtatim intrat, & gradum feſtinanter accelerat: *Statim cum feſtinatione.* Ad hæc regem vrget, ne promiſſum in ſequentem horam diſtulerit; ſed ſine mora adimpleuerit: *vt protinus des mihi in diſco.* Promiſit Herodes impiè: arripuit puella occaſionem celerrimè, ne ſi petitionis rumor diſſeminaretur in populo, armis Baptiſtam defenderent, regemque impedirent. Innolauit ſtatim, ne rex meliora ſapiens mutaret ſententiam, aut ab aliquo perſuaſus petentis condemnaret procaciam. Celerrimè omnia peracta ſunt: quia ſtuduit improbitas inuitante occaſione frui, nec ignaua permiſit labi. *Fortè intrauit,* ſcribit Beda apud D. Thomam, *vt occaſionem inueniret occidendi.* (Beda.) Annuit ibi Theophylactus. (Theophyl.) *Maligna mulier protinus ſibi caput Ioannis dari petiuit, id eſt ſtatim & in illa hora: timebat enim ne Herodes reſipiſceret.* Itaque peruerſa mulier occaſionem obſeruabat, & nec tantillum diſtulit implere iuramentum, ne de Regis reſipiſcentia deteſtandum fruſtraretur ſtudium. Quàm auidè, quàm attentè, quàm ſtudioſè, quam ſolicitè malignitas occaſionem rapere feſtinauit, cùm plures opportunum virtuti tempus ignauia terant, & vecordia amittant: natalitius dies

regis

Digitized by Google

regis erat ſponſionibus aptus. Ergo Herodes eo ſpopondit, ne cædis patrandæ opportunitas auolaret. Diſcat virtus ab improbitate, quandoquidem improbitas impia ſolicitudine virtutis ſtudioſos confundit. Iaël fœminarum gloria in ſequentem horam triumphare non diſtulit, & ideò glorioſis triumphis reſplenduit.

§. XXXIII.

Qui ad proximorum ſalutem à Domino deſtinatur, inter confinia vitiorum non læditur

144. Vitia non ſolùm nocent, dum præcordiis inſident; ſed etiam dum in confinio circumiacent: vt aër peſtilentia corruptus flatu nocet, & circumiacentes lædit, ita voluptatis illicia luxuriæ irritamenta, rixarum theatra animos inficiunt, aut ſaltem tangunt. *Sed cum vitia*, aiebat Seneca de tranquillit. capite 7. *& in proximum quemque tranſiliunt, & contactu nocent. Itaque vt in peſtilentia, cauendum eſt, ne corruptis iam corporibus, & morbo flagrantibus aſſideamus: quia pericula trahemus, afflatuque ipſo laborabimus.* Sanè ægritudinis exordium eſt ægris appropinquare, & ſe laborantibus immiſcere. O quot dum plus æquo ſibi fidunt, pericula incauti trahunt! Inſpicere debemus nos metipſos, & quæ aggredimur negotia, deinde quorum cauſa, aut cum quibus agendum eſt. Ante omnia fideli conſiderationis trutina neceſſum eſt, vt ſe quiſque æſtimet: quia ferè ſemper plus quam poſſumus, nobis ipſis poſſe mentimur. Alius ſalutis fiducia prolabitur, alius patrimonio ſuo plus imperauit, quàm poterat ferre, & opus fuit indecoram notam ſubire: laborioſum alius opus corpori impoſuit infirmo, cùm opus eſſet ad officium robuſto. Quidam non habent iram in poteſtate; ſed ad aſpera quæque verba inſana indignatione effereſcunt: his omnibus vtilius eſt a periculis diſtare, & omnes fibras occaſionis præcidere. Verùm neſcio quo cæleſti priuilegio, qui ad proximorum delegantur ſalutem inter vitiorum confinia florent illæſi, & innocentiam excolunt incorrupti, vtque medici antidoto muniti peſtes tractant, quin ſalutis detrimentum aliquod ſubeant, ita animorum medici inter ipſa ſcelera verſantur vti inter Angelos poſſent, & omnem læſionis noxam excuſant. Ecce Barac Thaboris montem iubetur conſcendere; cùm tamen Thabor in Aroſeth confiniis aſſurgeret & ſtaret: *Duc exercitum in montem Thabor:* iam Thabor Aroſeth proximum fuiſſe tradit Abulenſis q.9. *Voluit Deus quòd Barac iret ad locum propinquum Aroſeth gentium, & iſte erat mons Thabor: ideò iuſſit quòd iret ad montem Thabor.* Itaque locum delegit pugnæ Aroſeth proximum: aliter namque Siſara pigritaret, nec ad conferendas manus veniret. Ita Abulenſis: *Si locus, in quo eſſet Barac cum exercitu, eſſet procul ab Aroſeth, vbi habitabat Siſara: fortè pigritaret illuc ire, vel iret ſerò.* Itaque opus erat ad Siſaram expugnandum in eius confiniis exercitum comparare, quod videbatur Baraco periculum non exiguum adducere. Quòd ſi quæras, cur tam proximus vitiis nec timuerit, nec maculam contraxerit: imò celebrem reportarit victoriam: reſpondebit textus fuiſſe ad hoc à Domino delegatum, & ſpecialiter miſſum: *Præcepit tibi Dominus Deus Iſrael: vade.* Qui à Domino mittitur, ipſe præcepto vti antidoto contra peſtilentes vitiorum morbos armatur: ſerpunt vitia, tactuque nocent: verùm qui à Domino ad illorum medelam mittuntur, peſtilenti non laborant morbo, quantumuis in vitiorum degant confinio.

Seneca. Periculum ſibi ſolicitat, qui peſtiferis moribus ardentibus proximat.

Abulenſ.

145. Cant.4. v.8. Sponſus Sponſam alloqués inuitat, vt prorumpat in publicum: *Veni de Libano Sponſa mea, veni de Libano, veni coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorū.* Profectò non videtur Sponſam adamaſſe; imò nec ſuo honori Sponſus conſuluiſſe: proponit coronā; ſed citat ad pugnam; & quomodò delicata Sponſa cum pardis & leonibus agens florebit illæſa, & ad palmam perueniet nullatenus lacerata: Certè videatur cui Sponſus mortem Sponſæ conciſcere, dum de leonum ac pardorum cubilibus adhortatur coronam deſiderare. Ita ſanè eſſet, ni ab Sponſo iuſſa: & cum leonibus, pardiſque agere ad palmam admonita: Sponſa vti delicatiſſima virgo viribus imbecillis, ingenita teneritudine debilis, cui potiùs conuenit ad leonis vocabulum trepidare, quam triumphum de victis pardis ambire; verùm vt noueris quantam ſecuritatem afferat à Deo mitti, & ad magna opera delegari, vel delicatiſſima fœmina inter ferocientes pardos, & deſæuientes leones degens non ſolùm fruſtratur pericula; ſed glorioſa adipiſcetur trophæa: non eſt ingreſſa leonum cubicula ſpontanea temeritate; ſed coacta cæleſti iuſſione: *Veni:* nec ſolùm ſemel inuitatur; ſed adurgetur: vt ergo noueris ingentiſſima etiam pericula teneritudinem innoxiè eludere, dum conſtat inter pericula de Domini obedientia verſari: pardi truculentiſſimi, & flammiuomi leones pedibus virginis ſubiiciuntur ad palmam: quia illa, vt cum illis ageret, exprompta adimpleuerat obedientiam. Adeſt Ambroſius ad hunc locum. *Tranſibis in ſæculum creatura, pertranſibis ad Chriſtum triumphatura de ſæculo. Audiſti quia te à leonum, & pardorum, id eſt, à ſpiritualium nequitiarum incurſionibus ſeparabit. Audiſti quia placet ei tuarum pulchritudo virtutum.* In ipſo ſæculo viuit à ſæculo ſeparata, & inter ipſos laqueos inuolat expedita. Præmiſerat anteà Ambroſius: *His indiciis oſtenditur perfecta & irreprehenſibilis virginalis animæ pulchritudo altaribus conſecrata diuinis inter occurſus & latibula ſpiritualium beſtiarum non inflexa mortalibus; ſed intenta myſteriis Dei meruiſſe dilectum.* Inter occurſus beſtiarum non ſolùm viget illæſa; ſed decantandis lucet triumphis decora: quia etſi viribus debilis, pericula adit iuſſa, non propria temeritate incitata.

Ambroſ.

146. Expendebam aliquando Ioſephum pallium in adulteræ manibus reliquiſſe, cùm Moyſes nihil in Ægypto reliquerit; ſed ſecum ex Ægypto multa portauerit. Repetamus hiſtorias: fratrum odia excepit mulier habens amores impotentes, & fraternis & odiis deteriores, oculos in adoleſcentem egregia forma venuſtum, & mira corporis habitudine elegantem iniecit, & variis vnguentorum lenocinijs expicta, &

repetitis adulationibus importuna adoleſcentis aggreditur labefactare conſtantiam, & auferre pudicitiam: ille caſtitatis exemplar etiam in adoleſcentia vicit ſanguinis fomenta, & alienæ pulchritudinis incentiua; verùm non adeò indemnis hoc ex certamine Geneſ.19. v.12. erupit, vt non amiſerit pallium: *Relicto in manu eius pallio fugit, & egreſſus eſt foras.* E contra Moyſi accidit: hic namque Ægy- Exod.12. v.35. ptum ingreſſus Ægyptum diſpoliauit: *Petierunt ab Ægyptiis vaſa argentea, & aurea, veſtemque plurimam.* Vides populum à Moyſe eductum diſpoliaſſe Ægyptios, Moyſemque vt itineris ducem, huius fuiſſe diſpoliationis iubente Domino auctorem. Iam ergo inſurgit non modica difficultas: quare ſcilicet Moyſes in Ægypto diu verſatus non ſolum non amiſerit; ſed veſtem auxerit, cùm Ioſephus pudicitiæ ſpeculum veſtes non auxerit; ſed denudatus amiſerit? Reddit ne Ægyptus quod violenter à miſero tunc rapuit pallium ingenti veſtium, & auri lucro? Multoties namque quod à miſeris egeniſque tyranna potentia aufertur, ingenti diſpendio ſoluitur: Ægyptus argento, auro, veſteque plurima ab Hebræis luxit diſpoliatus: quia Ioſephus ab Ægyptia aufugit nudus. Benè; ſed theſi noſtræ adaptamus hiſtoriam. In eadem regione periculis, criminibuſque ſcatente Moyſes & Ioſephus verſantur: Ioſephus pro notho à fratribus venditus, Geneſ.37. v.28. & ab Iſmaelitis ſub haſta expoſitus: *Vendiderunt eum Iſmaelitis viginti argenteis, qui duxerunt eum in Ægyptum*; at Moyſes voce pro imperatoria teſſera ad contribulium ſalutem mittitur, & virga miraculorum officina munitus à Domino delegatur: ergo licet Ioſephus aliquod ornamentum amiſerit, Moyſes cum eiſdem agens non amiſit ornamenta; ſed auxit: quia veluti diuinitatis priuilegio apparuit prorſus inuincibilis, qui Ægyptum olim fugit vt fragilis. Adeſt Baſilius Seleucienſis Seluc. orat.9. *Vox ferebatur, quæ Moyſem contra Ægyptios armabat imperatoria pro populo data teſſera, quibus Moyſes rebus incitatus populum depoſcebat exolui.* Vox Moyſem armabat, ideò non potuit nudari ornamentis, cùm nudatus fuerit Ioſephus carens his armis. Certè ſi inconniuentibus oculis aſpicias, miraberis religioſos plures Euangelicæ prædicationi, proximorumque ſaluti dicatos inter venenoſos ſerpentes, inter peſtifera bruta, inter truces beſtias cæleſti priuilegio, vocationis auxilio, non ſolum non vulneratos plagis; ſed redimitos decantandis florere triumphis: armat namque illos veluti cæleſti immunitate, quæ illos diuina vox mittit, & quamuis ætas blanditiarum irritamentis titillet, quamuis occaſio opportuna prouocet, quamuis virulentus ſerpens prunas halitu peſtifero inflammet, perſtant nihilominus ſua in ſtatione inuicti, quia muniuntur cæleſti gratia obarmati. Ergo Baracus licet vitiis approximet, ad ſuorum delegatus ſalutem, non contrahet criminis culpam; ſed egregiam reportabit ſemper victoriam: ſi remotus Baracus degeret, in prælium Siſara non inſurgeret: pia igitur fraude approximat, & quodammodò limites vitiorum attingit, quo Siſara prouocatus temerè audeat, & dignè pereat.

Signum magnum in cælo apparuit, mulier 147.
ſcilicet tremulis ſyderibus redimita, cuius lucem ſerpens teterrimo, obſcuriſſimoque halitu innubilare conatus eſt: mulier in ſolitudinem ſe recepit; ſed adhuc ſerpens non deſtitit inſidiari; imò nouas aggreſſus eſt technas callidiſſimè ordiri. Quid tunc? Duabus mulier alis aquilæ magnæ deſertum petit armata, & iam ſerpentis deſiſtens examinatur verſutia, ac Apocal.12. v.14. deſiſtit ab incepto maligna prudentia: *Datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum locum ſuum, vbi alitur per tempus & tempora, & dimidium temporis à facie ſerpentis.* Vbi ſerpens vidit alas, vertit ſtylum iratus, & flammis vrgentiſſimis indignationis peruſtus. *Iratus eſt draco in mulierem, & abiit facere prælium cum reliquis:* modò iraſcitur ardentius qui anteà deſæuiebat mitius: modò deſiſtit mouere prælium, qui æthere reſplendenti procurauit fœminæ excidium: *Abiit facere prælium cum reliquis.* Verùm inquires, cur qui fulgentiſſimis cælo adoritur redimitam aſtris, modò volucribus deſeruerit cinctam plumis. Numquid fortior eſt ala, quàm ſydera? Recole, amabo te cui muneri hæ aquilæ magnæ alæ inſeruiuerint, inueniéſque miſeris de ergaſtulo profugis inſeruiiſſe ad ſolatium, & Deuteron. 32. v.11. illorum depuliſſe periculum: *Sicut aquila*, inquit Moyſes, *prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, expandit alas ſuas, & aſſumpſit eum, atque portauit in humeris ſuis.* Itaque magnæ aquilæ ala puſillos protegit, & paruulos virtute defendit: ergo dum mulieri hæc conceditur ala, iniungitur & paruulorum tutela; & iam ſerpens, qui ſyderibus redimitam credidit labilem, proximorum delegatam Saluti expauet inuincibilem: vt noueris ita inter homines verſari, ac ſi inter Angelos verſaretur, quæ ad proximorum ſalutem à Domino delegatur. Non hoc dixerim, vt quis vecordia prudentem oblitus fuerit cautelam; ſed vt honeſtam concipiat audaciam. Ambroſ. Adeſt Ambroſius hic: *Per aquilam Chriſtum poſſumus intelligere; duæ verò alæ duo ſunt teſtamenta: duæ igitur alæ datæ ſunt mulieri: quia duo teſtamenta Eccleſia accepit, vt eorum doctrina & diabolum euadat, & ad cæleſtem pa-* Anſelm. *triam quotidie conſcendat.* Adſtipulatur Anſelmus hîc: Duæ alæ duæ vitæ actiua, & contemplatiua. Dum cum proximis agit, ocyſſimis inuolat plumis, & ſerpentinis illudit technis. Ipſa qua alios protegit ala, ſibi imminentia fruſtrat etiam pericula.

---

§. XXXIV.

Vbi agnoſcitur virtutis præſtantia, deligendi non officiat abſentia.

IN *lucrum cedunt*, aiebat Caſſiodorus 4. 148.
Caſſiodor. var.1. *quæ benemeritis conceduntur, & de ipſo munere magis acquiritur, cùm optimis digna præſtantur.* Electorique ignominia eſt dignitas malè collocata, vt gloria benè diſpoſita: in Reipublicæ grande cedit lucrum, quod digno præſtatur augmentum: vt è contra certum ſalutis eſſe ſoler naufragium, ſi inſcenderit indignus poteſtatis, ac dignitatis faſtigium; verùm

verùm ea eſt morum corruptio, ac ſæculi improbitas, vt non ſemel meritorum locum ſubeat præſentia, & demeritum putetur diſtantia. Patrocinatur ſæpè indigno tempeſtiua ſedulitas, & ambitioſa officioſitas: nonnulli electores ad longè poſitos inueniuntur inoculati, & ad in præſentiarum officioſos perſpicaciſſimi, cùm non ſemel conſultius eligat memoria, & electorem electi honoret abſentia. Remotior à ſuſpicione inuenitur electio, quam aſtantis non ſubornauit obſequium, nec lucroſum perſuaſit officium: felix ſanè Reſpublica, vbi nihil verentur abſentes, nec de exhibitis officiis temerè præſumunt adſtantes. Plerumque qui ſe importunè ingerit, meritorum ſuffragio caret vt qui ab ambitione remotus, & meritis lucere ſolet conſpicuus. Viſus non rarò præfert negotioſa ambitione adſtantes, iudicium electione laudabili abſentes.

Caſſiodor. *Abſens,* aiebat Caſſiodorus 11. var. 4. *adhære noſtro lateri pleniorem laudem inde ſumpturus.* Pleniorem laudem lucratur abſens, dum vel refragante abſentia adeſt præſens electorum iudicio, & electionem ſolicitat merito. Barac à Domino benedictus, vocabulo ſplendorem præferens, & veluti oraculum proferens diſtans inuenitur, & tamen à Debora ad faſtigium dignitatis vocatur: *Miſit & vocauit Barac filium Abinoem de Cedes Nephthali: dixitque ad eum: Præcepit tibi Dominus Deus Iſraël. Vade & duc exercitum in montem Thabor.* Ad principatus honorem deligitur, & vt eligatur, quæritur: non ſe ingeſſit oculis importunus; ſed curauit merita adaugere ſtudioſus; at Debora, vtpotè quæ Dei ſpiritu regebatur, prætermiſit adſtantem, quæſiuit abſentem: *Eſt ſubintelligendum,*

Abulenſi. ſcribit Abulenſis quæſt. 8. *quod Deus locutus fuit Deboræ in ſpiritu prophetico iubens vt vocaret Barac.* Dei gubernata ſpiritu quæſiuit dignum, non elegit obſequioſum. Adſtipulatur Arias Montanus: *Deo Deboræ conſilium aperiente ſuum ad illam aduerſus Siſaram expeditio-*

Montan. *nem inſignis quidam vir delectus eſt, cuius cum primis & proprium & paternum nomen felicis auſpicij omen præferebat.* Barac vir inſignis, virtutibus exornatus, & ad expeditionem probabatur aptiſſimus: hic ergo vel abſentia refragante deligitur: quia electio diuinis conſiliis geritur.

149. Moyſi oues in deſerto agenti Deus conſpicuus obiicitur: florebat rubus inter ardores illæſus, & ipſis in periculis tutus: Moyſes nouitate in ſtuporem raptus, & examinandi prodigij voto ardentiſſimo impulſus celeri greſſu inuolabat; ſed vox mittebatur, quæ & populi iubebat imperium ſuſcipere, & greſſum etiam tardare: *Ne appropies huc; ſolue calceamentum*

Exod. 3. v. 5. *de pedibus tuis.* Addit: *Sed veni, & mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum filios Iſraël de Ægypto.* Profectò pugnare ſecum videntur imperia, cùm Moyſes gradum iubetur ſiſtere; & ſimul celeriter aduentare: *Veni, ne appropinques huc.* Et quomodò poterat venire, qui vetabatur accedere? Ad hæc quid incommodabat acceſſus, vt Moyſem adornauerit Principatus? O diuinam politicen! rubo inſidet Deus flammis intincto, Moyſes aquam nomine præferens inuolabat obſequioſus: ergo iure prohibetur accedere, vt hæc electio non de obſequio; ſed de virtute poſſet radiare: non erat opus, vt accederet greſſibus, qui acceſſerat antè virtutibus: ſiſtitur ne quis putet emiſſe dignitatem adſtando, & officiosè inſeruiendo: nulla fatigationis expenſa eligitur, & electio ipſa abſentia commendatur. *Ne appropies,* inquit, hoc eſt ſolicitis greſſibus, ne anhelis volatibus; ſed veni meritis, & adhære virtutibus: cæleſtis namque electio venit de meritis, non de ambitioſis adſtantis officiis: *Vir Dei,* ſcribit Lippo- Lippom.

manus, *diuino ſpiritu impellebatur ad opus, quod Dominus deſtinauerat.* Annuit Caietanus, *Prima actio congruens Deo relatiuè ad Moyſem eſt* Caietan.

inhibitio appropinquandi adiuncto mandato. Eligit, & appropinquare inhibet: vt agnoſcant omnes non humanam; ſed electionem fuiſſe diuinam, quando non mouetur ambitioſis præſentiæ officiis; ſed præferendis virtutis ac morum meritis. Certè ſi elector eſſet humanus, adhortaretur accedere, & flammis aquam copioſiſſimam miniſtrare. Itaque tunc cupiditatis ſopiretur flamma magna Moyſis, hoc eſt diuitiarum iactura; at Deus delegit corpore abſentem, & meritis propinquantem.

Neſcio quid obſcuritatis contrahunt & ele- 150.

ctor & ad faſtigium electus, ſi lachrymis, ſi ſudoribus, ſi moleſtiis obtineatur dignitas: vt è contra electio claro emicat ſplendore, ſi nulla interceſſerit officioſitas. Adeſt huius veritatis Iacobus probatiſſimus teſtis. Iram fugiebat fratris, cùm itineris moleſtia feſſus, & ſomno blandè irrepenti ſuaſus ſub dio dormiuit: ibi ſcalam vidit plus myſteriis conſtantem, quàm gradibus: diſtabat Dominus, & tamen dormientem delegit, & magnis muneribus amplificauit: *Terram, in qua dormis, tibi dabo, & ſemini tuo; eritque ſemen tuum quaſi puluis terræ:* Geneſ. 28.

dilataberis ad occidentem, & orientem, & Se- v. 13.

ptentrionem, & meridiem: & benedicentur in te, & in ſemine tuo cunctæ tribus terræ. Poſt aliquot Geneſ. 32.

annos regredienti fortis occurrit athleta, & v. 29.

poſt agonem coronat: *Benedixit ei in eodem loco.* Verùm ſi vterque locus myſteriis plenus, non vterque erectis titulis honoratus: Deus namque iterum Iacobo apparens iubet Bethel aſcendere, & titulum felicitatis erigere: *Aſcende Bethel, & habita ibi, facque altare Deo, qui* Geneſ. 35.

apparuit tibi, quando fugiebas Eſau fratrem tuum. v. 1.

Et cur altare etiam non erigat, vbi cum eo Dominus colluctatus, & benedictiones largiſſimas impertitus? Audiuit alibi ſe ad benedictionem electum; ſed & vidit alibi ſe benedictione donatum. Ergo titulos erigat vtrobique ad electionis teſtimonium, gratitudiniſque monimentum. O bonam nobis eruditionem! Alibi diſtantem dormientemque, quia dignus erat, electione nobilitauit; alibi etiam dignum ad dignitatem euexit; ſed poſt anxias moras, poſt copioſiſſimas lachrymas, poſt preces importunas. Ergo quaſi ipſa benemeriti inſtantia, & laboris anguſtia gloriam eligentis obſcurauerit, & candidato notam inuſſerit, ſilentio prætermiſit, nec notari erecto lapide voluit; at vbi dormientem, ac diſtantem elegit, quin electus precibus cogeret, quin lachrymis emeret, quin diſpendio virium acciperet, voluit ad electionis pompam locum nobilitari, & altari ſubſtructo agnoſci. *Memoriale,* ſcribit Lippomanus, *beneficiorum Dei mei altare inſtituam mihi & poſteris, Deo meo vni vere, & ſoli, illi, inquam, qui fugientem me fratrem exau-*

 diuit,

diuit, & conſolatus eſt, protexit apud Laban. Quaſi dicat: Copioſæ Deo debentur ob omnia mihi collata gratiæ; verùm ſpeciali titulo, qua in me fugientem abſentemque vſus eſt, liberalitatem deprædicabo. Omnia Deo præſentia; verùm vt humano ſtylo loquar, ab eo ſcalæ cacumini incumbenti terra iacens magno interuallo diſtabam: apud Labanum degens peregrinus ab eius domo degebam quodammodò extorris. Ergo licèt pro ſua munificentia & luctanti, & dormienti ingentia contulerit beneficia; tamen prioris liberalitatis clariora erigam teſtimonia: nec enim ſic ſplendet munificentia obnixè ſupplicanti, decertanti validè, lacrymanti copioſè annuens, vt diſtantem, & quodammodò abſentem largiſſimis beneficiis afficiens. Igitur in Bethel altare ſubſtruam, & liberalitatis memoriale conſtituam: quia ibi non inuitatus, non oratione rogatus, non lachrymis compulſus me ad dignitatem euexit; ſed de abſente ſolicitus largis benedictionibus adornauit. E contra accidere videas, humanas ſcilicet electiones candidati officioſa negotioſitate patrari, & munerum eloquentia ſuaderi.

151. Chriſtum Dominum vſque ad deſertorum errores affluens hominum ſequebatur multitudo, ſic ab eius ore doctrinam audiebant penduli, vt vel res vitæ neceſſarias nullatenus curarent obliti; verùm Dominus leges naturæ tranſgreſſus eſt, vt opitularetur ſequentibus, & exiguum alimoniæ in fontem panis conuertit. Præ panis copia iam anguſtabatur eremus, & delicias inopinas inuenit guſtus: rei nouitate correpti Chriſtum in regem inaugurare decernunt; at ille ad montis latebras fugit ſolicitus, & latuit prouidus: Ioan. 6. v. 15. *Ieſus ergo cùm cognouiſſet quia venturi eſſent, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus.* Eadem Chriſti Domini erant merita, dum deliteſcebat abſcondito, & dum reſplendebat publico; at vulgus electionem ſuam obſcurauit, dum muneribus præſentis ſubornatum elegit, & abſentis virtutes prorſus tranſiuit: dum oculis ſe ſubducens electionem tardat, & eligentes condemnat: ſi enim digna ſecum agitarent conſilia, fugientem ſolicitè quærerent; Beda dilargientem munera moroſius eligerent: *Datur intelligi*, ſcribit Beda apud D. Thomam, *quòd Dominus cùm ſederet in monte cum diſcipulis ſuis, & videret turbas ad ſe venientes, deſcenderat de monte, & circa inferiora loca turbas pauerat.* Chryſoſt. Aptius Chryſoſtomus ibi: *ventre repleto, & propheta iam erat apud eos, & regem eum inthronizare volebant; Chriſtus autem fugit erudiens nos mundanas contemnere dignitates.* In humili conſtitit, dum turbas pauit; montis altiora dum fugit inſcendit; verùm vulgus ſtudioſius mouebatur ad eligendum humilem dilargitis panibus, quàm ad præcelſum eligendum ſummis reſplendentem virtutibus: dum adſtabat, dum offerebat munera, iam & propheta erat ſpiritu, & rex etiam dominatu; at dum oculis ſe ſubduxit, nec ad prophetæ quæritur elogium, nec ad regni inauguratur faſtigium, quo noueris hunc eligendi ſtylum rudi vulgo ſolùm conuenientem, & à recta eligendi norma diſtantem.

§. XXXV.

Prudens Superior vitabit in præcipiendo, quidquid ſuperbiæ redolet faſtum, ne exacerbarit contra obedientiam ſubiectum.

ALiis ſubiici, iuſſiſque parere parum hominibus gratum eſt: 152.
vtque ſæpeſæpiùs turgent ſuperbia, facilè detrectant mandata. Prudens prælatus ſic præceptum ipſa prolatione emollit, ſic ſupercilium vitare ſtudet, vt potius videatur internuntius, quàm Dominus. Aptè Sidonius Apollinaris lib. 4. epiſt. 3. modeſtum prudentemque ſuperiorem allaudans ſic aiebat: Sidon. Superior in veſtigando reatu non ſit perſequax. *Erga familiam ſuaui neque in proferendo alloquio minax, nec in admittendo conſilio ſpernax, nec in reatu inueſtigando perſequax: ſubiectorum ſtatum conditionemque non dominio; ſed iudicio regit; putes eum domum propriam non poſſidere? ſed adminiſtrare.* Itaque qui dignitatis faſtigium occupat, curabit ſibi ſubiectos non premere irritareque deſpotico imperio; ſed ſuauiſſimo prolectare mandato. Fortaſſis Lucifer hac vſus refertur aſtutia, vt facilius alliceret Angelos apoſtatas ad obſequia: ſerpentem ſubdolus induit: vtque apoſtatis Angelis quod deſiderabat, ſuaderet, ſerpentina cauda demulſit, & demulcendo traxit: *Ecce draco magnus rufus habens capita ſeptem, & cornua decem, & in capitibus eius diademata ſeptem, & cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum.* Apocal. 12. v. 4. In diadematis denotatur excellentia, in cauda blanda verſutia. Ergo ſerpens quò traheret, non dentibus momordit; ſed cauda blandè demulſit, & dum demulſit, attraxit: *Dum non valet per apertam ſæuitiam*, ſcribit Richardus Victorinus part. 2. lib. 4. cap. 1. Richard. *per occultam fraudulentiam, quæ figuratur in cauda, ſeducit.* Blandiendo obtinuit, quia demulcendo præcepit: fors ſi iuberet aſpero ſupercilio, ſtellæ nullatenus obtemperarent mandato: ergo ſerpentina lucet aſtutia, dum demulcet ad trahendum, nec ſæuit ad irritandum. Nobiliori hac calliditate viguiſſe Deboram noſter docet textus: opus erat Baraco præcipere, vt manum non ſine grandi ad ſpeciem periculo contra Siſaram obarmaret, & ne vti durum detrectaret imperium, laudabili ſagacitate emolliuit mandatum: ſic iuſſit, vt Numinis videretur miniſtra, Abul. non dignitate appareret ſuperba. Non proprio; ſed Dei nomine Baracum alloquitur: *Præcepit tibi Dominus Deus Iſraël: Vade & duc exercitum*: & iam Baracus animo expromptо obediuit: ſuo quidem poterat Debora nomine præcepiſſe, vtpotè populi iudex; at dum comiter imperat, dum omnem in iubendo vitat dominationis faſtum, vrget ad obedientiam ſubiectum. Notauit Abulenſis quæſt. 8. Abulenſ. *Erat honorabilis Debora in Iſraël, & omnes obediebant dictis eius: quia putabantur dicere ex parte Dei: Præcepit tibi Dominus Deus Iſraël, id eſt, præcepit mihi, vt præciperem tibi.* Debora præcipit, eo tamen modo, quo videatur potius Numini obedire proferens mandatum, quàm turgere intimans ſubiectis imperium: præcipere poterat; & tamen quidquid dominium ſonat, pruden-

tiſſimè

riſſimè vitat, adeoque feliciter ſucceſſit imperium, vt Baracum nullum deterruerit periculum: ſine ſupercilio iuſſus, eſt expromptè pericula ingentia aggreſſus: *Omnes obediebant dictis eius, quia putabantur dicere ex parte Dei.* Dum ſtudioſius vitat dominandi ſuperbiam, ſuadet expromptè obedire mandatis, incunctanterque parere præceptis.

153. Dominus voce veluti imperiali teſſera Moyſem contra Ægyptios armat, & diuinitatis titulo honorat: *Dixit Dominus ad Moyſen: Ecce conſtitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit propheta tuus.* Itaque Pharaonis Deus conſtitutus poteſtatem oſtentat, & virgam portat: *Tulit Aaron virgam coram Pharaone.* Quid tunc? Pharao obdurátur, & contra præcepta nititur. Tranſi ad filios Iſraël, qui expromptè dictis eius obtemperant, ac mandata implere feſtinant: *Credidit populus.* Et cur populus deuotè adeò gerat morem, cùm Pharao pertinacem oſtentarit duritiem? Obuium eſt plurimas inuenire rationes; modò verò ſic theſi locum adapto: Moyſes Pharaoni imperabat ad inſtar Dei, populo ad inſtar miniſtri, adeoque diuerſus iubendi modus diuerſum ſortitur effectum, vt Pharao deſpoticè iuſſus præceptis pertinaciter reluctetur, & populus blandè monitus mandata animo exprompto amplectatur. Innuit, ni fallor, Auguſtinus in quæſtion. ſuper Exod. quæſt. 17. *Notandum quod cùm ad populum mitteretur Moyſes, non ei dictum eſt: Ecce dedi te Deum populo, & frater tuus erit propheta tuus; ſed frater tuus, inquit, loquetur tibi ad populum. Dictum eſt etiam: Erit os ſuum & tu illi, quæ ad Deum. Non dictum eſt: Tu illi Deus, Pharaoni autem dicitur Moyſes datus Deus.* Annuit Interlinearis: *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis, vt ſcilicet quidquid volueris, præcipias ei, ſicut Deus imperat creaturæ ſuæ.* Vtrique Moyſes imperat, Ægyptio, & Hebræo, Ægyptio Numinis ad inſtar deſpoticè, Hebræo blandè, adeoque diuerſus reſpondet effectus, vt blandè iuſſus expromptus pateat, deſpoticè præceptus obſtinatus reſiſtat: quaſi ipſa præceptionis aſperitas audientem obſtinauerit, & ad pertinaciam, ſi dici poteſt, impulerit. *Seruis imperare modeſtè*, aiebat Seneca de clementia cap. 18. *laus eſt: quantò iuſtius hominibus liberis, ingenuis, honeſtis, non vt mancipiis abuti; ſed iis, quos gradu antecedas, quorumque tibi non tradita ſeruitus ſit; ſed tutela.* Subiecti ſimul cum ſubiectione æquali honore potiuntur, ideoque ipſo in præcepto volunt innatam ingenuitatem agnoſci, nec mancipiorum ad inſtar duriè compelli; ſed vrbanè ac comiter imperari.

Exod.4.v.1.

Exod.4.v.31

Auguſt.

Interlin.

Seneca. *Vel ſeruis modeſtè imperandũ eſt.*

154. Superbum prælatorum ſupercilium, & in imperando faſtum aſperrimè carpſit Zacharias cap. 11. *Carnes pinguium comedet, & vngulas eorum diſſoluet, ò paſtor, & idolum derelinquens gregem, gladius ſuper brachium eius*: vngulas diſſoluet, dum per aſperrima gradi ſubiectum non tam iubet, quam impellit: vanam vt oſtentauerit dominij pōpam, ſuperbiſſimè exercet dominationis potentiam: idoli ad inſtar vult coli, & pro libito dominari. In Hebræo non eſt *paſtor, idolum; ſed paſtor idoli*, id eſt prælatus vanitatis, qui non tam curat ſubiectorum commodum, quàm dominationis faſtum. Adeſt noſter Sanctius inter ſacros interpretes nobilis: *Sic ad verbum reddo: O paſtor idoli ſiue vanitatis; ſed eſt idem ſenſus: quia dum ſtultus iſte vult paſtor videri, id eſt tueri in ſe ſpeciem paſtoris, paſcit vanitatem.* Vult videri maximus, ideoque imperat adæque ſtultè ac ſuperbè. Principatum venditat, dominationem affectat, & quaſi durum & auſterum præceptum dominantis incrementauerit gloriam, ad tyrannicam detorquet dominationem ſæuitiam. Vt noueris quam ſit contra præcepti adimpletionem auſtere præcipere, & ſuperbo faſtu iubere, audi Ezechielem cap. 34.

Zachar. 11. v.17.

155. Lamentatur Deus oues ſuas diſperſas, & veluti manſuetudine depoſita in rabiem & furorem actas: *Quod perierat non quæſiſtis; ſed cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia, & diſperſæ ſunt oues meæ, eo quod non eſſet paſtor, & factæ ſunt in deuorationem omnium beſtiarum agri, & diſperſæ ſunt.* Adeo oues ſuperbum paſtorum auerſabantur imperium, vt maluerint ad hoſtes & inimicos inuolare, quam mandatis tumidiſſimis obedire: ſatius illis videbatur fero ſeruire tyranno, quàm prælato obedire ſuperbo: alibi namque imperium vtpote domini, non irritabat patientiam; alibi æqualis ſuperbiſſimus faſtus exacerbabat & exacuebat temeritatis audaciam. *Principes*, ſcribit Hugo, *qui debebant protegere, & defendere, non curabant; ſed magis ipſi eos opprimebant*: vnde ſubdit: *Sed cum auſteritate imperabatis: imperabant enim, vt ſibi ſeruirent, vel vt ſua darent.* Addit Hugo Charenſis: *Ipſimet ibant ad alias nationes videntes ſe in terra ſua crudeliter, & violenter opprimi.* Dum vident ſuperbiſſimis præceptis, turgidis ſuperciliis ſeruorum ad inſtar iuberi, prorſus detrectarunt obſequi, & maluerunt vel ignotiſſimis tradi. Superba præceptio ſubiectum exacerbat, & quia non agnoſcit prælatum; ſed vanitatis idolum, exhibere recuſat obſequium; imò ſæpeſæpius temerare geſtit mandatum, indéque generatur diſſidium, vnde naſci deberet obſequium. Ergo Debora vti prudentiſſima, ne Baracus refragaretur præcepto, ſeipſam quodammodò exuit dominio: *Præcepit tibi Dominus Deus*: eaque modeſtæ præceptionis fuit efficacia, vt Baracus vrgentiſſima ad ſpeciem adire non recuſarit pericula. Non potuit expromptè non obedire, cùm vidit ſibi comiter adeò imperari: lenis namque & humilis præceptio ad obſequium cogit, etſi fas eſt dicere, ipſa humanitate præceptionis compellit.

Ezechiel. 34 v. 4.

Hugo.

156. Ioſue vt faſtigium dignitatis obtinuit, Rubenitas, Gaditaſque iubet dulciſſimos ſibi nidos relinquere, & ante fratres armatos periculis obiici: *Mementote ſermonis, quem præcepit vobis Moyſes famulus Domini.* Quid tunc? Alacriter expromptéque antiquam promiſſionem confirmant, & ante fratres adire pericula non detrectant: *Omnia, quæ præcepiſti nobis, faciemus, & quocumque miſeris, ibimus.* Profectò cùm hæ tribus duplici veluti vinculo amoris, timoriſque poſſeſſis ſedibus alligarentur, mirum eſt adeò expromptè auſcultaſſe Imperatoris mandatum, & præſtitiſſe incunctanter obſequium. Detrectaturi videbantur flumen traiicere, dulcem & omnibus vitæ commoditatibus affluentem nidum adepti, præſertim cum non ignorarent eas poſſeſſiones ab hoſtibus vicinis, eiſque potentiſſimis non benè tutas; ſed ingenti

Ioſue.1 v.13

diſcriminì expoſitas. Quid ergo in cauſa fuit, vt nullatenus refragarentur imperio; ſed addictiſſimi, & obſequentiſſimi præſtito coluerint imperatorem officio? Ipſe equidem imperandi modus. Ioſue non oſtentauit dignitatis excellentiam, non dominationis pompam, non in præcipiendo arrogantiam; imò quaſi ipſe Imperator non eſſet, oppignoratæ ſolùm fidei antiquæque promiſſionis mentionem fecit, nec ipſe iuſſit: adeoque ea in præcipiendo humanitas & modeſtia has impulit tribus, vt honeſtè commoditatum immemores, & aduerſus pericula audaces fidem abſoluerint, & præcipienti paruerint. Notauit Maſius ad hunc locum: *Digna eſt obſeruatione prudentiſſimi Principis Ioſue modeſtiſſima in illis monendis ratio: Memores, inquit, eſtote eius rei, quam mandauit vobis Moyſes ſeruus Domini. Potuiſſet quidem ipſos pro imperio illos compellere... ſed ille maluit amicum monitorem, quàm ſeuerum Imperatorem agere.* Declinauit Imperatoris faſtum, vt efficacius alliceret ad obſequium: & quidem plus obtinuit blandus monitor, quàm ſeuerus obtinuiſſet Imperator: *Solemniter*, ſcribit poſt aliqua Maſius, *ipſi deferunt imperium, & ſuam obedientiam, atque ob equium non in hu modo, quæ iam imperata ſunt ab illo; ſed in omnibus, in quibus æquum eſt parentes ſuo imperatori eſſe morigeros.* Magnis difficultatibus deuoratis Imperatori ſe præbent non duros; ſed morigeros: quia ille in præcipiendo vitauit arrogantiam, coluit modeſtiam.

Maſius.

§. XXXVI.

Non ſemel qui indignior, ſolet tumere ambitioſior, vt benemeritus lucere demiſſior.

157. Caſſiod. *Improbus refugit mutuari conſilium.*

CONſilium mutuari detrectat improuidus, aiebat Caſſiodorus 10. var. 4. *ſapientiam verò ille quærit in altero, penes quem eſt ſcientia magnitudo.* Adeò ſuo iudicio, ſapientiæque fidere ſolet indoctus, vt nullis patiatur rationibus dimoueri, aut à ſapientioribus erudiri. Superbia indiuidua comes inuenitur ſtultitiæ: vnde quam tumens obſcurauerit arrogantia, & exoculata etiam hebetabit ſtultitia. Prudentiæ facibus illuminatus multa ſibi deeſſe cognoſcit, & ab alio ſolicitè quærit; at qui cæcus, conſilium ſæpè mutuari detrectat improuidus. Se cæteris præfert; imò comparari cæteris dedignatur, cùm ſapiens ſibi cæteros anteponat, & doceri ab aliis exambiat. Ecce Baracus ſe à Deo audit electum: *Miſit Debora, & vocauit Barac filium Abinoem de Cedes Nepthali, dixitque, ad eum: Præcepit tibi Dominus Deus Iſraël: Vade & duc exercitum in montem Thabor.* Electi nomen lucis ſplendiſſimæ argumentum eſt; nam Barac, vt placet Interlineari, ſignificat coruſcationem, & lucem. *Barac, id eſt, coruſcatio.* Lucis filius conſortium Deboræ exambit, & ſuam ignorantiam ſapienter prodit: *Si venis mecum, vadam, ſi non ieris mecum, non ibo: quoniam neſcio diem, in quo proſperat Angelum Dominus mecum.* Ita legit Auguſtinus quæſt. 26. in Iudic. quæritque cur Baracus ſuam inſcitiam non timuerit prodere, & conſilium à fœmina mutuari. *Quid eſt quod reſpondens Barac Deboræ ait: Si tu mecum, ibo; & ſi non ieris mecum, non ibo: quoniam neſcio diem, in quo proſperat Angelum Dominus mecum.* Profectò ab ipſo nomine verba diſſident: nam ſi Barac ſignificat coruſcationem, aut lucem: *Barac id eſt, coruſcatio*, quomodò inſcitiam prodit: aut ſi diem inſcius ignorat, quomodò ſcientiæ ſplendore coruſcat? Profectò ipſum mutuari conſilium ſapientiæ ſtabiliuit elogium: ni enim floreret ſapientia, tumida ſe præferret omnibus arrogantia; at quia ſapiens, quia prudens, laudabili animi demiſſione à Debora mutuari non detrectauit conſilium; imò ambiuit Deboræ magiſterium: vt repetat Caſſiodorus: *Conſilium mutuari detrectat improuidus; ſapientiam verò ille quærit in altero, penes quem eſt ſcientia magnitudo.*

Interlin.

Auguſt.

Lucifer ille proprio ſplendore obcæcatus, & adulterina ſapientia ſtultus Deum aggreditur exæquare: quia detrectat Numini ſubiici: *Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero altiſſimo.* Dum naturæ ſuæ metas geſtit tranſilire ambitioſus infra dignitatis ſuæ metas cogitur iacere ſuperbus, dumque iniqua præſumptione Dominicam ſuſpirat ſimilitudinem, & ſignaculi amiſit nobilitatem. Itaque natales ſuperbiæ fuerunt Domino aſſimilari, & cacumina montium premere. Tranſi modo ad Antichriſti deliria, & videbis iam non ambire ſimilitudinem; ſed præſtantiam. Ita Paulus 2. ad Theſſal. 2. *Aduerſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.* Iam vrget difficultas: Si ſuperbiæ primogenitus lucifer, dum metas ambitionis prorumpit, non anhelat ſupra Deum extolli; ſed Numini aſſimilari: Similis ero Altiſſimo: quomodò filius peccati, gehennæ partus, perditionis primogenitus contentus non eſt Deo aſſimilari; ſed anhelat ventoſiſſimè extolli? Ob id ipſum. Lucifer eximiis dotibus reſplendebat ornatus, ſapientiæ luminibus fulgidus; at peſſimus veritatis aduerſarius doloſis ſolum fraudibus, & fraudulentis artibus communitus: tantò ergo ambitioſior, quò & Lucifero minor. Innuit Ambroſius in Pſal. 118. *Lucifer cum ſit nequiſſimus, peiores tamen diſcipulos erudiuit: ille enim ſic ſe exaltauit, vt velit æquari Altiſſimo; diſcipulus autem dedignatur æqualem ſe eſſe ſimilemque æſtimare Deo, & extollitur ſupra omne id, quod dicitur Deus. Magiſter ſimilem præſumit honorem, hic ſuperiorem.* Qui inferior dotibus, Luciferum vincere aggreditur auſibus, & quo indignior, eò ſuperbior. Sæpè videas homines omni ſapientia excultos, dotibus eximiis ornatos, nobilitate conſpicuos intra modeſtiæ limites contineri, nec odioſæ præſumptionis tenebris obſcurari; cùm tamen qui ſcientiarum limina nondum attigere diſcipuli, quique prærogatiuis nullis commendati, ſic turgeant, ſic ſuperbiant, ſic tumeant, vt nihil ſibi non deberi putent, & ſupra cæterorum eminere capita affectent.

158. Iſai. 14.v.14

2. ad Theſſal. 2.v.3.

Ambroſ.

159. Sapiens cap. 15. de figulo ſermonem inſtituens ſic aiebat: *Figulus mollem terram premens laborioſè fingit ad vſus noſtros vnumquodque vas.* Addit. *Cura eſt illi non quia laboraturus eſt, nec quoniam breuis illi vita eſt; ſed concertatur aurificibus, & argentariis; ſed & ærarios imitatur, & gloriam præfert: quoniam res ſuperuacuas fingit.*

Sapient. 15. v.7. & 9.

Au

Digitized by Google

Aurifex tota artis induſtria conſtruit ſtatuam materiæ nobilitate glorioſam, elegantia pulchram,& futuris ſæculis decantandam: figulus vas detornat probroſis vſibus non ſemel dicatum,& contumeliis addictum;& tamen gloriam artis ſuæ aurificibus præfert: quoniam res ſuperuacuas fingit: vnde debuiſſet frænari,conſtat ſuperbiſſimè extolli;& quia eius opera nulla ſoliditate conſiſtunt,ſuperbiæ flammis ignobilem artem accendunt: non præfert aurifex gloriam ſuam figulo:quia de ipſa artis nobilitate modeſtus;at figulus aurifici ſuam præfert gloriam ipſa vilitate vanus,& vanitate ſuperbus?*Gloriam putat*,ſcribit Ianſenius, *quòd fingat adulterina, ea ſcilicet, quæ ſpeciem habent eorum, quæ faciunt aurarij,& argentar.*auratij, argentariique opera faciunt legitima, figulus adulterata; & tamen ſic extollitur,vt putet aurarios, argentarioſque ſibi nullatenus comparandos;ſed omnino poſtponendos:& vtinam ſolis in figulis tumida hæc inueniretur ſuperbia; at tenet plures non diſſimilis arrogantia: iniuriam ſibi illatam putat non ſemel indoctus, ni ad dignitatem præferatur doctiſſimo: & quia res ſuperuacuas fingit, figuli ad inſtar ſuperbit.

Ianſenius.

160. Hoc ipſum veluti pulchro ænigmate expreſſum inuenio ad Geneſ.2.& 3. Eua de viri latere educitur,& vigilanti conſilio fabricatur, cuius Adam pulchritudinem demiratus,*Hoc nunc*, inquit, *os ex oſſibus meis.* Nunc os vocat; poſtea cùm iam ſpirituum impatientia infectum per aures à virulentiſſimo ſerpente hauſiſſet, & omnem gratiæ vitorem ſuperbiæ ardore exiccaſſet, vitam appellauit: *Vocauit Adam nomen vxoris ſuæ Eua,eo quòd mater eſſet cunctorum viuentium.* Profectò ſi nomina inuertiſſet, ſe tempori opportunius accommodaſſet: virtutibus iam nuda, ſuperbiæ ſpiritu infecta, aptiùs vocaretur os vitæ indigum, & ſpiritu denudatum; in paradiſo tamen, quandoquidem ad humani generis amplificationem educta, & glorioſo elogio poterat lucere nobilitata: quomodò ergo Adamus modeſtius vocat,dum glorioſior, & ſuperbius, dum obſcurior? Notauit Rupertus libro tertio in Geneſ.capite 26. Quid inſanius, quàm in illo talis cauſæ iudicio illam nuncupare Euam, id eſt vitam, quæ nec ſaltem habebat vitam. Addit: *Nomen hoc,quod eſt Eua præſumptor homo ſuperba æſtimatione adinuenit.* Duplici in ſtatu Adamus contemplatus eſt Euam, cùm ipſe illaque floreret, & diaboli inuidiam dotibus eximiis feriret: tuncque quod à ſe originem acceperat, opus adeò modeſtè appellauit, vt carnem dixerit; poſteà tamen quia iam ab antiqua nobilitate degenerarant, & ad ſummam pulueris, cineriſque deuoluti miſeriam ſordebant, ſuperbum affectauere vocabulum, & grandius dignitatis ſuſpirauerunt elogium: *Hoc nunc*, inquit,*os ex oſſibus meis:* & quando nunc? Quando paradiſi Dominus, quando virtutibus exornatus, cum nullo fumo vitiorum obſcurus, at poſteà iam non os; ſed vita:quia vitam nondum habet,quaſi ipſum vita carere conſuluerit ſuperbire. *Præſumptor homo ſuperba æſtimatione adinuenit.* Superba æſtimatione elaborauit elogium, qui paradiſo florens humilius excogitarat vocabulum: quaſi tunc intumuerit ſuperbior, cùm inueniebatur indignior,& tunc modeſtior luxerit, cùm clariſſimis virtutum prærogatiuis radiauit.

Gen.3. v.23.

Gen.3. v.20.

Rupert.

161. Lucifer in cælo mane oriebatur, & quamuis ſplendere exambierit ſolus, ſupra reliquos non ſuſpirabat eminere ſuperbus: *Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer*, aiebat Iſaias, *qui mane oriebaris?* Itaque in cælo ſingularem affectauit ſplendorem,ſcilicet Luciferi ad inſtar non comprehendi reliquorum aſtrorum cenſu; ſed ſingulari micare plauſu; verùm dum ſingularitatem affectat gloriæ, ſingularitatem incurrit pœnæ: è cælo proiicitur, & iam proiectus tumidior blaterat, & ſuperbior ſanè delirat. *Corruiſti in terram,*inquit propheta, *qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo: In cælum conſcendam: ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum.* Inquiramus, ſi placet, cur dum in cælo eſt, ſingularem ſolùm Luciferi anhelet gloriam, & cùm aſcendere in cælum deiectus cogitat, ſuper reliqua aſtra ambiuerit excellentiam: nolebat anteà lucere cum aſtris,& modò vult ſuper aſtra cuncta lucere, cùm opportunior videretur ſtylus contrarius, & inuerſus quidem affectus, ſcilicet, cùm in cælo non erat, ſuſpirare Luciferi claritatem, & cùm in cælo erat, ambire ſuper ſtellas cæteras altitudinem; & tamen minus appetit, dum altior, plus dum deiectior: nec mirum: maior namque indignitas grandior eſſe ſolet ſuperbiæ fomes, & rationis lues. *Si poſtquam de cælo corruit*, ſcribit Hieronymus in editione Pariſienſi anno 1609. à Marino Victorino emendata & correcta,*loquitur iſta verba, arrogantiam debemus intelligere quòd nec præcipitatus quieſcat.* Nota attentiùs quæ ſubdit: *Sed adhuc ſibi grandia repromittat.* Quaſi dicat Hieronymus: Cùm erat in cælo, aſtrorum dedignabatur conſortium, & promittebat ſibi ſingulare Luciferi priuilegium; at præcipitatus, quia iam indignior,& obſcurior,extollitur ſuperbior, & ambitioſior: nec quæ olim, ſibi modò promittit; ſed grandia repromittit: quaſi cum ipſa indignitate creuerit ſuperbiæ faſtus, & inſanius delirarit affectus. Baracus vtpote ſplendorem nomine præferens,non ſolùm Deboræ non reſpuit conſortium; ſed expectat etiam conſilium: & quidem ſi luce careret,& conſilia etiam reſpueret: eſt namque noſtra veriſſima theſis, ſcilicet non ſemel tumere qui indignior,& de ſe modeſtius ſentire, qui meritis exornatior.

Iſai.14. v.12

Hieron.

§. XXXVII.

Non leuis dolor eſt cogi ad exhibendum extraneis, quod parabatur dilectis.

162. HVmana natura vt eſt honoris & laudis ambitioſiſſima, nihil non tentat, quo ſibi gloriam acquirat: ſatis illi non eſt propria luce micare, niſi in cognatis affinibuſque contigerit refulgere:geminata anhelat; imò multiplici radicare prærogatiua, & extolli ſupra cæteros excellentia: nec ſemper affectus hic erga cognatos & affines ambitionem habet pro radice; ſed à naturali etiam aliquandò pullulat charitate: vel ambitionis expers ſuorum diſcupit augmentum ingenita pietate,& illos innata cupit reſplendere affectione. *Gratificante natura*, ſcribi Caſſiodorus 12. var.5.

Caſſiod.

var. 5. *illis amplius debemus, qui nobis aliqua*
proximitate iunguntur, dum quoddam genus re-
cti videatur eſſe propoſiti ab æqualitate diſcedi.
Rectum videtur eſſe propoſitum ſuos aliis inæ-
quales diſcupere, & dignitatum luminibus emi-
nere excellentiores ambire. Vtque cuique mor-
talium eſt proprium de ſuorum felicitate
lætari, ſic de calamitate dolere; verùm quod
præcordia torquet, quod grauius cruciat, quod
dolorem viuidius inflammat eſt videre deue-
niſſe ad extraneos, quod ſtudioſa anxietate
comparabatur ad proprios. Hoc opus, hic
labor eſt, ſi aut iniqua fortuna, aut cognato-
rum ignauia partis commodis, quæſitis diui-
tiis, comparatis honoribus adornetur extra-
neus, & excluſus lugeat propinquus. Debora
Dei monitu filium armat in pugnam, & repro-
mittit victoriam: *Miſit, & vocauit Barac*
filium Abinoen de Cedes Nephthali, dixitque
ad eum: Præcepit tibi Dominus Deus Iſraël:
Vade, & duc exercitum in montem Thabor,
&c. Ego adducam ad te in loco torrentis Ciſ-
ſon Siſaram. Baracus matris conſortium exam-
bit, nec aliter ſigna ſe cum hoſte collaturum
promittit: *Si venis mecum, vadam:* dum na-
turæ colit affectum, gratiæ retardauit trium-
phum: ſe triumphali priuauit gloria, ne ma-
tris priuaretur præſentia. Quid tunc Debora?
In hac vice, inquit, *victoria non reputabitur ti-*
bi: quia in manu mulieris tradetur Siſara.
Putauerim Deboram non ſine anxio gemitu
in hæc verba prorupiſſe, dum agnoſcit victo-
riæ laudem filio decretam ad alienigenam iam
tranſlatam. *Vides*, ſcribit Adamantius homilia
5. & apud Gloſſam, *quomodò illis prioribus pro-*
phetia detulit eloquia Dei, & illis dicit data
eſſe præcepta, vt aſcendant in montem; ſed ex-
cuſant. Excuſat, qui priùs deligitur, & ad Iaë-
lem triumphalis gloria transfertur: *In manu*
Origen. *mulieris*, addit Origenes, *tradet Dominus Si-*
ſaram: apertè oſtendit, quia non erat apud
populum illum primatus, nec victoria palma;
ſed in manu mulieris, cui nomen Iaël. Iaël
triumphali redimitur lauro, cum Baracus re-
dimiri potuerit triumpho. Ergo Debora non
potuit non premi dolore filium videns trium-
phali priuatum gloria, & alienigenam victoriæ
potiri palma.

163. Huius veritatis confirmationem petamus
à Chryſologo ſermone 100. Agebat Chriſtus
Dominus de eximiis Præcurſoris virtutibus,
Math. 11. v. 12. cùm in ſuſpiria prorumpens ait: *Regnum cæ-*
lorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.
Hæc vis Deo grata eſt: gaudet enim cælorum
regna ita homines ſitire, vt per ardua intrepi-
dè tendant, & anxio conatu rapiant; verùm vt
oſtendat quàm propenſo ſtudio Hebræos cœ-
leſtibus diuitiis diſcupiat diteſcere, & virtuti-
bus exornari, ſe violentiam pati confeſſus eſt,
dum videt honeſta violentia rapi ab extraneis,
Chryſol. quod præparärat dilectis. Audi Chryſologum:
Quod alius detulerat, aliis conferre cogebatur,
dicente ipſo: Regnum cælorum vim patitur,
& qui vim faciunt, diripiunt illud. Vim fecit
fides gentium, vt raperet hæreditatem patris,
ipſam hæreditatem totam diriperet filiorum. Fi-
liis hæreditatem non ſine labore acquiſierat;
ſed improborum filiorum nequitia perdidit,
quod paterna charitas acquiſiuit: ergo vim pati-
tur amor, dum obuenire videt extraneis, quod
deſiderabat dilectis. Quàm acerbus dolor eſt, ſi
copioſum patrimonium filio dilectiſſimo com-
paratum ad extraneos, & ferè ignotos tranſiue-
rit deuolutum: veluti geminata face paterna
aduruntur viſcera, & iniqua ſcilicet filiorum
fortuna, & inuidioſa extraneorum gloria.

Diues ille crudus indigeſtuſque de purpu- 164.
ra transfertur ad flammam, de differta men-
ſa ad inopiam, & qui vini lacus effuderat, iam
aquæ guttulam ſitit, & qui ſuperbus Lazarum
dedignabatur aſpicere, Lazarum cogitur iam
rogare. Abrahamum ſtrictiſſimo ſibi iure con-
ſanguinitatis coniunctum rogat, vt pauperem
è ſinu excluſum ad tartara mittat: *Pater Abra-* Lucæ 19.
ham miſerere mei, & mitte Lazarum, vt intin- v. 24.
gat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret
linguam meam. Quid tunc indulgentiſſimus, &
humaniſſimus pater: *Fili recordare quia rece-*
piſti bona in vita tua. Chryſologus ſermone
123. hìc Abrahamum patientiæ ſpeculum fuiſſe
exiſtimat: *Voco filium, vt in me mea patientia,*
& in te tua maneat pœna. Profunda ſanè Chry- Chryſol.
ſologi mens: in requie quis patientiæ locus,
cùm dolori, cùm calamitati nullus ſit aditus. Ni
fallor, ipſe Lazarus in ſinu requieſcens erat pa-
tientiæ ſtimulus, non quòd Abrahami huma-
niſſimus pauperem repudiaret affectus; ſed
quia videbat filium à paterna quiete excluſum,
& extraneum eius loco ſuffectum: videbat filios
ad regnum genitos exterioribus tenebris pre-
mi, & plures ab oriente & occidente ad ſecum
recumbendum vocari: & magna, ſi fas eſt di-
cere, opus erat illi patientia, quaſi ardentiſſi-
mo vrgerentur dolore viſcera. Dolet Abraha-
mus non inuidens Lazari gloriæ; ſed compa-
tiens filij fortunæ. Sacri textus hiſtoriam ador-
nandis moribus adaptamus: & quidem quam-
uis beatos nullus erga damnatos compaſſionis
vrgeat affectus, dum patientia illis opus à Chry-
ſologo aſſeritur, dolore ad ſpeciem diuexari in-
dicatur. Et quidem ſi extra aleam iam poſitos
humanus aliquis tangere quiret affectus, adur-
gerentur dolore aſpicientes ad requiem igno-
tos, ac extraneos vocatos, filioſque ac cognatos
excluſos. Itaque vel Abrahamo neceſſaria
eſt patientia, dum videt filium ſinus paterna
hæreditate priuatum, & extraneum ad hæredi-
tatem iure ſibi non debitam introductum.

Tranſeunti Domino per Tyri, & Sidonis 165.
terminos Syrophæniſſa mulier oblata pro mu-
nere fide occurrit: filiam à dæmone exagitatam
non ſine gemitibus prodit, & remedium lachry-
mans petit: *Miſerere mei, Domine fili Da-* Math. 15. v. 21.
uid: filia mea malè à dæmonio vexatur. Do-
minus ſub inhumanitatis obtentu ſilentium
affectat longè humaniſſimum; verùm mulier
ipſa impetrandi difficultate acriùs irritata, &
viuidius accenſa in gemitus clamoroſos pro-
rumpit, & ad compaſſionem mouet diſcipulos.
Apoſtolorum chorus interceſſor accedit, & pre-
ces pro miſera offert; verùm Dominus: *Non eſt*
bonum, inquit, *ſumere panem filiorum, & mit-*
tere canibus. Non dixit: Non eſt bonum mit-
tere canibus; ſed, non eſt bonum tollere filiis,
& mittere canibus. Et quidem illius ſilentij red-
didit cauſam reſponſo, & donationem parturi-
uit, vt dolorem oſtenderet. Adeſt Baſilius Se- Seleuc.
leucienſis oratione 20. *Non eſt bonum ſumere*
panem filiorum, & mittere canibus: parturiens
donationem retrahere ſimulat. Expende verbum
illud

Digitized by Google

illud parturiens Domini liberalitati parum ad ſpeciem congruens.Certè mulier cùm parit,triſtitiam habet,dolet,gemit, ingemit, & præſenti mœſtitudine futuram lætitiam emit, & dubia gaudia certo periculo ſoluit. Itaque partus ante lætitiam infert dolorem, & ingerit mœſtitudinem:quomodo ergo liberalitatis fons, cùm donat, ſubit dolorem, & dolore adulterat largitatem. O ſapientiam immortalem! non dolet panem catulis dilargiri; ſed menſa filios priuari: diſſertam apposuerat menſam, vt lautè epularentur filij, cæleſtia attulerat fercula, & cæleſti odore fragrantes panes;at filij ambitionis furore inſanientes panem conculcarunt, quem tota fidei auiditate vel conculcatum gentiles rapuerunt. Ergo acerbos partus dolores ſubiit pientiſſimus Dominus, dum filiorum nequitia, & gentilium confidentia compellitur ad filios pane mulctandum, & gentilibus dilargiendum: parturit donationem, non quia dare gentili doleat; ſed quia Hebræum priuare ingemat. *Filij*, ſcribit iam citatus Chryſol *oblatum conculcauere ad ſcelus, non ad vitam ſumere ſunt conati; & tamen quod minutum, & conculcatum à filiis, canis tota fide, toto deſiderio lambere feſtinauit.* Filij ſiligineum panem deſpiciunt, canes ſic toto deſiderio anhelant, vt vel minutiſſimas micas lambant: cùm ergo videt Dominus panem filiis comparatum canibus dilargitum, non potuit non dolere, & anxietatis cenſum paternæ humanitati perſoluere. Gauderet canes micis innutriri, dum filios etiam videret panibus aliſ; at dum panem tota ſtudioſitate conformatum, & labore magno acquiſitum deuolui videt ad canes, nec pertingere poſſe ad hæredes, ſubit doloroſas partus anguſtias, & copioſas fundit lachrymas: *Parturiens donationem retrahere ſimulat.*

Chryſol.

166. Ciuitas erat inter Aſſyrios hominibus refertiſſima, & delictis naturæ terminos ſupergreſſa, verùm pluſquam illa febriebat impietatis ardore, erga illam febriebat Dominus charitate, Ionam mittit, qui minis morbo medeatur, ne ſi ingraueſcat, omne medicamentum excludat. Ionas audit præceptum; ſed refugit adimplere mandatum: non opponit vt Moyſes præcipienti difficultates; ſed tacet & fugit: nauim inſcendit Tharſos petiturus; ſed inuenit mari machinam ſuis conſiliis valentiorem: nam cum exiguo tempore ſecundis inflata ventis nauis argenteas placidè ſecuiſſet vndas, ſubitò oborta cum horrendo fragore tempeſtas per momenta minabatur naufragium: nautæ procellæ cauſam ſortibus quærunt, & Ionas non timet fluctibus tradi, quia timebat Niniuem minis liberam intueri: *Tollite me, & mittite in mare.* Obſcura feræ voragine includitur, & ad vitale nauigium è nauigio ligneo transfertur; verùm hic degit lætior, & lætatur fortunatior. *Felix magis*, aiebat Zeno Veronenſis ſermone de timore, *ſepulchro, quàm naui.* Profunda Doctoris mens. Et cur felicior ſepulchro? Quia dum nauigat, timet ſuæ genti tranſlata ad Niniuitas ſalute luctuoſam imminere ruinam, adeòque acerbo dolore diſcruciabatur conſpicatus ſalutem ſuis decretam ad alienigenas deuolutam, vt meliùs ſecum agi putauerit, ſi occultaretur ceto, quàm ſi duceretur miniſter ſalutis Niniuitarum nauigio. Adeſt Hieronymus ad hunc locum: *Scit propheta Sancto ſibi ſpiritu ſuggerente, quod pœnitentia gentium ruina ſit Iudæorum. Idcirco amator patriæ ſuæ non tam ſaluti inuidet Niniue, quàm non vult perire populum ſuum.* Si non reddatur naufragus, videbit gentem ſalute donatam, & patriam felicitate deſtitutam. Ergo ſatius putat ſepulchro degere, quàm debitam ſuis tranſlatam ad alios felicitatem aſpicere.

Ionæ 1 v. 11.

Zeno.

Hieron.

§. XXXVIII.

Priuata ſtudia in Prælato penitus agnoſcantur excluſa, quia iam non priuatus; ſed omnibus adæquè promotus.

Dignitatis tinea eſt priuata regentis affectio: quia dura ſemper aliis cenſentur mandata, ſi erga alios propenſiora agnoſcantur ſtudia. Qui dignitatis culmen inſcendit, iam quidquid priuati hominis, denudarit; nec enim ab omnibus coli poterit dominus, qui aliis habetur amicus, & putatur aliis aduerſus. *Poteſtatis noſtræ*, aiebat Caſſiodorus 10.var.5. *cenſuram rerum volumus eſſe modeſtiam, vt quantum diuina beneficia percepimus, tantum æquabilia plus amemus: priuata ſiquidem ſtudia à noſtro animo probantur excluſa: quia generalis Dominus cuſtos factus ſum Deo auxiliante cunctorum.* Vbi æquè Principis ad omnes noſcitur pertinere ſtudium, gratè ab omnibus accipitur etiam mandatum: quia ſæpè non tam grauat obedientiam difficultas præcepta, quàm affectio adulterata. Omni diligentia curabit Prælatus æquabili erga omnes adfectione moueri, nec priuata inclinatione infamari: aliter namque plures exacerbabit imperio, non gubernabit mandato. Barac eligitur in populi ducem, nec ſine myſterio eius tacetur genealogia, cùm inſcendit dignitatis faſtigia: *Miſit*, ſcilicet Debora, *& vocauit Barac filium Abinoen de Cedes Nephthali.* Generationis non refertur ſeries, cùm ſæpè alibi litteris prodatur ad gloriam, & tranſmiſſi ſanguinis excellentiam. *Non ponitur hic*, notauit Abulenſis quæſtione 8. *modus ſtirpis Barac.* Ignoratur genus, non quod non fuerit illuſtre; ſed vt noueris prælatum accepta iam dignitate adæque ad ſubditos pertinere, debereque priuatos ſanguinis aut amicitiæ affectus protinus denudare. De Cedes vocatur, cùm ad faſtigium dignitatis eligitur. Vt noueris iam ſpecialiter origini non deberi; ſed adæquè cunctis addici. Hoc idem in ipſa Debora videbis expreſſum: nam medium tenet, dum dignitate refertur ornata, ne vni præ alio videri poſſit addicta: *Erat Debora prophetis vxor Lapidot, quæ iudicabat populum in illo tempore, & ſedebat ſub palma, quæ nomine illius vocabatur inter Rame & Bethel in monte Ephraim.* Dum montis poſſedit faſtigium, inter Rame, & Bethel occupauit medium: tacetur proſapia, vt defæcatior dignitatis refulſerit gloria: *Domum exceptam non habent Principes*, aiebat ſupra Caſſiodorus; *ſed quidquid diuino auxilio regimus, noſtrum propriè confitemur.* Audi quæ adiecit: *Quia bona conſcientia tunc verè imperat, cùm generaliter præſtare feſtinat.* Verè non imperat, qui non generaliter præſtat: eſt namque affectio priuata indecora culminis nota. Nulli prælatus debetur loco, & licèt anteà peculiari patria agnoſceretur exortus, iam omnis regio illi eſt

167.

Caſſiod.

Abulenſ.

Caſſiod. *Bene imperat qui generaliter præſtare feſtinat.*

Digitized by Google

eſt patria, dum lucet ad dignitatem elatus: *Domum exceptam non habet Princeps*, ne ipſa exceptio ſit regiminis obſcuratio.

168. Deus hominem formaturus diuina nobi- Gen.1.v.26. litauit ſimilitudine, vt ornaret dignitate: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtiis vniuerſæque terræ.* Neceſſarium fuit ad imperium euehendo Numinis nobilitari ſimilitudine, & ante ipſam inaugurationem induere imaginem, quò nouerit omnia ſibi ſubiecta ad ipſum generaliter pertinere, ipſumque ad ea vniuerſaliter ſpectare. In creaturis nil eſt, quod Numinis adæquè non ſit, nihil ſpecialiter præ alio eſt eius; ſed omnia adæque agnoſcuntur effecta, & benignitate indifferenti parta. Ergo Adamus nouerit ſe Dei ſimulacrum eſſe, ne dignitatis obſcurarit faſtigium, ſi priuato ſtudio adulterarit imperium. Tunc ſolùm dignè præſidet, cùm prærogatiua imaginis lucet: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & præſit.* Quaſi dicat: Vt præſideat, opus eſt imaginem referat, vt creaturas omnes indifferenti benignitate gubernet, ne de ſingularitate affectionis lucem dignitatis obnubilet. Adde quod ſi aliquando peculiaris priuatuſque affectus futurus ſit, verſari debet non erga ſanguine aut affinitate coniunctos; ſed erga diſtantiores & remotos. Audi Dominum hominem efformantem. *Præſit*, inquit, *piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtiis.* Profectò beſtiæ vt homo à limo, à liquore piſces & aues: ergo bonus præſul primo loco habebit non conterraneos; ſed dignos: *Deus*, ſcribit Theodoretus Theodor. apud Lippoman. *vniuerſi opifex, & conditor exiſtit; homo quoque vt imago exemplar ſuum imitatur.* Vt ad Deum omnia adæque pertinent, ſic ad eius ſpectant imaginem; imò tunc ſolùm Dei eſt imago, cùm ad ipſum vti præſulem omnia indifferenter ſpectant.

169. Ioſeph vt omnibus notum exinceps eſſet dignitatem eſſe laborum ſcaturiginem, ſom- Gen.37 v.7. nium videt, & fratribus refert. *Putabam nos ligare manipulos in agro, & quaſi conſurgere manipulum meum, & ſtare, veſtroſque manipulos circumſtantes adorare manipulum meum.* Fratres vſque ad ſomnium inuidentiam extendunt, & cùm euanidum ſomnium putarint ad cultum, certum dignitatis præſagium exiſtimauerunt ad odium. Itaque fratri irrident vti deliranti; verùm qui ob ſomnium venditus, ob venditionem patienter latam reſplenduit ad dignitatis culmen elatus: fratres cogente inopia ingeniculati adorant, quem anteà imprudenter deſpexerant, & vili cupi- Gen.42.v.7. ditate vendiderant. *Cùm adoraſſent eum fratres ſui, & agnouiſſet eos, quaſi ad alienos durius loquebatur.* Inquiramus cur anteà eius dignitas fuerit deſpecta, & modò reuerenter exculta. Multas Patres rationes congerunt; ſed fortaſſis abs re non erit, ſi dixerimus ipſum tunc ſomnium detraxiſſe dignitati. Se intuitus eſt Ioſeph fratribus ſolùm alimenta præbentem, non generali neceſſitati tunc opitulantem; poſteà omnium ſubueniebat liberali- Gen.41.v.57 tate indifferenti: *Omnes prouinciæ*, inquit textus, *veniebant in Ægyptum, vt emerent eſcas, & malum inopia temperarent.* Dum ergo fructuoſus manipulus omnium leuat calamitatem, deuotè colitur, & ab omnibus adoratur; at dum ſolùm fratrum occurrit indigentiæ; irridetur, quaſi non fuerit dignitas, quæ ſtudiis deturpabatur priuatis, nec patebat vniuerſis; ſed peculiari affectu germanis. Cùm lucet omnibus humaniſſimus, erga fratres ſolùm inuenitur aſperior: non potuit ergo laudibus non celebrari, & vti à Numine electus coli. *Sanctus Ioſeph*, Lippom. ſcribit Lippomanus, *Domini reuelationem fratribus prædicat; ſed non auditur.* Rationem reddit Theodoretus ibi: *Manipulorum ſomnium* Theodor. *præſignat fratrum frumenti gratia in Ægypto adorationem.* Aptiùs Auguſt. ſerm. 81. de tem- Auguſt. pore: *Coacti ſunt ſteriles manipuli fructuoſum manipulum adorare per quem de famis periculo liberandi erant.* Vti ſomniata irridetur dignitas, dum ſolùm fratres de famis periculo liberantur, & eripi de diſcrimine reliqui non videntur; at dum Ioſeph omnibus ſubuenit, dum cunctorum leuat miſeriam; dignitatis adauget gratiam.

Nato Domino Magi inuolant adoraturi, 170. aſtro fulgentiſſimo ducti, & cæleſti pulſu incitati; verùm cùm Ieroſolymos rogant, ſyderis ſe fatentur luce priuatos, & abſentia obſcuros: *Vbi eſt, qui natus eſt rex Iudæorum? Vidimus* Matth.2. *ſtellam eius in oriente, & venimus adorare eum.* v.2. Chryſoſtomus Ieroſolymam ingreſſos ſyderis Chryſoſt. luce caruiſſe tradit apud Diuum Thomam: *Cùm intrauerunt Ieroſolymam, occultauit ſeipſam.* Sed inquiramus, ſi placet, cur prodantur luce priuati, dum Iudæorum Regis ortùm profeſſi? Quia ipſa ſi fas eſt dicere, Magorum fides fidem confundebat, & nondum caliginem penitus depulſam monſtrabat. Sydus recèns natum cæleſtem oſtendebat Regem, ſicque non ſolùm Iudæis debebat adſcribi, ſed omnium dominus indifferenter haberi. Ergo Magus luci ad ſpeciem refragabatur cæleſti, dum peculiari adſcribebat nationi. Dum regia proditur, cæleſtique dignitate exornatus, non ſolùm ſibi cognatis, affinibuſque; ſed omnibus indifferenter naſcitur profuturus. Quod, ni fallor, ipſe Herodes, etſi imprudenter, oſtendit, dum non Iudæorum Regem; ſed generali voce appellauit: *Ite & interrogate diligenter de puero:* Non iam de Iudæorum rege: nam qui natus ad imperium, ad cunctorum etiam lucere debet ſubſidium: Magis benefacit, paſtoribus conſulit, Hebræis auxiliatur, vt generaliter agnoſcatur cunctorum, qui natus eſt ad imperium. Diſcant hinc præſules & prælati ſtudia priuata abiicere, & cunctis, dum poſſederint culmen, deberi.

Miro ingenio animaduertit Chryſologus 171. ſermone 142. diuerſo ſtylo Angelum in Chriſti Domini annuntiatione, & in Præcurſoris vſum: Zachariam alloquens ſic aiebat: *Vxor* Lucæ 1 v.13 *tua Eliſabeth pariet tibi filium*; at Mariam: Ecce concipies in vtero, & paries filium. Accipe Chryſologi verba: *Non dixit tibi, non dixit* Chryſol. *tuum.* Quod ſi diſcriminis rationem quæras, iam Angelus reddit: *Dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob.* Ioannes potuit ſuis naſci, quia ad imperium conſtabat non oriri; aſt Dominus, quia regnaturus aduenerat, carnis ſanguiniſque affectus ignorat. Non poterat naſci peculiariter propriis, qui deſignabatur rex vniuerſis. Ergo Angelus huius doctrinæ non ignarus Ioannem addicit parentibus: *Pariet tibi filium*; ſed quia

Chriſtum

Digitized by Google

Chriſtum regem promulgauit; ab illis vocibus prudenter abſtinuit: *Non dixit tibi, non dixit tuum.* Non damnat Chriſtus pium erga cognatos affectum; ſed oſtendit degenerandi periculum, & adulandi parentelæ detrimentum. Qui præſul naſcitur, naturæ debito exuitur, vtque poſſit eſſe dignitatis, ſit nullatenus cognationis. Ergo Debora media inter ſibi ſubiectos ſedet, & Baracus ad dignitatem electus progenie caret.

§. XXXIX.

Accuratius debent muniri, quos vitiorum confinio conſtiterit propinquare.

172. *Militia eſt vitia hominis ſuper terram:* Militant namque vitia indefeſſis conatibus, & nos impetunt periculoſis adſultibus, vtque militi opus eſt, dum bella deſudant, armorum ſuſtinere pondera, quò ſtructa ab aduerſariis valeat eluſiſſe pericula, ita virtutis alumno neceſſum eſt ſolicitis ſibi prouidere vigiliis, & virtutum munimentis. *Quid ergo*, aiebat Seneca epiſt. 106. *non timor retinet? non audacia impellit? non fortitudo immittit, & impetum dat?* Vitia nos manu facta gratis delinimentis oppugnant, & continuis pugnis inquietant. Omnes prouocamur, imò & impellimur: vnde cunctis neceſſaria eſt vigilans ſemper ſolertia, & virtutum armatura; verùm etſi in omnes vires ſuas vitia producant in campum, frequentiùs ac validiùs in viciniores, propinquioreſque irruunt. Hinc qui in apperituum, fallaciarumque viuunt confinio, præ cæteris fortiori indigent munimento. In diuites faciliùs militat luxuria, & ſuperbia, quia hæc gignitur auro, illa fouetur pretioſo ferculo, generoſoque vino: non vacat laſciuire diſtrictis; vacat verò deliciis obſeſſis: vnde ni in excubiis ſolertiſſimus perſtet: qui inter vitiorum irritamenta, & cupiditatum verſatur deliria, manus inimico facilè tradet. Ecce præ aliis iubet Deus contra Iabinum Zabulonios & Nephthalitas armari, præceptum accito Baraco ſic intimat Debora: *Præcepit tibi Dominus Deus Iſraël: Vade & duc exercitum in montem Thabor, tolleſque tecum decem millia pugnatorum de filiis Nephthali, & de filiis Zabulon.* Quærit Abulenſis quæſt. 10. cur præ aliis tribubus iuſſi fuerint arma capere Zabulonij & Nephthalitæ, cùm tribus aliquæ & bellandi dexteritate excelluerint, & reportatis triumphis hoſti terrorem addiderint: reſpondetque hos in confinio torrentis Ciſſon, vbi ineundum erat certamen, habitaſſe, & ob id præ reliquis opus illi fuiſſe armis ſtudioſè muniri, & indefeſſis excubiis ſemper inuigilare: *Quia Zabulon & Nephthali erant apud montem Thabor, vbi debebat fieri bellum, propinquiores quàm alia tribus, iuſſit potius quòd irent de his tribubus, quàm de aliis.* Ex aliis etiam tribubus milites contra Iabinum prehenſatunt arma; at Zabulonios, Nephthalitaſque vtpote certaminis campo viciniores præcipuè armari diuinum iuſſit edictum, ne inexperti, & exarmati graue ſuſtinuerint damnum. Quod ſi hiſtoriam ad mores aptes, hinc opportuniſſimum documentum deduces, debere ſcilicet ſtudioſiùs inuigilare, ſeque accuratiùs armis protegere, quicùmque in vitiorum confinio degunt, & in malitiæ terminis viuunt.

Senec. *Audacia res in periculum impellit.*

Abulenſ.

Expendebam aliquando diſcrimen inter Iacobum fugientem, & ad patriam iterum redeuntem: præripuit pio dolo benedictionem fratri, & quamuis quod in benedictione ſpirituale lucebat, nihil aut parum eius exulcerauerit animum; quod tēporale, ſuſflammauit antiquum odium: neceſſaria fuit abſentia his medicandis affectibus vtiliſſima: ergo Iacob morem religioſè parentibus gerens, & cæcam fratris audaciam prudenter timens iter carpit alacriter. Iam recedente Sole ſub diuo cubat, & Deus dormientem ſolicitis vigiliis cuſtodit, & ſupergreſſis cupiditatem muneribus replet: *Vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, &c.* Elapſis plurimis annis regreditur, cúmque feſſos recreare tantiſper artus diſponeret, certamen inopinum ſuſtinuit: *Ecce vir luctabatur cum eo vſque mane, qui cùm videret quòd eum ſuperare non poſſet, tetigit neruum femoris eius, & ſtatim emarcuit.* Expendamus, ſi placet, cur alibi Numen dulces capere ſomnos Iacobo conceſſerit, cùm alibi inflictis plagis inuigilare, ac decertare compulerit: ſi dormire alibi non prohibuit, cur alibi vetuit? Certè vtrobique itineris labor quietem placidam conſulebat, aut Eſau metus ſomnum vtrobique exterminabat: quæ ergo diſcriminis cauſa eſt? Dilucidè tradit textus: dum in Meſopotamiam tendit, ab Eſau inuenitur diſtantior; cùm redit, iam vicinatur proximior: vtque nouerimus debere vitiis proximos ſe accuratè munire, ac ſolicitis ſemper excubiis inuigilare, redeuntem vigiliis munit, & corporis afflictatione defendit. Qui longiſſimis à vitio interuallis diſtat, ſine periculo placidum capit ſomnum, at qui vicinus ſomno, ſibi fouet periculum: vnde Iacob rediens non eſt permiſſus dormire, quamuis diſtans compulſus non fuerit inuigilare: *Quoniam occurſurus erat fratri*, ſcribit Chryſoſtomus apud Lippoman. *vt ſciret reipſa quòd nihil aſperum laturus eſſet, in figura hominis luctari cum iuſto voluit.* Expende illud: *Quoniam occurſurus erat fratri.* Quaſi dicat Chryſoſtomus: Ab Eſau vitiorum ænigmate longè diſtanti non adeò neceſſariæ erant excubiæ, nec ad extinguendum appetitum incuſſæ plagæ; at propinquanti omnis erat aduocanda diligentia, & procuranda vigilia: incuſſus dolor concupiſcentiam extinguit, contractus neruus terram non tangit, conſtrictus valido luctatoris amplexu ſomnum depellit, vt diſcrimen inter euntem, redeuntemque nobis exiſtat doctrina, & prouida ſit cautela. Vt occurſurus fratri prænoſcat nil aſperum ſe laturum, Deus ſpecie luctatoris mutuata vigilare cōpellit, & ſubdolas appetitus delicias, & delicioſas fallacias inflictis plagis extinguit. Extra periculum frequēter dormit, qui longiſſimè à peccandi opportunitatibus degit, at qui inter ſapotata fercula, qui inter decrepita vina, qui inter improba verſatur exempla, peribit indubiè, ni militarit ſtrenuè: cilicio opus eſt in ſæculo commoranti corpus domare, & inflictis verberum plagis carnis inſolentiam reprimere; ſed proh dolor! qui longiùs à vitiis diſtant, ſtudioſiùs certamini incumbunt, qui viciniores, ignauè dormiunt.

173.

Gen. 28. v. 12.

Gen. 32. v. 25.

Chryſoſt.

Cùm Samſon impudicæ mulieris domum intraſſet, eius ingreſſum hoſtes diligentiſſimè obſeruarunt, & exitum excubiis appoſitis impedire conati ſunt: *Cùm audiſſent Philiſthæi* 174.

Iudic. 16. v. 2.

 ſthiim

Digitized by Google

ſtiim, & percrebuiſſet apud eos intraſſe vrbem Samſon, circumdederunt eum poſitis in porta ciuitatis cuſtodibus. Samſon obſeſſus, & milite plurimo cinctus dormit vſque ad noctis dimidium, ac ſi periculum non appeteret, nec hoſtis inuigilaret: *Dormiuit Samſon vſque ad medium noctis.* Neceſſitate compulſus ſomnum excutit, & grandi onere terit humeros, & montis cliuos inſcendit ſcrupuloſos: *Conſurgens apprehendit ambas portæ fores cum poſtibus ſuis & ſera, impoſitaſque humeris ſuis portauit ad verticem montis, qui reſpicit Hebron.* Expende, amabo te, medios inter hoſtes inerti ſomno oculos tradidiſſe, & ab aduerſariis longè diſtantem inuigilaſſe: non conſtat monte obdormiſſe itineris labore defatigatum, & ferè immenſo pondere attritum, cùm liqueat dormiſſe obſeſſum. Profectò ſatius eſſet inuigilare, cùm vrgebant pericula, & hoſtilia ſæuiebant arma; in monte ſomnum capere omnino erat extra periculum: quia ipſa diſtantia eludebat aduerſariorum conatum; & tamen Samſon vigilat à periculo remotus, dormit diſcrimini grandi vicinus, ſic namque ſæpè accidit: ipſa vitiorum affinitas offundit menti tenebras, quæ conſulere debuiſſet vigilias; cùm tamen qui à periculo remotior, non ſemel inuigilet ſolicitior. Huc voco Auguſtini verba ſermone 10-. etſi tantiſper deflexa. Auguſt. *Qui mixtus eſt meretrici, ſcriptum quia dormiebat.* Vbi acrius adurgebat periculum, mentem etiam grauabat ſomnium: oculos non tradidit ſomno periculo exemptus, oculos tradebat ignauiæ multo diſcrimini obnoxius. Mira res: inuenies plures virtutis alumnos extra ſæculum poſitos laborioſiſſimis vigiliis incubantes, & corpus honeſtis laboribus atterentes: ieiunant ſicci, aridique, in oratione obnoctant; & ſecuri, quaſi periculo adurgeantur, ſe plurima virtute communiunt, cùm tamen periculis cincti, & variis tentationum turbinibus agitati placidè quieſcant, ſecurè dormiant. Huius veritatis alium producamus teſtem, Ionam videlicet.

175. Hic ad Niniuem ciuitatem inter Aſſyrios celebrem, & naturæ terminos criminibus ſupergreſſam legatus maluit imprudenti timori conſulere, quàm tot ſaluti hominum prouidere: nauim Tharſos petituram inſcendit, & pretio ſibi periculum conciliauit. Iam cryſtallinas vndas tranabat nauis, cùm ſæua procella ſerenitatem depellit, & armatos in ſcapham fluctus immittit: per momenta minabatur naufragium, & animos ſolicitabat periculum. Quid tunc? Ionas graui ſopore deprimitur, & ignauiæ, Ionæ 1.v.6. priuſquàm fluctus, naufragio mergitur: *Dormiebat ſopore graui:* ſors reum inuenit, & iam propheta naufragus redditur, & voragini ferali committitur: piſcis hoſpitio receptus diuina prouidentia ſeruatur, & ipſo in ſepulchro vti Ionæ 2.v.2. amplo degebat domicilio. Quid tunc? *Orauit Ionas ad Dominum Deum ſuum de ventre piſcis:* Iam procella deſæuierat, iam ſiluerat ventus, deferbueratque fluctus, iam eluſerat Ionas naufragium, & illæſus habitabat miraculoſum hoſpitium, cùm orationibus inuigilabat, & largiſſimis gemitibus incumbebat. Certè extra periculum potuiſſet dormire, & debuiſſet in periculo vigilare, cur ergo inuertit ſtylum, & in ceto vigilat cuſtoditus, qui dormiebat periculo ſeptus? Ipſa quæſtio ſolutio eſt: dum vrgebat tempeſtas, opus erat vigiliis; verùm ſic Ionas mancipatur ignauiæ, ſic traditur imprudentiæ, vt non ſolùm dormiat, ſed ſtertat: quaſi ipſa periculi vicinitas menti caliginoſas offuderit tenebras, & diſtantia ſalubres conſuluerit vigilias. Innuit Zeno Veronenſis ſermone de Iona. Zeno. *A ligneo ad nauigium vitale transfertur, qui vt eſt demiſſus in altum, ferinæque voraginis eſt receptus hoſpitio, vigilat in ceto, qui ſtertebat in naui.* A periculoſo nauigio ad ſalubre vitaleque ſibi nauigium transfertur, & iam tempeſtati ſubductus vigilat, qui procelloſis turbinibus agitatus dormiebat. Sic non rarò accidiſſe reperies: ſomnus ignauè capitur, cùm periculum vrget, & cùm inuigilare tempeſtas cogit; cùm tamen ſolicitis vigiliis incumbant, qui prouidenter ſeruati, & ſi fas eſt dicere, extra diſcriminis aleam poſiti.

Iacob dum varias hæreditatis ſortes proui- 176.
dentiſſimus filiis adſcriberet, eam, quæ ad maris littus iacebat, Zabuloniis adſcripſit: Gen.49 v.13 *Zabulon in littore maris habitabit, & in ſtatione nauium pertingens vſque ad Sidonem.* Ambroſius inquirit apud Lippoman. cur Zabuloniis præ reliquis hanc adſcripſerit ſortem, cùm amœnior, & diuitiis fuerit copioſior: reſpondetque ipſum Zabulonis nomen ſignificare ſolicitè excubantem, & vigiliis incumbentem, monuiſſeque ſuo facto prudentiſſimum ſenem præ aliis opus eſſe ad maris littus habitanti indefeſſa ſolertia, & vigilantiſſima cura, ne irruentibus improuidè inimicis gemat captiuus aut ipſis fluctuum irruptionibus hæreditate priuatus: Ambroſ. *Ipſa nominis interpretatio* (verba ſunt Ambroſij) *meliora promittit, eo quòd latina expreſſio liberationem ſignificet à nocturnis, quod eſt vtique bonum, & eius, qui ſperat in pennis Domini, quem circumdat veritas eius, ne timeat à timore nocturno, & à negotio perambulante in tenebris.* Addit ſtatim: *Hic ergo Zabulon iuxta mare, inquit, habitabit, vt videat aliorum naufragia ipſe immunis periculi.* Naufragiis vicinus continuis cogitur armari vigiliis, vt pariat ſecuritatem ſolertia, in quam turbulenta armantur ſæpè naufragia. Ergo prudentiſſimus ſenex fluctibus confinia ſolicitè adſcripſit inuigilanti, vt doceret opus eſſe maiori ſtudio degenti in vitij fluctuum confinio. Solùm Zabulon hoc eſt indefeſsè vigilans, & ſub Dominicis pennis habitans hanc inhabitabit hæreditatem ſecurus: alius namque vigiliarum inſcius peribit quàm citò naufragus. Ergo ſi iuxta voluptatum procellas periculorum fluctus inhabitas, imitare Zabulonem, hoc eſt inertis ſomni inſcium, & excubiis ſemper indefeſſis armatum.

§. XL.

Validiùs, animoſiuſque ibi pugnatur, vbi virtus, militiaque remunerata videtur.

Præmium fortitudinis eſt igniculus, robo- 177.
ris ſuſtentaculum, laudabilis audaciæ fomentum, & honeſtæ temeritatis illicium: ſtrenuus vir ſuopte ingenio pro honeſtate irruet in aduerſarium; imò & prouocabit ſæpè inimicum verùm

Digitized by Google

verùm hæc generoſa certaminis flamma viuidiùs ardet, dum illam conſpectum præmium aſcendit: languet manus, aut certè remiſſiùs pugnat, ſi præmium fortitudinem non coronat: *Vobis delegatarios noſtra largitur humanitas*, ſcribit Caſſiodorus 11. variarum 33. *vt tunc habeatis commoda præmij, quando æſtus & ſudoris terminum conſecuti. Non vos anxia mora ſuſpendimus, nec cruciabili dilatione fatigamus: vnus ſit finis ſolicitudinis & laboris: nam differendum quis putet, ſi beneficia ſua vendere non retractet?* Sudoris anhelis votis properatur ad terminum, ſi præmij non contingat differri votum: per inacceſſas rupes, arduoſque ſcopulos virilis animoſius inuolat fortitudo, ſi iter generoſa remuneratio ſuadeat, & animos fortitudini adiiciat. Profectò eneruat vires, qui ſuſpendit laboris meritum, & ſudoris remittit impoſterum beneficium. Nec ſolùm vires acuit vtilitas propria; ſed commoditas etiam aliena: nam vbi quis videt aliorum remunerati laudanda geſta, exambit ſimilia perfeciſſe facinora. Ecce Debora Barac monet, vt decem millibus pugnatorum armatus in Siſaram irruat, qui Scriptura teſte nongentis falcatis curribus erat munitus, & ferè innumeris exercitibus ſtipatus: *Vade, & duc exercitum in montem Thabor: tolleſque tecum decem millia pugnatorum de filiis Nephthali, & de filiis Zabulon.* Profectò ſi rem oculis humanis dimetiaris alienam à prudentia prorſus inuenies; ſibi namque videtur conciliare periculum, qui exigua manu copioſis circumfuſum militibus impetere ſatagit aduerſarium. Si Siſara nongentos currus falcatos habet, quis adoriri bellum prudens audebit? Certè vel votum ſuggillabit inſanum apertum adeò periculum: quando ergo Debora in tricem adeò hoſtem ſuadet Baracum irruere, & ad hæc montem inſcendere. Profecto textus difficultati reſpondit: *Vade*, inquit, *& duc exercitum in montem Thabor.* In Thaboris vertice decantatiſſimus ille populi dux Moyſes ſplendoribus fulget, Elias Iſraëlis currus & auriga non caducis radiis reſplendet: ibi Dominus Solem vincit delibans præmium, & adoriri geſtiens inimicum: Ergo Barac militibuſque locus ipſe adiecit animos, & bellandi iniecit igniculos: nec enim pugnam poterant detrectare, quibus datum eſt adeò excellens præmium præſentire, aut propheticis oculis præuidere. *In hoc monte*, ſcribit Hugo, *transfiguratus eſt Dominus coram Petro; Iacobo, & Ioanne.* Locus vbi reſplenduit gloria, honeſta animos alioqui viriles exacuit ad bella. Conſonat Abulenſis quæſtione 9. *Quæret aliquis? quare Deus miſit Barac, quod duceret exercitum in montem Thabor. Reſpondebit aliquis quod hoc factum fuerit ex prudentia bellica, ſcilicet vt Barach haberet locum tutiorem ad pugnandum.* Profectò Thabor locus erat ad pugnandum tutiſſimus non ſolum loci ingenio; ſed præmiorum etiam conſilio: vbi reſplenduit gloria, nec dura quibat detrectari militia. Et quidem Moyſes præmio coronatus cunctorum accendebat affectus: ibi ergo inimici præuidebatur exitium; vbi conſpiciebatur præliantis legitimè præmium.

Caſſiod.

Nemit differro, qui beneficia diſcupit venditare.

Dilatio anxia mora animum expectantis ſuſpendit.

Hugo.

178.
Mulier radiis Solaribus cincta, dum egregiè micat, ſerpentinam inuidiam luminibus prouocat; ſerpens inſurgit flammiuomus & horrendus, eius techinas mulier fruſtrata eſt in ſolitudinem ſe recipiens: *Mulier*, inquit, *fugit in ſolitudinem*, verùm deluſus adhuc non deſtitit; ſed inſanior ac rabidior exarſit. Quid tunc? Deſertum petit, & ſerpentis adſultus vicit: *Datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum locum ſuum.* Quæres quid ſpeciale præ ſolitudine habuerit deſertum, vt mulier illuc inuolauerit vti ad aſylum, imò vti ad feliciſſimum ſibi campum. Recole, ſi placet, quod Matthæus 4. cap. ſcripſit. Ductus Dominus in deſertum cum veternoſo, antiquoque ſerpente pugnauit, illum vicit, & quo loco vicit, & præmia cæleſtia accepit: *Dereliquit eum diabolus, & ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.* De ſerpente victoria remunerata eſt cæleſtibus muneribus, & Angelicis plauſibus. Adhæc deſertum cæleſtis patriæ referebat imaginem: nam paſtor ille, qui ouiculæ amore ad terras deſcendit, nonaginta nouem in deſerto, hoc eſt in cælo reliquit: ergo mulier, vt validius pugnet vaferrimo cum dracone, relicta ſolitudine inuolat in deſertum: quia in deſerto conſpicitur victoria laudibus celebrata, & diuinis muneribus redimita: *Patriam deſertum vocat*, ſcribit Ambroſius ad hunc locum, *quemadmodum & Dominus dicit in Euangelio, cùm ſe nonaginta nouem oues in deſerto dixit dimiſiſſe.* Deſertum gloriæ ſymbolum, vbi Angeli coronant merita, & Dominus nobilitat præmiis certamina: ergo prudenter mulier deſertum petit, & ſerpentis aſtus eludit. Ad hæc in ſolitudine alas non habebat, quas deſertum petens ſortitur, in quibus, teſte Lyra, adumbratur militia, & fortis militum copia: Alæ eius ſunt acies *exercitus.* Validius pugnat, vbi præliantes cæleſtis prouidentia coronat: omnia mellit, & mollit præmium, vt ſine ſpe præmij tota torpet humanitas, & marceſcit animoſitas.

179.
Eliſæum vtpote conſilij ſui proditorem multis rex Syriæ militaribus obſedit agminibus, puer mortem expauet, & indubiam ſibi ſtragem lachrymabili voce denuntiat; verùm propheta vt indiderit animos, & nouos inſerit oculos, igneos currus, & flammiuomos equos oſtendit, & viſu puerum contra aduerſarios armauit: *Aperuit Dominus oculos pueri, & vidit; & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum.* Rogat Ambroſius ſermone 2. de Eliſæo propheta qui fuerint ignei equi, quæ ignea quadriga, reſpondetque eos fuiſſe equos, qui igneo curru triumphantem Eliam detulerant, & ſplendoribus virtutes nobilitarant. *Elias magiſter Eliſæi nonne Angelis ducentibus raptus ad cælum eſt, & quadriga ignea impoſitus quaſi in quodam triumpho victor aſcendit?* Addit ingenioſus Doctor. *Ergo Eliam Angeli ad cælum perferunt, Eliſæum Angeli in terris cuſtodiunt.* Ecce quibus armis vel puer in hoſtes audeat, nec iam timeat, Eliæ ſcilicet præmiis: dum vidit virtutis remunerationem compeſcuit lachrymas, nec hoſtiles timuit inſidias: præmij aſpectus ſic meticuloſũ armauit, vt animos reſumpſerit, nec timerit. O quàm ſapienter Eliſæus oſtendit exanimato præmium, vt indiderit animum! nec enim poteſt terga indecorè

Apoc.12.v.6.

Matth.4. v.11.

Ambroſ.

4.Reg 6. v.17.

vertere, dum decertantis olim ſtrenuè Eliæ contigit præmium videre. Quadriga ignea impoſitus, quaſi in quodam triumpho victor aſcendit. Ergo qua Elias aſcendit, quadriga puerum armauit: nec enim poterat ignauè ſe ibi gerere, vbi datum eſt præmium viriliter decertantis conſpicere. Diſcant Principes milites ſuos præmiis obarmari: quia fortiora arma ſemper extiterunt præmia.

180. Expendebam aliquando Moyſem ſemel & iterum tentaſſe extrahere imperium, & linguæ obieciſſe obſtaculum: mittebatur vt po-
Exod.3.v.10 pulum erudiret, vtque à compedibus liberaret: *Veni & mittam te ad Pharaonem*: ille ingenij ſui populi non ignarus varias ſemel & iterum prætendit excuſationes, & allegat difficultates: *Non credent mihi, neque audient vocem meam.* Vides Moyſem re-
Exod.4.v.1. luctantem, dum legatio illi iuberur: tranſi modo ad Iſaiam ſeſe vltroneè offerentem, vel cùm illi non præcipitur. *Ecce ego mitte me.* Inquires, quæ cauſa Iſaiam impulerit, cùm Moyſem ſimilis difficultas muneris retardarit: Deus nuntio ſe indigere Iſaiæ indicat, Moyſem legationem arripere mandat: cur ergo Iſaias difficultatibus non terretur, cùm Moyſes, vt apparet, præpediatur? O attende, vbi ſe vltroneè obtulerit Iſaias, vbi ſcilicet duos Seraphim vidit ſolio alatos
Iſai 6.v.9. gloriaque redimitos: *Seraphim ſtabant ſuper*
Bernard. *illud, ſex alæ vni, & ſex alæ alteri: duabus velabant faciem eius.* Hos ſeraphinos fuiſſe, qui olim in dæmonem, vitiaque ceperunt arma, tradit Bernardus ſermone 5. *Quid æſtimare vetat deiecto Lucifero ad peruigiles excubias Seraphim conſtitutos, ſicut eiecto homine, teſte Scriptura, Cherubim ad cuſtodiam poſuit Deus.* Itaque Seraphim in vitia ſtrinxerunt arma, vt olim à Cherubino vibrata eſt contra Adamum rhomphæa. Iam has excubias irremuneratas non remanſiſſe tradit ibi poſt aliqua Bernardus ſic ſcribens: *Quibus tamen putamus alis hoc caput Seraphim velant?* Dubitationi reſpondit: *Duabus, ni fallor, alis, ſua videlicet ipſorum gloria & felicitatis.* Itaque hic vidit Iſaias excubiarum præmium, & ſeruiendi Principi remuneratum ſtudium: ergo alieno præmio ſuaſus legationem arripuit, & famulari conatibus anhelis optauit. Profectò felix & eloquens perſuaſor eſt virtus remunerata: ingerit namque igniculos aliena felicitas, ſiquis ſperet labore non diſſimili ad ſimilem poſſe fortunam peruenire, & eiſdem virtutibus euolare. Moyſes dum non videt præmium, obiicietr tarditatis obſtaculum; at Iſaias ſeruire ambibit, dum ardenter diſcupiens ſolium videt obtinuiſſe diligentes excubias, & expromptiſſimas obedientias. Nil arcebit, ſi præmium contigerit inflammare. Ergo ſapienter Debora Thaboris meminit, cùm in potentiſſimum aduerſarium Baracum non modicis difficultatibus retardatum in certamen prodire monuit: nam ipſe locus erat ad viriliter depræliandum igniculus. Forſitan ni Thaboris mentionē feciſſet, non ſic ad pugnam armaſſet.

181. Profectò eximiam vel exiguo tempore comparaſſe virtutem oſtendit Zachæus ſycomorum aſcendens: *Præcurrens aſcendit in arbo-*
Luc.19.v.4. *rem ſycomorum.* Chryſologus ſermone 54. pre-
Chryſolog. mens illud verbum: *Præcurrens*, inquit, aſcendiſſe arborem, antequam Dominus illam regni titulo nobilitaret, & meritorum præmio muniret: *Si benè aſcenderat, quare ei dicitur, Deſcende? Superius dixit. Præcurrens aſcendit arborem: præcurrit ſeruus Dominum, & ante Zachæus aſcendit arborem, quam crucem Dominator aſcenderet: hinc eſt quod dicitur ei: Feſtinans deſcende.* Honeſta tactus inuidia præcepit Dominus Zachæo deſcenſum, eius alacritatem; & fortitudinem demeratus. Profectò inſcendente Domino crucem honoris titulus caput arboris coronauit: Erat & ſuperſcriptio ſcripta ſuper eum litteris Græcis, & Latinis, & Hebræis: *Hic eſt Rex Iudæorum.* Ad quæ Ambroſius: *Super crucem ponitur titulus.* Ergo mirum non eſ-
ſet, ſi Zachæus regno iam coronatam crucem Ambroſ.
intrepidus inſcendiſſet; erat tamen perfectionis faſtus, & decantandum ſæculis virtutis præconium arborem carentem præmio ſpectare, & aſcenſum non horrere. Hinc eſt quod Dominus Zachæi intrat hoſpitium dilargiturus eximiæ virtutis præmium: non prohibuit aſcenſum, vt virtutem aſcendentis prodiderit; præcepit verò deſcenſum, quo domum illius intrans præmiis ampliſſimis cumulauerit.

---

§. XLI.

Non ſemel per tarditatis vitium incurrit obſtaculum, quod ſapienter conſtat fuiſſe diſpoſitum.

PAtum iuuat longa meditatione ſcrutari, 182.
ni meditatum congruo tempore conſtet impleri: occaſio, opportunitaſque actionum ſunt ornamenta; imò aliquando cenſeri poſſunt ſubſtantia; manet dilatione prolixa obſcuratum, quod de celeritate decenti ſortiretur encomium. Vt feſtinans canis cæcos parit catulos; ita nimis lenta tardos producit effectus: & quidem de tarditate dignis actionibus creari ſolet obſtaculum, & fruſtrari de obſtaculo deſiderium. Quæ laudabiliter conſtat ordinari, ſine cunctatione debent impleri: ſordeſcit namque religioſum obſequium, vbi cunctationis eſt vitium: quod ſi iuſſa humana celeriter debent impleri, potiori iure diuina executioni debent ſine cunctatione mandari: nam breuiſſimum temporis interuallum fruſtrari ſolet ſtudium, & rebus auferre pretium. Debora ſtatim ac Dei voluntatem agnouit, ad Barac legationem inſtituit: *Miſit & vocauit Barac filium Abinoën de Cedes Nephtali: dixitque ad eum: Præcepit tibi Dominus Deus Iſrael: Vade & duc exercitum in montem Thabor.* Quid tunc? *Accitis Zabulon & Nephthali aſcendit cum decem millibus pugnatorum.* Non tardauit mandatum, ne dum moras trahit, impediret decantandum ſæculis triumphum: dum citò paret, inopinæ felicitatis potitur triumphis, & hoſtilibus redimitur trophæis. Huc
voco quod aiebat Caſſiodorus 1. variarum 40. Caſſiod.
Ordinatio noſtra non debet per moram impediri, ne quod ſalubriter conſtat eſſe diſpoſitum, per tarditatis vitium incurrat obſtaculum. Ni Barac citò præceptum executioni mandaſſet; mora aduerſarios communiuiſſet, eſſentque difficiles vinci, dum conſtabat

pro

Digitized by Google

prouidentiores armari : tarditatis vitium non
ſolùm triumpho peperiſſet obſtaculum ; ſed &
antiquum augeret iugum:tantum obedire tem-
pore congruo iuuat, & tantum differre incom-
modat.

Sponſus deuictis obſtaculis properat, &
183. Sponſam blandimentis ac deliciis illectam ſibi
aperire depoſcit : *Aperi mihi, ſoror meà,Sponſa,*
amica mea, columba mea. Veniebat, vt dile-
Cant.5.v.2. ctam ſuam cæleſti rore repleret, & diui-
tiis cumularet ; at illa aperire diſtulit friuolas
cauſas allegans, & inutiles allegationes colo-
rans : *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar*
illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?
Sponſus dilatione offenſus fugit, & iam Spon-
ſa dolet abſentem, quem recipere noluit inui-
tantem. *Peſſulum oſtij mei aperui dilecto meo,*
at ille declinauerat, atque tranſierat. Et cur
tranſeat, qui tam ardenter aduentat. Si diſpo-
ſuerat comitari Sponſam, & cæleſtem rorem,
quo exundabat caput, impertiri : *Caput,*inquit,
meum plenum eſt rore : cur non perſtitit; ſed vo-
lauit? O quanta amiſit Sponſa, dum immora-
tur ignauè : nullo aut exiguo labore potiretur
deliciis, quas poſteà nuditatis ac vulnerum
pretio comparauit : amiſit pallium, quæ recu-
ſauerat corpori aptare ornamentum : timuit pe-
dem inter obſcuras tenebras noctis offendere,
quæ coacta eſt alta à miniſtris incuſſa vulnera
tolerare : tarditatis deperdit obſtaculo, quod
benignitatis frui poterat beneficio. Quàm ſa-
pienter monebat Tertullianus de pœnit. *rape*
occaſionem inopinatæ felicitatis, vt ille tu nihil
Tertullian. *quondam penes Deum, niſi ſtilla ſitulæ, & area*
puluis, & vaſculum figuli arbor exinde fias illa,
quæ penes aquas ſeritur, & in foliis perennat, &
tempore ſuo fructus agit, quæ non ignem, non ſe-
curim videbit. Ecce dum occaſio opportuno
tempore rapitur, & ardor ignis effugitur : vul-
nus Sponſam dehoneſtat incuſſum, quia felicis
occaſionis tempus elapſum. Profectò ni igna-
Delrius. uas traxiſſet moras, nec indecoras tuliſſet pla-
gas. *Mox*, ſcribit noſter Delrius ad litteram,
faſtiditum ſummo cum labore quæret; friuolas &
pueriles moras nectit : veſtes, ait, interiores de-
poſui, ſtragulis intepui, ac more gentis lauta cubi-
tum me recepi. Occaſionem amiſit, & dum per
ignauiæ obſtaculum ſapienter protelauit diſpo-
ſitum, ſibi multiplicauit & gemitum : fruere-
tur quidem deliciis, ni friuolis ſeſe impediiſſet
obſtaculis.

184. Sunamitis illa, quæ naturæ leges pietate
deuicit, puerum præter ſpem acceptum, præ-
ter ſpem etiam doluit ſibi ſorte aduerſiſſima ra-
ptum : mallet eodem tumulo ſepeliri, quam
temporaria frui lucis vſura, & orbitatis produ-
ci tempora : expectabat nuptias ; ſed pro thala-
mo compoſuit tumulum, & dum cogitaret
Sponſum, ſepulchralibus faſciis doluit ligan-
dum. Quid tunc? Decreuit acerbum caſum
maritum celare, & ad Prophetam adire, puer-
oque ducenti iuſſit, ne moras traheret ; ſed
celeri pede iter arriperet : Strauit aſinum, &
1.Reg.4. præcepit puero : *Mina & propera, ne mihi mo-*
ram facias in eundo. Quærunt Patres cur adeò
celeriter decreuerit inuolare, cùm celeritas pa-
rum aut nihil videretur intereſſe. Profectò vi-
ta miraculosè erat reſtituenda; quid ergo inter-
erat, ſi moroſius, aut celerius iter perageret,
& ad prophetam veniret? Imo celeritate vide-
tur denigrare, quam de longiori tempore no-
bilitaret fiduciam, & prophetæ commendaret
efficaciam. Cur ergo ſemel & iterum miniſtro
celeritatem imperat, & vel exiguo tempore
cunctari vetat? Quia prudentiſſimè, reſponde-
bit Abulenſis, decreuerat acerbum adeò caſum
Sponſo occulere, ne nuntium cogeret dolo-
ris flammis ardere : timuit ergo diſerta mulier,
quod prudenter erat diſpoſitum; tarditatis vi-
tio impediendum, ideò greſſum iuſſit matura-
re, vt prudenter cogitata quiret implere. Au-
di Abulenſem quæſt. 35. *Ne mihi moram facias*
in eundo : volebat enim mulier iſta cito ire ad Eli- Abulenſ.
ſæum, vt ipſe cito veniret, & ſuſcitaret puerum,
antequam cognoſceretur mors eius per virum ſuum.
Si ſeruus lento paſſu iter arriperet, ſi tempus
ignauè tereret, confirmata duratione mors
ægriùs depelleretur, & occultus caſus ipſa mo-
ra detegeretur. Ergo vt faciliùs puer reſtitue-
retur luci, vtque caſus occultaretur parenti,
celeriter decreuit inuolare, & prophetam ſecum
adducere : fors ſi tardaſſet, fors ſi lentius iter
arripuiſſet, tarditatis impedimento, rationabili
obſiſteret voto. Ergo puero, miniſtroque cele-
ritatem imperat : quia nouit ſæpè miniſtros
per tarditatis obſtaculum impedire quod pru-
denter conſtat diſpoſitum. Quod ſi ad mores
referas, his eruditis exemplis citato greſſu ad
prophetam properare, ſi noueris conſcien-
tiam peccatorum morbis interire. Profectò
Deus ſapienter miſericorditerque omnes de-
creuit ſaluare; ſed plures dum moras trahunt,
dum in futurum ſalutem differunt, ſaluti op-
ponunt obſtaculum, & ſapienter fruſtrant de-
cretum.

Cùm ad morti proximum Eliſæum rex Ioas 185.
viſurus deſcendiſſet, pietatis præmium læ-
tum accepit à moribundo propheta nun- 4.Reg.13.
tium : *Percuties Syriam in Aphec, donec conſu-* v.17.
mas eam : nec contentus fuit propheta regiam
illam dignationem victoria vnica munerare; ſed
vt alias prænuntiaret, ſagittis iuſſit terram
ferire. *Percute iaculo terram.* Obſecutus eſt
Princeps; ſed tribus contortis iaculis ſtetit, &
moram traxit, quod Eliſæum ad iracundiam
commouit : *Cum percuſſiſſet tribus vicibus, &*
ſtetiſſet, iratus eſt vir Dei contra eum. Et quæ in-
dignationis cauſa? Profectò mora : *Si percuſſiſſet*
quinquies, ait, aut ſexies, ſiue ſepties, percuſſiſ-
ſes Syriam vſque ad conſumptionem; nunc autem
tribus vicibus percuties eam. Ecce decretum erat
Syriam à Ioas vſque ad conſummationem de-
lendam : *Percuties Syriam in Aphec, do-*
nec conſumas eam. Decretum non ſine ſagitta-
rum eiaculatione erat perficiendum : ergo Ioas,
dum à percutiendo terram ceſſat, felicita-
ti ſuæ apponit obſtaculum : & quidem ratio-
nabili indignatione propheta commouetur,
cùm tantus triumphus ignaua dextera amitti-
tur. Quam exiguum tempus ſatis erat, vt
Ioas æternis redimiretur triumphis, & opimis
ditaretur trophæis, quàm breuis mora, quod ra-
tionabiliter fuerat diſpoſitum perdidit, & ob-
ſtaculo tarditatis amiſit. *Erat reuelatum Eli-*
ſæo, ſcribit Lyra, *quod ſi rex multoties percute-* Lyra.
ret terram abſque interruptione, quod totaliter deii-
ceret Siriam. Itaque Syriæ erat cælitus decreta
vaſtitas, ſi in percutiendo terram rationabi-
lis laboraret celeritas; aſt dum vacat manus,
dum remittitur cura, dum intermittitur ſagit-

 tatio

ratio per tarditatis vitium, ſalubre non adimpletur decretum.

186. Abraham de filij ſui nuptiis ſolicitus ſeruum delegat, qui ad proprios tendens fœminam benè moratam, & virtutibus præ pulchritudine ſplendentem adducat: pertexit ille, & implorato diuino auxilio, quam poſſet Sponſi votum depingere, puellam inuenit: cùmque à Domino non ſine peculiari prouidentia diſpoſitam oſtendiſſet, & non inualidis argumentis probaſſet, puellam decenti comitatu mitti poſtulauit; verùm virginis mater fratreſque naturali allecti amore ſimul optabant matrimonio
Geneſ 24. v. 55. virginem tradere, & ſecum per dies aliquot retinere: *Maneat puella ſaltem decem dies apud nos, & poſtea proficiſcetur.* Quid ad hæc prudentiſſimus ſenex? *Nolite, ait, me retinere, quia Dominus direxit viam meam.* Scrutemur, ſi placet, huius ſententiæ rationem: quid enim intereſt viam à Domino fuiſſe directam, vt nullam velint traxiſſe moram? Nonne etſi puella apud ſuos diebus decem immoretur detenta, ſerui via agnoſcetur à Domino gubernata? Cur ergo iter à Domino allegat diſpoſitum, vt retinendi puellam humanum ſopiat ſtudium. O quàm ſapienter argumentatur! Clariſſimis oſtenderat argumentis connubium illud à Domino fuiſſe prouidenter diſpoſitum, verituſque eſt, ne felicitati ſuę refragentur per tarditatis obſtaculum: poſſet namque contingere, vt Iſaac mora exacerbatus aliam vxorem duceret, quo iter à Domino fruſtraretur directum, & laborioſum ſtudium defatigaretur in caſſum: cuius myſterij non inſcia Rebecca à fratribus interrogata, velletne viam ſtatim carpere, aut per dies aliquot detineri, reſpondit: velle ſe expromptè diuino obtemperare decreto, ne tanto, ſi moras traheret, fruſtraretur Sponſo: *Cumque vocata*
Oleaſter. *veniſſet, ſciſcitati ſunt: Vis ire cum homine iſto? Quæ ait: Vadam.* Audi Oleaſtrum ad mores: *Vtendum eſt bona fortuna, & Dei beneplacito, ne mutari contingat.* Mora ſtudioſè tracta aut ignauè admiſſa non ſemel lætæ fuit fortunæ obſtaculum, & proſperitatis impedimentum. Ergo prudenter Rebecca moras rumpit, & occaſionem inopinæ felicitatis ſibi rapit. Barac etiam ſe ſtatim ad expeditionem comparat, & Debora ſtatim legationem ad illum mittit: quo dum decenti celeritate quiſque munus exequitur, & decretus triumphus acquiratur.

§. XLII.

Stabilem procudit filiis fortunam, qui legis impleri exactè procurat formam.

187. Filiorum amor cum voluptate ſauciat parentes, nil cogitant niſi illorum adaugere fortunam, & contra aduerſos fortunæ caſus auri coaceruare anxiis laboribus copiam. Quã benè
Caſſiod. Caſſiodorus 2. var. 14. *Maria ipſa ſæuis tempeſtatibus excitata genitoris cura non refugit, vt peregrinis mercibus acquirat, quod propria ſoboli derelinquat.* Parum eſſet dubia pro filiis maris tentaſſe pericula: in aperta etiam diſcrimina ſe conjiciunt parentes, & quo obſequentius præceptis obtemperarint amoris, recurrentes procellarum animosè deſpiciunt turbines. *Nutriuntur*, præmiſerat Aurelius, *à paruulis, ipſis laboratur, ipſis diuitiæ conquiruntur, & cum ſibi vnuſquiſque credat abundare quod poſſidet, cùm à parentibus adhuc quæritur, pro altera potius ætate peccatur.* Sibi amor ſubtrahit, quod relinquat proli, & tunc ſibi adulatur dulcior, cùm anxios labores deuotat ſtudioſior: famem ſuſtinet, neceſſariis ad vitam aſſueſcit rebus carere, vt plura poſſit poſteris delegare: nil ex his, quæ ipſe ſuſtinet, amori eſt aſperum, cum quidquid pignus patitur, parentem excruciet durum. *Omiſimus,* Chryſol.
ſcribebat Chryſologus ſerm. 33. *anxia parentum vota, cum gignunt; periculoſos ordines, ſobolem cùm producunt, cum nutriunt, mœſtos labores, & iuges pœnas, cum ferunt ægrotantes: peior eſt mortis dies, pignora cum præcedunt.* Itaque à filiorum proſperitate & ſalute totus parentum pendet affectus, & nullus niſi quod filiis acciderit, obuenire potuit parenti caſus: gemina parenti cuique mors imminet, ſua ſcilicet, ſoboliſque; aſt acerbior eſt extrema filiorum hora, cùm propriæ mortis blandior ſit pœna. Verùm etſi omnes parentes dulce hoc amori pendant tributum, non omnes ſciunt ambire claris pignoribus commodum: pro altera, vt aiebat Caſſiodorus ætate peccant, quam ſtabilire diſcupiunt, ſuis contrariis votis fortunam imprudentiſſimè impediunt: illi ſolùm dignè amantium nomine decorantur, qui de legis adimpletione ſtabilire pignorum felicitatem moliuntur. O quàm celebranda ſæculis occurrit Debora non ſolùm dum prophetali ſpiritu reſplendet ornata; ſed cùm filio procurat felicitatem iuſſis diuinis obſequentiſſima: *Miſit, & vocauit Barac filium Abinoën de Cedes Nephthali, dixitque ad eum: Præcepit tibi Dominus Deus Iſraël: Vade, & duc exercitum in montem Thabor.* Barac Deboræ fuiſſe filium tradit Ambroſius lib. de viduis, & apud Gloſſam. Et quidem cui materni affectus videatur oblita, quando Baracum obiicere non recuſat periculis ſedula; ſi Siſara ferè immenſis militum copiis inſurgit armatus, ſi nongentis falcatis curribus properat in campum munitus, ſatius erit filium eripere, quam ad pugnam adurgere: filij ſtragem ſolicitat luctuoſam, dum exiguis copiis munitum multitudinem præcipit impetere armatam; imò, inquit Ambroſius, filio procurat ſæculis decantanda trophæa, dum Numinis hortatur exactè impleuiſſe mandata: *Præcepit tibi, inquit, Dominus Deus Iſraël,* Quaſi dicat: Nullatenus cunctis iuſſis Numinis obedire, ſi cupis lautis immarceſcibilibus coronari. *Quanta vi-* Ambroſ.
duæ fortitudo, inquit, Ambroſius; *quæ à periculis filium nec materno reuocat affectu; imò ad victoriam hortatur.* Ipſum ad ſpeciem periculum Deo obtemperans in triumphorum vertit crementum: dumque retrahentes difficultates deuorat, quo deuotius obtemperarit mandatis, in dubiis iam de inimicis reſplendet triumphis: maternum Debora prodidit prudentiſſima affectum, cum ſeriò monuit obedire Numini filium: tunc namque filiorum firmius ſtabilitur fortuna, cùm præceptorum colitur religioſius obedientia. Diſcant ergo à Debora parentes ſuis conſulere, ſatagantque diuina præcepta implere.

Archi

Digitized by Google

188. Archiſynagogus nomine Iaïrus luctuoſa filiæ preſſus calamitate ad Chriſtum inuolat, & præmiſſa adoratione puellæ vitam reſtitueret precatur obnixè: Marc.5.v.22 *Venit quidam de Archiſynagogis nomine Iairus, & videns eum procidit ad pedes eius, & deprecabatur eum multum dicens. Quoniam filia mea in extremis eſt: veni impone manum ſuper eam, vt ſalua ſit, & viuat.* Ipſo dolore edoctus quam deſperarat à medicis, ſalutem adimpletis ſolicitat à mandatis: Deum adorat, vt filiæ vitam acquirat. Deut.6.v.13. Profectò Deuteronom.6. lex Deum adorare præcepit: *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſeruies:* Quod Deuteronomij mandatum Chriſtus referens apud Matthæum ſic aiebat: Matth. 4. v. 10. *Dominum Deum tuum adorabis.* Itaque lex Deum religioſo cultu adorare iuſſit: ergo Iaïrus legis non inſcius, & filiæ dolore ſaucius geſtit obedire legi, vt lucem acquirat filiæ: ſciebat namque multò melius filiorum ſtabilire fortunam, quiſquis deuotiùs legis adimpleuerit obedientiam. Adeſt Chryſologus Chryſolog. ſerm.33. *Audituri eſtis hodie fratres, & ſancto Euangeliſta Marco referente mecum pariter cognituri, qualiter ante Chriſtum ſynagoga prolabitur, & proruit Principatus, & eum duplici modo Deum & Dominum confitetur, cùm adorat pro legis imperio ſic dicentis: Dominum Deum tuum adorabis, & redditorem vitæ indicat, cùm ſalutem filiæ morientis implorat.* Indicat fore redditorem vitæ, dum implorat; ſed vnde tanta Archiſynagogo fiducia? A legis ſanè obedientia: *Cùm adorat pro legis imperio ſic dicentis: Dominum Deum tuum adorabis, & redditorem vitæ indicat.* Ad procurandam vitæ ſalutem, magnam in medicos, eoſque optimos diuitiarum erogauerat ſummam; verùm nec copioſo potuit auro redimere filiæ morientis miſeriam. Quid tunc? Quæ non potuit impetrare ab arte, acquirere diſcupit à virtute: legis adimplet mandata, & iam mortis tyrannidem deuincit glorioſè puella. Cui ad vitam non proderat vlla induſtria, profuit legis obedientia: pater vitam filiæ impetrauit obediendo, quam aurum impetrare nequiuerat erogando. Multoties parentes largiſſimis donatiuis, indignis obſequiis, officiis frequentiſſimis geſtiunt conciliare potentium gratiam: quia de illorum fauore aduerſam credunt eludere poſſe fortunam, falluntur tamen; imò calamitatem non ſemel ſibi procudunt, dum proſperitatem exambiunt. O quam certius ſecuriuſque aſſequerentur vota, ſi ea Numini præſtitiſſent obſequia, exactiuſque legis coluiſſent mandata. De religioſa legum obſeruantia ſtabilis producitur filiis fortuna: Deus namque ſoluit cumulatiſſime poſteris, quod parentum religioſis debet obſequiis. Ergo ſi diſcupis filiorum proſperitati conſulere, obſequere, & eos edoce Numinis iuſſis ſtudioſiſſimè obtemperare. Ecce Debora, vt filio acquiſiuerit triumphum, implere hortatur præceptum. Ecce Iaïrus obtinuit à lege, quod nullatenus impetrare valuit ab arte.

189. Gentium Apoſtolus ad Romanos ſcribens Rom.4.v.16. ſic aiebat: *Ideò ex fide, vt ſecundum gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini.* Tangit Apoſtolus hiſtoriam Geneſ. 22. ſæculis demandatam. Ibi Deus Abrahæ iubet Iſaacum aris deuouere, & religioſis flammis adurere: ſanctiſſimus parens naturæ leges tranſilinit; ſed dum proculcat, cuſtodit, filium ducit in montem, vt mactet, ibi omni ſacramento diſpoſito manum leuat pio obarmatam ferro, quo religioſius obtemperarit mandato; verùm vox eius, qui victimam poſtulauerat, contradicit, & iam nobilem filiorum numeroſitatem, & inuidioſam ſæculis gloriam ſpondet. *Quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cæli.* Gen.22.v.17 Profectò à periculo eripit, dum periculo filium exponit: ſacrificat, vt ſeruet, & ipſa præcepti obedientia inconcuſſa ſuffulcitur ſemper fortuna: laborauerat Abrahamus in acquirendis diuitiis, in gregum augendis copiis; verùm anxius ſudor, & ſolicitus labor ſtellarum non potuit filiis mutuari ſplendorem, nec hæreditario iure tranſmittere claritatem; at dum Deo obſequitur, iam promiſſio omni ſemini ſtabilitur firmiſſima: quia de obſequiis adſurgit religioſis ſuffulta: *Ideò ex fide, vt ſecundum gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini.* Quam ſtabilem proſperitatem omni ſemini non acquiſiuerat Abrahamus, dum indulſit filij ſaluti, dum amplas adaugere ſtuduit diuitias, lucratus eſt dum puerum duxit, dum Numinis iuſſionem impleuit. Anſelm. *Quam per fidem obtinuerat*, ſcribit Anſelmus ad citatum locum Pauli, *facta eſt Abrahæ promiſſio, & ſemini eius.* Parum reliquiſſet hæredibus labore induſtrio, plurimum legis obſequio. Profectò dum pater nec vnguem diſcrepabat à lege, videbatur filius non ſolùm diuitiis; ſed & vſura lucis fraudandus; verùm euentus docuit de obedientia promanaſſe longæuam vitam, nobilitatis excellentiam, diuitiarum copiam. O quàm prudenter credidit Abrahamus ſtabilire ſe filij proſperitatem, etiam dum obediens duxit ad mortem: nouerat namque ſine obedientia plurima ex ipſa ſecuritate emergere ſæpè pericula, vt è contrà de euidentiſſimis, certiſque ad ſpeciem periculis progigni duratura ſemper crementa: mors imperabatur; verùm dum Abrahamus non expauit filium obiicere morti, vt Deo obſequeretur iubenti, de ipſo obſequio mirè contradixit periculo: ni geſtiret adimpleſſe præceptum, procreaſſet filio periculum. Verùm proh hominum cæcitatem! legis iniuria pignoribus non ſemel ſe putant conſulere & illorum proſperitatem augere, cùm quidquid laborioſus acquirit ſudor, quidquid anxius ac perpetuus aggerat labor, citiſſimè pereat, nec militet proſperitati; ſed adulterur dolori.

190. Rebecca mulier prudentiſſima dum Iſaacum audit Eſau præcipientem de venatione quid afferat, vt benedictionem accipiat, vrget Iacobum patri eſcas parare, & ambitioſam fratris ſolicitudinem anteuertere: paruit Iacobus, & iuxta oraculum benedictione ditatus reſplenduit, & qui victus pugnâ, præualuit fratri obedientia: *Seruiant tibi populi*, aiebat Iſaac, *& adorent te tribus: eſto Dominus fratrum tuorum.* Gen.27.v.29 Diuus Ambroſius cenſet Iſaacum Eſau rebus nullatenus conſuluiſſe; imò Rebeccam eius felicitatem materno affectu ſolicitè procuraſſe. Accipe eius verba apud Lipoman. Ambroſ. *Apud matrem piam myſterium pignoris præponderabat: illum non tam fratri præferebat, quam offerebat Domino, quem ſciebat collatum ſibi munus poſſe ſeruare.* Studioſius audi, quæ ſubdit: *In quo & alteri conſulebat.* Iuſſerat oraculum maiorem obtemperare minori. Gen.25.v.23 *Maior ſeruiet minori.* Ergo dum pater diuini mandati immemor ſolicitat magnis Eſau diuitiis augere, cæcus probatur illum facultati-

bus denudare: non eius incrementabat fortunam; ſed ſtabiliebat miſeriam; at Rebecca oculis non orbata filium Eſau ſubducit offenſæ, vt conſuluerit fortunæ: *In quo & alteri conſulebat.* Conſtare nequibat proſper Eſau ſtatus de ſola patris ſolicitudine; ſed de præceptorum adimpletione: patet ergo viſu caligans egregiè errauit, dum filium violato præcepto augendum proſperitatibus credidit: nec enim ei conſulebat, dum oraculum imprudenter violabat; Rebecca verò conſuluit, quia diuinam voluntatem exactiſſimè impleuit. In quo & alteri conſulebat. Diſcant ergo patres nunquam violata lege filiorum proſperitatem procudi; ſed miſerias conciliari: cum noſtra theſis vere ſſima ſit, ſcilicet ſtabilem procudere filiis fortunam, qui legis exactè impleri ſatagit obedientiam.

§ XLIII.

Magnis Deus præparat triumphis, quem laborioſis exercet prælìis.

191. CAlamitas, rerumque difficultas occaſio virtutis eſt: & veluti immortales ſtimulos Deus admouet animis, quos clarare exambit virtutibus: reiectitij ſunt quos inerti permiſit otio; imò miſeri qui nimio felicitatis torpeſcunt oblectamento, lento in mari fallax illos tranquillitas detinet, & detentos non ſemel naufragio tradit. Quam benè Seneca lib. de prouid. cap. 4. *Hos itaque Deus, quos probat, quos amat, indurat, recognoſcit, exercet; eos autem, quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis ſeruat.* In caſtris periculoſa ſolum fortiſſimis imperantur, argumentum lectiſſimi eſt ad nocturnis hoſtes aggrediendum inſidiis, delegari. Itaque Imperator de illo benemeretur, cuius fortitudinem ac virtutem approbans commendat ardua: non aliter in virtutis militia ſentiendum eſt: qui à Deo ad difficiliora citantur, digni profectò inueniuntur. alij namque veluti perpetua humanæ felicitatis ebrietate ſopiti ad egregias virtutes reperiuntur ſemper inepti. itaque hanc Deus in bonis viris rationem ſequitur, quam in ſuis diſcipulis optimus præceptor: plus laboris ab his exigit, in quibus ſpes ſecurior effulget: nullus fuiſſe Lacedemoniis inuiſos liberos ſuos credet; & tamen experiebantur indolem verberibus publice admotis: ipſi patres monebant filios flagellorum fortiter dolorem perferre; imò laceros ac ſemianimes inter ipſa vulnera perſeuerare. Ergo nil mirum ſi generoſos ſpiritus durè tentat Deus: approbat namque illorum præſtantiam, dum exercet etiam patientiam. Ecce Siſara innumeris militum copiis circundatus terrorem vel Hebræorum optimis incutiebat. Quid tunc? Deus Baracum eligit, & exigua manu iubet aduerſarium animosè impetere, & ad hæc Thaboris montem ſcandere: *Dixit ad eum* (Debora) *Præcepit tibi Dominus Deus Iſrael: Vade, & duc exercitum in montem Thabor, tolle que tecum decem millia pugnatorum:* Pugnare iubetur cum aduerſario militum, curruum, & armorum copia munitiſſimo, & inter tot Iſraëlitas Baracus honeſtos ad labores eligitur, & ad ſpeciem periculis conſecratur: Deo profectò probatur charus, dum prælio ac labori præ cæteris inuenitur electus, optimos namque Deus ad honeſtum laborem citat, & ignauo virtutem otio marceſcere vetat. *Per Barac*, inquit Gloſſa moralis, *ſignificantur homines, qui ſunt diſcreti & iuſti, eo quod fulgent induſtria naturali, & tonant ſententia iudiciali: propter quod ſunt ad pugnandum contra iniuſtitiam valde apti.* Iuſtus ad pugnam deligitur, ignauus ſpernitur: vt noueris electionem ad ſuſtinendos labores, ad cum aduerſariis præliandum virtutis eſſe clariſſimum argumentum, vt marceſcere otio euidens ignauiæ indicium. *Digni viſi ſumus Deo*, aiebat citatus Seneca, *in quibus experiretur, quantum humana natura poſſet pati.* Itaque ipſa ad labores deſignatio dignitas eſt, quandoquidem ad magna nunquam reſplenduerunt electi, niſi qui virtutibus approbati.

Margin: Seneca. — *Molles ſupplicis ſeruantur.* — Gloſſa.

192. Poſt ſæculis rerio inuiſum multiplicati panis miraculum Chriſtus diſcipulos ſuos vrget ſcapham inſcendere, & marinos fluctus tranare. *Compulit Ieſus diſcipulos aſcendere in nauiculam, & præcedere eum trans fretum.* Nondum à Domino auulſi tenuis marinos fluctus diuidere inceperant, cùm inuſitata tempeſtas horrendo cum fragore inſurgit, ſecum repugnantes ventorum turbines referiebant ſcapham, ſublatiſſimaque montium ad inſtar vndæ ſe in cælum iaculabantur, tumidiſſimique fluctus merſuros ſe minabantur nauiculam. Diſcipuli cum mari depræliabantur, indultriam periculis opponebant, & ſolerter cum naufragiis decertabant. Quid tunc? Voce Domini ſolatur afflictos, & iam Petrus è naui proſiliens intrepidè per marinos fluctus fertur non naufragus; ſed viator: *Deſcendens Petrus de nauicula ambulabat ſuper aquam.* Mirares: Apoſtoli iam ſubſternitur veſtigiis qui nuper fluctus horriſonis diuerberabat auditum ſibilis. Inquiramus, ſi placet, cur qui ſæua exagitatus procella, modo tumentis pelagi pedibus ſubiecit dorſa; aut cur audacter proculcauerit vndas, qui nuper trepidus & pauidus voces ingeminauerit anxias. Sanè ipſa dubitandi ratio lucem affert dubitationi: decreuerat magiſter Petrum Apoſtolorum coryphæum magnis nobilitare de mari triumphis, & ſæuis ad triumphos exagitauit procellis: fluctibus Apoſtolus diuerberatur, exagitatur, referitur, quo animum exerceat, & tempeſtate deuicta non iam expaueat naufragia; ſed vndis imprimat nullo timore veſtigia: ad hoc bona illa tendebat tempeſtas, vt diſcipulus viriliter depræliatus, quod timebat mare calcauerit, & qui videbatur naufragus, triumphis per ipſas vndas viam ſibi aperuerit glorioſus. *Videbamus*, aiebat Baſilius Seleucienſis orat. 22. *Petrum contra fluctus audentem, & in nauicula conterritum.* Adſtipulatur Zeno Veronenſis ſermon. de timore: *Petrus aſtu marino fertur non naufragus; ſed viator: timet profundum intercipere non timentem.* Iam fertur viator, qui modo exagitabatur afflictus. Aptiùs Chryſoſtomus in catena: Paulatim ad maiora eos ducit, & ad ferendum omnia viriliter inſtruit. Itaque eos inſtruit fluctibus ad maiora, vtque de calcatis fluctibus glorioſa reportarint trophæa, anxia contra illos inſurgere permiſit pericula: ceſſerunt in gloriæ elogium ipſæ

Margin: Matth. 14. v. 22. — Seleucienſ. — Zeno. — Chryſ.

Digitized by Google

ipſæ quæ minabantur vndę naufragium:& tempeſtatis ſæuitia militauit ſolùm victoriæ: plurimi erant cum Domino tunc; verùm inter tot hominum multitudinem ſolos elegit Apoſtolos, quos exercitos coronaret triumphis, ditaret trophæis.

193. Tobias Angelo comitatus iter arripuit,cumque recreandi animi cauſa ad Tygris ripam tantiſper conſtitiſſent, ecce immanis horrendaque bellua ſquamis loricata iuuenem truci rictu molitur impetere, & Tobias compellitur vocem trepidam geminare. Quid tunc? Iubet Angelus animosè in feram irruere, & apprehenſa branchia in arentem humum extra-

To.bv.6 4. here: *Apprehende branchiam eius, & trahe eum ad te.* O ignauum ſocium, & temporarium, ſi fas eſt dicere, amicum. Videt ſocium à bellua impeti, & cùm illam poſſit facillimè refrænare, auget periculum iubens dexteram in ipſas fauces immittere. Nonne ſatius puerum à ripa diuellere,& truculentæ beſtiæ minis ſubducere? Imò ô cæleſtem ſocium,& verè Angelum. Ni Tobias cum bellua decertet, nec patris cæcitati efficacem lucrabitur medicinam, nec opportunam itineri habebit eſcam, nec iecur, quo fuget hoſtis virulentiſſimi inſaniam.

Lyra. Adeſt Lyra: *Fecit obediens ſuo Doctori, quamuis horrendum videretur ſibi. Hic conſequenter deſcribitur ſequens fructus, qui duplex eſt, ſcilicet prouiſio cibi, & etiam medicina.* Si oculis humanis Angeli præceptum inſpexeris, vti temerarium damnabis: quid enim horribilius, quam truci immanique feræ propinquare & in patulas ad deuorandum fauces manum iniicere; verùm quod refugiebat natura, imperauit prudentiſſimè gratia, vt illuſtri Tobias coronaretur victoria: facile erat Angelo iuuenem adeò morigerum à fluminis ripa arcere, facile inſurgentem belluam abigere; verùm conſultò permiſit prælium, vt Tobias adipiſceretur glorioſum triumphum: *Deſcribitur ſequens fructus.* Vt agricola terram ferro exerceret, vt ſpicis aureis coronet, ita Angelus animum variis curis, & angoribus torſit, vt felicem iuuenem redderet.

194. Huius veritatis non ignarus Dauid dum ambitionis libidine furentem filium fugeret, & Semei iniurioſiſſima probra, inhoneſtiſſi-

2.Reg 16. v.12. maque dicteria in illum congereret, ſic ait: *Dimitte eum, vt maledicat iuxta præceptum Domini ſi fortè reſpiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.* Non tantum hic egregia luxit patientia; ſed cæleſtis reſplenduit prophetia: vidit non ſine Dei permiſſu ſibi occurriſſe procacem, qui vrgeret maledictis patientiam, & probroſiſſimis verbis exulceraret ærumnam, & gauiſus eſt athleta optimus: coniecit namque Deum illi reſtituturum coronam, ſi animoſus non fugeret luctam. Ita Ambroſius in Pſalm. 118. octon. 10. in enarra-

Ambroſ. tione ad finem: *Dimittite illum, vt maledicat, quoniam Dominus dixit illi, vt videat humilitatem meam, & retribuet mihi Dominus bona pro maledicto hoc:& quod prophetico dixit ſpiritu, & probauit euentu.* Vt vidit Deum cum illo componere aduerſarium, præuidit eius triumphi in Domino deſiderium:nec enimni pientiſſimus Dominus reddere ardentem diſcuperet, quam ferè rapuerat filius coronam, maledictis exerceret patientiam: ergo dum exercuit, & corona donare voluit.

Statim ſe offert Iacobus ad patriam rediens: 195.
vidit Angelorum caſtra, quæ ab iniuriis illum defenderent; nec tamen metum ſedauit: quid tunc? Deus luctator obiicitur, & valido conſtringit amplexu, vulnus infligit, & teſte Oſea ad fundendas lachrymas cogit: *Ecce vir luctabatur cum eo vſque mane.* Genes.32. v.24.
Qualis huius certaminis fuerit ſcopus, inquirunt Patres. Theodoretus quæſt. 91. putat luctatoris ſpecie occurriſſe, vt Iacob certior de victoria ſedaret metum, & potiretur iam triumphum: *Illum fiducia roborat, qui fratrem metuerat: quapropter etiam illi victoriam conceſſit*: non tanta Iacobus animum firmabat fiducia, dum circunſtabant Angelorum caſtra, ac dum illum vrgebant prælia: nam vt agricolæ in ipſis ſeminibus indubiè fructum præuident & agnoſcunt, ita Iacob in laborioſo certamine præuidit triumphum, & præcognouit trophæum. Non eſt ſine labore corona, teſtante Apoſtolo: *Non coronabitur niſi qui legitimè certauerit.* Ergo rex vt coronam tribuat, & decertandi occa- 2 ad Tim.2. v.5.
ſiones aptat.

Cupiebat Deus Iob clariſſimum reddere, 196.
& ſæculis in exemplar patientiæ, & magnanimitatis proponere, cumque aliquando Sathan ſe inter Dei filios importunus intruderet, Iobi laudes concelebrat, & iam virulentiſſimi audientis præcordia ſordidus liuor diſcruciat: cum Iobo componi poſtulat, & victoriam ſe adepturum præſumptione vaniſſima ſperat: Deus illi facultatem facit, & iam in prælium hoſtis inſurgit: *Ecce vniuerſa, quæ habet, in manu tua ſunt.* Si Deus prænoſcat ad illuſtre Iobi nomen æſtuantibus æmulationis flammis dæmonis exarſuram inuidiam, cur Iobum nominat? Nonne ſatius ſilentio nomen ſepelire, & omnes fibras occaſionis liuori auferre? Iob.1.v.12.
Imò, inquit Ambroſius ad Pſm. 118. octon. 14. ad illa verba: *Iuraui & ſtatui*, ſtudioſè nominat; quia glorioſioribus triumphis illuſtrem reddere anhelat. Dum Iob ſine aduerſatio floruit, nondum ſuæ fortitudinis, inconcuſſæque conſtantiæ authenticum teſtimonium exhibuit; at à dæmone laceſſitus & prouocatus propriis in ruinis erexit triumphi vexillum, & durum audaci æternauit hoſti dehoneſtamentum. Ergo quo Iobi tolerantia in ſtadio cum calamitate & dolore decertans redderetur illuſtrior, procurata eſt occaſio patiendi vberior. Accipe Ambroſium: *Probaturus iuſtum* Ambroſ.
ſuum per huiuſmodi exercitia, in quibus eius eſt probata patientia, magis dignum qui probaretur, effecit: quo enim clarius meritum coronati, hoc vberior iuſtitia coronantis. Addit paulò poſt. *Athletam ſuum nudum vngere voluit Deus oleo patientia, vt ex ſubeundo faceret certamine fortiorem, & emendo præmio digniorem.* Vt præmium emeret, valido cum hoſte compoſuit, & iam in ipſo prælio affulgebat ſpes coronæ, & cumulus auguſtior fortunæ.

§. XLIV.

Digitized by Google

§. XLIV.

Creſcere debet in illo meritum, qui ad illuſtrius promouetur officium.

197. Laudabilis ſæpè ingenuos tangit ambitio, dum honeſta impatientia non ſuſtinent humillimis coæquari; ſed heroicis virtutibus inter conſpicuos fulgere. Quod ſi ad dignitatis apicem meritorum ſuffragio eleuari contigerit, ſatagunt de prudenti iudicio electionem ortam oſtendere, & dignis actionibus commendare: honeſtatis calcaribus ſæpiſſimè incitantur, qui dignè ad maiora munera promouentur: turgent prædicabili ſuperbia, non qua cæteros præſumptuosè deſpiciant; ſed qua ſeipſos à qualibet obſcura actione cuſtodiant, dedignari perpetrare quidquid conſtat contra æquitatem inſurgere. *Secure vobis Deo iuuante,* aiebat Caſſiodorus 11. var. 4. *opinionem noſtram credimus, cuius conſcientiam per cauſarum varios vſus longa ætate probauimus: nam ſi in aduocationis ſtudio iuſtitiæ claritate fulſiſtis, quid nunc prouecti ad conſilia noſtra facietis? creſcit enim in illo meritum, cui maius datur officium.* Dum prudens ad grandius dignitatis munus promouetur, non inſano tumore inflatur; ſed a ſe ipſo perfectiores ad virtutes vrgetur, quaſi iam ſibi ipſi plus debeat, qui elapſæ vitæ teſtimonio approbatus ad altiora dignitatis culmina fulget euectus. Ecce Barac virtutibus fulgurans, nomineque non ad vanitatis pompam; ſed ad virtutis ſtudium fulgorem oſtentans ad maiora deligitur: *Præcepit tibi Dominus Deus Iſrael: vade & duc exercitum in montem Thabor: tolleſque tecum decem millia pugnatorum de filiis Nephthali, & de filiis Zabulon, ego autem adducam ad te in loco torrentis Ciſon Siſaram Principem exercitus Iabin.* Quid tunc? *Dixitque ad eam Barac: Si venis mecum, vadam.* Ad gloriam ducis electus digna tanto duce humiliare reſpondet: non incumbit de muneris ſplendore ſuperbus; ſed propheticam ſecum ferre, quo ſecurius voluntatem exequeretur diuinam, ſtuduit obſeruantiſſimus, & qui ante electionem coruſcabat, electus veritatis hoſtes tonitruis etiam vrgebat. *Barac fulgor interpretatur, vel coruſcatio,* inquit Gloſſa moralis, *quam ſequitur tonitruum, & ideo ſignat fulgorem bonæ vitæ, & ſonum ſanæ doctrinæ.* Ecce Barac, qui ante electionem ſolùm de coruſcatione ſplendebat, iam electus tonitrui ad inſtar contra veritatis hoſtes inſurgit, & virtutis inimicos perterret: ait namque textus: *Perterruit Dominus Siſaram.* Quo terrore? Sanè tonitrui: *Quia fulgura, & coruſcationes,* ſcribit Lyra, *& lapides grandinis immenſæ magnitudinis ceciderunt ſuper exercitum eius.* In ducem electus eiaculatur fulgura, qui antea ſolummodò coruſcationis ſortiebatur elogia: vt noſcas ſeſe ad maiora adegiſſe merita, dum illuſtriora ſortiebatur officia: vt repetat Caſſiodorus: *Creſcit enim in illo meritum, cui maius datur officium.*

Caſſiod.

Gloſſa.

198. Cùm ſæua paſſionis tempeſtas Chriſti diſcipulos agitaret, recurrenteſque inuidentiæ turbines in ſcapham violenter inſurgerent, magiſter properat tranquillitatem illorum cordibus allaturus, illos inuenit piſcantes, & an quid pulmenti habeant, ſciſcitatur: caſſum teſtantur laborem; ſed qui nihil ceperant laborioſa induſtria, copioſam piſcium multitudinem exprompta lucrati ſunt obedientia: *Iam non valebant illud trahere præ multitudine piſcium.* Vt noueris non ſemel à virtute diſtantes ambitis diuitiis carere, obſequenteſque virtutibus exundare. Ecce adepti ſunt obediendo, quod adepti fuerant nullatenus, laborando: miraculum auctorem prodidit: nam etſi diſtabat corpore, aderat conſpicuus virtute. Quid tunc? Simon Petrus tunicâ ſe conſtringit, & ad magiſtrum inuolans cæteris citius peruenit: *Tunica ſuccinxit ſe: erat enim nudus, & miſit ſe in mare; alij autem diſcipuli nauigio venerunt.* Chryſologus, vt erat grandi acumine, rogat cur Petrus præ cæteris ſe in mare miſerit, cùm omnes adæque miraculum ad ſimilia facta compelleret. Reſponderque Petrum vtpote cæteris antelatum ſibi dignitatique debuiſſe & honeſtis greſſibus antecellere, & auidiùs ad Dominum inuolare. *Miſit ſe in mare, vt eſſet primus in reditu* (inquit Chryſologus ſerm.78.) *qui acceperat in ordine principatum.* Ipſe dignitatis Principatus illum compulit, antecedereque ſuaſit: nec enim poterat altiora cæteris non exambire, quem præ cæteris conſtabat lance dignitatis radiare.

Ioan.21.v.6

Chryſol.

David mapalibus innutritus pro paſtoritio munere adeò ſe ſtrenuè geſſit, vt leonis reprimeret ictus, & luporum frenaret adſultus. Ecquis hoc ait? Ipſe equidem cum Saule diſſerens: *Paſcebat ſeruus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo vel vrſus, & tollebat arietem de medio gregis, & perſequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum.* Quibus prouidebat paſtor; verùm cum iam manu prophetica vnctus eſſet, maiora tentat, & communi populo allata ſalute authenticam dignitatis oſtendit teſſeram, & priſtinæ adauget fortitudinis gloriam: *Nunc vadam,* inquit, *& auferam opprobrium populi.* In gigantem ſuperbiæ monſtrum animoſus capit arma, & contribulium depellit prouidenter pericula. *Cùm nullus è toto exercitu,* inquit Baſilius Seleucienſis orat. 15. *probaretur ſatis, eſſetque in periculo Saul, tunc militem ſuum producit in medium gratia verè regem factus declarans, dum pugnæ prouocationem Dauid ad ſe rapit.* Ad regiam dignitatem euectus ſe agnouit ad maiora teneri, & deſpecto periculo populorum ſalutem ſtudioſè adnititur aſſeruare. Alius forſan ad dignitatem vocatus antiquo renuntiaret officio, & inerti indulgeret otio; at Dauid agnouit dignitatis incrementum grandius ad virtutem eſſe incentiuum, & qui paſtor ad paucolas deſertis tuendum tenebatur ouiculas, iam Principem ad numeroſas teneri acie defendendas hominum copias, quo noſtram ſtabiliat theſim, ſcilicet prudentem maiora exambire merita, cum & grandiora ſortitur officia. 199.

1.Reg.17. v.34.

Seleucienſ.

Moyſi Deus conſpicuus obiicitur rubo illo flammanti, ignis vrendi effectu ſopito plantam illuſtrabat fulgore claro: de paſtore inauguratur in Deum: *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis,* & virga, quæ dum paſtoris, miraculosè in colubrum verſa eſt, iam innumera patrat 200.

Exod.7.v.1

trat miracula, & operatur prodigia: *Virgam quoque hanc ſume in manu tua in qua facturus es ſigna.* Et cur modò non ſignum; ſed ſigna?
Exod 4 v.17 Prodidit textus: *Reuerſus eſt in Ægyptum portans virgam Dei in manu ſua.* Virga olim paſtoris appellabatur, iam Dei illuſtriori titulo dicitur: ergo dum illuſtriori honore fulget, & grandiori miraculorum numero claret: quaſi iam piguerit tellure ſolummodò repere, & elementis omnibus exambiat imperitare. *Aptè dicitur*, ſcribit Caietanus, *Heloim: quia virga erat ad facienda mirabilia iudicia Dei aduerſus Ægyptios.* Honeſtè intumuit de elogio, vt copioſiori miraculorum diretur numero. Mirabilia iudicia exercebit iam Dei virga, quæ vnum tantùm virga Moyſis patrarat: vt diſcant qui ad dignitatis culmina aſſumuntur, claris nitere virtutibus, & laudandis micare ſemper actionibus. Sed proh dolor! Non ſemel dignitas adulteratur, & ad otij ſuffragium, & auxilium criminis detorquetur.

201. Iob 41.v.25. Iob de diabolo diſſerens ſic aiebat: *Omne ſublime videt, & ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ.* Culmine ſic abuſus eſt, vt vel Angelorum ſocietatem deſpiceret, & conſortium tumidiſſimus fugeret: accepit poteſtatem in Iob, eiuſque bona; ſed è cælo detruſas miſit in profundum; nec de poteſtate fulſit; ſed nocuit. Itaque quibus pollebat, vires contra iuſtitiam armauit, & ſuperbiſſimo ſolùm tumori inſeruiuit thronum ſibi exambiens aſtrorum claritatem ſordidiſſimis ambitionis fumis obſcurauit, & ad terram conculcatas deiecit. Quàm benè
Gregor. Gregorius Magnus lib. 16 moral. capite 29. *Magna eſt potentia temporalis, quæ habet apud Deum meritum ſuum de bona adminiſtratione regiminis; nonnunquam tamen eo ipſo, quo præeminet cæteris, elatione cogitationis intumeſcit, & dum ad vſum cuncta ſubiacent, dum ad votum velociter iuſſa complentur, dum omnes ſubditi, ſiqua benè geſta ſunt, laudibus efferunt, malè geſtis autem nulla auctoritate contradicunt, dum plerumque laudant etiam, quod obiurgare debuerunt, ſeductus ab his, quæ intra ſubduntur, ſuper ſe animus tollitur.* Ecce qualiter detorquetur poteſtas, dum adulationis fauore circumdatus, intus veritate inuenitur vacuus: talem quippe ſe credit nonnunquam ad dignitatem euectus, qualem foris ſeſe audit, indeque ſuperbiam, iniuſtitiam, ſuperciliumque comperitur augere, vnde antiqua nouis debuiſſet meritis cumulare. Addit Gregorius: *In quodam ſe conſtituit culmine apud ſemetipſum, & qui æqua cæteris naturæ conditione conſtringitur, ex æquo reſpicere cæteros dedignatur: ſicque vſque ad eius ſimilitudinem ducitur, de quo ſcriptum eſt: omne ſublime videt, & ipſe eſt rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ.* Plures acceptæ poteſtati dæmoniacam malitiam interſerunt, & quibus debuiſſent dignitatis luminibus ad virtutem ſtudioſius impelli, ad vitia conſtat pernicioſius elabi: vtque Satan adeò non furebat, dum in Iobum, eiuſque facultates non acceperat poteſtatem, pluſque conceſſa ſibi facultate deſæuiit: ita nonnulli, quibus debuiſſent ad virtutem impelli, conſtat criminibus dedicari: totuis oculis, tumidis palpebris, ſuperbis rugis ructant animi elationem, & cum dignitate nudi ſequerentur virtutem, luminibus reſplendentes proſecuti ſunt prauitatem. O ſi Barac ſequerentur omnes exemplum, & antiquæ virtutum coruſcationi in veritatis aduerſarios addidiſſent tonitruum.

Inſpiciamus, ſi placet, in montis culmine 201.
Chriſtum Dominum, & Babyloniam: hæc dum alta poſſidet, Sanguine inebriatur Sanctorum: *Vidi mulierem ebriam de ſanguine* Apocal.17 v.6.
Sanctorum: ille miſericordia commouetur, & indigentiæ auxiliatur: *Vnde ememus panes, vt manducent hi?* Ioan.6. v.6. E monte proſpicit, quaſi debeat culmini miracula augere, & abundanter multitudinem paſcere. *In montem quidem aſcendit*, ſcribit Chryſoſtomus in catena, *propter* Chryſoſt. *ſignum, quod fieri debebat.* Signum debebat fieri: ergo inſcendit culmen, quo citiùs miraculum patret, & ſubiectos fame liberet. Quàm oppoſitum fuit mulieris exemplum. Ad montis euecta apicem, quo plus indigno ſplendore ſplendet, Sanctorum ſanguinem ſugit, & deteſtandam purpuram tingit.

§. XLV.

Primum Magnatum debet eſſe ſtudium incorruptum & ſapientem ſibi deligere conſilium.

202. Caſſiodor.
DEcet tractatores habere doctiſſimos, ſcribebat Caſſiodorus 8. var. 12. *quibus poteſtas ſumma committitur, vt nullo defectu impediente meritorum prouiſa Reipublicæ vtilitas explicetur. Alij ſunt honores, qui ſe ordinaria prouiſione componunt; de generali autem ſecuritate ſolicito talis aſſociandus fuit, qui parem in ſuis ſtudiis non haberet.* Reipublicæ pondus, & negotiorum ſæpè intolerabilis magnitudo Herculeos laſſat humeros, & Samſonis defatigabit lacertos: quærendi ſunt, qui difficilia implexaque prudenti ſagacitate enodent, & ambigentis curas opportuno conſilio releuent. Et quidem hic magno periculo erratur, aut grandi commodo prudenter eligitur. Qui optimum conſiliarium ſortitus eſt, ſæuas ſæpè minas iratæ fortunæ eluſit, & victoriæ militauit; qui pro tractandis negotiis inexpertos, aut minus prudentes conſiliarios adhibuit, ſibi & Reipublicæ conflauit calamitatem, & lætitiæ hoſtibus occaſionem. Teſtatur hoc Roboam, ad quem cùm populus iuſtam de imminuendis tributis petitionem attuliſſet, tempus ad conſultandum popoſcit: vocatis ſenibus, cordatiſque conſiliariis, quid populus deſideraret, explicuit, & hoc ab illis conſilium accepit: *Si hodie obedieris populo* 3 Reg 12.v.6
huic, & ſerųieris, & petitioni eorum ceſſeris, locutuſque fueris ad eos verba lenia, erunt tibi ſerui cunctis diebus. Hos aſpernatus, conſiliarios alios ſibi aſciſcit, à quibus conſilium iterum quærit: illi vti iuuenes, inexpertique non tam ſtuduerunt prouidere vtilitati, quàm placare adulatione: *Dixerunt ei iuuenes, qui nutriti fuerant cum eo: ſic loqueris populo huic*, &c. Dura reſpondit, adeoque populum exacerbauit, vt datis turbis ei detrectarint parere, & alium cogitarint eligere: *Abiit Iſraël in tabernacula ſua.* Ecce tota regni tranquillitas, aut perturbata ſeditio à conſiliariorum electione manauit: ſi ab ſe Roboam expertos ſenes prudentiſſimoſque non repudiaſſet,

Digitized by Google

pudiaſſet, integra quidem maieſtate floruiſſet; at dum in conſilium vocat minus cordatos, ferè amiſit regnum, & inimicorum perfecit votum. Hinc celebranda ſæculo eſt Baraci prudentia : à Domino electus in populi Principem, ducemque, quod prius, quòd ſolicitius, quod ſtudioſius curauit, fuit optimam habere conſiliatricem, vt qui benè nouerat de conſilij electione aut infelicitatem premere, aut felicitatem manare. *Dixit ad eam*, ſcilicet Deboram, *Barac: ſi venis mecum, vadam; ſi nolueris venire mecum, non pergam.* Non renuit Deo præcipienti obedire; ſed ſatagit optimam conſiliatricem habere. Debora vti prophetis diuino afflata Spiritu dubia explicabat, & pro tempore opportuniora monebat. Ergo quia nouerat optimè Barachus opus eſſe Principibus aliorum vti conſiliis, magnam adhibuit curam in conſulentium electione, à qua putabat proſperitatem pendere, aut infortunia Lyra. creari. *Quaſi dicat*, ſcribit Lyra : *tu habes ſpiritum prophetiæ, non ego, & ideo poteris ſcire tempus, & horam bellandi.* Ego, inquit, conſilio egeo, vt dubia reſoluam, vt opportuno tempore inimicos aggrediar : ergo mecum veni: nam ſi optimum nactus fuero conſilium, non ambigo ceſſurum feliciſſimè prælium. Adſtipulatur Arias Montan. Montanus : *Se eo pacto iturum, & facturum recipit, vt ipſa etiam eat fidem cum primis ipſis actionibus verbiſque firmatura, & populo animum præſens ad futura credenti maiorem, præſentioremque ipſis diuinæ prouidentiæ efficientiam affore, remque omnem felicius euenturam propter prophetidis conſilium.* Primum Baraci ſtudium fuit optimum ſibi acquirere conſiliarium, & poſteà cogere exercitum. Iam quàm graue damnum à conſiliariis emerſerit, teſtatur Chriſtus Dominus non diſſimili verborum aſperitate à ſe monitorem abiiciens, ac furias flammis gehennalibus tradens.

203. Ea fuit imprudentiſſimi dæmonis audacia, vt Chriſto Domino euanidis promiſſis dum offert mundum, auferre voluerit regnum, & oblato re-Matth.4.v.9. gno ſolicitauerit caſum : *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* Qui ſemel & iterum vſus eſt eximia patientia, hìc dignè efferbuit exaſperatus procacia : in vtroque prudentiſſimus, dum manſuetè tolerat, & dum maſuetudine abutentē caſtigat : *Tunc dicit ei Ieſus: Vade Sathana.* Vides aſpero verbo repuliſſe inimicum; vide modò eodem abiicere etiam conſiliarium. Agebat cum Apoſtolis de Paſſione, quàm feralis inimicorum diſponebat inuidia: tunc Petrus magiſtro conſulit contrariam ſectari viam, & trucem aduerſariorum fruſtrari audaciam : *Abſit à te Domine, non erit tibi hoc.* Quid tunc Dominus pro ſua Matth 16. v.23. ſapientia? *Dixit Petro: Vade poſt me Sathana.* Eodem verbo Petrus amandatur, & aduerſarius reiicitur, cùm tamen oppoſitus eſſet affectus, & diſſimilis prorſus animus; at Domini increpatio oſtendit eodem collimare & aduerſantis votum, & Petri ſtudium. Anhelabat dæmon Chriſto promittendo regnum auferre, & Petrus etſi alio animo malè conſulendo hoſtis partes inuentus eſt adiuuare: à ſe ergo Dominus eodem ſtylo reiecit malè conſulentem, ac procaciter reiecerat aduer-Hieronym. ſantem. *Quaſi dicat*. ſcribit Hieronymus apud D. Thomam : *Mea voluntatis eſt, & Patris, vt pro hominum ſalute moriar; tu tuam tantum conſideras voluptatem : non vis granum tritici cadere in terram, vt multos afferat fructus, & ideò quia contraria loqueris voluntati meæ, debes aduerſarius appellari.* Aſtipulatur ibi Chryſoſtomus : *Poſtquam Petrus dixerat : Pro-* Chryſoſt. *pitius eſto tibi, nequaquam erit tibi hoc, & audiuit : Vade retro me Sathana? non fuit Dominus hac ſolùm increpatione contentus; ſed ex ſuperabundantia voluit oſtendere inconuenientiam dictorum à Petro:* quaſi plus noceat imprudens conſiliarius, quàm verſutiſſimus inimicus, Dominus contentus non fuit eadem qua repulerat inimicum, increpatione corrigere Petrum; ſed ex ſuperabundantia voluit oſtendere conſilij inconuenientiam dæmonis viciſſe procaciam. Et expende, amabo te, patienter tuliſſe Dominum ſemel & etiam iterum, dum panes in alimentum conuerti vult, dumque ad altitudinem ducit, Sathanæ acceſſum, & ſtatim Petri increpuiſſe conſilium : quaſi ſtudioſius, ſoliciriuſque amandandus ſit imprudens conſiliarius, quàm apertus inimicus.

Diues ac potens homo copioſiſſimis terræ 204. prouentibus exundabat : anxium reddiderat nimia vbertas, vt potuiſſet magna calamitas, dubius perplexuſque circa agenda conſiliario vti voluit, & in penetralia admiſit : *Quid faciam,* Luc.12.v.17. *quia non habeo, quo congregem fructus meos?* Qui latebat conſiliarius, id dedit conſilium, quod vitæ, quod ſalutis, quod proſperitatis, præſentiſſimum fuit venenum : *Deſtruam horrea mea, & maiora faciam.* Qui longa vitæ ſpatia cogitauerat, ea nocte moritur, & qui de incluſis horreis fructibus ſeuctam non eſt expertus ſententiam, ſibi de conſilio matutauit imprudens mulctam: *Hac nocte animam tuam repetunt à te.* Et cur non aliis noctibus; ſed hac nocte? Profectò dum horrea antiqua produntur plena, crudelitatis ſunt teſtimonia: clamabant luridi pauperum vultus, auaram ſæuitiam interpellabat viduarum gemitus, duriſſimum arguebant animum pupillorum ſingultus, & tamen non eſt anima repetita; ſed miſericordia Domini prorogata; at modò ſibi calamitatem maturat, quia improbo conſiliario vſus ab omni virtute inuenitur prorſus alienus. Adeſt Chryſologus ſerm. 104. *In corde ſuo* Chryſol. *impietatis conſilio recepto, nihil pietati ſibi, miſericordia nihil reliquit.* Addit poſt pauca. *Quid faciam? Interrogantis vox eſt: & quem putas, interrogabat iſte? Erat in illo alter : quia ad eius penetralia iam diabolus poſſeſſor inſederat.* Dum quali conſiliario vtatur, diuitiis magnus non attendit, omnem ſibi calamitatem vocauit, omnia deſtructa ſunt: *Deſtruam horrea mea:* quia malè monentis conſilio non poterant horrea ſtare : quia neceſſum erat corruere.

A conſiliario ſerua animam tuam : prius ſcito, 205. Eccl.37.v.9. *quæ ſit illius neceſſitas, & quid ipſe animo ſuo cogitet* Monet ſapientiſſimus Eccleſiaſticus indagandum fore prius erga conſiliarij neceſſitatem, & conditionem, ne ſemel admiſſus ſibi prouideat, & calamitatem eligenti afferat. Ita Ianſenius ad Ianſen. hunc locum : *Ne cuiuis conſiliario facilè confidas; ſed prius quam illum adeas pro conſilio, ſcito quæ ſit illius neceſſitas, hoc eſt, qua re opus habeat, ne fortè pro ſua neceſſitate conſilium ſuggerat, & non pro tua vtilitate.* Summa diligentia adhiberi debet erga conſiliarij electionem : nam vt optimus eſt vitæ medicamentum, curarum leuamen, afflictionum ſolatium, & opportunum neceſſitatis remedium, ita non bonus conſiliarius, quique ſibi potius conſulit,

Digitized by Google

quàm roganti, Reipublicæ erit venenum, & conſulenti naufragium; magni intereſt dignitatem gerentium totis viribus huic negotio vacare,& conſiliarios ſolerti ſtudio deligere: nam qui ſuis medendis neceſſitatibus attendunt, conſulentis vtilitatem poſtponunt.

106. Romulus fœminis deſtitutus Conſum adit, & conſilium petit. Quid tunc? Neptunus aut Conſus Sabinas puellas rapiendas ait, & Romulus, qui potentia nondum fuerat abuſus, iam de Conſi monitis rapina fuit temeratus. Ita Tertullianus de ſpectaculis capite 5. *Conſualia Romulo deferunt, quòd ea Conſo dicauerit, Deo vt volunt conſilij, eius ſcilicet, quo tunc Sabinarum virginum rapinam militibus ſuis in matrimonium excogitauerit.* Addit Septimius ironicè: *Probum ſanè conſilium, & nunc quoque apud ipſos Romanos iuſtum & licitum, ne dixerim penes Deum: facit enim ad originis maculam, ne bonum exiſtimes, quod initium à malo accepit, ab impudentia violentiæ, ab odio, à fratricida inſtitutore, à filio Martis:* Se Romulus impudenti non violaſſet rapina, ſi dignum conſiliarium delegiſſet ſibi prudentia; at dum in conſilium vocauit Conſum, & iniquum inhiauit ad raptum.

Tertull.

§. XLVI.

Ad reportandos de hoſtibus triumphos plus ſæpè valent prudentis conſilia, quàm ferocientis militis arma.

207. Res militaris non ſolum geritur copioſis armis; ſed cordatis etiam conſiliis; imò plus conſiliis, quam armis: ſæpè conſilium improbum multiplices militum copias prodidit, & gloriam aduerſariorum adauxit: vt etiam opportunum conſilium in armorum inopia profuit, & inopinatum triumphum reportauit: *Perfectionem neceſſariam rerum completam eſſe iudicamus,* ſcribit Caſſiodorus 8. var. 12. *ſi quemadmodum eligendo virum magnificum patritium armata Reipublicæ parti prouidimus, ita & de ſociando ei litterarum peritiſſimo conſulamus: decet enim tractatores habere doctiſſimos, quibus poteſtas ſumma committitur, vt nullo defectu impediente meritorum promiſſa Reipublicæ vtilitas explicetur.* Iure cenſuit Reipulicæ vtilitati non fuiſſe pleniùs conſultum, ſi egregium militibus deſignaret ducem, & ſperneret adhibere prudentiſſimum monitorem: quandoquidem cui belli ſumma poteſtas committitur, non minus opportunis eget conſiliis, quàm audentibus egeat armis. Xerxes bellum Græciæ indicturus ferè immetatam militum copiam coëgit; verùm conſiliis optimis deſtitutus, aut conſiliis optimis, vt melius dixerim, ſurdus, militum copiis ſuam adauxit ignominiam, & aduerſariorum gloriam. *Demaratus,* ſcribit Seneca lib.6 de benef. capite 31. *Lacedæmonius ſolus dixit ipſam illam, quæ ſibi placeret, multitudinem indigeſtam & grauem metuendam eſſe ducenti.* Addit Seneca: *Stratus per totam paſſim Græciam Xerxes intellexit, quantum ab exercitu turba diſtaret.* Minus iuuerunt copioſa militum caſtra, quàm iuuiſſent Demarati conſilia; at Xerxes conſiliis ſurdus ſera pœnitentia luxit ſtratus. Hinc commendanda eſt magna Baraci prudentia, qui cùm iuberetur exercitum

Caſſiod.

Seneca.

cogere, & cum Siſara ſigna conferre, ea conditione ſuſcepit bellum, vt ſecum Deboræ ſemper haberet conſortium: *Dixit ad eam Barac: ſi venis mecum, vadam; ſi nolueris venire mecum, non pergam.* Non recuſauit inire prælium exigua manu, ſi cæleſte adeſſet conſilium; at ſine conſilio, quantumuis armatis exundaret militum copiis coactus ſuſciperet prælium. Adeſt Arias Montanus: *Ideò ſeſe non prorſus negaturum; ſed eo pacto iturum, & facturum recipit, vt ipſa etiam eat fidem cum primis ipſius actionibus, verbiſque firmatura, & populo animum præſens additura credenti maiorem præſentiorem que ipſis diuinæ prouidentiæ efficientiam affore.* Addit noſtræ theſi opportunius: *Remque omnem feliciùs euenturam propter prophetidis tum conſilium, tum meritum.* Adeo magni ducebat Baracus prophetidis opportunum conſilium, vt eo armatus ferè immenſum aduerſariorum non expaueret exercitum. Et iure quidem: nam in rebus Martiis non minus valet prudentia, quam oporteat audacia.

Montan.

Iob reges tunc baltheo militari teſtatur diſſoluendos, & martiali gloria nudandos, cùm fuerint conſiliarium ſine conſilio ſortiti: *Adducit conſiliarios in ſtultum finem, & iudices in ſtuporem, baltheum regum diſſoluit.* Profectò baltheus militaris ornatus potius videbatur armorum aduerſariorum potentia diſſoluendus, quàm ineptis ſapientium conſiliis denudandus; ea tamen reges teſtatur militari gloria diſcinctos, dum prodit conſiliarios adulteratos. Et quid commune eſt baltheo & conſilio? Plurimum ſanè. Reges potenteſque baltheo diſpoliari poſſunt aut hoſtium potentia, aut conſiliatorum inconſiderantia: vtque noueris ſtultum conſilium longè plus nocere, quàm telum, non ait ad duces regeſque militari gloria nudandos inducturum Numen copioſum aduerſariorum exercitum; ſed ſtultum adſtantium, & conſulentiũ conſilium. Adeſt D.Th. hic lect. 2. *Profunditate diuini conſilij in ſtultum finem & ſtuporem adducuntur; in rebus autem humanis excedunt reges ſecundum potentiam, & quantum ad hoc dicit baltheum, id eſt cingulum militare Regum diſſolui: in cingulo enim eorum potentia deſignatur.* Ecce quomodò florens magnaque diſſoluatur potentia, dum ſcilicet in errorem, ſtuporemque ſapientium degenerauere conſilia: *Adducit conſiliarios in ſtultum finem. Etiamſi exercitati in conſiliis videantur,* addit D.Thom. *ad hoc deducit eos, quòd neceſſe ſit eis deficientibus omnibus viis eorum ad finem inconuenientem peruenire.* Itaque Regum felicitas marceſcit, & magnatum proſperitas languet, non tam aduerſis armis, quàm inopportunis conſiliis. 108.

Iob 12.v.17.

D.Thom.

Nouit hoc Dauid: nam cùm impiam Abſalonis proditionem, temerariumque ambitionis furorem fugeret, non tam curauit arma impedire, quàm conſilia Achitopheli euitare? nec illi profuit adeò fidelium militum copia, quàm opportuna ſibi Chuſai ſapientis conſilia: *Cum aſcenderet Dauid ſummitatem montis, in quo adoraturus erat Dominum, ecce occurrit ei Chuſai Arachites ſciſſa veſte, & terra pleno capite, & dixit ei Dauid: ſi veneris mecum, eris mihi oneri; ſi autem in ciuitatem reuertaris, & dixeris Abſalon: ſeruus tuus ſum rex; ſicut fui ſeruus patris tui, ſic ero tuus, diſſipabis conſilium Achitophel.* Strenuus 109.

2 Reg. 15. v.32.

Digitized by Google

dux non tam ſtuduit caſtra opponere caſtris, quam conſilia fruſtrare conſiliis: ſciebat namque plus cōſilium Achitophel ſibi nociturum, & ideò maiori periculo occurrit aſtutia, & pro ſe optimum opponens conſilium decantanda eſt coronatus victoria. Quomodò hoc acciderit, refert textus: Achitophel Abſalonem monet duodecim millia virorum eligere, eiſque patrem auxiliis tunc deſtitutum inopinè impetere: *Irruens ſuper eum, quippe qui laſſus eſt, & ſolutis manibus*) *percutiam eum.* 2.Reg.17. v.2. Chuſai in conſilium vocatus bellicum Dauidis ardorem exaggerat, additque tunc præcipuè, vt qui amiſerit regnum, vſque ad temeritatem adductum, & ad vindictam, vitæ etiam periculo, ſufflammatum: ſatiuſque fore, ſi locus iræ deſæuienti modò præbeatur, & vniuerſo collecto populo Abſalon poſteà in deſolatum armetur. *Hoc mihi videtur rectum eſſe conſilium: congregetur ad te vniuerſus Iſraël à Dan vſque Berſabee, quaſi arena maris innumerabilis, & tu eris in medio eorum, & irruemus ſuper eum in quocumque loco inuentus fuerit, & operiemus eum.* Vides hic ferè immenſam militum copiam congregari, ibi non adeò numeroſam manum deligi, & tamen Abſalon exigua triumpharet manu, & ferè immetato eſt detriumphandus exercitu. Ecqua huius cauſa eſt? Quia manum illam exiguam Achitophel comitabatur conſiliarius opportunus, immenſam hanc multitudinem Chuſai piè comitatur doloſus. Ergo Abſalon, qui Achitophel ſecutus, etſi deteſtanda, coronaretur victoria, Chuſai imprudenter annuens dignè mulctatus eſt vita: carebat ſanè Dauid eo tempore milite copioſo; ſed vicit hoſtem, quia opportuno ſibi vſus eſt conſiliario: vt noueris in rebus Martiis minus arma, & plus valere conſilia. Adeſt noſter Sanctius ad 15.2.Reg. *Non videbatur timuiſſe magis Abſalonis arma, quàm Achitophelis explorata conſilia: ſciebat enim multitudinem, ſi conſilium abſit, ſibi ipſi eſſe nonnunquam impedimento non leui.* Itaque ipſa militum copia ſe impedit: vtque nauis ſi gubernaculo careat, magnitudine ſua premitur, & vndis exagitatur, cùm leuis ſcapha optimum rectorem ſortita tumentium inſanos verticum fruſtretur adſultus, & ad ſoliditatem perueniat portus, ita militum copia ſine conſilio fit hoſtium præda, & exigua manus opportunis prudentibuſque conſiliis directa celebri coronatur victoria. Vnde optimè Plutarchus in Lycurgo aiebat: *Conſilia ſenum haſtas eſſe iuuenum: caſſa namque eſſet haſtarum eiaculatio, ſi carerent amento:* & quidem carent, ſi ſapiens deſit conſilium: nam ſenum conſilium eſt iaculorum amentum. Adde aliquando conſummari ſtragem nociuo conſilio, cum nondum conſummata fuerit pugnante validiſſimo aduerſario; imò aduerſas partes agente telo. Adeſt Siſara miſer huius veritatis teſtis.

Sanctius. Plutarch.

210. Electus Baracus manum ſelectorum militum cogit, æther pugnanti vires contra Siſaram addidit: *De cælo dimicatum eſt contra eos, ſtellæ manentes in ordine & curſu ſuo aduerſus Siſaram pugnauerunt.* Iudic.5.v.20 Itaque contra Siſaram pugnabant & fortium caſtra, & cæleſtia ſydera, non tamen tot tantiſque collatis auxiliis bello finis imponitur: Siſara namque de campo pedibus fugiens aduerſariorum fruſtrabatur vota, & differebat trophæa. Quid tunc? Iahel fugienti occurrit, conſulitque intrare intrepidè tabernaculum, & dulcem capere ſomnum: *Intra ad me, Domine mi, intra, ne timeas.* Fugienti conſulit gradum ſiſtere, tabernaculumque intrare: Siſara imprudenter annuit conſilio, & periit transfixus clauo: *Poſuit ſupra tempus capitis eius clauum, percuſſumque malleo defixit in cerebrum.* Ecce miſera ſtrage occubuit tentorio, qui pugnantis ætheris, militantiſque Baraci vires effugerat campo: qui hoſtilibus non perierat armis, inopportunis periit conſiliis, & quam nondum perfecerant victoriam tela, perfecerunt mulieris monita: plus Baraco profuit conſilium, quàm iaculorum amentum, & plus Siſaræ nocuit annuiſſe inopportunò conſilio, quàm decertaſſe cum ipſo cælo: *Intra, ne timeas,* ſcribit Abulenſis quæſtione 18. Abulenſ. *Dicebat ad aſſecurandum animum eius, quia poſſet putare latere inſidias:* Conſilio intrauit ſecurus, & periit ſecuritate transfoſſus.

§. XLVII.

Singularitas, quia plurimis ſemper odioſa, quantum fas erit, à prudentibus ſemper fugienda.

GEminum ſingularitas ſolet parere detrimentum, alienam namque inflammat inuidiam, & ſuperbiæ inurere ſolet notam: quiſquis ſingularis eminere exambiuit, ſe multorum telis obiecit: quæ non nouit liuor poſſidere, in aliis anxio conatu adnititur obſcurare: vel cæleſti in illo paradiſo ſolum hominem degere, & ſine ſocio micare, felicitatis, ſi fas eſt dicere, erat obſtaculum, fauſtæque fortunæ cenſebatur impedimentum aſſerente Domino: *Non eſt bonum eſſe hominem ſolum: faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.* Fors Adamus de ſingularitate famoſus deliquiſſet grauius ſuperbiendo, quàm vxoris votis obtemperando: ſimilitudo & excellentiarum communio erat virtuti ſuffragium, dum inuidentiæ arcebat delirium, & ſuperbiæ amouebat etiam dehoneſtamentum. Diſertè Senec. epiſt. 5. *Quid ſi nos hominum conſuetudini cœperimus excerpere? Intus omnia diſſimilia ſint, frons noſtra populo conueniat.* Addit: *Videamus, ne iſta, per quæ admirationem parare volumus, ridicula, & odioſa ſint.* Profectò nonnulli dum ſingularitatis ridiculè affectant priuilegium, non ridiculum inflammant contra ſe odium. *Hic mihi modus placet,* aiebat Stoicus: *temperetur vita inter bonos mores & publicos: ſuſpiciant homines vitam noſtram; ſed & agnoſcant:* Singularitas ſuperbiæ ferè ſemper eſt filia, & inuidiæ mater: quiſquis ſibi ſoli gloriam ambiuit, hoſtes quamplurimos concitauit. Hinc laudandus eſt Baracus, qui ad triumphorum gloriam delectus timuit ſingularitatem, non hoſtem: *Vade,* monebat illum Debora Dei nomine, *& duc exercitum in montem Thabor, tolleſque tecum decem millia pugnatorum de filiis Nephthali, & de filiis Zabulon; ego autem adducam ad te in loco torrentis Ciſon Siſaram Principem exercitus Iabin, & currus eius, atque omnem multitudinem, & tradam eos in manu tua.* Quid tunc Baracus? *Si venis mecum,* inquit, *vadam; ſi nolueris venire mecum, non pergam.* O imbellem animum; imò propriæ gloriæ 211.

Gen.2.v.18. Seneca. Frons populo conueniat.

Digitized by Google

riæ inuidum! Audit eius imperio inimicum ſubiugandum, ſeque immortalibus lauris redimiendum, & trophæis copioſiſſimis allicientibus cunctatur pergere, differtque triumphare? Adhæc ſi muliere comitatus in hoſtiles phalangas non timet irruere, quid expaueat muliere abſente manus cum aduerſario conſerere? Sanè mulier potiùs cenſeri debuit impedimentum, quàm triumpho auxilium: cur ergo ad ſpeciem imprudens inutile diſcupit auxilium, & addit impedimentum? Profectò antiquorum facta ad noſtram militarunt eruditionem: non timuit Baracus copioſiſſimum hoſtem; at ſingularitatem extimuit; ne dum ſingularis triumphat, in ſe odia iniquiſſima inflammet, partiri voluit gloriam vt ſecurior potiri poſſet dimidiam: Ingratum eſſe vulgus, ſcribit Arias Montanus, nec ipſi nouum nec ignotum erat: non ideò tamen bonos viros ab officio deterrendos eſſe ſciebat: quamobrem deliberato conſilio diuinum mandatum cum Debora capeſſiit. Se inter duos ſcopulos nauigare animaduertit, ſi populi inuidiam expauens non acciperet ſibi delegatam prouinciam, Numini apparebat iniurius; ſi exequeretur, triumpho reddebatur populis inuidioſus: ergo non cæco impetu; ſed deliberato conſilio ſociam participemque triumphi Deboram voluit habere, quo poſſet periculum declinare. Profectò ſuo facto docuit dux ſtrenuiſſimus omnem quantum fas erit, ſingularitatem vitare: ſingularitas namque non ſemel tumentis animi prodit arrogantiam, & ferè ſemper inflammat æmulationis inuidiam: noluit ergo totam ſibi victoriæ gloriam arrogare, quò facilius gloriam ipſam victoriæ ſibi quiuerit cuſtodire.

Montanus.

112. Ioanni Apocalypſis 12 ſignum magnum in cælo obiicitur, mulier ſyderibus coronata, amicta Sole, calceata Luna: *Signum magnum apparuit in cælo mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim.* Ecce Sol lucem cum Luna partitur, & ſtellis etiam claros mutuare ſplendores non dedignatur. Quòd ſi quæras, cur modò Sol, qui alias ſingulariter micare diſcupit, ſtellas micare, & lucere Lunam non vetet, reſpondebo ſerpentinam declinare voluiſſe fallaciam, premere inuidiam: hîc ſerpens armabatur in ſydera: traxit namque cauda tertiam aſtrorum partem: ergo Sol vel in cælo fixus trepidat, ſi ſingularis effulgeat, & iam ſplendorem cum ſtellis Lunaque partitur, vt virulentiſſimi ſerpentis inuidam calliditatem, & callidam inuidiam fruſtretur. Adeſt Cyrillus Latinitati redditus à noſtro Corderio ſecundo libro Apolog. cap. 7. *Sol Lunam ſtellarum infimam, ne ſit ſolus, dono lucis efficere ſibi ſociam ſplendoris in granditate conatur: ſic & primum mobile cùm ſit vnum, lationis primaria communicata virtute ſecum cæteros orbes rapit, ne ſit in officio ſuo ſingulare.* Itaque Sol dum vidit adurgere periculum, ad lucis recurrit conſortium: timuit, ne periret ſerpentinis fraudibus è cælo detruſus, ſi micare ſuperbè exambiret ſolus: plus de ſingularitate imminere ſibi periculum credidit; nón adeò graue ſerpentinis dolis fore diſcrimen putauit. O quàm falluntur qui anxiis votis ſe notabiles reddere exambiunt, cùm teſte Sacra Scriptura ſolus non habeat ad calamitatem auxilium, nec ad proſperitatem fulcimentum.

Apocal. 12, v. 1.

Cyrillus.

Flammanti illæſoque rubo Deus Moyſi oues agenti apparet, ille rei examinandæ ſtudio incitatus, & vt erat magno animo præditus, ardenti rubo proximare non timuit: *Vadam, & videbo viſionem hanc magnam.* Prohibitus eſt, ne imprudenter ſubiret mortem, dum ad explendam inuolat curioſitatem: *Ne appropies,* inquit, *huc.* A Domino hic delegatur, & virga miraculorum officina aduerſus tyrannidis ſæuitiam inſtruitur; verùm multimodas excuſationis cauſas colorat, & varia obſtacula allegat: *Non ſum eloquens: impeditioris & tardioris linguæ ſum: non credent mihi,* & alia ſexcenta. Quid tunc? Socium ei Dominus adiungit, & munus cum Aarone commune ſubire præcipit: Ego ero in ore tuo, & in ore illius, & oſtendam vobis quid agere debeatis. Iam Moyſes lætus pergit, nec mandatum extrahere varias allegando cauſas præſumit. Verùm hinc oritur difficultas: ſi non timuit flammæ accedere, cur Ægypto expauet propinquare. O quàm plus ſancti refugiunt, quàm dura flammarum incendia, culparum confinia: aduri non trepidat, infici moribus Ægyptiis formidat: ſit ita, ſed aliud ab hac hiſtoria erudiamus documentum: ſi ſolus pergat, totam triumphi gloriam ſibi nanciſcetur, ſi fratri communicet legationis telleram, opus eſt & communicare gloriam: ergo qui non timuit animoſus flammam, prudentiſſimus ſingularitatis extimuit prærogatiuam: quaſi grandius minitetur periculum ſingulari gloria fulgenti, quàm flammis ardentiſſimis propinquanti. *Non acquieuit ſanctus vir Deo,* ſcribit Oleaſter ad Exod. cap. 4. ad mores, *quouſque ei ſocium in legatione daret.* Certè Aaron vires Moyſi addere nequibat, nec tyranni vires viribus propriis frænabat; at voluit Moyſes, vt virga illa elementis imperans tam Aaroni, quàm ſibi indiſcriminatim tribueretur, quò ſingularitatis vitaretur prærogatiua, & de prærogatiua inuidentia. Moyſes conatus eſt à ſe ſingularitatem arcere, grauius hoc periculum putans, quam cum duriſſimo aduerſario certare; totus fuit Moyſes in ſingularitate vitanda, qui non adeò ſolicitus fuit de pugna cum Pharaone non repetenda.

Exod. 3. v. 3.

Exod. 4. v. 1.

Exod. 4. v. 15.

Oleaſt.

Cùm dæmon in Iobi bona facultatem accepiſſet, turbinem violentiſſimum excitauit eius filiis, qui in primogeniti domo conuiuabantur, cùm repentè domus acerrimis ventorum flatibus impetita corruit, illoſque oppreſſit: *Ventus vehemens irruit à regione deſerti & concuſſit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſſit liberos tuos.* Profectò ſi aliis ædificiis domus illa coniungeretur, per quatuor angulos nequiret concuti, nec penitus poſſet ſubrui; at dum nullus angulus alteri ædificio adhæret, dum ſola; ſingulariſque eminet, & ventorum turbinibus quaſſata ruit. O quàm perſiſteret, ſi eius latera aliæ domus tegerent, & angulos aſſeruarent; at domus totum ventorum tulit impetum, quæ aliarum fugit conſortium. *Difficile eſt ſtatuere,* inquit noſter Sanctius, *quomodò ventus vnus quatuor angulos, qui totidem ſpectant mundi partes, conuellere, ac diſturbare potuerit, cuius nulla occurrit phyſica ratio, niſi dicamus fuiſſe turbinem, qui ſeipſum magno circumagit, & conglomerat impetu, & totam circumambit domum.* Vt ventus inuenit domum ob 114.

Iob 1. v. 19.

Sanctius.

Digitized by Google

ab aliis ſeparatam, magno impetu circumambiuit, & ad terram inuidentiæ pulſibus traxit. *Væ ergo*, concludit Cyrillus vbi ſuprà, *ſoli: quia cùm inſtabili pede ſuperbia ventilatus ceciderit, ſocietate priuatus ſublenans adiutorium non habebit.* Si igitur cupis frequentem vitare ruinam, fuge ſingularitatis periculoſiſſimā excellentiam. (Cyrillus.)

§. XLVIII.

Sanctorum conſortium magnum felicitatis præſagium, & magnum contra calamitates auxilium.

215. Nihil ſtudioſè adeò vitandum eſt, vt improborum conſortium: nunquam enim ſatis tutò ſe quis commiſerit homini vitiis tincto, & paſſionibus immerſo. Profectò qui picem tangit, inquinatur ab ea: tarò mores ſtudioſè compoſiti non perturbantur, aut quod peius eſt, corrumpuntur. Nec diſſimili voro morati hominis, & virtutibus imbuti inquirenda eſt, & exambienda ſocietas, ex qua multa pullulant commoda, & proueniunt virtuti augmenta. *Recede in te ipſum quantum potes*, monebat Seneca Lucilium epiſt. 7. *cum his verſare, qui te meliorem facturi ſunt.* Pudet cum optimis verſantem non ſequi illorum veſtigia, & ferè impellentia ad virtutem virtutis exempla: Conuictor delicatus, præmiſerat Seneca, paulatim eneruat, & emollit, vicinus diues cupiditatem irritat; malignus comes, quamuis candido & ſimplici, rubiginem ſuam affricuit. Itaque pro diuerſitate ſocij & amici aut naſcitur vtilitas, aut aduerſitas. Adhæc non ſolùm iuſti ſocietas prodeſt virtuti; ſed mirè ſuffragatur felicitati: ſuis meritis appetens depellit ſæpè periculum, & fert calamitoſo ſuffragium. Certè plura quæ propria non conſequerentur virtute, iuſtorum conſequuntur homines ſocietate. Huius veritatis Barac non inſcius cum proſilire in campum contra copioſos Iabini exercitus iuberetur, prophetam Deboram ſe comitari precatur: *Si venis mecum, vadam; ſi nolueris venire mecum, non pergam.* O quàm electi humilitas commendauit electionem! O quàm celeſte omnibus denunciauit decretum, dum non inflatur vocatus ad dignitatis faſtigium. Auguſtinus apud Gloſſam, & quæſt. 26. in Iudices quærit cur mulieris quæſierit conſortium, qui cæleſte habebat oraculum. *Quid eſt quod reſpondens Barac Debora ait: ſi ibis mecum, ibo; & ſi non ieris mecum non ibo: quoniam neſcio diem, in quo proſperat Angelum Dominus mecum.* Quæſtioni reſpondet Ambroſius libro de viduis: *In mulieris manu ſummam fuiſſe victoriæ docet Barac filius Debora dicens: Niſi tu veneris mecum, non ibo.* Debora diuino Spiritu afflabatur, virtutibus ſemper illuſtris, & cunctis populis ſpectabilis. Ergo Barac, vt faciliùs vicerit hoſtem, ſanctiſſimæ fœminæ prudenter exambiuit conſortium, & de conſortio coniecit triumphum. Nouerat namque ſocietatem iuſtorum eſſe felicitatis præſagium, & calamitatis auxilium. (Seneca.) (Auguſt.)

216. Ioſephi venditores fame ſtimulante Ægyptum petere compelluntur, ingeniculati geſtiunt incognitum fratrem colere, qui renuerant fratrem cognitum adorare: nec manipulus, nec cæleſtis ſtellarum chorus ſatis fuit, vt temperarent inuidiam, qui perurgente inopia adorationis iam exhibent reuerentiam. Quàm aliter ſapiunt homines proſperis circumfuſi, & aduerſis preſſi! Ioſeph duriùs ad illos loquitur, non vindictæ ſtudio, ſed arcano ſanè myſterio: *Cum adoraſſent eum fratres ſui, & agnouiſſet eos, quaſi ad alienos duriùs loquebatur.* Ecce adorant, & ſuſtinent ſupercilium, qui potuerant ſibi deuincire fratris adorationibus animum: iterum inuolant ſecum adducentes Benjaminum, quos intuitus Ioſephus iam non loquitur dura; ſed ſaporata præparare iubet obſonia: Tulerunt viri munera, & pecuniam duplicem, & Benjamin, deſcenderúntque in Ægyptum, ſteterúntque coram Ioſeph, quos cùm ille vidiſſet, & Benjamin ſimul, præcepit diſpenſatori domus ſuæ dicens; *Introduc viros domum, & occide victimas, & inſtrue conuiuium.* Ad hæc blandè alloquitur: Clementer reſalutatis interrogauit fratres dicens: Saluuſne eſt pater veſter ſenex? Inquires cur qui antè aſpetè fratres obiurgarit, ſalutarit modò clementer? Profectò Ioſeph idem, & eadem eius fortuna: fratres iidem etiam, & perpetrata in ipſum iniuria eadem: cur ergo modò blandus, qui nuper aſperrimus? Explicuit ſanè textus: *Quos cum ille vidiſſet*, inquit, *& Benjamin ſimul.* Anteà viderat fratres inuidia obſcuros, cupiditate ſordidos, & ſanguine conſpurcatos; modò intuetur Benjaminum prorſus culpa immunem, patri dilectum, gratiſſimis virtutum floribus exornatum, & iam ob Benjaminum vſus eſt in fratres clementia, qui anteà aduerſus fratres perpetrata exacerbabatur iniuria. Adeſt Ambroſius apud Lippomanum: *Loquitur illis mitia, vtque manſueta, vt pariter cibum ſumant; ſuprà autem quia ſine Benjamin venerunt, agnoſcebat quidem eos; ſed ab his ſe auertebat, vt ſcriptum eſt: Et loquebatur his dura.* Ecce quanta de innocentis obtinuere conſortio: magnis illos dignatur honoribus, dum videt Benjamino aſſociatos; durè ſe geſſit, cùm innocente viderat deſtitutos: itaque iuſti ſocietas Principis conciliauit gratiam, & depulit quam metuebant ſeruitutis catenam. O quàm æſtimatione dignæ ſunt ſanctorum reliquiæ, quàm exambiendi homines virtutibus conſecrati, quandoquidem de eorum obtinetur conſortio, quod de proprio nequiſſet merito. (Gen. 42. v. 7.) (Gen. 43. v. 15.) (Ambroſ.)

217. Nabuchodonoſor adeò humanæ ſuperbiæ terminos ſupergreſſus eſt, vt ineſſe ſibi diuinitatem crediderit, & immetatam altitudinem deluſus ſomniauerit: *Ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia.* Dum cælo ſe approximare ſomniat, telluri coæquandum audit: *Ecce vigil, & ſanctus de cælo deſcendit: clamauit fortiter, & ſic ait: Succidite arborem.* Dura ſententia prolata eſt; verum germen reſeruatum, & ferro ereptum: *Germen radicum eius in terra ſinite.* Daniel calamitatem denuntiat, ſed quæ ſine coronetur fauſto, & termino finiatur glorioſo: *Regnum tuum tibi manebit.* Balthaſar inflationis hæres ſacra vaſa temerat, & iam non monetur voce clamanti; ſed punitur manu ſcribenti: vitam articulus abſcidit, regnum tranſtulit, inimicis obiecit: *Eadem nocte interfectus eſt Balthaſar rex Chaldæus.* Iam pungit ſcrupulus, cur ſcilicet vita mulctetur Balthaſar vaſa temerans, & morte non puniatur Nabucho ſtatuam vti Deum fabricans, & circa arboris altitudinem delirans. Profectò maiora (Dan. 4. v. 8.) (Dan. 5. v. 30.)

Digitized by Google

maiora videntur Nabuchodonoſoris delicta, Balthaſaris leuiora errata: cur ergo Balthaſar punitur durius, & Nabucho leuius? Fors quia Nabucho Danielis vtebatur conſortio. Ecquis hoc ait? Ipſe profectò: *Collega ingreſſus eſt in conſpectu meo Daniel, cui nomen Balthaſar ſecundum nomen Dei mei, qui habet ſpiritum deorum ſanctorum in ſemetipſo*: Interlinearis legit: *Donec familiaris collega ingreſſus eſt.* (Interlin.) Itaque conſtat Nabuchodonoſorem vſum fuiſſe Danielis amicitia; at Balthaſar familiaritatem eius dedignatus eſt. Innuit textus, dum refert Danielem regi incognitum, reginaque monente introductum: *Introductus eſt Daniel coram rege. Ad quem præfatus rex ait: Tu es Daniel de filiis captiuitatis Iuda?* Itaque Daniel Nabuchodonoſoris erat familiariſſimus, Balthaſari ignotus. Ergo qui eius vtebatur familiaritate, mortis vitauit ſententiam: tulit qui abiecit eius memoriam. Innuit Theodoretus ad illa verba: *Introductus eſt Daniel. Videtur iſte præ multa impietate poſt patris obitum Danielis conſuetudinem fugiſſe: quare ſtatim terrore percuſſus magos quidem vocat; ſed prophetæ memoriam etiam ab animo abſterſerat.* (Theodor.) Qui ab animo abiecit memoriam, duriſſimam tulit pœnam: qui eius familiaritate eſt vſus, leuiores expertus eſt ictus. Inſaniebat Nabuchodonoſor; ſed Daniel ieiuniis, vigiliis, lachrymis iram Numinis temperabat, & continuo regis fortunam fouebat; at Balthaſar iuſti denudatur auxilio, dum auerſatur conſortium, & inermis durius incurrit ſupplicium. Vt noſcas quàm prudenter Baracus Deboræ ſocietatem ambierit, & conſortium exoptauerit, quandoquidem ob iuſti conſortium & pœna ſemper eſt mitior, & gratia vberior.

218. Chriſtus Dominus de iudicij die agens ſeparaturum ſe ait iuſtos ab iniuſtis: *Separabit eos ab inuicem, ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis, & ſtatuet oues quidem à dextris ſuis, hœdos autem à ſiniſtris.* (Mat. 25. v. 32.) Poſt ſeparationem ſententia profertur, qua egregia remunerentur facta, & improba puniantur delicta: *Tunc dicet rex*, &c. Profectò ſuperflua ſuperuacaneaque hæc videtur ſeparatio, quandoquidem eodem modo proferri poſſet, ac dum ſeparati, dum mixti: iuſti namque, quantumuis immixti, fulgent meritis, improbi ſordeſcunt peccatis: ergo ſeparatione non erit opus, quando alios charitas honorat, & prauitas alios obſcurat. Nil profectò exaggeratius adduci potuit ad declarandum quæ ob iuſti conſortium pullulent commoda, quàm hæc præambula ſeparatio, quaſi nec iudicialis ſententia queat adurgere, quos iuſtis conſtiterit aſſociari; vt in reprobos poſſit damnationis ſententia cadere, illos priùs à iuſtis debet interuallum diſtinguere: nam dum aſſociati, & eis, ſi fas eſt dicere, inſerti, de illorum conſortio muniuntur, & in calamitates armantur. Ergo vt meritas pœnas ſubeant, qui ſugillantur peccato, de iuſtorum auellantur conſortio: nam licèt iuſti illis nequeant mutuare meritum, apponere aduerſus pœnas videntur obſtaculum. Itaque vt nulla improbis leuandæ calamitatis ſpes affulgeat, iuſtos prius rationabilis dextera auellit: *Segregat eos etiam ſitu*, ſcribit Chryſoſtomus apud Diuum Thomam: (Chryſoſt.) *nam ſequitur: Et ſtatuet quidem oues à dextris, hœdos autem à ſiniſtris.* Aptius Origenes ibi: (Origenes.) *cùm propter manifeſtationem filij Dei omnes ad intellectum venerint ſuum, tunc Saluator ſegregabit, bonos à malis.* Cùm Saluator iudicis & quidem ſeueriſſimi perſonam induerit, probos ab improbis ſeparabit, quaſi dura nequeat ſententia iuſtis adurgere commixtos, & gehennalibus dicare flammis æquiſſimis aſſociatos. Quid pro exambiendo iuſtorum conſortio grandius, & quid pro malorum fugiendo verius?

§. XLIX.

Non ſemel dicatum virtuti tempus, vanitati ac crimini ſoluitur, cùm vanitati adſcriptum raro aut nunquam virtuti ſoluatur.

219. *Punctum eſt*, aiebat Seneca epiſt. 49. *quod viuimus, & adhuc puncto minus; ſed hoc minimum ſpecie quadam longioris ſpatij natura deluſit... Breuitatem aliquando futuram cogitemus.* (Seneca.) (Punctum eſt, quod viuimus. Futura breuitas cogitanda.) Nil tam moroſum plurimis videtur vt tempus, perniciſſimum eius curſum lentum exiſtimant, & credunt poſt deuexam etiam ſenectutem vitam in annos plurimos protrahendam. Hinc quaſi abundè ad neceſſaria ſuppetat, tempus terunt ſectando ſuperflua, & ambiendo ſitienter vana: pretioſiſſimum ex rebus omnibus, tempus ſcilicet puerorum inſtar commutant ridiculis, & quod peius eſt, nocituris. *Eo magis vtique indignor*, addit Stoicus, (Seneca.) *aliquos ex hoc tempore, quod ſufficere nec ad neceſſaria quidem poteſt, etiamſi cuſtoditum diligentiſſimè fuerit, in ſuperuacua maiorem partem erogare.* Magna ſanè ſtultitia inutili impendio tempus inſumere ſuperuacuis, cùm poſſit conſecrari pretioſis; verùm altius noſtrum inſidet damnum, non ſolùm maiorem temporis partem ſuperuacuis inpendimus; verùm etiam ſi quod virtuti adſcriptum, furamur, & ſubreptum vitiis impendimus, & profundimus. Singulari Dei prouidentia populus Othonielem à Deo ſibi conceſſum coluit, & aduerſum iugum excuſſit: *Suſcitauit eis Saluatorem Othoniel, qui interpretatur, Tempus mihi Dei, per quem ille populus de ſeruitute ereptus eſt, & pax populo reddita.* (Origen.) Anxiis clamoribus ad iugum excutiendum tempus ſibi impetrauerunt à Domino, & quod mirum eſt, eo benè vſi in antiquam ſunt libertatem aſſerti: quam gemerent in perpetuum captiui, ſi conceſſo ſibi indulgentiſſimè tempore inuenirentur abuſi! Ineptiſſimum ſanè eſſet, poſtquam Othonielem nacti fuerunt, arma non ſumere; ſed in protelando duriſſimo vitiorum iugo tempus perniçioſiſſimè terere. Dum tempus ſibi conceſſum virtuti impendunt, & inerme ſeruitutis iugum excutiunt; ſed ô nos miſeros, qui tempus virtuti adſcribendum non ſolùm dicamus euanidis; ſed inſumimus criminoſis.

220. Paſcha religioſis ritibus adſcriptum, & ornatui templi dicatum erat; verùm ſacerdotes eo ipſo tempore innocentiæ inferre necem moliebantur ambitionis flammis aduſti, & inuidentiæ morſibus agitati: *Tunc abiit vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iſcariotes,*

ad Principes Sacerdotum, & ait illis: Quid vul- Mat.26.v.14 *tis mihi dare, & ego vobis eum tradam? at illi conſtituerunt ei triginta argenteos.* Leo magnus ſerm.7. de paſſion. acute expendit illud *Tunc* denotare tempus ordinando templo, mundandis vaſis, parandis victimis lege adſcriptum, ad ſacrilegia detortum. Tunc deteſtandis nundinis ſanguis innocens venalis exponitur, innocentia damnatur, & ſæuitia inuidiæ colitur, cum ſacrum ac religioſum illud tempus celebrandis myſteriis fuerit adſcriptum, & beneficiis recolendis dicatum. Accipe elegantem Leonis ſtylum: *Incipiēte* feſtiuitate Paſchali, qui ornare templum, mundare vaſa, victimas prouidere, & legitimis purificationibus ſacratiorem diligentiam adhibere debuerant, patricidalis odij furore concepto ad vnum opus vacant, & in vnum facinus ſimili crudelitate *coniurant.* Ecce tempore templi cultui, & religioni dicato viget fetalis crudelitas, floret deteſtanda venalitas, furor patricidalis impletur, & tempus ſolum, cui debuiſſet erogari, operi denegatur: & vtinam toties miſerandum hoc hominum oculis non obiiceretur delitium; verùm quadrageſimæ tempus ieiuniis & pœnitentiæ ſacratum, euanidis ac profanis rebus ſtudioſius inſumitur, & applicatur crimini, quod ſoluendum erat virtuti.

221. Aaron conflato vitulo ſacrilegam feſtiuitatem indicit: Exod.32.v.5 *Ædificauit altare coram eo, & præconis voce clamauit dicens: Cras ſolemnitas Domini eſt.* In ſequentem diem denunciatur voluptuoſa vanitas, chara iucunditas. Quid tunc? Auroram anteuertunt, & ne quid diei amiſerint, vel alteri is partem præcidunt, dum nefandas hoſtias ſacrificaturi diſponunt: Surgentes mane obtulerunt holocauſta, & hoſtias pacificas, & ſedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere. Indignum erat vel aliquam illius diei partem dicaſſe prophanis victimis, & irreligioſiſſimis ceremoniis, verùm ea fuit ſequendi vanitatem libido, vt ſolito lentiorem incuſauerint diem, & quadrigis Caietan. equos tardius adiunxiſſe obmurmurauerint Solem: Iuxta Hebræum ſignificatur, ſcribit Caietanus, quod maturini ſurrexerunt, vt intelligamus quàm prompti fuerint ad ſacrificia offerenda pro ſolemnitate idoli: *Et ſurrexerunt ludere.* Iuxta Hebræum habetur: Et ſurrexerunt *ad illudendum. Ecce fructus idololatriæ*, qua- Lippom lis Deus, talis & fructus cultus eius, leuitatibus irriſionum vacant ex illo *cultu ſurgentes.* Idemſcribit Lippomanus: Summo mane ſurgunt ad ſacrificandum non Domino; ſed nouo idolo ſuo: mos interim deſcribitur idololatrarum, mactare beſtias, comburere partem ſuper aram, ſeruare quædam ad eſum, inſtruere ſolemnes epulas, comeſſationi vacare, quam ſubſequeretur luſus, tripudium, carmina petulantia omnis generis impunè, & ſine *verecundia.* Vides quam interna inſania, & ſiti criminis ardentiſſima manicauerint, nullo clamore exciti, nullo ſomnum interpellante compulſi? ſed anxio voluptatis deſiderio expergefacti. Profectò vt cæleſtibus nuptiis occurrerent virgines, clamor & quidem magnus reſonuit: Clamor factus eſt, ecce Sponſus venit: non recuſauere virgines tempus cæleſtium nuptiarum pompis ac celebrationi dicatum ſomno inertiſſimo inſumere, & otio ignauo deterere; at quos profanus clamor in ſequentem diem ad vitulorum feſtiuitatem citauit, alio non indiguerunt clamore, vt manè ſurgerent; imò anteuerterunt mane. Non legitur quemquam tempus vitulorum celebritati ab Aarone adſcriptum dicaſſe Numinis cultui, aut tabernaculi ornatui: religioſiſſimus habitus eſt, qui à profanitate illa abſtinuit, adeo corrupti erant mores, tanti apud omnes valebant ſacrilegæ vanitates! O ſi improborum in bonam partem imitaremur exempla, quàm noſtra alacria eſſent erga virtutem ſtudia. Verùm vt nullus tempus luſibus, epuliſque dicatum temerat, ſed impia religione cuſtodit: ita rarus eſt, qui ſpatia etſi breuiſſima, virtuti adſcripta aut non imminuat otio, aut non dehoneſtauerit tædio. *Quæ*, addit ſupra Lippomanus, *& vtinam hodie* Lippom. *non fierent alicubi, inter veri & optimi Dei ſacra, & in Sanctorum eius feſtiuitatibus facinus profectò nefandiſſimum.* A tempore Sanctorum celebrandis geſtis dicato aliquid ſemper præciditur, vt ineptiis, vt gulæ, vt euanidis collocetur, cùm tempus vanitati adſcriptum prorſus integrum ac illæſum ſoluatur.

Homo nobilitate conſpicuus, liberalitateque generoſus tempus præfiniuit, quo in eius domo grande celebraretur conuiuium, plures 222. inuitauit, & quo tempore deberent adeſſe, admonuit: Luc.14.v.16 *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos, & miſit ſeruum ſuum hora cœnæ dicere inuitatis, vt venirent, quia iam parata ſunt omnia*: dum antea inuitati referuntur, iam præfinita illis tempora declarantur. Quid tunc? Alius tempus inſumpſit in vertenda emptis boum iugis tellure, alius emptam villam adiuit, vt ſubditorum lucraretur plauſus, alius voluptati prædictum dicauit tempus: *Cœperunt omnes ſimul excuſare: primus dixit ei: Villam emi, & neceſſe habeo exire, & videre illam, rogo te, habe me excuſatum: & alter dixit: Iuga boum emi quinque, & eo probare illa, habe me excuſatum: & alius dixit: Vxorem duxi, & ideo non poſſum venire.* Nonne vides dicatum cœnæ tempus variis, ac de induſtria quæſitis occupationibus eluſum & prophanis rebus expenſum. Omnes eo exiguo tempore ad inſtar torrentis confluxere occupationes, cum toto illo die, quod aptius videbatur, nec alius terram verterit, nec alius villam petiuerit; at dum cœnæ adeſt tempus, qui videbantur iuuolaturi, ineptiſſimis excuſationibus ſe conuiuio ſubtrahunt, & datam violare fidem non renuunt. Ecqua huius eſt cauſa? Quia cœna illa magna id eſt Chriſti Domini erat conuiuium. *Conditor omnium*, ſcribit Chryſoſtomus apud D. Thomam, *atque gloriæ pater parauit cœnam* Chryſoſt. *magnam in Chriſto peractam.* In cœna illa ſpiritalis apponebatur dulcedo, virtus colebatur, & Deus honorabatur; verùm de induſtria homines ad tempus illud varia negotia ſeruarunt, ne virtuti impenderent; ſed vanitati dicarent. Ambitio in villa colitur, in nuptiis luxuria honeſto nomine denotatur, in quinque iugis ſenſuum numerus quinarius exprimitur. Vt noueris tempus animo excolendo decretum ad ſectandas ſenſuum voluptates fuiſſe detortum, cùm tempus vertendæ terræ præfinitum, inuiſendæque villæ dicatum adeò ratum fixumque fuerit, vt nullus aduentarit ad cœnam, quantumuis vrbane allectus, & promiſſionis fide obliga

obligatus: *Per villam terrena ſubſtantia deſignatur*, ſcribit Gregorius apud D. Thomam, *quæ ſola exteriora cogitat*. Auguſtinus ibi adſtipulatur: *Quinque* iuga boum ſenſus carnis huius quinque *numerantur*. De tempore oblectandis ſenſibus adſcripto, nec hora in cœna cæleſti inſumitur; tempus verò cæleſti cœnæ dicatum deliciis ac vanitatibus eſt ſolutum. Gregor.

223. Pſaltes, vt eximiam iuſti virtutem ſæculis commendauerit, ſic aiebat: *Erit tamquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.* Pſal.1.v.3. Profecto ſuggillatiua videtur laus de fructu opportuno tempore reddito commendare, cùm mirum non ſit maturandis fructibus præfinito fructus maturos edere. Quæ arbori laus, ſi tēpus aptū fructibus protrudēdis, fructibus impēdiſſet explicandis. O miram Pſaltæ ſapientiam! Adeò frequens apud homines eſt, tempus dicatum fructibus impendere vanitatibus, vt ad inſtar miraculi dignis elogiis celebrarit fructuum tempus fructibus promendis impenſum, nec ſolum foliis luxuriantibus attributum: *Irrigatus germinabit*, ſcribit Euthymius, *fructum, ipſas nempe virtutes opportuno ferens tempore.* Mira res nihil de tempore ferendis fructibus deſtinato fuiſſe minutum; ſed maturandis, colendiſque integerrimè expenſum. Euthym.

---

§ L.

Deſpicabilis eſt, & à ſociorum numero diſpungendus, qui ſe ſubtraxit tempore laboris, & accurrit ſolum felicitatis.

224. PLures ſunt, ſub amicitiæ larua ſuis ſolùm ſtudent lucris, & in omnibus ſolùm ſe reſpiciunt negotiis: colunt amicitiam; ſed quamdiu vtilitatis ſpes floret, & felicitas viget: Aderunt importuni conuiuio, recedent à morbo: fugient in modum auium, ſi minetur aduerſitas; inuolabunt, ſi grata vernet felicitas: non expectarunt aues illæ, quæ in proceræ arboris ramis conuerſabantur, arboris caſum; imò nec ſecutis ictum: minis auolarunt territæ, quæ olim opipare paſtæ: *In ramis eius conuerſabantur volucres cæli, & ex ea veſcebatur omnis caro.* Dan 4.v.9. Dum folia viteſcebant pulcherrima, dum fructus alliciebat ſaporatus, dum commodus inuitabat nidus, canoris concentibus aures demulcebant, & in ramis ambitioſiſſimè inhabitabant; at vbi apperuit periculum, ocyſſimum arripuere volatum: *fugiant beſtiæ, quæ ſubter eam ſunt, & volucres de ramis eius*: vbi præciſi rami, & auolauere volucres: nec enim ramos inhabitabant cauſa oblectandi; ſed ſe innutriendi. Profecto homines erant, qui ſub frondoſa illa degebant planta; verùm in brutorum cenſum iure relati ſunt. *Fugiant beſtiæ*: brutorum namque numero debebant adſcribi, & à cenſu rationalium expungi, qui ſolum adſtiterunt florente felicitate, fugerunt minitante ſecuri. Optimè brutorum numero receſentur, qui à ratione diſtare longè probantur: debuiſſent namque nudæ diſpoliatæque adſtitiſſe radici, qui lucroſo adſtiterant luxui; verùm aliud eſt ſe amicum mentiri, aliud amicitiam colere. *Qui cauſa vtilitatis*, aiebat Seneca epiſt.9. *aſſumptus eſt, tamdiu placebit, quamdiu vtilis fuerit. Hac re florentes amicorum turba circumſidet, circa euerſos ingens ſolitudo eſt, & inde amici fugiunt, vnde probantur.* Seneca. Florētes amicorum turba circumdat. Periculum, labor, ærumna ſunt fidelitatis examina, & non indubia argumenta; verùm vt ſubæratum aurum probatur flammis, ita agnoſcitur falſata amicitia ærumnis. Inde amici fugiunt, vnde probātur. Diſertè Cicero 11. de natura deorum: *Amicitiam ſi ad fructum noſtrum referemus, non erit iſta amicitia; ſed mercatura quædam vtilitatum ſuarum.* Itaque plures amicitiam adulterant, & in lucrum tranſire cogunt, dum quæſtui ſemper attendunt: *Nomen quidem*, aiebat Euripides; *ſed rem ipſam amici non habent, qui forte triſti non ſe amicos exhibent.* Euripid. Labor & afflictio eſt amicitiæ lydius, & ibi agnoſcitur aut laudibus celebranda, aut vituperiis carpenda. Baracus à Deo monitus in Siſaram hoſtem quidem opulentiſſimum non copioſa manu; ſed exiguo militum numero inſurgit: *Accitis Zabulon, & Nephthali aſcendit cum decem millibus pugnatorum habens Deboram in comitatu ſuo.* Plures milites Baracum ſecutos tradit textus c.5. *Duces Iſſachar fuerunt cum Debora, & Barac veſtigia ſunt ſecuti*; & tamen à numero ſequentium inueniuntur expuncti, aut quod idem eſt, non relati. Iudic.5.v.15. Et quæ diſcriminis cauſa eſt? Fuitne hæc affectata oblitio vanitatis ſtudium, vt glorioſior appareat triumphus, dum militantium minor eſt numerus? Non equidem: nec enim Baracus, laudis ambitioſus, aut ambitione deliquit tumidus; at Iſſacharæi in militibus recenſeri non meruerunt: quia non adfuerant prælio; ſed triumpho: cum Baraco ingentiſſimum ad ſpeciem periculum imminebat, non accurrerunt, vt deferrent ſuppetias; deuicto tamen Siſara inuolauere ad manubias: ob id ergo à militantium cenſu expuncti, & à numero amicorum deleti. Adeſt Abulenſis quæſt. Ambroſ. 14. *Aliqui alÿ venerunt de aliis tribubus, vt de Iſſachar; quia tamen erant pauci, non facit hic de eis Scriptura mentionem. Vel forte quia non venerunt ad principium belli; ſed poſteà in fuga Siſaræ.* Dum Baracus, Siſaraque ſigna conferrent, anceps erat ad ſpeciem victoria; imò Baraco imminebat ruina, vt qui cenſebatur à diluuio inimicorum opprimendus, & dura morte ac captiuitate mulctandus; at fugiente, deuictoque Siſara, iam celeberrimus erat præ manibus triumphus, & ferè immenſus ſpoliorum, manubiarumque cenſus. Iſſacharæi ergo periculi tempore deficientes animo ſubſtitere, & manubiarum occaſione celeriter inuolare; vtque nos edoceat textus hos ſimileſque nullo honoris titulo debere nobilitari; imo à numero reliquorum expungi, arcano prætetiuit ſilentio, & affectato obliuionis ſtudio.

225. Petrus aliquando vti Sathanas expellitur, &, ſi fas eſt dicere, de ſequentium numero ad noſtram eruditionem expungitur: *Vade poſt me Sathana, ſcandalum es mihi: quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt; ſed ea, quæ hominum.* Matth.16.v.23. Inquiramus, ſi placet, quænam fuerit hæc in Petro hominum ſcientia, & à cæleſtibus diſcrepantia. Varia Petri geſta reiectionis cauſam approbabunt: gradiebatur Christus Dominus ſuper aquas, marinique vortices feſtinabant gradientis deoſculari veſtigia, vt maieſtatis cryſtalli

ſtallinis vocibus non dubia proderent teſtimonia. Quid tunc ? Petrus ſacra veluti impatientia ſocios deſerit, & præ cæteris Chriſto Matth. 14. v. 28. Domino adhærere ardenter exambit: *Domine, ſi tu es, iube me ad te venire ſuper aquas.* Hic ipſe Petrus, qui Domino ſuper aquas gradienti, & veluti pellucida quadriga vecto propinquare deſiderat, apud hortum, ne ſanguineis guttis laborantem, & mortali agonia videret preſſum, oculos ignauo tradidit ſomno: *Venit ad diſci-* Matth. 26. v. 40. *pulos ſuos, & inuenit eos dormientes, & dicit Petro: Sic non potuiſtis vna hora vigilare mecum?* Ecce Petrus cum dormientibus dormit, nec tempore agonis, vt acceſſerit propius, alios derelinquit. Nec mirum, ignorabat namque, quæ Dei erant; ſapiebat quæ hominum. Hæc veluluti innata hominibus ſcientia eſt, felicibus aſſiſtere, & eodem aut maiori ſtudio à calamitoſis recedere. Ergo Petrus abeat: nec enim, ni vertiſſet ſtylum, debebat admitti ad amoris vſum, aut ad amicitiæ commercium. Non ſapiebat tunc, quæ erant Dei. Innuit Chryſoſtomus apud D. Thomam ad Matth. 14. *Non* Chryſ. *ſolùm credidit quoniam poteſt Chriſtus ambulare ſuper mare; ſed quoniam poteſt & alios inducere, & concupiſcit velociter ad eum ire.* Velociter propinquare deſiderat, non dum videt ſanguineis guttis madidum, & mortis pauore afflictum; ſed dominantem fluctibus, & alios potentem dotibus nobilitare ſimilibus. Ergo iure Sathanæ opprobrio obſcuratus deteritur, & ad noſtram eruditionem abigitur: non enim inter fidos, amicoſque numerandus eſt, qui calamitoſo tempore ſe ſubducit, & adeſſe hilari & feſtiuo geſtit. *Amicus certus*, aiebat Ennius, Ennius. *in re incerta cernitur.* Felicitas & proſperitas dum ſpes nutrit, omnium cupiditatem accendit. Accedunt tunc non probi amici; ſed deteſtandi vſurarij: labor amici verum amicum percellit, qui amicitiam approbat, dum accurrit.

226. Miphiboſeth inter Dauidis commenſales, & conuiuas, numerabatur, cui Siba eius miniſter & ſeruus inuidens fugienti Dauidi occurrit, & vbi eius Dominus fuerit ſciſcitanti, manſiſſe in ciuitate fallax reſpondit: *Remanſit in Ieruſalem dicens: Hodie reſtituet mihi Dominus Iſraël regnum patris mei.* Hoc reſponſo qui 2. Reg. 16. v. 2. Semei probra tulit patientiſſimus & manſuetus, adeò exarſit exacerbatus, vt bonis omnibus interdixerit, & beneficiis mulctauerit: *Tua ſint omnia, quæ fuerunt Miphiboſeth.* Vel inter tot calamitatum fluctus regiam liberalitatem oſtendit, & obſequentis officia donis largiſſimis munerauit: regiam exercebat poteſtatem, vel cum ſe abactum videbat à regno. Falſus eſt, dum cito credidit, ſed regium munus impleuit, dum largè remunerauit. Verùm inquiramus, ſi placet, cur dura adeò Miphiboſeth damnarit ſententia, qui Semei mirabili pertulerat tolerantia? Omnia, quæ Miphiboſeth fuerunt, largitur Siba, eumque loco Domini in conuiuio ſubrogat; Miphiboſeth verò regalis menſæ deliciis priuat. Et cur hoc? Quia Siba neceſſitatis tempori occurrit, Miphiboſeth conuiuiorum ſolùm deliciis adfuit: falſus eſt, vt dicebamus; ſed ipſa ex fallacia vtilis promanauit doctrina, ſcilicet ab amicorum numero expungendum, qui ſe ſubtraxit tempore aduerſæ fortunæ, cùm opiparæ adfuerit menſæ: Semei probra deſpicere conſulebat laudabilis tolerantia, vt Miphiboſeth de conuiuarum numero delere, ſi crimen verùm eſſet, prudentia. Patienter ferri poteſt inimicus, qui munus inimici vel impudenter exercet; nequit tamen in amicorum admitti numerum, qui ſuam ſolùm vtilitatem ſub larua amicitiæ cupit. Adeſt Sanct. noſter Sanctius ad hunc locum: *Cùm in Siba animum videret ſaltem in ſpecie liberalem & officioſum, in Miphiboſeth autem inſignis immemorem beneficij, quique illius oblectaretur incommodis, qui regia ipſum dignatus menſa fuerat; & non ſecus ac filium amplectebatur, æquum exiſtimauit illum ornare agris, & poſſeſſionibus propter grati animi, atque fidelis officium: hunc autem eiſdem agris ſpoliare propter hoſtilis animi imprudentem iniuriam.* Decreuit tunc regale ad conuiuium non admittere, quia calamitoſo tempore abfuerat: eſſet namque prudentiæ nota numerari inter amicos, qui amicitiæ inferebat iniuriam, etſi fuerit magnanimitatis elogium parcere mitè prouocanti patientiam.

---

§. LI.

Miſer ſubditorum ſtatus, ſi imperet truculenta ſæuitia, nec ſe valeat tueri impotentia.

ÆStimanda ſunt, aiebat Seneca de tranquil- 227.
lit. cap. 5. *ipſa quæ aggredimur, & vires* Seneca.
noſtra cum rebus, quas tentaturi ſumus, comparanda: debet enim ſemper plus eſſe virium in latore, quàm in onere: neceſſe eſt opprimant onera, quæ ferente maiora ſunt. Nec ſolum vires noſtras metiri debemus, ne maiora aggrediamur; ſed alienas etiam, ne onera illis imponamus intoleranda, quæ ferentem atterant, & poteſtatem noſtram imminuant: ferè plus nobis videmur poſſe, quam poſſumus; alios etiam de eodem erroris fonte pluribus cenſemus, quam valeant, valere viribus. Hinc eſt quod abutimur illorum patientia, & ipſa imbecillitas, quæ onus compellebat imminui, non ſemel perſuaſit augeri. Miſeri quibus ipſa impotentia ſuffragatur ad calamitatis augmen- Saluian.
tum, & venit in miſeriarum auxilium. *Qui adhuc Bagaudæ non ſunt*, ſcribit Saluianus lib. 5. de gubernat. Dei, *eſſe coguntur: quantum enim ad vim, atque iniurias pertinet, compelluntur, vt velint eſſe; ſed imbecillitate impediuntur, vt non ſint. Sic ſunt ergo quaſi captiui iugo hoſtium preſſi: tolerant ſupplicium neceſſitate, non voto: animo deſiderant libertatem; ſed ſummam ſuſtinent ſeruitutem: ita ergo & cum omnibus fermè humilioribus agitur: vna enim re ad duas diuerſiſſimas coarctantur, vis ſumma exigit, vt adſpirare ad libertatem velint; ſed eadem vis poſſe non ſinit, qua velle compellit.* Quam lacrymabilis erat Bagaudarum ſtatus, cùm graui adeò tributorum iugo premerentur, vt deficientibus viribus nec poſſent excutere, nec valerent ſuſtinere: non erat robur ad onus deponendum, nec vigor ad humeris comportandum: geminatis ſecumque reluctantibus agitabantur procellis, dum ſumma vis imbecilli eorum ad opprimendum vtebatur impotentia, & impotentia ferre non poſſet, quæ dura vitij

Digitized by Google

ac tyrannidis imponebat illi ſæuitia. Filij Iſraël Egloni traduntur, qui percuſſos & ferè attritos ad duriſſimam impulit ſeruitutem, & intolerandam calamitatem: *Percuſſit Iſraël, atque poſſedit vrbem palmarum, ſernieruntque filij Iſraël Eglon regi Moab decem & octo annis.* Priùs in manus Chuſan traditi non referuntur percuſſi, etſi ſeruituti addicti: *Seruierunt ei octo annis;* at hîc dura atteruntur ſæuitia, & iam attriti fer-
Ioſeph. reo iugo ſubdere coguntur colla. Adeſt Ioſephus libro quinto antiquit. cap. 5. *Eglon Moabitarum rex opportunos ad iniuriam ratus bello adoritur, exceperunt tamen eum aliquot prælijs: ſed omnibus victi ferocia poſita iugum acceperunt tributarij facti, rex victor tranſlato Ierichuntem domicilio modis omnibus plebem vexauit; ita vt in ſumma miſeria per annos decem & octo degerent.* Expende illud: Opportunos ad iniuriam ratus modis omnibus plebem vexauit. Ipſa populi impotentia intolerandam nutriebat iniuriam, & cùm non valerent ferre, non valebant etiam excutere.

228. Pſaltes, vt ſummam exaggeraret calamitatem,
Pſal.41.v.11 ſic aiebat: *Dum confringuntur oſſa mea, exprobrauerunt mihi, qui tribulant me, inimici mei.* Fractis oſſibus vires prorſus deficiunt, & homo robore ingemit deſtitutus: ergo inimici hanc ſummam exercendi ſæuitiam occaſionem nacti fractum tribulant, & quæ commiſerationis miniſtrabat occaſionem miſeria, ſufflammauit ardentius odia: confractum tribulatunt, vt nec calamitatem poſſet euadere, nec præciſis viribus ſuſtinere. Hic de captiuitate Babylonica agi tradit Euthymius, vbi Babylonicus rex ad dura Hebræos compellebat tributa, cùm nulla competeret illis ſubſtantia: *Contritis nimirum oſſibus*
Euthym. *meis*, verba ſunt populi apud Euthymium, *ob tam graue onus ſeruitutis, vel ob verbera & plagas, quæ aſſiduò mihi à Babylonijs infliguntur, fatigatus ſum*: In peſſimam Hebræi deuenerunt fortunam: nam cùm marcerent exucci ac debiles ad onera cenſebantur robuſti, cùm virium exilitas nec mediocria onera ſuſtineret, grauia adeo attritis humeris imponebant, vt robuſtiſſimos etiam defatigarent: oſſa franguntur, & fractis onera augentur. Quid hac calamitate immanius? Quid durius? quandoquidem miſeria miſeriæ ſuffragabatur, & furebat ardentius ſæuitia: quia nequibat miſeros tueri impotentia.

229. Dæmon quem apud Deum elogiis vidit nobilitari, acriori inuidia Iobum eſt aggreſſus euertere: plagis plagas obſcurabat, & memoriam numero confundebat: prædonum manus exacuit, Sabæos commouet, armat elementa, & in ipſis conuiuiis filiis effodit ſepulchra. Iob præpilata inimici tela ſic patientiæ clypeo repulit, vt illæſus prorſus perſtiterit: victus dæmon adhuc furit, & geminis aciebus, ſuperbia ſcilicet, & æmulatione inſtructus iterum bellum adoritur: & quia iam non poterat nudum diſpoliare diuitiis, nudauit carnibus, & ſæuis induit doloribus: adhuc victrix patientia perſeuerabat, quando iam non aduerſarios armat; ſed inflammat amicos, vt durius eſſet diuexationis tormentum, à quibus foret ſperandum ſolatium: hic Iobus commiſerationem deprecatur, vtque quam ſuſtineat ab amicis calamitatem, clariùs denuntiet, nudatum ſe carnibus profert; & ta-
Iob.19.v.10. men amicos inhiare carnibus dicit: *Pelli meæ conſumptis carnibus adhæſit os meum, & derelicta ſunt tantummodò labia circa dentes meos. Miſeremini mei, miſeremini mei ſaltem vos amici mei: quia manus Domini tetigit me.* Valentiorem modò ad infligendum dolorem agnouit manum, & ideò commiſerationis precatur ſolatium: anteà dæmonis furore armatam violentiam inuicta fortitudine tulit; imò animoſus ſpreuit; modò valentiorem fatetur impulſum, & ſi fas eſt dicere, ferè indubium tolerantiæ naufragium. Ecquod hoc acre adeò infortunium? Cogi ad exhibendas ſaturis carnes carnibus denudatum, & vigore prorſus exutum: *Quare perſequimini me, ſicut Deus*, addit, *& carnibus meis ſaturamini?* Quaſi dicat: Aliis calamitatibus impetitus cum aduerſario confligebam ſæuiſſimo equidem; ſed nullatenus potentia immetata prædito; at modo quamdam veluti omnipotentiam in affligendo cognoſco, quandoquidem de carne exuti carnibus ſaturamini, & veſtram cupitis onerare ingluuiem, dum maiorem agnoſcitis mihi pauperiem. Adeſt Gre- Gregor.
gorius lib. 14. moral. c. 24. ac ſi apertè diceretur: *Ita me ex infirmitatibus meis affligitis, ac ſi ipſi more Dei de infirmitate nihil habeatis... Benè autem ſubditur: Et carnibus meis ſaturamini, quorum mens proximorũ pœnas eſurit, ſaturari procul dubio alienis carnibus quærit.* Expẽde illud: *Me ex infirmitatibus meis affligitis.* Quaſi dicat Iobus; Percuſſionem percuſſioni ſociatis, & quia me acerbiſſimo videtis dolore cruciatum, nouo deſideratis me dolore affligere oppreſsũ; carnes fami veſtræ, ſaut potius ſaturitati impendere cogitis, cum me carnibus prorſus carere videatis: quod iam dæmonis in affligendo videtur ſuperare ſæuitiam, & redolere quodammodo in vexando omnipotentiam.

Hanc extremam populi calamitatem lamen- 230. Michææ.3.
tabatur Michæas: *Violenter tollitis pelles eorum* v.2.
deſuper eis, & carnem eorum deſuper oſſibus eorum: qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum deſuper excoriauerunt. Olim apud Ezechielem lanam detondebant, & à craſſis ouibus ſugebant lac: *Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat, occidebatis.* Ezechiel.34.v.3. Et quidem ferri poterat lac ab opimis gregibus exigi, lanam à vellere copioſis detonderi; at prorſus miſerum, calamitoſumque pro vellere pellem exigere, & ab excoriatis carnem poſtulare. O quàm miſerum erat à craſſis lanam, ab infirmioribus exigere pellem, quandoquidem ipſa imbecillitas, quæ excitare debuiſſet commiſerationem, acuebat immanitatem. Paſtores gregem debent paſcere, & tamen non ſemel grege paſcuntur. Adeſt Hugo ad 1. Iudic. *E contra faciunt multi prælatorum: oues ſuas non liberant vt paſtores; ſed ſpoliant vt fures, excoriant vt carnifices.* Hugo. Vtinam aliquorum fames aliquando ſaturaretur vel excoriatis pellibus, aut detractis carnibus; at flammæ inſtar de appoſita materia furit ſæuior, & de incrementis inardeſcit ambitioſior: lana carentes oues pellem pro lana miniſtrant, & ob quod debuiſſent leuari, acrius contingit vrgeri.
Quàm copioſis lachrymis deplorabat hoc Sal- Saluian.
uianus citato: *Quis, vt dixi, locus eſt, vbi non à principalibus ciuitatum viduarum, & pupillorum viſcera deuorentur, & cum his fermè omnium Sanctorum: nam & hos quaſi viduas & pupillos habent; quia tueri ſe aut pro ſtudio profeſſionis ſuæ nolunt, aut pro innocentia, atque humilitate non poſſunt.* Viduæ pupillique non poſſunt ſe tueri, & quia non poſſunt, premuntur, vt fuerit ipſa

Digitized by Google

ipſa impotentia alienæ violentiæ, & calamitatis propriæ efficacia.

231. Ioan. 10. v. 2. Chriſtus Dominus, vt ad quam Hebræorum reſpublica deueniſſet calamitatem, oſtenderet, lupum aduentantem ait non paſtorem ferire; ſed ouium carnibus ſaturari: *Videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit, & lupus rapit, & diſpergit oues.* Oues, quia fugere non poſſunt, cedunt in lupi rapinam, & illarum imbecillitas truculentiæ fouet audaciam: quam placidè paſcitur ſanguine agnelli lupus rapaciſſimus & truculentus quam dilacerat ouem! *Lupus ſuper oues venit*, ſcribit Gregorius hom. 14. in Euang. *cum quilibet iniuſtus & raptor fideles quoſque, atque humiles opprimit.* Lupi ſæuitiæ non patet mercenarius: quia deteſtanda prouidentia ſibi conſulit, & appetens diſcrimen eludit; at gregis imbecillitas irritamentum ſæuitiæ eſt, & quia oues non habent, quo ſe tueri poſſint à truculenta ſæuitia, ſoluunt lupo ſanguinem, & illis in ipſo paſtu eſt laniena. Miſeræ profectò oues, quibus non ſolum mors in macello; ſed etiam in campo: vbi paſcendæ, diſperguntur, vbi nutriendæ, deuorantur; & vbi ſolicita illas defendere debuiſſet tutela, opprimit dura ſæuitia. Ecce ouium ad inſtar Hebræi ſubiacuere Eglonis fami: cumque imbecilles ſe non poſſent ab iniuriis tueri, ob ipſam impotentiam contingebat dirius, ac durius vexari.

Gregor.

§. LII.

Vt opportunum temporalibus negotiis tempus vana ſuperſtitione ſeruatur, ita virtutis religioſa ſuperſtitione obſeruetur.

232. EA ſæpè homines caligauere dementia, vt euentus infelicitatem, proſperitatemve beniguis aut iratis aſtrorum aſpectibus imprudenter adſcripſerint, ac tempori & fortunæ arrogauerint. Plures ſunt, qui non ſine religionis iniuria tertiam hebdomadæ feriam, hoc eſt Martis diem, prorſus ſibi arbitrentur infauſtam, & ob id ab omni opere ſibi abſtinendum. Alij, ſi caſu aut geſtantis ignauia ſal in terram deciderit, tragœdias excitant, & infauſta appetere imprudentiſſimè autumant. *Fortunam contumeliæ cauſam*, ſcribit Plutarchus lib. de fortuna, *cæcam appellamus, quòd cæci in eam incurramus.* Cæci in fortunam incurrunt: quia inoculati nullatenus fortunam eſſe cognoſcunt. Res humanæ non caſu; ſed prouidentia geruntur: nil ab aſtris, nihil à fortuna abſque ductu Numinis pendet: quia ab eius arbitrio quidquid accidiſſe caſu putatur, fluit; verùm etſi hoc meriſſima fuerit veritas, ſtudio ſæpè (vt dicebam) obcæcatur improbitas: putant plures ſub hoc aut illo aſtro felicitatem florere, ab alio infelicitatem manare. *Iuxta vias gentium*, monebat Ieremias capite 10. *nolite diſcere, & à ſignis cæli nolite metuere.* Itaque gentes Lunæ Soliſque obſeruabant aſpectum, vt quoduis ordirentur negotium: tuncque omni ſedulitate, & alacritate, ſeriis rebus tractandis incumbebant, cùm tempus adeſſe opportunum ſibi putabant. Colebant gentiles, ſcribit noſter Sanctius, *metuebantque ſigna cæleſtia, vel quia ab illis exiſtimabant humana omnia pendere, & otioſam eſſe quamcumque aliam humanam, aut diuinam prouidentiam.* Ea ſuperſtitione laborabant, vt tempus aliquod præ alio opportunius crederent, & tunc ſtudioſius ac viuidiùs rebus tractandis incumberent. Et quidem cæca gentium ſuperſtitio nobis ad virtutem eſt adhortatio. Simus honeſtè ſuperſtitioſi, nè temporis opportunitatem amittamus ignaui. Hinc laudandus eſt Baracus, qui opportunum ad prælium diem obſeruauit ſtudioſè, & arripuit ad triumphum auidè: *Dixit debora ad Barac; Surge: hæc eſt enim dies, in qua tradidit Dominus Siſaram in manus tuas; en ipſe ductor tuus eſt.* Profectò nullum ineptum tempus virtuti: cur ergo Debora ſuperſtitioſè ad ſpeciem, peculiarem ad triumphum deſignat diem, & Baracum inſurgere validius adhortatur in hoſtem? *Hæc eſt dies.* Hoc dubium excitauit Abulenſis quæſtione 14. *An ſuperſtitioſus fuerit Barac expectando tempus ad bellandum?* Reſpondetque vaniſſimum, & ſuperſtitioſum eſſe ſyderum obſeruare motus, & temporum curſus quid illis vti rerum cauſis tribuendo, aut fauſtam ſortem in his potiùs, quàm in aliis circumſtantiis expectando; Baracum verò longè ſtetiſſe à vana ſuperſtitione; imò digniſſimum fuiſſe, vt qui eo ardore, quo homines arripere ſolent opportunum tempus ad vana, arripuerit ad honeſta: *Dicendum quòd ſi ſeruaſſet tempus, ſcilicet quòd eſſet dies Martis & non Mercurij, vel talis & non talis, vel quod eſſet tunc tale ſignum aſcendens vel tale, aut quod eſſet tunc hora talis planetæ, vel eſſet coniunctio, aut aſpectus aliquis talium aut talium planetarum, eſſet ſuperſtitioſus.* Addit Abul. *Tamen ſi ſeruetur ſolùm tempus, quia iubet Deus aliquid fieri nunc & non poſteà, vel ſic & ſic, non eſt ſuperſtitioſum; ſed ad obedientiam pertinet.* Agnouit Baracus homines cæca ſuperſtitione hoc aut illud tempus vt fauſtum aut infauſtum putent, arripere auidè, aut deteſtari ſtudioſè. Ergo noluit opportunum ad inimicum deterendum tempus terere; ſed honeſta voluit ſuperſtitione obſeruare. Vt iam dixi, omne temporis ſpatium virtuti colendæ præfixum eſt; negari tamen non poteſt nonnullis diebus diuinam indulgentiam promptiorem quodammodo homines allicere, & ſi fas eſt dicere, cogere, vtpotè inſignis iubilæi tempore, ſacris maioris hebdomadæ diebus, dicatis Mariæ Virgini ſolemnitatibus, & his ſimilibus. Ergo prudens hoc impetrandæ veniæ, deterendis culpis, cæleſtibus auertendis minis elabi tempus, ignauè non ſinet; ſed ſtudioſè obſeruabit. Pudeat nos hac in re à ſuperſtitioſis vinci, & à vaniſſimis, criminoſiſque ſuperari. Si gentes alicuius ſyderis ortum, quia ſibi felicem autumant, obſeruantiſſimè ſpectant, & tunc indefeſſo ſtudio laborant, cur dum cæleſte ſydus, Maria ſcilicet Virgo exoritur, cur dum Chriſtus Iacobi benigniſſima ſtella naſcitur, non arripietur id tempus ad pœnitentiam, & ad abundantiùs merendam gratiam?

Plutarch. *Non eſt fortuna, quæ cæcutiat; ſed nos cæci ſumus, qui arbitramur eſſe fortunam.*

Ierem. 10. v. 2.

Sanctius.

Abulenſ.

Deus, ſi fas eſt dicere, ſacra æmulatione inflammatus Orientales illos Magos gentium primitias aſtro lucidiſſimo allexit, & curioſitate vtiliſſima traxit: *Vidimus*, inquiunt, *ſtellam eius in oriente, & venimus adorare eum.* Chryſologus, vt erat acri ingenij acumine præditus, rogat ſermone 157. cur crinito cometa traxerit, cur ſyderea luce pellexerit: *Cum e per ſtellam* 233.

Matth. 2. v. 2.

Chryſol.

ſtellam, ſi cum ſtellis, cum origine nulla cauſa eſt, nulla ratio cum natura? Quare Magi? Quare ſtella? Vt per Chriſtum ipſa materia erroris ſic fieret ſalutis occaſio. quemadmodum per Chriſtum mortis cauſa cauſa facta eſt vita. Hoſtem proprio mucrone turbare ſingulare eſt inſigne virtutis: Magi antiquo errore obcæcati ad huius aut illius ſyderis ortum ſtudioſiſſimè inuigilabant, vt humana gererent, & ſibi profutura diſponerent. Ergo Dominus ſimile ſtudium diuinis impendi anhelans nouum ſydus abolita ſyderum lege Magis oſtendit, & honeſta illos ſuperſtitione inflammauit. Et cur Magus deſpiceret ſydus fauſtiſſimum ad virtutem, qui obſeruarat ſydera ad impietatem: *Vidimus*, inquiunt, *& venimus.* Quaſi dicant: Anteà temporum opportunitatem arripiebamus ad humana ſtudioſe: ergo ad diuina opportuni ſyderis ortum non prætereamus ignauè. Ecce luminoſum inuitat aſtrum, ecce cæleſti prouocat lingua, & eleganti lucis loquela. Ergo curramus ocyſſimi ad regem, qui inuolabamus ad hoſtem. En vtilis equidem ſuperſtitio, en honeſta temporum, ac ſyderum obſeruatio: vt enim profanæ ſtudere ſuperſtitioni irridendum, ita huic vtiliſſimæ non incubuiſſe damnandum.

Tertullian. *Rape*, aiebat Tertullianus lib. de pœnit. cap.4. *occaſionem inopinatæ felicitatis.* Aliquando inopinata arridet felicitas, quæ arrepta proſperat, & prætermiſſa condemnat. Ergo damnabili ignauia opportunum virtuti tempus elabitur, quando fauſtum ad ſpeciem tractandis rebus arripitur: *Surge*, inquit Debora, *hæc eſt dies, in qua tradidit Dominus Siſaram in manus tuas.* Forſitan alio tempore tantas non ſortiretur ſuppetias, quibus hoſtiles euerteret copias. Adeſt quidem Deus, & quacumque peccator hora ingemuerit, audit; verùm non ſemper; ſed pro arbitrij ſui libito offert abundantiſſimam gratiam, & inuincibilem nobis tutelam. Ergo dies, tempuſque, quo diuinus fauor expromptior, obſeruari debet religioſa, vt dicebam ſuperſtitione, quando ad ridicula opportunum tempus obſeruatur damnabili vanitate.

234. Aliam nobis idem textus probationem ſubministret:
Iudic.5.v.20. *De cælo dimicatum eſt contra eos: ſtellæ manentes in ordine & curſu ſuo aduerſus Siſaram pugnauerunt.* Forſitan ſi Baracus abſtinuiſſet à prælio, cæleſti poſteà hoc caruiſſet auxilio; at cùm vidit æthera pro ſe certare, & vires ſuas geſtiuit prudenter adiungere: ſi inter ſe diſſiderent tempore & cæleſte auxilium, & Baraci prælium, forſitan non adeò grandi clade inimicum detriuiſſet, nec triumphum adeò celebrem reportaſſet; at dum propitio ſydere dimicat, hoſtem facili negotio debellat.
Abulenſ. *De cælo*, ſcribit Abulenſis vbi ſuprà, *dimicatum eſt eſt contra eos: ſtellæ manentes in ordine ſuo contra Siſaram pugnauerunt: voluit verò Deus iſtam pugnam de cælo eſſe certo tempore: ideò vt concurreret cum illa Barac, iuſſum eſt ei quòd aggrederetur certo tempore.* Vbi cæleſtis & humana pugna in Siſaram eodem tempore conuenerunt, pro Hebræis ſtetit victoria, & certa hoſtes oppreſſit ruina; at ſi quando æther dimicabat, Baracus otiaretur, aut æther validè adeò non militaret, cùm Baracus in aduerſarium inſurgeret, ſine dubio labor non eſſet ſic fructuoſus, nec hoſtis penitus lugeret detritus; at quia Baracus laudabili curioſitate honeſtaque ſuperſtitione tempus quo æther militabat, attendit, hoſtem glorioſè deuicit.

Pugnabat Ioſue contra allophylos, & ne rapidus ſolis curſus victoriam tam celebrem obſcuraret, dum inimicis patrocinantibus tenebris fugæ occaſionem præberet, laudabili temeritate ſtationem elementis indixit: 235.
Ioſue.10.v.12. *Tunc locutus eſt Ioſue Domino in die, qua tradidit Amorrhæum in conſpectu filiorum Iſrael, dixitque coram eis: Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon.* Expende illud *tunc*, & illud *in die, qua tradidit Amorrhæum*, quaſi Ioſue ſtudioſè temporis huius opportunitatem obſeruauerit, vt validius contra inimicos irrueret. Videamus iam quid eo tempore præ alio fauſtum ſibi ſpecialiter agnouerit: explicuit textus: *Conturbauit eos Dominus à facie Iſrael.* Ecqua conturbatio? *Cum fugerent*, inquit, *filios Iſrael, & eſſent in deſcenſu Bethoron, Dominus miſit ſuper eos lapides magnos de cælo.* Itaque Ioſue peculiares eo tempore agnouit ſe ſortiri ſuppetias, & noluit fauſtum ſibi tempus deterere; ſed optimè clade inimicorum luctari:
Videns primum ſignum à Deo datum de cælo aereo, ſcribit Lyra, Lyra.
ex hoc confidens petiuit ſecundum de cælo ſydereo dicens: Sol contra Gabaon ne mouearis. Vbi cæleſte auxilium agnouit, inopinatæ felicitatis rapere occaſionem geſtiuit: vt doceret omnes temporum opportunitatem piè obſeruandam, nec deſidioſè prætermittendam.

Inſequebatur Pharao populum cupiditate cæcus, & audacia proritatus, medios per vortices incedebat, & quo plus propinquabat naufragio, propius ſe accedere credebat triumpho; verùm illuceſcente aurora Dominus pugnare incepit, & Moyſes ſtupentes vndas virga percuſſas reſoluit: 236.
Exod.14.v.24. *Iam aduenerat vigilia matutina, & ecce reſpiciens Dominus ſuper caſtra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis interfecit exercitum eorum.* Hoc ipſo tempore Moyſes manum eleuat, & liquorem in hoſtes armat: *Cùm extendiſſet Moyſes manum contra mare, reuerſum eſt primo diluculo ad priorem locum.* Primo diluculo virgam mouet, quia primo diluculo & nubem pugnare videt: præcedenti tempore ſe commendauerat fugæ; iſto verò iam ſtuduit victoriæ. Et quarè? Quia prudenter obſeruauit eo tempore copioſius ſibi adeſſe cæleſte auxilium, & hoſti propiùs imminere naufragium. Profectò ſi Moyſes ſtupentes vndas non reſolueret, quantumuis pugnaret nubes, portum inimicus appelleret; at copioſis manubiis & ferè innumeris ſpoliis Moyſes diteſcit: quia occaſionem opportuni temporis nullatenus prætermiſit.
Caietan. *Tamquam igitur diſſimulauerit vſque ad illam horam Deus ſupremus* (verba ſunt Caietani) *deſcribitur quod reſpexit illa hora ad caſtra Ægyptiorum: quia vſque ad illam horam permiſit Ægyptios perſequi Iſraelitas, & tunc incepit aduerſus eos operari.* Cùm vidit Moyſes ſibi adeſſe cæleſte auxilium, virga inimicis procurauit naufragium: quaſi audierit Apoſtolum:
2.Cor.6.v.2. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Abiiciamus ergo opera tenebrarum.* Omne tempus nos ad virtutem adurget; ſed aliquando ſpeciali titulo premit. Ergo inſurgamus in vitia, cùm videamus auxilia copioſius nobis ad eſſe ſuperna.

§. LIII.

Digitized by Google

§. LIII.

Quiſquis ſaluti ſtudet conſulere, geſtiat ſuperbum faſtum deponere.

237. QVæ putantur non ſemel commoda, vitæ inueniuntur pericula: vtque feræ ac piſces fallacibus capiuntur oblectamentis; ita homines ſuperbiſſimis, cariſſimiſque faſtus & arrogantiæ fallaciis: geſtiunt præſtantiores cæteris eminere, & exambiunt volatica ad vanitatis oſtentationem luce radiare; verùm ipſo fulgore, quo ſtudioſiùs fouebant ſuperbiam, aduerſam ſæpè ſibi conciliauere fortunam. *Videamus*, aiebat Seneca epiſtol. 5. *ne iſta, per quæ admirationem parare volumus, ridicula & odioſa ſint.* O quanta ſi perſpicacibus oculis diſpiciantur, inueniuntur ad augendam admirationis gloriam prorſus ridicula; cùm tamen ad pernicioſam inflammandam inuidiam probentur apta. Ea ipſa, per quæ ſibi placere cæca diſcupit arrogantia, ſufflammare ſolent truculentiſſima odia: flammantia fulmina altiſſimas turres feriunt, æquabili ſolo parcunt: quiſquis eminuit, æmulationis oculos prouocauit, & aduerſariis expoſitus viuere nequiuit ſecurus. *Temperetur vita*, aiebat Philoſophus, *inter bonos mores, & publicos.* Viuit, qui omnem inuidiæ occaſionem aufert: ſæuiſſimis adurgetur periculis, qui ad ſuperbiæ faſtum ſplendet. Siſara cum Baraco manus conſerit; verùm cui auxiliabatur cælum, induſtrium vincere non valuit ſtudium: copioſis exercitibus ſtipatus procedit Siſara; ſed grandior Baraci de ſua exigua manu, & de numeroſo aduerſariorum exercitu emicat ſemper victoria. Inter tot tantaque pericula Siſara locum inuenit fugæ, vt turpiori aſſeruaretur infamiæ: *Perterruit Siſaram, & omnes currus eius, vniuerſamque multitudinem in ore gladij ad conſpectum Barac, in tantum vt Siſara de curru deſiliens pedibus fugeret.* O quàm perturbat rationem metus! O quàm iniquitas ſibi maturat ſtragem! Ecce dum ſtudioſiùs diſcrimen curat eludere, inuenitur diſcrimini imprudentiùs patrocinari: nonne opportunior ad fugam currus velocibus ductus equis? Quomodò ergo Siſara, vt vitæ conſulat, deſerit quod deſiderare debuiſſet, vt ſaluti certiùs conſuleret? Difficultatem hanc tetigit Abulenſis quæſtione 16. *Si fugiendum foret, conuenientiùs fugeret Siſara in curru: quia velociores erant equi, quam quòd ipſe pedibus curreret: vel ſaltem ſi currus non erat ita velox, poterat equum ſumere.* Reſpondet. *Vt poſſet euadere Siſara, voluit pedibus fugere, non quod ſic velociùs fugeret; ſed quia magis tutus foret: nam ſi manſiſſet in curru, cùm eſſet currus ſuus diſtinctus ab aliis curribus in pluribus, Iſraëlitæ perſequerentur eum.* Siſara vti ſupremus exercitus dux, ſuperbiori vehebatur curru variis cælaturis diſtincto, & ad faſtus ac tumoris pompam deaurato: ergo dum magnis vidit ſe adurgeri periculis, prudens deſiluit è curru: agnouit namque opus ſibi eſſe ſuperbam faſtus, ornatuſque deponere pompam, vt charam ſibi tueretur vitam: pedes & quaſi vnus de gregariis militibus appetens eluſit periculum, qui ſuperbiſſimo curru ſuſtinebat detrimentum. Diſce ergo ventoſiſſimum abiicere faſtum, ſi foues pectore vitæ ſalutiſque deſiderium: eſt namque ſuperbus faſtus, ſi non ruina, ferè ſemper calamitatis fœcunda vena.

Senec.

Vita inter bonos, & publicos mores temperanda.

Abulenſ.

238. Ieremias capite duodecimo vt reddiderit cauſam, qua tot in Hebræum populum gentes inſurrexerunt, variis ait fulſiſſe coloribus, & reſplenduiſſe diſcoloribus varietatibus: *Numquid auis diſcolor hæreditas mea mihi? Numquid auis diſtincta per totum? Venite, congregamini omnes beſtiæ terræ, properate ad deuorandum.* Quaſi dicat propheta: Nihil mirum inuolarint omnes beſtiæ ad deuorandam hæreditatem, cum diſcolori aui miréque variegatæ & diuitiis reſplendeat ſimilis, & artificioſis ornatus vanitatibus fulgeat æqualis: *In eo ſimilitudinem eſſe volunt*, ſcribit noſter Sanctius, *quia auem verſicoloribus plumis radiantem aliæ inſectantur volucres aut inuidentes, aut amantes eius pulchritudinem.* Itaque dum verſicoloris auiculæ radiantem geſtat ornatum, vitare nequit inſectationis periculum: fulget inter reliquas aues diſcolor, & miro ſplendentium colorum lenocinio oculos paſcit; ſed dum paſcit, & liuore etiam præcordia adurit: ergo vt internum dolorem demulceant, roſtra & vngues ad denudandam auem verſicolorem anhelant. Si auicula deponeret tumidum faſtum, ſæuum doloris non ſuſtineret aculeum, verùm proprio per totum ſanguine tingitur, quia liuor & inuidia contra eius excellentiam armatur. Iam ſi mauis Hieronymi interpretationem ſequi, locus hic Domini iuſtas querelas deſcribit: eius namque populus miris ornatus dotibus, & copioſis ditatus facultatibus in benefactorem inſurrexit tumidus, & delinquere geſtiuit ambitioſus: *Auem diſcolorem*, inquit Hieronymus hic, *tinctamque per totum iuxta litteram pauum vocat: tantam; inquit, habuit pulchritudinem Iſraël, & tantis fuit Ieruſalem diſtincta virtutibus, vt nihil eſſet bonorum, quod non cerneretur in ea. Quia igitur mihi facta eſt hæreditas quondam mea, id eſt, populus Iſraël quaſi leo in ſylua, & dedit contra me vocem ſuam, & eam omni odio deteſtatus ſum.* Ecce quantis animæ maculis populus ille ſorduerit, dum externo cultu mirè radiauit. In Deum auſus eſt, virtutes ſpreuit, vanitatem diſcupiuit, & dum virtutum deſpexit fortiſſima munimenta, vrgentiſſima conciliauit ſibi pericula: ſecurior vixiſſet, ni diſcolore varietate radiaſſet. Adde faſtum, ac corporis cultum, vel dum nullatenus virtuti aduerſus, eam præpedire, & animi robur labefactare.

Ierem. 12. 7. 9.

Sanctius.

Hieron.

239. Cùm Dei filij conueniſſent, & Sathan affuit: Angelorum ad virtutem auerſatus fuerat conſortium, & modò ad liuoris exambiuit ſtudium: dum Iobi laudes referuntur, præcordia eius dolore ardentiſſimo diſcruciantur, vtque inuidiæ blandiatur, pernicioſiſſimum prælium molitur: eluctantes flammas de ſuperis trahit, quibus greges penitus deuorentur: ventos in ventos excitat, vt ſecum depræliantes ædificium ſubruant, & conuiuantes fratres miſerè opprimant. *Tunc ſurrexit Iob, & ſcidit veſtimenta ſua.* Mira ſanè Iobi alacritas, & ad præliandum vel cum gehennalibus hoſtibus animoſitas! verum dum modo ſurrexiſſe refertur, anteà ſediſſe indicatur. Quomodò ergo qui in exemplar virtutis à Domino adductus, non ſurgebat

Iob. 1. v. 20.

Digitized by Google

ſurgebat retardatus. Origenes lib.1.in Iob ſurrexiſſe teſtatur, vt laudabilem manifeſtaret audaciam,& inſuperabilem fortitudinis energiam. *Conſcidit*, inquit, *veſtimenta ſua. Cur conſcidit? Ob hoc conſcidit, vt expeditior, atque conſtantior extitiſſet in prælio,vt illa,quæ retardant, deponeret;vt illa,quæ impediunt,à ſe proiiceret*: vt tamquam audaciſſimus præliator, & tamquam ſingularis monomachus,& aduerſus inæſtimabiles aduerſarios ſingulariter immobilis perſtitiſſet: ob hoc ergo conſcidit *veſtimenta ſua*. Pia ingenioſaque profectò Origenis meditatio, verùm (Origen.) quæ ad ſpeciem antiquum Iobi ſtylum à ſugillatione non liberet:nam ſi anteà eximiis elogiis à Domino commendabatur, ſi vti clariſſimum virtutum ſpeculum,ſi vti innocentiæ theatrum, ſi vti religionis emporium dilaudabat, quomodo ſedebat veluti oſcitans, aut ſi omnibus numeris abſolutus, cur modò inſurgit & alacrior, & animoſior? Profectò ſi modò plures reſumit vires aſſurgens, his caruit ſedens: quod priſtinæ virtutis videtur nota; imò ignominia. Quid ergo in cauſa fuit vt anteà quam modò oſtentat, animi alacritate caruerit, & noua ſe modò fortitudine armarit?Explicuit textus:*Scidit*, inquit, *veſtimenta ſua*. Iob vti rex Tyria induebatur purpura,amiciebatur regali pompa, & licèt hoc virtutem non dehoneſtaret, aliquomodò ſaltem impediebat:ipſum ornatus pondus non permittebat aſſurgere;ſed cogebat inſidere. Tunc ſurrexit, cùm pompatico ornatu caruit. Profectò ornatus ille ſtatus legibus congruebat; verùm decens etiam ornatus pompa prægrauabat. Quod ſi decens, & ſtatui congruens ornatus ſic vires laſſat, quid putas cenſendum de vaniſſimo cultu,& de profaniſſimo ornatu?O quàm non aſſurgent honeſta expediti ad prælia,virilia ad certamina, qui auri grauantur pondere, qui ventoſiſſimo ſuperbiunt faſtu, qui deaurato vehuntur curru. Ecce vel Iob tunc refertur ſurrexiſſe, cùm ſe pompatico ornatu conſtat nudaſſe: *Vt illa,quæ retardant,deponeret,vt illa,quæ impediunt, à ſe proiiceret*. Virtutem faſcinat ſplendidus corporis cultus,& radians veſtimentorum ornatus.

240. Cùm rex Iſraël arduum iniret prælium,profundè ſecum meditatus eſt,qua arte induſtriaue, quod ſemper in certaminibus obuium, eludere poſſet periculum, & poſt longam meditationem habitum mutare decreuit, & Ioſaphat re-
3.Reg 22. v.30. galibus ornamentis aſtutus induit:*Dixit itaque rex Iſrael ad Ioſaphat: ſume arma & ingredere prælium,& induere veſtibus tuis: porrò rex Iſraël mutauit habitum ſuum, & ingreſſus eſt bellum*. Ecce mundialis prudentia plus verita eſt ornatum, quàm inimicum: Iſraël rex non eſt auerſatus bellum, cùm veritus fuerit ornatum: *Mutauit habitum ſuum,& ingreſſus eſt bellum*. Adeſt
Hugo. HugoCharenſis: *Fortè hoc fecit,ne cognoſceretur à Syris: quia ipſum ſolum quærebant Syri*. Syrorum vota in regis cædem conſpirauerant, vtque à ſe auerteret periculum, mutauit induſtriè habitum. Annuit Lyra: *Intendebat quòd pondus belli verteretur ſuper Ioſaphat*. Periculo grauiſſimo expoſuit, quem pompatica veſte ornauit, ſeque ornatus exuit ſplendore, ne inuidentiam flabellaret in odium, & ne odium tranſiuerit in delirium.Quiſquis eminuit,ad ſe multorum oculos traxit, & dum traxit, ipſo, quo reſplenduit, armauit.

§. LIV.

Munera dignitate prædito oblata ſæpiſſimè inſidiæ probantur honori, & pericula dignitati.

QVi tribunal inſcendit, nulla debet venalitate ſordeſcere, nulla munerum cupidi- 241.
tate dignitatis gloriam innubilare: redimunt plures periculum largiſſimis donis; ſed de largitate accipienti patant inſidias, cùm auidiùs indignationis moliuntur ſopire flammas: ſi oblatis donis iam fruſtrauere periculum, creant nouum, & grandius ſæpè diſcrimen de acceptis, vt aurum ſibi reddiderint criminando, qui diſcrimen eluſere tribuendo. Nihil dignitate prædito, togaque honorato vt munera fugiendum eſt: vt enim venatores, piſcatoreſque captioſa oblectamenta piſcibus & feris obiiciunt, & quæ videbantur munera, inueniuntur ſemper pericula, ſic plures liberalitatem mentiuntur, & donis abutuntur pro inſidiis. Ad rem quidem Seneca epiſtol. 8. *Et fera & piſcis* Senec.
ſpe aliqua oblectante decipitur: munera iſta fortunæ putatis? inſidiæ ſunt: quiſquis noſtrum tutam agere vitam volet, quantum plurimum poteſt, iſta viſcata beneficia deuitet, in quibus hoc quoque miſerrimi fallimur: habere nos putamus, habemur, in præcipitia curſus iſte deducet, huius eminentis vitæ exitus cadere eſt: deinde ne reſiſtere quidem licet, cùm cœperit tranſuerſos agere felicitas. Qui iudiciali po- *Felicitas ſæpè in miſeriam tranſit*
teſtate fulgens, & venalitate ſordeſcit, ſæpè putat oblatis muneribus ſuam felicitatem augere, & contra adſultus temporum ſuffulcire; verùm ſi præfinitum poteſtati tempus elapſum ſit, ſi reddendæ rationis adſit, tunc apparent captioſæ inſidiæ, quæ putabantur oblectamenta, & grati animi teſtimonia. At dices iam periculo prouiſum eſt: nec enim per cuiuſque manus oblatum munus deuenit; ſed per ſecretiſſimos induſtriæ meatus, & fideliſſimas ad ſpeciem amici manus decurrit. Tibi ſanè, & quidem egregiè imponis, cupiditatis fumo obcæcatus, & auaritiæ blanditus: ſera fortè pœnitudine fallaciam agnoſcés, cùm dignitàtis ſcilicet deponendæ tempus acceſſerit; imò ſi cupiditatis acceſſio, quæ modò inflammat animum, vires remiſerit: oblata etiam per amicos, quos fideliſſimos puras, captioſa inueniuntur munera, & in inimicorum tranſire contingit vota. Quàm benè Seneca lib. 2. de benef. cap. 25. *Sæpè nihil intereſt inter ami-* *Sæpè nil intereſt inter amicorum vota, & inimicorum ſtudia.*
corum munera, & hoſtium vota: quidquid illi accidere optant, in id horum intempeſtiua indulgentia impellit, atque inſtruit: quid autem turpius, quàm (quod euenit frequentiſſime) vt nihil interſit inter odium & beneficium? Diuerſa ſæpè ſunt nomina; ſed eadem non rarò latet ſub diuerſitate ſubſtantia. Quicumque oblatis muneribus dignitati inſidiantur, & periculum honori,& auctoritati moliuntur. Iſraëlitæ quo Eglonis imperio tunc vtentis beneuolentiam ſibi conciliauerint, larga donatiua, & munera magnifica mittunt: *Miſerunt filij Iſrael per illum (hoc eſt Aod) munera Eglon regi Moab.* Quid tunc? Gladio ancipiti ſub ſago munitur. *Accinctus eſt eo ſubter ſagum in dextro femore.*

Vno eodemque tempore & ferrum ad inſidias tegit, & donum ad fallendum diſponit: eiſdem manibus gerit gladium vitæ inſidiantem, & nummum cupiditati plaudentem. Certè Aod Egloni proditur familiariſſimus, dum remotis arbitris cum illo miſcet colloquia,& admittitur ad ſecretiora cœnacula. *Ingreſſus eſt Aod ad eum;ſedebat autem in æſtiuo cœnaculo ſolus.* Gratus Principi munerumque oblator inſidias diſponit ad ſpeciem amico,& Eglon thronum poſt accepta munera deſerens patet ferienti ſiniſtræ, ſi anteà oblectatus eſt muneribus dextræ: *Surrexit de throno, extenditque Aod ſiniſtram manum,& tulit ſicam de dextero femore ſuo:infixitque eam in ventre eius.* Dum in throno ſedet Eglon, offert Aod liberaliſſimus munera aliorum nomine,& fortè ſuo;at cùm à throno videt deſcendiſſe, infixit altiſſimè ferrum, idem ipſe qui paulò antè obtulerat obſequentiſſimè donum. Abulenſ. Adeſt Abulenſis q.22. *Dicendum quòd immediatè vt deſcendit de throno, occidit eum.* Statim ac thronus relinquitur, munerum oblator dignitatem, vitamque adoritur: vt ſibi iudices caueant in poſterum, nouerintque à fideliſſimis ad ſpeciem etiam amicis, per quos throno inſidentibus deferuntur dona, infligenda throno iam relicto vulnera.

242. Amici Iob ſolatij ſpecie illum ſermonibus atterebant, integritatemque iudiciariæ poteſtatis mirè obſcurabant, teſtabanturque omnia illa munera, quæ ſedens accepit in throno, militare iam contra ſedentem in ſterquilinio: Iob.15. v.34. *Ignis deuorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt.* Sub generalitate verborum ſingulariter Iobum perſtringunt, vt de generalitate diſſimulent ſuſpicionis reatum, & de liuore infixerint morſum. Egregiè quidem Iobi amici fallebantur: nec enim vlla vnquam obſcurauit venalitas, quem eximiis commendauit laudibus veritas; verùm etſi Iobo non adaptetur ſententia, plurimis ſatis verè hæc adaptatur doctrina, munera accipiunt dignitate & poteſtate florentes; ſed quæ poteſtatis tempore fuerunt munera, iam reddendæ rationis tempore apparent ardentiſſima flamma. Iob olim poteſtate lucebat præditus; ſed à Deo Sathanæ diſcutiendus committitur: Iob.1.v.12. *Ecce vniuerſa, quæ habet, in manu tua ſunt.* Ergo amici putant omnes illas plagas à dæmone illatas, pro munerum acceptione fuiſſe decretas, & iure quidem inflictas. Adeſt Lyra: In hoc notat Iob, quod dum eſſet in poteſtate, fuerat acceptor munerum ad peruertendum iudicium, & ex hoc fuiſſe punitum pœna ignis oues ſuas, & pueros conſumentis, vt habetur ſupra primo capite: *Ignis Dei cecidit è cælo, & tactas oues, pueroſque conſumpſit.* Itaque Iob amicus putat donaria illa, quæ dum poteſtate vteretur, accepit, iam illa interdicto conuerſa fuiſſe in incendia, ingentibuſque mulctis puniri, quia conſtabat olim acceptis muneribus oblectari. Falſus eſt,vt dicebamus, Iobi amicus; ſed ſi in Iobum falſa, in plures alios protulit vera: ſubuertunt ſæpe iudicium munerum perſuaſi eloquentia, & prolectari auri copia; at dum diſcuſſor, & diſquiſitor aduentat, accepta olim dona depaſcuntur diuitias vti ardentiſſima flamma, & ſordet dignitate, & proprio etiam patrimonio priuatus, qui illicitis muneribus fortunam ſuam hiauit ſuffulcire deluſus.

243. Ezechias miram ſalutem conſecutus eſt, cúmque inſolitum illud Solis prodigium euentum plurimis denuntiaſſet, Berodac Babyloniorum rex munera miſit per Babyloniorum manus: 4.Reg.20. v.12. *In tempore illo miſit Berodac filius Baladam rex Babyloniorum litteras & munera ad Ezechiam.* Ezechias muneribus oblectatus vel ſecretiora nuntiis oſtendit, nihilque illorum notitiæ denegauit: *Oſtendit eis domum aromatum, & aurum, & argentum, &c.* Quid tunc? Duriſſimo illum nuntio percellit Iſaias, & pro acceptis muneribus theſauros omnes fore reddendos teſtatur, ipſoſque Babylonios, qui detulerant dona, poſteà excitaturos fore felicitati naufragia: *Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ ſunt in domo tua, & quæ condiderunt Patris tui vſque in diem hanc in Babylonem.* Et quæ huius adeò duræ mulctæ cauſa? Donis à Babylone oblatis Ezechiam fuiſſe oblectatum, & ad familiaritatem cum Babylonio contrahendam illectum: vt videas quam verum ſit, quod ex Stoico detulimus, nihil ſcilicet intereſſe inter amicorum munera, & hoſtium vota. Ruinam Babylonij magnificis parauere muneribus, vt bellicis quirent adſultibus: & qui modò amicitiam oblatis Principi muneribus teſtabantur, ad ruinam impellebant, & inſidias captioſiſſimas cogitabant. Innuunt Rabbanus, & Angelomus apud Gloſſam: *Dum ſuaſu malignorum ſpirituum iactantiæ acquieſcunt, quaſi oſtium, quo diutiùs congregatum amittant, hoſtibus pandunt.* Raban. Ecce maligniſſimi Babylonij amicorum aſſumunt perſonam: & quia Ezechiam videbant egregiis de Sennacherib reportatis triumphis, cæliquc prodigiis nobilitatum, muneribus ſibi deuincire feſtinant; ſed ipſis muneribus accipienti pericula creant: ipſi namque qui obtulerunt munera, prænotabant ſecreta, & armabantur in ipſum accipientem notitia: pandit ille vti amicis; vti per quorum manus illi afferebantur munera, vel abditiſſima arcana, & dum quaſi admirati laudant, malignè notant, & illa ipſa notitia armati in accipientem abiecta perſona inſurgunt veri inimici. Et quidem Ezechiæ plus timendum fuit à muneribus, quàm à phalangibus. Vicit ferè immenſa aduerſariorum caſtra; ſed illum dignitate ſpoliarunt dona: ſub illorum poteſtate dignitate mulctatus ingemuit filius, per quorum manus donis pater eius putatur auctus. Proh captioſa dona! proh deteſtanda munera! plures, mihi crede, inter nos Babylonij verſantur, familiaritatem ſimulant, amicitiam venditant, muneribus ſubornant, donis corrumpunt; ſed opportuno ipſis tempore aſſumptam deponunt perſonam, & de muneribus grauiſſimam inſtruunt cauſam.

244. Dæmon Chriſti Domini gloriæ inuidens variis aggreditur illum technis, inuitat ad epulas, offert altitudinem, mundi promittit gloriam: Matth.4. v.9. *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* Quid tunc Dominus? *Vade Sathana.* Sathanam nulli eſt dubium interpretari aduerſarium. Et cur dum munera offert ad cacumen montis elato aduerſarij ſugillauerit titulo? Quia diabolus ipſe ſe prodidit, & quas moliretur inſidias, muneribus oblatis aperuit: *Si cadens, inquit, adoraueris me.* Ecce quod aiebat Seneca: *Putatis*

Digitized by Google

Putatis munera? inſidiæ ſunt. Munera offerebat cacumina poſſidenti ad ſpeciem deuotis; ſed captioſas inſtruebat inſidias peruerſus: deiicere tentabat de acceptis, quem honorare videbatur de oblatis: ſtudium offerendi munera erat accipientis excidium, & videbatur magnitudini obſequium: offerens Sathanas proditur: quia de oblatis muneribus inſidias vafritie deteſtanda molitur. Docuit Dominus oblata reſpuere, & dignitatis durationi de repulſa prouidere: vti aduerſarius habendus eſt, qui alto offert: molitur namque oblatione caſum, vel dum mentitur obſequium: *Ea quæ per iniquitatem fiunt in mundo, vt puta per furtum,* ſcribit Chryſoſtomus

D.Thom.

apud D.Thomam, *acquiſitas diuitias diabolus dat,* Furum iudici, hoc eſt, Chriſto, diuitias offert, quibus corruptus malignitatem adorauerit, non puniuerit; ſed vel diabolus non potuit celare caſum, cùm de rapinis obtulit donum. *Si cadens,* inquit, *adoraueris me:* offerendo aduerſabatur inimicus, qui cenſeri potuit ad ſpeciem deuotus. Nunquam diabolus offert niſi lapides famelico & pauperi cum totam mundi gloriam obtulerit cacumine refulgenti; ſed dum offert, inſidias inſtruit. *Munera putatis, inſidiæ ſunt.* Habere nos putamus, habemur: in præcipitia curſus iſte deducit: huius eminentis vitæ exitus cadere eſt. Quid plura? Quæ veriora?

---

§. LV.

Culpis aſſuetus inſtante periculo non ſibi benè conſulit perturbatus.

245. COnſuetudo pro natura aliquando inoleuit, & animum ad ſe traxit: arbor, dum radices non egit, exigua violentia euellitur, & ad commodiorem locum traducitur; at ſi diu telluri inhæſit, & profundiſſimas radices miſit, nulla vis præualet; imò ictibus ventorum turbinibus conſtans reſiſtet, & impetum tempeſtatis fruſtrabit.

Seneca.
Omnia perficit pertinax opera.

Nihil eſt, aiebat Seneca epiſt. 50. *quod non expugnet pertinax opera, & intenta ac diligens cura: robora in rectum, quamuis fluxa reuocabis, curuatas trabes calor explicat, & aliter nata in id finguntur, quod vſus noſter exigit: quanto facilius accipit formam flexibilis, & omni humore obſequentior?* Verum dixit Philoſophus, at ipſa veritas noſtram arguit ſtultitiam, & condemnat temeritatis audaciam: curua robora ad rectitudinem reducuntur, & dediſcere naturam docentur; ſed pertinaci opera: aliter namque & labor caſſus, & qui laborat, ſugillatur ſtultus: nec enim vnius diecula labore duriſſimum robur, tortuoſum, & curuum poteſt ad rectitudinem conformari, & antiquam veluti naturam deſerere: de pertinaci opera poteſt rectitudo ſperari; verùm ſine aſſiduo labore ſtultiſſimum, imò inſanum eſt hanc reformationem credi. Aduertit ibi pru-

Prauitas indureſcit.

dentiſſimè Stoicus. *Illud deſperandum eſt,* inquit, *poſſe nobis caſu tantum bonum influere: laborandum eſt, & vt verum dicam, ne labor quidem magnus eſt ſi modò, vt dixi ante animum noſtrum formare incipimus, & recorrigere, quàm indureſcat prauitas eius.* Nec de duriſſima prauitate deſperandum eſt; ſed nec leuiter poſſe corrigi ſentiendum. Ab ſcopo aberrare aſſuetus, mirum erit, ſi vrgente periculo certus collimet: ferire deſiderat; ſed conſuetudine aberrat. Ecce Siſara Iabino, qui prudentia mundialis interpretatur diu inſeruiuit, perterrefactus, & à Baraco impetitus, tuendæ vitæ anhelat profugium, & ſalutis anxie procurat aſylum. *Siſara fugiens peruenit ad tentorium Iael vxoris Haber Cinæi.* Solicitus quærit vitæ tutamentum; ſed falſus ſibi maturauit excidium: ad Iaëlis domum auidus ſalutis confugit; ſed ibi mortem inuenit: *Vt poſſet euadere Siſara,* ſcribit Abul.q.16. *voluit pedibus fugere, non quòd ſic velocius fugeret; ſed quia magis tutus foret.* Maiorem ſecuritatem fore ſibi putauit, ſi ſe ad Iaëlis recepiſſet tentorium; ſed turbatus ibi adinuenit grauius periculum: ſalutem diſcupiuit; ſed mirè errauit: erat enim per quàm difficile diu inſeruiiſſe Iabino, qui vt ſupra ex Gloſſa, &

Abulenſ.

ex Origene hom.4. in Iudices retulimus, *interpretatur ſenſus vel prudentia,* & inter ipſas mortis anguſtias tranſiſſe ad veræ rationis caſtra, & ad ſecura ſalutis profugia: malè elegit perturbatus: nec mirum; imò mirum eſſet, ſi anxiis timoribus diuexatus, & mortis periculo territus adinueniſſet ſalutis viam, qui diu amplexus fuerat fallaciam. O quàm timere debent vitiis aſſuefacti, ſi ſalutis negotium ad ægritudinis tempus remittant: tunc enim videntur contritionem deſiderare: pœnitentiam ambire, deierare vitia, ad virtutum fugere caſtra; ſed ipſo dolore & periculo perturbati errant, nec vt oportet, confugiunt ad ſalutis aſylum; ſed quod putabant portum, experiri ſolent naufragium.

Origen.

246. Baltaſar opiparam menſam optimatibus inſtruit, & genialem noctem concelebrat; verùm inter ipſam ſympoſiorum ac ferculorum lætitiam inopinus caſus ſic regis animum perculit, vt genua timore agitata ſecum ipſis colliderentur, & color verteretur in maciem, dentes concaterentur, ac denique pręcordia nimio rigerent timore, ac tota corporis membra robore deſtituta inſolita quaterentur anxietate. Neſcio quæ digitorum imagines duram ſcribentes ſententiam hanc calamitatem adduxerant, & regis animum mirè perturbarāt. Quid tunc? Timori conſulere exoptans, & angori medicinam anhelans, Chaldæos, & auſpices vocat: *Exclamauit itaque rex fortiter, vt introduceret magos, Chaldæos, & aruſpices.*

Dan.5.v.7.

Profectò vt calamitati medelam afferret, ad Danielem Dei prophetam, vti Nabucho fecerat, debuiſſet accurrere, & aruſpices deierare; verum qui fallaciis, magiiſque aſſuetus, neſciuit ſibi conſulere perturbatus. Et quidem facile non erat, dum mentis prudentia obſtupeſcebat timore, dum ipſa ratio rigebat metu, ſana inuenire conſilia, qui imperturbatis anteà ſenſibus vaniſſima ſecutus fuerat commenta. Baltaſar, temulentia non obcæcatus colebat aruſpices, ignorabat prophetam: quid ergo mirum, ſi iam ebrietate obſcurus ad ſalutem non inuenerit remedium, quantumuis anxiè ſibi quæſierit auxilium Adeſt Hieron. ad hunc locum: *Oblitus eorum, quæ Nabuchodonoſor acciderant, antiquum, & inolitum ſuæ gentis ſequitur errorem, vt non Dei prophetam; ſed Magos, & Chaldæos, & aruſpices vocet.*

Hieron.

Grande adurgebat periculum, regis animus gelido timore percellebatur, ſtudioſè perturbationis remedium quærit; ſed calamitatem perturbatus adauget. Errat etiam dum calamitatem eludere ſolicito anxioque voto procurat. O timeant appetentis mortis & periculi anguſtias, qui ſalute valentes euanidas coluerunt ineptias: imprudenter namque confidit directo tramite

aduerſus ventorum adſultus in portum rationis gubernaculo ſe aurigaturum ſcapham,qui placidis vndis dirigere neſciuit nauiculam: qui non didicit ad cæleſtem Helicen leuaſſe oculos,dum ſereno aëre placidè elabebantur marini fluctus, quomodo agnoſcet inter denſas aëris caligines, inter inſanientes vndas, & repugnantium ventorum ſecum procellas.

247. Ochozias per cancellos cœnaculi ſui cecidit: nec mirum ibi miſerum tuliſſe caſum: quia nimium epularum frequentauerat ibi luxum: *Cecidit Ochozias per cancellos cænaculi ſui, quod habebat in Samaria, & agrotauit.* Caſu attritus, & mortis periculo perturbatus quærit cæleſte leuamen; ſed dum ad ſpeciem quærit, delinquit; Beelzebub namque conſulturos nuntios delegat, verùm quos delegit deſiderio ſalutis, paſſus eſt nuntios extremæ calamitatis; Miſit nuntios dicens ad eos: *Ite, conſulite Beelzebub Deum Accaron, vtrum viuere queam de infirmitate mea hac.* Salutem exoptat; & ſalutis media ſolicitat; ſed ipſo timore obturbatus errat. Deum videtur quærere, ſed in ipſa inquiſitione conſtat cæciſſimè errare. Ita Angelomus & Eucherius apud Gloſſam: *Quia Dei præſidium dereliquit, ſalutis remedium non inuenit: confugit enim ſicut rex impius ad falſos deos.* Ad Deum confugit, à cælo auxilium requirit: vocat qui valeant opem præſtare, & medelam languori afferre; verùm ſub ipſa pietatis ac religionis ſpecie latebat delictum, & delicto augebatur damnum. Non eſt tam facile, vt imprudentes putant in magna animi perturbatione, quod expediat, inuenire, & ab ipſa virtute vel virtutem quærendo non deuiare. Non ſemel viatoribus, quibus aliqua via ignota eſt, accidit illam quærendo ab ipſa deerrare, & inutili labore ſe lugere remotos, dum ſe arbitrabantur vicinos: ſecurè gradi per ignotam viam tenebris impedientibus, & variis tramitibus auocantibus difficile eſt, ideo quiſquis prudens, hoc vitabit periculum, & prouidenter effugiet damnum.

4 Reg.1.v.2.

Angelom. Eucher.

248. E contrà qui virtuti aſſuetus, ſecuram ſalutis viam inuenit, etiam dolore, & periculo exagitatus. Ecce Iairus Achiſynagogus filiæ animam iam agentis exulceratus dolore media perquirit ſalutis: quid tunc? Chriſtum adit, ad pedes eius procidit, & obnixè deprecatur, vt morienti velit dexteram imponere: quia poſſe credidit languorem tactu depellere: *Venit quidam de Archiſynagogis nomine Iairus, & videns eum procidit ad pedes eius, & deprecabatur eum multum dicens: Quoniam filia mea in extremis eſt: veni, impone manum tuam ſuper eam, vt ſalua ſit, & viuat.* Dexteram, quærit: quia nouit Domini dexteram feciſſe virtutem: à ſalutis vena vitam conatur haurire: quia nouit ex hoc fonte, & non ex alio manare. Adeſt Chryſol. ſerm. 33. *Cum eſſet Archiſynagogus, legis notitiam hic habebat, & cum verbo cætera, hominem manu Dei legerat eſſe figuratum: credidit ergo Deo: quia eadem manu, qua creatam ſenſerat filiam, recreari, & reduci poſſe credidit ad vitam.* Certè intimus dolor patris adurebat præcordia: vrgebant appetentia filiæ pericula; verùm quia legis notitiam ante periculum habuit, grandi in diſcrimine remedium ab ipſa lege eruditus inuenit: inuolauit ad dexteram vitæ ac ſalutis officinam, à qua facile potuit impetrare medelam. O quantum profuit illi legis notitia, ô quantum voluit diu inſeruiſſe diuinis ad inueniendam efficaciſſimam medicinam, & certam vitæ tutelam. Ni Iairus coluiſſet legem, forſan dolore perturbatus erraſſet, & ad ſpeciem quærens antidotum, ſi non venenum, forſitan ipſum antidotum inueniſſet adulteratum. Non omnis peccatorum confeſſio prodeſt, ni debitus eam dolor adornet, & digna delicti pœnitudo commendet. Qui ergo legitimum nunquam dolorem pectore de culpis fouit, mirum erit, ſi inſtante morte, ſi perturbatis ſenſibus, ſi attentionem auocante familia legitimam pœnitentiam ediderit. Siſara ſalutem deſiderabat, & anxio ad illam deſiderio currebat; verùm nimio timore perculſus, errauit miſerè falſus: apud Iaëlem ſecuritatem præſumpſit; ſed necem præſumpta in ſecuritate adinuenit.

Marci 5. v.22.

Chryſol.

§. LVI.

Quò quis degit in fæminæ conſortio ſecurior, eò mortem incurrere ſolet perículoſior.

249. FOeminarum ſpecies, quo illecebroſiùs allicit, duriùs ferit: deprædatur animum pulchritudo, & quo placet, venuſtas nocet: oris lenocinia, oculorum pellacia, ornatus elaborata ſtudioſè artificia, verba adulteratè prolata, inceſſus fractiones laquei ſunt, quibus adſtringuntur incauti, & comprehenduntur curioſi: in mulieris facie periculum inſidet, dumque incautè aſpiciens viſu oblectatur, catena ſtrictiſſima premitur. *Debet adumbrari facies*, aiebat Tertullianus de veland. virgin. cap. 7. *tam periculoſa, quæ vſque ad cælum ſcandala iaculata eſt, vt cum Deo aſſiſtens, cui rea eſt Angelorum exterminatorum, cæteris quoque Angelis erubeſcat.* Profectò Angeli ſpecie fœminarum non ſunt decepti, verùm multorum error dum vſque ad Angelos venuſtatis extendit ſcandaloſæ efficaciam, homines natura fragiliſſimos docet cautelam: quis enim mortalium inconcuſſam ſpondeat ſibi conſtantiam, vbi natura corporis expers luctuoſam exiſtimatur ſuſtinuiſſe ruinam: flammas eiaculatur fœmineus aſpectus, & nociua oris libertas ſpectantium miſera inuenitur captiuitas. *Velut gladium te*, ſcribebat Cyprian. lib. de diſcipl. & hab. virgin. *& venenum videntibus prabeas, excuſari non potes, quaſi mente caſta ſis & pudica.* Ingenioſè gladium vocauit aſpectum, & venenum præſentiſſimũ vultum appellauit decorum: vt enim venenum ſæpè ſaporatis eduliis aut annoſis vinis immixtum voluptate hauritur, & exhauſtum vita ſoluitur, ita oris gratia placidè per oculos ad cor dilabitur; ſed cor ipſa placiditate veluti flammis aduritur. Quod ſi omnis mulieris adſpectus inuenitur periculoſior, præcipuè de ſecuritate inardeſcit ſæpe nocentior: vbi animus ſibi adeſſe periculum putat, inuigilat ſolicitior, & degit cautior; at ſi nullum ſibi arbitretur diſcrimen irremediabiliùs perit: quia grandis appetit ſemper ruina, & otioſa dormit cautela. Ecce Debora contra Siſaram vadit in campum, ille ſtrenuè deprælíatur, & tandem certamini fugiens ſubducitur: fugiens ad Iaëlis peruenire anhelat tentorium vti ad ſecuritatis aſylum: erat enim fœderata pax inter Iabinum, & Haberum:

Tertull. *Oris venuſtas habenti, & aſpicienti periculoſa.*

Cyprian. *Quæ monſtrauit videri, nequit à culpa excuſari.*

Habetum: *Siſara fugiens peruenit ad tentorium Iaël vxoris Haber Cinæi: erat enim pax inter Iabin Regem Azor, & domum Haber Cinæi.* Quid tunc? Securus dormit, & quia nullum arbitrabatur periculum, nullum oppoſuit diſcrimini impedimentum, verùm qui fugit impugnatus, periit ſecurus: Iaël namque clauo transfoſſum interem, & ſopori necem ſociauit: *Ingreſſa abſconditè & cum ſilentio poſuit ſupra tempus capitis eius clauum, percuſſumque malleo defixit in cerebrum vſque ad terram.* Pax illi bellum fuit: ô quam non indulgeret ſomno, ſi obnoxium ſe arbitraretur periculo; at dum in Iaëlis tentoria omnem ſibi promiſit ſecuritatem, indubiam conciliauit ſibi perniciem. *Illuc*, ſcribit Lyra, *diuertit ſecurius, & maximè quia Iaël inuitabat eum.* Lyra. Fœdus omnem periculi ademerat ſuſpicionem; at Siſara occiditur, vbi nullum periculum ſuſpicatur. Nec ſolus Siſara tulit mortem; ſed plures etiam de ſecuritate ſibi elaborauere perniciem: non verentur aliquarum fœminarum conſortium, quia poſſibilem non exiſtimant lapſum; verùm fœmineis delinimentis, obſequiorum blanditiis, blanditiarum obſequiis ſomnium ſibi conciliare non verentur, & dum reſoluunt curas ſoporari, locum præbent interimendis virtutibus reſolui.

250. Iudith mulier pulchra corpore, venuſtior animo in virtutum arma calamiſtra, lecythos vnguentarias, & varios pigmentorum fucos conuertit: capta ab hoſtibus duci offertur: ille impotentis paſſionis vinculis illigatus ad cubiculi ſecretum fœminam vocat, nec ad ſe vocatam metuit. Et quis timeret à fœmina inermi, captiua, obſequioſa, tenera? Nihil ergo periculi veritus oculos ſomno tradit, omneſque animi curas reſoluit: *Erat Iudith ſola in cubiculo: porro Holofernes iacebat in lecto nimia ebrietate ſopitus.* Iudith.13. v.3. Quàm ſecurus dormit, quàm nihil illuſus timet. Quid tunc? Hebræa viriles reſumens animos ducem belli fulmen, fortitudiniſque miraculum pugione vulnerat, & ab humeris caput ſeparat; *Percuſſit bis in ceruicem eius, & abſcidit caput eius.* Ecce Holofernes tot triumphis redimitus, tot ſpoliis hoſtium ditatus dum in fœminæ conſortio ſecurior dormit, miſerabilior interiit: ibi vrgentius eſt expertus periculum, vbi nec periculi vel leuis animum ſubiuerat cogitatio, *Hæc ſuccincta ieiunio*, ſcribit Ambroſius lib. de Elia & ieiunio cap. 9. *in caſtris prætendebat alienis, ille ſepultus iacebat, vt ictum vulneris ſentire non poſſet.* Ambroſ. A fœmina alienis in caſtris degenti nihil videbatur timendum; verùm Holofernes tot hoſtium victor, tot copiarum euerſor, tot exercituum profligator, dum in fœminæ conſortio degit prorſus impauidus, oppetit morte indecoro vulnere occiſus: vt videas quàm ſecuritas ſit timenda, & quàm vel caſtiſſimæ fœminæ ſocietas fuerit vitanda.

251. Hoc nos docuerunt & Patriarchæ Abrahami prouida induſtria, & Angelorum imitanda ſemper modeſtia: candenti Sole viatorum ſpecie obiiciuntur, Abrahamuſque, vt erat generoſus, & pientiſſimus grata Angelis violentia ſub arbore labores itineris leuare compellit, & cibum offert: annuerunt Angeli non vt leuarent laboris faſtidium; ſed vt Patriarchæ remunerauerint deſiderium: menſa apparatur, conuiuium inſtruitur, & grandæuus ſenex ipſa faſtigatione lætatur: adſtabat menſæ gaudio delibutus & indefeſſus: tunc Angeli, vt ad filij promiſſionem audiendam excitent, vbi Sara fuerit rogant: *Ubi eſt Sara vxor tua?* Quibus ille: *Ecce in tabernaculo eſt:* Geneſ.18. v.9. Sara auditis promiſſis riſit, & poſt tabernaculi oſtium fuiſſe textus notanter aduertit: *Quo audito Sara riſit poſt oſtium tabernaculi.* Chaldaica ſic reddidit: *Et oſtium erat à tergo eius*, Chaldaic. ſcilicet loquentis Angeli: ita Lippomanus, *Stabat Sara iuxta oſtium, quod erat Angelo loquenti ad tergum.* Lippom. Itaque ſic erant ſedilia diſpoſita, vt tabernaculum poſt Angelorum tergum exiſteret; at Sara non ſolum poſt Angelorum tergum; ſed poſt tabernaculi oſtium. Et quidem otioſa videtur adeò accurata ſitus, tabernaculique deſcriptio: quid enim intererat, ſi Angelorum aſpectus ſe coram haberet tabernaculum, quid ſi Sara non lateret poſt oſtium. Profectò etſi conuiuæ Angelica puritate non florerent, ea erat Saræ annoſitas, rugoſitaſque, vt omnem occaſionem cupiditatis præcideret. Ad hæc etſi Sara ea pulchritudine iuuentutiſque flore vernaret, vt in ſe conuertere oculos intuentium poſſet, periculum aberat, quandoquidem Angeli nec pulchritudinis illiciis ſuaderi, nec impudicitiæ poterant labe fœdari: cur ergo & tabernaculum poſt ſedentium deſcribitur tergum, & Sara poſt tabernaculi latet oſtium? O imitandam eruditionem! ætatis ſenilis exuccæque gelu omne à Sara depellebat periculum, nullos pati poterat tentationis adſultus naturæ Angelicæ priuilegium, vt tamen nos ſuis factis erudiant, & quàm ſit homini neceſſaria cautela oſtendant, ſic ad menſam ſederunt, vt nec in vetuſtiſſimã fœminam poſſent dirigere adſpectum, adeoque Sara vetuſtiſſima contenta non fuit fugere Angelorum aſpectum, , vt lateret etiam poſt oſtium. Adeſt Caietanus: *Deſcribitur in hac clauſula ſitus, quo diſpoſitum erat tabernaculum reſpectiuè ad Angelos ſedentes in menſa dicendo quod ipſa porta tabernaculi erat poſt eum Angelum ſedentem ad menſam, hoc eſt quod porta tabernaculi erat poſt tergum ſedentis ad menſam.* Caietan. Addit moraliſſimè: Et deſcripſit Moyſes huiuſmodi ſitum ad narrandum quod Angelus non videbat Saram, nec Sara videbat facies Angelorum. Quid pulchrius pro caſtitate? Ecce Angeli fugiunt mulieris adſpectum, cùm adſpectus nequeant admiſiſſe peccatum: ecce Sara prorſus exucca, & extra periculum, ſi fas eſt dicere poſita timet Angelicos intueri adſpectus, ne patiatur carnis tumultus: ſecuri degebant Angeli in mulieris conſortio, & tamen ad noſtram eruditionem facies puritatis auerterunt ſtudio: *Angelus non videbat Saram, nec Sara videbat facies Angelorum.* Qua ergo ſolertia ſe debent gerere, qui nec Angelorum gaudent priuilegio, nec in vetuſtiſſim fœminæ degunt conſortio. Adde hac præcipua ſoletti cura cautelaque prouidenti indigere, quibus ætas florida, & ardentior ſanguinis flamma. Imo non tantum neceſſarium eſt extraneæ fœminæ ſocietatem fugere; ſed & cognatæ etiam ac vicinæ prorſus conſortium vitare. Producamus ex tertio Regum huius veritatis clariſſimum teſtimoniũ.

Puer in fœminæ dormiebat cubiculo, eodem loco alter in matris cubabat gremio: fœminarum altera & dormientem filium incautè oppreſſit, & cautè alienum dormientem rapuit: 252.

raptus ad tribunal deducitur, & iam dura illum diuiſiſſet machæra, ni Salomonis prudens ſer-
3. Reg. 3. v. 19. uaſſet induſtria: *Mortuus eſt filius mulieris huius nocte, dormiens quippe oppreſſit eum, & conſurgens intempeſtæ noctis ſilentio tulit filium meum de latere meo ancilla tua dormientis, & collocauit eum in ſinu ſuo.* Vterque puer paſſus eſt aut detrimentum, aut damnum: qui ſecuriſſimè dormiebat, periit extinctus, qui ſine ſuſpicione cubabat à vicina periculum ſubiit raptus: alienum prorſus videbatur omne periculum, & tamen vterque puer in conſortio fœminarum expertus eſt damnum. Quod ſi hiſtoriam adaptemus ad mores, non ſemel cognati cognatis captioſas ſtruxerunt inſidias, & moliti ſunt in vicinos vicini technas: dormiebat puer placido ſomno ad ſpeciem alieniſſimus à periculo; non tamen dormiuit fœmina inflammata improbo deſiderio: à vicina rapitur, raptus ad tribunal deducitur, deductus cultro dicatur;
Auguſt. vbi nulla periculi vrgere videbatur ſpecies, ibi & alterum oppreſſit ignauia, & inuidens alterum rapuit laſciuia: *Quæ erat*, ſcribit Auguſtinus ſerm. 200. de tempore, *non ſolum luxurioſa; ſed etiam crudelis, & impia, clamabat ad regem, vt diuidi iuberet infantem.* Degebat infans in luxurioſæ vicinæ conſortio, & incautus ſubiit periculum, & parum abfuit, quin vitæ ſubiuerit detrimentum. O quoties dum iuuenis cognatis puellis iocatur & ludit, cadit! O quoties dum cum vicinis ſermones texit, incautus incurrit: nihil periculo vacat, vnde magna ſemper opus eſt circumſpectione, ne aut incautus vitam finias, aut pœnam iudicio ſoluas.

ſ. LVII.

Non ſemel amicorum vxores fuerunt ſcandala, dum grato vultu miniſtrant oblectamenta.

253. VEternoſus ille interpolator geſtit virtutibus inſerere prauitates; imò ad prauitatum inſtrumenta detorſiſſe virtutes. Quid amicitia ſanctius, quid humano generi vtilius? *Sa-*
Seneca. *piens*, aiebat Seneca epiſt. 9. *etſi contentus eſt ſe;*
Sapiens amicum quærit. *tamen habere amicum vult, ſi ob nihil aliud, vt exerceat amicitiam, ne tam magna virtus iaceat.* Magna quidem virtus amicitia, ſi honeſtè,
Magna virtus amicitia. ſanctéque colatur; verùm non ſemel deprauatis procuratur affectibus, & miſeris occaſionem exhibuit caſibus: habet quis vxorem pulchritudine eximiam, corporis habitudine egregiam, & dum amici non vetat conſuetudinem, honori imprudenter parat ſtragem: curſitat domum amicus, & quia frequenter adeundi amicitia miniſtrauit licentiam, de licentia non ſemel fouit audaciam: miſcentur ſæpè blanda colloquia, prolixi grati attexuntur ſermones, occaſio præbetur obſequiis, cumque amicitia liberum præſtet ingreſſum, & oris venuſtas inflammet animum, iam ipſa amicitia honoris conuertitur in offenſam, aut ipſa amici vxor non audentis ſugillat modeſtiam, dum ipſa prouocat ad laſciuiam. Siſara ad amici ſui domum ſe confert, vbi Iaël dulce miniſtrat poculum grato vultu adulantique aſpectu: poculo ſomnus conciliatur, & iam Siſaræ fortitudo reſoluitur: amici vxor ſopitum interemit, & interemptum triumphauit: *Siſara fugiens peruenit ad tentorium Iael vxoris Haber Cinæi: erat enim pax inter Iabin regem Aſor, & domum Haber Cinæi: egreſſa igitur Iael in occurſum Siſaræ dixit ad eum: Intra ad me Domine mi, intra, ne timeas.* Iaël pudicitiæ exemplar his verbis vſa eſt, vt timidum ad ſpeciem ſolaretur; verum altiori prouidentia eo inuitauit ſtylo, quo non ſemel iniuria fit matrimonio. Notauit Lyra: *Iſte modus loquendi, ſcilicet ingreſſus viri ad mulierem frequenter accipitur in Scriptura*
Lyra. *pro concubitu carnali.* Itaque famulari ſolet vitio ſtylus, quo Iaël vſa eſt obſequio, vt honeſta in muliere, quod impudicis ſolet contingere, adumbraretur, & Siſara interiret delinimentis vxoris amici, qui tela fruſtrauerat aduerſarij: *Soporem morti conſocians defecit.* Virtus defecit, quia amici vxor ad ſoporem obſequiis præſtitis inuitauit. Honeſtiſſimæ actionis penicillo, hiſtoriæque coloribus expreſſit textus, quæ ſæpè contingunt mortalibus: non ſolet caſtitati, virtutique amicus amici vxoris delinimentis allectus, & obſequiis incitatus. Nec ſolùm in vxore minus cauta periculum; ſed ab amico etiam ſolet oriri honori maximum detrimentum. Profectò amicus vitæ neceſſariſſimus eſt; verùm ſi non tantum amicitiam nomine proferat; ſed factis impleat: *Amicitia*, aiebat Plutarchus lib. de amicorum multitudine ad calcem, *ſtabiles quærit, ratoſque, atque*
Plutarch. *vno in loco, & conſuetudine fixos mores: quapro-*
Inuentu difficilis eſt firmus amicus. *pter inſolens eſt, & difficilis inuentu firmus amicus.* Multorum amicitiam auri adulterauit cupiditas, leges ſanctiſſimas tranſgredi tentauit intemperantia: auri obcæcati ſplendoribus, & deteſtandis multi diuitiarum ſpebus amicitiæ intulerunt iniuriam; verùm plures libidinis inſania in amicitiam adegit, & diuinas, humanaſque leges violare ſuaſit.

Huius veritatis non inſcius Sanctus Iob aie- 254.
bat: *Si deceptum eſt cor meum ſuper muliere, &* Iob. 31. v. 9.
ſi ad oſtium amici mei inſidiatus ſum. Dum ſe immunem ab his fraudibus aſſerit, amicum ad amici oſtium captioſas diſponere non ſemel inſidias, aut inſidioſas prætendere technas innuit. Et cui copioſæ hæ diſponuntur inſidiæ? Hoſtine amici? Aduerſario dilecti? Conſulebat profectò amicitiæ, vt amico pro ſcuto fuerit amicus, & ad eius ianuam conſtiterit obarmatus, quo non tam depulerit damnum, quàm à limine arcuerit etiam periculum: amicitiæ lex hæc videbatur exigere; verùm dum ſe Iobus teſtatur hoc crimine intactum, inſanam conſtat libidinem ſugillare, & laruatam multorum amicitiam ferire: quaſi dicat Iobus ſe ab hoc crimine prorſus immunem fuiſſe, quod conſtat plurimos occaſione amicitiæ ſæpiſſimè deturpaſſe. Tendunt ad amicorum domos, non ad fouendum amicitiam; ſed ad inurendam honori notam, inſidiantur, quo opportunam nacti occaſionem indignum amico expleuerint votum, & probroſum fidelitati conſummauerint deſiderium. Candidus amicus, quia nihil mali ſuſpicatur, amicum omni tempore beneuole admittit, & ad domus ſecretiora introducit; at dum putat fouere beneuolentiam, honori indecoram procreat imprudenter iniuriam: quia inſidus honeſto abutitur titulo, vt adulетur ſceleſtiſſimo deſiderio: *Si deceptum eſt cor*

meum

meum ſuper mulierem, ſcribit D. Thomas hîc lect.1. *ſcilicet alienam concupiſcendam, ex quo autem cor à concupiſcentia mulieris vincitur, conſequens eſt, vt mulierem concupitam quibuſcumque dolis habere conetur: vnde ſubdit: Et ſi ad oſtium vicini mei inſidiatus ſum, vt ſcilicet eius vxore abuterer.* Ecce amico, vicinoque à vicino, & amico indecoræ prætenduntur inſidiæ: & quia beneuolentia & vicinitas facilem conceſſit aditum, de facilitate aditus oritur honori periculum, & amico detrimentum.

D.Thom.

255. Amicus erat Clodius Cæſaris; ſed dum ſimulato affectu colere mentitur amicitiam, probroſam diſponit amico iniuriam: compulſus eſt Cæſar diducere matrimonium. Ita Plutarchus in apophthegm. verbo C. Cæſar *Vxore Pompeia ob Clodium famoſa abdicata, in Clodium, qui ob id cauſam dicebat, teſtis productus nihil dixit ſecus ſibi de vxore compertum: ibi quærente accuſatore: Quid ergo diduxiſſet cum vxore matrimonium? Quod Cæſaris coniugem, inquit, etiam calumnia vacare oporteat.* Compulſus eſt coniugem ablegare quia Clodius eius amicus occaſionem præbuit iniuriæ, quamuis prudentiſſimè Cæſar iniuriam non fuerit falſus; ſed calumniam ſolùm confeſſus. Plus metuendum fuit Cæſari à Clodio, quam ab impudenti aduerſario, quandoquidem aduerſarius illi ſæpiſſimè attulit gloriam, cùm amicus Clodius intulerit ignominiam.

Plutarch. *Cæſaris vxor non ſolum carere debet macula; ſed calumnia.*

256. Ieremias hanc deteſtandam malitiam horribili etiam ſupplicio dignam oſtendit, & communem etiam prodit: *Ponat te Dominus ſicut Sedeciam, & ſicut Achab, quos frixit rex Babylonis in igne pro eo quod fecerint ſtultitiam in Iſraël, & mæchati ſunt in vxores amicorum ſuorum, & locuti ſunt verbum in nomine meo mendaciter.* Itaque hi Pſeudoprophetæ virtutem ſimulabant, quo ſanctitatis ſpecie fallerent, & amicorum domos ſine obſtaculo ſemper adirent: admittebantur ab amicis grato vultu vti iuſtitiæ cultores, & prophetici honoris participes; at illi amicitiam ſimulabant, & luxuriam cum amicorum vxoribus exercebant: admittebantur vti religioſiſſimi viri, colebantur vti familiariſſimi; at ipſi ſimulata vtebantur amicitia, vt nulla eſſent libidinis obſtacula. *Mæchati ſunt in vxores amicorum ſuorum.* Dum ſolùm refert delictum, à quo originem ſumpſerit, relinquere videtur in medium, ſcilicet an amicorum vxores illos ad libidinem allexerint, an illi eas blandis ſermonibus prouocarint. Et quidem non ſemel fœminæ à marito admiſſos hoſpites & amicos obſequiis alliciunt, officiis accendunt, & quæ ob verecundiam proferre non audent vota artificioſa illarum ſine voce produnt officia. Non inficiabor frequentius eſſe viros decipere fœminas, & de maritorum amicis tranſire in honoris aduerſarios; ſed nec inficiari poteſt aliquando amicorum vxores modeſtiæ, verecundiæque limites tranſilire, & maritorum amicos prouocare. Fingebant hi ſe Chriſti Domini progenitores futuros, & mulierculis cum Chriſto Domino conſanguinitatis ingerentes deſiderium facilius alliciebant ad delictum. Itaque ipſe ſanctitatis ad ſpeciem amor ſuffragabatur libidini, & vt copularentur ſtrictius Numini, copulabantur iniquius carni. *Illud ſignificari putant*, ſcribit Hieronymus hic, *quòd miſeras mulierculas, quæ circumferuntur omni vento doctrinæ, ſic deceperint, quod dicerent eis, quia de tribu erant Iuda, Chriſtum de ſuo ſemine eſſe generandum, quæ illectæ cupidine præbebant corpora ſua quaſi matres futuræ Chriſti.* Virtutis larua, ſanctitatis perſona amicorum domos ingrediebantur ad ſpeciem modeſti, & delinquebant adulteri. *Hic propheta meminit*, ſcribit noſter Sanctius, *luxuriæ, qua in proximorum vxores exarſerunt, & quo mendaciis ſuis, vt diuinam conciliarent auctoritatem, diuini nominis fidem prætendebant.* Non referuntur aduerſariorum vxores iniuria affectæ; ſed vxores amicorum violatæ: quia amicitia præbebat opportunitatem, & peruerſitas exercebat libidinem.

Ierem.29. v.22.

Hieron.

Sanct.

257. Fortaſſis hoc tangit Daniel cap. 13. prodigioſam ſenum laſciuiam referens: Senes duo auctoritate pollentes, virtute ad ſpeciem micantes Ioachim domum frequentabant, vti amici, & exarſerunt in venuſtatem, vti prodigiosè ſceleſti. *Iſti frequentabant domum Ioachim, & veniebant ad eos omnes, qui habebant iudicia; cum autem populus reuertiſſet per meridiem, ingrediebatur Suſanna, & deambulabat in pomario viri ſui, & videbant eam ſenes quotidie ingredientem, & deambulantem, & exarſerunt in concupiſcentiam eius.* Reliqui in Suſannæ concupiſcentiam non exarſerunt; quia omnis præcluſa aſpiciendi occaſio; at ſenibus, preſbyteriſque vtpotè amicis, domumque familiariſſime frequentantibus occaſio porrecta eſt aſpiciendi eximiam Suſannæ venuſtatem, & remotam ab oculis in pomario deambulationem: & quia illis vel ſecretiora patebant, improba exarſit cupiditas, & filia cupiditatis temeritas: *Iſti ergo*, ſcribit Angelicus Doctor ad ad hunc locum, *frequentabant domum Ioachim, & ex tali frequentatione exarſerunt in vxorem eius.* Ni domum frequentaſſent, in vxorem nullatenus exarſiſſent; at dum amicitia, & familiaritas præbuit occaſionem frequentiæ, peperit frequentia inſaniam, & honori Ioachimi notam. Non miſcebat Suſanna vti pudiciſſima cum preſbyteris, quantumuis longæua ætate confectis colloquia, non admittebat ad penetralia; verùm creando tanto periculo ſatis fuit ipſos domum frequentare, & amicitiæ titulo in pomario deambulantem videre. Semel in domum admiſſi, ipſi ſtimulante cupiditate ſunt in pomarium ingreſſi, & ingreſſi Suſannæ deteſtanda vota aperuerunt, & ni gratia ſeruam ſuam ſeruaſſet, ingens vitæ honoriſque detrimentum tuliſſet. Et certè diuina prouidentia actum eſt, vt diſceſſerint famulæ: quia grandius aliquando diſcrimen imminet heræ à puellis familiaribus, ſeruiſque, quàm à ſalacibus viris. Vicit petulantes remotis puellis, neſcio ſi adfuiſſent, an vinceret: plures namque famularum ope impetrarunt, quod nullatenus obtinerent ſine improbis illarum conſiliis, & deteſtandis ſuppetiis. Quod ſi, vt dicebamus, Ioachimo, Suſannæque graue adeò creatum eſt ob ſolam frequentationem periculum, quale putas, ſi familiare cum Suſanna miſcerent ſenes ſæpè colloquium.

Dan.13. v.6.

D.Thom.

§. LVIII.

Teterrimus noſter aduerſarius aliis armis fugatur; ſed cruce Chriſti confoditur.

258. VT olim è paradiſo varij emanauerunt fluuij, quorum vndis fructuum adſcriberentur copiæ, & auri ac margaritarum diuitiæ;ita è cruce Domini emanauere gratiarum flumina, quibus dæmon pateretur naufragium, & ingens homini promanauerit commodum: crux eſt ineluctabile dæmoni fatum, & opportunum ſemper homini auxilium:olim inſulſum illud ac vetitum lignum mortem protulit temporalis vitæ venenum:crux fructum tulit ſalutis ſemper antidotum: non ſic gehennales horreſcunt dæmones flammas, ac crucis expauent vires: vbi crux non pugnat, non deſpondent animum;at ſi appareat gelido rimore perculſi vertunt ſtylum. Iam benè cum illis actum putabunt,ſi fugæ concedatur locus, nec ingeminetur illis cruciatus. (Damianus) *Profectò*, aiebat Petrus Damianus ſerm.1.de exaltat.Sanctæ crucis,*crux fuit virga virtutis,in qua Dominus virtutum viriliter pugnauit & vicit* Pſalmiſta dum cæleſte pronuntiat regnũ, & Chriſti ardenter deſiderat triumphum, virgam ex Sion precatur emitti,ad cuius aſpectum diabolus contremiſcit,& ſtupefactus interit: (Pſal.109.v.2.) *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum.*Dum ex Sion virga non emittitur, nec Principatus obtinetur; at miſſa erit ſemper dæmonis frænum, & ineuitabile fatum: *Diſterminans*, addit Damianus, *regnum Dei, & diaboli, imponens frenum malitiæ eius,latamque eius peruagationem validiſſima poteſtate coercens* Damiani ſententiam ſacris comprobemus exemplis.Ecce Barac militum cogit copias, & in campum procedit aduerſus Siſaram copioſis, falcatiſque curribus auctum, & numeroſis militum turmis armatum. Hinc inde validè pugnatum eſt;verùm licet ſtrenua Barac fortitudo hoſtem compulerit indecoram arripere fugam, plenam tamen non obtinuit victoriam: *Siſara fugiens peruenit ad tentorium Iael.* A Domino perterritus,& quidem ingenti fragore,& à Barac duce ſtrenuo ſæculis decantando impetitus periculo ſe ſubduxit, & ad Iaëlis tentorium etſi tremefactus peruenit. *Perterruit Dominus Siſaram, & omnes currus eius, vniuerſamque multitudinem in ore gladij ad conſpectum Barac,in tantum vt Siſara de curru deſiliens pedibus fugeret.* Vides micante æthere, Baraco pugnante inueniſſe fugæ locum,nec plenum conceſſiſſe aduerſariis triumphum. Vide modò fœminam triumphum reportantem,& aduerſarium penitus confodientem: *Tulit itaque Iaël vxor Haber clauum tabernaculi. aſſumens pariter malleum; & ingreſſa abſconditè,& cum ſilentio poſuit ſupra tempus capitis eius clauum, percuſſumque malleo defixit in cerebrum vſque ad terram, qui ſoporem morti conſocians defecit,& mortuus eſt* Quæres, quomodò manu fœminæ interierit,qui tot bellatorum manus effugerit. Audi à Septuaginta:*Tulit Iael vxor Haber palum*:quod interpretata Interlinearis ſic ait: (Septuaginta. Interlinear.) *Palum, id eſt, crucis lignum, cuius acumine & virtute Eccleſia diabolum interfecit.* Ecce qui tot gladiis non potuit interire,palo transfixus ſopori mortem ſociauit:ea namque crucis eſt energia, ea eſt ſalutiferi ligni valentia,ea huius armaturæ efficacia,vt nequeat dæmon reſiſtere;ſed vel fœmineæ manui ſic armatæ triumphum cogatur concedere: *Terribilis ille latro*, ſcribit vbi ſupra Damianus,*cuius manus plenæ ſunt ſanguine,in hac item confoſſus eſt, & confectus.* (Damian.) Non potuit viuere vbi crucis micabat ſignum, etſi fugere quiuerit, vnde periculoſiſſimum deſudabat æthere tonante prælium.

Pharao ille obſtinationis, peruicaciæque exaggeratio tot eruditus portentis, tot caſtigatus miraculis nondum deſipuit;ſed in ſe ipſum peruicaciam duriſſimus protelauit. 259. Cùm populus pedes aufugeret, perſequi & mucronibus adurgere decreuit, nec marinos vortices inſano ac præcipiti curſu tranare timuit: iam medio erat in mari, cùm Dominus nubem armat in refractarium, quæ fulmina grandinans audaciam repreſſit, & temeritatem tantiſper edomuit: *Ecce reſpiciens Dominus ſuper caſtra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis interfecit exercitum eorum, & ſubuertit rotas curruum,ferebanturque in profundum.* (Exod.14. v.24.) Validè pugnabatur de cælo, nubes horrendum æſtuantes eiaculabatur flammarum globulos,quibus virulentiſſimi hoſtes,antequam Orco traderentur,gehennales prælibarent flammas,& experiri inciperent pœnas. Verùm etiam omnipotentia Numinis impetiti fugæ adinuenerunt locum, & ſe adhortantes arripuerunt verſus Ægyptum volatum: *Dixerunt ergo Ægyptij: Fugiamus Iſraelem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Quid tunc? Moyſem iubet Dominus armatam virga dexteram ſuper marinos vortices extendere, Ægyptioſque recurrentibus inuicem vorticibus ſepelire: *Extende manum tuam ſuper mare, vt reuertantur aquæ ad Ægyptios*: paruit Moyſes, & iam *fugientibus Ægyptiis occurrerũt aquæ,& inuoluit eos Dominus in mediis fluctibus.* Inquires quid neceſſum fuerit Moyſem extendiſſe manum, vt Hebræorum populus conſummauerit triumphum, & Pharao perpeſſus fuerit interitum: ſi pugnante Deo, ſi nube denſiſſima fulmina grandinante Pharaoni licuit arripere fugam,licebit etiam, quantumuis Moyſes virga verberauerit aquam: nec enim Moyſis manus omnipotentia valentior, aut fulminibus efficacior. O crucis gloriam! Dominus è nube pugnat contra Ægyptios dæmonum vmbras omnipotentia quidem munitus;non tamen cruce obarmatus:pugnat & Moyſes cruce armatus,etſi omnipotentia nudus, vtque nos edocuerit Dominus crucis energiam, voluit vindictæ curſum prorſus non abrumpi, triumphumue conſummari, quouſque mare virga percuſſum Iſraëlitis iter, & ſepulchrum fuerit Ægyptiis. Quod ingenioſè expendebat Baſilius Seleucienſis orat.9. *Nec iſtius vindictæ curſus antè potuit abrumpi, quàm virga percuſſum mare his iter, illis ſepulchrum fuerit, & mare continentis inſtar viam Abrahamitis aperuerit, cæteros fluctus hauſerint.* (Seleucienſ.) Moyſis virga crucis Dominicæ typus impediuit Ægyptiis fugam, vt Hebræorum conſummaret victoriam. Et quidem pugnante adhuc Numine non reportabatur victoria, quouſque marinus fluctus repercuſſus eſt virga. Quod Dominus ad crucis diſpoſuit elogium,dum ſtatuit per crucem Ægyptios ſubire interitum. Hinc eſt quòd dæmones,malignique ſpiritus non adeò ad Numinis omnipoten

Digitized by Google

omnipotentiam exhorreant,& ad crucis conſpectum amplius obſtupeſcant.

160. Adeſt Iacobus huius veritatis teſtis:nam cùm ſoceri ſupercilio,& faſtidio leuirorum exacerbatus patriam repeteret, Labanus in fugientem exarſir: fratribus ſtipatus properabat;ſed protector Iacobi Dominus allophylo apparuit, & ne quid ſeuerè contra Iacobum proferret, pœnis intentatis admonuit.Ecquis hoc dicit? Profectò

Gen.31.v.29. Labanus ipſe cum Iacobo diſſerens: *Et nunc quidem valet manus mea reddere tibi malum;ſed Deus patris veſtri heri dixit mihi:Caue ne loquaris contra Iacob quidquam durius.* A Domino frænatus non deſtitit,nec fugientes perſequi timuit.Tranſi modò ad Geneſ.35. vbi poſt luctuoſam illam ſtragem ob Dinæ raptum, iubet Deus Iacobum

Geneſ.35.v.1 Bethel aſcendere,ibique inhabitare! *Aſcende Bethel, & habita ibi, facque altare Deo, qui apparuit tibi quando fugiebas Eſau fratrem tuum.* Iacob obtemperat, & iam Dei timor ſic finitimas gentes percellit, vt nullatenus perſequi fugientes audeant:Cùm profecti eſſent, terror Dei inuaſit omnes per circuitum ciuitates, & non ſunt auſi perſequi recedentes. Iam inquires cauſam cur Labanus à Deo cohibitus auſus fuerit perſequi recedentem,cùm gentes ad Bethel auſæ non fuerint perſequi properantem. Verùm ſi vis hanc enodare difficultatem, attende quem Iacobus locum aſcendat, ſcilicet vbi illi apparuit ſubnixus ſcalæ Dominus:ibi vidit à terra cælum vſque pertingentem ſcalam Dominicæ crucis figuram; adeóque ad crucis conſpectum, imò ad memoriam crucis gelido concutiuntur gentes dæmonum vmbræ pauore, vt loco non audeant accedere,etſi Labanus dæmonis etiam imago repreſſus non timuerit aduerſus Iacob inſurgere: *Quid*

Auguſt. *eſt in ſcala incumbere*, aiebat Auguſtinus apud Lippomanum, *niſi in ligno pendere?* Ad illum locum, vbi crux exaltata reſplenduit, vti ad ſecurum aſylum iubetur confugere: quia illuc neſciunt dæmones propinquare. *Prohibet illum*,ad-

Lippomani dit Lippomanus, *poſthac habitare cum Sichimitis, ne inuidia creſcente periclitetur. Bethel aſcendere iubetur locum ſic à Iacob nominatum, & poſteris eius,vt illic habitet* Poterat ſanè Deus Sichimitis circumfuſum cuſtodire, & periculum omne prorſus depellere;voluit tamen ad noſtram eruditionem ad ſcalæ locum tranſmittere, quò pateret omnibus crucis vexillum tartareas legiones pauida ſemper anxietate timere.Perſequatur Labanus fugientem; ſed finitimæ gentes ad Bethel non audeant perſequi properantem, vt liquear dæmones plus,ſi fas eſt dicere,expaueſcere crucis vmbram, quàm Numinis paueant potentiam: nec abſque ratione quidem:nam ante crucem dominabantur; ſed poſt crucem confracti ſunt. Cùm ergo agnouerint Dei omnipotentiam illos anteà furere permiſiſſe, & poſteà per crucis lignum prorſus detriumphaſſe, nil mirum expaueant ſignum,ſub quo tantum ſuſtinuerunt opprobrium.Adde crucem non ſolum gehennalem furorem reprimere,ſed Numinis etiam energiam ad peccatores puniendos, ſi fas eſt dicere inermem reddere.

161. Adſtabat bellua illa ſuperbiæ turris, Philiſthæus, inquam thorace ac lorica præfidens, ac contumeliis Deum, hominéſque laceſſens: Dauid vt erat diuini honoris Zelotypus, certaminis prouocationem ad ſe rapuit, & in arenam animoſus proſiluit: funda ac lapide vſus ea dexteritate rotatum lapidem iecit, vt gigantis fronti infixerit: *Percuſſit Philiſthæum in fronte, & infixus eſt lapis in fronte eius, & cecidit in faciem ſuper terram.* 1. Reg.17 v.49. Cùm omnia in ſcriptura myſteriis exundauerint quærunt Patres cur in fronte præ aliis corporis partibus vulnus acceperit, quandoquidem lapis ibi non caſu infixus; ſed prouidentia directus. Auguſtinus ſerm.198. de tempore, & apud Gloſſam reſpondet gigantis frontem crucis ſignaculo caruiſſe, & ob id ictum lapidis toleraſſe. Accipe Auguſtinum: Auguſt. *Videte fratres, vbi Dauid Goliath percuſſerit, in fronte vtique, vbi crucis ſignaculum non habebat: ſicut enim baculus crucis typum habuit, ita etiam & lapis ille, de quo percuſſus eſt, Chriſtum figurabat.* Itaque ſi frons crucis ſignaculo muniretur, lapidis eneruaretur ictus, & gigantis vitaretur forſitan caſus: agnoſceret namque Chriſtus in cruce ſua merita, & propriis reprimeretur meritis, ne ſeuera adeò vltione tunc vindicaret peccata. Quòd ſi mauis gigantem dæmonis geſſiſſe figuram, vt Chriſti Dauidem, videre licebit, quàm rationabiliter alia Dauid depoſuerit arma, & baculum tulerit, dum honeſta ambiebat trophæa: baculus namque crucis typus erat durius inſtrumentum,& contrarium prorſus giganti fatum. Baculus Dauid crux Chriſti, ſcribit Rabanus apud Gloſ- Rabban. ſam, *Goliath in fronte percuſſus ruit, & ſubditur ipſi Dauid, & diabolus in fronte ſuorum feritur, cùm ſignum crucis eo in loco infigitur.* Nouit Dauid aliis armis ſolùm fugandum, non enincendum; cruce verò prorſus ruiturum, ideò alia abiecit arma, & arripuit baculum, vt oſtenderet per crucem fore conſummandum triumphum.

---

§. LIX.

Apud ſæculum pluris æſtimantur diuitiis copioſi,quàm dotibus virtutum præclari.

TOtus populus in alia diſcors, in hoc delirium concordat, vt ſuſpexerint aurum, & 162. diuitiarũ adorauerint cumulum:ſuis aurũ optant, & cæteris rebus id à cælo præſtantius prouenire deluſi credunt: honeſta paupertas habetur probro,& virtus fœda cenſetur ſine diuitiarum fuco: *Pecunia*,aiebat Seneca epiſt.115.*ex quo in honore* Seneca. *eſſe cæpit, verus rerum honor cecidit.* Vt ſub auri bractea ſæpè fœda ligna abſconduntur, vtque miramur parietes tenui marmore inductos,cùm ſciamus quale ſit,quod abſconditur:ita ſæpè magni habemus copioſis diuitiis circumfuſum, quamuis virtute aut nobilitate noſcamus vacuũ. Honor virtutibus debetur vtpotè claris ingenui animi indicibus, non diuitiis cæcæ, vt in prouerbio habetur,fortunæ partubus;at vt Iacobus maiori fratri ius optimis ornamentis ſimulans benedictionem præripuit, ſic aurum mentito ſplendore honorem virtuti rapuit:nihil magnum,niſi quod pecunia commendat,nil fœdum, ſi copioſum aurum nobilitat. Ecce Hebræorum populus eximia virtute cultus, & veri Numinis notitia ditatus gemit duriſſima Iabini tyrannide oppreſſus,& nihili habetur captiuus;cùm tamen Haber Cinæus apud Iabinum reſplendue-

rix honoratus, & inuidia alios torſerit amicus:
*Erat pax inter Iabin regem Azor, & domum Ha-
ber Cinai.* Audis fœdus inter potentiſſimum re-
gem, & hominem Cinæum inuiolatè ſancitum
vide modò populum ingenuis, nobiliſſimiſque
maioribus natum diuexari vti de lapide em-
ptum: *Per viginti annos vehementer oppreſſerat
eos.* Florebat in populo Dei ſpiritus: Debora
namque erat eximia prophetes, populi no-
bilitas ſæculis erat indubia, & præ Cinæi
nobilitate eminebat notiſſimâ præcellentiâ;
& tamen Cinæus habetur amicus, & popu-
lus gemit deſpectus. Iam ſi huius diſcriminis in-
quiras cauſas, reperies fuiſſe diuitias: Cinæus
namque copioſiſſimis gregibus exundabat, &
diuitiis exundantibus refulgebat: hic ergo apud
regem honorem ſibi comparauerat auri copia,
cùm populus virtutum non acquiſiuerit ſummâ.
Abulenſ. Adeſt opportunè Abulenſis quæſtione 12. *Ha-
ber Cinæus erat vir diues habens magnam ſubſtan-
tiam & familiam: quod patet, quia habebat multa
tabernacula, quæ extendit per vallem: item quia di-
citur infra quod pax erat inter domũ Haber Cinai,
& Iabin Regem Aſor; ſi tamen fuiſſet Haber aliquis
homo parui ſtatus, non feciſſet mentionem vllam de
eo maximus rex terræ.* Ni diuitiis afflueret, hono-
rem nullatenus apud Iabinum haberet, quan-
tumuis egregiis virtutum facinoribus rutilaret;
at licèt Hebrææ nobilitati fuerit inſertus, magni
eſt apud regem habitus. Hebræi nobilitate excel-
lebant præclari, & virtutibus exculti; verùm
à rege tractabantur vti viliſſimi ſerui: apud ſæcu-
lum namque verus rerum honor decidit, quia
pecunia indebitum ſibi honorem præripuit.

Dauid alimenta fratribus allaturus in campum
263. inuolat, ibi monſtrum conſpicit Numini & po-
pulo inſolenter iniurium, vtque erat diuini ho-
noris zelotypus, & honeſto in diſcrimine pro-
priæ ſalutis magnanimus, certaminis prouoca-
tionem ad ſe rapit, & in arenam cauſa confiſus
deſcendit: iactu lapidis gigantem occidit, & à
contribulibus, antequam experirentur, captiuita-
tis iugum depulit; verùm cum gigante pugnam
durius cum liuore certamen excepit: inuidia
namque regis animum inflammauit, & iam po-
puli ſalus exulare cogitur: quia vti peſtifera lues
anxio ad necem deſiderio perquiritur: ſyluas
obit, campis deerrat, obſcuris montium latebris
deliteſcit; verùm ad necem anxiè quæſitus, na-
ctus eſt occaſionem auferendi à Saule vitam, &
acquirendi ſibi coronam; at quia ſoli gratiæ ſer-
uire gnarus, exiguam chlamydis oram præcidit,
& hoſtem vti fratrem à ſatellitio defendit. Quid
tunc Saul: Purpuram in Dauidis dextera conſpi-
catus filium vocat, & ſæculis mirandum depræ-
dicat: *Iuſtior tu es, quàm ego.* Addit: *Et nunc quia
1. Reg. 24. v. 18. ſcio quod certiſſimè regnaturus ſis, & habiturus in
manu tua regnum Iſraël, iura mihi in Domino ne
deleas ſemen meum poſt me.* Quæres cur modò
Dauid eximiis virtutibus deprædicetur excultus,
cùm alibi non minoribus reſplendens vti Rei-
publicæ peſtis fuerit morti condemnatus. Inceſ-
ſit olim illuſtre trophæum caput videlicet bar-
bari manu geſtans: reſplenduit impuratum ſpi-
ritum dulciſſima harmonia fugans; & tamen
Saul aiebat: *Filius mortis eſt.* Et iam de iniuſto
1. Reg. 20. v. 32. æquiſſimus de morti deuoto deprædicatur di-
gniſſimus regno. Ecqua diſcriminis cauſa eſt: Ip-
ſe Dauid explicuit Saulem alloquens: *Cognoſce
oram chlamydis tuæ in manu mea.* Neſcio quod
fruſtulum purpuræ grato nigrore reſplendebat
in manu, & iam flore marino collucens purpu-
ra Dauidem abſoluit mortis ſententia: anteà ini-
micos inuicta manu triumphauit; modò tantiſ-
per conchylio emicuit, & iam habetur apud
Saulem vt filius, qui olim morti addicebatur
damnatus: vt noueris quàm parum apud ſæ-
culum heroica virtutum æſtimentur facinora,
quàm magni habeatur externa gloria: *Ecce laci-* Chryſoſt.
nia chlamydis tuæ, ſcribit Chryſoſtomus apud
Gloſſam, *quam abſtuli, nec occidi te: mutus quidem
teſtis; ſed omnibus vocem habentibus eu:dentior.*
Multa virtutis, & in Saulem beneficentiæ prodi-
derat teſtimonia, & tamen, etſi indubia, contem-
nebâtur illa argumenta; at neſcio quid purpuræ
manum ſplendoribus ornans teſtis erat cæteris
omnibus euidentior: quia & ſplendore volatico
clarior. *Ecce lacinia teſtis omnibus vecem habenti-
bus euidentior.* Vel magnitudinis crepuſculum,
vel exiguus dignitatis, aut diuitiarum radius om-
nem culparum notam depellit, & apud ſæculum
omni dignum æſtimatione poſſeſſorẽ conſtituit. 264.

Chriſtum Dominum vti ſalutis viam pluri-
ma hominum copia vſque ad deſertorum erro-
res ſequebatur: impediebant maria, tranabant: vr-
gebat fames, ſuſtinebant: ea namque erat oris
gratia, dicendi facundia, vt ſuſpenſos lubenter
homines detineret; verùm vt ſæculis notum eſ-
ſet erga virtutis alumnos prouidentiam ſoler-
tiſſimè inuigilare, modicos panes in alimenti
cõuertit fontes non intra menſuram, vt Moyſes
cohibens, non vt Elias tempus taxans; ſed pro-
fuſiori liberalitate tempus euincens, & dono-
rum copia cupiditatis ſitim depellens: videre
erat præ panis copia coanguſtari eremum, &
modico alimento ingentiſſimum ſatiari popu-
lum; verùm qui ſtuduit famem depellere, pa-
nis fruſtulum vetuit perire: diſcipulos iuſſit
fragmenta colligere, & plena caniſtra tollere: Ioan. 6. v. 12.
*Colligite quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pe-
reant. Collegerunt ergo, & impleuerunt duode-* Chryſoſt.
cim cophinos fragmentorum. Quærit Chryſoſto-
mus apud D. Thomam, quare turbis non
dederit fragmenta portanda: reſpondetque
congruum fuiſſe pane Apoſtolos exundare,
vt qui futuri erant orbis magiſtri, ab omni-
bus ſuſpicerentur, ac in honore haberentur:
*Quare non turbis dedit fragmenta portanda;
ſed diſcipulis? Quoniam hos maximè erudire vo-
lebat, qui orbis terrarum debebant eſſe magiſtri.*
Vt apud ſæculum redderet eruditos, pane con-
ſtituit copioſos. Non me fugit Chryſoſtomi
ſenſus; verùm ſic eius verba adapto præſ-
criptæ theſi. Pane diſcipulos erudiuit, &
quamuis eruditionis radix non ſit panis co-
pia; ſed ſcientia; tamen quos erudiuerat
ſcientia, panis eruditos oſtendit copia: &
iure quidem: nam apud vulgus, qui exun-
dat diuitiis, ille habetur nobilitate clarus,
eruditione conſpicuus, ſcientiis excultus, &
omnigenis dotibus exornatus: dæmones abi-
gebant Apoſtoli, marinos Petrus ſolidabat
veſtigio fluctus; at vt magiſter ſuſpiciatur,
panibus caniſtrum impletur: quaſi panis co-
pia fuerit pro ſcientia.

Filius ille ſalaciſſimus poſt voluptatis in- 265.
ſanias, poſt fallaces appetitus illecebras fa-
me vritur, & ſitis ardore vrgetur: quæſi-
uit improuidè remedium; verùm ipſo labore,
ipſaque ſolicitudine adauxit ſibi imprudentiſ-
ſimè

ſimè damnum. O quoties dum obſcurati affe-ctionibus cæcutimus, & calamitatibus ſuffragamur! dum ardentius ſatagimus miſeriam depellere, & ipſis artibus ſolemus ſtabilire; tamen filius ſibi redditus paternos repetit lares, & pater etſi prægrauatus ſenio, in amplexus ruit, inuolatque amoris ſtimulatus ſtudio: ſeruos iubet pœnitentem ornare, & aureum

Lucæ.15. v.22. annulum digito inſerere: *Citò proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, &*

Chryſol. *calceamenta in pedes eius.* Chryſologus, quo ſolet acumine, exiſtimat ornatu patrem conſuluiſſe honori, filium pœnitudine ſanctitati: Date annulum in manu eius, inquit ſermone 3. *Paterna pietas contenta non eſt innocentiam reparare ſolam, niſi priſtinum reſtituat honorem.* Verùm ſi largis fletibus reparatur innocentia, cur innocentia non reparetur honoris etiam præſtantia? Nonne virtus omni honore digna? Nonne omni nobilitate reſplendet clara? Ergo pater ad reparandum honorem non præſtiterit ornamenta; ſed ad corporis largiatur ſubſidia: ſanè priſtino reſtitutus fulgebit honori, antiquæ inſeruiens virtuti: ergo ornamenta neceſſaria non erunt, vt habeatur honorabilis, dum virtute reſplendeat nobilis. O dignam ſene prudentiam! Non ſolùm deſiderabat pœnitentem filium apud Dominum virtutibus reſplendere; ſed honore apud ſæculum etiam radiare: vtque geminum aſſequeretur votum, filium ſtimulauit ad pœnitentiam, & veſtium exhibuit pompam, dum enim veſte lucet, dum annulo ſplendet, ſic antiquo honore fruitur, quaſi nullis maculis inficiatur. Certè vt apud Deum luceret, longè plus veſtibus valuit pœnitentia; at ad regendam illatam honori maculam plus ornamentorum valebat pompa: ergo pater dum deſiderat reparare innocentiam, & honorem, pretioſa veſte, auroque redeuntem exornat, vt de lachrymis interius niteat, & de veſte exterius reſplendeat: *Date annulum in manu eius. Paterna pietas contenta non eſt innocentiam reparare ſolam, niſi priſtinum reſtituat & honorem.* Diuitiis honoratur, & fletu abluitur: nec enim ſatis erat, vt apud homines honorabilis redderetur, ni fulgeret pretioſa veſte, egregia pœnitentiæ candicare virtute: apud ſæculum namque rerum pretia adulterans, & iniquè taxans, virtus parui habetur, & aurum magni æſtimatur. Quidquid in ſuperiori prodigi vita tenebroſum, quidquid maculat obſcurum, iam auri ſplendore, & pretioſa veſte manſit velatum.

§. LX.

Qui nimis duris prægrauatur tributis, opportunam occaſionem nactus iugum rumpet, & in prægrauantem ardebit.

266. MAieſtatis proteſtatio eſt tributorum impenſio: decet ſubiectos ſuos Principes annuis contributionibus honorare, vt ditatus illos copioſis armis valeat cuſtodire. Certè quæ Principi offeruntur munera, ſoluuntur, non

Matth.22. v.21. dantur: vnde rogatus Dominus, vtrùm Cæſari eſſet exhibendum tributum, reſpondit prudentiſſimè: *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo.* Non dixit: Date; ſed *Reddite*: debetur namque Principi tributum, quo, ſi fas eſt dicere, ſubiecti opportunum ſibi coëmunt patrocinium: vt Sapientiſſimi illi Magi, qui inſolito, ſydereoque lumine noui natiuitatem regis didicerunt, lautis, digniſque muneribus cunabula recenter nati honorarunt: *Obtulerunt ei munera,* Matth.2. v.11. *aurum, thus, & myrrham.* Ad quæ Auguſtinus in catena ait: *Aurum ſoluitur quaſi regi magno.* O quàm & Princeps & ſubiectus ſe prudenter geſſerunt! Subditus obtulit aurum vti debitum; accepit Princeps vti de novo dilargitum, nec aliter æternandi fuiſſet regni præſagium, ſcilicet ſi arbitraretur Princeps omne aurum ſibi deberi, & ſubiectus ſe crederet diſpoliari. Itaque tributorum dilargitio & exactio, ſi prudens & moderata, ipſius eſt ſoluentis auxilium, & accipientis Principis munimentum. Verùm totis viribus curandum eſt, ne dum ſubditi plus grauantur, exacerbentur: mediocre onus vires baiuli non fatigat, exhaurit immetatum, & cogit humerum labore attritum excutere, quod liquet non poſſe ferre. *Creſcere nobiſcum*, aiebat Caſſiodorus 9. var. 10. Caſſiodor. *Deo præſtante cuncta deſideramus: quia verè ille noſter eſt cenſus, quem lætus poſſeſſor exoluit. Proinde ſubtrahimus pecuniæ, quod augmentetur gloriæ, & auari ad laudes profuſè nitimur ſubleuare cultores.* Dignus regia maieſtate cenſus, quem exoluit deuotè lætus, non immoderatè grauatus. Et quidem licèt violentiæ cedat, qui ſuprà vires ſupra facultateſque tributis tenetur obnoxius; nunquam inuenitur fidei ſeruandæ ſecurus: ſtatim namque ac fuerit nactus occaſionem, & frænum rumper, & ſeſe aſſerere in libertatem audebit. Ecce Siſara fractis partibus ſe bello ſubducit, & in Haber domum fœdere ſibi obſtricti vti ad ſecurum aſylum recipit: *Siſara fugiens peruenit ad tentorium Iaël vxoris Haber Cinæi: erat enim pax inter Iabin regem Azor, & domum Haber Cinæi.* Hanc pacem introductam violentia putat Abulenſis quæſtione 23. Abulenſ. nam cùm Haber non eſſet adeò potens vt Iabin potentiæ reſiſtere poſſet, quidquid ſibi dolebat impoſitum, ſoluebat coacta pace, ne amitteret reliquum. Non ergo pacem illam ſtabilierat animorum conformitas; ſed inuita ac dura neceſſitas. Audi Abulenſem: *Cùm Iſraelitæ opprimerentur à Iabin tributis, & vellent aliqualiter reſiſtere, non habebant pacem cum eo: quia non ſubdebantur omnino: Haber autem ſoluebat tributa immoderata, ſcilicet quantumcumque petiiſſet Iabin, ideo ſpecialiter ei præſtiterat ſecuritatem & pacem.* Itaque Haber, quia nouerat ſe non poſſe reſiſtere, decreuit veluti pacem ſimulans immoderatum tributum violentiæ pendere. Itaque Siſara militiæ Iabin dux fœderis non ignarus nil à familia Haber ſibi metuit; imò vt imminens fruſtraretur periculum, ad Iaëlis cucurrit tentorium. Iaël in occurſum prodiit vrbana, & lacteum miniſtrat poculum ſitienti ſedula; verùm vbi primum ſomno correptum vidit, transfixum clauo interemit: *Cum ſilentio poſuit ſupra tempus capitis eius clauum, percuſſumque malleo defixit in cerebrum vſque ad terram.* Vrget difficultas quomodò Iaël fœdus violauerit, & ſtabilitam pacem iniuria affecerit. Reſpondet Abulenſis quæſtione 24. Abulenſ. potuiſſe data opportunitate ſe in libertatem aſſerere: quia pax illa erat inuita; imò non erat pax; ſed

Digitized by Google

ſed patientia : *Tam ipſe Haber, quàm quilibet de domo ſua poterat habita opportunitate liberare ſe ab illa ſeruitute.* Subdit rationem : Quia illa non erat compoſitio fœderis ; ſed ſolùm redemptio vexationis per ingentia munera ; poteſt autem quilibet, quandocumque ei occurrerit, eximere ſe à tali vexatione. Profectò imprudenter ſegeſſit Siſara,dum ſibi ſecuritatem promiſit inter nimis prægrauatos, & ingentibus tributis obnoxios : debuiſſet namque ſuſpicari data opportunitate fœdus rupturos,& ipſa iniqua pace ; imò vexationis redemptione fore acriter compellendos.Certè Iaël contra Siſaram clauum non premeret;ſi fœdus illud animorum ſtabiliſſet concordia, non formidabilis ſuaſiſſet potentia. Itaque Iabin,eiuſque dux Siſara nullibi degebat ſecurus:Hebræi namque tributis oppreſſi apertum inſurgebant in prælium, & Haber inuitè fœderatus,quo transfoderet,habuit clauum. Timeant ergo quicumque immoderata, nimiaque tributa imponunt, & adimere ſibi tantum crediderint gloriæ,quantum incrementarint pecuniæ.

267. Nabucho ſtatuam conſtruit inſana altitudine ſuperbam,ac erigit induſtria operoſitate conſtructam:omnes ad infandum impulit cultum, & ad indignum adorationis obſequium;nec tamen ab
Dan.3 v.7. imperio reſiluerũt;imò proſtrati adorarunt:*Cadentes omnes populi, tribus, & linguæ adorauerunt ſtatuam auream,quã conſtruxerat Nabuchodonoſor rex.* Non multò pòſt proceram ſe contemplatur
Dan.4.v.9. plantam,cuius nimius fructus:ait namque:*Folia pulcherrima,& fructus eius nimius:*&iã expellẽdũ, ab hominibus audit,& ſecurim timet: *Eucient te ab hominibus.* Dignũ ſanè quod expendatur, eſt, cur arbor nimio fructu diteſcens ſit exilij præſagiũ,cùm inſana illi ſtatuæ moles non protẽderit exiliũ:Profectò execrabilius erat piaculũ diuinitatis honores affectare,quàm nimio fructu diteſcere,& tamẽ fructus nimius protẽdit ruinã,cùm ſacrilegus cultus tunc non prænuntiauerit mulctam.Ecqua huius diſcriminis cauſa eſt:Quia in fructu nimio,ſcribit Theodoretus orat.4. cenſus nimius figurabatur:ergo vbi rami ad protrudendum nimium fructum cogebantur,ab arbore videntur exciſi,& non ſine dedecore ſeparati : nimio fructu diteſcere fuit calamitatem vocare, nec indubiũ erat calamitatis præſagium irrationabile,& ſuprà ſoluentium vires exegiſſe tributum:*Fructum vocat tributum,quod vndique ei afferebatur, idcirco multum fructum,non autem pulchrum dixit:nec enim iuſtè impoſitum erat.* Addit
Theod. Theod. poſt aliqua : *Qui præter voluntatem ei ſeruire coacti fuerant,inuenta occaſione regis mutatione ab eius imperio deſciuerunt.* Vel beſtiæ fugerunt,vel rami diſciſſi ſunt,dum fructus nimius,& irrationabilis cenſus.Profectò pro rerum opportunitate & cenſus impendendus eſt:nec enim mirum, ſi exigantur magna tributa, dum perſtrepunt ingẽtiſſima vndique bella. Certe ſubiectus prudens animaduertere debet non poſſe Principem tot aliter inſurgentes hoſtes frænare, & rebelles ſibi comprimere:ſecum meditetur ſubditus,dum ingemit prægrauatus,quàm ingens eſſet calamitas, ſi hoſtes vndique irruentes ſubſtantiam omnem vaſtarent,& vitæ honorique detrimentum afferrent. Non inficiabor pro anguſtia temporum ſubiectos ingemiſcere, & laborare, vt aliquan do pendant aurum ; ſed nec ipſi inficiari poſſunt maiores auro impenſo propellere calamitates, & minori maiores exterminare afflictiones. Ergo ſubditus ſecum putet , quas ni aurum penderet, cogeretur calamitates ſubire,& Princeps, quantum fas erit,ſubiectos curabit non prægrauare.

Roboam dum nimiis tributis inhiat,& popu- 268.
lum exacerbat : ſtulta cenſus ambitione regalem poteſtatem imminuit,dum nimis grauatum populum violare fidem coegit ; vtque popularem ſeditionem reprimeret, Adurã miſit exactorum Principem;verùm populus lapidibus obruit, & delictis delictum addidit : *Miſit rex Roboam* 3 Reg.12. v.18.
Aduran , qui erat ſuper tributa , & lapidauit eum omnis Iſraël, & mortuus eſt : porrò rex Roboam feſtinus aſcendit currum, & fugit in Ieruſalem,receſſitque Iſraël à domo Dauid vſque in præſentem diem. Adeò offenſi receſſerunt , vt nullis exinceps blandis potuerint ſermonibus placari, nec blanditiis vllis adduci:*Cùm Roboam vidit*, ſcribit Abulenſ.
Abulenſis quæſtione 11. *totum populum contra ſe motum propter ſtultam reſponſionem ſuam , agnoſcens culpam voluit reconciliari populo , & ad hoc miſit Aduran , qui erat vir honorabilis, vt ipſe loqueretur populo ex parte regis, quòd rex ex inaduertentia vel leuitate dixerat verba illa ; & tamen non intendebat ſic facere ; ſed quòd ipſe aſſentiret petitionibus eorum.* Itaque non ſine regiæ dignitatis nota deſiderauit poſteà concordare , quem facilè prius populum ſibi potuiſſet acquirere. Difficulter turbis iam in populo datis potuit ſanciri concordia ; imò addita eſt noua diſſidiorum cauſa.Quod ſi velis alio modo locum expendere, & extremam Roboam ſtultitiam ſugillare, animaduerte , cùm mellitis verbis exaſperatum debuiſſet populum delinire,ſtuduiſſe tunc nouis occaſionibus irritare. Regis reſponſo offenſus populus reſilire cogitauit:*Quæ nobis pars in Dauid , vel quæ hæreditas in filio Iſai?Vade in tabernacula tua Iſraël.* Et quidem prudens Princeps populares animos exacerbatos præſentiens à noua irritatione abſtineret;imò ſibi iterum induſtriè conciliare ſatageret;verùm Roboam arbitratus eſt dignitatis iniuriam populo obtemperare,& per Aduran vel tunc decreuit tributa exigere. *Miſit Rex Roboam Aduran , qui erat ſuper tributa* Quid tunc?Fræna populus rumpit,& necem Aduran infert : *Lapidauit eum omnis Iſraël:* & iam immani ſcelere conſulente obſtinatiores reſiſtunt,& arma in propriũ Principem capiunt.
Quæretur, ſcribit quæſtione 12.Abulenſis,*quare* Abulenſ.
populus occidit Aduran. Aliqui dicunt,quòd Aduran ibat ad petenda tributa. Sic Roboam ſtulteſcit, vt irritatum populum plus irritet, & dum occaſionem occidendi miniſtrum præbet,reconciliationis opportunitatem abſcindit:fors ni miſiſſet, demulcendo populum conciliaſſet. 269.

Moyſes Hebræam politiam inſtruens ſic aiebat:*Si quandò acceſſeris ad expugnandã ciuitatem,* Deuter.20.
offeres ei primùm pacẽ,ſi receperit,& aperuerit tibi v.10.
*portas cunctus populus,qui in ea eſt, ſaluabitur, & ſeruiet tibi ſub tributo.*Expende verbum illud:*Sub tributo:*Quaſi dicat:ſi decens impoſueris tributũ, ſoluet,& ſeruiet ; caue autem ne nimiis tributis opprimas : nam quamuis fuerit armis ſubiugatus,à te diſcedet mole tributorum oppreſſus.*Satis eſt* , ſcribit Philo libro de creat. Principis, *ſi* Philo.
dominus è ſuo prædio tributum vnum exigat annuum,ſicut rex è ſua ditione;qui verò plura tributa conatur imponere ſubditis,non facit officium boni Principis;ſed auari & pugnantis cum naturæ legibus. Addit poſt pauca de optimis Principibus:

Proſpicientes

Proſpicientes futuro tempori ſuis parcunt prouincialibus contenti vno tributo annuo, ne ſubiectos redigant citò ad extremam inopiam. Proſpiciunt ſibi, qui moderata tributa imponunt, & ſibi nocent, qui nimia. Ergo Iabin, dum immetatis tributis ſubiectos prægrauauit, alios tulit armis bellãtes, alios pacis colore deterioribus inſidiis nocentes.

---

§. LXI.

Quæ obſequioſa à fœminis ſæpè exhibentur officia, inſidioſa probantur dona.

270. FÆminarum obſequia, quò officioſius exhibentur, & nocentiora probantur: blandis alliciunt verbis exp romptis accurrunt officiis: hamatis inuitant donis; ſed quæ videntur munera ſunt præpilatiſſima tela: *Tu es*, aiebat Tertull. de habitu muliebri c. 1. mulierem alloquens, *diaboli ianua, tu es arboris illius reſignatrix, tu es diuinæ legis prima deſertrix; tu es, quæ eum ſuaſiſti, quem diabolus aggredi non valuit.* Deliciabatur Adamus paradiſo, innoxia erat voluptas, quia ſerpentino non admiſcebatur veneno: hæc intuitus dæmon ardentiſſimo ſufflammatus eſt odio, vtque Dei imaginem obſcuraret, inſidioſè meditata aggreditur, ſerpentinam, verſutamque ſuam commendat prudentiam, dum virum adoritur non venenatis ſagittis; ſed blandis fœminæ obſequiis. Decerptum Eua pomum propinat Adamo, inuitat ad eſum, & iam Adamus, ne elegantis fœminæ ſpernere videretur obſequium, cum pomo deuorare geſtit delictum: *Dedit viro ſuo, qui comedit.* Non auſus eſt inimicus cum viro congredi; ſed quia verebatur ſe non detriumphaturum aſtutia, officioſa in virum fœminæ armauit obſequia: pomum Eua dedit, & virum bonis omnibus denudauit: pellitus orbi vt metallo datus, ob pomum vniuerſitatis eſt interdictus dominio, & totius proſperitatis oblectamento. Adeò cara inſidioſaque fœminarum probantur obſequia, adeò timeri debent officia: Hoc probat textus Iaëlis fraude, & Siſaræ miſerabili morte: fugiebat pugnæ ſubductus à Baraco, & à cælo territus: fugiens ad Iaëlis peruenit tentorium: cumque anxius fugæ labor ardentem excitaſſet ſitim, aquam, qua illam extingueret, poſtulauit: *Da mihi, obſecro, paululum aquæ, quia ſitio valde.* Quid tunc Iaël? Lacteum miniſtrat potum, & officioſa accelerare geſtit obſequium. *Aperuit vtrem lactis, & dedit ei bibere.* Quærunt Patres cur aquam petenti lac miniſtrarit. Abulenſis quæſtione 19. reſpondet lac miniſtraſſe, vt videretur vrbanior, & Principi inſeruiret obſequioſior; verùm illa obſequia Siſaræ vocabant damna, maturabantque detrimenta. Accipe Abulenſem: *Neceſſe eſt dici, quòd lac traditum fuerit, tanquam quoddam apparamentum ad mortem Siſaræ.* Itaque ipſum obſequium erat calamitatis exordiũ, & quæ videbatur vrbanitas, etſi pia, probabatur calliditas: lac obtulit obſequioſa, & ſitientis votum vicit vrbana; verum dum offert oblectamentum, cogitat etiam excidium: *Quia Iael*, præmiſerat Abulenſis, *cogitauerat occidere eum quod non poterat niſi ipſo dormiente; ideò procurauit quomodo eum citò ſoporaret, & iſtud erat dando lac.* Dum lac præbet ſiti vrbanitate inſidioſa, & ſtudet neci: dulci potu non intendit, ſed celerius & opportunius occidere: quia auferre diſcupiuerat vitam, lac obtulit officioſa. O quàm timeri debent fœminarum dona, mulierum obſequia! Carè vendunt, & dum imprudentes oblectantur obſequiis, ferè inextricabilibus irretiuntur etiam periculis.

Tertullian. Mulier diabolo callidior.

Geneſ. 3. v. 6.

Abulenſ. hic

Ioanni Apocalypſis 17. fœmina obiicitur exculta ornatu, margaritis fulgurans, vini poculum offerens: *Habens poculum aureum in manu ſua* Poculum offert ad ſpeciem generoſa; ſed ſanguine ebibito madet ebria: *Vidi mulierem ebriam de ſanguine ſanctorum:* Itaque offert vinum, quo homines inebrientur: *Inebriati ſunt, qui inhabitant terram, de vino proſtitutionis eius;* ſed ſugit ab ebriis ſanguinem, quo ipſa madeat, & quo tincta purpura fulgeat. Quàm miſeri erant, qui mulieris delinimentis illecti, & blanditiis inuitati vinum, quo inebriarentur, bibebant, quandoquidem vnicum poculum multiplici ſanguinis perſoluebant diſpendio: opus illis erat brutorum adinſtar onera grauiſſima humeris detritis ferre, & ipſum ſanguinem ad ornatum inuitantis fœminæ miniſtrare: biberunt vrbanitate inuitantis allecti, & ciuilitate compulſi; ſed quod ſugebant vinum, reddebant ſanguinem. Pro poculum ſenſus adulterans, & prudentiam peruertens, *Ad quid poculum habere in manu dicitur*, ſcribit Rupertus l. 10. in Apocal. *niſi vt propinet, & potionem ſuam offerat cunctis prætereuntibus? Quæ autem eſt potio eius niſi error & oblinio, qua recedit à Deo ſenſus hominis vitiorum delibutus illecebris.* Addit ingenioſus Abbas: *Et notanda peſſimæ intentionis inſtantia: quia vt magis alliciat, & citius decipiat, non ligneum, aut æneum; ſed aureum dicitur habere poculum in manu ſua.* Auratum obſequium, & illecebroſum poculum Babylon vultu ad ſpeciem gratiſſimo accedentibus officioſè propinat; ſed quo ebrietatem ſuam augeat, & purpureum veſti colorem doloſiſſima indat, & quod militari non poteſt ferro, doloſo lucratur poculo. Certè tolerabile eſſet, ſi ſolùm ambiret ſanguinem ad ſitim ſedandam; at ſitiebat ad ebrietatem augendam. Quàm grauabantur humeri baiulorum, dum compellebantur ſanguinem impendere non ſolùm ad neceſſaria; ſed ad ſuperflua, & vaniſſima: Sitis eſt naturæ tributum, ebrietas exceſſus delirium: ergo Babylon dum illecebroſa inuitat, dum aureum officioſè propinat poculum, inhiat ad ſanguinem, quo foueat inſanam ebrietatis indigeriem: quia contenta non eſt naturalem ſopire ſitim: deteſtando commercio, quo inebriauerit, vinum offert, & cruorem, quo inebriata deliret, ſugit. 271. Apocal. 17. v. 4.

Rupert.

Sapiens conſiliis prouidentiſſimis adoleſcentiam contra fallacias obarmans ait: *Ne attendas fallaciæ mulieris: fauus enim diſtillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius; nouiſſima autem illius amara quaſi abſynthium, & acuta quaſi gladius biceps.* Dupli obſequio & pœna reſpondet duplex, abſynthiũ & biceps ferrũ: mellitis & ad inſtar olei mollibus verbis fœmina allicit, & demulcet; ſed ipſo, quo allicit, ferit. Certè dũ vulnerat gladius, venarũ ſãguinẽ bibit: ergo mulieris fauus biceps gladius inuenitur: quia venas ſãguine orbat, cùm fauos ad ſpeciẽ ſaporatos diſtillat: quò obſequioſior, ferit durior, & quo delectat, vrbanior, premit ſeuerior. Singulare obſequiũ vulnere dupli ſoluitur, & qui illecebris officioſis gaudet oblectatus, bicipiti gladio dolet altè cõfoſſus, 272. Prouerb. 5. v. 3.

aut ſaltem non leuiter vulneratus: *Sequens ſententia*, ſcribit Ianſenius, *non tantum initia; ſed etiam exitus monet conſiderare, qui longè diuerſi ſunt ab eo, quod primò apparet: Nouiſſima autem, inquit illius, hoc eſt, ea quæ poſteà, & tandem affert, ſunt amara quaſi abſynthium, quod in amaritudine valde excedens, melli rectè opponitur. Et lingua eius acuta eſt quaſi gladius vtraque parte ſcindens, qui rectè opponitur oleo placido, molli, & lubrico, quod nullo modo lædit; ſed lenit, & mitigat.* Fœminæ officium videtur mitigare & lenire; at dum exterius lenit, gladij ancipitis inſtar interna diuidit. Mel, quod grata oblectabat dulcedine, degenerat in abſynthium, & acri amaritudine pungit: offerebat fœmina dulciſſimos fauos; ſed ipſis fauis attexebat amariſſimos dolos. Vide quàm blanda Iaëlis timidum demulcent verba: *Intra ad me, Domine mi, intra, ne timeas:* & quàm altiſſimè transfodiant vulnera: *Defixit in cerebrum vſque ad terram.* Profectò Iaël ſanctiſſima, & prudentiſſima fœmina; verum inſolitum non eſt Sacræ Scripturæ decantandis actionibus homines erudire, & contra actiones ſpecie non diſſimiles; intentione tamen diuerſas prouidenter armare. Ni Siſara potu lacteo potu oblectatus dormiret, poculum ſanguine effuſo non ſolueret.

Ianſen.

173. Pio dolo noſtram theſim firmat Rebecca: nam cùm Iſaac cæcutiens Eſau ditare benedictionibus feſtinaret, Iacob præmonuit fratri benedictionem præripiat, ille obtemperans hœdos attulit, quos mater, vt Iſaac velle nouerat, accuratè condiuit, & conditos miniſtrauit: *Parauit illa cibos, ſicut velle nouerat patrem illius.* Lego Rebeccam, quo Iſaac ciborum condimento oblectaretur, nouiſſe; ſed non recordor anteà grato cibos condimento paraſſe: cur ergo modò obſequioſior cibos ſaporat, & ciuilior panes recentes offert? Sanè vt pio dolo patrimonium auferat. Omnia Rebeccæ officia militabant oraculis; verum dum militant oraculis inſeruiunt etiam doctrinis. Ecce Iſaac orbatus manet abundantia frumenti, vini, & olei, quam Eſau ſtudioſè deſiderauerat impertiri, dum Rebeccæ obſequiis officioſiſſimis delectatur: tunc Rebecca Iſaaco ſeruiuit officioſior, cùm piam voluit inſtruere fraudem, & Iacobum fratris loco ſufficere hæredem. Quàm ſtudioſè curabat mulier ad comedentis palatum cibos condire, & vſu cæcutientem deliciis fallere: dum obſequioſior, inuenta eſt, etſi piè, fraudulentior: emit Iſaacus ciborum condimentum, obſequioſum mulieris Iacob officium luculentiſſimo matrimonio, recentes panes ſoluit copioſo frumento. Solicitum mulieris ſtudium fuit ſaporatis obſoniis delinire paratum, quo filio acceperit patrimonium: *Cum vndique eum*, ſcribit Chryſoſtomus apud Lippoman. *ad deceptionem inſtruxiſſet, datis edulijs & panibus in manus, effecit, vt patri afferret.* Expromptior mulieris diligentia, vrbana officia deceptioni militarunt, & diuitias magnas exiguum offerendo abſtulerunt. Et quidem quod hîc myſterio, non ſemel accidere videas dolo: cibos parant, bellaria mittunt, inſtruunt conuiuia, offerunt expromptiſſima obſequia: & hoc totum vt rapiant, vt auferant, vt diſpolient blandiſſima quidem manu; ſed auariſſimo ſtudio.

Geneſ. 27. v. 14.

Chryſoſt.

§. LXII.

Vt ingenuo viro iucundum eſt liberaliter dilargiri, ita duriſſimum mendicare.

EXiguitas humana dupli non ſemel difficultate conſtringitur, atteratur dura miſeria, & ad leuamen emendicandum nobili verecundia: malunt plures perire, quàm petere, malunt ærumnoſam calamitatem tacitè deglutire, quàm rubore emendicare: nihil adeò iucundum, ac ingenuum eſt, vt donis oſtentare gloriam, & dilargitis muneribus exaggerare fortunã; at ſuppliciter rogare, & ab alterius liberalitate pendere, vultum perfundit rubore, & cor premit anxietate. Quicumque dedit non rogatus, oſtentare potuit beneficium: nam qui rogatus dedit, ingentiſſimum accepit pretium: *Non tulit gratis*, ſcribit Seneca libro 2. de benef. capite 1. *qui cùm rogaſſet, accepit: quoniam quidem vt maioribus noſtris grauiſſimis viris viſum eſt, nulla res carius conſtat, quàm quæ precibus empta eſt: vota homines parcius facerent, ſi palam facienda eſſent: adeò etiam deos, quibus honeſtiſſimè ſupplicamus, tacitè malumus, & intra nos ipſos precari.* Adeò moleſtum, oneroſumque eſt demiſſo vultu quid petere, vt malint non ſemel homines pati calamitatem tacendo, quàm remedium obtinere precando. Ecce quo Siſaræ calamitas illum afflixerit cumulatior, & oppreſſerit durior: dilatus eſt mori, vt antiqua pompa nudatus, & ferè ad vltimam miſeriam reductus cogeretur precari. E curru deſiliens iam pedes conſulebat vitæ, qui paulò antè tot quadrigis, ac militibus ſtipatus ſtuduerat ſuperbiæ: Iaëlem adit, & aquam poſtulat placando ſitis ardori, exaggerandæ calamitati: *Da mihi, obſecro paululum aquæ, quia ſitio valde.* quàm aduerſa illum diuexabat fortuna, quàm ardentiſſima ſitis adurebat flamma, quando tot tãtaſque militum copias alere magnificè aſſuetus, aquam emendicare demiſſo vultu eſt compulſus. Iaël lactis aperuit vtrem, vt miniſtraret ſitienti poculum: *Aperuit vtrem lactis, & dedit ei bibere.* Quærit Abulenſis quæſtione 19. cur lac dederit: reſpondetque fortè in terra illa homines vti poculo lactis communiter: *Poteſt dici quod fortè in terra illa viri & fœminæ vtuntur poculo lactis communiter, vt poculo aquæ vel vini, & reputant illud ſapidius & pretioſius.* Itaque in terra illa lac erat communis potus. Quod ſi quæras, cur ſitibundus Siſara non petiuerit lac; ſed aquam, reſpondebit citatus Abulenſis hoc feciſſe, vt peteret minus. Accipe eius verba? Siſara vt minus peteret, petiuit modicum de aqua. Teſtatus eſt ſe ingenter ſitire: *Valde ſitio*; & tamen non lac; ſed aquam, vt minus peteret, efflagitauit: *Paululum aquæ.* Vrebãtur præcordia ardentiſſima ſitis flamma; ſed & rogandi diuexabatur moleſtia, maluitque Siſara ſitim penitus non extinguere, quam abuudantem aquam depoſtulare: rubori ſuo adulatus eſt parum petendo, & ſiti annuit aliquid poſtulando. Quantis putas diſcruciabatur anguſtiis, dum oneroſum verbum illud, *Obſecro* protulit, qui olim ab omnibus rogatus, & Numinis ad inſtar excultus. Adde ex aliquorum ſententia dubitaſſe Iaëlem, dum rogatorem vidit, an mentis eſſet compos, vtque certum caperet experimentum, pro aqua miniſtraſſe

174.

Seneca. Qui accepit poſt preces, gratis non tulit.

Abulenſ.

ſtraſſe poculum lacteum: *Alij dicunt quòd fecit hoc Iael ad capiendum experientiam de Siſara, an eſſet in ſuo ſenſu* Itaque admirata eſt Iaël Siſaram quamtumuis ſiti aduſtum protuliſſe obſecrandi verbum:quia credidit citius electurum ſiti perire, quam abundantia innutritum aquam ſupplici verbo,& demiſſo vultu emendicare.

275. Iob virulentiſſimo ad patientiæ exemplum hoſti permittitur, ille furore rabido,ac crudelitate ferali ſic in hominẽ pientiſſimũ deſæuiit,vt omnia illius bona prorſus abſtulerit. Qui olim nutriebatur in croceis pro habitaculo vtebatur ſterquilinio, vtque effluentem è vulneribus ſaniem diſtringeret,dura vtebatur teſta,qua videbatur recrudeſcere plaga: *Teſta saniẽ radebat ſedens in ſterquilinio.* (Iob.2.v.8.) Profectò hoſti ſuo ſuffragatur,cum teſta ad vulnera exacerbanda imprudenter ad ſpeciem vtitur;nonne ſatius mollibus plagas palpare, & delicatis fouere. De impatientiæ confinio veluti deſperatus in ſe ipſum cenſetur deſæuire, & ſe pertæſus aduerſarij partes adiuuare,dum ſe teſta referit,nec tam ſaniem radit,quàm plagam exulcerando fouet.Ergo ne patientiæ notam inurat, neue opem aduerſario ferat, non aſperis vulneri medeatur;ſed blandis demulcere conetur. O expende,amabo te,Iobum rebus omnibus diſpollatum: *Ecce vniuerſa,quæ habet, in manu tua ſunt.* (Iob.1.v.12.) Vt ergo delicatis ac mollibus palparet vulnera, opus erat emendicare: vt teſta ſaniem raderet, obuium erat in ſterquilinio inuenire. Igitur Iob qui tot rantiſque aduerſarij telis inuictæ clypeo patientiæ reſtitit intrepidus, ſibi non perſuaſit, vt rogaret alios mendicus: oneroſiſſimum verbum arbitratus eſt, *obſecro, rogo, humiliter peto*; maluitque non ſuperbiæ faſtu tumidus;ſed difficultate petendi oppreſſus teſta exacerbãte ſaniem diſtringere,quàm ab aliis quid ad medenda vulnera poſtulare: *Oſtenditur*,ſcribit D.Thomas hìc (D.Thom.) lect.1.*quod non recreabatur nec loci amœnitate,nec ſtragulorum mollitie, nec alicuius odoris oblectatione; ſed magis contrariis vtebatur.* Addit Angelicus Doctor: Quia cuncta, quæ habebat, amiſerat, vnde non poterat ſibi conuenientia remedia exhiebere. Non poterat conuenientia remedia ſibi exhibere, niſi ab aliis petendo,niſi ab aliis emendicando, & qui conſtans fuit contra procelloſos adeò calamitatis ſæuiſſimæ fluctus, ſibi non perſuaſit emendicandi laborem ſubire,nec ad grauiſſimo etiam dolori occurrendum ſupplici verbo rogare: *Cùm homini probo*, aiebat citatus Seneca, (Seneca.) *ad rogandum os concurrat, & ſuffundatur rubor, qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus ſuum.* Vel patientiſſimus Iob ruboris vitaſſe appatet tormentum, cùm tamen ſtrenuiſſimus patientiæ athleta multis variiſque acceptis vulneribus proprio ſanguine impetere molitus ſit aduerſarium.

276. Chriſtus Dominus,cùm in hominis forma voluerit latere, nihil de impatientia hominis imitatus eſt:ea patiendi ſiti adurebatur, vt dilatione arctaretur: ventum eſt ad præfinitum paſſioni tempus, vbi & feralis inimicorum ſæuitia crudelitatis metas ſupergreſſa eſt fœdiſſimis veſtiens, aſperrimis, horridiſſimiſque ſentibus terebrans, & immiti ligno clauis transfixum diſcrucians: hic Dominus nobilis charitatis victima, & mirabilis patientiæ forma vel cautes ad compaſſionem mouebat, & hoſtium truculentiam vulneribus confoſſus damnabat;verùm ingenioſus patiendi ardor, vicit inimicorum odia, tranſgreſſuſque eſt furoris debacchantis deliria: arida voce ſitim,qua adurebantur præcordia,explicat, & dum explicat,ab inimicis ad ſpeciem rogat: ſciens Ieſus quia omnia conſummata ſunt,vt conſummaretur ſcriptura,dixit *Sitio* Iam (Ioan.19.v.28.) conſummata erant omnia, quæ deteſtandus inimicorum excogitauerat furor; ſed nondum erat patientis ſopitus ardor: poterant inimici ad ſuſtinenda tormenta cogere;non tamen quibant ad emendicandum ab ipſis ſitis potum compellere:ergo Chriſtus Dominus vt paſſionem ſuam plenius cumularet,efflagitauit potum,non vt ſitis(nec enim bibit)ſopiret cruciatum;ſed vt adderet emendicandi tormentum: titulus prodebat ſæculorum regem: ergo regem ad eas paupertatis,& nuditatis ærumnas ſe experiri redactum, vt ab immaniſſimis etiam hoſtibus opus fuerit temperandæ ſitis flammæ precari potum, erat paſſionis auctarium, & cæteris, ſi fas eſt dicere, exaggeratius tormentum: *Patiebatur hæc omnia*, (Auguſt.) ſcribit Auguſtinus apud D.Thomam, qui apparebat homo,& ipſe idem diſponebat hæc omnia, qui latebat Deus:vnde dicitur poſteà: *Sciens quoniam omnia conſummata ſunt, vt conſummaretur ſcriptura,id eſt,quod ſcriptura prædixerat: Et in ſiti mea potauerũt me aceto,dixit: Sitio,tamquam diceret: Hoc minus feciſtis.* Sic Auguſtini verba expendo: Quidquid inimici fecerunt, minus erat: plus Chriſtus ad patientiæ tormentum fecit:illi namque flagris diſciderant,clauis transfoderant, horridis lacerauerant;verum hoc totum minus erat eo tormento,quod ipſe ſibi excogitauit, & adinuenit, ſcilicet emendicare ſiti remedium, à quibus addendum erat impium aceti martyrium: *Hoc minus feciſtis.* Quaſi dicat:Quiquid feciſtis, minus eſt, quàm quod ego facio: quia vos corpori compingitis duras cruces; ſed ego humillimas ad vos ipſos dirigo preces.Huc voco,quod aiebat Tertullianus lib.de patient,ſcilicet diſceſ- (Tertull.ca.) ſiſſe ſaginatum voluptate patiendi: *Saginari*, inquit Septimius cap.5. *voluptate patientiæ diſceſſurus volebat.* Itaque diſceſſurus voluit patientiæ voluptate ſaginari; vtque ſuis votis adularetur, emiſit vocem, qua potum emendicaret: quaſi ſi diſceſſiſſet ſine mendicationis tormento,non benè ſaginaretur patientiâ,nec plenè cumulata defatigaret ærumna.

Duplici ænigmate gehenniales pœnas Chriſtus Dominus adumbrauit. Nuptiæ apud Matthæum Principis celebrantur,cumque inter nuptiali menſæ pompæque adſtantes ſordidus & pannoſus inueniretur,exaſperatus rex iuſſit manibus pedibuſque ligatis in exteriores tenebras proiici,& ab aliorum ſocietate ablegari: *Ligatis* 277.
manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & ſtridor dentium (Matth.22.v.13.) Diuerſis, variiſque coloribus hoc idem capite vigeſimo quinto depingitur, dum non admiſſas virgines ad nuptiarum celebritatem refertur: *Clauſa eſt ianua:nouiſſimè verò veniunt & reliquæ virgines dicentes: Domine, Domine aperi nobis.* (Matth.25.v.10.) Iam pungit ſcrupulus:ſi pannoſus,& ſordidus dum foris remanet,duriſſimis ligaturis conſtringitur,cur virgines dum imparatæ inueniuntur,catenis duriſſimis non ligãtur?Non minor videtur culpa Sponſas imparatas dormire;quàm nuptiis inornatum adſtare:ſi ergo qui adſtitit inornatus, premitur; cur quæ ignauè ſoporata, non patitur? Imò quàm ſimillima pœna puniuntur. Pannoſus vinculorum dolore vritur;tacens verò non precatur:

ait namque textus: *Obmutuit*: virgines etſi non patiantur vincula, caſſa ſuſtinere coguntur vota. Rogant, nec audiuntur: *Domine, Domine aperi nobis*: ergo licet ibi tacentem preſſerit ligatura, non minori hæ puniuntur, dum caſſas preces effundunt, pœna. *Cùm iam pœnitentiæ nullum eſt tempus*, ſcribit Hilarius apud D.Thomam, *fatuæ accurrunt, aperiri ſibi aditum rogant*; vt noueris ad quantas deuenerint miſerias, compelluntur rogare, & caſſam ſupplicationem repetere. Adeò graue, oneroſumque eſt preces fundere, & rogati ſupercilia perferre. Hilar.

§. LXIII.

Generoſus non ſolum curat rogata concedere; ſed vota aggreditur vincere.

278. NEmo libenter debet, quod non accepit; ſed expreſſit, extraxit, extorſit: ingratus erga benefactorem eſſe non poteſt, qui parata inuenit beneficia, & præuenta deſideria. Certè quiſquis deſiderium rogantis expleuit, ſecundam liberalitatis laudem occupauit. *Primum eſt*, aiebat Seneca libro 2. de beneficiis cap. 1. *antecedere deſiderium cuiuſque, proximum ſequi: illud melius occupare, antequàm rogemur.* (Seneca.) Tanti philoſophi pace addiderim excellentiorem eſſe liberalitatis gradum non ſolum vota occupare; ſed vincere. Itaque liberalis eſt, qui deſiderium anteuertit munere; ſed liberalior, qui transgreſſus eſt donatione. Qui aliquid petiuit, non tam accepit, quam emit, & carè quidem: nulla enim res carius conſtat, quàm quæ precibus emitur, & verecundiæ tormento accipitur: beneficium tunc tota liberalitatis pompa reſplendet, cùm præoccupat deſideria, & transgreditur longè vota. Adeſt Iaël huius veritatis teſtis: nam cum Siſara certaminis periculo ſubductus perueniſſet ad eius tabernaculum anxius, frigidam poſtulauit, quæ æſtuantem flammam ſitis ſopiret: *Da mihi, obſecro, paululum aquæ: quia ſitio valde.* Quid tunc? Non ſolùm conceſſit poſtulata; ſed vt libertatem ſuam adornaret, obtulit nondum cupita: *Aperuit vtrem lactis, & dedit ei bibere, & operuit illum.* Petenti aquam lac præbuit: quia quò liberalitatem ſuam cumulatius ornaret, ſatis illi non fuit explere vota; ſed ſupergredi vrbaniſſimè deſideria. Adeſt Abulenſis quæſtione 19. (Abulenſ.) *Siſara vt minus peteret, petiit modicum de aqua; Iaël autem vt eſſet vrbanior, & ſeruiret illi Principi, obtulit ei lac, & ille gratis accepit.* Itaque Iaël vicit vrbanior deſideria dono, & libertatem ſuam commendauit obſequio: parum reputauit exhibere petitum, ideò voluit miniſtrare quod nondum deſideratum. Profectò vterque ſe decorè geſſit: Siſara, dum non lac; ſed aquam petiuit; Iaël dum non aquam; ſed lac vrbana & ſedula miniſtrauit.

279. Cùm Abrahami ſeruus ad domini cognationem profectus ad fontem deueniſſet, Rebeccaque honeſtate vt pulchritudine eximia occurreret aquam poſtulauit: (Geneſ. 24 v. 17.) *Paululum aquæ mihi ad bibendum præbe de hydria tua.* Quid tunc? Hydriam depoſuit, potum præbuit, & quod non rogabatur, adiecit: *Cum ille bibiſſet, adiecit: Quin & camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant*: nec hauriendi labore tardata eſt: plus dedit, quàm rogabatur, & quod nondum in petentis venerat mentem, liberaliſſima excogitauit: quod ad rem expendebat Chryſoſt. apud Lippoman. (Chryſoſt.) *Puella hydriam ſuper humeros ferens non ſolum non grauatum tulit, quod ab ea petebatur; ſed & plus quam petitum erat, conceſſit, & potum dedit, vt petebat, & ex ſe ipſa etiam camelos potare feſtinat.* Dilargiri petenti non tam erat dare, quàm reddere: preces namque pretium ingentiſſimum ſanè acceperat; at vt ſuam generoſitatem adornet, ſumptuoſiuſque cumulet, ex ſe feſtinat anteuertere deſideria, quaſi pudeat ſolùm impleuiſſe vota. Diſcant hinc, qui liberales cupiunt videri, expromptè & alacriter dilargiri.

180. Cùm nox Solem criminaretur, quòd eam prorſus de medio auferret, nec illi ſatis eſſet radios ad vſum profundere; ſed tenebras prorſus exterminare, reſpondit à liberalitate diſtare, quiſquis attemperatur petentis indigentiæ, nec ſuam veluti potentiam exhaurit, vt liberalitatem adornet. Adeſt Cyrill. à noſtro Corderio latinitati donatus lib. 3. apologorum cap. 22. (Cyrillus.) *Ad Solis præſentiam facta die, cùm nox totaliter fuiſſet excluſa, ſtatim ei lamentabiliter dixit: Vt quid tantam claræ lucis copiam effudiſti, & me ex toto orbe habitabili propulſaſti? Nonne ſufficiebat te lumen ad viſionis neceſſitatem profudiſſe?* Audiſti auaræ noctis criminationem: audi Solis reſponſum: *Qui infra poteſtatis validitatem agit, nondum virtualiter egiſſe conuincitur: quare qui non quantum potuit, benefecit, aberrans à virtute defecit.* Profectò dignum Sole reſponſum: eius namque regiæ magnitudini congruebat indigentis miſeriam nonſolùm extinguere; ſed longè muneribus ſuperare. Et fortaſſis ob hanc cauſam Dominus teſte propheta, *In ſole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tamquam Sponſus procedens de thalamo ſuo.* (Pſal. 18. v. 5.)

281. Pendebat Dominus ligno affixus, & inter ſceleſtiſſimos medius: ſic iniquiſſima decreuerat Pilati ſententia, vt de peſſimorum tenebris obſcuraret candidiſſimam lucem, & de latronũ flagitiis deteſtandã coloraret actionem; at beatus ille latro dum patienter tulit ſupplicium, patientia lucratus eſt regnum, & qui multa inuaſit graſſando, plura inuenit ſibi patiendo: hic paſſionis comes, & fideliſſimus teſtis, dum videt per copioſiſſimos redemptionis fontes, per ruptas diuini corporis cataractas gratiarũ rapidiſſimum fluere diluuium, non quo, vt olim, extinguerentur creata; ſed quo exterminarentur prorſus delicta, veniam poſtulauit, & propria indignitate tardatus, & liberalitate diuina illectus ſic anxias effudit preces, vt & propriam indignitatem agnoſceret, & magnificentiam Domini commendaret: *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum.* (Luc. 23. v. 42.) Fiſus Domini miſericordiâ timuit de propria nequitia; verùm Dominus vt factis regium titulum approbaret, reſpondit: *Hodie mecum eris in paradiſo*: maturauit beneficium, & vicit petentis votum: non tantum auſa quantum dedit liberalitas. Quod acutè expendebat Ambroſius apud D.Thomam: (Ambroſ.) *Citò ignoſcit Dominus: quia citò ille conuertitur, & vberior eſt gratia, quàm precatio: ſemper enim Dominus plus tribuit, quàm rogatur: ille rogabat, vt memor ſui eſſet, de Domino autem ſequitur: Et dixit illi Ieſus: Amen dico tibi; Hodie mecum eris in paradiſo.* Expende illud: *Vberior eſt gratia quàm precatio*: honeſtè audax latronis confidentia, & laudabiliter fidens audacia in poſterum ambiuit regnum, ſed

Digitized by Google

ſed Dominus pro ſua magnificentia maturauit dationem ſtatim offerens regnum, & addens paradiſeæ voluptatis auctarium: prodebat titulus regem: ergo vt dignitati ſuæ conſuleret, petentis preces donis largiſſimis ſuperauit.

282. Hanc liberalitatis formam expreſſit etiam ille prophetarum apex Elias: rapiendus ad æthera diſcipulum vrget vt petat: *Poſtula à me quid vis vt faciam tibi, antequam tollar à te.*

4.Reg.2.v.9. Quàm dare vult, qui non cauſas excuſationis prætexuit; ſed vt peteret, oblitum petendi admonuit. Eliſæus pia ambitione, & ambitioſa laudabiliter audacia geminum ſpiritum poſtulauit: *Fiat in me ſpiritus tuus duplex*: dantis videbatur haurire potentiam, & tranſgredi liberalitatis gloriam; verùm Elias, qui voluit rogari, quo liberalior non videretur largiti, inuenit artem, qua & petitionis vinceret audaciam, & generoſitatis ſuæ commendaret munificentiam: pallium miſit, cui & ſpiritum alligauit; veritus fortè Eliſæi viuidius inflammandum deſiderium, ſi non deeſſet temporale virtuti lucrum: plures namque ſine ſpiritu feſtinant rapere pallium; at plures non ſunt, qui ſine pallio exambierint ſpiritum. Itaque magiſter optimus temporalia etiam propoſuit, vt ad ſpiritualia efficacius allexerit: *Leuauit*, inquit, *pallium Eliæ, quod ceciderat ei.* Vel hac dandi circumſtantia Elias generoſitatem ſuam adauxit, dum videtur pallium non tam liberali manu tributum, quàm inconſultè ab humeris lapſum. Ecce plus quam poſtularat, accepit, & honeſtè ambitioſa petitionis audacia victa eſt generoſa

Lyra. dantis munificentia: *Non à caſu cecidit*, ſcribit Lyra; *ſed ex diuina ordinatione, vt Eliſæus ipſo operiretur in ſignum quod ſpiritus Eliæ requieſcebat ſuper eum.* Itaque poſtulatus requieuit ſpiritus, & non poſtulatus Eliſæum veſtiuit prophetalis ornatus. Ne Eliſæus incurreret ingratitudinis notam, ſic in pallio magiſter largitus eſt beneficium, vt gratitudinis etiam dilargitus ſit argumentum. Itaque & poſtulatum ſpiritum dedit, & præcidit ingratitudinis occaſionem ne fortè Eliſæus dum à magiſtro occultat acceptum, ſpiritus patiatur damnum. Ergo pallium gratitudinis indicium, eſt & ſpiritus iuramentum. Quam ibi liberalitas agnoſcebatur diuina, quam Elias Domini figuram gerebat, dum ad petendum diſcipulum vrſit, & petentis audaciam vicit: *Non à caſu cecidit; ſed ex diuina ordinatione, vt Eliſæus ipſo operiretur.* Spiritum quaſi hæreditarium accepit, ſed & melotem aſperam induit, vt dum membra cilicio mortificat, ſpiritum acceptum cuſtodiat; vtque omnibus conſtet ſpiritum ſuperno dono tribuendum, & ſolicita mortificatione aſſeruandum. Citò ſine melote ſpiritus marceſceret, quantumuis geminus, melote efflorere ſolet exiguus. Itaque vt nos theſi noſtræ reſtituamus, dum Elias cæleſtium luminum auguſtiſſima claret pompa, & deſiderium vincenti effulget magnificentia.

§. LXIV.

Voluptatem non ſolum manet in poſterum ſupplicium; ſed admixtum habet etiam tormentum.

NEſcio quibus nos præſtigiis voluptas eludit, & cæca voluptatis anxietas tenet: id agere debebamus, vt vitiorum irritamenta, & blanda fallaciarum illicia quam longè exterminaremus: indurandus erat honeſtè animus, & à voluptatum delinimentis prorſus abſtrahendus; & tamen his auidiſſimè inhiamus, & ardenti hydrope ſemper ſitimus, cùm voluptas bellum gerat cum ratione & conſilio: *Pugnam & diſſenſionem*, ſcribit Plutarchus de virtute morali, *cum iudicio & conſilio voluptas & dolor excitant.* Refertur non ſemel intemperantiæ telis pudor, ingluuie exhauritur rationis vigor; verùm etſi diſtrahendus non eſſet animus à voluptatis illiciis ob cum ratione pugnam, amouendus profectò eſſet ob doloris, & anxietatis offenſam: voluptas nobis imponit, & ſub delectationis ſpecie dolorem tegit: vterini eodem nixu exorti fratres ſunt dolores & voluptates; imò ſeparari non poſſunt quia naturali admixtione, & vnione miſcentur. Quàm benè Seneca epiſtol. 51. *Si voluptati ceſſero, cedendum eſt dolori, cedendum labori, cedendum eſt paupertati, idem ſibi in me iuris eſſe volet & ambitio & ira: inter tot affectus diſtrahor; imò diſcerpor.* Profectò qui voluptatibus traditur, & dolore anxio diſcerpitur: ſalacitas namque paupertatem inducit, paupertas dolorem affert. Citiſſimè morbis addicitur vnctus, & delicatus, & nitidus: per tormenta capilli rufantur, & ceruix dum ſplendentium margaritarum tremula pulſatione lætatur, onere oblectamenti torquetur. Ad hæc ferri poſſet; imò expeti quiret voluptas, ſi doloris tantum germana; verùm eſt doloris mater & nutrix. auolat quod animum oblectamentis delinitum, & illectum retinebat, & manet quod dure, diteque cruciat. Itaque voluptas pendit dolori tributum, & parit in futurum etiam tormentum. Adeſt Siſara huius veritatis indubius vti miſerrimus teſtis: certamini ſubductus indecoram arripuit fugam, & ad Iaëlis improuidus confugit tutelam: anxius itineris labor ſitim inflammauerat, vtque ſopiret ardorem, obnixè poculum flagitauit: Iael lacteum poculum doloſa liberalitate obtulit, quod ſiti aduſtus Siſara auidiſſimè exhauſit. *Aperuit vtrem lactis, & dedit ei bibere.* Quod blande adulabatur ſiti, & blandiebatur ardori; lac acore etiam offendebat, & mordacitate guſtum exaſperabat: itaque lac Ioſepho lib. 5. antiquit. cap. 6. teſte, acidum erat; & corruptioni vicinum. Eius verba audi: *Potum poſcenti lac acidum exhibuit, quod ille cum auidius ingurgitaſſet, in ſomnum eſt reſolutus.* In lacte erat dulcedo acore admixta, & acrimonia dulcedine temperata: non hauſit Siſara immixtam, meramque dulcedinem; ſed quæ guſtum offenderet eo tempore, quo ſitientem oblectabat. Quid tunc? Somno tradit oculos, & deſi

Margin notes (right column): 283. (beside "NEſcio quibus…"); Plutarch. *Voluptas & dolor rationi aduerſa.*; Seneca. *Qui cedit voluptati, & ob nexum manet dolori*; Ioſeph.

deſidem tranſuerberat clauus: *Tulit itaque Iaël vxor Haber clauum tabernaculi aſſumens pariter & malleum, & ingreſſa abſconditè, & cum ſilentio poſuit ſupra tempus capitis eius clauum, percuſſumque malleo defixit in cerebrum vſque ad terram.* Transfixio potum ſecuta eſt, & breue voluptati exhibitum poculum peperit geminatum tormentum. Vel cùm ſedabat ſitim, acidi lactis experiebatur mordacitatem, & poſt acorem dulcedine immixtum, transfixionis tulit cruciatum: *Quem Iaël aggreſſa*, addit Ioſephus, *ferreum clauum ſopito per tempora adegit malleo.* Ecce oblectamento acor offendit immixtus, & poſt acorem tempora interiit transfoſſus. O nimis verum! Quiſquis ſe deliciis voluptatibuſque addixit, & doloribus etiam dedicauit: edacitatem namque ſequitur cruditas, cruditatem oris pallor, membrorumque dolor: ſalacitas doloris & confuſionis eſt mater: citius perit, qui veneri plus indulget. Et poſt tot dolorum anxietatumque penſiones duriora manent peccatorem tormenta, & immortalis adurit flamma. O vtinam Siſaræ ſomnus te compelleret vigilare, & rationi ſemper obedire.

284. Christus Dominus de corpore ſuo nobis
Drogo conſtruxit ſpeculum teſte Drogone de Sacramento Dominicæ paſſion. *Feciſti mihi de corpore tuo ſpeculum anima mea*: vt ibi clarius intueremur, quæ in nobis ipſis obcæcati ſæpè ignoramus. Intuere ergo peccatoris ænigma: Cùm Dominus Pilato traderetur, purpurea veſte amicitur, & horridis ſimul ſentibus coronatur. *Chlamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſu-*
Matth 27. v.29. *per caput eius.* Itaque Tyrio murice lucebat ſplendidus; ſed eodem ipſo tempore cruciabatur duris ſentibus terebratus: purpura ſpinæ coniuncta eſt: nec enim poterat ſine tribuli fœditatibus vti purpuræ gratæ ſplendoribus. Quid poſteà? Cruci traditur transfigendus: Duxerunt eum, vt crucifigerent. Et quidem iam non purpura indutum; ſed denudatum: *Exnerunt*, inquit, *eum chlamyde, & induerunt eum veſtimentis eius, & duxerunt eum, vt crucifigerent.* Non habuit vel fallacia purpuræ oblectamenta, dum crucis ſuſtinuit martyria; habuit tamen ſpinarum morſus vel euanidus purpuræ faſtus: duplex pœna comitata eſt voluptatem: nam dum ſanguinea, rutilanſque delectabat oculos flamma, ebibito dura rubebat ſanguine
Hieronym. ſpina, & terebrata dolebant tempora *Sanguine cocci colore perfunditur*, ſcribit Hieronymus apud D. Thomam, *ſpinis quoque coronatur.* Ecce crux manet poſt purpuram, & ſimul comitatur ſpina, vt noueris, duplex ferè ſemper culpam comitari ſupplicium, aliud quod culpæ germanum cum culpa naſcitur; aliud quod eius proles ab ipſa gignitur. *Quid eſt*, aiebat Drogo de Sacram. Domin. paſſion. *quod poſt illuſionem chlamyde exuitur, & ſuis veſtibus reinduitur, niſi quod ſæpè ſuperbus Adam cùm per dolorem carnis confinia mortis ingreditur, depoſita elatione ad putredinis ſuæ conſiderationem reuertitur.* Purpura fuit illuſione immixta, & putredinis poſteà ſupplicio caſtigata, vt duplici contritione ſoluatur, quod breui ac volatica voluptate committitur.

285. Pſal 77. v.27. Mirè hanc veritatem expreſſit Pſalmiſta de inſanis illius populi appetitionibus agens: *Pluit ſuper eos ſicut puluerem carnes, & ſicut arenam maris volatilia pennata.* Vnicum inſanumque deſiderium duplici mulcta eſt punitum: nam caro & coniuncta eſt pulueri, & deſiuit in arenam. Certè veluti duæ huius auiculæ pennæ erant arena & puluis: nec enim poterant volitantes ſine anxia fatigatione capi, ſine laborioſo ſtudio prehendi, cùm tamen iam prehenſæ prouocarint vindictam, & voracem dignæ indignationis accenderint flammam. Adeſt citatus Drogo: *Ne pluas ſuper nos ſicut puluerem carnes: quia caro puluis eſt, & in puluerem deducit, omne, quod intrat in os, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur: talis eſt omnium voluptatum carnalium finis, & ſicut arena maris volatilia pennata: gaudet edacitas, pennulas mouet; ſed mox in arenam maris conuertitur: gaudet luxuria, modicum volitat; ſed mox in arenam maris tranſit. Omnis dulcedo carnis in amaritudinem finit, modicum leuat infelicem animam; ſed mox aggrauat in arenam.* Expende illud: *Caro puluis eſt, & in puluerem deducit*: geminus puluis, dum volat, & dum finit: dum cælum pluit carnes, admiſcetur carnibus puluis: pluit namque illis ſicut puluerem carnes, & iam in arenam grauiorem deſinit: *Et ſicut arenam volatilia pennata*: vt noueris laborem grauiore labore excipi, & pondere duriore finiri. Lac acidum ſuxit Siſara, acorem dulcedine immixtum; dulcedinem acore attemperatam, & poſt acoris morſum pertulit mortis ſupplicium.

Expendebam in opipara illa Balthaſaris cœna hanc veritatem miris coloribus adumbratam: inſanus ille ſuperbiſſimè turgens, præſumptuoſiſſimeque ſuperbiens vel obſeſſus cœnam inſtuit, & menſam ſaporatis, ac variis ferculis ornat: poſt multa, multipliciaque libidinis irritamenta, gulæque deliria vſque ad initiata diuino cultui vaſa protendit inſaniam, & dignam inſaniæ tulit ſententiam: digiti apparuerunt, ad quorum aſpectum variæ cogitationes animum perturbabant, genua gelido timore ſe concuſſa feriebant, renum diſſoluebantur compages, vt ea corpus parte ferret doloris ſæuitiam, qua nutrierat intemperantiam. 286.
Tunc facies regis commutata eſt, & cogitationes eius conturbabant eum, & compages renum eius ſoluebantur, & genua ad ſe inuicem collidebantur. Dan.5.v.11.
Ecce ſympoſiis admiſcetur anxietas, & graui dolore coniungitur ferculorum voluptas: varia corporis membra torquentur, & præcordia triſtiſſimis cogitationibus diſcruciantur. Quid tunc? Daniel introducitur, qui ignotos Chaldæis characteres interpretetur, & quàm dura maneant regem, coniector veriſſimus proferre coram omnibus nullatenus vereatur: *Diuiſum eſt regnum tuum, & datum eſt Mædis, & Perſis.* Addit textus: *Eadem nocte interfectus eſt Balthaſar rex Chaldæus.* O quanta ſupplicia vnicam cœnam ſunt comitata & ſecuta, dum corpus deliciis ingurgitatur, dum immodicis obſoniis repletur, digiti dolorem ingerunt, & infauſtis characteribus angunt: nec ſatis fuit immixtum voluptati dolorem toleraſſe; ſed poſt inuitam tolerantiam opus fuit decretis cæli ſubiacuiſſe, & ſententiam duriſſimam toleraſſe: amiſit poſteà purpuram, non eſt fruitus ſine doloribus cœna. *Metus vocem excutiebat*, ſcribit Theo- Theodoret.
doretus apud Gloſſam, *& anima perturbatio*

ſtimu

Digitized by Google

ſtimulabat, vt ſententiam intelligere. Adhuc ignota ſententia adurebat dolor, & dolorem grandior ſecutus eſt labor: vt noueris quantas ſoluerit penſiones voluptas, & quantis anxietatibus obnoxia fuerit edacitas. O ſi abactis paſſionum tenebris oculos leuaremus, diſpiceremuſque quam nulla ſit meta voluptas; imò quàm ſit dolore immixta, & quam grauiori tormento obnoxia. Profectò fortem dignumque viro metum produceremus in campum contra irruentem paſſionum impetum, & deliciarum conatum: regni ſequitur mulcta cœnam, & comitatur cœnam anguſtia: non potuit vel breue tempus Balthaſar indulgere voluptati, quin ſubiaceret etiam dolori, & paſſus eſt poſt cœnam dolorem nulli immixtum voluptati.

287. Mirè ruſticus ille, qui inuitantis ſpreuit obſequium, huius veritatis expreſſit ſymbolum. Luc.14.v.18. *Alter dixit: Iuga boum emi quinque, & eo probare illa, rogo te, habe me excuſatum.* In quinque boum iugis ſenſus exprimi tradit Auguſt. Auguſtinus apud D. Thomam: *Dicuntur iuga boum quia per ſenſus iſtos carnis terrena requiruntur: boues enim terram verſant.* Profectò magnus labor bubulco eſt duriſſimas telluris proſcindere glebas, & mugientium boum audire, & ſequi ſemper anguſtias. Ergo cum terræ verſione ſenſuum voluptas coniuncta eſt, vt noueris nunquam carere gemitibus, & exundare ſemper laboribus. Iam quæ pœna ruſticum & inurbanum ſecuta fuerit, expreſſit eamdem parabolam referens Matthæus: Matth.22. v.7. *Rex*, inquit, *cùm audiſſet, iratus eſt, & miſſis exercitibus ſuis perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum ſuccendit.* Agri ſudores euanidas comitati ſunt voluptates, & voluptates & ſudores nunquam morituri excepetunt ignes: *Cum labore manuum noſtrarum,* ſcribit Chryſoſtomus apud D. Thomam, Chryſoſt. *aliquid fecimus, puta exercentes agrum.* Addit poſt aliqua: *O miſerrimus mundus, & miſeri, qui eum ſequuntur: ſemper enim mundialia opera homines excuſſerunt à vita:* excluſi à vita aduſti ſunt flamma, qui agrum exercuerunt labore magno, & oblectamento exiguo. Duplex inciuilitatis pœna: inter ſenſuum oblectamenta ſudare, & poſt vitam ſemper ardere.

---

§. LXV.

Fœmina ad mendacium inuenitur exprompta, & ad fallendum parata.

288. MEndacia optimæ politices ſunt venena, nil honeſtatis, nil floret ſine veritate virtutis. Profectò veritas eſt morum ſubſtantia, regiminis gloria, vitiis & fraudibus peſtilentia: *Æſpænetus*, aiebat Plutarchus in apophthegm. Plutarch. *Mendaces calamitatis ſunt architecti.* *omnium aut mendaces noxarum, & maleficiorum architectos eſſe.* Vt in architecti officina plura elaborantur, quæ in admirationem rapiant artis elegantia, & ingenij ſolertia, ita in mendacis ac fraudulenti ingenio plura confinguntur, quæ rapiant fucatis coloribus affectum, & mentitis obſequiis animum. Verùm etſi hæc lues ferè ad omnes perniciosiſſimè irrepſerit fœminas ſpeciali conſuetudine tangit; facillimè in mendacia labuntur, & neſcio quo fingendi prurìtu titillantur: oculis etiam ſubiecta negant; impoſſibilia affirmant intrepida audacia, audaci impudentia; libera adeo fronte, ac inuerecunda procacia mendacium defendunt, vt ferè addubites de rebus ipſis, quas oculis cernis, & quas impoſſibiles, euidenter agnoſcis. Mulier eſt mendacij parens, fraudis officina, doloſitatis pruritus, & innatus fallendi affectus. Hinc excuſandus eſt Siſara, qui cùm prælio ſubductus ad Iaëlis perueniret tentorium, illam admonuit interrogantes mendacio fallere, & fugientes vitæ conſulere: *Dixit Siſara ad eam: Sta ante oſtium tabernaculi, & cùm venerit aliquis interrogans te, & dicens. Nunquid hic eſt aliquis? Reſpondebis: Nullus eſt.* Iaël pudica fœmina virtutis ornamentum, fœminarum elogium fuit, verùm Siſara mentiri ſuaſit, & inquirentes mendaciis eluſuram credidit muliebri ingenio perſuaſus, & fœminarum conſuetudine fiſus: Abulenſ. *Credendum eſt*, ſcribit Abulenſis quæſt. 19. *quod Iaël ſpoponderit Siſaræ ſe ſic reſponſuram & facturam ad ſalutem eius quæcumque poſſet, cum recepiſſet eum, & vocaſſet benignè; & quia alias non manſiſſet Siſara ſecurus in domo eius.* Timore Siſara agnoſcitur obturbatus, & obturbatione cæcus, cum eo ipſo tempore, quo mulier ſpondebat ſe alios mendaciis deluſuram, credidit erga eum non obſcurari mendacio; imò inflammari ſalutis ſtudio. Non ambigebat Siſara Iaëlem interrogantes fruſtraturam mendaciis, & tamen ſe credidit veris defenſuram officiis; verùm mortem tulit ſtultitiæ pœnam; & ſua ſtrage mulierum ſæculis depinxit naturam. Et certè Iaël, dum non recuſabat ſpondere ſe interrogantes fraude deluſuram, audientis ne illi fideret, admonebat prudentiam: errabat namque ingenter, qui ergà ſe exiſtimabat verè officioſam, quam erga alios fore credidit fraudulentam.

289. Furebat Saul in Dauidem duplici affectu, ambitione ſcilicet & inuidia agitatus, cumque non ſemel miſſo telo expectatione fruſtratus eſſet, filiam decreuit in matrimonium dare, vt ſic poſſet facilius de medio auferre; verùm Michol ſtatuam ſuper lectum in ſpeciem dormientis poſuit, & inquirentium rabiem eluſit: *Tulit Michol ſtatuam, & poſuit eam ſuper lectum,* 1.Reg.19. v.11. *& pellem piloſam caprarum poſuit ad caput eius, & operuit eam veſtimentis; miſit autem Saul apparitores, qui raperent Dauid, & reſponſum eſt quod ægrotaret.* Non prodit textus, à quo quod ægrotaret, fuerit reſponſum; verùm non temere dixerim à Michole reſponſum datum: fœminæ namque paratiſſimæ ſunt ad confingendum mendacia, & ad reddendum falſa reſponſa. Et expende non aliquem è ſeruis, aut familiaribus ſtatuam in modum formamque viri in lectulo collocaſſe; ſed fœminam compoſuiſſe, quaſi præ cæteris hoc in munere excellat, & fallendi damnabili prærogatiua præfulgeat. Adeſt Baſilius Seleucienſis orat. 16. Seleucienſ. *Perſuaſit quoque lectulo, vt inualetudinis ſimulationem adiuuaret: imago namque in viri ſpeciem conformata, & in lectulo collocata formæ fictione videntes eludebat.* Itaque neceſſarium erat videntes eludere, & impia furentis æmulatione deſiderium patris fruſtrare. Ergo hanc ſibi mulier ſuſcepit prouinciam; & dedit amore viri tragœdiam.

290. Euangeliſta Ioannes è puteo proſilire aſpexit locuſtas mulieres prolixitate capillorum reſe-

rentes: *Habebant capillos ſicut capillos mulierum.* Quid per locuſtas fuerit denotatum ſcrutantur Patres & ſacri interpretes æquali pietate & Apoc.9.v.8. acumine. S. Proſper 1. p. cap. 36. in locuſtis intelligit, qui falſa confingit, qui mendoſa componit, donec omnia radicitus exterminarit, & mendaciorum fraude corruperit: *Locuſtarum multitudo vexans omnia, radicituſque exterminans falſarius eſt multa variaque confingens, qui rodit vt locuſta famam, vitam, actuſque alienos, donec totum aduerſus quem falſa confingit, radicitus exterminet.* Prosper. Itaque vt exterminatores leoninis ac peſtiferis dentibus omnia deuaſtare, & corrumpere eleganti ænigmate depinxerit Ioannes, locuſtarum vſus eſt emblemate, eiſque mulierum adiunxit capillos, quaſi de muliebri ſimilitudine vires ad fallendum ſugant, & ad concinnandos dolos peritiam trahant. O quantis malis muliebria mendacia vires addiderunt, quantis calamitatibus robur firmarunt! Certè mulier inuenitur fraudis mater, falſitatis origo, doli vena, aſtutiæ officina, dæmonis ſuffragium, veritatis venenum, & improbitatis auxilium. Profectò ſtultiſſimus inuenitur, qui mulieri fidem præbet, quantumuis obteſtationibus, & iuramentis dicta confirmet: tunc namque certius fallit, & ſecurius lædit.

291. Pharao vt immortali in Hebræos odio inflammabatur, penitus conſumere cogitauit; verùm ita liuori ac inſaniæ adulabatur cæcus, vt famæ etiam conſuleret ad ſpeciem prouidus: obſtetricibus ſuaſit, vt partus tempore maſculos interficerent, & quod erat violentiæ, partioni adſcriberet infortunatæ: Exod.1.v.16 *Dixit rex Ægypti obſtetricibus Hebræorum, quarum vna vocabatur Sephora, altera Phua, præcipiens eis: Quando obſtetricabitis Hebræas, & partus tempus aduenerit: ſi maſculus fuerit interficite eum; ſi fœmina, reſeruate.* Itaque exoptabat rex, vt adſcriberetur infortunio, quod improbo fuerat adſcribendum voto: vtque execrabile facinus adeò colorarent mendaciis, vt nullus improbis, deteſtandiſque adſcriberet deſideriis, mulieribus commendauit, de illarum in concinnandis fraudibus peritia ſperans feliciſſimè ſucceſſurum negotium, & mirè colorandum mendacium: Lippom. *Vocatis duabus obſtetricibus*, ſcribit Lippomanus, *mandat crudeliter, vt tempore partus in ipſis ſellulis, ſuper quibus mulieres pariunt, maſculos Hebræorum clam interficiant, ac fingant ipſos ita mortuos natos.* Itaque dum mendaciis crudelitatem vult obtegere, & inſaniam fraudibus ſimulare, mulieribus commiſit negotium, ſperans opportunum ſibi ſucceſſum. O quàm expertus fuerat fœminas his in artificiis pollere, & ad mendacia coloranda præſtare. Neſcio qua inſolenti procacia quod euidenter agnoſcitur, negant, & quod oculis ſubiicitur aduerſus oculorum teſtimonium adulterant. Non aberrauit, qui artificem falſitatis, & mendaciorum antiſtitem mulierem dixit. Ergo ne credideris fœminis, ſi irretiri nolueris dolis.

292. Vt Euangeliſta Chriſti Domini paſſionis exaggerauerit efficaciam, & nouam reſurrectione mundum accepiſſe teſtetur formam, mulieres ait fuiſſe veritatis nuntias, & ad denuntiandam reſurrectionem legatas. Deſcenderat Angelus ad Chriſti ſepulchrum: iam enim gloria vincebat cælum, cumque piæ mulieres accurriſſent, iubet oculis myſterium reſurrectionis percipere, & Apoſtolis denuntiare: *Venite, & videte locum, vbi poſitus erat Dominus, & cito euntes dicite diſcipulis eius, quia ſurrexit.* Mat.28.v.6 Iam fœmina eſt veritatis miniſtra, quæ ſerpentis ad fraudem præceſſerat ſerua: vt noueris crucis efficaciam, quandoquidem mulieri tuto committitur veritas, & nuntiandæ reſurrectionis felicitas. Adeſt opportunè Chryſologus ſerm. Chryſol. 74. *Reſurgente Chriſto, morte pereunte terrenus redditur cæleſte myſterium, & mulieri, cui fuerat cum diabolo lethale conſilium, cum Angelo colloquium fit vitale.* Addit ſermon. 77. *Ecce iiſdem lineis, quibus perierat ſalus humana, reparatur: prima ad perfidiam mulier, prima procuratur ad fidem.* Quaſi dicat Chryſologus: Si vis clarius noſſe, quam innouata fuerit Chriſti reſurrectione natura expende non rhomphæam à paradiſo prohibentem remotam; non lapidem prægrandem ad veritatem occulendam reuolutum, & in cathedram veritatis conuerſum; ſed mulieris adeò reformatum ingenium, vt ab eius ore non adulterata prodiuerit veritas, à quo olim vti à fœcundiſſima vena manabat falſitas. *Iiſdem lineis, quibus perierat ſalus humana, reparatur: prima ad perfidiam mulier, prima procuratur ad fidem.* Certè in ipſa reparationis excellentia elucet mulieris ingenium, & ad mendacia prurirus, quandoquidem ad energiæ paſſionis Dominicæ pompam, & ad reſurrectionis commendandam energiam producitur mulier iam proferens vera, quin doloſa temerauerit fraude, aut falſitatis adulterarit crimine. Mira res, iam fides fœminis debet præſtari, à quibus olim conſtabat auditum veritatis peruerti.

Euangeliſta Ioannes, vt eleganti ænigmate falſam Philoſophorum, & à veritate aberrantium doctrinam depingeret, mitiſque coloribus delinearet, mulierem Babylonem deſcripſit, cuius dextera poculum propinabat exterius micantem auro; ſed adulteratum interius dolo: 293. *Habens poculum aureum in manu ſua plenum abominatione, & immunditia fornicationis eius.* Apoc.17.v.4 Ambroſius, vt erat eximius myſteriorum ſcrutator, in calicis immunditia deprehendit mendacia, in auro fucata, & rhetoricæ fulgentiſſima eloquia. Accipe illum hîc: Ambroſ. *Per poculum aureum, quod manu tenuiſſe dicitur, Philoſophorum, & Poetarum doctrina deſignatur, quod plenum abominationum, & immunditie fornicationis dicitur: quia doctrina philoſophorum plena erat mendaciis, omnibuſque erroribus ad decipiendum genus humanum compoſitis.* Itaque Angelus, vt omnium philoſophorum deliria, & commenta veluti in ſummam redigeret, mulierem oſtendit: hæc namque mulier, dum poculum foris propinat aureum, intus concinnat aſtutiſſimè dolum. In vna muliere inuenies quotquot à poëtis excogitati fuerunt errores, quotquot ab obcæcatis philoſophis falſitates.

§. LXVI.

Digitized by Google

§. LXVI.

Fœminæ pulchellæ aſpectus eſt honeſti vigoris faſcinum, virtutis delirium.

294. FOeminarum aſpectus, vt de regulo fertur, virtutem faſcinat, & vires omnes eneruat: qui nimis curioſè aſpexit, non ſolùm deliquit, ſed rationem prodidit. Egregiè errarunt Philiſthini, Samſonem mulctantes oculis, cùm perpetuis premere anhelauere catenis: carcere namque obcæcatus triumphos egit, foris inoculatus elanguit: non ſic expectorarunt vires duriſſima vincula, vt blanda Dalilæ aſtutia, vt gratiſſima vultus forma. Samſon in hoſtium manus nullatenus deueniſſet, ni venuſtam fœminam oculis
Iudic.16. v.4. ſpectaſſet: *Amauit mulierem, quæ habitabat in valle Sorec*: mulieris mentitis obcæcatur obſequiis, qui inter ipſa vincula cæcus hoſtilibus redimitur trophæis: ſerpentina inuidia, & diabolica æmulatoris aſtutia duos homines eiecit de paradiſo, deteſtandum fratris odium in religioſum fratrem exarſit, & orci ianuam aperuit; at dum pulchellæ virorum obiiciuntur aſpectibus, vniuerſale apparatur diluuium, & generalis iam
Gen.6.v.2. incipit calamitatis exordium: *Videntes*, inquit, *filij Dei filias hominum quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus, quas elegerant.* Fœminarum aſpectus vniuerſalem inuexit calamitatem, & captiuam luxui ſubiugauit rationem: *Vtrúmne*, ſcribebat Tertullianus de ha-
Tertull. bitu muliebri, cap.1. *mulieres ſine materiis ſplendoris, & ſine ingeniis decoris placere non poſſent hominibus, quæ adhuc inculta, & incompoſita, &, vt ita dicam, crudæ ac rudes Angelos mouerant?* Non diſputo de Tertulliani ſententia, ſed eius verbis vtilis fulcitur doctrina: quaſi dicat Tertullianus: Vt noueris quàm omni ſolicitudine, ſolertiáque fœminarum politularum, mitiſque fucorum ingeniis exculratum fragili homini vitandus fuerit aſpectus, animaduerte olim rudium inculratumque viſum ad cæcitatem traxiſſe virtute eximios, & perfectione decoros. Hinc Siſaræ vitij perſonam gerentis miranda eſt aſtutia: nam collatis cum Baraco ſignis terga indecorè vertere cogitur, cæleſtibus ſignis territus, & humanis armis compulſus: vtque ſecurum ſibi procurarit aſylum, ad fœminæ confugit tabernaculum, maiorem ſibi de vna fœmina ſecuritatem ſpondens, quàm de exercitu adeò copioſo promittens: nouerat ille plures virtutis milites generoſo inuolaturos ardore, vt quærerent fugitiuum, & occiderent inuentum:
Abulenſ. vtque tanto periculo occurreret, Iaëlem ſic monuit: *Sta ante oſtium tabernaculi, & cùm venerit aliquis interrogans te, & dicens: Numquid hic eſt aliquis? Reſpondebis: Nullus eſt.* Mulierem quærentibus obiecit, quò ardorem inquiſitionis extingueret: credidit namque alacriter etiam inuolantes ipſo mulieris aſpectu frænandos, viſuque detinendos: quaſi nihil adeò efficax ſit ad tardandum virtutis curſum, vireſque faſcinandas, quàm fœminæ occurſus, quàm tremula lapillorum lumina, quibus monilia variantur, quàm aurei circuli, quibus brachia conſtringuntur, quàm medicamenta ex fuco, quibus formæ nitor, colorque augentur, quàm niger ille puluis, quo ad obcæcandum videntes oculorum exordia armantur. Adeſt Abulenſis quæſtione 19. *Sta ante oſtium tabernaculi. Hoc voluit Siſara, ne introirent aliqui ad inquirendum eum intra domum, & inuenirent: nam cum ipſa ad oſtium maneret, reſponderet tranſeuntibus, & non intrarent in domum.* Itaque Siſara vitij ænigma non putauit aptiori obſtaculo impediendum aditum, quàm ſi pro virtute inuolantibus fœminæ oppoſuerit aſpectum: mulieris namque viſus eſt virtutis remora, ſanctitatis faſcinum, ac perfectionis incantamentum.

Lazarum morbus lethalis corripuit, quin ſolliciti medentis prodeſſet cura, quin ſororum 295.
adiuuerit diligentia, quin deliciarum peſtilentiam vicerit copia: inuolat Dominus opem allaturus, vt nouerit Lazarus plus acquiſiſſe ſibi Chriſto deuotus, quàm copiis diuitiarum onuſtus: florenti ætate amiſerat vitam; ſed virtute adinuenit ſibi medelam. Martha aduentanti Domino occurrit, & occurſu fratris ſalutem differt: *Martha vt audiuit, quia Ieſus venit, occurrit illi.* Ioan.11.v.20 Chryſologus vt erat ingenij acumine præditus, rogat cur Dominus gradum ſtiterit, cùm luctuoſa cauſa maturare ſuaſerit: reſpondetque fuiſſe Lazari vitam mulieris retardatam præſentia, vt hinc nobis vtiliſſima promanarit doctrina: vita aduentabat; ſed mulieris occurſus veluti impediuit, & præſentia, ſi fas eſt dicere, retardauit. Itaque Lazarus citiùs faſcias ſepulchrales nudaſſet, mortiſque vincula dirupiſſet, ni fœmina ſaluti occurrens moraretur morti imprudenter patrocinata, & ſaluti vel dum ſalutem curat, aduerſa. *Hinc eſt*, verba ſunt Chryſologi ſerm.64. *quòd in loco Chriſtus* Chryſol.
reſtitit, expectauit Chriſtus, quòd non intrauit turbas, quòd non contendit ad domum, quòd non ad ſepulchrum diuertit, quòd non ad Lazarum, propter quem venerat, feſtinauit; ſed mulierem ſuſtinet. Itaque vita & ſalus ad Lazarum feſtinabat; ſed mulier ſua præſentia ſepulchralium faſciarum tempus producit, & propetantem ſalutem detinet. Quòd ſi Martha pro vita accurrens ſuo aſpectu præſentiaque ipſam, quam anhelat anxiè, vitam retardat, quid putas feciſſet, ſi pro morte feſtinaſſet? O quàm retardatur cæleſtis vita mulieris occurſu, & quàm Lazarus diu mortem patitur fœminæ aſpectu! Certè mulieris occurſus & Lazaro mortem protelauit, & inuolantem vitam impediuit. O fuge fœminarum occurſus, concurſuſque, quando quidem vel pia mulier anxiè pro vita feſtinans mortis inuenitur patrona, & vitæ ac ſalutis remora. Adde ad miraculi pompam Dominum vocaſſe Mariam: *Magiſter adeſt, & vocat te.* Et cur vocat fœminam, qui ſine fœmina potuit refundere vitam? Fortè profundiora alij myſteria inuenient, ego Chryſologi verba ſermon. 65. ſic apto: *Fremit Deus, vt reſurgat homo, fremit indulgentia, ne ſententia contradicat, fremit Chriſtus debellans mortem: quia non poteſt non fremere, qui ſingularem rapit de hoſte victoriam.* Singulariſſimam hic rapuit de hoſte victoriam, quandoquidem mulieris conſtat adfuiſſe præſentiam. Certè mulier, dum viro adeſt, mortem infert, ſenſum vulnerat, iudicium faſcinat, vires expectorat: ergo quò diuinæ virtutis clariùs refulſerit ad ſuſcitandos homines energia, ſepulchro propinquat fœmina, & qui alios ſuſcitans mortuos non infremuerat iactabundus, hic fremit & iactatur glorioſus. Nec mirum:

rum: nam fœminarum præſentia Lazaro ætate florenti ingentiſſima ad morum vitam erant obſtacula; & ad ſalutem animæ impedimenta. Abſentiam Chriſti criminata fuerat Martha: *Domine, ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus*; ſed ignorabat imprudens ipſam ſua præſentia & Dominum depuliſſe, & morti hominem commendaſſe: *Accuſas abſentiam Dei*, verba ſunt Chryſologi ſerm.63. *quando cauſam mortis fuiſſe tuam præſentiam non recuſas*: mulieris præſentia vires infundit morbo, obſtat remedio. Ergo non imprudens Siſara, vt perſequentium vitia ſtiterit gradum, vt pium retardarit anhelitum, mulieris obiecit vultum, & viſu muniuit oſtium.

296. Tertull. *De fœminæ aſpectu ſcintillæ in caſtitatem conflantur.* *In omni ſpectaculo*, ſcribebat Tertullianus lib. de ſpectaculis, cap.25. *Nullum magis ſcandalum occurret, quàm ille ipſe virorum ac mulierum accuratior cultus, ipſa conſenſio, ipſa in fauoribus aut conſpiratio, aut diſſenſio inter ſe: de commercio ſcintillas libidinum conflabellant.* Fœminæ dum diſſentiunt, prouocant, dum conſentiunt, inflammant, vt videris illarum ſemper præſentiam, ſi non ineuitabile naufragium, extitiſſe ſemper periculoſum ſcopulum: hominis cor mulieris viſu percuſſum libidinis emittit ſcintillas, & luxuriæ flammas, quibus & aduritur prudentia, & deperit pudicitia: *De commercio ſcintillas libidinum conflabellant.*

297. In Hebræorum populum arma mouerat Holofernes, pugnabant allophyli contra iuſtos, criminibus mancipati contra virtutis alumnos: nullus ambiget in Holoferne adumbrari vitium, vt in Hebræorum populo virtutem: ergo cùm Iudith decora fœmina ornamentorum ingenio exculta, fucíſque ornata ad allophylorum caſtra tranſiiſſet, in hunc modum eius ſpeciem exaggerantes ad Principem locuti ſunt: *Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, vt non pro iis meritò pugnare contra eos debeamus?* (Iudith. 10. v.18.) Itaque etſi Hebræorum populum robore præditum, armíſque munitum agnouerint; tamen dum agnoſcunt pulchellas apud ſe habere, ſibi promittunt triumphare: quaſi dicant: Populus hic noſtris cedet viribus, nec reſiſtet armis; imò quamuis reſiſtere poſſet armis, ipſis, quas habet, vincetur fœminis. Ecce vitium magnos reſumit animos, vt in virtutes irruat, dum numerat in armis pulcherrimæ mulieris aſpectum, & ingenioſum formæ artificium. O quàm inflammabantur Nabuchodonoſoris ſatellites, militeſque in Dei populum de eximia mulieris venuſtate, & de exculta pulchritudine. Et quidem non abſque cauſa: nam muliebris aſpectus eſt veluti virtutis miſeria, vt libidinis energia. Hunc voco Ambroſium lib. de Caïn & Abel, cap.1. (Ambroſ. *Criminum ſtimulus eſt libido.*) *Sæuus criminum ſtimulus libido eſt, quæ nunquam manere quietum patitur affectum, nocte feruet, die anhelat, de ſomno excitat, à negotio abducit, à ratione reuocat, aufert conſilium, amentes inquietat, lapſos inclinat.* Expende illud: *ſæuus criminum ſtimulus libido eſt*: Quaſi dicat: vbi vitiorum cohors formâ libidinem conſulente armatur, ſæuo ſtimulo contra virtutes munitur. Holofernis milites in Dei populum acriùs ſufflammantur, ſeque victoriam reportaturos confidunt, dum pro ſe pulchellæ habent venuſtatem, & excultæ pulchritudinem.

298. Expendebat ingenioſè Chryſoſtomus ſerm. de Ioſeph Patriarcha 1. tomo. Iobum intrepidè impauidéque aduerſus ſæuiſſimum hoſtem inſurrexiſſe; Ioſephum verò ignauè ad ſpeciem amouiſſe oculos veritum debilem fœminam reportaturam certamine triumphos. Audit Iob in ſe dæmonem ventis armatum, flammis ſuccinctum, doloribus ſtipatum, nec indecora fuga ſolicitat ſibi ſalutem; ſed ſurgens, & in arenam proſiliens audacem oſtendit inuicti animi alacritatem: *Tunc ſurrexit Iob*: quaſi inimicum prouocans, quaſi vires eius depretians. (Iob.1.v.20.) Tranſi modò ad Ioſephum: Domina blando adulabatur vultu, & duplici prouocabat affectu: *Dormi mecum*; at ille terga vertit, & ocyſſimus aufugit. *Fugit & egreſſus eſt foras.* (Gen.39.v.12) Profectò imbellis, & ignauus conuincitur, qui mulieris extimeſcit lumina, vt intrepidus, & magnanimus, qui contempſit dæmonis tela: ſi Iob occurrit dæmoni impauidè, cur mulieris venuſtatem effugiat Ioſephus timidè? Quia ad eneruandas honeſtatis vires validior eſt muliebrium oculorum pellacia, quàm dæmonis ſit aſtutia: ideò vterque ſe rectè geſſit, & Iobus inimicum adoriens, & Ioſephus mulieris aſpectum fugiens. Accipe Chryſoſtomum: (Chryſoſt.) *Iob diabolum quidem videns accedentem non fugit; ſed manſit ſicut leo viribus fidens; virgine autem viſa non ſtetit, neque moratus eſt in contuenda pulchritudine; ſed ſtatim ſeceſſit.* Seceſſit Ioſephus, ne decoris incantamentis eius faſcinata virtus periret: ſurrexit Iobus, quò eius robur hoſtem virulentiſſimum detriumpharet: ergo hæc ſecutus exempla, plus time pulchellæ aſpectum, quàm dæmonis viſum.

---

§. LXVII.

Vehemens deſiderium moras non ſuſtinet; ſed in opus prodire geſtit.

299. Seneca. *Noſter animus in motu eſt.* QVemadmodum flamma, ſcribit Seneca epiſtol.39. *ſurgit in rectum, iacere ac deprimi non poteſt, non magis quàm quieſcere; ita noſter animus in motu eſt, eò mobilior & actuoſior, quo vehementior fuerit.* Itaque pro affectionis vehementia motus eſt aut remiſſior, aut celerior: exigua flamma mole ſæpè refrænatur, ſi non extinguitur; at grandis ardor vel grauiſſimos montes elocat, & dum non ſuſtinet otium horrendo cum fragore montium ſolicitare ſolet excidium: quiſquis cum mora conuenit, nondum deſiderio inuenitur aduſtus, aut tota vi ardoris correptus. (Tertull.) *Calor eſt*, aiebat Tertullianus, lib. de pallio, cap.4. *omnis affectus; verùm cùm in affectationem flabellatur, iam de incendio gloriæ ardor eſt.* Quouſque affectus totum ad ſe animum traxit, & motas ſuſtinuit; at dum flabellatur in incendium, in futurum diem protelare nequit ſtudium: omnis celeritas torpens lentitudo cenſetur: quia pernicitas vltra poſſibilitatem armatur: neſcit tarda molimina vehemens & benè accenſa deſiderij impotentis flamma. Ecce Siſara ſe prælio ſubducens indecora fuga vitam nititur conſeruare, & ad Haber fœdere tunc Iabino coniuncti tabernaculum anxio feſtinat anhelitu, & meticuloſo volatu. Iaël fugienti occurrit, pia fraude ſolatur trepidum, & lacteo potu compellit ad ſomnum: cúmque iam & grandis itineris defatigatio, & lactis blanda

illecę

Digitized by Google

illecebra feſſos artus ſomno altiſſimo tradidiſſent, viri fortitudine hoſtem interimere aggreditur, & rem ſibi populoque ſalutarem molitur: *Tulit Iaël vxor Haber clauum tabernaculi aſſumens pariter & malleum, & ingreſſa abſcondite, & cum ſilentio poſuit ſupra tempus capitis eius clauum, percuſſumque malleo defixit in cerebrum vſque ad terram.* Rogat Abulenſis quæſtione 21. cur Iaël per ſeipſam occiderit Siſaram, quando videbatur ſatius, & honeſtæ matronæ decentius aliis occidendum tradere, & impollutas manus cuſtodire: reſpondetque Iaëlem vehementiſſimo inflammatam fuiſſe deſiderio occidendi Siſaram pernicioſiſſimum populo hoſtem, & virtuti omni aduerſantem: ergo ingenti virtutis deſiderio inflammata facinus vltra fœmineas vires aggreditur, & maturare tempus molitur. *Reſpondendum eſt*, verba
Abulenſ. ſunt Abulenſis, *quòd Siſara erat magnus hoſtis Iſraël, & ſi euaſiſſet inde, poterat facere multa mala Iſraëlitis, quæ abominabatur Iaël: ideò deſiderauit ipſa nimis quòd moreretur, & quia timebat quòd fortè nullus veniret ita citò ad inquirendum ipſum, & ipſe expergefactus de ſomno fortè recedere inde vellet, deluderetur intentio Iaël: ideò feſtinauit occidere eum per ſeipſam.* Itaque feſtinauit occidere: quia ex vehementiſſimo deſiderio vel exiguam moram non poterat ſuſtinere: Baraci milites vt glorioſiùs cumulauerint triumphum, fugientem comprehendere feſtinabat inimicum, at Iaël ipſum gloriæ illius militarem ardorem arbitrata eſt lentitudinem, & vehementis deſiderij ardore compulſa rem eſt vltra fœmineas vires aggreſſa: *Feſtinauit occidere eum per ſe ipſam: deſiderauit ipſa nimis quòd moreretur.* Affectus paſſus non eſt ab opere diuelli, vt conſtaret ardoribus glorioſiſſimis inflammari.

300. Petrus cum Apoſtolis in ſcapha erat; ſed vbi à magiſtro ſeparati, acribus ventorum fla-
Matth 14 v.24. tibus ſunt impetiti: *nauicula in medio mari iactabatur fluctibus.* Magiſter tumidos maris vortices leuiſſima planta ſecat, quo laborantibus opem præſentiſſimam afferat: voce ſedat afflictos, vt antè peruenerit ſonus, quàm celer per vortices marinos inceſſus. Petrus licere precatur vndis ſe committere, & ſicco veſtigio cærulea dorſa calcare: Domine, ſi tu es, iube me ad te venire ſuper aquas. Profectò non ſolùm videtur contrariis ſcapham concuti turbinibus; ſed & Petri mentem anxiis naufragari timoribus. Quid neceſſum eſt vndis ſe committere, quando magiſtrum intuetur ocyſſimis greſſibus inuolare? Tantiſper expectet: nec enim magiſter propinquare tardabit. O vehemens ſtudium, ô flagrantiſſimum deſiderium! Deſiderat Petrus magiſtro adhærere: videt non differendum ſtudium; ſed citiſſimè (inuolabat namque magiſter) perficiendum fore deſiderium; at ſic dulci affectionis tyrannide vrgetur, vt modis omnibus depellere tarditatem moliatur: ſi ſupra vndas gradienti ipſe ſuper vndas etiam gradiens occurrat; citiùs celeriuſque perficietur deſiderium: ſi ſolus Dominus inuolauerit, tantiſper differetur ſtudium: ergo Petrus viator audet in vndis, quia diſcupit ſolui deſi-
Chryſoſt. deriorum tormentis: *Concupiſcit*, inquit Chryſoſtomus in catena, *velociter ad eum ire: hoc enim tam magnum quæſiuit propter amorem.* Adurgebatur Petrus vehementiſſimo deſiderio, & ne aliquam amori inferret iniuriam, Dominicam celeritatem putauit (ſi fas eſt dicere) tardam: faciliùs illi viſum eſt quàm aduentum inuolantis præſtolari, ſuper marinos vortices ferri. Vento acriùs adſpiranti agitatis non timet luctari animoſus vndis, & neſcit viriliter imbecillus honeſtis adeò intuliſſe vim deſideriis. Si Petrus patienter expectaſſet, laudabilem deſiderij ſui vehementiam non prodidiſſet; at dum exiguas etiam moras non ſuſtinet, flagrans deſiderium oſtendit.

Dominus cum diſcipulis differens aiebat. 301.
Baptiſmo habeo baptizari, & quomodò coarctor Luc.12.v.50.
vſque dum perficiatur: poſteà cùm iam peruerſus ille ac perfidus diſcipulus magiſtri deditionem moliretur, ad illum verba dirigens aiebat: *Quod facis, fac citiùs.* Quærunt Patres, cur Ioann.13. v.27. Dominus execrandam adeò traditionem ſuaſerit, & Iudam, ſi fas eſt dicere, in opus vrſerit. Auguſtinus vt erat acutiſſimo ingenio, Origeneſque in catena D Thomæ teſtantur Chriſti verba proditoris malignitatem non maturaſſe; ſed humanæ ſalutis deſiderium oſtendiſſe: oſtentarat ſæpè celebrandi Paſcha deſiderium, & ſubeundi mortem ſtudium, ſicque eo deſiderio arctabatur, vt auaritiæ celeritatem, velocitatem dæmonis, lentitudinem fuerit conqueſtus non Iudæ perditionem intendens; ſed flammas ſui deſiderij vrgentiſſimas prodens: *Cui id ambiguum eſt*, ſcribit Origenes, *quia potuit vel Iu-* Origen.
dæ, vel Sathanæ Dominus dixiſſe: Quod facis, fac citiùs, prouocans aduerſarium ad pugnam, vel proditorem ad ſubminiſtrandum diſpenſationi; quæ erat futura ſalubris ſæculo, quam non amplius tardari, nec protrahi, ſed pro poſſe maturari volebat. Adſtipulatur Auguſtinus: *Non* Auguſt.
præcepit facinus; ſed prædixit: non tam in perniciem perfidi ſæuiendo, quàm ad ſalutem fidelium feſtinando. Iudas moliebatur proditionem, compingebat Sathanas crucem, Chriſtus Dominus inhiabat ad mortem: vtque doceret homines, quàm neſciat moras deſiderium benè inflammatum, Sathanæ Iudæque inſultat ſic dicendo actuoſitati: quia vehementer deſideranti videbatur lentitudo actuoſitas, & ignauia reputabatur celeritas: *Pro poſſe maturari volebat.* Hinc deſideriorum tuorum qualitatem dignoſces: adulterina ſunt, ſi patiantur moras; nobilia ſi reſpuerint tarditatem. Adde nullum adeò quantumuis ſæuum, humana præcordia diſcruciare tormentum, vt vehemens adurgere ſolet ſtudium: cùmque qui tormentum patitur, non ſuſtineat, ſi ſtatim poſſit ſopire, in ſequentem horam dolorem trahi; ita qui deſiderio adurgetur, explere omni feſtinatione molitur.

Prodigus ille filius, qui pietatis refuga, quò 302.
peccaret liberiùs, viuere voluit remotiùs, ipſa inſania libidinis caſtigatus peribat indignæ porcorum ſeruituti addictus, & fame vrgentiſſima tabidus: ſic non ſemel peccatori contingit: caret oblectamento, & diſcruciatur ſupplicio:
fame eruditus inuolare geſtit ad patrem: *Sur-* Luc.15.v.18.
gam & ibo ad patrem meum. Veniebat fame ſtimulatus, cùm à longè pater proſpiciens, amoris cæcitate non vidit delictum, cùm perſpicacia amoris agnouerit genitum: *Vidit illum pater ipſius, & miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum eius.* Itaque filius fame ſtimulante venit: *Venit*, inquit, *ad patrem ſuum:*

pater

pater cucurrit: *Et accurrens cecidit ſuper collum eius.* Aptior ſanè contrarius videbatur ſtylus, ſcilicet ſi filius curreret, pater veniret: hic enim, etſi pater, filij erat ingratitudine exaſperatus, ille famæ viſcera atrodente compulſus; & tamen iſte venit, ille cucurrit. Et quæ huius diſcriminis cauſa eſt? Vrgeri, inquit Chryſologus, ſerm. 3. grauiùs amoris igniculo patrem, quàm famis tormento filius: filius patitur, nec tamen currit: pater filium amplecti deſiderat: ideò greſſum ocyſſimè accelerat, & quantocyùs recipere venientem maturat: ſi, vt decebat ſenem, grauiſſimis paſſibus ambularet, plus temporis in itinere poneret; ſi pernicibus deſiderij alis inuolet, tempus redimit: ergo qui deſiderat, vel tantillum temporis non ſuſtinet teri, cùm famem patiens non ſic geſtiuerit propinquare:
Chryſol. *Mouetur miſericordia, qui loco non poteſt dimoueri: accurrit non progreſſu corporis; ſed pietatis affectu*: pientiſſimus pater filij reditum deſiderabat: ergo pietatis affectus progreſſiuum corporis ignorat motum: quia ab alitibus ocyſſimum mutuatur volatum: *Accurrit non progreſſu corporis; ſed pietatis affectu.*

303. Eſaü deſiderij vehementiam ſuo damno ſæculis futuris expreſſit: Reuertebatur ex agro, cùm Iacob rude edulium ſibi condidiſſet, adeóque eius deſiderio inflammatus eſt, vt timuerit mortem, ſi tantiſper diſtulerit famem. *En*
Gen. 25. v. 32. *morior*, inquit, *quid mihi proderunt primogenita?* Profectò in adeò opulenta domo nequibat perire famis inedia; & tamen teſtatur ſe mortis premi vehementiſſima inſtantia. Certè ſimile poterat edulium ſibi parare: verùm licèt exiguum præparationi neceſſarium fuerit tempus; putabat tamen deſiderio ſtimulatus æternum ſæculum, & interminatum ſpatium: moras non ſuſtinuit: quia ardentiſſimo conatu edulium
Abulenſ. deſiderauit. *Magno*, ſcribit Abulenſis, hic, *deſiderij æſtu lenticulam concupiuit* Vis noſſe quanto Eſaü ardore concupiuit lenticulam? attende nec exiguam tuliſſe moram: dum flabellatur affectus, tranſit in ardorem, & iam ardor moræ impatiens prorumpit, & lentitudinis vmbram neſcit.

§. LXVIII.

Non carent maritatæ glorioſo triumpho, ſi vt fas eſt, inſeruierint matrimonio.

304. Tertull. *Continentia eſt fidei teſtimonium.* NObis *continentia ad inſtrumentum æternitatis*, ſcribebat Tertullianus lib. 1. ad vxor. cap. 7. *demonſtrata eſt à Domino ſalutis Deo ad teſtimonium fidei, ad commendationem carnis iſtius exhibendæ ſuperuenturo indumento incorruptibilitatis ad ſuſtinendam nouiſſimè voluntatem Dei.* Virginitas rutilans ſemper lilium, cuius gratiſſimo ſibi odore ſponſus mirè recreatur, & inter cuius ſplendentes indefeſsè candores non ſine voluptate paſcitur; vt eſt virtus eximia, ita & raritate decora: non omnes grande hoc facinus aggredi audent, quia fragilitatis illicia timent. Profectò virginitas cum Angelis eſt cognatio: *Caro reformata, & Angelificata*, aiebat de virgine Tertullianus, lib. de reſurrect. carnis, cap. 26. Huic aliquo modo accedit caſtitas coniugalis, quæ dum illecebrarum fallacias fugit, honeſtiſſimæ continentiæ decus ſtatuit. Etiam continentia æternitatis inſtrumentum eſt, & qui matrimonij leges decenter adimplet, iam cum incorruptibilitate commercium habet. Occurrit profectò chorus virginum niueo candore refulgens, cohors purpurata martyrum proprio murice reſplendens, viduarum gemitus iam in æterna gaudia mutatus; verùm inter tot tantaque cæleſtis patriæ decora etiam vxoratæ maritatæque non exigua addiderunt ornamenta: non caret matrimonium glorioſis triumphis, ſi purè ſanctéque euangelicis obſequatur mandatis. Ecce Iaël Haber vxor lauro redimitur æterno, cùm iugata referatur marito. Pugnabat Siſara cum Baraco, verum quem oppugnabat acriter cælum, non poterat humanum tueri ſubſidium: perterritus, pauidusque pugnæ ſe ſubduxit, & aliquod calamitatis ſolatium in coniugum tabernaculo ſibi futurum credidit: *Fugiens peruenit ad tentorium Iael vxoris Haber Cinæi* De communi ſæculi vſu Siſara Diaboli ænigma ad coniugatorum domum accurrit. Et quidem non ſemel matrimonium in iurgiorum ac diſſidiorum tranſit ſtadium; verùm vt compertum omnibus ſit hunc ſtatum vtpote à Deo inſtitutum poſſe, vt alij Eccleſiæ ſtatus, copioſo reſplendere trophæo, Iaël hoſtem tabernaculi transfodit clauo: *Tulit itaque Iael vxor Haber clauum tabernaculi aſſumens pariter & malleum, & ingreſſa abſcondite, & cum ſilentio poſuit ſupra tempus capitis eius clauum, percuſſumque malleo defixit in cerebrum vſque ad terram.* Non orioſè nobis textus vxorem retulit, dum triumphum explicuit, vt conſtaret coniugatorum ſtatum non priuatum triumphis; ſed exundare trophæis. *Barac*, ſcribit Ambroſius lib. de viduis, *produxit exercitum, Iaël cepit triumphum: huic enim prophetia Debora militauit:* militauit prophetia maritatæ, ne ſpem triumphorum coniuges abiiciant; imò laudabili alacritate poſſe hoſtem debellare præſumant. Ambroſ.

Solicito Abrahamo de poſteritatis euentu Deus variis ænigmatibus varios euentus prædicit: *Sume*, inquit, *mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam.* Multi ſunt Patres in his ænigmatibus explicandis: Theodoretus ait in quadrupedibus mundis tres fuiſſe generationes deſignatas, quæ infami iugo luxere preſſæ, & truci tyrannidis ferro proſciſſæ, at turturem innuere triumphum illum nunquam obliuioni dandum, cùm populus ſcilicet iugum abiecit, & marinis Ægyptios vndis inuoluit. Accipe Theodoretum, quæſtione 65. in Geneſ. *Propterea ex quadrupedibus mundis tria, & vnumquodque eorum ſacrificari præcepit ad ſignificandas tres generationes, quæ in incolatu permanſuræ erant: turtur autem generationem illam denotabat, quæ ex Ægypto egreſſa velut auolauit, & habitauit in deſerto.* Itaque turtur iam promittebat triumphos, & deuictos vorticibus aduerſarios. Quod ſi quæras cur turtur præ aliis auibus fuerit electus, reſpondebit Abulenſis: *turtur ſignat caſtitatem:* & quidem coniugalem: turtur coniugi viuenti inuenitur fideliſſimus, & poſt eius mortem omnino caſtus: itaque in turturibus deſignantur pudica, caſtaque coniugia. *Sola contenta eſt* 305. Gen. 15. v. 9. Theodor.

compare,

Digitized by Google

compare, ſcribit noſter Delrius ad 1. Cant. in tropolog. *cui ſe vni viro Virginem caſtam conatur exhibere.* Itaque turtur caſtorum coniugum exemplum eſt; ergo ad deſignandum triumphum aſſumitur, vt ſtatum hunc radiare poſſe triumphis noſcatur.

306. Forſan hoc ipſum innuere voluit ſcriptura, dum populi ex Ægyptia ſeruiture triumphalem exitum retulit: Deus miris oſtentiſque duriſſimum Pharaonis ingenium emollire aggreſſus eſt, vtque optimi gubernatoris munus exequeretur, noluit cruentis priùs teferire verberibus; ſed blandis allexiſſe ſermonibus, teſtatum omnibus eſſe voluit non promanaſſe ſupplicia à punientis ingenio; ſed à puniti peccato: itaque cum nec verba prodeſſent, nec mira, ventum eſt ad flagra. Ægyptus egregiè vapulabat, inſenſilis natura gemebat; ſed Pharaonis reluctabatur in ſe durities: tandem egreditur populus, & marini vortices in modum moremque muri durantur, & virtutibus honeſtè duti obſequuntur. Pharao ſpoliorum auidiſſimus, & auiditate obcæcatus ſe medias in vndas coniicit, & Hebræorum catervas vrget. Quid tunc? Angelus nube amictus ſeſe Pharaoni opponit, & ferocientem coërcet:

Exod. 14. v. 19. *Tollens ſe Angelus Dei, qui præcedebat caſtra Iſraël, abyt poſt eos, & cum eo pariter columna nubis* Fugere iam tentat Pharao; ſed Moyſi iubet Deus paſtoritia illa virga, qua ſoceri oues agebat, mare referire, & hoſtes æterno naufragio tradere: *Ait Dominus ad Moyſem: Extende manum tuam ſuper mare, & reuertantur aquæ ad Ægyptios.* Ecce huius victoriæ gloriam Angelus, & Moyſes partiuntur: nec enim anteà huius vindictæ curſus potuit abrumpi, quàm percuſſum virga mare aliis fuerit iter aliis ſepulchrum. Profecto Moyſis dextera neceſſaria non videbatur, dum Angelus vibrat fulmina, & Egyptia deterret caſtra: aut ſuperfluus erat Angelus, ſi Moyſis virga quiuerat mare percutere, & aduerſarios delere: cur ergo & Moyſi dextera, & Angelica manus ſingularem in tyrannum conſæderantur? Alij alia eruent à textu myſteria. Ego crediderim Deum voluiſſe oſtendere Virginitatem, & coniugalem caſtitatem ornari poſſe triumphis, & redimiri trophæis: vicit puritas Angelica carnales Ægyptios, & ne coniugalis caſtitas putaretur abiecta, Moyſes agolo percutit flumina. Madianiticam vxorem duxit, & ſoceri oues deſertis egit, & ipſa virga, qua oues egit vxoratus, ad victoriam duratos reſoluit fluctus: triumphauit Angelica puritas, & coniugalis triumphauit caſtitas, vt noueris poſſe vt Angeli, coniuges eiſdem ornare triumphis.

Seleuc. *Nec iſtius vindictæ*, ſcribit Baſilius Seleucienſis, orat. 9. *curſus antè potuit abrumpi, quàm virga percuſſum mare his iter, illis ſepulchrum fuerit.* Veluti in dotem acceperat Moyſes virgam illam, qua oues ſoceri ageret: hac ergo bello finis imponitur, & curſus perſecutionis abrumpitur. Angelus Ægyptios fugat, Moyſes præfocat, vt videas huius triumphi laudem referendam eſſe, & ad Angelos puritatis exemplum, & ad Moyſem, qui honeſtum coluit coniugium.

307. Dauid Saulis animum impurato ſpiritu perturbatum cantu deliniebat, & citharæ harmonia ſedabat; verùm medicinæ pretium intentata ſemel & iterum mors fuit. Certè Saul iaculo confodiſſet, niſi ſeruum ſuum gratia diuina ſeruaſſet; verùm cum fruſtratus eſſet teli expectatione, aliò vertit animum, & filiam dare vult, non quo exoſum cohoneſtauerit; ſed quo inimicis fraudulenter tradiderit: *Dixit Saul: dabo eam* 1.Reg. 18. v.21.
illi, vt fiat ei in ſcandalum, & ſit ſuper eum manus Philiſthinorum. Itaque quem innuptum dæmon vincere non potuit telo, vincendum ſperauit matrimonio; at Deus improbas nebulonis fraudes in huius ſtatus laudem conuertit: mulier namque Dauidi fuit auxilio, ne periret tyranni ferro: *Miſit Saul ſatellites ſuos in domum Da-* 1.Reg. 19. v.11.
uid, vt cuſtodirent eum, & interficeretur mane. Quod cùm annuntiaſſet Dauid Michol vxor ſua dicens: Niſi ſaluaueris te nocte hac, cras morieris, depoſuit eum per feneſtram: porrò ille abyt, & aufugit, atque ſaluatus eſt. Vxorem dederat vti ſalutis inſidiatricem; ſed vxor fuit certum ſalutis auxilium, & eluſit patris ingenium: plus diſtitit Dauid à telo vxoratus, quàm diſtiterat adoleſcens, & vxore deſtitutus. Vicit Dauid technas mulieris auxilio, & triumphauit honeſto coniugij toro: *Ignorabat interim Saul*, ſcribit Baſilius Seleucienſis, orat. 16. *auxiliatricem, non inſidiatricem dediſſe ſe: vitæ cuſtodem, non mortis adiutricem; illa verò improbato parentis furore virum à iugulatione ereptum fuga dimittit.* Seleuc.
Forſan ni contraxiſſet matrimonium, non vitaſſet Dauid periculum; at ipſe caſtus ac maritalis torus diſcrimen fruſtrauit, & furentem Saulem roſit.

308. Non ſine myſterio cùm Gedeon ad inimicorum caſtra deſcendiſſet, arcanum audiuit ſomnium futuræ felicitatis indicium: ita commilito commilitoni narrabat: *Videbatur mihi quaſi* Iudic. 7. v.13.
ſubcinericius panis ex hordeo volui, & in caſtra Madian deſcendere: cùmque perueniſſet ad tabernaculum, percuſſit illud, atque ſubuertit: vt ſomnium non carebat myſterio, ita panis materia non caruit arcano: non erat panis ex ſiligineo tritico; ſed ex hordeo. Quòd ſi quæras cur ex hordeo fuerit electus hic panis, reſpondebit, etſi aliorſum Hieronymus, in hordeo deſignari pudicum nuptiarum commercium, in tritico excellentius puritatis inſtitutum: *Bonum eſt* inquit lib. 1. aduerſus Iouinian. *triticeo pane veſci, & edere puriſſimam ſimilam; tamen nequis compulſus fame comedat ſtercus bubulcum, concedo ei vt veſcatur & hordeo.* Clariùs Ambroſium pro ſe afferens ſic ait: *Coniugium hordeo, Virginitatem corpori Chriſti comparat.* Ita reperio citatum à noſtro Freite ad verſ.8. cap.5. Iudicum. Itaque hordeum ſignificat matrimonium, vt panis ſiligineus cum Angelica puritate commercium. Ergo ne quis exiſtimet coniuges à glorioſis triumphis fuiſſe ſecluſos, hordeaceo pane Gedeon immenſos ſubiugat inimicos. Itaque coniuges, dum ſanctè puréque matrimonij legibus obtemperant, & glorioſos de inimico triumphos reportant, Ia l reſplendet triumpho: quia honeſtiſſima reſplendebat matrimonio.

Digitized by Google

§. LXIX.

Facillimo negotio Virginis ope adipiſcitur, quod aliàs nec magnis laboribus obtinetur.

309. Anſelm. VElocior eſt nonnunquam ſalus, aiebat Anſelmus in tractatu de excellentia Virginis, cap. 6. *memorato nomine Mariæ, quàm inuocato nomine Ieſu.* Profectò à Filio deriuatur, quidquid in Maria percellit admirationem conſpicuum, & animos deuincit glorioſum; ea tamen pietate in matrem filius effloruit, vt egregiis dotibus exornarit, & ſi dicere fas eſt, ſibi quodammodò propoſuerit. Ecce Ieſu nomen ſalutis ſcaturigo, vitæ theſaurus, calamitatum exilium, & felicitatis eſt promptuarium: verùm quod inuocato Ieſu nomine tardiùs aliquando obtinetur, memorato Mariæ nomine vel ante inuocationis laborem facili negotio impetratur. Neſcio quæ huic nomini ineſt in dæmones energia, & ad ſtabiliendam ſalutem hominum efficacia: citiſſimè eius auxilio videas obtineri, quod aliàs tardiùs contigit impetrari. Profectò Maria eſt alata fortuna, promicans felicitatis fœcundiſſima vena, violentiſſimus in calamitates turbo, & ad felicitates aduehendas celerior Euro. Ecce Barac in hoſtem cogit copias, aſcendit in montem, animoſè proſilit in arenam, confert ſigna, & tamen poſt longum certaminis tempus nondum plena potitur victoria: quia etſi indecora ſe certamini Siſara ſubtraxit fuga: *Siſara fugiens peruenit ad tentorium Iaël vxoris Haber Cinæi.* Vides poſt laborioſas anxiaſque certaminis horas nondum Baracum ornari triumpho, nec diteſcere pleno trophæo: vide modò quàm cito in mulieris manu victoria effloruerit, & felicitas promanarit: *Tulit Iaël vxor Haber clauum tabernaculi, aſſumens pariter & malleum, & ingreſſa abſcondite, & cum ſilentio poſuit ſupra tempus capitis eius clauum, percuſſumque malleo defixit in cerebrum vſque ad terram, qui ſoporem morti conſocians defecit & mortuus eſt.* In Iaële Glossa. Mariam Virginem deſignari tradit Gloſſa moralis: *Per ipſam figurata fuit Virgo Maria, de qua ſcribitur Geneſ. 3. capite: Ipſa conteret caput tuum.* En per Iaëlem citiſſimè periit, qui poſt longum certamen fugit: non adeò citò felix obtineretur victoria, ni Iaël Mariæ Dominæ noſtræ præceſſiſſet figura: quod coactis militibus, quod certaminis laboribus nondum adeptum fuerat trophæum, iam per Mariam citiſſimè partum eſt: vt ſi volueris ſaluti, felicitatique tuæ celeriter conſulere, ad Mariam noueris inuolare: eſt namque Maria felicitatis celeritas, ſalutis felicitas, ſecunda in portum deducens aura, & vitam ante parturitionis tempus fortunato abortu parturiens.

310. Componamus duo ſcripturæ loca. Paterfamilias, qui hæreditatem ſuam ficu ditauerat, opportuno tempore fructus quæſiturus aduenit; verùm infœcunda planta ſpem poſſeſſoris foliorum redundantia fefellerat, & agricolæ ſudores viridi vanitate fruſtrauerat: vineæ Dominus plantæ imperauit excidium, ne fœcundis Lucæ 13 v. 7. viribus noceret exemplum: *Ecce anni tres ſunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio: ſuccide ergo illam: vt quid etiam terram occupat?* Vineæ cultor, ne impenſum plantæ prolixum laborem perderet, labori ſuo adulatus, patienter expectari rogauit: *Domine, dimitte illam & hoc anno vſque dum fodiam circa illam, & mittam ſtercora.* Terra vertitur, ficus infoditur, agricola laboribus teritur, & adhuc pendet ſpes. Tranſi modò ad Cant. 2. vbi dilectus dilectam inuitat, vt iam in campum mirè amœnatum, & nouiſſimis pullulantium florum ſplendoribus rutilum prodeat, quo voluptatem ſine nimborum anxietatibus hauriat: *Surge, propera, amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni: iam enim hyems tranſiit, imber abiit, & receſſit, flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis aduenit, vox turturis audita eſt in terra noſtra, ficus protulit groſſos ſuos.* Cant. 2. v. 11. Expendamus, ſi placet, cur hæc ficus Domini votis reſponderit, cum illa diu expectata fruſtrauerit: hæc profert groſſos, & vlteriores promittit fructus: & quæ putari poterant dona, futuri prouentus ſunt pignora, & hoc totum ſine ligonis labore, ſine euerſione telluris, ſine agricolæ anxietate. Profectò terra hæc mira fœcunditate vernabat; ſed & illa vitibus atteſtantibus grata fertilitate florebat: cur ergo altera ficus dum auara ſterilitate negat fructum, ſibi conciliat periculum, cùm altera ſaporata fœcunditate ſibi lucretur elogium? Explicuit textus: *Vox*, inquit, *turturis audita eſt:* vbi puriſſimæ turturis vox audita, ſterilitas prorſus inuenitur abacta; at vbi huius ſacræ columbæ cantus non auditur, manus fructibus non impletur. O quantis ſudoribus defatigabatur agricola: *Dum fodiam*, inquit, *circa illam, & mittam ſtercora*; nec tamen reſpondit planta: cùm hic huius melodiæ ſacratiſſimo incantamento ſterilitas commutetur fœcunditate, & flammæ aduſtio gratiſſima oculis pulchritudine. Adeſt noſter Delrius hic in myſtica interpretatione de Deipara: *Nec enim putandum comitatem aut* Delrius. *verborum dulcedinem, atque vtilitatem eius ſermoni defuiſſe: ſic & groſſos protulit ficulnea lectiſſima, in qua ſimul tamen fructum ſemper agricola inuenit, & ideò illi benedixit, quæ dulcedinem ſuam nunquam deſeruit.* Ea ineſt huic columbæ dulcis cantilenæ efficacia, vt nec ficus, quæ tot olim agricolæ labores fruſtrauit, quæque pertinax maledictionem incurrit, potuerit non florere, & ſaporatos fructus protrudere. Vide quàm facilè columbæ vocibus auri dulcibus, animo lenibus obtineatur, quod abſque hac melodia poſt tot labores & anxietates nullatenus obtinetur.

Variis Christus Dominus exemplis nos erudit ad doctrinam, vtiliſſimamque ducit ad ſcientiam: cælorum regnum grano ſinapis & fermento comparat; ſed ipſa comparationis varietas pandit myſteria, & enodat nobis arcana: *Cui ſimile eſt regnum Dei, & cui ſimile æſtimabo illud? Simile eſt grano ſinapis, quod acceptum homo miſit in hortum ſuum, & creuit, & factum eſt in arborem magnam.* Poſt ſinapis granum iterat fermenti exemplum: *Simile eſt fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſata tria, donec fermentaretur totum.* Res de vſu geritur, mulier domi fermentum procurat, vir in agro ad ſinapim diſſeminandum laborat; verùm non abſque myſterio Dei regnum, dum per viri currit manus, comparatur arbori, & fermento, dum per fœminæ: & quod latens in hac 311. Lucæ 13. v. 18.

Tertull. hac comparatione myſterium? Explicuit Tertullianus, lib. de veland. virgin. cap. 1. *Adſpice creaturam paulatim ad fructum promoueri: granum eſt primo, & de grano frutex oritur, & de frutice arbuſcula enititur: deinde rami, & frondes inualeſcunt, & totum arboris nomen expanditur; inde germinis tumor, & flos de germine ſoluitur, & de flore fructus aperitur: is quoque rudis aliquandiu & informis paulatim ætatem ſuam dirigens eruditur in manſuetudinem ſaporis.* Arbor de grano pullulat, & ætatem ſuam paulatim dirigens cælorum influxibus alitur, ventorum flatibus, & telluris ſucco promouetur; at fermentum exiguis ſpatiis totam in ſe maſſam transformat, & vtili inflatione multiplicat. Ergo vt noueris quàm citiùs per Mariæ manus excurrat prouentus, quàm per ipſum Dominum fructus; mulier fermento panes ſaporat, & vir poſt agri labores granum paulatim multiplicat:

Chryſol. *Maria*, ſcribit Chryſologus, ſermon. 99. *huius fermenti implet typum, ſimilitudinem præfert, conſignat figuram, dum de ſupernis ſuſcipit fermentum verbi, & humanam carnem in aluo Virginis; imò in alueo Virginis cæleſtem totam conſperſit in maſſam.* Chriſtus Dominus vt quos per Mariam fructus percipiamus, explicaret, fermentanti fœminæ comparauit: per ſe obuenientes fructus ſeminati ab agricola grani ſimilitudine expreſſit: vt noueris alios celeriter promanare, & moroſiùs alios prouenire. Profectò Chriſtus Dominus fructum expetit; ſed prolixis ſpatiis, & operis laborioſiſſimis obtinet: terram infodit, granum tradit, cæleſtibus pluuiis nutrit, ſacri Pneumatis flatibus ſaluberrimis fouet; ſed prolixum tempus inſumitur, quouſque ſaporatus fructus protrudatur; at Virgo fortunatiſſima celeritate & felici acceleratione panem ſiligineum, & cæleſti ſapore fragantem conformat, & Numinis menſæ parat. Vt citiùs panis conformatur, & arbuſcula moroſiùs nutritur, ita Dei regnum in Mariæ manu citiſſimè floret, ſine Maria moroſiùs viget. Hæc profectò priuilegia à Filio Matri deriuantur, vtque nos ad Matris obſequia viuidiùs accenderit, arboris, & fermenti comparationibus tarditatem, & breuitatem explicuit: nec apud Lucam ſemel; ſed iterum ſimilitudines variat, quibus hanc veritatem ſuffulciat.

312. Ouis cæterarum conſortium auerſata, & fallaci camporum varietate pellecta fugit: paſtor eius amore inflammatus amiſſam requirit, & tempus fructuosè terit: *Vadit ad illam quæ perierat, donec inueniat eam.* Vadit, inquit; ſed quò, non explicat; at Seleucienſis Baſilius orat. 26. paſtoris requirentis labores, & temporis ſpatia nobis enodat: accipe eius verba: *Montes & ſyluas obire non recuſat, obit præcipitia, cumque deerrante venit in partem errationis.* Vides non exigua requiri ſpatia ad ſcrutandas ſyluas, ad montium examinandos anfractus, ad camporum excurſus. Tranſi modò ad rem eamdem drachma figuratam, & citiſſimè videbis repertam: *Quæ mulier habens drachmas decem, ſi perdiderit drachmam vnam, nonne accendit lucernam, & euerrit domum, & quærit diligenter, donec inueniat?* Citiùs domus euerritur, quàm mons altiſſimus adeatur: ergo vt noueris amiſſa per Mariam inueniri citiùs, & ſine eius ſolicitudine tardiùs, mulier domi inuenit, inuenit & paſtor; ſed

Lucæ 15. v. 5.

Seleuc.

poſt longa temporis ſpatia amiſſam ouem detritis humeris reportauit. *Accendit mulier lucernam*, ſcribit Gregorius apud D. Thomam: *quia Dei ſapientia apparuit in humanitate.* Mulier Dei ſapientiam humanitati coniunxit, dumque hanc lucernam accendit, inueniendi amiſſa votum citiſſimè, & feliciſſimè abſoluit. Ergo ſi corporis, animæve ſalutem breuiter impertare exoptas, Mariæ inuola ad patrocinium: neſcio enim qua pollet efficacia, & viget ad maturandum tempus fortuna. Citiùs obtinetur, quod Maria patrocinante exambitur. Ergo Barac quod per ſe ipſum tardiùs, per Iaëlem perfectum lætatur citiùs. D. Thom.

§. LXX.

Non ſemel gloriæ ambitio virtuti inſeruit, & ad magna facinora inducit.

Gloriæ adfectus, & æternandæ famæ appetitus, ni præſumptione euanida adulteretur, virtuti nullatenus aduerſatur: honeſta quoque ambitio diuina tangit, & magnos fama honeſtiſſimè impellit. *Si equorum curſus*, ſcribit Caſſiodorus 1. variar. 11. *hominum clamoribus incitatur, & ſonantium manibus agitur, vt à mutis animalibus velocitas appetatur, quantum inde homines ſtimulari poſſe credimus, quos ad laudis auiditatem natos ſingulariter inuenimus?* Non damnando gloriæ ambitu curſum generoſus accelerat equus, & pro calcaribus conclamantium celerem acriùs ſtimulat plauſus: velociùs currit, dum habere ſe laudatores agnoſcit: *Sonantium manibus agitur, vt à mutis animalibus velocitas appetatur.* Iam ſi equorum plauſus inſeruit velocitati, cur hominum non famuletur virtuti. Honeſta ſuperbia renuit ſceleris vilitatem, & ne degeneri facto ſugilletur inglorius, magna tenrat, qui honeſtè cupit eminere ſuperbus. Copiis non ſolùm profligatis; ſed penè attritis fugæ ſe commiſit Siſara; ſed dum mauult fugiendo viuere, quàm pugnando fortiter cadere, nec adeptus eſt fortitudinis gloriam, nec mortis vitauit pœnam; imò muliebri manu transfoſſus adauxit ſibi ignominiam: Iaël blandiſſimis verbis allicit, & allectum adacto per tempora clauo transfigit: *Poſuit ſupra tempus capitis eius clauum, percuſſumque malleo defixit in cerebrum vſque ad terram.* Quærunt Patres, quæ cauſa fœminam alioquin meticuloſam, & ex ſe pauidam ad tam grande facinus impulerit, & animauerit. Profectò Siſara trux homo, acie innutritus, & armorum ſatis expertus, qui vel dormiens incutere poſſet terrorem non ſolùm molli fœminæ; ſed ſtrenuo militi, & tamen Iaël fœmineum deponit animum, & audacter opus viro dignum aggreditur: Abulenſis quæſtione 21. gloriæ ait fuiſſe appetitu impulſam, & famæ ardore incitatam. *Quæret aliquis* (verba ſunt Abulenſis quæſtione 21. *quare Iaël occiderit per ſe ipſam Siſaram?* Allatis nonnullis rationibus addit: *Alia ratio fuit, quia fortè Iaël erat mulier auida laudis, & quia occidere iſtum Principem erat magna gloria,* 313. Caſſiod. Plauſus virtutis fomentum eſt. Homo laudis auidus. Abulenſ.

cum eſſet tam potens, potiùs ea voluit eum occidere, quàm tradere alteri occidendum. Humanum ſanguinem fundere, in potentiſſimum militiæ Principem arma prenſare muliebrem ſupergrediebatur ſtatum, ingenitum augebat metum; at Iaël honeſtæ gloriæ ambitioſa facinus nunquam delendum ſæculis eſt aggreſſa: ſe maiora fecit honeſto famæ appetitu incitata, & laudabilis deſiderio plauſus impulſa. Et cur aliquando hic generoſus gloriæ ardor vires non exacuat, ac robur ſupra naturam non indat, ſi videmus ſæpè euanidi honoris ſtudio plures ſe maiora tentare, & terminos, ſi dici poteſt temeritatis excedere: *Iaël erat mulier auida laudis*, & ne ſuæ laudi inuideret, virili dextera tyrannum occidit.

314. Cum diſcipulis Dominus de paſſione diſſerebat, cùm Ioannes Iacobuſque matrem comitantes accedunt, & primos regni thronos exambiunt:
Matth. 20. v. 21. *Dic vt ſedeant hi duo filij mei vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo.* Hanc Dominus occaſionem nactus ſuum illis propinat calicem: *Poteſtis biberis calicem, quem ego bibiturus ſum?* Illi ardenter ſitiunt, & intrepidè, exhauriunt. *Dicunt ei: Poſſumus.* Tranſi modo cogitatione ad hos ipſos diſcipulos, qui ſtatim ac cohors inimica Dominum eſt aggreſſa, indecoram arripuere fugam, &
Marci 14. v. 50. ignaniæ ſubierunt notam: *Tunc diſcipuli eius relinquentes eum omnes fugerunt.* Qui difficultates antè ſe voraturos promiſerant, modò timori cedebant. Quod ſi diſcriminis quæras cauſam, reſpondebit Chryſoſtomus apud D. Thomam Matth. 20. alibi honoris fuiſſe deſiderio incitatos, alibi ambitionis oblitos: dum Ioannes, Iacobuſque non diſcupiunt cæteris antecellere, & ignauo ſomno conſtat vacare; at dum excellentiæ pruritu, honoriſque inflammantur deſiderio, nihil recuſant timidi; ſed ipſam mortem aggrediuntur impauidi. Accipe
Chryſoſt. Chryſoſtomum: *Hoc ex deſiderio promittunt: neque enim hoc dixiſſent, niſi expectaſſent audiſſe, quod petebant.* Certè ni germani gloriæ, præſtantiæque deſiderio adurgerentur, nec Domini ſitirent calicem, nec propriam deſpicerent mortem; at dum honeſto ambitu cupiunt cæteris anteire, non refugiunt calicem amarum adeò ſiccare. Itaque dum honeſtæ ambitionis expertes, culpabiliter inueniuntur ſocordes: vt noueris honeſtum ambitum ad magna impellere, & gloriæ ſtudium virtutibus inſeruire: non pugnat cum humilitate glorioſis factis promouere famam; ſed euanidam ſibi furari gloriolam.

Pia fraude Iacobus fratri benedictionem præripuit: re comperta Eſaü vehementer angitur, & vltra modum affligitur. Quid tunc? Eius Iſaac dolore commotus prædicit ſoluendum,
Gen. 27. v. 39. excutiendumque de ceruicibus iugum: *Cùm eiulatu magno fleret, motus Iſaac dixit ad eum: In pinguedine terræ, & in rore cæli deſuper erit benedictio tua.* Addit: *Tempuſque veniet, cùm excutias, & ſoluas iugum eius de ceruicibus tuis.* Quæramus in quo Iſaac præuiderit, aut ex quo coniecerit ſeruituris excutiendum iugum, & obtinendum imperium. Sanè in ipſo maioritatis ambitu, in præſtantiæ ſtudio, in gloriæ deſiderio: vbi prudentiſſimus ſenex agnouit Eſaü moleſtè ferre in ſecundis numerari, præuidit & ſeruitutis iugum diſſolui: nec enim ſuſtineret recenſeri inter ſeruos, qui cupiebat præcedere primos: ſi tuliſſet ignauè fratrem ſibi præponi, nunquam aggrederetur ſeruitutis iugum diſrumpere; at ipſe gloriæ ambitus erat facinorum index, & audaciæ laudabilis teſtis: pati non poterat diu iugum ceruices terere, qui imperio deſiderabat micare. Itaque honeſtus benedictionis ambitus ſtatui refragabatur ſeruili, & ingenuæ militabat nobilitati. Adeſt Gregorius apud Lippoman. *Tempuſque veniet, cùm excutias, & ſoluas iugum eius de ceruicibus tuis: quia à ſeruitute peccati Iudaicus populus in fine liberabitur.* Adſtipulatur Rupertus: *Erit & ipſe ſicut ſerui Dei, ſeruus quidem iuſtitiæ; liber autem peccati.* Aptiùs Ambroſius apud Lippoman. *Seruit omnis qui auctoritatem puræ non habet conſcientiæ: ſeruit quicumque vel metu frangitur, vel delectatione irretitur, vel cupiditatibus ducitur, vel indignatione exaſperatur, vel mœrore deijcitur: ſeruilis eſt enim omnis paſſio: quoniam qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.* Videbat Iſaac Eſaü & ſeruituti collum ſubdidiſſe, & primatum deſideraſſe, & coniecit prudentiſſimè non poſſe ſeruitutis vilitatem non dedignari, quem conſtabat primatus gloriam ambire. O ſi honeſtè ambires inter primos recenſeri, ne ſuſtineas ſceleribus defœdari: damnabilis patientia eſt, deteſtanda humilitas vitij ſeruitutem amplecti, nec virtutis ingenuitatem ambire. Gegor. Rupert. Ambroſ.

Pſaltes placidæ quietis anhelo deſiderio inflammatus aiebat: *Volabo & requieſcam.* Anaſtaſius Sinaita, lib. 6. anagog. contemplat. deſideraſſe ait Seraphinis exæquari, & thronum illum excelſum & eleuatum ad honeſtum gloriæ faſtum poſſidere: *Volabo & requieſcam in illa requie cæleſtium volucrum ſex alas habentium.* Vidimus factum ambitionis ſtudium, agnouimus Anaſtaſio interprete ſtudij terminum; ſed indagare opus eſt cur elegerit columbinum volatum: *Quis*, inquit, *dabit mihi pennas ſicut columbæ?* Et cur alas columbæ, non aquilæ? Profectò aquila ocyori volatu liquidum tranat, & perſpicaciam oculorum librata pennis ſæpiſſimè fruſtrat. Ergo Dauid ne peccatorum ad inſtar ſibi ipſi refragetur, diſcupiat imitari aquilam, non columbam. O laudabilem ambitionem! Eius columbæ deſiderat alas, quæ Spiritui ſancto præbuit hoſpitium, & miniſtrauit ornatum: alas deſiderat columbæ, quia columba dedignatur, ſi limoſa, vel montium occupare cacumina: omnis puritatis amica arcam repetit, ne maculæ diſpendio verticibus etiam altiſſimis habitet. Ergo Dauid, vbi ſacra celſitudinis ambitione adurgetur, dum Seraphinos ſex alas habentes dignè æmulari conatur maculæ vtilitatem abhorret, & puritatem columbæ diſcupit: *Volucrem deſiderabat fieri* (verba ſunt Anaſtaſij) *qui dicebat: Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, quæ deſcendit in Iordanem, & volabo, & requieſcam in illa requie cæleſtium volucrum ſex alas habentium.* Solij ſupremum exambit: Seraphim namque ſtabant ſuper thronum excelſum & eleuatum. Ergo altitudinis honeſtæ auidus, eximiæ puritatis inuenitur ſtudioſus: vult Spiritui ſancto ſemper inhærere, eiuſque impulſu volare; columbæ illius, quæ ad Iordanem deſcendit, imitari diſcupit exactiſſimè ingenium, vt poſſit cum Seraphinis ſex alis inſtructis celſum poſſidere thronum: vtque videas legitimo virtutis ſtimulati deſiderio, non vanæ præſumptionis ſtudio, ſuetas virtutis vias frequen 316. Pſal. 54. v. 7. Sinaita.

frequentare conatur, nec peculiares ſibi ſemitas aperire molitur: quia nouit felici humilitatis deſcenſu alta peti, & ſecurè celſa occupari: volucrem vult fieri, ſcilicet columbam deſcendentem, vt Seraphini conſortem celſitudinis admiſerint inuolantem: in cæleſtium volucrum conſortio vult micare, & ob id aſſumptis columbæ alis deſiderabat deſcendere, vt liqueat omnibus hunc ambitum humilitatis eſſe germanum, non ſuperbiæ fœtum. Ergo imitare Dauidem, & columbinas aſſume alas quo Seraphinorum ſocius effulgeas, & altiſſimus throno reſplendeas.

§ LXXI.

Fœminæ dum domi abſconditæ fugiunt oculos, & glorioſos potiuntur triumphos.

317. Forti viro parit triumphos prudens audacia, verecundæ fœminæ pudicitia: triumphat mulier, dum hominum ignorat aſpectus, dum clauſa domi curioſos eludit oculos. Tertullian. Ingenioſè Tertullianus fœminas adhortatus aiebat lib. de veland. virgin. cap. 16. *Indue armaturam pudoris, circumduc vallum verecundiæ, murum ſexui tuo ſtrue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos.* Militaribus vocibus vſus eſt Septimius, armatura ſcilicet, vallo, & muro mulieres celari admonens: quaſi his armis mulier vinci neſciat, triumphare diſcat, nec oculos videlicet emittendo proprios, nec admittendo ad vanitatis pompam extraneos. Ambroſ. *Virginis dos verecundia.* Certè præcipua virginis dos eſt verecundia, nec ſolum dos; ſed ferè virginitatis ſubſtantia: *Virginitatis dos*, aiebat Ambroſius libro de inſtituend. virgin. cap. 1. *eſt verecundia.* O quam falluntur plures virgines, dum ad dotem plus inhiant auro, quam ſtuduerint habitationis ſepulchro, cùm præcipua fœminæ dos ſit prorſus neſciri, & ab omnibus ignorari. Laſciui hominis viſus virginei pudoris conſtupratio eſt: non manſit integra, quæ oculis placuit inſpecta: ſalacis lumina aut honorem faſcinant, aut pudorem infuſcant, aut animi virtutem debilitant: victa ſæpè manſit, quæ oculos curioſos admiſit: vt è contra triumphis redimitur opimis, quæ tenuit ſpectari, quæ geſtiuit abſcondit. Nil ſic virgines debuiſſent ambire, vt hominum aſpectum non pati. Præ vita ipſa hanc ignorationis excellentiam amarunt, & ſaluti plures fœminæ prapoſuerunt. Apud Mileſios neſcio quid adeò ad inſaniam adegit puellas, vt ardenti mortis deſiderio cæco impetu ad ſuſpendium currerent, & mortem ſibi conciſcerent: cumque nec prodeſſent parentum lachrymæ, familiarium conſilia, neceſſariorum adhortamenta, ſapiens conſulitur, qui legem de interfectis nudandis, & publico loco omnium oculis exponendis edidit, quæ lex adeò vel inſanas fœminas deterruit, vt ne hoc dedecus pudicitiæ incurrerint inſanum furoris impetum refrænauerint. Plutarch. Ita Plutarchus libro de virtutibus mulier. verbo *Mileſia. Omnes ſubitum mortis deſiderium, & impetus ad ſuſpendium veſanus inceſſit: multæ clam laqueo vitam finierunt, nec quicquam eas parentum monita mouebant; vel lachrymæ, nec preces neceſſariorum, neque cura vlla aut cautione ita illæ obſeruari valebant, quin conſciſcerent ſibi mortem: videbaturque malum ad deos referendum auctores, nec ei occurri ope vlla humana poſſe.* Addit diſertus Græcus: *Quouſque ex viri prudentis ſententia decretum fuit, vt ſi quæ ſe ipſa ſtrangulaſſent, medio foro nudæ efferrentur: id promulgatum non deterruit tantum; ſed etiam plenè ardorem omnem ademit virginibus manus ſibi adferendi.* O quam egregia indole prædita erant, quæ vel inſanientes pudicitiam ſtudioſè adeò obſeruabant: *Magnum ſanè*, addit Plutarchus, *bonæ indolis & virtutis fugere probrum ſpecimen eſt, ac cum ad rerum omnium horrendiſſima imperterritæ eſſent mortem & dolorem, turpitudinis non tuliſſe opinionem, nec depoſita vita labem ſuſtinuiſſe.* Fugere probrum bonæ indolis ſpecimen eſt. Præ vita ipſa ab his virginibus pudicitia obſeruata eſt, & dum timuerunt videri, de inſano impetu didicerunt triumphare.

318. Baracus contra Siſaram manum cogit; ea tamen conditione, vt Debora comitetur exercitum; illa prophetico ſpiritu afflata mulieri triumphum adſcribendum prædicit: *Ibo quidem tecum; ſed in hac vice victoria non reputabitur tibi: quia in manu mulieris tradetur Siſara.* Audis in mulieris manu Siſaram tradendum; verùm in cuius mulieris, nondum expreſſum eſt; at quod ſuppreſſit prophetia, reſerauit hiſtoria: nam cum perterritus pugnæ ſe ſubduxiſſet Siſara, ad tentorium ſe recepit Iaël, quæ fugacem recepit obſequioſa, & morti tradidit pia: *Tulit Iaël vxor Haber clauum tabernaculo aſſumens pariter & malleum, & ingreſſa abſconditè & cum ſilentio poſuit ſupra tempus capitis eius clauum, percuſſumque malleo defixit in cerebrum vſque ad terram:* Itaque Iaël cepit triumphum, dum transfodit clauo inimicum. Quod ſi quæras, cur non Debora; ſed Iaël glorioſo adeò triumpho nobilitetur, quando altera prophetali ſpiritu ornata, & altera his dotibus non exculta? Reſpondeo non omnia in vnius ſinum aggeranda; ſed prouidenter pluribus impertienda. Debora reſplendet ſpiritu, Iaël clauo: hæc ſe ornari triumpho videt; ſed ſpiritu prophetali carere agnoſcit: illa ſpiritu gaudet; ſed triumpho non fulget: fortè ſi quæque donis omnibus reſplenderet, & turgida ſuperbiret; at dum egregia aliqua dote ſe carere cognoſcit, ſuperbiæ faſtum vtiliſſimè reprimit. Benè; ſed theſi noſtræ accedamus. Duæ mulieres ferunt Baraco ſuppetias, Debora in campum progrediens, Iaël tabernaculum ſuum cuſtodiens, vtque ſtabilitum fuerit mulieres domi abditas celeberrimis triumphis ornari, non eſt victoriam potita Debora oculis militantium ſubiecta; ſed Iaël tabernaculo ſuo abſcondita: Ambroſ. *Debora*; ſcribit Ambroſius lib. de vid. *præ ij probauit euentum, Barac produxit exercitum, Iael cepit triumphum: huic enim prophetia Deboræ militauit.* Iaël militauit prophetia, & quæ fœmina ab oculis erat remotior, reſplenduit reportato triumpho celebrior: clauo, quo tabernaculum figitur, adepta eſt triumphum, vt ſcias inſtrumenta latendi, fœminis eſſe & inſtrumenta triumphandi. Vtque hanc verita-

Digitized by Google

tem ipſa confirmemus hiſtoria, expende quid Siſara, vt ſecurus ſomnum caperet, deſiderarit, quid Iaël effecerit. *Dixit Siſara ad eam: Sta ante oſtium tabernaculi*: ante oſtium locauit, & oculis tranſeuntium expoſuit, quando ſecurè ſomnum capere diſcupiuit; at Iaël deſeruit publicum, & vt triumphum caperet, prudentiſſima petiuit ſecretum: *Ingreſſa abſconditè, & cum ſilentio poſuit ſupra tempus capitis eius clauum, percuſſumque malleo defixit in cerebrum.* Nullatenus triumpho ouaret redimita niſi publicum deſerens abſtruſiora fuiſſet ingreſſa; at dum inuolauit ad latebras, ipſa potita eſt victoria, & liberauit populum ignominia. Diſcant hinc fœminæ, ſi diſcupiunt triumphum, ambire ſecretum: nouerintque tunc Siſaram dormire ſecurè, cùm fœminæ perſuaſerit humanos oculos non vitare. Adeſt Abulenſis q. 19. Abulenſi *Sta ante oſtium tabernaculi. Hoc voluit Siſara. ne introirent aliqui ad inquirendum eum intra domum, & inuenirent: nam cum ipſa ad oſtium maneret, reſponderet tranſeuntibus, & non intrarent in domum; ſi autem ipſa eſſet intra tabernaculum, inquirentes Siſaram introirent.* Quam diſtat vitium à morte, dum fœmina ad feneſtram vel ad portam ad inepţias tranſeuntium reſpondet, dum oculis exponitur, quibus etſi non corpus, pudicitia conſtupratur. Iaël oculos fugiens ſecretioraque petens adepta eſt triumphum: caruiſſet hac gloria, ni tunc incoleret tabernaculum.

319. Mulier in cælo apparuit ſtellis fulgentiſſimis coronata, Sole veſtita; verùm dum clariſſima fulget luce, virulento non caruit hoſte: ſerpens namque ſquamis ardentibus loricatus, oculis toruiſſimis horridus, per totum corpus colore ſanguineus, ad certamen inſurgit, nec ſolùm ardet vincere; ſed anhelat penitus deuorare. Mulier ſe in ſolitudinem recipit; ſed adhuc ardens perſeuerat inuidia. Quid tunc? Ad abſtruſiora deſerti tendit aquilinis alis munita: Apoc. 12. v. 14. *Datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum locum ſuum.* Quàm innubilat rationem timor, quam faſcinat prudentiam tremor! Profectò à deſerto debuiſſet mulier inuolare ad æthera, quo mortiferum fugeret anguem, & deſerit cælum, vt fruſtretur grande periculum. Hoc profectò prudentiæ videatur refragari; imo ſuffragari prudentiæ: nouit namque prudentiſſima mulier præcipua fœminarum arma eſſe oculos ignorare, ac latebras petere: ideò vt ſerpentinum fugeret aſtum, celer petiuit deſertum; imò plus extimuit ſerpentis techna ſ, ſi ipſo in cælo luce radians oculis maneret expoſita, quam deſertorum antris ignorata. Nec myſterio caret aquilinas mutuaram alas, cùm ad abſtruſiora inuolauit: aquila namque inimica ſemper inuenitur ſerpenti: vbicumque videt, rapit eiuſque ſanguine plumas honeſtè maculat, & gloriosè colorat: ergo mulier oculos fugiens aquilinis ornatur plumis, vt doceat fœminas aſpectum fugiendo decantandis ornari triumphis. Alæ, quibus dux triumphat, ſunt militares exercitus; ſed mulieri pro exercitibus ſunt volatus. Plinius *Acrior eſt cum dracone pugna*, ſcribit Plinius de aquila lib. 10 natur. hiſtor. cap. 4. *ova hic conſectatur aquilæ auiditate malefica; at illa ob hoc rapit vbicumque viſum.* Aquila de ſerpentibus triumphat: ergo mulier, quæ vel in ipſo cælo ſuſtinuit patens pericula, iam deſertum adiens triumphi defert clariſſima teſtimonia: *Alæ*, ſcribit Lyra, *ſunt acies exercitus: vnde & ala vna ſignificatione eſt acies militaris.* Conſonat Gloſſa moralis: *Alæ duæ ſunt amor Dei & proximi.* His exercitibus mulier triumphat, ſcilicet ad deſertum volatibus: à Domini non recedit amore, dum fugit ſecum laudanda pernicitate. Lyra. Gloſſa. Eadem, qua volat ad deſertorum latebras ala eſt diuini amoris clariſſimum teſtimonium, & ſerpenti grandius tormentum; nec enim poterat non triumphare, quæ latebras noluit petere.

Sponſus Sponſam alloquens triumphalem ad coronam inuitat, de cubilibus pardorum ac leonum prodire adhortans: *Veni de libano, Sponſa mea, veni de Libano, veni coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* O incautam fœminam pardorum cubilia inhabitantem, & leonum occurſus non expauentem! Imò hoc ipſo ſuam commendauit prudentiam, quia faſcinantem oculorum fugit audaciam. Maluit pudiciſſima virgo in pardorum habitare conſortio, quam obiici oculis in publicitatis theatro: quaſi plus ſibi cauear ab oculis, quam à feris. Et quidem non ſemel fœminis grauius, quam à feris, periculum emanauit ab oculis. Itaque à ſecreto ſemel & iterum inuitatur ad coronam: nec enim poterat triumphali non redimiri corona, quæ abſtruſa celabatur ſemper clauſura. Ambroſ. Adeſt Ambroſius ad hunc locum: *His indiciis oſtenditur perfecta & irreprehenſibilis virginalis animæ pulchritudo altaribus conſecrata diuinis: inter occurſus & latibula? ſpiritualium beſtiarum non inflexa mortalibus; ſed intenta myſteriis Dei meruiſſe delectum.* Itaque perfecta virginitatis pulchritudo oſtenditur, dum Sponſa prorſus aſpectibus ignorata narratur: quaſi vel aſpici quodammodo ſit candorem pudicitiæ proſtitui: de ſecreto cubiculi procedit ad palmam: quia fœmina dum ignotior, celebriorem didicit reportare victoriam. 320. Cant. 4. v. 8.

ſ. LXXII.

Non ſemel morti proximus ignauo oculos tradit ſomno, qui euanido dicauit oblectamento.

Rectus ſenſuum vſus ſenſus perficit, & occaſionibus opportunis cuſtodit: grandis error eſt oculos euanidis conſecrare, & inhumanis oblectationibus deuouere. 321. Quàm benè Seneca epiſt. 7. loquens de ſpectaculis. Seneca. *Mane leonibus & vrſis homines, meridie ſpectatoribus ſuis obiiciuntur, interfectores interfecturis iubentur obiici, & victorem in aliam detinent cædem: exitus pugnantium mors eſt, ferro & igne res geritur: hæc fiunt, dum vacat arena; ſed latrocinium fecit aliquis, quid ergo meruit? Vt ſuſpendatur: occidit hominem; qui occidit, ille meruit, vt hoc pateretur: tu quid meruiſti miſer, vt hoc ſpectes?* Itaque miſer eſt, qui abutitur ſenſibus, & indignis conſecrat voluptatibus: grandis culpa quæ in homine decora, vſibus obſcurare; imò abuſibus corrumpere; imò & grandis pœna: nam potentiarum abuſus nunquam calamitatum

tum inuenitur infœcundus; ſed quam plures miſerias parit miſerrimè fœcundatus; ea tamen inter reliquas ſumma eſt quod adulterati viſus pœna eſſe ſolet altiſſimus ſomnus: tunc homines ſolent carere oculis, cùm proximiores inueniuntur periculis, vt dignè orbatus pereat, qui indignè oculis vſus aſpexit vana, & diſcupiuit oblectamenta: Cogitabam mecum cur Siſara ſomno interierit correptus, nec inter tot aduerſarios iaculis occubuerit transfixus. In campum proſilit contra Barachum, ſuamque ſibi maturat ſtragem, dum in Deo dicatam inſurgit gentem: Dominus vt auxiliaretur ſuis, in Siſaram citat elementa: horriſona tempeſtas ingentis magnitudinis lapides eiaculabatur, obſcuri nimbi ardentia pariebant fulmina, & radios, quibus referirent oculos, vibrabant aſtra: ibi, quæ ab ingenio inimica præter naturam concordabant, & naturalem diſcordiam contra inimicum vertebant: *Perterruit Dominus Siſaram*; verùm tot calamitatibus obſeſſus, & tot hoſtibus imperitus fugæ inuenit locum, & ad Iaelis cucurrit aſylum: Siſara fugiens peruenit ad tentorium Iaël: hic poculo lacteo potatus ſomno oculos tradidit, & ſopitus mortem tulit: *Soporem morti conſocians defecit & mortuus eſt.* Profectò arcanum hic conſtat elucere myſterium: aliter namque opus non erat locum præbuiſſe fugæ, cum properaret occaſio pœnæ: cur ergo dormit, dum perit, qui ne præpilatis telis periret transfoſſus, fugit? Scrutemur quid ipſum vocabulum denotauit; Siſara interpretatur Viſio equi. Ita Interlinearis: *Siſara viſio equi.* Ergo qui animalis ſolùm habuit oculos, vt dicaret caducis,
Interlin. morti proximus profundiſſimis immerſit ſomnis, vt non poſſet dignè vti ad remedium, quibus abuſus fuerat oculis ad peccatum. Adeſt Adamantius hom. 5 & apud Gloſſam: *Interfi-*
Origenes. *cit Siſaram, qui carnalium vitiorum, & animalis hominis formam tenet: quia Siſara viſio equi interpretatur, de quo dicitur: Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.* Addit poſt aliqua. *Iael vitiorum Principem Siſaram tectum pellibus, id eſt, membrorum mortificatione ſopitum æterno tradidit ſomno.* Membra iacebant mortificata, quæ perirent cito demortua: nec enim illa erat mortificatio, quam monebat Apoſtolus aiens: *Mortificate membra ve-ſtra, quæ ſunt ſuper terram*; ſed quam indu-
Coloſſ.3.v.5 xerat tepor, & torpor. Ergo oculis caruit, qui dum viueret, indignè, inhoneſtéque exercuit. Et vtinam vnicus eſſet Siſara, qui hanc ſuſtinuerit pœnam; ſed proh dolor! plures ſunt quos morti proximos grauiſſimus occupat lethargus, vt fuerit digna oculorum abuſus pœna.

322. Samſon pulchritudini dicauit oculos, deſcendens namque in Thamnatha alienigenæ mulieris venuſtatem aſpexit, & contra ius concupiuit: *Dixit Samſon ad patrem ſuum: Hanc*
Iudic.14. v.3. *mihi accipe, quia placuit oculis meis.* Iterum Gazam petens *vidit ibi mulierem meretricem.*
Iudic.16.v.1 Itaque oculorum vſum pulchritudini, & venuſtati dicabat. Iam quæ fuerit huius delicti pœna, Scriptura non tacuit: nam cum ſe mulieri infidæ ſatis totum tradidiſſet; illa auariſſima viri amorem amore pecuniæ depulit, & inimicis ſopitum tradidit: *Dormire eum fecit ſuper genua ſua.* Cùm iam tradendus eſſet in hoſtium manus, caruit oculis, ne videret periculum, vtque ſuſtineret tormentum: inſidiæ ipſo in cubiculo latent: tonſor ferrum aptat, fortitudo fugit, & oculis Samſon ſopitus caret. O ſi dormiret eo tempore, quo mulierem aſpexit! ſi aſpiceret eo tempore, quo dormiuit! Verùm hic ſomnus pœna erat illius aſpectus; ecce cùm oculis opus, dormiuit orbatus; quia cùm opus non erat oculis ad ſpectandam pulchri- Gregor.
tudinem eſt abuſus. Adeſt Gregorius apud Gloſſam: *Intellectus obtunditur, & poſtea captus animus per exteriora deſideria vagatur, vt cæca mens, quò ducitur, neſciat.* Addit: *Poſt longum vſum illicitis operibus oculum cordis claudunt.* Videret ſanè periculum, mulieriſque fruſtraretur dolum, ni illecebroſis oculorum dicaſſet vſum; at adulterat, dum peruertit, conciliat ſomnum, & obarmat inimicum.

323. Non ſine myſterio Scriptura retulit diſcipulorum oculos ſomno grauatos, poſtquam hortum cum Domino petiuerunt: *Venit ad diſcipulos ſuos, & inuenit eos dormientes.* Semel & ite- Matth.26.
rum ſomnum depellere admonentur, & proxi- v.40.
mare pericula denuntiantur; & tamen ſic grauantur ſopore lumina, vt vtilia adeò non admiſerint documenta: *Venit iterum & inuenit eos dormientes: erant enim oculi eorum grauati.* Inquiramus cur tam alto ſomno grauentur in horto, qui noctem integram; imò & noctes duxerant inſomnes in pelago? Periculi ſanè magnitudo vigilare cogebat; & tamen ſoporantur ignaui, cùm debent inuigilare ſoliciti. Et quæ huius cauſa? Putauerim locum ipſum conciliaſſe ſomnum, vt nobis declararet myſterium. Recole qualis fuerit in horto oculorum vſus, dum paradiſum primi parentes incolerent, & cuſtodes aſſeruarent: *Vidit*, inquit, *mulier, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, &* Geneſ.3.v.6.
pulchrum oculis aſpectuque delectabile. Vetitæ arboris aſpectus occupauit oculos, & ineſcatos allexit animos. Ecce quod primum ſpectaſſe Eua refertur, fuit prohibita venuſtas, & nociua plantæ floriditas. Ergo humani in horto clauduntur oculi, dum pœna peccati ſoluitur: vt noueris ſupplicium eſſe alto occupari ſomno, dum conſtat homines approximare periculo: *Langueſcebant*, ſcribit Hieronymus apud Hieron.
D. Thomam, *& opprimebantur Apoſtolorum oculi negatione vicina.* Addit Drogo Oſtienſis de Drogo.
Sacram. Domin. paſſion. *Quam peruigiles habet* oculos auaritia, quomodo circuit orbem terræ: non ceſſat manus eius, non ceſſat pes, & coaceruat ſibi iram in die iræ: & tamen *dormit Simon.* Inuigilarunt oculi illuſoriæ, ſerpentinæque promiſſionis auari: vidit mulier; imò quia vidit mulier, dormiuit Petrus, vt conſtet pœnam eſſe adulterati luminum vſus carere oculis, & adurgeri periculis.

324. Non vacat myſterio Holofernem ſomno immerſum inflicta fœminea manu tuliſſe vulnera, & luctuoſa ebrietati pependiſſe vectigalia. Ecce Iuditha honeſtis fucis ſuam adauget venuſtatem, qua barbarus non ſine oblectamento depaſcit oculos: *Lauit corpus ſuum, & vnxit* Iudith.10.
ſe myro optimo, & diſcriminauit crinem capitis v.3.
ſui, & impoſuit mitram ſuper caput ſuum, & induit ſe veſtimentis iucunditatis ſuæ, induitque ſandalia pedibus ſuis, aſſumpſitque dextraliola, & lilia, & inaures, & annulos, & omnibus orna-

mentis ſuis ornauit ſe. Virtus ſplendorem adauxit, & religioſus cultus honeſtam fraudem inuexit; placuit pulchra, vt occideret religioſa: ducitur veluti captiua, quæ decantanda ſæculis erat nobilitanda victoria: *Cùm intraſſet ante faciem eius, ſtatim captus eſt in ſuis oculis Holofernes.* Aſpiciendi voluptas oculos detinuit, & quodammodò pulchritudini dedicauit. Quid tunc? Dormientem vulnerat: *Holofer-*
Iudith. 13. v. 3. *nes iacebat in lecto nimia ebrietate ſopitus.* Oculis caruit, vt præuideret periculum, quibus vſus eſt, vt perciperet de pulchritudine oblectamentum: *Captus eſt in oculis ſuis,* id eſt, pulchritudo oculos capit, quos Holofernes delicioſæ illi captiuitati dicauit. Impudici, illecebroſique aſpectus pœna fuit ſomno interire correptum, & oculis caruiſſe ſopitum. Eia Holofernes oculos aperi, ferrum tuis ceruicibus imminens intuere, animaduerte eam manum, quæ niuis vicit candorem, tuo ſe cruentare ſanguine non recuſaturam, conſule tibi, & periculum à ceruicibus tuis auerte. O infœlicem hominem! Altiſſimo ſomno corriperis, dum proximiori periculo vrgeris; verùm ſi oculorum vſus es perſpicacia, vt mulieris adſpiceres pulchritudinem, merito viſu cares, ne appetentem præſciueris mortem: malum cum oculo communicaueras, & qui tibi ſalaci oculi adſtiterant, vt te perderent, fugerunt ſomno traditi, vt contra te imminens diſcrimen armarint: nihil ſenſiſti, quia impudentius voluptuoſiuſque oculos venuſtati dicaſti. Adeſt Ambroſius
Ambroſ. lib. de Elia & ieiunio cap. 9. *Sepultus iacebat, vt iſtum vulneris ſentire non poſſet.* Conſonat
Auguſt. Auguſtinus apud Gloſſam. & ſerm. 219. de tempore. *Conſtructo thalamo concitatur ad ducem pronum amore, victum ſomno, eliſum virum in ſtrato, bellatoris crines implicuit, pulchritudine digitorum poſt teneritudinem fuſi hebeni capulum quærit.* Pœna impudici intuitus altiſſimus extitit ſomnus: tulit ſenſu priuatus mortem: quia dum ſenſibus ornabatur, illis ad virtutis abuſum conſtabat necem.

§. LXXIII.

Lenis eſt adflictio, cui ſpatium determinatum taxatur, duriſſima cui nunquam tempus adſcribitur.

315. MVlta bonis viris aduerſa eueniunt, vt iniquis etiam acerba accidunt; verùm id diſcriminis eſt inter iuſtorum ærumnas, & iniuſtorum miſerias, quod iniuſti durè puniuntur, iuſti ad virtutis cumulum exercentur: iuſtorum dolor intra modum cohibetur, improborum calamitas ſine termino ſemper graſſatur. Marcet ſine aduerſario virtus, tunc ſolum apparet quanta ſit, quantum valeat, polleatque, cùm quid poſſit, patientia oſtendit: ideò Deus iuſtorum conſtantiam labore prodit, & victricem ſemper oſtendit. Profectò vti rudia, incultaque ſimulacra, quæ flamma produxit, runcina polit, dolat induſtria, & excolit ſcobina, ita iuſti animum, Dei imaginem adflictionis flamma purgat, labor excolit, miſeria expolit. *Patrium habet Deus aduerſus bonos viros animum,* ſcribit Seneca de prouident. cap. 2. *& illos fortiter amat: & operibus, inquit, doloribus, ac damnis exagitentur, vt verum colligant robur.* Seneca. *Verum robur labore colligitur.* Itaque ad conciliandum iuſtis verum robur tendit adflictio, quo iam adſcito & conciliato diſcedit munere functa, & incipit triumpho micare conſtantia; at iniquorum calamitas, quia ſolum intendit duriſſimè diuexare, cum tempore neſcit finiri. Hebræi Dei populus, portio cæleſtis, hæreditas Domini peculiaris tyrannide Iabini premuntur, & ærumnis laborioſiſſimis diuexantur. *Per viginti annos vehementer oppreſſerat eos.* Afflictio larga conſuluit lamenta, & lamenta cæleſtia ſibi aſciuerunt auxilia: verſa vice Iabinus premitur, & qui olim diuexauerat, iam diuexatus laborat. *Humiliauit ergo Deus in die illa Iabin regem Chanaan coram filiis Iſraël, qui creſcebant quotidie, & forti manu opprimebant Iabin regem Chanaan, donec delerent eum.* Iabin affligitur, & Hebræus etiam vexatur; magnum tamen inter vtriuſque ærumnas inuenitur diſcrimen: nam Hebræorum laboribus determinatum tempus adſcribitur: *Per viginti,* inquit, *annos;* at procelloſis Iabini calamitatibus non taxatur: *Forti manu opprimebant Iabin regem Chanaan.* Afflictionis tempus tacuit, & theſim noſtram textus edocuit: Iabin per viginti annos tyrannide dura effloruit; ſed ſine termino luxit; at Hebræus Numini conſecratus per viginti annos eluxit, & ſine termino effloruit: *Forti manu opprimebant Iabin regem Chanaan, donec delerent eum,* ſcribit Abulenſis quæſt. 22. *ſcilicet totaliter eius potentiam deſtruendo, vt caperent terram eius: vnde poſt hoc nunquam iſte rex pugnauit contra Iſraël.* Iſraël poſt viginti afflictionis annos depulit tyrannum, & ſibi reſtituit imperium; at Iabini cladibus nec termini appoſiti, nec anni referuntur taxati: *Poſt hoc nunquam rex iſte pugnauit contra Iſraël.* Eleganti hiſtoriæ penicillo miriſque coloribus quid iuſtis, quid iniquis accidat, textus expreſſit, & ante conſpectum poſuit. Iniqui laſciuiunt, florent, deliciis, voluptatibuſque non ſolum ingurgitantur; ſed demerguntur; at illorum delicias immerata exceperunt ſæpè lamenta: iuſti per ardua incedunt, & duriſſimos labores exhauriunt; at illorum afflictionibus limes apponitur, & terminus non tranſgrediendus præfigitur.

Potentiſſimus rex, vt ſuam dilargitis muneribus liberalitatem ornarat, ita æquitatem re- 316.
poſcens donorum rationem oſtendit: primus acceſſit, qui debita maiora contraxit: *Oblatus* Matth. 18. v. 23.
eſt ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta: plus grauatus accedere minus eſt veritus, quaſi creuerit procacia cum culpa: Dominus cum nequiret ſoluere, iuſſit ſeruum, vxores, & filios vendi: *Iuſſit eum Dominus eius venumdari, & vxorem eius, & filios, & omnia, quæ habebat, & reddi.* Seruus plus pignorum amore tortus, quam laboribus propriis afflictus in genua procidit ſupplicabundus, & periculo tremefactus: *Procidens* ſeruus ille orabat eum dicens: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* O quanta periculo adurgente promiſit! O quam nihil extra periculum adimpleuit! Dimiſſus in conſeruum incidit exiguæ debitorem pecuniæ, & cùm debuiſſet parcere conſeruo Dominicæ clementiæ exemplo eruditus conſeruum ſuffocabat

Digitized by Google

bat iratus: res ad Dominum delata eſt, & licet generoſus pecuniam donarit propriam, iratus conſerui puniuit ſeuerè iniuriam: quaſi plus eum offenderit ſeruus in conſeruum inhumanus, quam adeò copioſæ pecuniæ prodigus: *Iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus, quoaduſque redderet vniuerſum debitum.* Duo nobis hìc expendenda occurrunt, cur ſcilicet Dominus, dum iubet venumdari omnia, non prodatur iratus, & tortoribus committens ardentiſſima ira referatur ſuccenſus. *Iratus*, inquit, *Dominus.* Ad hæc: cur verberibus diſcruciandus ſupplex non orauit, qui anteà vendendus procideràt? Huic dubio facilis reſponſio eſt, ea ſcilicet homines teneri amentia, vt paruipendenda exhorreant, & horrenda ſæpè non timeant: timuit præſenti in ſæculo nota ſeruitutis inuri, deſpexit in futuro plagis duriſſimis dilaniari. Aut ſi mauis boni conſulere, timuit chara pignora vendi, cùm animoſus ſibique conſtans diu tulerit verberari: liqueſcebat namque animus amoris flamma, etſi ad verbera indurarit patientia. Benè; ſed theſi locum aptemus; non refertur iratus Dominus, cùm ſub haſta vendi decreuit: quia apud Hebræos iubilæi annus ſeruitutis tempus taxauit; at cum pœna nullo tempore limitata, limitibus nullis finita decernitur, tunc ira ardentiſſima viguit, & ſeueritas effloruit: premeretur quidem venditus ſeruus ſeruitutis iugo, ſed opus erat antiquæ libertati reſtitui iubilæi anno: vtque noueris non procedere ab irato Domino pœnam, quæ intra tempus cohibetur; ſed quæ termino non taxatur, cùm iuſſit vendi, non refertur iratus, dum iuſſit diuerberari, proditur grauiſſimè offenſus: Notauit Chryſoſtomus

Chryſoſt.

apud D. Thomam: *Non ſimiliter dixit, tradidit eum; ſed iratus quod non poſuit, quando iuſſit eum vendi: non enim hoc erat iræ, ſed magis amoris ad correptionem: nunc autem hæc ſententia eſt ſupplicij, & pœna.* Afflictione ſeruum Dominus expoliebat, & lamentis ipſis condecorabat. non erat ad tempus premere veræ indignationis vindicta; ſed ardens amoris flamma; at tortoribus ſine termino tradi fuit ſeuera mulcta, & dura ſemper ſententia.

327. Hoc ipſum expendebat Tertullianus. Deliquit ſæpè Nabucho, & Deus criminibus ipſis compulſus irrogauit pœnam, & exilij decreuit mulctam: *Fœnum vt bos comedes*, prædicit

Dan.4.v.22.

illi Daniel, *& rore cæli infunderis: ſeptem quoque tempora mutabuntur ſuper te.* Balthaſar eius filius aut nepos cùm debuiſſet aliena erudiri mulcta, audaciam imprudentiſſimè adauxit indulgentia: non recordatus eſt maiores ſuos victitaſſe fœno; ſed tumidus potentiam ſuam differtiſſimo oſtentauit conuiuio. Quid tunc? Iam non vox de cælo ruens minatur; ſed articuli manus funeſtas litteras in pariete excudunt, & ſera pœnitentia audentis procaciam reprimunt: Daniel optimus myſteriorum coniector ſic ænigmata aſcitus enodat: *Numerauit*

Dan.5.v.26.

Deus regnum tuum, & compleuit illud: appenſus es in ſtatera, & inuentus es minus habens: diuiſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis, & Perſis. Quæres cur hic appoſitum non ſit illud, quod in aui eius ſententia inuenitur ſcriptum, ſcilicet *Septem tempora mutabuntur: Datum eſt*, inquit, *Medis, & Perſis.* Et quot durabit annos tranſlatum? Tacuit, vt ſilentio homines erudiret: blanda erat ſententia tempora definiens, quantumuis opulentiſſimum regem vſque ad brutorum eſcam depreſſerit, & à regio ſolio detruſerit; at interminatum, & indefinitum ſupplicium Numinis prodidit iram, & luctuoſam Balthaſari prænuntiauit ſententiam: *Ille rex Babylonius* (verba ſunt Septimij de patient. cap. 13.) *offenſo Domino cum*

Tertullian.

ſqualore & pædore ſeptenni ab humana forma exulaſſet, immolata patientia corporis ſui & regnum recuperauit, & quod optabilius homini eſt, ſatis Deo fecit. Satisfacientis Deo illa erat pœna, quæ certo limite continebatur taxata: non tam erat mulcta, quàm miſericordia; verùm fulminatum in nepotem ſupplicium non erat clementię; ſed iræ. Aſſume patientiæ clypeum, & animum exere ad calamitates doloreſque, qui temporali vita finiuntur: deteſtare & fuge, qui nullis limitibus terminantur.

328. Moyſis ſoror, quæ fratris debebat honori conſulere, Aarone complice Moyſis honorem obmurmurans aggreditur denigrare; verùm non impunè tulit; imò vt eius nota eſſet omnibus culpa, fœdiſſima aſpergitur lepra: *Apparuit candens lepra quaſi nix.* Tranſi modò ad 4 Reg.

Num.12. v.10.

5. vbi Giezi mendacia confingens, & aurum à Syro rapiens Eliſæo iubente fœtida lepra perfunditur, & ab hominum conſortio relegatur:

4. Reg. 5.

Lepra Naaman adhærebit tibi, & ſemini tuo vſque in ſempiternum: & egreſſus eſt ab eo leproſus quaſi nix. Vterque Giezi & Maria niuis candorem probroſè referunt, & æqualem ad ſpeciem ob diuerſa crimina mulctam perſoluunt. Si Giezi dum magiſtri gratiam adulterat, dum concinnatis fraudibus Syri facultatibus inhiat, ſolùm aſpergitur lepra, cur Maria ob leuem murmurationis defectum lepræ etiam aſpergitur macula? Æquitatis equidem videtur legibus contraire, qui diſpari culpæ non renuit non diſparem pœnam decernere: cur ergo Dominus æquitatis norma Mariam lepra, & Giezi conſimili diſponit aſpergi macula? Aduerte magnum diſcrimen: Maria lepra perfunditur: ſed ſeptem tantum diebus extra clauſtra excluſa refertur. *Excluſa eſt itaque Maria extra caſtra ſeptem diebus*; at Giezi annorum rotatu non ſoluit pœnam, nec temporis lapſu deterit maculam: honeſtam, virtutibuſque exornatam fœminam tantiſper lepra denigrat; ſed quæ breui tempore auolauit deterſa, & diſparuit abraſa; at Giezi durior affligit ſententia: quia neſcit elapſis annis finiri, aut ſpatiis temporum terminari: *Inexpiabilis*, ſcribit Ambroſius in cap. 4. Lucæ, & apud Gloſſam. *eſt venditi culpa myſterij, & gratia vindicta cæleſtis tranſit ad poſteros.* In Giezi inexpiabilis exercetur vindicta, in Moyſis ſorore honoratur miſericordia: quia lenis ſemper probatur afflictio, quæ tempore terminatur, vt dura ſæuit ſententia, quæ terminis nullis includitur.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

VERS. I. CECINERVNTQVE Debbora & Barac filius Abinoëm
in die illo dicentes. 2. Qui ſpontè obtuliſtis de Iſraël
animas veſtras ad periculum, benedicite Domino. 3
Audite reges, auribus percipite principes: Ego ſum,
ego ſum quæ Domino canam: pſallam Domino Deo
Iſraël. 4. Domine cùm exires de Seir, & tranſires
per regiones Edom, terra mota eſt, cælique ac nubes
diſtillauerunt aquis. 5. Montes fluxerunt à facie Domini, & Sinai à facie Do-
mini Dei Iſraël. 6. In diebus Samgar filij Anath, in diebus Iahel quieuerunt
ſemitæ: & qui ingrediebantur per eas ambulauerunt per calles deuios. 7. Ceſſaue-
runt fortes in Iſraël, & quieuerũt: donec ſurgeret Debbora, ſurgeret mater in Iſraël.
8 Noua bella elegit Dominus, & portas hoſtium ipſe ſubuertit: clypeus & haſta
ſi apparuerint in quadraginta millibus Iſraël. 9. Cor meum diligit Principes Iſrael:
qui propria voluntate obtuliſtis vos diſcrimini, benedicite Domino. 10. Qui
aſcenditis ſuper nitentes aſinos, & ſedetis in iudicio, & ambulatis in via, loqui-
mini. 11. Vbi colliſi ſunt currus, & hoſtium ſuffocatus eſt exercitus, ibi narren-
tur iuſtitiæ Domini, & clementia in fortes Iſrael: tunc deſcendit populus Domini
ad portas, & obtinuit principatum. 12. Surge, ſurge Debbora, ſurge, ſurge & lo-
quere canticum: ſurge Barac, & apprehende captiuos tuos fili Abinoëm. 13.
Saluatæ ſunt reliquiæ populi, Dominus in fortibus dimicauit. 14 Ex Ephraim
deleuit eos in Amalec, & poſt eum ex Beniamin in populos tuos ô Amalec: de
Machir Principes deſcenderunt, & de Zabulon, qui exercitum ducerent ad bel-
landum. 15. Duces Iſſachar fuere cum Debbora, & Barac veſtigia ſunt ſecuti,
qui quaſi in præceps ac barathrum ſe diſcrimini dedit: diuiſo contra ſe Ruben,
magnanimorum reperta eſt contentio. 16. Quare habitas inter duos terminos, vt
audias ſibilos gregum; diuiſo contra ſe Ruben, magnanimorum reperta eſt con-
tentio 17 Galaad trans Iordanem quieſcebat, & Dan vacabat nauibus: Aſer
habitabat in littore maris, & in portubus morabatur. 18. Zabulon verò, &
Nepthali obtulerunt animas ſuas morti in regione Merome. 19. Venerunt re-
ges, & pugnauerunt, pugnauerunt reges Chanaan in Thanach iuxta aquas Ma-
geddo, & tamen nihil tulere prædantes 20. De cælo dimicatum eſt contra
eos: ſtellæ manentes in ordine & curſu ſuo, aduerſus Siſaram pugnauerunt.
21. Torrens Ciſon traxit cadauera eorum, torrens Cadumim: torrens Ciſon:
conculca anima mea robuſtos. 22. Vngulæ equorum ceciderunt, fugientibus
impetu, & per præceps ruentibus fortiſſimis hoſtium. 23. Maledicite terræ
Meroz, dixit Angelus Domini: maledicite habitatoribus eius, quia non vene-
runt ad auxilium Domini, in adiutorium fortiſſimorum eius. 24. Benedicta in-
ter mulieres Iahel vxor Haber Cinæi, & benedicatur in tabernaculo ſuo. 25.
Aquam petenti lac dedit, & in phiala principum obtulit butyrum. 26 Sini-
ſtram manum miſit ad clauum, & dexteram ad fabrorum malleos, percuſſitque
Siſaram quærens in capite vulneri locum, & tempus validè perforans 27. In-
ter pedes eius ruit: defecit & mortuus eſt: voluebatur ante pedes eius, & iace-
bat exanimis, & miſerabilis. 28. Per feneſtram reſpiciens, vlulabat mater eius:
& de cœnaculo loquebatur: Cur moratur regredi currus eius? quare tardauerunt
pedes quadrigarum illius? 29 Vna ſapientior cæteris vxoribus eius, hæc ſocrui
verba reſpondit. 30. Forſitan nunc diuidit ſpolia, & pulcherrima fœminarum
eligitur ei: veſtes diuerſorum colorum Siſaræ traduntur in prædam, & ſupellex
varia

Digitized by Google

varia ad ornanda colla congeritur. 31. Sic pereant omnes inimici tui Domine: qui autem diligunt te, ſicut Sol in ortu ſuo ſplendet, ita rutilent. 32. Quieuitque terra per quadraginta annos.

---

§. I.

Commentarius Litteræ.

Verſ. 1. Cecineruntque Debbora, & Barac filius Abinoem in illo die, dicentes.

1. VT pius antiquus mos religioſis militibus ſemper fuit, cùm bellum ex ſententia ceſſit, Deo immortali, protectori, propitioque certis verbis, & carminibus gratias agere, gratulationemque publico conuentu habere. Hoc religioſum legitimumque officium exactè, à Debbora & Baraco peractum caput hoc oſtendit: nec minori planſu triumphum celebrauit Debbora, quàm Maria. Huius carminis videtur ipſa propheris non ſolùm cantatrix; ſed
Caietan. effectrix etiam. Ita Caietanus. Idem ſentit
Montan. Arias Montanus, ſcilicet Debboram carmen compoſuiſſe, ipſamque cum Baraco cantaſſe. Canticum hoc verſibus, numeriſque conſtare, plurimis in dubium eſt. Quadripartitum au-
Serar. tumat noſter Serarius quæſt. 4. In prima parte Numinis celebratur auxilium, cuius ope inimici contriti, & Hebræi ſunt liberati: ſecunda pars aliqualem continet commendationem eorum, qui aliquid opis ad victoriam attulerunt: in tertia exprobratur ad bellum procedere renuentibus: quarta continet contra hoſtes votum & imprecationem. Diſcurramus per Cantici verſus. *Qui ſponte obtuliſtis de Iſraël animas veſtras ad periculum, benedicite Domino.* Plures acciti ſunt à Baraco; ea tamen alacritate & expromptitudine amplexati ſunt præceptum, vt non tam videretur imperantis præceptum, quam adulantis votum. Debbora ergo non ſolùm laudat populum ob victoriam; ſed ob præliandi alacritatem, & ſe periculo obiiciendi expromptitudinem. Iam dignis laudibus allectos ad proſequendas diuinas laudes incitat, vtque dignas Numini grates rependat, quaſi tanto officio ſit impar, ſpectatores ac teſtes ex populo conuocat: primo loco inuitat reges, ſecundo Principes, & quaſi ſacra iam auaritia omnem laudandi occaſionem arrogare ſibi geſtiat, ipſa, quæ alios modo vocabat, repetit: *Ego ſum, ego ſum, quæ Domino canam.* Profectò prudentiſſimè ſeſe viſit, & aliis exemplum propoſuit: eſt enim ſapientis ſeipſum ſtatuere exemplum, cùm alios incitat ad aliquod laudabile officium. Nec tantum ſe regibus, principibus, ac proceribus præbuit exemplum; ſed ipſos reliquis omnibus præire voluit; quò nullus ex populo laudes detrectaret: nam Regum, Principumque exempla facilè plebs imitetur, & ſequitur. Nec contenta fuit reges conuocare ad audiendum; ſed ad mente & animo cogitandum. Optimè Arias
Montan. Montanus: *Nec audire tantum voces verborumque ſonum ſatis eſſe dicit, niſi etiam interno eadem ſenſu percepta recondantur, altèque animum motura, mentemque affectura inſideant.* Profectò multi dum ſacris concionibus adſtant, non audiunt quia obdormiunt: alij etſi audiant, nullatenus mente percipiunt; quia futili imaginatione diſtracti, & animo longè ſemoti.

Verſ. 4. Domine cùm exires de Seir, & tranſires per regiones Edom, terra mota eſt, cælique, ac nubes diſtillauerunt aquis.

Vt quam ab exordio tutelam Numen geſſerit 2.
& promouere ſtuduerit, ante audientium oculos proponat, altius hiſtoriam repetit: motam ait terram, cælumque diſtillaſſe aquis, dum per terram Seir tranſiret populus: ita namque ſe quondam Dominus tuendi populi cauſa, hoſtibus exhibuit terribilem, vt terra veluti pauore concuſſa ſubſiliret, & cælum, ſi fas eſt dicere, veluti tremefactum liqueſceret. Addit ipſos montes ingenium dedidiciſſe, & cum vndæ fluxæ natura quodammodò commutaſſe. Alludit ad de Ægypto egreſſum, & ad Sinai oraculum. Iam quàm alia fuerit Hebræorum fortuna ob illorum culpam, & quidem grauiſſimam, quandoquidem paratam adeò Numinis tutelam abegerunt, decantat: *In diebus Samgar filij Anath*, &c. Quaſi dicat: Qui olim terrori inimicis erant, adeò illos poſtmodùm trepidabant, vt nullatenus publicis tritiſque viis incedere auderent; ſed per ambages, & diſtortaque itinera obambularent. Duplici populum laboraſſe narrat calamitate: quia videlicet captiuus ſub tyranno gemebat: & quia tanta erat aduerſariorum audacia, licentiaque, vt quaſi honeſtati ducerent Hebræos affligere, & diſpoliare: vnde opus illis erat lucem fugere, & in luſtris ferarum ſe abdere. Quærit Caieta- Caietan.
nus, cur Iahelis hic mentio fiat; ait namque: *In diebus Samgar, in diebus Iahel.* Reſponderque hac littera quodammodò inſinuari populi Iſraël curam Iaheli aliquomodò incubuiſſe. Refragatur huic ſententiæ Noſter Serarius Serar.
quæſtion. 7. Alij putant Haberum fuiſſe Samgarium. Ita ex Rabbinis non indoctus; ſed non aſſentio. Exiſtimo ergo Iahelis mentionem factam, vt quam omnis iuſtitia, ratioque expuncta fuerit, agnoſcamus. Quaſi dicat: Licet inter Iahelis familiam, & familiam Siſaræ pax fuerit, adhuc non audebant per vias publicas incedere Iahelis ſerui, quia contra ius, pactumque illos diſpoliabant, & premebant graſſatores, & iniqui homines nulli niſi ſuæ cupiditati patentes.

§ II.

§. II.

Commentarius Litteræ.

Verſ. 7. Ceſſauerunt fortes in Iſraël, & quieuerunt: donec ſurgeret Debbora, ſurgeret mater in Iſraël.

3. APparet ſingularis,illuſtriſque diuinæ prouidentiæ tutela: nam cùm Hebræorum res nullo conſiliario,fortique,aut ſtrenuo duce fulcirentur, tunc Debboram excitauit, quæ veluti pientiſſima mater meliora vaticinio promiſerit, & conſilio,quæ tunc afflicta,leuarit.Iure matris vocabulo nobilitata eſt, quæ ſedulo intenſoque ſtudio Iſraëlem ad bonam frugem impellere nitebatur, quæque tanquam filios amplectebatur miſerrimos. Hoc ſalutis initium fuit: Debbora namque continuis precibus à Deo impetrauit, vt Hebræorum rebus conſuleret: & iam Deus pro ſua benignitate placatus noua elegit bella, eaque ſic proſperauit,vt munitiones hoſtium facilè euerterit: *Noua bella elegit Dominus* Septuaginta Interpretes à Latinæ dictionis ſententia diſcordare videntur: *Elegerunt*, inquit, *deos nouos:tunc expugnauerunt ciuitates Principum* Chaldaica paraphraſis ita vertit: *Deſolatæ ſunt vrbes oppidorum,quæ fuerunt ſedentes in terra Iſraël:expugnati ſunt, & diſperſi ſunt habitatores earum, quoad miſſa ſum ego Debborah.* Textus noſter nouo militiæ genere ait aduerſarios Dominum viciſſe, ſcilicet fæminæ manu, vt omnes clariſſimè agnoſcerent victoriam illam non partam humana induſtria; ſed cæleſti prouidentia;at Septuaginta & Chaldæus, dum nouos deos electos aſſerunt,non tam Iſraëlitarum victoriam referunt, quàm miſeriam. Ita Rabbi Salomon;refragatur tamen apertè Toſtatus quæſtione 3. Verſiculus ille *Clypeus & haſta ſi apparuerunt*, ita ab Hebræis exponitur, vt ſenſus ſit armorum penuria adeo tunc Hebræos laborare,vt licet quadraginta millia militum cogerentur, rarus clypeus & haſta inter illos inueniretur;at nullatenus videtur veroſimile Hebræos armis adeò deſtitutos in campum proceſſiſſe,vt nec tegerentur clypeo, nec timorem hoſti incuterent haſta.Nicolaus,& noſtri expoſitores putant decem millibus ad pugnam electis additos fuiſſe plures alios milites; armorum tamen inopia laborantes.Toſtatus citata quæſtione putat exaggeraſſe Debboram armorum inopiam, quò & triumphus apparuerit rarior,& illuſtrior.

Septuaginta. Chaldaica. Abulenſ.

Verſ. 9. Cor meum diligit principes Iſraël: qui propria voluntate obtuliſtis vos diſcrimini, benedicite Domino.

4. Laudat,congratulaturque eis principibus,qui Deo confiſi expoſuerunt ſe periculo,& dum hos laudat,deſides & ignauos condemnat: *Propoſiti noſtri eſt*,aiebat Caſſiodorus 9.var.8. *honeſtos labores palma remunerationis ornare,vt viciſſitudine, quæ prouecti gaudent, deſides mordeantur, ſibique imputare poſſint,quod clementiſſimis temporibus iudicij noſtri præmia non merentur.* Chaldaica paraphraſis Debboram ait hîc laudare Iſraël ſcribas, ſenioreſque,qui adhuc vrgente tribulatione non ceſſauerunt ab impetranda, & docenda lege: ita enim vertit: *Dixit Debbora in prophetia: Ego miſſa ſum ad laudandum ſcribas Iſraël, qui quando fuit tribulatio illa, non ceſſarunt ab interpretanda & ſic pulchrum illis, quod ſedentes in domo congregationis in capite detecto, & docentes populum verba legis, & benedicentes, & confitentes ante Dominum.* Huic verſioni fauere videtur Arias Montanus: *Omnes hortatur,& incitat,qui ſcribendi,& canendi arte præditi fuerint.*

Caſſiodor. Chaldaica. Montan.

Verſ. 10. Qui aſcenditis ſuper nitentes aſinas,& ſedetis in iudicio, & ambulatis in via,loquimini,&c.

5. Si meo iudicio fiderem,exiſtimarem hîc Debboram viatores omnes monuiſſe, ne de alia re, dum iter agerent,conuerſarentur,niſi de hac victoria, illiuſque circumſtantiis: ſolent enim,qui iter conficiunt,varia,longaque colloquia texere, & hiſtorias ad leuandum iter euoluere: his ergo præcipit,ne quid aliud in ore verſent,niſi quo loco fuerint hoſtes colliſi,quomodò vndis ſuffocati, & quomodò diuino auxilio contriti.Chaldæus Paraphraſtes ita vertit: *Qui fuerunt impedientes negotia ſua, equitantes ſuper aſinas ſtratas in omnibus generibus pictarum veſtium, & ambulantes in omni termino terræ Iſraël, & aſſociati ad ſedendum ſuper iudicium erunt ambulantes in via eorum, & narrantes ſuper fortitudines, quæ factæ ſunt ipſis.* Septuaginta vertunt ita:Qui aſcenditis ſuper aſinam gemellam meridie ſedentes ſuper tribunal & ambulantes ſuper vias conſeſſorum, ſuper viam narrate. Qui intelligantur hi aſinarum ſeſſores, dubium eſt. Aliqui putant hîc ſignificare veluti Reipublicæ Conſules, Magiſtratuſque, qui iudicij domum adibant ſuper aſinas equitantes. O tempora, ô mores! Iam miniſtri quadrigis vehuntur; imò non ſolùm miniſtri: ſed miniſtrorum famuli.

Chaldaica.

Verſ. 12. Surge, ſurge Debbora, ſurge, ſurge, & loquere canticum: ſurge Barac, & apprehende captiuos tuos, fili Abinoem.

6. Triumphalis, gratulatoriique carminis artem numeroſque omnes epinicium hoc implere cenſet Arias Montanus. Ipſa verba docent ſibi ipſi ſtimulos ad canendum admouiſſe, & nouiter incitaſſe; verùm vt vel clariſſima, indubiaque non ſemel ſiniſtra interpretatione detorquentur, non defuerunt, qui putarint Debboram à cantu ceſſaſſe, ſpirituque prophetico caruiſſe: quia veluti glorians dixerat: *Ceſſauerunt fortes, donec ſurgeret Debbora*: Iſraëlitaſque has ingeminaſſe voces, quibus ipſam & Baracum ad canticum proſequendum incitauerint,& veluti deſides corripuerint. Ita Rabbi Salomon apud Abulenſem quæſtione 2. Verùm hæc Rabbinorum ſunt ſomnia. Maior difficultas eſt, an licuerit Baraco duxiſſe aliquos captiuos: nam 10. Deuteronom. & 33. Numer. extabat edictum de Chananæis omnibus delendis; cumque iſti Siſaram comitantes Chananæi eſſent, aut Barac diuino

Montan. R. Salomon.

Digitized by Google

uino contraiuit edicto, aut nullum habuit, cui dominaretur, captiuum. Quomodò ergo Debbora ait: *Apprehende captiuos tuos?* Abulenſis quæſtione 4. reſponderi poſſe ait, hos non fuiſſe Chananæos; ſed aliquos de habitatoribus Haroſeth gentium: hoc enim nomine appellabatur, quia ad illam vndique confluebant. Dici etiam poteſt aliquos duxiſſe ex præcipuis hoſtibus captiuos, non vt vitam illis concederet; ſed vt grauiori morte, duriorique ſupplicio ad metum omnibus incutiendum puniret.

Abulenſ.

Verſ. 13. Saluatæ ſunt reliquiæ populi, Dominus in fortibus dimicauit.

7. Teſtatur Debbora ad eas populum fuiſſe redactum anguſtias, vt iam pauciſſimi remanerent, Deumque illorum miſertum fuiſſe, & exiguas reliquias, ne penitus abolerentur, ſaluaſſe. Huius victoriæ occaſione aliam à Saule reportandam prædicit, & ſub Ioſue quondam etiam fractos inimicos refert: *Ex Ephraim*, inquit, *deleuit eos*: id eſt, per Ioſue Ephraimitam, & poſt eum ex Beniamin, id eſt, per Saulem Beniaminitam. De Machir addit principes deſcendiſſe, id eſt, eos ad quos bellica exercitatio minus ſpectabat, minuſque exigi poterat. Additque eo ardore cauſam communis ſalutis ſuſcepiſſe, vt non dubitarent quantumuis Principes, nomen dare Zabuloniis exercitum ducentibus, & veluti aliis militibus imperantibus. Iam tribus ſingillatim refert, & cuiuſque facta prodit: *Duces*, inquit, *Iſſachar fuerunt cum Debbora*, id eſt, Iſſachariani apertum diſcrimen vorarunt, & certamini ſe obtulerunt. Aliud certamen accidit Rubenitis, qui aut dum prolixè conſulunt, tempus triuerunt, aut dum inter ſe varij diſceptationibus diuiduntur, triumphorum gloria priuantur. Hanc Rubenitarum ignauiam grauius ferit, dum in alendis gregibus dies noctéſque poſuiſſe teſtatur, & duriſſimos tuliſſe æſtus frigoriſque labores confitetur. Iure Seneca pueros hominibus aliquando præfert: *Quid inter nos & illos intereſt* aiebat epiſt. 115. *vt Ariſto ait, niſi quòd nos circa tabulas, & ſtatuas inſanimus carius inepti.* Ecce vt inſaniant Rubenitæ erga pecuaria, glorioſiſſima amittunt trophæa. Iure redarguuntur Rubenitæ vtpote qui temporibus duris, quibus communis cauſa agebatur, propriis ſtudiis attenderint, & priuatis commodis conſuluerint. Ad hæc non ſolum illos arguebat cauſa; ſed aliorum confundebant etiam exempla, quandoquidem alij ad auxilium communiter ferendum propriis vtilitatibus renuntiarant, & periculoſo ſe certamini addixerant. Paraphraſtes Chaldæus ita locum vertit: *Quare reditis ex exercitu belli ad ſedendum inter terminos, ad audiendum legationem, ad ſciendum manum exercitus vincentem in prælio, vt ſitis cum eo. Baraco vos dicentes: Tui nos: & Zizzara vos dicentes: Tui nos: num ita rectum vobis ad faciendum domus Ruben? Nonne cognouiſtis, quòd ante eum apertæ cogitationes cordis?* Itaque Rubenitæ rerum exitum iniqua prudentia expectabant, & vtriuſque partis erant: quod plurimis politicis videas accidere: ſequuntur namque non perſonam; ſed fortunam: felici ſemper aſſiſtunt, & infelici aduerſantur. Hoc ergo, etſi apud ſæculum, inquit textus, valeat artificioſè colorari, apud Dominum, cui ſemper patent præcordia, nullatenus poteſt tegi. Et ne Rubenitæ loci diſtantiam opponerent, tarditatemque excuſarent, diſtantiorum conuincit exemplo, ſcilicet Galaaditarum trans Iordanem habitantium, Danitarum nauibus maioris quidem momenti, quàm pecora, vacantium, Aſſeritarum variis, mercimoniis, commerciiſque, vt qui portus tenebant, ſtudentium.

Seneca.

Chaldaica.

Verſ. 18. Zabulon verò, & Nephthali obtulerunt animas ſuas morti in regione Merome.

Hebræi nonnulli putant Zabulonios, Nephthalitaſque deſperaſſe de vita, & nihilominus impleuiſſe ducis mandata. Hanc ſententiam damnat Abulenſis quæſtione 5. & iure: nec enim vocarentur fortes; ſed puſillanimes; cúmque ſuprà vti ſtrenuè allaudentur, fatendum eſt morti, periculoque ſe obieciſſe non diffidentes; ſed alacres. Hoc accidiſſe exponit textus in regione Merome, ſeu, vt in Hebræo eſt, *ſuper altitudinem campi*, id eſt, in aliquo campo eminenti, aut monticuli ingenium imitanti. Reges conueniſſe in prælium teſtatur: *Venerunt reges, & pugnauerunt*, id eſt, cùm Iabin multos regulos ſibi parentes, ſubiectóſque haberet, hi concurrerunt ad prælium non mercede conducti, non prædarum ſpebus allecti; ſed tantum vt tyranno morem gererent, nec illum exaſperarent. Nec hoc ſemel; ſed ſæpè fecerant, ſcilicet in Tane iuxta aquas Mageddo priùs, & hîc modò. Quaſi dicat: Etſi nihil tulerint priori certamine, non ſocorditer bello abſtinuerunt; ſed omni ſpe carentes, ne officium ſuum deſererent, inuolarunt. Iam qualis fuerit belli euentus, aperit: *De cælo*, inquit, *dimicatum eſt contra eos: ſtellæ manentes in ordine & curſu ſuo aduerſus Siſaram pugnauerunt.* Ne tantam hoſtium ſtragem ſumma celeritate paratam alij, quàm ſingulari Dei tutelæ adſcriberent, cæleſtis militiæ virtutem & efficaciam in profligando conterendoque impiorum exercitu declarauit. Qualis hæc cæleſtis pugna fuerit, ſuprà declarauimus. Addit hîc Abulenſis quæſtione 6. apparuiſſe fortè milites quaſi de cælo volantes, & nimiam Chananæis formidinem incutientes, vti viſi ſunt ad Eliſæi tutelam 4. Reg. 6. aut horriſono cælum fragore tonuiſſe, vt 1. Reg. 7. dicitur autem tenorem curſumque ſeruaſſe ſtellas ad differentiam belli Ioſue tempore facti: quaſi tunc maiori efficacia opus fuerit contra vnitos reges; minori modò contra vnicum Siſaram: tunc ſteterunt Sol & Luna contra vnitos ſe quodammodo vnione rutantes, ſuaque defendentes; modò his opus non fuit, vt iniquus alienorum poſſeſſor & raptor periret, & quæ nimis auidè deglutiuerat, cum vita & corona propria euomeret. Vel in ipſo certamine decentius cælum cum regibus, quàm cum Siſara ſe geſſit. Ille

8.

Abulenſ.

lic ſteterunt aſtra ; hîc quaſi paruipendentia aduerſarium,tenorem ſuum conſeruarunt,& quaſi aliud agerent , deleuerunt. Nec extinctos adhuc ſepulchri honor manſit : torrens namque Ciſon illorum traxit in profundum cadauera , ne vlla remaneret memoria. Apud antiquos probroſiſſimum infeliciſſimumque habitum eſt corpus manere inhumatum,& honori ſemper fuit,puluere, ſi non marmore, manere contectum. *Priamus*, ſcribit Caſſiodorus 2.var.22. *quanto pretio ſepeliendum Hectorem redemit, rogauit furentem,ſupplicauit armato , vitamque ſuam exponere maluit, vt cadaueri debita non negaret.* Itaque ſummus erat apud antiquos ſepulturæ honor, quo Chananæi caruerunt ad infelicitatis cumulum miſeriarumque incrementum. Nec ſatis fuit à fluctibus torrentis rapi ; ſed additum eſt equorum vngulis conculcari,& deteri: *Vngulæ equorum*,addit,*ceci derunt*. Verſum hunc variè auctores interpretantur,id eſt,ita agitati ſunt equi cæleſti fragore,ita ingenti metu concuſſi , vt ruptis frænis ſe in præceps dederint : adeóque per inacceſſas rupes gradi tentarunt, vt vngulas, imò & pedes amiſerint;& inſidentes concuſſos iactauerint, & confregerint. Itaque ea fuit hoſtium infelicitas, vt equos ipſos,quos ſibi commodos opportunoſque putauerant , exitiales ſenſerint, quando ab ipſis ineuitabili clade iactati,pedibuſque contriti.

Caſſiodor.

Hebræus. Abulenſ.

In Hebræo habetur : *Tunc confracti ſunt calcanei ab hinnitibus fortium* , quod ita explicat Abulenſis quæſtione -. id eſt hoſtium fortiſſimi ita mente turbati ſunt, ſenſuque commoti, vt dum equos ex ſe aliàs generoſos clamoribus,& veluti hinnitibus agitant,per incaſſa gradi compulerint,& cum ſeſſoribus perire coëgerint. Poſt cladis relationem ad terræ Meroz maledicendum inducit : *Maledicite terræ Meroz*. Putat Lyra hanc terram Meroz dæmoni cuidam fuiſſe ſubiectam, qui dæmon Siſaram impulit, & ad pugnam commouit. Diſcordat Abulenſis quæſtione 7. putatque in Meroz tellure aliquos habitaſſe fortè de ipſis Hebræis, qui cùm facilè fratres ſuos iuuare potuerint, noluerunt : ob quod maledictione mulctantur, dignéque arguuntur. Et ne maledictionem hanc ab irato animo profectam exiſtimarent,ab Angelo dictatam ait: *Dixit Angelus Domini*,&c.Per Angelum Michaëlem intelligunt , qui populo illi præſidebat , & infligendas pœnas ignauis vecordibuſque dictabat.

Lyra.

Abulenſ.

---

§. III.

Commentarius Litteræ.

*Verſ.*24. **Benedicta inter mulieres Iahel vxor Haber Cinæi, & benedicatur in tabernaculo ſuo, &c.**

9. CVm iam Debbora, Baracuſque cæteros omnes, qui operam induſtriamque ſuam ad illam ſacram expeditionem nauarant , laudibus extuliſſet , ad Iahelis iam ſingularem commendationem deuenit , illamque ait poſt cæli auxilium, poſt tot ſtrenuorum militum manum, victoriam vnicè perfeciſſe : ob quod celebre inter mulieres nomen eius in ſæcula permanſurum teſtatur , quod diuina etiam Angeli auctoritate decretum & fultum confitetur. Profectò Iahel gloriam ſuam mirè cumulauit , dum repudiato ſexu animum induerit virilem, & ſtrenuam ſe in hoſte occidendo præſtitit. In tabernaculo ſuo benedicendam ait , vt mulieribus conſtet naſci intra tabernacula earum benedictiones,& vt extra tabernacula oriri ſolent calamitates. Luculentius explicatiuſque Iahelis actiones prodit: *Aquam* , inquit, *petenti lac dedit , & in phiala principum obtulit butyrum*. Sitiebat Siſara aquam; verùm adeò induſtriè Iahel ſe geſſit , vt lac dederit, quò ſoporem citius excitarit : quod non obturbato ; ſed ſedato animo fecit,& vti principi, licèt tunc ſatis calamitoſo aurea in phiala butyrum obtulit. Iahelis ſedulum officium omnem Siſaræ ſuſpicionem ademit, & dum ab illa nihil veretur aduerſum, opportunum præbuit calamitati , & vulneri locum : *Siniſtram manum miſit ad clauum , & dexteram ad fabrorum malleos.* Certè dum vtramque manum extendit , formam crucis induit , diuinaque prouidentia actum eſt, vt populi ſalus à forma crucis inceperit , & manarit, vt hic repetat Tertullianus , quod de Ioſue ſcripſit in Apologetico cap.11. *Crucis habitus quoque erat neceſſarius,per quam Iahel victoriam eſſet relatura.* Tertullian. Quàm citò hoſtis fuerit extinctus, quamque miſerè ante Iahelis pedes volutus , textus non tacuit , vt qualem inſolens ſuperbia ſuſtineat exitum,contemplemur.Commodare nobis poterat Iuuenalis,quod Satyra 10.ſcripſit.

Iuuenalis.

Hic eſt,quem non capit Africa Mauro,
Perfuſa Oceano,Niloque admota repenti.

Non capiebat Siſaram Chananæa, & exiguo tabernaculo occubuit extinctus,& fœminea manu confoſſus. De ipſa ſcribere poſſet Plutarchus, quod in libro de virtutibus mulierum de Aretaphila : *Poſtquam variam fabulam , & multiplicem vſque ad coronæ collationem egit, vt vidit redditam ciuitati libertatem , illico incluſit ſe gynecæo,ſexendoque reliquam vitam cum neceſſariis, & familiaribus omni ambitione reiecta traduxit quietam.* Plutarch. Suo tabernaculo poſteà degit incluſa,nec poſt facinus aliqua legitur ambitione obſcurata , nec ad oſtentationem glorioſa.Per id tempus Siſaræ mater arcano dolore perculſa extra ſe videbatur acta: *Per feneſtram reſpiciens vlulabat mater eius, & de cœnaculo loquebatur.* Verebatur fœmina,ne quid aduerſi filio accidiſſet : ſperauerat ouantem ac triumphatorem citiſſimè rediturum,cumque nec nuntium acciperet , nec redeuntem à longè videret, ſummo dolore perculſa nullo loco quibat conſiſtere ; ſed de feneſtra ad cœnaculum, de cœnaculo ad feneſtram ibat , redibatque anxia,& veluti calamitatis prænuntia.Vna, quæ cæteris vxoribus videbatur cordatior,moræ cauſam poſſe eſſe aſſeruit aut ſpoliorum inter milites diuiſionem, aut cum pulchra elegantique ex captis fœmina conſuetudinem Sapientiorem hanc appellatam fuiſſe putat Arias Montanus,vt quæ augurandi ſcientia cæteras anteiret ; ſed ex ipſo augurio,quàm ſtulta ſit ars augurandi, cognoſcitur, quandoquidem illum aſſerebat ſpolia diuidere , & amori vacare. Ad hoc ſolum huius ſapientis reſponſum prodeſſe poteſt, vt noſcamus ſcilicet præcipuam ducibus prædā captas in bello virgines fuiſſe:vnde Martem Veneri addictum non ineptè fabulantur poëtæ. *Arſit*,aiebat poëta,

Digitized by Google

poëta, *Atrides medio in triumpho virgine capta.* Concludit caput Debbora relatis auguriis ita: *Sic pereant omnes inimici tui, Domine; qui autem diligunt te, ſicut Sol in ortu ſuo ſplendet, ita rutilent.* Quaſi dicat: Inimici Domini, etſi meridiani inſtar Solis rutilent, miſerè peribunt, & caliginoſiſſimo calamitatis nubilo prementur; at qui diligunt Deum, vt Sol in ortu ſuo ſplendeſcent, id eſt, etſi noctis interſtitium luminibus Solem viduet, iterum tandem exorietur, tenebraſque depellet, & triumpho coronatus ſplendidior, micantiorque redibit. Quod exemplo textus confirmat, dum addit: *Quieuitque terra per quadraginta annos*, triumpho ſcilicet fruens, & inimicos feliciter deterens.

---

§. IV.

Tunc cumulatè plenus reſplendet triumphus, cùm obſequioſa, humilique gratiarum actione honoratur Deus.

10. ADuerſos eluſiſſe caſus, & fruſtraſſe inimicorum adſultus ingentem gloriam victoribus parit; ſed nondum refulget plena, donec relatis gratiis victoriæ agnoſcitur cauſa: quid enim prodeſt cæleſti auxilio inimicum deuiciſſe, & gloriam ſibi inaniter vſurpaſſe, quandoquidem ipſe victor ſua obſcuratur victoria, dum ingratitudinis aſpergitur ignominia? Ingratitudinis notam vel bruta fugiunt, quia omnibus odioſam agnoſcunt. Elephantes, ſi aliquando arbori malè firmæ adhærentes corruerunt, & humano ſolatio aſſurgunt, ea ſe gratitudinis lege teneri arbitrantur, vt liberatoris ſui obſequantur arbitrio.

Caſſiodor. Elephas gratitudinis exemplum.

Adeſt Caſſiodorus 10. var.: o. *Bellua ſuis greſſibus reſtituta nouit memor eſſe beneficij, in magiſtrum quippe recipit, quem ſibi ſubueniſſe cognoſcit; ad ipſius arbitrium greſſus mouet, ipſius voluntate cibos capit, & quod omnem intelligentiam quadrupedum ſuperat, non dubitat primo aſpectu adorare, quem cunctorum intelligit rectorem eſſe, cui ſi tyrannus appareat, inflexa permanet, nec imponi poteſt bellua hoc & malis pendere, quod à ſe nouit bonis Principibus exhibere.* Itaque quæ ſua mole proſtrata ſic iacebat, vt magis metallica videretur, quàm carnea, dum caſum fruſtrat, & hominis arte antiquo vigori reſtituta lætatur, gratitudinis obſequium exhibere à ſe ipſa nobiliſſimè cogitur. Iam ſi bruta gratitudinis agnoſcunt legem, quid debeant homines auctori, dum proſtrati & penè attriti eius ope reſtiuuntur ſaluti? Quid glorioſius, quàm captiuitatis ignominiam depellere, iugum in dominium commutare? Hoc vel cæcus non dubitabit diuino adſcribendum auxilio, & belluis deterior eſt, qui detrectat religioſo teſtari beneficium obſequio. Debora & Barac exigua manu in Siſaram virulentiſſimum hoſtem, ac ſæuum tyrannum inſurgunt; ſed quos tuebatur iuſtitiæ cauſa, non potuit non coronare victoria: immortale ſæculis reportauere trophæum; quo plus de euentu humana ambigebat prudentia; eò illuſtrior fuit honeſtè audentium victoria: vtque nihil triumphis detraherent, gratias Numini animis deuotis egerunt, & triumphi gloriam cumulatius ornarunt: *Cecinerunt Debora & Barac filius Abinoen in illo die.* Non diſtulerunt pigri, non diſſimularunt ingrati; imò vt dies ille cumulatè reſplenderet fauſtus, actione gratiarum conſummatus eſt triumphus: *Poſtquam deſcripta eſt hoſtium debellatio*, ſcribit Lyra, *hîc conſequenter deſcribitur gratiarum actio, ſicut rationabiliter & iuſtè conſuetum eſt fieri: in qua quidem gratiarum actione, quæ vocatur canticum Deboræ, Debora primùm ſe & alios ad diuinas laudes incitat.* Victoriæ detraxiſſet, ſi tumore erigeretur ſuperba; gloriam auxit, dum agnouit beneficium deuota.

Lyra.

Chriſtus Dominus aduentat cum morte & 11.
ſepulchro Lazari congreſſurus: faſciæ ſepulchrales, teterrimus odor, funeſtus lapis, Iudæorum diffidentia in campum contra miraculum procedebant. Quid tunc? Infremit & gratias agit: *Infremuit ſpiritu... Pater gratias ago tibi, quoniam audiſti me.* Vbi Chriſtus cœpit inferni pulſare fores, vbi tartareas portas aggreditur elocare, vbi mortis, gehennæque nititur venuſtam legem diſſoluere, prodit in campum tota tartari furens poteſtas; verùm hoſtium copia militauit trophæis, & iam bellico fremitu ſibi plaudit: quia hoſtem veſtigio calcatum premit. Ita Chryſologus ſerm. 65. *Fremit Chriſtus debellans mortem: quia non poteſt non fremere, qui ſingularem rapit de hoſte victoriam.* Alia profectò miracula operabatur Chriſtus, quin publica gratiarum actione ſuam gratitudinem teſtaretur; at vbi ſingularem de hoſte victoriam reportauit, & gratias publicè egit: ne ſi differat, victoriæ laus adeò non reſplendeat plena. Aduerſabatur infernus varias rationes colorans: pugnabat Chriſtus virtute, & tota Trinitas opem tulit infernum debellanti, & compulſus eſt infernus gemere, ſeruiteque triumphatori. Ergo gratias agit, & victoriam ſtabilit. *Totius Trinitatis conſeſſu*, addit Chryſologus, *& Lazarum præcipit exire, & tartarus ad reddendos omnes mortuos Chriſto iuſſus eſt obedire* Hinc eſt quod filius clamat. *Pater gratias ago tibi, quia audiſti me.* Peractis gratiis & inferni ſeruitutem æternat, & decantandum ſæculis triumphum coronat: *Vis tota mortis* (verba ſunt Chryſologi ſerm. 63.) *impleta eſt, & forma reſurrectionis plena reſplendet.* Plena reſplendebat reſurrectionis victoria non ſolùm virtute; ſed gratiarum etiam actione.

Ioan. 11. v. 33 & 40.

Chryſol.

Iacob cum Angelo colluctatur, adeòque ſe 12.
viriliter geſſit, vt palmam celebrandam ſæculis reportauerit: benedictus fulget egregius triumphator, nec tamen deponit anxietatem ſecurus: nam poſt illam Dinæ calamitatem, & Sichimitarum tragœdiam timet; verùm Deus anxium ſolatur, iubetque Bethel aſcendere, & ibi ara conſtructa habitare: *Aſcende Bethel, & habita ibi, facque altare Deo, qui apparuit tibi, quando fugiebas Eſau fratrem tuum*: protinus aſcendit, & iam inimicorum robur elanguit: *terror Dei inuaſit omnes per circuitum ciuitates.* Quæres cur iã inimicis ſit terrori, qui anteà poſt victoriam etiam obnoxius erat anxietati? Facilis ratio: nondum erexerat aram poſt victoriam, & dum gratiarum actio non conſummauerat triumphũ, non potuit reſplendere perfectus, nec timore lucere vacuus: *Exigit Deus*, ſcribit Lipponianus, *gratiarum actionem à Iacob de beneficio liberationis ſuæ.* Terror omnes inuadit, cùm gratitudinis, gratiarumque actionis erigitur monimentum, & offertur Domino ſacrificium. Iacob fruitur plena victoria, cum religioſa Numini conſtruitur ara? vicerat antè pio certamine Angelum; non tamen omnem diſcriminis depule-

Geneſ. 35. v. 1.

rat metum;at erecta ara iam reſplendet benedictione perfecta,& triumphorũ gloria cumulata.

Vicit Ezechias ferè innumeram hoſtium copiam diuino auxilio, & auxiliante Angelico gladio: *Factum eſt in nocte illa venit Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia.* Poſt inuiſam adeò ſæculis victoriam non auditur cantus; ſed luctus: Ezechias nemque morbo peſtilenti corripitur, & futura mors à propheta denuntiatur: *In diebus illi ægrotauit Ezechias vſque ad mortem.* Quibus in diebus: nempe reportatæ victoriæ, & triumphi. Iam ſi inquiras, quæ cauſa triumphi adeò celebris plauſum interpellauerit, reſpondebit ex aliquorum ſententia Lyra: Ezechiam debitas Domino gratias non reddidiſſe, & ob id nec triumphi fuiſſe conſummatam lætitiam, nec plenam reſplenduiſſe victoriam. *Dicunt aliqui quod hæc infirmitas contigit Ezechiæ eo quod non reddiderat gratias Deo ſufficienter de perſecutione exercitus Sennacherib.* Itaque vt conſummaretur triumphus,debebat humiles,deuotaſque gratias Domino reddidiſſe, & eius auxilium deprædicaſſe; at cum animo elato agere gratias fuerit oblitus, triumphus etiam obſcurabatur ægrotus. Diſcant hinc triumphatores nihil ſuæ victoriæ detrahere; ſed Domino gratias reddere.Debbora victoriæ conſummauit laudem, dum grata Domino cecinit, & aliis idem facere perſuaſit.

4. Reg. 20. v. 1.

Lyra.

14. Cum inito fœdere Amraphel, Sennaar, & alij Reges contra Sodomæ, Gomorrhæque reges bellum inſtituiſſent, valideque decertaſſent, copioſum triumphum reportarunt; at dum ſecum iuſtum ſimul rapiunt, triumpho ſuo inuident: quia captus Lotus victoriam vertit in luctum, & quia non poterat retineri captiuus, ſecum traxit captiuos reliquos liberatus. Abraham exiguam manum inſtruit, & incautos repentina, improuiſaque aggreditur irruptione, & digna premit victores captiuitate. Triumphum agenti Melchiſedechus occurrit, cui teſte Apoſtolo ex omnibus Abrahamus decimas dedit, & Deo vinum & panem per manus eius deuotus obtulit: Melchiſedech rex Salem proferens panem & vinum: erat enim ſacerdos Dei Altiſſimi, benedixit ei, & ait: *Benedictus Abram Deo excelſo, qui creauit cœlum, & terram & benedictus Deus excelſus, quo protegente hoſtes in manibus tuis ſunt, & dedit ei decimas ex omnibus.* Modo Abrahamus lucet benedictus, qui nec tot aduerſariis victis plenè reſplenduerat laudibus celebratus.Et cur modo?Quia nunc, reſpondit Interlinearis,apud Lippomanum,Deo offertur ſacrificium, & Abrahamus oblatis decimis religioſum teſtatur obſequium. Ergo tunc reſplendet benedictus, cùm apparet & gratus: *Benedictus Abram Deo excelſo. Ac ſi planioribus verbis dicat: Hæc victoria Deo excelſo eſt aſſignanda, & gratiarum actio pro beneficiis exhibenda.* Dum Abraham offert decimas, dum debitas pro tanta victoria refert Supremo Numini gratias, lucet plenè conclamatus, & plauditur benedictus: gratiarum actione aſciuit ſibi protectorem exinceps Deum, vt iam nullo exagitaretur periculo, qui emerat ſibi ſecuritatem obſequio, & digno gratitudinis teſtimonio. Offerenti decimas redditur triumphorum plauſus, quia de gratiarum actione triumphus lucebat perfectus.

Geneſ. 14. v. 18.

Interlin.

§. V.

Securè degit eius in domo vitium, ſi fœmina publicum non erubeſcat, nec miſcere colloquia cum viris fugiat.

TRahantur virgines ſancta in Eccleſiam, aiebat Tertullianus de veland. virgin. cap. 3. *erubeſcentes quod agnoſcantur in medio, pauentes quod detegantur accerſitæ quaſi ad ſtuprum: non minus enim & hoc pati nolunt.* Virtutis pudicitiæque ſtudioſæ mulieres iniuriam ſibi arbitrantur inferri, ſi liberis contigat oculis ſpectari: viri adſpectus etſi non conſtupret virginis perſonam, virginitatis deflorat famam: *Omnis publicatio*, addit Septimius, *virginis bonæ ſtupri paſſio eſt.* Quæ videri fœminæ non dico affectant; ſed non excuſant, virtutem ſuam inhonorant: poteſt quidem mulier colloquia miſcens, & oculos non recuſans animo cuſtodire virtutes; ſed habet contra ſe oculos ipſos, quibus ad ſpicitur,teſtes. Filiæ hominum vocantur, quæ videntur: *Videntes*, inquit, *filij Dei filias hominum, quòd eſſent pulchræ* Dum filiæ hominum nuncupantur; criminibus obſcuratæ traduntur. Quod ſi inquiras vnde illarum deprauati mores potuerint coniici, reſpondebit textus hominum oculos non vitaſſe; ſed aſpici ſuſtinuiſſe. Ergo dum mulier virorum oculis obiicitur, iam corruptis moribus prædicatur. Adeſt Baſilius Seleucienſis orat. 6. *Filij Sethi filij Dei nuncupantur teſſeram initæ cum Deo familiaritatis ipſam proferentes nuncupationem. Contra Caini liberi hominum appellatione continebantur,natura nomen ſortiti abſque vlla dignitate.* Vt textus ſplendidas illas, & ornatu florentes fœminas virtutibus nudas traderet; à Dei filiis conſpectas aſſeruit: *Videntes*, inquit, *filij Dei filias hominum*, vt dum conſtat hominum non repudiaſſe conſpectum, conſtet etiam diuinum audacter proculcaſſe mandatum. Hanc veritatem Iaël, Siſaraque diuerſis votis ſuffulciunt, & erudiendis ſæculis tradunt. In impium æther armatus eſt;verùm vt in ipſa ira miſericordiæ Dominus recordatur, ingenti fragore concuſſit, & fugæ locum conceſſit: in Iaëlis ſe tabernaculum recipit, ibique ſibi ſecuritatem promittit; ſed Iaël dignam intulit ſopito cladem: *Aquam petenti lac dedit, & in phiala Principum obtulit butyrum: ſiniſtram manum miſit ad clauum.* Quæres cur Siſara non timuerit ſopotem ſibi lacte conciliare, & præſumpſerit ſecurè poſſe dormire. Repete quam à Iaële conditionem popoſcit, & noſces fuiſſe imprudentem, dum fidit aſſeruandam; non tamen dum ſi aſſeruetur, præſumit vitam tuendam. Suaſit Iaëli Siſara, vt abdita tabernaculi deſereret, oſtioque adſtaret, ibique conſulit colloquia cum hominibus texere, nec mendacia recuſare: *Dixit Siſara ad eam: Sta ante oſtium tabernaculi, & cùm venerit aliquis interrogans te, & dicens: Numquid hic eſt aliquis? reſpondebis: Nullus eſt* Itaque dum Siſara diaboli typum gerens, vt iam vidimus, Iaëlem credidit tabernaculi ſecreta relicturam, &

15. Tertullian. Virgo videri ſ ipſidet.

Geneſ. 6. v. 2.

Seleucien. Nomina dignitatis indicia.

Iudic. 4. v. 20

& proceſſuram in publicum, ibique recuſaturam nullo modo colloquia; ſed vſuram etiam fallacia, non imprudenter deſerto capit tabernaculo ſomnum; imo ſecurus degit, ſi fœmina repudians audita prodeat in publicum: falſus eſt in præſtando mulieri fidem; at ſemel præſtita ſibi non imprudenter promiſit ſecuritatem. Certè ſi Iael iuſſis obtemperaſſet, Siſara ſecurè obdormiſſet; at illa vertit in contrarium ſtylum, vt hoſtem poſſet deprimere aduerſum: *Tulit itaque Iael vxor Haber clauum tabernaculi aſſumens pariter & malleum, & ingreſſa abſcondité & cum ſilentio poſuit ſupra tempus capitis eius clauum, percuſſumque malleo defixit in cerebrum vſque ad terram.* Dum abſconditur, publicum erubeſcit, dum ſilet, colloquia fugit, ſicque inimicum interimit: non poterat non eſſe perniciosiſſima hoſti fœmina humanos oculos dedignata, & tabernaculo abſtruſa: eius ſanè adiuuiſſet partes ſilentij violatrix, tabernaculique deſertrix: vt noueris quam mulieri pudicæ, probæque cuſtodiendum fuerit tabernaculum & ſilentium, & quam hoſti ſuo militet, dum amat publicum, & cum viro exambit
Rupert. colloquium. Adeſt Rupertus lib. in Iudic. cap. 7. *Occultus irrepſit in Eccleſiæ tabernaculum. vt occultis quaſi ſub pallio vitiis refocillaretur, vt victoris Chriſti non valens fuſcare nomen, ſaltem morum in domo eius corrumperet pulchritudinem. Sed quid illa fecit? Tulit, inquit, clauum tabernaculi aſſumens pariter & malleum, & ingreſſa abſcondité & cum ſilentio poſuit ſupra tempus capitis ſui clauum, percuſſumque malleo defixit in cerebrum vſque ad terram.* Abſcondita triumphat; ſilenſque reportat victoriam, quam ſine dubio hoſtis eius reportaſſet, ſi ad vanum colloquium, & in publicum de abſconditis excluſiſſet: Ergo fœminæ, ſi coronari diſcupiunt triumphis, abdita non deſerant, & ſilentium religiosè cuſtodiant.

16. Iezabel morum peſtis, religionis hoſtis, Eliæ aduerſatrix ea flagitia perpetrare non horruit, quæ nequitiæ metas exceſſerint, narrationemque ſuperauerint; ea tamen eſt indulgentiſſimi parentis noſtri miſericordia, vt tuleri patienter furentem, & tempus indulſerit, ſi poſſit corrigere ipſi patientiæ aduerſantem: illa miſericordia abuſa veſanius inſaniebat, & inſanius in virtutes religionemque militabat: tandem ipſas ſibi à Numine datas inducias in ſuppliciorum conuertit cumulum, & de dilatione ipſa incrementauit ſibi ſupplicium. Iam regnum tranſlatum erat, iam inimicus triumphabat; cùm audito Iezabel ingreſſu depinxit oculos, & habitum ſibi circumiecit indecenter feſtiuum, & per feneſtram reſpiciens ſuam cumulauit nequitiam, & inde
4.Reg.9. v.30. præcipitata ſuſtinuit pœnam: *Porro Iezabel introitu eius audito depinxit oculos ſuos ſtibio, & ornauit caput ſuum, & reſpexit per feneſtram ingredientem Iehu per portam, & ait: Nunquid pax poteſt eſſe Zambri, qui interfecit Dominum ſuum?* Quid tunc? Quæ illa fuerit mulier, hoſtis ſciſcitatur, & Iezabel agnoſcens de feneſtra iubet præcipitari, eiuſque procaciam præcipitatione puniri: *Præcipitate eam deorſum; & præcipitauerunt eam, aſperſuſque eſt ſanguine paries, & equorum vngulæ conculcauerunt eam.* Ecce mulieris præcipitium feneſtra ſcilicet: dum caput ſuum ambitiosè exornat, dum oculorum illicia extendit, dum ad adulterandam faciem colores miſcet, quam tot tantiſque ſceleribus non tulerat pœnam, incurrit, & iactata interiit: vtque notum omnibus eſſet ornatus picturæque delictum etiam puniri, dum ad ſepulchrum quæreretur, ſola eius caluaria nuda manuumque ſummitates repertæ ſunt, vt puniretur in publico, quæ aduerſata fuerat ſemper ſecreto: *Cum iſſent, vt ſepelirent eam, non inuenerunt niſi caluariam & pedes, & ſummas manus.* Pedes, quibus ad progrediendum in publicum vſa eſt, digitorum ſummitates, quibus faciem depinxit, caput quod exquiſitis, pretioſiſque monilibus onerauit: in publico remanſerunt ad ignominiam, vt publicitatis ſoluerent pœnam: in feneſtra periit conſpecta, quæ non perierat tot tantiſque ſceleribus denigrata: quaſi certiſſimum hoſti fuerit feneſtra patrocinium, & mulieri naufragium: *Iezabel inimica veritati, & aduerſaria prophetarum eloquiis*, inquit, Ambroſius epiſt. ad Irenæum, quæ eſt 12. *ita dilacerata eſt*: ita periit, è feneſtra ſcilicet, vt quam fœminis pernicioſa ſit publicitas, nobis conſtet, eaſque à profano cultu, & oculorum notitia ſeruet. Ambroſ.

Mecum non ſemel cogitabam, cur Dominus, qui recens natus feliciſſimi ſui ortus notitiam fulgentiſſima ſyderis eloquentia Magis remotiſſimis indidit, matris ſuæ nomen & perſonam ſilentio texerit: præſepi oritur, & cæleſtis panis granum paleis obtegitur; verùm non potuit fulgentiſſima noui Solis lux nocturnis caliginibus occultari; ſed vſque ad diſſitiſſimas regiones claritatis ſuæ radios extendit, inuolant Magi, & noui regis notitiam oſtentant: *Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? Vidimus enim ſtellam eius in oriente, & venimus adorare eum.* Mat.2.v.2. Et cur nil de matre proferunt, nil audiunt? tunc ſolum nouerunt, cum penetralia ſpecus intrarunt, *Intrantes*, inquit, *domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius*: quouſque domus intrant ſecreta, matris virginis non felicitantur notitia: quaſi virginei pudoris innubilaretur ſplendor, ſi extra domum radiaſſet, & oculos allexiſſet. Viderunt Magi alij lucem vel in oriente poſiti; ſed virginis lucem ſolum viderunt domum ingreſſi. O quàm fruebatur Chriſto, qui vtebatur domus ſecreto, & quàm digna erat ſecreti merces Domini pulchritudine frui, & inter brachia complecti: vtque noueris non ſine Sacramento matris notitiam celatam, animaduerte etiam Angelos paſtoribus pueri denuntiaſſe ortum, & coluiſſe erga virginem matrem ſilentium. *Dixit illis Angelus: Nolite timere: ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus, in ciuitate Dauid, & hoc vobis ſignum:* Luc.2.v.10. *inuenietis infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio.* Si paſtores, dum feſtinantes inuolant, non ſolum puerum; ſed & matrem, & nutritium eius fortunatiſſimis oculis intuentur, cur illorum gaudia imminuta ab Angelis referuntur: *Venerunt*, inquit, *feſtinantes, & inuenerunt Mariam & Ioſeph, & infantem poſitum in præſepio.* Certè ſi cæleſtes nuntios obſcurare poſſet inuidia, viderentur imminuiſſe non ſine æmulatione paſtorum gaudia. O quàm innatum creaturis eſt, infauſta exaggerare, feli-

17.

Digitized by Google

cia minuere! Et cur Angeli ab omni inuidentiæ nota liberi paſtoribus omnem felicitatem non explicent; ſed matrem taceant? Fallar niſi ſuo nos ſilentio erudierint, docuerintque virgines pudicaſque mulieres ſic intra domus abdita contineri debere, vt nec liceat earum notitiam extra ſecreti ſui limites diuagari: intrantes domum inueniunt; at extra domum

Tertullian. Maria nec paſtoribus nota, nec Magis nuntiata. Huc voco Tertullianum de veland. virgin. cap. 3. *Arbitrio permiſſa res eſt, vt quæque voluiſſet, aut tegi aut proſtitui.* Itaque virginitas de corporis integritate naſcitur, de virgine ignorata completur: quaſi ſi obiiciatur oculis, virginei ſplendoris patiatur aliquod detrimentum, licèt nullum virgineæ integritatis ſuſtineat damnum. Ergo ſanctiſſima Virgo motum exemplat ſolum intra domum à paſtoribus videatur, & à Magis adoretur.

18. Tertullianus, vt erat acutiſſimo ingenio aduertit duplicem Euæ ſtatum ab Adamo arcanis verbis ſignari: *Hoc nunc*, inquit, *os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur*

Gen.2.v.23. *virago.* Quaſi dicat: dum oſſis in modum obtegitur, & celatur, virginitatis gloria relucet; at cùm iam eius nomen vulgetur, cùm appelletur virago, cùm tecti oſſis, & à notitia remoti modum non ſeruarit, iam non virgo; ſed mulier erit. *Ingenioſè quidem*, inquit citato li-

Tertullian. bro cap. 5. *de futuro volunt dictum: vocabitur mulier, quaſi quæ hoc futura eſſet, cùm virginitatem reſignaſſet.* Itaque dum nomine incipit agnoſci, nec oſſis ad inſtar celari, iam virginitatem amiſit aut corporis, aut honoris.

19. Idem Septimius irridebat ethnicos, qui Cardam à cardinibus Deam putabant. Accipe eius verba lib. de corona milit. cap. 13. *Chriſtianus*

Tertull. *nec ianuam ſuam laureis infamabit; ſi norit quantos deos etiam oſtiis diabolus affinxerit: Ianum à ianua, Limentinum à limine, Forculum, & Cardam à foribus, & cardinibus:* Quaſi dicat Septimius: Non potuit non diaboli commentum eſſe perſuadere hominibus poſſe mulierem ſemper extra domum vel ſaltem in limine viuere, & diuinitate gaudere, cùm ipſa publicitas, & ſi fas eſt dicere, aſpectus paſſiuitas non ſolum teſtetur non diuinam; ſed publicarit profanam. Remotiſſima diſtabat à deitate, quæ tranſeuntibus ſemper obiecta, & omnium oculis ſpectata.

§. VI.

Qui prodigit honeſtè ſalutem, & conſeruat vitam, & reportat ſæculis decantandam victoriam.

20. NOſtra ſæpiſſimè vota cum votis pugnant: adeò cæcutimus, vt vbi timor non eſt, vehementiſſimè trepidemus: nociuo amore prouidemus ſaluti: nam ſtulta prouidentia aduo-

Seneca. Vitium nil pacatum habet. care ſolet pericula: *Illi*, aiebat Seneca epiſt. 59. de ignauis loquens, *hoſtem timuere ſine cauſa, tutiſſimumque illis iter, quod ſuſpectiſſimum fuit: nil ſtultitia pacatum habet: tam supernè illi metus eſt, quàm infra: vtrumque trepidat latus, ſequuntur pericula & occurrunt: ad omnia pauet, imparata eſt, & ipſis terretur auxiliis.* Salutis fomentum putat ſæpè ſtultus periculum, & vitam probatur odiſſe, quia malè conſtat amaſſe, vt è contra ſapiens agit ſolertiſſimè ſalutis cauſam, dum videtur prodigere vitam: dum metus virtuti officit, crudelis in ſe inuenitur, qui timet: vt è contra qui honeſtè contemnit pericula, ipſa audacia & promouet vitam, & reportat ſibi victoriam. Auida eſt periculi virtus: quia nouit diſcrimen laudabili audacia tranſire in triumphum, & audenti parere elogium. *Hoc quæram*, addit Stoicus, *quod mecum ſæpè diſpicio: quid ita nos ſtultitia tam pertinaciter teneat. Primo quia non fortiter illam repellimus, nec toto ad ſalutem impetu nitimur.* Ecce ſaluti conſulit in aduerſarios impetus, & quod meticuloſos deterrebat periculum, fortes ſocitat ad trophæum. *Qui ſponte obtuliſtis de Iſraël animas veſtras ad periculum*, canebat Debora, *benedicite Domino.* Quaſi dicat: Gratias agite non ſolum de victoria; ſed de laudabili audacia. Certè copioſum aduerſariorum diluuium frænabat animos, conſulebat detrectare certamina, & concedere aduerſariis trophæa; at dum contenta honeſtè ſalute animosè irruiſtis in hoſtes, captiuitatis depuliſtis ignominiam, & celebrem reportaſtis victoriam: cùm vitam veſtram benè odiſtis, amaſtis: *Obtuliſtis animas veſtras ad periculum*, ſcribit Lyra, *ſecundum huma num iudicium: quia pauci & inermes, vt poſteà videbitur voluntariè, & promptè iuerunt ad pugnandum contra multos, & benè armatos & tamen ſecundum veritatem ibi non erat periculum: quia adſiſtebat eis diuinum præſidium.* Rerum nos ſpecies ſæpiſſimè fallit: læti noſtro malo gaudemus, & dum vocat felicitas, trepidamus: qui vt vitæ prouideret, temperantiam timuit, ſibi laſciuiens immaturam abſtulit vitam, & probroſam intulit notam; at qui ſalutis periculum deſpexit, vt caſtitati inſeruiret, meritis ſalutem promouit, & victoriam de gehennalibus hoſtibus reportauit. *Sapiens*, aiebat ſuprà Seneca, *ad omnem incurſum munitus & intentus; non ſi paupertas, non ſi luctus, non ſi ignominia, non ſi dolor impetum faciat, pedem referet: interritus & contra illa ibit, & inter illa.* Inter illa triumphat, qui interritus honeſta pericula anhelat. Ecce dum Iſraelitæ honeſta audacia deſpexere ſalutem, diuino muniti auxilio vicerunt hoſtem: copioſis ditari reſplenduerunt manubiis, vbi putabantur trucidandi hoſtilibus armis. Profectò pro virtute periculum eſt triumphorum præſagium: quia ſemper pro audente militat cælum. Lyra. Seneca. Sapiens inter aduerſa conſiſtit intrepidus.

Cùm Petrus aliique condiſcipuli confuſis agitarentur procellis, magiſter adeſt liquidos fluctus conſolidans, & meticuloſis opem allaturus inuolans: Petrus, vt Domino approximet, deſpicit ſæuientem vndarum æſtum; imò apertum intrepidus contemnit ad ſpeciem naufragium: *Domine, ſi tu es, iube me ad te venire ſuper aquas.* Horriſonus fluctus, caua vndarum volumina, ne propinquaret Domino, greſſum impediebant, & animum retardabant: agnoſcit Petrus, ni intrepidè Deo iubente deſpiciat naufragium, non poſſe velociter peruenire ad magiſtrum, & perueniendi deſiderio, intrepido tumentia æquoris dorſa calcauit veſtigio: Deſcendens Petrus de nauicula ambulabat ſuper aquam, vt veniret ad Ieſum: non 21. Mat.14.v.28

ten

tentauit vndas calcare ad oſtentandam animo-
ſitatis audaciam, aut temeritatis ad pompam;
ſed vndas ingreſſus eſt, vt veniret ad Ieſum:
quia vidit vndarum periculo retardari, timore
depoſito molitur calcatis vndis accedere. Quid
tunc? Honeſta audacia diſcrimen abegit, &
Zeno. audentis gloriam adauxit. Adeſt Veronenſis
Zeno ſerm. de timore: *Petrus æſtu marino fer-
tur non naufragus; ſed viator: timet profundum
intercipere non timentem*: vbi Petrus non timet
periculum, veretur periculum Petrum, & vbi
aperta minabantur naufragia, inuenta eſt pla-
cidiſſima via. Profectò ſugillaretur temera-
tius, ſi euanidæ gloriæ æſtu calcare tentaret
fluctum; at dum vt ad Ieſum veniat, non ti-
met nanfragium, de ipſo naufragio reportat
triumphum: *timet namque profundum intercipe-
re non timentem*: dum generosè deponit peri-
culi metum fouens virtutis ſtudium, marino
æſtu fertur non naufragus; ſed viator: vtque
noueris quàm aduerſetur ſaluti, virtutis di-
ſpendio ſaluti conſulere, attende quid hoc in
ipſo itinere acciderit Petro. Ventus acrius ad-
ſpirans ingruit, & iam diſcipulus greſſum tar-
dat, ne periculum vndis incurrat; ſed impru-
dens vitæ prouidentia attulerat illi, ni Chriſtus
ſuccurriſſet, naufragia: *Videns ventum validum
timuit, & cum cœpiſſet mergi, clamauit.* Mergi
incipit, dum pedem meticuloſus refert: timens
periculum periclitatur, qui periculum deſpi-
ciens triumphator fertur. Certè dum Chriſto
accedere repigrat venti timore impeditus, ipſa
redditur trepidatione timoris naufragus, vt vi-
deas ſalutis curam, ſi virtuti probetur aduerſa,
ſaluti conciliare naufragia: vt è contra genero-
ſum vitæ ob virtutem contemptum ſecutum
peperiſſe trophæum.

22. Numinis ira in Hebræorum populum exar-
ſit, & plures peſtilentia conſumpſit: *Addidit
furor Domini iraſci contra Iſrael.* Gladius An-
2. Reg 24. v. 1. gelicus plures deuorabat, & ferè innumeros à
Dan vſque ad Berſabee iam abſumpſerat: *Mor-
tui ſunt ex populo à Dan vſque ad Berſabee ſe-
ptuaginta millia virorum.* Dauid Angelum gla-
dium vibrantem intuitus accurrit charitatis
flammis ſuccenſus, & periculum pro culcat im-
pauidus: *Dixit Dauid ad Dominum, cum vi-
diſſet Angelum cædentem populum: Ego ſum qui
peccaui, ego inique egi, iſti, qui oues ſunt, quid
fecerunt? Vertatur, obſecro, manus tua contra me,
& contra domum patris mei*: vitam prodigit pro-
priam, vt ſubiectorum tueatur vitam: in ſe
Angelicum concitat gladium vt à populo de-
pellat periculum. Quid tunc? Non ſolum
vitæ non patitur detrimentum; ſed habetur di-
gnus offerre Domino ſacrificium: *Venit Gad ad
Dauid in die illa, & dixit ei: Aſcende, &
conſtitue altare Domino.* Profectò humana pru-
dentia conſulebat fuga ſaluti proſpicere, non
in gladium Angelicum inuolare, cum vitæ
ſuæ probetur inimicus, quiſquis armati hoſtis
iram inflammauit inermis: vt ſaluti conſulit,
qui eius declinat aſpectum, & fugit gladium.
Quomodò ergo Dauid ſibi periculum creat,
dum inimico appropinquat; imò ſibi, popu-
loque prouidit, inquit Ambroſius apolog. 1.
Ambroſ. pro Dauid cap. 7. dum ſalutem magnanima ge-
neroſitate deſpexit. *Quàm illud etiam mirabile*
(verba ſunt Ambroſij.) *quod Angelo ferienti
plebem ſe obtulit. quo facto ſtatim dignus ſacrificio
iudicatus eſt, qui abſolutione æſtimabatur indi-
gnus.* Salutem paruipendens ſaluti conſuluit,
& dum vitæ prætulit charitatem, charitatis
reſplenduit flamma, & donatus eſt etiam vita.
Si ſubiectorum paruipendens detrimentum
proprium diſcuperet vitare periculum, ipſa fu-
ga incurreret damnum: abſolutione iudicaba-
tur indignus, & altari iam ſacrificium offert mi-
randus: quia rationabili mortis contemptu &
ſuffulſit vitam, & de ipſo Numine dignam re-
portauit victoriam.

Nicanor impius regis gratiam ſibi concilia- 23.
re molitur de Hebræorum ærumnis, & de ſub
haſta venditorum miſeriis: nonaginta manci-
pia talento ſe diſtracturum promiſerat, vt ho-
norem illis auferret, & libertatem: hanc duro
iugo, & illum exiguo pretio. Quid tunc? Ma-
chabæus laudabili audacia ſalutem contemnit,
malens prodigere honeſtè vitam, quam capti-
uitatis tuliſſe notam: ſigna confert cum Nica-
nore, & niſus cæleſti auxilio glorioſo coro-
natur trophæo: *Facto ſibi adiutore omnipotente* 2. Machab. 8 v. 24.
*interfecerunt ſuper nouem millia hominum; maio-
rem autem partem exercitus Nicanoris vulneribus
debilem factam fugere compulerunt.* Ad quæ Lyra.
Lyra: *Multi ex magno deſiderio mori ad pugnan-
dum pro patria & lege Dei fuerant ibi quaſi iner-
mes, & maximè quia dixerat Iudas melius eſſe
mori, quam videre mala gentis & Sanctorum.*
Mori elegerant pro virtute, at ipſe honeſtus
mortis contemptus vertit aduerſarios in fugam,
& peperit animoſis victoriam: ſi vitæ conſule-
rent inique ſancito cum hoſte fœdere, & Nu-
minis incurrerent iram, & ipſe hoſtis fracta
fide indecoram inureret vti reiectitiis manci-
piis notam. O quàm ſæpè ipſe vitæ amor
trucior eſt hoſtis, & grauior ſaluti peſtis: ſi be-
nè oderis, tunc amaſti, & ſi malè amaueris,
tunc odiſti. Felices, qui oderunt amando; in-
felices, qui amauerunt ſibi inuidendo.

Tres illi pueri ipſo ſupplicio glorioſi regis 24.
minas contemnunt, deuouent ignibus vitam,
ne iniquam tueantur cauſam: rubebat aër hor-
riſono flammarum incendio; ſed calcabant pueri
intrepido globulos igneos veſtigio: alij vt
vitæ coſulerent, flammas fugerunt; at im-
prudenter fugientes velocius apprehendit pe-
riculum, vt honeſtè audentes coronauit tro-
phæum: ignis fruſtrauit flammas, qui regis
contempſit minas, & qui extimuit irrationa-
biles regis minas, paſſus eſt rationabiles flam-
mas; alij dum ſtudioſè incolumitatem pro-
curant, periculum ſibi creant; alij, dum
deſpiciunt vitam, de horriſonis flammarum
globulis reportare victoriam: *Viros illos, qui* Dan. 3. v. 23.
*miſerant Sidrach, Miſach, & Abdenago, interfecit
flamma ignis.* Qui iniquis paruerant decretis, ne
arderent traditi flammis, ſuſtinuerunt flammas,
& perpetrauerunt culpas, at qui magnanimè vi-
tam prodegerunt, & glorioſiſſimè detriumpha-
runt: *Non tetigit eos omnino ignis, neque contri-
ſtauit.* Quod expendens Zeno ſerm 7 de tribus Zeno.
pueris aiebat: *Exeunt, iuuenes non flamma; ſed rore,
Dei dignitate non pœna. O felix ſupplicium, quod
incolumitate ſuperante immortalitas proſequitur &
corona!* Mortem vincunt, dum mortem con-
temnunt, & iam metus tranſit in triumphum,
& periculum vertitur in ſalutis fomentum: vt
diſcas prudenter vitam ambire, & tenuas peri-
culoſè affectare.

§ VII.

Prudens facit expromptus, quod velit nolit, efficere tenetur coactus.

25. QViſquis honeſtæ gloriæ ambitioſus, ita in opus prodit, vt nulla videatur neceſſitate compelli: coactio namque operum imminuit valorem, dum inducit neceſſitatem: arbitrium, & libera ſemper voluntas factis imponit pretium, & operibus decorum præſtat ornatum. Profectò magnæ imprudentiæ damnandus eſt, quiſquis ſpontè non venit ad quæ neceſſitas traxit. *Hoc vnum*, aiebat Demetrius apud Senecam lib. de prouid. cap. 5. *dy immortales, de vobis queri poſſum, quod non antè mihi voluntatem veſtram notam feciſtis: prior enim ad iſta veniſſem, ad quæ nunc vocatus ſum.* Itaque prudentiſſimus, ac fortiſſimus vir exambiebat non trahi; ſed currere; non diſpoliari, ſed elargiri: honeſtæ laudis ſtudioſus renuebat coactionis ſubire notam, cùm animi expromptitudine nobilitare quiuerit obedientiam. *Vultis*, addit Seneca, *liberos ſumere? Illos vobis ſuſtuli.* (Seneca.) Itaque prudentis eſt ire obuiam ſorti, nec parere neceſſitati: reluctari, renuere, protelare, reſiſtere: exacerbati animi eſt teſtimonium, & impotentiæ argumentum, quandoquidem ſolum cogitur inualidus, quia cogi neſcit fortiſſimus. Debora hanc Iſraëlitarum gloriam deprædicat, dum reportatum de Siſara triumphum cantat: *Qui ſponte obtuliſtis de Iſraël animas veſtras ad periculum, benedicite Domino.* (Iudic 4...6.) Si hiſtoriam recolas, inuenies Baracum in mandatis accepiſſe de Zabulon & Nephthali milites deſignare, ad pugnamque cogere: *Tolleſque decem millia pugnatorum de filiis Nephthali, & de filiis Zabulon.* Iam pungit ſcrupulus, ſi tolluntur ducis imperio, quomodo laudatur exprõpto aduentaſſe animo? Imò ob id ipſum, ſcribit Abulenſis quæſt. 1. (Abulenſ) digna reſplenduit miris laudibus eorum prudentia: curarunt namque ad bella proceſſuri expromptitudinis gloriam, ne coactionis ſubierint ignominiam. *Refertur*, verba ſunt Abulenſis, *ad bellatores, qui ſpontè ſe obtulerunt ad eundum ad bellum, ſcilicet quod licet Deus iuſſiſſet ire decem millia de Nephthali, & Zabulon, & ex hoc tenerentur ire etiam inuiti; tamen dicente eis Barac & Debora ex parte Dei, ſpontè iuerunt.* In ipſa præcepti neceſſitate libertatem arte excuderunt, dum cucurrerunt ſpontè, ad quæ aliter cogerentur venire inuite. Certè qui reluctantur, qui parere renuunt, laborem non excuſant; ſed incrementant: prudens dura emollit; & arbitrio ſpontaneo aſpera mellit. *Maluiſſem* (verba ſunt Senecæ) (Seneca.) *offerre, quam tradere. Quid opus fuit auferre? accipere potuiſtis; ſed ne nunc quidem aufertis: quia nihil eripitur niſi retinenti. Nihil cogor, nihil patior inuitus; nec ſeruio Deo; ſed aſſentio.* Profectò verba Chriſtiano calamo digna: non vult in his, quæ nequit excuſare, exhibere ſeruitium; ſed glorioſius præſtare obſequiũ. Grãde in aduerſis ſolatium eſt non reſilire; ſed induſtriè obtemperare, quandoquidẽ reportatur de ipſa aduerſitate triumphus, & libertatis reſplendet meritum, vbi coactionis premebat iugum.

26. Quale Abrahamus à Domino beneficium acceperit, Sacra Scriptura non tacuit: Sara namque plurimis confecta iam annis, filium edidit diuinæ beneficentiæ teſtimonium, & generis ornamentum: longa vtriſque ætas ademerat ſpem ſobolis; verùm accepit fides quod ademerat tempus, & quod auara denegauit natura, in peregrinos extorſit miſericordia. Itaque Abraham, cum ætas ad occaſum vergeret, filium ſibi chariſſimum educauit; verùm his infans, è cuius ſalute paternus, maternuſque pendebat affectus, diuina voce poſtulatur ad victimam quo pater glorioſius cumulauerit obedientiam, & adauxerit ſibi famam. *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis, atque ibi offerres eum in holocauſtum ſuper vnum montium, quem monſtrauero tibi.* (Gen. 22. v. 2.) Quid tunc? Frontem non contriſtat deuotiſſimus Abraham, nec dolor lachrymas perſuaſit: in montem aſcenditur, ara conſtruitur, puer de victima ſciſcitatur, & pater ſecutus de fide generis ſui oſtendit quod illum Dominus poſtulauerit. Lætatur filius, & cùm pater manus, pedeſque ligatura conſtringendos peteret, exprompriſſimè obtulit, & ipſam moriendi neceſſitatem vertit in laudabilem promptitudinem. Studuit miſerum non pati caſum; ſed honeſtum offerre Domino ſacrificium: *Cùm alligaſſet*, inquit, *Iſaac filium ſuum, poſuit eum in altare ſuper ſtruem lignorum.* Veronenſis Zeno, (Zeno.) quo pollebat ingenio, ſerm. 1. de Abraham, expendit ligaturam illam filij & patris deuotionem deprædicare: filij, dum manus lubentius offert: patris, dum ne quid vel in mortis exitu à filio minùs ſpontaneum timet: Accipe Zenonem: Lætatus eſt puer parte fideli ipſe quoque fidelior, nec recuſabat mortem, quam Deus, qui vitam dederat, imperabat: lætatur pater filio quoque gaudente, & cum gaudio vnici pignoris alligat manus, quas ille vinciendas libentius offert: pedes quoque conſtringit, ne in exitu mortis concitata victima calcitraret. Itaque pater & filius ſuam adornauere prudentiam, dum voluntariam offerunt victimam: velit nolitque filius, vinciendus eſt: ergo ille libentiſſimè manus offert exambiens lucere obedientiæ præſtantia, non obſcurari coactionis violentia: pater teneram in filium dilectionem oſtendit, dum, ne calcitrauerit, ligatura conſtringit: nam ſi reluctaretur, quid minus videretur ab hoſtia; at dum obedit, lucet virtutis præſtantia. *Ne quid minus*, addit Zeno Veronenſis ſerm. 2. *ab hoſtia videretur, pedem ligatura deſtringit, ne incitata victima diſpliceret.* Nihil quantumuis reluctans, & renuens ſubiret aram adimeretur de morte, & plurimum auferretur de laude: ergo pater optimus ne reluctantia & exulcerarit caſum, & defœdauerit ſacrificium, ſolicitus fuit in reluctantia impedienda, & in victima honoranda.

27. Dauid repente egregius triumphator lucet: nam monſtro illo proſtrato contribules, antequam experirentur, ſeruitutis iugo liberauit, & (1. Reg. 18. v. 4.) manubiis copioſiſſimis adimpleuit: Ionathas purpura ſe expoliat, & Dauidi lætus regium ornatum miniſtrat: *Expoliauit ſe Ionathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam Dauid*: Saul Dauidis gloria exacerbatus, vt Reipublicæ peſtem perſequitur, nihilque non tentat, vt aduerſarium throno deiiciat; verum quem extu-

leiat

letat gratia,nequiuit humana detruſiſſe proter-
uia : purpuram Dauid à Saule præcidit , & iam
ille ſuam deplorans miſeriam , regnum fatetur
tranſlatum , & velit nolit, regnaturum deplorat
1.Reg.24. v.21. inimicum : *Scio quod certiſſimè regnaturus ſis, &*
habiturus in manu tua regnum Iſraël. Itaque Saül
& Ionathas carent purpura ad Dauidem trans-
lata ; ſed Ionathas liberalitatis ſuæ commendat
gloriam ; Saul peruicaciæ incrementat ignomi-
niam : agnouit Ionathas Dauidem à Deo in re-
gem electum , & ne regali diſpoliaretur coactè
purpura,generoſa obtulit ac regia munificentia:
Dedit eam Dauid. Conuertit in liberalitatis of-
ficium, quod erat neceſſitatis decretum ; at Saül
iure luget , quia videt ſe denudatum purpura
gladio ablata : non obtulit ſagax induſtria , ſed
præcidit ferri violentia. O quàm Saül inueni-
tur ſtultus,quàm Ionathas prudentiſſimè cautus.
Hic namque ſpontè obtulit , quod agnouit ſibi
auferendum,ille compulſus eſt ad lamenta,dum
ſuam infelicitatem cumulauit de reluctantia:
Cùm nullus è toto exercitu probaretur ſatis, ſcribit
Seleucienſ. Baſilius Seleucienſis,orat.15. *eſſetque in periculo*
Saul,tunc militem ſuum producit in medium gra-
tia verè regem factis declarans. Itaque ſuis faci-
noribus apertiſſimè ſe à Deo in regem vnctum,
& ad thronum inauguratum Dauid oſtendit.
Quid tunc ? Ionathas vti prudentiſſimus ipſam
ſeruitutem vertit in liberalitatem, & quod pen-
dendum erat tributum fecit tranſire in obſe-
quium;at pater decretis diuinis obluctatus amit-
tit purpuram, & oſtendit imprudentiam. *Iona-*
Gloſſa. *thas* , ſcribit Gloſſa , *ſignificat eos , qui percepta*
gratia Spiritus ſancti pro Chriſto relictis omnibus
ipſum ſecuti ſunt. Nolunt diſpoliari , malunt of-
ferre ; & quia nouerunt omnia morte interue-
niente relinquenda , curant prudentes caſui eri-
pere,& Domino conſecrare.

28. Inter duos ſceleratos pendebat Chriſtus : has
enim peſſimus iudex excogitauerat technas ini-
quiſſimam colorare deſiderans cauſam,dum ſce-
leribus obumbrat iuſtitiam : ſociorum alter do-
lorum æſtu diſcruciatus, & impatientiæ rabiem
contumeliis exhalans fruſtra nititur crucem ex-
cutere,& vitam ſceleratiſſimam protelare : alter
non ſolùm didicit patienter ſupplicium ferre;
ſed quo ſpontaneum faceret,exambiuit in futu-
Luc.23.v.42 ra tempora protelare: *Domine memento mei,cùm*
veneris in regnum tuum. Videbat, vellet nollet,ſe
in crucem iam actum,crucemque laturum : ergò
deuotus , prudentiſſimuſque non renuit pati;
imò vt tormentum reddiderit voluntarium,ſup-
plicij producit terminum,& iam quod inceperat
coactionis pœna , tranſiuit in victimam ſponta-
neam : *Inſpirante Deo* , ſcribit Gregorius apud
D.Thomam, *totum illud illi obtulit, quod in ſe li-*
berum inuenit ; imò quod videbatur coactum,li-
berum fecit : nam dum voluntarius pœnam ac-
ceptat , dum aſſentit Deo, lucet in cruce marty-
rio : *Pœna,quæ inceperat in latrone*,aiebat Emiſ-
ſenus orat. de beato latrone , *conſummatur in*
martyre : deuota acceptatione nobilitauit pœ-
nam , & quæ anteà denigrabat ſupplicium , ho-
norauit obſequium. O quam in nos ipſos ſæui-
mus, dum quæ diuinis decretis obueniunt , exa-
cerbato animo toleramus ! O ſi diceres : vult
Deus aliquam corporis mei partem ? Sumat,non
magnam rem illi offero , cùm citò totum relin-
quam. Vult diuitias ? quidni largiar : nullam
moram faciam, quominus recipiat, quod dedit:
à volente feret , non à reluctante : renitentia
namque non ſolùm caſum non depellit; ſed
exacerbat , cùm aſſenſus & honeſtet , & immi-
nuat. Alter latronum probatur martyr, dum ac-
ceptat,alter duriorem ſibi crucem reddidit, dum
repugnat : externis namque pœnis internas fu-
roris adiunxit flammas , ſicque & cruciabatur
exteriùs dilaniatus,& interiùs furore adurgeba-
tur aduſtus.

---

§. VIII.

Iuſti in aliorum factis ſolùm intuentur
glorioſa, & neſciunt prorſus obſcura.

VT liuoris oculus humore malignitatis ſuf- 29.
fuſus ea ſolùm videt,quæ luce carent,cùm
ad glorioſa caliget , ita iuſtorum intuitus benè
ad contumelioſa caligat , & laudanda oculis ex-
panſis ſpectat. Neſcio quibus præſtigiis chari-
tatis & liuoris oculi eluduntur , & perturban-
tur : malignitas vnam eamdemque rem ea ſo-
lùm parte videt , qua marcet , nec videre poteſt,
qua floret, charitas videt qua floret , & ignorat
prorſus, qua marcet : *Fac ergo,mi Lucili*,aiebat
Seneca,epiſt.63. *quod tuam æquitatem decet : de-* Seneca.
ſine beneficium fortunæ malè interpretari : abſtulit; Beneficia Dei malè ſæpè interpretamur.
ſed dedit. Incuſabat Lucilius fortunam quod
amicum ſibi charum abſtulerit ; non tamen co-
gitauit , quòd dederit , cùm in vno eodémque
amico connexum eſſet & acceptum beneficium,
& ad ſpeciem illatum damnum, Lucilius dolore
obturbatus incuſabat fortunam : quia ſolùm
dolebat furtum , non videbat beneficium. Pru-
dentes exoculati ſunt ad probroſa , cùm perſpi-
caciſſimi ſemper aſpiciant honeſta.Ecce Debora
Iſſacharæos duces laudat,quòd non aſciti recur-
rerint promptiſſimè ad bellum , & deſpexerint
animosè periculum : *Qui ſpontè obtuliſtis de Iſ-*
raël animas veſtras ad periculum, benedicite Do-
mino. Hos non tam adfuiſſe belli tempore,quàm
triumphorum occaſione , innuit textus , dum à
militantium numero excludit. *Accinis* , inquit,
Zabulon , & Nephthali aſcendit , ſcilicet Barac, Iudic.4.v.10.
cum decem millibus pugnatorum Itaque inter mi-
litantium copias non referuntur Iſſachariani:
quia , vt putat Abulenſis , ſe ſubtraxerunt tem-
pore pugnæ,& inuolarunt ſolùm victoriæ. *Ali-*
qui alij venerunt de aliis tribubus, ſcribit Abulen-
ſis , quæſt.14. *vt de Iſſachar : quia tamen erant*
pauci,non facit hic de eis ſcriptura mentionem.
Vel fortè quia non venerunt ad principium belli;
ſed poſteà in fuga Siſaræ. Itaque Iſſachar duces A bulenſ.
fuerunt in campo,non tam tempore belli,quàm
triumphi, & tamen Debora non videt inuolaſſe
manubiarum auaritia, & videt iniuiſſe certami-
na : non aſpexit illorum aduentum , qua parte
cupiditati inſeruiebat ; ſed qua virtutibus mili-
tabat. *Quaſi dicat* , ſcribit Abulenſis , quæſt. 1.
vos fuiſtis in periculo pugnando contra Siſaram.
Itaque etſi tardè , contra Siſaram pugnarunt.
Ergo Debora Dei ſpiritu nobilitata aduentaſſe
vidit,non qua parte tarditas condemnabat igna-
uiam ; ſed qua parte pariebat gloriam : charita-
tis namque oculus ſic honeſtè cæcutit , vt iam
non ſolùm feſtucam prætereat ; ſed nec trabem
in aliis videat.

Ananias Domini diſcipulus, quique cum Do- 30.
mino colloquia familiariter miſcebat ad Saulum
mittitur,

mittitur, vt illum ſanitati reſtituat, & ad virtutem expoliat: miſſus ſic cæcum alloquitur: *Dominus miſit me Ieſus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas.* Si hiſtoriam recolas, inuenies deiecisse ex equo, ad terram proſtrauiſſe, & aſperis verbis zelum eius contumaciſſimum obiurgaſſe: cur ergo Ananias Chriſti deſcenſum ad coarguendum Paulum ita refert, vt videri poſſit fauor, non rigor. O quàm ſe diſcipulum Chriſti prodidit! Chriſtus Dominus Paulo in via, & apparuit, & deiecit; deiectio teſtabatur culpam, apparitio prænuntiabat futuram gratiam: eamdem ergo actionem retulit, qua parte Saulo decora, non qua perſecutori obſcura. Notauit OEcumenius ad hunc locum. *Non dixit: qui te excæcauit, improperium declinans; ſed, qui apparuit tibi.* Retulit quod erat gloriæ, & tacuit quod ignominiæ: iuſti namque caligant ſæpè ad aliorum defectus, cùm ſint inoculatiſſimi ad plauſus. Adde ſi aliquando referre obſcura teneantur, miro ea artificio breuiare, & breuitate minuere.

Act. 9. v. 17.

OEcumen.

31\. Huius veritatis adeſt Chriſtus Dominus norma & teſtis. Iudex omnium mortalium facta diſcutiens, & non adulteratæ æquitatis lance diſcernens, poſtquam iuſtorum egregia facinora ipſis patratoribus ignota miris laudibus commendauit ad improbos veniens, perſtrictim, & veluti curſim eorum percurrit ſcelera, & condemnat delicta: vtque iuſtorum adſpectus humilitate ſuffuſus ſuas non adſpiciebat virtutes, ita improborum oculus ſuas ignorat improbitates. Rogabant iuſti: *Domine, quando te vidimus eſurientem,* &c. tunc illis reſpondet: *Quamdiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Damnandi ſuam negligentiam excuſare conantes rogant: *Domine, quando te vidimus eſurientem,* &c. Ad quæ ille: *Quamdiu non feciſtis vni de minoribus his, nec mihi feciſtis.* Origenes quo pollebat ingenio, in catena animaduertit Dominum non exprobraſſe reprobis, fratribus ſuis egeſtatis tempore non ſubueniſſe; ſed minoribus opem denegaſſe; at iuſtorum facta commendans non minoribus; ſed benefeciſſe fratribus ſuis gratus exaggerauit. *Volens,* verba ſunt Origenis, *iuſtorum benefacta oſtendere grandia; peccatorum autem culpas non grandes; ad iuſtos quidem dicit: Ex eo quod feciſtis vni ex minimis meis fratribus; ad iniuſtos autem non adiecit fratribus: reuera enim fratres eius ſunt, qui perfecti ſunt.* Adiicit moraliſſimus, & ingenioſus interpres: *Gratius eſt enim apud Deum opus bonum, quod fit in ſanctioribus, quàm in minus ſanctis, & lenior culpa eſt negligere minus ſanctos, quàm ſanctiores.* Itaque quia offenſa de perſonæ, in quam fit, dignitate aut mediocritate grandior cenſetur, aut leuior; vt iuſtorum facta remuneret, vt gratificet, ea parte vidit, qua augeri poterant; at iniquorum ſcelera, qua minui quibant. Iuſtos miſericordiam ait exercuiſſe in magnos, vt de beneficiati magnitudine illuſtrius appareat opus, at iniuſtos teſtatur deliquiſſe non in Regis fratres; ſed in viliſſimos homunciones, vt leuius cenſeatur ſcelus, & erudiat ſuis factis iuſtum ſic de alienis virtutibus iudicium ferre, vt quantum poterit, illas extollat, ſic de aliorum erratis, vt minuat. Reprobos ait alimenta vitæ denegaſſe, non regis fratribus; ſed minoribus, vt minor appareat iniuria; iuſtos autem benefeciſſe fratribus regis, vt pro regia magnitudine, decentiaque referenda ſit gratia.

Matth. 25. v. 37.

Origen.

Mors immatura Lazarum rapuit, & cùm florens ætas, diuitiarum copia, nobilitatis præſtantia longam iucundamque vitam promittebant, omnes ſpes dies infauſtiſſima abſtulit, & lamentis ſorores charas repleuit; verum qui ſuperſtes religioſis ſibi obſequiis Chriſtum obſtrinxerat, ipſum, quod bene collocarat obſequium contra mortem habuit auxilium: nam aduentans Dominus ſæculis retro inuiſo miraculo ſuam teſtatus eſt charitatem: mortem, quæ irrepſerat, tumulo approximat depulſurus, & amoris flammis ſuccenſus lachrymas copioſas miſit, & ſororibus condoluit: *Lachrymatus eſt*: fortè ob ſororum lachrymas: quia videbat impendi caducis, quæ cælo dignæ dicari poſſent æternis. Ex circumſtantibus, quibus minus ingenium, ex fletu coniecerunt viuidam charitatem, alij fletum ad miraculi detorſerunt impotentiam: *Lachrymatus eſt Ieſus. Dixerunt ergo Iudæi: Ecce quomodò amabat eum; quidam autem ex ipſis dixerunt: Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere vt hic non moreretur?* Itaque pro affectus diuerſitate Chriſti interpretati ſunt lachrymas: alij ex ipſo amore coniecerunt non poſſe vitam largiri, quandoquidem ſi poſſet, amor reſurrectionem non pateretur differri: *Illud quæri poteſt*, ſcribit noſter Maldonatus hîc, *cur rem tam minutam, tamque parum, vt videtur, neceſſariam Euangeliſta narrauerit*: reſpondet doctiſſimus interpres: *Credo ſignificare voluiſſe, quàm varius fuerit de Chriſti lachrymis Iudæorum ſenſus; alios eius amorem admiratos dixiſſe: Ecce quomodò amabat eum; alios contra inde calumniam nexuiſſe.* Itaque Chriſti inimici ex fletu arguebant imbecillitatem, amorem deuoti: quæuis namque actio pro diuerſitate aſpicientis colorem mutat, & quæ beneuolis apparet mira, æmulis videtur obſcura: qui iuſti, aliorum facta boni ſemper conſulunt, & qua parte merentur laudem, aſpiciunt; at qui liuore ſuffuſi, aut malignitate peruerſi, in ipſa luce cæcutiunt, & ipſam virtutem carpunt. 32.

Ioann. 11. v. 36.

Maldonat.

Iam ab exordio noſtram theſim confirmauit ipſe Deus: varia animalia de terra producturus ſic imperium protulit: Dixit quoque Deus: *Producat terra animam viuentem in genere ſuo.* Terra præceptis Domini promptè obſecuta beſtias protulit, iumenta, & reptilia produxit: *Fecit Deus beſtias terræ iuxta ſpecies ſuas, & iumenta, & omne reptile terræ in genere ſuo.* Cenſebis terram vtpote rudem Numinis præcepta non percepiſſe, aut Numen votum non ſatis voce explicaſſe: ſi animam iubetur producere, cur beſtias parit? Nonne animalia corpore & animo conſtant? Aut ſi præcepti vi corpus & animam animalis producit, cur ſolùm anima nominetur: *Animam viuentem.* Eſtne generoſæ liberalitatis elogium beneficia actione complere, & voces ſemper minuere. O ſapientiam immortalem! in animali corpus inuenitur, & anima, hæc nobilior, vt illud groſſius: ergo cùm iuſſit produci, qua parte excellit, aſpexit: quaſi totum animal ad honorem fuerit anima, cùm tamen & terreſtri mole prematur, & craſſitie ſæpè grauetur. Opportunè Gloſſa apud Lippoman. *Producat terra animam viuentem in genere ſuo, id eſt, animalia viuentia, quæ per animam, cùm ſecundum etiam ſæculi ſapientes res à forma denominetur, ſignificantur.* 33.

Gen. 1. v. 24.

Gloſſ.

Totum

Totum ſignificauit animal; ea tamen parte, qua nobilius, & excellentius, cùm exprimere potuerit ea, qua & craſſius, & ignobilius: quò diſcant homines ſine veritatis detrimento, quæ in aliis minùs decora, præterire; & quæ nobiliora, ſemper proferre: vt diſcant res omnes eo latere aſpicere, quo clariores apparent, non quo ſordeſcunt, & lucem fugiunt.

---

§. IX.

Pro virtute labor, etſi aliquando periculum afferat, ſolum eſt ad plauſum, cùm careat diſcrimine ad detrimentum.

34. VT ſunt multa apud ſæculum fucis illita, & noſtris oculis imponentia, ita etiam in re virtutis plura ſunt, quæ oculis obiiciunt horrorem, cùm intus aſportent placiditatem. Laruata eſt honeſtè virtus, & diſcriminis ſpecie parit alumnis ſecuritatem. *Auida eſt periculi virtus,* aiebat Seneca de prouid. cap. 4. (Seneca. *Gloria pars eſt virtuti quod patitur.*) *& quò tendat, non quid paſſura ſit, cogitat: quoniam & quod paſſura eſt, gloriæ pars eſt.* Gloriæ pars eſt quod ſpecie apparet laborioſum, & anxium: latet namque ſub illa bracteà doloris gaudium, & ipſis aduerſis ad ſpeciem rebus gignitur ſecura lætitia, & augetur æterna fama. *Gaudent*, præmiſerat Stoicus, *magni viri aliquando rebus aduerſis, non aliter quàm fortes milites bellis.* Quod apparet horridum, quod diſcrimine plenum, inuenitur & placidum & ſecurum. In ſuum colorem vertit honeſtas, quidquid illi acciderit, & ſalutis indecorè ſeruandæ ignara, aſſeruandæ gloriæ inuenitur ſtudioſa: quia nouit nil eſſe periculoſum virtuti, detrahit laudabili temeritate laruam labori. Ecce Hebræi in Siſaram inſurgunt, & periculum grande deſpiciunt: ipſi namque bellicis inſtrumentis carebant, cùm Siſara falcatis curribus & militibus exundarit. Audi Deboram: *Qui ſponte obtuliſtis de Iſraël animas veſtras ad periculum, benedicite Domino.* Periculum audis, ſed ſi attentiùs perſpexeris, periculum fuiſſe nullum inuenies: promiſerat namque Deus, qui nec falli poteſt, nec fallere, adducturum ſe Siſaram in manibus Hebræorum, & ab ipſis diſpoliandum. (Iudic. 4. v. 7.) *Ego adducam ad te in loco torrentis Ciſſon Siſaram Principem exercitus Iabin, & currus eius, atque omnem multitudinem, & tradam eos in manu tua.* Itaque etſi perſtreperet bellum, etſi ferè innumera aduerſatiorum multitudo grande ad ſpeciem teſtaretur periculum, luctuoſiſſimumque minaretur hoſtibus caſum; tamen qui claris apertiſque oculis rem diſpiceret, glorioſiſſimum ſub illa periculi larua triumphum videret: miſerrimum cenſeres caſum; ſed decantandum ſæculis, re altiùs inſpecta, præuideres trophæum: nam ſub terroris ſpecie ſingularis latebat gloria, etſi exteriùs minaretur ruina: *Secundum veritatem*, (Lyra.) ſcribit Lyra, *ibi non erat periculum: quia adſiſtebat eis diuinum præſidium.* Fortiores erant quos diuina armabat potentia, quàm qui muniebantur armorum copia: ergo quamuis prima ſpecie appetere videretur humano auxilio deſtitutis periculum, non poterat reuera illos non coronare trophæum.

35. Hanc nobis doctrinam ſuis factis dictiſque veritate innixam Dauid oſtendit: in campum prodit gigas ille reliquos homines corporis mole, & ſuperbia plurimum antecedens, adſtabat ingens robore, grauis adſpectu, immane ſpirans, neque inceſſu diſpari altum vociferans, & vociferationem adſpectu comprobans: hic Dauidem puerum, armorumque imperitum intuitus in riſum effuſus eſt: canum ventres pro ſepulchro certatori promittebat, & ſuperbiſſimus luctuoſiſſimam ſtragem fore Dauidi affirmabat: *Veni ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cæli, & beſtiis terræ.* (1. Reg 17. v. 44.) Quid tunc Dauid? *Dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum à te.* Mira res: omnis Iſraël erat in expectatione ſeruitij, terror omnium vires refrænabat, & fugere de ſtatione cogebat, & tamen puerulus promittit ſibi victoriam, & ſub periculi ſpecie iam videt triumphum, & prænuntiat ante certamen trophæum. Huc voco (Seleuc.) quod alio ſenſu aiebat Baſilius Seleucienſis, oration. 15. *In riſum effuſus eſt, ſpectaculum ludicrum dicens armaturam eiuſmodi.* Vt laruæ timorem ingerunt vana ſpecie, ita gigantis armatura ludicrum erat ſpectaculum, & cùm inuincibilem mentiretur fortitudinem, lapidis ictus apertè oſtendit imbecillitatem. In ipſo periculo Dauid iam plaudit Numini, ſibique de victoria: quia nouerat in certamine pro virtute perſonatum eſſe periculum, & florentiſſimam laurum. *O plenas amoris diuini voces*, addit Baſilius, *vel ante victoriam potitus victoria!* Iam potitur puerulus victoria, cùm deprælatur honeſta cauſa: aſpectus videbatur æreus; ſed inflicto lapide apparuit carneus: fragilis erat ſubſtantia, quæ ſub indomabili armorum latebat pompa. Ad lapilli ictum corruit, qui aſpectu intuentium vires frænauit: non refertur gigas armis vſus in certamine, etſi perterruerit armorum oſtentatione. Erat larua, erat perſona, non diſcriminis contingentia: ſub periculi ſpecie pugna illa carebat periculo, & Dauid potiebatur trophæo: *O voces vel ante victoriam potitas victoria!* Diſce pro virtute certamina non timere; ſed erecto animo depræliare: inuenies namque latere glorioſum triumphum laruato ſub metu. Vana gigantis armorum oſtentatio adauxit puerulo victoriæ plauſum; non tamen attulit detrimentum.

36. Cùm Samſon ad oppidi vineas diuertiſſet, (Iudic. 14. v. 5.) leonis catulus ſæuus & rugiens occurrit: *Apparuit catulus leonis ſæuus, & rugiens, & occurrit ei:* flammiuoma beſtia, fera trux pauorem rugitibus incutiebat, & vires aſpectu ſolò frænabat; at Samſon Dei ſpiritu motus, in feram irruit, & quem timuerat leonem, inuenit hœdum: (Ambroſ.) *Irruit ſpiritus Domini in Samſon, & dilacerauit leonem quaſi hœdum in fruſta diſcerpens, nihil omnino habens in manu.* Itaque hœdi lactentis teneritudo leonis tegebatur ſpecie, & cùm horrenda appareret bellua, fragiliſſima inuenta eſt natura. Dum à Deo motus prælium aggreditur Samſon, hœdum inuenit ad pugnam, leonem ad triumphi ſubiecit gloriam: vicit leonem ad gloriæ cumulum, hœdum inuenit ad detrimentum. *Fortaſſis hoc*, ſcribebat Ambroſius in prologo, lib. 2. de Spiritu ſancto, *non ſolùm virtutis miraculum; ſed etiam ſapientiæ myſterium, prophetiæ oraculum fuit.* Suo facto nobis expreſſit Samſon quod ſtrenuis viris in virtutis

Digitized by Google

virtutis via ſolet accidere: occurrit leo horrida iuba, exacutis dentibus, truci aſpectu, ſæuis vnguibus; ſed totum hoc vſque ad terrorem: nam ſiquis diuino ſpiritu armatus irruerit, in fruſta diſcerpet, non iam leonem; ſed hœdum, & experietur ſub periculi ſpecie nullum adeſſe periculum; ſed ſolum debere timeri metum: animosè namque audenti ſecuriſſimus erat triumphus. O quàm horrenda monſtra nobis ignauia noſtra depingit: confingimus ſæpè neſcio quæ barathra, neſcio quæ vrgentiſſima diſcrimina, & timori ſuccumbimus inertiſſimi, cùm triumphis poſſemus coronari glorioſi.

37. Cùm Chriſtum recens natum fulgentiſſima ſtella cælorum lingua luminoſis vocibus prædicaret, Magoſque venerabundos adduceret, Herodes ad inuidiam excitatus eſt: arſit obſcura flamma, ſi poſſet tetro indignationis fumo exortam innubilare ſtellam: ſic vrgebat ad ſpeciem periculum, vt monente Angelo fugam tota Domini familia arripuerit, & ad terras diſſitas inuolarit. Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph dicens: *Surge, & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum, & eſto ibi vſque dum dicam tibi.* (Matth 2. v.13.) Fugit refugium, omnium auxilium latuit, & ſi fas eſt dicere formidauit cunctorum fortitudo; verùm cum omnium defenſio ſe poſſet protegere, & captioſas Herodis ſimulationes facillimè eludere, inquirendum eſt, cur ſuſtinere voluit periculum, & diſſitiſſimum inuiſere regnum? Textus, ni fallor, explicuit, vt videremus ſcilicet periculum tranſire in triumphum & anxium fugiendi ſtudium in glorioſum de hoſte trophæum. *Surge*, monet iterum Angelus, *& accipe puerum & matrem eius, & vade in terram Iſraël: defuncti ſunt enim qui quærebant animam pueri.* Ni ſuſtinuiſſet fugam, non retuliſſet Euangeliſta hoſte proſtrato victoriam; at dum fugit, ſæuitiam producit in campum, & ad ſpeciem metum indubium vertit in triumphum. Adeſt Chryſologus ſerm. 150. (Chryſol.) *Bellicoſus quòd in bello fugit, artis eſt, non timoris: Deus quando fugit hominem, ſacramenti eſt, non timoris: potens quando ſe ſubducit infirmo, inſequentem non pauet; ſed foris producit.* Subnectit ingenioſiſſimè: *vult enim in aperto vincere, qui publicam referre cupit ex hoſte victoriam: occultum ſe non patitur inire conflictum, qui mandare ſuum ſæculis vult triumphum.* Vt virtutis nouerint aſſeclæ, ſanctitatiſque alumni, quod virtutem vrget aliquando periculum, indubiè tranſire in laurum, fugit Dominus quaſi periculo ſtimulatus; ſed rediit lauro florentiſſima redimitus: *Defuncti ſunt enim qui quærebant animam pueri.* Non tam Herodes inſidiabatur vitæ; quàm militabat victoriæ: vt noſcas virtutem, etſi aliquando obſcuretur perſecutionis nubilo, citiſſimè vincere, & nitidioribus luminibus refulgere.

38. Hoc idem probat Suſanna illa pudicitiæ ſplendor, inuictæque fortitudinis forma, & intrepida aduerſus mortem conſtantia: captioſis fraudibus incautam circumuenit ſenilis aſtutia, & prodigioſa libidinis flamma. Vndecumque arctiſſimis premebatur anguſtiis: nam aut parendum erat inſaniæ, aut impendenda erat vita honorque indecoræ prorſus ſententiæ. Quid ergo Suſanna? Certè elegit ingruente ſæua procella, vt poſſet pace tranquilla: nihil egit vt obturbata: nam etſi anguſtiæ commendauere pudorem, obſcurare non valuerunt rationis lucem: *Ingemuit Suſanna, & ait: Anguſtiæ ſunt mihi vndique: ſi enim hoc egero, mors mihi eſt; ſi autem non egero, non effugiam manus veſtras; ſed melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras.* (Daniel 13. v.22.) Mirabili audacia ſpreuit mortem, temeritate laudabili amplexa eſt grande ſanè pudicæ tormentum pudoris iacturam; verùm quia pro virtute non exhorruit periculum, illud Deus vertit decantandum ſæculis in trophæum: inuerſus eſt ordo pœnarum, & qui auctoritate pro armis vſi inſidiabantur pudori, traditi ſunt duriſſimæ neci. Redit glorioſior, dum periculo videbatur vicinior: *Saluatus eſt ſanguis innoxius in die illa.* Adeſt Zeno Veronenſis, ſerm. 9. de Suſanna: *Falſos teſtes pauor inuadit, tremuit diabolus quòd ipſius commenta nudentur, gaudent Angeli quòd oppreſſa veritas tandem defendatur in terris, triumphat maritus quòd caſtam inuenerit coniugem.* Ecce anguſtiæ tranſierunt in gaudia, ecce pericula conuerſa ſunt in trophæa. O quàm ſapienter amplexa eſt Suſanna pro virtute diſcrimen: quia virtus etſi aliquando pulſet animum periculi angore, tandem coronat victoriæ laude. Certa pro iuſtitia, & crede ab ipſa ceruice auertendum ferrum, & redimituram tempora laurum.

---

§. X.

Non ſemel grauiùs à vicinis, quàm à remotis vrget periculum, & à coniunctis ſanguine detrimentum.

NOn ſolùm diligenda eſt regio, quam habites; ſed vicini etiam, inter quos viuas: nullus ſine detrimento fluctibus vicinatur, nullus illæsè globis approximauit ardentibus: 39.
Inſpicere autem debemus primùm nos metipſos, ſcribit Seneca, lib. de tranquillit. cap. 4. (Seneca.) *deinde quæ aggredimur negotia, deinde eos quorum cauſa, aut cum quibus agendum eſt.* Addit 6. capite. *Hominum vtique delectus habendus eſt, an digni ſint, quibus partem vitæ noſtræ impendamus.* Vicinis vitæ pars impenditur, cum illis agitur, cum illis ſæpè concurritur, qui ſi aut inuidentia turgeant, aut maligno ingenio floreant, candido rubiginem ſuam affricabunt, & ad grauia etiam pericula vrgebunt. Ecce Iſraëlitæ à Madianitis grauiſſima patiuntur damna, & ingentiſſima detrimenta: *Cùm ſeuiſſet Iſraël, aſcendebat Madian, & Amalec, cæterique orientalium nationum, & apud eos figentes tentoria, ſicut erant in herbis, cuncta vaſtabant.* Tentoria apud Iſraëlitas figunt, & figentes deuaſtant. Iam nationes has tunc Iſraëlitis propinquas, vicinaſque extitiſſe tradit Arias Montanus hic: (Montan.) *Non longè diſſitis, nec remota origine ab Iſraele diſtantibus nationibus, quales Chananæi fuerant; ſed vicinis ferè, atque ex eodem Abrahamo antiquo patre prognatis direptioni & ludibrio Iſraëlitas fuiſſe indicat hiſtoria.* Itaque Madianitæ, Amalecitæ, & Iudæi cognati & vicini erant: ergo Iudæis à vicinis creatum eſt ingentiſſimum detrimentum, & ſalutis diuitiarumque excidium, vt in aliorum miſeria tibi prouideas, nec te quibuſque vicinis credas: ſunt enim multi, qui etſi tecum combibant, epulenturque, oblata occaſionis opportunitate veluti hoſtes inſurgant, & pernicioſiſſimè lædant: *Nihil æquè oblectabit animum*

(verba

Digitized by Google

Seneca. (verba ſunt Stoici iam dati, capite 7.) *quàm amicitia fidelis, & dulcis: quantum bonum eſt, vbi ſunt preparata pectora, in quæ tutò ſecretum omne deſcendat, quorum conſcientiam minus quàm tuam timeas: quorum ſermo ſolicitudinem leniat, ſententia conſilium expediat, hilaritas triſtitiam diſſipet, conſpectus ipſe delectet.* Magna res amicitia fidelis. *Quos, ſcilicet vacuos, quantum fieri poterit, à cupiditatibus, eligemus.* Attende Philoſophi rationem. *Serpunt enim vitia, & in proximum quemque tranſiliunt, & contactu nocent.* Vitia ſerpunt. Itaque vt in peſtilentia cauendum eſt, ne corruptis iam corporibus, & morbo flagrantibus aſſideamus: quia pericula trahemus, afflatuque ipſo laborabimus. O quoties mulier pudica, viri ſui tantummodò gnara vicinæ ſuæ moribus & exemplis corrupta eſt! O quoties iracundus vicinus tragœdias excitat, & lites parat! O quoties imprudens incautum impulit ad ruinam, & aſciuit calamitatis miſeriam! Vt probus vicinus eſt vitæ ſolatium, ita improbus grande eſt vitæ ac ſalutis periculum.

40. Ardebat Pharao vehementiſſimo nocendi Iſraëlitis ſtudio, illos cupiebat prorſus delere, aut ſi non poſſet, conglomeratis mœroris cauſis opprimere: edictum protulit vel truculentiſſima fera indignum, & legibus naturæ prorſus aduerſum: Exod. 1. v. 22. *Quidquid maſculini ſexus natum fuerit, in flumen proiicite.* Abulenſ. Quibus hoc edictum datum fuerit, rogat Abulenſis, putatque ad Geſſen habitatores fuiſſe directum: quia ad alios videbatur otioſum. Audi eius verba quæſtione ſexta: *Iſti Ægyptij, ad quos redigebatur edictum, erant illi, qui in terra Geſſen inter Hebræos morabantur: quia ad alios in alteris Ægypti finibus habitantes nihil edictum huiuſmodi attinebat.* Itaque vt Scriptura teſtatur, filij Iſraël terram Geſſen incolebant, inter quos Ægyptiorum multi habitabant. Horum ergo opera vti decreuit Pharao, vt fructibus priuaret, & ad vitæ tædium Hebræos adduceret. Et quidem aſſecutus eſt, nec adeò per ſe nocens potuit eſſe tyrannus, vt fuit vicinus. Hebræarum explorabant parturas, & cùm illos recens natorum blandus latere nequiret vagitus, excipiebat vagientes fluctus: nulla erat ad celandum induſtria, nulla ad feritatem reprimendam ſolertia: vicinorum moleſtiis Iſraëlitæ premebantur, & virtutis carebant fructibus: quia intertexti erant improbis moribus. Non erat facile fructu virtutis gaudere, & inter Ægyptios improbitatis flagrantes peſtibus habitare.

41. Abrahamus ſacrificium de filio paraturus illum in montem ducit, & cùm iam propius ſacris tentaret accedere, ſeruos iuſſit ſatis diſſitos expectare: Gen. 22. v. 4. *Die autem tertio eleuatis oculis vidit locum procul, dixitque ad pueros ſuos: Expectate hic cum aſino.* Non miror reliquiſſe ſeruos, ſed prohibuiſſe loco approximare miror. Quid intererit, ſi decenti diſtantia pedem ſiſtant, dum proximè non accedant? Longè illos voluit diſſitos, & nullatenus aræ vicinos. Quod ſi inquiras cauſam, reſpondebunt interpretes, timuiſſe optimum patrem ne ſi approximarent, aut religiosè cæcam filij turbarent obedientiam, aut ſacram patris impedirent audaciam. *Expectate hic cum aſino,* ſcribit Lyra: *quia timebat, ne impedirent eius obedientiam, ſi eſſent præſentes.* Lyra. Veritus eſt eodem adſtantes loco, & voluit remotiſſimos ſacrificio: ſciebat namque non ſemel vicinos, proximos, domeſticoſque puerorum ætatem inſtigare ad vitia, & creare luctuoſa parentibus detrimenta: noluit ergo ſapientiſſimus Abraham vicinaretur Iſmaël (erat enim relictorum alter, vt tradit Abulenſis) loco, quia minus timuit à ferro. O quàm ſuis factis nos docuit fore aliquorum proximitatem ſummo ſtudio cauendam. virtutis ſtudioſis, & religioni ſacratis: remanent cum aſino: quia ſolùm ſapiunt, quæ ad animalem hominem pertinent, non quæ ad virtutis attinent cultum & obedientiæ decorum. Adde aliquando facilius eſſe iræ inimicorum occurrere, quàm vicini improbi technas, & calliditates vitare.

42. Gabaonitæ aliarum nationum calamitate perdocti à prudenti fallacia mutuari tentauerunt, quod à viribus ſe non poſſe ſatis conſultè prouiderunt. Ferè attritis veſtimentis induuntur, calceos ad itineris laborem auxilio pitaciorum indigentes oſtendunt; panes ferè omnino mucidos, ſiccoſque in fidei argumentum produnt: Ioſue vt erat candido animo dictis credidit, & vt erat corde non truculento, cum diſſitis, vt putabat, fœdus iniuit: *Fecitque Ioſue cum eis pacem, & inito fœdere pollicitus eſt quòd non occiderentur.* Ioſue 9. v. 14. Quid meliorem partem, ſaluiſque columitatem elegerant, iam vicinorum prælia patiuntur: Adonibeſec namque vicinas gentes conuocat, vt cum Hebræis fœderatos puniat. *Quæ cùm audiſſet Adonibeſec rex Ieruſalem, quòd ſcilicet cepiſſet Ioſue Hai, & ſubuertiſſet eam: ſicut enim fecerat Iericho, & regi eius, ſic fecit Hai, & regi illius. Et quod transfugiſſent Gabaonitæ ad Iſraël, & eſſent fœderati eorum, timuit valde.* Ioſue 10. v. 1. Timore obturbatus peſſimum cepit conſilium, producere ſcilicet ingentem vicinorum manum contra Gabaonitas in campum: *Congregati aſcenderunt quinque reges Amorrhæorum, rex Ieruſalem, rex Hebron, rex Ierimoth, rex Lachis, rex Heglon ſimul cum exercitibus ſuis, & caſtrametati ſunt circa Gabaon oppugnantes eam.* Ecce Gabaonitæ, qui ſolerti aſtutia hoſtium lucrati ſunt ſibi gratiam, à vicinis coguntur ad pugnam. Ita Ioſephus apud Gloſſam: Ioſephus. *Cùm rex Ieroſolymorum grauiter ferret, quod Gabaonitæ cum Ieſu pacta feciſſent, vicinarum gentium reges contra eos pugnaturos rogauit.* Obſidione Gabaonitæ cincti à Ioſue auxilium implorant, illeque vt in religionis odium conſpiraſſe reges cognouit, exercitum aduerſus conſpiratos produxit: tunc Gabaonitæ ab obſidentibus liberati ſunt; ſed retardato Solis curſu, & inhibito Lunæ acceſſu: *Steterunt Sol & Luna, donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis.* Expende, amabo te, quàm ægriùs, quàm difficilius à vicinorum periculis fuerit Gabaonitarum gens liberata, & quàm expeditius, faciliuſque cum hoſtibus fœdere ſanctiſſimo vnita: opus fuit ad depellendam vicinorum violentiam Solem ſiſti, ſtatutum aſtris tenorem inuerti, cùm

Pp fuerit

Tertull. fuerit ſatis prudens aſtutia ad cum inimicis concordiam: *Ipſis elementis*, aiebat Tertullianus aduerſus Pſychicos: capite decimo, *ſtationem imperauit: ſtetit Sol in Gabaon, & Luna in Aialon, donec vlcus eſt populus de inimicis ſuis:* vt à tricis, technis,inſidiis, bellis,quæ vicini in Gabaonitas cogitauerant, defenderentur, opus fuit audito retro ſæculis miraculo, & ſtupendo prodigio; cùm tamen ſine prodigio aut miraculo inimicorum ſibi conciliauerint gratiam, & facilè adduxerint in concordiam. Certè quod tunc ſemel, modò frequenter accidit, expeditiùs aliquando eſt hoſtis odium placare, & ad concordiæ pacem reducere, quàm improbi vicini machinas & technas vitare. Miraculo erit opus, vt à ſimul tecum commorantium te expedias improbis litibus, quàm vt aliquando in concordiam venias cum hoſtibus: vicinus improbus iracunduſve eſt tranquillitatis perturbatio, concordiæ exilium, diuitiarum diſpendium, ſalutis naufragium, & quidquid multiplex, variaque calamitas poſſet contra ſalutem conflare,hoc in malè morato, aut litigioſo vicino conſtat inueniri.

43. In diaboli manus permiſſus eſt Iobus: iniquiſſimus vt plus noceret, priùs gentes vicinas, quàm cæleſtes flammas armauit: *Nuntius venit ad Iob, qui diceret: Boues arabant, & aſinæ paſcebantur iuxta eos, & irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia, & pueros percuſſerunt gladio, & euaſi ego ſolus, vt nuntiarem tibi: cumque adhuc ille loqueretur, venit alter, & dixit: Ignis Dei cecidit è cælo, & tactas oues, puerosque conſumpſit.* Ecce diabolus, vt Iobi patientiam vulneret, vt tolerantiam diuexet, priùs vtitur improbo vicino, quàm voraciſſimo incendio, quaſi nihil adeò aduerſum virtutes poſſit armari, quàm vicinus iniuſtitiæ rapacitatique addictus, iracundiæ ſeruus, & improbis moribus denigratus: *Deprædationem mihi nuntias, ſcribit* Origenes nomine Iob libro primo in Iob, *& prædones non publicas, de proximo ſunt,an de longinquo?* Addit Origenes: *Hic nihil aduerſus ea, quæ dicta ſunt, reſpondit; ſed tantum prædones nominauit, nos intelligere admonens, atque nobis intelligendum relinquens, quos vel quales prædones nominauerit.* Cùm optioni reliquerit proximos, aut remotos prædones ſuſpicari, cenſeo de proximo irruiſſe, & ad celeriter calamitatem inuehendam, & ad impatientiæ cauſam multiplicandam.

Iob.1.v.14.

Origen.

44. Gedeon inſigni victoria de hoſtibus reportata in nouum ac periculoſius bellum incidit, quo periiſſet, niſi ſapienter vitaſſet: Viri Ephraim, de qua ipſe tribu erat, vt ait Ioſephus tragœdias excitant, quòd illos non vocarit; imò non vocando deſpexerit: *Quid eſt hoc, quod facere voluiſti, vt nos non vocares, cùm ad pugnam pergeres contra Madian, iurgantes fortiter, & propè vim ferentes.* Ecce vim inferebant conſanguinei, cùm ceſſiſſent aduerſarij. Adeſt apud Gloſſam Ioſephus libro quinto antiquit.capite decimo: *Tribus Ephram, ex qua erat Gedeon, grauiter ferens quòd eum eo minimè dimicaſſes, exercitum ſuper eum feſtinabat inducere.* En Gedeon à ſuis grauius, quàm ab externis impetitur, & niſi mellitis, humillimiſque verbis ſeditioni obuiaſſet, ingentiſſimum detrimentum tuliſſet: *His ſermonibus*, addit ibi Ioſephus, *eorum mitigans iram eos à præcipitio inteſtinæ ſeditionis eripuit.* Grauius victorem excipiebat periculum, niſi prudentia adhibuiſſet remedium: vt noueris à conſanguineis non ſemel cognatiſque lætam turbari fortunam,& grandem non ſemel procreari miſeriam.

Iudic.8.v.1.

Ioſeph.

§. XI.

Non ſemel vt maiorum obſeruentur conſilia, diuina contemnuntur præcepta.

ANtiquorum monita, dum virtuti militant, vigilanti debent obſeruatione cuſtodiri, nec ignaua negligentia violari: antiquitas ſemper eſt honorabilis, & quod inuenitur ſuffragiis temporum approbatum, non marcet ſine culpa grandi reiectum: *Nos*, aiebat Caſſiodorus 6. variar. vigeſimatertia, *non minorem gloriam habere cognoſcimur, qui facta veterum annuis ſolemnitatibus innouamus: nam quid prodeſſet inuentum, ſi non fuiſſet ſagaciter cuſtoditum?* Itaque quod à maioribus laudabiliter eſt inuentum, florere debet religioſè à ſequentibus obſeruatum: vt è contra debet deſpici antiquitas, ſi antiquitate oppugnetur æquitas: iuſtiſſimè conculcatur reiectum, quod non eſt laudabiliter ſequentibus delegatum, aſt ea ſæpè tenacitate maiorum monitis poſteri adhærent, vt præcepta Numinis paruipendant, ne quid in contrarium faciant: maiorum monita ſtudioſiſſimè nituntur obſeruare, quantumuis conſtet diuinis legibus contraire. Debbora concinno epinicio victoriam Baraci celebrans, de Seir exiiſſe Dominum refert: *Domine, cùm exires de Seir, & tranſires per regiones Edom, terra mota eſt, cælique ac nubes diſtillauerunt aquis.* Quærunt interpretes, quando fuerit hic Domini de Seir exitus, & quo tempore Seir incolas concuſſerit terræmotus. Rabbini apud Abulenſem nugantur vt aſſolent, fabellam ridiculam referentes, & fabellis auram captantes; verùm nolui non referre: quia poteſt vtiliſſimæ eruditioni inſeruire. Dicunt ergo Deum legem ſuam vti Iudæis, Idumæis etiam obtuliſſe; Idumæos verò nullatenus acceptaſſe: quia in lege diuina agnoſcebant neſcio quod maiorum ſuorum monitis præceptum apertè oppoſitum, & ritibus planè aduerſum, ob idque legem renuerunt amplecti, ne cenſerentur maiorum monitis obluctari: Referamus hiſtoriam. Cùm Eſau, qui Seir, & Edom appellatus eſt, à patre largis benedictionem ſingultibus extorqueret, in gladio acturum vitam prædixit: *Viues in gladio.* Cui monito cùm ad ſpeciem contradiceret lex diuina illo præcepto: *Non occides*, gladij operibus maledicens, homicidiumque prohibens, maluerunt legem reſpuere,quàm monita ſuorum violare. Itaque Idumæi Iſaaci verba ſiniſtrè interpretantes putabant patris ſe adurgeri conſilio, ſuaderi 45.

Caſſiodor. Veterum facta innouanda.

Gen.27.v.40. Exod.20.v.13.

monito

Digitized by Google

monito, vt in gladio viuerent, & illatam à fratre Iacobo iniuriam quouis tempore vindicarent, cúmque lex fundi humanum ſanguinem vetaret, & ab homicidio manus cohiberet, noluerunt obſequi diuinis præceptis, ne viderentur paternis contraire mandatis: & ob id Deus compulſus eſt de Seir exire, & ad Hebræorum gentem migrare. Audiamus Abulenſem, quæſtione 2. *Iudæi quidam exponunt hoc fabuloſè de datione legis, & dicunt quod cum Deus obtulit legem Idumæis habitantibus in monte Seir, & ipſi noluerunt eam recipere: quia cum Deus recitaret eam, & peruentum eſſet ad illum locum, ſcilicet, non occides, dixerunt Idumæi: Non conuenit nobis iſta lex: quia pater noſter Iſaac benedixit nobis dicens: viues in gladio.* Dum auita præcepta cum diuinis præceptis componentes contraria inueniunt, ne maiorum ſuorum vel ad ſpeciem violarint mandata, diuina calcant edicta; montes reuerenti ſtrepitu, nubes officioſo fragore legiſlatorem teſtantur Deum; at Idumæi legem reſpuerunt non maieſtatem ignorantes; ſed antiquorum monitis pertinaciter adhærentes: Compulſus eſt Deus Idumæos deſerere, & ad gentem aliam tranſire: nec enim poterant vigere æquiſſima iura, apud quos altiſſimè inſederant maiorum præcepta. Anilis hæc, vt iam dixi, fabella eſt; verùm quod Rabini fabuloſè delirant, Chriſtianorum plurimi perpetrant: pater filium admonet iniuriam vlciſci, adeoque aliquando antiquitus acceptum conſilium impia religioſitate ſeruatur, vt lex diuina prorſus oblitteretur. Profectò Idumæi prudentius ſi fas eſt dicere ſe geſſerunt, dum Numinis legem renuerunt admittere, quo poſſent expeditius monita maiorum ſeruare; at ea eſt aliquorum barbara impudentia, vt Chriſti Domini legi ſe ſubdant, & oppoſita maiorum conſilia ſtudioſè cuſtodiant: iubet lex inimicis benefacere monuerunt maiores de aduerſariis vindictam ſumere. Quid tunc? Malunt imprudentiſſimè legem infringere, quàm monita maiorum violare.

46. Expendebat, vt aſſolet, ingenioſiſſime Auguſtinus rarum ſtupendumque in Moyſis incolumitate acidiſſe miraculum. Refert Exodus in hunc modum. Iniquiſſimus Pharao humana facie truculentiſſima fera, vt ambitioſè tueretur coronam, armatus eſt edictis crudeliſſimis in naturam: iubet obſtetricibus pueros ipſo in nixu ſtrangulent; verùm nec muneribus potuit perſuaderi calliditas quod naturalis vetabat æquitas: nouum edictum profert, & fluctibus recèns natos tradi pœnis grauiſſimis vrget: *Quidquid maſculini ſexus natum fuerit, in flumen proijcite:* natura mulctabatur, & præceptum ſeruabatur, eratque commiſeratione digniſſimum elegantem puerum ſolerti naturæ manu conſtructum lutoſis vndis extingui, & prorſus obliterati: parturæ damnabantur, & partus adulatione curioſiſſima explorabantur: natus eſt difficili adeò rerum ſtatu Moyſes totus gratiarum manibus factus, & ad naturæ commendationem excultus: parentes tenerrimo pueri amore ſauciati abſcondunt: ſed cum ſeipſum infans proderet, vndis committunt: ferebatur ille expers periculi per fluenta, cùm leuandi animi cauſa ad flumen regis ſe proriperet filia, quæ infantem elegantiſſimum conſpicata commiſeratione mouetur, & patris legibus parcit: *Adoptauit in locum filij.* Suam Deus hic oſtentauit prouidentiam, dum Regis filiam mouit ad commiſerationem. Accipe Auguſtinum apud Lippomanum: *Nouum miraculum, genus fecit miſericordia filia parricida: nam dum paruulum ſeruat ignara, patrem decipit incauta.* Verùm expendamus cur ab Auguſtino appelletur miraculum, quod ſi aliter fieret, videri poſſet inſolitum: dum aſſeruatur puer, naturæ lex videtur infracta; ſed tyrannidis lex deſpecta: quid ergo mirum naturæ lege moueri, & eleganti puero auxiliari? Certè quiſquis humanam ferina non commutaſſet natura, commiſerationem doceretur, & pulcherrimis pueri lachrymulis ad pietatem compelleretur. Quæ ergo hæc miraculi nouitas, & noui prodigij raritas? O Auguſtini acumen! Pugnabant hoc tempore patris edictum, & naturalis legis præceptum: lex innocuum puerum perſuadebat ſeruare, edictum patris occidere; adeoque in vſu eſt poſteros maiorum monita, conſiliaque exactè colere, & reclamante etiam pietate ſtudioſe ſeruare, vt nouum grandeque fuerit prouidentiæ miraculum regis filiam naturæ, pietatiſque legibus paruiſſe, & edicta patris calcaſſe: *Nouum miraculum, genus fecit miſericordia filia parricida.* Dum naturæ legem colit pia, dum decipit patrem incauta, oſtendit nihil poſſe prouidentiæ Numinis aduerſari, nec potentiæ contraire. Adde ſic humanorum cordibus inſitum eſſe ſuorum cuſtodire monita, & obſeruare præcepta, vt Deus ipſe virtutem veritatemque veluti maiorum monitis, & conſiliis interſerat, quos faciliùs ad pietatem poſteros trahat.

Natus Dominus iam Redemptoris munus exercet, & lux in tenebris ſplendidiſſimè lucet, vigili paſtori ſuadet Angelus ſaluatorem inquirere, & adorare: Magis etiam apparet Angelus; ſed ſyderis ſpecie tectus, & aſtri facie perſonatus: *Vidimus, fatentur, ſtellam eius in oriente, & venimus adorare eum:* Rhemigius apud Diuum Thomam putat hanc ſtellam Angelum vel Spiritum ſanctum fuiſſe: *Nonnulli dicunt hanc ſtellam fuiſſe Spiritum ſanctum, vt ipſe qui poſteà ſuper baptizatum Dominum deſcendit in ſpecie columbæ, in ſpecie ſtellæ apparuerit Magis. Alij dicunt, fuiſſe Angelum, vt ipſe qui apparuit paſtoribus, apparuerit etiam Magis.* Itaque ſiue ſanctus fuerit Spiritus, ſiue Angelus, ſyderis ſpeciem induit, vt Magos faciliùs alliceret, & recèns natum inquirendum Regem ſuaderet. Sed inquires quæ ratio mouerit ad hanc ſyderis præ alia eligendam ſpeciem. Cui dubio reſpondet Auguſtinus apud Diuum Thomam: *Traditionem Balaam ſequebantur, qui dixit: Orietur ſtella ex Iacob: vnde videntes ſtellam extra ordinem mundi hanc intellexerunt, quam Balaam futuram indicem regis Iudæorum prophetauerat.* Annuit Theophylactus ad hunc locum: *Ferunt illos Magos fuiſſe ex Balaam coniectore progenitos: nam vt* inue

Pp 2

Margin notes: Abulenſ. · Exod. 1. v. 22 · Exod. 2. v. 10 · Auguſt. · 47. · Matth 2. v. 2 · Rhemig. · Auguſt. · Theophyl.

inuenerunt Oraculum illius : Orietur ſtella ex Iacob, intellexerunt myſterium Chriſti : & idcirco natum adire voluerunt. Fortè ſi Angelus alia ſpecie Magos admoneret, aut repigritarent greſſum, aut detrectarent conſilium; at dum patris oraculum Numer. 24. cognoſcunt inuolant adoraturi, nec detinentur ignaui : poſſet quidem Dominus Angelorum voce tenebras illorum depellere; at vt faciliùs ad veritatem alliceret, paternum obiecit oraculum, & progenitoris conſilium : ſic namque poſteri maiorum monita innouant, vt quò faciliùs traxerit, ſe veritas paternis oraculis immiſcuerit.

§. XII.

Imprudenter ſibi parat excidia, qui molitur iuſtis aduerſa.

48. Psal. 7. v. 17. CONtra ſe ipſum armat fortunam, qui iniuſtè aliis architectatur miſeriam : *Conuertetur*, aiebat Pſaltes, *dolor eius in caput eius:* dolor iniquè alteri elaboratus ipſum artificem vrit, & peruerſitatis ingenium tranſire ſolet digniſſimum in ſupplicium : Euthymius legit: *Labor eius in caput eius:* id eſt, ipſa induſtria, ipſa diligentia, ſolertia ipſa, quas non ſine labore contra iuſtum in aciem produxit, ipſi ſtragem attulerunt, & imprudenter calamitatem pararunt. Ecce Abſalon feſtinat hortaturus milites contra patrem; ſed dum inſaniùs immaturam alteri procurat mortem, ipſa curſus celeritate debitam ſibi maturat imprudentiſſimus necem : aëris flatu ventilatur coma, & dura ſuſpenſus remanet planta: *Cùm in aciem milites hortaturus feſtinaret*, (Euthym.) ſcribit Euthymius vbi ſuprà, *inter currendum equo prætereuectus, cæſarie ramo arboris complicata ſuſpenſus remanſit, quo pacto acerbam mortem ſuſtinuit.* Currebat ocyſſimè, vt procuderet calamitatem parenti, & ipſe curſus proditorem arbori tradidit vti carnifici : iuſtè in ſe tulit, quæ in Dauidem iniquiſſimè excogitauit. Cùm Agathoclis nautæ pecudes aliquos Itacenſibus eripuiſſent, furtum illi criminabantur : quid tunc Agathocles? *Veſter*, inquit, *rex cùm ad nos veniſſet, non modò raptis ouibus; verùm excaeculato inſuper paſtore receßit ſe.* (Plutarch.) Ita Plutarchus in apophthegm. Suſtinuerunt Itacenſes rapinam : quia moliti ſunt fraudem : neceſſe eſt timeat, quiſquis timetur. Et quidem licèt iuſti vtpotè non ſemel debiles & inualidi, nequeant ſe contra captioſas potentium fraudes tueri, ſciunt auxilium ſibi diuinum lachrymis impetrare, quo facillimum eſt inimicos munitos etiam ſubuertere. In egreſſu de Seir terram motam fuiſſe teſtatur Debora : *Cùm exires de Seir, & tranſires per regiones Edom, terra mota eſt.* Qualis hic terræ motus fuerit, & quæ eius cauſa quærunt interpretes. Abulenſis quæſtione 2. ait terram ſubſiluiſſe, vt opprimeret impios: quia ibi impij opprimere moliebantur Hebræos : nam cum anguſtam per viam populo incedendum eſſet, Amorrhæi cauernoſis ſcopulis de induſtria excauatis latitabant, non ſolùm vt Iſraëlitas tranſitu prohiberent; ſed etiam vt imparatos occiderent; verùm dum parant ad nocendum Iſraëlitis latibula, ſibi maturauere ſepulchra : ſcopuli namque excauati oppreſſerunt artifices, & digna ruina tumularunt latitantes. *Quando Iſraëlitæ debuerunt* (verba ſunt Abulenſis) (Abulenſ.) *intrare in terram duorum Regum Amorrhæorum per anguſtum introitum inter duos ſcopulos erant multi Amorrhæi latitantes in cauernoſitatibus ſcopulorum, vt occiderent omnes Iſraëlitas tranſeuntes, & prohiberent tranſitum : Deus autem inclinauit ſcopulos vſque ad terram, & oppreßi ſunt ibi omnes Amorrhæi,* vt patet Numer. 21. Sibi immaturum, improuiſumque maturauerunt caſum, dum iuſtorum retardare moliuntur greſſum : ſibi foderunt imprudentes ſepulchrum, dum pro affligendis iuſtis ſolerter excauarunt latibulum. Res eſt ſanè periculo plena captioſas aliis, iuſtis præcipuè, moliri inſidias : quia non ſemel molientis conuertuntur in pœnas. O quam anxio labore cauernas ſibi in rupibus excauant Amorrhæi! At neſciebant contra ſe ipſos laborare, & ſibi tumulos improbo labore aperire. Terra mota eſt, vt opprimeret impios, dum latitant contra ſanctos.

Non ſemel apud me cogitabam cur pro- 49.
cera illa ſtatua Nabuchodonoſoris caſum tulerit, & in fauillam redacta fuerit: *Contrita* Dan. 2. v. 35.
ſunt pariter ferrum, teſta, æs, argentum, & aurum, & redacta quaſi in fauillam æſtiuæ areæ. Itaque ſtatua decinereſcit in fauillam, quæ æternam promittebat conſtantiam. Quòd ſi inquiras cur hoc ſupplicio potiùs quàm alio diſpareat, reſpondet textus compuliſſe omnes ad cadendum, vt adorarent ſtatuam: *Cadentes adorate ſtatuam auream, quam* Dan. 3. v. 6.
conſtituit Nabuchodonoſor rex : ad caſum vrget, fornacem igneis globulis crepitantem horriſonè parat, vt iuſtus impiis decretis reluctans decinereſcat : *Mittemini in forna-* Dan. 3. v. 15.
cem ignis ardentis : ergo dum iuſtos molitur in cineres redigere, cinereſcit. Itaque ſtatua paſſa eſt miſerrimum caſum, vt caſus ipſe omnibus euulgaret delictum : adeò potentia inſolens, inſolentiaque ſuperbiens deſipuit Nabucho, vt humanos terminos prætergreſſus in ſimulacro adorationem ambierit : *Cadentes adorate ſtatuam :* quia aliis parabat caſum, ſtatuæ tulit excidium : quàm ſibi inueniebatur contrarius, qui aliorum caſu fulgebat Deus! Certè non leuare miſeros diuinitatis proditur nota : & qualis putas erit deiicere iniuria? Ergo dignè cecidit, quæ iuſtis caſum excogitauit, iuſteque nigras deſiit in fauillas, qui horrendas contra iuſtos armauit flammas : *Ea fuit vis ſcrupuli ſeu lapilli*, inquit noſter Sanctius, *quem aura* (Sanctius.) *tenuis excuſſit è monte, vt non lutum ſolum; ſed etiam metalla contuderit, eóque redegerit, quò ſtipula in æſtiua area rediguntur à flamma, quæ neque incendio reſiſtunt, quo minus reſoluantur in fauillas.* Itaque dum molitur iuſtos nigras in fauillas redigere, cogitur pœnam, quam excogitauerat, ſuſtinere. Vt liqueat quàm noſtra theſis ſit vera,

in

Digitized by Google

in ſe ſcilicet armare fortunam, qui iuſtis architectarunt miſeriam.

50 Herodes cæca regnandi libidine, & æſtuanti impietate inſaniens Chriſto recens nato necem moliebatur: non defuerunt, vt moris eſt in curiis, adulatores plurimi, qui conſilia eius fouerent, & adiuuarent: verùm ſic furunt, dum artes ſuas ſpectauerunt eluſas, vt ipſa indignatione vſtulari temporalem amiſerint vitam, Mat. 2. v. 20. æternam paſſuri pœnam. *Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph in Ægypto dicens: Surge & accipe puerum, & matrem eius, & vade in terram Iſraël: defuncti ſunt enim, qui quærebant animam pueri.* Hieron. D. Hieronymus ex defunctorum numero conijcit plures cum Herode in mortem Chriſti Domini conſpiraſſe: *Ex hoc loco colligimus*, inquit apud D. Thomam, *non ſolum Herodem; ſed etiam Sacerdotes & Scribas eo tempore necem Domini fuiſſe meditatos.* Iraque quæ in Chriſtum cogitauerant, ſuſtinuerunt, & inde conſtat mortem fuiſſe meditatos: quia cum Herode conſtat interemptos: adeo namque certum eſt conuerti in peſſimorum capita quæ contra iuſtos cogitauere delitia, vt ex Scribarum, Phariſæorumque morte prudentiſſimè arguat Hieronymus tyranni partes fouiſſe, & mortem puero intentaſſe. Rhemigius apud D. Thom. rogat quomodo in tam breui ſpatio tot homines fuerint extincti: reſponderque non paucos adhæſiſſe Principi, & flammas inieciſſe furori: occiſoſque fuiſſe, quia puerorum occiſionis extiterant cauſa, & tantæ ſtragis fomenta: Si multi fuerunt, quomodo in tam Rhemig. breui ſpatio extincti ſunt? Quia vt dictum eſt, *Herode mortuo occiſi ſunt.* Necis artifices ſunt extincti, & præbuerunt carnifici iugulum, qui in cauſa fuerunt, vt puerorum iugula præcideret carnificis ferrum. O time in ſanctos dura machinari, ſi non vis proprio dolore excogitata experiri.

51 Ea erat dæmonis ſæuitia, vt viuum hominem fœtidis amandaret ſepulchris, & ſolum cuſtodiret ſenſus ad pœnam, cum horroribus cruciaret vitam: nudus miſeranduſque grauiorem morte ſuſtinere vitam cogebatur, cùm nec ſepultura depelleret ægrimoniam, nec ægrimonia prohiberet tunc ſepulturam: tandem, vt dicebam, miſeratus Dominus accurrit, & ipſa in via tractos non ſine reluctantia de ſepulchro dæmones torquet, diſpoliat, & depellit: Videns autem Ieſum à longè cucurrit, & adorauit eum & clamans voce magna dixit: *Quid mihi & tibi Ieſu fili Dei altiſſimi? Adiuro* Marc. 5. v. 6. *te per Deum ne me torqueas.* Chryſologus ſerm. 16. vt erat acutiſſimo ingenio, aduertit cucur- Chryſol. riſſe dæmonem, Chriſtoque, obuiaſſe non obſequendi ſtudio; ſed cogente iubentis imperio: *Occurrerunt ei duo dæmonia habentes: exhibiti, non volentes venerunt imperantis iuſſu, non ſuo auſu: attracti ſunt inuiti, non ſua ſponte currentes.* Itaque cum Dominus non detrectaret pro humana ſalute vſque ad ſepulchra contendere, dæmones media via depuliſſe aliquod innuit myſterium: inquiramus ergo cur Dominus noluerit ſepulchro abſconditos dæmones imperij poteſtate depellere, ſed viatori iuſſit occurrere? Illis ni fallor, talionem reddidit, vt quæ in hominem olim iuſtum fuerant fraudulenter moliti, id ipſum non ſine dolore paterentur experiri. Deſcendebat olim homo à Ieruſalem in Iericho, & impuratiſſimi ſpiritus ipſi in via captioſas tetenderunt inſidias, & incuſſerunt altiſſimas plagas: Incidit in latrones, qui etiam deſpoliauerunt eum, & plagis impoſitis abierunt ſemiuiuo relicto. Latrones dæmones fuiſſe concors eſt Patrum ſententia. Ita Ambroſius apud D. Thomam: *Qui ſunt autem iſti latrones niſi Angeli noctis atque tenebrarum.* Itaque dæmones ipſo in itinere inſidiati ſunt homini: ergo vt conſtet quidquid excogitauit in iuſtum, in ſe ipſum elaboraſſe peruerſum, voluit Dominus latrones ipſo in itinere diſpoliare, & iuſtiſſima ſæuitia torquere. *Denique*, addit vbi ſupra Chryſologus, *ad præſentiam Chriſti homines exeunt de monumentis, & verſa vice* Chryſolog. *captiuos ferunt, à quibus fuerant captiuati: ſiſtunt pœnis quorum cruciatibus torquebantur, aptant ad ſententiam, à quibus addicti fuerant iam ſepulchris.* Tortores torquentur, & ipſo in loco vbi contra Dei imaginem fraudulentas, diſpoſuerunt inſidias, ferre coguntur grauiſſimas pœnas. Noli contra iuſtos, Numiniſque ſeruos cogitare diſcrimina: quia certiſſimè tua vertentur in detrimenta.

---

§. XIII.

Quæ in paſſione Domini charitatis flamma relucet, vel duriſſimos ad opera virtutis compellit.

Quam viciſſitudinem reddat, aiebat Caſſio- § 2.
dorus 10. var. 14. *qui maximo labore de-* Caſſiod.
fenditur, cuius per dies ſingulos ciuilitas cuſtoditur, niſi vt illos diligat ſuper omnia, per quos habere probatur vniuerſa? Alios exiguò labore cuſtodire aliquando ſuadebit pietas; at magnis vitæ, honoriſque expenſis tueri, ardentiſſimam ſolùm docebit charitas: diligere cogitur ſuæ libertatis auctorem, qui non ſolùm ingenti labore agnoſcit procuraſſe; ſed grandi honoris, & ſalutis diſpendio emiſſe. Hinc homine indigna ſuggillatur ingratitudo, ſi ſalutis ſuæ ardenter non amet artificem, cùm nouerit opprobriis, doloribus, inhoneſtaque morte de hoſtili captiuitate eripuiſſe, & felicitate donaſſe. Productæ equidem Domini nutu creaturæ eius teſtantur omnipotentiam; at homo manu fictus, & diligentia ſolerti factus charitatis prædicat flammam: *Ipſa imprimis adfectione*, aiebat Ter- Tertull. tullianus de reſur. carnis cap. 6. *lineamenta ducebat.* In ipſo labore elucebat artificis amor, vt homo eſſe neſciat ingratus, dum tenere probatur dilectus, cumque amor ſit amoris fructus; & dilectio ingeneret dilectionem, homo ſuper omnia tenetur diligere creatorem, quandoquidem fictio ipſa ſupra creaturas reliquas teſtatur dilectum, & cæteris à conditore prælatum. Non poteſt homo adfectione compactus non redamare, quando ipſæ feræ ſentiunt officia, & exhibendæ gratitudinis cauſa mutant non ſemel ingenia. Profectò non ſolùm feris deteriores; ſed lapidibus etiam duriores ſunt, qui non mirantur Dominum pro humana ſalute patibulum inſcendiſſe, & ſæua adeò tormentorum genera toleraſſe. Qui Dei filium ob humanam ſalutem cruci contemplatur affixum, ignobiliter degenerat ab homine, ni

tenerè veneretur dilectum. Cogit maieſtate reſplendens ad deuotionis obſequia; ſed cruce pendens viuidius ad virtutis compellit opera. Ad Domini de Seir exitum, ad tranſitum per regiones Edom tradit textus terram ponderis ac grauitatis oblitam ſubſiluiſſe, & nubes copioſis imbribus deploraſſe: *Domine cum exires de Seir, & tranſires per regiones Edom, terra mota eſt, cælique ac nubes diſtillauerunt aquis.* Quærunt interpretes quid hoc tranſitu acciderit, cuius aſpectu cæli teſtati fuerint dolorem imbribus, & tellus ſaltibus. Toſtatus quæſt. 2. putat hic accidiſſe populo ob murmurationem ſerpentum plagam, ad cuius medelam æneus ſerpens Chriſti Domini imago ligno pendentis effictus eſt, cuius aſpectu adeo rupes ſunt inflammatæ, vt depoſuerint duritiem, & teſtatæ fuerint trepidatione pietatem. *Cum Iſraelitæ* (verba ſunt Abulenſis) *non potuiſſent habere tranſitum per terram Seir apud Cadesbarne, cœperunt circuire montem Seir longo tempore, in quo cœpit populus tædere itineris, & laboris: & murmurauerunt Numer. 21. Tunc miſit Deus in populum ignitos ſerpentes, & peribat populus, deinde factus eſt ſerpens æneus, ad cuius aſpectum ſanabantur vulnerati: hoc autem fuit inſigne miraculum, & fuit intra terram Edom, vel in circuitu illius.* Itaque ſerpens pependit è ligno, dum populus per regiones Edom tranſiret, & de Seir auolaret, adeoque ardentiſſima ex illo ligno prodibat flamma, vt cæli copioſis imbribus ſint conteſtati dolorem, monteſque dum natiuis elocantur à ſedibus, oſtenderint gratitudinem. Audi Abulenſem. *De hoc autem cæli & terra mirati ſunt: quia hoc inſolitum erat: ideo ponitur actus ipſorum ad ſignificandum quemdam motum admirationis.* Plura viderant terra & cælum miracula, ignem ſcilicet grandine concordare, maris vndas in montium morem ſuſpendi, aquas è rupe prodire, non tamen admirationis dedere ſignum, nec innatum depoſuerunt ingenium; at dum vident hominum procurari ſalutem ipſa creatoris morte, admiratione ingentiſſima percelluntur, & perculſi demitantur: nec enim potuit vel duriſſima cautes adeo ardenti charitatis flamma non emolliri, & in lachrymas compaſſionis liqueſcere. *De hoc cæli & terra mirati ſunt: quia hoc inſolitum erat.* Frequens erat omnipotentiam in ſuorum defenſionem armari, & miraculis obarmatam in campum contra aduerſarios prodire; at teneſcere lucem, mortem pati ſalutis auctorem, regnantem cæleſti ſolio infami pendere ligno, ita peramum ac inſolitum erat, vt cæli copioſas lachrymas fuderint, & montes duritiem compaſſione blandiſſima commutauerint. Ergo non ſit homo durior caute; ſed obliuiſcatur adulteratæ leges naturæ, vt charitatis Dominicæ dignè adulcetur flammæ.

5 3. Paulus ad Epheſios ſcribens fatetur ingenue ſe Chriſti Domini charitate adurgeri, &
2. Cor. 5. v. 14. ardentiſſimis Paſſionis flammis aduri: *Charitas Chriſti vrget nos æſtimantes hoc: quoniam ſi vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſumus.* Drogo Oſtienſis de Sacram. Domin. Paſſion. comparat hos charitatis ſtimulos cum illis odij Ægyptij, quibus deterrebantur Hebræi. Pharao dum naturam; vt auctori ſuo obſequeretur, copioſam Iſraelitarum ſobolem parturire animaduertit, aggreditur nequiſſimis artibus generationis cauſas accidere, & fructus explicatos delere, duriſſimis verberibus cogebant Iſraëlitas acerbiſſima ad opera, & miſeri intolerabilis ærumnæ compulſi calcariis improbè luroſis inſudabant conformandis lateribus: *Præfecti operum inſtabant dicentes: complete opus veſtrum quotidie, vt prius facere ſolebatis, quando dabantur vobis paleæ; flagellatique ſunt qui præerant operibus filiorum Iſrael ab exactoribus Pharaonis.* Inflictis verberibus ad opera vltra vires adurgebantur: nec licebat vel per inſtans vacare otio, quia adurebantur ſupplicio. Itaque Pharao Dei populum adurgebat odij rabie, Chriſtus Dominus teſtante Paulo premit ardentiſſima charitate: *Charitas Chriſti vrget nos:* qualem ergo putas viuidiorem ſtimulum? ab odio adactum, vel à Domino applicitum? Drogo pro Chriſti charitate ſententiam tulit: *Et nunc Domine*, inquit, *paſſionis tuæ dies vrgere nos debent magis, quam præpoſiti Pharaonis: quoniam in operibus tuis iuſtitia eſt & pax, & gaudium in Spiritu Sancto.* Chriſtus non intligens, ſed flagra tolerans ad virtutis opera adurget; at quiſquis ingenuus eſt, non ſic premitur propria calamitate, quam Chriſti adurgeatur paſſione: quis enim non ſtupeat ardentiſſimum Chriſti amoris demitatus incendium, dum agnoſcit tanti viliſſimos homunciones feciſſe, vt infami ligno regium commutauerit ſolium, & qui repetitis fauſtiſque acclamationibus celebrabatur in cælo propudioſiſſimis contumeliis, & contumelioſis infamiis ſe ſubiecerit in Caluario. Profectò non adeò vel extrema calamitas in virtutis opera debuiſſet impellere, vt quæ in Dominica paſſione ardentiſſima relucet amoris flamma, debet vel ingratiſſimos excitare.

Iacob oues agens feſſos artus ſomno recreat; 5 4.
ſed adhuc dormiens aures præbet cæleſtibus monitis, & ſupernis conſiliis: illum Deus alloquitur, & quam memoriæ hæreat illud, quod olim in eius honorem exhibuit officium, refert: *Ego ſum Deus Bethel vbi vnxiſti lapidem, & votum vouiſti mihi: nunc ergo ſurge, & egredere de terra hac.* Non inuenies hic Iacobum loci terribilitate perculſum, aut lapidem in argumentum obſequioſæ deuotionis erectum. Iam ſi repetas caput 28. Geneſ. inuenies ſcalam, & innixum ſcalæ Dominum fuiſſe contuitum, ibique loci ſanctitatem deprædicaſſe, & ſomnolentiæ excuſationem ab ignoratione petiiſſe: *Vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cælum, Angelos quoque Dei aſcendentes, & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ. Cumque euigilaſſet Iacob de ſomno ait: Verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam: pauenſque: Quam terribilis eſt, inquit, locus iſte: non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta cæli. Surgens ergo Iacob manè tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum fundens oleum deſuper.* Cùm eundem Dominum Iacob fuerit intuitus inter greges dormiens, & campo illo, vbi ſcala apparuit, recumbens, occurrit ſtatim dubium, cur alibi locum deprædicarit veneratione digniſſimum, Solemque anteuerterit, vt erexerit titulum, & religioſum emiſerit votum, cum alibi nec ſe ad opus vrſerit, nec locum terribilem appellauerit. Certè dum inter greges dormienti Deus obijcitur promittit naturæ

Marginal notes: Beda. — Abulenſ. — Exod. 5. v. 13. — Drogo. — Gen. 31. v. 13. — Gen. 28. v. 12.

turæ leges in otium fratribus infringendas, & ad ditandum Iacobum omnia ordinia alterandas. Si ergo hic nec ſe reprehendit de ſomno, nec erecto teſtatur gratitudinem titulo, cur ibi erigit lapidem, & locum vocat terribilem? Quia alibi, ſcribit Auguſtinus apud Lippomanum, vidit Dominum naturæ legibus imperantem, alibi crucis opprobria patientem, adeoque eo ſpectaculo eſt ad Domino obſequendum compulſus, vt ſe de ſomno reprehenderit, & ad opera religioſa exercenda ſolicitè manicauerit: *Dominus innixus ſcalæ* (verba ſunt Auguſtini) *Chriſtus crucifixus oſtenditur*: ſcala apparet ſuſpenſus: opprobriis obſcurus, & doloribus lancinatus: inter greges obiicitur naturæ Dominus, poteſtateque ſumma præditus; aſt non ita vrgetur Iacobus magnitudinis potentia ac amoris viuida flamma: ibi manicat, ibi erigit titulum, ibi emittit votum, & omnia iſta illi videntur exigua obſequia: quia Chriſti Domini crux ad grandiora compellit opera. Adde, vt ex hoc ipſo loco conijcitur, ipſos cæleſtes ſpiritus vrgidius ad opera prodeunte de ligno flamma compelli, quam ipſa gloria excitari.

August.

55. Ecce per ſcalam irrequieto motu, imò & celeri volatu Angeli aſcendunt deſcenduntque: *Angelos*, inquit, *Dei aſcendentes, & deſcendentes per eam.* Iam ſi Ioannis vigeſimum caput conſulas, inuenies ſedentes Angelos, & triumphum Domini prædicantes: *Vidit duos Angelos in albis ſedentes.* Candidus Angelorum ornatus triumphalem Domini teſtabatur gloriam, vti etiam infernorum miſeriam. Sed inquires cur ſcalam contriti requiem non capiant, cùm ad ſepulchrum fœcundam gloriæ venant conſideant? Iam reſpondit Auguſtinus: Vident ſcalæ affixum, intuentur tumulo triumpho glorioſum; verùm non adeo excitantur ad opera magnitudine triumphi, ac admiratione ligni: vt repetat Paulus: Charitas Chriſti vrget nos: vtque noueris te duriorem ſilice, ni tanto cor tuum liqueſcat amore.

Mat.20.v.12

§. XIV.

Ni vitium prorſus depellatur, pax & tranquillitas non fulcitur.

56. NOn eſt ad quem pecunia magna confluxit, & quem vulgus externis deluſus felicem credidit, fortunatus: internis continuiſque procellis ſolet exagitari, qui placidiſſima tranquillitate cenſetur frui: ille ſolum firmus excelſuſque eſt, qui omnia vitia calcat, & nullius permiſit veſtigia; alioquin qui ad rationis naturæque leges non componitur, confuſis turbinibus facillimè exagitatur. *Cui bona ſua nulla vis excutit*, ſcribit Seneca epiſt. 45. *qui mala in bonum vertit, certus iudicij, inconcuſſus, intrepidus: quem aliqua vis mouet, nulla perturbat, quem fortuna cum in eum, quod habuit telum nocentiſſimum, vi maxima intorſit, pungit & vulnerat, & hoc raro.* Angitur aliquando iuſtus; ſed in ipſo angore cautis in modum ſtat, vtque ſilex in medio mari, quantumuis confuſis vorticum voluminibus concutiatur, non læditur, ita virtute fundatus deſpicit fortunæ adſultus, & varios temporum caſus. At è contra, ſi vitio alicui patet aditus, omnia turbantur, & facillimè concutiuntur. Vicit quis auaritiam, ſed colit intemperantiam, ambitionis inuenitur expers; ſed iræ ſubiectus, & libidini ſubiugatus, hic pace nullatenus fruitur; ſed indefeſſis agitationibus obruitur. Debora Barac celeberrimos triumphos canens ex infelici antiquo ſtatu gloriam præſentis felicitatis amplificat: vt enim acerbior eſt calamitas amplam felicitatem ſecuta, ſic etiam dulcior eſt felicitas poſt luctuoſam fortunam parta. *In diebus Samgar filij Anath, in diebus Iael quieuerunt ſemitæ, & qui ingrediebantur per eas, ambulauerunt per calles deuios:* Quieuiſſe ſemitas nil aliud eſt quam timeri graſſatoribus inſidiatoribuſque abundare, ita vt nullus auderet ſecure iter facere, ſed tortuoſis ſemitis, & anfractibus vti. Ita Arias Montanus: *Ipſa Samgaris, imo ipſa Iaelis ætate cum meliùs ac lenius habere viderentur, tamen anguſtæ adeo vtique, atque oppreſſæ erant res, vt neque viarum publicarum vllus eſſe vſus propter hoſtium infeſtationes, & latrocinia, atque graſſatione.* Itaque Samgaris tempore nulla pax, nulla tranquillitas erat Hebræorum Reipublicæ: quod ſi opponat Samgarem in inimicos præualuiſſe, & illorum ſexcentos vomere detruncaſſe, inficiabitur nullus; verùm dum omnes non oppreſſit, nec conſummatam de omnibus victoriam reportauit: nulla erat pax populo, tranquillitas nulla. Ita Lyra: *Defendit eos Samgar; non tamen præbuit populo plenam ſecuritatem propter latrunculos ſubintrantes, & hoc eſt, quod ſubditur: Quieuerunt ſemitæ.* Itaque vbi relinquebatur latrunculis acceſſus eſſe non poterat populo tranquillus ſtatus; at vbi iam totus exercitus deletus, & Siſara occiſus, tutæ adeo tranquillæque erant viæ, vt pigris animalibus, iumentis ſcilicet vti poſſent viatores omni periculo liberi, & nullo metu ſolicitati. *Qui aſcenditis ſuper nitentes aſinos*, addit Debbora, *& ſedetis in iudicio, & ambulatis in via, loquimini.* Iam non egebant velociſſimis equis vt poſſent graſſatores eludere; ſed aſinis nitentibus vtebantur placidè equitantes, & aduerſarium nullum timentes: vt noueris quanta placiditate vtarentur, qui vitia omnia Chananæis adumbrata ſubegit, quantiſque pateat obturbationibus, qui nondum omnia deuicit. *E regione antedictorum temporum*, ſcribit Caietanus, *quibus deſertæ erant viæ, & villæ reddita eſt ſecuritas & habitationi.* Plena placidaque ſecuritas de omnimoda hoſtium ſubuerſione eſt nata, cum antea via quælibet latrunculis eſſet obſeſſa.

Seneca. Felix qui de fortuna triumphat.

Montan.

Lyra.

Caietan.

Spiritus gratia à Saule tranſlata ſpiritui nequam habitationem concedebat: talem Saul ſuſcipiebat hoſpitem, qualem animæ præparabat diuerſorium, & adornabat hoſpitium: igitur Saulis animam nactus dæmon ſibi proprium effecit domicilium, & aduentus ſui exteriores notas dedit: nec enim vitium, quantumuis internum adeo cauta poteſt ſolicitudine tegi, vt nullis queat veſtigiis agnoſci: Dauid adducitur, moxque erat in armis ſpiritus. lyra, & pſalmus: loquebatur tantum paſtor, & hoſtis ferociſſimus vinciebatur: lyræ melos veluti telum iacebat, cum dæmon Saulem ad iram, indignationemque ſuſſlammab.t. O quàm 57.

ſtrenuè Dauid cum iracundo hoſte decertauit, ſuperioreſque cum ſubiectis aliquando ferocientibus ſe gerere docuit! Dum Saul fuit vehementius, Dauid blandius loquitur, & canit dulcius. Et quidem ſi Dauid etiam ferocitet, non eſſet medicina ſed controuerſia. Itaque cantu dæmon abigebatur, & Saul leuius habebat: 1. Reg. 16. v. 23. *Recedebat enim ab eo ſpiritus malus.* Dum leuiorem refert infirmitatem, perfectam non fuiſſe prodit ſalutem; ſed videamus, cur omni pace, tranquillitate, & ſalute non gaudeat à dæmone liberatus, & ſaniori menti reſtitutus. Quia etſi abactus fugerit, reſpondet Baſilius Seleucienſ. Seleucienſis, inſaniæ furor; animo tamen adhæſit liuor: accipe eius verba ſerm. 15. *Redintegratur inuidia, & in ægritudinem tranſit ægritudo, rurſuſque per inuidiam dæmonem vocat, nec ſine irarum ſignificatione haſtam iacit in Dauidem.* Dæmon aufugit: ſed inuidia manſit: ergo Saul perfecta ſalute non fruitur, quia vitium prorſus non pellitur. Non quieſcit adhuc à dæmone liberatus, quia inuidentiæ morbo laborat adultus: tranquillitas namque de omni à vitiis ſi fas eſt dicere vacatione naſcitur, & otio honeſtiſſimo oritur. Certè ſi Saul ſimul cum dæmone caruiſſet liuore, placidè, tranquilleque degeret; at dum alio expulſo aliud manet, nec quietis eſt locus, nec placiditatis tempus.

58. Vti aues poſtquam pullos ſuos recens genitos ſolicitè fouerunt, & induſtria calliditate curarunt eos pennis aptos contemplatæ ad volatum exercent: ita Dominus poſtquam diſcipulos multa edocuerat, & cæleſti doctrina lactauerat, quaſi ab eis rationem expoſcat, periculis committit, & occaſionem oſtentandi virtutem præbet: iubet tranare vndas, cumque Mat. 8 v. 24. ipſe in nauicula cum diſcipulis eſſet, ſe ſomno permiſit: *Ipſe vero dormiebat.* Vt dormientem vidit mare, vndas attollit, ventos citat, & ad ſpeciem grande nauiculæ periculum creat: Apoſtoli nautæque cum tempeſtate depugnabant, decertabant cum ventis; at vbi quæſitas ab arte ſpes nil aut parum conducere animaduertunt, ad portum, qui in ſcapha erat, non ſine timore accurrunt. Quid tunc Dominus? Somno ſine perturbatione excuſſo feſtinè expergefactus nil ſomniculosè geſſit; ſed diſcipulos prius increpuit, & poſteà maris furorem continuit. *Dicit eis Ieſus: Quid timidi eſtis modicæ fidei? Tunc ſurgens imperauit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna.* O Domine, vides ingeminatam vocem, diſcipulorum turbationem & timorem prodentem: *Salua nos perimus*, & tempus teris in modicam carpendo fidem, cùm opus eſt deſæuientem procellam ſedare, & periculum abigere? Mare corrige vt iam vndarum tranquillitas procelloſos animorum tranquillet fluctus, quo facilius doctrinam capiant. Imo, inquit Baſilius, opus eſt culpam omnino delere, vt poſſit tranquillitatem maris fulcire. Homines, dum culpis inficiuntur, & perturbantur, non poſſunt tranquilla pace gaudere, niſi conentur omnem vitio depulſo perturbationem ſedare. Ergo immortalis Domini ſapientia timentes prius carpſit, & culpam increpatione corripuit, & poſteà ventis, fluctibus imperauit: facilè namque abacta culpa cogitur ventus, & maris ſedatur fluctus: at neſcit non deſæuire procella, dum illam irritat peccatoris audacia. *Prius*, inquit Baſilius orat. 21. *diſcipulos increpat, quam mare: quid, inquit, tam modicæ fidei eſtis? Infidelitatis argumentum eſt timor, perturbatio perturbatorum accuſatrix.* Seleucienſ. Itaque dum illos non conſtantes plenè fidei arguebat culpa, exagitabat etiam procella, cumque nequeat non durare, dum cauſa durat, effectus, prius Dominus abſcondit cauſam, vt compeſcat poſtea elatorum fluctuum ſæuitiam. Quam falluntur peccatorum plurimi, dum fouentes animo calamitatis cauſam, diſcupiunt placidam ſibi fortunam. Sæpè morbus, infauſtus caſus, filiorum gregumque interitus à prauitate diuinam interpellante iuſtitiam exoriuntur, & propagantur, quæ niſi deteratur, neſcit malitia tacere; ſed contra ipſum peccatorem iram Numinis inſiſtet pertinaciter prouocare.

Adde etiam patrocinante Numine pacem turbari, ſi adfuerit culpa, & ſi deſit, etiam ſine expreſſo Numinis patrocinio, adhuc ventis reluctantibus non ſemel fulciri. 59. Properabat Iacobus lares reuiſere, Rachel aut auiditate fœmineæ, aut compenſatione iuſta patris idola clanculum ſubripuit: *Furata eſt idola patris ſui.* Gen 31 v. 19 Non diu res Labanum latuit, qui manum cogens, & iræ furore candens fugientem perſequebatur; verùm Deus repreſſit inſaniam, & ſerio vetuit, ne contra iuſtum moliretur iniuriam: *Vidit in ſomnis dicentem ſibi Dominum: Caue ne quidquam aſpere loquaris contra Iacob.* Adhuc frænatus non deſtitit; ſed ocyſſimè inuolauit: omnia ſcrutatur, omnia perturbat, & ſe poſſe grandem vindictam ſumere faſtoſiſſimè oſtentat: *Valet manus mea reddere tibi malum.* Tranſi modò cogitatione ad illud Dinæ infortunium; quod ſæuè adeò vindicarunt fratres: Iacobum iubet Deus poſt ſtragem Bethel petere, ibique habitare: ille profectionem parat, & familiam prius ſimulacris omnibus purgat: *Dederunt ei omnes deos alienos, quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum; at ille infodit ea ſubter terebinthum.* Gen. 35. v. 4. Quid tunc? *Terror Dei inuaſit omnes per circuitum ciuitates, & non ſunt auſi perſequi recedentes.* Examinemus ſi placet, cur inter tot hoſtes, & iniuria grauiſſima exulceratos fuerit nullus, qui fugientes fuerit inſecutus, cùm Laban non adeò grauiter offenſus in nepotem militarem coëgerit manum: hic Deus præceptis non cohibet Sichimitarum vicinos, ibi Labanum ſupplicio intentato terret; & tamen Iacobus alibi timore exagitatur, & alibi nullo aduerſario perſequente concutitur. Ecqua diſcriminis ratio eſt? Fallar, ni fuerint idola: alibi namque iam ſuffoſſa penituſque detrita, alibi induſtriè tecta, & accuratè ſeruata. Ergo vbi idolum viguit, metus, adhuc frænante Domino inimicum, Iacobi familiæque animos obturbauit; vbi verò omnino detrita, & iam Domino expreſsè hoſtes non terrente, imperturbato præuenit itinere, & tranquilla potitus eſt pace: vt noueris quam vitium idolumque ſit tranquillitati pacique aduerſum, quandoquidem perturbationem non depulit vel Numinis patrocinium idolo ſuperſtite, & iam detrito nullus fuerit inſecutus fugientem, & ad Bethel properantem. Adeſt Rupertus apud Lippomanum: *Hac eadem viſione Iacob tandem perdocerí potuit eſſe in domo ſua ſcelus idololatriæ, nec poſſe ſe ſtare*

coram

coram inimicis ſuis, eoſque fugere, quamdiu domus eius illo contaminata eſſet ſcelere: nam protinus ſubditur; Iacob verò vocata omni domo ſua ait: Abijcite deos alienos. Dum auferuntur idola, imperturbata carpitur via; at dum teguntur, dumque ſeruantur, Domino adhuc impetum aduerſarij cohibente, metu familia concutitur, & via ſine perturbatione non carpitur. Vt diſcas, ſi tranquillo curſu cupis vitæ tranare fluctus, culpas prorſus à corde abigere, & idola affectionum pellere.

---

§. XV.

Faſtoſa magnorum potentia grandi inualidorum ſæpè innutritur iniuria.

60. Mirum non eſt, non ſemel hanc à nobis theſim verſari, cùm conſtet ſæpiſſimè à potentioribus exerceri. Saluianus lib. 4. de gubernat. Dei omnium ſublimium dignitatem populorum appellauit miſerrimam proſcriptionem: *Quid omnium aliud dignitas ſublimium, quàm proſcriptio ciuitatum?* Benignius cenſeo, putoque ex ſummatibus plures credere ſola ſibi licere laudanda, & æquitatis legibus conuenientia. *Imperioſa nimirum res eſt*, ſcribebat Theodorus 10. var. 16. *pietas noſtra, quando propria voluntate vincimur, qui alienis conditionibus non tenemur: nam cùm Deo præſtante poſſimus omnia, ſola nobis licere credimus laudanda.* Itaque plures etſi alienis conditionibus non teneantur, æquitate propria reguntur, ſolumque ſibi licere putant, poſſeque volunt quæ nec honeſtis moribus, nec dignis legibus contradicunt. *Tantum quantum vult, poteſt*, retulimus iam ex Seneca epiſt. 90. *qui ſe niſi quod debet, non putat poſſe.* Aureo illo in ſæculo, vbi officium erat imperare, non regnum, nulli erat animus inferendi iniuriam, aut iniquam auferendi rapinam. *Infirmiores* (verba ſunt Senecæ) *à validioribus tuebantur: horum prudentia, ne quid deeſſet ſuis, prouidebat, fortitudo arcebat pericula, beneficentia augebat, ornabatque ſubiectos.* Hoc ex ſæculo adhuc manent non contemnendæ reliquiæ: nonnulli ſunt, quorum potentia egenis ſubuenit, & miſeris conſulit; verùm ſubrepentibus vitiis rerum facies in pluribus mutata eſt, & iam pro eodem ſunt, poſſe & inualidos opprimere. Rationis, legiſque vice habetur voluntas, & quidquid magnatum delirant vota, putatur legibus conſentaneum, & inualidorum completur miſeria: quò ambitus fulgeat ſumptuoſior, quo reſplendeat veſtis pompatior, quo luxus pariat admirationem ſuperbior, depauperantur inualidi, & premuntur pauperes indefenſi. Tumiditatis radix, quo viuidiorem creſcat in pompam, miſerorum irrigatur gemitibus, & largiſſimis pauperum fletibus. *Nulla maior pauperculorum eſt depopulatio*, aiebat citatus Saluianus, *quàm poteſtas.* O nimis verum! ipſiſſima res non ſemel ſunt poteſtas & depopulatio: ſoluunt namque duriſſima pauperes vectigalia, vt luxurioſa turgeat magnatum pompa: veluti in ſemine in ſumptuoſiori diuitum luxu præuidetur inualidorum iniuria, & pauperculorum miſeria. *Hinc*, aiebat Caſſiodor. 3. var. 19. *quibuſdam veniunt ad pretium dolores, & miſerabili ſorte votorum creſcit mercantibus de humana morte compendium.* Coguntur pauperes doloris ſuſtinere tormentum, vt pro vitanda ærumna obtulerint aurum, & miſeriam redimunt corporis grandi diſpendio facultatis: opus eſt miſeris aut lucem fugere, aut iniurias iniquiſſimas ſuſtinere. Debbora dum fauſtis vocibus populi felicitatem deprædicat antiquam etjam refert ærumnam, vt infeliciſſimi illius ſtatus infortunia præſentis lætiora reddiderint huius victoriæ trophæa: *In diebus Samgar filij Anath, in diebus Iahel quieuerũt ſemitæ, & qui ingrediebantur per eas, ambulauerunt per calles deuios.* Ea erat luctuoſa populi conditio, vt neceſſum eſſet per arduas, ſcopuloſaſque ſemitas incedere, aut in raptorum manus incidere: idem namque erat inimicis occurrere, & diſpoliari: *Significatur*, ſcribit Caietanus, *quod in diebus vtriuſque, videlicet Samgar & Iahel itinera non erant tuta; ſed oportuit itinerantes per tortuoſas incedere vias, vt effugerẽt hoſtes* Itaque cum Hebræi inualidi ſeruique haberentur, ab allophylis frequenter diſpoliabantur, & quia æqualis non erat illis potentia, opus erat aut tortuoſas ingredi ſemitas, aut frequenter perpeti iniurias.

Saluian. Sublimium dignitas inualidorũ calamitas.

Caſſiodor. Sola potenti liceant laudanda.

Seneca. Poteſt quantum vult, qui ſolum vult quæ licitè poteſt.

Olim maiorum beneficentia ornabat ſubiectos.

Saluian.

Caſſiodor. Non ſemel dolor infligitur, vt aurum auferatur.

Caietan.

Hoc idem expreſſius retulit præcedenti capite textus: nam cum Hebræi naturæ quodammodò terminos fuiſſent criminibus ſupergreſſi, digno, duriſſimoque ſupplicio à Domino ſunt puniti, & Iabino tyranno truculentiſſimo traditi: hic ad eam animaritudinem Iſraëlitas perduxit, vt nullatenus quiuerint dolorem dura pertinacia vorare; ſed compulſi fuerint gemitibus anxietatem copioſiſſimis prodere: *Clamauerunt filij Iſrael ad Dominum: nongentos enim habebat falcatos currus, & per viginti annos vehementer oppreſſerat eos.* Certè cauſalis illa opportunè non videtur appoſita: *Clamauerunt*, inquit, *ad Dominum: nongentos enim habebat falcatos currus.* Clament, quia per viginti annos vehementer oppreſſi, non quia hoſtes falcatis curribus exundauere copioſi, ſi iam illos durius diriuſque non diuexabat inuidiæ liuor, quàm inſanus hoſtium adureret ardor: plures minus diuexat ærumna propria, quàm fortuna torqueat aliena: prius retulit vti clamoris cauſam curruum copiam, quàm oppreſſionis miſeriam, ni ſuperuacaneum putes retuliſſe miſeriam, cùm potentiæ ſuperbiſſimam textus prædixerit exundantiam: quaſi dicat: ſi vis ſcire, quàm luctuoſis calamitatibus, & calamitoſis moleſtiis fuerit Hebræorum populus diuexatus, metire Iabini faſtum, & curruum numerum: nam cùm Magnatum potentia de miſerorum naſcatur ærumna, non erit ignota ærumna, ſi fuerit nota potentia. Superbus faſtus amariſſimos compulit ad clamores: quia opus erat eodem paſſu, quo Iabini augebatur arrogantia, inualidorum creſcere detrimenta. Adeſt opportunè Abulenſis quæſtione 3. *Dicitur hoc ad indicandum cauſam clamoris, quaſi dicat: Clamauerunt Iſraëlitæ ad Dominum, quia opprimebat eos nimis rex Iabin, & ad ſignificandum magnam oppreſſionem inducitur magnitudo potentiæ.* In Iabini ſumptu miſer populi depingebatur ſtatus: quia illius ſplendor erat ad conſumendum miſeros ardor: oppreſſionis vis luxum pompaticum comitabatur, & facile erat oppreſſionis quantitatem metiri, cui non erat difficile, & potentiam tyrannicam indagare. 61.

Iudic. 4. v. 3.

Abulenſ.

Digitized by Google

dagare. *Ad ſignificandam magnam oppreſſionem inducitur magnitudo potentia.*

62. Nabuchodonoſori non obſcurum ſui ipſius ænigma inter dormiendum obiicitur, arbor ſcilicet immeratæ magnitudinis,viridantibus foliis exundans,floribuſque gratiſſimis vernans,& fructibus nimiis ramos toroſiſſimos grauans: *Folia eius pulcherrima,& fructus eius nimius* Quid tunc? *Et eſca*, inquit, *vniuerſorum in ea* Omnem carnem ex ea teſtatur veſci, quia nulla caro, quo veſceretur,habebat: *Ex ea veſcebatur omnis caro:* nec mirum veſceretur ex ea omnis caro, quandoquidem vniuerſæ ſubſtantiæ carnis in ea: *Eſca vniuerſorum in ea.* Vniuerſi ieiunabant depauperati,quo nimia rami arboris fructuum copia florerent turgidi:quidquid laboribus,ſudoribuſque ad alendam vitam ſibi miſeri comparabant, ad euanidam arboris fulciendam pompam non ſine dolore pendebant.Non potuit magnitudo arboris adeò ſuperba deſcribi, & priuatos eſca inualidos non referri: ad eam miſeriam inueniebantur redacti,vt deciduos ex arbore fructus cogerentur deſiderare mendici:opus erat omnibus ab arbore emendicare, quia viuerent eſcam: *Ex ea veſcebatur omnis caro:* quia arbor omnium eſcam ſibi rapuerat ad pompam: *Eſca vniuerſorum in ea.* Adeſt Theodoretus orat.4. *Folia vocat decus illud,quod conſpiciebatur in veſte & throno.* Subiungit: *Fructum verò tributum, quod vndique ei afferebatur.* Ecce dum arbor depingitur floridiſſima,& opulenta miſeri habētur homines vti bruta: *Subter eam habitabant beſtia:* opus erat beſtiarū inſtar grauiſſimis oneribus prægrauari, vt ſuperbiſſima poſſet planta nitere:erat fructus arboris nimius,non quia fœcunda protruderet;ſed quia violentiſſima auferret: quo ramos protendebat pompatior, inualidus premebatur pauperior; ab arboreque cogebantur eſcam inualidi emendicare, quia nulli arbor eſcam permittebat habere. Et quidem quod tunc depinxit ænigma, non ſemel confirmat locis in plurimis experientia: nonnulli ſanguine præclari, faſtu ſatagunt florere ſuperbi; cumque patrimonij cenſuſque radix nequeat tot euanidis floribus, & turgidis fructibus ſufficientem miniſtrare ſuccum,captioſis fraudibus,& fraudulētis artibus ſæpè trahit: & arbor inualida remanet prorſus exucca,vt toroſior reſplendeat florida. Adde potentes non nocere potentibus vtpote potentia munitis, & diuitiis obarmatis;at in pauperes inualidoſque arma conuertūt:quia diſpoliādos facilè norunt.

Daniel.4.

Theodoret.

63. Apocalypſis 12. mulier apparuit ſyderibus redimita,& Solaribus radiis ornata: filium paruulum prægnās habebat:quid tunc?Ad inuidiam excitatus eſt ſerpens, nec tamen in matrem irruit:ſed exoriri paruulum expectauit: *Draco ſtetit ante mulierem, quæ erat paritura,vt cùm peperiſſet,filium eius deuoraret.* Quàm verſuta ſerpentis calliditas,quam callida apparuit ſagacitas!vidit mulierem;ſed refulgentem Sole;ſed ſplendidiſſima ornatam luce,& ob id contra illam nihil molitus eſt; imò nec contra filium,dum maternis in viſceribus eiſdem luminibus adornatur: naſci ſpectat,& iam deuorare nititur nudum,qui anteà auſus non eſt in ſplendidum:fœmina præſtantior eſt vir; aſt callidiſſimus ſerpens præſtantiorem aggreditur nudum, nec inſidias tendit contra ſexum imbecilliorem ditiſſimum, timuit mulierem ſuo ſe protecturam ſplendore, perſuaſit ſibi reportaturū triumphum à nuditate: *Superni luminis*, inquit Gregorius lib.34.moral. cap.12. *ſplendore protegitur:* mulier etſi ſexu inualida,etſi nobilitate inferior,ſic ſuo ſe protegit ſplendore, vt ſerpentem reprimat, vt eius temeritatem cohibeat; at filius etſi natura præſtantior, & præſtantia ſanè nobilior:dum reliquorum more nudus & paruulus naſcitur, patitur ſerpentis audaciam, & intentatæ deuorationis iniuriam.

Apocal.12. v.4.

Gregor.

§. XVI.

Studioſiſſima dæmones diligentia ſatagunt ad orationem viam impedire,& orationis tempora ſuffurari

64. PEtrus Damianus lib.1.epiſtolar.epiſt.2.ſemper victricia vocat orationis arma. *Monachi* inquit, *ad ſemper victricia orationis arma recurrentes*, &c. Pugnat validiſſimè oratio in vitiorum techinas,& illecebroſas inſanarum appetitionum fallacias:mens namque oratione reluminatur,& dum cæleſti luce abiguntur tenebræ, dæmonum euaneſcunt etiā inſidiæ:Omnis peccans eſt ignorans,& quidem,ni deſipuerit ignorans,non maculabitur peccans:ergo dum abigitur ignorantia, & appetitus eneruatur potentia,& dæmonis torquetur inuidia: *De ore eius*,inquit Ioannes, *gladius vtraque parte acutus exibat* Certè à deprecante Deum lingua gladius vtraque parte acutus prodit, & dæmonem geminato vulnere ferit: orans namque & Numinis diuinitatem fatetur, & improbitatem, vilitatemque dæmonis atteſtatur: cumque æqualitatem olim cum Deo Lucifer affectarit, eoque inſaniat adhuc delirio, dum videt rogatorem diuinam fuſis precibus conteſtari potentiam, vrgentiſſimam inuidæ indignationis patitur flammam:& quia ſitienter diſcupit ſibi homines ſubiugare,dum experitur orationum armis deſideria eius eludi, vritur & rabidiſſimis improbi deſiderij ſtimulis agitatur. *Quidquid nobis optamus*,ſcribit Septimius de orat.c.5. *in illū auguramur,& illi deputamus,quod ab illo expectamus.* Qui exorat, diuinā cōfitetur potentiam,& valenter dæmonis torquet inuidiā,& in homines rabiem fruſtratur inſanā.Dum Numen precibus colitur, in Deū,ſi fas eſt dicere quodammodò inauguratur, iuxta illud Poëtæ: *Qui rogat,ipſe facit:*& homo aduerſus omnes machinationes dæmonis valenter præſtruitur. Hinc eſt quòd licet aliis in virtutibus impediendis magnam dæmones adhibeant curam,viuidiorem,ſolicitiorem que armant contra orationem ſolertiam: hæc præcipuè dæmonis ſolicitudo,hoc opus,hoc anxium ſemper ſtudium, & anhelum deſiderium, orationi ſcilicet obuiare, & viam orantibus impedire. *In diebus Samgar*, cantat Debbora, *filij Anath, in diebus Iael quieuerunt ſemita.* Gloſſa quieuiſſe ſemitas ait,quia hoſtes,ne Hebræi ad orandum aſcenderent,vias occludebant, & præoccupabant: *Quieuiſſe dicuntur ſemita, quæ in diebus Samgar Ducis Iſrael præoccupata erant ab hoſtibus, & non audebant in domū Domini ad orationem aſcendere.* Reperamus altius hiſtoriam: Samgar populi dux ſtrenuus, quo terram vertebat vomere, non exiguam aduerſatiorum manum occidit: *Percuſſit de Philiſthiim ſexcentos viros vomere,& ipſe quoque defendit*

Damian. *Arma orationis ſemper victricia.*

Apocal.1. v.16.

Tertullian.

Martial.

Gloſſa.

Iudic.3.v.31.

Digitized by Google

defendit Iſrael. Itaque Samgar non exiguam inimicis plagam intulerat, & licet atri vltionis ſtimulo agitarentur, non tam curarunt in Samgarem irruere, quàm vias publicas obſidere. Et cur in Samgarem non furant, & fuſi ſanguinis vltionem non expetant, ſed omne in præoccupandis itineribus ſtudium ponant? Iam Gloſſa explicuit: agnoſcunt Philiſthæi duplex ſibi periculum imminere à Samgare, qui vomere pugnat, & à quocumque, qui Deum exorat: & quia agnoſcunt grauiorem ab oratione ruinam appetere, quàm à Samgare etſi validiſſimo prouenire, maiori periculo occurrunt, & quaſi vltionis obliti in præoccupandis, impediendiſque ad orationem viis deſudauerunt ſtudioſiſſimè intenti, *Præoccupatæ erant ab hoſtibus* (viæ) & non audebant in domum Domini ad orationem *aſcendere.* Tanta eſt dæmoni impediendi orationem cura, tanta in omni præoccupando itinere ad orationem ſolertia!

65. Cùm populi Hebræorum res ſatis afflictæ eſſent, Samuel vt meliori reſtitueret fortunæ, populum iubet congregari, & in Maſpha ad Dominum exorandum aſcendere: *Dixit Samuel: Congregate vniuerſum Iſrael in Maſpha, vt orem pro vobis Dominum.* Nuntium hoc ita Philiſthinos adduſit, vt coactis copiis oppugnaturi Iſraëlitas aſcenderint: *Audierunt Philiſthiim quòd congregati eſſent filij Iſraël in Maſpha, & aſcenderunt Satrapæ Philiſthinorum in Iſrael.* Iſraëlitis anteà permittebant hoſtes pacatè degere, & ſuis nidulis placidè viuere; at dum in Maſpha congregari audiunt, properanter in arma ruunt. Et quæ huius cauſa? Orationem pertimeſcere, & magnum ſibi creari periculum non imprudenter agnoſcere. Captam remiſerant nuper arcam, & licèt arca armatos, munitoſque Iſraëlitas ſupercilio arrogantiſſimo deſpiciebant; hîc verò ſtudio ſolertiori inardeſcunt, & ad ſacram impediendam concionem currunt: nec mirum: aſcendebat Samuel oraturus, effuſurus preces humillimas populus, & iam gelido pauore concutitur Philiſthæus. Etſi Iſraëlita arcæ præſentia nobilitetur, hoſtis audet, imò ob arcam minùs religioſè cultam vires ſibi augendas præſumit; at totis viribus nititur oraturis obuiare: quia nouit omnes ſuas artes ob orationem perire. Innuit Lyra: *Ne haberent conſilium, & opportunitatem rebellandi, interdixerant eis congregationes populi fieri; propter quod audito quod congregati eſſent in Maſphat, venerunt contra eos in prælium.* Adſtipulatur Gloſſa moralis: *Dæmones ſic recedentes à ſe nituntur ad ſuam reducere ſeruitutem: ideò ſubditur: Et aſcenderunt Satrapæ Philiſthinorum, &c.* Dum orationi non vacent, quantumuis arcâ Numinis hoſpitio muniantur, non verentur infringendum ſeruitutis iugum; at dum agnoſcunt ad orationem populum congregari, ſoliciti iam anguntur: quia credunt non ſolùm ſeruitutem detrectandam; ſed vice verſa captiuitatem ſibi imponendam. Et quidem falſi non ſunt: nam orantè, offerenteque Samuele, pro Iſraëlitis dimicuit æther, & qui olim dominabatur glorioſus, iam ingemit orationis armis validiſſimis ſubiugatus: *Samuele orante,* addit Lyra, *& holocauſtum pro populo offerente fuerunt cælitus debellati.* Horriſono ſtrepitu micante fulgure, tonante olympo ceciderunt deuicti, qui ante orationem dominabantur ſuperbi: quid ergo mirum, ſi periculum odorantes, tam ſolicitè, tam anxiéque orationem quæſiuerint impedire, & ad orationem itinera præoccupare.

1. Reg. 7. v. 5.

Lyra.

Gloſſa.

Lyra.

Roboam, vt regnum propulſatis periculis poſteritati firmarit, longa meditatione erga firmiſſima imperij munimenta laborat: inuenitque validiſſima eſſe regni fulcra duos vitulos aureos erigere, & adorandos proponere: *Excogitato conſilio fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: Nolite vltra aſcendere in Ieruſalem, &c. Poſuitque vnum in Bethel, & alterum in Dan.* O quàm ſunt obſcura iniquorum conſilia, quàm laborant incaſſum, dum ſibi conſulere ſolicitiùs ſatagũt, & ſtudioſiùs contendunt. Certè ad ſuffulciendum imperium muri ſubſtruendi erant, turres altiſſimæ fabricandæ, & totus eſt Ieroboamus in conflandis vitulis, & in viis ad Ieruſalem euertendis: *Excogitato,* inquir, *conſilio.* Quaſi dicat: poſt longam meditationem inuenit improbus hanc in Dei regnum machinam validiſſimam, ſcilicet vias impedire, & orationi ſcandalis obuiare. Hoc credidit & maius regni ſui robur, & grauiùs imperij cæleſtis damnum: dum nulla ſit ad orandum via, dum itinera non pateãt infelici ſagacitate occupata, cenſet impius regnum ſibi ſemper conſtare, & in ſæcula ſtabiliri: *Cùm apud ſe cogitaſſet,* ſcribit Theod. q. 41. *quòd lex ſacrificiorum cogit omnes ire ad ciuitatem, aſcendentes autẽ inter ſe coniunguntur, & aliquando veniabunt ſub ici regno Dauidico, conſtruxit duas iuuencas aureas, & impoſuit in terminis regni.* Itaque hanc ſuo inſtituto opportunã artem inuenit, orationis ſcilicet vias impedire, & ab oratione homines ſeparare. Veritus eſt, & quidem non temerè periculum ſemper appetere, ſi ad orandum patuerit via, quantũuis valida, multipliciaque pro firmando regno conſtruxerit munimenta abeſſeque quàm longè periculum, ſi deficientibus etiam aliis ad regnum munitionibus, libera orationi non remanſerit via; imò impedita omnis ſemita. 66.

3. Reg. 12. v. 28.

Theodor.

Chriſtus Dominus, vt contra multiformes dæmonis inſidias obarmatit diſcipulos, anxium prodit hoſtis illos conterendi deſiderium, & vigilantiſſimum ſemper ſtudium: *Ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum.* Itaque totam in diſcipulos armat dæmon inſidiarum cohortem, & militantium in campum producit tentaminũ multitudinem. Sed videamus quibus dæmon artibus diſcipulos impetiuerit: teſtatur Matthæus, ſomno videlicet graui: *Inuenit eos dormientes: erant enim oculi eorum grauati.* Profectò dæmon videtur deſipiſcere, nec prudentia cauta tentate: ſi adeò ardenter expetit ſubiugare diſcipulos, ſi cupit à magiſtri latere longius depellere, cur pro armis vtitur ſomno, nec illos tũc alio armorũ inuadit ingenio? Nonne ſatius immodicis ardoribus vrere, & fallaciis nocentiſſimis prolectare? Profectò dũ dormiunt, à crimine vacant: nec enim ſimul poſſunt & hoſti parere, & oculos ſomno tradere: ergo aliis armis vtatur, vt Chriſti diſcipulus ſubiugetur. Proh dæmonis virulẽtiſſimi aſtutiam! Tempus illud præſcripſerat Dominus orationi diſcipulos admonens: *Orate, ne intretis in tentationem.* Ergo dæmon vt in Apoſtolos poſſit irruere, priùs nititur orationis munimentum euertere: dum ſomno recreat, eneruat, & dum eneruat, oppugnat; quaſi non audeat in oratione munitos irruere; ſed priùs aſtutus tentet orationis armis nudare. Huc voco, quod aiebat Drogo Hoſtienſis de Sacramento Dominicæ Paſſionis. *Quàm cùm claudi-* 67.

Lucæ 22. v. 31.

Matth. 26. v. 43.

Luc. 22. v. 40.

Drogo.

ur

Digitized by Google

tur oculus, ne te videat, collabitur pes noſter in hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus, vbi ſunt reptilia, quæ ſomniorum ſuorum phantaſiis intentam ludificant animam. Itaque ſomniorum phantaſiis anima ludificatur, & veluti eneruis redditur: ſomnus dum orationem impediuit, viam tentamini aperuit: & quidem Petrus nullatenus negaſſet, niſi dormiſſet. *Non ait*, ſcribit — Hieronym. — Hieronymus apud D. Thomam ad Matth. 26. *Vigilate, & orate, ne tentemini; ſed, ne intretis in tentationem, hoc eſt, ne vos tentatio ſuperet.* Itaque dum orant, veluti inuincibiles metum aduerſariis incutiunt, vtque quiuerint imperi, ſatagit ſolertiſſimè hoſtis orationis tempore ſomno tradi. Vtque videas, etſi diſſimili ſtudio, quàm eiſdem artibus Chriſtus Dominus, & virulentus hoſtis vtantur, animaduerte primum in Apoſtolos horto vibratum telum ſomnum fuiſſe, & primum etiam in dæmones Chriſtum Dominum orationis iaculum euibraſſe.

68. In horro aduerſarios animoſus expectat Dominus, à diſcipulis ſeparatur, & anxiis precibus — Luc. 22. v. 41. — ad eruditionem noſtram communitur: *Auulſus eſt ab eis quantum iactus eſt lapidis, & poſitis genibus orabat* Citatus Hoſtienſis Drogo ingenioſè expendit hîc ſimul orationis & iacti lapidis mentionem fieri: *Quantum iactus*, inquit, *eſt lapidis*. Videamus quid iactus lapis in hoſtem valuerit. Adſtabat olim carnea illa turris, ſuperbiæ mon- — 1 Reg. 17. v. 41. — ſtrum, vanitatis delirium; verùm Dauid *tulit vnum lapidem, & funda iecit, & circumducens percuſſit Philiſthæum in fronte.* Nec ſolùm iactus lapis inſanam illam molem carnis deiecit; ſed ſolidiori fortiorique materia elaboratam eadem facilitate proſtrauit: obiecta eſt Nabucho immetata illa ſtatua ſolidiſſimis metallis conſtructa; verùm metallorum fortitudo lapidis militauit victoriæ: quia glorioſior emicat triumphus, dum — Daniel. 2. v. 34. — difficilior apparebat omnibus caſus: *Abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus, & percuſſit ſtatuam in pedibus eius.* Vides iactum lapidis & ſtatuam proſtrauiſſe, & gigantem vulneraſſe: ergo dum refertur oratio, & iactus refertur lapidis, vt noueris dæmonum copias pati ab oratione excidium, vt — Drogo. — olim à lapidis ictu pertulerant caſum. Audi Drogonem: *Lapis eſt abſciſſus de monte ſine manibus, & iactus eſt lapis, & percuſſit Goliam in fronte, & ſtatuam in pedibus: iſte eſt iactus tuus longè à nobis, quia etiam vſque ad interiora velaminis præcurſor introiſti pro nobis, vbi ſemper interpellas Patrem.* Ad Patrem interpellatio lapidis fuit iactus, quo & proceritas illa gigantæa corruit, & ſolidior imago labefactata diſparuit. Ergo nil mirum, ſi dæmones vti ineluctabile ſibi fatum orationem ſemper extimeant, & omnem aditum ad orationem impediant.

69. Verùm vt remedia ad depellendam ægritudinem moram depoſcunt, ita oratio opportuniſſima paſſionis ſanandis medela deſcendere debet in intima, nec raptim tranſire; ſed vtili moroſita- — Seneca. — te inſidere. Huc voco Senecæ epiſt. 40. verba, etſi alio ſenſu dicta: *Oratio, quæ ſanandis mentibus adhibetur, deſcendere in nos debet: remedia non proſunt, niſi immorentur.* Addit Stoicus: *Lenienda ſunt, quæ me exterrent, compeſcenda quæ irritant, diſcutienda, quæ fallunt, inhibenda luxuria, corripienda auaritia: quid horũ raptim poteſt fieri? Quis medicus ægros in tranſitu curat?* Animũ formare, & ad Numinis ſimilitudinẽ excolere, non eſt vnius dieculæ opus: inſiſtẽdũ eſt orationi, vt oratio profuerit ſanitati.

§. XVII.

Vitiis ſubiectus cogitur per anfractus incedere, & ſemper anxiis timoribus trepidare,

ESto ſit virtus labore plena; hic tamen labor 70.
pacatè premit, nec ſæuis timoribus angit: vitium non ſolum res laborioſa eſt; ſed anxia: quiſquis cupiditatibus inſeruit, per confragoſa cogitur ſæpiſſimè laborare: honeſtatis labor eſt placidus, cum vitiorum ſemper ſit ſæuus: *Feliciorem tu Mæcenatem putas*, ſcribit Seneca lib de pro- — Seneca. Vigilatur ſæpè in pluma, vti in cruce. — uid. cap. 3. *cui amoribus anxio, & moroſæ vxoris quotidiana repudia deflenti ſomnus per ſymphoniarum cantum ex longinquo lene ſonantium quæritur? Mero ſe licèt ſopiat, & aquarum fragoribus auocet, & mille voluptatibus mentem anxiã fallat, tam vigilabit in pluma, quàm ille in cruce.* Expende illud: *Mentem anxiam fallat.* Profectò quamuis artificioſis deliciis, & excogitatis ad luxum oblectamentis ſopire anxietatem conetur impius, anxius ſtupebit ſemper, & dubius. Qui pro virtute labores ſubit, ipſa cauſa aſperitatem laborum mollit; at inerti vmbratilique, quamtumuis delicioſa nunquam interpelletur voluptas, de ipſa volu- — Seneca. Solatium eſt dura pro virtute pati. — ptate oritur grauiſſima anxietas: *Illi ſolatium eſt*, addit Seneca, *pro honeſto dura tolerare, & ad cauſam à patientia reſpicit: hunc voluptatibus marcidum, & felicitate nimia laborantem magis his quæ patitur, vexat cauſa patiendi.* Laudabilis labor, & pro iuſtitia ſudor ſecum affert animi placiditatem, & promittit beatitudinem; at qui inſeruit vitiis, futuri timore interturbat delicias, & ipſis deliciis anxias incrementat miſerias. Celebri reportato triumpho de Siſara, antiqui & miſerrimi quidem ſtatus mentionem facit Debbora, quò illuſtrior ac lætior appareat ſemper victoria: *In diebus Samgar filij Anath, in diebus Iaël quieuerunt ſemitæ, & qui ingrediebantur per eas, ambulauerunt per calles deuios* Addit: *Qui aſcenditis ſuper nitentes aſinos, & ſedetis in iudicio, & ambulatis in via, loquimini.* Quaſi dicat: Quam modò poſſidetis fortunam, cum antiqua ſorte componite: olim dum inſeruiretis Iabino, tritas vobis vias incedere non licebat; imò erat opus anfractibus fatigari, & etiam confragoſis antris, & latebris præruptis tueri; modò triumpho reportato pacatiſſimè inceditis, & nitentibus aſinis equitatis. Hunc ſenſum huius verſiculi eſſe, tradunt Lyra & Abulenſis: *Quieuerunt ſemitæ*, inquit illi, — Lyra. Abulenſ. — *quia non audebant Hebræi ire per vias Philiſthæis propinquas.* Adſtipulatur hic quæſtione 3. *Egrediebantur oppreſſores de terra Regis Iabin, & obſidebant vias: ideò non audebant Iſraëlitæ incedere per vias, niſi multi eſſent ſimul, & ſic ſemitæ, quæ olim tempore pacis erant vſitatæ, nunc ceſſabant, & qui ingrediebantur per eas, id eſt, qui ſolebant alio tempore incedere per iſtas vias, ambulauerunt per calles deuios, id eſt per itinera recurua, ſcilicet omnia itinera publica erant obſeſſa: ideò non relinquebãtur niſi quædam via parua per ſyluas & montes.* Ecce quam anxio labore, quàm laborioſa anxietate premebantur Iabino inſeruientes: metu exagitati fugiebant lucem, & cogebantur per inacceſſa, & ſcopulis plena incedere: quia fas non erat pedem publica & trita via ſine periculo figere

gere. Profectò hiſtoria, peccatoris iuſtique eſt expreſſiſſima idea: ſæpè namque vxoris alienæ amaſius per deuios calles incedit, nec licet niſi ceruicem flectendo gradi, quia vndique periculis conſtat vrgeri: virtutis via vacat timore, etſi non careat difficultate: quiſquis voluptatibus inſeruiuit, expertus eſt, quàm lucem fugerit, quàm per inuia confragoſaque inceſſerit.

71. Miſer homo dæmoni conceſſit habitaculum, eaque ille dira tyrannide oppreſſit hoſpitem, vt nullam illi conceſſerit requiem: grauiorem morte vitam ſuſtinere cogebatur, ſepulchris ſemper deliteſcens, aut ad cauernoſas montium [Marci 5. v.3] latebras fugiens: *Domicilium habebat in monumentis, & ſemper die ac nocte in monumentis, & in montibus erat.* Inuolat Dominus miſero opem laturus, & dæmonum fracta violentia iam fruitur ſaluti reſtitutus placida quiete, & depulſa quieſcit placidus anxietate: *Vident illum, qui à dæmonio vexabatur, ſedentem, veſtitum, & ſanæ mentis.* Iam non fugit lucem, qui olim ad lucis vmbram trepidabat, & humanos oculos pertimebat: ſedet placidus, qui exerrabat montibus fugitiuus: nec mirum, quia iam renuntiauit vitio, olim inſeruiebat peccato. Et qui poterat legioni dæmonum mancipatus anxio timore non concuti, & laborioſiſſimis excurſionibus non fatigari? *Viderunt illum, qui à dæmonio vexabatur, ſedentem, ſcilicet iuxta pedes, à quibus na-* [Titus Boſtr.] *ctus erat ſalutem* (verba ſunt Titi Boſtrenſis in catena) *quem anteà nec catena compeſcere poterant.* Iam ſedet, cui opus erat timore agitato catenas rumpere, & montium latebris latitare: dæmone inhabitatus per cõfragoſa difficillimis greſſibus laborabat, iam Chriſto proximus quieſcebat. Et quidem quod illi in corpore: multis in animo contingere non eſt dubium, inuolant ad latebras, quærunt vmbras; & quia improba conſcientia nunquam admittit ſolatium, cogit ſemper ad laborioſum effugium.

72. Saul manum cogit, vt in Philiſthinos irruat: Philiſthini etiam copioſas acies producunt in campum, & armis inſtruunt exercitum, vtque mores informet, Scriptura quo in loco Philiſthini fixerint ſtationem, accuratè deſcribit: [1.Reg. 14. v.4] *Erant inter aſcenſus, per quos nitebatur Ionathas tranſire ad ſtationem Philiſthinorum, eminentes petræ ex vtraque parte, & quaſi in modum dentium ſcopuli hinc inde prærupti.* Ecce qua via gradiendum eſt vitiis accedenti. Non habet vitium itinera complanata; ſed ſcopulis multis laborioſa: hominis ſpeciem quodammodò depoſuit Ionathas, & in ſerpentium morem reptauit, dum temeritatis laudabiliter ingreditur viam: *Aſcendit Ionathas manibus & pedibus reptans.* Vultu ad terram prono per ſcopulos præruptos incedit, vt honeſta actione iniquum acceſſum nobis depingat, & labores accedentium exponat. Fallitur quiſquis putat poſſe ſe ad Philiſthinorum caſtra tranſire, & complanata itinera premere: per ſcopulos illi gradiendum eſt, & quiſquis vultum à cælo auertit, terræque inclinauit, reptat, ac manibus, & pedibus anxiè laborat: [Lyra.] *Erat ibi*, ſcribit Lyra, *quaſi quædam ruptura montis, & vallis in medio habens ex vtraque parte ſcopulos in modum dentium, & per illum locum quærebat Ionathas tranſire.* Vitiorum viæ ſemper obliquatæ, & obtortæ, in quibus & vorago profunda, & ruptura periculoſa.

73. Cain cæleſtis lucis plauſum mereri detrectans fratri inuidet, & inſanis inuidentiæ febribus ardet: putauit infelix quo ardebat calorem alieni ſanguinis effuſione ſopiendum, nec nouit violentia laudabili mitigandum: in campum fratrem ducit animi oblectandi prætextu, & viam orco aperiendi conatu: ab exordio inuidiam paſſa eſt religio, qui Deo placuerat, occiditur; verùm Dominus iuſti non deſpexit cauſam, & tacentis dignè puniuit iniuriam. Quid tunc? Cainus diuinam faciem fugere nititur, & vagum profugumque ſemper ſe deerraturum teſtatus eſt: *A facie* [Gen. 4. v. 14.] *tua abſcondar, & ero vagus & profugus in terra.* Inquiramus cur à facie Domini fugæ deerrationem coniungat? Nonne poterit quieſcere, etſi conetur iratum aſpectum Numinis declinare? Dicat: *A facie tua abſcondar*: nec enim tenebroſa conſcientia cæleſtis poterat ſuſtinere luminis efficaciam: nec tamen addat: *Vagus & profugus ero in terra*, quandoquidem ipſe ſibi ſupplicium auget, & commodis imprudentiſſimus inuidet. Sanè Cain fratrem occidit ſceleratus; ſed ſe deerraturum à Deo abſentem prænuntiauit diſertus: nec enim poterat trita via incedere; ſed cogebatur per anfractus deuiare ſemper pauidus, & anxio timore ſemper ſolicitus. Vtrumque prudenter coniunxit: *A facie tua abſcondar, & Ero vagus & profugus in terra*: nec enim poſſibile erat placidè conſiſtere, & diuinos oculos declinare: cogitur namque ſemper peccator conſcientiæ percuſſus ſtimulis vias obliquas ingredi, & ſemitas tortuoſiſſimas quærere. Adeſt Hieron. apud [Hierom.] Lippoman. *Eiicior, inquit, à conſpectu tuo, & conſcientia ſceleris tremebundus lucem ipſam ferre non ſuſtinens abſcondar, vt latitem: eritque, omnis qui inuenerit me, occidet me, dum ex tremore corporis, & furiata mentis agitatu eum eſſe intelligit,* [Ambroſ.] *qui mereatur interfici.* Conſonat ibi Ambroſius: *Nihil grauius quàm errantem à Deo deſeri, vt ſe reuocare non poſſit.* Addit ingenioſiſſimus Doctor: *Vita diuino gubernaculo deſtituta præcipitatur, & in grauiora prolabitur, vt ſi gregem paſtor relinquat, incurſent beſtiæ.* Vti accidere ſolet inuaſas à feris oues paſtore dormiente per abruptiſſima fugere, & præruptis mõtibus latibula quærere, ita homo à Deo deſertus cogitur per laborioſiſſimos incedere anfractus, & agitatus timore periculi nec poteſt conſiſtere, nec nouit vnquam quieſcere. Ergo malignè prudens Cainus dum ſceleri inſeruit, per laborioſas vias opus ſibi incedere agnoſcit: *Vagus, & profugus ero ſuper terram.* Et quare? Quia à facie tua abſcondar: nec enim potero itineribus difficillimis non teri, dum conſtat ſceleribus famulari.

74. [Chryſol.] Hinc lucem accipiet dubium illud Chryſologi ſerm. 54. dum audit Zachæo à Domino imperari deſcenſum: ſi benè aſcenderat, quare ei dicitur: Deſcende! Percurramus hiſtoriam: Zachæus ſtatura puſillus, & deſiderio ſpectandi Chriſtum Dominum inflammatus in arborem ſycomorum inſcendit: [Lucæ 19. v.4] *Præcurrens*, inquit, *aſcendit in arborem ſycomorum, vt videret eum, quia inde erat tranſiturus.* Itaque Adamaticam inſcendit arborem, vt deſiderio adularetur; at Chriſtus Dominus cauſam virtutis ſuſcepit, & de Adamatica arbore deſcendere celerrimè iuſſit, ne quis putaret eamdem viam inſeruire vitio & virtuti: opus fuit Adamo à rectis itineribus deuiare, & ficui pomum carpturus accedere; at videndi Dominum ſtudioſo opus non erat inſolitas inſcendere vias, & laborioſas reptare per plantas. Ergo quando bono aſcenderat animo; deſcendere iubetur:

Digitized by Google

Chryſol. iubetur : quia imprudenti deuiabat ſtudio : *Si ſapis*, addit Chryſologus, *feſtinans deſcende, deſcende ante Dominum de Adamatica arbore:* Vt Zachæus videat Dominum, ſatis eſt domo excipere,& placidè conuiuio aſſidere: ergo non repret;ſed ſedeat: eſt namque virtutis via plana, vt ſceleris ardua,difficilis,confragoſa.

§. XVIII.

Laudabilis nouitas, qua virtutem promouet, & vetuſtatem depellit.

75. Caſſiodor. GRatum nobis eſt, aiebat Caſſiodorus 3.var.6. *perſonas nouas ad honorum celſa producere, delectat peregrini germinis viros gremio libertatis inſerere, vt varijs frondeſcat Senatus aula virtutibus.* Cumulatior reſplendet virtus, dum noua antiquis interſerit,& antiqua nouis coniūgit. Patris theſaurus veteribus & nouis diteſcit,& prudenter noua aliquando veteribus anteponit: dum noua & vetera de theſauro ſuo profert,omnem ſuſpicionis notam depellit: gratum eſt antiqua euoluere; ſed etiam & noua cæleſti lumine parturire.Noua ſtella Magis indicat veritatem:quia antiquæ occaſio extiterunt erroris: non omnis nouitas ob nomen vti ob delictum damnanda; imò ſi virtuti militet, eſt antiquitatibus præferenda.Omnibus ſæculis ſupremus parens honeſtè adulatur, dum diuerſa diuerſis liberaliſſimè dilargitur. Rationis lance nouitas debet examinari,& ſi virtutis fuerit cognata,exambiri. Ecce Debbora dum diuinas refert laudes,Deum noua elegiſſe bella teſtatur: *Noua bella elegit Dominus, & portas hoſtium ipſe ſubuertit* Laudabili,etſi noua, bellandi ars, quæ depulit ſeruitutis antiquæ iugum, & transfodit virulentiſſimum aduerſarium. Quærunt interpretes quæ fuerit hæc in bello nouitas à prophetide dilaudata. Hugo. Hugo Charenſis putat muliebri manu Siſaram fuiſſe occiſum,clauoque transfoſſum: *Nouo modo deuicit Siſaram : quia per mulierem dedit victoriam.* Nouum erat fortiſſimum virum à muliere deuinci,& candida manu transfodi;at hæc nouitas Dei populo fuit vtiliſſima, & à Debbora miris laudibus commendata:non fuit hæc nouitas ambitionis filia;ſed diuina electione Numinis procurata.Et quis hanc bellandi artem de nouitate condemnet,quando nouitas & hoſti fuit exitioſa, & populo Dei proficua. Qui hoc certamen vti nouum & peregrinum damnaret, ſaluti populi contrairet : nec enim omnis vetuſtas ſequenda, nec nouitas omnis damnanda.

76. Iudic. 5. v. 20. Hanc iterum veritatem confirmat Debbora: *Stellæ, inquit, manentes in ordine & curſu ſuo aduerſus Siſaram pugnauerunt.* Olim pugnauit Sol contra Amorrhæos;ſed retardatus,& cælo fixus: militauit etiam Luna;ſed immota,& Ducis præcepto obſecuta : hìc nouum geſtum eſt bellum: ſtellæ namque tenore ſeruato,& ordine cuſtodito Siſaram oppugnarunt, & contortis radiorum luminibus deuicerunt. Abulenſ. Adeſt Abulenſ. q. 3. *Noua bella fuerunt hæc,ſcilicet quia Deus illa fecit mirabiliter pugnando de cælo,vt infrà dicitur.* Certè pugnarunt antiquitus contra fidei hoſtes,quæ cœlo præſident luminaria,modò pugnant ſydera nouo quidem modo;ſed vtiliſſimo.Itaque & fixa vicerunt lumina, & rotata oppugnarunt etiam Siſaram aſtra:imprudens carperet ſtellas de nouitate pugnandi,quandoquidem à maioribus diſcrepabant, nec ſtylū approbatū tenebant;at ipſe euentus oſtendit non omnē nouitatē damnandā; ſed aliquando & antiquitatibus præferendam.

Eliſæus duplicatū à magiſtro accepit ſpiritum, 77. dum ſibi quaſi teſtamento legatū leuauit pallium: eo magiſtrū imitās rapidos ferit fluctus,& aquis nudatā puluerulentam adaperit ſibi viā: *Percuſſit aquas,& diuiſa ſunt huc atque illuc,& tranſijt Eliſæus.* (4 Reg. 2. v. 14.) Poſteà mulieris pientiſſimæ filius peſtilenti morbo correptus moritur,& mater prophetæ lachrymis excitationem ſuaſit:ille mittit baculum, quò mors abigatur depulſa,& vita matrē exhilaret inſtaurata: *Tolle baculum meum in manu tua,& vade.* (4 Reg. 4. v. 29.) Quærunt interpretes,cur non miſerit palliū tot patratis miraculis iam expertū, & communi hominū ad miracula patranda æſtimatione approbatū. *Quare miſit Eliſæus baculum,& non pallium,* rogat Abulenſ.q. 69. (Abulenſ.) *cùm ipſe conſuetus eſſet facere miracula cum pallio:* reſpondetque iam baculo,non pallio ad miracula vſum,non quia magiſtri gloriæ vellet inuidus detrahere; ſed quia ipſe nouum etiam miraculorum inſtrumentum diſcupierat inuenire: *Fortè iam non faciebat miracula cum pallio; ſed cum baculo.* Voluit Eliſæus nouum miraculorū inſtrumentū producere,non ad iniuriam antiquiſſimo pallio irrogandam; ſed ad nouam miraculorum ſcaturiginem aperiendam: baculo, pallioque Eliſæus operatus eſt miracula, quo patremfamilias prudentiſſimum imitatus noua addiderit antiquis, & antiqua adauxerit nouis:ni baculum nouum miraculorum inſtrumentum conaretur efficere, ſolum Eliæ pallium ſalutis eſſet officina; at virtus pallio non eſt detracta; ſed alia cauſa ſalutis inuenta: non contempſit magiſtrum, nec eius inuidit gloriæ, dum nouum inſtrumentum excogitauit potētiæ;ſed honeſtè ſuperbus noluit diſcipulum ſemper agere; ſed ſe magiſtrum futuris ſæculis exhibere. Adde oportere antiquæ doctrinæ aſſeclas illam ſuis ex puriſſimis fontibus haurire, nec degeneri, aſcititioque, per quos aliquando excurrit, tramitum ſapore adulteratam magni æſtimare:ſæpè namque vti antiquum venditatur, quod iniqua eſt interpretatione detortum. Mentiuntur plures antiqua,quæ nec antiquis cognita,nec à ſapientibus vnquam tradita.Ex ipſo fonte aquam hauriamus puriſſimam : ſæpè namque trames,per quem excurrit, nouum;imò contrarium ſaporem imprimit, & qualitate contraria origini fallit.

Ezechias in morbum incidit,& ne,vt Magnatibus ſolet accidere, improuiſa morte corriperetur,ab Iſaia illi periculum denuntiatur:Rex quam ſibi vitam nequibat protelare dignitatis potentia lachrymarum produxit copia, orationiſque efficacia,& iam qui immaturum verebatur interitum, vt ſpes lætiores alat, pro arbitrij optione ſortitur Solis miraculū: *Vis,* inquit Iſaias, *vt aſcendat vmbra decē lineis, an vt reuertatur totidem gradibus?* (4 Reg. 20. v. 9.) Prudentiſſimus Rex noluit alieno detrimento,dū breuiat diem,propriæ ſaluti conſulere;imò tunc ſuæ putauit ſaluti conſulere, cùm potuit vitæ ſubiectorū terminos prorogare:noluit lucere Solem vrgens in occaſum;ſed ad nouum trahēs oriētis exordiū.In horologio Achaz vmbra reducitur, & iam regia ſalus recuperatur: *Reduxit vmbrā per lineas,quibus iā deſcenderat in horologio Achaz,retrorſū decē gradibus* Notanter aduertit textus vmbram retractam in horologio, nec expreſſit Solem repedaſſe in cælo. Huius occaſione

Digitized by Google

occaſione quærunt interpretes, an Sol reuocato curriculo ad ortum fuerit regreſſus, an ſolùm vmbrarum gradus in horologio retractus. Plures, vt Burgenſis in 4. lib. Reg. Vatablus, Arias Montanusque ſuper Iſaiam ad hunc locum exiſtimant, nec ſine rationis momento Solem antiquum in cælo tenorem ſeruaſſe, & vmbras tantummodò retroactas miraculo fuiſſe. Audi Vatablum: *Doctoribus magis placet æqualem fuiſſe diem cum aliis: nam in horologio erant ſolùm duodecim lineæ, quæ tot horas deſignabant. Miraculum fuit vmbram retroceſſiſſe procedente tamen Sole, nec ſecutam eſſe vmbram motum Solis.* Vides ex Vatabli ſententia nullo modo Solem retro fuiſſe conuerſum; imò cùm inſtitutum tenuerit curſum, vmbram in horologio Achaz ſic ab eo diſcrepaſſe, vt decem lineis errarit ab eo ſpatio, quod iuxta Solis aſpectum, ac ſitum notare debuiſſet. Itaque eo ipſo tempore, qui Solis aſpectum contemplaretur, decimam horam eſſe reperiret; qui verò aſpiceret horologium, diei exordium deluſus crederet, falſuſque putaret: tantùm diſtaret à veritate, qui horologium non bonum tunc Solis interpretem conſuleret, vt ſpatiis longiſſimis aberraret. Profectò dura res eſt oculis viventem cogere ad fidem detortis vmbris præſtandam, non ipſi luci exhibendam: aſpiciatur Sol in ſe ipſo, non in horologio ad libitum conſtructo, & ad placitum gubernato. Et expende hanc miraculi nouitatem ſæculis retro inuiſam profuiſſe ſaluti, non fraudi. Certè Iſaias poterat Ioſue ad inſtar Solis rapiditatem ſiſtere, & antiquum prodigiū repetitione honorare; maluit tamen diuino auxilio fretus nouum patrare miraculum ad omnipotentiæ Numinis gloriam non ad Ioſue plauſus inuidiam: vidit Solem poſſe ſiſti, vidit poſſe vmbram etiam in occaſum vrgeri, aut retro in orientem trahi, & laudabili ambitione elegit non antiqua imitari miracula; ſed noua operari prodigia. *Semper ſapienti reſtabit, quod inueniat,* aiebat Seneca epiſt. 109. *& quò animus eius excurrat.* Reſtant plura ex diuinæ ſapientiæ theſauro pro temporibus eruenda, & ſapienti communicanda. Poſt Platonem Ariſtoteles extitit, poſt Ariſtotelem Seneca, & ſic in plurimis aliis inuenies: nōdum ab omnibus, qui antea fuerunt exhauſta ſapientia eſt: poterit quis noua inuenire veteribus non oppoſita; ſed adaucta: nonnulli, vt inuidentiæ adulentur, ſtudioſos, & multo labore in eruendis veritatibus incumbentes vti nouatores ſugillant, & vti veterum contemptores infamant; cùm tamen hæc calumnia prorſus diſtet à veritate, vt naſcitur à liuore. Examinanda eſt nouitas rationis trutina, non liuoris ſugillanda acrimonia.

Margin notes: Burgenſ. Montanus. — Vatabl. — Seneca. *Sapienti ſ. ſemper ad it, eu. dum reſtat.*

79. Poſt luctuoſum illud diluuium, quò ferè omnis creatura deleta eſt, Noemus reliquarum cuſtos columbam mittit telluris, aëriſque qualitatem exploraturam: illa, vt annunciet læta, vt tempora promittat ſecura, ramum oliuæ ore geſtat: abſtinuit cibo, vt ſe tanto tempore cibanti allatis ſpebus lætioribus eſſet gaudio: *Venit ad eum ad veſperam portans ramum oliuæ virentibus foliis in ore ſuo* Quærunt Patres, an hic oliuæ ramus fuerit ex aliqua antiquā, reſeruataque oliua; an non fuerit ex antiqua; ſed noua? Ambroſius putat probabile, & oliuam diluuio reſeruatam, & germinaſſe diluuij tempore floridam: *Si diluuij tempore natum eſt folium,* ſcribit apud Lippoman, *aduertit iuſtus noua ſemina miſericordia multiplicaſſe cæleſtis, vt radices arborum viuerent, & quaſi reſumpta anima fœtus germinarent vetuſtos, atque in aſſuetos partus redirent, quorum indicium præmiſſa folia demonſtrarent.* Itaque lætatus eſt Noë, cùm de antiqua radice nouos vidit floſculos pullulare: erat in ramo illo viroris nouitas, radicis antiquitas: certè ni noua folia ramum illum ornaſſent, marcidus & vetuſtus nec videntis ſpes erigeret, nec triſtitiam aboleret: aut ſi viror ille de antiqua non pullularet radice, dum nihil diluuio cognoſceret aſſeruatum, diuinæ miſericordiæ illud non haberet argumentum; at dum agnouit plantam diluuio antiquiorem nouiter floruiſſe, vir iuſtus gauiſus eſt, & inde collegit miſericordiæ diuinæ inſigne, quod iam remouiſſet diluuium, cùm fructum demonſtraret, cui non potuiſſet nocere vndarum violentia, & ſecum depræliantium vorticum reluctantia. Itaque in ramo illo vtrumque videbatur, & antiquus ſurculus, & nouus floſculus. Non eſt plurimi habenda nouitas, ſi antiqua non pullulauit radice, & innixa eſt probata ſæculis veritate: nec antiquitas eſt magni habenda, ni nouis ornetur partubus, & recentibus niteat fructibus: nouitas namque radice antiqua carens poterit diſplicere ſuſpecta, radix antiqua, niſi virentia, nouaque protruſerit folia, offendet aſpectum marcida; at ſi miſceantur & probata antiquitas, & grata nouitas, iā & calamitas auolat, & felicitas mundum ornat. Itaque in columbæ Spiritus Sancti ænigmatis ore inueniuur vtrumque, ramus ſcilicet antiquitate nobilis, nouitateque viridis.

Margin notes: Geneſ. 8. v. 11 — Ambroſ.

---

§. XIX.

Maria Sanctiſſima inuiſo ſæculis triumpho de originali reſplenduit, & eximiis ſemper gratiæ prærogatiuis emicuit.

NEceſſarium probatur eſſe Reipublicæ, ſcribit Caſſiodorus 1. 6. var. 6. *perſonas dignitatibus aptas eligere, vt cui iuſtitia committitur, malis moribus non grauetur: alioquin inefficax eſt ab homine exigere, quod agnoſcitur non habere. Contrà confidenter quæritur quod ineſſe ſentitur.* Non benè congruit maculam deſideranti depellere, inſtrumentum macula inquinatum aſſumere, quandoquidem ſolùm quit glorioſum reportare triumphum de vitiis, quem decoris virtutum liquet radiare ornamentis. Hinc Maria Sanctiſſima omni culpa probatur immunis, quia ad culpam depellendam deſignata eſt Numinis genitrix. Inuiſa retro ſæculis Deus illam lauro exornauit: quia veluti omnis gratiæ inſtrumentum fore decreuit: numquam peruenit inimicus ad Mariæ tabernaculum pugnaturus; ſed meticuloſus, & ſubiugandus. Ecquis hoc ait: Debbora ſanè, dum triumphum de Siſara reportatum fauſtis iteratiſque acclamationibus celebrans, bella noua elegiſſe Dominum ad ſingularem Mariæ Iaële adumbratæ gloriam decantauit: *Noua bella elegit Dominus, & porta hoſtium ipſe ſubuertit.* Quærunt interpretes quæ fuerit hæc bellorum nouitas: nam licet hîc exigua inermique manu ferè innumerabilis aduerſariorum copia fuerit non ſolùm profligata; ſed prorſus attrita, hoc nec inſolitum erat, nec nouum, quandoquidem ſæpè ſæpius exarmatus, exiguuſque miles, vt modo accidit,

Margin notes: 80. Caſſiodor.

Digitized by Google

cidit,copioſas hoſtium acies ſubuertit, & inuincibiles ad ſpeciem vires edomuit:quæ ergo hæc raritas celebranda, & nouitas eſt plaudenda? Abulenſ. Explicuit Abulenſis quæſtione :. ſcilicet exercitus Principem à fæmina capite periiſſe transfoſſum,& inimicorum oſtium infractum: *Noua bella elegit Dominus,ſcilicet fugiẽdo quòd magnus exercitus vinceretur per fœminã: nam Iael occidit Siſarã Principem magnæ militiæ, & hoc hactenus inauditum fuerat:ideò noua bella fuerunt hæc.* Pugnarunt aliquando fœminæ contra virulentiſſimo hoſtes;verùm ſola Iaël caput inimici contriuit,& portas eius ſubuertit.Et quis neſciat portam,per quam dæmon ad homines intrat originale fuiſſe delictum, quandoquidem tot tantiſque calamitatibus præbuit aditum, & captiuitatis induxit iugum: hoc ergo caput,hoc oſtium poſſe à fœmina proculcari,ante Mariam ſæculis erat ignotum;at nouum hoc bellum elegit filius,vt quam elegerat matrem,ſingulari victoria nobilitauerit triumphatricem. Certè Dauid, dum trucíſſimi aduerſarij præciſum caput manibus geſtat,Chriſti Domini triumphum figurat: ergo Iaël quia Mariæ præceſſit ænigma conſimili reſplendet triumpho,capite ſcilicet inimici transfoſſo:vterque Dauid & Iaël plagam capiti intulit inimici, vt notum omnibus eſſet conſimili ornari triumpho,& florenti ſemper redimere tempora lauro. Vides reliquum populum ante hoc certamen obſcuram captiuitatis tuliſſe notam,& ſubiiſſe certaminis contingentiam; at Iaël nouo victoriæ genere triumphat, cùm nunquam fuerit ſeruili Iabin obſcurata iugo, & immortali reſplendeat lauro.Hoc nouum, hoc ſæculis inauditum; ſed Mariæ fuit priuilegium. Nec miraberis quam materna adornabat prærogatiua, noua filium nobilitaſſe victoria. Certè mirum, nouumque eſſet,ſi tabernaculum, in quo diu requieuit, trophæis hoſtilibus non ornaſſet, cùm conſtet vel leuem Domini contactum potentiam dæmonis confregiſſe & tactos non ſolùm detrimento;ſed etiam periculo liberaſſe.

81. Parentes alienis calamitatibus docti filios Chriſto Domino paruulos offerebant,quo manus illis imponens contra pericula armaret,& dæmonis violentiã reprimeret:fidebant nãque ſacro Dominicæ manus cõtactu non ſolùm damnũ depellendũ;ſed etiam periculum propulſandũ: Matth.19. v.14. *Oblati ſũt ei paruuli,vt manus eis imponeret,& oraret.* Hoc Origen. parentũ ſtudiũ fuiſſe tradit Adamantius apud D. Thomam. *Iam ex præcedentibus virtutibus eius experti erant quoniam per impoſitionẽ manuum eius & orationem repelluntur mala: offerunt ergo ei pueros conſiderantes quoniã impoſſibile eſt, vt poſtquã per tactum Dominus dederit in eis diuinã virtutem,aut ruina,aut dæmonium aliquod tangere eos poſſit.* Itaque cùm plures parentes audierint à patre illo, qui luctuoſa filij calamitate perculſus Dominum adiuit,puerum ab infantia à dæmone diuexatum, viderintque contactu Dominicæ dexteræ ſanitati reſtitutum, deuoto animo obtulerunt filios charitatem in paruulos oſtentantes, & virtuti Domini confidentes: feſtinarunt paruulos Domino offerre, ne ſi differant, paternæ dilectioni irrogarint iniuriam, dum non anteuertunt, cùm poſſint,vel diſcriminis contingentiam. Credunt ſe amori paterno detrahere,ſi cùm poſſint tactos filios non ſolum damno; ſed periculo etiam eximere, protelarint Domino offerre:eaque fuit dexteræ diuinæ efficacia, vt jam dæmon tactu nobilitatis,munitiſque non ſolùm detrimentum inferre nõ audeat;ſed nec pertẽtaſſe queat.Quod ſi terreni parentes dilectos filios contra pericula prouidenter obarmant, quis credat cæleſtem patrem filiam ſibi dilectiſſimam non ſolùm à periculo non liberaſſe; ſed inquinari culpa permiſiſſe?Mariam diuinus filij ſæpè conſtrinxit amplexus: illam dulcis Chriſti Domini in gremio nobilitauit accubitus:quis ergo credat Patris filiam, filiique matrem poteſtati dæmonis fuiſſe obnoxiã,quando conſtat leuiſſimu etiam Domini tactum omnem à pueris propulſaſſe ruinam.

Balac cùm eius ditioni Hebræorum populum intueretur appropinquare,timore correptus 82. ad maiores Moab in hunc modum locutus eſt: *Ita delebit hic populus omnes, qui in noſtris finibus* Numer.22. *commorantur, quomodò ſolet bos herbas vſque ad* v.4. *radices carpere.* Iam verebatur radices prorſus carpendas, & omnes eius ſpes fruſtrandas: non ait conſumptis herbis eius ditione relinquendam radicem; ſed prorſus deterendam, & deuorandam. Quod ſi radix, qua dæmonis floret imperium,originalis eſt culpa, iure timet ipſam radicem eruendam, & proculcandam. Iam triumphum adeò nouum Mariæ reſeruari cecinit Balaamus, dum eius luce illuſtratus dixit: *Orietur* Numer 24. *ſtella ex Iacob,& conſurget virga de Iſrael,& per-* v.17. *cutiet duces Moab.* Iacobi ſtellam fuiſſe Mariam Bernard. tradunt Bernardus homil.2. *in Miſſus eſt.* Hieronymus Hieronym. de nominibus Hebraic. Heſychius Heſych. ſerm.2. de Virgin. Itaque huius ſtellæ triumphus procedit vſque ad radicem in herbis: ferreo, æreoque vinculo alligatur Nabucho;Maria verò non ſolùm proculcat herbam; ſed triumphatore pede proculcat etiam radicem:non paſſa eſt culpæ amaritudinem; ſed nouo triumpho deleuit radicitus hoſtem.

Peſtilens morbus corripuit Lazarum, & qui heri genarum flore, corporis elegantia, ornatus pompa oculos in ſe conuertit,iam horridus fœtiduſque & offendebat aſpectum, & grauabat etiam olfactum; at Chriſtus Dominus vti verus amicus ibi aſtitit, vnde reliqui ſæpè diffugiunt: poſt ſepulchrũ,poſt fœtorẽ aduentat,& Mariam reſurrectioni adeſſe non ſine myſterio mandat: *Magiſter adeſt, & vocat te.* Inquiramus cur to- Ioan 11. tam mortis vim in Lazaro Dominus voluerit impleri, cum aliis defunctis vitam ante ſepulchrum feſtinauerit dilargiri: *Vis tota mortis*,aiebat Chryſologus ſerm.6. *impleta eſt.* Itaque in Chryſol. aliis defunctis non fuit victoria de morte conſummata,nec cumulatè reſplenduit plena;in Lazaro verò mors totum robur exercuit, & nihil ſuum ad imperium pertinens hic omiſit. Ergo dum aduentat Dominus,vocatur Maria, vt nouerit ſæculum mortem non per partes vincere; ſed de pleniſſima detriumphare, *Mittitur ad Mariam* (verba ſunt Chryſol.ſerm.64.) *quia ſine Maria nec fugari mors poterat,nec vita poterat reparari veniat Maria, veniat materni nominis baiula* Profectò,quamuis vocaretur Maria ad adoleſcentis excitationem, quis fortaſſè diceret viciſſe feretrum,non ſepulchrum: ſi vocaretur ad reſtituendã puellæ ſalutem,cùm vis mortis non eſſet plena nec plena reſplenderet victoria; at Dominus dum arcana mora, quiquid mortis eſt, in Lazaro permittit impleri, & ad excitationem vocat Mariam, triumpho vult nouiſſimo coronari. Triumphum egerat Elias de morte; ſed adhuc calente pueri corpore,

&

Digitized by Google

& ſpiritu adhuc viante. Mortem depulerat Eliſæus; verùm nondum puer intrarat ſepulchrum, & quamuis vterque propheta celebri miraculo eluxit, totam mortem ſubiugare non valuit; at vis integra mortis in Lazaro impletur,& Maria ad triumphum de morte reportandum vocatur, vt conſtet omnibus Mariam omnibus inferni viribus præualuiſſe, & omne mortis imperium ſingulari prærogatiua calcaſſe: triumphat de morte, de fœtore, de lapide, & permiſſum eſt morti vires omnes in Lazarum exercere, quò glorioſus datum fuerit matri Virgini detriumphare. Quidquid mortis fuit, ad eius fugit præſentiam, & reportatis anteà celebriorem cum Maria Dominus eſt partitus victoriam.

84. Abimelec arboribus præciſis Sichimorum
Iudic.9 v.49 præſidium ſuccendit, igneque & fumo mulieres & homines ſuffocauit: *Certatim ramos de arboribus præcidentes ſequebantur ducem, qui circumdantes præſidium ſuccenderunt, atque ita factum eſt, vt fumo & igne mille homines necarentur viri pariter & mulieres habitatores turris Sichem.* Ignobili triumpho ſuperbiens vlteriora tyrannus tentat, & turrim Thebes adurere etiam anhelis flammis laborat, cumque ianua firmiſſimè occluſa aditum prorſus liberum impediret, ignem ſuppoſiturus accedit; at temeritatis luit pœnas, antequam admouere potuerit flammas: *Appropinquans oſtio ignem ſupponere nitebatur, & ecce vna mulier fragmen molæ deſuper iaciens illiſit capiti Abimelec, & confregit cerebrum eius.* Ecce mulier quo reliqui pereunt fumo, non læditur; imò antequam ignis ardeat, trophæo glorioſiſſimo ornatur. Hanc mulierem Mariæ extitiſſe ænigma, nullus ex interpretibus dubitabit. Huc voco quod aiebat
Richard. Richardus Victorinus cap. 26. *Virgo tenebrarum Principibus terribilis fuit, vt ad eam accedere non præſumpſerint.* Quod cæteris luctuoſus extiterat caſus, fuit Mariæ triumphus, & antequam poſſent oculi obtenebrari maligno fumo, fulgenti coronata eſt dextera lauro. Dum portam Abimelecus oppugnare nititur, iacto lapide à diſtantiſſima muliere conteritur: nondum præſidij portam infregerat, accedere namque nitebatur, dum occubuit interemptus, & triumphali dextera occiſus. Ne vel leuiſſimo fumo arx denigraretur, flamma permiſſa non eſt accendi: & ne tyranni planta vel vnico veſtigio præſidij macularet ingreſſum ſolicitè obfirmatum eſt oſtium: dum nitebatur accedere non ſolum eſt hoſtis repulſus; ſed ad nihilum prorſus redactus: *Ipſa proculdubio caput contriuit venenatum* (ſcribit Bernardus homil. 2. *ſuper miſſus eſt*) *quæ omnimodam maligni ſubuctionem tam de carnis illecebra, quam de mentis ſuperbia deduxit ad nihilum.* Addit poſt pauca: *Hanc requirebat Salomon, cùm vehementer admirans dicebat: Mulierem fortem quis inueniet? Et ita videbatur congruere, vt qui vicerat per fœminam, vinceretur per ipſam.* Per fœminam à diabolo hominum caput contritum eſt: ergo & dæmonis caput frangitur per fœminam, vt in ipſo quod vicerat, vinceretur, luceretque Maria & nouo triumpho, & æterna lauro.

§ XX.

Laudabilius eſt bellum pati honeſtè reſiſtendo, quam pace frui iniquis iuſſis obtemperando.

TRanquilla pax, inconcuſſa concordia omnibus eſt ſemper deſideranda, vt militia 85.
tumultuoſa fugienda: *Omni regno deſiderabilis debet eſſe tranquillitas*, ſcribit Caſſiodorus 1. Caſſiod.
var. 1. *in qua & populi proficiunt, & vtilitas gentium cuſtoditur: hæc eſt enim bonarum artium decora mater, hæc mortalium genus reparabili ſucceſſione multiplicans facultates protendit, mores excolit, & tantarum rerum ignarus agnoſcitur qui eam minimè quæſiſſe ſentitur.* Itaque pax eſt vitiorum bellum, & virtutum præſidium: dum procelloſa tempeſtas ingruit, retuſa vndique ſpumoſos nauis fluctus non ſecat, quæ tranquillas vndas via recta tranabat; verùm vt non ſemel ſubæratur moneta, & falſata nitet externo auro, cùm diſpendia afferat interno ferro: ita ſæpè pax oculis noſtris imponit, & quæ putatur tranquillitatis cauſa, inuenitur calamitatis eſſe officina. Satius aliquando eſt honeſtum pati bellum, quam iniqua pace vitare diſſidium: ecquis hoc ait? Debbora quidem prophetes. Audi eius verba: *Noua bella elegit Dominus, & portas hoſtium ipſe ſubuertit.* Expectabas dicturam: pacem elegit Deus, cùm ipſe ſit indefeſſa tranquillitatis vena, & fœcunda concordiæ cauſa; & tamen audis Martia elegiſſe certamina non pacis oblectamenta. Iam ſi quæras electionis cauſam, opus eſt conſulere hiſtoriam. Iſraëlitæ Iabini tyrannide premebantur, immodica tributa pendentes, & tyrannidem coacta patientia tolerantes: ergo Dominus Baracum armat, & in campum prodire iubet, quo Iſraëlita iniquum de ceruice deprælando excuſſerit iugum, nec peſtilentis pacis potiatur
Interlin. otium: *Noua bella*, exponit Interlinearis: *quia ipſe eos fortes fecit & triumphales.* Subſcribit
Origenes. Adamantius hom. 6. in lib. Iudic. *Non patitur nos vltra Apoſtolus ſub alis lactentium latitare, inuitat nos ad certaminum campos: vide quomodo omnia per ordinem fiant populo Dei.* Miſerabili Iſraëlitæ torpebant otio, tyrannico onerabantur tributo: ergo iubet Dominus iniqua reſpuere otia, & prenſare laudabiliter arma: eſt enim honeſtius campum perere, quam hoſtem virtuti infenſiſſimum pati. Fortaſſis Haberum ſugillat textus dum cum Iabino refert confœderatum.

86. Eò miſer Iſraëlitatum ſtatus deuenit, vt viuere non liceret: eo tempore Habet Cinæus
Iudic. 4. v. 17 ſtabili fœdere iniui cum Iabino concordiam, & ſanciuit amicitiam: *Erat pax inter Iabim regem Aſor, & domum Haber Cinæi.* Dum Cinæi ad Hebræos pertinentis cum Iabino refertur concordia, imprudens ad ſpeciem Hebræorum ſugillatur ignauia: quid enim neceſſum fuit recurrere ſemper ad arma, cum potuerint Cinæi ad inſtar iniſſe cum hoſte fœdera. Adeo bellicoſi, & pacis ſunt inimici, vt maluerint continuis certaminibus inſudare, quem tranquilla pace potiri? Sanè dum Hebræorum cum Iabino produntur bella, non carpitur illorum de-

ſidia; ſed pernicioſa Cinæi concordia: conducibilius namque erat Hebræos inſudare armatos honeſtè reſiſtendo, quam Haberum iniqua frui pace indignis iuſſis obtemperando. Adeſt Abulenſis quæſt. 23. Cùm Iſraëlitæ opprimerentur à Iabin tributis, & vellent aliqualiter reſiſtere, non habebant pacem cum eo: quia ſubdebantur omnino; Haber autem ſoluebat tributa immoderata, ſcilicet quantumcumque petiiſſet Iabin; ideò ſpecialiter ei præſtiterat ſecuritatem & pacem. In Iabino deſignati vi-
Tertullian. tium nullus ignorat: *Iabin*; ſcribit Interlinearis, *ſenſus*, cum vitio ergo appetituque pacem habere pendendo ei quæcumque velit tributa, concordia eſt bello deterior, & peſte grauior. Malo Hebræorum laborioſum cum Iabino diſſidium, quam Cineæ pacis oblectamentum: peſſima pax erat, quæ nullos ſuſtinebat adſultus: quia vota ſemper impleuerat appetitus. Iuſti aliam legem ſentiunt in membris rationis legibus repugnantem; ſed dum ſentiunt pugnam, reſiſtendo merentur palmam; at qui neſciunt bellum, quia ſemper ſoluunt tributum, deteſtabili pace, belloque deteriori fruuntur, & detrimento grauiſſimo otiantur.

87. Ieremias indefeſſis lachrymis populi ſui pa-
Ierem.6. v.14. cem deplorat, vtpote quæ non fuerit ſalutis mater; ſed calamitatis matrix: *Curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia dicentes: Pax, pax, & non erat pax*: ſic adulterata erat concordia, vt grãdis fuerit verę pacis ignominia: erat pacis ſpecies, & res diſcriminis: iniqua pace moliebantur bellicos tumultus abigere, & cogebant ipſo remedio grauius Rempublicam laborare: pacem promittebant: *Pax, pax*: & à pace diſcordabant: *Et non erat pax*: quia vera tranquillitas honeſtis ſolum certaminibus gignitur, & pugnis honeſtiſſimis procuratur: *Grandem populi*, ſcribit noſter Sanctius in paraphraſi, *ad mortem laborantis plagam ita curabant fallaci blandimento, vt illum ad grauem ignominiam adduxerint.* Addit doctiſſimus interpres: *Nam cùm pacis ſpecies eſſet nulla, ipſi tamen pacem & ſecurum otium promittebant.* Iniqua promiſſa pace bella honeſtiſſima relegabant, & qui in acie pugnantes haberentur ſtrenui, & perſtarent inuicti, manus tradiderunt hoſti indecorè otioſi & ignaui; Non erat pax, ex qua gignebatur bellum; imo optabilius erat bellum, quo ſtabilius floreſceret pax.

Cum Nicanor virulentiſſimus Hebræorum
88. hoſtis illos cupiditate obcæcatus diſponeret pretio vti mancipia diſtrahere, adeò illorum vigor elanguit, vt vel iniquis conditionibus de pace agerent, & fœdus deteſtandum iamiam
1.Machab.8. v.16. inirent. Quid tunc? Machabæus animos induit, & in arma ruere conſulit: *Conuocatis Machabaus ſeptem millibus, qui cum ipſo erant, rogabat, ne hoſtibus reconciliarentur, neque metuerent iniquè venientium aduerſum ſe hoſtium multitudinem; ſed fortiter contenderent.* Machabæus, antequam libertatis, prudentiæ iam videtur feciſſe iacturam: nonne conducibilius eſſet hoſtibus potentiſſimis reconciliari, quam illorum armis occidi? Si Nicanoris copiæ numerum ſupergrediuntur, populi vires laſſeſcunt: ergo non cõſulat decertare; ſed fœdus cum aduerſariis inire. O prudentiam æternis laudibus commendandam! Opus erat iniquis iuſſis obtemperare, vt pacem quiret populus obtinere; aut ſi refragari vellet præceptis, opus erat vti non ſegniter armis: vtque nouerint honeſtius eſſe ſuſtinere bellum laudabiliter reſiſtendo, quam pacem emere iniquis iuſſis obtemperando, Machabæus cõſuluit bellum, & vituperauit pactum. *Cùm langueſcere cerneret Machabaus ſuorum animos*, ſcribit noſter Sanctius, *& de fuga, aut alio ignobili conſilio cogitare: rogabat illos, atque obſecrabat, ne ſe vllo modo hoſti dederent: quod, vt apparet, velle ſe facere ſignificabant non obſcurè.* Subnectit eruditus interpres; *Neue cum hoſte malè conciliato fœdus inirent ſociale, nec exiſtimarent ſibi ab infideli, atque periuro hoſte aliquid ſibi impendere periculi.* Nouerat diſertiſſimus Machabæus grauius de pace periculum emergere, quam de certamine naſci: & ob id totus erat in iniqua reconciliatione vitanda, & in audacia honeſta erigenda. Quod optimum prudenſque fuiſſe conſilium felix probauit euentus, cum fortiter bellantes auro reſplenduerint & triumpho, qui reconciliati oppugnarentur iniquo pacto.

Viri Iabes Galaad cùm dura arctaque obſi- 89.
dione premerentur, decreuerunt Naas ſeruire,
& iniquis etiam ab eo pacem conditionibus 1.Reg.11. v.2.
impetrare: *Habeto nos fœderatos, & ſeruiemus* Lyra.
tibi. Lyra aſſerit voluiſſe tributa pendere, vt tumultus bellicos poſſent à ſuis finibus ablegare: *Habeto nos fœderatos*, inquit, *ſub tributo competenti.* Itaque detrectabant bellum, & auro feſtinabant emere pacis otium. Vt adſultus bellicos fugiant, vt vitent hoſtium rapacitatem, ceruices iniquiſſimo iugo ſubdunt, & tyranno tributa offerunt; verùm Dei Spiritus Saulem armat, & in campum conſerturus manus cum hoſte properat: *Inſiluit Spiritus Domini in Saul.* Certè Dei Spiritu videbatur dignius pacem tranquillitatemque conſulere, non milites in campum armare: Dei namque Spiritus pacis eſt artifex, & tranquillitatis patronus: cur ergo vrget in prælium, nec ſuſtinet redimi pecunia otium? Quia ſatius erat mori dignè reſiſtendo, quam viuere indigniſſimè obtemperando, Diuinus ſpiritus excitauit ad arma, ne inirent abſurdiſſima fœdera. Certè ni iniquas ab hoſte conditiones exactas amplectantur, prælıandum eſt; ſi pareant, ſine bellico tumultu viuendum; at Dei Spiritus prohibuit indignam pacem, & armari conſuluit militem: *Inſiluit Spiritus Domini*, addit Lyra, *in Saul, id eſt motus fortitudinis & conſtantia ad liberandum populum obſeſſum.* Nihil aliud deſiderabat Naas, quam ab eis omne bellandi ſtudium remouere, & iniqua illos pace oblectare; verùm Domini ſpiritus milites ſuos maluit prodire in campum, quam pernicioſiſſimum pacis potiri otium: Dei Spiritus fructus eſt pax, verùm quæ ſit virtutum fomentum, non illa ſubærata quæ vitiorum inuenitur ſubſidium: hanc auerſatur Deus vt veræ pacis peſtem, & ſæuiſſimum virtutis hoſtem. Ergo Dei Spiritus Saulem citauit ad arma, nec ſuſtinuit iniquiſſima pro pace fœdera.

Iob cum perfectum virum ſub generoſi equi
ænigmate depingeret, audacter, intrepidéque 90.
hoſtibus occurriſſe teſtatur: *Vbi audierit bucci-* Iob.39.v.25
nam, dicit, Vaph: procul odoratur bellum, exhortationem

Digitized by Google

tionem ducum, & vlulatum exercitus. Poſſet pace frui, dum bellum diſtat; & tamen veluti pugnæ ambitioſus exultat, & intrepidus certamen amat: quia nouit ſatius eſſe honeſto bello ſudare, quam iniqua pace gaudere. Adeſt
Gregor. Diuus Gregorius lib. 31. moral. cap. 17. *Multos peius ſua felicitas ſtrauit, multos diuiurna pax inertes reddidit, eoque illos inopinatus hoſtis grauius perculit, quo longo quietis vſu negligentes inuenit: vnde ſancti viri cum multa ſe proficere virtutum proſperitate conſiderant, quodam diſpenſationis ſupernæ moderamine exerceri ſe etiam tentationibus exultant.* Agnoſcunt ſi cum tentationibus manus non conſerant, poſſe ſe tranquilla pace, & pacifica tranquillitate frui, ſibique, ſi manus non dederint, cum acerrimo hoſte pugnandum, & omni militiæ imbonitate viuendum; at malunt procedere in occurſum armatis, & glorioſo ſudare prælio, quam inhoneſto ſordere otio. Non quæuis expetenda pax eſt: eſt namque aliqua proditoris quæ inſidiatur ſaluti. Certè minus noceret cum Iuda acerrima pugna, quam nocuerunt blandiſſima oſcula: cumque Dominus in paſſione ſua peccatorem repræſentaret, & animæ ſpeculum pellucidum ſatis obiiceret, docuit aliquando pacem eſſe proditionis germanam, & prorſus virtutibus inimicam.

---

§. XXI.

Celeritatis, promptitudiniſque beneficio putatur gratia, quod non ſemel exigebat iuſtitia.

91. VT tarditas adulterat beneficium: ita celeritas debitum commendat obſequium: nonnulli malè liberales improbo ingenio ſuam liberalitatem corrumpunt, & inde non ſemel exaſperarunt offenſos, vnde debuiſſent habere beneficiis obſtrictos: gratiam non redder, qui non accepit, & non accepit, qui poſt diuturnas & anxias moras extorſit: *Ingratum eſt*
Seneca. *beneficium*, aiebat Seneca lib. 2. de benef. cap. 1.
Tardum beneficium ingratum eſt. *quod diu inter manus dantis hæſit.* Nonnulli ſic ægrè donare videntur, vt aliquod ſibi membrum præcidere videantur, verùm ſi beneficium gratuitum dilationis iniuria tranſit in probrum, etiam celeritatis artificio poteſt migrare in beneficium, quod debebatur obſequium: debebatur; ſed citiſſimè redditum eſt: exigebat ius; ſed addita eſt ſolicitiſſima cura, & exprompiſſima diligentia: debuit fieri; ſed potuit ni acceſſiſſet deuotio, differri. Ergo qui celeritate grata debitum obſequium ornauit, in numero quodammodo beneficiorum conſtituit. Ecce iubet Deus decem millia pugnatorum de filiis Nephthali & Zabulon colligi, & in Siſaram hoſtem virulentiſſimum obarmari: *Tolles*
Iudic.4.v.7. *tecum decem millia pugnatorum de filiis Nephthali, & de filiis Zabulon.* Qui in campum producti ſunt, diuinis obtemperauere præceptis, & ſummi Imperatoris obedierunt mandatis. Quod ſi Debboræ canticum conſulas, inuenies ſponte obtuliſſe vitam, & quodammodo non adactos præceptis irruiſſe in arma. *Cor meum diligit Principes Iſraël. Qui propria voluntate obtuliſtis vos diſcrimini, benedicite Domino.* Iam ſi quæras quomodo extollatur laudibus deuotio exprompta; cùm cogente iuerint obedientia: reſpondeo ea animi alacritate paruiſſe, ea celeritate iuſſis diuinis obtemperaſſe, vt cenſeri poſſet arbitrium, quod reuera fuit mandatum. Huc voco Caſſiodorum 5. var. 9. *Omne*, inquit, *ſiquidem iuſtum celeritatis commodo tranſit ad beneficium, & quod debito redditur, tali gratia munus putatur.* Caſſiod. Si rem diſpicias, animas obtulerunt diſcrimini præceptis obtemperantes; ſed adeo citò, adeò expromptè, vt ipſum debitum tranſierit in voluntarium officium: Quod debito redditur, tali gratia munus putatur: vt diſcas non adulterare tergiuerſationibus obedientiam; ſed deuotionis adornare promptitudine gratam.

Nato Domino fulgentiſſimum in oriente 92.
ſydus apparet, & Magos profundos aſtrorum ſcrutatores inuiſa ſæculis nouitate percellit: Mat.2.v.2.
agnouerunt eloquenti aſtri ſilentio edocti apud Hebræos mundi regem natum, ſeque teneri vti ſupremo Principi præſtare obſequium: nec mora, aſtri ſequuntur ductum, & remotum tendunt celeri volatu ad regnum: *Vidimus ſtellam eius in oriente, & venimus adorare eum.* Celeritas non ſolum recens nato commendauit obſequium; ſed peperit etiam ipſis adoratoribus gaudium: non deuiant, quia cæleſti ducuntur lumine; imò inueniunt ſine ambagibus, quem adorare ſuadebantur ſplendidiſſimo ſydere: domum intrant gaudio delibuti, & puerulo matris vbera lambenti munera offerunt venerabundi. *Apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Auguſtinus vt erat ingenioſiſſimus, hunc locum apud D. Thomam expendens duo hic ad ſpeciem non benè ſecum cohærentia notauit, ſcilicet munus obtuliſſe, & vti regem puerulum adoraſſe: nam regi non gratuitum offerebatur obſequium; ſed debitum pendebatur auro tributum: *Aurum*, inquit, *ſoluitur quaſi regi magno.* Si ſoluitur, ergo debetur: iam ſi debetur, quomodo donum vocatur: *Obtulerunt*, inquit, Auguſt.
ei munera. Fortaſſis de celeritatis commodo, de grato voluntatis obſequio ipſum quod pendebatur auri tributum, deuotionis tranſiuit in donum. Videntes ſtellam inuolarunt ocyſſimi, vt ſupremo Regi tributa penderent, ipſaque celeritas, & deuotionis placiditas tributum extulit in obſequium, & vti voluntarium commendauit officium: offerunt, & ſoluunt: quia iam videtur oblatum, quod erat gratiſſimo animo perſolutum.

Poſtquam plura talenta ſeruis ſuis diues 93.
Dominus impertitus eſt honeſtum ad lucrum longam in regionem diſceſſit; ſed poſteà rationem poſiturus rediit: tunc acceſſit ſeruus, cui talenta quinque fuerant commiſſa, & quinque alia obtulit, & creditori donauit: *Accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia* Mat.25.v.20.
quinque talenta dicens: Domine quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuperlucratus ſum. Illud verbum *obtulit* premo, opportunius namque diceret, *Soluit*: quandoquidem quod domini lucratus eſt auro, debebat reddere Domino, cur ergo ſolutionem expreſſit ea voce, quæ donationem videtur innuere, & ſpontaneam largitatem oſtendere. Fallar, ni ipſa ſerui exprompritudo in ſoluendo debito ipſum debitum non nobilitauerit vti liberalita-

Digitized by Google

tis officium: aduentauit ſeruus non vocatus, non coactione compulſus; non fuit opus, vt olim ad vineæ colonos, ſeruos ſemel & iterum delegare, & dum ipſe accedit expromptè, dum ſoluit dantis vultu, liberalis deprædicatur, & ſoluta ſponte debita, iure appellata ſunt dona: Redeat iterum Aurelius 11. var.7. *Iuſtiſſimè quæritur quod annua deuotione præſtatur: quoniam ſub quodam gaudio conſtat inferri, quod ſoluitur lege naturali: ſtipendium namque, eſt, quod ſubiectum facit munificum dici.* Sequentia expende:
Caſſiod. *Et offerentis nomen accepit, qui ſe quod penditur, debere cognoſcit.* Inhonoratum eſt omne quod cogitur, nec habet offerentis gratiam, qui damnis ſuis torſit accipientis patientiam. Itaque vt beneficium ſi auara manu differatur, tranſit in patientiæ debitum, ita debitum, ſi offeratur deuotè, tranſibit in beneficium, offerentis nomen ſortitur, qui ſoluere non cunctatur.

94. Tendebat Iacob ad auunculi domum, cumque itinere fatigatus, defatigatione oppreſſus, & nocturnis tenebris impeditus ſomno pro recreandis artubus indulgeret, vidit clauſis mundo oculis ſcalam cælos tangentem, Dominumque liberalem adeò erga ſe, vt donis cupiditatem vinceret, & ſpes humanas longiſſimè ſuperaret. Excuſſo ſomno ſuam gratitudinem
Gen.28.v.20 oſtendit, & Deo omnium bonorum decimas vouit: *Vouit etiam votum dicens: Si fuerit Deus mecum, & cuſtodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, reuerſuſque fuero proſperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum: cunctorumque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.* D. Thomas ſuper hunc lo-
D.Thom. cum rogat quando potuit vocari votum, quod erat lege naturali debitum: *Quomodo vouet illud, ad quod tenebatur, ſcilicet quod Deus eſſet ſibi in Deum.* Si non poterat Deum non colere, quomodo offert veluti liberum adorare? Ad hæc: quid magnum erat decimas offerre, cùm ipſe vti domus ſuæ ſacerdos deberet illas recipere? *Quid magni eſt*, addit D. Thomas, *nouiſſimè quod offert decimas Deo, cum ipſe ſacerdos fuerit domus ſuæ, & ita, vt videtur ipſemet reciperet decimas illas?* Reſpondet Angelicus Doctor ipſum debitum poſſe ſub voto cadere, nempe quando nouo modo offertur, & deuotione obſequioſiſſima ſoluitur: *Primus modus ſolum erat debitus, & ab altero impoſitus, & merè neceſſarius; ſecundus vero, dum ſcilicet accedit votum, eſt gratuitus, & a propria voluntate aſſumptus, & oblatus, & ideo includit maiorem & firmiorem applicationem voluntatis.* Itaque grata voluntate, deuotiſſima expromptitudine debitum tranſiuit in votum, & acceptum eſt vti gratuitum obſequium, quod erat naturale tributum. Sibi ipſi vti Numinis Sacerdoti ſoluit; ſed quia ſolutionem non tardat, ſed quia voluntatem expromptiſſimam indicat, commendatur gratus, & ſæculis celebratur deuotus.

95. Prodigus ille, qui à ſe receſſerat; quique voluptatis incantamentis, & veneficiis ab homine tranſierat in beſtiam, aliquando reſipuit, & ſe miſerandum ſiſtere paterno aſpectui decreuit: aduenit fame luridus, ſqualore tabidus, nuditate horridus. Quid tunc pater? Quæ natura exigebat, fecit, vtque citiſſimè veſtirent
Luc.15.v.20. nudum, ſeruos admonuit: *Citò proferte ſtolam primam, & induite illum.* Miſericordia motum hoc feciſſe teſtatur Lucas: *Miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum eius.* Certè non ſolum miſericordia motus; ſed iuſtitia, ſi fas eſt dicere, perſuaſus: pater namque lege tenebatur naturæ fame pereunti filio offerre cibum, & prorſus nudo dilargiri veſtimentum: cur ergo gratiæ miſericordiæque tribuitur, quod naturæ legibus debebatur? Quia ſeruos vrſit, vt citiſſimè filium ornarent, vt menſam celerrime apponerent, & celeritatis beneficio ipſum, quod debebatur naturæ iure optimo vendicatum eſt gratiæ: iuſtitia exigebat extremè calamitoſo filio ſubuenire; at pater dum accurrit, dum properat, munificentiſſimus prædicatur, & miſericors prorſus habetur. Miſericordia motus eſt, dum accurrit: naturæ tri- Chryſol.
buta penderet, ſi tardaret. Innuit Chryſologus ſerm. 3. *Plus de venia, quam de iuſtitia gaudium vult habere.* Addit ingenioſus Doctor: *Tardam miſericordiam pater neſcit.* Celer venia, expromptiſſima miſericordia ad venientem inuolat, nudum ornat, famelicum cibat; vt totum opus ſibi de celeritate arrogauerit gratia, quantumuis ad cibum & ornatum ſtrictiſſima lege compuliſſet natura.

§. XXII.

Non exigua ſubiectis calamitas denuntiatur, dum ſuperior inops ad pompam dignitatis eligitur.

EGeſtatis inſcius auaritiæ non ſemel probatur etiam ignarus, vt qui paupertate adur- 96.
getur, acquirendi deſiderio ſæpè pulſatur: cui ſine cenſu tumidior vanitatis eſt faſtus, æquitati non temere putatur iniurius. Siquis egeat, & ſimul dignitatis auctoritate refulgeat, mirum erit, ni alienis inhiarit diuitiis, & dignitatis nitorem doloſis ſatagat ſuffulcire rapinis. Hinc ſolerter curandum eſt, ne ad præfecturæ dignitatem inſcendat, quem ad decentem auctoritatem auitis patrimoniis carere conſtat: nam cum muneris, aut vanitatis lege teneatur fulgere, quodammodo cogitur iuſtitiæ detrimento perquirere. Auaritia egeſtatis filia æquitatis eſt peſtis, fraudis mater, cauſa litium, bellorum ars, iniuriarum fomentum, quæ ſi iudicis pectus intrauit, iura corruent, florebit rapina, argumentiſque colorabitur calliditſſimis iniuſtitia, & adulteratis coloribus improba quærentur augmenta: ferreum eſt ſæculum, ſi ad dignitatem auarus eligitur; ſi auaritiæ immunis deſignetur, eſt aureum: & quidem non facilè poteſt diuitiarum ſiti non aduri, qui propriis cenſus redditibus non ditatur, & ad alendum dignitatis faſtum tenetur: *Naturæ eſt*, aie- Senec.
bat Seneca epiſt. 90. *potioribus deteriora ſubmittere: mutis quidem gregibus aut maxima corpora præſunt, aut vehementiſſima. Non præcedit armenta degener taurus, ſed qui magnitudine, ac toris cæteros mares vincit. Elephantorum gregem excelſiſſimus ducit: inter homines pro ſummo eſt optimus: animo itaque rector eligebatur, ideoque ſumma felicitas erat gentium, in quibus non poterat potentior eſſe niſi melior.* Felix erat ſæculum, cùm melior deligebatur rapinæ prorſus inſcius, *Inter homines pro ſummo eſt optimus.*

&

Digitized by Google

& auaritiæ peſte non tactus: tunc iudices, perfectique nil aliud ſe arbitrabantur poſſe, niſi quod conſtabat legibus conuenire; at ſi auaritia iudicis manus exâcuat, leges pro armis ſunt, dum improbè detorquentur, aut detortæ adulterantur:

Aurium eſt ſæculum, ſi præfecti manum contineant.

Tantum enim, addit Stoicus, *quantum vult, poteſt, qui ſe niſi quod debet, non putat poſſe. Illo ergo ſæculo, quod aureum perhibetur, penes ſapientes fuiſſe regnum Poſſidonius iudicat: Hi continebant manus, & infirmiores à validioribus tuebantur: ſuadebant, diſſuadebantque, & vtilia, atque inutilia monſtrabant.* Certè vtilia, inutiliaque poterant demonſtrare, quos conſtabat alienas nullatenus diuitias ſitire. Auaritiæ occurritur, dum egenus præfecturæ non deſignatur. Habeat iudex quibus poſſit cenſus redditibus viuere, vt æqua valeat decernere: *Qui aſcenditis*, inquit Debbora, *ſuper nitentes aſinos, & ſedetis in iudicio, & ambulatis in via: loquimini.* Non ait: qui ſedetis in iudicio, & aſcenditis ſuper nitentes aſinos, loquimini; ſed quos tribunalibus, foroque adſignauit prius decenti auctoritate ornatos prudentiſſimè oſtendit, ne ſi nitentibus aſinis ad decentem dignitatis pompam, antequam adirent populi præfecturam, carerent, infauſtis auſpiciis præfecturam adirent, & populum ad emendos aſinos diſpoliarent. Huc

Saluian. voco quod aiebat Saluianus libro quarto de gubernat. Dei. *Quid aliud quorumdam, quos taceo, præfectura, quàm præda?* dum inopes diliguntur, ad prædam legum auctoritate obarmantur, à dignitate petunt, quod opus illis eſt ad dignitatis faſtum; imò ad dignitatem poſſidentium delirium. Olim, vt vides, ſplendidis aſinis inſidebant, qui populum legibus ſanctiſſimè gubernabant. Sed ô tempora, ô mores! iam ſuperbus adeò aliquorum præfectorum eſt ſumptus, ſumptuoſus adeò domus familiæque ornatus, vt opus ſit aut magna cenſuum ditari copia, aut grandi defædari rapina.

97. Amos populi ſui infelicitatem depingens, iudices ait inſanas domos quadris lapidibus ædificaſſe, & poſſeſſiones poſſeſſionibus adiunxiſſe, & hoc non antequam inſcenderint tribunalia; ſed poſtquam reſplenduerunt populi

Amos 5. v. 11 præfectura: *Idcirco pro eo quod diripiebatis pauperem, & prædam electam tollebatis ab eo, &c. domos quadro lapide ædificabitis.* Addit propheta: *Hoſtes iuſti accipientes munus, & pauperes deprimentes in porta.* Nulli dubium eſt in porta olim exerceri iudicia, conſtitutaque fuiſſe tribunalia: ergo qui ſedebant in porta, pauperem denudabant rapina, vt quadris lapidibus ædificia fabricarent ſuperba. Mirum eſt quantis cenſibus, quantiſque diuitiarum copiis nonnulli miniſtri exundent, cùm præfecturam adierint, nec auitis cenſibus ditati, nec copioſis

Sanctius. patrimoniis opulenti. Adeſt Noſter Sanctius: *Accipientes munus ad iudices ſpectat, qui largitionibus corrupti & ſontes abſoluunt, & damnant inſontes, neque tam æquitati, Reique publicæ, quàm ſuæ commoditati ſeruiunt.* Subnectit: *Ad eoſdem iudices ſpectat, quod additur: Et pauperes deprimentes in porta, id eſt in tribunali ac foro quod in portis à lege conſtitutum eſt.* Reddit propheta cauſam operoſiſſima illa ſubſtruendi ædificia, dilatandique fœcundiſſima prædia, ampliſſimis ſcilicet largitionibus corrumpi, & iuſtitiam iniquiſſimè adulterari. Ergo maioribus ſolertiſſimum ſit ſtudium in præfectis deligendis quia ab illorum electione pendet aut florere iuſtitiam, aut inualidis adaugeri miſeriam: illos eligant, qui meliores, & qui ad alendam, ſuſtentandamque muneris decentem auctoritatem, propriis diteſcant redditibus, & notis populo facultatibus. O ſi cogerentur, qui ampliſſimas domos fabricant, qui cenſus mitè incrementant, qui hæreditates prolatant, oſtendere ex qua fœcundiſſima vena eruerint aurum, aut quis copioſiſſimus fons effuderit illis argentum! Occaſionem miniſtrat præfectura, eiuſque auxilio graſſatur auaritia, & præfectum olim nudum experimur non ſine admiratione opulentum: in cunctorum detrimentum tribunal inſcendit, quiſquis facultatibus caruit: nam non ſemel qui debuiſſet æquam protuliſſe ſententiam, more veſtis vendere molitur iuſtitiam: *Faſces accepimus*, ſcribit Caſſiodorus 12. variar. 2. *vt graues eſſe debeamus: tribunalia conſcendimus, vt morum gradibus euehamur. Nil vile nil cupidum iudices decet.* Caſſiod. *Nil cupidū iudices decet.* Subnectit moraliſſimus: *Sit in nobis frons libera, vt aliorum poſſimus emendare peccata.* Siquis auro inceperit inhiare, æquitati non benè poterit ſtudere: nec erit facile, ſi patrimonium iudicis fuerit exiguum, acquirendi reprimere deſiderium.

Vt Debboræ incorruptam in ferendis iudiciis textus æquitatem commendet, ſufficienti 98.
cenſu ſuffultam prodit: *Sedebat ſub palma, quæ nomine illius vocabatur inter Rame, & Bethel in monte Ephraim, aſcendebantque ad eam filij Iſrael in omne iudicium.* Iudic. 4. v. 5. Cùm tam accuratè Scriptura, quo loco ſederit ad iudicandum, deſcribat, ſedemque iudicio coniungat, aliquod myſterium latere monſtrat. Interpretes in eruenda eruditione laborant. Abulenſis quæſtione 7. ex Rabbinorum ſententia tradit eo in loco ad alendam vitam habuiſſe hæreditates Debboram, ob idque ibi exercuiſſe iudicium, vt conſtaret omnibus à legibus extorquere nihil, quæ ſatis amplum ſortiebatur ſibi patrimonium. *R. Salomon, R. Dauid Kimhi dicunt quòd fuit ſub palma inter Bethel & Rama, id eſt quod Debbora habuit poſſeſſiones in tribus locis, ſcilicet in Iericho habuit palmas: quia illa vocabatur ciuitas palmarum, & in Bethel habuit oliueta, & in Rama habuit vineas, & iſta erant ad ſuſtentationem Debboræ.* Abulenſ. Ibi tribunal ad iudicandum ſtatuit, vbi ſufficienti ad alendam vitam cenſu ditari licuit, ne illius in iudicando æquitas haberetur ſuſpecta, ſi nullis agnoſceretur redditibus diuitata. Itaque patrimonium oſtendit, non ad faſtus arrogantiam; ſed ad propulſandam ſuſpicionis iniquæ notam. Diſcant hinc Principes populi ſaluti conſulere, & præfectos omni auaritia, indigentiaque liberos pro regendis populis delegare: nam qui vt paupertati ſubueniat, ſibi ſolicitat præfecturam, quantumuis æquus, ſuſpicionis non fugiet notam.

Reipublicæ vtilitatis probabatur zelotypus 99.
ille qui deligi noluit in Principem pane indigens, & ſcientia carens. Certe miraculi inſtar fuit, ne ſe intruderet ambitioſior, qui cenſu, & ſapientia probabatur pauperior, cùm ferè ſemper plus æquo de ſe præſumant deteriores, & ferè inutiles: *Non ſum medicus: & in domo mea non eſt panis, neque veſtimentum, nolite conſtituere me Principem populi.* Iſai. 3. v. 7. Quid faceret electus in

Principem

Principem veſte carens,& pane indigens? Certè ruinam populi augeret, ſalutem non ſuffulciret.

100. Cùm erga Aaronis dignitatem magna in populo iurgia fuiſſent excitata, quo illa Deus comprimeret, inbet triburim virgas accipi, vt conſtet quæ fuerit inter reliqua electa, & dignitate exornata. Inter alias Aaronis virga floruit,& ſapotatis fructibus exundauit: *Inuenit germinaſſe virgam Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis eruperant flroes, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati ſunt.* Hoc modo teſtatur Dominus querimonias ſedandas, & iniquitatis linguas occludendas: *Quem ex his elegero, germinabit virga eius, & cohibebo à me querimonias filiorum Iſraël, quibus contra vos murmurant.* Deum tangebat vti electorem, quæ Aaronem præfectum murmuratio denigrabat: *Cohibebo*, inquit, *à me querimonias filiorum Iſraël.* Verùm cur anteà à Deo electum dubitabant, & cur ſuſtinere pertinaciter renuebant. Alij alias,& moraliſſimas cauſas ingenioſa pietate adinuenient. Ea ratio ſe mihi offert: videbant antea dignitatis virgam innato ornatu, & proprio fructu carentem, ſuſpicatique ſunt nullatenus ad populi ſalutem electam, quam aſpiciebant ornatu & fructibus denudatam: quaſi non poſſet ambitioſiſſimis votis non inhiare, dum conſtabat omnibus indigere; aſt cùm vident à ſe diuitem, ornatu fulgidam, & fructibus opulentam, iam à Numine agnoſcunt ad populorum ſalutem datam: nec enim ambibit ſecretis meatibus ſugere, quod illi non eſt opus à tellure mutuari: *Vt omnes ſcirent Aaronem ſacerdotium ſorte adeptum fuiſſe*, ſcribit Oleaſter hic ad mores, *voluit omnes in virga ſuam experiri fortunam.* Summopere oportuit, vt omnes virgæ experirentur fortunam, vt agnoſcerent à Deo electam, nec ſuſpicarentur tortuoſitatis aliquam notam. Habebat à ſe virga decenter ſplendentem ornatum, nequis putare poſſit æquitatis iniuria floridum mutuari veſtitum.

Num. 17. v. 8

Oleaſt.

§. XXIII.

Facilè ex glorioſis geſtis oritur elationis tinea, & ipſis eſt indecora parentibus nota.

101. VT ex pulchris parentibus deformes aliquando oriuntur filij, qui & originis obſcurant gloriam, & ſi fas eſt dicere, inferunt genitori ignominiam, ita ex virtutibus non ſemel oriri ſolet adulterata progenies, quæ à radice diſcrepat, & originem ipſam infamat. Grandia facinora neſcio quem tumorem, niſi prouidè extinguatur, ſolent producere, qui dum mentem tangit, infuſcat, & dum infuſcat dedecorat: Iſraël hoſtibus non ſolùm profligatis; ſed prorſus deletis, Debora ſpiritu olim prophetico illuſtris populi adhortationibus adurgetur, vt celebris adeò triumphi intonet laudes: *Surge ſurge, Debora: ſurge, ſurge, & loquere canticum.* A populo, vt dixi, ad canendas triumphi laudes hic excitari Deboram, eſt Rabinorum ſententia: quòd ſi inquiras cur opus fuerit ad canendos triumphos excitari ipſam, per quam triumphi conſtabat felicitatem oriri; reſpondebit R. Salomon apud Abulenſem quæſti 3. fuiſſe neſcio qua etſi leuiſſima elatione tactam, dum per ipſam teſtituta reſplenduit antiqua populi gloria, & tyrannica abacta prorſus violentia, ſicque ea elationis nebula prophetici ſplendoris lucem fuiſſe obſcuratam, vt indiguerit excitari, & ſi fas eſt dicere à populo repetitis adhortationibus vrgeri. *R. Salomon exponit litteram iſtam dicens quòd iſta erant verba Iſraëlitarum ad Deboram dicentium: Surge Debora ad canendum: ipſa verò defecit ad canendum: quia Spiritus propheticus receſſit ab ea, eò quòd gloriata fuerat dicens: Ceſſauerunt fortes, & quieuerunt, donec ſurgeret Debora.* Debora populi mater illum antiquam reuocauit ad gloriam, dum honeſtam perſuaſit malitiam; verùm ſi Rabino credas, ex ipſo triumpho nata eſt elationis tinea, & jam propheticus ſpiritus receſſit non ſine nota. Non ſolùm cauenda ſunt vitia; ſed ſolertet inuigilandum, ne ipſis ex virtutibus tumor naſcatur, infuſcat namque nitorem operum odioſa ſemper ſuperbia, & complacentia vaniſſima.

Abulenſ.

102. Cùm Dominus tumentia maris tergora opem diſcipulis laturus calcaret, Petrus vt erat feruentior cæteris ad magiſtum inuolat, & marinos fluctus non diſſimili greſſu calcat: *Ambulabat ſuper aquam, vt veniret ad Ieſum.* Viator glorioſus ambulabat, vti poſſet in ſolo, in ſalo; verùm valido vento impetitur, & miraculi gloria tantiſper vento obſcuratur: *Cùm cœpiſſet mergi, clamauit.* Quæramus cur ventus adeò validus condiſcipulos non impulerit ad clamorem, cùm tantam Petro attulerit anxietatem: omnes profectò maris fluctus enauigabant, etſi alius nauigio, & alius miraculo: ſi ergo acriùs adſpirans ventus non ſolicitat nauigantes, cur Petri ſacram remoratur audaciam, & indecoram fidei imprimit notam? Ipſa quæſtio ſolutio eſt: videt Petrus cæteros ſe fidei ardore præcellere, & vbi nullus aſcendit, intrepidis greſſibus ambulare, & ex ipſa præ cæteris excellentia venti gignitur vehemens flatus, & flatu impeditur glorioſus curſus. Non ſolùm Petrus vereri poſſet procellam; ſed ipſam de procella victoriam: quia de ipſa ſingularitate, de ipſaque fidei præſtantia vanitatis reflauit ventus, & vento impeditus eſt curſus. Huc voco quod aiebat Bernardus ſermone 6. in Pſalm. qui habitat: *Non eſt vnde hæc* (vanagloria) *impugnet puſillanimes remiſſos: qui feruentiores eſſe videntur, ipſi paueant, ipſi ſibi caueant in hac parte.* Cæteri condiſcipuli nec laudabili audacia premere fluctus tentarunt; nec citiùs Chriſto accedere curauerunt; at Petrus longè alios ſuperans vndarum inconſtantiam non timet, & Domino volatu ocyſſimo accedit; verùm dum probatur cæteris excellentior, aliquantulum vento agitatur tumidior, & de ipſo triumpho natum eſt bellum, vt aduertas vanitatis ventum vt plurimum aliis præſtantiores tangere, & excellentiores impetere: *Non eſt vnde hæc impugnet puſillanimes; qui feruentiores eſſe videntur, ipſi paueant.* Time, ne dum viator per marinos fluctus incedis, vanitatis flatu impediaris: hæc namque virtutis remora ab ipſa virtutis oriri ſolet præſtantia.

Matth. 14. v. 29.

Bernard.

103. Ezechias ſæculis retro inuiſum de Sennacherib exercitu triumphum reportauit; verùm vt nulla eſt in hoc ſæculo felicitas conſummata, poſt

poſt triumphum afflictatur morbo, qui ſanus
4.Reg 20. v.1. belli afflictabatur periculo: *In diebus illis ægrota-*
uit Ezechias vſque ad mortem: Dum notanter in-
quit in diebus illis, aliquod latere myſterium
nos docet textus: *In diebus*, inquit, *illis*. Queis
diebus? Illis videlicet, quibus Domini Angelus
percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octogin-
ta quinque millia, in quibus Sennacherib ſe fu-
gæ commiſit, in quibus ditatus Iſraëlitarum po-
pulus ferè infiniti valoris manubiis reſplenduit.
Benè; ſed cur in his diebus graſſetur acriùs in-
firmitas, quando tanto triumpho, tantaque læ-
titia debuiſſet fulciri ſanitas? Quia ipſa cauſa
ſalutis fuit occaſio infirmitatis. Vidit Ezechias
ſe glorioſis triumphis ditari, & tranſactis regi-
bus laude victoriæ anteferri: & breuiter abdu-
ctus locum præbuit vanitati, & vanitas aditum
aperuit morti. Ita Cyrillus Alexandrinus lib. 3.
Cyrillus. in Iſaiam cap. 38. *Ezechias abductus eſt breui (vt*
Hebræorum filij aiunt) & animo magno elatoque
fuit, ac in ſuperbiæ laqueos incidit: Vincit, & ſu-
perbit, de ipſaque victoria nata eſt, quæ victo-
riam innubilatit ſuperbia. Viri perfecti dum ex-
cellentiùs operantur, ſua conſultius opera ve-
rentur: agnoſcunt namque, vti ſolent in pulcher-
rimis pomis vermes generari, & interius po-
mum corrumpere, ſic in glorioſis factis vanæ-
gloriæ vermiculum gigni, qui paulatim perfe-
ctionem arrodit, & peſtifero dente perdit.

104. Hinc ſapientiſſimus Iob cum Deo diſputans:
Iob 9.v.28. *Verebar*, inquit, *omnia opera mea, ſciens quia non*
parceres delinquenti. Inquiramus quæ Iobi ope-
ra? Profectò multiplicibus holocauſtis aram co-
ronare, cum afflicto flere, panis buccellam cum
famelico diuidere. Et quid, quæſo, in his operi-
bus verendum erat, quando & charitatis flam-
ma lucebat viuidior, & micabat miſericordia vi-
uacior? Profectò ipſam virtutis extimuit excel-
lentiam, non ad ſectandam ignauiam; ſed ad vin-
Gregor. cendam ſuperbiam. Adeſt Gregorius Magnus
lib. 9. moral. cap. 17. *Quid eſt quòd mira opera*
faciens, hæc ipſa etiam veretur pauens, cùm dicit:
Verebar omnia opera mea, niſi quòd in ſanctis viri
actibus, verbiſque colligimus, vt ſi placere Deo ve-
raciter cupimus, poſtquam peruerſa ſubegimus, ipſa
in nobis etiam benè geſta timeamus. Ipſa benè ge-
ſta timenda ſunt, ne dum elationis pulſu men-
tem inflant, & perfectionem arrodant.

105. Huic peſti obuiare deſiderans Ieremias male-
Ierem. 48. v.10. dictis exterret, & timorem comminationibus
ingerit: *Maledictus, qui facit opus Domini frau-*
dulenter. Vtrumque coniunxit, & Domini opus,
& hominis fraudem. Quid ergo eſt Domini opus
fraudulenter peragere, niſi quid de gloria ſibi
ſubripere: dum enim egregius miles & hoſtem
vincit, & ſibi aliquid de victoria arrogat, hoc
fraudulenter ducibus denegat: ergo dum mira
operans ſuperbit, quid defraudat, & dum defrau-
dat, adulterat: *Fraudem in Dei opere perpetrat,*
Gregor. ſcribit Gregorius, *quiſquis ſemetipſum inordinatè*
diligens per hoc quod rectè egerit, ad remuneratio-
nis tranſitoria bona feſtinat: ſciendum quoque eſt
quòd tribus modis fraus ipſa committitur: quia
per hanc proculdubio aut tacita cordis humani
gratia, aut fauoris aura, aut res qualibet exterior
deſideratur. Profectò dum ſibi plaudit optimus
virtutis miniſter quid defraudat, ipſaque, qua
ſibi blanditur fauoris aura eſt obſcura operibus
nota. Prouidendum ergo ſolerter eſt, ne aut lau-
dis gloria, aut fauoris humani quæratur aura.
Vt namque eſt importunus cordis humani co-
mes, ambitioſus hic gloriæ affectus, ita ſolicitio-
ri prouidentia frænandus: alioquin tacitè irre-
pit, & tantillum à ratione mira operantem
abducit.

Quantis obnoxia periculis ſit humana natura, 106.
teſtantur duo illi fratres patris amantiſſimi cha-
ta pignora, quorum alterum è patris domo ex-
cluſit degener liuoris affectus, alterum cæcus li-
bidinis appetitus: ſic ſalacitati iunior traditus
eſt, vt in longinquam regionem fugiens quid-
quid gloriæ, vendiderit, & quidquid famæ, obſ-
curauerit: tandem famis tortura caliginoſas de-
pulit tenebras, & ſe adeò ſordidum conſpicatus
expauit. Ocyſſimus ad patrem rediit, & quia ſe
ſic nequaquam poterat ſuſtinere, pro patris ver-
nula ſe ſatagit commutare: tunc ſenior filius de
aliena ruina ſuperbiens ſua glorioſa geſta com-
memorat, & dum commemorat, inquinat: *Ecce* Luc.15 v.29.
tot annis ſeruio tibi, & nunquam mandatum tuum
præterini. Excluſus remanet alter tumore, vt al-
ter exulauit libidine: alterum indigna ſeruitus
maculauit, alterum glorioſa corrupit. Iunior de
perpetratis confunditur, ſenior de bene geſtis
gloriatur: & quidem timere debuiſſet paterno
lateri ſemper coniunctus, ne abduceretur ſuper-
bia, vt alter, ne ſibi ad patrem acceſſus impedire-
tur luxuria: *Nunquam mandatum tuum præterini;*
inquit, Chryſol. ſerm. 6. *Iudæus loquitur, & non* Chryſol.
facientis verba ſunt; ſed tumentis. Dum tumet,
ipſa quæ facit, inficit, & caſſum laborem reddit.
Itaque inutili diſpendio virtuti ſeruit, dum vir-
tutem ipſam arrogantiæ ſeruire cogit: Non fa-
cientis verba ſunt; ſed tumentis: nec enim dum
ſudat, dum laborat, veram operatur ad gloriam;
ſed adulterat ad vanitatis querelam. Itaque &
facit, & non facit: quia dum tumor corrum-
pit glorioſè facta, redduntur ad ignominiam
obſcura.

Hinc diſertiſſimus Dauid, vt pœnitentibus eſ- 107.
ſet norma aiebat: *Cor contritum & humiliatum* Pſal.50.v.19.
Deus non deſpicies. Contritioni coniunxit hu-
militatem, ne ſi in ipſis pœnitentiæ ſordibus ela-
tione ſuperbiat, aliis ſe inordinatè præponat, &
ipſo ægrotus remedio addiderit vires morbo.
Adeſt citatus Greg. cap. 19. *Mentem conterunt;* Gregor.
ſed humiliari contemnunt. Nonnulli, inquit di-
ſertiſſimus Doctor, carnem macerant, & ore ſic-
co, ventre arido horrorem cadaueris repræſen-
tant; verùm dum ipſa afflictatione intumeſcunt,
tumidi ſordidantur, & labore aliquando inutili
conſumuntur: deſpicit namque Deus cor contri-
tum, niſi fuerit humiliatum: ergo Pſaltes proui-
denter contritioni humilitatem coniunxit,
ne ſi humilitas deſit, ipſa corporis adflictio
non ſibi mereatur affectus; ſed diuinos offen-
dat oculos.

§. XXIV.

Princeps curet dignos ſic muneribus ac lau-
dibus exornare, vt caueat diſcor-
diam æmulationis ingerere.

DVo ſtudioſè Principi ſuperiorique atten- 108.
denda ſunt, dignè ſcilicet virtutem extol-
lere, & diſcordiam æmulationis vitare. Reſplen-
dens rutilanſque alienæ gloriæ flamma viuidas
non ſemel eiacubatur ſcintillas, quibus inar-

deſcit

deſcit,aduriturque æmulatorum inuidia, & generalis oriri ſolet à liuore diſcordia. Non eſt prudentiæ conſentaneum, vt vnius remuneraueris merita ei tibique conciliare generalitatis odia. Tranſeundum non eſt irremuneratum meritum; ſed diligenter vitandum eſt odium. Hinc non ſemel prudentiſſimi gubernatores, vt inuidentium obuiauerint damnis. dum opus eſt alicuius benemeriti facta laudare, quærunt vtiliſſima curioſitate, quæ in aliis etiam poſſint extollere. Vt hac ſolerti arte & ſagaci induſtria nec careat laudibus digni factum, nec ſufflammetur inuidiæ odium. *Qui Reipublicæ ſtatum:* Caſſiodor. aiebat Caſſiodorus 9. variarum 1. *& generale cupit ſtare faſtigium, ad vniuerſale debet eſſe ſolicitus.* Superior ſit ad vniuerſa ſolicitus. Non eſt perfecta in corpore ſalus, ſi ſe iniuria læſum aliquod membrum queratur, aut ſi ob vnius membri gloriam tota corporis compago concutitur. Nunquam eſt ſingulari curanda gloria, ſi cenſeri poſſit reliquorum iniuria: tunc namque multo diſpendio emitur elogium, aut tribuitur vni præmium. Curet, qui aliis præeſt, ad vlteriora facinora igniculos iniicere ſtrenuis, illorum virtutem laudibus extollendo, & præmiis remunerando; at ea ſolerti cautela vtatur, vt inuidia æmulationis vitetur. Prodeat in exemplum gubernatoribus Debbora, quæ ſtrenuè contra Siſaram pugnantium ſic laudibus extulit facta, vt tribus reliquiæ nullatenus turgere poſſent inuidia. Aliarum tribuum prudenti importunitate inſeruit elogia, & glorioſa intempeſtiue retulit facta: quia ſapienter maluit extra chorum ſaltantis ſubire notam, quàm aliquarum tribuum laudibus tumultuoſam alere inuidiam: *Saluata ſunt reliquiæ populi, Dominus in fortibus dimicauit: Ex Ephraim deleuit eos in Amalec, & poſt eum ex Benjamin in populos tuos ô Amalec.* Præſens de Siſara victoria laudare cogebat tribus Zabulon & Nephthali: hæ enim tribus nomina intrepidè dederant, & cum hoſte decertauerant; at Ephraim, Benjaminque tribus potiùs inurendæ erant ignauiæ nota, quàm celebrandæ elogiorum fama: Cur ergo Debbora tempus terit laudibus importunis, & elogiis intempeſtiuis? plaudat victoribus,commendet animi fortitudinem, ne dum aliarum tribuum intempeſtiuè repetit gloriam, victoribus inurere videatur iniuriam. O dignam prophetide ſapientiam! Zabulon & Nephthali retulit religioſum ſtudium, & fortitudinis futuris ſæculis commendauit elogium: *Zabulon*, inquit, *& Nephthali obtulerunt animas ſuas morti in regione Merome*; aſt ne æmulationis excitauerit flammam, aliarumque tribuum inflammarit inuidiam, à vetuſtiſſimis quæſiuit annalibus quæ Ephraim commendauerit facta, & retulerit Benjaminitarum elogia. Prudenter curauit, ne ſi aliæ tribus viderentur ſibi deſpectæ, inardeſcerent inſana indignatione inflammatæ: ergo pro bono pacis præſentia fortium facinora fauſtis iteratiſque acclamationibus dilaudauit, & in aliis tribubus quæ laudare poſſet, quæſiuit. Caietan. Adeſt opportuniſſimè Caietanus hic: *Rationi conſentaneum eſt, vt Debbora iudex (ac perſona communis vniuerſo Iſraël) in publica laude illarum trium tribuum, quæ affuerunt, ne inuidiam excitaret in aliis tribubus (ac per hoc diſſenſionem) laudes aliarum tribuum pro bono pacis inſeruerit.* Inſertæ aliarum tribuum laudes tantillum Debboræ innubilabant prudentiam, & vtpotè intempeſtiuè referenti, inurebant aliquam notam; at prudentiſſima fœmina maluit aliquid de ſuo perdere; quàm diſſeſſionem, aut inuidiam excitare. Dum horum tribuum facta immortali laude digna commendat, virtutem remunerat, dum ab antiquis aliarum tribuum facinoribus petit quod inſerat, omnem cauſam æmulationis ablegat. Ergo pro bono pacis laudes inſeruit importunas ſanè occaſioni, ſed opportunas tranquillitati.

Succedat Debboræ fortiſſimus, & ſapientiſſimus Gedeon: Domini iuſſis obtemperans inimicos aggreditur: Vicit exigua manu, quæ ferè immenſo conſequi poſſe non videbatur exercitu, inimici ingenti clade accepta, quibus poterant viis effugere feſtinabant; ſed Gedeon celerrimis veredariis tribus alias monuit, vt fugientibus occurrerent, vadaque præoccuparent: *Miſit Gedeon nuntios in omnem montem Ephraim dicens. Deſcendite in occurſum Madian, & occupate aquas vſque Betbera atque Iordanem.* Ephraimitæ ne arridentem fortunam eluderent, dictis paruerunt, & Iordanis vada præoccuparunt, ibique duos viros ſatis notos ex Madianitis comprehenſos interfecerunt, & illorum capita non ſine querelis attulerunt Gedeoni: Capita Horeb, & Zeb portantes ad Gedeon trans fluenta Iordanis: eodem tempore appenderunt duci dignum tributum, & oſtenderunt inflammatiſſimum odium: *Dixerunt ad eum viri Ephraim. Quid eſt hoc quod facere voluiſti, vt nos non vocares, cùm ad pugnam pergeres contra Madian, iurgantes fortiter, & prope vim inferentes.* Congregarat Gedeon non exiguam manum, vt in campum prodiret contra inimicum, aliæ tribus videbantur honore electionis potitæ, & Ephraimitæ querebantur non ſine ignominia reiecti Certè dux non ſine conſilio fecit;at ne inflammaret inuidiam, & ſeditionem excitaret domeſticam; ſtrenuis victoribus Ephraimitas exæquauit, & illorum elogia protulit: *Quibus ille reſpondet. Quid enim tale facere potui, quale vos feciſtis? Nonne melior eſt racemus Ephraim vindemiis Abiezer? In manus veſtras Dominus tradidit Principes Madian, Horeb, & Zeb.* Vides illorum fortitudinem commendare;imo & aliorum factis præferre. Quid tunc? *Requieuit*, inquit textus, *ſpiritus eorum, quo tumebant contra eum.* Profectò ſi tunc Gedeon aliarum tribuum commendaſſet promptitudinem in parendo, ſtrenuitatemque in dimicando domeſticum Ephraimitarum diſſidium nouum & periculoſius forſan inire cogeret bellum; at dum prudenter quæſiuit, quo inauret Ephraimitarum ignauiam, ſedauit etiam inuidiam, & dum remouet ſapienter inuidiam, potitur plenè victoriam. Adeſt Ioſephus libro 1. antiquit.c.10.vt refert Gloſſa: *Tribus Ephram, ex qua erat Gedeon, grauiter ferens quòd cum eo minimè dimicaſſet exercitum ſuper eum feſtinabat inducere; Gedeon verò cùm eſſet humilis animo,& omni virtute ſummus, dicebat non ſe authoritate ſua;ſed Deo iubente pugnaſſe, & victoriam non minus eorum, quam ſui laboris eſſe fatebatur.* Attende quæ ſubdit: *His ergo ſermonibus eorum mitigans*

106.
Iud.7.v.24.
Iud.8.v.1.
Ioſeph.

Digitized by Google

mitigans iram eos à præcipitio inteſtinæ ſeditio-
[Lyra.] *nis eripuit.* Conſonat Lyra: *Significat quòd paucæ perſonæ captæ & occiſæ à filiis Ephraim erant maioris ponderis, quàm multitudo victa & occiſa ab exercitu, qui erat cum Gedeone, quem denominat Abiezer, cuius domum vocauerat ad prælium.* Digno conſilio ſuos non vocauit manus conſerturus cum hoſte, vt iam doceret exambienti de vitiis victoriam, ignorare prorſus ſanguinis parentelam; at ne de aliorum prælatione excitaretur diſſidium, inſeruit prudentiſſima importunitate Ephraimitarum elogium, commendauitque fortitudinis inuictæ trophæum, vt iam Caſſiodori ſequeretur conſilium, ſcilicet ad vniuerſa debere eſſe ſolicitum, qui Reipublicæ ſtatum, & generale cupit ſtare felicitatis faſtigium. Et quidem huius vtiliſſimæ prudentiæ defectu non ſemel oritur ipſis laudatis incommodum, & inuidis inuidioſiſque periculoſum diſſidium.

110. Truculentiſſima bellua gigas ille ſuperbiæ ænigma, & temeritatis emblema Deum probris inceſſit, & ad certamen Iſraëlitarum optimos prouocauit: trux adeò erat hominis aſpectus, vt vel fortiſſimos Iſraëlitas de ſtatione deturbaret, & concedere ante certamen victoriam cogeret: Iſraël erat in expectatione ſeruitij, Saul in tumultu, cùm Dauid laudabili temeritate, & inuicta fortitudine proſilit in pugnam, & primo ictu conſequitur de gigante victoriam. Citò adeo ruit elationis ſuperbia, & humilitatis detriumphant arma. Regrediebatur Saul exercitu comitatus, & Dauid hoſte deuicto glorio-
[1.Reg.18. v.7.] ſus, cùm mulieres dulciſonè laudes reſonant, & Saulem Dauidemque laudant: *Percuſſit Saul mille, & Dauid decem millia.* Adeò Saulis animus Dauidis laude exacerbatus eſt, adeo exacerbatione perculſus, vt grauius duriuſque Dauidi fuerit cum Saule diſſidium, quàm cum truce gigante extiterat bellum. Quò ſi huius certaminis cauſam inquiras, inuenies fœminas vti minùs prudentes non ſine Saulis nota commendaſſe Dauidem, cùm poſſent æquam vtrique præbuiſſe laudem. Vicerat ſanè Saul aliis in præliis inimicorum innumeros, aſſeruerat in libertatem obſeſſos, liberarat periculo afflictos: prudentia ergo dictabat, vt quamuis hoc bello non adeò ſtrenuè ſe geſſiſſet, ab aliis peterent quòd laudarent, nec paſtori, etſi ſatis ſtrenuo regem poſtponerent; at dum minori conſilio non laudant ad vniuerſa ſolicitæ, ſibi & Dauidi extitere præter opinionem contrariæ. Nullum profectò in Republica exortum eſſet diſſidium, ſi ab antiquis eius facinoribus dilaudando Sauli ſimile inſeruiſſet laudibus
[Hugo.] Dauidis elogium. *Nota quòd iſte cantus,* ſcribit Hugo Cardinalis, *fuit ſeminarium odij contra Dauid.* Non fuit virorum; ſed fœminarum hic cantus: viri namque vti prudentiores ſic Dauidis glorioſa extollerent facta, vt Saulis non inflammauerint odia: nec enim ſemel prudentia conſulit laudes intempeſtiuas, & importunas ingerere, vt poſſis pacem ſeruare.

§. XXV.

Nonnulli opportunè, importunèque ſuas ſuorumque laudes interſerunt, & facinora produnt.

HVmana natura adeò ſtudioſa laudis probatur, vt anhelis votis & ardentiſſimis 111.
deſideriis cupiat ab omnibus celebrari, & præcellens ſemper haberi: adeò hic affectus oſtentandæ claritudinis nobiliſque proſapiæ inuiſceratur mortalibus, vt ſi fas eſt dicere, vltra ipſam mortem produxerint; & ipſis in gehennalibus flammis oſtenderint. Quidam purpuratus ardentiſſimis globulis inſertus, & ob antiquam tumidam ſuperbiam dignè punitus nondum didicerat hanc vanitatem abiicere; ſed conatus eſt nobilitatem originis prædicare: *Pater Abraham*, aiebat, *miſerere mei.* Non [Lucæ 16. v.24.] dubitabat miſericordiæ non eſſe tempus, nec leuaminis ſtatum; at clamat, Abrahamumque patrem vocat, non vt ſiti impetrarit remedium; ſed vt vanitatis oſtentauerit factum. *Quaſi dicat,* ſcribit Chryſoſtomus apud Diuum [Chryſoſt.] Thomam, *patrem te voco natura.* Itaque generis diſcupit oſtendere claritatem: quia vrgentior erat vanitatis, quàm aquæ ſitis. Nullis flammis affectus hic marceſcit; ſed Salamandræ ad inſtar in ipſis gehennalibus rogis floret. *Nihil aliud vos*, aiebat Caſſio- [Caſſiodor. Opinionis ornamenta appetenda.] dorus decimo variarum decimonono: *conſtat appetere, niſi quod opinionem veſtram poſſit ornare.* Nec ſolum hæc lues vanitulos inficit; ſed nonnunquam moratis vitis, ſanctiſque etiam irrepit. Ecce Debora dum fauſtis acclamationibus, iteratiſque plauſibus quam de Siſara victoriam obtinuerant Nephthalitæ & Zabulonij, concelebrat, & generosè decantat, tribus ſuæ geſta inſerit, & antiquas victorias prodit: *Saluatæ ſunt reliquiæ populi, Dominus in fortibus dimicauit: Ex Ephraim deleuit eos in Amalec.* Interſerit Ephraimitarum victorias, imò eos laudat, vt qui cæteris exemplum præceſſerint, & Amalecitas penitus expugnauerint. Ita Hebræus: [Hebraica.] *De Ephraim radix eorum in Amalec.* Sanè reportata modo de hoſtibus victoria ſuadebat eximiis victores laudibus exornare, & aliorum, præcipuè qui prælio non adfuerunt, antiqua ſilentio facinora præterire: cur ergo Debora ſic à propoſito deuiat, vt modo Ephraimitarum laudes intempeſtiuè producat? Tempus non erat in aliorum decantando victorias, quando præſens feliciſſimuſque triumphus omnes ſibi laudes vendicabat, & veluti iure nil aliud celebrari modò exigebat. Profectò Deboram degener nullus deprauauit affectus; at honeſto facto expreſſit, quàm omnibus ſit innatum, vt cùm opus eſt aliorum laudes cantare, ſuorum etiam laudes intexere, & occaſionem opportunam, aut importunam arripere. *Incipit à tribu Ephraim de qua erat ipſa Debbora,* inquit Caietan. *vt teſtatur habitatio eius ſcri-* [Caietan.] *pta in præcedente capitulo: laudat autem tribum Ephraim tamquam non nouitiam ad huiuſmodi opera bellica, eo quòd radix victoriæ*

bellicæ fuerit Ioſua ex tribu Ephraim in prælio contra Amalecitas in egreſſu de Ægypto. Quod tempus, opportunitaſque exigebat, ſolummodò erat Barachum celebrare, & ſæculis vti celeberrimum prodere; at Debora, etſi inuidia immunis, omnibus tamen doctrinalis tribus ſuæ laudes ingeſſit, &, ſi fas eſt dicere, intruſit: vt conſtet quàm innatus ſit omnibus hic affectus, ſuos videlicet celebrandi, & illorum gloriam proferendi. Addit Caietanus: *Nominando radicem, inſinuat exortos inde ramos tot victoriarum.* Itaque ipſas, quibus commendat Barachum laudes, in ſuæ tribus commendationem refundit. Quaſi dicat: ſi componamus Ephraimiticæ tribus victoriam cum hac à Baracho parta, inueniemus hanc quaſi illius fœcundiſſimæ radicis vigore floridam, & accepta virtute ornatam. Itaque hanc victoriam extulit; ſed vt tribum ſuam illuſtriorem redderet, celebrioremque prædicaret. (Caietan.)

112. Pharifæus templum adit Numen rogaturus. *Duo homines aſcenderunt templum, vt orarent, vnus Phariſæus, & alter publicanus.* Quid expectes à Phariſæo ad orationem curſum arripiente niſi quod tempus ſuadebat, & occaſio, locuſque flagitabat, deiecturum ſcilicet oculos geſtorum recordatione, grauem gemitum emiſſurum è corde, vt iudicem ad miſericordiam flecteret, & culparum veniam faciliùs impetraret; verùm ſic radice ægritudinum ſuperbia intumuit, ſic quæ ad propriam imbecillitatem pertinebát, dedidicit, vt plenis buccis laudes ſuas protulerit, & ſe reliquis omnibus præferens ventoſiſſimè commendarit: *Hæc apud ſe orabat: Deus gratias ago tibi: quia non ſum ſicut cæteri hominum raptores, iniuſti, adulteri, velut etiam hic publicanus: ieiuno bis in Sabbatho: decimas do omnium quæ poſſideo.* Videtur gratias agere, ſed dum ſpecie agit gratias, ſuas interſerit ambitioſiſſimus glorias: gratiarum ſpecie tegit ambitionem, & ambitionis prætextu ructat tumidiſſimam vanitatem. Oratio humilitatem deiectionemque vti ſorores vocabat; at vanitatis ſtudium elogia importuniſſima proferebat: *Deo opprobraturus introiuit*, inquit Baſilius oratione 35. *non habes iuſtum alterum in terra; ego tibi ſolus virtutum theſaurus, deſerta ſit à iuſtitia terra, niſi hanc ego calcarem.* Addit: Phariſæus pro ſupplici *index aduenit.* Itaque ipſam ſupplicationem in ſui commendationem deflexit, & loco, tempore, habituque contradicentibus ſe omnium loco ſtatuit, & proprias virtutes retulit. (Lucæ 18. v. 10.) (Seleuc.)

113. Cùm Tobias animo ſolicito, anxioque deſiderio comitem filio ſuo quæreret, inuenit Angelum ipſa corporis elegantia, & oris venuſtate eximias animi dotes prodentem: cúmque de itinere agerent, qua de ſtirpe eſſet, rogauit: *Numquid poteris perducere filium meum ad Gabellum in Rages ciuitate Medorum?* Quid tunc Raphael? *Ego ducam, & reducam eum ad te.* Addit Tobias: *Rogo te, indica mihi, de qua domo, aut de qua tribu es tu?* Cui Angelus: *Genus quæris mercenarij an ipſum mercenarium, qui cum filio tuo eat? ſed ne fortè ſolicitum te reddam: ego ſum Azarias Ananiæ magni filius.* Certè magnum genus poſſe proferre, & importunè etiam non prodere, naturæ humanæ terminos ſupergrediebatur, & iuuenem non hominem; ſed Angelum teſtabatur: nam ſi humanus eſſet, non expectaſſet circa ſtirpem genuſque rogari; ſed ipſe extra rem protuliſſet & commendaſſet. Ergo dum occaſionem opportunam expectat, dum compulſus genus dilaudat, cælorum ſe prodit ciuem, & negat hominem. *Azarias*, inquit Beda, *adiutor, Ananias gloria Dei.* Addit Comeſtor apud Gloſſam: *Erat de Angelis videntibus Deum, & erat Azarias adiutor, & filius Ananiæ, id eſt gloriæ Dei.* Ipſo reſponſo ſe oſtendit Angelum, dum ex magno genere oriundus ſuam non extulit originem, nec importunus protulit claritatem. (Tobiæ 5. v. 14.) (Beda.) (Comeſtor.)

Cùm Deus, vt ſuam in hominem commendaret charitatem, plantaſſet delicioſiſſimum paradiſum, in omnigenas arbores facultatem Adamo largitus eſt; vna tantum prohibita, qua citra inuidiam interdixit, vt illius priuatio excitaret recordationẽ illius qui contulit vniuerſa. Itaque vnius arboris inſipido mortiferoque priuauit fructu, ne voluptas vndequaque circumfuſa beneficij aboleret memoriam, & per inexplebilem voracitatem homini aſciſceret ignominiam: his deliciabatur cum coniuge Adamus, verùm ad inuidiam excitatus eſt ſerpens, & ſibilo mulieris appetitui adulanti, linguaque Numinis liberalitatem abrodente auditum ſubuertit, & contra creatorem in campum creaturam produxit: arboris guſtus mortẽ aſciuit, & hominem in puluerem, terramque redegit: iam terra in opere maledicta, iam mulier doloribus condemnata, iam Adamus orbi vt metallo proſcriptus, cum in his circumſtantiis mulierem allaudat, & extra chorum ſaltans eximiis laudibus celebrat: *In ſudore vultus tui veſceris pane, donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Et vocauit Adam nomen vxoris ſuæ Eua, eo quòd mater eſſet cunctorum viuentium.* Talis erat tunc rerum ſtatus, talis miſeriarum cumulus, vt vel è ſilice gemitum extorquere poſſet, nec aliud niſi præſentiſſimum infortunium cogitare permitteret. Quid tunc? Adamus ex ſe formatam allaudat Euam, & appellat vitam: nil magis extra rem eſſe poterat, quàm elogium vbi conducebat lamentum. Verùm ea eſt hominibus commendandi propria libido, is ſe laudandi pruritus, vt Adamus etiam cùm eius aures miſera percellit ſententia, protulerit vxoris elogia. Adeſt Rupertus apud Lipoman. *Mira narrantis digreſſio: necdum ſententia terminata eſt tanta calamitatis, vt vacet hinc diuertere ad dicendum nobis, quo nomine reus iam conuictus, & pendens ſub iudicis manu ſuam vxorem nuncupauerit. Narrat dixiſſe Deum: In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris: moxque dicturus erat Deus: Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt. Quis hic locus erat, vt insereret, quia appellauit Adam nomen vxoris ſuæ Euam?* Profectò eximia illa calamitas omnem ſibi attentionem vendicabat: & tamen non caſu; ſed myſterio Euæ elogium intertexuit Adamus: vt noueris quàm impotens ſit hic laudis appetitus, & quàm imprudens ardenſque vanitatis affectus. *Mira peccatoris*, addit Rupertus, *ſimul & contemptoris ſurditas, & ſuperba mentis eius duritia breuiter deprompta eſt: quid enim inſanius, quàm in tali articulo Euam dicere?* Inter ſententiæ angores, inter mortis (114.) (Gen. 3. v. 19.) (Rupert.)

mortis metus Adamus properauit in proprias laudes, vt quam diligant filij hominum vanitatem, docuerit ſequentes.

---

§. XXVI.

Qui laude probatur dignus, nunquam alienæ laudis inuenitur auarus.

115. VT quidquid tenebroſum eſt, caligine obnubilat, & obnubilando fœdat, ita quod lucidum, dum reluminat, ornat: lux proprio nitore candens cætera reddit conſpicua; & dignè propria ſuperbiens claritate alieno non inuidet ſplendori. Qui maius luminare habetur in cælo, ſplendorum ſoluit læ-
tiſſimè vectigalia, quibus oculos alliciant
Gen. 1. v. 16. ſydera: *Luminare maius, vt præeſſet diei.* Maiori luce Sol comprobatur fulgere, dum
non refugit, qua reſplendeant, ſtellis lucem
Chryſoſt. partiri. *Sol*, ſcribit Chryſoſtomus apud Lippomanum: *clariorem diem efficit rutilans aureo ſuo iubare, & radiis.* Dum micantior Sol iubare ſuo rutilat, diem etiam viuidius clarat: minus ſanè illuſtraſſet, ſi anguſtiori ipſe
Iunilius. luminis pompa fulſiſſet. Adſtipulatur Iuni-
Sol ſtellas ſplẽdore perfundit. lius ibi: *Luminare maius eſt Sol, non ſolum forma ſui qualiſcumque eſt corporis; ſed & magnitudine luminis, qua & ipſum luminare minus, & ſtellas illuſtrare creditur.* Luna argentea luce reſplendet, micat & Sol aureo iubare: quod ſi vtriuſque magnitudinem velis metiri, ex præſtito aliis lumine debet cenſeri. Sol Luna inuenitur & nobilior & clarior: quia non ſyderibus denegat auarè lucem; imò laudabili prodigalitate illis communicat ſplendorem. Ecce Debora, dum glorioſiſſimis reſplendet triumphis, Tribus alias nobilitat etiam elogiis: *Ex Ephraim deleuit eos in Amalec.* Mentionem facit illuſtriſſimi illius triumphi, quem Ioſue Ephraimita aduerſus Amalec pugnans reportauit: neç enim inuidioſè tenebris triumphos alienos ambiuit tegere; ſed geſtiuit elogiis digniſſimis euulgare. *Nar-*
Caietan. *rata victoria*, ſcribit Caietanus, *cum illius effectu ex diuino auxilio narrat, qualiter ſe habuerunt tribus Iſraël ad illud bellum; ſic tamen vt aliquas tribus laudando non quo ad hoc, inſerat pro communi lætitia, vt aliunde laudentur; quæ ex hoc facto lande carent.* Id iuſtorum inuenitur ingenium, vt alienis in factis obſcura tranſeant, & laudanda ſolùm videant, cùm inuidi peſſimíque cæcis oculis tranſeant laudanda, & lynceis ſcrutentur obſcura: non erat laude dignus hoc in facinore Ephraim; imò videbatur iure ſugillandus; at Debora propria nobilitate reſplendens digneque proprio ſplendore cæcutiens non vidit obſcura, & aſpexit elogiis digniſſimè celebranda.

116. Rediit prodigus ille ærumnis compulſus, & nuditate vexatus; qui intus erat, patrem exorauit affectus, & moræ laudabiliter impatiens laſſi aduentum non expectauit; ſed amoris ardentiſſimi ſtimulis agitatus cucurrit: ſeruos iubet ornatum filio præbere, & menſam lau-
Luc. 15. v. 22. tiſſimam præparare: *Proferte ſtolam primam,*
Chryſol. *& induite illum.* Chryſologus, vt erat acutiſſimo ingenio, patrem viſu ait confuſas filij tenebras effugaſſe, & nobiles patris ſeruos filij nuditatem, etiam dum contegunt, non vidiſſe. Audi eius verba ſermone 5. *Vidit illum pater ſuus: patris viſus illuſtrauit filij venientis aſpectum, vt tota fugaretur obſcuritas, quæ circumfuſa fuerat de reatu.* Itaque pater non vidit filij reatum; ſed filium: quia de propria luce tenebras depulit circumfuſas, vt nil poſſet videri obſcurum; ſed claris luminibus illuſtratum. Nec patri diſſimiles ſerui: proprio decore ornant nudum, nec vident niſi exornatum. Redeat iterum Chryſologus: *Hinc eſt quod à ſeruis antè veſtiri voluit filium, quam videri, vt ſoli patri nota eſſet nuditas, quia pater ſolus videre filij non poterat nuditatem.* Itaque dum nuditas patri innoteſcit, fugit: nec enim paternus aſpectus videre poterat nuditatis probrum: quia ipſo viſu filio præſtabat ornatum: *Aſpectus patris*, præmiſerat Chryſologus, *fugat crimina, expellit noxam, cunctam nequitiam, & tentamenta propellit.* Ipſis quibus nuditatem viſurus erat, nuditatem oculis depellebat, & propria luce nuditatis tenebras illuſtrabat: *Videre filij non poterat nuditatem.* Et quare? Quia ipſe viſus, ne videret nuditatem, deferebat ſecum, qua ornaret lucem, ſeruique miræ pietatis aoriſia, acriſiaue, (quæ talis inuenitur viſus proprietas, vt aliqua ſolùm ignoret, cùm videat reliqua) cùm cætera viderent; ſolùm nuditatem non ſpectabant. Tranſi modò ad fratrem, qui extra paternam domum degens eis malignitatis oculis fratris obſcura notauit, vt etiam propulſata videret: *Poſtquam filius tuus hic, qui deuorauit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus venit, occidiſti illi vitulum ſaginatum.*
Audi Chryſologum ſerm. 5. *Iudæus loquitur, & non facientis verba ſunt, ſed tumentis.* Fratet vtpo- Chryſol.
tè extra paternam domum, extra virtutum ſcholam, extra ſanctitatis lineam vitiorum tenebris obſcurabatur, deturpabatur ſuperbiæ caliginibus, & cæcis tumoris noctibus: hic ergo ſolus venientis notauit, viditque defectum: qui degebant domicilio luminis, ſolum præſtiterunt ornatum.

Hoc idem videre licet in ruſtico illo Nabal, & 117.
eius vxore vrbaniſſima Abigail. Exertabat Dauid campis inuidentiæ tela fugiens, & adulationis improba conſilia timens; imò fortè plus adulationem inuidentiam ſufflammantium, quàm ipſum liuorem veritus; hic rebus ad alendam vitam neceſſariis deſtitutus fame premebatur duriſſima, cumque cognouiſſet Nabalem ouium tonſoribus lautum inſtruxiſſe conuiuium, illumque multis obſtrictum beneficiis haberet, nutios miſit, qui ſupplices eius nomine aliqua edulia ad leuandam famem rogarent, demiſſiſque ſuperciliis peterent. O quàm premebatur egeſtatis ærumnis, qui compulſus eſt rogare, & hominem notæ adeò inferioris adire! Sed videamus quid
tunc Nabal: *Quis eſt Dauid, & quis eſt filius* 1 Reg. 25. v. 10.
Iſai? Hodie increbuerunt ſerui, qui fugiunt dominos ſuos. Genus notat, & ſi quid obſcurum, publicat; verùm Abigail iniuriis prouocati indignationem præcauens celeri greſſu contendit, & ad pedes Dauidis prouoluta ſic loquitur: *Ne ponat, oro, Dominus meus rex cor ſuũ ſuper virũ iſtum iniquũ Nabal.* Addit: *Faciet Dominus tibi domino meo domum fidelem: quia prælia Domini, domine mi, tu præliaris.* Inquiramus, ſi placet cur Abigail Dauidem Domini prænuntiauerit militem, cùm

Chryſol. iubetur: quia imprudenti deuiabat ſtudio: *Si ſapis*, addit Chryſologus, *feſtinans deſcende, deſcende ante Dominum de Adamatica arbore:* Vt Zachæus videat Dominum, ſatis eſt domo excipere,& placidè conuiuio aſſidere: ergo non repter;ſed ſedeat: eſt namque virtutis via plana, vt ſceleris ardua,difficilis,confragoſa.

§. XVIII.

Laudabilis nouitas, qua virtutem promouet, & vetuſtatem depellit.

75. Caſſiodor. GRatum nobis eſt,aiebat Caſſiodorus 3.var.6. *perſonas nouas ad honorum celſa producere,delectat peregrini germinis viros gremio libertatis inſerere,vt varijs frondeſcat Senatus aula virtutibus.* Cumulatior reſplendet virtus, dum noua antiquis interſerit,& antiqua nouis coniũgit. Patris theſaurus veteribus & nouis diteſcit,& prudenter noua aliquando veteribus anteponit: dum noua & vetera de theſauro ſuo profert,omnem ſuſpicionis notam depellit: gratum eſt antiqua euoluere; ſed etiam & noua cæleſti lumine parturire.Noua ſtella Magis indicat veritatem:quia antiquæ occaſio extiterunt erroris: non omnis nouitas ob nomen vti ob delictum damnanda; imò ſi virtuti militet, eſt antiquitatibus præferenda.Omnibus ſæculis ſupremus parens honeſtè adulatur, dum diuerſa diuerſis liberaliſſimè dilargitur. Rationis lance nouitas debet examinari,& ſi virtutis fuerit cognata,exambiri. Ecce Debbora dum diuinas refert laudes,Deum noua elegiſſe bella teſtatur: *Noua bella elegit Dominus, & portas hoſtium ipſe ſubuertit* Laudabili,etſi noua, bellandi ars, quæ depulit ſeruitutis antiquæ iugum, & transfodit virulentiſſimum aduerſarium. Quærunt interpretes quæ fuerit hæc in bello nouitas à prophetide dilaudata. Hugo Charenſis putat muliebri manu Siſaram fuiſſe occiſum,clauoque transfoſſum: *Nouo modo deuicit Siſaram: quia per mulierem dedit victoriam.* Nouum erat fortiſſimum virum à muliere deuinci,& candida manu transfodi;at hæc nouitas Dei populo fuit vtiliſſima, & à Debbora miris laudibus commendata:non fuit hæc nouitas ambitionis filia;ſed diuina electione Numinis procurata.Et quis hanc bellandi artem de nouitate condemnet,quando nouitas & hoſti fuit exitioſa, & populo Dei proficua. Qui hoc certamen vti nouum & peregrinum damnaret, ſaluti populi contrairet: nec enim omnis vetuſtas ſequenda, nec nouitas omnis damnanda.

Hugo.

76. Iudic. 5. v. 20. Hanc iterum veritatem confirmat Debbora: *Stella*, inquit, *manentes in ordine & curſu ſuo aduerſus Siſaram pugnauerunt.* Olim pugnauit Sol contra Amorrhæos;ſed retardatus,& cælo fixus: militauit etiam Luna;ſed immota,& Ducis præcepto obſecuta: hic nouum geſtum eſt bellum: ſtellæ namque tenore ſeruato,& ordine cuſtodito Siſaram oppugnarunt, & contortis radiorum luminibus deuicerunt. Adeſt Abulenſ. q. 3. *Noua bella fuerunt hæc,ſcilicet quia Deus illa fecit mirabiliter pugnando de cælo,vt infrà dicitur.* Certè pugnarunt antiquitus contra fidei hoſtes,quæ cœlo præſident luminaria,modò pugnant ſydera nouo quidem modo;ſed vtiliſſimo.Itaque & fixa vicerunt lumina, & rotata oppugnarunt etiam Siſaram aſtra:imprudens carperet ſtellas de nouitate pugnandi,quandoquidem à maioribus diſcrepabant, nec ſtylũ approbatũ tenebant;at ipſe euentus oſtendit non omnẽ nouitatẽ damnandã; ſed aliquando & antiquitatibus præferendam.

Abulenſ.

Eliſæus duplicatũ à magiſtro accepit ſpiritum, 77.
dum ſibi quaſi teſtamento legatũ leuauit pallium: eo magiſtrũ imitãs rapidos ferit fluctus,& aquis nudatã puluerulentam adaperit ſibi viã: *Percuſſit aquas,& diuiſa ſunt huc atque illuc, & tranſiit Eliſæus.* 4 Reg. 2. v. 14. Poſteà mulieris pientiſſimæ filius peſtilenti morbo correptus moritur,& mater prophetæ lachrymis excitationem ſuaſit:ille mittit baculum, quò mors abigatur depulſa,& vita matrẽ exhilaret inſtaurata: *Tolle baculum meum in manu tua,& vade.* 4 Reg. 4. v. 29. Quærunt interpretes,cur non miſerit palliũ tot patratis miraculis iam expertũ, & communi hominũ ad miracula patranda æſtimatione approbatũ. *Quare miſit Eliſæus baculum,& non pallium*,rogat Abulenſ.q. 69.*cùm ipſe conſuetus eſſet facere miracula cum pallio:* Abulenſ. reſpondetque iam baculo,non pallio ad miracula vſum,non quia magiſtri gloriæ vellet inuidus detrahere; ſed quia ipſe nouum etiam miraculorum inſtrumentum diſcupierat inuenire: *Fortè iam non faciebat miracula cum pallio; ſed cum baculo.* Voluit Eliſæus nouum miraculorũ inſtrumentũ producere,non ad iniuriam antiquiſſimo pallio irrogandam; ſed ad nouam miraculorum ſcaturiginem aperiendam: baculo, pallioque Eliſæus operatus eſt miracula, quo patremfamilias prudentiſſimum imitatus noua addiderit antiquis, & antiqua adauxerit nouis:ni baculum nouum miraculorum inſtrumentum conaretur efficere, ſolum Eliæ pallium ſalutis eſſet officina; at virtus pallio non eſt detracta; ſed alia cauſa ſalutis inuenta: non contempſit magiſtrum, nec eius inuidit gloriæ, dum nouum inſtrumentum excogitauit potẽtiæ;ſed honeſtè ſuperbus noluit diſcipulum ſemper agere; ſed ſe magiſtrum futuris ſæculis exhibere. Adde oportere antiquæ doctrinæ aſſeclas illam ſuis ex puriſſimis fontibus haurire, nec degeneri, aſcititioque, per quos aliquando excurrit, tramitum ſapore adulteratam magni æſtimate:ſæpè namque vti antiquum venditatur, quod iniqua eſt interpretatione detortum. Mentiuntur plures antiqua,quæ nec antiquis cognita,nec à ſapientibus vnquam tradita.Ex ipſo fonte aquam hauriamus puriſſimam: ſæpè namque trames,per quem excurrit, nouum;imò contrarium ſaporem imprimit, & qualitate contraria origini fallit.

Ezechias in morbum incidit,& ne,vt Magnatibus ſolet accidere, improuiſa morte corriperetur,ab Iſaia illi periculum denuntiatur:Rex quam ſibi vitam nequibat protelare dignitatis potentia lachrymarum produxit copia, orationiſque efficacia,& iam qui immaturum verebatur interitum, vt ſpes lætiores alat, pro arbitrij optione ſortitur Solis miraculũ: *Vis*, inquit Iſaias, *vt aſcendat vmbra decẽ lineis, an vt reuertatur totidem gradibus?* 4 Reg. 20. v. 9. Prudentiſſimus Rex noluit alieno detrimento,dũ breuiat diem,propriæ ſaluti conſulere;imò tunc ſuæ putauit ſaluti conſulere, cùm potuit vitæ ſubiectorũ terminos prorogare:noluit lucere Solem vrgens in occaſum;ſed ad nouum trahẽs oriẽtis exordiũ.In horologio Achaz vmbra reducitur, & iam regia ſalus recuperatur: *Reduxit vmbra per lineas,quibus iã deſcenderat in horologio Achaz,retrorſũ decẽ gradibus* Notanter aduertit textus vmbram retractam in horologio, nec expreſſit Solem repedaſſe in cælo. Huius occaſione

Digitized by Google

occaſione quærunt interpretes, an Sol reuocato curriculo ad ortum fuerit regreſſus, an ſolùm vmbrarum gradus in horologio retractus. Plu-
Burgenſ. Montanus. res, vt Burgenſis in 4. lib. Reg. Vatablus, Arias Montanusque ſuper Iſaiam ad hunc locum exiſtimant, nec ſine rationis momento Solem antiquum in cælo tenorem ſeruaſſe, & vmbras tan-
Vatabl. tummodò retroactas miraculo fuiſſe. Audi Vatablum: *Doctoribus magis placet æqualem fuiſſe diem cum aliis: nam in horologio erant ſolùm duodecim lineæ, quæ tot horas deſignabant. Miraculum fuit vmbram retroceſſiſſe procedente tamen Sole, nec ſecutam eſſe vmbram motum Solis*. Vides ex Vatabli ſententia nullo modo Solem retro fuiſſe conuerſum; imò cùm inſtitutum renuerit curſum, vmbram in horologio Achaz ſic ab eo diſcrepaſſe, vt decem lineis erraret ab eo ſpatio, quod iuxta Solis aſpectum, ac ſitum notare debuiſſet. Itaque eo ipſo tempore, qui Solis aſpectum contemplaretur, decimam horam eſſe reperiret; qui verò aſpiceret horologium, diei exordium deluſus crederet, falſuſque putaret: tantùm diſtaret à veritate, qui horologium non bonum tunc Solis interpretem conſuleret, vt ſpatiis longiſſimis aberraret. Profectò dura res eſt oculis vtentem cogere ad fidem detortis vmbris præſtandam, non ipſi luci exhibendam: aſpiciatur Sol in ſe ipſo, non in horologio ad libitum conſtructo, & ad placitum gubernato. Et expende hanc miraculi nouitatem ſæculis retro inuiſam profuiſſe saluti, non fraudi. Certè Iſaias poterat Ioſue ad inſtar Solis rapiditatem ſiſtere, & antiquum prodigiũ repetitione honorare; maluit tamen diuino auxilio fretus nouum patrare miraculum ad omnipotentiæ Numinis gloriam non ad Ioſue plauſus inuidiam: vidit Solem poſſe ſiſti, vidit poſſe vmbram etiam in occaſum vrgeri, aut retro in orientem trahi, & laudabili ambitione elegit non antiqua imitari miracula; ſed noua operari prodigia. *Semper ſapienti reſtabit, quod inueniat*,
Seneca. aiebat Seneca epiſt. 109. *& quò animus eius ex-*
Sapienti ſ. m. per adi... *currat*. Reſtant plura ex diuinæ ſapientiæ theſauro pro temporibus eruenda, & ſapienti communicanda. Poſt Platonem Ariſtoteles extitit, poſt Ariſtotelem Seneca, & ſic in plurimis aliis inuenies: nõdum ab omnibus, qui anteà fuerunt exhauſta ſapientia eſt: poterit quis noua inuenire veteribus non oppoſita; ſed adaucta: nonnulli, vt inuidentiæ adulentur, ſtudioſos, & multo labore in eruendis veritatibus incumbentes vti nouatores ſugillant, & vti veterum contemptores infamant; cùm tamen hæc calumnia prorſus diſtet à veritate, vt naſcitur à liuore. Examinanda eſt nouitas rationis trutina, non liuoris ſugillanda acrimonia.

79. Poſt luctuoſum illud diluuium, quò ferè omnis creatura deleta eſt, Noemus reliquarum cuſtos columbam mittit telluris, aëriſque qualitatem exploraturam: illa, vt annunciet læta, vt tempora promittat ſecura, ramum oliuæ ore geſtat: abſtinuit cibo, vt ſe tanto tempore cibanti allatis
Geneſ. 8. v. 11 ſpebus lætioribus eſſet gaudio: *Venit ad eum ad veſperam portans ramum oliuæ virentibus foliis in ore ſuo*. Quærunt Patres, an hic oliuæ ramus fuerit ex aliqua antiqua, reſeruataque oliua; an non fuerit ex antiqua; ſed noua? Ambroſius putat pro-
Ambroſ. babile, & oliuam diluuio reſeruatam, & germinaſſe diluuij tempore floridam: *Si diluuij tempore natum eſt folium*, ſcribit apud Lippoman, *aduertit iuſtus noua ſemina miſericordiæ multiplicaſſe cæleſtis, vt radices arborum viuerent, & quaſi reſumpta anima fœtus germinarent vetuſtos, atque in aſſuetos partus redirent, quorum indicium præmiſſa folia demonſtrarent*. Itaque lætatus eſt Noë, cùm de antiqua radice nouos vidit floſculos pullulare: erat in ramo illo viroris nouitas, radicis antiquitas: certè ni noua folia ramum illum ornaſſent, marcidus & vetuſtus nec videntis ſpes erigeret, nec triſtitiam aboleret: aut ſi viror ille de antiqua non pullularet radice, dum nihil diluuio cognoſceret aſſeruatum, diuinæ miſericordiæ illud non haberet argumentum; at dum agnouit plantam diluuio antiquiorem nouiter floruiſſe, vir iuſtus gauiſus eſt, & inde collegit miſericordiæ diuinæ inſigne, quod iam remouiſſet diluuium, cùm fructum demonſtraret, cui non potuiſſet nocere vndarum violentia, & ſecum depræliantium vorticum reluctantia: Itaque in ramo illo vtrumque videbatur, & antiquus ſurculus, & nouus floſculus. Non eſt plurimi habenda nouitas, ſi antiqua non pullulauit radice, & innixa eſt probata ſæculis veritate: nec antiquitas eſt magni habenda, ni nouis ornetur partubus, & recentibus niteat fructibus: nouitas namque radice antiqua carens poterit diſplicere ſuſpecta, radix antiqua, niſi virentia, nouaque protruſerit folia, offendet aſpectum marcida; at ſi miſceantur & probata antiquitas, & grata nouitas, iã & calamitas auolat, & felicitas mundum ornat. Itaque in columbæ Spiritus Sancti ænigmatis ore inuenitur vtrumque, ramus ſcilicet antiquitate nobilis, nouitateque viridis.

---

§. XIX.

Maria Sanctiſſima inuiſo ſæculis triumpho de originali reſplenduit, & eximiis ſemper gratiæ prærogatiuis emicuit.

NEceſſarium probatur eſſe Reipublicæ, ſcribit 80.
Caſſiodorus 10. var. 6. *perſonas dignitatibus* Caſſiodor.
aptas eligere, vt cui iuſtitia committitur, malis moribus non grauetur: alioquin inefficax eſt ab homine exigere, quod agnoſcitur non habere. Contrà confidenter quæritur quod ineſſe ſentitur. Non benè congruit maculam deſideranti depellere, inſtrumentum macula inquinatum aſſumere, quandoquidem ſolùm quit glorioſum reportare triumphum de vitiis, quem decoris virtutum liquet radiare ornamentis. Hinc Maria Sanctiſſima omni culpa probatur immunis, quia ad culpam depellendam deſignata eſt Numinis genitrix. Inuiſa retro ſæculis Deus illam lauro exornauit: quia veluti omnis gratiæ inſtrumentum fore decreuit: numquam peruenit inimicus ad Mariæ tabernaculum pugnaturus; ſed meticuloſus, & ſubiugandus. Ecquis hoc ait: Debbora ſanè, dum triumphum de Siſara reportatum fauſtis iteratiſque acclamationibus celebrans, bella noua elegiſſe Dominum ad ſingularem Mariæ Iaële adumbratæ gloriam decantauit: *Noua bella elegit Dominus, & portas hoſtium ipſe ſubuertit*. Quærunt interpretes quæ fuerit hæc bellorum nouitas: nam licet hîc exigua inermique manu ferè innumerabilis aduerſariorum copia fuerit non ſolùm profligata; ſed prorſus attrita, hoc nec inſolitum erat, nec nouum, quandoquidem ſæpè ſæpius exarmatus, exiguuſque miles, vt modo ac-

 cidit,

cidit, copioſas hoſtium acies ſubuertit, & inuincibiles ad ſpeciem vires edomuit: quæ ergo hæc raritas celebranda, & nouitas eſt plaudenda? Abulenſ. Explicuit Abulenſis quæſtione 2. ſcilicet exercitus Principem à fœmina capite periiſſe transfoſſum, & inimicorum oſtium infractum: *Noua bella elegit Dominus, ſcilicet fugiẽdo quòd magnus exercitus vinceretur per fœminã: nam Iael occidit Siſarã Principem magnæ militia, & hoc hactenus inauditum fuerat: ideò noua bella fuerunt hæc.* Pugnarunt aliquando fœminæ contra virulentiſſimo hoſtes; verùm ſola Iaël caput inimici contriuit, & portas eius ſubuertit. Et quis neſciat portam, per quam dæmon ad homines intrat originale fuiſſe delictum, quandoquidem tot tantiſque calamitatibus præbuit aditum, & captiuitatis induxit iugum: hoc ergo caput, hoc oſtium poſſe à fœmina proculcari, ante Mariam ſæculis erat ignotum; at nouum hoc bellum elegit filius, vt quam elegerat matrem, ſingulari victoria nobilitauerit triumphatricem. Certè Dauid, dum truciſſimi aduerſarij præciſum caput manibus geſtat, Chriſti Domini triumphum figurat: ergo Iaël quia Mariæ præceſſit ænigma conſimili reſplendet triumpho, capite ſcilicet inimici transfoſſo: vterque Dauid & Iaël plagam capiti intulit inimici, vt notum omnibus eſſet conſimili ornari triumpho, & florenti ſemper redimere tempora lauro. Vides reliquum populum ante hoc certamen obſcuram captiuitatis tuliſſe notam, & ſubiiſſe certaminis contingentiam; at Iaël nouo victoriæ genere triumphat, cùm nunquam fuerit ſeruili Iabin obſcurata iugo, & immortali reſplendeat lauro. Hoc nouum, hoc ſæculis inauditum; ſed Mariæ fuit priuilegium. Nec miraberis quam materna adornabat prærogatiua, noua filium nobilitaſſe victoria. Certè mirum, nouumque eſſet, ſi tabernaculum, in quo diu requieuit, trophæis hoſtilibus non ornaſſet, cùm conſtet vel leuem Domini contactum potentiam dæmonis confregiſſe & tactos non ſolùm detrimento; ſed etiam periculo liberaſſe.

81. Parentes alienis calamitatibus docti filios Chriſto Domino paruulos offerebant, quo manus illis imponens contra pericula armaret, & dæmonis violentiã reprimeret: fidebant nãque ſacro Dominicæ manus cõtactu non ſolùm damnũ depellendũ; ſed etiam periculum propulſandũ: *Oblati ſũt ei paruuli, vt manus eis imponeret, & oraret.* Hoc Matth. 19. v. 14. patentũ ſtudiũ fuiſſe tradit Adamantius apud D. Origen. Thomam. *Iam ex præcedentibus virtutibus eius experti erant quoniam per impoſitionẽ manuum eius & orationem repelluntur mala: offerunt ergo ei pueros conſiderantes quoniã impoſſibile eſt, vt poſt quã per tactum Dominus dederit in eis diuinã virtutem, aut ruina, aut dæmonium aliquod tangere eos poſſit.* Itaque cùm plures parentes audierint à patre illo, qui luctuoſa filij calamitate perculſus Dominum adiuit, puerum ab infantia à dæmone diuexatum, viderintque contactu Dominicæ dexteræ ſanitati reſtitutum, deuoto animo obtulerunt filios charitatem in paruulos oſtentantes, & virtuti Domini confidentes: feſtinarunt paruulos Domino offerre, ne ſi differant, paternæ dilectioni irrogarint iniuriam, dum non anteuerterint, cùm poſſint, vel diſcriminis contingentiam. Credunt ſe amori paterno detrahere, ſi cùm poſſint tactos filios non ſolùm damno; ſed periculo etiam eximere, protelarint Domino offerre: eaque fuit dexteræ diuinæ efficacia, vt iam dæmon tactu nobilitatis, munitiſque non ſolùm detrimentum inferre nõ audeat; ſed nec pertẽtaſſe queat. Quod ſi terreni parentes dilectos filios contra pericula prouidenter obarmant, quis credat cæleſtem patrem filiam ſibi dilectiſſimam non ſolùm à periculo non liberaſſe; ſed inquinari culpa permiſiſſe? Mariam diuinus filij ſæpè conſtrinxit amplexus: illam dulcis Chriſti Domini in gremio nobilitauit accubitus: quis ergo credat Patris filiam, filiique matrem poteſtati dæmonis fuiſſe obnoxiã, quando conſtat leuiſſimu etiam Domini tactum omnem à pueris propulſaſſe ruinam.

Balac cùm eius ditioni Hebræorum populum intueretur appropinquare, timore correptus ad maiores Moab in hunc modum locutus eſt: 82. *Ita delebit hic populus omnes, qui in noſtris finibus commorantur, quomodò ſolet bos herbas vſque ad radices carpere.* Numer. 22. v. 4. Iam verebatur radices prorſus carpendas, & omnes eius ſpes fruſtrandas: non ait conſumptis herbis eius ditione relinquendam radicem; ſed prorſus deterendam, & deuorandam. Quod ſi radix, qua dæmonis floret imperium, originalis eſt culpa, iure timet ipſam radicem eruendam, & proculcandam. Iam triumphum adeò nouum Mariæ reſeruari cecinit Balaamus, dum eius luce illuſtratus dixit: *Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga de Iſrael, & percutiet duces Moab.* Numer. 24. v. 17. Iacobi ſtellam fuiſſe Mariam tradunt Bernardus homil. 2. *in Miſſus eſt.* Bernard. Hieronym. Heſych. Hieronymus de nominibus Hebraic. Heſychius ſerm. 2. de Virgin. Itaque huius ſtellæ triumphus procedit vſque ad radicem in herbis: ferreo, æreoque vinculo alligatur Nabucho; Maria verò non ſolùm proculcat herbam; ſed triumphatore pede proculcat etiam radicem: non paſſa eſt culpæ amaritudinem; ſed nouo triumpho deleuit radicitus hoſtem.

Peſtilens morbus corripuit Lazarum, & qui heri generum flore, corporis elegantia, ornatus pompa oculos in ſe conuertit, iam horridus fœtiduſque & offendebat aſpectum, & grauabat etiam olfactum; at Chriſtus Dominus vri vetus amicus ibi aſtitit, vnde reliqui ſæpè diffugiunt: poſt ſepulchrũ, poſt fœtorẽ aduentat, & Mariam reſurrectioni adeſſe non ſine myſterio mandat: *Magiſter adeſt, & vocat te.* Ioan 11. Inquiramus cur totam mortis vim in Lazaro Dominus voluerit impleri, cum aliis defunctis vitam ante ſepulchrum feſtinauerit dilargiri: *Vis tota mortis,* aiebat Chryſologus ſerm. 63. *impleta eſt.* Chryſol. Itaque in aliis defunctis non fuit victoria de morte conſummata, nec cumulatè reſplenduit plena; in Lazaro verò mors totum robur exercuit, & nihil ſuum ad imperium pertinens hic omiſit. Ergo dum aduentat Dominus, vocatur Maria, vt nouerit ſæculum mortem non per partes vincere; ſed de pleniſſima detriumphare, *Mittitur ad Mariam* (verba ſunt Chryſol. ſerm. 64.) *quia ſine Maria nec fugari mors poterat, nec vita poterat reparari veniat Maria, veniat materni nominis baiula.* Profectò, quamuis vocaretur Maria ad adoleſcentis excitationem, quis fortaſſe diceret viciſſe feretrum, non ſepulchrum: ſi vocaretur ad reſtituendã puellæ ſalutem, cùm vis mortis non eſſet plena nec plena reſplenderet victoria; at Dominus dum arcana mora, quiquid mortis eſt, in Lazaro permittit impleri, & ad excitationem vocat Mariam, triumpho vult nouiſſimo coronari. Triumphum egerat Elias de morte; ſed adhuc calente pueri corpore,

&

Digitized by Google

& ſpiritu adhuc viante. Mortem depulerat Eliſæus; verùm nondum puer intrarat ſepulchrum, & quamuis vterque propheta celebri miraculo eluxit, totam mortem ſubiugare non valuit; at vis integra mortis in Lazaro impletur, & Maria ad triumphum de morte reportandum vocatur, vt conſtet omnibus Mariam omnibus inferni viribus præualuiſſe, & omne mortis imperium ſingulari prærogatiua calcaſſe: triumphat de morte, de fœtore, de lapide, & permiſſum eſt morti vires omnes in Lazarum exercere, quò glorioſus datum fuerit matri Virgini detriumphare. Quidquid mortis fuit, ad eius fugit præſentiam, & reportatis anteà celebriorem cum Maria Dominus eſt partitus victoriam.

84. Abimelec arboribus præciſis Sichimorum præſidium ſuccendit, igneque & fumo mulieres & homines ſuffocauit: *Certatim ramos de arboribus præcidentes ſequebantur ducem, qui circumdantes præſidium ſuccenderunt, atque ita factum eſt, vt fumo & igne mille homines necarentur viri pariter & mulieres habitatores turris Sichem.* Ignobili triumpho ſuperbiens vlteriora tyrannus tentat, & turrim Thebes adurere etiam anhelis flammis laborat, cumque ianua firmiſſimè occluſa aditum prorſus liberum impediret, ignem ſuppoſiturus accedit; at temeritatis luit pœnas, antequam admouere potuerit flammas: *Appropinquans oſtio ignem ſupponere nitebatur, & ecce vna mulier fragmen molæ deſuper iaciens illiſit capiti Abimelec, & confregit cerebrum eius.* Ecce mulier quo reliqui pereunt fumo, non læditur; imò antequam ignis ardeat, trophæo glorioſiſſimo ornatur. Hanc mulierem Mariæ extitiſſe ænigma, nullus ex interpretibus dubitabit. Huc voco quod aiebat Richardus Victorinus cap. 26. *Virgo tenebrarum Principibus terribilis fuit, vt ad eam accedere non præſumpſerint.* Quod cæteris luctuoſus extiterat caſus, fuit Mariæ triumphus, & antequam poſſent oculi obtenebrari maligno fumo, fulgenti coronata eſt dextera lauro. Dum portam Abimelecus oppugnare nititur, iacto lapide à diſtantiſſima muliere conteritur: nondum præſidij portam infregerat, accedere namque nitebatur, dum occubuit interemptus, & triumphali dextera occiſus. Ne vel leuiſſimo fumo arx denigraretur, flamma permiſſa non eſt accendi: & ne tyranni planta vel vnico veſtigio præſidij macularet ingreſſum ſolicitè obfirmatum eſt oſtium: dum nitebatur accedere non ſolum eſt hoſtis repulſus; ſed ad nihilum prorſus redactus: *Ipſa proculdubio caput contriuit venenatum* (ſcribit Bernardus homil. 2. *ſuper miſſus eſt*) *quæ omnimodam maligni ſuggeſtionem tam de carnis illecebra, quam de mentis ſuperbia deduxit ad nihilum.* Addit poſt pauca: *Hanc requirebat Salomon, cùm vehementer admirans dicebat: Mulierem fortem quis inueniet? Et ita videbatur congruere, vt qui vicerat per fœminam, vinceretur per ipſam.* Per fœminam à diabolo hominum caput contritum eſt: ergo & dæmonis caput frangitur per fœminam, vt in ipſo quod vicerat, vinceretur, luceretque Maria & nouo triumpho, & æterna lauro.

Iudic. 9 v. 49

Richard.

§ XX.

Laudabilius eſt bellum pati honeſtè reſiſtendo, quam pace frui iniquis iuſſis obtemperando.

Tranquilla pax, inconcuſſa concordia omnibus eſt ſemper deſideranda, vt militia tumultuoſa fugienda: *Omni regno deſiderabilis debet eſſe tranquillitas*, ſcribit Caſſiodorus 1. var. 1. *in qua & populi proficiunt, & vtilitas gentium cuſtoditur: hæc eſt enim bonarum artium decora mater, hæc mortalium genus reparabili ſucceſſione multiplicans facultates protendit, mores excolit, & tantarum rerum ignarus agnoſcitur qui eam minimè quæſiſſe ſentitur.* Itaque pax eſt vitiorum bellum, & virtutum præſidium: dum procelloſa tempeſtas ingruit, retuſa vndique ſpumoſos nauis fluctus non ſecat, quæ tranquillas vndas via recta tranabat; verùm vt non ſemel ſubæratur moneta, & falſata nitet externo auro, cùm diſpendia afferat interno ferro: ita ſæpè pax oculis noſtris imponit, & quæ putatur tranquillitatis cauſa, inuenitur calamitatis eſſe officina. Satius aliquando eſt honeſtum pati bellum, quam iniqua pace vitare diſſidium: ecquis hoc ait? Debbora quidem prophetes. Audi eius verba: *Noua bella elegit Dominus, & portas hoſtium ipſe ſubuertit.* Expectabas dicturam: pacem elegit Deus, cùm ipſe ſit indefeſſa tranquillitatis vena, & fœcunda concordiæ cauſa; & tamen audis Martia elegiſſe certamina non pacis oblectamenta. Iam ſi quæras electionis cauſam, opus eſt conſulere hiſtoriam. Iſraëlitæ Iabini tyrannide premebantur, immodica tributa pendentes, & tyrannidem coacta patientia tolerantes: ergo Dominus Baracum armat, & in campum prodire iubet, quo Iſraëlita iniquum de ceruice deprœliando excuſſerit iugum, nec peſtilentis pacis potiatur otium: *Noua bella*, exponit Interlinearis: *quia inermes fortes fecit & triumphales.* Subſcribit Adamantius hom. 6. in lib. Iudic. *Non patitur nos vltra Apoſtolus ſub alis lactentium latitare, inuitat nos ad certaminum campos: vide quomodo omnia per ordinem fiant populo Dei.* Miſerabili Iſraëlitæ torpebant otio, tyrannico onerabantur tributo: ergo iubet Dominus iniqua reſpuere otia, & prenſare laudabiliter arma: eſt enim honeſtius campum petere, quam hoſtem virtuti infenſiſſimum pati. Forraſſis Haberum ſugillat textus dum cum Iabino refert confœderatum.

85.

Caſſiod.

Interlin.

Origenes.

Eò miſer Iſraëlitarum ſtatus deuenit, vt viuere non liceret: eo tempore Haber Cinæus ſtabili fœdere iniui cum Iabino concordiam, & ſanciuit amicitiam: *Erat pax inter Iabin regem Aſor, & domum Haber Cinæi.* Dum Cinæi ad Hebræos pertinentis cum Iabino refertur concordia, imprudens ad ſpeciem Hebræorum ſugillatur ignauia: quid enim neceſſum fuit recurrere ſemper ad arma, cum potuerint Cinæi ad inſtar iniſſe cum hoſte fœdera. Adeò bellicoſi, & pacis ſunt inimici, vt maluerint continuis certaminibus inſudare, quem tranquilla pace potiri? Sanè dum Hebræorum cum Iabino produntur bella, non carpitur illorum de- 86.

Iudic. 4. v. 17

ſidia; ſed pernicioſa Cinæi concordia: conducibilius namque erat Hebræos inſudare armatos honeſtè reſiſtendo, quam Haberum iniqua frui pace indignis iuſſis obtemperando. Adeſt Abulenſis quæſt. 23. Cùm Iſraëlitæ opprimerentur à Iabin tributis, & vellent aliqualiter reſiſtere, non habebant pacem cum eo: quia ſubdebantur omnino: Haber autem ſoluebat tributa immoderata, ſcilicet quantumcumque petiiſſet Iabin; ideò ſpecialiter ei præſtiterat ſecuritatem & pacem. In Iabino deſignari vi-
Tertullian. tium nullus ignorat: *Iabin*; ſcribit Interlinearis, *ſenſus*, cum vitio ergo appetituque pacem habere pendendo ei quæcumque velit tributa, concordia eſt bello deterior, & peſte grauior. Malo Hebræorum laborioſum cum Iabino diſſidium, quam Cineæ pacis oblectamentum; peſſima pax erat, quæ nullos ſuſtinebat adſultus: quia vota ſemper impleuerat appetitus. Iuſti aliam legem ſentiunt in membris rationis legibus repugnantem; ſed dum ſentiunt pugnam, reſiſtendo merentur palmam; at qui neſciunt bellum, quia ſemper ſoluunt tributum, deteſtabili pace, belloque deteriori fruuntur, & detrimento grauiſſimo otiantur.

87. Ierem.6. v.14. Ieremias indefeſſis lachrymis populi ſui pacem deplorat, vtpote quæ non fuerit ſalutis mater; ſed calamitatis matrix: *Curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia dicentes: Pax, pax, & non erat pax*: ſic adulterata erat concordia, vt grãdis fuerit veræ pacis ignominia: erat pacis ſpecies, & res diſcriminis: iniqua pace moliebantur bellicos tumultus abigere, & cogebant ipſo remedio grauius Rempublicam laborare: pacem promittebant: *Pax, pax*: & à pace diſcordabant: *Et non erat pax*: quia vera tranquillitas honeſtis ſolum certaminibus gignitur, & pugnis honeſtiſſimis procuratur: *Grandem populi*, ſcribit noſter Sanctius in paraphraſi, *ad mortem laborantis plagam ita curabant fallaci blandimento, vt illum ad grauem ignominiam adduxerint.* Addit doctiſſimus interpres: *Nam cùm pacis ſpecies eſſet nulla, ipſi tamen pacem & ſecurum otium promittebant.* Iniqua promiſſa pace bella honeſtiſſima relegabant, & qui in acie pugnantes haberentur ſtrenui, & perſtarent inuicti, manus tradiderunt hoſti indecorè otioſi & ignaui; Non erat pax, ex qua gignebatur bellum; imo optabilius erat bellum, quo ſtabilius floreſceret pax.

88. Cum Nicanor virulentiſſimus Hebræorum hoſtis illos cupiditate obcæcatus diſponeret pretio vt mancipia diſtrahere, adeò illorum vigor elanguit, vt vel iniquis conditionibus de pace agerent, & fœdus deteſtandum iamiam
2.Machab.8. v.16. inirent. Quid tunc? Machabæus animos induit, & in arma ruere conſulit: *Conuocatis Machabæus ſeptem millibus, qui cum ipſo erant, rogabat, ne hoſtibus reconciliarentur, neque metuerent inique venientium aduerſum ſe hoſtium multitudinem; ſed fortiter contenderent.* Machachæus, antequam libertatis, prudentiæ iam videtur feciſſe iacturam: nonne conducibilius eſſet hoſtibus potentiſſimis reconciliari, quam illorum armis occidi? Si Nicanoris copiæ numerum ſupergrediuntur, populi vires laſſeſcunt: ergo non cõſulat decertare; ſed fœdus cum aduerſariis inire. O prudentiam æternis laudibus commendandam! Opus erat iniquis iuſſis obtemperare, vt pacem quietè populus obtineret; aut ſi reſtagari vellet præceptis, opus erat vti non ſegniter armis: vtque nouerint honeſtius eſſe ſuſtinere bellum laudabiliter reſiſtendo, quam pacem emere iniquis iuſſis obtemperando, Machabæus cõſuluit bellum, & vituperauit pactum. *Cùm langueſcere cerneret Machabæus ſuorum animos*, ſcribit noſter Sanctius, *& de fuga, aut alio ignobili conſilio cogitare: rogabat illos, atque obſecrabat, ne ſe vllo modo hoſti dederent: quod, vt apparet, velle ſe facere ſignificabant non obſcurè.* Subnectit eruditus interpres; *Neue cum hoſte malè conciliato fœdus inirent ſociale, nec exiſtimarent ſibi ab infideli, atque periuro hoſte aliquid ſibi impendere periculi.* Nouerat diſertiſſimus Machabæus grauius de pace periculum emergere, quam de certamine naſci: & ob id totus erat in iniqua reconciliatione vitanda, & in audacia honeſta erigenda. Quod optimum prudenſque fuiſſe conſilium felix probauit euentus, cum fortiter bellantes auro reſplenduerint & triumpho, qui reconciliati oppugnarentur iniquo pacto.

Viri Iabes Galaad cùm dura arctaque obſidione premerentur, decreuerunt Naas ſeruire, 89. 1.Reg.11. v.1.
& iniquis etiam ab eo pacem conditionibus impetrare: *Habeto nos fœderatos, & ſeruiemus tibi.* Lyra. Lyra aſſerit voluiſſe tributa pendere, vt tumultus bellicos poſſent à ſuis finibus ablegare: *Habeto nos fœderatos*, inquit, *ſub tributo competenti.* Itaque detrectabant bellum, & auro feſtinabant emere pacis otium. Vt adſultus bellicos fugiant, vt vitent hoſtium rapacitatem, ceruices iniquiſſimo iugo ſubdunt, & tyranno tributa offerunt; verùm Dei Spiritus Saulem armat, & in campum conſerturus manus cum hoſte properat: *Inſiluit Spiritus Domini in Saul.* Certè Dei Spiritu videbatur dignius pacem tranquillitatemque conſulere, non milites in campum armare: Dei namque Spiritus pacis eſt artifex, & tranquillitatis patronus: cur ergo vrget in prælium, nec ſuſtinet redimi pecunia otium? Quia ſatius erat mori dignè reſiſtendo, quam viuere indigniſſimè obtemperando, Diuinus ſpiritus excitauit ad arma, ne inirent abſurdiſſima fœdera. Certè ni iniquas ab hoſte conditiones exactas amplectantur, præliandum eſt; ſi pareant, ſine bellico tumultu viuendum; at Dei Spiritus prohibuit indignam pacem, & armari conſuluit militem: *Inſiluit Spiritus Domini*, addit Lyra, *in Saul, id eſt motus fortitudinis & conſtantiæ ad liberandum populum obſeſſum.* Nihil aliud deſiderabat Naas, quam ab eis omne bellandi ſtudium remouere, & iniqua illos pace oblectare; verùm Domini ſpiritus milites ſuos maluit prodire in campum, quam pernicioſiſſimum pacis potiri otium: Dei Spiritus fructus eſt pax; verùm quæ ſit virtutum fomentum, non illa ſubærata quæ vitiorum inuenitur ſubſidium: hanc auerſatur Deus vt veræ pacis peſtem, & ſæuiſſimum virtutis hoſtem. Ergo Dei Spiritus Saulem citauit ad arma, nec ſuſtinuit iniquiſſima pro pace fœdera.

Iob cum perfectum virum ſub generoſi equi 90.
ænigmate depingeret, audacter, intrepidéque Iob.39.v.25
hoſtibus occurriſſe teſtatur: *Vbi audierit buccinam, dicit, Vah: procul odoratur bellum, exhortationem*

Digitized by Google

tionem ducum, & vlulatum exercitus. Poſſet pace frui, dum bellum diſtat; & tamen veluti pugnæ ambitioſus exultat, & intrepidus certamen amat: quia nouit ſatius eſſe honeſto bello ſudare, quam iniqua pace gaudere. Adeſt

Gregor. Diuus Gregorius lib. 31. moral. cap. 17. *Multos peius ſua felicitas ſtrauit, multos diuturna pax inertes reddidit, eoque illos inopinatus hoſtis grauius perculit, quo longo quietis vſu negligentes inuenit: vnde ſancti viri cum multa ſe proficere virtutum proſperitate conſiderant, quodam diſpenſationis ſupernæ moderamine exerceri ſe etiam tentationibus exultant.* Agnoſcunt ſi cum tentationibus manus non conſerant, poſſe ſe tranquilla pace, & pacifica tranquillitate frui, ſibique, ſi manus non dederint, cum acerrimo hoſte pugnandum, & omni militiæ imbonitate viuendum; at malunt procedere in occurſum armatis, & glorioſo ſudare prælio, quam inhoneſto ſordere otio. Non quæuis expetenda pax eſt: eſt namque aliqua proditoris quæ inſidiatur ſaluti. Certè minus noceret cum Iuda acerrima pugna, quam nocuerunt blandiſſima oſcula: cumque Dominus in paſſione ſua peccatorem repræſentaret, & animæ ſpeculum pellucidum ſatis obiiceret, docuit aliquando pacem eſſe proditionis germanam, & prorſus victuribus inimicam.

---

§. XXI.

Celeritatis, promptitudiniſque beneficio putatur gratia, quod non ſemel exigebat iuſtitia.

91. VT tarditas adulterat beneficium: ita celeritas debitum commendat obſequium: nonnulli malè liberales improbo ingenio ſuam liberalitatem corrumpunt, & inde non ſemel exaſperarunt offenſos, vnde debuiſſent habere beneficiis obſtrictos: gratiam non reddet, qui non accepit, & non accepit, qui poſt diuturnas & anxias moras extorſit: *Ingratum eſt*

Seneca. *Tardum beneficium ingratum eſt.* *beneficium*, aiebat Seneca lib. 2. de benef. cap. 1. *quod diu inter manus dantis hæſit.* Nonnulli ſic ægrè donare videntur, vt aliquod ſibi membrum præcidere videantur; verùm ſi beneficium gratuitum dilationis iniuria tranſit in probrum, etiam celeritatis artificio poteſt migrare in beneficium, quod debebatur obſequium: debebatur; ſed citiſſimè redditum eſt: exigebat ius; ſed addita eſt ſolicitiſſima cura, & exprompriſſima diligentia: debuit fieri; ſed potuit ni acceſſiſſet deuotio, differri. Ergo qui celeritate grata debitum obſequium ornauit, in numero quodammodo beneficiorum conſtituit. Ecce iubet Deus decem millia pugnatorum de filiis Nephthali & Zabulon colligi, & in Siſaram hoſtem virulentiſſimum obarmari: *Tolles*

Iudic. 4. v. 7. *tecum decem millia pugnatorum de filiis Nephthali, & de filiis Zabulon.* Qui in campum producti ſunt, diuinis obtemperauere præceptis, & ſummi Imperatoris obedierunt mandatis. Quod ſi Debboræ canticum conſulas, inuenies ſpontè obtuliſſe vitam, & quodammodo non adactos præceptis irruiſſe in arma. *Cor meum diligit Principes Iſraël. Qui propria voluntate obtuliſtis vos diſcrimini, benedicite Domino.* Iam ſi quæras quomodo extollatur laudibus deuotiò expromta; cùm cogente iuerint obedientia: reſpondeo ea animi alacritate paruiſſe, ea celeritate iuſſis diuinis obtemperaſſe, vt cenſeri poſſet arbitrium, quod reuera fuit mandatum. Huc voco Caſſiodorum 5. var. 9. *Omne,* Caſſiod.

inquit, *ſiquidem iuſtum celeritatis commodo tranſit ad beneficium, & quod debito redditur, tali gratia munus putatur.* Si rem diſpicias, animas obtulerunt diſcrimini præceptis obtemperantes; ſed adeo citò, adeò expromptè, vt ipſum debitum tranſierit in voluntarium officium: Quod debito redditur, tali gratia munus putatur: vt diſcas non adulterare tergiuerſationibus obedientiam; ſed deuotionis adornare promptitudine gratam.

92. Nato Domino fulgentiſſimum in oriente ſydus apparet, & Magos profundos aſtrorum ſcrutatores inuiſa ſæculis nouitate percellit: Mat. 2. v. 2. agnouerunt eloquenti aſtri ſilentio edocti apud Hebræos mundi regem natum, ſeque teneri vti ſupremo Principi præſtare obſequium: nec mora, aſtri ſequuntur ductum, & remotum tendunt celeri volatu ad regnum: *Vidimus ſtellam eius in oriente, & venimus adorare eum.* Celeritas non ſolum recens nato commendauit obſequium; ſed peperit etiam ipſis adoratoribus gaudium: non deuiant, quia cæleſti ducuntur lumine; imò inueniunt ſine ambagibus, quem adorare ſuadebantur ſplendidiſſimo ſydere: domum intrant gaudio delibuti, & puerulo matris vbera lambenti munera offerunt venerabundi. *Apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Auguſtinus vt erat ingenioſiſſimus, hunc locum apud D. Thomam expendens duo hic ad ſpeciem non benè ſecum cohærentia notauit, ſcilicet munus obtuliſſe, & vti regem puerulum adoraſſe: nam regi non gratuitum offerebatur obſequium; ſed debitum pendebatur auro tributum: *Aurum*, inquit, *ſoluitur quaſi regi magno.* Si ſoluitur, ergo debetur: iam ſi debetur, quomodo donum vocatur: *Obtulerunt*, inquit, Auguſt.

ei munera. Fortaſſis de celeritatis commodo, de grato voluntatis obſequio ipſum quod pendebatur auri tributum, deuotionis tranſiuit in donum. Videntes ſtellam inuolarunt ocyſſimi, vt ſupremo Regi tributa penderent, ipſaque celeritas, & deuotionis placiditas tributum extulit in obſequium, & vti voluntarium commendauit officium: offerunt, & ſoluunt: quia iam videtur oblatum, quod erat gratiſſimo animo perſolutum.

93. Poſtquam plura talenta ſeruis ſuis diues Dominus impertitus eſt honeſtum ad lucrum longam in regionem diſceſſit; ſed poſteà rationem poſiturus rediuit: tunc acceſſit ſeruus, cui talenta quinque fuerant commiſſa, & quinque alia obtulit, & creditori donauit: *Accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia* Mat. 25. v. 20.

quinque talenta dicens: Domine quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuperlucratus ſum. Illud verbum *obtulit* premo, opportunius namque diceret, *Soluit*: quandoquidem quod domini lucratus eſt auro, debebat reddere Domino, cur ergo ſolutionem expreſſit ea voce, quæ donationem videtur innuere, & ſpontaneam largitatem oſtendere. Fallar, ni ipſa ſerui exprompritudo in ſoluendo debito ipſum debitum non nobilitauerit vti liberalita-

tis officium: aduentauit ſeruus non vocatus, non coactione compulſus; non fuit opus, vt olim ad vineæ colonos, ſeruos ſemel & iterum delegare, & dum ipſe accedit exprompte, dum ſoluit dantis vultu, liberalis deprædicatur, & ſoluta ſponte debita, iure appellata ſunt dona: Redeat iterum Aurelius 11. var. 7. *Iuſtiſſimè quæritur quod annua deuotione præſtatur: quoniam ſub quodam gaudio conſtat inferri, quod ſoluitur lege naturali: ſtipendium namque, eſt, quod ſubiectum facit munificum dici.* Sequentia expende:

Caſſiod. *Et offerentis nomen accepit, qui ſe quod penditur, debere cognoſcit.* Inhonorum eſt omne quod cogitur, nec habet offerentis gratiam, qui damnis ſuis torſit accipientis patientiam. Itaque vt beneficium ſi auara manu differatur, tranſit in patientiæ debitum, ita debitum, ſi offeratur deuotè, tranſibit in beneficium, offerentis nomen ſortitur, qui ſoluere non cunctatur.

94. Tendebat Iacob ad auunculi domum, cumque itinere fatigatus, defatigatione oppreſſus, & nocturnis tenebris impeditus ſomno pro recreandis artubus indulgeret, vidit clauſis mundo oculis ſcalam cælos tangentem, Dominumque liberalem adeò erga ſe, vt donis cupiditatem vinceret, & ſpes humanas longiſſimè ſuperaret. Excuſſo ſomno ſuam gratitudinem

Gen. 28. v. 20. oſtendit, & Deo omnium bonorum decimas vouit: *Vouit etiam votum dicens: Si fuerit Deus mecum, & cuſtodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, reuerſuſque fuero proſperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum: cunctorumque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.* D. Thomas ſuper hunc lo-

D. Thom. cum rogat quando potuit vocari votum, quod erat lege naturali debitum: *Quomodo vouet illud, ad quod tenebatur, ſcilicet quod Deus eſſet ſibi in Deum.* Si non poterat Deum non colere, quomodo offert veluti liberum adorare? Ad hæc: quid magnum erat decimas offerre, cùm ipſe vti domus ſuæ ſacerdos deberet illas recipere? *Quid magni eſt*, addit D. Thomas, *nouiſſimè quod offert decimas Deo, cum ipſe ſacerdos fuerit domus ſuæ, & ita, vt videtur ipſemet reciperet decimas illas?* Reſpondet Angelicus Doctor ipſum debitum poſſe ſub voto cadere, nempe quando nouo modo offertur, & deuotione obſequioſiſſima ſoluitur: *Primus modus ſolum erat debitus, & ab altero impoſitus, & merè neceſſarius; ſecundus vero, dum ſcilicet accedit votum, eſt gratuitus, & à propria voluntate aſſumptus, & oblatus, & ideo includit maiorem & firmiorem applicationem voluntatis.* Itaque grata voluntate, deuotiſſima expromptitudine debitum tranſiuit in votum, & acceptum eſt vti gratuitum obſequium, quod erat naturale tributum. Sibi ipſi vti Numinis Sacerdoti ſoluit; ſed quia ſolutionem non tardat, ſed quia voluntatem expromptiſſimam indicat, commendatur gratus, & ſæculis celebratur deuotus.

95. Prodigus ille, qui à ſe receſſerat; quique voluptatis incantamentis, & veneficiis ab homine tranſierat in beſtiam, aliquando reſipuit, & ſe miſerandum ſiſtere paterno aſpectui decreuit: aduenit fame liuidus, ſqualore tabidus, nuditate horridus. Quid tunc pater? Quæ natura exigebat, fecit, vtque citiſſime veſtirent

Luc. 15. v. 20. nudum, ſeruos admonuit: *Citò proferte ſtolam primam, & induite illum.* Miſericordia motum hoc feciſſe teſtatur Lucas: *Miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum eius.* Certè non ſolum miſericordia motus; ſed iuſtitia, ſi fas eſt dicere, perſuaſus: patet namque lege tenebatur naturæ fame pereunti filio offerre cibum, & prorſus nudo dilargiri veſtimentum: cur ergo gratiæ miſericordiæque tribuitur, quod naturæ legibus debebatur? Quia ſeruos vrſit, vt citiſſimè filium ornarent, vt menſam celerrime apponerent, & celeritatis beneficio ipſum, quod debebatur naturæ iure optimo vendicatum eſt gratiæ: iuſtitia exigebat extremè calamitoſo filio ſubuenire; at pater dum accurrit, dum properat, munificentiſſimus prædicatur, & miſericors prorſus habetur. Miſericordia motus eſt, dum accurrit: naturæ tri- Chryſol.
buta penderet, ſi tardaret. Innuit Chryſologus ſerm. 3. *Plus de venia, quam de iuſtitia gaudium vult habere.* Addit ingenioſus Doctor: *Tardam miſericordiam pater neſcit.* Celer venia, expromptiſſima miſericordia ad venientem inuolat, nudum ornat, famelicum cibat; vt totum opus ſibi de celeritate arrogauerit gratia, quantumuis ad cibum & ornatum ſtrictiſſima lege compuliſſet natura.

---

§. XXII.

Non exigua ſubiectis calamitas denuntiatur, dum ſuperior inops ad pompam dignitatis eligitur.

EGeſtatis inſcius auaritiæ non ſemel proba- 96.
tur etiam ignarus, vt qui paupertate adurgetur, acquirendi deſiderio ſæpè pulſatur: cui ſine cenſu tumidior vanitatis eſt faſtus, æquitati non temere putatur iniurius. Siquis egeat, & ſimul dignitatis auctoritate refulgeat, mirum erit, ni alienis inhiarit diuitiis, & dignitatis nitorem doloſis ſatagat ſuffulcire rapinis. Hinc ſolerter curandum eſt, ne ad præfecturæ dignitatem inſcendat, quem ad decentem auctoritatem auitis patrimoniis carere conſtat: nam cum muneris, aut vanitatis lege teneatur fulgere, quodammodo cogitur iuſtitiæ detrimento perquirere. Auaritia egeſtatis filia æquitatis eſt peſtis, fraudis mater, cauſa litium, bellorum ars, iniuriarum fomentum, quæ ſi iudicis pectus intrauit, iura corruent, florebit rapina, argumentiſque colorabitur calidiſſimis iniuſtitia, & adulteratis coloribus improba quærentur augmenta: ferreum eſt ſæculum, ſi ad dignitatem auarus eligitur; ſi auaritiæ immunis deſignetur, eſt aureum: & quidem non facilè poteſt diuitiarum ſiti non aduri, qui propriis cenſus redditibus non ditatur, & ad alendum dignitatis faſtum tenetur: *Naturæ eſt*, aie- Seneca.
bat Seneca epiſt. 90. *potioribus deteriora ſubmittere: mutis quidem gregibus aut maxima corpora præſunt, aut vehementiſſima. Non præcedit ar-* In et homines pro ſummo eſt optimus.
menta degener taurus, ſed qui magnitudine, ac toris cæteros mares vicit. Elephantorum gregem excelſiſſimus ducit: inter homines pro ſummo eſt optimus: animo itaque rector eligebatur, ideoque ſumma felicitas erat gentium, in quibus non poterat potentior eſſe niſi melior. Felix erat ſæculum, cùm melior deligebatur rapinæ prorſus inſcius,

&

& auaritiæ peſte non tactus: tunc iudices, perfectique nil aliud ſe arbitrabantur poſſe, niſi quod conſtabat legibus conuenire; at ſi auaritia iudicis manus exacuat, leges pro armis ſunt, dum improbè detorquentur, aut detortæ adulterantur: *Tantum enim*, addit Stoicus, *quantum vult, poteſt, qui ſe niſi quod debet, non putat poſſe. Illo ergo ſeculo, quod aureum perhibetur, penes ſapientes fuiſſe regnum Poſſidonius iudicat: Hi continebant manus, & infirmiores à validioribus tuebantur: ſuadebant, diſſuadebantque, & vtilia, atque inutilia monſtrabant.* Certè vtilia, inutiliaque poterant demonſtrare, quos conſtabat alienas nullatenus diuitias ſitire. Auaritiæ occurritur, dum egenus præfecturæ non deſignatur. Habeat iudex quibus poſſit cenſus redditibus viuere, vt æqua valeat decernere: *Qui aſcenditis*, inquit Debbora, *ſuper nitentes aſinos, & ſedetis in iudicio, & ambulatis in via: loquimini.* Non ait: qui ſedetis in iudicio, & aſcenditis ſuper nitentes aſinos, loquimini; ſed quos tribunalibus, foroque adſignauit prius decenti auctoritate ornatos prudentiſſimè oſtendit, ne ſi nitentibus aſinis ad decentem dignitatis pompam, antequam adirent populi præfectutam, carerent, infauſtis auſpiciis præfecturam adirent, & populum ad emendos aſinos diſpoliarent. Huc voco quod aiebat Saluianus libro quarto de gubernat. Dei. *Quid* aliud quorumdam, quos taceo, *præfectura, quàm præda?* dum inopes deliguntur, ad prædam legum auctoritate obarmantur, à dignitate petunt, quod opus illis eſt ad dignitatis faſtum; imò ad dignitatem poſſidentium delirium. Olim, vt vides, ſplendidis aſinis inſidebant, qui populum legibus ſanctiſſimè gubernabant. Sed ò tempora, ò mores! iam ſuperbus adeò aliquorum præfectorum eſt ſumptus, ſumptuoſus adeò domus familiæque ornatus, vt opus ſit aut magna cenſuum ditari copia, aut grandi defædari rapina.

Aureum eſt ſeculum, ſi præfecti manus contineant.

Saluian.

97. Amos populi ſui infelicitatem depingens, iudices ait inſanas domos quadris lapidibus ædificaſſe, & poſſeſſiones poſſeſſionibus adiunxiſſe, & hoc non antequam inſcenderint tribunalia; ſed poſtquam reſplenduerunt populi præfectura: *Idcirco pro eo quod diripiebatis pauperem, & prædam electam tollebatis ab eo, &c. domos quadro lapide ædificabitis.* Addit propheta: *Hoſtes iuſti accipientes munus, & pauperes deprimentes in porta.* Nulli dubium eſt in porta olim exerceri iudicia, conſtitutaque fuiſſe tribunalia: ergo qui ſedebant in porta, pauperem denudabant rapina, vt quadris lapidibus ædificia fabricarent ſuperba. Mirum eſt quantis cenſibus, quantiſque diuitiarum copiis nonnulli miniſtri exundent, cùm præfecturam adierint, nec auitis cenſibus ditati, nec copioſis patrimoniis opulenti. Adeſt Noſter Sanctius: *Accipientes munus ad iudices ſpectat, qui largitionibus corrupti & ſontes abſoluunt, & damnant inſontes, neque tam æquitati, Reique publicæ, quàm ſuæ commoditati ſeruiunt.* Subnectit: *Ad eoſdem iudices ſpectat, quod additur: Et pauperes deprimentes in porta, id eſt in tribunali ac foro quod in portis à lege conſtitutum eſt.* Reddit propheta cauſam operoſiſſima illa ſubſtruendi ædificia, dilatandique fœcundiſſima prædia, ampliſſimis ſcilicet largitionibus corrumpi, & iuſtitiam iniquiſſimè adulterati. Ergo maioribus ſolertiſſimum ſit ſtudium in præfectis deligendis quia ab illorum electione pendet aut florere iuſtitiam, aut inualidis adaugeri miſeriam: illos eligant, qui meliores, & qui ad alendam, ſuſtentandamque muneris decentem auctoritatem, propriis diteſcant redditibus, & notis populo facultatibus. O ſi cogerentur, qui ampliſſimas domos fabricant, qui cenſus mirè incrementant, qui hæreditates prolatant, oſtendere ex qua fœcundiſſima vena eruerint aurum, aut quis copioſiſſimus fons effuderit illis argentum! Occaſionem miniſtrat præfectura, eiuſque auxilio graſſatur auaritia, & præfectum olim nudum experimur non ſine admiratione opulentum: in cunctorum detrimentum tribunal inſcendit, quiſquis facultatibus caruit: nam non ſemel qui debuiſſet æquam protuliſſe ſententiam, more veſtis vendere molitur iuſtitiam: *Faſces accepimus*, ſcribit Caſſiodorus 12. variar. 2. *vt graues eſſe debeamus: tribunalia conſcendimus, vt morum gradibus euehamur. Nil vile nil cupidum iudices decet.* Subnectit moraliſſimus: *Sit in nobis frons libera, vt aliorum poſſimus emendare peccata.* Siquis auro inceperit inhiare, æquitati non benè poterit ſtudere: nec erit facile, ſi patrimonium iudicis fuerit exiguum, acquirendi reprimere deſiderium.

Amos 5. v. 11

Sanctius.

Caſſiod.

Nil cupidū iudices decet.

98. Vt Debboræ incorruptam in ferendis iudiciis rextus æquitatem commendet, ſufficienti cenſu ſuffultam prodit: *Sedebat ſub palma, quæ nomine illius vocabatur inter Rame, & Bethel in monte Ephraim, aſcendebantque ad eam filij Iſraël in omne iudicium.* Cùm tam accuratè Scriptura, quo loco ſederit ad iudicandum, deſcribat, ſedemque iudicio coniungat, aliquod myſterium latere monſtrat. Interpretes in eruenda eruditione laborant. Abulenſis quæſtione 7. ex Rabbinorum ſententia tradit eo in loco ad alendam vitam habuiſſe hæreditates Debboram, ob idque ibi exercuiſſe iudicium, vt conſtaret omnibus à legibus extorquere nihil, quæ ſatis amplum ſortiebatur ſibi patrimonium. *R. Salomon, R. Dauid Kimhi dicunt quòd fuit ſub palma inter Bethel & Rama, id eſt quod Debbora habuit poſſeſſiones in tribus locis, ſcilicet in Iericho habuit palmas: quia illa vocabatur ciuitas palmarum, & in Bethel habuit oliueta, & in Rama habuit vineas, & iſta erant ad ſuſtentationem Debboræ.* Ibi tribunal ad iudicandum ſtatuit, vbi ſufficienti ad alendam vitam cenſu ditari licuit, ne illius in iudicando æquitas haberetur ſuſpecta, ſi nullis agnoſceretur redditibus diuitata. Itaque patrimonium oſtendit, non ad faſtus arrogantiam; ſed ad propulſandam ſuſpicionis iniquæ notam. Diſcant hinc Principes populi ſaluti conſulere, & præfectos omni auaritia, indigentiaque liberos pro regendis populis delegare: nam qui vt paupertati ſubueniat, ſibi ſolicitat præfecturam, quantumuis æquus, ſuſpicionis non fugiet notam.

Iudic. 4. v. 5.

Abulenſ.

99. Reipublicæ vtilitatis probabatur zelotypus ille qui deligi noluit in Principem pane indigens, & ſcientia carens. Certe miraculi inſtar fuit, ne ſe intruderet ambitioſior, qui cenſu, & ſapientia probabatur pauperior, cùm ferè ſemper plus æquo de ſe præſumant deteriores, & ferè inutiles: *Non ſum medicus: & in domo mea non eſt panis, neque veſtimentum, nolite conſtituere me Principem populi.* Quid faceret electus in Principem

Iſai. 3 v. 7.

Digitized by Google

Principem veſte carens,& pane indigens? Certè ruinam populi augeret, ſalutem non ſuffulciret.

100. Cùm erga Aaronis dignitatem magna in populo iurgia fuiſſent excitata, quo illa Deus comprimeret, iubet tributim virgas accipi, vt conſtet quæ fuerit inter reliqua electa, & dignitate exornata. Inter alias Aaronis virga

Num.17.v.8 floruit,& ſaporatis fructibus exundauit: *Inuenit germinaſſe virgam Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati ſunt.* Hoc modo teſtatur Dominus querimonias ſedandas, & iniquitatis linguas occludendas: *Quem ex his elegero, germinabit virga eius, & cohibebo à me querimonias filiorum Iſraël, quibus contra vos murmurant.* Deum tangebat vti electorem, quæ Aaronem præfectum murmuratio denigrabat: *Cohibebo*, inquit, *à me querimonias filiorum Iſraël.* Verùm cur anteà à Deo electum dubitabant, & cur ſuſtinere pertinaciter renuebant. Alij alias,& moraliſſimas cauſas ingenioſa pietate adinuenient. Ea ratio ſe mihi offert: viderant antea dignitatis virgam innato ornatu, & proprio fructu carentem, ſuſpicatique ſunt nullatenus ad populi ſalutem electam, quam aſpiciebant ornatu & fructibus denudatam: quaſi non poſſet ambitioſiſſimis votis non inhiare, dum conſtabat omnibus indigere; aſt cùm vident à ſe diuitem, ornatu fulgidam, & fructibus opulentam, iam à Numine agnoſcunt ad populorum ſalutem datam: nec enim ambibit ſecretis meatibus ſugere, quod illi non eſt opus à tellure mutuari: *Vt omnes ſcirent Aaronem ſacerdotium ſorte adeptum fuiſſe*, ſcribit Oleaſter

Oleaſt. hic ad mores, *voluit omnes in virga ſuam experiri fortunam.* Summopere oportuit, vt omnes virgæ experirentur fortunam, vt agnoſcerent à Deo electam, nec ſuſpicarentur tortuoſitatis aliquam notam. Habebat à ſe virga decenter ſplendentem ornatum, nequis putare poſſit æquitatis iniuria floridum mutuari veſtitum.

§. XXIII.

Facilè ex glorioſis geſtis oritur elationis tinea, & ipſis eſt indecora parentibus nota.

101. VT ex pulchris parentibus deformes aliquando oriuntur filij, qui & originis obſcurant gloriam, & ſi fas eſt dicere, inferunt genitori ignominiam, ita ex virtutibus non ſemel oriri ſolet adulterata progenies, quæ à radice diſcrepat, & originem ipſam infamat. Grandia facinora neſcio quem tumorem, niſi prouidè extinguatur, ſolent producere, qui dum mentem tangit, infuſcat, & dum infuſcat dedecorat: Iſraël hoſtibus non ſolùm profligatis; ſed prorſus deletis, Debora ſpiritu olim prophetico illuſtris populi adhortationibus adurgetur, vt celebris adeò triumphi intonet laudes: *Surge ſurge, Debora: ſurge, ſurge, & loquere canticum.* A populo, vt dixi, ad canendas triumphi laudes hic excitari Deboram, eſt Rabinorum ſententia: quòd ſi inquiras cur opus fuerit ad canendos triumphos excitari ipſam, per quam triumphi conſtabat felicitatem oriri; reſpondebit R. Salomon apud Abulenſem quæſti 3. fuiſſe neſcio qua etſi leuiſſima elatione tactam, dum per ipſam reſtituta reſplenduit antiqua populi gloria, & tyrannica abacta prorſus violentia, ſicque ea elationis nebula prophetici ſplendoris lucem fuiſſe obſcuratam, vt indiguerit excitari, & ſi fas eſt dicere à populo repetitis adhortationibus vrgeri. *R. Salomon exponit litteram iſtam dicens quòd iſta erant verba Iſraëlitarum ad Deboram dicentium: Surge Debora ad canendum: ipſa verò defecit ad canendum: quia Spiritus propheticus receſſit ab ea, eò quòd gloriata fuerat dicens: Ceſſauerunt fortes, & quieuerunt, donec ſurgeret Debora.* Abulenſ. Debora populi mater illum antiquam reuocauit ad gloriam, dum honeſtam perſuaſit malitiam; verùm ſi Rabino credas, ex ipſo triumpho nata eſt elationis tinea, & iam propheticus ſpiritus receſſit non ſine nota. Non ſolùm cauenda ſunt vitia; ſed ſolerter inuigilandum, ne ipſis ex virtutibus tumor naſcatur, infuſcat namque nitorem operum odioſa ſemper ſuperbia, & complacentia vaniſſima.

Cùm Dominus tumentia maris tergora opem diſcipulis laturus calcaret, Petrus vt erat feruentior cæteris ad magiſtrum inuolat, & marinos fluctus non diſſimili greſſu calcat: *Ambulabat ſuper aquam, vt veniret ad Ieſum.* Viator glorioſus ambulabat, vti poſſet in ſolo, in ſalo; verùm valido vento impetitur, & miraculi gloria tantiſper vento obſcuratur: *Cùm cœpiſſet mergi, clamauit.* Quæramus cur ventus adeò validus condiſcipulos non impulerit ad clamorem, cùm tantam Petro attulerit anxietatem: omnes profectò maris fluctus enauigabant, etſi alius nauigio, & alius miraculo: ſi ergo acriùs adſpirans ventus non ſolicitat nauigantes, cur Petri ſacram remoratur audaciam, & indecoram fidei imprimit notam? Ipſa quæſtio ſolutio eſt: videt Petrus cæteros ſe fidei ardore præcellere, & vbi nullus aſcendit, intrepidis greſſibus ambulare, & ex ipſa præ cæteris excellentia venti gignitur vehemens flatus, & flatu impeditur glorioſus curſus. Non ſolùm Petrus vereri poſſet procellam; ſed ipſam de procella victoriam: quia de ipſa ſingularitate, de ipſaque fidei præſtantia vanitatis reflauit ventus, & vento impeditus eſt curſus. Huc voco quod aiebat Bernardus ſermone 6. in Pſalm. qui habitat: *Non eſt vnde hæc* (vanagloria) *impugnet puſillanimes remiſſos: qui feruentiores eſſe videntur, ipſi paueant, ipſi ſibi caueant in hac parte.* Cæteri condiſcipuli nec laudabili audacia premere fluctus tentarunt; nec citiùs Chriſto accedere curauerunt; at Petrus longè alios ſuperans vndarum inconſtantiam non timet, & Domino volatu ocyſſimo accedit; verùm dum probatur cæteris excellentior, aliquantulum vento agitatur tumidior, & de ipſo triumpho natum eſt bellum, vt aduertas vanitatis ventum vt plurimum aliis præſtantiores tangere, & excellentiores impetere: *Non eſt vnde hæc impugnet puſillanimes; qui feruentiores eſſe videntur, ipſi paueant.* Time, ne dum viator per marinos fluctus incedis, vanitatis flatu impediaris: hæc namque virtutis remora ab ipſa virtutis oriri ſolet præſtantia.

102. Math.14.v.29. Bernard.

Ezechias ſæculis retro inuiſum de Sennacherib exercitu triumphum reportauit; verùm vt nulla eſt in hoc ſæculo felicitas conſummata, 103.

poſt

post triumphum affligatur morbo, qui ſanus belli affligebatur periculo: *In diebus illis ægrotauit Ezechias vſque ad mortem.* Dum notantes inquit in diebus illis, aliquod latere myſterium nos docet textus: *In diebus*, inquit, *illis*. Queis diebus? Illis videlicet, quibus Domini Angelus percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia, in quibus Sennacherib ſe fugæ commiſit, in quibus ditatus Iſraëlitarum populus ferè infiniti valoris manubiis reſplenduit. Benè; ſed cur in his diebus graſſetur acriùs infirmitas, quando tanto triumpho, tantaque lætitia debuiſſet fulciri ſanitas? Quia ipſa cauſa ſalutis fuit occaſio infirmitatis. Vidit Ezechias ſe glorioſis triumphis ditari, & tranſactis regibus laude victoriæ anteferri: & breuiter abductus locum præbuit vanitati, & vanitas aditum aperuit morti. Ita Cyrillus Alexandrinus lib. 3. in Iſaiam cap. 38. *Ezechias abductus eſt breui (vt Hebræorum filij aiunt) & animo magno elatoque fuit, ac in ſuperbiæ laqueos incidit*: Vincit, & ſuperbit, de ipſaque victoria nata eſt, quæ victoriam innubilarit ſuperbia. Viri perfecti dum excellentiùs operantur, ſua conſultius opera verentur: agnoſcunt namque, vti ſolent in pulcherrimis pomis vermes generari, & interius pomum corrumpere, ſic in glorioſis factis vanægloriæ vermiculum gigni, qui paulatim perfectionem arrodit, & peſtifero dente perdit.

4. Reg 20. v. 1. — Cyrillus.

104. Iob 9. v. 28. Hinc ſapientiſſimus Iob cum Deo diſputans: *Verebar*, inquit, *omnia opera mea, ſciens quia non parceres delinquenti.* Inquiramus quæ Iobi opera? Profectò multiplicibus holocauſtis aram coronare, cum afflicto flere, panis buccellam cum famelico diuidere. Et quid, quæſo, in his operibus verendum erat, quando & charitatis flamma lucebat viuidior, & micabat miſericordia viuacior? Profectò ipſam virtutis extimuit excellentiam, non ad ſectandam ignauiam; ſed ad vincendam ſuperbiam. Adeſt Gregorius Magnus lib. 9. moral. cap. 17. *Quid eſt quòd mira opera faciens, hæc ipſa etiam veretur patiens, cùm dicit: Verebar omnia opera mea, niſi quod in ſancti viri actibus, verbiſque colligimus, vt ſi placere Deo veraciter cupimus, poſtquam peruerſa ſubegimus, ipſa in nobis etiam benè geſta timeamus.* Ipſa benè geſta timenda ſunt, ne dum elationis pulſu mentem inflant, & perfectionem arrodant.

Gregor.

105. Ierem. 48. v. 10. Huic peſti obuiare deſiderans Ieremias maledictis exterret, & timorem comminationibus ingerit: *Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter.* Vtrumque coniunxit, & Domini opus, & hominis fraudem. Quid ergo eſt Domini opus fraudulenter peragere, niſi quid de gloria ſibi ſubripere: dum enim egregius miles & hoſtem vincit, & ſibi aliquid de victoria arrogat, hoc fraudulenter ducibus denegat: ergo dum mira operans ſuperbit, quid defraudat, & dum defraudat, adulterat: *Fraudem in Dei opere perpetrat*, ſcribit Gregorius, *quiſquis ſemetipſum inordinatè diligens per hoc quod rectè egerit, ad remunerationis tranſitoria bona feſtinat: ſciendum quoque eſt quòd tribus modis fraus ipſa committitur: quia per hanc proculdubio aut tacita cordis humani gratia, aut fauoris aura, aut res quælibet exterior deſideratur.* Profectò dum ſibi plaudit optimus virtutis miniſter quid defraudat, ipſaque, qua ſibi blanditur fauoris aura eſt obſcura operibus nota. Prouidendum ergo ſolerter eſt, ne aut laudis gloria, aut fauoris humani quæratur aura.

Gregor.

Vt namque eſt importunus cordis humani comes, ambitioſus hic gloriæ affectus, ita ſolicitiori prouidentia frænandus: alioquin tacitè irrepit, & tantillum a ratione mira operantem abducit.

Quantis obnoxia periculis ſit humana natura, teſtantur duo illi fratres patris amantiſſimi chara pignora, quorum alterum è patris domo excluſit degener liuoris affectus, alterum cæcus libidinis appetitus: ſic ſalacitati iunior traditus eſt, vt in longinquam regionem fugiens quidquid gloriæ, vendiderit, & quidquid famæ, obſcurauerit: tandem famis tortura caliginoſas depulit tenebras, & ſe adeò ſordidum conſpicatus expauit. Ocyſſimus ad patrem rediit, & quia ſe ſic nequaquam poterat ſuſtinere, pro patris vernula ſe ſatagit commutare: tunc ſenior filius de aliena ruina ſuperbiens ſua glorioſa geſta commemorat, & dum commemorat, inquinat: *Ecce tot annis ſeruio tibi, & nunquam mandatum tuum preterivi.* Excluſus remanet alter timore, vt alter exulauit libidine: alterum indigna ſeruitus maculauit, alterum glorioſa corrupit. Iunior de perpetratis confunditur, ſenior de bene geſtis gloriatur: & quidem timere debuiſſet paterno lateri ſemper coniunctus, ne abduceretur ſuperbia, vt alter, ne ſibi ad patrem acceſſus impediretur luxuria: *Nunquam mandatum tuum præterivi*, inquit, Chryſol. ſerm. 6. *Iudæus loquitur, & non facientis verba ſunt; ſed tumentis.* Dum tumet, ipſa quæ facit, inficit, & caſſum laborem reddit. Itaque inutili diſpendio virtuti ſeruit, dum virtutem ipſam arrogantiæ ſeruire cogit: Non facientis verba ſunt; ſed tumentis: nec enim dum ſudat, dum laborat, veram operatur ad gloriam; ſed adulterat ad vanitatis querelam. Itaque & facit, & non facit: quia dum tumor corrumpit glorioſè facta, redduntur ad ignominiam obſcura. 106.

Luc. 15 v. 29. — Chryſol.

Hinc diſertiſſimus Dauid, vt pœnitentibus eſſet norma aiebat: *Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.* Contritioni coniunxit humilitatem, ne ſi in ipſis pœnitentiæ ſordibus elatione ſuperbiat, aliis ſe inordinatè præponat, & ipſo ægrotus remedio addiderit vires morbo. Adeſt citatus Greg. cap. 19. *Mentem conterunt; ſed humiliari contemnunt.* Nonnulli, inquit diſertiſſimus Doctor, carnem macerant, & ore ſicco, ventre arido horrorem cadaueris repræſentant; verùm dum ipſa afflictatione intumeſcunt, tumidi ſordidantur, & labore aliquando inutili conſumuntur: deſpicit namque Deus cor contritum, niſi fuerit humiliatum: ergo Pſaltes prouidenter contritioni humilitatem coniunxit, ne ſi humilitas deſit, ipſa corporis adflictio non ſibi mereatur affectus; ſed diuinos offendat oculos. 107. Pſal. 50. v. 19.

Gregor.

§. XXIV.

Princeps curet dignos ſic muneribus ac laudibus exornare, vt caueat diſcordiam æmulationis ingerere.

DVo ſtudioſè Principi ſuperiorique attendenda ſunt, dignè ſcilicet virtutem extollere, & diſcordiam æmulationis vitare. Reſplendens rutilanſque alienæ gloriæ flamma viuidas non ſemel eiaculatur ſcintillas, quibus inar- 108.

deſcit

mitigans iram eos à præcipitio inteſtinæ ſeditionis eripuit.
Lyra.
Conſonat Lyra: *Significat quòd pauca perſona capta & occiſa à filiis Ephraim erant maioris ponderis, quàm multitudo victa & occiſa ab exercitu, qui erat cum Gedeone, quem denominat Abiezer, cuius domum vocauerat ad prælium.* Digno conſilio ſuos non vocauit manus conſerturus cum hoſte, vt iam doceret exambienri de vitiis victoriam, ignorare prorſus ſanguinis parentelam; at ne de aliorum prælatione excitaretur diſſidium, inſeruit prudentiſſima importunitate Ephraimitarum elogium, commendauitque fortitudinis inuictæ trophæum, vt iam Caſſiodori ſequeretur conſilium, ſcilicet ad vniuerſa debere eſſe ſolicitum, qui Reipublicæ ſtatum, & generale cupit ſtare felicitatis faſtigium. Et quidem huius vtiliſſimæ prudentiæ defectu non ſemel oritur ipſis laudatis incommodum, & inuidis inuidioſiſque periculoſum diſſidium.

110. Truculentiſſima bellua gigas ille ſuperbiæ ænigma, & temeritatis emblema Deum probris inceſſit, & ad certamen Iſraëlitarum optimos prouocauit: trux adeò erat hominis aſpectus, vt vel fortiſſimos Iſraëlitas de ſtatione deturbaret, & concedere ante certamen victoriam cogeret: Iſraël erat in expectatione ſeruitij, Saul in tumultu, cùm Dauid laudabili temeritate, & inuicta fortitudine proſilit in pugnam, & primo ictu conſequitur de gigante victoriam. Citò adeo ruit elationis ſuperbia, & humilitatis detriumphant arma. Regrediebatur Saul exercitu comitatus, & Dauid hoſte deuicto glorioſus, cùm mulieres dulciſonè laudes reſonant,
1.Reg.18. v.7.
& Saulem Dauidemque laudant: *Percuſſit Saul mille, & Dauid decem millia.* Adeò Saulis animus Dauidis laude exacerbatus eſt, adeo exacerbatione perculſus, vt grauius duriuſque Dauidi fuerit cum Saule diſſidium, quàm cum truce gigante extiterat bellum. Quò ſi huius certaminis cauſam inquiras, inuenies fœminas vti minùs prudentes non ſine Saulis nota commendaſſe Dauidem, cùm poſſent æquam vtrique præbuiſſe laudem. Vicerat ſanè Saul aliis in præliis inimicorum innumeros, aſſeruerat in libertatem obſeſſos, liberarat periculo afflictos: prudentia ergo dictabat, vt quamuis hoc bello non adeò ſtrenuè ſe geſſiſſet, ab aliis peterent quòd laudarent, nec paſtori, etſi ſatis ſtrenuo regem poſtponerent; at dum minori conſilio non laudant ad vniuerſa ſolicitæ, ſibi & Dauidi extitere præter opinionem contrariæ. Nullum profectò in Republica exortum eſſet diſſidium, ſi ab antiquis eius facinoribus dilaudando Sauli ſimile inſeruiſſet laudibus Dauidis elogium.
Hugo.
Nota quòd iſte cantus, ſcribit Hugo Cardinalis, *fuit feminarium odij contra Dauid.* Non fuit virorum; ſed fœminarum hic cantus: viri namque vti prudentiores ſic Dauidis glorioſa extollerent facta, vt Saulis non inflammauerint odia: nec enim ſemel prudentia conſulit laudes intempeſtiuas, & importunas ingerere, vt poſſis pacem ſeruare.

§. XXV.

Nonnulli opportunè, importunèque ſuas ſuorumque laudes interſerunt, & facinora produnt.

HVmana natura adeò ſtudioſa laudis probatur, vt anhelis votis & ardentiſſimis 111.
deſideriis cupiat ab omnibus celebrari, & præcellens ſemper haberi: adeò hic affectus oſtentandæ claritudinis nobiliſque proſapiæ inuiſceratur mortalibus, vt ſi fas eſt dicere, vltra ipſam mortem produxerint; & ipſis in gehennalibus flammis oſtenderint. Quidam purpuratus ardentiſſimis globulis inſertus, & ob antiquam tumidam ſuperbiam dignè punitus nondum didicerat hanc vanitatem abiicere; ſed conatus eſt nobilitatem originis prædicare:
Pater Abraham, aiebat, *miſerere mei.* Non Lucæ 16. v. 24.
dubitabat miſericordiæ non eſſe tempus, nec leuaminis ſtatum; at clamat, Abrahamumque patrem vocat, non vt ſiti impetrarit remedium; ſed vt vanitatis oſtentauerit factum:
Quaſi dicat, ſcribit Chryſoſtomus apud Diuum Chryſoſt.
Thomam, *patrem te voco natura.* Itaque generis diſcupit oſtendere claritatem: quia vrgentior erat vanitatis, quàm aquæ ſitis. Nullis flammis affectus hic marceſcit; ſed Salamandræ ad inſtar in ipſis gehennalibus rogis floret. *Nihil aliud vos*, aiebat Caſſio- Caſſiodor. Opinionis ornamenta appetenda.
dorus decimo variarum decimonono: *conſtat appetere, niſi quod opinionem veſtram poſſit ornare.* Nec ſolum hæc lues vanitulos inficit; ſed nonnunquam moratis viris, ſanctiſque etiam irrepit. Ecce Debora dum fauſtis acclamationibus, iteratiſque plauſibus quam de Siſara victoriam obtinuerant Nephthalitæ & Zabulonij, concelebrat, & generosè decantat, tribus ſuæ geſta inſerit, & antiquas victorias prodit: *Saluatæ ſunt reliquiæ populi, Dominus in fortibus dimicauit: Ex Ephraim deleuit eos in Amalec.* Interſerit Ephraimitarum victorias, imò eos laudat, vt qui cæteris exemplum præceſſerint, & Amalecitas penitus expugnauerint. Ita Hebræus: Hebraica.
De Ephraim radix eorum in Amalec. Sanè reportata modo de hoſtibus victoria ſuadebat eximiis victores laudibus exornare, & aliorum, præcipuè qui prælio non adfuerunt, antiqua ſilentio facinora præterire: cur ergo Debora ſic à propoſito deuiat, vt modo Ephraimitarum laudes intempeſtiuè producat? Tempus non terat in aliorum decantando victorias, quando præſens feliciſſimuſque triumphus omnes ſibi laudes vendicabat, & veluti iure nil aliud celebrari modò exigebat. Profectò Deboram degener nullus deprauauit affectus; at honeſto facto expreſſit, quàm omnibus ſit innatum, vt cùm opus eſt aliorum laudes cantare, ſuorum etiam laudes intexere, & occaſionem opportunam, aut importunam arripere.
Incipit à tribu Ephraim, de qua erat ipſa Debbora, inquit Caietan. *vt teſtatur habitatio eius ſcri* Caietan.
pta in præcedente capitulo: laudat autem tribum Ephraim tamquam non nouitiam ad huiuſmodi opera bellica, eo quòd radix victoriæ

Digitized by Google

bellica fuerit Ioſua ex tribu Ephraim in prælio contra Amalecitas in egreſſu de Ægypto. Quod tempus, opportunitaſque exigebat, ſolummodò erat Barachum celebrare, & ſæculis vti celeberrimum prodere;at Debora, etſi inuidia immunis,omnibus tamen doctrinalis tribus ſuæ laudes ingeſſit, &,ſi fas eſt dicere, intruſit: vt conſtet quàm innatus ſit omnibus hic affectus, ſuos videlicet celebrandi, & illorum gloriam proferendi. Daietan. Addit Caietanus: *Nominando radicem, inſinuat exortos inde ramos tot victoriarum.* Itaque ipſas,quibus commendat Barachum laudes, in ſuæ tribus commendationem refundit. Quaſi dicat: ſi componamus Ephraimiticæ tribus victoriam cum hac à Baracho parta,inueniemus hanc quaſi illius fœcundiſſimæ radicis vigore floridam, & accepta virtute ornatam. Itaque hanc victoriam extulit; ſed vt tribum ſuam illuſtriorem redderet, celebrioremque prædicaret.

112. Lucæ 18. v. 10. Phariſæus templum adit Numen rogaturus. *Duo homines aſcenderunt templum, vt orarent,vnus Phariſæus, & alter publicanus.* Quid expectes à Phariſæo ad orationem curſum arripiente niſi quod tempus ſuadebat, & occaſio, locuſque flagitabat, deiecturum ſcilicet oculos geſtorum recordatione, grauem gemitum emiſſurum è corde, vt iudicem ad miſericordiam flecteret, & culparum veniam faciliùs impetraret; verùm ſic radice ægritudinum ſuperbia intumuit, ſic quæ ad propriam imbecillitatem pertinebat, dedidicit,vt plenis buccis laudes ſuas protulerit, & ſe reliquis omnibus præferens ventoſiſſimè commendarit: *Hæc apud ſe orabat: Deus gratias ago tibi: quia non ſum ſicut cæteri hominum raptores,iniuſti, adulteri, velut etiam hic publicanus: ieiuno bis in Sabbatho: decimas do omnium quæ poſſideo.* Videtur gratias agere, ſed dum ſpecie agit gratias, ſuas interſerit ambitioſiſſimus glorias: gratiarum ſpecie tegit ambitionem, & ambitionis prætextu ructat tumidiſſimam vanitatem. Oratio humilitatem deiectionemque vti ſorores vocabat; at vanitatis ſtudium elogia importuniſſima proferebat: *Deo opprobraturus introiuit*, inquit Baſilius Seleuc. oratione 35. *non habes iuſtum alterum in terra;ego tibi ſolus virtutum theſaurus, deſerta ſit à iuſtitia terra, niſi hanc ego calcarem.* Addit: Phariſæus pro ſupplici *iudex aduenit.* Itaque ipſam ſupplicationem in ſui commendationem deflexit, & loco, tempore, habituque contradicentibus ſe omnium loco ſtatuit, & proprias virtutes retulit.

113. Cùm Tobias animo ſolicito, anxioque deſiderio comitem filio ſuo quæreret, inuenit Angelum ipſa corporis elegantia, & oris venuſtate eximias animi dotes prodentem: cúmque de itinere agerent, qua de ſtirpe eſſet, rogauit: Tobiæ 5. v. 14. *Numquid poteris perducere filium meum ad Gabellum in Rages ciuitate Medorum?* Quid tunc Raphael? *Ego ducam, & reducam eum ad te.* Addit Tobias: *Rogo te,indica mihi,de qua domo, aut de qua tribu es tu?* Cui Angelus: *Genus quæris mercenarij an ipſum mercenarium, qui cum filio tuo eat?ſed ne fortè ſolicitum te reddam: ego ſum Azarias Ananiæ magni filius.* Certè magnum genus poſſe proferre,& importunè etiam non prodere, naturæ humanæ terminos ſupergrediebatur, & iuuenem non hominem; ſed Angelum teſtabatur:nam ſi humanus eſſet, non expectaſſet circa ſtirpem genuſque rogari; ſed ipſe extra rem protuliſſet & commendaſſet. Ergo dum occaſionem opportunam expectat, dum compulſus genus dilaudat, cælorum ſe prodit ciuem,& negat hominem. *Azarias*, inquit Beda, *adiutor, Ananias gloria Dei.* Addit Comeſtor apud Gloſſam: *Erat de Angelis videntibus Deum,& erat Azarias adiutor,& filius Ananiæ,id eſt gloriæ Dei.* Ipſo reſponſo ſe oſtendit Angelum, dum ex magno genere oriundus ſuam non extulit originem, nec importunus protulit claritatem. Beda. Comeſtor.

Cùm Deus, vt ſuam in hominem commendaret charitatem,plantaſſet delicioſiſſimum paradiſum,in omnigenas arbores facultatem Adamo largitus eſt;vna tantum prohibita, qua citra inuidiam interdixit, vt illius priuatio excitaret recordationẽ illius qui contulit vniuerſa.Itaque vnius arboris inſipido mortiferoque priuauit fructu,ne voluptas vndequaque circumfuſa beneficij aboleret memoriam,& per inexplebilem voracitatem homini aſciſceret ignominiam:his deliciabatur cum coniuge Adamus, verùm ad inuidiam excitatus eſt ſerpens, & ſibilo mulieris appetitui adulanti, linguaque Numinis liberalitatem abrodente auditum ſubuertit, & contra creatorem in campum creaturam produxit: arboris guſtus mortẽ aſciuit,& hominem in puluerem, terramque redegit: iam terra in opere maledicta, iam mulier doloribus condemnata, iam Adamus orbi vt metallo proſcriptus, cum in his circumſtantiis mulierem allaudat,& extra chorum ſaltans eximiis laudibus celebrat: *In ſudore vultus tui veſceris pane, donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Et vocauit Adam nomen vxoris ſuæ Eua, eo quòd mater eſſet cunctorum viuentium.* Talis erat tunc rerum ſtatus,talis miſeriarum cumulus,vt vel è ſilice gemitum extorquere poſſet, nec aliud niſi præſentiſſimum infortunium cogitare permitteret. Quid tunc? Adamus ex ſe formatam allaudat Euam, & appellat vitam: nil magis extra rem eſſe poterat, quàm elogium vbi conducebat lamentum. Verùm ea eſt hominibus commendandi propria libido,is ſe laudandi pruritus,vt Adamus etiam cùm eius aures miſera percellit ſententia, protulerit vxoris elogia. Adeſt Rupertus apud Lippoman. *Mira narrantis digreſſio: necdum ſententia terminata eſt tanta calamitatis, vt vacet hinc diuertere ad dicendum nobis, quo nomine reus iam conuictus, & pendens ſub iudicis manu ſuam vxorem nuncupauerit. Narrat dixiſſe Deum: In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es: quia puluis es,& in puluerem reuerteris: moxque dicturus erat Deus: Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt. Quis hic locus erat, vt inſereret, quia appellauit Adam nomen vxoris ſuæ Euam?* Profectò eximia illa calamitas omnem ſibi attentionem vendicabat: & tamen non caſu; ſed myſterio Euæ elogium intertexuit Adamus: vt noueris quàm impotens ſit hic laudis appetitus, & quàm imprudens ardenſque vanitatis affectus. *Mira peccatoris*, addit Rupertus, *ſimul & contemptoris ſurditas, & ſuperba mentis eius duritia breuiter deprompta eſt: quid enim inſanius, quàm in tali articulo Euam dicere?* Inter ſententiæ angores, inter mortis

114. Gen. 3. v. 19. Rupert.

Digitized by Google

mortis metus Adamus properauit in proprias laudes, vt quam diligant filij hominum vanitatem, docuerit ſequentes.

§. XXVI.

Qui laude probatur dignus, nunquam alienæ laudis inuenitur auarus.

115. VT quidquid tenebroſum eſt, caligine obnubilat, & obnubilando fœdat, ita quod lucidum, dum reluminat, ornat: lux proprio nitore candens cætera reddit conſpicua; & dignè propria ſuperbiens claritate alieno non inuidet ſplendori. Qui maius luminare habetur in cælo, ſplendorum ſoluit lætiſſimè vectigalia, quibus oculos alliciant ſydera: *Luminare maius, vt præeſſet diei.* [Gen. 1. v. 16.] Maiori luce Sol comprobatur fulgere, dum non refugit, qua reſplendeant, ſtellis lucem partiri. *Sol*, ſcribit Chryſoſtomus apud Lippomanum: *clariorem diem efficit rutilans aureo ſuo iubare, & radiis.* [Chryſoſt.] Dum micantior Sol iubare ſuo rutilat, diem etiam viuidius clarat: minus ſanè illuſtraſſet, ſi anguſtiori ipſe luminis pompa fulſiſſet. Adſtipulatur Iunilius ibi: [Iunilius. *Sol ſtellas ſplẽdore perfundit.*] *Luminare maius eſt Sol, non ſolum forma ſui qualiſcumque eſt corporis; ſed & magnitudine luminis, qua & ipſum luminare minus, & ſtellas illuſtrare creditur.* Luna argentea luce reſplendet, micat & Sol aureo iubare: quod ſi vtriuſque magnitudinem velis metiri, ex præſtito aliis lumine debet cenſeri. Sol Luna inuenitur & nobilior & clarior: quia non ſyderibus denegat auarè lucem; imò laudabili prodigalitate illis communicat ſplendorem. Ecce Debora, dum glorioſiſſimis reſplendet triumphis, Tribus alias nobilitat etiam elogiis: *Ex Ephraim deleuit eos in Amalec.* Mentionem facit illuſtriſſimi illius triumphi, quem Ioſue Ephraimita aduerſus Amalec pugnans reportauit: nec enim inuidioſè tenebris triumphos alienos ambiuit tegere; ſed geſtiuit elogiis digniſſimis euulgare. *Narrata victoria*, ſcribit Caietanus, [Caietan.] *cum illius effectu ex diuino auxilio narrat, qualiter ſe habuerunt tribus Iſraël ad illud bellum; ſic tamen vt aliquas tribus laudando non quo ad hoc, inferat pro communi lætitia, vt aliunde laudentur; quæ ex hoc facto laude carent.* Id iuſtorum inuenitur ingenium, vt alienis in factis obſcura tranſeant, & laudanda ſolùm videant, cùm inuidi peſſimique cæcis oculis tranſeant laudanda, & lynceis ſcrutentur obſcura: non erat laude dignus hoc in facinore Ephraim; imò videbatur iure ſugillandus; at Debora propria nobilitate reſplendens digneque proprio ſplendore cæcutiens non vidit obſcura, & aſpexit elogiis digniſſimè celebranda.

116. Rediit prodigus ille ærumnis compulſus, & nuditate vexatus; qui intus erat, patrem exorauit affectus, & moræ laudabiliter impatiens laſſi aduentum non expectauit; ſed amoris ardentiſſimi ſtimulis agitatus cucurrit: ſeruos iubet ornatum filio præbere, & menſam lautiſſimam præparare: *Proferte ſtolam primam, & induite illum.* [Luc. 15. v. 22. Chryſol.] Chryſologus, vt erat acutiſſimo ingenio, patrem viſu ait confuſas filij tenebras effugaſſe, & nobiles patris ſeruos filij nuditatem, etiam dum contegunt, non vidiſſe. Audi eius verba ſermone 5. *Vidit illum pater ſuus: patris viſus illuſtrauit filij venientis aſpectum, vt tota fugaretur obſcuritas, quæ circumfuſa fuerat de reatu.* Itaque pater non vidit filij reatum; ſed filium: quia de propria luce tenebras depulit circumfuſas, vt nil poſſet videri obſcurum; ſed claris luminibus illuſtratum. Nec patri diſſimiles ſerui: proprio decore ornant nudum, nec vident niſi exornatum. Redeat iterum Chryſologus: *Hinc eſt quod à ſeruis antè veſtiri voluit filium, quam videri, vt ſoli patri nota eſſet nuditas, quia pater ſolus videre filij non poterat nuditatem.* Itaque dum nuditas patri innoteſcit, fugit: nec enim paternus aſpectus videre poterat nuditatis probrum: quia ipſo viſu filio præſtabat ornatum: *Aſpectus patris*, præmiſerat Chryſologus, *fugat crimina, expellit noxam, cunctam nequitiam, & tentamenta propellit.* Ipſis quibus nuditatem viſurus erat, nuditatem oculis depellebat, & propria luce nuditatis tenebras illuſtrabat: *Videre filij non poterat nuditatem.* Et quare? Quia ipſe viſus, ne videret nuditatem, deferebat ſecum, qua ornaret lucem, ſeruique mira pietatis aoriſia, acriſiaue, (quæ talis inuenitur viſus proprietas, vt aliqua ſolùm ignoret, cùm videat reliqua) cùm cætera viderent, ſolùm nuditatem non ſpectabant. Tranſi modò ad fratrem, qui extra paternam domum degens eis malignitatis oculis fratris obſcura notauit, vt etiam propulſata videret: *Poſtquam filius tuus hic, qui deuorauit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus venit, occidiſti illi vitulum ſaginatum.* Audi Chryſologum ſerm. 5. *Iudæus loquitur, & non facientis verba ſani ſed tumentis.* Frater vtpotè extra paternam domum, extra virtutum ſcholam, extra ſanctitatis lineam vitiorum tenebris obſcurabatur, deturpabatur ſuperbiæ caliginibus, & cæcis tumoris noctibus: hic ergo ſolus venientis notauit, viditque defectum: qui degebant domicilio luminis, ſolum præſtiterunt ornatum. [Chryſol.]

Hoc idem videre licet in ruſtico illo Nabal, & eius vxore vrbaniſſima Abigail. Exerrabat Dauid campis inuidentiæ tela fugiens, & adulationis improba conſilia timens; imò fortè plus adulationem inuidentiam ſufflaminantium, quàm ipſum liuorem veritus; hic rebus ad alendam vitam neceſſariis deſtitutus fame premebatur duriſſima, cumque cognouiſſet Nabalem ouium tonſoribus lautum inſtruxiſſe conuiuium, illumque multis obſtrictum beneficiis haberet, nuntios miſit, qui ſupplices eius nomine aliqua edulia ad leuandam famem rogarent, demiſſiſque ſuperciliis peterent. O quàm premebatur egeſtatis ærumnis, qui compulſus eſt rogare, & hominem notæ adeò inferioris adire! Sed videamus quid tunc Nabal: *Quis eſt Dauid, & quis eſt filius Iſai? Hodie increbuerunt ſerui, qui fugiunt dominos ſuos.* [1 Reg. 25. v. 10.] Genus notat, & ſi quid obſcurum, publicat; verùm Abigail iniuriis prouocati indignationem præcauens celeri greſſu contendit, & ad pedes Dauidis prouoluta ſic loquitur: *Ne ponat, oro, Dominus meus rex cor ſuũ ſuper virũ iſtum iniquũ Nabal.* Addit: *Faciet Dominus tibi domino meo domum fidelem: quia prælia Domini, domine mi, tu prœliaris.* Inquiramus, ſi placet cur Abigail Dauidem Domini præmuniri iuſſerit militem, cùm

Digitized by Google

Nabal notauerit furem? *Hodie*, inquit, *increuerunt ſerui, qui fugiunt dominos ſuos*: quaſi dicat: tam alienus eſt Dauid à nobilitate & virtute, vt genere ſit obſcurus, & vita vtpote receptaculum latrunculorum, indignus. Abigail vocat regem claritate & nobilitate conſpicuum, ſicque viri & vxoris verba diſcrepant, vt ille ſolùm referat obſcura, & hæc ſolùm protulerit commendanda. Et quæ huius diſcriminis ratio eſt? Prodidit expreſsè textus: *Erat mulier illa prudentiſſima, & ſpecioſa; porrò vir eius durus & peſſimus.* Iam non miraberis laude indignum nihil in Dauide non obſcurum vidiſſe, & obſcuris propriæ indignitatis caliginibus, quod erat lucidum, obſcuraſſe, è contraque Abigailem vtporè ſæculis commendandam nil inueniſſe obſcurum, ſed æternis elogiis deprædicandum. Non fuit hæc alienæ laudis auara: quia luce radiabat conſpicua; at ille vtpote ruſticanus & peſſimus omnia faſcinauit, & aſpectu maligno aduſſit:
Rupert. *Abigail*, ſcribit Rup. li. 2. in 1. Reg. c. 12. *patris mei exultatio: Nabal inſipiens interpretatur.* Patris honor & exultatio nil in Dauide inuenit obſcurum, vt Nabal ſtultiſſimus, laudeque indignus laudandum. Adde vt proprium eſt nobilis, virtutibuſque exornati alios honorare, eorumque virtutes referre, ſic innatum eſſe obſcuris aliorum gloriam innubilare, & aſtuta malignitate ferire.

118. Aduentauit Chriſtus Dominus opem allaturus miſero, & miſerè à dæmone exagitato: diuexati pater varios inter affectus diuiſus, ſic vult Chriſti Domini laudes proferre, vt Scribis, & Phariſæis poſſit ipſis laudibus adulari:
Marci 9. v. 16. *Reſpondens vnus de turba dixit: Magiſter attuli filium meum ad te habentem ſpiritum mutum, qui vbicumque eum apprehenderit, allidit illum, & ſpumat, & ſtridet dentibus, & areſcit, & dixi diſcipulis tuis, vt eycerent illum, & non potuerunt.* Quid tunc Dominus pro omnifaria ſua ſapientia? O generatio incredula, quamdiu apud vos ero? Obſcurus, & de media plebe quid aliud faceret, quàm propriis tenebris diſcipulorum fœdare lucem, & Dominici nominis etiam innubilare ſplendorem? Adeſt
Chryſoſt. Chryſoſt apud D. Tho. *Hunc hominem Scriptura infirmum in fide oſtendit ex hoc quod Chriſtus dicit: O generatio incredula! & per hoc quod ſubdit: ſi potes credere. Sed etſi infidelitas eius occaſio extiterit dæmonem non pellendi, incuſat tamen diſcipulos.* Virtutem diſcipulorum innubilat deſtitutus virtute; imò homuncio de media plebe ſic deſipit, vt ſtulta malignitate nitatur Chriſtum magiſtrum appellans ad commiſerationem mouere, & impotentiam nominis eius denuntians, æmulis adulari.
Chryſol. Adeſt Chryſol. ſerm. 51. *Impoſſibilitatem diſcipulorum magiſtri imperitiæ aſſignans, Iudaico liuori, inuidiæ ſcribarum talem ſatiſfaciens per clamorem: Et dixi diſcipulis tuis, vt eycerent eum, & non potuerunt. Hoc eſt dicere eſſe diabolum, qui Chriſto non cederet.* Obſcurus homo Chriſti Domini virtutem obſcurat, & ſic eius magiſterium laudat, vt infirmitatem prodat: laudauit: ſed auariſſimè: laudauit; ſed iniurioſè: plures enim ſic interſerunt probra elogiis, ſic iniurias attexunt excellentiis, vt ipſæ laudes adauxerint ignominiam, & ſtabiluerint notam. Celant voce exornatoria ad ſpeciem ſtudium, & aſtutè ſufflammant odium. Et quid aliud homo è media plebe potuit efficere, niſi auarè; imò iniurioſè laudes alienas referre?

§. XXVII.

Nonnullis opportuna occaſio elabitur, dum prolixius, quid faciendum ſit, conſulitur!

MOmenti negotia ſerio diſcutere, & fideli prudentiæ lance pro vtraque parte rationes expendere ſapientem decet: patitur namque non ſemel inconſtantiæ notam, qui negotia inconſultè aggreditur, & improuidis oculis exorditur. 119. Qui ſereno diſcurſu rem quamque ponderat, & examinat, iratam fortunam fruſtrat; aut calamitatem ſaltem extenuat: hominis etiam ſapientis eſt aduerſam pati ſortem; aſt imprudentis ſolum in futuros caſus oculos non dirigere, nec ſe prudenti deliberatione obarmare: *Pauci ſunt*, aiebat Seneca epiſt. 23. *qui conſilio ſe ſuaque diſponant; cæteri eorum more, qui fluminibus innatant, non eunt; ſed feruntur.* (Seneca. *Pauci ſua cōſilio diſponunt.*) Rapiuntur plures inconſultò, & quò peruenturi ſint, neſciunt: ſe aliquando interrogant: Quomodò huc veni? quia ſe commiſerunt caſui, nec res ſuas gubernaculo aurigauere prudentiæ, Licèt quis proſperans cœcè nanciſcatur fortunam, imprudentis non vitat notam: vt è contrà ſapientis meretur laudem, quiſquis ſua prouidenter diſpoſuit, quantumuis inopinus caſus contigerit Nauis benè parata, & aduerſus ventorum, vndarumque adſultus munita, non ſugillat adhuc ſubmerſa nauigantis prudentiam; at deſtituta velis, carens remigiis, quantumuis cæca fortuna, & ſerenis vndis portum appulerit, nauigantis audaciam ſtolidam ſugillauit. Non pendet prudentia ab euentu; euentus tamen pendet non ſemel à prudenti conſilio; verùm etſi conſulendum ſit, ſic fieri debet, vt nimia tempus conſultatione non deteratur, & opportunitas occaſionis fruſtretur: non fiant res magni momenti ſine conſilio; conſilium tamen non eam protraxerit moram, vt videatur non militaſſe prudentiæ; ſed inactuoſiſſimæ ignauiæ. *Non eſt bonum*, aiebat Deus, *hominem eſſe ſolum: faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.* (Gen. 2. v 19.) Quid tunc? *Ædificauit Dominus Deus coſtam quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam*, Prudenti mulier ficta eſt conſilio, ne ſi degeneret, eſſe potuerit artifici vituperio: conſtructio conſulitur, & in opus artificis dextera præparatur. *Iterum deliberatio*, aiebat Seleuc. Baſil. orat. 2. *iterum conſilium, iterum homo quod formabatur.* (Seleuc.) Itaque conſilium decenti tempore eſt abſolutum, & adiutorium homini elaboratũ: nec enim eſſet diuinæ ſapientiæ congruum opus ſine conſilio aggredi, aut in conſilium capiendo tempora prolixa conſumi: nam vt imprudentiæ vitium eſt conſilium reſpuere, ita remiſſi animi, & ad omnia trepidi eſt iudicium nunquam in partem alteram inclinare; ſed dubium ſemper hærere: damnandi ſunt, qui ſine conſilio præcipitantur; ſed & carpendi qui ſemper dubij, ſemper ſuſpenſi: nec enim ſemel, dum prolixè conſulitur, opportunitas occaſionis elabitur. Adeſt huius veritatis teſtis Debbora Rubenitas de prolixo conſilio carpens: *Duces Iſſachar*, inquit, *fuerunt cum Debbora: diuiſo contra ſe Ruben magnanimorum reperta eſt contentio: quare habitas inter duos terminos, vt audias ſibilos*

Digitized by Google

ſibilos gregum? Tangit bellum capite præcedenti relatum: referamus hiſtoriam. Cùm Iſraelitæ à Iabino duriſſimè premerentur, cæleſte clamoribus impetrauerunt auxilium. Barachus cogit exercitum, vt aduerſus ſæuiſſimum hoſtem procedat in campum. Iſſachar duces non ſine conſilio proceſſerunt in bellum, & reportauerunt triumphum: Rubenitæ inierunt etiam conſilium; ſed adeò prolixè moroſéque, vt detriumphatus fuerit inimicus, antequam deliberarint, an cogendus fuerit exercitus. Itaque bellandi tempus elapſum eſt, dum nimis prudentes conſulunt, an expediat prodire in campum, & Barachi ſequi vexillum. Adeſt Abulenſis (Abulenſ.) quæſt. 5. *Poteſt intelligi quod audito iſto bello filij Ruben dubitabant, an ire deberent in bellum iſtud, vel non, & dum moram facerent deliberando, accidit quod ſoli filij Zabulon & Nephthali irent illuc.* Dies certaminis erat præfixus, & à Numine decretus, Rubenitæ nimis moroſi rationes ponderant, & an expediat, vel non procedere in campum deliberant, & dum deliberant, occaſio elabitur & belli, & triumphi: inter duos terminos remanſerunt: *Habitas inter duos terminos*: quia dum nimis prudentes conſulunt, conſilij opportunitatem amittunt: *Dum moram facerent deliberando accidit quod ſoli filij Zabulon, & Nephthali irent illuc.*

120. Abſalon naturæ dedecus, ambitionis prodigium, indignis Principe officiis ſubditorum animos mouet, vt in patrem comiter allecti coniurent: ceſſit res è voto: nam ferè populus omnis ſecutus eſt animo promptiſſimo fraudem, nec recordati ſunt Dauidis ingentiſſima beneficia; ſed ſubdola & vrbana proditoris delinimenta, pedes Dauid aufugerat exigua manu ſtipatus, & ferè inſtrumentis militaribus deſtitutus. Quid tunc? Achitophel, cuius conſilium probatiſſimum habebatur, &, ſi dicere fas eſt, diuinum, monet irruptionem in patrem facere, & imparatum citiſſimè opprimere, *Conſilium Achitophel, quod dabat in diebus illis, quaſi ſiquis conſuleret Deum. Sic erat omne conſilium Achitophel, & cum eſſet cum Dauid, &* (2.Reg.16. v.23.) *cùm eſſet cum Abſalon.* Audiſti prudentiæ elogium, audi modo Achitophelis conſilium: *Dixit ergo Achitophel ad Abſalon: Eligam mihi duodecim millia virorum, & conſurgens perſequar Dauid hac nocte.* Abſalon nimis prudens iterum cogit conſilium, & Chuſai interrogat placitum: *Vocate Chuſai Arachitem, & audiamus* (2.Reg.17. v.1.) *quid etiam ipſe dicat.* Chuſai de induſtria moras trahit Achitophelis conſilium improbando, & ſententiam ſuam variis comparationibus, & ratione multiplici ſuffulciendo: *Non eſt bonum conſilium, quod dedit Achitophel hac vice: & rurſum intulit Chuſai: Tu noſti patrem tuum, & viros qui cum eo ſunt, eſſe fortiſſimos, & amaro animo, veluti ſi vrſa raptis catulis in ſaltu ſæuiat,* &c. Sententiam ſuam exornat, & poſtquam longiſſimum tempus inſumpſerat, decernit omnem populum colligendum, & tunc contra Dauidem prœliandum: Congregetur ad te vniuerſus Iſraël à Dan vſque Berſabee quaſi arena maris innumerabilis, & tu eris in medio eorum, & irruemus ſuper eum in quocumque loco inuentus fuerit. Adeo fuit prolixum conſilium, tantumque temporis in deliberando certamine elapſum, vt Dauid aufugerit, & (Lyra.) conſulentes fruſtrarit. Adeſt Lyra: *Iſtam prædictam concionem narrauit Chuſai, vt Dauid haberet tempus ſe recolligendi in aliquo fortalitio, & congregandi populum ſibi deuotum, & ordinandi eum ad pugnandum contra Abſalon.* Abſaloni defuit opportunitas patrem vincendi: quia protraxit Chuſai tempus conſultationis, vt iam conſtaret nimis prolixa & moroſa deliberatione opportunitatem abſcindi, & è manibus conſulentium occaſionem elabi. Nihil tentandum eſt, præcipuè in rebus ſeriis ſine maturo conſilio, & conſultationis ſuffragio; at ſe in nullam partem flectere, & ſemper iudicio pendulo dubitare: non eſt oſtentare ſapientiam; ſed proſperam eluſiſſe ſæpè fortunam.

Iſaias Moabitas monet, vt Hebræos ſatis 121. calamitoſos recipiant, & ad illos protegendos noctis ad inſtar extendant vmbram: *Ini conſilium, coge conſilium, pone quaſi noctem vmbram* (Iſai 16. v.3.) *tuam in meridie, abſconde fugientes, & vagos ne prodas, habitabunt apud te profugi mei, Moab eſto latibulum eorum à facie vaſtatoris: finitus eſt enim puluis, conſummatus eſt miſer, defecit, qui conculcabat terram.* Notum omnibus eſt protectionem ſignificari vocabulo vmbræ: vt enim vmbra à candenti Solis æſtu defendit, ſic auxilium à tribulationis feruore protegit. Ergo Iſaias vt ærumnoſiſſimum, calamitoſiſſimumque Hebræorum oſtendat ſtatum, vmbram deſiderat quaſi noctem: ac ſi dicat: Satis non eſt ad abſcondendos profugos communis vmbra; ſed talis quæ imitetur noctem, & vicem gerat denſæ caliginis. Ergo Moab opportunitatem benefaciendi non amittas; ſed ini conſilium, animaduerteque Hebræorum calamitatem cito tranſituram, ne ſi conſultationis tempus moroſè trahas; conſultæ miſericordiæ opportunitatem amittas. Hoc denotari verbis illis: *Finitus eſt puluis, conſummatus eſt miſer, defecit, qui* (Sanct.) *conculcabat terram*; tradit noſter Sanctius: *Occurrit tacitè cogitationi Moabitarum, qui ideo recuſare videbantur, quominus hoſpitio reciperent peregrinos, & profugos, ne ideo offenderent apud Aſſyrios, & eorum in ſe odium, armaque conuerterent, quo metu liberat eos Propheta, dum ait puluerem illum Aſſyrium breui conſumptum iri, periturumque regem miſerum.* Vna eademque ratione metum abigit, & ad impendendum auxilium vrget. Grauis adeo res eſt inquit Iſaias profugis contra potentiſſimum regem auxiliari, vt conſilio conſultationeque indigeat: ergo ini conſilium, & coge concilium: quia tamen metus tenebras offundere ſolet pietati, rationique, ſcito nullum tibi ob auxilium incommodum fore: quia breuiſſimè Aſſyrius rex, eiuſque exercitus pulueris ad inſtar numeroſus, eſt conſumendus: vt ergo à citiſſimè perituro nihil timendum, ſic ob id ipſum conſilium accelerandum: nec enim ſi moroſius conſulas, neceſſarium erit auxilium: nam Aſſyrij mors, cladeſque Iſraëlitis auferet aduerſarium. Itaque monet Iſaias conſultationis breuianda tempora: alioquin namque neceſſaria non erunt conſulta auxilia; ſed dum moræ trahuntur, occaſio, opportunitaſque benefaciendi auferentur.

Vtinam qui virtuti ſtudent à vitio celeritatem 122. ediſcerent: optio datur Herodiadis filiæ petendi quidquid vellet pro libito; illa ne opportunam adeo occaſionem nacta, inutili imprudentique voto amitteret, matrem adit con-

ſilium petens: *Dixit matri ſuæ: quid petam?* mater gehennalibus à furiis ſuaſa Baptiſtæ caput expetendum conſuluit, & conſultationis tempus breuiauit: *At illa dixit: Caput Ioannis Baptiſtæ: cumque introiſſet ſtatim cum feſtinatione ad Regem, petiuit dicens: Volo vt protinus des* Marc 6. v 24. *mihi in diſco caput Ioannis Baptiſtæ.* Conſuluit, ne tanta res ſine conſilio ageretur: feſtinauit, ne conſilij opportunitas elaberetur. Adeſt Theophilactus apud D. Thomam: *Maligna mulier* Theophyl. *protinus ſibi caput Ioannis dari petiuit, id eſt, ſtatim in illa hora: timebat enim, ne Herodes reſipiſceret.* Malignè ſapienter proceſſit aſtutia, dum nec ſine conſilio aggreditur, & dum ne conſilij opportunitas auolaret, adnititur. Diſce à malitia decentem celeritatem, ne virtutis opportunitatem amiſeris negligentia.

§. XXVIII.

Non minus laude dignus, qui ſcriptis mores informat, ac qui aduerſarios fortiter pugnando debellat.

123. HOſtes non ſolum vigent propriis viribus; ſed aliquando & prauis aduerſariorum præualent moribus: de cælo dimicatur contra Siſaram, & inermes vincunt Iſraëlitæ: nec enim opus erat armorum copia aduerſus eos, quos propria expugnabat malitia. Hinc non minus debet Reſpublica ſacris Scriptoribus, quam bellicoſis militibus: nam ſi ſtrenui milites inimicorum armis cohibuerunt audaciam, ſcriptores ſacri dignis informarunt moribus vitam. Seneca. Audi Senecam epiſt. 64. de Scriptore Sextio: *Lectus eſt liber Q. Sextij patris magni... Quantum in illo Dij boni vigoris eſt, quantum animi?* Addit Stoicus: *Cum legeres Sextium, dices: Viuit, viget, liber eſt, ſupra hominem eſt, dimittit me plenum ingentis fiduciæ: in quacumque poſitione mentis ſim, cum lego hunc (fatebor tibi) libet omnes caſus prouocare, libet exclamare: Quid ceſſas fortuna? congredere, paratum vides. Illius animum induo, qui quærit, vbi ſe experiatur.* Ecce liber mores inſtruens, & aduerſus vitia crebra rationum ſpicula eiaculans, fortem adeò fiduciaque plenum legentem dimittebat, ad honeſtaque certamina prouocabat, vt iam exambiret fortiter pugnando victoriam, & vt vinceret, pugnam. Hinc Debora, dum cantat ſtrenuè campo decertantium victoriam, & Rubenitas laudat, vt qui componendis moribus vtiliſſimam litteris commendauerint ſcientiam: *Diuiſo contra ſe Ruben magnanimorum facta eſt contentio.* Iuxta Hebræum habetur: Hebraic. *In elongationibus Reuben magnæ ſcriptiones cordis.* Populi felicitas poſt longam calamitatem refloruit, vtque omnibus compertum eſſet felicitatem hanc non ſolum peperiſſe egregiè pugnantis ferrum; ſed laudabiliter ſcribentis calamum, refert Debora piam ac laudabilem militum aliquorum Caietan. audaciam, & Rubenitarum, vt ſcribendis vacarent libris, ab omni ſtrepitu vtiliſſimam abſentiam. Adeſt Caietanus opportunè: *Quia viri erant multum meditantes, ideo laudantur quod erant magni Scriptores in cordibus.* Dum Rubenitæ ſcribunt, dum Nephthalitæ, Zabulonijque ad Martialem campum procedunt, iam Hebræorum Reſpublica & viget, & fulget, & floret: alij nam que pugnabant in vitia ſcriptis, alij in hoſtes pugnabant armis: & vtrumque erat apprimè Reipublicæ neceſſarium: iuuaret namque parum inſtrui armis, ſi defœdarentur obſcuri vitiis: & profuit plurimum, vt caruerint criminibus, ſacris abundare ſcriptoribus.

Moyſes ventre ſicco, ore arido in montis receſſu quadraginta diebus ac noctibus exaran- 124.
dæ legi vacauit: *Fuit ibi cum Domino quadra-* Exod. 34. v 28.
ginta dies, & quadraginta noctes; panem non comedit, & aquam non bibit, & ſcripſit in tabulis verba fœderis decem. De monte deſcendens veluti Solari iubare perfuſus reſplenduit: lux non ſine myſterio è facie in modum cornu promicabat: *Ignorabat quod cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Domini.* Luminoſis modo radiis reſplendet, qui anteà luminibus non radiauit; verum quæramus cur lux hæc in modum prodierit cornu? Nonne poterat Moyſes eam de beneficio imaginem mutuari, vt Solem vultu referret? Ita ſanè; ſed ipſa lucis forma vtili non caruit doctrina. Lucis huius cornu ventilantur inimici, ſi Ioſue armis ceſſerunt ſæpiſſimè profligati: magnus Ioſue dum inimicos ferro trucidat, nec Moyſes minor, dum ſcribens luminoſis cornibus ventilat: ad deterendos inimicos non minus profuit Moyſes mores ſcriptis legibus inſtruendo, quam Ioſue fulgidis armis pugnando. Adeſt Hieronymus Hieron. in Amos cap. 6. *In Exodo iuxta Hebraicum, & Aquilæ editionem legimus: Et Moyſes neſciebat, quia cornuta erat ſpecies vultus eius, qui vere dicere poterat: In te inimicos meos cornu ventilo.* Dum ſcribit, lucis profert ſpicula, quibus vitia feriat, & abactis vitiis iam populus fulget victoriis. Iure ſcriptor ſacer lucem vibrat clariſſimam, qua reluminet ſuos, & referiat aduerſarios: *Vere dicere poterat: In te inimicos meos cornu ventilo:* quæ enim pro formandis Iſraëlitarum moribus litteræ exarabantur, vti præpilata tela in hoſtes contorquebantur. Eadem Scriptura, quæ virtutibus inſeruiebat, aduerſarios expugnabat: vt noueris quam vtilis ſit Reipublicæ eruditus ſcriptor, qui non verborum cincinnis calamiſtratiſque periodis inſeruiat vanitati; ſed ſolida, non tamen incompta eruditione virtuti. Dum populus Moyſem ſcriptorem ſortitur, habet quo inimicos ventilet cornu, ſi Ioſue inuicta aduerſarios profligat manu.

Deus Hebræorum captiuitatis miſertus Me- 125.
dos Perſaſque armat, & in Baltaſſarem depræliaturos delegat; at ſuperbiſſimus, ſacrileguſque Medorum & Perſarum arma deſpiciebat obſeſſus, & ſuperbiebat vaniſſimus, vtque oſtenderet, quam aduerſariorum parui penderet vires, conuiuium inſtruxit opulentiſſimum; verum nimio dum ſtudet luxui, manus articulum intuetur, qui modicis, compendioſis tamen litteris ſic animoſum perculit, vt iam toto corpore tremeret, & membris in ſe ipſa altercantibus trepidaret: *Apparuerunt digiti quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum in ſuperficie parietis aulæ regiæ, & rex aſpiciebat* Dan. 5. v. 6.
articulos manus ſcribentis: tunc facies regis commutata eſt, & cogitationes eius conturbabant eum, & compages renum eius ſoluebantur, & genua eius ad ſe inuicem collidebantur. Dum manus hominis

Digitized by Google

nis à Deo inſpirata ſcribit, ſacrilegum regem angit, & qui arma inimicorum deſpexit ſuperbus, expauet Scripturam exanimatus: quia infauſtiorem ſibi manum arbitratur hominis ſcribentis, quam copioſam manum pugnantis: hoſtilibus armis obſeſſus genialem cœnam inſtituit, ſcribente manu totis artubus trepidauit: quaſi plus ſibi vitium timeat ab Scriptore ſacro quam à milite copioſo: *Mirabitur hic lector*, ſcribit noſter Sanctius, *nec ſine cauſa cur obſeſſa vrbe, atque ita anguſtè, vt eadem nocte capta fuerit à Perſis, in mentem venerit Baltaſſari, vt latam habere voluerit, & genialem noctem.* (Sanct.) Reſpondetque ex Hebræorum ſententia ſe ab obſidione cenſuiſſe tutum, & exulibus Hebræis omnino interclusum reditum: *Lætitiam ſuam atque ſecuritatem publico luxu, & feſtis ludis ſignificare voluit.* Itaque non timebat ab armis ſibi periculum; at dum ſcribentem aſpexit manum, agnouit imminere ſibi grauiſſimum detrimentum: plus ſceleratus timet ſcriptorem, quam militem: ſcriptor namque inſtruit vitam, ſi miles frænat audaciam. Hebræos tunc captiuos tam iuuit ſcribentis articulus, quam Medorum, & Perſarum exercitus: vnde non minus debebatur manui ſcribenti, quam militi decertanti. Adde non ſolùm benè ſcribentem militis ad inſtar defendere; ſed quodammodo munus Dominici ſanguinis ad tutamentum ſubire.

126. Dominus vt promiſſionibus terram, quam tot bellis ſibi Iſraelitæ acquiſierant, libero poterentur vſu, nec hoſtili angerentur metu, monuit verba ſacra ſcribere, ac litteris domos defendere: (Deuter. 11. v. 20.) *Scribes ea ſuper poſtes, & ianuas domus tuæ, vt multiplicentur dies tui, & filiorum tuorum in terra, quam iurauit Dominus patribus tuis, vt daret eis, quamdiu cælum imminet terræ.* Olim, vt ſeruituris catenam infringeret, iuſſerat agni ſanguine poſtes inungi, & contra hoſtiles vires armari: (Exod. 12. v. 7.) *Sument de ſanguine eius ac ponent ſuper vtrumque poſtem, & in ſuperliminaribus domorum*; modo litteris ſuffulciri: *Scribes ea ſuper poſtes*: vt poſtis ſanguine tingitur, ſic litteris obarmatur, vt iam conſtaret ad inſtar Dominici ſanguinis defendere Rempublicam benè ſcribentem, & ad inſtruendum mores Dei verba litteris exarantem: longè diſtat agni immaculati ſanguis ab atramento; at vt noueris aptam inſtruendis moribus ſcripturam Dominici ſanguinis eſſe vicariam, qui iuſſit poſtes contra mortem ſanguine oblini, ad vitam producendam iuſſit litteris exaratis muniri: *Scribes ea ſuper poſtes, & ianuas domus tuæ, vt multiplicentur dies tui, & filiorum tuorum in terra.* Dies multiplicantur, cùm Dominica præcepta ſcripta traduntur: qui cæleſti doctrina legentes nutrit, & in vitia bellum gerit. (Ambroſ.) Huc voco quod alio ſenſu aiebat Ambroſius in caput 1 epiſtolæ ad Roman. Cum ſcriptis illos corrigat, & à carnali ſenſu abſtrahat. Cùm doctrina cæleſtis in domus poſtibus exaratur, qui legit, corripitur, & correpti vita adaugetur.

127. Iniqui calumniatores captioſas Domino prætendunt inſidias, & quia clementiſſimum nouerant de ipſa clementia contra clementem fabricare conantur arma: adulteram non ſine ſtrepitu adducunt, & in medio ſtatuunt. O quam ipſe ſtrepitus falſos legis Zelotypos arguebat, dum non corrigendi zelum; ſed calumniandi prodebat animum! Sciunt, qui charitate mouentur, defectum corrigere, & dum corrigunt, tegere: hoc enim iam Seraphinus ille edocuit, qui dum geſtat manu prunam, qua purganda labia contegat, expandit alam: ala tegebat labij defectum, pruna adurebat peccatum, vt nec in labio remaneret culpa, nec de culpa maneret nota; at hi quia non Seraphini alumni, ſed dæmonis aſſeclæ, quò liberius publicarint delictum, religioſius mentiuntur zelum. (Ioan. 8. v. 6.) Quid tunc Dominus? In terra ſcribit, & ſcriptis malignitatem illorum arguit: *Inclinans ſe deorſum digito ſcribebat in terra.* Sacri interpretes in his litteris plura legunt, & agnoſcunt myſteria. Auguſtinus apud D. Thomam ſigna ait in terra feciſſe, vt iam promitteret è terra copioſos fructus, non vt olim labores Scriptoræ in lapide caſſos: *Vt in terra, quæ fructum daret, non in lapide ſterili, ſicut antea, lex eius conſcriberetur.* (Auguſt.) Scriptis retudit inimicorum calumniam, & fructuum declarauit futuram copiam. Noſter Maldonatus cenſet Phariſæos litteris carpſiſſe, (Maldonat.) & à mulieris criminatione ad ſuam ipſorum conſcientiam reuocaſſe: *Haud dubiè voluit eos à mulieris accuſatione ad ſuam ipſorum conſcientiam explorandam, accuſandamque reuocare.* Pugnauit digito, qui non ſemel pugnauerat verbo: & quidem non minori miraculo qui olim in Dei digito dæmones vicit, hic Phariſæos etiam abegit. Clementiam, quæ impetebatur ab hoſtibus, defendit ſcribendo, & hoſtes fecit obmuteſcere litteras exarando. Vt iam hinc nobis conſtaret quam proſint ad oppugnandam malignitatem ſacra ſcripta, & ſcribens ſacra dextera: dum ſcribit, prænuntiat vberes fructus: quia grauidæ doctrina litteræ vtiliſſimos Eccleſiæ producunt partus.

§. XXIX.

Non ſemel inuenitur, qui vt exiguæ ſuæ vtilitati conſulat, totam periclitari rempublicam ſtultiſſimè ſinat.

Fateor, amabile eſt bonum vnicuique proprium; verùm qui politicum corpus membrorum ad inſtar componunt, propriam debent deſpicere vtilitatem, vt totius corporis generalem ſtabilierint ſalutem. 128. Brachium non ſemel excipiendo vulneri occurrit, vt alia membra defendat, & incolumitatem ſui etiam detrimento conquirat. Non eſt ſalus in corpore, ſi membrum aliquod compaginem rumpat, vt ſibi ſolum acquirat. Propria commoda generalitati ſunt poſtponenda: quia generosè amittitur, quidquid cunctorum commodis applicatur. *Grues* aiebat Caſſiodorus 9. var. 2. *moralem nouerunt exercere concordiam, inter quas nullus primatus quæritur: quia iniquitatis ambitus non habetur. Vigilant viciſſim, communi ſe cautela cuſtodiunt, ipſe paſtus alternus eſt*: (Caſſiod. *Animalia non ſemel docēt cuſtodire concordiam.*) ni grus quælibet proprij etiam ſomni diſpendio aliarum tranquillitati ſtudioſiſſimè inuigilaret, tota illarũ reſpublica facili negotio corrueret; at dum quælibet generalitatis ſingulari ſingulare præponit augmentum, eluditur paratum ab ad-

uerſatio periculum. Sanè grus cauta imprudentem aliquorum cupiditatem ſuggillat, quando ſine ratione rationis exercet opera, cùm non ſemel homines communis ſalutis diſpendio ſingulares exiguaſque ob reculas ambitioſiſſima foueant ſtudia. *Quid hominum illo genere felicius?* aiebat Seneca epiſt. 90. *in commune rerum natura fruebantur, ſufficiebat illa vt parens in tutelam omnium: hæc erat publicarum opum ſecura poſſeſſio: quid ni ego illud locupletiſſimum mortalium genus dixerim, in quo pauperem inuenire non poſſes?* Erat olim, vt audis, omnium cura commune bonum: *In medium quærebant*, cecinit Virgilius, *ipſaque tellus omnia liberius nullo poſcente ferebat.* Hanc ſanctam vtiliſſimamque concordiam litium mater diſcidit, auaritia, nec timuit omne hominum genus variis agitare calamitatibus, dum plus acquiſiuerit ſibi: *Irrupit*, addit Stoicus, *in res optimè poſitas auaritia, & dum ſeducere aliquid cupit, atque in ſuum vertere, omnia fecit aliena, & in anguſtum ex immenſo redacta paupertatem intulit.* Neſciebat paupertatis ærumnas hominum genus ante auaritiam; at aliquorum pernicioſa cupiditas, dum ſibi conſulit, ſtatum omnibus feliciſſimum in calamitoſum vertit. Si quiſque in commune vigilaſſet, & ſalus reipublicæ floruiſſet; verùm dum cæca ambitio ſibi laborat acquirere, generalitatis ſalutem non veretur deperdere. Ecce Debbora Rubenitas carpit, iuſtéque ſuggillat, vtpote qui imminenti toti populo periculo ſe non armarint in hoſtem, vt campis opimum paſcerent gregem: *Quare habitas inter duos terminos, vt audias ſibilos gregum?* Quaſi dicat: Ne pecora aliquam paterentur iacturam, detrectauerunt Rubenitæ fratribus contra Siſaram inſurgentibus ſuppetias ferre, & quod omnium grauabat ceruices, iugum excutere. Ita Arias Montanus ad hunc locum. *Rubenitæ deſerti officij accuſantur: ſiquidem temporibus duris, quibus de communi ac publica rei ſalute agitur nullam vel loci, vel negotij, vel priuati muneris excuſationem admitti, probariue oportet.* Subnectit eruditus interpres: *Interrogatione premuntur Rubenitæ, quod cæteris ad auxilium communiter ferendum excitatis, eſſi immunque facientibus, ipſi tamen perinde atque ſi nihil aliud, quod agerent, haberent, in otio ſecure degerent, gregibuſque paſcendis, vel potius contemplandis vacarent.* Potentiſſimus tyrannus premebat populum, omnium ſalus in diſcrimine verſabatur, ni reportarent victoriam; cumque viderent Rubenitæ adurgere periculum, ne priuarentur ouium fœturis, detrectauerunt prodire in campum. Reclamantibus generalitatis periculis propriis, ſingularibuſque indulſerunt augmentis, & ne carerent ouicula, totius Reipublicæ deſpexerunt ingentiſſima detrimenta. Ab hac cupiditatis peſte ſuos Dominus diſcipulos omnino voluit immunes, ne ſi propriæ attenderent gloriæ communi non inuigilarent ſaluti.

Seneca. *Homines olim in commune rebus fruebantur.*

Virgilius. *Auaritia diſcordiarum mater, & radix impia.*

Montan.

129. Cùm diſcipulos delegaſſet, doctrinæ lucem aduerſus ignorantiæ caliginem diffuſuros illi-
Luc.10.v.17. que varia loca non ſine fructu peragraſſent, reuerſi ſunt veluti iactantes nequam ſpiritus ſibi paruiſſe, & illorum virtutis congreſſum nullatenus expectaſſe: *Reuerſi ſunt Septuaginta duo cum gaudio dicentes: Domine etiam dæmonia ſubiiciuntur nobis in nomine tuo.* Quid tunc Dominus? *In hoc nolite gaudere, quia ſpiritus ſubiiciuntur vobis.* Et cur non gaudeat, qui reportat de hoſte victoriam? Cur non lætetur diſcipulus celebri adeò magiſtro paruiſſe, vt eius nomen impurati paueant ſpiritus, & totis tremeſcant artubus? Profectò hæc diſcipulorum relatio ſingulari ipſorum ad ſpeciem militabat gloriæ. Ergo Dominus illos erudit ſingularem ſibi non quærere gloriam; ſed communem Gregor. gentium lætitiam. Adeſt Gregorius homl 19. in Ezechiel. *A priuato gaudio veritas ad commune diſcipulos reuocat, cùm eos de prædicatione redeuntes, & de ſubiectione dæmonum latantes admonet dicens: Nolite gaudere ſuper hoc.* Subnectit poſt pauca Gregorius: *Admonentur ergo diſcipuli priuatam lætitiam deponere, de communi autem & perpetua felicitate gaudere.* Conſtituerat illos ſalutis hominum adminiſtros, veritusque eſt, ne dum vanum venantur plauſum, ſalutis hominum deſpexerint detrimentum: nec enim aliis edocendis incumberent, ſi ſolum ſpiritu exagitatos ſaluti reſtituere ad captandam ſibi gloriolam ambitioſè curarent. Ergo ne graſſetur vniuerſalis calamitas, culpa ſcilicet & ignorantia, diſcipulos monet ſingularem de expulſo dæmone deſpicere gloriolam, & communis vtilitatis agere ſolicitè cauſam: Admonentur priuatam lætitiam deponere; de communi autem & perpetua felicitate gaudere. O quàm non eſt bonus adminiſter Reipublicæ, qui commune bonum deſerit, & ſibi conſulit.

Petri errorem, & multorum in Petro ſuggillat 130.
Euangeliſta, dum prodit Thaboris verticem gloria exundantem conſtruendis tabernaculis elegiſſe, & ibi manere deſideraſſe: *Domine bo-* Mat.17.v.4. *num eſt nos hic eſſe, ſi vis, faciamus hic tria tabernacula.* Diſſerebat tunc Dominus cum Moyſe & Elia de ſua apud Ieruſalem morte, qua effuſus ſanguis felici naufragio omnia deleret peccata, & tabernacula reſeraret cæleſtia; at Petrus, vt eo frueretur gaudio, vt placidiſſimo quieſceret otio, vult tabernaculum ſtruere, & magiſtri doloribus obuiare: quod certè Principis ſuperioriſque nullatenus congruebat officio, cum deberet potius propriis oblectamentis priuari, quò omnium citiùs poſſet feli- Origenes citas ſuffulciri: *Quia audiuit*, ſcribit Origenes apud D. Thomam, *quod oporteret eum Ieroſolymam ire, adhuc timet pro Chriſto.* Adſtipulatur Rhemig. Rhemigius ibi. *Adeo delectatus eſt, vt cuncta temporalia obliuioni traderet, & ibi in perpetuum vellet manere.* Si Petrus in Thabore cum Domino maneat, quæ cunctos homines mors depaſcit, non fugiet: ſi non maneat, vita inſtaurata lucebit; at eo errore tenetur Petrus, vt malit æternam cunctis calamitatem, ne temporali priuetur commodo, & careat tranſituro citiſſimè gaudio.

Phariſæi dum experiri volunt, an Chriſtus 131.
Dominus vera diuinitate reſplendeat, hortantur ſibi conſulere, & ſe de patibulo liberare: *Si rex Iſraël eſt, deſcendat nunc de cruce, &* Mat.27.v.42. *credimus ei.* Chryſoſtomus apud D. Thomam ait parentem diabolum imitatos fuiſſe, & eadem cum illo conſilia ſpurciſſimis linguis tractaſſe: *Conſidera nunc vocem filiorum diaboli, quomodo imitentur vocem paternam, diabolus enim dicebat: Mitte te deorſum, ſi filius Dei es, & Iudæi dicunt: Si filius Dei es, deſcende de cruce.*

Ex

Digitized by Google

Experiri, vt olim diabolus, ſatagebant, an plus homine eſſet, an ſola humanitate conſtaret, ad idque peculiare illius bonum amplecti conſulunt, dum commune homines adurgebat periculum; vt agnouerint hominem, ſi ob breuem gloriolam generalem felicitatem deſpexerit, aut plus homine, ſi generalitati prouiderit. Itaque commune adeò hominibus eſt ob priuata commoda reipublicæ, populique deſpicere detrimenta, vt inde voluerit agnoſcere, an maior homine ſit, qui velit communi ſaluti conſulere, aut ſaluti ſuæ ſolummodò attendere. Diſcant hinc, quibus communis ſalus commiſſa eſt filiorum Chriſti teſſeram quærere de communi ſubſidio, & ſciant amitti de peculiari incremento. Adhæc non ſemel nouerint ſibi eſſe cupiditatem contrarium, & ipſo quo gloriam ſatagebat ſtudio, non ſine grandi obſcurare diſpendio. Ecce ſubdolis promiſſis nonnulli Phariſæi, ſcribæque in Regem inauguratos ſe offerunt, ſi de ligno deſcendat Chriſtus: *Et credimus ei* Noluit deſcendere; ſed communi bono conſulere. Quid tūc? *A ſexta hora tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram vſque ad horam nonam.* Hoc adeò inſolito prodigio cæli terraque Dominum ſuum confitebantur, vt videas maiorem luctatum ſibi gloriam, dum generalem promouere voluit fortunam. *Nulli dubium eſt*, inquit Hieronym. apud

Hieronym. D. Thomam, *quid ſignificet iuxta litteram magnitudo ſignorum, vt crucifixum Dominum ſuum, & cælum, & terra, & omnia demonſtrarent.* Honeſtæ gloriæ ambitioſus noluit vniuerſitatis detrimento, ſibi vni conſulere; ſed omnibus prouidere; & dū ſtudioſè omnibus conſtat conſulere, & à creaturis omnibus conſtat etiam vti dominū adorari: forſitan haberetur à Phariſæis rex, ſi deſcenderet; ſed rex à creaturis omnibus, quia non deſcendit, eſt conclamatus; vt noueris grandius cuique commodum eſſe, ſi omnium vtilitati prouideat, quàm ſi propriam ſolùm vtilitatem promoueat. Ecce Rubenitæ ditantur ouibus; ſed carent victoriæ plauſibus: ipſas incrementaſſent diuitias, ſi vtilitati inſudaſſent communi: nam cum aliis commilitonibus deuictorum partiti fuiſſent ſpolia, & reportaſſent trophea. Itaque grandi diſpendio quæſiuerunt propria, deſpexerunt communia.

---

§. XXX.

Dum peccatores ſomniatis confictiſque proſperitatibus ſibi imponunt, in duras, veraſque calamitates incurrunt.

132. DOrmierunt *ſomnum ſuum,* aiebat Pſaltes, *& nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis.* Parum dixit: eſſet enim aliquod calamitatis ſolatium nihil poſt ſomnum in manibus inuenire; at ea eſt peccatorum cæcitas, vt ſibi ſomniata felicitate imponant, & miſeriam veram

Incognit. ſuſtineant. *Pauperes,* ſcribit Incognitus, *quandoque ſomniant ſe multas habere diuitias; ſed cum euigilant, vacuos ſe reperiunt.* Virtutis inopes ſomniata felicitate eluduntur, cùm egeſtate vera premantur: *Vnum ſtudium,* aiebat Seneca epiſt. 88.

Seneca. *Studium liberale virtuti vinere.* *verè liberale eſt, quod liberum facit, hoc ſapientiæ ſublime, forte, magnanimum, cætera puerilia, & puſilla ſunt: an tu quidquam in iſtis eſſe credis boni?* Sola virtus eſt bonorum vena fœcunda, & ſcaturigo indefeſſa: vitium foris aliquando nitet; ſed intus ſordet: ne pulchritudini improborum credas, vmbra felicitatis eſt, & quidem ficta, cùm calamitas non ſit ficta; ſed vera. Ecce Siſaræ vxor, quæ ſapientior cæteris celebrabatur, ſibi imponit, dum ſperat plurimam, & multicolorem veſtem, & ſupellectilem variam auro micantem, & gemmarum luminibus ſplendentem: *Vna ſapientior cæteris vxoribus eius hac ſocrui verba reſpondit: Forſitan nunc diuidit ſpolia, & pulcherrima fæminarum eligitur ei. Veſtes diuerſorum colorum Siſaræ traduntur in prædam, & ſupellex varia ad ornanda colla congeritur.* Quanta ſibi promittebat, quanta ſpetabat, at cum ſibi conficta eludit felicitate, vera premitur ſeruitute: iam eius vir clauo transfoſſus, iam copioſiſſimus exercitus diſſipatus, iam diuidunt hoſtes ſpolia, cùm promitteret ſibi, quæ habebatur ſapiens, trophæa. Quàm à voto diſcrepuit euentus, & quàm illam inſperatus perculit caſus! Somniauit ſe fortunatam, expertaeſt miſerrimam: *Sic pereant omnes inimici tui Domine,* cantauit Debbora. Ad quæ Hugo Cardinalis: Verba ſunt Debboræ in perſona eius dicta: quaſi dicat: ita ſomniabunt illæ mulieres de Siſara; ſed vtinam ſic eſſet omnibus inimicis noſtris, ſicut illi. Hæc eſt frequens peccatorum imprudentia, quod nunquam aduerſos caſus vereantur, & ob id integram imparati calamitatem excipiunt, quia prouidentia non molliunt. Deluſi & terris cupiditatis vanitatiſque fumis prorſus obſcurati, non vident quæ ſunt, & vident quæ non ſunt: vt repetat Tertullianus in Apolog. Tertullian. *Qui non vident vera, videre ſolent conficta.*

cap. 10. *Cæcitatis duæ ſpecies facilè concurrunt, vt qui non vident quæ ſunt, videre videantur, quæ non ſunt.* Vidit mundi ſapiens, quæ non erant, ſcilicet veſtes multicolores, ſupellectilem copioſam; non tamen vidit quæ erant, ſcilicet Siſaram ad Iahelis pedes deuolui, & miſera ſtrage animam exhalare.

Cùm Dei populus aufugiſſet, Pharao tot flagris nondum ad prudentiam eruditus inſequitur, ea triumphorum fiducia, ea ſpoliorum certitudine ducitur, vt iam de diuiſione egerit, & quæ quantaque cuique dilargienda, imprudentiſſimè cogitauerit; *Dixit inimicus: Perſequar & comprehendam, diuidam ſpolia, implebitur anima mea, euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.* Exod. 15. v. 9. 133.

Nondum exemerat gladium, & iam diuidebat ſpolium: ea tumebat ſuperbia, vt crederet ſolo aſpectu Iſraëlitas ſubiugandos, & ſine ferro vincendos. Ecquis hoc ait? Ipſiſſimus Pharao. Audi blaterantem, & grandia ſibi promittentem: *Diuidam ſpolia, implebitur anima mea, euaginabo gladium meum* Quid tunc? Dum inſanas adeò ſpes alit pectore, dum remotiſſimus eſt à timore imprudenter incurrit naufragium, & ſoluit improuiſa calamitate delirium: *Flauit ſpiritus tuus, & operuit eos mare: ſubmerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus.* Confer cum caſu fiduciam, compone promiſſiones cum vndis: nihil adeò ab eius cogitatione diſtabat vt periculum, nihil erat tam alienum vti naufragium; ſed repentinus ſuperuenit interitus, & inopinatiſſimus caſus. Forſitan ſi aliquod ſuſpicaretur diſcrimen, habenas temeritati non laxaſſet; at dum omnino deluſus ſomniat ſecuriſſimum triumphum, ſuſtinet certum ac miſerandum naufragium. Ipſa gaudij certitudo fuit calamitatis illicium, & ſpes vaniſſima

vaniſſima triumphi maturauit infauſtum caſum.
Lippoman. *Conſtituerat ſecum Pharao*, ſcribit Lippomanus, *Perſequar Iſraëlem, perdam, occidam, ſpolia detraham, vindicabor pro omni voto, & deſiderio meo, euaginabo gladium, exterminabo, contumaciter inſiſtebat crudeliſſimus hoſtis: tanta correptus erat veſania, vt in mare ipſum ſeſe credere, & potenti manui Dei tam manifeſtè minanti tanto miraculo non deterritus auſus fuerit intrare cum tanto exercitu.* Stupendum vndarum prodigium, ſuſpenſi in morem modumque montium fluctus vel temeritatem reprimebant, & audaciam cæciſſimam refrænabant; at dum veſanus Pharao ſomniat victoriam indubiam, miſeram aſciſcit ſibi tragœdiam: vt videas, vt iuſtis virtus parit ſecuriſſimam confidentiam, ita iniquis virium ipſum parere væſanam omnino audaciam: eò deueniunt cæci, vt periculum arbitrentur ſecuritatem, & tunc ſecuriores ſe putent, cùm vrget caſus, & ocyor volat interitus. Non ſolum timenda eſt in crimine culpa; ſed eius filiæ veſania: de mentis arce deturbata prudentia, oculi agitantur tranſuerſi, nec vt fas eſt, ferunt de rebus iudicium; ſed tenebras arbitrantur lucem, & lucem non ſemel reputauere caliginem. E contra iuſtis videas accidiſſe: omnia opera ſua verentur, & cum fauſta felixque fortuna arridet, ſe adhuc vti periculoſos adurgent, & vel diſcriminis vmbram cauent.

134. Dominus cum diſcipulis nauigabat, vtque quodammodò ab eis doctrinæ traditæ rationem
Mar.14.v.19 expoſceret, ſomno tantiſper indulſit: *Erat ipſe in puppi ſuper ceruical dormiens.* Maris vndæ vt rectorem ſomno correptum animaduertunt, elatiſſimæ attolluntur; horriſonè adſibilans ventus cum vndis confœderatus imperebat ſcapham, & ad ſpeciem ſolum vtpote quæ intra ſe haberet portum, minabantur naui periculum. Quid tunc? Diſcipuli cum tempeſtate depugnabant, decertabant cum ventis, & vndarum furorem frangere adnitebantur remigiis: nec ſatis illis omni ſolertia inſudare; ſed ad magiſtrum inuolant, & geminatis clamoribus ſuppetias orant: *Excitant eum, & dicunt illi: Magiſter non ad te pertinet quia perimus?* Certè perire non poterant infelici naufragio, qui adhuc furente tempeſtate media in nauigatione appulerant portum; at ea eſt iuſtorum humilis de ſe diffidentia, ea eſt circa ſalutem prouida vigilantia, vt nihil non tentent ad periculi vmbram, etſi dicere fas eſt, ad
Seleucienſ. ſomniatam etiam miſeriam. Accipe Baſilium Seleucienſem orat. 21. *Recurrunt ad portum, qui in ſcapha erat, & adſtantes clamant: Magiſter, magiſter, ſalua nos perimus. O timorem natura magiſtrum! O periculum, quo docetur, vbi ſalutis ſit anchora.* Domino adſtant, & iam de tempeſtate glorioſè triumphant, & tamen ea ſolicitudine quòd ſolùm ad terrorem erat, ſatagunt fruſtrare periculum, qua pugnare in futurum poſſent naufragium. Dominum cum mari loquentem inducit Baſilius his verbis: *Terreri volo, non occidi.* Itaque mare terriculamentis illos exagitabat, non periculis veris premebat; ea tamen eſt perfectorum cautela, vt vires exerant, nihilque ex his, quæ ad eos pertinent, ignauè omittant: & ad hæc anxiis votis, & clamoribus ingeminatis dormientem excitare contendant. Ecce quàm ſibi contraria ſint peccatoris & iuſti vota: iuſtus periculi vmbram horret, & vt poſſet, ſi iam verum vrgeret naufragium, feſtinat appellere ad portum; at iniquus ſe putat tenuiſſe portum, dum ſæuum vrget naufragium. Magna tranquillitas manebat diſcipulos: *Facta eſt tranquillitas magna*: & adhuc magna tranquillitate fruentes ſic trepidant, vt magiſter fluctus trepidationis compeſcat: *Facta eſt tranquillitas magna, & ait illis: Quid timidi eſtis?* Dum carpit timorem, diſcipulorum prodit virtutem. Adhuc tranquillo mari, adhuc fræ[illegible]ato vento timoris fluctibus obturbantur, & timent, vbi non erat timor, ſi peccatores non timent vbi illis inſtat naufragium. Malo iuſtorum trepidationem, quàm iniquorum ſecuritatem.

Gigas ille cum Dauide in certamen deſcendens de triumpho non dubitabat, imò vincere 135.
puerulum ſuo robore indignum prorſus aſſerebat: *Dabo carnes tuas volatilibus cœli, & beſtiis* 1 Reg.17.
terræ: tam diſtans arbitratur periculum, vt de- v.44.
dignetur trophæum. Quid tunc? Inflicto lapide corruit, nec vidit imminentem plagam, quia deluſus ſolum videbat victoriam: *In riſum effuſus eſt*, inquit Seleucienſis Baſilius orat. 15. Baſilius.
ſpectaculum ludicram dicens armaturam huiuſmodi: carebat enim oculo fidei, quo auxiliatorem inconſpicuum cerneret. Dæmonum opera factus elatior nihil veretur; imò ſuperbiſſimus canum ventres pro ſepulchro Dauidi minatur; at dum ſecurior imminentem incurrit cladem, & triumphatorem patitur hoſtem.

---

§. XXXI.

Non eſt infelix qui ipſo adoleſcentiæ flore infirmitate præciditur; ſed qui hoſtili ferro obtruncatur.

OMnis dies, omnis hora, quàm caduci ſimus 136.
oſtendit: aliquo recenti caſu adurget fragilitatis oblitos, & conſulere ſibi monet æternitatis ignaros. Stat ſupra caput omnium ineuitabile fatum, & ſæpè mors à tergo ſequitur longiſſima ſæcula cogitantem, & ſibi de futura longæuitate delirio ſtulto plaudentem. Omnis hora vita tota putanda eſt, ne differatur in craſtinum, quod aut ſummam adducit fortunam, aut ſummam parit miſeriam. Certè ſtultiſſimum eſt diſponere futura, cum dies craſtina ſit incerta Seneca.
Audi Senecam digna catholico ſtylo ſcribentem epiſt. 101. *Quàm ſtultum eſt ætatem diſponere: ne craſtino quidem dominamur. O quanta dementia eſt ſpes longas inchoantium: emam, ædificabo, credam, exigam, honores geram: tum demum laſſam & plenam ſenectutem in otium referam. Omnia, mihi crede, etiam felicibus dubia ſunt: nihil ſibi quiſquam de futuro debet promittere: id quoque quod tenetur, per manus exit, & ipſam quam premimus horam caſus incidit.* Cùm voluatur tempus rata lege ſatis per obſcurum, caſus ſemper timendus eſt: robuſtam valetudinem, ſalutem ad ſpeciem firmam mors inopina abſtulit, & omnes in ſtuporem adduxit. De Senecione Cornelio hæc Stoicus tradit: *Cum hilaris cœnaſſet genere valetudinis præcipiti abreptus angina vix compreſſum arctatis faucibus ſpiritum traxit in lucem. Intra pauciſſimas ergo horas poſtquam omnibus erat ſani ac valentis officiis functus, receſſit.* Non adeò acerba eſt mors, cùm ſui prænuntios infirmitatem,

Demens eſt, qui craſtinum ſibi promittit.

Digitized by Google

tem, & dolorem ante ſe mittit; at duriſſimum inopinè abrumpi, & in ipſo bonæ valetudinis actu rapi. Quòd ſi omni ætati mors eſt timenda, præcipuè his qui adhuc iuuentutis vireſcunt flore, vtpote qui frequenter inueniuntur imparati: quia videntur ſibi à mortis regione diſſiti; eſt tamen aliquod ſolatium, quando iuuenis, licèt in ipſo ſanguinis æſtu, ac in iuuentutis ardore Numinis manu carpitur,
Cant.2.v.12. non violentia hoſtili præciditur: *Flores apparuerunt*, aiebat Sponſus, *in terra noſtra, tempus putationis aduenit.* Dum flores ſecuriores ſpes alebant fructus ſaporatiſſimos protrudendi, & diuitiarum copiam amplificandi, aduenit putationis tempus, & iacent præciſi, qui longa ſibi ſæcula promiſerant floridi: *Pu-*
Delrius. *tatio*, ſcribit noſter Delrius, *floritione prior eſt.* Ita breuis eſt vita floris, vt neſcias, an priùs amputationis ferat iniuriam, an amputatio ſequatur vitam; verùm, vt dicebam, aliquod caſus ſolatium eſt, ſi curioſa agricolæ manu amputentur, & vt aſſolet, ad faſciculorum oblectamenta abſcindantur: illud protſus infauſtum, illud amariſſimum, acrius adſpirantis venti flammis aduri, aut hoſtili ac violento ferro amputari: iacet namque tunc flos non ſolùm immaturè præciſus; ſed ſtudioſè deuenuſtatus. Ecce contra Siſaram cæleſtia proceſſerunt in pugnam aſtra: *Stellæ manentes in ordine & curſu ſuo aduerſus Siſaram pugnauerunt.* Oſtenderunt ſtellæ, quàm Siſara cælis fuerit offenſus; non tamen vitam præciderunt, vt eius fuerit acerbior caſus, dum in pulchræ mulieris tabernaculo iacet telo transfoſſus, & ſanguine proprio conſperſus: *Voluebatur ante pedes eius*, ſcilicet Iaëlis, *& iacebat exanimis, & miſerabilis.* Quàm miſerabilis erat qui iuuentutis flore non eſt cæleſti manu præciſus; ſed adacto ferro obtruncatus. Iure vlulabat mater: Per feneſtram reſpiciens vlulabat mater eius: quia durior fortuna mœſtiora exigebat lamenta. Dum matris proditur luctus filij indicatur iuuentus. Adeſt
Montanus. Arias Montanus: *Oportet iuuenem adhuc fuiſſe Siſaram, vtpote quem mater ſuperſtes anxiè expectaret, cuius vota quanta qualiaque fuerint, ipſa mulieris oratio indicat.* Siſara iuuenis adhuc erat, vtpote cui ſpecioſiſſimam deligi fœminam vxor verebatur, & ipſa in iuuentute raptus eſt, non blanda manu; ſed duriſſimo ferro: ergo mater non tam plangat, quàm vlulet: quia adeò acerba mors non erat communi luctu ploranda; ſed vlulatu plangenda. Noluit æther de medio tollere: quia duriore clade decreuit premere. Et certè infauſtiſſima ſors fuit in pulcherrimæ mulieris domo hoſtili ferro obtruncari, & lenior eſſet ab ipſo cælo præcidi.

137. Dauid adeò tenero afficiebatur amore in puerum ſibi ex Berſabëe natum, vt nihil non ten-
2. Reg.12. v.25. tarit, quo illius ſaluti conſuleret: *Deprecatus eſt Dauid Dominum pro paruulo, & ieiunauit Dauid ieiunio, & ingreſſus ſeorſum iacuit ſuper terram.* Rata Numinis ſententia vita puerum mulctauit, & iam Dauid lotus vnctuſque veſtem mutat, & Deum adorat: *Lotus vnctuſque eſt, cùmque mutaſſet veſtem, ingreſſus eſt domum Domini, & adorauit.* Compone cum hoc caſu alium proditoris illius filij, qui imprudenter ſibi accelerauit ruinam, dum ante tempus rapere anhelauit coronam: in campum producuntur exercitus, ſigna conferunt, & iam Abſalon profligatis aciebus ſuis conſulere parat ſaluti, neque ſtudet vanitati; verùm arbori vt carnifici traditus flaua pendebat coma, & indecens capillorum prolixitas, quæ nutrita fuerat ſtudioſiſſimè ad pompam, implicuit, vt acerbam, meritam tamen ferret ſententiam: hoſtili ferro interiit transfoſſus, & repetitis telorum ictibus repercuſſus: nuntium peruenit ad patrem, qui iuuenis miſerrima ſorte oppreſſus nec reprimere potuit miſerandum ſingultum, nec de victoria aliquod captauit ſolatium: Contriſtatus itaque rex aſcendit cœnaculum portæ, & fleuit, & ſic loquebatur vadens: Fili mi Abſalon, Abſalon fili mi, quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te, Abſalon fili mi, fili mi Abſalon. Vocem ingeminat altiſſimus cordis dolor, & extra ſe quodammodò dolore actum repetitus teſtatur angor. Quæramus, ſi placet, quæ fuerit huius differentiæ cauſa. Periit anteà Berſabëe filius percuſſus: *Percuſſit quoque Dominus paruulum, quem pepererat vxor Vriæ Dauid:* exceſſit etiam Abſalon à famulo tranſuerberatus: & quamuis tenerrimum erga puerum illum amorem oſtenderit; tamen vnctus, lotuſque eſt poſt mortem; at Abſalone ablato lamentabili dolore ſauciatur, & anxietate inexplicabili premitur. Certè opportunius videbatur, prudentiuſque poſt proditoris mortem vngi, & lætitia mœſtitudinem commutare, quàm poſt dilectiſſimi filij exceſſum hilarem vultum oſtendere, & ſordeſcentem lætiori habitu commutare: cur ergo Dauid ſtylum inuertit, & Abſalomi irremediabilibus lachrymis plorat caſum, poſt filij tamen triſtitiam lenit exceſſum? Ratio facilis: vterque immaturè moritur, at alter ſolerti Domini manu ablatus, & ſtudioſa cura præciſus: alter verò inter inſanias transfoſſus, & inter virores occiſus. Ergo Abſalon patri attulit dolorem altiſſimum, vt qui de æterna eius morte, & irreparabili damno doleat, & non ſolùm vitam; ſed amiſſam etiam animam gemat: *Plangebat mortem eius ſpiritualem*, ſcribit Lyra, *quia mortuus erat in* Lyra.
peccato mortali actualiter perſequendo patrem. Ambroſ.
Adſtipulatur Ambroſius orat. de obitu Valentini: *Crimina doluit, non exitum filiorum.* Abſalon exceſſit violenta morte, cùm illam non expectaret, & cùm iuuentutis ardoribus inſaniret. Ergo mors hæc ſummè erat dolenda, & lachrymis irremediabilibus deploranda. Lugeat eius pater: hæc enim plaga nulla poteſt curari medela: Mortes aliæ aliquod admittunt ſolatium; at iuuenis laſciuientis, delirantiſque ardore mors, vt frequenter comitatur peccatum, ita nullum admittit doloris deliuimentum.

Aſaël virium agilitate nimium confidens 138.
præcipiti curſu in hoſtis vindictam rapitur: fugientem obſtinatè perſequitur Abnerum, monet hic vt à perſequendo abſtineat, nec ad infligendum illi vulnus manus exacuat, aut potiùs cogat. Aſaël ipſa lenitate comitateque Abneri ſuperbiens ſuperbiaque tumens pertinaciter adeò inſequitur, vt Abnerus coactus fuerit illum percutere dextera adeo manu, vt ſecundo ictu opus non fuerit; ſed inflicto primo ceciderit: *Audire contempſit, &* 2 Reg.2.v.23

noluit

noluit declinare. Percuſſit ergo eum Abner auerſa haſta in inguine, & tranſfodit, & mortuus eſt in eodem loco. Curſus celeritas membrorumque agilitas, dum nimiam illi parit confidentiam, aſciſcit etiam ruinam: quia inuolabat ad triumphum celeritate, cucurrit ad ferrum. O quàm præceps, quàm conſilij inops pedes inſequebatur equitantem, & leui armatura munitus haſta & armis probatiſſimis obarmatum! temeritatis tulit pœnas, & ipſo in curſu miſerum peruenit ad terminum, & hoſtilem ſuſtinuit gladium. Quid tunc? *Omnes qui tranſibant per locum illum, in quo ceciderat Aſael, & mortuus erat, ſubſiſtebant.* Profectò dolore percuſſi, & angoris moleſtiis preſſi: miſerandum namque erat ſpectare iuuenem in medio vitæ curcuſu abreptum, & in ipſa expeditione vindictæ occiſum. Adeſt Eucherius & Rabanus apud gloſſam: *Aſaël ſignificat eos, quos vehemens arripiens furor in præceps ducit, qui in eodem furoris impetu, tantò cautius declinandi ſunt, quantò inſanè rapiuntur.* Inſano in curſu iacuit occiſus, & ob id ab omnibus plangendus, & miſerandus. Illorum fregit animos, ſcribit noſter Sanctius, & retardauit greſſus in medio curſu exanimatus Aſaël. Erat ſanè commiſeratione digniſſimum ſpectare iuuenem adacto hoſtili ferro obtruncatum, & manu inimici occiſum: *Hoc omnium frangebat animos:* eſſet namque aliquod doloris leuamen, ſi fuiſſet infirmitatis peſtilentia ſublatus, aut ſubtili artificis manu præciſus; at medio in curſu hoſtili mucrone transfoſſum interiiſſe erat ingentis doloris materia, & copioſi luctus cauſa. Ergo iure Siſaræ mater vlulat, dum occumbit infeliciſſimè, mortem ſoporis aſſocians oblectamento, & mulieris pulcherrimæ tabernaculo.

Eucher.

§. XXXII.

Vt Numinis fugiatur ira, vel maxima ſalutis amplectenda ſunt detrimenta.

139. Caſſiodor. *Munus eſt videre Principem.*

CErtè vt munus eſt ſerenum Principis vultum adſpicere, ita ſupplicium grande ſuccenſum ardentiſſimis indignationis flammis videre. *Certè munus eſt*, aiebat Caſſiodorus 10. var. 13. *videre Principem.* ſanè ſereno vultu, & placidis oculis ſpectantem; at ſi indignatione efferueſcat, ſi toruo ſupercilio flagellet, munus erit aſpectum eius non ſuſtinere; ſed declinare. *Ex noſtro reſponſo*, ſcribebat Seneca Imperatoris nomine libro de clementia capite 1. *lætitiæ cauſas populi vrbeſque concipiunt: nulla pars vſquam niſi volente, propitioque me floret.* Vt nulla pars niſi propitio Principe floret, ſic omnis illo irato marceſcit: poteſt namque libertatem eripere, & quondam feliciſſimos in mancipiorum cenſum per fas aut nefas potentia trahere. Hinc ira potentis ſemper extimeſcenda, vt gratia cunctis amanda. Quod ſi caduci hominis ſeueritas, iraque timetur, quam pauendam putas æterni Numinis iram, & indignationis eius ardentiſſimam flammam. Nullum eſt incommodum, quod vel irrationales creaturæ non amplectantur, vt cæleſtem fugere indignationem conentur. Hominis quamtumuis duriſſimi imperium non redimitur ſalutis damno; at Numinis iram euadere cupiunt vel ratione carentia ſalutis diſpendio, & aperto vitæ periculo, vt diſcant à brutis homines Numinis iram timere non cæca temeritate fugiendo; ſed pœnitentia fletibuſque placando. Contra Siſaram pugnabat æther, adeóque Numinis iram odorantia concutiebantur impotenti timore bruta, vt per inacceſſa ac prærupta cæco impetu excurrerent, ſi fortè Numinis indignationem euaderent: *De cælo dimicatum eſt contra eos: ſtellæ manentes in ordine & curſu ſuo aduerſus Siſaram pugnauerunt.* Quid tunc? *Vngulæ equorum ceciderunt fugientibus impetu, & per præceps ruentibus fortiſſimis hoſtium.* Inquiramus cur equi, qui bellum odorantes proſiliunt, & quaſi de victoria teſte Iobo ſuperbiunt: *Feruens & fremens ſorbet terram, nec reputat tuba ſonare clangorem*; modò fugiant, bellumque detrectent. Textus rationem expreſſit: *De cælo*, inquit, *dimicatum eſt contra eos*, ſcilicet æther horriſono fragore tonans, & cæruis ignibus fulgurans iratum Numen oſtendebat: ergo equi iram Numinis odorati eo fugere conabantur ſtudio, vt per abruptiſſima irrumperent grandi & euidenti ſalutis incommodo. Ita Abulenſis quæſtione 7. *Confracti ſunt pedes equorum, & vngulæ in bello, & ſignificatur cauſa cùm ſubditur: Fugientibus impetu, &c. id eſt, hoc factum fuit propter curſum immoderatum: nam tantò fuerant Chananæi timore concuſſi ardente deſuper cælo, & flammarum globis in modum ſtellarum venientibus vſque ad eos, quòd non poterant ſe aut equos continere; ſed fugiebant impetuosè per quamcumque partem poſſent, & accidebat quòd caderent de altiſſimis rupibus in præceps, & confringebantur currus, & equorum vngulæ, & ipſi hoſtes peribant.* Apertiſſima equi ſpectabant præcipitia, & nihilominus ſe in præceps agebant arbitrati benè ſecum agi, ſi timorem vita redimerent, & vel fractis cruribus Numinis iram euaderent. Quod ſi animalia ratione carentia, quæque humana deſpiciunt bella, ſic expauent ad irati Numinis ſigna, quid putas agere tenentur rationis participes, in quos præcipuè deſæuit ira, & indignationis vibratur flamma? Vel ſalutis diſpendio diuitiarumque iactura hic timor debet à cordatis redimi, & ſecuritas ſuffulciri.

Iob.39.v.24.

Abulenſ.

Seneca. *Niſi propitio Principe nihil floret.*

Poſt prolixas miraculorum impenſas Iſraëlitarum populus liber emittitur; verùm Pharao citò ſe paſſum oſtendit violentiam, dum impedire conatur fugam. O quàm exiguo tempore durant cuncta! Ceſſit verberanti; ſed citiſſimè antiquum renouauit ſtudium, & celeriori impetu cæcum contra Iſraëlitas conſummare niſus eſt deſiderium. Confuſa aquarum volumina vitreos conſtipabantur in muros, vt conſtaret virtutem dominari ſemper naturæ; verùm ambitioſiſſimus Pharao idem obſequium præſtandum cenſuit potentiæ, eoque errore deluſus 140.

per

Digitized by Google

per medios vortices ingreſſus eſt adæquè temerarius, & ambitioſus; verum interpoſita tetra nubes ardentiſſimas eiaculabatur flammas, vt audentes reprimeret, & temerarios frænaret. Quid tunc? Contratiam viam nituntur tenere, & verſus Ægyptum fugere; at fugientibus occurerunt aquæ, vt inciderent in Scyllam vitare cupientes Charybdim: Exod. 14. v. 25. *Dixerunt Ægyptij: Fugiamus Iſraëlem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos... Fugientibuſque Ægyptiis occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Dominus in mediis fluctibus.* Expendamus, ſi placet, aquas non occuriſſe ſtantibus; ſed fugientibus: & quidem Ægyptij ſuo apertiſſimè ſuffragabantur naufragio, dum aquarum volumini occurrunt. Nonne ſatius eſſet pedem figere, & ſtragem miſeram expectare, nec proprio labore augere? Quid agis ô Pharao adæquè cæcus, dum perſequeris, & dum fugis? Nonne vides inſanientes aquarum vortices te impetere? Nonne agnoſcis te fluctibus inuoluendum, & miſerrimo naufragio mulctandum? Quo ergo lymphatico metu vrgeris, vt prodigas vitam & fluctibus tendas obuiam? O quàm nos Pharao ſua fuga erudit, & quàm timenda ſit indignatio Numinis docet! Audit nubem tonare, videtque in Ægyptios iram Numinis deſæuire, eoque premitur metu, vt malit citò ſubire naufragium, quàm iratum videre vultum. Equi ipſi rapidiſſimo curſu ad properantes fluctus contendunt, ſi fortè poſſint cæleſtem fugere iram, & indignationis euadere flammam. Certè timor improuida temeritate redimendus non eſt; verùm dum bruta vitæ periculum ſitienter ambiunt, timore concuſſa, & tremore exagitata, nos docent, quàm ſit Numinis ira pauenda, & quàm omni iactura Caietan. temporali vitanda: *Ex hac confeſſione inſinuatur*, inquit Caietanus, *quòd ex illa columna nubis, quæ erat in aëre inter Iſraël & Ægyptios ſenſibilis actio emanabat contra Ægyptios perſequentes Iſraëlem.* Itaque ex vna parte premebantur Ægyptij Numinis indignatione, ex altera confuſo concurrentium fluctuum volumine: & quamuis nouerint ſe aperta naufragia petere, maluerunt, ne iram Numinis ſuſtinerent, ad vndas rapidas inuolare: *Fugientibus Ægyptiis occurrerunt aquæ:* producerent tantiſper vitam ſtantes, citius amiſerunt fugientes; at eo timore, ea anxietate

141. premebantur, vt maluerint citò perire, quàm iratum Numen vel momento ſuſtinere.

Iacob à Deo monitus, & ſoceri ſupercilio toruiſſimo exaſperatus patriam repetere aggreditur, vxoribus Numinis præceptum communicat, ſuo namque exemplo nouerat melius omnia peragi vrbanis obſequiis, quàm duriſſimis ſuperciliis: voluit diſertiſſimus Iacob vxores laborioſum illud iter ſuſcipere non tam iuſſas, quàm ſpontaneas: quia nouerat non ſemel laborem adaugeri ſuperioris præcepto, & imminui obſequentis arbitrio. Ergo vxores propoſitum ſuum comiter aperienti parent, quæ forſitan iubenti imperioſè reſiſterent, iter carpitur, & Laban idolum ſubripitur: agnouit deos abeſſe fraudatus: nec enim poterat citò agnoſcere humanis incrementis ſtudioſiſſimè attentus. Tandem contracta manu fugientes inſecutus citiſſimè inuenit: nec enim ea auiditate tendunt homines ad ſuperna, qua feſtinauere ad humana. Pigrius mouetur Iacob, vt diuinis præceptis obtemperet, celerius Laban, vt idola recuperet; verùm poſt nonnullas diſceptationes in hunc modum Iacobus loquitur: *Niſi Deus patris mei* Geneſ. 31. *Abraham, & timor Iſaac affuiſſet mihi, forſitan modò nudum me dimiſiſſes.* v. 42. Timoris nomine nuncupaſſe Deum teſtatur Lippomanus hîc: Lippoman. *Pauorem Iſaac, id eſt, eumdemmet Deum, quem ſuper omnia pater eius timebat.* Itaque videt Labanus ſibi opus eſſe aut magnam diuitiarum ſuſtinere iacturam, aut indignationis diuinæ flammam, & prudentiſſime cenſet iram vitandam, aut certè vel grauiſſima filiarum, nepotum, diuitiarumque iactura ſopiendam: quis enim præter Deum in animam corpuſque hominis poteſtatem exercet, aut quis præter Deum armatur omnipotentia, vt infligere poſſit quæcumque decreuerit flagra.

Ionas delegatur opem ardentiſſima culpa- 142. rum febri laborantibus allaturus, ille vti Dei domeſticus, & ingenij eius non inſcius in ipſis comminationibus latentem miſericordiam præuidit, & honoris appetens nauim Tharſos petituram inſcendit; verùm inuenit machinam ſuis conſiliis valentiorem: repentè namque oborta tempeſtas Numinis in fugitiuum iram conteſtabatur: inſanientes fluctus reum depoſcebant, æther horriſono fragore pronuntiabat mortis ſententiam, & indignationis diuinæ inſectabatur apertè cauſam. Quid tunc? Ionas arcano conſilio nautas monet, vt ipſum maris profundo committant, vt tempeſtatem euadant: *Tollite me, & mittite in mare.* O Ion. 1. v. 12. quàm acrius interna obturbabatur tempeſtate, quàm externa ventorum agitaretur procella. Eſto venti furant, vela rumpantur, nauis turbinibus repercuſſa periclitetur, grauius Ionas non poterat detrimentum ſubire, quàm fluctibus inuolutum mortem immaturam oppetere; & tamen ipſe eligit apertum naufragium, vt naufragij fugiat periculum. Quæ ergo huius ad ſpeciem imprudentiſſimi decreti fuit cauſa? Numinis, reſpondet Zeno Veronenſis, iram fugere vitæ etiam detrimento, & honoris damno: *Timens Dominum*, inquit Zeno ſerm. de timore, Zeno. *ſpontaneum non timet adire naufragium.* Cenſet Ionas aut rumpentibus ſonis terrificoque fragore intonans cælum ſuſtinendum, aut naufragium adeundum, & ad noſtram eruditionem elegit naufragium, ne iratum ſuſtineat cælum. Itaque arcano nos facto Ionas edocuit, quàm prudenter Domini redimatur timor quouis ſalutis, honoris, aut diuitiarum diſpendio: ſuo nos facto edocuit leuem eſſe omnem temporalem iacturam, lubentiſſiméque amplectendam, ſi ira indignatio ſopiatur ætheris, & furor ſedetur Numinis. Ionas lubens ferinæ voraginis carcerem intrat, vt quàm diuina ira extimeſcenda ſit, doceat. Hinc culpandi ſunt, qui imprudentiſſimè ſibi conſulentes diuitias, honores, ſalutemque huic timori præferunt, & ne quid horum amiſerint, cæleſti indignationi ſe exponunt.

Ss §. XXXIII.

Digitized by Google

§. XXXIII.

Maria infauſtum dæmoni fatum eſt: citius aliquando perit vel cum eius vmbra præliatus, quam cum ipſa omnipotentia congreſſus.

143. Anſelm. *Salus per Mariam velocißima.*

VElocior eſt nonnunquam ſalus memorato nomine Mariæ, ſcribebat Anſelmus tract. de excellentia virgin. cap.6. *quàm inuocato nomine Ieſu vnici filij ſui.* Reddit rationem Anſelmus. *Et id quidē non ideò fit quòd ipſa maior & potentior ſit: nec enim ipſe maior & potentior eſt per eam, ſed illa per ipſū.* Quod de ſalute erga homines aiebat Anſelmus, hoc ego erga dæmones dixerim de pernicie. Velocior eſt nonnunquam dæmonis ruina memorato nomine Mariæ, quàm filij inuocato nomine, & hoc quidem non quia ex ſe gaudeat potentia; ſed quia filius vbertim adeò ſuam illi communicarit virtutem, vt luctuoſiſſimam furiis gehennalibus attulerit ſæpe cladē: ipſa Dei omnipotentia, etſi deprælíantem ſecum dæmonem facillimè potuerit opprimere, voluit à Virginis vmbra non ſemel ſubiugari, vt iam conſtet omnibus exitialius aliquando eſſe dæmoni cum adumbrata Virgine depugnare, quàm manus cum ipſa omnipotentia conſerere. Adeſt huius veritatis illuſtre exemplum: Siſara diaboli ænigma, vitiorumque emblema in campum prodit ingenti manu ſtipatus, æther armatur in impiū, ardentiſſima ſtellæ eiaculantur ſpicula. *De cælo dimicatum eſt contra eos, ſtellæ manentes in ordine & curſu ſuo aduerſus Siſaram pugnauerunt.* Audis aſtra confœderata lucis in Siſaram contorſiſſe ſagittas: quid tunc? Fugit, & ad Iaëlis tentorium peruenit: *Fugiens peruenit ad tentorium Iaël.* In Iaëlis tabernaculo perit, qui è manibus cælorum effugit: *Percuſſit Siſaram quærens in capite vulneri locum, & tempus validè perforans inter pedes eius ruit, defecit, & mortuus eſt.* Inquires, cur fugæ occaſio Siſaræ fuerit conceſſa, quando haud erat ætheri difficile citiſſimè opprimere, & in ipſa fuga de medio tollere. Nonne cæleſtis efficacia ad ſpeciem ſugillatur, dum victoriam collatis etiam omnium aſtrorum viribus non aſſequitur? O animaduerte myſterium. In Iahële Maria adumbrabatur: ergo vt liqueat exitialiorem fuiſſe Siſaræ vel Mariæ vmbram, quàm totam cæli potentiam, fugit, cùm cælum ſuam in illum armat potentiam, & perit, dum incurit in Mariæ vmbram. In ſtellis contra Siſaram pugnantibus Angelos deſignari tradit Interlinearis: *Stellæ manentes Angeli, qui contra Siſaram pugnauerunt.* Ergo licèt omnis Angelorum cohors impetierit tyrannum, impetitus quæſiuit effugium; at in adumbratæ Virginis tabernaculo ſopitus interiit: quia nec in conſpectu Virginis illi remanſerunt vires, nec vitare potuit calamitates: *Siſara dux aduerſi exercitus hoſtem generis humani nomine ipſo ſignificat*, aiebat Rupertus lib.1. in Iudices cap.6. Richardus de Sancto Laurentio libro 1. de laud. Mariæ capite 5. Iaelis victoriam Marianæ victoriæ vmbram extitiſſe teſtatur: *Illa litteralis Eua viro ſuo non fuit in adiutorium: quia in manu fœmina tradidit Dominus Siſaram, id eſt diabolum.* Traditus eſt dæmon in Iahëlis manu cum ab æthere fugerit oppugnatus, vt notum omnibus eſſet exitialius dæmoni fatum non ſemel eſſe Sanctiſſimæ Virginis vmbram, quàm ipſam omnipotentiam.

Iudic.4.v.17.

Interlinear.

Rupert. Richar.

144. Hanc veritatem ſuffulciunt Moyſes, & ſua miſerabili ſtrage Pharao: premebat Iſraëlitas feritate belluas truculentiſſimas excedente, Deus optimus parens miſeris opitulaturus deſcendit, Moyſique flammanti, & illæſo rubo apparuit, vt illi animos adderet, ſuam omnipotentiam explicuit & nomen declarans, & portentis variis confirmans: *Ego ſum qui ſum.* Verùm Moyſes adhuc hæret, & ad noſtram eruditionem ſuam, vt imperium extrahat imbecillitatem opponit. Quid tunc Dominus? Rubum dat in victoriæ pignus: *Hoc habebis ſignum quod miſerim te.* Ita Lyranus ex Hebræis. *Ac ſi dicatur*, inquit: *Viſio quam tibi oſtendi in rubo, eſt tibi pro ſigno.* Iam rubum Mariæ typum (vt omnes norunt) in victoriæ ſignum accipit Moyſes, & qui vel patrocinante omnipotentia extrahere nitebatur imperium, eo ſigno armatur ad triumphum. *Ecce*, aiebat Philo libro 1. de vita Moyſis, flamma ſuapte natura vrens vt lignum vritur; lignum verò cremabile vrit euidenter ignis in modum. *Hoc oſtento mirifico poſtquam Deus Moyſem de rebus futuris manifeſtè præmonuit, addit & oraculum, vt ſine cunctatione ad curam ſuæ gentis reuertatur:* rubus erat flamma flammæ & iam ignis vrebatur à ligno, vt lignum aliud in fauillas poſſet reduci à flammis. Ergo licèt Moyſes cunctatus fuerit tantiſper adhuc omnipotentia impellente & ſe illi adfuturam aſſeuerante, dum vmbram Virginis pro ſe ſuiſque contra Pharaonem animaduertit ſtare, quaſi indubium victoriæ pignus, & fatum Pharaoni exitialius habeat, animoſus hoſtem feſtinat delere. Adeſt Ruper. lib.1. in Exod. cap.12. de igne illo ſic fatus: *Dignè appropinquare nolentibus nimium damnoſus extitit, de qualibus Pſalmiſta dicit: Sicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei.* Nota quod addit: *Quod in Beata Virgine Maria clarius atque conſpicabilius eſt.* Se Deus ignem voraciſſimum oſtenderat, qui ferream Pharaonis duritiem emollire aut domare poſſet, vtque non dubitet Moyſes Pharaonis vires ab hoc igne citiſſimè conſumendas, rubo interlocat Mariæ ænigmate, & iam Moyſes, etſi de omnipotentia non fuerit diffiſus, ad triumphum pergit alacrius. Nec illum ſua fefellit opinio, quandoquidem qui reſiſtere præſumpſit omnipotentiæ, ceſſit ſacratæ Virginis vmbræ.

Exod.3.v.14. & 12.

Rupert.

145. Ad Pharaonem ingreſſus Moyſes prodit de ſoluendo populo omnipotentis edictum: *Hæc dicit Dominus Deus Iſraël: Dimitte populum meum: vt ſacrificet mihi in deſerto.* Audit veſanus omnipotentiam pro Hebræis ſtare, & conſcientiam corrumpit in diſſimulationem, aut ignorantiam protelat in occaſionem, aut vtrumque: *Quis eſt Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Iſraël? Neſcio Dominum.* Verbum illud neſcio non tam erat neſcientis, quàm aſpernantis: immetata adeò inflatione turgebat, vt Deum deſpiceret, nec ſe vincendum ab omnipotenti crederet; imò vires ſuas ſolicitius opponeret, cæciuſque armaret: deuentum

Exod.5. v.1

deuentum tandem eſt ad fluminis medium, vbi obiecta Pharaoni nubes obſcuras adeò flammas in temerariè audentem eiaculabatur, vt ab incepto deſtiterit, & ſuam ſerò cæ-
Exod. 14. v. 24. citatem agnouerit: *Reſpiciens Dominus ſuper caſtra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis interfecit exercitum eorum, & ſubuertit rotas curruum, ferebanturque in profundum. Dixerunt ergo Ægyptij: Fugiamus Iſraelem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Quæres cur Pharao modò feſtinet fugere, cum anteà præſumpſerit detriumphare: iam certè viderat indubia omnipotentiæ argumenta, iam non ſine detrimento cæleſtia expertus fuerat prodigia, & tamen intrepidè inſequebatur fugientes; at modò benè ſecum actum putauit, ſi contingat fugere, non perire. *Inſinuatur*, ſcribit
Caietan. Caietanus, *quod ex illa columna nubis, qua erat in aëre inter Iſraël, & Ægyptios ſenſibilis actio emanabat contra Ægyptios perſequentes Iſraëlem, alioquin non dixiſſent: Fugiamus.* Non fugerent quantumuis militaſſet omnipotentia, ni nube illa vteretur pro armis; at dum de nube pugnat, iam Pharao miſerè clamat, & quamuis nubes illa, in qua Dominus deliteſcebat, ſolùm fuerit Virginis vmbra, ſic erat Pharaoni exitialis, vt qui furens non timuerit cum omnipotentia congredi, non audeat cum nubecula depræliari: Ex illa nube ſenſibilis actio emanabat contra Ægyptios; alioquin non dixiſſent: Fugiamus. Quid pro Virgine luculentius? Quid auguſtius? Adde eo terrore Virginem fugere dæmonem, vt facilius audeat in Deum.

146. Olim Adamus cum Eua coniuge creaturarum potiebatur dominio: Vidit dæmon hominem immortali manu editum, vidit ſumma ſapientia artificis efformatum, & inuidia aduſtus captioſas tetendit inſidias: ſerpentis facie perſonatus Euam aggreditur, & Ada-
Geneſ. 3. v. 1. mum. *Dixit ad mulierem; Cur præcepit vobis Deus*, &c. callidam aſtutiam, & aſtutam calliditatem oſtentauit aggreſſus non hominem; ſed mulierem, vt per debiliorem partem totam ſtructuram ſubrueret. Tranſi modò mente ad ſtatum gratiæ, & inuenies ea procacitate inſaniſſe dæmonem, vt Chriſtum Dominum paterna voce acclamatum, & columbæ volatu oſtenſum tentare non hor-
Matth. 4. v. 3. ruerit; imò deieciſſe tentarit. *Accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant.* Vides Chriſto tentamenta paraſſe; non tamen inuenies auſum vnquam fuiſſe tentare ma-
Richard. *Dæmon virginem non tentauit.* trem. Notauit non ſine acumine Richar. Victorinus c. 26. in Cantica: *Virgo tenebrarum Principibus terribilis fuit, vt ad eam accedere, eamque tentare non præſumpſerint.* Præſumpſit diabolus, etſi ſtultiſſimè ſuperbus, & ſuperbiſſimè ſtultus, poſſe ſe Chriſtum tentatione deiicere, & adulatoriis aſſentationibus fallere; verùm ſic horret ad Mariæ nomen, ſic totis artubus ad eius vmbram trepidat, vt non ſolùm non præſumpſerit tentare; ſe timuerit etiam accedere: olim dum tentat Euam, Adami excellentiam eſt faſſus, & dum tentat Chriſtum, prærogatiuas Virginis eſt confeſſus. Certè Chriſtus vti Deus infinitis Virginem exceſſibus ſuperabat; eo tamen tremore dæmon vel ad virginis vmbram trepidat, vt aggredi Deum non timeat imprudentiſſimus, nec Mariæ audeat accedere tremefactus. Ergo Siſara æthere pugnante locum adinueniat fugæ, & in Iaëlis tabernaculo atteratur ingenti clade, vt noſtra theſis clariſſimè eluceat, ſcilicet non ſemel exitialius eſſe dæmoni vel cum Virginis vmbra pugnare, quàm cum ipſa Numinis potentia congredi.

---

§. XXXIV.

Vitiorum arma parum valent in corporis adflictatione munitos, & aſperitate obarmatos.

Vitia blandè mortalium animis ſubrepunt & quo gratius placent, plus nocent: non 147.
vibrant cruenta arma, ſed iucunda delinimenta: blandiſſimè titillant affectum, & nituntur adulterare titillatione iudicium: terrent aliquando paruulos horrida aſperitate laruata, & magnis ad ſpeciem viribus communita; at frequentius blandis, fraudulentiſque adulationibus animum pulſant, & placidiſſimis ſæpè illiciis eneruant. Hinc qui ſine pœnitentiæ armatura in campum tentat prodire, conſtat ſtudia inimicorum fouere. Corporis adflictatio, pœnitentiaque eſt pro enauigandis tumidiſſimis fluctibus gubernaculum, & tutum pro eludendis aduerſariorum armis aſylum. *Illud maximè reuolno mecum*, aiebat
Seneca epiſt. 80. *ſi corpus perduci exercitatione ad hanc patientiam poteſt, qua & pugnos pariter & calces non vnius hominis ferat, qua Solem ardentiſſimum in feruentiſſimo puluere ſuſtinens aliquis & ſanguine ſuo madens diem ducat, quanto faciliùs animus corroborari poſſit, vt fortunæ ictus inuictus excipiat, vt proiectus, vt conculcatus exurgat.* Durantur homines imbonitate, & improba corporis tractatione aduerſus ardentiſſimi Solis æſtus, & aduerſus periculoſos hoſtium adſultus. Ergo animus, inquit Seneca indurandus eſt aduerſus libidinis æſtum, & aduerſus vitiorum blandè irrepentium duriſſimum impetum. Sibi imponitur, & egregiè fallitur, quiſquis inter enerues delicias & delicioſas cupedias credidit ſe immotum, & nullatenus fore fallendum. Virulentiſſimi inimici ſpinis eluduntur adſultus, & fruſtrantur aſperitate conatus: præualent dæmonis arma in corporeæ caſtigationis ignaros, & adflictationis inſcios: neceſſe eſt delicioſam vitam ſpernant, & ſe pœnitentiæ rigore muniant, qui non ſolum cupiunt aduerſariorum fruſtrari votum; ſed etiam reportare trophæum. Hinc elucet & Siſaræ amentia, & Iaëlis prudentiſſima aſtutia. Cupiebat illa de infeſtiſſimo Iſraëlitarum hoſte reportare trophæum, ad idque lacte dulciſſimo ſoporauit, & manum ad clauum, malleumque extendit: *Aquam petenti lac dedit, & in phiala Principum obtulit butyrum. Siniſtram manum miſit ad clauum, & dexteram ad fabrorum malleos, percuſſitque Siſaram.* Rupertus libro in Iudices capite ſeptimo ait

Seneca. *Animus induditur ad labores patientia.*

Digitized by Google

ait crucis formam induiſſe, eaque hoſtem virulentiſimum detriumphaſſe. (Rupert.) *Verè iuxta Scripturam aliam mulier fortis accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roborauit brachium ſuum: ſiniſtram manum miſit ad clauum, & dexteram ad fabrorum malleos: talis habitus corporis profectò figuram crucis exprimit: clauus tabernaculi ipſum eſt ſtigma paſſionis Chriſti; clauum tulit, quæ iuſſa mortificare membra ſua ſuper terram, crucem ſuam baiulauit crucifigens carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis.* Doloribus exagitata, corporis adflictatione contrita brachium roborauit, & fortitudine ſe accinxit: vicit hoſtem, edomuit inimicum; at Siſara dum indulget ſomno, dum iucundiori potu vtitur, & ſe mortem euaſurum imprudenter confidit, ſoporatum caput vulneri præbet.

148. Elias cælum petiturus ignea quadriga petendi ſtimulos diſcipulo iniecit, & ſtudium excitauit: contentus non erat flagrantiſſimus zeli ardor cælum petere, ni eumdem ſpiritum alteri delegaret: diſcipulus pia temeritate aggreſſus eſt ſuperare magiſtrum, & duplicem deſiderauit ſpiritum, quo & ſibi conſulere, & proximis quiuerit prouidere. Elias annuit, & diſcipulo delegauit melotem, qua lutulentos Iordanis fluctus diuiſit, & ſicco greſſu tranauit: (1.Reg.2. v.14.) *Percuſſit aquas & diuiſæ ſunt hinc atque illuc, & tranſiit Eliſæus.* Nullus ignorat fluida carnis vitia depingi lutulentis Iordanis fluctibus, marinis æſtibus. (Lauretus.) Adeſt Lauretus Ceruarienſis in allegor. *Aquæ Iordanis decurrentes & deficientes ſunt deſideria terrena.* Itaque fluida deſideria vndis propetantibus deſignantur: ſed videamus cur Elias geminum ſpiritum depoſcenti pallium delegauerit: & cur Eliſæus duplici ornatus ſpiritu aquas melote diuiſerit, nec imperio vſus fuerit, cùm poſſet. Certè qui hoſtibus viſum vtiliter abſtulit, & aquis fluenta nudare, ſiccoque veſtigio ad contrariam ripam potuiſſet tendere: quid opus erat melote, cui tanta ſpiritus affluentia, & virtutis tanta efficacia. Ad hæc cur Elias veluti ſpiritum melote alligauit, & diſcipulo miſit, vt ſpiritum geminaret? O vtiliſſimam nobis doctrinam! Caprina melote, veſtis aſpera, rude integumentum non tam deſæuiebat membris fouendis, quàm edomandis. Ergo Elias vt diſcipulum in vitia armaret, veluti teſtamento reliquit: Eliſæuſque quantum virtuti à cilicio auxilium fuerit agnoſcens, etſi duplici viguerit ſpiritu, aſpera veſte tentat fluenta diuidere, nec fluctus aliter audet tranare. (Chryſoſt.) Adeſt Chryſoſtomus homilia ſecunda ad populum Antiochenum. *In cælum aſcendens nihil aliud quàm melotem diſcipulo reliquit; cum hac, inquit, cum diabolo pugnauit, & tu contra illum armatus hanc capies: validum enim telum inopia, & inexpugnabile habitaculum, & turris inconcuſſa.* Itaque Eliſæus, dum ferè nudus alget, dum inopia armatus degit, gemino ſpiritu floret: erit indumentum veluti ſancti Spiritus domicilium quod nigri confuſique Iordanis fluctus, vt olim Arcæ præſentiam fugerunt, vt conſtaret vitia non audere in homines corporis adflictatione munitos, & aſpera carnis tractatione obarmatos: *Percuſſit aquas, & diuiſæ ſunt*: veluti horrentes cilicium, & aſperum non præſumentes contra indumentum. Ergo ſi cupis in voluptates armari; imò voluptates vincere, cape auſteritatis arma, pro ſtatus tui conditione induere duris, non vt habitu inculto lucreris plauſum malè ambitioſus; ſed vt diabolum vincas legitimè armatus. Poteſt frons noſtra populo conuenire, & intus longiſſimè à populo diſcordare; vt è contra poſſunt etiam externa omnia à populi moribus diſſidere, & animus populi erroribus conuenire. Ergo efficax in vitia telum eſt melote non ſpiritu deſtituta; ſed ſpiritu gemino diuitata.

Ferè ſemper vitia immixta blandimentis ſubrepunt animo, & tenebras offundunt iudicio. 149. (Tertull. *Suauia homini periculoſa.*) *Nemo*, aiebat Tertullianus de ſpectaculis capite vigeſimoſeptimo: *venenum temperat felle, & hellebolo; ſed conditis pulmentis, & benè ſaporatis, & plurimum dulcibus id mali iniicit: ita & diabolus.* Itaque vt venenum non inſinuatur inter fellis amaritudines, & hellebori aſperitates; ſic vitium non coit duris, & corpori guſtuique ingratis: *Omnia illic*, addit Septimius, *ſeu fortia ſeu honeſta, ſeu ſonora, ſeu canora, ſeu ſubtilia proinde habe, ac ſi ſtillicidia mellis de libacunculo venenato: nec tanti gulam facias voluptatis, quanti periculum per ſuauitatem.* Ab exordio ſerpens dulcibus venenum immiſcuit, & pomo benè colorato, oculis venuſto, & guſtui delicatiſſimo iudicium ſubuertit, & ſtructuram hominis ſubruit. Certè ſpinis non falleret, duris non alliceret, vt iam ab exordio conſtaret, aſpera duraque criminibus inimica, & fallaciis nebulonis ſemper aduerſa. Hinc Deus dum de reparanda imagine ſua cogitat, horridis ſentibus, pelleque aſpera communit: (Gen.3.v.18.) *In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ: ſpinas & tribulos germinabit tibi.* Non inuenies dæmonem ſerpentis facie perſonatum extorrem hominem fuiſſe aggreſſum, cùm illum paradiſo degentem non ſolum fuerit adortus aſtutia; ſed deuicerit grata fallacia. Huc voco Vincentium (Lirinenſ.) Lirinenſem in commonit. cap. 35. *Faciunt quod hi ſolent, qui paruulis auſtera quædam temperaturi pocula, prius oras melle circumlinunt vt incauta ætas, cum dulcedinem præſenſerint, amaritudinem non reformident.* Ecce humani generis inimicus nos vti pueros extima dulcedine fallit: corpori guſtuique voluptatem obiicit, & animum dure ferit.

Iabin falcatis curribus exundans ſic anxit Hebræos, vt calamitoſam ſuſtinerent vitam, 150. & ſeruitutem ingenuis morte paterentur duriorem: (Iudic.4.v.4.) *Nongentos habebat falcatos currus, & per viginti annos vehementer oppreſſerat eos.* Quid tunc? Deus gentis ſuæ calamitatem miſeratus Baracum armat, & Thaboris inſcendere cliuum imperat. Duc exercitum in montem Thabor. Vbi montis aſpera inſcendere iubetur, & triumphus etiam prædicitur: *Adducam ad te in loco torrentis Ciſſon Siſaram Principem exercitus Iabin, & currus eius, atque omnem multitudinem, & tradam eos in manu tua.* Quæres quid neceſſum fuerit, ſi erat inimicus in manus tradendus per cliuoſa montis defatigari, & ardua petere. Nonne poterat in

plano

plano de hoſtibus reportare trophæum, cui ſupernum præſentiſſimum erat auxilium? Profectò poterat Deus vbiuis Baraco contuliſſe victoriam, voluit tamen ipſo præcepto parare nobis doctrinam. Iabin falcatis curribus exundabat, qui nihil valent contra incolentes aſpera, cum nec poſſint per montes agitari, nec per anfractus moueri. Ergo Iabino omnis curruum copia proderat nihil, cùm Baracus montis confragoſa tenebant, & petroſa inhabitabat: *Iſta inſtrumenta bellica*, ſcribit Toſtatus quæſt. 3. *ceſſauerunt: quia ſolum erant apta in*

Abul.

planiſſimis locis; in montibus autem vel locis aſperis nihil omnino, valebant. Itaque ſolum contra amœna, plana, molliaque tenentes pollebat Iabinus armis; at contra aſperitatem eius prorſus currus reddebantur inutiles, & in confragoſa imbelles. Certè qui ſe mundi illecebris abdicarunt, qui ſe viuos cauernis ſepulchriſque condiderunt, falcatos Iabini currus facillimè fruſtrant, & hoſtiles vires eneruant: non eſt deliciis, voluptatique cum ferè emortuis commercium. Certè vel prodigus dum fameſcit, dum alget, dum aſpero per montes defatigatur inceſſu, vitiorum confringit iugum, & paternam reperit domum: *Inquietis gregis*,

Chryſol.

inquit Chryſologus ſerm. 1. *teritur & maculatur excurſu, vt ſentiat quàm miſerum ſit, amarum, quam ſit quietis paternæ beatitudinem perdidiſſe.* Itaque dum corpus delicatè innutritum, dum blandis fotum, nullatenus ſentiebat, quam diſtaret à virtute; at dum defatigatur, dum teritur, dum ferè opprimitur, exulat tentatio, & denſas appetitus tenebras luminis depellit acceſſio.

151. Bethulienſes timent ab Holoferne deuinci, & vti gentibus reliquis acciderat, diſpoliari.

Iudith. 4. v. 9.

Quid tunc? *Induerunt ſe ſacerdotes ciliciis, & infantes proſtrauerunt contra faciem templi Domini, & altare Domini operuerunt cilicio.* In Holoferne adumbrari vitium quis dubitet? Ergo dum timent vinci, cilicio didicerunt armari: & quidem ſatis ſtultus fuit Holofernes, dum cilicio non horruit munitos, & præſumpſit ſubiugandos: nec enim valent vitiorum arma in ieiuniis lurida, in ciliciis exulcerata, in flagris conciſa membra. Huc voco quod aiebat Ambroſius ad Virginem lapſam: *Corpus indutum cilicio perhorreſcat*: perhorreſcit vitium corpus aſperitatibus diuexatum; ſubiugat facilè deliciis & voluptatibus emollitum.

Ambroſ.

---

§. XXXV.

Securam vitiis molitur ſtragem, qui pueros erudit ad ſalutem.

152. VT in recens vas infuſus liquor ſe per poros facilè inſinuat, & inſinuatus veluti concorporatur, & vaſi ipſi vnitur, ita tenera ætas doctrinam ſuſcipit, & quaſi ſecum inuiſceratam cuſtodit: *Nutrices certè & alumnæ non quæuis; ſed ſunt quam probatiſſimæ deligendæ*, ſcribit Plutarchus de inſtituendis liberis, *primum quæ moribus ſint Græcis; vt enim membra corporis, quò recta hæc nec diſtorta adoleſcant, mox à partu conformare pueris neceſſe eſt: ſic puerorum decet à primo componere mores: ductilis eſt enim & mollis iuuentus, eorumque animis adhuc teneris facilè infunduntur præcepta; omne verò quod durum eſt, haud promptè emollitur.* Si homo per inſolentiam creſcat, vitiiſque innutritus duretur, nec aſperrimo fræno reprimitur: molli ceræ facilè imprimuntur ſigilla, difficilè marmori. Ergo diſciplinæ teneris puerorum animis inſculpuntur, quæ duris, & iam ſolidis non facilè inuiſcerantur. Diſtorta membra venuſtam in formam docta componentis manus conformat, quæ adulta non admittent remedium; ſed perſeuerabunt ſolertis naturæ probrum. Culpandi ſunt parentes, qui indulgentiæ ſpecie non ſunt in filios benigni; ſed feri: ſinunt licenter adoleſcere, cumque iam ſe ætas explicuerit non fert virtutis documenta, ſi ab initio coluit inſana voluptatum delicia. Redeat iterum Plutarchus: *Poſtquam adulti ſanam & frugalem viuendi rationem abiecerunt, in voluptates autem præcipitauerunt ſe effrænes, & ſeruiles, tunc iam fruſtra negléxiſſe liberorum diſciplinam, ſera ducuntur pœnitentia, cùm illorum ſceleribus anguntur.* Filij moribus ſeruilibus parentibus ſunt tormento, qui benè inſtructi eſſent gaudio: *Educatio* (verba ſunt Senecæ lib. 2. de ira cap. 18.) *maximam diligentiam, plurimamque profuturam deſiderat: facile eſt enim teneros adhuc animos componere, difficulter præciduntur vitia, quæ nobiſcum creuerunt.* Si vitium ſemel adolcuit in naturam, ſudabit tarda nullo aut exiguo fructu diſciplina: profuiſſet plurimum à teneris vnguiculis vel exigua diligentia: mihi crede: ipſum doctrinæ lac, quo ad virtutem tenera nutritur adoleſcentia, venenum eſt, quo diſpereunt vitia: Ecce Siſara viriorum ænigma ad Iaëlis fugit tentorium, illa lactis aperit vtrem, & propinata dulcedine conciliat Siſaræ mortem: *Aquam petenti lac dedit.* In lacte puerorum eruditionem, doctrinamque intelligit Origenes homil. 5. in lib. Iudic. ergo ipſo puerorum lacte ſopitur Siſara, & transfoditur lethali plaga. Accipe Adamantium: *Siſara aquam petit, Iaël verò lac tribuit: lactis cibus dicitur in Scripturis ſanctis doctrina, quæ incipientibus vel paruulis traditur.* Ecce paruulorum doctrina Siſara ſopitur, & iam ſopitus transfoditur: *Iſte cibus*, addit Origenes, *his qui ad bonum tendunt, vitam tribuit*, & ſalutem; his verò, quibus contraria placent, quibus luxuria, libido, auaritia, & omnis impietas cordi eſt, *necem.* Eiſdem cibis aluntur boni, ſuffocantur mali, & vbi piis vita, impiis mors. Siſara vitiorum Princeps, paruulorum vita necatur, & doctrinæ lacte ſopitur: & quid dæmoni pernicioſius, odibiliuſque, quam ſanæ doctrinæ lac, quo pueri ad virtutem nutriuntur, & probis moribus infolmantur? O quam ſe Iaël diſertam exhibuit cùm lacte, hoc eſt, vtiliſſima puerorum eruditione via eſt ad infligendam Siſaræ necem, & conciliandam copiis vitiorum ſtragem.

Plutarch. Nutrix moratæ eſt eligenda.

Iuuentus mollis eſt.

Nonnulli parentes ſera educationis filiorum pænitentia affliguntur.

Seneca. *Adulta vitia difficulter præciduntur.*

Origen.

Iſaias gratiæ tempora feliciſſima annuntians, ruinamque vitiorum prænotans aiebat: 153.
Iſai 11. v. 8.
Delectabitur infans ab vbere ſuper foramine, aſpidis, & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manum ſuam mittet. Non nocebunt, & non occident in vniuerſo monte ſancto meo: quia repleta eſt terra ſcientia Domin. Regulus cauernoſis in an-

Digitized by Google

ttis degit; verùm lacte ſanæ doctrinæ innutritus manum ſuam mittet, & premet: ab ipſo vbere fugit infans. quo ſuper foramina aſpidis delectetur, quia aſpis ipſo pueri oblectamento cruciatur: quam horret aſpis, quibus pueri nutriuntur, vbera, quam ad illa inſumenda calumniarum conglomerat arma. Certè hæc puerorum vbera ſunt ſicut turris, ex qua clypei mille dependent, non ſolum ad retundendos hoſtiles ictus; ſed ad duros hoſtibus infligendos cruciatus. Et quidem vt quæ nobiſcum vitia creuerunt, difficulter teſte Seneca præciduntur, ita quæ ab vberibus coaluerunt virtutes, difficulter ſeparantur: *Infans qui malitia paruulus eſt*, ſcribit Hieronymus, *mittet manum in foramina aſpidis, & de obſeſſis hominum corporibus fugat dæmones.* Ecce fugantur dæmones lactentis manu, & lac ipſum, quo in vitam alitur infans, vires præbet, vt pereat aſpis. Iam bonis moribus innutritus, quantumuis fuerit infantiam tranſgreſſus, non facilè degenerabit; imò in adoleſcentiæ iuuentutiſque flore, vbi alij infauſta ſuſtinuere ſæpè pericula, feliciſſima de hoſte aſſequetur trophæa: *Qui ablactatus eſt*, ſubnectit Hieronymus, *& nequaquam lacte nutritur infantiæ; ſed iam ſolido veſcitur cibo, iſte in reguli cauernam mittet manum, hoc eſt in ipſius Sathanæ habitaculum, & inde eum extrahit.* Iure pauet regulus ſolido ab vberibus lacte paſtum: quia iam in ipſa infantis educatione ſibi præſagit excidium. O ſi parentes ſtudioſa ſolicitudine filiorum curarent educationem, eoſque traderent erudiendos magiſtris, qui heroica virtute nitent, & ſcientia erudiriſſima florent.

154. Cum crudeliſſimum tyranni edictum cingeret veluti obſidione naturam, natus eſt Moyſes adeo elegans, vt parentis animos nouo ſupra naturam amoris philtro vinciret, & pericula deuorare ſuaderet, tribus menſibus non ſine diſcrimine abſcondunt, & Hebræo lacte innutriunt: *Videns eum elegantem abſcondit tribus*
Exod. 2. v. 2. *menſibus:* fluctibus tandem non ſine decenti cautela traditur; ſed per fluenta expers periculi diuinæ prouidentiæ gubernaculo ſcirpea fiſcella aurigata fertur, tandem puer à Pharaonis filia extractus, iterum ipſius matri alendus committitur: *Perrexit puella, & vocauit matrem ſuam.* Firmiter adeò Moyſis cordi lac eruditionis adhæſit, vt tranſlatus etiam ad aulicorum palatium, vitijque emporium à virtute nullatenus deuiarit; imo de Ægyptiis deterendis, delendiſque egerit, nec abſque arcano myſterio pueri huius educatio refertur à quo Pharao eiuſque exercitus fluentis extinguitur, vt iam ipſum educationis lac & Pharaoni præſagiret
Philo. excidium, & Hebræorum populo leuamentum. *Ferunt*, ſcribit Philo lib. 1. de vita Moſis, *infantem vt alienum ſuæ matri commendaſſe, eamque libenter pollicitam ſuam operam in nutricando tamquam mercedis gratia, Deo prouidente, vt prima educatio contingeret infantis domi apud hos ipſos, à quibus procreatus fuerat.* Subnectit Hebræus eruditus poſt pauca: *Vbi maioribus quam pro ætate incrementis auctus maturè ablactatus eſt, mater eadem & nutrix eum reddidit ei, à qua acceperat, eleganti ſanè præditum indole.* Dum præditus concinnis moribus redditur, aduerſus tyrannidem obarmatur: non potuit non ingentem Ægyptus ab eo plagam accipere, quem conſtabat ſano virtutis lacte ab vberibus innutritum, & honeſtis moribus informatum.

Iubet Abrahamum Deus de filio adhuc paruulo ſibi offerre ſacrificium: ille, vt erat Dei 155.
amans, vt Numinis ſe probaret ſeruum, neſciuit patrem: in montem ducit puerum, ibique rebus ad ſacrificium pertinentibus ritè diſpoſitis teneras alligat manus, & faſcia conſtringit pedes, ne vel leuem motum vindicarit ſibi natura; ſed omnes gratia. Quid tunc? *Multi-* Gen. 22. v. 17.
plicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli, inquit Deus, *& velut arenam quæ eſt in littore maris, poſſidebit* Rupert.
ſemen tuum portas inimicorum ſuorum. Deterendas inimicorum portas prænuntiat, hoc eſt, dæmonum poteſtates, cum puer totus ad pietatem eruditur, & ligatus aris offertur. *Portæ inimicorum*, inquit Rupertus apud Lippomanum, *poteſtates ſunt tenebrarum.* Ecce Abrahamus filium ligans inimicorum deſtruxit portas, & callidas cluſit verſutias. Ecce puer clariſſima luce fulgens nocturnas vmbras depellit, & arenæ ad inſtar inſanos refrænat æſtus, & æſtuantes cohibet fluctus: & totum hoc quia eius pater maturè dicauit aræ, & educationis frænum iniecit tempeſtiuè naturæ: *Cum gaudio vnici pignoris alligat manus*, ſcribit Veronenſis Zeno ſerm. 1. de Abraham, *quas ille vinciendas* Zeno.
libentius offert: pedes quoque conſtringit, ne in exitu mortis concitata victima calcitraret: ſecurus enim pater optimus timuit, ne dolori aliquid liceret in mortem. O fratres, ſecura deuotio. Ecce ſecuriſſimam contra ingruentia pericula deuotionem, in filio ſcilicet iuuene naturæ impetum religioſis ligaturis edomuiſſe, & virtutibus decenter aptaſſe: hæc ligatura fuit, quæ tenebrarum poteſtates vinxit, quæ inſanientes tentationum fluctus coëgit, quæ pudici pueri caſtitatem numeroſa poſteritate donauit. Certè ſi Iſaacus nullis ligaturis fuiſſet conſtrictus, nulla patris ſolicitudine ſacrificiis aptatus, forſitan reſiliret, & naturæ ſecutus impetum gratiæ deſpiceret magiſterium; at dum vera patris charitas tenerè dilectum puerum non recuſat comprimere, dum naturæ non refugit vim inferre, placidiſſimis filij lætatur moribus, & trophæis exundat hoſtilibus. O deuotio patri & filio ſecura, & ſoli dæmoni calamitoſa! Lætatus eſt pater filio quoque gaudente: quia religioſa illa vincula exiguum aut nullum dolorem attulerunt, & ne fugeret, felicitatem ligarunt. Paſſus eſt puer; ſed tempore exiguo, & dolorem leniuit grandi felicitatis præſagio: lucroſum commercium fuit modico tormento non modicum emi gaudium, & lachrymulis verum ablegare periculum. Certè niſi ligaſſet ſtrictè, pater compaſſionis non ſubiret cruciatum; ſed nec lætus futurum audiret triumphum; at dum florentem ætatem vtili rigiditate adaptauit virtuti, ingentem calamitatem, aſciuit dæmoni. Ergo diſcant parentes filiis nec peccati vmbram permittere, ſi exambiunt de illorum felicitate gaudere.

Sponſus Sponſæ felicem pulchritudinem 156.
laudans ſic de vberibus aiebat: *Duo vbera tua* Cant. 4. v. 5.
ſicut duo hinnuli capræ gemelli, qui paſcuntur in
liliis. Cur hinnulis exæquarit vbera rogant in- Nyſſen.
terpretes: placet inter alios Nyſſenus hom. 5. ſic fatus: *Dele peccati generationem, ſicut hinnu-*

li

Digitized by Google

lus delet ſerpentes, qui conſumit genus ſerpentum. Hinnulus ingenita ſibi proprietate ſerpentibus aduerſatur, & fraudulentis dolis opponitur. Ergo Sponſę vbera dum ſalubri eruditione nutriunt infantes, hinnuli ad inſtar conſumunt fraudulentos ac venenatos ſerpentes: ipſum lac in ora paruulorum infuſum ſerpentibus eſt venenum: ergo vbera ſerpentibus hinnuli ſunt: nam ſi hinnuli eos non ſolum fugant; ſed deuorant; ita vbera dum cæleſti doctrina paruulos alunt, doloſas dæmonum fraudes eneruant, & dæmones ipſos fugant.

---

§. XXXVI.

Non ſemel fæminæ dum ad ſpeciem gratius blandiuntur, firminſque promittunt, fallere certius diſponunt.

157. IN doli ſchola erudita mulier ſic peſſimi exercet artem magiſtri, vt viræ ſpecie intulerit mortem, & quo blandius adulatur, dirius graſſetur. Amicitiæ leges nunquam à ſe violandas promittit, & dum firmius promittit, celerius frangit: ea fœminæ verſutia florent, eo ad fraudes concinnandas ingenio vigent, vt cùm longius à fallacia videantur diſtare, tunc certius ſit captioſas fraudes innectere: *Illuminemur oculis*, aiebat Nazianzenus orat. 18. *vt rectè cernamus, ne meretricium vllum, & obſcœnum ſimulacrum ex ſtudioſo & ſupernacaneo aſpectu conſlatum in nobis ipſis circumferamus.* Ni velis doloſam fraudulentamque pectore circumferre imaginem, mulieris non admittas effigiem: pulchritudinem mentiuntur, vultum ſuum variis picturis adulterant, & adulteratum variant. Et quid ſolidi, verique expectes à forma multiplici ſibi ipſi mentienti, & mendacia ſæpè alternanti? *Mulieres fuge ſicut ſerpentes*, aiebat Bonauentura in regul. nouitior. cap. 11. Profectò ſerpens dum vanis, mentitiſque animum alliciebat ſpebus, miſerandis adurſit caſibus: nec mulieres hoc edoctas credideris aliud executuras: tunc ruinam miſeriamque ſtudioſius puta concinnare, cum felicitatem certiùs videntur promittere. Certè mulier eſt doli officina, fallaciæ ars, calamitatis vena, mendacij interpolatrix, & fraudis nutrix. *Niſi ſermonum ſemine proborum impleantur*, aiebat Plutarchus de tractanda Republica, *vel in partem veniant cum viris doctrinæ, ipſa per ſe monſtroſa multa, & praua conſilia, motuſque concipiunt.* Videntur ſaluti conſulere; ſed inueniuntur lamentis miſeris militare. Ecce Iael mulieris dolos ſine crimine expreſſit, & ad noſtram eruditionem non ſine myſterio adumbrauit: *Aquam petenti lac dedit*, ſcribit Debbora, *& in phiala Principum obtulit butyrum.* Siſaram officiis obſequioſiſſimis venerata eſt, & aquam petenti lac obtulit, quo ſibi chariorem, & venerabiliorem oſtenderet. Quid tunc? *Siniſtram manum miſit ad clauum; & dexteram ad fabrorum malleos: percuſſitque Siſaram.* Lac propinabat ad ſpeciem obſequioſior, & amicior; ſed dum ſpecie tenus teſtabatur obſequium, concinnabat ipſa dulcedine dolum: porrigebat dextera auream Principi phialam; ſed diſponebat ſiniſtra plagam: obſequium ipſum etſi laudabili arte neci ſeruire coëgit, & officium ad honeſtum dolum detorſit. Siſara mulieris fidens obſequio ſe illi ſeruandum credidit, & firmiſſimè illa promiſit; at cum promiſit, occidere cogitauit: *Dixit Siſara ad eã: Sta ante oſtium tabernaculi, & cùm venerit aliquis interrogans te, & dicens: Nunquid hic eſt aliquis? reſpondebis: nullus eſt.* Iudic. 4. v. 18. Blandiſſimis verbis omnem timorem depulit, vrbaniſſimiſque officiis omnem à Siſaræ animo anxietatem exterminauit: *Intra ad me Domine mi, intra ne timeas:* ſed dum conſulit non timere, diſponit clauo transfodere: putabat ille poſt tot belli fluctus ſecurum intraſſe portum; ſed in potu luctuoſius eſt expertus naufragium. Victus eſt grata mulieris fallacia, qui armatorum deuictus non fuerat copia: promiſit Iael, & quo ſecurius pararet excidium, ſolicitius depulit metum: *Credendum eſt*, ſcribit Abulenſis quæſt. 19. *quod Iael ſpoponderit Siſaræ ſe ſic reſponſuram & facturam ad ſalutem eius quæcumque poſſet, cùm recepiſſet eum, & vocaſſet benigne: quia alias non manſiſſet Siſara ſecurus in domo eius.* Iaëlis promiſſis imprudentiſſimè credens Siſara metum ſopiuit, & ſoporem ſibi nihil veritus conciliauit; at fœmina dum pio dolo dubietatem omnem depellit, nimis credulum ſecurius fallit. Et quidem admiratione eſt digniſſimum fiſum eſſe ſibi promiſſis, cùm cæteris omnibus impoſituram & falſuram exiſtimaret. Sic excutiuit, ſic imprudenter credidit, vt ſibi vni exiſtimaret fidelem, quam cæteris omnibus non dubitabat fallacem: vt quærentes eluderet, mulierem conſtituit ad oſtium, vti egregiam mendaciorum artificem, fallendi peritam, & ad veritatem innubilandam ſatis expertam, & quam cæteris credebat doloſam, imprudenter deluſus promiſit ſibi veridicam. Adde eo mulieres fallendi magiſterio pollere, ſic doloſitatis arte creaturas cæteras ſuperare, vt dæmon ipſe mulieris mutuatus ſit formam, quo ſecurius intruderet mundo fallaciam.

Degebat Adamus illo deliciarum topiario, 157.
vbi innoxia erat voluptas carens ſerpentino veneno; verum ad inuidiam excitatus eſt ſerpens & quo inferret bellum auctori, captioſas molitus eſt inſidias imagini, mulierem alloquitur, diuinitatem offert, immortalitatem promittit: *Nequaquam morte moriemini: ſcit enim Deus quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut dij.* Si animum introſpicias, cruentiſſimam accurrit ad cædem; Gen. 3. v. 5. ſi labia attendas, loquuntur pietatem. Audi Baſilium Seleucienſem orat. 3. *Humanitatem ſimulat cùm ad cædem accurrat, & commiſerationis obtentu conatur ſeruum cum domino committere.* Itaque dum ſerius ſecuriuſque promittebat, dolos fraudulentius parabat. Iam quàm induerit faciem roga in hiſtoriis ſcholaſticis Magiſtrum, & ſcies vultum induiſſe virgineum. *Ille ſerpens*, ſcribit apud Abulenſem hic, *habuit vultum virgineum, vt magis Euæ complaceret.* Itaque dæmon ipſe, dum fallaciam cupit ſuccedere, fœminæ vultum conatur aſſumere, & tunc mores muliebres imitatus ſecuritatem omnimodam pollicetur, nec calamitatem ab hominibus pomi beneficio minus diſtare, quam à Deitate teſtatur; ſed dum aſſeuerantius teſta-

Nazianzen. *Vitanduſ fæminæ aſpectus.*

Bonauent. *Mulier vt ſerpens fugienda.*

Plutarch. *Monſtroſa conſilia mulieres concipiunt.*

Abulenſ.

Seleucienſ.

Hiſtoria Scholaſt.

tur, plus & doloſius mentitur: ergo ſcito hoc mulieribus innatum prorſus ingenium, mendacium ſcilicet veritatis colore obtegere, & integumentis multiplicibus colorare. Dum aſſeuerantius promittunt, fuge, quia certius tunc fallunt.

159. Reſurgente Domino antiqua tartari lex mutatur; iam veſper inchoat, non finit diem, nec parturit tenebras; ſed claritate depellit vmbras: elementorum auctor vices elementorum immutat, vt in reſurrectione Domini totum diuinum ſentias, nil humanum: vt antiquum conſpicias non ſeruatum ordinem; ſed inuerſum. Ergo Angelus Domini aduentantes fœminas remittit ad Apoſtolos, vt teſtentur illis reſurrexiſſe vitam, & periiſſe à dæmone intruſam olim fallaciam: *Cito euntes dicite diſci-*
Mat.29.v 7. *pulus eius, quia ſurrexit.* Chryſologus, vt erat acri ingenio miratur ſerm 76. fœminas conſtituiſſe Angelum veritatis internuntias, cum fœmina fuerit mortis telum, veritatis venenum, fraudis aſylum Quid ſperent Apoſtoli à fœminis, quando noſcunt promiſiſſe olim homini immortalitatem, vt ianuam orco aperirent, & hominis felicitatem delerent? aſt hic Angelus non fœminas miſit, ſed Eccleſiam; vtque Domini reſurgentis clariori luce reſplenderet potentia, ſic antiquum ordinem inuertit, vt iam mulier nulla deturperatur fallacia; ſed indubia hominem
Chryſol. reſurrectionis exhilararet notitia. Accipe Chryſologum: *Angelus hic non fœminas; ſed eccleſiam duabus in fœminis mittit: vnam mittit; vt eam mittendo ſic longè lateque diffundat.* Neceſſum fuit vt fœminę Eccleſiæ perſonam gereret, ne dum vitam promittunt, mortem inferant, & hominem fallant. Certè Eccleſia nequit mentiri; nec poteſt fallere; at vt reſurgentis noueris poteſtatem, Eccleſiam modò conſtituit in fœminis, quas & purgauit fallaciis. Sola Chriſti Domini omnipotentia potuit efficere, vt mulier promittendo non falleret, nec mortem intruſerit, dum vitam ſeruis promiſerit: ni Angelus duabus in fœminis contemplaretur Eccleſiam, non mitteret ad denuntiandam homini gloriam; at quia in illis non conſiderauit innatum ingenium; ſed iniunctum à Domino officium, miſit vti veritatis indices, & felicitatis interpretes: *Angelus hic non fœminas; ſed Eccleſiam duabus in fœminis mittit.* Et quid ſperes à fœminis politulis, & vanitulis, quando verum dicere nec piis fœminis commiſit Angelus; ſed opus fuit Eccleſiam repræſentare, vt reſurrectionem poſſent aſſerere.

160. Prudentes quidquid mulieres ad ſpeciem moliuntur, in contrariam partem vertunt, vt illatum venentur ſtudium; imprudentes verò fucatis credunt blanditiis, verbis capiuntur adulatoriis, nec inhiare præſumunt ſanguini;
Zach 5. v. 9. ſed deluſi putant ſtudere ſaluti. Zacharias leuauit oculos, & mulieres vidit miluorum alis ſtructas, celeriterque inuolantes, vt amphoram detulerint in terram Sennaar, quo illic ad ſpeciem ſuffulta ſtabiliatur, & ſtabilita firmetur: *Habebant alas, quaſi alas milui, & leuauerant amphoram inter terram & cælum.* Alæ ad
Hugo. ſpeciem leuant; ſed dum videntur leuare, fraudulenter moliuntur conſumere. Adeſt Hugo Cardinalis, qui ex Symmacho, vbi noſter textus legit *milui*, tranſtulit *Herodionij*, de cuius ingenio diſſerens ſic ait: *Per Herodionem ſanguinarium & ſæuiſſimum, & pugnantem ſcelerum ipſorum varietas intelligitur.* Itaque Herodionis aſſumunt alas, quibus reuera ſanguinem ſugant, & quibus ad ſpeciem leuare intendant, Quid moliuntur improbæ illæ fœminæ? Certè nihil aliud, quam ſanguinem ſugere, & ſe nutrire. Quod promittunt, eſt eleuare. In Sennaar contendunt amphoram ſtabilire, cùm moliantur frangere, & fragmenta ſibi diripere. Redeat iterum Hugo: *Ipſe diabolus, qui eos in ſuperbiam leuauit, & faciliter & velociter ad iniquitates primo, & poſtea ad captiuitatem portauit.* Diſcupiebat diabolus homini eludere, & ſtabilimenti ſpecie duris vinculis, iugoque premere: ergo mulierum facies aſſumpſit, quæ amphoram firmare ad ſpeciem ſatagerent, eleuareque ſimularent, vt ad captiuitatis miſeriam ducerent, & duriſſimo iugo premerent. Recogita tecum quid fraudulentiſſimæ meretrices promittant voluptatis delicias, deliciarum diuturnitatem, iucunditatem innoxiam, obſequia, officia; ſed tunc Herodionis ad inſtar non ſolùm diuitias; ſed etiam ſanguinem ſugant, & iam miſerum amaſium blandis amoris cæciſſimi vinculis illigatum opprimunt vti captiuum. Ducunt ad miſerabile iugum, & mentiuntur optare ad ſalutis, voluptatiſque fulcimentum. Ad captiuitatem portauit. Quid certius? Quid vſitatius? Huc Bernard.
voco quod aiebat Bernadus epiſt. 2. ad Fulconem puerum: *Blanditur; ſed ſub lingua eius labor & dolor: lachrymatur; ſed inſidiatur: inſidiatur, vt rapiat pauperem, rapere pauperem, dum attrahit eum. Caue, inquam, fili mi, ne acquieſcas carni.*

§. XXXVII.

Etſi aliquando inimicus indulgeat, non erit ad vtilitatis commodum; ſed ad doloris augmentum.

DEcet benignitatem feſſos refouere, & op- 161.
preſſos calamitatibus ſubleuare: delinitur calamitas, ſi compatiatur benignitas: *Non ſentitur incommodum,* aiebat Caſſiodorus 4. var. Caſſiod.
19. *ſi quod per aduerſitatem conſtat oppreſſum conceſſa proſperitas oſtenderit ſubleuatum.* Si concedatur proſperitas ad calamitatis leuamentum, acerbitatem emolliet caſuum; at ſi fellita indulgentia eleuet ad ruinam, non erit benignitatis fomentum; ſed deteſtabile nocendi artificium. Subleuatur aliquando caris induciis aduerſitas, & incipit arridere felicitas; ſed vt qui ſe ſperabat aliquando fore proſperum, grauius doleat, ſi duris ſe cladibus experiatur oppreſſum. Calamitatis nox tunc eſt infeſtior, cùm præcedentem obſcurans proſperitatem, vt eſt ingratior caligo, quæ ſereniſſimam Solis innubilat lucem. Hinc qui ſtudioſiſſimo nocendi inardeſcunt pruritu, alleuant, vt allidant: demulcent mollius, vt feriant durius: permittunt aliquando proſpera, vt incrementarint aduerſa. Torquendi ingenium eſt ſanare vt ferias, ſaginare vt iugules, procurare ſalutem, vt ſæpè repetas & lædendi voluptatem. Ad Iaelis tentorium inuolat Siſara cæli fragoribus perculſus, ingenti ſuorum clade

de

Digitized by Google

de obturbatus,& inſtãtis metu periculi oppreſ-
ſus. Quid tunc? Iaël blandiſſimis verbis re-
creat,dulciſſimum lac ſitienti propinat, & quo
feſſos artus recreet, locum accommodat:
*Aquam petenti lac dedit, & in phiala Principum
obtulit butyrum.* Audis quàm indulgenter ſe
geſſerit, quàm benignè exceptum demulſerit:
audi modò ad quid vocarit ſomnum,& pararit
ſtratum. *Siniſtram,* inquit, *manũ miſit ad clauum,
& dexteram ad fabrorum malleos,percuſſitque Si-
ſaram quærens in capite vulneri locum, & tempus
validè perforans.* Nequiret fœmina validè trans-
figere expergefactum,tranſuerberare potuit ſo-
pitum: ergo illi conciliauit pia fraude dulciſſi-
mum ſomnum,quo poſſet validius adigere ſen-
ti clauum. *Cum aquam præbere poſſet,* ſcribit Arias
Montan. Montanus, *lac tamen dederit,cuius vis ſopire ma-
gis, quam ſitim extinguere poſſet. Quod tamen
cum laſſis non ita conueniat, vtpote quibus ventri-
culi calor ſi vehementior æquo eſt,exuri lac,caput-
que tentare faciat;ſi minor, aceſcere cogat; tamen
illa adeò prudenter præbuit, vt recuſare ille non
potuerit.* Obſequij gratiſſimi ſpecie captioſas
colorauit inſidias,& inimico præbuit dulcedi-
nem,vt duriorem, miſerabilioremque porteret
inferre mortem. O fuge inimicorum obſequia,
& time dæmonum aduerſantium officia: ſæpè
enim tibi deliciatum, voluptatumque gratas
occaſiones conciliant, vt ſtragem miſerrimam
patiant.

162. Pharao ille nequiſſimus eo in populum odio
ardentiſſimo exæſtuabat, vt viribus eiſque po-
tentiſſimis verſutiſſimam calliditatem adiunxe-
rit,quo faciliùs citiuſque deleret:obſtetricibus
horrendum facinus imperat,vt ſcilicet munus
leuandi parturientium labores, detorſerint ad
inopinas puerorum ſtrages;verùm cùm impium
adeò facinus detrectarent,publico edicto inſa-
niuit in naturam, & omni prorſus verecundia
Exod. 1. v. 22. nudatus,ſecutus eſt temeritatis inſaniã: *Quid-
quid maſculini ſexus natum fuerit,in flumen proij-
cite, quidquid fœminini, reſeruate.* Natura velut
obſidione cingebatur,explorabantur parturæ,&
puer ſolare nondum iubar contuitus fluentis
tradebatur obliterandus. Et quæ huius edicti
pars tibi videtur & moleſtior & durior? mares
occidere, an fœminas reſeruare? Videbatur ad
ſpeciem temperaſſe benignitate truculentiam,
& feralem indulgentia ſæuitiam;verùm ea erat
nocendi rabies, vt fœminas reſeruaret, non ad
doloris ſolatium; ſed ad calamitatis augmen-
tum. Hebræorum fœminis ſanè pulcherrimis,
faciéque decoris ad explendam impotentiſſi-
mam libidinem abutebantur, ancillarum loco
illas habebant,& vti ancillas,& quaſi de lapide
emptas durè tractabant:ergo parentibus grauior
erat dolor videre filias grauiorem morte vitam
ſuſtinentes,& mortem deſiderantes. Itaque illa
erat miſericordia fellita, indulgentia pernicio-
Abulenſ. ſa. Adeſt Abul. q. 5. *Quia fœminæ Hebræorum pul-
chriores erant fœminis Ægyptiorum,ideò ipſi Æ-
gyptij,qui libidinoſi valde erant,deſiderabant val-
de Hebreas ad explendam in eis ſuam libidinem.
Quartò quia volebant eas Ægyptij ad famula-
tum, vt vxores eorum quaſi dominæ eſſent.* Cùm
durior ſit homini probo propudioſa vita,quàm
mors honeſta, grauior dolor accreſcebat He-
bręis ex fœminarum reſeruatione,quàm ex maſ-
culorum nece, & trux ille inimicus diriùs de-
ſæuiebat fœminas cuſtodiendo,quàm maſculos
iugulando. Non erat fœminarum exceptio be-
nignitatis conſilium;ſed feritatis ingenium.

Filij Iſrael duriſſimis verberibus nondum ad 163.
prudentiam eruditi obſtinato animo erroribus
inſeruiebant, & figmentis fabuloſiſſimis thura
litabant. Malitiæ improbitatem ſupplicij co-
mitabatur acerbitas,ſi poſſet eos ad mentem du-
ra reduxiſſe calamitas: *Fecerunt filij Iſrael malum* Iudic. 6. v. 1.
*in conſpectu Domini, qui tradidit illos in manu
Madian ſeptem annis & oppreſſi ſunt valde ab eis.*
Huius vehementis oppreſſionis miſeriam tex-
tus ſubiecit: *Cum ſeuiſſet Iſrael, aſcendebat Ma-
dian & Amalec, cæterique orientalium nationum,
& apud eos figentes tentoria, ſicut erant in herbis,
cuncta vaſtabant.* Commiſeratione erat digniſ-
ſimum Hebræos nec frui otio, nec laboris fru-
ctu: non licebat illis flauas colligere meſſes,
nec vitabant improbos colendi terram labores;
verùm etſi hæc calamitas aliquo tempore durè
oppreſſerit, alio tamen non ita durior exarſit.
Non aſcendebant Madianitæ ſationis tempore,
hyemis tempeſtate;ſed tempus illud ſecuro per-
mittebant otio, etſi vernum tempus deſtinaue-
rint bello: ob idque hæc calamitas aliis erat ad
ſpeciem mitior & temperatior:Cur ergo textus
illam exaggerat, & duriſſimam prædicat: *Op-
preſſi ſunt valde.* Quia illa ipſa indulgentia,re-
ſpondet Ioſephus, erat nocendi artificium, &
ſæuitiæ feralis ingenium:non concedebant He-
bræis inducias,vt eo tempore reſpirarent,ſed vt
illorum calamitatem augerent:ſerebant,& cùm
iam adultæ meſſes,& fere explicati fructus adu-
larentur ſpebus, arbitrabantur Hebræi poſſe ſe
partis modò è terra diuitiis egeſtatem depelle-
re, & improbas agriculturæ ærumnas ſolari.
Quid tunc? Inuolabat truculentiſſimus inimi-
cus,vt diſpoliaret diuites, & diuitiis raptis in-
crementaret dolores. Audi Ioſephum antiquit. Ioſeph.
c. 7. *Madianitæ per æſtatem facientes expeditio-
nem, hyeme agros colere Iſraelitas permittebant:*
annectit indulgentiæ cauſam: *Vt poſſent denuo
labores eorum vaſtare.* Ni Hebræi agros excole-
rent,ni fructibus exundarent, hoſtium rapaces
non paterentur manus,& omnia deterrentes ad-
ſultus. Ergo Madianitæ,vt ſæuiorem illis intu-
lerint cladem, concedebant illis campis exco-
lendis hyemem.

Producamus, etſi obiter, duplex Scripturæ 164.
exemplum: vtriuſque Saul artifex fuit dum A-
gag ambitioſiſſimè parcit, & Dauidi pernicio-
ſiſſimè indulget:iubet Deus Amalecitas peni-
tus delere: adeò acerba ſine dubio illorum fue-
runt peccata, vt nulla pientiſſimum Numen
permiſerit remanere veſtigia. Saul, vt aiebam,
cupiditati,ambitionique imprudenter adulatus
pietatis ſpecie tranſgreſſus eſt diuina mandata, 1. Reg. 15.
& Agagum donauit vita: *Pepercit Saul & popu-* v. 9.
*lus Agag,& optimis gregibus ouium, & armento-
rum.* Huius iniquæ miſericordiæ varias ſacri in- Hugo.
terpretes cauſas adducunt. Hugo Cardin. putat
reliquiſſe Agag viuum: quia fornicem ſibi
triumphalem decreuit erigere, & ad ſuperbio-
rem triumphi pompam Regem oppreſſum vin-
culis voluit deferre. *Apprehendit Agag regem
Amalec viuum ad gloriam ſui triumphi demon-
ſtrandam. Ita dicit Gloſſa.* Cùm homini clara ſtir-
pe exorto proboque acerbior morte fuerit in-
decora,& probroſa vita, ipſa Saulis ad ſpeciem
leniras

Digitized by Google

lenitas erat grandior Agag calamitas: conducibilius erat interfici, quàm ad victoris gloriam ignominioſis vinculis regem ante thædam captiuum duci. Itaque acerbior erat Saulis indulgentia, & plena felle miſericordia: nec aliter inimicus indulget, niſi vt adaugeat pœnam, & multiplicet ærumnam. Non ſemel noſter hoſtis diabolus præbet occaſiones voluptuoſæ indulgentiæ, & delicioſæ commoditatis: ſed mihi crede, ſolum indulget ad pœnæ cumulum, & ad doloris augmentum. Ergo deteſtare miſericordiam fellitam, & fuge indulgentiam, tibi ſine dubio caram.

165. Succedat ſibi ipſi Saul, de cuius mentis arce ſic deturbabatur prudentia, vt delinqueret parcens, & peccauerit furens: in Dauidem ardentiſſimo odio inflammatur, nulla iuſta commotus cauſa; ſed tabida aduſtus inuidia: cúmque ſæpè contortis telis iniqua eius ſpes doluerit eluſa, & deſiderio fruſtrata, aliò vertit animum, & ſollicitat ad ſpeciem honoris augmentum: filiam dare vult, vt amoris ſpecie effugiat inuidiæ notam, & ferè ineuitabilem aſciſcat ſtrenuitati miſeriam: *Mandauit Saul ſeruis ſuis: loquimini ad Dauid clam me dicentes: Ecce places regi, & omnes ſerui eius diligunt te: nunc ergo eſto gener regis.* (1. Reg. 18. v. 22.) Beneficium teli adinſtar intorquebatur, & Saul indulgendo Dauidi duriùs graſſabatur. Adeſt Baſilius Seleuc. orat. 16. (Seleuc.) *Inuiſo Dauidi filiam dare vult, non quò exoſum coboneſtaret; ſed vt filia nuptiis cædem emeret.* Cruenta erat beneficentia, & fraudulentiſſima gratia: Dauidi ſibi inuiſo ad ſpeciem benefaciebat; non tamen vt benefaceret; ſed vt citiùs præconſumeret: huiuſmodi ferè ſemper ſunt hoſtis beneficia, & liberalitatis feralis gratia.

§. XXXVIII.

Stultiſſimus inuenitur, qui ad ſalutem aliena confidit cura, ſi propria reſoluatur ignauia.

166. Plures tenet & ſalutis deſiderium & voluptatis ſtudium: diuerſiſſimi, contrariique præcordiis arietantur affectus, & nihilominus ſatagunt pace apparenti inutilique concordare, ne cogantur aut alterum affectum pellere, aut repugnantes ſecum adſultus pati: anhelãt tranquillitate frui, ſalutem conſequi, pace gaudere; ſed nolunt proprio ſibi prouidere labore; ſed aliorum committunt curæ, & confidunt imprudenter ſatis ſolertiæ: *Omne honeſtum*, aiebat Senec. epiſt. 66. (Senec.) *voluntarium eſt: admiſce illi pigritiam, querelam, tergiuerſationem, metum: quod habet in ſe optimum, perdidit.* A ratione aberrare conuincitur, qui vult arctiſſimo fœdere coniungere & pigritiam & honeſtatem, frui laude, & laudem ſibi alieno comparare labore. Non eſt virtus ex iis, quæ ſeruili manu elaborantur, aut ſudore alieno obtinentur: *Omne honeſtum voluntarium eſt*, id eſt voluntatis partus, & honeſtæ ſolertiæ fructus: Nonnulli inuenire ſatagunt aliquos, qui indefeſſis vigiliis inertiam ſuam protegant, qui meticuloſam conſcientiam protectione inutili fallant: tibi laborandum, ſudandumque eſt, ſi cupis reportare triumphum, & futuris ſæculis tranſmittere famæ elogium. Ecce Iaël laudibus digniſſimis celebratur: quia ſiniſtram manum miſit ad clauum, & dexteram ad fabrorum malleum: *Siniſtram manum miſit ad clauum, & dexteram ad fabrorum malleos*: percuſſitque Siſaram quærens in capite vulneri locum, & tempus validè perforans. Aggreſſa eſt opus ad ſpeciem fœminæ alienum, cùm prudentia vt videbatur, conſuleret expectare Baraci milites, qui necem tyranno inferrent, non plagam propria manu non ſine gradi periculo adigere. O prudentiam venturis ſæculis decantandam! Erat Iaël honeſtæ laudis auidiſſima, noſcebatque nullum ſibi alieno labore comparare gloriam; ſed propriis geſtis nutriri famam: ergo laudabiliter ambitioſa miſit manum ad clauum, & occidit inimicum. Adeſt Abulenſis quæſtione 21. ad 4. (Abulenſ.) Iudice. *Alia ratio fuit: quia fortè Iaël erat mulier auida laudis, & quia occidere iſtum Principem erat magna gloria, cùm eſſet tam potens, potius ea voluit eum occidere, quàm tradere alteri occidendum.* Si expectaſſet alienam induſtriam, adeò magnam conſecuta non eſſet gloriam; at dum ad opera accingitur, vti fortiſſima, promptiſſimaque æternis laudibus celebratur.

Hanc veritatem ſuffulciat ipſe Siſara aliena induſtria confidens, & ignauia propria dormiens: conſeruerat cum Baraco manus, & 167. quamuis penè innumero milite, falcatoque curru exundanti dubia non videretur victoria; euentus tamen oſtendit, quàm parum iuuent humana ſubſidia, ſi cæleſtia contra militauerint arma: fugit profligatus, & anxio anhelitu in Iaëlis tabernaculum ſe recepit: ibi tantiſper recreatus, lacteoque potu ſomnolentus Iaëlem monuit, vt vigilanti ſolertia illum operiret, & ſolerti vigilantia ante tabernaculi fores ſtans milites inſectantes fruſtraret: *Sta ante oſtium tabernaculi, & cùm venerit aliquis interrogans te, & dicens: Numquid hic eſt aliquis? reſpondebis: nullus eſt.* (Iudic. 4. v. 20.) Duo hic coniunxit Siſara, indulgere ſcilicet ſomno, occurrereque periculo; verùm dum periculo voluit occurrere aliena vigilia, cùm inerti ſomno traderetur ignauia: dignam ſtultitiæ pœnam pertulit, & transfoſſus vitam amiſit: *Veluti ancillam in ſui cuſtodiam conſtituendam putabat*, ſcribit Arias Montanus hic; *ſed reapſe nobis vaticinatus magis atque id quod futurum imminebat, prolocutus videtur.* (Montan.) Monuit Iaëlem, vt virum nullum ibi latitare, quærentibus reſponderet, & quidem ipſe iure ſe priuauit viri elogio, dum alieno ſe committebat ſtudio: nec enim erat homo ratione præditus, qui difficili adeò rerum ſtatu fidebat aliena induſtria, cùm propria reſolueretur ignauia: Et vtinam ſolus Siſara dignam imprudentia ſua ſtragem tuliſſet; at inueniuntur Siſaræ plures, qui aliorum orationibus, corporiſque afflictationibus ſuam ſatagunt impetrare ſalutem, cùm aliàs indulgeant vitiis, & vitiorum delirent inſaniis.

168. Chryſologus, vt erat ingenioſiſſimus, notauit proprium hunc damnatorum ſtylum: nam cùm diues ille, qui purpuram flamma, qui menſæ delicias æterna pœna, qui potum iucundiorem commutauit intractabili ſiti, ſerò leuaſſet oculos, & quem humi iacentem plenumque vlceribus deſpexerat Lazarum, qui Solares vincerent, intueretur fulgoribus redimitum,

obnixis

Digitized by Google

obnixis precibus Abrahamum precatus eſt, vt ad ſe mendicum mitteret, vt aquæ guttula vo-
Luc.16.v.24. raciſſima ſopiret incendia: *Mitte Lazarum vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Ecce dιues non vult longo adeò itinere fatigari, cùm diſcupiat ſiti mederi Vtrumque anhelo ad ſpeciem deſiderauit affectu ſcilicet remedium & otium: ſitim vult extinguere; ſed Lazari diſpendio; ſed iuſti incommodo: vult vt in aquam intingat dexteram, vult vt extinguat flammam; at ipſe non petit ire: quia non vult ſalubri itinere fatigari: *Non ſe ad*
Chryſol. *Lazarum duci poſtulat*, ſcribit Chryſologus ſermone 122. *ſed ad ſe Lazarum vult deduci.* Se occurrere ardentiſſimæ flammæ fingit deſiderare; ſed non vult pedem mouere: alieno labore diſcupit parare remedium, nec quærit propria diligentia ſubſidium: ſimul cupit abigere flammam, nec depelli negligentiam. Addit ibi Chryſologus: Erras diues, hæc flamma non tam linguæ, quàm mentis eſt: quaſi dicat ingenioſus Doctor: hæc flamma non ſolum fumo mentem illuminauit; ſed rationem prorſus aduſſit: aliter namque agnoſceret non ſibi bene conſulere quicumque vult in propriam culpam alienis ſudoribus militare. Ergo ne mittere damnatum, opportunum cape conſilium. Si vis culpæ flammas extinguere, diſce amariſſimis genas lachrymis irrorare.

169. Saul habitationem conceſſit dæmoni, qui eius nactus animum hoſpitij mercedem obtulit mœſtitudinem, qua diuexatus periret, & preſſus gemeret. Proh ingentem calamitatem, ſuſtinere cordis triſtitiam, & criminis notam. Non fruebatur adhuc volatico gaudio, cùm anima grandi laboraret tormento. Serui domini ſui laboribus condolentes conſulunt Pſaltem adduci, cuius melodia depulſa fugiat triſtitia. Quid ille? Ignauus & otioſus ſeruis procurationem committit; non tamen pro conciliandа ſibi ſalute vel leniſſimè gradum mo-
1.Reg.16. v.17. uet. *Ait Saul ad ſeruos ſuos: Prouidete ergo mihi aliquem benè pſallentem, & adducite eum*
Seleuc. *ad me.* Ex his verbis conijcit Baſilius Seleucienſis orat. 14. prorſus orbatum prudentia, & dæmonis deluſum fallacia: *Prudentia*, inquit, *de mentis arce deturbabatur.* Inquiramus, ſi placet, cur hic imprudens ſugilletur, & vecors habeatur. Nonne ſatagit labori remedium? Non curat harmoniæ auxilium? Certè ſi cantu dæmon abigendus, prudens ſatis apparet, dum cantorem diſcupit inuenire, & benè pſallentem adduci: cur ergo Baſilius ex eius reſponſis colligit deluſum diaboli aſtutia, & nudatum prorſus prudentia? Ratio facilis: quia nullas ipſe operas in curanda propria ſalute ponit; ſed aliorum curæ committit: vult ſeruos iter facere, Dauidem vult citharam referre, & teli vice in dæmonem melos iacere; ipſe tamen nec vnicum greſſum ponit, nec quidquam agit. Et fortaſſis dum habere leuiùs prodit textus, oſtendit non poſſe perfecta ſalute frui à ſe nulla adhibita diligentia; ſed veluti paſſiua, ſi fas eſt dicere, cura. Leuius habebat, quia Dauidis oratio proderat ad dæmonis vires enernandas; non tamen perfecta fruebatur ſalute: quia opus ad hoc erat, vt Saul ipſe pſalmum caneret, vt precibus largiſſimis indulgeret, vtque auxilia pœnitudinis aduocaret. Ergo dum fidit alienis poſſe ſe laboribus ſanitatem perfectiſſimam obtinere, conſtat prudentiam turbari: *Prudentia de mentis arce deturbabatur.* Imprudentiſſimus proditur, qui ſolùm laboribus alienis fidit, & ſpes vaniſſimas nutrit: aduocanda ſunt Sanctorum patrocinia, quærendæ iuſtorum preces; verùm & propria induſtria eſt coniungenda, & pœnitudo vocanda: opus eſt gemat, ingemat, anhelet, ſuſpiret, qui quod patitur, cupit dæmonium abigere, & vitiis animum expurgare.

Excitaturus Lazarum properat Dominus, 170.
fœtidum & quatriduanum inuenit, ſorores madebant copioſiſſimis lachrymis, & triſtiſſimis lugebant lamentis: ad commiſerationem excitatus eſt Dominus, & in mortem potentiam exerit, & à ſepulchro lapidem tolli iubet: reſplendenti voce refundit vitam, & demortuum iubet fœtentem deſerere ſepulturam: *Lazare* Ioan 11. v 43.
veni foras: reſurrectio imperium comitata eſt: *Et ſtatim prodiit, qui fuerat mortuus.* Profectò gratiæ reſtauratio, culpæque depulſio miris hic coloribus delineatur: piarum ſororum preces, lachrymæque Saluatorem adduxerunt, & affectum commiſerationis pulſarunt: aſtitit Chriſtus Dominus, mortem deuicit; ſed eo pacto, vt è ſepulchro Lazarus auolaret: *Veni foras*: aliquid illi faciendum erat, vt animæ recuperaret vitam, & greſſibus oportebat quærere gratiam: Chryſoſt.
Non dixit, ſcribit Chryſoſtomus apud Diuum Thomam: *Surge tu; ſed veni foras, vt viuenti loquens ei, qui mortuus fuerat.* Addit ibi Auguſtin. Auguſt.
Tamquam audire paratum de ſepulchro protinus vocauit. Itaque opus erat vt Lazarus præberet auditum, & vt Chriſtum verſus poneret greſſum. Ergo qui diſcupit mortis allegare fœtores, Sanctorum quærat ſuffragia, & propria ſalutem ſibi ſolicitet diligentia.

---

§. XXXIX.

Amor etiam quæ cenſet impoſſibilia, ſolet expaueſcere detrimenta.

FLagrans & vehemens amor, alebat Bernardus ſermone 67. in Cantica, *præſertim diuinus, cum ſe intra ſe cohibere non valeat, non attendit quo ordine, qua lege, quaue ſerie, ſeu paucitate verborum ebulliat, dummodo ex hoc nullum ſui ſentiat detrimentum: interdum nec verba requirit, interdum nec voces omnino vllas, ſolis ad hoc contentus ſuſpiriis.* Lex affectum cogit ad intellectui obediendum: eſt enim intellectus cordis lux, deſiderij gubernaculum, affectionis frænum; verùm amor ſui iuris eſt, nobiliteque hoc dominium ignorat, nec tamen rebellat; ſed flagrat. Ita ab intellectu diſcrepat aliquando, vt quæ intellectus cenſet impoſſibilia, affectio extimeat, vti certiſſima detrimenta: non capit vehemens amor de impoſſibilitate ſolatium, nec de difficultate remedium: ſui iuris eſt, nec ſibi ipſi ſubijcitur, dum viuidiori ſtudio inflammatur: *Non attendit quo ordine, qua lege ebulliat.* Hæc legis ignoratio exaggeratio eſt amoris: neſcit cohiberi, & & ideò ſatagit ebullire. Siſara fere infinita militum

171. Bernard. *Amor ſe intra ſe cohibere non valet.*

Digitized by Google

litum contracta manu contra paucos inermeſque Hebræos pugnaturus egreditur, triumphus nullatenus erat humano iudicio dubius, in certamine ab inimicis profligari, poſſibilitatis metas ad ſpeciem tranſgrediebatur: & nihilominus mater eius eo anxio tenebatur deſiderio, vt ad feneſtram iret, rediretque non voces formans; ſed ſuſpiriis vlulans: *Per feneſtram reſpiciens vlulabat mater eius, & de cœnaculo loquebatur.* Non dubitabat mater Siſaram copioſis diuitiarum manubiis, & glorioſis redituram nobilitatum ſpoliis; & tamen præ amoris anxietate à mente diſcrepat affectus, & id ipſum, quod impoſſibile iudicabat, anxia ſolicitudine extimeſcebat. Abulenſ. Adeſt opportunè Abulenſis quæſtione 9. *Hic ponitur planctus & querela pro tardo reditu Siſaræ: quamquam enim mater Siſaræ ſciret Iudæos impares potentia eſſe Siſaræ, ita vt vix expectare auderent eum in campo; tamen quia diligebat eum nimis, ſolicita erat.* Addit Abulenſis: *Timebat id, quod non iudicabatur poſſibile: iſta eſt enim conditio amoris.* Itaque conſultus intellectus de Siſara reſpondebat eſſe impoſſibile vinci, vt facillimum aduerſarios eius ſubiugari; verùm ita amor ab intellectu diſcrepabat, vt timore anxius infortunium aliquod præſagiret, & ad impoſſibile detrimentum paueret: nam, vt benè Poëta: Ouidius. *Res eſt ſoliciti plena timoris amor.* Itaque, vt noſtra theſis affirmat, vel quæ impoſſibilia iudicantur, ab amore ſæpè timentur.

172. Iacob patriam repetebat, & ne anxio alicuius periculi metu exagitaretur, cum eo Dominus ſpecie athletæ fortiſſimi colluctatur: ibi ſpontaneam homini conceſſit victoriam, quo nec leuem timoris foueret exinceps pectore cauſam: Gen.32.v.28. *Contra homines præualebis.* Securus diuino promiſſo progreditur, & Eſau conſpicatus familiam diuidit, & ordine ſolicitudinem Gen.33.v.2. indicante diſponit: *Diuiſit filios Liæ & Rachel, ambarumque famularum, & poſuit vtramque ancillam & liberos earum in principio; Liam verò, & filios eius in ſecundo loco, Rachel autem & Ioſeph nouiſſimos.* Profectò hæc ordinatio familiæ fidem ad ſpeciem innubilat, & ab intellectus luce diſcordat: ſi credidit dicenti Deo: *Contra homines præualebis:* ſi triumphali voce protulerat ipſe: *Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea:* cur familiæ trepida diſpoſitione à ſeipſo diffidet, & infamat ad ſpeciem, quam corde fiduciam gerit? Profectò locorum diuerſitas timorem prodebat, cùm ratio omne abeſſe periculum firmiſſimè aſſeuerabat, ſicque aut innubilabat fidem, aut imprudentiam oſtendebat locorum diſpoſitione: cur ergo Iacob & credit, & ſimul timet? Quia amor erga Rachelem filioſque eo ardore incanduit, vt nullam decenter attenderit legem, & intellectui dedidicerit ſubiectionem: impoſſibile credebat periculum, & verebatur nihilominus damnum: ita diuidebat inter certitudinem & amorem, vt fidei ſeruiret certus, & adularetur amori anxius. Lippom. *Eam* (ſcilicet Rachelem) *cum infamulo Ioſeph ordinauerat,* ſcribit Lippomanus, *quem & plus cunctis filiis adamabat, ita tamen vt cuneum vnum ancillæ cum filiis, alterum liberæ item cum filiis facerent: vbi diſcimus nihil negligentius agendum in rebus humanis, etiamſi diuino præſidio ex fide integra nitamur.* Aſſtipulatur Interlin. apud Lippoman. *Priùs in ordine ſeruilis eſt timor, qui in duabus ancillis exprimitur, deinde amicabilis, quem ſignificat Lia libera: demùm amor purgati animi, quem ſignificat Rachel.* Non potuit Interlin. deeſſe timor, vbi adeſſe conſpiciebatur amor, & amoris ſolicitudine, quamuis diuino oraculo certus nullum nouerit adeſſe periculum, opponit nihilominus ſolicitè diſcrimini impedimentum: totum intellectum indubia ſecuraque certitudine ſubiicit fidei; ſed nihilominus ſolicitudinem impendit anxiam amori: vt noueris amoris vehementiam ad ſpeciem non ſequi rationis normam, quandoquidem Iacob audiens, Deo contra homines præualebis, non dubitat; & tamen ſolicitè periculis obuiat: obſequens fidei, deſeruit etiam amori.

Herodis ambitio Chriſtum recèns natum eo proſecutus eſt odio, vt ad tuendam vitam opus 173. illi fuerit exilio: conſulente Angelo refugium fugit, lateſcit omnium auxilium, & cunctorum formidat fortitudo, verùm ipſe ambitioſus furor, dum irrationabiliter ardet, ardore ſaluti nocet. Vitam finiuit Herodes non tam diuturni temporis lege, quàm ambitioſi furoris rabie: illo iam defuncto Angelus reuiſit Ioſephum, & omne iam ceſſaſſe periculum cōteſtatus iubet repetere patriam, & Iſraëlis incolere terram: *Vade in terram Iſrael defuncti ſunt enim,* Matt.2.v.20 *qui quærebant animam pueri.* Incunctanter obedit, & tamen omne effugatum diſcrimen non dubitans & latet, & timet? *Audiens quòd Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre ſuo, timuit illo ire.* Profectò hic timor non ſolùm videtur imprudens; ſed fidei hoſtis. Si Ioſeph credit dicenti ſibi Angelo abactum prorſus omne periculum, cur ſubit anxietatis dubiæ tormentum? Aut ſi periculum timet, quomodò dicenti ſibi Angelo nullum eſſe periculum credit? Profectò fides innubilatur timore, aut timor arguitur fide. O dignam Ioſepho prudentiam! Non dubitat, & nihilominus timet: quia hic timor non oriebatur à mentis dubitare; ſed à vehementi cordis amore. Cenſet fideliſſimus omne iam ceſſaſſe periculum, & nihilominus pectore gerit metum, non quem dubietas gignat, ſed quem amor foueat: impoſſibile iudicat puerum perire, & non poteſt nihilominus non timere: quia timor hic non attendit iudicij legem; ſed affectus conditionem: minus amaſſet, ſi ſecurus, & certus non expauiſſet; at dum ſecurus timet & certus, fidem non innubilat: ſed vehementiam amoris exaggerat: *Venit Ioſeph in Nazareth,* ſcribit Chryſoſtom. apud caten. Chryſoſt. D. Thom. *& periculum fugiens, & patriam rediens.* Periculum fugit, non quod dubia ratio ſuſpicaretur; ſed quod amor fingebat, & vigilãdo ſomniabat: hoc eſt enim amoris vehementis ingenium, vel impoſſibilia timere, & vbi nulla timoris vmbra, totis viſceribus trepidare. Redit Ioſephus in patriam Angelico præcepto obediens & ſecuritate fidens; ſed ſecurus timuit: quia flamma amoris vehementiſſimè incanduit.

Hoc idem videbis contigiſſe Mariæ: Angelo 174. fidem præbet, & cæleſtia myſteria noſcit: non dubitat filium genus humanum ſanguine in cruce effuſo copioſiſſimè redempturum, & tamen cùm ſe filius ætate paruulus maternis oculis ſubduxiſſet, & Ieroſolymis omnibus mirandus lateret, adeò ſæuo mater diſcruciabatur dolore, vt nec quieſcere poſſet, nec viuere: tandem reperto filio has lætas querelas profert. *Fili quid* Luc.2.v.48. *feciſti*

Digitized by Google

feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. Quid his filius pro immortali ſua ſapientia? *Quid eſt quod me quærebatis? Neſciebatis quia in his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Profectò filij matriſque verba non facilè concordare videntur: nam ſi mater nouit filium non caſu; ſed conſilio ſe ſubduxiſſe, ſi nouit poſſe à ſe periculum omne depellere: quia vſque ad crucem nequibat mori, quid doleat veluti grandia ſuſpicata pericula, & ingentiſſima detrimenta? aut ſi diſcrimina ſuſpicatur, cur à filio ad ſpeciem arguitur? O amoris vim! Non dubitat mater filium omnipotentia, qua omne poſſit periculum auertere, frui; verùm etſi intellectus non putet adeſſe periculum: amor anxius aduerſus rationem, ſi fas eſt dicere, ſuſpicatur diſcrimen: nec aliter fieri poteſt, dum ardet: *Cur dolentes eum quærebant*, ſcribit Origenes apud D. Thomam, *an ex eo quod periret puer, an erraueritl Abſit: numquid enim fieri poterat, vt perditum formidarent infantem, quem diuinum eſſe cognouerant?* Itaque intellectus puerum credebat diuinum, & luctuoſum tunc non poſſe accidere noſcebat caſum; verùm teneriſsima, maternaque affectio ita, ſi fas eſt dicere, cum intellectu pugnabat, vt quem agnoſcebat impoſſibile eſſe perire perditum, doleret vehementer amiſſum. Adeſt Angelici Doctoris Gloſſa: Metuebant, ne quod Herodes in infantia eius patraſſe quæſierat, tunc iam in pueritia poſitum inuenta opportunitate alij interficerent. Experta erat Maria omnes humanas artes nihil aduerſus Numinis valere conſilium, quandoquidem vel potentiſſimi Herodis ſagax in caſſum laborauerat odium: agnoſcebat, niſi ipſo volente, puerum periclitari non poſſe, nec mortem in pueritia ſubiturum; verùm quamuis intellectus omnis anxietatis cauſas clariſſima luce depelleret, affectus amoris officina neſcio quæ confingebat pericula, verebaturque detrimenta. Nec mirum: nam amoris timor intellectus legem non ſequitur; ſed in ipſa ſecuritate trepidat ipſa impoſſibilia expauens, & quaſi accidere poſſint, timens: vt noueris quàm vera ſit Bernardi ſententia, amorem videlicet vehementem non attendere ordinem, non ſeruare legem: *Non attendit quo ordine, qua lege ebulliat.* Ergo Siſaræ mater quem non putat poſſibilem caſum, dolet, & triumphum expectans metuit.

Origen.

§. XL.

Neſcio quo pulſu corda euentum ſolitant præſagire, & quodammodò prænuntiare.

175. Caſſiod. NEceſſe eſt, aiebat Caſſiodorus 12. var. 19. *vt res magna competentia præmittat ſemper indicia: venturum diem lucifer demonſtrat exortus, ſerena ſecutura fauens ventus oſtendit; imminentia bona quadam animi præſagitione dignoſcimus, & difficilè res magna geritur, quæ ſignorum præcurſione minimè declaratur.* Egregiè errauit antiquitas, dum ſtudioſè obſeruauit auſpicia, notauit auguria, & conſuluit inconſultè præſagia: omnia namque diuino nutu reguntur, nec fortuitis euentibus gubernantur; negari tamen non poteſt Deum non ſemel; imò ſæpiſſimè ſic corda pulſare, vt inconſultis motibus futura præſagiant & læta præcedant neſcio quo inſolito gaudio, vt infauſta ſtrictiſſimi angoris, & improuiſi tormento. Errabat, vt dixi, antiquitas; verùm vmbratilem erroris excuſationem habebant, dum interanea ad prænoſcenda futura ſcrutationibus attentiſſimis examinabant. *Occidebatur pecus*, ſcribit Chryſologus ſermone 5. *vt quod viuum nil ſcierat, diuinaret occiſum, & loqueretur ex fibris mortuum, quod nunquam fuerat ore prolocutum.* Pecus occidebatur, vt attenta cordis inſpectio, & diligens perſcrutatio futura in illo videret, & tempora maturaret. Itaque in corde prænoſcebant futura, quaſi indubius ſit futurorum index, dum præſentit læta, aut anteuertit etiam infauſta. Ecce Siſara copioſo exercitu in Hebræos paucos & inermes prodit in bellum; omnia argumenta promittebant triumphum à Siſara reportandum, & populum Iſraëlitarum ſine dubitatione vincendum: nihilominus mater eius arcano impulſu aërem lamentis implet, & triſtiſſimis vlulatibus cordis dolorem oſtendit, ſtragis inſcia, & euentus prorſus ignara. *Per feneſtram reſpiciens vlulabat mater eius, & de cœnaculo loquebatur.* Quid vlulet, quid loquatur, quando eius filius expectatur ouans rediturus captiuis cinctus, & ſpoliis hoſtium glorioſus? Vlulabat, inquit, & iure: Siſara namque voluebatur ante pedes Iaëlis transfixus, & iacebat exanimatus: diſtantia occultabat tunc caſum; at matris cor iam præſentiebat euentum. *Mater Siſaræ*, ſcribit Abulenſ. quæſt. 9. *propter cordis amaritudinem erat inquieta, & non poterat conſiſtere in eodem loco: ideò aliquando erat ad feneſtram reſpiciens an veniret.* Cor repentina amaritudine præſagiebat miſeram Siſaræ ſtragem, & infeliciſſimam mortem. Omnia contrarium affirmabant argumenta; amariſſimi tamen cordis luctuoſam calamitatem teſtabantur indicia: vt videas corda ſæpe inconſultis, repentiniſque motibus futura prænuntiare, & inſtinctu arcano prædicere. Chryſol. Abulenſ.

Philiſthini ferè immenſam militum copiam cogunt, & contra Saulem inſurgunt. *Philiſthiim congregati ſunt ad prælians dum contra Iſrael triginta millia curruum, & ſex millia equitum, & reliquum vulgus, ſicut arena, quæ eſt in littore maris plurima.* Iſraëlitæ terrore perculſi fugiunt; Saul autem nec deſcribitur perterritus, nec pauore gelido exanimatus; imò ſacrificium obtulit felicem deprecatus euentum, & reportandum ſperans triumphum. *Ait ergo Saul. Afferte mihi holocauſtum, & pacifica.* Tranſi modo ad cap. 28. vbi cùm congregaſſet vniuerſum Iſraël, & veniſſet in Gelboe, Philiſthinorum caſtra intuitus ſic timuit, vt deſponderit animum, & infauſtum prænuntiarit ſpebus deſtitutus euentum: *Congregati ſunt Philiſthiim, & venerunt, & caſtra metati ſunt in Sunam: congregauit autem & Saul vniuerſum Iſraël, & venit in Gelboe, & vidit Saul caſtra Philiſthiim, & timuit, & expauit cor eius nimis.* Inquiramus, cur modò vniuerſo Iſraële timeat circumdatus, qui Philiſthinorum caſtra vel à ſuis anteà non extimuerat deſertus. Sanè hoſtiles copiæ in Machmas numerum excedebant, Saulis vires ſatis exiguæ: Iſraëlitæ namque de ſtatione metu obturbabantur, & victoriam aduerſario ante certamen concedebant; hic verò nec aduerſariorum copiæ maris arenæ comparantur, nec Hebræorum caſtra metu improuido deſeruntur; & tamen hic angitur, cordeque

176. 1. Reg. 13. v. 5. 1 Reg. 28. v. 4.

Digitized by Google

[illegible] *illic nec deſcribatur preſſus, nec* [illegible]. *Profectò ſi tanto conſuleretur humana,* [illegible] *fuerat tanti timendi, & hic maior* [illegible] *ſperandi; & tamen hîc cor trepi*[illegible]. *Nec mirabêris, ſi* [illegible] *alibi hoſtes* [illegible] *que ma*[illegible] *tamen Iona*[illegible] *ſeculis victo*[illegible] *gloriosiſſimû te*[illegible] *Iſraëlitarum nume*[illegible] *adeò infauſta He*[illegible] *& omnis Iſraëlita*[illegible] *ingente profligatus, & ce*[illegible] *vt Saul eiuſque filij oc*[illegible] *manu confoſſi: Irrue*[illegible] *Saul, & in filios eius.* Itaque [illegible] humano iudicio cauſis, alibi in[illegible] timenda, & alibi lætiora [illegible] quo arcano pulſu Saul, vbi re[illegible] umphus, non ſolicitatur timore, [illegible] ndus, triſtiſſima premitur anxie[illegible] iam cor præſentiret & futuram mor[illegible] venturam ſtragem: *Vidit Saul caſtra* [illegible] *tum, & timuit*, inquit Gloſſa moralis: [illegible] *nus terrorem ab aduerſariis ſuis immiſit ſibi,* [illegible] u cordis trepidatio aduerſus humanas ratio[illegible] es arcano à Domino timore immiſſo appetere mortem prænuntiabat, & Saulem anxium reddebat.

Vt Abrahamus de generis ſui ſorte dubius, ſolicituſque futura præuideat; ſacrificium offerre iubetur, capram, vaccam, arietemque cultro diuidit, ariſque imponit, cúmque Sol radios contraheret, & ad vtiliſſimum occaſus otium contenderet, eo grandæuus ſenex terrore, horroreque angitur, vt mortis videatur ſubire anguſtias, & anxias pati extremæ calamitatis miſerias: *Cùm Sol occumberet, ſopor irruit ſuper Abraham, & horror magnus, & tenebroſus inuaſit eum.* Componamus cum ſeipſo Abrahamum, quæramuſque, cur dum montis ſupercilio filium vnicum deuoraturæ rubentes crepitauerint flammæ, non horruerit, ſed intrepidus inuictum aduerſus naturæ vires animum oſtentauerit, hîc verò gelido terrore agitetur, & vehementi horrore prematur. Sanè viſionis monte omnis ſacris apparatus metum incutiebat; & tamen religioſus pater exultat, & gaudet; hic verò religioſum animalium diſpendium non videbatur rationabilis cauſa timoris; & tamen hic corde trepidat, cùm ibi ad holocauſtum vnici pignoris intrepidus audeat. Ecqua diſcriminis cauſa eſt? Quia ibi filius non erat ſubiturus occaſum; ſed fulgenti ſtellarum ad inſtar poſteritate nobilitaturus mundum; at hic poſteris minabatur calamitas, & dura longaque aduerſitas: ergo horror inuaſit patrem, quaſi iam cor præſagiret hîc poſterorum ærumnas, & ibi præuideret victorias: *Hæc tenebrarum iteratio*, ſcribit Rupertus apud Lippoman, *geminam ſeminis Abrahæ aduerſitatem ſignificat.* Subnectit ingenioſus Doctor: *Propter quod & ſignanter dictum eſt: Sopor irruit ſuper Abraham, & horror magnus & tenebroſus inuaſit eum.* Conſonat Lippomanus: *Cùm poſt hæc omnia Sol occubuiſſet, ſequenti nocte ecſtaſis illa, & mentis exceſſus irruit in eum cum horrore magno & tenebroſo, qui iterum præſagium erat magnas tribulationes affuturas filiis ſuis ſecundum carnem.* Itaque etſi ſopor ſenſus grauarit, rationiſque diſcurſum impedierit, nihilominus cor ſopito diſcurſu pedetentim quatiebat interno pulſu ſolicitatum, & arcano motu percuſſum: vt è contra expanſi oculi, armata manus, rubentes flammæ, ligatus filius timorem ſolicitabant, & nihilominus, & ſecurus quieſcebat animus, & manus ipſa ſecurior: *Ecce ſub oculis iacet filius,* ſcribit Zeno Veronenſis ſermone 1. de Abraham, *vinculis aſtrictus: vbi ſunt lachrymæ? vbi dolor, qui in humanis ſenſibus verſari conſueuit. In tantis filiis caſibus lætatur, & gaudet.* Ecce omne quod hic intuebantur oculi, vel conſtantiſſimum animum concutiebant, & terrore exagitabant: alibi vſtulandæ victimæ non videbantur conſtantiam labefactaturæ, & tamen in ipſis caſibus alibi gaudet, & alibi mœret: quaſi iam cor felicem alibi ſub caſus repræſentatione præſagiat euentum; alibi tamen leui in animalium iactura grauem filiis præſenſerit caſum. Non ſemel hoc accidiſſe videmus: mœret namque aliquando ſanguine coniunctus, quin poſſit anxietatis rationem reddere, cùm conſanguineo calamitas imminet, & veluti naturali præſagio infelicique auſpicio futura præſentit, & à corde monitus ratione præuenta noſcit. Siſaræ mater infauſtis non ſolicitabatur auſpiciis; imò lætiſſimis ad ſpeciem gaudere admonebatur prænuntiis; & tamen eo tempore, quo filius transfoſſus miſera voluntabatur in terra, ſuſpiriis ſtrictiſſimis vlulabat, nec ſubſultans cor intra pectoris clauſtra ſuſtinere valebat: quia cor ſine voce pronuntiabat, & tacito, internoque dolore infelicem matrem monebat.

Sponſa hæc cordis præſagia mirè nobis depinxit, dum aiebat: *Ego dormio & cor meum vigilat: vox dilecti mei pulſantis: Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea: quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* Dum ſe ſomno traditam refert, has Sponſi voces à corde reſtatur prolatas, non aures eis repercuſſas: *Ego*, inquit, *dormio*: ſi dormis quomodò voces Sponſi audis: nec enim dum aures ſomno obligantur, voces ligatis auribus excipiuntur: & quidem dum vocibus verberantur, & à ſomni vinculis abſoluuntur: ergo ſermonem reforma, & dic: Ego dormiebam, cùm dilecti vox ſomnum diſcuſſit, & aures perculit; non tamen coniungas cum ſomno auditum, cum auſcultatione ſomnum. O quàm diſertè reſpondet: *Cor meum vigilat:* quaſi dicat: Sponſus meus variis affligitur ærumnis, ac gelidæ noctis incommodis, & cor meum linguæ eius munus vſurpans querelas format, & quas iniurias patiatur, nuntiat: *Vocem audiens*, ſcribit Gregorius hîc, *etiam cùm dormit, Sponſa dicit: Vox dilecti mei pulſantis:* & dormit, & audit: quia vox erumpit à corde, non animo inſtillatur ab aure: præſagit namque cor, quæ ſponſo accidunt, & prædicit quæ dilecto contingunt.

Sanctus Iob calamitatem expertus ſe illam neſcio quo pulſu ridenti etiam fortuna extimuiſſe teſtatur, dum ait: *Timor, quem timebam, euenit mihi, & quod verebar accidit.* Ad quæ Chryſoſtomus apud Gloſſam ſic ait: *Præmeditata mihi erat pœna intolerabilis, quam expertus ſum, & priuſquam experirer, præuidebam.* Dic nobis, quæſo, beatiſſime Iob, in quo extremas has ærumnas præuidebas, cùm deliciis circumfuſus radiabas? In cordis, inquit pauore: cor ipſum veluti

Marginalia: Abu[lensis] (beside "[...] & omnis Iſraëlita-"); Zeno. (beside "Zeno Veronenſis"); 178. Cant. 5. v. 2. (beside "Sponſa hæc cordis"); Gen. 15. v. 12. (beside "ſerias: Cùm Sol occumberet"); Gregor. (beside "Gregorius hîc"); 179. (beside "Sanctus Iob"); Rupert. Lippom. (beside "tio, ſcribit Rupertus"); Iob 3. v. 25. Chryſoſt. (beside "Timor, quem timebam").

Digitized by Google

veluti appetentis infelicitatis conſcium trepido adurgebatur timore, & anxia ſemper adurgebatur ſolicitudine. Itaque cor & prænuntiabat, & præuidebat: & quamuis nullo externo niteretur fundamento; impulſu tamen agitabatur arcano.

---

§. XLI.

Infauſta de nuntiandi prurite nonnulli anteuertunt tempora, & praſagiunt aliis ingrata.

180. SIc eſt, mihi crede, nonnullis ex alieno dolore deteſtabilis voluptas oritur, & de alterius triſtitudine inhumana lætitia gignitur. Prouerb. 14. v. 13. *Riſus*, alio in ſenſu aiebat ſapiens, *dolore miſcetur*; imò non ſolùm dolore miſcetur, ſed ex dolore naſcitur: aliorum angor calamitaſque nonnullum oblectat, & voluptate ferali exhilarat. Hinc ocyſſimas aliqui aſſumunt pennas, vt acerba denũtiarint, dubiiſque ex indiciis ingrata coniecerint: quidquid alterius animum turbat aut exacerbat, nonnullis oblectamento eſt; aſt ne maligni ingenij tulerint notam, coloratur vti obſequiis ſtudium, quod eſt malignitatis ingenium. Ecce eluctantes flammæ non ſine violentia de cælo allatæ Sanctiſſimi Iobi greges, paſtoreſque nigros redegerunt in cineres: neſcio quis incendio euaſit, & ocyſſimas mutuatus eſt alas, non vt vitæ ſuæ conſuleret; ſed vt in-
Iob. 1. v. 16. fauſta Iobo nuntiaret: *Ignis Dei cecidit è cælo*, inquit, *& tactas oues, pueròſque conſumpſit, & effugi ego ſolus, vt nuntiarem tibi.* Non ſolùm fugit; ſed effugit, quod ſolicitius declarat ſtudium, & ardentius deſiderium: celerrimo greſſu fugiebat, qui ignis velocitatem eluſit, & inuolantes flammas fruſtrauit. Sed videamus ad quid anhela adeò fuga inuolarit: Vt nuntiarem tibi, inquit, non ait vt mihi prouiderem; ſed vt tibi denuntiarem: quaſi maiorem velocitatem indiderit acerba denuntiandi ſtudium, quàm propriæ ſalutis votum: non fugit vt nuntiaret aliis, quo ad commiſerationem induceret; ſed vt Iobi animum acerba clade percelleret. Non me latet illa particula *vt* euentum deſignari, non finem; verùm Scripturæ verba hanc interpretationem non reſpuunt, inuolaſſe ſcilicet præ ipſis flammis ad denuntiandum Iobo ingratiſſima, maturandumque peracerba.
Origen. Adeſt Origen. lib. 1. in Iob: *Ecce nuntius venit ad Iob dolorum atque gemituum nuntius, malorum atque amaritudinis præco, tribulationis atque anguſtiæ prædicator. Nuntius venit ad Iob, qui conſeruatus ab aduerſario, miſſus eſt à diabolo.* Itaque diabolico nonnulli reguntur ſpiritu, dum geſtiunt prurite imprudentiſſimo denuntiare infauſta, & prædicere, antequam contingant, moleſta. Audi huius nuntij relata ab Origene verba: *Dixit illi: Ad menſam ſplendidam ſedes Iob; ſed hodie ad menſam, cras verò ad lectum foras deportatorum filiorum: modò in iucunditate, poſt paululum autem in infelici paupertate.* Itaque non ſolùm nuntius, quæ obuenerant, denuntiabat; ſed ad exacerbandum dolorem etiam quæ nondum acciderant, præſagiebat: nec mirum, diabolico impellebantur ſpiritu, & iniquiſſimo deſiderio. Hinc miror nullum ad Siſaræ matrem inuolaſſe, & infauſta retuliſſe: *Quare tardauerunt pedes quadrigarum illius?* Dum interrogat, ignoraſſe fatetur cauſam: & quidem miraculi ad inſtar fuit, nullum filij caſum matri ſolicitæ prædixiſſe, aut ſaltem, vt denuntiauerit, inuolaſſe, cum ferè ſemper non deſint ad infauſtum nuntium celerrimi veredarij, & ad maturanda iucunda ocyſſimi nuntij.

Deus in communem hoſtem Baracum armat, promittitque ſe adducturum inimicum va- 181.
nis ſpebus inſanientem, & infauſtam ſibi fortunam acceleratantem: *Ego adducam ad te in hoc* Iudic. 4. v. 7.
loco torrentis Ciſſon Siſaram Principem exercitus Iabin. Patuit Baracus, & dum manum colligere parat, iam neſcio quis Siſaræ Thaborem ingenti ſtipatum milite aſcendiſſe Baracum nuntiat: *Nuntiatum eſt Siſaræ quòd aſcendiſſet Barac filius Abinoen in montem Thabor.* Nondum inſcenderat, nondum omnes milites adlegerat, & iam nuntij infauſtiſſimi anteuertunt tempora, & acerba præmaturant officia. Adeſt Abulenſis Abulenſ.
quæſt. 12. *Fama erat, quoniam congregabat exercitum; quod aſcendere vellet in montem Thabor ad expectandum Siſaram, & quamquam nondum factum eſſet, nuntiatum eſt tamquam iam factum.* Qui ſibi prudentiores videbantur, ſic ſuis coniecturis fidebant, vt iam factum aſſererent, quod futurum citò coniicerent. Ad Siſaram detulerunt hoſtem plurimo milite obarmatum cliuoſo Thabore munitum, vt Siſaram obturbatum, nuntioque perculſum adſpicientes gaudeant, & de angore lætitiam ſugant: Quamquam nondum factum eſſet, nuntiatum eſt tamquam iam factum. Maturauit infauſta denuntiandi pruritus, quod nondum ferebat tempus; ſed vt dicebam, ad ingrata denuntianda, tempora non ſemel anteuertuntur, caſuſque maturantur.

Moyſes æquitatis patronus truculentiſſi- 182.
mam belluam in Iſraëlitam miſerum ferocientem occidit, ratus fas eſſe ad aliorum perniciem natum non ſolum frænare; ſed de medio tollere: in craſtinum duos Hebræos ſecum rixantes inuenit, quaſi ſatis illis non eſſet durè ab aduerſariis premi; quin in ſeipſos manus armarent: compeſcere niſus eſt Moyſes iniurij ardorem, qui dura reprehenſione exacerbatus
Moyſi obiecit Principatum ambire, & moliri Exod. 2. v. 14
coronam rapere: *Quis te conſtituit Principem, & iudicem ſuper nos? Num occidere me tu vis, ſicut heri occidiſti Ægyptium?* Res quantumuis cautè fuerit perfecta, ad auunculum eſt delata, qui in nepotem ſtomachatus, eius vitæ inſidiabatur callidè, & inſidias diſponebat aſturè: *Audiuit Pharao ſermonem hunc, & quærebat occidere Moyſem.* Mirantur interpretes ob hominem obſcurum ſublatum eà auunculum ita exarſiſſe, vt nepoti voluerit mortem inferre, & regnum Principe diſpoliare. Philo Hebræorum diſertiſſimus putat nonnullos ex purpuratis, quos aliorum purpuratorum adurere ſolet inuidia, rem exaggeraſſe, caſuſque infauſtiſſimos conieciſſe, & veluti regni proditorem Moyſem damnaſ-
ſe: *Patulas aui aures* (verba ſunt Philonis lib. 1. Philo.
de vita Moyſis) *impleuerunt plurimis calumniis hinc inde ſuſurrantes, vt de amittendo Principatu reddiderint ſolicitum: te ipſum aggredietur, nihil mediocre ſapit, ſemper molitur aliquid, ante tempus ad regnum adſpirat.* Ecce quæ ipſi confingebant, diuinabant, & quæ oculis cæciſſimis

§. XXXIII.

Maria infauſtum dæmoni fatum eſt: citius aliquando perit vel cum eius vmbra prœliatus, quam cum ipſa omnipotentia congreſſus.

143. Anſelm. *Salus per Mariam velociſsima.* VElocior eſt nonnunquam ſalus memorato nomine Mariæ, ſcribebat Anſelmus tract. de excellentia virgin. cap. 6. *quàm inuocato nomine Ieſu vnici filij ſui.* Reddit rationem Anſelmus. *Et id quidē non ideò fit quòd ipſa maior & potentior ſit: nec enim ipſe maior & potentior eſt per eam, ſed illa per ipſū.* Quod de ſalute erga homines aiebat Anſelmus, hoc ego erga dæmones dixerim de pernicie. Velocior eſt nonnunquam dæmonis ruina memorato nomine Mariæ, quàm filij inuocato nomine, & hoc quidem non quia ex ſe gaudeat potentia; ſed quia filius vbertim adeò ſuam illi communicarit virturem, vt luctuoſiſſimam furiis gehennalibus attulerit ſēper cladē: ipſa Dei omnipotentia, etſi deprœliantem ſecum dæmonem facillimè potuerit opprimere, voluit à Virginis vmbra non ſemel ſubiugari, vt iam conſtet omnibus exitialius aliquando eſſe dæmoni cum adumbrata Virgine depugnare, quàm manus cum ipſa omnipotentia conſerere. Adeſt huius veritatis illuſtre exemplum: Siſara diaboli ænigma, vitiorumque emblema in campum prodit ingenti manu ſtipatus, æther armatur in impiū, ardentiſſima ſtellæ eiaculantur ſpicula. *De cælo dimicatum eſt contra eos, ſtellæ manentes in ordine & curſu ſuo aduerſus Siſaram pugnauerunt.* Audis aſtra confœderata lucis in Siſaram contorſiſſe ſagittas: quid tunc? Fugit, & ad Iaëlis tentorium peruenit: *Fugiens peruenit ad tentorium* Iudic. 4. v. 17. *Iael.* In Iaëlis tabernaculo perit, qui è manibus cælorum effugit: *Percuſſit Siſaram quærens in capite vulneri locum, & tempus validè perforans inter pedes eius ruit, defecit, & mortuus eſt.* Inquires, cur fugæ occaſio Siſaræ fuerit conceſſa, quando haud erat ætheri difficile citiſſimè opprimere, & in ipſa fuga de medio tollere. Nonne cæleſtis efficacia ad ſpeciem ſugillatur, dum victoriam collatis etiam omnium aſtrorum viribus non aſſequitur? O animaduerte myſterium. In Iahële Maria adumbrabatur: ergo vt liqueat exitialiorem fuiſſe Siſaræ vel Mariæ vmbram, quàm totam cæli potentiam, fugit, cùm cælum ſuam in illum armat potentiam, & perit, dum incurit in Mariæ vmbram. In ſtellis contra Siſaram pugnantibus Angelos deſignari tradit Interlinea-Interlinear. ris: *Stellæ manentes Angeli, qui contra Siſaram pugnauerunt.* Ergo licèt omnis Angelorum cohors impetierit tyrannum, impetitus quæſiuit effugium; at in adumbratæ Virginis tabernaculo ſopitus interiit: quia nec in conſpectu Virginis illi remanſerunt vires, nec vitare potuit calamitates: *Siſara dux aduerſi exercitus hoſtem generis humani nomine ipſo ſignificat*, aiebat Rupertus lib. 1. in Iudices cap. 6. Richardus de Sancto Laurentio libro 1. de laud. Mariæ capite 5. (Rupert. Richar.) Iaelis victoriam Marianæ victoriæ vmbram extitiſſe teſtatur: *Illa litteralis Eua viro ſuo non fuit in adiutorium: quia in manu fœminæ tradidit Dominus Siſaram, id eſt diabolum.* Traditus eſt dæmon in Iahëlis manu cum ab æthere fugerit oppugnatus, vt notum omnibus eſſet exitialius dæmoni fatum non ſemel eſſe Sanctiſſimæ Virginis vmbram, quàm ipſam omnipotentiam.

Hanc veritatem ſuffulciunt Moyſes, & ſua 144.
miſerabili ſtrage Pharao: premebat Iſraëlitas feritate belluas truculentiſſimas excedente, Deus optimus parens miſeris opitulaturus deſcendit, Moyſique flammanti, & illæſo rubo apparuit, vt illi animos adderet, ſuam omnipotentiam explicuit & nomen declarans, & pottentis variis confirmans: *Ego* Exod. 3. v. 14. & 12.
ſum qui ſum. Verùm Moyſes adhuc hæret, & ad noſtram eruditionem ſuam, vt imperium extrahat imbecillitatem opponit. Quid tunc Dominus? Rubum dat in victoriæ pignus: *Hoc habebis ſignum quod miſerim te.* Ita Lyranus ex Hebræis. *Ac ſi dicatur*, inquit: *Viſio quam tibi oſtendi in rubo, eſt tibi pro ſigno.* Iam rubum Mariæ typum (vt omnes norunt) in victoriæ ſignum accipit Moyſes, & qui vel patrocinante omnipotentia extrahere nitebatur imperium, eo ſigno armatur ad triumphum. *Ecce*, aiebat Philo libro 1. de vita Moyſis, flamma ſuapte natura vrens vt lignum vritur; lignum verò cremabile vrit euidenter ignis in modum. *Hoc oſtento mirifico poſtquam Deus Moyſem de rebus futuris manifeſtè præmonuit, addit & oraculum, vt ſine cunctatione ad curam ſuæ gentis reuertatur:* rubus erat flamma flammæ & iam ignis vrebatur à ligno, vt lignum aliud in fauillas poſſet reduci à flammis. Ergo licèt Moyſes cunctatus fuerit tantiſper adhuc omnipotentia impellente & ſe illi adfuturam aſſeuerante, dum vmbram Virginis pro ſe ſuiſque contra Pharaonem animaduertit ſtare, quaſi indubium victoriæ pignus, & fatum Pharaoni exitialius habeat, animoſus hoſtem feſtinat delere. Adeſt Ruper. lib. 1. in Rupert.
Exod. cap. 12. de igne illo ſic fatus: *Dignè appropinquare nolentibus nimium damnoſus extitit, de qualibus Pſalmiſta dicit: Sicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei.* Nota quod addit: *Quod in Beata Virgine Maria clarius atque conſpicabilius eſt.* Se Deus ignem voraciſſimum oſtenderat, qui ferream Pharaonis duritiem emollire aut domare poſſet, vtque non dubitet Moyſes Pharaonis vires ab hoc igne citiſſimè conſumendas, rubo interlocat Mariæ ænigmate, & iam Moyſes, etſi de omnipotentia non fuerit diffiſus, ad triumphum pergit alacrius. Nec illum ſua fefellit opinio, quandoquidem qui reſiſtere præſumpſit omnipotentiæ, ceſſit ſacratæ Virginis vmbræ.

Ad Pharaonem ingreſſus Moyſes prodit 145.
de ſoluendo populo omnipotentis edictum: *Hæc dicit Dominus Deus Iſraël: Dimitte* Exod. 5. v. 1
populum meum: vt ſacrificet mihi in deſerto. Audit veſanus omnipotentiam pro Hebræis ſtare, & conſcientiam corrumpit in diſſimulationem, aut ignorantiam protelat in occaſionem, aut vtrumque: *Quis eſt Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Iſraël? Neſcio Dominum.* Verbum illud neſcio non tam erat neſcientis, quàm aſpernantis: immetata adeò inflatione turgebat, vt Deum deſpiceret, nec ſe vincendum ab omnipotenti crederet; imò vires ſuas ſolicitius opponeret, cæciuſque armaret:

deuentum

Digitized by Google

deuentum tandem eſt ad fluminis medium, vbi obiecta Pharaoni nubes obſcuras adeò flammas in temerariè audentem eiaculabatur, vt ab incepto deſtiterit, & ſuam ſerò cæ-
Exod. 14. v. 24. citatem agnouerit: *Reſpiciens Dominus ſuper caſtra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis interfecit exercitum eorum, & ſubuertit rotas curruum, ferebanturque in profundum. Dixerunt ergo Ægyptij: Fugiamus Iſraëlem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Quæres cur Pharao modò feſtinet fugere, cum anteà præſumpſerit detriumphare: iam certè viderat indubia omnipotentiæ argumenta, iam non ſine detrimento cæleſtia expertus fuerat prodigia, & tamen intrepidè inſequebatur fugientes; at modò benè ſecum actum putauit, ſi contingat fugere, non perire. *Inſinuatur*, ſcribit
Caietan. Caietanus, *quod ex illa columna nubis, quæ erat in aëre inter Iſraël, & Ægyptios ſenſibilis actio emanabat contra Ægyptios perſequentes Iſraëlem, alioquin non dixiſſent: Fugiamus.* Non fugerent quantumuis militaſſet omnipotentia, ni nube illa vteretur pro armis; at dum de nube pugnat, iam Pharao miſerè clamat, & quamuis nubes illa, in qua Dominus deliteſcebat, ſolùm fuerit Virginis vmbra, ſic erat Pharaoni exitialis, vt qui furens non timuerit cum omnipotentia congredi, non audeat cum nubecula depræliari: Ex illa nube ſenſibilis actio emanabat contra Ægyptios; alioquin non dixiſſent: Fugiamus. Quid pro Virgine luculentius? Quid auguſtius? Adde eo terrore Virginem fugere dæmonem, vt facilius audeat in Deum.

146. Olim Adamus cum Eua coniuge creaturarum potiebatur dominio: Vidit dæmon hominem immortali manu editum, vidit ſumma ſapientia artificis efformatum, & inuidia aduſtus captioſas tetendit inſidias: ſerpentis facie perſonatus Euam aggreditur, & Ada-
Geneſ. 3. v. 1. mum. *Dixit ad mulierem; Cur præcepit vobis Deus*, &c. callidam aſtutiam, & aſtutam calliditatem oſtentauit aggreſſus non hominem; ſed mulierem, vt per debiliorem partem totam ſtructuram ſubrueret. Tranſi modò mente ad ſtatum gratiæ, & inuenies ea procacitate inſaniſſe dæmonem, vt Chriſtum Dominum paterna voce acclamatum, & columbæ volatu oſtenſum tentare non hor-
Matth 4. v. 3. ruerit; imò deiiciſſe tentarit. *Accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant.* Vides Chriſto tentamenta paraſſe; non tamen inuenies auſum vnquam fuiſſe tentare ma-
Richard. *Dæmon virginem non tentauit.* trem. Notauit non ſine acumine Richar. Victorinus c. 16. in Cantica: *Virgo tenebrarum Principibus terribilis fuit, vt ad eam accedere, eamque tentare non præſumpſerint.* Præſumpſit diabolus, etſi ſtultiſſimè ſuperbus, & ſuperbiſſimè ſtultus, poſſe ſe Chriſtum tentatione deiicere, & adulatoriis aſſentationibus fallere; verùm ſic horret ad Mariæ nomen, ſic totis artubus ad eius vmbram trepidat, vt non ſolùm non præſumpſerit tentare; ſe timuerit etiam accedere: olim dum tentat Euam, Adami excellentiam eſt faſſus, & dum tentat Chriſtum, prærogatiuas Virginis eſt confeſſus. Certè Chriſtus vti Deus infinitis Virginem exceſſibus ſuperabat; eo tamen tremore dæmon vel ad virginis vmbram trepidat, vt aggredi Deum non timeat imprudentiſſimus, nec Mariæ audeat accedere tremefactus. Ergo Siſara æthere pugnante locum adinueniat fugæ, & in Iaëlis tabernaculo atteratur ingenti clade, vt noſtra theſis clariſſimè eluceat, ſcilicet non ſemel exitialius eſſe dæmoni vel cum Virginis vmbra pugnare, quàm cum ipſa Numinis potentia congredi.

---

§. XXXIV.

Vitiorum arma parum valent in corporis adflictatione munitos, & aſperitate obarmatos.

Vitia blandè mortalium animis ſubrepunt 147.
& quo gratius placent, plus nocent: non vibrant cruenta arma, ſed iucunda delinimenta: blandiſſimè titillant affectum, & nituntur adulterare titillatione iudicium: terrent aliquando paruulos horrida aſperitate laruata, & magnis ad ſpeciem viribus communita; at frequentius blandis, fraudulentiſque adulationibus animum pulſant, & placidiſſimis ſæpè illiciis eneruant. Hinc qui ſine pœnitentiæ armatura in campum tentat prodire, conſtat ſtudia inimicorum fouere. Corporis adflictatio, pœnitentiaque eſt pro enauigandis tumidiſſimis fluctibus gubernaculum, & tutum pro eludendis aduerſariorum armis aſylum. *Illud maximè reuoluo mecum*, aiebat
Seneca epiſt. 80. *ſi corpus perduci exercitatione* Seneca. *Animus induditur ad labores patientia.*
ad hanc patientiam poteſt, qua & pugnos pariter & calces non vnius hominis ferat, qua Solem ardentiſſimum in feruentiſſimo puluere ſuſtinens aliquis & ſanguine ſuo madens diem ducat, quanto facilius animus corroborari poſſit, vt fortunæ ictus inuictus excipiat, vt pro, iectus, vt conculcatus exurgat. Durantur homines imbonitate, & improba corporis tractatione aduerſus ardentiſſimi Solis æſtus, & aduerſus periculoſos hoſtium adſultus. Ergo animus, inquit Seneca indurandus eſt aduerſus libidinis æſtum, & aduerſus vitiorum blandè irrepentium dutiſſimum impetum. Sibi imponitur, & egregiè fallitur, quiſquis inter enerues delicias & delicioſas cupedias credidit ſe immotum, & nullatenus fore fallendum. Virulentiſſimi inimici ſpinis eluduntur adſultus, & fruſtrantur aſperitate conatus: præualent dæmonis arma in corporeæ caſtigationis ignaros, & afflictationis inſcios: neceſſe eſt delicioſam vitam ſpernant, & ſe pœnitentiæ rigore muniant, qui non ſolum cupiunt aduerſariorum fruſtrari votum; ſed etiam reportare trophæum. Hinc elucet & Siſaræ amentia, & Iaëlis prudentiſſima aſtutia. Cupiebat illa de infeſtiſſimo Iſraëlitarum hoſte reportare trophæum, ad idque lacte dulciſſimo ſoporauit, & manum ad clauum, malleumque extendit: *Aquam petenti lac dedit, & in phiala Principum obtulit butyrum. Siniſtram manum miſit ad clauum, & dexteram ad fabrorum malleos, percuſſitque Siſaram.* Rupertus libro in Iudices capite ſeptimo, ait

ait crucis formam induiſſe, eaque hoſtem virulentiſſimum detriumphaſſe. (Rupert.) *Verè iuxta Scripturam aliam mulier fortis accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roborauit brachium ſuum: ſiniſtram manum miſit ad clauum, & dexteram ad fabrorum malleos: talis habitus corporis profectò figuram crucis exprimit: clauus tabernaculi ipſum eſt ſtigma paſſionis Chriſti; clauum tulit, quæ iuſſa mortificare membra ſua ſuper terram, crucem ſuam baiulauit crucifigens carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis.* Doloribus exagitata, corporis afflictatione contrita brachium roborauit, & fortitudine ſe accinxit: vicit hoſtem, edomuit inimicum; at Siſara dum indulget ſomno, dum iucundiori potu vtitur, & ſe mortem euaſurum imprudenter confidit, ſoporatum caput vulneri præbet.

148. Elias cælum petiturus ignea quadriga petendi ſtimulos diſcipulo iniecit, & ſtudium excitauit: contentus non erat flagrantiſſimus zeli ardor cælum petere, ni eumdem ſpiritum alteri delegaret: diſcipulus pia temeritate aggreſſus eſt ſuperare magiſtrum, & duplicem deſiderauit ſpiritum, quo & ſibi conſulere, & proximis quiuerit prouidere. Elias annuit, & diſcipulo delegauit melotem, qua lutulentos Iordanis fluctus diuiſit, & ſicco (4. Reg. 2. v. 14.) greſſu tranauit: *Percuſſit aquas & diuiſæ ſunt huc atque illuc, & tranſiit Eliſæus.* Nullus ignorat fluida carnis vitia depingi lutulentis Iordanis fluctibus, marinis æſtibus. (Lauretus.) Adeſt Lauretus Ceruarienſis in allegor. *Aquæ Iordanis decurrentes & deficientes ſunt deſideria terrena.* Itaque fluida deſideria vndis properantibus deſignantur: ſed videamus cur Elias geminum ſpiritum depoſcenti pallium delegauerit: & cur Eliſæus duplici ornatus ſpiritu aquas melote diuiſerit, nec imperio vſus fuerit, cùm poſſet. Certè qui hoſtibus viſum vtiliter abſtulit, & aquis fluenta nudare, ſiccoque veſtigio ad contrariam ripam potuiſſet tendere: quid opus erat melote, cui tanta ſpiritus affluentia, & virtutis tanta efficacia. Ad hæc cur Elias veluti ſpiritum melote alligauit, & diſcipulo miſit, vt ſpiritum geminaret? O vtiliſſimam nobis doctrinam! Caprina melote, veſtis aſpera, rude integumentum non tam deſæuiebat membris fouendis, quàm edomandis. Ergo Elias vt diſcipulum in vitia armaret, veluti teſtamento reliquit: Eliſæuſque quantum virtuti à cilicio auxilium fuerit agnoſcens, etſi duplici viguerit ſpiritu, aſpera veſte tentat fluenta diuidere, nec fluctus aliter audet tranare. (Chryſoſt.) Adeſt Chryſoſtomus homilia ſecunda ad populum Antiochenum. *In cælum aſcendens nihil aliud quàm melotem diſcipulo reliquit; cum hac, inquit, cum diabolo pugnauit, & tu contra illum armatus hanc capies: validum enim telum inopia, & inexpugnabile habitaculum, & turris inconcuſſa.* Itaque Eliſæus, dum ferè nudus alget, dum inopia armatus degit, gemino ſpiritu floret: erit indumentum veluti ſancti Spiritus domicilium quod nigri confuſique Iordanis fluctus, vt olim Arcæ præſentiam fugerunt, vt conſtaret vitia non audere in homines corporis afflictatione munitos, & aſpera carnis tractatione obarmatos: *Percuſſit aquas, & diuiſæ ſunt*: veluti horrentes cilicium, & aſperum non præſumentes contra indumentum. Ergo ſi cupis in voluptates armari; imò voluptates vincere, cape auſteritatis arma, pro ſtatus tui conditione induere duris, non vt habitu inculto lucteris plauſum malè ambitioſus; ſed vt diabolum vincas legitimè armatus. Poteſt frons noſtra populo conuenire, & intus longiſſimè à populo diſcordare; vt è contra poſſunt etiam externa omnia à populi moribus diſſidere, & animus populi erroribus conuenire. Ergo efficax in vitia telum eſt melote non ſpiritu deſtituta; ſed ſpiritu gemino diuitata.

Ferè ſemper vitia immixta blandimentis ſubrepunt animo, & tenebras offundunt iudicio. 149. (Tertull. *Suauia homini periculoſa.*) *Nemo*, aiebat Tertullianus de ſpectaculis capite vigeſimoſeptimo: *venenum temperat felle, & hellebolo; ſed conditis pulmentis, & benè ſaporatis, & plurimùm dulcibus id mali inicit: ita & diabolus.* Itaque vt venenum non inſinuatur inter fellis amaritudines, & hellebori aſperitates; ſic vitium non coit duris, & corpori guſtuique ingratis: *Omnia illic*, addit Septimius, *ſeu fortia ſeu honeſta, ſeu ſonora, ſeu canora, ſeu ſubtilia proinde habe, ac ſi ſtillicidia mellis de libacunculo venenato: nec tanti gulam facias voluptatis, quanti periculum per ſuauitatem.* Ab exordio ſerpens dulcibus venenum immiſcuit, & pomo benè colorato, oculis venuſto, & guſtui delicatiſſimo iudicium ſubuertit, & ſtructuram hominis ſubruit. Certè ſpinis non falleret, duris non alliceret, vt iam ab exordio conſtaret, aſpera duraque criminibus inimica, & fallaciis nebulonis ſemper aduerſa. Hinc Deus dum de reparanda imagine ſua cogitat, horridis ſentibus, pelleque aſpera communit: (Gen. 3. v. 18.) *In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ: ſpinas & tribulos germinabit tibi.* Non inuenies dæmonem ſerpentis facie perſonatum extorrem hominem fuiſſe aggreſſum, cùm illum paradiſo degentem non ſolùm fuerit adortus aſtutia; ſed deuicerit grata fallacia. Huc voco Vincentium (Lirinenſ.) Lirinenſem in commonit. cap. 35. *Faciunt quod hi ſolent, qui paruulis auſtera quædam temperaturi pocula, prius oras melle circumliniunt vt incauta ætas, cum dulcedinem præſenſerint, amaritudinem non reformident.* Ecce humani generis inimicus nos vti pueros extima dulcedine fallit: corpori guſtuique voluptatem obiicit, & animum dure ferit.

150. Iabin falcatis curribus exundans ſic anxit Hebræos, vt calamitoſam ſuſtinerent vitam, & ſeruitutem ingenuis morte paterentur duriorem: (Iudic. 4. v. 4.) *Nongentos habebat falcatos currus, & per viginti annos vehementer oppreſſerat eos.* Quid tunc? Deus gentis ſuæ calamitatem miſeratus Baracum armat, & Thaboris inſcendere cliuum imperat. Duc exercitum in montem Thabor. Vbi montis aſpera inſcendere iubetur, & triumphus etiam prædicitur: *Adducam ad te in loco torrentis Ciſſon Siſaram Principem exercitus Iabin, & currus eius, atque omnem multitudinem, & tradam eos in manu tua.* Quæres quid neceſſum fuerit, ſi erat inimicus in manus tradendus per cliuoſa montis defatigari, & ardua petere. Nonne poterat in plano

plano de hoſtibus reportare trophæum, cui ſupernum præſentiſſimum erat auxilium? Profectò poterat Deus vbiuis Baraco contuliſſe victoriam, voluit tamen ipſo præcepto parare nobis doctrinam. Iabin falcatis curribus exundabat, qui nihil valent contra incolentes aſpera, cum nec poſſint per montes agitari, nec per anfractus moueri. Ergo Iabino omnis curruum copia proderat nihil, cùm Baracus montis confragoſa tenebant, & petroſa inhabitabat: *Iſta inſtrumenta bellica*, ſcribit Toſtatus quæſt. 3. *ceſſauerunt: quia ſolum erant apta in*

Abul. *planiſſimis locis; in montibus autem vel locis aſperis nihil omnino, valebant.* Itaque ſolum contra amœna, plana, molliaque tenentes pollebat Iabinus armis; at contra aſperitatem eius prorſus currus reddebantur inutiles, & in confragoſa imbelles. Certè qui ſe mundi illecebris abdicarunt, qui ſe viuos cauernis ſepulchriſque condiderunt, falcatos Iabini currus facillimè fruſtrant, & hoſtiles vires eneruant: non eſt deliciis, voluptatique cum ferè emortuis commercium. Certè vel prodigus dum fameſcit, dum alget, dum aſpero per montes defatigatur inceſſu, vitiorum confringit iugum, & paternam repetit domum: *Inquieti gregis*,

Chryſol. inquit Chryſologus ſerm. 1. *teritur & maculatur excurſu, vt ſentiat quam miſerum ſit, amarum, quam ſit quietis paternæ beatitudinem perdidiſſe.* Itaque dum corpus delicatè innutritum, dum blandis fotum, nullatenus ſentiebat, quam diſtaret à virtute; at dum defatigatur, dum teritur, dum ferè opprimitur, exulat tentatio, & denſas appetitus tenebras luminis depellit acceſſio.

151. Bethulienſes timent ab Holoferne deuinci, & vti gentibus reliquis acciderat, diſpoliari.

Iudith. 4. v. 9 Quid tunc? *Induerunt ſe ſacerdotes ciliciis, & infantes proſtrauerunt contra faciem templi Domini, & altare Domini operuerunt cilicio.* In Holoferne adumbrari vitium quis dubitet? Ergo dum timent vinci, cilicio didicerunt armari: & quidem ſatis ſtultus fuit Holofernes, dum cilicio non horruit munitos, & præſumpſit ſubiugandos: nec enim valent vitiorum arma in ieiuniis lurida, in ciliciis exulcerata, in flagris conciſa membra. Huc voco quod aiebat Ambroſius ad Virginem lapſam: *Corpus indutum cilicio perhorreſcat*: perhorreſcit vi-

Ambroſ. tium corpus aſperitatibus diuexatum; ſubiugat facilè deliciis & voluptatibus emollitum.

---

§. XXXV.

Securam vitio molitur ſtragem, qui pueros erudit ad ſalutem.

152. VT in recens vas infuſus liquor ſe per poros facilè inſinuat, & inſinuatus veluti concorporatur, & vaſi ipſi vnitur, ita tenera

Plutarch. *Nutrix morata eſt eligenda.* ætas doctrinam ſuſcipit, & quaſi ſecum inuiſceratam cuſtodit: *Nutrices certè & alumnæ non quæuis; ſed ſunt quam probatiſſimæ deligendæ*, ſcribit Plutarchus de inſtituendis liberis, *primum quæ moribus ſint Græcis; vt enim membra corporis, quò recta hæc nec diſtorta adoleſcant, mox à partu conformare pueris neceſſe eſt: ſic puerorum decet à primo componere mores: ductilis eſt enim & mollis iuuentus, eorumque animis adhuc teneris facilè infunduntur præcepta; omne verò quod durum eſt, haud promptè emollitur.* Si homo per inſolentiam creſcat, vitiiſque innutritus duretur, nec aſperrimo freno reprimitur: molli ceræ facilè imprimuntur ſigilla, difficile

Iuuentus mollis eſt. marmori. Ergo diſciplinæ teneris puerorum animis inſculpuntur, quæ duris, & iam ſolidis non facilè inuiſcerantur. Diſtorta membra venuſtam in formam docta componentis manus conformat, quæ adulta non admittent remedium; ſed perſeuerabunt ſolertis naturæ probrum. Culpandi ſunt parentes, qui indulgentiæ ſpecie non ſunt in filios benigni; ſed feri: ſinunt licenter adoleſcere, cumque iam ſe ætas explicuerit non ferit virtutis documenta, ſi ab initio coluit inſana voluptatum delitia. Redeat iterum Plutarchus: *Poſtquam*

Nonnulli patres ſera educationis filiorum pœnitentia affliguntur. *adulti ſanam & frugalem viuendi rationem abiecerunt, in voluptates autem præcipitauerunt ſe effrænes, & ſeruiles, tunc iam fruſtra neglexiſſe liberorum diſciplinam, ſera ducuntur pœnitentia, cùm illorum ſceleribus anguntur.* Filij moribus ſeruilibus parentibus ſunt tormento, qui benè inſtructi eſſent gaudio: *Educatio* (verba ſunt

Seneca. *Adulta vitia difficulter præcidantur.* Senecæ lib. 2. de ira cap. 18.) *maximam diligentiam, plurimumque profuturam deſiderat: facile eſt enim teneros adhuc animos componere, difficulter præciduntur vitia, quæ nobiſcum creuerunt.* Si vitium ſemel adoleuit in naturam, ſudabit tarda nullo aut exiguo fructu diſciplina: profuiſſet plurimum à teneris vnguiculis vel exigua diligentia: mihi crede: ipſum doctrinæ lac, quo ad virtutem tenera nutritur adoleſcentia, venenum eſt, quo diſpereunt vitia: Ecce Siſara vitiorum ænigma ad Iaëlis fugit tentorium, illa lactis aperit vtrem, & propinata dulcedine conciliat Siſaræ mortem: *Aquam petenti lac dedit.* In lacte puerorum eruditionem, doctrinamque intelligit Origenes homil. 5. in lib. Iudic. ergo ipſo puerorum lacte ſopitur Siſara, & transfoditur lethali plaga. Accipe Adamantium: *Siſara aquam petiit, Iaël verò lac tribuit: lactis cibus dicitur in Scripturis ſanctis doctrina, quæ incipientibus vel paruulis traditur.* Ecce paruulorum doctrina Siſara ſopitur, & iam ſopitus transfoditur: *Iſte cibus*, addit

Origen. Origenes, *his qui ad bonum tendunt, vitam tribuit*, & ſalutem; his verò, quibus contraria placent, quibus luxuria, libido, auaritia, & omnis impietas cordi eſt, *necem.* Eiſdem cibis aluntur boni, ſuffocantur mali, & vbi piis vita, impiis mors. Siſara vitiorum Princeps, paruulorum vita necatur, & doctrinæ lacte ſopitur: & quid dæmoni pernicioſius, odibiliuſque, quam ſanæ doctrinæ lac, quo pueri ad virtutem nutriuntur, & probis moribus informantur? O quam ſe Iaël diſertam exhibuit cùm lacte, hoc eſt, vtiliſſima puerorum eruditione vſa eſt ad infligendam Siſaræ necem, & conciliandam copiis vitiorum ſtragem.

Iſaias gratiæ tempora feliciſſima annuntians, ruinamque vitiorum prænotans aiebat: 153. Iſai 11. v. 8.

Delectabitur infans ab vbere ſuper foramine, aſpidis, & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manum ſuam mittet. Non nocebunt, & non occident in vniuerſo monte ſancto meo: quia repleta eſt terra ſcientia Domini. Regulus cauernoſis in an-

 tris

tris degit; verùm lacte ſanæ doctrinæ innutritus manum ſuam mittet, & premet: ab ipſo vbere ſugit infans, quo ſuper foramina aſpidis delectetur, quia aſpis ipſo pueri oblectamento cruciatur: quam horret aſpis, quibus pueri nutriuntur, vbera, quam ad illa inſumenda calumniarum conglomerat arma. Certè hæc puerorum vbera ſunt ſicut turris, ex qua clypei mille dependent, non ſolum ad retundendos hoſtiles ictus; ſed ad duros hoſtibus infligendos cruciatus. Et quidem vt quæ nobiſcum vitia creuerunt, difficulter teſte Seneca præciduntur, ita quæ ab vberibus coaluerunt virtutes, difficulter ſeparantur: *Infans qui malitia paruulus eſt*, ſcribit Hieronymus, *mittet manum in foramina aſpidis, & de obſeſſis hominum corporibus fugat dæmones.* Ecce fugantur dæmones lactentis manu, & lac ipſum, quo in vitam alitur infans, vires præbet, vt pereat aſpis. Iam bonis moribus innutritus, quantumuls fuerit infantiam tranſgreſſus, non facilè degenerabit; imò in adoleſcentiæ iuuentutiſque flore, vbi alij infauſta ſuſtinuere ſæpè pericula, feliciſſima de hoſte aſſequetur trophæa: *Qui ablactatus eſt*, ſubnectit Hieronymus, *& nequaquam lacte nutritur infantiæ; ſed iam ſolido veſcitur cibo, iſte in reguli cauernam mittet manum, hoc eſt in ipſius Sathanæ habitaculum, & inde eum extrahit.* Iure pauet regulus ſolido ab vberibus lacte paſtum: quia iam in ipſa infantis educatione ſibi præſagit excidium. O ſi parentes ſtudioſa ſolicitudine filiorum curarent educationem, eoſque traderent erudiendos magiſtris, qui heroica virtute nitent, & ſcientia erudítiſſima florent.

154. Cum crudeliſſimum tyranni edictum cingeret veluti obſidione naturam, natus eſt Moyſes adeo elegans, vt parentis animos nouo ſupra naturam amoris philtro vinciret, & pericula deuorare ſuaderet, tribus menſibus non ſine diſcrimine abſcondunt, & Hebræo lacte innutriunt: *Videns eum elegantem abſcondit tribus menſibus:* [Exod. 2. v. 2.] fluctibus tandem non ſine decenti cautela traditur; ſed per fluenta expers periculi diuinæ prouidentiæ gubernaculo ſcirpea fiſcella aurigata fertur, tandem puer à Pharaonis filia extractus, iterum ipſius matri alendus committitur: *Perrexit puella, & vocauit matrem ſuam.* Firmiter adeò Moyſis cordi lac eruditionis adhæſit, vt tranſlatus etiam ad aulicorum palatium, vitiique emporium à virtute nullatenus deuiarit; imo de Ægyptiis deterendis, delendiſque egerit, nec abſque arcano myſterio pueri huius educatio refertur à quo Pharao eiuſque exercitus fluentis extinguitur, vt iam ipſum educationis lac & Pharaoni præſagiret excidium, & Hebræorum populo leuamentum. [Philo.] *Ferunt*, ſcribit Philo lib. 1. de vita Moſis, *infantem vt alienum ſuæ matri commendaſſe, eamque libenter pollicitam ſuam operam in nutricando tamquam mercedis gratia, Deo prouidente, vt prima educatio contingeret infanti domi apud hos ipſos, à quibus procreatus fuerat.* Subnectit Hebræus eruditus poſt pauca: *Vbi maioribus quam pro ætate incrementis auctus maturè ablactatus eſt, mater eadem & nutrix eum reddidit ei, à qua acceperat, eleganti ſanè præditum indole.* Dum præditus concinnis moribus redditur, aduerſus tyrannidem obarmatur: non potuit non ingentem Ægyptus ab eo plagam accipere, quem conſtabat ſano virtutis lacte ab vberibus innutritum, & honeſtis moribus informatum.

155. Iubet Abrahamum Deus de filio adhuc paruulo ſibi offerre ſacrificium: ille, vt erat Dei amans, vt Numinis ſe probaret ſeruum, neſciuit patrem: in montem ducit puerum, ibique rebus ad ſacrificium pertinentibus ritè diſpoſitis teneras alligat manus, & faſcia conſtringit pedes, ne vel leuem motum vindicarit ſibi natura; ſed omnes gratia. [Gen 22. v. 17] Quid tunc? *Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli*, inquit Deus, *& velut arenam quæ eſt in littore maris, poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum.* [Rupert.] Deterendas inimicorum portas prænuntiat, hoc eſt, dæmonum poteſtates, cum puer totus ad pietatem eruditur, & ligatus aris offertur. *Portæ inimicorum*, inquit Rupertus apud Lippomanum, *poteſtates ſunt tenebrarum.* Ecce Abrahamus filium ligans inimicorum deſtruxit portas, & callidas eluſit verſutias. Ecce puer clariſſima luce fulgens nocturnas vmbras depellit, & arenæ ad inſtar inſanos refrænat æſtus, & æſtuantes cohibet fluctus: & totum hoc quia eius pater maturè dicauit aræ, & educationis frænum iniecit tempeſtiuè naturæ: *Cum gaudio vnici pignoris alligat manus*, ſcribit Veronenſis Zeno ſerm. 1. de Abrahami, [Zeno.] *quas ille vinciendas libentius offert: pedes quoque conſtringit, ne in exitu mortis concitata victima calcitraret: ſecurus enim pater optimus timuit, ne dolori aliquid liceret in mortem. O fratres, ſecura deuotio.* Ecce ſecuriſſimam contra ingruentia pericula deuotionem, in filio ſcilicet iuuene naturæ impetum religioſis ligaturis edomuiſſe, & virtutibus decenter aptaſſe: hæc ligatura fuit, quæ tenebrarum poteſtates vinxit, quæ inſanientes tentationum fluctus coëgit, quæ pudici pueri caſtitatem numeroſa poſteritate donauit. Certè ſi Iſaacus nullis ligaturis fuiſſet conſtrictus, nulla patris ſolicitudine ſacrificiis aptatus, forſitan reſiliret, & naturæ ſecutus impetum gratiæ deſpiceret magiſterium; at dum vera patris charitas tenerè dilectum puerum non recuſat comprimere, dum naturæ non refugit vim inferre, placidiſſimis filij lætatur moribus, & trophæis exundat hoſtilibus. O deuotio patri & filio ſecura, & ſoli dæmoni calamitoſa! Lætatus eſt pater filio quoque gaudente: quia religioſa illa vincula exiguum aut nullum dolorem attulerunt, & ne fugeret, felicitatem ligarunt. Paſſus eſt puer; ſed tempore exiguo, & dolorem leniuit grandi felicitatis præſagio: lucroſum commercium fuit modico tormento non modicum emi gaudium, & lachrymulis verum ablegare periculum. Certè niſi ligaſſet ſtrictè, pater compaſſionis non ſubiret cruciatum; ſed nec lætus futurum audiret triumphum; at dum florentem ætatem vtili rigiditate adaptauit virtuti, ingentem calamitatem, aſciuit dæmoni. Ergo diſcant parentes filiis nec peccati vmbram permittere, ſi exambiunt de illorum felicitate gaudere.

156. Sponſus Sponſæ felicem pulchritudinem laudans ſic de vberibus aiebat: [Cant. 4. v. 5.] *Duo vbera tua ſicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui paſcuntur in liliis.* Cur hinnulis exæquarit vbera rogant interpretes: [Nyſſen.] placet inter alios Nyſſenus hom. 5. ſic fatus: *Det peccati generationem, ſicut hinnulo*

lus delet ſerpentes, qui conſumit genus ſerpentum. Hinnulus ingenita ſibi proprietate ſerpentibus aduerſatur, & fraudulentis dolis opponitur. Ergo Sponſę vbera dum ſalubri eruditione nutriunt infantes, hinnuli ad inſtar conſumunt fraudulentos ac venenatos ſerpentes: ipſum lac in ora paruulorum infuſum ſerpentibus eſt venenum: ergo vbera ſerpentibus hinnuli ſunt: nam ſi hinnuli eos non ſolum fugant; ſed deuorant; ita vbera dum cæleſti doctrina paruulos alunt, doloſas dæmonum fraudes eneruant, & dæmones ipſos fugant.

---

§. XXXVI.

Non ſemel fœminæ dum ad ſpeciem gratius blandiuntur, firmiuſque promittunt, fallere certius diſponunt.

157. IN doli ſchola erudita mulier ſic peſſimi exercet artem magiſtri, vt vitæ ſpecie intulerit mortem, & quo blandius adulatur, dirius graſſetur. Amicitiæ leges nunquam à ſe violandas promittit, & dum firmius promittit, celerius frangit: ea fœminæ verſutia florent, eo ad fraudes concinnandas ingenio vigent, vt cùm longius à fallacia videantur diſtare, tunc certius ſit captioſas fraudes innectere: *Illuminemur oculis*, aiebat Nazianzenus orat. 18. *vt rectè cernamus, ne meretricium vllum, & obſcœnum ſimulacrum ex ſtudioſo & ſuperuacaneo aſpectu conflatum in nobis ipſis circumferamus.* Ni velis doloſam fraudulentamque pectore circumferre imaginem, mulieris non admittas effigiem: pulchritudinem mentiuntur, vultum ſuum variis picturis adulterant, & adulteratum variant. Et quid ſolidi, verique expectes à forma multiplici ſibi ipſi mentienti, & mendacia ſæpè alternanti? *Mulieres fuge ſicut ſerpentes*, aiebat Bonauentura in regul. nouitior. cap. 11 Profectò ſerpens dum vanis, mentitiſque animum alliciebat ſpebus, miſerandis adurſit caſibus: nec mulieres hoc edoctas crediderisaliud executuras: tunc ruinam miſeriamque ſtudioſius puta concinnare, cum felicitatem certiùs videntur promittere. Certè mulier eſt doli officina, fallaciæ ars, calamitatis vena, mendacij interpolatrix, & fraudis nutrix. *Niſi ſermonum ſemine proborum impleantur*, aiebat Plutarchus de tractanda Republica, *vel in partem veniant cum viris doctrinæ, ipſa per ſe monſtroſa multa, & praua conſilia, motuſque concipiunt.* Videntur ſaluti conſulere; ſed inueniuntur lamentis miſeris militare. Ecce Iael mulieris dolos ſine crimine expreſſit, & ad noſtram eruditionem non ſine myſterio adumbrauit: *Aquam petenti lac dedit*, ſcribit Debbora, *& in phiala Principum obtulit butyrum.* Siſaram officiis obſequioſiſſimis venerata eſt, & aquam petenti lac obtulit, quo ſibi chariorem, & venerabiliorem oſtenderet. Quid tunc? *Siniſtram manum miſit ad clauum; & dexteram ad fabrorum malleos: percuſſitque Siſaram.* Lac propinabat ad ſpeciem obſequioſior, & amicior; ſed dum ſpecie tenus teſtabatur obſequium, concinnabat ipſa dulcedine dolum:

Nazianzen. *Vitandus fœminæ aſpectus.*

Bonauent. *Mulier vt ſerpens fugienda.*

Plutarch. *Monſtroſa conſilia mulieres concipiunt.*

porrigebat dextera auream Principi phialam; ſed diſponebat ſiniſtra plagam: obſequium ipſum etſi laudabili arte neci temere coëgit, & officium ad honeſtum dolum detorſit. Siſara mulieris fidens obſequio ſe illi ſeruandum credidit, & firmiſſimè illa promiſit; at cum promiſit, occidere cogitauit: *Dixit Siſara ad eã: Sta ante oſtium tabernaculi, & cùm venerit aliquis interrogans te, & dicens: Nunquid hic eſt aliquis? reſpondebis: nullus eſt.* Blandiſſimis verbis omnem timorem depulit, vrbaniſſimiſque officiis omnem à Siſaræ animo anxietatem exterminauit: *Intra ad me Domine mi, intra ne timeas:* ſed dum conſulit non timere, diſponit clauo transfodere: putabat ille poſt tot belli fluctus ſecurum intraſſe portum; ſed in portu luctuoſius eſt expertus naufragium. Victus eſt grata mulieris fallacia, qui armatorum deuictus non fuerat copia: promiſit Iael, & quo ſecurius pararet excidium, ſolicitius depulit metum: *Credendum eſt*, ſcribit Abulenſis quæſt. 19. *quod Iael ſpoponderit Siſaræ ſe ſic reſponſuram & facturam ad ſalutem eius quæcumque poſſet, cùm recepiſſet eum, & vocaſſet benigne: quia alias non manſiſſet Siſara ſecurus in domo eius.* Iaëlis promiſſis imprudentiſſimè credens Siſara metum ſopiuit, & ſoporem ſibi nihil veritus conciliauit; at fœmina dum pio dolo dubietatem omnem depellit, nimis credulum ſecurius fallit. Et quidem admiratione eſt digniſſimum fiſum eſſe ſibi promiſſis, cùm cæteris omnibus impoſituram & falſuram exiſtimaret. Sic cæcutiuit, ſic imprudenter credidit, vt ſibi vni exiſtimaret fidelem, quam cæteris omnibus non dubitabat fallacem: vt quærentes eluderet, mulierem conſtituit ad oſtium, vti egregiam mendaciorum artificem, fallendi peritam, & ad veritatem innubilandam ſatis expertam, & quam cæteris credebat doloſam, imprudenter deluſus promiſit ſibi veridicam. Adde eo mulieres fallendi magiſterio pollere, ſic doloſitatis arte creaturas cæteras ſuperare, vt dæmon ipſe mulieris mutuatus ſit formam, quo ſecurius intruderet mundo fallaciam.

Iudic. 4. v. 18

Abulenſ.

Degebat Adamus illo deliciarum topiario, 157.
vbi innoxia erat voluptas carens ſerpentino veneno; verum ad inuidiam excitatus eſt ſerpens & quo inferret bellum auctori, captioſas molitus eſt inſidias imagini, mulierem alloquitur, diuinitatem offert, immortalitatem promittit: *Nequaquam morte moriemini: ſcit enim Deus quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut dij.* Si animum introſpicias, cruentiſſimam accurrit ad cædem; ſi labia attendas, loquuntur pietatem. Audi Baſilium Seleucienſem orat. 3. *Humanitatem ſimulat cùm ad cædem accurrat, & commiſerationis obtentu conatur ſeruum cum domino committere.* Itaque dum ſerius ſecuriuſque promittebat, dolos fraudulentius parabat. Iam quàm induerit faciem toga in hiſtoriis ſcholaſticis Magiſtrum, & ſcies vultum induiſſe virgineum. *Ille ſerpens*, ſcribit apud Abulenſem hic, *habuit vultum virgineum, vt magis Euæ complaceret.* Itaque dæmon ipſe, dum fallaciam cupit ſuccedere, fœminæ vultum conatur aſſumere, & tunc mores muliebres imitatus ſecuritatem omnimodam pollicetur, nec calamitatem ab hominibus pomi beneficio minus diſtare, quam à Deitate teſtatur; ſed dum aſſeuerantius teſta-

Gen. 3. v. 5

Seleucienſ.

Hiſtoria Scholaſt.

Digitized by Google

tur, plus & doloſius mentitur: ergo ſcito hoc mulieribus innatum prorſus ingenium, mendacium ſcilicet veritatis colore obtegere, & integumentis multiplicibus colorare. Dum aſſeuerantius promittunt, fuge, quia certius tunc fallunt.

159. Reſurgente Domino antiqua tartari lex mutatur; iam veſper inchoat, non finit diem, nec parturit tenebras; ſed claritate depellit vmbras: elementorum auctor vices elementorum immutat, vt in reſurrectione Domini totum diuinum ſentias, nil humanum: vt antiquum conſpicias non ſeruatum ordinem; ſed inuerſum. Ergo Angelus Domini aduenientes fœminas remittit ad Apoſtolos, vt teſtentur illis reſurrexiſſe vitam, & periiſſe à dæmone intruſam olim fallaciam: *Cito euntes dicite diſci-*

Mat.29.v 7. *pulis eius, quia ſurrexit.* Chryſologus, vt erat acri ingenio miratur ſerm 76. fœminas conſtituiſſe Angelum veritatis internuntias, cum fœmina fuerit mortis telum, veritatis venenum, fraudis aſylum Quid ſperent Apoſtoli à fœminis, quando noſcunt promiſiſſe olim homini immortalitatem, vt ianuam orco aperirent, & hominis felicitatem delerent? aſt hic Angelus non fœminas miſit, ſed Eccleſiam; vtque Domini reſurgentis clariori luce reſplenderet potentia, ſic antiquum ordinem inuertit, vt iam mulier nulla

Chryſol. detemperatur fallacia; ſed indubia hominem reſurrectionis exhilararet notitia. Accipe Chryſologum: *Angelus hic non fœminas; ſed eccleſiam duabus in fœminis mittit: vnam mittit, vt eam mittendo ſic longè latèque diffundat.* Neceſſum fuit vt fœminę Eccleſiæ perſonam gererēt, ne dum vitam promittunt, mortem inferant, & hominem fallant. Certè Eccleſia nequit mentiri; nec poteſt fallere; at vt reſurgentis noueris poteſtatem, Eccleſiam modò conſtituit in fœminis, quas & purgauit fallaciis. Sola Chriſti Domini omnipotentia potuit efficere, vt mulier promittendo non falleret, nec mortem intruſerit, dum vitam ſeruis promiſerit: ni Angelus duabus in fœminis contemplaretur Eccleſiam, non mitteret ad denuntiandam homini gloriam; at quia in illis non conſiderauit innatum ingenium; ſed iniunctum à Domino officium, miſit vti veritatis indices, & felicitatis interpretes: *Angelus hic non fœminas; ſed Eccleſiam duabus in fœminis mittit.* Et quid ſperes à fœminis politulis, & vanitulis, quando verum dicere nec piis fœminis commiſit Angelus; ſed opus fuit Eccleſiam repræſentare, vt reſurrectionem poſſent aſſerere.

160. Prudentes quidquid mulieres ad ſpeciem moliuntur, in contrariam partem vertunt, vt illarum venentur ſtudium; imprudentes verò fucatis credunt blanditiis, verbis capiuntur adulatoriis, nec inhiare præſumunt ſanguini;

Zach 5. v. 9. ſed deluſi putant ſtudere ſaluti. Zacharias leuauit oculos, & mulieres vidit miluorum alis ſtructas, celeriterque inuolantes, vt amphoram detulerint in terram Sennaar, quo illic ad ſpeciem ſuffulta ſtabiliatur, & ſtabilita firmetur: *Habebant alas, quaſi alas milui, & leuauerant amphoram inter terram & cælum.* Alæ ad

Hugo. ſpeciem leuant; ſed dum videntur leuare, fraudulenter moliuntur conſumere. Adeſt Hugo Cardinalis, qui ex Symmacho, vbi noſter textus legit *milui*, tranſtulit *Herodionis*, de cuius ingenio diſſerens ſic ait: *Per Herodionem ſanguinarium & ſæuiſſimum, & pugnantem ſcelerum ipſorum varietas intelligitur.* Itaque Herodionis aſſumunt alas, quibus reuera ſanguinem ſugant, & quibus ad ſpeciem leuare intendant. Quid moliuntur improbæ illæ fœminæ? Certè nihil aliud, quam ſanguinem ſugere, & ſe nutrire. Quod promittunt, eſt eleuare. In Sennaar contendunt amphoram ſtabilire, cùm moliantur frangere, & fragmenta ſibi diripere. Redeat iterum Hugo: *Ipſe diabolus, qui eos in ſuperbiam leuauit, & faciliter & velociter ad iniquitates primo, & poſtea ad captiuitatem portauit.* Diſcupiebat diabolus homini eludere, & ſtabilimenti ſpecie duris vinculis, iugoque premere: ergo mulierum facies aſſumpſit, quæ amphoram firmare ad ſpeciem ſatagerent, eleuareque ſimularent, vt ad captiuitatis miſeriam ducerent, & duriſſimo iugo premerent. Recogita tecum quid fraudulentiſſimæ meretrices promittant voluptatis delicias, deliciarum diuturnitatem, iucunditatem innoxiam, obſequia, officia; ſed tunc Herodionis ad inſtar non ſolùm diuitias; ſed etiam ſanguinem ſugant, & iam miſerum amaſium blandis amoris cæciſſimi vinculis illigatum opprimunt vti captiuum. Ducunt ad miſerabile iugum, & mentiuntur optare ad ſalutis, voluptatiſque fulcimentum. Ad captiuitatem portauit. Quid certius? Quid vſitatius? Huc voco quod aiebat Bernadus epiſt. 2. ad Fulconem puerum: *Blanditur; ſed ſub lingua eius labor & dolor: Lachrymatur; ſed inſidiatur: inſidiatur, vt rapiat pauperem, rapere pauperem, dum attrahit eum. Caue, inquam, fili mi, ne acquieſcas earm.* Bernard.

---

§. XXXVII.

Etſi aliquando inimicus indulgeat, non erit ad vtilitatis commodum; ſed ad doloris augmentum.

Decet benignitatem feſſos refouere, & oppreſſos calamitatibus ſubleuare: deliniτur calamitas, ſi compatiatur benignitas: *Non* 161.
ſentitur incommodum, aiebat Caſſiodorus 4. var. Caſſiod.
19. ſi quod per aduerſitatem conſtat oppreſſum conceſſa proſperitas oſtenderit ſubleuatum. Si concedatur proſperitas ad calamitatis leuamentum, acerbitatem emolliet caſuum; at ſi fellita indulgentia eleuet ad ruinam, non erit benignitatis fomentum; ſed deteſtabile nocendi artificium. Subleuatur aliquando caris induciis aduerſitas, & incipit arridere felicitas; ſed vt qui ſe ſperabat aliquando fore proſperum, grauius doleat, ſi duris ſe cladibus experiatur oppreſſum. Calamitatis nox tunc eſt infeſtior, cùm præcedentem obſcurans proſperitatem, vt eſt ingratior caligo, quæ ſereniſſimam Solis innubilat lucem. Hinc qui ſtudioſiſſimo nocendi inardeſcunt prurito, alleuant, vt allidant: demulcent mollius, vt feriant durius: permittunt aliquando proſpera, vt incrementarint aduerſa. Torquendi ingenium eſt ſanare vt ferias, ſaginare vt iugules, procurare ſalutem, vt ſæpè repetas & lædendi voluptatem. Ad laetis tentorium inuolat Siſara cæli fragoribus perculſus, ingenti ſuorum cla-
de

de obturbatus,& inſtātis metu periculi oppreſſus. Quid tunc? Iaël blandiſſimis verbis te- ciat,dulciſſimum lac ſitienti propinat, & quo feſſos artus recreet, locum accommodat: *Aquam petenti lac dedit, & in phiala Principum obtulit butyrum.* Audis quàm indulgenter ſe geſſerit, quàm benignè exceptum demulſerit: audi modò ad quid vocatit ſomnum,& paratit ſtratum. *Siniſtram*, inquit, *manū miſit ad clauum, & dexteram ad fabrorum malleos, percuſſitque Siſaram quærens in capite vulneri locum, & tempus validè perforans.* Nequiret fœmina validè transfigere expergefactum, tranſuerberare potuit ſopitum: ergo illi conciliauit pia fraude dulciſſimum ſomnum, quo poſſet validius adigere ſentri clauum. *Cum aquam præbere poſſet*, ſcribit Arias [Montan.] Montanus, *lac tamen dederit, cuius vis ſopire magis, quàm ſitim extinguere poſſet. Quod tamen cum laſſis non ita conueniat, vtpote quibus ventriculi calor ſi vehementior æquo eſt, exuri lac, caputque tentare faciat; ſi minor, aceſcere cogat; tamen illa adeò prudenter præbuit, vt recuſare ille non potuerit.* Obſequij gratiſſimi ſpecie captioſas colorauit inſidias, & inimico præbuit dulcedinem, vt duriorem, miſerabilioremque potuerit inferre mortem. O fuge inimicorum obſequia, & time dæmonum aduerſantium officia: ſæpè enim tibi deliciarum, voluptatumque gratas occaſiones conciliant, vt ſtragem miſerrimam pariant.

162. Pharao ille nequiſſimus eo in populum odio ardentiſſimo exæſtuabat, vt viribus eiſque potentiſſimis verſutiſſimam calliditatem adiunxerit, quo faciliùs citiuſque deleret: obſtetricibus horrendum facinus imperat, vt ſcilicet munus leuandi parturientium labores detorſerint ad inopinas puerorum ſtrages; verùm cùm impium adeo facinus detrectarent, publico edicto inſanivit in naturam, & omni prorſus verecundia [Exod. 1. v. 22.] nudatus, ſecutus eſt temeritatis inſaniā: *Quidquid maſculini ſexus natum fuerit, in flumen proiicite, quidquid fœminini, reſeruate.* Natura velut obſidione cingebatur, explorabantur parturæ,& puer ſolare nondum iubar contuitus fluentis tradebatur obliterandus. Et quæ huius edicti pars tibi videtur & moleſtior & durior? mares occidere, an fœminas reſeruare? Videbatur ad ſpeciem temperaſſe benignitate truculentiam, & feralem indulgentia ſæuitiam; verùm ea erat nocendi rabies, vt fœminas reſeruaret, non ad doloris ſolatium, ſed ad calamitatis augmentum. Hebræorum fœminis ſanè pulcherrimis, faciéque decoris ad explendam impotentiſſimam libidinem abutebantur, ancillarum loco illas habebant,& vti ancillas,& quaſi de lapide emptas durè tractabant: ergo parentibus grauior erat dolor videre filias grauiorem morte vitam ſuſtinentes,& mortem deſiderantes. Itaque illa erat miſericordia fellita, indulgentia pernicio- [Abulenſ.] ſa. Adeſt Abul. q. 5. *Quia fœminæ Hebræorum pulchriores erant fœminis Ægyptiorum, ideò ipſi Ægyptij, qui libidinoſi valde erant, deſiderabant valde Hebreas ad explendam in eis ſuam libidinem. Quartò quia volebant eas Ægyptij ad famulatum, vt vxores eorum quaſi dominæ eſſent.* Cùm durior ſit homini probo propudioſa vita, quàm mors honeſta, grauior dolor accreſcebat Hebræis ex fœminarum reſeruatione, quàm ex maſculorum nece, & trux ille inimicus diriùs ſæuiebat fœminas cuſtodiendo, quàm maſculos iugulando. Non erat fœminarum exceptio benignitatis conſilium; ſed feritatis ingenium.

163. Filij Iſraël duriſſimis verberibus nondum ad prudentiam eruditi obſtinato animo erroribus inſeruiebant, & figmentis fabuloſiſſimis thura litabant. Malitiæ improbitatem ſupplicij commutabatur acerbitas, ſi poſſet eos ad mentem dura reduxiſſe calamitas: *Fecerunt filij Iſraël malum in conſpectu Domini, qui tradidit illos in manu Madian ſeptem annis & oppreſſi ſunt valde ab eis.* [Iudic. 6. v. 1.] Huius vehementis oppreſſionis miſeriam textus ſubiecit: *Cùm ſeuiſſet Iſraël, aſcendebat Madian & Amalec, cæterique orientalium nationum, & apud eos figentes tentoria, ſicut erant in herbis, cuncta vaſtabant.* Commiſeratione erat digniſſimum Hebræos nec frui otio, nec laboris fructu: non licebat illis flauas colligere meſſes, nec vitabant improbos colendi terram labores; verùm etſi hæc calamitas aliquo tempore durè oppreſſerit, alio tamen non ita durior exarſit. Non aſcendebant Madianitæ ſationis tempore, hyemis tempeſtate; ſed tempus illud ſecuro permittebant otio, etſi vernum tempus deſtinauerint bello: ob idque hæc calamitas aliis erat ad ſpeciem mitior & temperatior: Cur ergo textus illam exaggerat, & duriſſimam prædicat: *Oppreſſi ſunt valde.* Quia illa ipſa indulgentia, reſpondet Ioſephus, erat nocendi artificium, & ſæuitiæ feralis ingenium: non concedebant Hebræis inducias, vt eo tempore reſpirarent, ſed vt illorum calamitatem augerent: ferebant,& cùm iam adultæ meſſes,& fere explicati fructus adulerentur ſpebus, arbitrabantur Hebræi poſſe ſe partis modò è terra diuitiis egeſtatem depellere, & improbas agriculturæ ærumnas ſolari. Quid tunc? Inuolabat truculentiſſimus inimicus, vt diſpoliaret diuites, & diuitiis raptis incrementaret dolores. Audi Ioſephum antiquit. [Ioſeph.] c. 7. *Madianitæ per æſtatem facientes expeditionem, hyeme agros colere Iſraëlitas permittebant.* annectit indulgentiæ cauſam: *Vt poſſent denuo labores eorum vaſtare.* Ni Hebræi agros excolerent, ni fructibus exundarent, hoſtium rapaces non paterentur manus,& omnia deterentes adſultus. Ergo Madianitæ, vt ſæuiorem illis intulerint cladem, concedebant illis campis excolendis hyemem.

164. Producamus, etſi obiter, duplex Scripturæ exemplum: vtriuſque Saul artifex fuit dum Agag ambitioſiſſimè parcit, & Dauidi pernicioſiſſimè indulget: iubet Deus Amalecitas penitus delere: adeò acerba ſine dubio illorum fuerunt peccata, vt nulla pientiſſimum Numen permiſerit remanere veſtigia. Saul, vt aiebam, cupiditati, ambitionique imprudenter adulatus pietatis ſpecie tranſgreſſus eſt diuina mandata, [1. Reg. 15. v. 9.] & Agagum donauit vita: *Pepercit Saul & populus Agag, & optimis gregibus ouium, & armentorum.* Huius iniquæ miſericordiæ varias ſacri in- [Hugo.] terpretes cauſas adducunt. Hugo Cardin. putat reliquiſſe Agag viuum: quia fornicem ſibi triumphalem decreuit erigere, & ad ſuperbiorem triumphi pompam Regem oppreſſum vinculis voluit deferre. *Apprehendit Agag regem Amalec viuum ad gloriam ſui triumphi demonſtrandam. Ita dicit Gloſſa.* Cùm homini clara ſtirpe exorto proboque acerbior morte fuerit indecora,& probroſa vita, ipſa Saulis ad ſpeciem

lenitas

lenitas erat grandior Agag calamitas: conducibilius erat interfici, quàm ad victoris gloriam ignominioſis vinculis regem ante thædam captiuum duci. Itaque acerbior erat Saulis indulgentia, & plena felle miſericordia: nec aliter inimicus indulget, niſi vt adaugeat pœnam, & multiplicet ærumnam. Non ſemel noſter hoſtis diabolus præbet occaſiones voluptuoſæ indulgentiæ, & delicioſæ commoditatis: ſed mihi crede, ſolum indulget ad pœnæ cumulum, & ad doloris augmentum. Ergo deteſtare miſericordiam fellitam, & fuge indulgentiam, tibi ſine dubio caram.

165. Succedat ſibi ipſi Saul, de cuius mentis arce ſic deturbabatur prudentia, vt delinqueret parcens, & peccauerit furens: in Dauidem ardentiſſimo odio inflammatur, nulla iuſta commotus cauſa; ſed rabida aduſtus inuidia: cúmque ſæpè contortis telis iniqua eius ſpes doluerit eluſa, & deſiderio fruſtrata, aliò vertit animum, & ſollicitat ad ſpeciem honoris augmentum: filiam dare vult, vt amoris ſpecie effugiat inuidiæ notam, & ferè ineuitabilem aſciſcat ſtrenuitati miſe-
1. Reg 10. v. 22. riam: *Mandauit Saul ſeruis ſuis: loquimini ad Dauid clam me dicentes: Ecce places regi, & omnes ſerui eius diligunt te: nunc ergo eſto gener regis.* Beneficium teli adinſtar intorquebatur, & Saul indulgendo Dauidi duriùs graſſabatur. Adeſt
Seleuc. Baſilius Seleuc. orat. 16. *Inuiſo Dauidi filiam dare vult, non quò exoſum cohoneſtaret; ſed vt filiæ nuptiis cædem emeret.* Cruenta erat beneficentia, & fraudulentiſſima gratia: Dauidi ſibi inuiſo ad ſpeciem benefaciebat; non tamen vt benefaceret; ſed vt citiùs præconſumeret: huiuſmodi ferè ſemper ſunt hoſtis beneficia, & liberalitatis feralis gratia.

---

§. XXXVIII.

Stultiſsimus inuenitur, qui ad ſalutem aliena confidit cura, ſi propria reſoluatur ignauia.

166. PLures tenet & ſalutis deſiderium & voluptatis ſtudium: diuerſiſſimi, contrariique præcordiis arietantur affectus, & nihilominus ſatagunt pace apparenti inutilique concordare, ne cogantur aut alterum affectum pellere, aut repugnantes ſecum adſultus pati: anhelāt tranquillitate frui, ſalutem conſequi, pace gaudere; ſed nolunt proprio ſibi prouidere labore; ſed aliorum committunt curæ, & confidunt imprudenter ſatis ſolertiæ: *Omne honeſtum*, aiebat
Senec. Senec. epiſt. 66. *voluntarium eſt: admiſce illi pigritiam, querelam, tergiuerſationem, metum: quod habet in ſe optimum, perdidit.* A ratione aberrare conuincitur, qui vult arctiſſimo fœdere coniungere & pigritiam & honeſtatem, frui laude, & laudem ſibi alieno comparare labore. Non eſt virtus ex iis, quæ ſeruili manu elaborantur, aut ſudore alieno obtinentur: *Omne honeſtum voluntarium eſt*, id eſt voluntatis partus, & honeſtæ ſolertiæ fructus: Nonnulli inuenire ſatagunt aliquos, qui indefeſſis vigiliis inertiam ſuam protegant, qui meticuloſam conſcientiam protectione inutili fallant: tibi laborandum, ſudandumque eſt, ſi cupis reportare triumphum, & futuris ſæculis tranſmittere famæ elogium. Ecce Iaël laudibus digniſſimis celebratur: quia ſiniſtram manum miſit ad clauum, & dexteram ad fabrorum malleum: *Siniſtram manum miſit ad clauum, & dexteram ad fabrorum malleos*: percuſſitque Siſaram quærens in capite vulneri locum, & tempus validè perforans. Aggreſſa eſt opus ad ſpeciem fœminæ alienum, cùm prudentia vt videbatur, conſuleret expectare Baraci milites, qui necem tyranno inferrent, non plagam propria manu non ſine grādi periculo adigere. O prudentiam venturis ſæculis decantandam! Erat Iaël honeſtæ laudis auidiſſima, noſcebatque nullum ſibi alieno labore comparare gloriam; ſed propriis geſtis nutriri famam: ergo laudabiliter ambitioſa miſit manum ad clauum, & occidit inimicum. Adeſt Abulenſis quæſtione 21. ad 4. Abulenſ.
Iudice. *Alia ratio fuit: quia fortè Iaël erat mulier auida laudis, & quia occidere iſtum Principem erat magna gloria, cùm eſſet tam potens, potius ea voluit eum occidere, quàm tradere alteri occidendum.* Si expectaſſet alienam induſtriam, adeò magnam conſecuta non eſſet gloriam; at dum ad opera accingitur, vti fortiſſima, promptiſſimaque æternis laudibus celebratur.

Hanc veritatem ſuffulciat ipſe Siſara aliena 167.
induſtria confidens, & ignauia propria dormiens: conſeruerat cum Baraco manus, & quamuis penè innumero milite, falcatoque curru exundanti dubia non videretur victoria; euentus tamen oſtendit, quàm parum iuuent humana ſubſidia, ſi cæleſtia contra militauerint arma: fugit profligatus, & anxio anhelitu in Iaëlis tabernaculum ſe recepit: ibi tantiſper recreatus, lacteoque potu ſomnolentus Iaëlem monuit, vt vigilanti ſolertia illum operiret, & ſolerti vigilantia ante tabernaculi fores ſtans milites inſectantes fruſtraret: *Sta an-* Iudic. 4.
te oſtium tabernaculi, & cùm venerit aliquis in- v. 20.
terrogans te, & dicens: Numquid hic eſt aliquis? reſpondebis: nullus eſt. Duo hic coniunxit Siſara, indulgere ſcilicet ſomno, occurrereque periculo; verùm dum periculo voluit occurrere aliena vigilia, cùm inerti ſomno traderetur ignauia: dignam ſtultitiæ pœnam pertulit, & transfoſſus vitam amiſit: *Veluti ancillam in ſui cuſtodiam conſtituendam putabat*, ſcribit Arias Montanus hic; *ſed reapſe nobis vaticinatus magis atque id quod futurum imminebat, prolocutus*
videtur. Monuit Iaëlem, vt virum nullum ibi latitare, quærentibus reſponderet, & quidem ipſe Montan.
iure ſe priuauit viri elogio, dum alieno ſe committebat ſtudio: nec enim erat homo ratione præditus, qui difficili adeò rerum ſtatu fidebat aliena induſtria, cùm propria reſolueretur ignauia: Et vtinam ſolus Siſara dignam imprudentia ſua ſtragem tuliſſet; at inueniuntur Siſaræ plures, qui aliorum orationibus, corporiſque afflictationibus ſuam ſatagunt impetrare ſalutem, cùm aliàs indulgeant vitiis, & vitiorum delirent inſaniis.

Chryſologus, vt erat ingenioſiſſimus, nota- 168.
uit proprium hunc damnatorum ſtylum: nam cùm diues ille, qui purpuram flamma, qui menſæ delicias æterna pœna, qui potum iucundiorem commutauit intractabili ſiti, ſerò leuaſſet oculos, & quem humi iacentem plenumque vlceribus deſpexerat Lazarum, qui Solares vincerent, intueretur fulgoribus redimitum,
obnixis

Digitized by Google

obnixis precibus Abrahamum precatus eſt, vt ad ſe mendicum mitteret, vt aquæ guttula voraciſſima ſopiret incendia: *Mitte Lazarum vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Ecce diues non vult longo adeò itinere fatigari, cùm diſcupiat ſiti mederi. Vtrumque anhelo ad ſpeciem deſiderauit affectu ſcilicet remedium & otium: ſitim vult extinguere; ſed Lazari diſpendio; ſed iuſti incommodo: vult vt in aquam intingat dexteram, vult vt extinguat flammam; at ipſe non perit ire: quia non vult ſalubri itinere fatigari: *Non ſe ad Lazarum duci poſtulat*, ſcribit Chryſologus ſermone 122. *ſed ad ſe Lazarum vult deduci.* Se occurrere ardentiſſimæ flammæ fingit deſiderare; ſed non vult pedem mouere: alieno labore diſcupit parare remedium, nec quærit propria diligentia ſubſidium: ſimul cupit abigere flammam, nec depelli negligentiam. Addit ibi Chryſologus: Erras diues, hæc flamma non tam linguæ, quàm mentis eſt: quaſi dicat ingenioſus Doctor: hæc flamma non ſolum fumo mentem illuminauit; ſed rationem prorſus aduſſit: aliter namque agnoſceret non ſibi bene conſulere quicumque vult in propriam culpam alienis ſudoribus militare. Ergo ne imitere damnatum, opportunum cape conſilium. Si vis culpæ flammas extinguere, diſce amariſſimis genas lachrymis irrorare.

Luc. 16. v. 24.

Chryſol.

169. Saul habitationem conceſſit dæmoni, qui eius nactus animum hoſpitij mercedem obtulit mœſtitudinem, qua diuexatus periret, & preſſus gemeret. Proh ingentem calamitatem, ſuſtinere cordis triſtitiam, & criminis notam. Non fruebatur adhuc volatico gaudio, cùm anima grandi laboraret tormento. Serui domini ſui laboribus condolentes conſulunt Pſaltem adduci, cuius melodia depulſa fugiat triſtitia. Quid ille? Ignauus & otioſus ſeruis procurationem committit; non tamen pro concilianda ſibi ſalute vel lentiſſimè gradum mouet. *Ait Saul ad ſeruos ſuos: Prouidete ergo mihi aliquem benè pſallentem, & adducite eum ad me.* Ex his verbis coniicit Baſilius Seleucienſis orat. 14. prorſus orbatum prudentia, & dæmonis deluſum fallacia: *Prudentia*, inquit, *de mentis arce deturbabatur.* Inquiramus, ſi placet, cur hic imprudens ſugilletur, & vecors habeatur. Nonne ſatagit labori remedium? Non curat harmoniæ auxilium? Certè ſi cantu dæmon abigendus, prudens ſatis apparet, dum cantorem diſcupit inueniri, & benè pſallentem adduci: cur ergo Baſilius ex eius reſponſis colligit deluſum diaboli aſtutia, & nudatum prorſus prudentia? Ratio facilis: quia nullas ipſe operas in curanda propria ſalute ponit; ſed aliorum curæ committit: vult ſeruos iter facere, Dauidem vult citharam referire, & teli vice in dæmonem melos iacere; ipſe tamen nec vnicum greſſum ponit, nec quidquam agit. Et fortaſſis dum habere leuiùs prodit textus, oſtendit non poſſe perfecta ſalute frui à ſe nulla adhibita diligentia; ſed veluti paſſiua, ſi fas eſt dicere, cura Leuius habebat, quia Dauidis oratio proderat ad dæmonis vires eneruandas; non tamen perfecta fruebatur ſalute: quia opus ad hoc erat, vt Saul ipſe pſalmum caneret, vt precibus largiſſimis indulgeret, vtque auxilia pœnitudinis aduocaret. Ergo dum fidit alienis poſſe ſe laboribus ſanitatem perfectiſſimam obtinere, conſtat prudentiam turbari: *Prudentia de mentis arce deturbabatur.* Imprudentiſſimus proditur, qui ſolùm laboribus alienis fidit, & ſpes vaniſſimas nutrit: aduocanda ſunt Sanctorum patrocinia, quærendæ iuſtorum preces; verùm & propria induſtria eſt coniungenda, & pœnitudo vocanda: opus eſt gemat, ingemat, anhelet, ſuſpiret, qui quod patitur, cupit dæmonium abigere, & vitiis animum expurgare.

1. Reg. 16. v. 17.

Seleuc.

Excitaturus Lazarum properat Dominus, 170.
fœtidum & quatriduanum inuenit, ſorores madebant copioſiſſimis lachrymis, & triſtiſſimis lugebant lamentis: ad commiſerationem excitatus eſt Dominus, & in mortem potentiam exerit, & à ſepulchro lapidem tolli iubet: reſplendenti voce refundit vitam, & demortuum iubet fœtentem deſerere ſepulturam: *Lazare veni foras*: reſurrectio imperium comitata eſt: *Et ſtatim prodiit, qui fuerat mortuus.* Profectò gratiæ reſtauratio, culpæque depulſio miris hic coloribus delineatur: piarum ſororum preces, lachrymæque Saluatorem adduxerunt, & affectum commiſerationis pulſarunt: aſtitit Chriſtus Dominus, mortem deuicit; ſed eo pacto, vt è ſepulchro Lazarus auolaret: *Veni foras*: aliquid illi faciendum erat, vt animæ recuperaret vitam, & greſſibus oportebat quærere gratiam: *Non dixit*, ſcribit Chryſoſtomus apud Diuum Thomam: *Surge tu; ſed veni foras, vt viuenti loquens ei, qui mortuus fuerat.* Addit ibi Auguſtin. *Tamquam audire paratum de ſepulchro protinus vocauit.* Itaque opus erat vt Lazarus præberet auditum, & vt Chriſtum verſus poneret greſſum. Ergo qui diſcupit mortis ablegare fœtores, Sanctorum quærat ſuffragia, & propria ſalutem ſibi ſoliciret diligentia.

Ioan. 11. v. 43.

Chryſoſt.

Auguſt.

§. XXXIX.

Amor etiam quæ cenſet impoſſibilia, ſolet expaueſcere detrimenta.

FLagrans & vehemens amor, aiebat Bernardus ſermone 67. in Cantica, *præſertim diuinus, cùm ſe intra ſe cohibere non valeat, non attendit quo ordine, qua lege, quaue ſerie, ſeu paucitate verborum ebulliat, dummodo ex hoc nullum ſui ſentiat detrimentum: interdum nec verba requirit, interdum nec voces omnino vllas, ſolis ad hoc contentus ſuſpiriis.* Lex affectum cogit ad intellectui obediendum: eſt enim intellectus cordis lux, deſiderij gubernaculum, affectionis frænum; verùm amor ſui iuris eſt, nobiliterque hoc dominium ignorat; nec tamen rebellat; ſed flagrat. Ita ab intellectu diſcrepat aliquando, vt quæ intellectus cenſet impoſſibilia, affectio extimeat, vti certiſſima detrimenta: non capit vehemens amor de impoſſibilitate ſolatium, nec de difficultate remedium: ſui iuris eſt, nec ſibi ipſi ſubiicitur, dum viuidiori ſtudio inflammatur: *Non attendit quo ordine, qua lege ebulliat.* Hæc legis ignoratio exaggeratio eſt amoris: neſcit cohiberi, & & ideò ſatagit ebullire. Siſara fere infinita militum 171.

Bernard.

Amor ſe intra ſe cohibere non valet.

litum contracta manu contra paucos inermeſque Hebræos pugnaturus egreditur, triumphus nullatenus erat humano iudicio dubius, in certamine ab inimicis profligari, poſſibilitatis metas ad ſpeciem tranſgrediebatur: & nihilominus mater eius eo anxio tenebatur deſiderio, vt ad feneſtram iret, rediretque non voces formans; ſed ſuſpiriis vlulans: *Per feneſtram reſpiciens vlulabat mater eius, & de cœnaculo loquebatur.* Non dubitabat mater Siſaram copioſis diuitiarum manubiis, & glorioſis rediturum nobilitatum ſpoliis; & tamen præ amoris anxietate à mente diſcrepat affectus, & id ipſum, quod impoſſibile iudicabat, anxia ſolicitudine extimeſcebat. Adeſt opportunè Abulenſis
Abulenſ. quæſtione 9. *Hic ponitur planctus & querela pro tardo reditu Siſaræ: quamquam enim mater Siſaræ ſciret Iudæos impares potentia eſſe Siſaræ, ita vt vix expectare auderent eum in campo; tamen quia diligebat eum nimis, ſolicita erat.* Addit Abulenſis: *Timebat id, quod non iudicabatur poſſibile: iſta eſt enim conditio amoris.* Itaque conſultus intellectus de Siſara reſpondebat eſſe impoſſibile vinci, vt facillimum aduerſarios eius ſubiugari; verùm ita amor ab intellectu diſcrepabat, vt timore anxius infortunium aliquod præſagiret, & ad impoſſibile detrimentum paueret: nam, vt benè Poëta: *Res eſt ſolliciti plena timoris amor.* Itaque, vt noſtra theſis
Ouidius. affirmat, vel quæ impoſſibilia iudicantur, ab amore ſæpè timentur.

172. Iacob patriam repetebat, & ne anxio alicuius periculi metu exagitaretur, cum eo Dominus ſpecie athletæ fortiſſimi colluctatur: ibi ſpontaneam homini conceſſit victoriam, quo nec leuem timoris foueret exinceps pectore
Gen. 32. v. 28. cauſam: *Contra homines præualebis.* Securus diuino promiſſo progreditur, & Eſau conſpicatus familiam diuidit, & ordine ſolicitudinem
Gen. 33. v. 2. indicante diſponit: *Diuiſit filios Liæ & Rachel, ambarumque famularum, & poſuit vtramque ancillam & liberos earum in principio; Liam verò, & filios eius in ſecundo loco, Rachel autem & Ioſeph nouiſſimos.* Profectò hæc ordinatio familiæ fidem ad ſpeciem innubilat, & ab intellectus luce diſcordat: ſi credidit dicenti Deo: *Contra homines præualebis:* ſi triumphali voce protulerat ipſe: *Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea:* cur familiæ trepida diſpoſitione à ſeipſo diffidet, & infamat ad ſpeciem, quam corde fiduciam gerit? Profectò locorum diuerſitas timorem prodebat, cùm ratio omne abeſſe periculum firmiſſimè aſſeuerabat, ſicque aut innubilabat fidem, aut imprudentiam oſtendebat locorum diſpoſitione: cur ergo Iacob & credit, & ſimul timet? Quia amor erga Rachelem filioſque eo ardore incanduit, vt nullam decenter attenderit legem, & intellectui dedidicerit ſubiectionem: impoſſibile credebat periculum, & verebatur nihilominus damnum: ita diuidebat inter certitudinem & amorem, vt fidei ſeruiret certus, & adularetur amori anxius. *Eam* (ſcilicet Rachelem) *cum in-*
Lippom. *fantulo Ioſeph ordinauerat,* ſcribit Lippomanus, *quem & plus cunctis filiis adamabat, ita tamen vt cuneum vnum ancillæ cum filiis, alterum liberæ item cum filiis facerent: vbi diſcimus nihil negligentius agendum in rebus humanis, etiamſi diuino præſidio ex fide integra nitamur.* Adſtipulatur Interlin. apud Lippoman. *Priùs in ordine ſeruilis*

eſt timor, qui in duabus ancillis exprimitur, deinde amicabilis, quem ſignificat Lia libera: demùm amor purgati animi, quem ſignificat Rachel. Non potuit Interlin.
deeſſe timor, vbi adeſſe conſpiciebatur amor, & amoris ſolicitudine, quamuis diuino oraculo certus nullum nouerit adeſſe periculum, opponit nihilominus ſolicitè diſcrimini impedimentum: totum intellectum indubia ſecuraque certitudine ſubiicit fidei; ſed nihilominus ſolicitudinem impendit anxiam amori: vt noueris amoris vehementiam ad ſpeciem non ſequi rationis normam, quandoquidem Iacob audiens, Deo contra homines præualebis, non dubitat; & tamen ſolicitè periculis obuiat: obſequens fidei, deſeruit etiam amori.

Herodis ambitio Chriſtum recèns natum eo 173.
proſecutus eſt odio, vt ad tuendam vitam opus illi fuerit exilio: conſulente Angelo refugium fugit, lateſcit omnium auxilium, & cunctorum formidat fortitudo, verùm ipſe ambitioſus furor, dum irrationabiliter ardet, ardore ſaluti nocet. Vitam finiuit Herodes non tam diuturni temporis lege, quàm ambitioſi furoris rabie: illo iam defuncto Angelus reuiſit Ioſephum, & omne iam ceſſaſſe periculum cōteſtatus iubet repetere patriam, & Iſraëlis incolere terram: *Vade in terram Iſrael defuncti ſunt enim,* Matt. 2. v. 20
qui quærebant animam pueri. Incunctanter obedit, & tamen omne effugatum diſcrimen non dubitans & latet, & timet? *Audiens quòd Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre ſuo, timuit illo ire.* Profectò hic timor non ſolùm videtur imprudens; ſed fidei hoſtis. Si Ioſeph credit dicenti ſibi Angelo abactum prorſus omne periculum, cur ſubit anxietatis dubiæ tormentum? Aut ſi periculum timet, quomodò dicenti ſibi Angelo nullum eſſe periculum credit? Profectò fides innubilatur timore, aut timor arguitur fide. O dignam Ioſepho prudentiam! Non dubitat, & nihilominus timet: quia hic timor non oriebatur à mentis dubitate; ſed à vehementi cordis amore. Cenſet fideliſſimus omne iam ceſſaſſe periculum, & nihilominus pectore gerit metum, non quem dubietas gignat, ſed quem amor foueat: impoſſibile iudicat puerum perire, & non poteſt nihilominus non timere: quia timor hic non attendit iudicij legem; ſed affectus conditionem: minus amaſſet, ſi ſecurus, & certus non expauiſſet; at dum ſecurus timet & certus, fidem non innubilat: ſed vehementiam amoris exaggerat: *Venit Ioſeph in Nazareth,* ſcribit Chryſoſtom. apud caten. Chryſoſt.
D. Thom. *& periculum fugiens, & patriam rediens.* Periculum fugit, non quod dubia ratio ſuſpicaretur; ſed quod amor fingebat, & vigilādo ſomniabat: hoc eſt enim amoris vehementis ingenium, vel impoſſibilia timere, & vbi nulla timoris vmbra, totis viſceribus trepidare. Redit Ioſephus in patriam Angelico præcepto obediens & ſecuritate fidens; ſed ſecurus timuit: quia flamma amoris vehementiſſimè incanduit.

Hoc idem videbis contigiſſe Mariæ: Angelo 174.
fidem præbet, & cæleſtia myſteria noſcit: non dubitat filium genus humanum ſanguine in cruce effuſo copioſiſſimè redemptum, & tamen cùm ſe filius ætate paruulus maternis oculis ſubduxiſſet, & Ieroſolymis omnibus mirandus lateret, adeò ſæuo mater diſcruciabatur dolore, vt nec quieſcere poſſet, nec viuere: tandem reperto filio has lætas querelas profert. *Fili quid* Luc. 2. v. 48.
feciſti

Digitized by Google

feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. Quid his filius pro immortali ſua ſapientia? *Quid eſt quod me quærebatis? Neſciebatis quia in his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Profectò filij matriſque verba non facilè concordare videntur: nam ſi mater nouit filium non caſu, ſed conſilio ſe ſubduxiſſe, ſi nouit poſſe à ſe periculum omne depellere: quia vſque ad crucem nequibat mori, quid doleat veluti grandia ſuſpicata pericula, & ingentiſſima detrimenta? aut ſi diſcrimina ſuſpicatur, cur à filio ad ſpeciem arguitur? O amoris vim! Non dubitat mater filium omnipotentia, qua omne poſſit periculum auertere, frui; verùm etſi intellectus non putet adeſſe periculum: amor anxius aduerſus rationem, ſi fas eſt dicere, ſuſpicatur diſcrimen: nec aliter fieri poteſt, dum ardet: *Cur dolentes eum quærebant*, ſcribit Origenes apud
Origen.
D. Thomam, *an ex eo quod periret puer, an errauerit? Abſit: numquid enim fieri poterat, vt perditum formidarent infantem, quem diuinum eſſe cognouerant?* Itaque intellectus puerum credebat diuinum, & luctuoſum tunc non poſſe accidere noſcebat caſum; verùm teneriſſima, maternaque affectio ita, ſi fas eſt dicere, cum intellectu pugnabat, vt quem agnoſcebat impoſſibile eſſe perire perditum, doleret vehementer amiſſum. Adeſt Angelici Doctoris Gloſſa: Metuebant, ne quod Herodes in infantia eius patraſſe quæſierat, tunc iam in pueritia poſitum inuenta opportunitate alij interficerent. Experta erat Maria omnes humanas artes nihil aduerſus Numinis valere conſilium, quandoquidem vel potentiſſimi Herodis ſagax in caſſum laborauerat odium: agnoſcebat, niſi ipſo volente, puerum periclitari non poſſe, nec mortem in pueritia ſubiturum; verùm quamuis intellectus omnis anxietatis cauſas clariſſima luce depelleret, affectus amoris officina neſcio quæ confingebat pericula, verebaturque detrimenta. Nec mirum: nam amoris timor intellectus legem non ſequitur; ſed in ipſa ſecuritate trepidat ipſa impoſſibilia expauens, & quaſi accidere poſſint, timens: vt noneris quàm vera ſit Bernardi ſententia, amorem videlicet vehementem non attendere ordinem, non ſeruare legem: *Non attendit quo ordine, qua lege ebulliat.* Ergo Siſaræ mater quem non putat poſſibilem caſum, dolet, & triumphum expectans metuit.

§. XL.

Neſcio quo pulſu corda euentum ſolitant præſagire, & quodammodò prænuntiare.

175. Caſſiod. NEceſſe eſt, aiebat Caſſiodorus 11. var. 19. *vt res magna competentia præmittat ſemper indicia: venturum diem lucifer demonſtrat exortus, ſerena ſecutura fauens ventus oſtendit; imminentia bona quadam animi præſagitione dignoſcimus, & difficilè res magna geritur, quæ ſignorum præcurſione minimè declaratur.* Egregiè errauit antiquitas, dum ſtudioſè obſeruauit auſpicia, notauit augutia, & conſuluit inconſultè præſagia: omnia namque diuino nutu reguntur, nec fortuitis euentibus gubernantur; negari tamen non poteſt Deum non ſemel; imò ſæpiſſimè ſic corda pulſare, vt inconſultis motibus futura præſagiant & læta præcedant neſcio quo inſolito gaudio, vt infauſta ſtrictiſſimi angoris, & improuiſi tormento. Errabat, vt dixi, antiquitas; verùm vmbratilem erroris excuſationem habebant, dum interanea ad prænoſcenda futura ſcrutationibus attentiſſimis examinabant. *Occidebatur pecus*, ſcribit Chryſologus ſermone. 5. Chryſol.
vt quod viuum nil ſcierat, diuinaret occiſum, & loqueretur ex fibris mortuum, quod nunquam fuerat ore prolocutum. Pecus occidebatur, vt attenta cordis inſpectio, & diligens perſcrutatio futura in illo videret, & tempora maturaret. Itaque in corde prænoſcebant futura, quaſi indubius ſit futurorum index, dum præſentit læta, aut anteuertit etiam infauſta. Ecce Siſara copioſo exercitu in Hebræos paucos & inermes prodit in bellum; omnia argumenta promittebant triumphum à Siſara reportandum, & populum Iſraëlitarum ſine dubitatione vincendum: nihilominus mater eius arcano impulſu aërem lamentis implet, & triſtiſſimis vlulatibus cordis dolorem oſtendit, ſtragis inſcia, & euentus prorſus ignara. *Per feneſtram reſpiciens vlulabat mater eius, & de cœnaculo loquebatur.* Quid vlulet, quid loquatur, quando eius filius expectatur ouans rediturus captiuis cinctus, & ſpoliis hoſtium glorioſus? Vlulabat, inquit, & iure: Siſara namque voluebatur ante pedes Iaelis transfixus, & iacebat exanimatus: diſtantia occultabat tunc caſum; at matris cor iam præſentiebat euentum. *Mater Siſaræ*, ſcribit Abulenſ. quæſt. 9. *propter* Abulenſ.
cordis amaritudinem erat inquieta, & non poterat conſiſtere in eodem loco: ideò aliquando erat ad feneſtram reſpiciens an veniret. Cor repentina amaritudine præſagiebat miſeram Siſaræ ſtragem, & infeliciſſimam mortem. Omnia contrarium affirmabant argumenta; amariſſimi tamen cordis luctuoſam calamitatem teſtabantur indicia: vt videas corda ſæpe inconſultis, repentiniſque motibus futura prænuntiare, & inſtinctu arcano prædicere.

Philiſthini ferè immenſam militum copiam 176.
cogunt, & contra Saulem inſurgunt. *Philiſthiim* 1. Reg. 13. v. 5.
congregati ſunt ad præliandum contra Iſrael triginta millia curruum, & ſex millia equitum, & reliquum vulgus, ſicut arena, quæ eſt in littore maris plurima. Iſraëlitæ terrore perculſi fugiunt; Saul autem nec deſcribitur perterritus, nec pauore gelido exanimatus; imò ſacrificium obtulit felicem deprecatus euentum, & reportandum ſperans triumphum. *Ait ergo Saul: Afferte mihi holocauſtum, & pacifica.* Tranſi modo ad cap. 28. vbi cùm congregaſſet vniuerſum Iſraël, & veniſſet in Gelboe, Philiſthinorum caſtra intuitus ſic timuit, vt deſponderit animum, & infauſtum prænuntiarit ſpebus deſtitutus euentum: *Con-* 1. Reg. 28. v. 4.
gregati ſunt Philiſthiim, & venerunt, & caſtrametati ſunt in Sunam: congregauit autem & Saul vniuerſum Iſraël, & venit in Gelboe, & vidit Saul caſtra Philiſthiim, & timuit, & expauit cor eius nimis. Inquiramus, cur modò vniuerſo Iſraële timeat circumdatus, qui Philiſthinorum caſtra vel à ſuis anteà non extimuerat deſertus. Sanè hoſtiles copiæ in Machmas numerum excedebant, Saulis vires ſatis exiguæ: Iſraëlitæ namque de ſtatione metu exturbabantur, & victoriam aduerſario ante certamen concedebant; hic verò nec aduerſariorum copiæ maris arenæ comparantur, nec Hebræorum caſtra metu improuidò deſeruntur; & tamen hic angitur, cordeque

Digitized by Google

premitur;cùm illic nec deſcribatur preſſus, nec anxius. Profectò ſi ratio conſuleretur humana, maior antea fuerat cauſa timendi, & hîc maior occaſio fauſta ſperandi; & tamen hic cor trepidat, ibi impauidus ſacrificat. Nec mitaberis, ſi euentus conſulas: nam quamuis alibi hoſtes innumeri minitarentur ſtragem,exiguaque manus conſuleret timorem; vnus tamen Ionathas armigero comite inauditam ſæculis victoriam obtinuit, & triumphum glorioſiſſimũ reportauit;hic verò,quamuis Iſraëlitarum numerus maior,& hoſtium minor,adeò infauſta Hebræos expectabat fortuna,vt & omnis Iſraëlitarum exercitus partim fugerit profligatus, & ceciderit partim occiſus, vt Saul eiuſque filij occubuerint occiſi,&hoſtili manu confoſſi: *Irruerunt Philiſthiim in Saul, & in filios eius.* Itaque 1.Reg 31. v.2. licèt ſpectatis humano iudicio cauſis, alibi infauſtiora viderentur timenda, & alibi lætiora ſperanda,neſcio quo arcano pulſu Saul, vbi reportandus triumphus, non ſollicitatur timore, & vbi occidendus, triſtiſſima premitur anxietate, quaſi iam cor præſentiret & futuram mortem, & venturam ſtragem: *Vidit Saul caſtra Philiſthiim, & timuit*, inquit Gloſſa moralis: Gloſſa. *Dominus terrorem ab aduerſariis ſuis immiſit ſibi*, Iam cordis trepidatio aduerſus humanas rationes arcano à Domino timore immiſſo appetere mortem prænuntiabat, & Saulem anxium reddebat.

177. Vt Abrahamus de generis ſui ſorte dubius, ſolicituſque futura præuideat;ſacrificium offerre iubetur,captam, vaccam, arietemque cultro diuidit, ariſque imponit, cúmque Sol radios contraheret, & ad vtiliſſimum occaſus otium contenderet, eo grandæuus ſenex terrore, horroreque angitur, vt mortis videatur ſubire anguſtias, & anxias pati extremæ calamitatis miſerias: *Cùm Sol occumberet, ſopor irruit ſuper* Gen.15. v.12. *Abraham,& horror magnus, & tenebroſus inuaſit eum.* Componamus cum ſeipſo Abrahamum, quæramuſque, cur dum montis ſupercilio filium vnicum deuoraturæ rubentes crepitauerint flammæ,non horruerit, ſed intrepidus inuictum aduerſus naturæ vires animum oſtentauerit;hîc verò gelido terrore agitetur, & vehementi horrore prematur. Sanè viſionis monte omnis ſacris apparatus metum incutiebat; & tamen religioſus pater exultat, & gaudet; hic verò religioſum animalium diſpendium non videbatur rationabilis cauſa timoris; & tamen hic corde trepidat,cùm ibi ad holocauſtum vnici pignoris intrepidus audeat. Ecqua diſcriminis cauſa eſt? Quia ibi filius non erat ſubiturus occaſum; ſed fulgenti ſtellarum ad inſtar poſteritate nobilitaturus mundum; at hic poſteris minabatur calamitas, & dura longaque aduerſitas: ergo horror inuaſit patrem, quaſi iam cor præſagiret hîc poſterorum ærumnas, & ibi præuideret victorias: *Hæc tenebrarum itera-* Rupert. Lippom. *tio*, ſcribit Rupertus apud Lippoman.*geminam ſeminis Abrahæ aduerſitatem ſignificat.* Subnectit ingenioſus Doctor: *Propter quod & ſignanter dictum eſt: Sopor irruit ſuper Abraham, & horror magnus & tenebroſus inuaſit eum.* Conſonat Lippomanus:*Cùm poſt hæc omnia Sol occubuiſſet, ſequenti nocte ecſtaſis illa,& mentis exceſſus irruit in eum cum horrore magno & tenebroſo, qui iterum præſagium erat magnas tribulationes affuturas filiis ſuis ſecundum carnem.* Itaque etſi ſopor ſenſus grauarit,rationiſque diſcurſum impedierit, nihilominus cor ſopito diſcurſu pectus quatiebat interno pulſu ſolicitatum, & arcano motu percuſſum: vt è contra expanſi oculi, armata manus, rubentes flammæ, ligatus filius timorem ſolicitabant,& nihilominus, & ſecutus quieſcebat animus, & manus ipſa ſecurior: *Ecce ſub oculis iacet filius*,ſcribit Zeno Veronenſis ſermone 1.de Abraham,*vin-* Zeno. *culis aſtrictus: vbi ſunt lachrymæ? vbi dolor, qui in humanis ſenſibus verſari conſueuit. In tantis filiis caſibus lætatur,& gaudet.* Ecce omne quod hic intuebantur oculi, vel conſtantiſſimum animum concutiebant, & terrore exagitabant: alibi vſtulandæ victimæ non videbantur conſtantiam labefactaturæ, & tamen in ipſis caſibus alibi gaudet, & alibi mœret: quaſi iam cor felicem alibi ſub caſus repræſentatione præſagiat euentum; alibi tamen leui in animalium iactura grauem filiis præſenſerit caſum. Non ſemel hoc accidiſſe videmus: mœret namque aliquando ſanguine coniunctus, quin poſſit anxietatis rationem reddere,cùm conſanguineo calamitas imminet, & veluti naturali præſagio infelicique auſpicio futura præſentit, & à corde monitus ratione præuenta noſcit. Siſaræ mater infauſtis non ſolicitabatur auſpiciis;imò lætiſſimis ad ſpeciem gaudere admonebatur prænuntiis; & tamen eo tempore, quo filius transfoſſus miſera volutabatur in terra, ſuſpiriis ſtrictiſſimis vlulabat,nec ſubſultans cor intra pectoris clauſtra ſuſtinere valebat: quia cor ſine voce pronuntiabat, & tacito, internoque dolore infelicem matrem monebat.

Sponſa hæc cordis præſagia mirè nobis depinxit,dum aiebat: *Ego dormio & cor meum vigilat: vox dilecti mei pulſantis: Aperi mihi ſoror mea,amica mea, columba mea:quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* 178. Cant.5. v.2. Dum ſe ſomno traditam refert, has Sponſi voces à corde teſtatur prolatas, non aures eis repercuſſas: *Ego*, inquit,*dormio*: ſi dormis quomodò voces Sponſi audis: nec enim dum aures ſomno obligantur,voces ligatis auribus excipiuntur: & quidem dum vocibus verberantur,& à ſomni vinculis abſoluuntur: ergo ſermonem reforma,& dic: Ego dormiebam,cùm dilecti vox ſomnum diſcuſſit,& aures perculit; non tamen coniungas cum ſomno auditum, cum auſcultatione ſomnum. O quàm diſertè reſpondet: *Cor meum vigilat*:quaſi dicat:Sponſus meus variis affligatur ærumnis, ac gelidæ noctis incommodis, & cor meum linguæ eius munus vſurpans querelas format, & quas iniurias patiatur, nuntiat: *Vocem audiens*, ſcribit Gregor. Gregorius hîc, *etiam cùm dormit, Sponſa dicit: Vox dilecti mei pulſantis:* & dormit, & audit: quia vox erumpit à corde, non animo inſtillatur ab aure: præſagit namque cor, quæ ſponſo accidunt,& prædicit quæ dilecto contingunt.

179. Sanctus Iob calamitatem expertus ſe illam neſcio quo pulſu tidenti etiam fortuna extimuiſſe teſtatur,dum ait: *Timor, quem timebam, euenit mihi,& quod verebar accidit.* Ad quæ Chry- Iob 3. v.25. Chryſoſt. ſoſtomus apud Gloſſam ſic ait: *Præmeditata mihi erat pœna intolerabilis, quam expertus ſum, & priuſquam experirer, præuidebam.* Dic nobis, quæſo, beatiſſime Iob, in quo extremas has ærumnas præuidebas,cùm deliciis circumfuſus radiabas? In cordis, inquit pauore: cor ipſum

veluti

Digitized by Google

veluti appetentis infelicitatis conſcium trepido adurgebatur timore, & anxia ſemper adurgebatur ſolicitudine. Iaque cor & prænuntiabat, & præuidebat: & quamuis nullo externo niteretur fundamento; impulſu tamen agitabatur arcano.

---

§. XLI.

Infauſta de nuntiandi pruritu nonnulli anteuertunt tempora & præſagiunt aliis ingrata.

180. SIc eſt, mihi crede, nonnullis ex alieno dolore deteſtabilis voluptas oritur, & de alterius triſtitudine inhumana lætitia gignitur. *Riſus,*
Prouerb. 14. v. 13. alio in ſenſu aiebat ſapiens, *dolore miſcetur;* imò non ſolùm dolore miſcetur; ſed ex dolore naſcitur: aliorum angor calamitaſque nonnullum oblectat, & voluptate ferali exhilarat. Hinc ocyſſimas aliqui aſſumunt pennas, vt acerba denūtiarint, dubiiſque ex indiciis ingrata coniecerint: quidquid alterius animum turbat aut exacerbat, nonnullis oblectamento eſt; aſt ne maligni ingenij tulerint notam, colorarur vti obſequiis ſtudium, quod eſt malignitatis ingenium. Ecce eluctantes flammæ non ſine violentia de cælo allatæ Sanctiſſimi Iobi greges, paſtoreſque nigros redegerunt in cineres: neſcio quis incendio euaſit, & ocyſſimas mutuatus eſt alas, non vt vitæ ſuæ conſuleret; ſed vt in-
Iob. 1. v. 16. fauſta Iobo nuntiaret: *Ignis Dei cecidit è cælo,* inquit, *& tactas oues, puerôſque conſumpſit, & effugi ego ſolus, vt nuntiarem tibi.* Non ſolùm fugit; ſed effugit, quod ſolicitius declarat ſtudium, & ardentius deſiderium: celerrimo greſſu fugiebat, qui ignis velocitatem eluſit, & inuolantes flammas fruſtrauit. Sed videamus ad quid anhela adeò fuga inuolarit: Vt nuntiarem tibi, inquit, non ait vt mihi prouiderem; ſed vt tibi denuntiarem: quaſi maiorem velocitatem indiderit acerba denuntiandi ſtudium, quàm propriæ ſalutis votum: non fugit vt nuntiaret aliis, quo ad commiſerationem induceret; ſed vt Iobi animum acerba clade percelleret. Non me latet illa particula *vt* euentum deſignari, non finem; verùm Scripturæ verba hanc interpretationem non reſpuunt, inuolaſſe ſcilicet præ ipſis flammis ad denuntiandum Iobo ingratiſſima, maturandumque peracerba.
Origen. Adeſt Origen. lib. 1. in Iob: *Ecce nuntius venit ad Iob dolorum atque gemituum nuntius, malorum atque amaritudinis præco, tribulationis atque anguſtiæ prædicator. Nuntius venit ad Iob, qui conſeruatus ab aduerſario, miſſus eſt à diabolo.* Itaque diabolico nonnulli reguntur ſpiritu, dum geſtiunt prurritu imprudentiſſimo denuntiare infauſta, & prædicere, antequam contingant, moleſta. Audi huius nuntij relata ab Origene verba: *Dixit illi: Ad menſam ſplendidam ſedes Iob; ſed hodie ad menſam, cràs verò ad lectum foras deportatorum filiorum: modò in iucunditate, poſt paululum autem in infelici paupertate.* Itaque non ſolùm nuntius, quæ obuenerant, denuntiabat; ſed ad exacerbandum dolorem etiam quæ nondum acciderant, præſagiebat: nec mirum, diabolico impellebantur ſpiritu, & iniquiſſimo deſiderio. Hinc miror nullum ad Siſaræ matrem inuolaſſe, & infauſta retuliſſe: *Quare tardauerunt pedes quadrigarum illius?* Dum interrogat, ignoraſſe fatetur cauſam: & quidem miraculi ad inſtar fuit, nullum filij caſum matri ſolicitæ prædixiſſe, aut ſaltem, vt denuntiauerit, inuolaſſe, cum ferè ſemper non deſint ad infauſtum nuntium celerrimi veredarij, & ad maturanda iucunda ocyſſimi nuntij.

Deus in communem hoſtem Baracum armat, promittitque ſe adducturum inimicum va- 181.
nis ſpebus inſanientem, & infauſtam ſibi fortunam accelerantem: *Ego adducam ad te in hoc* Iudic. 4. v. 7.
loco torrentis Ciſſon Siſaram Principem exercitus Iabin. Paruit Baracus, & dum manum colligere parat, iam neſcio quis Siſaræ Thaborem ingenti ſtipatum milite aſcendiſſe Baracum nuntiat: *Nuntiatum eſt Siſaræ quòd aſcendiſſet Barac filius Abinoen in montem Thabor.* Nondum inſcenderat, nondum omnes milites adlegerat, & iam nuntij infauſtiſſimi anteuertunt tempora,
& acerba præmaturant officia. Adeſt Abulenſis Abulenſ.
quæſt. 12. *Fama erat, quoniam congregabat exercitum; quod aſcendere vellet in montem Thabor ad expectandum Siſaram, & quamquam nondum factum eſſet, nuntiatum eſt tamquam iam factum.* Qui ſibi prudentiores videbantur, ſic ſuis coniecturis fidebant, vt iam factum aſſererent, quod futurum citò coniicerent. Ad Siſaram detulerunt hoſtem plurimo milite obarmatum cliuoſo Thabore munitum, vt Siſaram obturbatum, nuntioque perculſum adſpicientes gaudeant, & de angore lætitiam ſugant: Quamquam nondum factum eſſet, nuntiatum eſt tamquam iam factum. Maturauit infauſta denuntiandi pruritus, quod nondum ferebat tempus; ſed vt dicebam, ad ingrata denuntianda, tempora non ſemel anteuertuntur, caſuſque maturantur.

Moyſes æquitatis patronus truculentiſſi- 182.
mam belluam in Iſraëlitam miſerum ferocientem occidit, ratus fas eſſe ad aliorum perniciem natum non ſolum frænare; ſed de medio tollere: in craſtinum duos Hebræos ſecum rixantes inuenit, quaſi ſatis illis non eſſet durè ab aduerſariis premi; quin in ſeipſos manus armarent: compeſcere niſus eſt Moyſes iniurij ardorem, qui dura reprehenſione exacerbatus
Moyſi obiecit Principatum ambire, & moliri Exod. 2. v. 14
coronam rapere: *Quis te conſtituit Principem, & iudicem ſuper nos? Num occidere me tu vis, ſicut heri occidiſti Ægyptium?* Res quantumuis cautè fuerit perfecta, ad auunculum eſt delata, qui in nepotem ſtomachatus, eius vitæ inſidiabatur callidè, & inſidias diſponebat aſtutè: *Audiuit Pharao ſermonem hunc, & quærebat occidere Moyſem.* Mirantur interpretes ob hominem obſcurum ſublatum ea auunculum ira exarſiſſe, vt nepoti voluerit mortem inferre, & regnum Principe diſpoliare. Philo Hebræorum diſertiſſimus putat nonnullos ex purpuratis, quos aliorum purpuratorum adurere ſolet inuidia, rem exaggeraſſe, caſuſque infauſtiſſimos conieciſſe, & veluti regni proditorem Moyſem damnaſ-
ſe: *Patulas aui aures* (verba ſunt Philonis lib. 1. Phil.
de vita Moyſis) *impleuerunt plurimis calumniis hinc inde ſuſurrantes, vt de amittendo Principatu reddiderint ſolicitum: te ipſum aggredietur, nihil mediocre ſapit, ſemper molitur aliquid, ante tempus ad regnum adſpirat.* Ecce quæ ipſi confingebant, diuinabant, & quæ oculis cæciſſimis

Tt 2 diui

diuinabant, vti certiſſima referebant. Iam ſi delatorum altiùs inſpexeris animum, inuenies deſideraſſe Pharaonem reddere anxium, & expectare angore ſolicitum: Parulas aui aures impleuerunt plurimis calumniis hinc inde ſuſurrantes, vt de amittendo Principatu redderent ſolicitum. Reddere ſolicitum ſatagebant, & obturbare metu deſiderabant: quaſi illis voluptati fuerit ſolicitudine preſſus, & dolori tranquillè felicitatus, inſuſurrabant Pharaoni, quæ nondum acciderant, anteuertebant iniquis delationibus tempora; & hoc totum vt de amittendo Principatu redderent ſolicitum: malignitatis ſtudium venditabant officium, & improbam de aliena ſolicitudine venabantur ſibi voluptatem, & de mœrore dulcedinem.

183 Afflicti cladibus, miſeriis oppreſſi ſpeculatorem rogant de ſuo ſtatu, an funditus perituris

Iſai. 21 v. 11 immineat periculum, an aliquod ſperari poſſit ſolatium: *Custos quid de nocte? Custos quid de nocte?* Vocem ingeminat animi perturbatio, & anxietatem oſtendit interrogantium ſolicitudo: de nocte quærunt: quia cùm obſcura caligo ſit inſidiis parandis opportunior; imò in qua ipſa quæ tuta ſunt, periculi ſolent ſuſpicionem ingenerare, & animos vel cordatorum percellere. Ediſcere deſiderabant, quantum vſque ad lucem temporis ſupereſſet: quia arbitrabantur in luce leuiorem fore mentis triſtitudinem, & angoris anxietatem. Quid tunc cuſtos? *Venit*, inquit, *mane & nox*. Quaſi dicat: Noctem timetis Idumæi: quia ſolet tenebris hoſtium occultare conſilia, & ſomno immerſos ferire arma; ſed ſcitote, etſi mane illuxerit inſtar noctis plenæ perturbationis vobis futurum: quia opprimemini ab hoſtibus, & conſumemini cladibus. Pluſquam interrogabatur, reſpondit, & cùm mane & nox ab ingenio diſcrepent, in cuſtodis reſponſo ad percellendos animos concordabant, & concutiebant: contentus non fuit ſpeculator reſpondere deſideratis; ſed reſpondit etiam non quæſitis: mane anteuertit ad infauſta denuntianda, & acerba prædicenda.

Sanctius. Adeſt noſter Sanctius ad hunc locum: *Plerique in eo conueniunt nihil iucundum Idumæis hac voce protendi, & à cuſtode reſponderi, etiam ſi mane illuxerit; diem tamen ſplendore Solis illuſtrem illis non futuram eſſe diem; ſed inſtar noctis plenæ perturbationis ac metus: quia eodem modo in die, & æſtuabunt conſilij inopes, & opprimentur ab hoſtibus.* Perſpicaciſſimo viſu futura, vt denuntiaret præuidit, & dolorem afflictis auxit: nondum venerat dies, in quo hoſtes triumphum agerent, Idumæoſque opprimerent; at qui cuſtodis gaudebat nomine, prædicta illos exulcerabat calamitate: anteuertebat tempora, vt infortunia illorum animos affligerent prænuntiata, quæ ſe nondum explicarant futura. Et vtinam huic ſolùm hic eſſet ſtylus; at plures ſunt, quibus eſt infauſta denuntiandi, & exaggerandi pruritus, & quibus parit lætitiam alienus metus; cùm tamen ſapientis ſit imminentes caſus temperare, & illorum anxietatem lenire. Ecce deprædicatur prudentiſſima nurus, quæ ſocrus perturbationem demulcebat, & angores temperabat: *Per feneſtram reſpiciens vlulabat mater eius.* Quid tunc? vna ſapientior cæteris vxoribus eius hæc ſocrui verba reſpondit: *Forſitan nunc diuidit ſpolia.* Quaſi dicat: Ambiguum eſt, an moretur Siſara triumphi ſpolia diuidens, & fœminas pulcherrimas ſibi deligens, aut ſi detinetur ab hoſte captiuus, & vinculis miſerrimè oppreſſus: ergo dum neutrum liquet, ſapiens meliora ſperat, ne ante infortunium maturauerit ſibi caſum. Diſce ab hac fœmina prudentiam, ne alienum dolorem infauſtorum coniector exaſperes, aut tibi ipſi infelicitatem matures. Ecce prædicatur ſapiens, quæ in re dubia meliores ſpes alit, & alterius dolorem lenit. *Illud tibi præcipio*, aiebat Seneca epiſt. 13. *ne ſis miſer ante* Seneca.
tempus, cùm illa quæ velut imminentia expauiſti, Nonnulli ſunt ante tempus miſeri.
fortaſſe nunquam ventura ſint, aut certè nondum venerint. Quædam ergo nos magis torquent, quàm debeant, quædam torquent ante quàm debeant, quædam torquent, cùm omnino non debeant. Profectò non ſunt tanta, quæ nos premunt, ac quæ deterrent: quia ſolum premimur præſentibus, cùm deterreamur etiam futuris: ergo te obarma prudentia non ſolùm aduerſus caſus impendentes, & dubios; ſed etiam aduerſus hos calamitatis exaggeratores prænuntioſque: ſunt namque plures, qui de aliena mœſtitia indigna ſibi elaborant gaudia, inhumanaque venantur oblectamenta.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT SEXTVM.

Vers.1. FECERVNT autem filij Iſraël malum in conſpectu Do-
mini: qui tradidit illos in manu Madian ſeptem annis,
2. Et oppreſſi ſunt valde ab eis. Feceruntque ſibi an-
tra & ſpelucas in montibus, & munitiſſima ad repu-
gnandum loca. 3. Cumque ſeuiſſet Iſraël, aſcende-
bat Madian, & Amalec, cæterique orientalium natio-
num: 4. Et apud illos figentes tentoria, ſicut erant
in herbis, cuncta vaſtabant, vſque ad introitum Gazæ, nihilque omnino ad vi-
tam pertinens relinquebant in Iſraël, non oues, non boues, non aſinos. 5. Ipſi
enim, & vniuerſi greges eorum veniebant cum tabernaculis ſuis, & inſtar locu-
ſtarum vniuerſa complebant, innumera multitudo hominum, & camelorum, quid-
quid tetigerant, deuaſtantes. 6. Humiliatuſque eſt Iſraël valde in conſpectu
Madian. 7. Et clamauit ad Dominum poſtulans auxilium contra Madianitas.
8. Qui miſit ad eos virum prophetam, & locutus eſt: Hæc dicit Dominus
Deus Iſraël: Ego vos feci conſcendere de Ægypto, & eduxi vos de domo ſerui-
tutis, 9. Et liberaui de manu ægyptiorum, & omnium inimicorum, qui af-
fligebant vos: eiecique eos ad introitum veſtrum, & tradidi vobis terram eorum.
10. Et dixi: Ego Dominus Deus veſter, ne timeatis deos Amorrhæorum, in
quorum terra habitatis. 11. Et noluiſtis audire vocem meam. Venit autem An-
gelus Domini, & ſedit ſub quercu, quæ erat in Ephra, & pertinebat ad Ioas pa-
trem familiæ Ezri. Cumque Gedeon filius eius excuteret, atque purgaret frumen-
ta in torculari, vt fugeret Madian: 12. Apparuit ei Angelus Domini, & ait:
Dominus tecum, virorum fortiſſime. 13. Dixitque ei Gedeon: Obſecro, mi
Domine, ſi Dominus nobiſcum eſt, cur apprehenderunt nos hæc omnia? Vbi ſunt
mirabilia eius, quæ narrauerunt patres noſtri, atque dixerunt: De Ægypto edu-
xit nos Dominus? Nunc autem dereliquit nos Dominus, & tradidit in manu
Madian. 14. Reſpexitque ad eum Dominus, & ait: Vade in hac fortitu-
dine tua, & liberabis Iſraël de manu Madian: ſcito quod miſerim te. 15. Qui
reſpondens ait: Obſecro mi Domine, in quo liberabo Iſraël? Ecce familia mea
infima eſt in Manaſſe, & ego minimus in domo patris mei. 16. Dixitque ei
Dominus: Ego ero tecum: & percuties Madian quaſi vnum virum. 17. Et
ille, Si inueni, inquit, gratiam coram te, da mihi ſignum, quod tu ſis, qui lo-
queris ad me. 18. Nec recedas hinc, donec reuertar ad te, portans ſacri-
ficium, & offerens tibi. Qui reſpondit: Ego præſtolabor aduentum tuum.
19. Ingreſſus eſt itaque Gedeon, & coxit hœdum, & de farinæ modio azimos
panes; carneſque ponens in caniſtro, & ius carnium mittens in ollam, tulit om-
nia ſub quercu, & obtulit ei. 20. Cui dixit Angelus Domini: Tolle car-
nes & azimos panes, & pone ſupra petram illam, & ius deſuper funde. 21. Cúm-
que feciſſet ita, extendit Angelus Domini ſummitatem virgæ, quam tenebat in
manu, & tetigit carnes, & panes azymos: aſcenditque ignis de petra, & car-
nes azymoſque panes conſumpſit: Angelus autem Domini euanuit ex oculis eius.
22. Videnſque Gedeon quod eſſet Angelus Domini, ait: Heu mi Domine
Deus, quia vidi Angelum Domini facie ad faciem. 23. Dixitque ei Dominus:
Pax tecum: ne timeas, non morieris. 24. Ædificauit ergo ibi Gedeon alta-
re Domino, vocauitque illud, Domini pax, vſque in præſentem diem. Cùmque
adhuc eſſet in Ephra, quæ eſt familiæ Ezri, 25. Nocte illa dixit Dominus
ad eum: Tolle taurum patris tui, & alterum taurum annorum ſeptem, deſtrueſque

aram Baal, quæ eſt patris tui: & nemus, quod circa aram eſt, ſuccide: 26. Et
ædificabis altare Domino Deo tuo in ſummitate petræ huius ſuper quam ante ſa-
crificium poſuiſti: tolleſque taurum ſecundum, & offeres holocauſtum ſuper
ſtruem lignorum, quæ de nemore ſucciderls. 27. Aſſumptis ergo Gedeon de-
cem viris de ſeruis ſuis fecit, ſicut præceperat ei Dominus. Timens autem do-
mum patris ſui, & homines illius ciuitatis, per diem noluit id facere; ſed omnia
nocte compleuit. 28. Cumque ſurrexiſſent viri oppidi eius mane, viderunt
deſtructam aram Baal, lucumque ſuccisum, & taurum alterum impoſitum ſuper
altare, quod tunc ædificatum erat. 29. Dixeruntque adinuicem: Quis hoc
fecit? Cumque perquirerent auctorem facti, dictum eſt: Gedeon filius Ioas fecit
hæc omnia. 30. Et dixerunt ad Ioas: Produc filium tuum huc, vt moriatur:
quia deſtruxit aram Baal, & ſuccidit nemus. 31. Quibus ille reſpondit: Nun-
quid vltores eſtis Baal, vt pugnetis pro eo? qui aduerſarius eſt eius, moriatur an-
tequam lux craſtina veniat: ſi Deus eſt, vindicet ſe de eo, qui ſuffodit aram eius.
32. Ex illo die vocatus eſt Gedeon Ierobaal, eo quod dixiſſet Ioas: vlciſca-
tur ſe de eo Baal, qui ſuffodit aram eius. 33. Igitur omnis Madian, & Ama-
lec, & orientales populi congregati ſunt ſimul, & tranſeuntes Iordanem, caſtra-
metati ſunt in valle Iezrael. 34. Spiritus autem Domini induit Gedeon, qui
clangens buccina conuocauit domum Abiezer, vt ſequeretur ſe. 35. Miſitque
nuntios in vniuerſum Manaſſen, qui & ipſe ſecutus eſt eum: & alios nuntios in
Aſer, & Zabulon, & Nephthali, qui occurrerunt ei. 36. Dixitque Gedeon
ad Deum: Si ſaluum facis per manum meam Iſrael, ſicut locutus es, 37. po-
nam hoc vellus lanæ in area: ſi ros in ſolo vellere fuerit, & in omni terra ſiccitas,
ſciam quod per manum meam ſicut locutus es, liberabis Iſrael. 38. Factum-
que eſt ita. Et de nocte conſurgens expreſſo vellere concham rore impleuit. 39.
Dixitque rurſus ad Deum: Ne iraſcatur furor tuus contra me, ſi adhuc ſemel ten-
tauero ſignum quærens in vellere. Oro vt ſolum vellus ſiccum ſit, & omnis terra
rore madens. 40. Fecitque Deus nocte illa, vt poſtulauerat; & fuit ſiccitas in
ſolo vellere, & ros in omni terra.

---

§ I.

Commentarius Litteræ.

Verſ. 1. Fecerunt autem filij Iſraël malum in conſpectu Domini, qui tradidit illos in manu Madian ſeptem annis.

Verſ. 2. Et oppreſſi ſunt valde ab eis. Feceruntque ſibi antra & ſpeluncas in montibus, & munitiſſima ad repugnandum loca.

1 Pagnin. Septuagin. SAnctes Pagninus legit: *Inualuit manus Madian ſuper Iſrael, à facie Midian fecerunt ſibi filij Iſrael antra, quæ eſſent in montibus, & ſpeluncas, & munitiones.* Septuaginta: *Speluncas & penſilia.* Solemne erat apud Hebræos cùm ſortirentur iudices, impietatem abiurare, & veri Numinis religioni inſeruire: populus verò ſine rectore eſt effrænis bellua nouitatis appetens, & pro arbitrio ſibi religionem affingens. Caſſiod. *Voluptatis ſecta &c.* *Paucos*, aiebat Caſſiodorus 3. var. 51. de plebe loquens, *ratio capit, & raros probabilis oblectat intentio, & ad illud potius turba ducitur, quod ad curarum remiſſionem conſtat inuentum: nam quidquid æſtimat voluptuoſum, hoc & ad beatitudinem temporum iudicat applicandum.* Cùm nationum idola licentiorem vitam permitterent, nullamque voluptatis inſaniam prohiberent, facilè ad illorum religionem tranſibat Hebræorum populus, præcipuè gubernatore viduatus, & deſtitutus. Ergo hoc caput ab auita religione deſciuiſſe teſtatur illis verbis: *Fecerunt malum.* Ita Abulenſis quæſt. 1. *Iſtud malum erat, quod colebant idola: quia iſtud vocatur malum per excellentiam, & alia in comparatione huius non reputabantur mala à Deo in Iudæis.* Abulenſ. Quam peſſima gens erat, quæ tunc ſolum videbatur mala, cùm idololatra! Hoc nomine omnia alia crimina indicauit textus: idololatria namque eſt veluti fœcunda errorum vena, & criminum copia: *Idololatres*, aiebat Tertullianus lib. de idololatria cap. 1. *idem homicida eſt.* Addit cap. 2. *Locuples ſubſtantia criminis, quæ tot ramos porrigit, tot venas diffundit:* ergo hoc malum Iſraëlitæ fecerunt. Caietanus putat minus, quàm parentes eorum peccaſſe, ob idque non dictum *addiderunt; ſed fecerunt.* Tertullian. Caietan. Accipe eius verba: *minus, vt reor, malum fecerunt, quam patres eorum: & propterea non dicitur: Et addiderunt ad faciendum malum; ſed, fecerunt malum.* Mirum ſanè fuit patres non viciſſe criminibus, quando eò ſe extendit procacia vt aliquando gaudeant cenſu criminis excelluiſſe, vt repetat datus Caſſiod. *Magnum præconium videtur eſſe ad talia crimina peruenire.* Populum ſic delirantem Deus Madianitis ſubiecit, vt vexatio frænaret, quos felicitas ad præcipitium vrgebat: itaque calamitate vſus eſt ad depellendam calamitatis materiam, & ad culparum reprimendam audaciam: Caſſiod. *Benigni quippe Principis eſt*, aiebat Caſſiodorus 1. var. 30. *non tam delicta velle punire, quam tollere, ne aut acriter vindicando æſtimetur nimius, aut leniter agendo putetur improuidus:* vt culpas tolleret,

vin

vindicauit, & valde ab hoſtibus diuexari permiſit. Crebris ergo & frequentibus Madianitarum incurſionibus ſæpè diſpoliati, & cladibus ingentiſſimis afflicti decreuerunt vrbes & oppida relinquere, & aliqua in montibus contra diram adeò tyrannidem receptacula ſibi non ſine labore ingenti parare. Ergo antra & ſpeluncas fecerunt, eo tamen modo, vt antra ſupernè lumen reciperent aliquibus feneſtellis, è quibus etiam incluſi ſpeculabantur aduentum aduerſariorum, vt tunc ſe ſolicitius cuſtodirent, & reliquis denuntiarent. Loca ad repugnandum, quæ in Hebræo vocantur *Matſedoth*, munitiones erant arcis ad inſtar conſtructæ, vt ſi eò proceſſiſſet aduerſariorum ſæuitia, vt montibus deerrantes quærere non parceret, aliquod munimentum haberent ad audaciam repellendam, & raptorum militum cupiditatem fruſtrandam. Iam quas calamitates ab inimicis tulerint, textus explicat.

Verſ. 3. Cumque ſeuiſſet Iſraël, aſcendebat Madian, & Amalec, cæterique orientalium nationum

Verſ. 4 Et apud illos figentes tentoria ſicut erant in herbis, cuncta vaſtabant, vſque ad introitum Gazæ, nihilque omnino ad vitam pertinens relinquebant in Iſrael, non oues, non boues, non aſinos.

2. Hebraica.

In Hebræo habetur: *Et erat, ſi ſerebat Iſraël, aſcendebat Madian & Amalec, & filij Cheden aſcendebant aduerſus eum, & caſtra metabantur aduerſum eos, & vaſtabant fructum terræ, donec venias in Hazza.* Non remotis hoſtibus; ſed proximis, & ex eodem patre ac Hebræi natis direptioni & ludibrio Iſraëlitas fuiſſe textus indicat. Et quidem Madianitæ ex Abrahamo & Cetura ducebant originem: Amalecitæ Eliphazem originem agnoſcebant, Eſau nepotem. Itaque cognati inuidia felicitatis Iſraëlitarum adufti nihil non mouebant, vt illorum delerent ſubſtantiam, & abolerent memoriam; verùm cùm, vt iam dictum eſt, ſe homines ad montium latebras contuliſſent, ad ſubſtantiam vertebant indignationem, & cùm, vt adaugerent cladem, hyemis tempore ſerere permiſiſſet, verno ſegetes deuaſtabant, quod miſeri nec duro carerent agriculturæ labore, nec laboris fruerentur vtilitate. Hæc calamitas breuis non erat; ſed diuturna: hoſtes namque figebant tentoria, vt diutius immorarentur, & alienis detrimentis viuerent opulenti, & pingueſcerent copioſi: Arabum inſtar cum omni familia aduentabant, & de Iſraëlitarum calamitate opipare alebant: *Iſte erat modus*, ſcribit Abulenſis quæſt. 3. *ad ſubiiciendum Iſraëlitas in ſeruitutem defectu ciborum.* Textus exprimit vſque ad introitum Gazæ omnia aduerſarios conſumere, vt denotet Chananæis, quorum terminus erat Gaza, nullum malum intuliſſe; ſed Iſraëlitas ſolum vexaſſe. Nec inſolitum eſt peruerſis peruerſos tueneri, & ſolum iuſtos opprimere.

Abulenſ.

Verſ. 5. Ipſi enim & vniuerſi greges eorum veniebant cum tabernaculis ſuis, & inſtar locuſtarum vniuerſa complebant Innumera multitudo hominum & camelorum quidquid tetigerant, deuaſtantes

Locuſtarum ad inſtar inuolabant, vtque locuſta peſtifero dente aliqua comedit, & multa perdit: ita hi contenti non erant cupiditatem ſuam ſatiare; ſed ſatiati adnitebantur reliqua perdere. Notauit Arias Montanus: *Non vt ſibi tantum rebuſque ſuis prodeſſent, veniebant; ſed vt Iſraëlitis impenſe nocerent.* Itaque afferebant bruta, quæ non ſolum fructus ore conſumerent; ſed pedibus proculcarent, proculcataque perderent. Ita Caietanus: *Viuunt alienis ſudoribus, & conculcant omnia, quæ non rapiunt.* Non abs re retulit textus cum tabernaculis aduentaſſe: ad explicandam namque ſæuitiam conducebat etſi modeſtè, explicaſſe intemperantiam: *Nulla res magis iracundiam alit*, ſcribit Seneca lib. 2. de ira cap. 26. *quam luxuria intemperans, & impatiens.* His cladibus Iſraël adeò eſt attritus, vt de ſibi conſulendo cogitauerit, & quia illi omnia humana deerant auxilia, ad Numinis recurrit ſuffragia.

3. Montan. Caietan. Seneca. *Luxuria iracundia eſt mater.*

§. II.

Commentarius Litteræ.

Verſ. 6. Humiliatuſque eſt Iſraël valde in conſpectu Madian.

Verſ. 7. Et clamauit ad Dominum poſtulans auxilium contra Madianitas.

Verſ. 8. Qui miſit ad eos virum prophetam, & locutus eſt: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Ego vos feci conſcendere de Ægypto, & eduxi vos de domo ſeruitutis

Verſ. 9. Et liberaui de manu Ægyptiorum, & omnium inimicorum, qui affligebant vos, eiecique eos ad introitum veſtrum, & tradidi vobis terram eorum.

IVxta Hebræum habetur: *Et attenuatus eſt Iſraël valde.* Septuaginta. *Et mendicauit Iſraël valde à facie Madian.* Fortuna verſa qui olim domini iam gemunt captiui, & qui abundantes, vel herbis premuntur egentes: durior eos diuexabat anguſtia, dum memoriam ſubibat, qua olim fruiti ſunt, abundantia: vt repetat Zeno Veronenſis quod ſermone 2. de Exodo: *Manna de cælo guſtaſti, vt cum eſſes ad egeſtatem poſtmodum deuolutus, præteritorum bonorum recordatione acrius torquereris.* Suo detrimento ſenſerunt, quàm virtuti ſit annexa ſæpè felicitas, & quam luctuoſa ſequatur vitium calamitas. Non habebant de quo alio darēt querelas, quia ipſi calamitatis ſibi elabora-

4. Hebræus. Septuagint. Zeno.

Digitized by Google

uerunt cauſas. Quàm benè Seneca epiſt. 110. *Nihil niſi de nobis queri poſſumus: ea quibus perireuius nolente rerum natura, & abſcondente protuiimus: addiximus animum voluptati, cui indulgere initium omnium malorum eſt: tradidimus ambitioni & famæ, cæteris æquè vanis & inanibus.* Abſconderat ab illorum oculis diuina admonitio idolorum figmenta vnicum Deum adorare ſuadens; at illi non ſine ſtudio didicerunt, quibus perirent; at cæcè voluptatem ſecutos fames iterum dedit ſapere, quam felicitas religionem ſuaſit reſpuere. Confugerunt ergo ad orationis auxilium deierantes errorem, & iam adiicientes prorſus animos ad virturem: vt repetat datus Stoicus: *Felicitatis cauſa & initium fuit, quod calamitas vocabatur.* Oratio celerrimè ſuppetias attulit, & pro victima fuit: ita appellauit orationem Tertullianus in apolog. cap. 30. *Hæc ab alio orare non poſſum, quàm a quo me ſcio conſecuturum: quoniam & ipſe eſt, qui ſolus præſtat, & ego ſum cui impetrare debetur famulus eius, qui eum ſolum obſeruo, qui propter diſciplinam eius occidor, qui ei offero opimam & maiorem hoſtiam, quam ipſe mandauit, orationem de carne pudica, de animo innocenti, de Spiritu Sancto profectam.* Sanè Noë ſacrificio arcet in futurum diluuium; at dum populus orat, non ſolùm arcet periculum; ſed negotiatur ſibi trophæum. Orationem hanc ab omnibus fuiſſe profectam tradit Arias Montanus: *Significat itaque clamor eiulatus, preces, fletus, deteſtationes, imprecationes, & voces ad Deum ab iis profectas, qui acceptarum iniuriarum ſenſu ac dolore impelluntur.* Multorum oratio gratam Deo vim intulit, præcipuè quia deteſtati ſunt vitia, & emiſerunt, vt placet Abulenſi quæſt. 5. religioſiſſima vota: *Credendum eſt quod Iſraëlitæ promiſerint tunc Deo, quod ſemper colerent Deum, ſi liberaret eos.* Plures ſunt, qui extremis oppreſſi anguſtiis ſe adſtrinxerint votis; ſed pauci qui lætiori tempore ſtent promiſſis; at Deus vt eſt miſericors, vouentibus annuit, & citiſſimo auxilio ſuccurrit: vt repetat Caſſiodorus quod aiebat 6. var. 14. *Benignos eſſe neceſſe eſt publicos patres: quia hoc vocabulum non tantum ſuo debet germini, quantum ſtudio votoque generali.* Dum patrem Deum inuocant, ſeque adſtringunt votis, Deus ſe debitorem conſtituit, non ſolum naturæ veluti iure; ſed votorum etiam ratione.

Seneca. Voluptati indulgere omnium calamitatum origo.

Sæpe calamitas fuit felicitatis initium.

Tertullian. Oratio excellens hoſtia

Montan.

Caſſiod. Parens publicus ſit benignus.

Virum prophetam miſit Deus, qui delicta
5. obiurgans beneficiorum memoriam ingereret,
& ad diuinam indulgentiam promerendam pararet. Quis hic propheta fuerit, quæſtio eſt, apud interpretes. D. Auguſtinus quæſt. 31. putat fuiſſe Angelum humana facie perſonatum, Rabbini, & Lyra putant fuiſſe hominem, ſcilicet Phineem; hanc tamen opinionem reiiciunt Abulenſis quæſt. 6. & alij: quia ſi vſque ad hæc tempora Phinees duraſſet, inueniretur fere ducentis annis vixiſſe, ad quam ætatem nullus eo tempore procedebat. Itaque Abulenſis, Caietanus, & Arias putant hominem fuiſſe ſanctum & prophetam, cuius nomen aut arcanè celatum, aut omiſſum. Arias Montanus exiſtimat Scripturam non retuliſſe nomen prophetæ: quia exiguo tempore hoc officio eſt vſus. Accipe eius verba: *Huius nuntij miniſtrum, vtpote pro tempore, vnius tantum breuis animaduerſionis cauſa electum ſacra hiſtoria certo nomine non indicauit.* Monemur huius nominis ſilentio, quam eſſe virtutem diuturnam oporteat: aliter namque nec ſortitur vocabulum, nec in poſterum ſeruat elogium. Hic obiurgauit filios Iſraël, & cum illis durius egit, vt tantis malis medelam adduceret: lædunt quidem qui blandiuntur, & adulantur; proficiunt, qui prudenter obiurgant, & corrigunt. Ita apud Plutarchum in apophthegmat. Demaratus: *Cum horridius egiſſet cum ipſo Orontes, dixiſſetque quidam: Tractauit te Orontes aſpere: Nihil, inquit, in me peccauit.* Rationem ſubiecit: *Nam qui blandiuntur, lædunt, non qui amant acerbè.*

August. Rabini. Lyra.

Abulenſ. Caietan. Montan.

Plutarch. Qui blandiuntur, lædunt.

Verſ. 10. Et dixi; Ego Dominus Deus veſter, ne timeatis deos Amorrhæorum, in quorum terra habitatis: & noluiſtis audire vocem meam.

Curæ fuit in primis Numini obuiare timori: 6.
nouerat namque hac paſſione ſic animum ſæpè obturbari, exagitarique, vt ruptis rationis frænis ſe in præceps dederit, & timoris cauſas fugiendo grauiora incurrerit detrimenta, & maturauerit ſibi excidia. Quàm benè Seneca epiſt. 110. *Nos vtraque (id eſt felicitatem, & infelicitatem) extendimus, & longa ſpe ac metu facimus; ſed ſi ſapis, omnia humana conditione metire: ſimul & quod gaudes, & quod times, contrahe. Eſt tanti diu nihil gaudere, ne quid diu timeas; ſed quare iſtud malum adſtringo? Non eſt quod quidquam timendum putes: vana ſunt iſta quæ nos mouent, quæ attonitos habent.* Reddit Stoicus huius inſaniæ rationem: *Nemo noſtrum quid veri eſſet, excuſſit; ſed metum alter alteri tradidit: nemo auſus eſt ad id, quod perturbabatur, accedere, & naturam ac bonum timoris ſui noſſe. Itaque res falſa & inanis habet adhuc fidem, quia non coarguitur.* Hebræis timor magna calamitatis fuit cauſa: nam cum viderent deos gentium metum oſtentantes, quantumuis à propheta præmoniti, non didicerunt ſpernere; imò arbitrati maxima à diis illis mala ſibi incuti poſſe, illis geſtierunt blandiri, & infamibus ritibus adulari: vt illis poſſis accommodare illud Lucretij.

Seneca.

Timor premit: quia non coarguitur.

——— *Nam veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis*
In tenebris metuunt; ita nos in luce timemus.

Lucret.

In veritatis luce puerorum inſtar laruas timuerunt,
& obſcuriſſimas ſibi aggerantes tenebras 7.
cæci; imò & furioſi pedem circumſpectè non poſuerunt; ſed in profundiora ſe ſcelera præcipitarunt. O quoties dum plus iuſto potentiores diuiteſque timemus à recto tramite deuiamus: & grauiori malo, culpa ſcilicet non adeo graue retundimus; imò retudiſſe, cum adaugemus, putamus.

§ III.

Digitized by Google

§. III.

Commentarius Litteræ.

Verſ. 11. Venit autem Angelus Domini,& ſedit ſub quercu, quæ erat in Ephra, & pertinebat ad Ioas patrem familiæ Ezri; cúmque Gedeon filius eius excuteret, atque purgaret frumenta in torculari, vt fugeret Madian.

Verſ. 12. Apparuit ei Angelus Domini, & ait: Dominus tecum virorum fortiſſime.

7. **Hebræus. Septuag.** HEbræus habet: *Manſit ſub quercu.* Septuaginta: *ſedit ſub terebintho, quæ in Ephrata in terra Ioas patris Eſdri.* Caietan. putat nimium non curandum de arboris proprietate: ait namque ipſe in Hebræo non haberi quercum; ſed Ela: *Hebraicè habetur non quercus; ſed Ela*; at fortaſſis non ſine cauſa Septuaginta terebinthum dixerunt, vt noſcamus ibi dignum Angelo thronum, vbi à Iacobo effoſſum fuit idolis **Gen.35.v.4.** ſepulchrum: *Infodit ea*, inquit, *ſubter terebinthum.* Vti idola artis exculta Deum ab Iſraëlitis auerterunt, ita ſuffoſſa, & ſepulta conciliarunt: ergo Angelus ſedit ſub terebintho, vt inde Iacobi filiis gratior inciperet lucere fortuna, vbi illorum pater Deo ſacrificaturus vaniſſima infoderat ſimulacra: Prophetam Deus populo delegauit, Angelum Gedeoni: pro diuerſitate namque meritorum diſpenſauit beneficium, vt ſpeciali honoratus reſplendeſceret priuilegio, qui reportato de hoſte erat & nobilitandus **Abulenſ.** triumpho. Abulenſis quæſt. 9. inquirit, quomodo potuit Ephra, quæ inuenitur ciuitas in ſorte Benjamin, ſpectare ad Ioas, qui erat de tribu Manaſſe? Reſpondetque duas fuiſſe ciuitates inſignitas hoc nomine, aliam in Benjamin, aliam in Manaſſe. Sub quercu ſedit Angelus,& arbitror apud antiquos frequens eſſe quercus circa tabernacula domoſque plantare, vt denſis illarum ramis Solis ardorem temperarent. Apud Abrahamum ſub quercu requieuiſſe Angelos tradit Tertullianus lib. aduerſus Praxean c. 16. **Tertull.** *Apud Abraham ſub quercu refrigerauerit.* A Numinis præſentia iam didicit quercus Abſalonem proditorem punire, & carnificis vices honeſtè gerere. Hic ergo Gedeoni apparet non ſomno indulgenti; ſed de parando ſibi viatico ad fruſtrandos inimicorum adſultus anxiè cogitanti. Agebat ille quantum poterat, ne in manus inimicorum incideret, & extimeſcens caſum præparatur ad triumphum. Facienti quod in ſe eſt, ait Theologus, Deus non denegat gratiam: vnde plures ſi non adeò ignauè ſterterent, diuinam ſibi propitiationem facillimè conciliarent. **Caſſiodor.** *Agricola diligens*, aiebat Caſſiodorus 6. variarum decimoquarto *præueniendo adiuuat imbrem cæleſtem, & antè rigat plantaria, quàm pluuias mereatur optatas. Arborum quin etiam fætus meliorare contendens diuerſi generis fæturas inſtituit, vt multiplici dulcedine fructuum hortis ſuis conferat varietatis ornatum.* Abulenſis putat torcular proximum fuiſſe arbori, & inde Gedeonem videre potuiſſe ſedentem Angelum: ſpectabat namque ad paternis auctoritatem vt aliquantum diſtans appareret, quo maiorem ſibi venerationis reuerentiam conciliaret. Ioas familiæ Ezri pater vocatur: quia Princeps & familiæ nobilior, vt qui à familiæ capite originem ducens per primogenitos principatus iura acceperit. Quis Angelus fuerit, dubium eſt. Tremellius putat Verbum Æternum fuiſſe. Abulenſis & Arias Montanus aliquem ex ſupernis ſpiritibus; non tamen qualis, definiunt. Ab Abulenſi ſto, cenſeoque fuiſſe Michaëlem Angelum, cui Synagogæ fuit commiſſa ſolicitudo: ad eum namque pertinebat res Hebræorum ſatis labefactatas ad meliorem fortunam reſtituere, & inimicos veritatis conterere. Quo tempore & qua hora Angelus apparuerit, non liquet. Arias Montanus putat vere iam arridente, quandoquidem Gedeon frumenta excutiebat, illis regionibus ſatis calidis citiùs quàm aliis maturescentia. Noſter Serarius quæſtione ſexta putat hora meridiana aut circiter apparuiſſe, placidè nimirum ac ſecurè quieſcendo ſub arbore, ne ſi aliquis ex Madianitis crederetur, timorem incuteret, & videntem obturbaret. Itaque cum totus Gedeon operi ſuo intenderet, ſedens expectabat Angelus, vt verſus illam partem oculos dirigeret, & ſedentem ſpectaret. Comiter & vrbane Gedeonem ſalutauit iam conſpectus Angelus, fortitudinem eius allaudans, & ad digna fortitudine geſta inuitans. Salutario fuit: *Dominus tecum virorum fortiſſime.* Auguſtino videtur quæſtione 32. fuiſſe *Dominus tecum.* Abulenſis quæſtione 11. intellexit de futuro, id eſt: *Dominus tecum futurus eſt, ſeu erit.* In medio relinquo. In torculari excuſſiſſe frumenta dicitur, fortè quia locus occultior, mundior, & colligendis excuſſis iam granis aptior. Ioſephus locum excuſſionis arcano myſterio attribuit lib. 5. antiq cap. 8. vt iam ſcilicet denotaret per Gedeonem Numen diuinum propitiandum, & torcularia arearum inſtar implenda.

Tremellius. Abulenſ. Montan. — Montan. Serarius. — Auguſt. Abulenſ. — Ioſeph.

Verſ. 13 Dixitque Gedeon: Obſecro, mi Domine: ſi Dominus nobiſcum eſt, cur apprehenderunt nos hæc omnia? Vbi ſunt mirabilia eius, quæ narrauerunt Patres noſtri, atque dixerunt De Ægypto eduxit nos Dominus? Nunc autem dereliquit nos Dominus, & tradidit in manu Madian.

In Hebræo habetur: *Obſecro Domine mi, & eſt Dominus nobiſcum? Et nunc quid inuenit nos totum hoc? Et vbi ſunt omnia mirabilia eius, quæ narrauerunt nobis patres noſtri?* Septuaginta vertunt: *Et dixit ad eum Gedeon: In me, Domine mi? ſi eſt Dominus nobiſcum, ad quid inuenerunt nos mala hæc? Et vbi ſunt omnia mirabilia eius, quæ narrauerunt nobis Patres noſtri dicentes: Nonne ex Ægypto eduxit nos Dominus? Et nunc proiecit nos, & dedit nos in manu Madian.* Paraphraſis Chaldaica ſic vertit: *Eſt diuinitas Domini nobiſcum? Et ad quid acciderunt nobis omnia hæc? Et vbi omnes ſeparationes eius, quas narrauerunt nobis patres noſtri?* Quamuis Angelus ſingulariter cum Gedeone Dominũ eſſe dixiſſet; Gedeon tamen de omni populo accepit, cuius ipſe pars erat, 8. Hebræus. Septuag. Chald.

& ſine quo felicem eſſe nullatenus deſiderabat. Serar. Caietan. Notauit noſter Serarius q.8. & Caietanus hîc. *Intellexerat verbum Angeli non ſolum relatiuè ad perſonam propriam; ſed ad populum: & propterea dicit: ſi Dominus eſt nobiſcum.* Quàm habebat virtutem, teſtatus eſt ab omni inuidia alienus & generalis felicitatis percupidus: *Bonus*, aiebat Plutarch. Plutarchus lib. contra Epicuri ſententiam, *nulla* *Magnus inuidia non tangitur.* *contactus eſt inuidia.* Proſperitatem ſuam ad contribules extendere prudenter geſtiuit, vt ſolidius poſſideret. Aptari poteſt Gedeoni, quod aiebat Caſſiodor. Caſſiodorus 1. var. 28. *Siquis cuiuſlibet generis ſaxa in agris ſuis iacentia muris habuerit profutura, libens animo ſine aliqua dilatione concedat.* Subdit diſertiſſimus Senator rationem: *Qui tunc verius magis poſſidebit, cum hoc ciuitatis ſuæ vtilitati indulſerit: quid enim gratius quàm videre creſcere publicum decus, vbi omnium vtilitas in generalitate concluditur?* Digna Imperatore verba protulit, dum iam omnibus diſcupiuit virtutem, imò & virtutibus ornatos omnes intellexit. Verba Angeli prudenter retorſit, non quod inficiaretur, aut repugnaret, ſed vt ad implenda ingenioſè cogeret, quandoquidem Dei præſentia omnis eſt calamitatis exilium, felicitatiſque complementum. *Diſertiſſimam argumentationem inſtituit* Montan. *Gedeon*, inquit Arias Montanus, *ad ſalutationis conſtantiam, & veritatem inquirendam, inuento medio firmiſſimo, & argumento ad oppoſitum deducto.* Itaque cùm Deus titulum Iehueh, qui in Hebræo reſpondet Domino, nũc acceperit, & nomen efficaciam & beneficentiam innuat, vt patet Exodi Exod.6. *6. Ego Dominus, qui apparui Abraham, Iſaac, & Iacob in Deo omnipotente, & nomen meum Iehueh non indicaui eis*, &c. Gedeon ex nomine arguit teneri ad ſuorum infelicitatem depellendam, & antiquam à maioribus auditam fortunam inſtaurandam: *Nomen*, aiebat Tertullianus in apolog. c. 21. *quadam ratio æmula operationis inſequitur.* Tertullian. Itaque cùm beneficẽtiæ efficaciæque nomen audit, efficaciam & beneficentiam exigit, ne aut loquens videatur nugari, aut nomen æmulam operationẽ non ſequi. Abulenſ. q. 11. putat quodammodo Abulenſ. queſtũ fuiſſe, quaſi miracula in liberando populo olim patrata imperfecta modò reliquerit, quandoquidem, vt olim, & modò gemunt captiui. A patribus accepiſſe mirabilium notitiam teſtatur, eaque ipſa notitia & Deum ad proſequendum, & populum ad deteſtanda idola etiam obligabat. Ita Hieronymus (ad illa verba Pſalmi Hieronym. 77. *Patres noſtri narrauerunt nobis*) *Vt iam non credant in idolis; ſed in Deo credant, vt non obliuiſcantur opera Dei.* Verùm non eſt infrequens ea parte rem aliquam intueri qua alios ad opus obligat, non qua nos ligat. Olim veri Numinis religionem Hebræos impollutam coluiſſe, Deumque tot mirabilia patraſſe, conſcientiam ſemper citabat, & ex collatione præſentis calamitatis animum adurgebat, vt deierata impietate ſe ad meliorem frugem reciperet, & virtutem olim cultam Plutarch. ſuſpiraret. *Monuit Xenophon*, ſcribit Plutarch. de *Dei beneficiorum memoria in vitium arma.* tranquillit. & ſerenit. *animi rebus potiſſimùm ſecundis deorum meminiſſe, quod duris temporibus eorum opem animo fidenti imploremus, vt beneuolorum iam & propitiorum: perinde præcepta ea, quæ animi perturbationibus medentur, antequam hæ corripiant, commentata habere debent rectè conſulti.* Iuuit Iſraelitas plurimum in Ægypto patratorum mirabilium memoria, vt antiqua ſuſpirarent auxilia, & ſuſpiriis aſciſcerent ſibi iuuamina. Vnde benè Silius:

> *Heu prima ſcelerum cauſa, mortalibus ægris.*
> *Naturam neſcire Deum.*

Proiectos modò Hebræos conqueritur, & quidem nil adeò vt peccator dignum eſt deſpectu.

---

§ IV.

Commentarius Litteræ.

Verſ. 14. Reſpexit ad eum Dominus, & ait: Vade in hac fortitudine tua, liberabis Iſraël de manu Madian. Scito quòd miſerim te.

Verſ. 15. Qui reſpondens ait: Obſecro, mi Domine, in quo liberabis Iſraël? Ecce familia mea infima eſt in Manaſſe, & ego minimus in domo patris mei.

Verſ. 16. Dixitque ei Dominus: Ego ero tecum, & percuties Madian quaſi virum vnum.

HEbræus textus ſic habet: *Vade in fortitudine tua hac*, &c. *Nonne miſi te? Dixitque ad eum:* 9. Hebræus. *Obſecro Domine mi, in quo ſaluum faciam Iſraël? Ecce pater meus pauper eſt in Menaſſeh, & ego minimus in domo patris mei.* Chaldaica paraphra- Chaldæ. ſis ſic vertit: *Et reuerſus eſt ei Angelus Domini, & dixit: Ito in virtute tua hac.* Itaque Angelus, qui non adeò ex directo reſpexerat fortem, plenius oculos conuertit ad humilem: Notauit Caie- Caietan. tanus: Vertit proculdubio faciem verſus Gedeonem intuendo ipſum. Ipſo aſpectu infudiſſe Abulenſ. fortitudinem teſtatur Abulenſis quæſtione 1.. *Fuit iſta fortitudo collata reſpiciente Angelo: quia tunc quando ipſe reſpexit, Deus operatus eſt, ſicut Sacerdote proferente verba conſecrationis, Deus conſecrat.* Itaque ipſe Angeli aſpectus induebat animos, & quem videbat, armabat: ne minus liceret Angelico aſpectui ad bonum, ac hominis licere ſolet oculis impudicis ad malum: *Denudaſti*, aiebat Tertullianus de veland. virgin. ca- Tertullian. pite 3. *puellam à capite, & tota iam virgo ſibi non eſt, alia eſt facta.* Impudici oculi dum virginem intuentur, aliam faciunt, debiliorem ſcilicet: ergo Angelici aſpectus alium etiam faciant fortiorem videlicet. Theodoretus q. 12. forti- Theodor. tudinem mirabilium putat memoriam: Quoniam memor erat, inquit, mirabilium Dei, firmamque de Deo tenebat opinionem, illum ſi vellet, eos facilè liberare poſſe à calamitatibus, quibus detinebantur, meruit, vt audiret ab Angelo: *Proficiſcere in robore fidei huius, & vinces.* Itaque vt ignorantia de Numine, teſte Silio, omnium eſt malorum ſcaturigo, ita memoria eſt vena proſperitatis fœcunda: *Qui condidit*, aiebat Seneca lib. 7. natural. quæſtionum cap. 30. *qui to-* Seneca. *tum hoc fundauit, deditque circa ſe, maiorque eſt pars operis ſui ac melior, effugit oculos, cogitatione viſendus eſt.* Cogitatione tractanda ſunt

Digitized by Google

ſunt Numinis egregia facinora, & facta: eſt namque gratum Numini obſequium eius ſemper tractare, & excolere animo beneficium. Chryſoſtomus hom.26.ad cap.11.epiſt.ad Hebræos ſic ait: *Omnia nobis videntur difficilia, quod Dei nullam habemus memoriam.* Itaque Gedeon mirabilium memoria ad triumphos diſponebatur, & aſpectu Numinis muniebatur: eſt namque Numinis aſpectus ſalus, & virtus. Vnde Euthymius ad illa verba Pſalmi 79. *Oſtende faciem tuam, & ſalui erimus*, ſic ait: *Sermo eſt metaphoricus: vbi enim aliquis dux aut Imperator certantibus militibus ſuperuenerit, continuo ſuis quidem animum, & vires præſtat, hoſtibus verò timorem.* Angelico iam inflammatus aſpectu ſuam vilitatem opponit: *In quo liberabo Iſrael?* Scire voluit ſine audacia, non tamen ſine fiducia; nam Numinis ita nobis rimari conſilia licet. Audi datum Senecam cap.19. *Quæ vera ſint, dij ſciunt, quibus eſt ſcientia veri, nobis rimari illa & coniectare in occulto tantum licet, nec cum fiducia inueniendi, nec ſine ſpe.* Itaque audaci humilitate, & decenti audacia quæſiuit, qua ratione ipſe bellicis armis, & exercitibus prorſus nudus opus ad ſpeciem adeò arduum ſine temeritatis nota quiret aggredi, & feliciter poſſet conſequi. Cuius humili interrogatione allectus Deus: Ego ero tecum, reſpondit: nec enim iam timere licebat diuinis præſidiis armato, & ad victoriam electo. *Angelus*, ſcribit Theodoretus citatus, *gratam habens hanc reſponſionem, ait: Dominus tecum erit, & interficies Madian, ſicut virum vnum.* Diſplicere non poterat Angelo interrogatio illa, quæ non oriebatur de ignauia; ſed de modeſtia. Quàm alius miniſter erat Angelicus à miniſtris potentium, quandoquidem ipſe Gedeonem vrgebat: *Vade in hac fortitudine tua*: nec morabatur detentum ad ſuperbiæ pompam, & ad moleſtiarum patientiam. *Quales regiæ potentiæ miniſtri ſunt*, aiebat Seneca lib.2.de benef.cap.5. *quos delectat ſuperbia ſuæ longum ſpectaculum, minuſque ſe indicant poſſe, niſi diu multumque ſingulis, quid poſſint, oſtenterit: nihil ſemel faciunt.* Vtinam non adeò verum.

Chryſoſt.

Euthym.

Seneca. *Diuina ſine audacia ſunt perſcrutāda.*

Theodoret.

Seneca *Miniſtri turbam candidatorum ad ſuperbiæ ſpectaculum trahunt.*

Verſ. 17. Et ille, ſi inueni, inquit, gratiam coram te, da mihi ſignum, quòd tu ſis qui loqueris ad me

Verſ. 18. Nec recedas hinc donec reuertar ad te portans ſacrificium & offerens tibi. Qui reſpondit: Ego præſtolabor aduentum tuum.

10. Septuaginta: *Proferam ſacrificium, & ſacrificabo coram te. Et dixit: Ego quidem ſedebo, donec tu reuertaris.* Chaldaica Paraphraſis: *Nec nunc tranſeas hinc vſque ire me ad te, & afferam domum meam, & apponam ante te: & dixit: Ego prolongabo vſque quò redeas.* Fidem ſtatim adhibuit, & offerre Numini victimas feſtinauit. Ita Theodoretus: *Confeſtim dictis fidem adhibens obtulit victimas.* Signum tamen petiuit; non ambiguus; ſed cautus: Ita Origenes Adamantius homil.8. in lib. Iudicum, & apud gloſſam: *Vir eruditus, & habens Ieſu prædeceſſoris exemplum, cautius egit: ſciebat enim poſſe Angelos tenebrarum transfigurare ſe in Angelos lucis: ideò examinat ſpiritum, ſi à Deo ſit.* Domum ſuam

Septuaginta.
Chaldæus.

Theodoret.

Origen.

afferre promiſit, hoc eſt ſeruos, & ancillas adducere, vt obſequium etiam præſtarent, & ad dignam tanto beneficio pendendam gratitudinem ſuppetias ferrent, quòd videbimus poſteà ex Caietano, adimpletum. Gedeon ſanguine nobiliſſimus, virtute clarus nequibat ſordeſcere ingratitudine obſcurus: eſt namque ingratitudo vitiorum parens, & criminum nutrix: *Omnia iſta* (crimina) aiebat Seneca lib.1. de benef. cap.10. *ab ingrato animo ſunt, ſine quo vix vllum magnum facinus accreuit: hoc tu caue tamquam maximum crimen ne admittas: ignoſce tamquam leuiſſimo, ſi admiſſum eſt.* Angeli præſentia ad tempus priuatur, ne ingratitudine defœdetur; imò vt adducat obſecuturam familiam: ſciunt namque qui ſalutis proximorum zelo inardeſcunt, diuino ad tempus ſe conſpectu priuare, ſcientes non amittendum; ſed vſuris honeſtiſſimis aſſeruandum.

Seneca. *Ingratitudo magnum crimen.*

---

§. V.

Commentarius Litteræ.

Verſ. 19. Ingreſſus eſt itaque Gedeon, & coxit hœdum, & de farinæ modio azymos panes, carneſque ponens in caniſtro, & ius carnium mittens in ollam, tulit omnia ſub quercu, & obtulit ei.

Verſ. 20. Cui dixit Angelus Domini: Tolle carnes, & azymos panes, & pone ſupra petram illam, & ius deſuper funde.

Verſ. 21. Cúmque feciſſet ita, extendit Angelus Domini ſummitatem virgæ, quam tenebat in manu, & tetigit carnes, & panes azymos, aſcenditque ignis de petra, & carnes azymoſque panes conſumpſit; Angelus autem Domini euanuit ex oculis eius.

Aliæ verſiones parum diſcrepant: ex Hebræo tamen multi tranſtulerunt: Fecit vnam ſaneçam farinæ azymos panes. De azymis multa apud alios quæſtio, quam prætermittendam puto, aſſerendumque azymos panes formaſſe, vt quam citiſſimè parari poſſent, ne præſtolantem dilatione grauius torqueret, quam edulio recrearet. Frumentum parabat ſibi viaticum, Angelo obtulit hœdum: ſæpè namque qui ſecum parci, erga alios probantur liberaliſſimi: vt è contra non raro ſecum prodigi erga alios inueniuntur parciſſimi: erat tunc hœdus matre indigens delicatiſſimus & pretioſus cibus: nec enim homines tot inuenerant ciborum delicias: iam luxu, & heluatione inſaniunt artificioſas epulas cogitantes, & patrimonia expendentes: iam culina patrimonij exitium eſt, & prandio vno expenditur, quod ſatis erat integro anno. *Nunc conuiuiorum vigebit furor*, verba ſunt Senecæ libro 1. de benef. capite decimo *& fœdiſſimum patrimoniorum exitium culina.* 11

Seneca. *Culina fœdum patrimonij exitiū.*

Per

Digitized by Google

Caietan.
Per miniſtrorum manus omnia hæc attuliſſe,& per ſeipſum Angelo repræſentaſſe tradit Caiet. *Rationabile eſt, quòd cum ſeruis ſeu ancillis deferentibus res venerit,& ipſe propius acceſſerit monſtrans prandium paratum.* Vtrumque vt eximiis virtutibus præditus procurauit, propius ſcilicet accedere,& alios etiam adducere. Dubium eſt,

Abulenſ.
Arboreus.
an à Gedeone id fuerit oblatum ad Numinis ſacrificium,an ad prophetæ prandium. Abulenſ. q.10.& ſequentib. Arboreus lib.7. Theoſeb.c.1. & Vatablus fuiſſe ad ſacrificium exiſtimant: opinionem ſuam fulciunt, quia noſter textus expreſsè ait: *Portans ſacrificium.* Noſtro textui conſonant Septuaginta, dum reddunt: *Feram ſacrificium, & ſacrificabo coram te.* Accedunt

Theodor.
Auguſt.
Caietan.
Montan.
Theodor.q.12.& S.Auguſt.q.35. Alij in cibum hæc allata fuiſſe arbitrantur, vt Caiet.& Arias. Rationes,quibus nituntur,hæ ſunt:quia ſolùm pro Principis peccato offerebatur hœdus Leuit. 4.verſ.2. Secundò, quia carnes coctæ non offerebantur,nec ius carnulentum offerri erat ſolitum. Accedit quòd Angelus viatoris apparebat ſpecie, ſcipione innixus, & vmbra arboris ac ſeſſione refocillatus:vnde veriſimile eſt pro læto nuntio voluiſſe Gedeonem prandij exhibere officium,& benemeréti præſtare obſequium. Adhæc ipſe Gedeon ſacerdos non erat, neque Sacerdotem eſſe, cui loquebatur, aliqua nota

Procop.
cognouerat. Adſtipulatur Procopius hîc: *Sacrificium id dicit, quod ad epulum deſtinatum erat: victima enim non coquebatur iuxta legem; cæterum ſub quercu ponit, Abrahamum imitatus,*

Serarius.
ac ratus hunc fercula abſumpturum. Noſter Serarius quæſtione vndecima putat poſſe ambas opiniones conciliari, ſcilicet Gedeonem attuliſſe munus illud conuiuandi cum hoſpite animo, vocatumque fuiſſe ab interprete ſacrificium ab euentu ſecuto: Angelus namque omnia Deo obtulit: vnde idem & prandium vocari potuit & ſacrificium: Non diſſentio: quia verba quæ hîc ſacrificium denotant, ſine violentia intelligi poſſunt de ſacrificalibus muneribus præcipuè quia ſæpè inuenitur ſacrificij nomen conuiuio epuloque, in quo mactatæ pecudes, applicatum: vt Prouerb.9. verſu 2. & primo Reg.25,verſu vndecimo. Iam Angelus gratum habens obſequium,non ori admouit prandium, vt qui Abrahamo apparuerunt Geneſis decimo octauo,& Raphael Tobiæ 12. ſed pro Dei erga populum ſuum propitiatione, & pro Gedeonis electione cenſuit Numini illico ad agendas gratias offerendum: holocauſtum fortunatiſſimum fuit triumphorum auſpicium, ſacrificium prodidit Angelum; nec enim poterat cæleſtium maiori non adornati notitia, qui religioſa Numen colebat ho-

Montan.
Theodor.
Auguſt.
Abulenſ.
ſtia. Arias & Theodoretus Angelum Sacerdotis officio functum volunt. Sanctus Auguſtin. quæſtione 35. & 36. Gedeoni munus videtur tribuere. Abulenſis quæſtione 17. & ſequenti putat interueniſſe hîc nonnulla priuilegia, quandoquidem Reipublicæ calamitas non permittebat nec loco ſacrificiis dicato accedere, nec alia legis iura ſeruare.

Verſ. 22. Videns Gedeon quòd eſſet Angelus Domini, ait: Heu mi Domine Deus, quia vidi Angelum Domini facie ad faciem.

Verſ. 23. Dixitque ei Dominus: Pax tecum, ne timeas, non morieris.

Verſ. 24. Ædificauit ergo Gedeon altare Domino, vocauitque illud Domini pax vſque in præſentem diem.

Agnouit Gedeon ex igne facillimo tactu 12.
excuſſo, & ex inſtantaneo diſceſſu ſecum loquentem Angelum fuiſſe, cúmque ex religioſo timore inſita antiquis fuerit opinio mortales oculos ſine mortis diſcrimine intueri non poſſe cæleſtes ſpiritus,imminere iam ſibi mortem arbitratus eſt; verùm vox quædam aëre efformata eius anguſtias depulit, & afflictum recreauit,promiſſa pace,ſalute & quiete. Hanc ſalutationem Iudæis communem ad eliminandum metum conſtat ex Lucæ 24. vbi apparens gloria coruſcus Dominus meticuloſis diſcipulis dixit: *Pax vobis,nolite timere.*

Exagitant Doctores, an altare hic relatum 13.
diuerſum ſit ab eo,de quo verſu vigeſimoſexto agitur. Lyra,Caietanus,Arias, Serarius, quæſt. decimaquinta putant eamdem fuiſſe aram; hîc tamen per anticipationem dictam. Abulenſis quæſtione 32.putat duplicem fuiſſe: nam diuerſus apparet finis: hæc namque ſtructa fuit ad reddendas gratias pro beneficio vitæ, alia ad ſacrificandos tauros, & idololatriam expungendam: nec in huius tituli erectione Gedeon legi contrarius extitit: titulum namque erigere in beneficiorum memoriam nulla prohibebatur lege: quod apertè deducitur ex Ioſue 22. vbi altare conſtructum ad memoriam non eſt euerſum; ſed conſeruatum.

§. VI.

Commentarius Litteræ.

Verſ. 25. Cùm adhuc eſſet in Ephra, quæ eſt familiæ Ezri, nocte illa dixit Dominus ad eum; Tolle taurum patris tui & alterum taurum annorum ſeptem, deſtrueſque aram Baal,quæ eſt patris tui, & nemus, quod circa aram eſt, ſuccide.

IN Hebræo habetur: *Tolle iuuencum bouis,* 14.
Hebraice.
qui eſt patri tuo, & iuuencum ſecundum ſeptennem, deſtrueſque altare Baal, quod eſt patri tuo, & lucum, qui eſt iuxta illud, ſuccides:

Chaldaica.
Chaldaica paraphraſis, vt aſſolet, maioris explicationis gratia ſic reddit: *Et bouem ſecundum, qui ſaginatur ſeptem annis.* Ferè non diſ-

Septuag.
crepant Septuaginta. Videtur ex textu Ioas vti Princeps aliquam erexiſſe aram Baal, cuius ſumptibus ipſe præbebat expenſas, & cuius ſacrificio taurum habebat tunc dicatum, optimum quidem & lectiſſimum: feliciſſimo auſpicio principatum ſuum exorſus eſt Gedeon,

Caſſiodor.
Cui iuſtitia committitur malis moribus non grauetur.
ſcilicet figmenta delendo, & auitam religionem inſtaurando: *Neceſſarium probatur eſſe Reipublicæ*, aiebat Caſſiodorus 9.variar. 6.*perſonas dignitatibus aptas eligere, vt cui iuſtitia committitur,malis moribus non grauetur; alioquin*

inefficax

Digitized by Google

ineſſicax eſt ab homine exigere, quod agnoſcitur non habere: contrà, confidenter quæritur quod ineſſe ſentitur. Et ideò primum nobis placuit ſuos mores inſpicere, ſine quibus poſſunt quælibet optima diſplicere. Opus fuit, vt à domo familiaque ſua, quidquid religioni aduerſabatur, expungeret, vt reliquos ad auitam cogere religionem valeret: ergo à patris ſui ara incipit: voluit namque Deus, vt ad ſalutem populi ſingulari prouidentia electus ab omni idololatriæ ſpecie inueniretur remotus: ad veri Dei cultum traducitur ipſe taurus, qui à Ioa vanis ritibus erat deuotus. Taurus alter à toto populo dicabatur, ſaginabaturque: & quamuis nihil ad vitam pertinens à Madianitis relinqueretur, tanta hic taurus ſolicitudine aſſeruabatur, vt in hoſtiles manus nunquam deuenerit; ſed ſtudioſè altus aris imponendus vixerit. Iuxta Baalis aram lucus erat, qui vmbram protenderet ſpurcitiis & libidinibus fœdis: nam cùm ad deteſtandum ſacrificium plures viri fœminæque concurrerent, ipſeque concurſus flammas libidinis excitaret, ne ſi opportunitas præſentanea deeſſet, appetitus ſopiretur, aut protraheretur occaſio, lucos plantabant circa idolorum altaria, vt à ſacrilegis ritibus ad explendam tranſirent libidinem, ſicque crimina criminibus cumularent. Ergo ara euertitur, ac lucus ſucciditur, ne remaneat in populo veſtigium vanitatis, aut occaſio inuitet libidinis.

Deuter. 16. v. 21. Deus Deuteronomij 16. edicto vetuit arborem plantari iuxta altare Domino conſecratum: *Non plantabis lucum, & omnem arborem iuxta altare Domini Dei tui.*

Philo. Cauſam reddit Philo lib. 2. de monarch. *Quoniam verum templum Dei*, inquit, *non amœnitates poſtulat, ſed ſinceram caſtimoniam: prætereà condenſa ſyluarum maleficiis conueniunt ex latebris ſecuritatem, & inſidiarum occaſionem quærentibus.*

Verſ. 26. Et ædificabis altare Domino Deo tuo in ſummitate petræ huius, ſuper quam antè ſacrificium poſuiſti: tolleſque taurum ſecundum, & auferes holocauſtum ſuper ſtruem lignorum, quæ de nemore ſucciderls.

Septuagin. Septuaginta interpretes: *Ædificabis altare Domino Deo tuo ſuper cacumen Maozi huius in ordine: & ſumes vitulum ſecundum, & offeres holocauſtomata in lignis luci, quæ exterminauiſti.*

Hebraica. Hebræus textus: *ſuper verticem arcis ordinata.*

Chaldaica. Chaldaica paraphraſis: *ſuper caput fortitudinis huius in ordine.* Supra petram ſerpentinis dentibus non obnoxiam altare præcipit ædificari, quod ædificanti eſſet pro arce fortiſſima contra hoſtiles impetus, & importunos aduerſariorum adſultus. Terram dedignatus eſt altari deligere: quoniam, vt D. Auguſtinus ſcribit ſerm. 130.

Auguſt. *immunda erat tunc terra fumo ararum cæterorum coinquinamentorum, quæ de profanis gentilium ſacrilegiis offerebantur ſuper eam.* Itaque adeò zelotypus altaris ſui eſt Deus, vt terram auerſetur, quam inquinare potuit non iam cultus ſacrilegus: ſed vel ſacrilegij fumus: vt qui altaribus accedunt, timeant, ſi obſcurati ſordeſcunt, non tantùm vitiorum fumo; ſed ipſo vitio. Verbum illud *in ordine* interpretatur Caietanus, vt quam fieri poſſit, ædificetur iuxta ritus à Domino circa erigendam aram præſcriptos. Caietan.

Verſ. 27. Aſſumptis ergo Gedeon decem viris de ſeruis ſuis, fecit ſicut præceperat ei Dominus; timens autem domum patris ſui, & homines illius ciuitatis, per diem noluit id facere: ſed omnia nocte compleuit.

Aliæ verſiones non diſcrepant. Ad ea quæ ſibi iniuncta erant, grauiter peragenda accingitur: ſeruos vocat, vt iam ſerui, qui magnatum filiis nocte adeſſe ſolitant contra virtutem, adeſſent modò pro religione: & quidem quod imperabatur, non vnius tantum hominis; ſed plurium, ſolertiumque exigebat operas, præcipuè cum iure timendum eſſet, ne, ſi protraheretur tempus, cùm cognati, tum ciues in facinoris deuenirent notitiam, & prorſus ſacrilegam ſuam defenderent aram. Et quidem ſi populo ſubtrahatur, quod ad delicias & voluptates ſpectat, non ſolùm grauiſſimis querelis facta criminantur, & ſæpè vſque ad grauiſſima certamina commouentur. *Animum noſtrum*, Caſſiod. aiebat Theodoricus I. var. 30. *curis calentem, & diuerſarum gentium conſilia perſcrutantem pulſauit ſæpiùs querela populorum, ortà quidem ex cauſis leuibus; ſed graues erucłauit exceſſus: deplorat enim pro ſpectaculorum voluptate ad diſcrimina ſe vltima perueniſſe, vt legum ratione calcata deſperatè perſequeretur innoxios ſeruilis furor armatus.*

Furor armatus vt defendat voluptatem, oppugnare ſolet virtutem.

Verſ. 28. Cúmque ſurrexiſſent viri oppidi eius manè, viderunt deſtructam aram Baal, lucumque ſucciſum, & taurum alterum impoſitum ſuper altare, quod tunc ædificatum erat.

Verſ. 29. Dixeruntque ad inuicem: Quis hoc fecit? Cúmque perquirerent auctorem facti, dictum eſt: Gedeon filius Ioas fecit hæc omnia.

Septuaginta interpretes: *Inquiſierunt, & inueſtigauerunt, & cognouerunt quia Gedeon filius Ioas fecit verbum hoc.* Septuag. Ferè idem habet textus Hebræus: Hebraica. Chaldaica paraphraſis ſic vertit: *Anticipauerunt viri vrbis in aurora, & ecce diruta ara Bagal, & lucus, qui ſuper eam, exciſus,* &c. Chaldaica. *& petiuerunt, & quæſiuerunt, & dixerunt: Gedghon filius Ioas fecit verbum hoc.* Quærit Abulenſis quæſtione 40. quomodò videre potuerunt ſecundum taurum ſuper altare, quando iuſſerat Deus Gedeonem in holocauſtum offerre, & textus aſſerit omnia compleuiſſe. Abulenſ.

V v Reſ-

Digitized by Google

Reſponderetque diluceſcente iam aurora, ne à ciuibus videretur, reliquiſſe taurum prunis comburendum; illos verò venientes vidiſſe eum nondum penitus combuſtum: vnde bene ſtat quòd Gedeon compleuerit, & quod ciues taurum aris ſuperpoſitum inſpectauerint. De auctore inquiſierunt prorſus admiratione obſtupefacti, ſtuporeque attoniti. *Iſtud dicebant*, ſcribit Abulenſis quæſtione 41. *admirantes quis auſus fuiſſet facere hæc.* Sic omnes deteſtandis ritibus addicti erant, ſic deorum venerabantur aras, vt quamuis aliis criminibus, & horrendis quidem fuerint aſſuefacti; circa deorum tamen aras & templa ſumma deuotione inueniebantur deuoti. Ergo mirantur ab illorum aliquo hæc potuiſſe perpetrari, & iniuriam altari inferri. Montan. Arias Montanus putat illa admiratione illorum quemlibet voluiſſe omni ſe ſuſpicione purgare, quaſi magno ducerent probro tam ſacrilegi ſceleris vel ſuſpicionem ſubire. *Qui rogat, & quærit, facti ignorationem prætendens, crimen declinare videtur.* Omni cura incubuerunt, vt auctorem facti inuenirent, quò eius ſanguine iratum Numen placarent. Variis ergo coniecturis, & argumentis eam venati ſunt notitiam, ſcilicet Gedeonem aram ſuffodiſſe, & lucum eradicaſſe. Putat Arias Montanus Gedeonem ſacrilego illo cultu nunquam attaminatum, ob idque in ſuſpicionem veniſſe. Audi eius verba: *Res ipſa ſuſpicionem inycere potuit auctoris ſui, nempe neminem alium illud aggredi, & conficere potuiſſe præter Gedeonem, vtpote qui à Baalim cultu alienus eſſe cognoſceretur.* Abulenſis quæſtione 41. putat non defuiſſe, qui per noctem videret ad nemus tendentem Gedeonem, aut aliquid horum agentem, ex quibus coniecturis pro certo habitum eſt illum omnia peregiſſe.

§. VII.

Commentarius Litteræ.

Verſ. 30. Et dixerunt ad Ioas: Produc filium tuum huc, vt moriatur: quia deſtruxit aram Baal,& ſuccidit nemus.

Verſ. 31. Quib. ille reſpondit: Numquid vltores eſtis Baal, vt pugnetis pro eo? Qui aduerſarius eſt eius, moriatur, antequam lux craſtina veniat: Si Deus eſt, vindicet ſe de eo, qui ſuffodit aram eius.

18 Septuagin. Septuaginta interpretes habent: *Nunquid vos nunc iudicium facitis pro Baal, aut vos ſaluatis eum? Quicumque iudicium fecerit ei; morti detur vſque mane. Si Deus eſt, iudicium faciat ſibi.* Hebraica. Hebræus textus: *Numquid litigabitis pro Baal? Num ſaluum facietis eum? Qui litigauerit pro eo, moriatur vſque mane.* Chaldaica. Chaldaica paraphraſis ſic habet: *An vos vlciſcimini Bagal? An vos liberabitis eum? Qui vltus fuerit ei, occidetur; verum ſpatium dabitur ei vſque mane, & ſi vtilitas eſt in eo, vlciſcatur ſibi Bagal, quia diruit aram eius.* Produci Gedeonem tumultuoſis clamoribus petunt: quia vt furorem populi tunc effrænem declinaret, domi latebat: timenda namque eſt vel fortiſſimo viro turba inſaniens & concitata. Ioas eius pater, & populi Princeps in tam difficili arctoque diſcrimine prudentiſſimè ſe geſſit, vt filio prouideret, & furorem populi religioſa ad ſpeciem ratione ſopiret: perſuaſit enim illis Numinis ſui probrũ eſſe, ſi iniuriam ſibi factam alienis manibus vindicaret, quandoquidem grauiori ſupplicio punire poterat aræ ſuffoſſorem, euerſoremque nemoris: præcipuè quia liquido non conſtabat eis an eſſet Gedeon: vnde forte contingeret punire innocuum, & permittere Numinis inimicum. Quapropter cùm Baal iniuriæ auctor latere non poſſet, ſatius videbatur ſcienti potentique reſeruare vindictam, & committere dignam pœnam, quo duplex periculum vitabatur, ſcilicet Baal vindicta offendendi, & incertum etiam auctorem mulctandi. Paraphraſis Chaldaica innuere videtur tuliſſe legem quaſi pro honore Numinis tuendo, vt ſiquis iniuriam Numinis diſcuperet vindicare, capite mulctaretur, quandoquidem religioſius videbatur, Baaleque dignius ipſi reſeruare, & committere ſuæ vltionem iniuriæ. Ita ſonare videntur verba illa: *Qui vltus fuerit ei, occidetur.* Itaque cùm quiſque ob coloratam illam religionis cauſam ſibi timeret, ſi in vltionem rueret, omnium ſopitus eſt furor: & quia religionis cauſa ardentiſſimè ad vltionem inuolarant, iam pro ipſa religione ab vltione deſiſtebant.

Verſ. 32. Ex illo die vocatus eſt Gedeon Ierobaal, eo quod dixiſſet Ioas: vlciſcatur ſe de eo Baal qui ſuffodit aram eius.

Verſ. 33. Igitur omnis Madian,& Amalec, & Orientales populi congregati ſunt ſimul, & tranſeuntes Iordanem caſtrametati ſunt in valle Iezrael.

Septuaginta: *Et vocauit eum in die illa Ierobaal dicens: Iudicet in eum Baal.* Hebræus textus: *Ierubahal dicendo: litiget cum eo Bahal.* Quis 19 Septuaginta Hebraica.
hoc nomen impoſuerit, non exprimitur; videtur tamen à populo impoſitum, vt quodammodò illum ſugillarent, & omnibus exortem religionis oſtenderent: *Ierobaal interpretatur reſiſtens Baal*, ſcribit Abulenſis quæſt. 41. Acceſſit Abulenſ. ad hoc, vt vindictæ ardor non perſeueraret, eo ipſo tempore ſuperueniſſe innumeram aduerſariorum multitudinem, vnde factum eſt, vt vnuſquiſque iam ſolum curaret ſe ad tutiora recipere, non iniurias Numinis vindicare. Textus deueniſſe hoſtes ait in vallem Iezrael: quia vt Abulenſi placet quæſt. 41. ibi erant ſegetes maturiores: & ob id illic fixerunt tentoria, vt dum maturas illas depaſcerent, aliis maturandis tempus concederent.

Verſ. 34. Spiritus autem Domini induit Gedeon, qui clangens buccina conuocauit domum Abiezer, vt ſequeretur ſe.

Verſ. 35.

Verſ. 35. Miſitque nuntios in vniuerſum Manaſſem, qui & ipſe ſequutus eſt eum: & alios nuntios in Aſer, & Zabulon, & Nephthali, qui occurrerunt ei.

20. Septuaginta habent: *Spiritus Domini induit Gedeon, & cecinit in cornea & clamauit Abiezer poſt ſe.* Textus Hebraicus ſic habet: *Spiritus autem Domini induit Gidhon, & clanxit tuba, & congregatus eſt Abiezer poſt eum.* Chaldaica paraphraſis ita vertit: *Et Spiritus fortitudinis ab ante Dominum, & veſtiuit Gidhgon, & clanxit buccina, & congregatus eſt homo Abighezer poſt eum.* Caietanus vult Spiritum exterioribus ſignis ſui notitiam dediſſe: *Exterioribus ſignis apparuit Gedeon tamquam actus & motus à diuino ſpiritu: reluxit ſiquidem in eo diuinus Spiritus, quemadmodum in induto veſte regia relucet regius fauor.* Itaque vt in die Pentecoſtes diuinus ſpiritus ſe externis ſignis prodidit, vt dum Apoſtoli venerationem ſibi conciliant, faciliùs ad virtutem mirantes trahant: ſic etiam vt Gedeon alios ad ſe poſſet adducere externis illum ſpiritus ſignis nobilitauit, dum induit: quod neceſſariſſimum videbatur, quandoquidem paulò antè ſugillabatur ſacrilegus. Iam quanta poſſit vnicus homo, ſi eximia virtute fuerit præditus, textus indicat: excitauit namque plurimos Gedeon: vt deuorarent pericula, & audacter ruerent pro patria & religione contra aduerſarios in arma. Nec myſterio caret buccinis poſtea comparaſſe ſibi triumphum, qui buccina excitauerat populum: vt iam liqueret actione, qua alios ad virtutem adducimus, nobis parare triumphorum gloriam, & immortalem ſæculis tranſmittere famam. Abulenſis quæſtione 41. putat Gedeonem ſpiritus motu ſic alium à ſe factum, vt qui anteà timidus parabat fugere, modò honeſtè audaciſſimus, & laudabiliter temerarius rem fuerit aggreſſus ſupra humanas vires, & contra prudentiæ ad ſpeciem leges: *Dedit Deus ei quamdam animoſitatem, qua non formidaret hoſtes, etiamſi multi eſſent; vnde non timuit vocare paucos ad pugnandum contra omnes populos orientales.* Profectò ſpiritus vehementia non ſolet communi lege teneri: quia didicit perfectiſſimè tráſgredi. Audi Senecam lib. de prouidentia capite 5. Viri heroica virtute præditi nomine: *His quibus deterreri me putas, incitor: libet illic ſtare, vbi ipſe Sol trepidat, humilis & inertis eſt tuta ſectari, per alta virtus it.* Fortis Gedeon iam mortis abiecerat metum: quia mortis etiam pretio excudere ſibi nobilem exambiebat triumphum. Damindas, vt refert Plutarchus in apophthegm. armis à Philippo allatis Peloponeſſo iactanti cuipiam graues calamitates Lacedæmoniis niſi fœdere bellum cum illo diremiſſent, impendere videri: Effœminate, inquit, quid mali patiamur, ſi mortem *contempſerimus?* Itaque honeſtæ mortis contemptor Gedeon ſocios ad bellum citat, non tamen omnes; ſed quos tempus permittebat, viciniores ſcilicet, vtpote aduerſario iam omnia deuaſtante, & audente. Abulenſis quæſtione 43. vocatas has tribus ait, quia maiorem communicationem amicitiamque cum tribu Manaſſe habebant; ab amico autem facilius perſuadentur ardua, vt deuorantur non ſemel in amicitiæ gratiam difficilia: *Cauſa fuit: quia iſtæ tribus habebant fortè maiorem communicationem, & confœderationem cum Manaſſe aliis tribubus: & ob hoc cognito quòd Manaſſe iret ad bellum, ipſi quoque irent.* Subjicit ibi Toſtatus, fortè alias tribus omiſſas fuiſſe: timuit namque Gedeon eius exhortationem ſuperbè deſpecturas, vtpotè nobilitate clariores, & copia hominum præſtantiores: *Fortè aliqui de aliis tribubus erant ſuperbi propter dignitatem ſuam, & multitudinem, ſicut tribus Iuda, & Ephraim, & Beniamin: ideo non dignarentur venire ad vocationem Gedeonis, vt eſſent ſub ducatu eius.* Superbi non ſemel dum honeſtam detrectant ſubiectionem, triumphorum amittunt laudem. Mira res: eligebant diuexari ab hoſte potius quàm ſubjici contribuli. Hunc hominum confluxum conuentumque non longo temporis interuallo accidiſſe videtur: cum quia cœleſti impulſu obtemperabant: tum quia hoſtiles copiæ omnia deuaſtantes ad pugnam accelerandam vrgebant. Iam vt congregatas copias acriùs incitaret, & igniculos certis triumphi ſpebus injiceret, Deum precatus eſt, vt in vellere electionis ſuæ ſignum mirandum oſtenderet, vt dum à Deo ducem ſuum agnoſcunt electum, animoſiùs irruant in inimicum. Ita ſentit hic Caietanus, cui aſſentio: nec enim, vt ipſe crederet, poſt primum iterato indigebat ſigno. Accedit quòd ſignum poſtulauit in loco aperto, & multitudini noto: ſibi namque ſatis erat, ſi intra domus limites aliquod videret ſignum, aut experiretur miraculum; at quod modò petiuit, ſic fuit:

Chaldaica.

Caietan.

Abulenſ.

Seneca.

Plutarch.

Nil mali patitur, qui mortem contemnit.

Abulenſ.

Verſ. 36. Dixitq; Gedeon ad Deum: ſi ſaluum facis per manum meam Iſrael, ſicut locutus es:

Verſ. 37. Ponam hoc vellus lanæ in area: ſi ros in ſolo vellere fuerit, & in omni terra ſiccitas, ſciam quòd per manum meam, ſicut locutus es, liberabis Iſrael.

Verſ. 38. Factumque eſt ita, & de nocte conſurgens expreſſo vellere concham rore impleuit.

21. Aliæ verſiones non diſcrepant. Aſſuefactus erat populus, cùm libertati reſtituebatur, videre prodigia, vt in Moyſe paſtoritia virga elementis imperanti, ipſe Gedeon obiecerat dicenti ſibi Angelo Madian debellandum & populum ſaluti reſtituendum: *Vbi ſunt mirabilia eius?* Arias Montanus putat vellus exiguum quidem, & omni ſpiritu deſtitutum cæleſti rore exundans petiiſſe, vt ſui ipſius imaginem populo oſtenderet, ſuaderetque poſſe facillimè cæleſti ſpiritu armari, licet velleris inſtar eſſet exuccus, & veluti ſpiritu omni priuatus. *Itaque* (verba ſunt Arias Montani) *ſeſe exiguum, ferè omnium ſua gentis poſtremum hominem lanei velleris nomine, & imagine deſcripſit.*

Montan.

Ab humilitate incepit victoriis exornandus, & triumphis celeberrimis redimiendus: eſt namque humilitas triumphorum fundamentum, & inimicorum excidium. Paruit Dominus honeſtè petenti: verùm cùm non deeſſent in populo, qui ſignum illud miraculo non tribuerent; imò infauſto auſpicio darent, compulſus eſt ſignum aliud petere. Viderant vellus rorem omnem ſibi ſugere, & terram exuccam prorſus relinquere: cumque, vt vidimus, vellus Gedeonem ipſum adumbraret, recuſabant obedire duci de aliena ſiccitate diteſcenti, & copioſo rore exundanti. Nec à Deo credebant electum, quem aliis omnibus indigentibus ita exundare intuebantur copioſum: ob id ſignum contrarium compulſus eſt petere, illoque ſuam electionem firmare:
Caietan. *Ad ſatisfaciendum populo*, ſcribit Caietanus, *experimentum iterum in vellere petiit: fortè enim opponebant aliqui, quòd caſu acciderat primum ſignum*. Compulſus eſt ad ſatisfaciendum populo contrarium ſignum exigere; & ne diuinam iram incurreret humilitatis ſibi patrocinium aſciuit.

Verſ. 39 Dixitque rurſus ad Deum; Ne iraſcatur furor tuus contra me, ſi adhuc ſemel tentauero, ſignum quærens in vellere: Oro, vt ſolum vellus ſiccum ſit, & omnis terra rore madens.

Verſ. 40. Fecitque Deus nocte illa, vt poſtulauerat; & fuit ſiccitas in ſolo vellere, & ros in omni terra.

22 Vt vidit populus Ducem nihil ſibi arrogantem, & aliorum commodis ſtudentem, decreuit illum ſequi, & innumeros hoſtes audacter aggredi. Verùm hiſtoriæ filum opus eſt abrumpere, & ne hic prolixior, quàm decet, ſit, ad ſequentem tomum differre.

---

§. VIII.

Non ſemel qui aliis fuerunt auctores ad culpam, carnifices deputantur etiam ad pœnam.

23 NOn ſemel cithara tranſiuit in luctum, & inſtrumentum ipſum, quod ſeruierat fallaci gaudio, militauit poſteà vero tormento. Achan ſplendenti purpuræ nigrore illectus pabulum igni præbente ipſa purpura eſt concrematus: demulcet ſerpens ſæuiendo, & deſæuit prolectando. Ne fidas improbo: ipſe namque, qui tibi extitit culparum ſchola, infligit ad puniendas culpas dura ſupplicia: inuenies ſæpè eundem hominem culpæ vindicem & artificem: putabas à doctore tuo fore te præmiis remunerandum, & experiris præmiorum loco ſupplicia, & inſperata tormenta. Ecce Iſraelitæ Madianitarum ſequuntur idola, & ab ipſis Madianitis patiuntur ob idololatriam ſupplicia: *Fecerunt filij Iſrael malum in conſpectu Domini, qui tradidit illos in manu Madian*: quos imitati ſunt magiſtros ad culpam, experti ſunt duros vltores ad pœnam. Adeſt Arias Montanus ad hunc locum. Montan.
Igitur cùm ea ab Iſraelis filiis magno ſtudio admiſſa eſſent, quæ oculis Domini praua damnataque iudicabantur, hoc eſt, ea omnia, quæ Iſraelitis vetita cum primis fuerant, vt iniuriæ tum priuatæ tum publicæ, morum peruerſitas omnium, atque ſuperſtitioſi deorum vanorum cultus... Madianitarum crudelitati permiſſi ſunt; imò traditi etiam eo modo quo ſontes ad pœnam. Execrandis Madianitarum figmenta ritibus excolebant, illorumque Deos ſuffitibus deteſtandis inaugurabant. Ergo ingenioſi ad prauitatem diſcipuli pœnas dederunt magiſtris non ob ignorantiam; ſed ob deteſtandam ſcientiam. Ipſi Madianitæ, qui execrando Hebræos prolectarant ad vanitatem exemplo: digno puniuere ſupplicio: *Madianitarum crudelitati permiſſi ſunt*; imò traditi etiam eo modo, quo ſontes ad pœnam tortoribus tradi ſolent, vt quæ impietatis extiterat illis ſchola, fuerit etiam ad puniendam impietatem laniena.

Dum Chriſtus Dominus peccatoris perſonam agit, à gehennalibus miniſtris ſpineo coronatur ſerto, arundine inſtruitur, qua iterum 14
accepta caput terebrant, & ſpinas repetitis ictibus figunt: *Plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput eius, & arundinem in dextera eius, & genu flexo ante eum illudebant ei dicentes: Aue rex Iudæorum; & exſpuentes in eum acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius.* Matth. 27. v. 29. Iidem ipſi qui arundinem ad elationis culpam impellere ſunt conati, infligẽdis elationis pœnis crudeliſſimi inſiſtunt miniſtri: impios culparum doctores ad pœnas diros ſpectabis carnifices. Accipe Drogonem de Sacram. Domin. Paſſion. *Caput eius ad regnum elationis eſſe vnt*. Subnectit poſt pauca: *Et benè in dextera arundo ponitur: quia dextera eorum dextera iniquitatis: iam quod ſequitur, luce clarius eſt: quia genu flexo talibus illuditur potiùs quàm ſeruitur.* Drogo. Manum arundine inſtruunt, & dum elationis doctrinam edocetur peccator, ab ipſis doctoribus arundine repercutitur, vt à quibus ſuperbiæ promanarat documentum, infligatur etiam ob deteſtandam eruditionem ſupplicium. Ergo Chriſtus Dominus omnis gratiæ ſcaturigo, indefeſſus perfectionis fons, dum peccatoris perſonam induit, ab ipſis arundine vulneratur, à quibus ad elationem allicitur.

Iſraelitæ dum diutiùs inter Ægyptios morãtur, Ægyptiis ſuperſtitionibus inficiuntur: fabuloſa Ægyptiorum Numina adorant: teſtatur Ezechiel. capit. 23. *In immunditiis eorum polluta eſt.* Quid tunc? Ægyptij impio edicto naturam impugnant & pueros recens natos fluctibus tradunt, quo nec parentibus permittant reliquiarum ſolatia, aut qualiacumque doloris delinimenta: *Quidquid maſculini ſexus natum fuerit, in flumen proiicite.* Abulenſis quæſt. 7. rogat, cur Deus permiſerit tot tantiſque calamitatibus ab Ægyptiis diuexari Iſraelitas: reſpondetque traditos Ægyptiis veri iuſtæ pœnæ vindicibus, quia fuerunt Hebræis ad ſectandam idololatriam pro exemplarib. Audi Abulenſem: *Quæret aliquis quare tanta mala permittat Deus pati Iudæos, qui, vt videtur, tunc temporis à vitiis ſatis immunes erant, ipſe autem ſine cauſis fieri nihil permittit, cùm omnia ab illo prouidentiæ pacatiſſimo*

fonte

fonte iuſta legi procedant. Audiſti dubium, ac-
cipe reſponſum: *Reſpondetur quod Hebræi tunc*
idolorum cultui operam dabant, imitantes morem
Ægyptiorum, ideo illos, quos in ſcelere magi-
ſtros ac prauios habuerunt in irrogandis pœnis tor-
tores ſenſerunt. Inflictis grauiſſimis pœnis ex-
perti ſunt quam duros ſibi conciliauerint ho-
ſtes dum vt optimos colunt vitiorum artifices:
ab ipſis, à quibus inſtillata fuit deteſtabilis
ſcientia, inflicta eſt & pœna duriſſima: quò
facilius ad culparum Hebræi adducerentur
odium, ſuſtinebant ab Ægyptiis ipſis tor-
mentum. O quoties ipſiſſimus amicus, qui
amici adulabatur intemperantiæ, inſtrumen-
tum etiam fuit pœnæ! O quoties qui edocuit
alienam concupiſcere vxorem, edocti vxorem
concupiuit, & honorem iniurius temerauit!
Non eſt fidelis amicus, qui vitia docet: ipſe
namque iuſta Numinis ira ſic diſponente &
pœnas multoties ſumit.

26. Saul in montibus Gelboë inimicorum telis
transfoſſus agebat animam, & quò pœna eſſet
productior, erat mors lentior: Amalecitam
vocat, à quo lethalem plagam accepit, vt vno
1.Reg.1. v.10. eodemque tempore vita & corona priuetur:
Stans ſuper eum occidi illum. Quis fuerit hic
Amalecita, rogat Oſtienſis Drogo: reſpondet-
Drogo. que eius aurigam fuiſſe, qui inſolentiæ currum
ducebat, & ad vitia præcipitabat, vt idem eſ-
ſet carnifex, qui & magiſter: *Sua eum haſta, &*
ſuus auriga, qui currum inſolentiæ eius agitabat,
interfecit: ab eodem eſt & interfectus, & du-
ctus, vt quem habuit diſtortæ viæ magi-
ſtrum, pateretur etiam violentum: videba-
tur auriga inſeruire, videbatur appetitibus
adulari; ſed dum blanditur lingua, inter-
ficit haſta: qui olim blandior, extitit Sau-
li in morte crudelior, & ab eodem denuda-
tus eſt corona, à quo imbutus eſt inſo-
lentia.

27. Iob de Leuiathan agens ſic ait: *De ore eius*
lampades procedunt ſicut tædæ ignis accenſæ, de
Iob.41.v.10. *naribus eius procedit fumus ſicut ollæ ſuccenſæ,*
atque feruentis. Gregorius vt erat moraliſſimus
lib. 33. in Iob cap. 16. acutè animaduertit in
lampadibus exprimi lucem, in tædis ardorem:
ab eodem ergo ore prodeunt iniquiſſima do-
cumenta, & meritiſſima fluunt ſupplicia, vt
eadem lingua, quæ improbitatem edocuit,
arrodat dente peſtifero famam, & adurat labiis
ardentiſſimis vitam. *Qui prædicant* (Grego-
Gregor. rium audis) *os vocantur; ſed de hoc ore lampa-*
des exeunt: quia mentes audientium ad amorem
perfidiæ accendunt, & vnde quaſi per ſapientiam
lucent, inde proculdubio per nequitiam concre-
mant. Tetra nequitiæ lux ſecum affert flammas,
vt ſimul audientem fallat, & falſum adurat: ab
eadem lingua, à qua fuerat improbè erudirus,
eſt voraci flamma vſtulatus: fumo improbus
doctor denigrat quidquid morum, quidquid
gloriæ, & quidquid vigebat famæ: ſæpè nam-
que accidit, vt is qui perſuaſit improbitatem,
& in cuius vti fideliſſimum pectus ſecretum
deſcendit, ad dedecus imprudenter commiſſa
effundat, & probroſa omnibus patefaciat. O
ſi audires poſt patrata crimina eos ipſos, quos
criminum paſſus es perſuaſores: ipſi ſecretum
temerant, ipſi improbitatem exaggerant, ipſi
famam exulcerant, ipſi ſæpiſſimè exprobrant,
& ſumunt conuitiis ac detractionibus pœnas
ipſarum, quas improbè perſuaſerunt culpas.

David cùm à Saule importuniſſimè quære- 28.
retur, occaſionem nactus eſt opportunam, vt
inſidiantem de medio tolleret, & tot tantaſ-
que ſibi illatas contra rationem iniurias ratio-
nabiliter vindicaret. Acceſſit quòd eius ſoda-
litium, milites ſcilicet ambitioſis ſpebus, ſi
Dauid regnaret, illecti, & iniuriis prouocati
perſuadebant excidium; at Dauid maluit per-
ſecutorem beneficiis vincere, quam ſe pœnis
inflictis in libertatem aſſerere: noluit cruentare
gratiam; ſed differre coronam, vt confunda-
ris ludicra ſæpè oblectamenta prætuliſſe gratiæ,
quando homo iuxta Dei cor gratiæ poſtpoſuit 1.Reg.24. v.8.
purpuram, & quod minus non eſt, vindictæ li-
bidinis flammam: *Confregit David viros ſuos*
ſermonibus, & non permiſit eos, vt conſurgerent
in Saul. D. Chryſoſtomus homil. 2. de Dauid Chryſoſt.
& Saul, ad inſtar Danielis mitigaſſe feras teſta-
tur: *Quemadmodum enim ille aſcendit è lacu ſu-*
peratis feris leonibus, itidem hic è lacu prodiit aliis
beſtiis longè ſæuioribus deuictis. Certè Daniel
feras deuicit eius ſaluti minitantes, & inferre
mortem cupientes; at Dauidis milites in ipſum
non deſæuiebant; imò ad ſpeciem eius inco-
lumitatem ſtudioſè curabant: quomodo ergo
dum militum ſopiuit furorem, leonum reſtin-
xit iram, vt Daniel repreſſit ferociam. O ani-
maduerte, amabo te; Dauid vri prudentiſſi-
mus quos modò audiebat ad vindictam conſi-
liarios, veritus eſt poſt vindictam carnifices,
& ne poſteà in ſe ferocientes ſuſtineret leones,
repreſſit amicos ad vindictam manum modò
exacuentes, & ad odium proritantes. Inimico
parcens euaſit leonum rictus, vt Daniel fera-
rum repulit morſus: eſſet namque Dauidi ipſe
qui modò ad cruentandas manus conſiliarius,
poſteà ad abrodendum facinus hoſtis virulen-
tiſſimus: ſunt namque ferè ſemper culparum
Doctores, & pœnarum etiam artifices. Ergo
Dauid leones repreſſit, & ne poſt conſultam
vindictam eorum dentes pateretur, Sauli pru-
dentiſſimè indulſit.

---

§. IX.

Miſerrimus eſt qui temporalium caret
vſu, & inardeſcit affectu; felix qui
caret affectu, & potitur vſu.

VAriis humanum genus aduritur peſtibus, 29.
& vrgetur appetitibus, nos nobis ipſis
concupiſcendo aduerſamur, & quæ vti felici-
tatis ambimus promptuaria: exambita fiunt in-
felicitatis vena. Miſer eſt nunquam exatiatus,
& ad acquirenda noua irrequiete ſemper an-
helus: ſemper vrgetur, qui ſemper ſitit, & ſi-
tit ſemper, qui ſe auaritiæ ardoribus tradit:
Auaritiam ſiquidem radicem eſſe omnium malo-
rum, ſcribit Caſſiodorus. 4. var. 39. *& lectio* Caſſiod.
diuina teſtatur, quæ tali ſorte punita eſt, vt cùm *Auaria ſemper eget.*
multa rapiat, ſemper egeat. Quam miſer eſt,
qui ſibi dum plus acquirit, maius incrementat
tormentum, & quo debuiſſet ſedare, inquie-
tam conſtat ſolicitudinem adaugere. *Quid eſt*
beata vita? aiebat Seneca epiſt. 98. *ſecuritas,*
& perpetua tranquillitas. Hanc dabit animi ma- Seneca.
gnitudo, dabit conſtantia benè iudicati tenax ad

hoc quomodò peruenitur, ſi veritas tota perſpecta eſt, ſi ſeruatus eſt in rebus agendis ordo, modus, decor, & innoxia voluntas, aut benigna, intenta rationi, nec vnquam ab illa recedens. Dum homo cupiditati indulget, à tranquillitate recedit: nullus tranquillè poteſt viuere, niſi qui virtute & ex ea naſcentibus contentus eſt; verùm ſi externis abundauit, non eſt miſerrimus, etſi ambitionis vitio nequiuerit eſſe tranquillus; at illum infeliciſſimum puta quem durus cupiditatis affectus vrget, & ex indigentia bonorum premit: nil habet tunc, quo molliat, leniatque tormentum, & fortunatit ſtatum. Vt eſt felix qui diuitiis copioſus, ambitione inuenitur nudus, ita infelix eſt, qui inuenitur diuitiis nudus, & inſanis cupiditatum æſtibus inflammatus. Ecce Iſraëlitæ hoc tormento premuntur, dum figmenta vaniſſima idolorum ſectantur: *Fecerunt*, inquit, *filij Iſraël malum in conſpectu Domini, qui tradidit illos in manu Madian ſeptem annis, & oppreſſi ſunt valde ab eo.* Iam ſi huius oppreſſionis acerbitatem examines, inuenies campos fructuum deſiderio ſeuiſſe, & depauperatos fructibus deploraſſe: *Cùm ſeuiſſet Iſraël, aſcendebat Madian & Amalec, ceterique orientalium nationum, & apud eos figentes tentoria, ſicut erant in herbis, cuncta vaſtabant.* Satio diuitiarum prodit affectionem, Madianitarum rapacitas vaſtationis intulit cladem: ergo quo iſraëlitæ duro, ſæuoque diſcruciarentur tormento, illos Deus priuabat diuitiis, & tradebat cupiditatibus diuitiarum inſanis: & quid durius, grauiuſque tormentum, quam ardenter concupiſcere, nec

Gregor. habere? *Sæpè autem*, aiebat Gregorius hom. 19. in Ezechiel: *quod auaritia ex appetitu ſuggerit, neceſſitatem putat, & cùm minora ſufficiant, dolet maiora deeſſe, atque incautus animus quamdam quaſi neceſſitatem patitur, quam parit.* Parit ſibi auaritia tormentum, dum cupiditatis tenebris obcæcata, inſanè diſcupit non habenda, & non habet votis ardentiſſimis diſcupita. Hæc ſanè miſeria gehennæ incunabulis nata, quaſi gehennale reproborum fuerit tormentum & ſitire, & non habere. Fabuloſus ille Tantalus ardentiſſimis ſemper votis ſitiebat aquas, & cùm premeretur vrgentiſſimo affectu, fruſtrabatur vndarum lapſu: tormentum quod finxit fabula, facta nos edocuit hiſtoria.

30. Heluo ille purpuratus ſaporatis differtiſque menſis innutritus, viniſque decrepitis inebriatus, tranſlatus eſt de purpura ad flammam:
Luc. 16. v. 24 ibi leuat oculos, & conſpicatus Abrahamum obnixis votis aquæ petit guttulam, nec aſſequitur: *Ipſe clamans dixit: Pater Abraham, miſerere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* In qua

Chryſol. flamma? Certè non tam in auernit ardoribus, quam ſitis æſtibus. *Diues*, ſcribit Chryſologus ſerm. 122. *quos oculos leuat ipſi non placant iudicem; ſed inflammant: non reportans veniam; ſed reatum.* Attentius audi, quæ ſubnectit: *Et exigunt pœnarum cumulum, non ſolamen.* Cupit aquam, ſiti inardeſcit, æſtu diuexatus anhelat, & cùm ſuſtineat internam, nec gehennali minorem flammam, vndarum non adipiſcitur guttulam. Certè hoc erat pœnarum cumulus, & grauis gehennæ cruciatus. E contra felix eſt, qui noxio caret appetitu, ſufficientis copiæ præditus cenſu.

Ioannes Apoſtolus diſcipulis ſuis felicitatem exoptans ita erudiebat: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt.* Non dixit: Nolite habere quæ in mundo ſunt; ſed diligere: nec enim omnes poſſunt Apoſtolica paupertate decorari; aut diuitiis non vti. Ergo vt eos ad felicitatem promoneat, cupiditatem amandat: quaſi dicat: Si Numinis benignitas, quibus honeſtè vtamini, vobis copioſas facultates largita eſt, quantumuis diuitiæ affluant, cor non apponatis; ſed quaſi alienas inſpicite: hoc enim non auferet vobis diuitiarum vſum; ſed anxietatis tormentum. In medio flumine ſitis flammis adurgetur hydropicus, exigua contentus eſt aqua ab hoc morbo prorſus alienus. Ergo ſi vrgeamini hydropica cupiditate nullæ facultates ſopient flammam, nec à vobis tollent miſeriam; at ſi repurgati improbis effectionibus nulla premamini concupiſcentia, copioſi poteſtis lucere ſine æquitatis iniuria. *Contra huius nos appetitum abundantia*, ſcribit Gregorius hom. 19. in Ezechielem, *Ioannes admonet dicens: Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt.* Subnectit: *Si æternitatem diligimus, cuncta temporalia vſu, non in affectu poſſidemus.* Affectuoſa poſſeſſio inquietat, externa ſæpè fortunat. Ergo vt fruatur homo pleno felicitatis cumulo, ſi contigerit poſſidere, diſcat non amare: quia tormentum non peperit aurum; ſed deſiderium.

31. 1. Ioan. 2. v. 15.

Gregor.

Mortalem vitam vocauit Chryſologus, quam prodigus ille patiebatur, non fruebatur, porcos ſaginans, & porcorum cibum anhelans: *Cupiebat implere ventrem de ſiliquis; quas porci manducabant, & nemo illi dabat.* Nec fruebatur cibo, nec carebat deſiderio: *Mortalis eſt iſta vita* (verba ſunt Chryſologi ſerm. 1.) quàm erat morte plena, quando cor cupiditatis excedebat flamma, nec ſiliquarum aderat copia! Diſcruciabatur nunquam impletus, & deſideriis ſemper adimpletionis cruciatus: *Mortalis eſt iſta vita*: quæ vita? Quæ nunquam peruenit ad optata, & nunquam abiicit deſideria. 32.

Luc. 15. v. 16

Vtramque fortunam inſpiciamus optimis coloribus Danielis 5. delineatam. Inter celebres epulas, inter indigeſtas ebrietates Balthaſar conſpectis litteris obturbatur, & ignota litterarum interpretatione adurgetur: Danielem vocat, & non ſine magnificis promiſſis interpretationem ſciſcitatur: *Si vales ſcripturam legere & interpretationem eius indicare mihi, purpura veſtieris, & torquem auream circa collum tuum habebis, & tertius in regno meo Princeps eris.* Quid tunc Daniel? *Munera tua ſint tibi, & dona domus tuæ alteri da.* Ablegata omni cupiditatis ſpecie ſcripturam legit, & dubia ſoluit: *Tunc iubente rege indutus eſt Daniel purpura.* Danielem intuere feliciſſimum, regemque miſerrimum. Ecce rex fugientem ardentiſſimo deſiderio diſcupit purpuram, nec aſſequitur; Daniel purpura refulget veſtitus, & contemptu purpuræ deprædicatur magnanimus: obiectam deſpexit: *Munera tua tibi ſint*, & à ſe deſpectam purpuram induit: *Indutus eſt Daniel purpura*: non adeò fortunatus ſplenderet, ſi ambiſſet; at dum caret cupiditatis affectu, 33.

Dan. 5 v. 16.

&

Digitized by Google

& potitur vſu, adauget felicitatis gratiam, & proſperitatis fortunam. *Beatus hic Propheta.* ſcribit Theodoretus orat. 5. regi dixit: *Dona tua tibi ſint, & munus domus tuæ alteri da.* Hic beatitudinem ſuam firmauit, cùm deſpexit, & Theodor. acquiſiuit; at Balthaſar infeliciſſimus fuit, dum trepidabat amittere, nec illi fas fuit aliquomodo Hieron. retinere. *Æmulemur*, ſcribit D. Hieronymus hic, *Danielem regis dignitatem & munera contemnentem, qui abſque pretio proferens veritatem iam illo tempore præceptum Euangelicum ſequebatur.* Addit Hieronymus poſt aliqua: *Accepit autem inſigne regium torquem & purpuram.* Et ſpreuit, & habuit, vt nullo denigraretur voto, & grato purpuræ luceret incendio. Proh Balthaſarem miſerum, qui metu concuteris, qui anxiis angoribus obturbaris, & tibi ipſi incrementas tormentum, dum fugientis felicitatis refoues votum. Diſcamus hinc radicem infelicitatis præcidere: nec enim virtutem innubilat proſperæ fortunæ vſus; ſed inordinatus affectus.

34. Cùm Dominus Moyſem ad felicitatis cumulum virtutibus ſuis debitum eleuaret, duo illi Exod. 4. v. 17 ad ſpeciem ſibi aduerſantia præcepit, & virgam ſcilicet, qua creaturis omnibus imperaret, ma- Exod. 3. v. 5. nu geſtare: *Virgam quoque hanc ſume in manu tua, in qua facturus es ſigna*: & pedem terram nudatum premere: *Solue calceamentum de pedibus tuis.* Comprehenſa virga elementorum accepiſſe imperium, tradit Baſilius Seleucienſis orat. 26. *Comprehenſa virga elementis imperabat, & conſerua vox læta paſcebat Iſraël.* Itaque in virga eſt dilargitus imperium. Quæres modo, cur iuſſus ſit calceamenta abiicere, cùm olim hæc cæremonia omnium renuntiationi inſeruierit? Si nudando pedem renuntiat dignitatibus, cur geſtat virgam clementis imperaturus? Aut ſi apprehendit in virga imperium, cur deponit pedis ornatum? Vt Deus poſſit quodammodo dici, & integra felicitate potiri: pedis nuditas indicabat nuditatem affectuum, virga dominium: ergo affectu renuntiat ipſi, quod poſſidet manu, & apprehendit manu dignitatem, cui renuntiauit affectu: *Quare iuſ-* Theod. *ſus eſt Moyſes calceamentum ſoluere?* rogat Theodoretus quæſt. 7. in Exod. reſpondetque: *Dicunt nonnulli, vt ſolicitudines ſæculares abiiceret, huic mortali vitæ adhærentes.* Dei inſtar erit Moyſes, ſi fruatur creaturarum imperio, nec obſcuretur ſordidæ ambitionis fumo. Ergo calceamenta ſoluat, hoc eſt, omnem ab animo ſolicitudinem cupiditatis abiiciat, & manu gerat ſceptrum, quo felicitatis potiatur vſu, non denigretur affectu.

---

§. X.

Qui tremendis adſtant Euchariſtiæ myſteriis, non ſolùm mundentur à culpa; ſed etiam à cogitationum fallacia.

35. Ethnici, dum pro populi ſalute ſacrificium falſis Numinibus offerebant, ea puritate tractabant, vt etiam humanarum rerum ima- Seneca. gines obtegerent, & oculis denegarent; teſtatur Seneca epiſt. 97. *Quod pro populo fieri dicitur* (Sacrificium) *ſic ſubmotis extra conſpectum omnibus viris, vt picturæ quoque maſculorum animalium contegantur.* Nihil in ſacrificio illo vel pictum permittebatur brutale: ea religione, ea vigilantia, eis ritibus illa dicabatur ſolemnitas, vt picturæ obeſſent, & imagines brutorum obſtarent. Quid ergo mirum eſt, ſi ad verum Euchariſtiæ ſacrificium expetatur, quod ad inanium idolorum ſolemnia quæſi- Chryſoſt. tum legitur: *Conſideremus quibus facti ſumus digni*, aiebat Chryſoſtomus hom. 61. ad populum, *talisque cogitatio nobis irrationabilium motuum ſit correctio.* Non ſolùm qui Sacramento accedit, irrationabilibus motibus non debet parere; ſed, ne oriantur, debet curare: quod Angelus docuit Gedeonem: parauit ille carnes, paneſque azymos in ſacrificium, cumque ſupra petram ſtatuiſſet, iuſſit illum Dei Angelus ius effundere: *Tolle carnes & azymos panes, & pone ſupra petram illam, & ius deſuper funde.* Qui Deo offerre panes deſiderat hœdum peccati ſymbolum mactet: eſt namque Euchariſtiæ glorioſus triumphus occiſus hœdus; verum ſatis non eſt perfectionem ſummam ambienti, vt exuſta peccata offerat, ni ius deſuper etiam effundat: ius namque de carnibus inſtillatum teſte Ruperto lib. in Iudices cap. 9. fluxas & inanes cogitationes adumbrat: ergo qui Domino placere diſcupit, qui Euchariſtiæ ſacramento nititur honorare, quidquid in ſe feſtiuum, laſciuumque conetur occidere; imò & cogitationes ipſas igne charitatis exuſtas ſimul offerre. Audi Rupertum: *Occidi hœdum præcipit, id eſt, omnem appetitum noſtræ carnis immolari.* Subnectit: *Carnes ergo ſupra petram ponimus, cùm corpus noſtrum in Chriſti imitatione cruciamus. Ius etiam carnium deſuper* Rupert. *effundit, qui in conuerſatione Chriſti ipſas etiam carnales cogitationes exinanit: quaſi enim ius ex carne liquida petra funditur, quando mens à cogitationum carnalium fluxu vacuatur.* Non ſolùm animus purgandus eſt ab illicitis appetitibus; ſed mens à vanis etiam cogitationibus: ea puritate mens debet radiare, vt nociua omnis detergatur imago, & indecentis imaginationis caligo. Ergo Gedeon de Angeli præcepto dum panes azymos Deo offert, hœdum iugulatum apponit, & omne etiam ius prorſus effundit.

Iacobus aram conſtructurus omnes idolo- 36.
rum imagines ſepelit, & ſubter terebinthum altiſſimè infodit; non tamen contentus fuit familiam figmentis purgare; ſed inaures etiam voluit offerri: *Conuocata omni domo ſua ait: Abiicite deos alienos, qui in medio veſtri ſunt, & mundamini, ac mutate veſtimenta veſtra*: paru- Gen. 35. v. 2. erunt hero vrbanè præcipienti, & quaſi ſocio roganti: *Dederunt ergo ei omnes deos alienos, quos habebant, & inaures quæ erant in auribus eorum.* Idola meræ ſunt culpæ, inaures culparum veſtigia, & quæ antecedere, & ſubſequi ſolent delictum cogitationes: aſcenſurus igitur Dei domum, conſtructurus aram, oblaturus ſolemnem hoſtiam non minori cura infodit vaniſſima ſimulacra, ac inaures ſimulacrorum veſtigia: vt iam doceret quantam exigat puritatem altaris venerabile ſacrificium, & tremendum holocauſtum. Adeſt Chryſoſtomus apud Lippomanum: *Auferte ſiqua ſunt in vobis idola; & purificemini, & mutate ſtolas*

Digitized by Google

veſtras, & ſic ad ciuitatem pergamus, & intus & foris mundati ſimul ibitis. Non ſolum veſtium nitore puritatem declarate; ſed cum abiectione idolorum purificatis cogitationibus mentis redeamus ad Bethel. Itaque poſtquam præcepit deos alienos abiicere, mundari iterum imperauit: Abiicite, inquit, deos alienos, qui in medio veſtri ſunt, & mundamini. Et quæ maior mundities, quam deietate inquinamenta, & olim culta calcare idola? Ergo non adiiciat illud *mundamini*, quando ipſa abiectio mundities probabatur eximia, & ſanctitas puritate adornata: *Et mundamini*, adiecit: quaſi dicat: Si non eſſemus aram conſtructuri, ſatis eſſet idola abiicere, & peccata animitus abiurare; at ſacrificio acceſſuri, ad eam debemus puritatem aſpirare, vt iam apud nos non ſolùm non maneant idola; ſed nec minima idolorum phantaſmata: ipſas cogitationes expurgate, & ne exoriantur, ſolicitudine prouidete: tanta namque dignum eſt puritate hoc ſacrificium, vt quidquid humana poſſit ſolicitudo curare, minus videatur, quam fas ſit in tanti myſterij reuerentiam exhibere: *Non ſolùm veſtium nitore puritatem declarate; ſed cum abiectione idolorum purificatis cogitationibus mentis redeamus ad Bethel.*

37. Ioſias phaſe celebraturus *Statuas contriuit, ſuccidit lucos repleuitque loca eorum oſſibus mortuorum.* Itaque non ſolum mortua proiecit (4 Reg. 23. v. 14.) oſſa; ſed contriuit ſimulacra, vt non ſolùm morticinis mundaretur locus operibus; ſed (*Memoria mortis voluptates extinguit.* Stephan.) effictis etiam imaginibus: quod moribus adaptans Stephanus in allegor. Tilman. ſic ait: *Lucos ſuccidere, & replere oſſibus mortuorum eſt vitæ ſæcularis delicias exterminare per memoriam mortis: Ioſias facturus phaſe purgauit terram, & templum, & eiecit figuras idolorum: eodem modo acceſſuri ad ſacramentum corporis & ſanguinis Domini purgare debent terram id eſt carnem & templum id eſt animum, & eiicere à corde figuras idolorum, id eſt turpes imaginationes.* Non eſt culpa; imo ſæpè augetur tentaminibus his gratia, variis ſcilicet phantaſiis illudi, & imaginationibus concuti; at vt noueris qualem puritatis candorem Euchariſtiæ exigat Sacramentum, non ſolùm diligenter curandum eſt, delicias prorſus nociuas eradicare; ſed etiam deliciarum repræſentationes expungere, vt omni tranquillitate fruens animus cæleſti repleatur gaudio, excellentiorique ſacrificij potiatur fructu.

38. Duo Pharaonis ſerui ſomnia vident futurorum præſagia: obiecta eſt alteri vitis frondoſis flagellis extenſa, & vuis dulciſſimis fœcundata: huic Ioſephus felicitatem prædicit, & regiis menſis citiſſimè adſtiturum non fallaci coniectura præoſtendit: alter caniſtra contemplatur, quorum celſiori regiæ dapes ingeſtæ; verùm dum oblectatur panis viſu, obturbatur importunarum auium volatu: panem (Gen. 40. v. 16) defœdant aues non re; ſed repræſentatione phantaſiæ: *Et ego vidi ſomnium, quod tria caniſtra farinæ haberem ſuper caput meum, & in vno caniſtro, quod erat excelſius, portare me omnes cibos, qui fiunt arte piſtoria: aueſque comedere ex eo.* Huic Ioſephus regiis menſis interdicendum teſtatur; imò non ſolum interdicendum; ſed & mulctandum. Inquiramus, ſi placet, cur ad regis menſam non admittatur vnus, cùm admiſſus ſit alter. Certè ſomnia, vt non ſunt virtutis opera, ita nec inueniuntur delicta, cur ergo ſomniatæ aues panem polluunt, & magiſtrum pincernarum excludunt? Quia in auibus, reſpondebit acutè Gregorius, importunæ, turpeſque cogitationes ſignantur, & regalis menſa eximia adeò puritate miniſtros præditos amat, vt ad noſtram eruditionem obturbatum terreſtribus phantaſiis excludat. Iam auibus, quæ mentem tangunt, delectationes ſignari, tradit Gregorius libro decimo ſexto moralium capite vigeſimo, & apud Lippomanum ad Geneſis 15. *Subortæ cogitationes polluunt, & terrenarũ rerum delectationibus tangunt.* (Gregor.) Non erat aues ſomniare criminis culpa; fuit tamen nobis doctrina, vt noſcamus aues Abrahami ad inſtar abigere, nec delectationibus ſomniatis tangi. Et quidem qui eximiæ perfectionis cultores exiſtunt, aliquando regiæ menſæ ſe ſubtrahunt, ſi terrenis in ſomno cogitationibus ſunt polluti, & illuſoriis phantaſmatibus fatigari, non quod ſomnia exiſtant impedimenta; ſed quia nolunt vel ſomniis infuſcari candoris gratiam. Diſce quali debeas puritate nitere, ſi vis epulis cæleſtibus innutriri.

ſ. XI.

Peccatum comitatur ſalutis, & diuitiarum diſpendium, vt virtutem non ſemel incolumitas & aurum.

Vitium per ſe ipſum fugiendum erat; imò licet per ſe fugiendum non eſſet, ob eius 39.
conſequentias appendiceſque vitari animitus debuiſſet: vt nullus à ferri vena exigit aurum, quia contradicit natura; ita nullus mente præditus à vitio petet felicitatem, quia eius felicitati aduerſatur materia: *Tantum ſapienti ſua,* aiebat Seneca epiſt. 53. *quantum Deo ætas omnis patet: eſt aliquid, quo ſapiens antecedat Deum; ille naturæ beneficio, non ſuo ſapiens eſt. Ecce res magna habere imbecillitatem hominis ſecuritatem Dei: incredibilis vis Philoſophiæ eſt ad omnem fortuitam vim retundendam nullum telum in corpore eius ſedet, munita eſt, ſolidaque.* (Caietan. *Virtus ſemper ſolida & munita eſt.*) Virtus, quam philoſophiæ nomine Stoicus intelligit, Dei affert ſecuritatem etiam imbecillo: viuit namque quantum fas eſt, Dei ad inſtar fortunatus, qui virtute lucet excultus. E contra perpetuus culpæ comes eſt anxia periculi ſolicitudo, & calamitatis inuaſio. Hebræorum populus idololatriæ ſeruiuit; ſed impunè quidem non tulit: *Fecerunt filij Iſraël malum in conſpectu Domini, qui tradidit illos in manu Madian ſeptem annis, & oppreſſi ſunt valde ab eis, feceruntque ſibi antra & ſpeluncas in montibus, & munitiſſima ad repugnandum loca.* In luſtris ferarum inſtar deliteſcere cogebantur lucifugæ, & ad omnem venti etiam ſtrepitum anxiè ſuſpecti, quia ſceleribus infuſcati: iam nulla illos diuitiarum ſolicitabat iactura: quia vrgentior diuexabat, nempe familiæ, & ſalutis ſolicitudo anxiè ſemper ſuſpenſa, & ſemper vehementer anxia. Quàm illos edocuit improbitas ſatis eſſe homini exiguum, pluraque non exegiſſe naturæ neceſſitatem, ſed cupiditatem

volu

Digitized by Google

voluptuoſam. Itaque calamitatis duris fluctibus iactabantur: quia culpam non poterat comitari ſecuritas, nec non comitari calamitas.
Hic conſequenter deſcribitur, inquit Lyra, *quarta tribulatio quæ facta fuit per reges Madian*: Ex-
Lyra. pende illud *conſequenter*: quaſi ærumna ſit culpæ conſequentia, & veti indiuiduus comes. *Ca-*
Tertullian. *tera*, aiebat Tertullianus in apolog capite 15.
Voluptas per Numinum dedecus quæritur. *laſciuia ingenia etiam voluptatibus veſtris per deorum dedecus operantur, deſpicite Lentulorum,* &c. *Et Dianam flagellatam.* Diana ſi voluptatibus delinita eſt, etiam flagellis doluit proſciſſa: nec enim diſtare potuit à voluptate flagellum, & à diuitiarum inſania probrum.
Lactan. Quàm bene aiebat Lactantius lib. 1. cap. 21. irridens idolorum cultores, vt qui ſcilicet grauiora paterentur ab idolis officioſiſſimè allectis, quam ab aduerſariis truculenter iratis. *O dementiam inſanabilem! Quid illis iſti dij amplius facere poſſent, ſi eſſent iratiſſimi, quam faciunt propitij, cum ſuos cultores parricidiis inquinant, orbitatibus mactant, humanis ſenſibus ſpoliant.* Vitia plus propitia nocent, quàm irata: quid enim Iſraëlita durius poſſet ab hoſte pati,
Gloſſa. quam compulſus eſt ab iniquitate ſuſtinere? Gloſſa Moralis Madian interpretatur iniquitatem: *Madian interpretatur iniquitas.* Ecce in vnum coëunt & vaſtitas & iniquitas: Madian
Chryſoſt. dum ab ipſis innutritur, illorum eſt nocentiſſima peſtis, & truculentiſſimus hoſtis Chryſo-
Hieron. ſtomus hom. 5. ad populum, & Hieronymus de regul. monachor. aiebant: *Quantum boni virtus habeat, vitia demonſtrant, clariuſque ſit lumen comparatione tenebrarum.* Quanta ſecum bona virtus afferat, interpretatur clarè malitia, dum parit luctuoſiſſima detrimenta.

40. Apoſtoli, qui à Domino receſſerant, tenebrarum patrocinijs recti ad mare contendunt, & retia fluctibus tradunt: infortunes nudique laborant ſpebus prorſus deluſi, & laboribus
Ioan.21.v.5 diuexati: *Pueri nunquid pulmentarium habetis?* rogat eos Dominus: *Reſponderunt ei: Non*: iubet in dexteram nauigij iactari rete, obediunt, & iam ea confluit piſcium multitudo, vt præ copia trahere non valuerint: *Miſerunt ergo, & iam non valebant illud trahere præ multitudine piſcium*: Petrus Chryſto accedit, & rete trahit: *Tunica ſuccinxit ſe (erat enim nudus) & miſit ſe in mare.* Ecce in naui erat nudus, ad Chriſtum properat iam ornatus: nec enim diſtans pote-
Stephan. rat non pati nuditatem, nec iam propinquans carere veſte: Stephanus in allegor. Tilmani ad caput 6. Oſee piſcium numerum ſic virtuti accommodat: *Hoc eſt quod Petrus traxit rete plenum centum quinquaginta tribus piſcibus: ternarius ad incipientes, qui fidem habent Trinitatis: quinquagenarius ad proficientes, ſiue iuſtos, centenarius, ad perfectos.* Itaque rete diuitiarum copia exundabat, & quamuis totum fuerit adſcriptum virtuti, pro virtutis tamen gradibus, & diuitiarum etiam eſt numerus: qui plus virtutibus exornati, maiorem etiam diuitiarum partem adepti. Nec infrequens docuit experientia, quod Stephani deprædicauit doctrina: ſæpè namque dum religioſius colitur modeſtia, quia nullum patitur diſpendium ſubſtantia, diuitiarum accreſcit copia, & plus lucet copioſiſſimis facultatibus, qui plus excultis reſplendet etiam virtutibus. Addè adeò intrinſeca malignitate vitium concuti, virtutemque bonitate fulciri, vt virtus inconcuſſa; immotaque maneat fluxis in vndis, cùm vitium fluitet in duriſſimis ſaxis.

Angelus Ioanni oſtendit Babylonem illam
proſtitutionis dedecore infamem, & fallacia- 41.
rum technis odibilem: *Veni, oſtendam tibi dam-* Apoc.17.v.1
nationem meretricis magnæ, quæ ſedet ſuper aquas multas. Curioſis oculis inſpicit Euangeliſta; nec tamen videt aquas; ſed montes: *Vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam plenam nominibus blaſphemiæ, habentem capita ſeptem, & cornua decem.* Itaque beſtiam intuetur non aquam; quæ autem beſtiæ capita fuerint, interpretatur ſic Angelus: *Septem capita ſeptem montes ſunt, ſuper quos mulier ſedet*: ſe dubium ſtatim offert: ſi ſedet ſuper ſeptem montes, quomodo potuit aquis incubare; aut ſi erat aqua pro throno, quomodò inſidebat duriſſimo ſaxo? Iam reſpondit Angelus: *Beſtia, quam vidiſti, fuit, & non eſt*: quæ blaſphemiæ nominibus exundabat, ſaxorum munimenta vertit in rapidorum fluctuum naufragia: comitabatur malitiam malitiæ punitio, & ipſa ruina erat vitij conſequentia. Vides duriſſima ſaxa pro labili vnda improbis eſſe: tranſi modò ad Iſraëliticum po-
pulum, cui erat aqua pro muro teſtante Scri- Exod.14.v.22.
ptura: *Erat aqua quaſi murus a dextera eorum & læua.* Adhæc: Petrus magiſtro appropinquans in ſalo graditur, vt potuiſſet in ſolo: *Deſcendens Petrus de nauicula ambulabat ſuper aquam, vt veniret ad Ieſum.* Dum Petrus diffidentia aliquantiſper non obturbatur, illi fluctus pro ſaxò eſt, dum aliqualem incidit in culpam, iam munimentum degenerat in naufragium. Babylonia dum deluſa montium confidit conſtantia, docetur montes vndarum induiſſe ingenium feta & miſeranda experientia; at Petrus dum Chriſto appropiat, labili vndæ ipſo indit greſſu conſtantiam, & quo calcat veſtigio, ſolidat: fluctus induit montis ingenium,
dum virtuti præſtat officium. Adeſt Hierony- Hieron.
mus in cap. 2. Nahum: *Petrus, qui ante leuis pendulo greſſu calcabat vndas, poſtquam infideli-*
tate aggrauatus vorabatur a fluctibus, manu Do- Seleucienſ.
mini ſubleuatur. Dum Chriſti manus tangit, & leuat, dum culpa Petrus non defœdatur, fulcitur. Audi Baſilium Seleucienſem orat. 22. *Videamus Petrum contra fluctus audentem, & in nauicula conterritum*: Cum à Deo in naui diſtat ipſam nauem veretur vti naufragium, dum approximat, ſalum fluidum eſt ſecuriſſimum ſolum; in fluctus audet proximus, & timet in naui diſſitus. Addiderim culpæ veneficio rerum naturas immutari, ad peccatoris pœnam, virtutiſque merito in aliam faciem ad iuſti tranſire gloriam.

Sponſus inuitat Sponſam, vt foras prorum- 42.
pat, terramque mira varietate pictuратam, gratiſſimiſque floribus intueatur amœnam: *Flores* Cant.2.
apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis v.12.
aduenit: vox turturis audita eſt in terra noſtra.
Compone locum hunc cum illo Geneſis 3. vbi Gen.3.v.18.
terra ſpinis horrida, & progenitis tribulis ſugillatur obſcura: *Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ.* Et cur terra iuſſa herbam virentem producere, & florum varietate nitere, cruentas producit ſpinas, & tribulorum ingratitudines fœdas? Quia ſerpentis ſibilus ibi auditus, quia maledictionis inflicta

pœna

Digitized by Google

pœna; qui terræ ingenium inuertit culpa: dum tellus maledicto punitur, horridis ſentibus deturpatur; at dum blanda turturis vox obſequenti auri reſonat, ſpina gratiſſimum tranſit in florem, & ficus ſaporatum protrudit fructum. Quàm exundabat deliciis tellus turturis habitatio, quàm pungentibus ſpinis horrebat ſerpentis hoſpitium! Certè venenatus lucifugæ beſtiæ ſibilus telluris immutauit naturam, flores aduſſit, & in tribulos horridos vertit: ergo ne minor ſit turturis voci efficacia, tribulos
Theod. conuertit in odoriferos flores, & flores ſaporatos maturauit in fructus. *Vocem turturis*, ſcribit Theodoretus lib. 2. in Cant. *Sacroſancti Spiritus doctrinam vocat.* Addit poſt aliqua: *Mater, à qua geniti ſunt, eſt Spiritus gratia, quæ per tranſlationem turtur dicitur.* Vbi gratia, ibi fertilitas; ibi hyemis exilium, & aſpirantis leniter auræ oblectamentum, ibi dulciſſimus fructus; at vbi ſerpens, ibi horrida tribulorum ſylua, & ſpinarum ſanguinem ebibentium duriſſima copia. Maledicta terra infelicitatis fuit vena, benedicta felicitatis fuit exundantia. Qui flores fructuſque deſiderat, turturis percipiat vocem: nam ſpinas ſuſtinebit, qui ſerpentis audierit fraudem.

43. *Graue iugum ſuper filios Adam à die exitus*
Eccli. 40. v. 1. *de ventre matris eorum vſque in diem ſepulturæ in matrem omnium.* Drogo Oſtienſis de Sacramento Domin. Paſſion. notauit acutè iugum graue non premere filios Chriſti; ſed filios Adami: ait namque: *Graue iugum ſuper filios Adam.* Certè qui Chriſti iugum portant ipſa, qua humeros cruce terunt, ſuper calamitatis fluctus enatant, & leuantur; at filij Adam grauiſſimo onere, id eſt, plumbo in aquis vehementibus ſubmerguntur: nec enim potuit à filio peccati diſtare vexatio, miſeraque ſubmerſio, vt à filio gratiæ ſalus & portus. Audi Drogonem:
Drogo *Quamdiu ſum filius veteris Adam, graue iugum porto: ſi eſſem filius noui Adam, leue iugum portarem. Quod eſt iugum graue? Talentum plumbi: & quod eſt onus leue? Crux Chriſti. Illud, ſicut ſcriptum eſt, ſubmergitur in aquis vehementibus, iſtud enatat ſuper aquas.* Noui Adami filij lignum portant; ſed eo nigros & confuſos vortices tranant; at à filiis Adam graue iugum abeſſe non poteſt: quia culpa plumbum agglutinat, & humerum grauat.

---

§. XII.

Qui ob peccatum alicui ſubiicitur, eius ſæpè proximos, & amicos ſuſtinere cogetur.

44. VItium primo aſpectu, quas offert delicias, mirè auget, & quæ ſecum affert incommoda cautè regit: non vident homines tetro cupiditatis fumo obcæcati, & vaniſſimis, confictiſque ſpebus deluſi, quas ſibi aſciſcant dolorum cauſas, & ignoratas inſidias, cum voluptuoſas ad ſpeciem proſequantur inſanias: putat quis dum libidini ſeruit, mulierem, cuius conſuetudinem amat, ſe ſolummodò aliturum, nec ſecum tunc reputat, quanta opus ſit erogare eius amicis, & cognatis, & ſeruis: cohors miſerum inuadit hominem, & qui animum ſubiecerat vnius imperio, cogitur multorum inſeruire ſubſidio: *Dabo Conſularem*, aiebat Seneca epiſtol. 47. *aniculæ ſeruientem, dabo ancillulæ diuitem, oſtendam nobiliſſimos iuuenes mancipia pantomimorum*: Vt viam Conſul appetitus dementiæ ſecreto faciat, cogitur ſæpe & Seruæ, & aniculæ morem gerere, aurum- Seneca.
que erogare: nullum vitium ſine diſpendiorum catena eſt: abyſſus abyſſum inuocat, & qui initio vnica trahebatur vnda; iam multis abducitur impetitus, & iactatur miſerandus. Ecce Iſraëlita ob peccatum cogitur Madian inſeruire: *Fecerunt, inquit, filij Iſraël malum in conſpectu Domini, qui tradidit illos in manu Madian ſeptem annis*: vni Madian peccatum Iſraëlitas ſubiecit; ſed non vnum Madianitam ſuſtinuit: *Cum ſeuiſſet Iſraël*, inquit textus, *aſcendebat Madian & Amalec, cæterique orientalium nationum, & apud eos figentes tentoria, ſicut erant in herbis, cuncta vaſtabant.* Iam pungit ſcrupulus: ſi Iſraëlitæ delinquentes ſubiecerant ſe ſolummodo Madianitis, cur patiuntur Amalecitas & Orientales? Glebas duriſſimas improbo labore rumpant, gelidæ hyemis niues perferant, veris ardores ſuſtineant, quo campos ſerant, & Madianitas fructibus alant; at ab Amalecitis non deuaſtentur, nec orientales fructibus tot ærumnis partis veſcantur: *Omnia*, inquit, *vaſtabant.* Opus erat Iſraëlitis cauernoſis rupibus deliteſcere, ad abditiſſimos terræ ſinus effugere, & ſumma penuria premi: quia in eam ob appetitus inſaniam calamitatem inciderant, vt non ſolum cogerentur Madianitas alere; ſed Amalecitas etiam & Orientales nutrire: ſi vni Madianitæ cibum miniſtrare cogerentur Hebræi, fors illis ad alendam vitam ſuppeteret; at dum Madianita ſecum affert Amalecitam, dum inuitat Amalecita Orientalem, inopia premitur: quia alimenta præbere plurimis cogitur: cuncta vaſtabant, omnia diripiebant: illis namque nullum aliud erat ſtudium, quam comedere, & rapere. Ergo dum Iſraël vni Madianitæ ad ſeruiendum traditur, Madianitæ ſocios & amicos ſuſtentare compellitur, vt agnoſcat ſummis calamitatibus diuexatus, quantas in diuitias ſuas peſtes armarit, quas inſanis delitans appetitibus non præuidit: *Iſti, qui hodie appellantur Arabes*, ſcribit Caietanus, *diſcurrentes in curribus cum vxo-* Caietan.
ribus & filiis, modò hic, modò illic caſtrametantes, & alienas meſſes ſecantes, &c. *aut ſimiles eis deſcribuntur: viuunt enim alienis ſudoribus.* *Alieno plures ſudore viuunt.*
Secum afferunt totam familiam, & qui putabat vni cibum Madianitæ præbendum: inuenit toti familiæ alimentum fore præſtandum. Adeſt Abulenſis quæſtione 3. *Vocan-* Abul.
tur hic cæteri de nationibus orientalibus, ſcilicet Moabitæ, Ammonitæ, Syri, Idumæi, qui erant coniuncti. Coniuncti omnes inuolant ad Iſraëlitarum diripiendas penitus fruges, & quamuis ſolum Madianitæ eius culpa Hebræum ſubiectarit, nationibus aliis, vtpote Madianitæ coniunctis inſeruire eſt compulſus, & ſuſtentare coactus. Ergo fuge vitium multa ſibi adhærentia ſecum adducens, & ad ſumptus multipliciter cogens. 45.

Prodigus ille qui ſe ingloriæ totum libidini

tra

tradidit, vni & quidem regionis primario famulaturus adhæſit: Adhæſit vni ciuium regionis illius: vni decreuerat inſeruire; ſed inuentus eſt gregem paſcere: Miſit illum in villam ſuam, vt paſceret porcos: quia ſemel iam adhæſit, facile non fuit reſilire, & quia obligationis vinculo ſe vni obſtrinxerat, gregem importuniſſimum tolerabat. Chryſologus hiſtoriam moribus adaptans ſic ſermone 1. ſcribit: *ſic inuenis, qui ſe negat patri, qui ſe committit extraneo, vt ſentiat ſeuerum iudicem, qui fugit indulgentiſſimum promiſſorem: Affectionis deſertor, pietatis refuga deputatur porcis, porcis addicitur, porcorum traditur ſeruituti.* Ad ciuem, cui adhæſit, attinebant porci: ergo ſibi adhæreſcentem ad porcos paſcendos miſit, & qui imprudentiſſimus credidit vni tantummodò obtemperandum, compulſus eſt ad gregem ſuis laboribus & moleſtiis paſcendum: famis incommodo, vitæque detrimento cibum præbere iuſſus eſt porcis: quia adhæſit primario cupiditatis catenis: quàm poſteà multiplex inuentus eſt, qui initio putabatur vnus! non vidit prodigus initio gregem; ſed vnicum ad ſpeciē ciuem; at dum adhæret ciui, inſeruire cogitur gregi. Quàm luridus fameſcebat, quam algebat nudus, quàm auerſabatur lucem lutulentus! ſuppetiſſent illi vires ad vni obtemperandum; defecerunt tamen ad tam multis dominis inſeruiendum. Diſce in prodigi exemplo ſimile vitare delirium, nec putes te vni, cui adhæres, tantummodò miniſtraturum; ſed præuide apertis oculis gregem, cui tibi opus erit paſtum præbere, & ſiliquas miniſtrare.

46. Spiritus nequam, etſi ſemel abactus, ad hoſpitium rediuit antiquum, inuenitque ſcopis mundatum & ornatum: *Cùm venerit, inuenit eam ſcopis mundatam, & ornatam.* Vni dæmoni præparabatur hoſpitium, ornabaturque diuerſorium: quid? *Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi.* Miſer homo veſania illuſus, & delirio cæcus præparauit hoſpitium dæmoni vni: nec enim decreuerat plures admittere aut multos alere; verùm inuitatus dæmon ſeptem alios ſibi affines, amicoſque attulit: & quia miſerrimus primum illum nolebat abjicere, alios ſeptem compulſus fuit ſuſtinere: non res, vt putabat, ceſſit; imò differentiùs multò quàm putabat: arbitratus eſt ſatis eſſe, ſi vni dæmoni diuerſorium præparat, & variis ornamentis cultum offerret; at paſſus eſt octo hoſpites, qui promiſerat ſibi deluſus vnum: *Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi.* Quando tunc? Cùm domum vni ſcopis mundauit, & ornauit: *Inuenit ſcopis mundatam & ornatam.* Non eſt facile omnes vitij conſequentias præcidere, & appendices auferre: affert ſecum plura, nec prouiſa, nec cogitata, & cogitur multis laboribus premi, qui arbitrabatur ſubieciſſe ſe exiguis. Adeſt Ambroſius apud D. Thomam: *Merito ad eum ſpiritus redibat immundus adducens ſecum ſeptem ſpiritus nequiores.* Addit: Vt nobis multiplicatur ſeptiformis ſpiritus gratia, ita illis immundorum ſpirituum omnis cumulatur iniuria. Plus quam quæſiuit ad appetitum, inuenit miſer ad detrimentum: multos hoſpitio recepit, dum vni ornauit. Secum ille attulit conuiuas, amicos, cognatos, nec ſe potuit negare cognatis, qui ſe non denegauerat vitiis: multiplicatur iniuria, & accreſcunt improuiſa diſpendia: *Immundorum ſpirituum omnis cumulatur iniuria.*

47. Chriſtus Dominus, qui ingreſſus mundum peccatoris ſine peccato perſonam induit, Lucæ 15. myſticam nobis parabolam refert. Agebat paſtor centum oues, quarum vna picturatis florum varietate campis deluſa, & vitæ licentioris deſiderio inflammata ab aliarum ſocietate deſciuit, & campis latiſſimis exerrauit: hanc bonus paſtor non ſine anxio labore quæſiuit, & humeros ad portandum ſubiecit: *Vadit ad illam, quæ perierat, donec inueniat eam, & cùm inuenerit eam, ponit in humeros ſuos gaudens.* Confer locum hunc cum illo Matthæi cap. 15. vbi Chananæa mulier ad Chriſtum inuolat, vt impetret filiæ medelam, chorus Apoſtolorum interceſſor accedit, cui Dominus: *Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael.* Alibi ad vnicam quærendam ouem ſe iuiſſe teſtatur, hic multas oues expreſſit: *Vadit*, aiebat illic, *ad illam quæ perierat*: & hic, *Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt.* Si vna, quomodo multiplex? Et ſi multiplex, quomodo vna? Latet in vtroque arcanum ad noſtram eruditionem myſterium: ad oues miſſus eſt, quia litteraliter in genere omnes continebantur, & quod alibi expreſſit numero, expreſſit alibi generis etiam vocabulo, verùm ad noſtram eruditionem alibi vnam dixit, & multas alibi expreſſit, vt noſcas ſubjiciendum humerum multis, dum ſubjicitur vni: habet ouis filium, habet & matrem: ergo non poteſt humeros non patere familiæ toti, qui diſpoſuit præbere vni: *Feciſti*, aiebat Drogo Oſtienſis de Sacram. Domin. Paſſionis, Chriſtum alloquens, *de corpore tuo ſpeculum animæ meæ*: quaſi dicat: cùm peccatoris perſonam agis, quæ peccatori ſolent accidere, ſpeculi ad inſtar humanis oculis objicis: ergo cùm ob peccatum humeros vni oui ſubjicis, multas te portare nos educes, vt tuo æternis laudibus digno facto, agnoſcat homo quid ſuis humeris imponat damnabili ſuo: vna eſt & plures ſunt: quia multiplicantur ad humeros deterendum, peccatoremque diſcruciandum.

---

§. XIII.

Non minus aliquando virtutis fructus deperdit elationis ſuperbia, quàm libidinis ſpurcitia.

48. Effrænata libido durus aries in virtutum aedes muros, vtq; acriùs adſpirans turbo prati venuſtatem deperdit, & omnigenos redolenteſque flores excoquit, ita obſcura libidinis flamma omnem virtutum pulchritudinem adurit, & quicquid nitoris ardore peſtilenti deperdit. *In venerem ac libidinem proiectorum inhoneſta labes eſt*, inquit Seneca de breuit. vitæ capit. 6. Præmiſerat Stoicus: *Iſta vitia nullum non ſæculum deuorarunt.* Alia quidem ſcelera virtutes obſcurant; omnes tamen veluti manufacta non opprimunt; at effrænis luxuriæ inſania ſic vir-

tutes

Chryſol. — Luc. 11. v. 25 — Ambroſ. — Luc. 15. v. 4. — Matth. 15. v. 24. — Drogo. — Seneca. *Libido omnia deuorat.*

tutes omnes deteſtabili auiditate deuorat, vt nonnunquam nec veſtigia honeſtatis relinquat: Chryſol. *Exenit patria*, aiebat de prodigo illo Chryſologus ſerm. 1. *expoliauit fama, exuit caſtitate, quod vitæ, quod morum, quod pietatis, quod libertatis, quod eſt gloria, nihil reliquit.* Itaque virtutum omnium naufragium libido eſt; verùm non leuior peſtis tumoris veſania, & præſumptionis immeratæ ſuperbia. Superbus cunctis odioſus, ſibi inimicus, in virtutes temerarius, in Deum eſt impius. Quidquid morum, quidquid honeſtatis depaſcit, & arrogantiæ veſtigio deterit. Ecce Dei populus nihil ad vitam pertinens frui permittitur; ſed omnibus honeſtis fructibus denudatur. Quod ſi rationem inquiras, à Madianitis, Amalecitis, & nationibus orientalibus opprimi inuenies: *Cùm ſeuiſſet Iſrael, aſcendebat Madian, & Amalec, cæterique orientalium nationum, & apud eos figentes tentoria, ſicut erant in herbis, cuncta vaſtabant vſque ad introitum Gazæ, nihilque omnino ad vitam pertinens relinquebant in Iſrael, non oues, non boues, non aſinos.* Hugo. Hugo Cardinalis ad mores hiſtoriam aptans ſic ait: *Per Madian ſignificantur dæmones de auaritia tentantes: per Amalec ſignificantur dæmones qui tentant de luxuria, per nationes orientales ſignificantur dæmones, qui de ſuperbia tentant.* Ecce adhuc Madianita aſcendente non omnia deuaſtantur quouſque Amalecitam aſciſcit; imò adhuc Madianita Amalecitaque vniti ſibi non fidunt, donec orientalis inuolat; at dum orientali innutrita luce ſuperbia aduentat, iam nec alterius vitij expectatur ſuffragium, nec alicuius fructus remanet leue veſtigium: vbi ſuperbia acceſſit, fruges omnimodo deuorauit: eſt enim tumor rationis inſania, diſcurſus nebula, prudentiæ delirium, virtutis naufragium, gehennæ fundamentum, & quidquid alijs in vitiis inuenitur diſperſum, in ſuperbia contra virtutes militat adunatum. Ergo ſi anhelas honeſtatis fructibus exornari, vti carnis ſpurcitiam, fuge elationis ſuperbiam: nam ſuperbia non minus aduerſatur fructibus quam luxuria.

49. Iſa.7.v.18. *In die illa*, aiebat Iſaias, *ſibilabit Dominus muſcæ, quæ eſt in extremo fluminum terræ Ægypti, & api, quæ eſt in terra Aſſur.* Profectò rationi congruum videbatur blando demulcentique ſibilo muſcam adducere, & ab ſpurcitiis extrahere: ad aliis vitiis infectos auocandos ſatis eſt vox depreſſior, ad luxurioſos opus eſt grandiori ſibilo. Verùm quid neceſſum eſt muſcæ apem æquiparare, quarum adeò contraria ſunt inſtituta, & diuerſiſſima ingenia. Muſca ſuauitatem deperdit vnguenti; & apis fragrantia producit mella, & oblectamenta ſuauiſſima: ergo apem diſtinguat à muſca ne iniuriam fecerit, ſi vocante ſibilo æquiparauerit. Iam Iſaac difficultati reſponderit: *Api*, inquit, *quæ eſt in terra Aſſur*, id eſt non cuilibet, ſed elatione inflatæ, & ſuperbia turgidæ: hæc ergo apis, quantumuis virgo ſit mella non producet; ſed muſcæ ad inſtar deperdet. Adeſt Drogo Oſtienſis de ſacrament. Domin. Paſſion. *Apis virgo eſt; ſed quamdiu eſt in terra Aſſur, hoc eſt elationis, mel non poteſt operari: ſola enim repromiſſionis terra lacte & melle fluit: ſibilante ergo gratia muſca & apis conueniunt; & ſimul requieſcunt in torrentibus vallium. In illis torrenti-* Drogo. *bus & apis de ſuperbia, & muſca de luxuria ſordibus emunguntur.* Apis virginitate floret, componit dulciſſimos fauos; at dum de ipſis operibus intumeſcit, opera tumore conſumit: defatigatur ſolùm ad laborem, nec labore meretur laudem; imò quos oblectare poſſet mellis dulcedine, ſuperbiæ irritare ſolet tumore: omnium ſibi conciliat ſupercilia turgidus & vaniſſimus: profectò luxuriæ deditus ſibi nocet, nec virtutes florere ſinit; at elatus non ſibi tantum eſt nociuus; ſed cæteris omnibus valde odioſus: auerſantur namque homines ſuperbientem, & tumore immerato inſanum, & quis ab inſano non timeat, & ſibi prudenter caueat!

Fœminam alioqui nobilem, quondamque pudore illuſtrem ſic aliarum corruperunt conſortia, & deprauarunt exempla, vt omni pudore reiecto nec publicum vitaret, nec ſugillantes intuentium oculos erubeſceret: criminis præmium tulit nuditatem, ignominiam, & plagam: nam dum imprudens geſtit pluribus inſeruire inuenta eſt plures offendere, proprio ſanguine conculcata volutabatur miſerabilis & odibilis: *Et poſt omnes abominationes tuas & fornicationes non es recordata dierum adoleſcentiæ tuæ, quando eras nuda & confuſione plena, conculcata in ſanguine tuo.* Ecce luxuriæ merces, libidinis præmium, nudari & plagis acceptis ſemiuiuam relinqui. Tranſi modò ad Lucæ decimum caput, vbi quidam à Ieruſalem in Iericho deſcendens incidit in latrones adeò ſæuos, vt plagis viatorem oppleuerint, & diuitiis omnibus denudauerint. Homo quidam deſcendebat ab Ieruſalem in Iericho, & incidit in latrones, qui etiam deſpoliauerunt eum, & plagis impoſitis abierunt ſemiuiuo relicto. Rupertus libro 8. in Geneſ. capite primo cenſet viatorem fuiſſe Adamum, vulneraque à ſuperbia & tumore accepiſſe: *Niſi deſcenderet, non incidiſſet: quia videlicet niſi mente ſuperbiret, dati præcepti præuaricationem non incurriſſet: deſcendebat, quia mente tumebat: tumore namque aſcendere veraciter deſcendere eſt: quia videlicet vbi mens eleuatur, ipſa eleuatione deijcitur.* Itaque ſimili calamitate feritur & mulier libidinis cauſas procurans, & homo ſuperbiæ delicto mandatum temerans: hic nudatur vulneraturque, illa etiam depauperatur, & vulneribus oppletur. Cauſæ diuerſæ; ſed effectus idem; vt noueris non minus militare in virtutes ſuperbiæ tumorem, quàm fœtorem libidinis. 50. Ezech.16. v.22. Rupert. Superbia aſcenſus deſcenſus eſt.

Succedat ſibi Ezechiel, qui de aquila illa varietate ad ſpeciem pulchra, & pulchritudine varia agens ſic aiebat: *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis, & varietate venit ad Libanum, & tulit medullam cedri, ſummitatem frondium eius auulſit.* Cedrus nudatur frondibus, internaque emedullatur virtute. Iam in aquila ſuperbiam intelligi, tradit Oſtienſis Drogo vbi ſupra: *Aquila*, inquit, *propter nimiam naturæ ſpiritualis perſpicaciam, grandis propter ſuperbiæ altitudinem.* Vbi ſuperbia imperit, cedrus innato exucca vigore marcet: frondibus diſpoliatur, & quæ alias natura imputribilis, dum ſuperbiam nutrit, quidquid boni odoris & pulchritudinis perdit. Nihil reliquit ſuperbia; imò incorruptionem ipſam, qua cedrus æternabatur, in corruptionem artificio tumoris vertit, & ipſis dotibus impro- 51. Ezec.17. v.3. Drogo.

improbè adulteratis plantam fœdauit. Summis frondibus paſcitur,& medulla interna innutritur: nec enim ſuperbia ima petit, vt perdat; ſed altiſſima, pulcherrimaque, vt corrumpat. Addo aliquando facilius admittere medicamina luxurioſum,quàm tumidum.

52 Adſunt huius veritatis teſtes duo illi degeneres optimi parentis filij: prodigus appetitu delirans de ciue tranſiuit in peregrinum,de filio in mercenarium, de libero in ſeruum, in egenum de diuite: cœnoſo pecori inſeruiebat pietatis refuga,& proſapiæ nobiliſſimæ nota: tandem ipſa calamitatis tempeſtate ductus in portum agnouit quàm fuiſſet miſerum lares paternos reliquiſſe, & inſanias cupiditatis amaſſe: & paternis oculis reſtitutus dolere cœpit vitæ anterioris errata, & cordis triſtitudinem veri Luc. 15. v. 21 interpretes prodiderunt lamenta: *Pater peccaui in cælum & coram te,iam non ſum dignus vocari filius tuus.* Vides Adoleſcentem patris pietatem laudantem, & ineptias ſuas ſeuerè carpentem. Chryſol. Audi quid frater maior effutiat: *Ecce tot annis ſeruio tibi, & nunquam mandatum tuum præterii,& nunquam dediſti mihi hædum.* Senior patris etiam charitatem ſugillat, nec vult diſfertis menſis adeſſe: quia credit ſe maiora meruiſſe,& patris erga ſe obſequia longiſſimè meritis ſuperaſſe: *Indignatus nolebat introire.* Foris remanſit ſenior,ingreſſus eſt iunior: hic faſſus eſt anterioris vitæ errata,oſtentauit ille merita. Iam ſi quæras quo crimine maior ſit defœdatus, reſpondet Chryſologus ſerm.6. fuiſſe tumorem: *Iudæus loquitur, & non facientis verba ſunt; ſed tumentis.* Sanctitatis ſtola ornauit nudum, honeſtauit libidine defœdatum;at tumor inflatiſſimus, dum nullum in ſe recognoſcit erratum;dum in ipſo pientiſſimo parente charitatis ſugillat obſequium,extra domum manet excluſus,& exulat patris conſpectu priuatus.

---

§. XIV.

Vnio ſiue ad bonum, ſiue ad malum ferè inuictas ſortitur vires, & aduerſariorum eludit artes.

53. CONcordia laudabilis eſt diabolicæ aſtutiæ incantamentum, & ſalutis armamentarium: fugit diabolus pace vnitos, & honeſta vnione obarmatos. *Fugiat conſpectum veſtrum,* Tertull. *Pax diaboli bellum eſt.* aiebat Tertullianus ad martyres cap.1. *& in ima ſua deliteſcat contractus & torpens, tamquam coluber excantatus,aut effumigatus: nec illi tam benè ſit in ſuo regno, vt vos committat; ſed inueniat munitos, & concordia armatos: quia pax veſtra bellum illi eſt.* Artes colubri fruſtrat multorum vnio, & qui aſtutia valuit in Euam veluti effumigatus torpeſcit, & in orbem contractus timet concordiam nec mirum eludat vnio multiplices veternoſi fraudulentiſſimique ſerpentis artes,quando,ſi fas eſt dicere,& diuinas ad noſtram eruditionem fatigat vires. Sæpè vniti, & improba concordia ligati tantum hoſtibus faceſſiere negotij,vt qui immortali lauro, certamine celeberrimo coronatus benè ſecum actum putet, ſi poſſit concordis malitiæ elidere adſultus. Ecce Iſraël obſcura in antra ſe recipit, & improbo labore in montibus, quibus deliteſcens Madianitarum, Amalecitarumque furorem effugiat, cauernas excauat: *Fecerunt ſibi antra & ſpeluncas in montibus, & muniſſima ad repugnandum loca, cúmque ſeuiſſet Iſrael, aſcendebat Madian & Amalec, cæterique orientalium nationum, & apud eos figentes tentoria, ſicut erant in herbis, cuncta vaſtabant.* Non ſine myſterio nomen Iſrael proditur, cùm textus ad antra & ſpeluncas Hebræos aufugiſſe teſtatur. Sed expendamus,ſi placet, cur populus ob inſignem illam parentis cum Deo luctam fortitudinis nomen ſortitus ſic trepidet,ſic degeneret, vt etiam ante pugnæ conflictum inimicis conceſſerit laurum. Certè Iacob Iſraël eſt cognominatus, quia de ipſo Numine egit triumphum, & ad eius vires deprædicandas conceſſit Deus illi nominis huius elogium: *Si contra Deum,* inquit, *fortis fuiſti, quanto magis contra homines præualebis.* Si ergo nomen arcanam de Numine promittit victoriam, & portendit de hominibus palmam, quomodò Hebræus ipſius vocabuli ſtimulo prouocatus non ſolum non irruit in aduerſarium; ſed nec eius audet ſuſtinere conſpectum? Quia aſcendebat Madianita cum Amalecitis, & orientali gente fœdere arctiſſimo vnitus, & damnabili concordia ligatus; adeoque inuictæ erant concordiæ vires, vt Iſraëlitæ timorem incuterent, & de victoria antiqua glorioſum nomen nota reſpergerent: *Quandoquidem fructus ſpem, quam ſegetes & ſata promittebant,* ſcribit Arias Montanus, Montan. *vaſtabundus hoſtis importuna & infenſa irruptione, & vagatione prorſus adimebat, vtpote non vnus nec rarus, nec breui impetu nocens; verùm linguis & moribus varius, turba frequentiſſimus, & nocendi auidiſſimus, nulloque metu, aut negotio ab inferendo damno prohibitus.* Subdit rationem: *Magno ad lædendum conſenſu coniunctus:* magno conſenſu coniunctos hoſtes Iſraël trepidat, & reportatam olim victoriam, ſi fas eſt dicere non innubilat. Facilius namque ad ſpeciem fuit de Numine reportare trophæum, quàm vniti hoſtis effugere adſultum: ſunt namque vnionis vires veluti omnipotentiæ æmulæ,& quodammodò robore inuictæ.

Dæmon hominis animum nactus ſepul- 54.
chris amandabat, & vitæ tempus odio rabidiſ- Marci 5. v. 8.
ſimo præſcindebat; verùm Chriſtus Dominus indulgentiſſimus miſerorum pater medelam allaturus occurrit, eius viſu ſic impuratiſſimus ſpiritus obturbatur, ſic trepidat, vt iam dura ſupplicia effugere ſolicitus ſatagat: *Quid mihi, & tibi Ieſu fili Dei Altiſſimi? Adiuro te per Deum, ne me torqueas.* Dominus qui virtutem ſuam aliis in miraculis occultabat, modò ad noſtram eruditionem oſtentat, & dæmonis nomen rogat: *Quod tibi nomen eſt?* Legionem ibi adeſſe teſtatur ea concordia,vt vnus ſit multiplex, & omnes videantur vnus: *Legio mihi nomen eſt, quia multi ſumus.* Chryſologus ſer- Chryſol.
mone 17. ſcrutatur interrogationis myſterium, reſponderque feciſſe ad dignitatem demonſtrandam, & potentiam oſtendendam: *Nomen interrogat, vt de conditione diſcutiat, iudicet de reatu,addicat de crimine, Deum ſe eſſe data ſententia perdemonſtret.* Cohortis ſuæ agmine continenerunt,adeò vniti vt non plures; ſed vniſſi-

mum indicares. Ergo data ſententia depellere erat diuinitatem ediſſerere, omnipotentiamque commendare: ſolus Dei filius triumphum de tot dæmonibus concordia vnitiſſimis reportaret, & hominem in libertatem aſſereret. Modò dæmon ſe ſcire Chriſtum Dei filium eſſe fatetur: *Fili Dei altiſſimi:* qui poſt Patris acclamationem, poſt ſacræ columbæ volatum tentator in montium receſſibus ambigebat, & ambigens explorabat: nec mirum: experiebatur namque non ſine ingenti dolore in vnitos valentem, & vnionem, etſi nequiſſimam oppugnantem: eiſque viribus conſtat ad ſe tuendum multorum vnio, vt eam oppugnare grande ſit diuinitatis teſtimonium, & omnipotentiæ argumentum: *Deum ſe eſſe data ſententia perdemonſtrat.* Adde ſic concordia dæmonem fidere, vt Chriſti Domini brachium expertus nondum deſiſtat, ſed concordiam illi opponat.

55. Lucæ 11. v.21. Lucæ 11. fortis armatus atrium ſuum cuſtodiebat, & iniqua pace occupabat: ſuperuenit eo fortior, qui diriperet prædam, & compelleret fortem in fugam: *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea, quæ poſſidet; ſi autem fortior eo ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius deſtribuet.* In fortiori ſuperuenienti Chriſtum intelligi nullus dubitat. Audi Bedam apud D.Thomam: *Atrium illius mundum vocat, qui in maligno poſitus eſt, in quo vſque ad Saluatoris aduentum potiebatur imperio: quia in cordibus infidelium ſine vlla contradictione quieſcebat; ſed fortiori potentia Chriſtus victor omnes homines liberando ipſum eiecit.* Itaque omnia dæmonis arma, potentiam ſcilicet & arcum confregit Dominus: quid putas aget iam dæmon armis nudus, & omnipotentia effugatus? Furit amens, & dum obſtinatior inſtaurare bellum contendit, ab vnione petit, quod omnipotenti opponat: *Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi.* Vniti Deum ipſum præſumunt vincere, ſi anteà dæmon compulſus eſt honeſtæ violentiæ cedere, & quamuis inſaniant amentia, ipſa illorum amentia eſſe poteſt hominibus pro doctrina: hæ ſunt vnionis vires, vt qui omnipotentiam fuerat expertus, prorſus victus, & exarmatus inſtaurare moliatur bellum, & ſibi ob vnionem promittat triumphum: Immundorum ſpirituum, aiebat Ambroſ. apud D.Thomam, omnis cumulatur iniuria. Iam creſcit de vnione audacia, de audacia malitia.

(Margin: Beda. — Ambroſ.)

56. Pſalmographus, vt Dei omnipotentiam dignis elogijs commendet, & inuictum robur demonſtret, ſic ait: *Deus conteret dentes eorum in ore ipſorum, molas leonum confringet Dominus.* Profectò mirum non eſt dentes conterat, qui potuit montes ſubuertere, & terræ ſoliditatem concutere: nonne ſatius eſſet ad omnipotentiæ elogium referre cælum verbo firmatum, telluris pondus ſola voluntate fulcitum, quàm dentes in ore fractos: *Deus*, inquit, *conteret dentes eorum in ore ipſorum.* Profectò dentes in ore amica concordia vniuntur, & vnione muniti obarmantur. Ergo in ore dentes confringere erat de vnione triumphare: quod adeò grande fortitudinis eſt elogium, vt maluerit Pſaltes vnitos dentes fractos oſtendere, quàm montes trepidantes concuſſionibus prædicare. *Per dentes*, inquit Euthymius, *pernicioſas ac validas eorum vires intelligit, & expoſitas ad patranda ſcelera, & cum dentium meminit, ipſum etiam os addidit, quo complectendi, atque comprehendendi facultas indicatur.* Vna eademque facultas illos comprehendit, & vnit: ergo diſſipare ac vincere vnitos erat dignum omnipotentiæ trophæum, & ſæculis decantandum elogium. Adde pertinacem duritiem, & duriſſimam pertinaciam, etſi aliquando reluctatæ fuerint omnipotentiæ, ab vnione vinci, mitéque triumphari. Itaque aliquando cùm ad noſtram eruditionem os improbitati non occluſerit omnipotentia, humana occluſit concordia.

(Margin: Pſal. 57. v. 7. — Euthym.)

57. Chriſtus Dominus mortis infernique detriumphator aſcendit; ſed cum malitia debuiſſet victa quieſcere, inſaniùs delirans aggreſſa eſt veritatem temeritate oppugnare. Ab Apoſtolis mentiuntur furtum, quod de morte erat trophæum: *Dicite quia diſcipuli eius nocte venerunt, & furati ſunt eum.* Iam tota inferni erat compago diſciſſa, iam lex mortis lugebat abolita, iam natura tota reſplendebat innouata; ſed cùm agnoſcerent vomentia mortuos redemptorem ſepulchra, ſaxis duriora nitebantur veritatem mendacijs innubilare peruerſa æmulationis ingenia. Quid tunc? Petrus & Ioannes aſcendunt templum, & in nomine Ieſu Chriſti Nazareni claudum conſolidant prodeunte ab vtroque gratia, & miraculum perpetrante concordia: *Reſpice in nos, In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge & ambula.* Baſilius Seleucienſis Apoſtolos ait produxiſſe pedes in aciem contra mendaces linguas, oraque iniquitati occluſiſſe, & reſurrectionem Domini euidenti miraculo demonſtraſſe: *Reſurrectionis ſimulacrum*, inquit oratione 21. *procudit claudum conſolidando, contraque mendaces linguas pedes veritatis indices produxit in aciem.* Iam productis pedibus ſunt deuicti, qui in ipſa reſurrectionis luce pertinaciter caligauerant cæci. Et quid potuit væſaniæ tementatem compeſcere, & rabidam maledicentiam frænare? Apoſtolorum ſanè concordia. Adeſt Baſilius: *Communis ſiquidem cum vtroque miraculi effectio, ex vtroque curationis profecta eſt gratia.* Petrus Ioanneſque ita vniti reſplendebant concordia, & concordes pace, vt idem miraculum vna voce manuque patrarint. Ergo qui adhuc reſplendenti reſurrectionis luce claudebant oculos, vnioni hoſtes dedere manus: non potuerunt reſiſtere; ſed coacti ſunt iniquitatem ſilentio premere, & inuidiam deuorare. Ergo qui talia de pace concordiaque audis eloquia, & intueris trophæa, noli pacem rumpere, nec honeſtæ concordiæ bellum inferre.

(Margin: Matth. 28. v. 13. — Actor. 3. v. 4. — Seleucienſ.)

§. XV.

Digitized by Google

§. XV.

Vulgus ſub peccati iugo gemit captiuum, ſi Eccleſiaſticus diuitiarum ſolum curet augmentum.

57. TAntò plus diuinitati Eccleſiaſticus debet, quantò à cæteris mortalibus maiora ſuſcepit: nam quid ſimile rependat Deo, qui potitur honorabili ſacerdotio? Sed licèt pro tanto munere nihil compenſari poſſit idoneè; Deo tamen aliquomodo gratia redditur; dum populus fulgere virtutibus procuratur; verùm vt magnum eſt Numinis obſequium, & Reipublicæ beneficium Eccleſiaſticus moribus formandis ſolicitè incumbens, ita præcipuum videtur dæmonis patrimonium, dilatandis prædiis, & augendis diuitiis ſolùm attendens. *Vos*, aiebat Caſſiodorus 8. variarum vigeſimaquarta: *quos iudicia venerantur, eccleſiaſticis viuite inſtitutis: magnum ſcelus eſt crimen admittere, quos nec conuerſationem decet habere ſæcularem. Profeſſio veſtra vita cæleſtis eſt: nolite ad mortalium vota humilia & errores deſcendere.* Humilia vota ſunt quæcumque occupantur euanidis, & dedicantur caducis: Eccleſiaſticorum ergo vita eſſe debet cæleſtis, vt actio reſponderit inſtituto. Adhæc aliorum profanitas nocet habenti; at clerici generalitati: nam ſi variis diſtrahatur curis, dignitatis gloriam adulterabit, & ſalutem vniuerſorum impediet: carebit populus doctrina cæleſti, & dum non habet ad virtutes irritatorem, licentiùs proruet in vitia; & auidius inuolabit ad ſcelera. Ecce dum Madianita Dei populo imperat, gemit dire oppreſſus, & omnibus ad vitam pertinentibus denudatus: *Nihil omnino ad vitam pertinens relinquebant in Iſraël, non oues, non boues, non aſinos.* Hugo Cardinalis hiſtoriam allegoricè moribus aptans ait per Madianitas auaritiæ vitium adumbrari, quod ſi Eccleſiaſticos inficiat, omnia ad populi ſalutem pertinentia deuaſtat: *Per Madian*, inquit, *ſignificantur dæmones de auaritia tentantes.* Addit: *Ad vitam pertinent virtutes, opera virtutum, doctrina viuendi: & hæc omnia deſtruere conantur dæmones in Iſrael, id eſt, in clericis, maximè Prælatis.* Vbi Eccleſiaſtici Prælati auaritia tanguntur, variis populi criminibus agitantur: iam nil ad vitam pertinens derelinquitur: quia nec ad virtutem exemplum tacita violentia cogit, nec doctrina ignorantiam depellit, nec correctio punit: *Omnia hæc conantur dæmones deſtruere in Iſrael, id eſt in clericis, maximè Prælatis.* In vno Eccleſiaſtico omnia hæc populo pereunt, dum auaritiæ tingitur vitio: quia iam ſolùm acquirendi obſequitur deſiderio.

Caſſiodor. *Profeſſio Eccleſiaſtica vita cæleſtis eſt.*

Hugo.

58. Succedat ſibi Hugo Cardinalis hiſtoriam capitis vigeſimiquinti libri quarti Regum huic inſtituto accommodans. Referamus ad noſtram eruditionem ibi relata. Nabuzardan Babylonis regis miniſter æquali ſolicitudine procurauit templi columnas ad Babylonem transferre, & agricolas, vinitoreſque relinquere: *Reliquit vinitores & agricolas, columnas autem æreas, quæ erant in templo Domini, & baſes, & mare æreum, quod erat in domo Domini confregerunt Chaldæi, & tranſtulerunt æs omne in Babylonem.* Ecce religionis fulcra, & mare maculas diluens ad Babylonem captiua ducuntur, & confracta diſſipantur, cùm viget vinearum cura, & erga excolendos agros ſolertia. Profectò ni vinitores, agrorumque cultores priùs reliquiſſet, dura adeò populum captiuitate non premeret; at verſutè aſtutus, callidéque doloſus vineis cultores, rurique agricolas deſtinauit, vt faciliùs columnas poſſet auferre, & populum durè opprimere. Iam ſi quæras, qui fuerint hi vinitores, & agricolæ, reſpondebit ſuprà laudatus Hugo Eccleſiaſticos, prælatoſque adaugendis fundis deditos, & vineis amplificandis dicatos. *Legitur quod Nabuzardan reliquit in Ieruſalem vinitores & agricolas, columnas autem æreas, quæ erant in templo Domini, tranſtulit in Babylonem; ſed hoc eſt quod cuſtodes Eccleſiæ facti ſunt vinitores & agricolæ: quia de agris & vineis eſt tota cura eorum, & illi, qui erant columnæ, iam abierunt in captiuitatem.* Religionis fulcra, columnæ virtutis ſunt Eccleſiaſticis muneribus deſtinati, qui ſi per inexplebilem auaritiam prædia dilatent, vineas augeant, diuitiarumque ſiti hydropica procurauerint incrementa, cæleſti iam deficiente eruditione, & doctrina, populorum ceruices dura vitiorum opprimunt iuga, & longa errorum ac ignorantiæ catena: gemit populus miſerè vitiorum captiuus, ſi Eccleſiaſticis officiis adſcriptus circa nutriendas vineas, & protrahenda prædia inſanierit ambitioſus. O quàm fortunata floret virtutibus gens, cuius paſtor nil aliud quàm animarum fructum ſolicitat, & extirpare vitia procurat.

4 Reg. 25. v. 12.

Hugo.

59. Vt Paulus Apoſtolatus ſui ſigna, Deique in populum liberalitatis beneficentiæque ſatis conſpicua protulerit argumenta, ſic ait ad Corinthios ſcribens: *Non quæro quæ veſtra ſunt; ſed vos: nec enim debent filij parentibus theſaurizare; ſed parentes filiis: ego autem libentiſſime impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris.* O fortunatiſſimi Corinthij, quibus Paulus magiſter contigit, cui nulla de ſubſtantia aut pompa ſolicitudo, cui pro honeſto faſtu copioſus animarum fuit fructus. Audi Bernardum libro quinto de conſideratione ad Eugenium capite ſecundo: *Fuerunt ante te, qui ſe totos ouibus paſcendis exponerent, paſtoris opere & nomine gloriantes, nihil ſibi reputantes indignum, niſi quod ſaluti ouium obuiare putarent, non quærentes quæ ſua ſunt; ſed impendentes.* Subnectit poſt pauca: *Vnus erat de ſubditis quæſtus, vna pompa, vnaque voluptas, ſi quo modo eos poſſent parare Domino plebem perfectam.* Dura ſubdit: *Vbi nunc, quæſo, conſuetudo hæc? Subiit diſſimilis valde: longè in aliud mutata ſunt ſtudia, & vtinam non in peius; cura tamen, & anxietas; & æmulatio, & ſolicitudo, fateor, perſeuerant: Tranſlata hæc, non imminuta.* Quaſi di-

2. Cor. 12. v. 14.

Bernard. *Magnus ſuperior; quæſtus ſubditorum profectus.*

cat Bernardus: Modò populus multiplici peccatorum crimine inficitur, qui olim ad virtutem comparabatur. Ratio eſt, quia Doctoribus olim anxia erat ſolicitudo erga animas, modò verſatur erga diuitias: impendebantur illi, vt vel vnicam animam lucrifacerent: modò multarum etiam animarum contemnuntur detrimenta: quia ſolùm ampliora hæreditatis cogitantur ſpatia, & auri exambiuntur lucra.

60. Giezi ad mortuum excitandum delegatus inefficax inuenitur, Eliſæus calorem frigidis refundit membris, & defunctum vitæ reſtituit: (4.Reg.4. v.31.) *Giezi præceſſerat ante eos, & poſuerat baculum ſuper faciem pueri, & non erat vox neque ſenſus.* Quærunt Patres, cur crucis virtus Eliſæi baculo figuratæ ſic in Giezi manibus elanguerit, vt demortuum puerum non excitarit? at textus dubitationi non obſcurè reſpondit, dum amplificandi vineas & oliueta ambitioſo Giezi teneri deſiderio depinxit: (4.Reg.5. v.26.) *Accepiſti argentum*, illi obiicit Eliſæus, *& accepiſti veſtes, vt emas oliueta, & vineas, & oues, & boues, & ſeruos, & ancillas:* dum prædiis adaugendis totus inardeſcit, ſuſcitandis emortuis friget: vi peccatorum puer ille iacebat extinctus, vt placet (Seleucien.) Baſilio Seleucienſi oratione decima: *Populus gentium erat ille mortuus vi peccatorum.* Non poterat depellendis peccatis incumbere, qui anxiè diſcupiebat hæreditatum terminos protelare: perfunctoriè ſatis paruit præcepto, ob idque vitam refundere nequiuit mortuo; at Eliſæus, dum huic operi totus incumbit, caliginem mortis depellit. Audi Scripturam: *Poſuit os ſuum ſuper os eius, & oculos ſuos ſuper oculos eius, & manus ſuas ſuper manus eius.* Ad quæ Baſilius: *Seipſum totum impoſuit toti corpori.* Non eſt peccatum abigere adeò facile, vt leui manu, & ſemiſopita cura queat perfici: opus eſt ad inſtaurandam peccatoris vitam totis artubus huic negotio incumbere, & totis viribus inſudare: ergo Eliſæus, dum ſe totum applicat, de mortis violentia triumphat; at Giezi dum curſim ſuſcitando puero ſolùm incumbit, & fundis amplificandis ſtudioſus intendit, nec poteſt vitam conferre, nec lepram fugere. Quàm felix ille puer fuit Eliſæum omni peſtilentis auaritiæ contagio prorſus immunem ſortitus! Quàm iacebat exanimis Giezi euanidis diſtractum cutis adeptus! vbi in ſacerdote viget auaritia, peccatorum populum voraciſſima adurit flamma.

61. Origenes, vt erat acutiſſimo ingenio, animaduertit in terra Ægypti, vbi Sacerdotes terrenis poſſeſſionibus conſtat abundaſſe, & innocentiam periiſſe: (Geneſ.47. v.20) *Emit igitur Ioſeph omnem terram Ægypti vendentibus ſingulis poſſeſſiones ſuas præ magnitudine famis, ſubiecitque eam Pharaoni, & cunctos populos eius à nouiſſimis terminis Ægypti vſque ad extremos fines eius præter terram ſacerdotum, quæ à rege tradita fuerat eis.* Vides ſolicitum Ægyptij Principis ſtudium fuiſſe Sacerdotes terrenis poſſeſſionibus diteſcere, & copioſis fructibus abundare. Tranſi modo ad Exod. 1. & impium, tyrannicumque promulgari audies edictum contra inſontes & innocentes: Quidquid maſculini ſexus natum fuerit, in flumen proiicite. Ecce Ægyptus, quæ Sacerdotibus terram concedit, innocentiam truculentiſſimè expungit: quaſi non potuerit ibi innocentia creſcere, aut viuere, vbi conſtabat terrenis Sacerdotes fundis & hæreditatibus abundare. Audi Origenem homilia decimaſexta in Geneſ. (Origen.) *Ille eſt, qui vult Sacerdotes ſuos habere poſſeſſiones terrarum, & exercere agri, non animæ culturam; ruri, & non legi operam dare.* Tales ſunt Ægypti Principes, vt quo facilius poſſint opera virtutum extinguere, geſtiant terrenas Sacerdotibus hæreditates præſtare: quaſi tunc æquitati aduerſetur ſecuriùs, cùm Sacerdos in amplificandis fundis, & excolendis ruribus occupatur ſtudioſiùs. Ergo Chriſti ſacerdotes, qui lucrandi animas exæſtuant deſiderio, ab omni abſtineant cupiditatis ſtudio: nam ſi cor cenſibus aut patrimoniis augendis dicent, nec iuſtitiam, nec innocentiam defendent.

---

§. XVI.

Nequitia dæmonis ſummo ſtudio curat virtutis ſemina opprimere: curet iuſtus in ſemine crimen delere.

VTinam ad virtutem pergerent homines 62.
vitiorum imitantes greſſus, & nobiliter adulterantes conatus: eſto ad virtutem diaboli aliquando diſcipulus, qui extitiſti toties ad fraudem, diſce ab eo pugnandi induſtriam, reſpue materiam: certat ille in virtutes mira calliditate, vigilanti ſolertia, & ſolertiſſima vigilantia: & quamuis vti ſuperbiſſimus ſuis viribus fidat, & deleturum ſe virtutes etiam conſuetudine roboratiſſimas credat; nihilominus ea furit auiditate nocendi, vt feſtinet virtutum ſemina opprimere, ne cogatur cum adulta vel ſuccreſcente pugnare. Nequiſſima dæmonis prouidentia bonum ſit exemplar ad virtutis philoſophiam, & ad honeſtam cautelam: Difficultatem vobis querelæ ſubmouemus, aiebat Caſſiodorus 5. variar. (Caſſiod. *Scelera in ipſis cunabulis reſecanda.*) decimoquinto dum in ipſis cunabulis ſcelera *reſecantur.* Facilè nondum adultum auellitur, & nondum fotum corrumpitur. Non dubium eſt, vt vitia, virtutes etiam conſuetudine roborari: & roboratas negotium impugnatori faceſſere: indurata vitia difficulter auelluntur, & dum in naturam conſuetudine tranſeunt, difficilius. *Nunquam bona fide*, aiebat Seneca epiſtola 85. vitia manſueſcunt: (Seneca. *Vitia nunquam bona fide manſueſcunt.*) deinde ſi ratio proficit, ne incipient quidem affectus: ſi inuita ratione cœperint, inuita perſeuerabunt: facilius eſt enim initia illorum prohibere, quàm impetum regere. Sæpè vel induſtrius nauclerus procellæ impetu, & fluctuum inſania abducitur, & in contrariam votis partem inuitus fertur. Sapiens vbi tempeſtatem obodoratur, ſe in portum feſtinat recipere, ne cogatur anxiis tempeſtatibus laborare. (Caſſiodor.) *Mergi*, aiebat Caſſiodorus tertio variarum quadrageſimonono: *quibus nomen eſt ex facto, cohabitatores piſcium, aquatiles volucres futuras tempeſtates naturaliter*

præſci

prauidentes ſicca petunt ſtagna derelinquunt, delphini fluctus pelagi metuentes vadoſis littoribus immorantur. Agnoſcunt cauta animalia tempeſtatis difficultatem, & feſtinant fugere, dum agnoſcunt incipere. Hoc idem à dæmone factum animaduerte: nam cùm Dominus Iſraëlitas ob varia ſcelera Madian tradiderit, ſata in ipſa herba eripere, corrumpereque inuolauit: *Sicut erant in herbis, cuncta vaſtabant vſque ad introitum Gazæ.* Hugo
Hugo. Cardinalis hiſtoriam ad mores aptans in herba virtutis ſemen & propoſitum adumbrari teſtatur, dæmoneſque ſtudioſiſſima ſolicitudine, & vigilante ſtudioſitate curare ſemper herbam vaſtare, & fructum anteuertendo tempus impedire. Audi eius verba: *In herba dicitur eſſe ſemen: quoniam opus bonum eſt in propoſito: hoc vaſtare conantur dæmones, quantum poſſunt, ne ſcilicet bonum propoſitum ad effectum perueniat.* Itaque etſi tot tantiſque viribus ſe dæmon ad virtutum perniciem cognoſcat inſtructum, iniqua nihilominus prouidentia laborat in ipſo propoſito extinguere, ne, ſi adoleſcat, ſit laborioſius labefactare: ergo diſce ab improbitate contra improbitatem inſurgere, & ſatage in ipſis cunabulis crimen delere, ne ſi excreuerit, difficilius ſit deuaſtare.

63. Oſeas hanc improbitatis ſolicitudinem
Oſee 8.v.7. depingens aiebat: *Culmus ſtans, non eſt in eo germen, non faciet farinam:* Non permittit germen aſſurgere in culmum, nec matureſcere in granum: non faciet farinam, quia non permittetur ventorum flatibus ali; ſed in ipſis ſulcis continget mori. Theodo-
Theodor. retus legit: *Manipulus non habens vires, vt faciat farinam:* quod interpretatus ſic ait: *Manipuli perceptiones ſimiles ſunt vento corruptis ſpicis, quæ vaginas extrinſecus plenas oſtendunt, frumentum verò intus non habent.* Non quieſcit improbiſſimus dæmon ſtulta confidentia ſibi promittens adultas euulſurum ſpicas, & fruges iam flauas; ſed præmaturis adſultibus fructuum tempus anteuertit, & in ipſis herbis conſumit. Frumentum intus non habent: itaque non corrupit, quod erat frumentum; ſed ne eſſet, præmatura ſolicitudine procurauit.

64. Bonus virtutis magiſter Ioſephus à vitio didicit, quod virtutibus poſteà impenderet: cum fratribus agens ſomnium retulit, quo intuebatur alios manipulos in area ceruices manipulo ſuo inclinare, & dignitatem in-
Gen 37. v.17. clinatione fateri: *Putabam nos ligare manipulos in agro, & quaſi conſurgere manipulum meum, & ſtare, veſtroſque manipulos circumſtantes adorare manipulum meum.* Dignitas tunc ſomnij tantùm penicillo erat adumbrata, & phantaſia ſolùm depicta. Quid tunc fratres? Necem meditantur, & tandem naturam cauponari puerum ſeruituri damnant, & in regiones ſatis diſſitas ablegant. Quod ſi inſaniæ iniquitas ſtudium, inuenies fuiſſe vel ſomniatæ occurrere dignitati, quo adularentur liuori: *Tunc apparebis quid illi proſint ſomnia ſua.* Quod ex-
Seleucienſ. pendens Baſilius Seleucienſis oratione octaua ſic ait: *Fratres inuidentia percuſſi turgebant, neque notam ex inſomniis pueri felicitatem ſuſtinebant; ſed & vſque ad ſomnia inuidiæ ſtimulum extendentes accepta occaſione necem meditantur.* Itaque tunc ſolùm ſomniata erat dignitas; ea tamen ſolicitudine ſtuduit liuor pueri felicitatem impedire, vt inſanierit ad fruſtranda ſomnia, vt ad poſſeſſa potuiſſet ſceptra: ne poſteà pugnare cogeretur cum ſceptro, quod facilius erat, militare voluit cum ſomnio: vel felicitatis cogitatio illos adurebat, & inuidia contra illam ad ſpeciem ludicram dignitatis cogitationem armabat. Vides malitiæ documenta; tranſi modò ad Ioſephum, & videbis his artibus honeſtius ad virtutem eruditum, & ad calamitatem armatum. Dormienti Pharaoni ſeptem ſpicæ obiiciuntur vredine percuſſæ, & prorſus medulla vacuæ: quid tunc Ioſephus? Somniatæ occurrit calamitati, & in ipſo ſomnio imminens extinguere molitur ſapienter damnum, dum immenſum horreis adaggerauit frumentum. Prouideat rex virum ſapientem, & induſtrium, & præficiat eum terræ Ægypti. Addit: *Omne frumentum ſub Pharaonis poteſtate condatur, ſeruetur que in vrbibus, & preparetur futuræ ſeptem annorum fami.* Erat tunc ſolummodo in ſomnio inopia, & tamen iam præparabatur medela: didicit Ioſeph à fratrum iniquitate hominum militare ſaluti; & quia viderat eo improbitatem agitari furore, vt impatientia flagrans non tulerit ſomniatum faſtigium, ipſe etiam non ſuſtinuit nec ſomniatum detrimentum, ne minus ipſe ſtuderet virtuti, quàm fratres improbitati: *Habes Ioſephi* Seleuc.
vitam, addit ibi Baſilius, *omnigena virtutis eruditricem.* Opportunius Lippomanus, & apud Lippoman.
Lippomanum Rupertus: *Ioſeph ſomnium interpretatur, vt temporum euentui, & myſticè intellectui ſeruiat.* Tempori futuro occurrit, & panis abundantia ſomniatam opprimit indigentiam. Rupert.

Iacob ab vtero glorioſum victoriæ tulit præſagium, & imitandum trophæum: Eſau hiſpidus, & viri peccati emblema totus horridus & ſanguineus fratri aduerſabatur; verùm Iacob plantam pedis tenebat manu, & laudabili ſupplantabat fratrem conſilio: *Plantam fratris tenebat manu, & idcirco appellauit eum Iacob:* quia cæleſti benedictione cumulatiùs frui deſiderabat, primo viri greſſui occurrere ſatagebat: non permiſit vel primum ponere veſtigium, quo ſecurius reportaret trophæum. Certè ſi Iacob paruipenderet fratris vires, ſi ſperaret poſteà facile ſupplantandum, & de hæreditate pellendum, fors nequiret vincere robore validum, & militandi experientia inſtructum: Eſau adultus Iacobi eluderet artes, aut ſaltem fatigaret vires; at dum nec primum greſſum firmare patitur, benedicendus exprimitur. Adeſt Chryſoſtomus apud Lippom. *Quaſi iam ab initio monſtraret Deus, quod prædicebatur: Maior ſeruiet minori: dicit enim: Tenebat manu calcaneum Eſau, id quod erat ſignum defatigantis eum, qui fortis videbatur.* Adſtipulatur ibi Diodorus: *Iacob Eſau fratris ſui calcaneum tenens ex vtero matris egreſſus eſt, quo facto oſtendit Deus Iacob in certamine pietatis Eſau fratre ſuo praſtantiorem fore.* In ipſa herba feſtinauit Iacob impietatem opprimere, ſi Madian feſtinat virtutem etiam in herba vaſtare.

65.
Gen 25. v.25.
Chryſoſt.
Diodor.

Digitized by Google

O ſi imitareris Iacobum , ſi nullum in te veſtigium poneret prauitas;ſed ſupplantares,eiuſque maturè eluderes votum. Numquam viſus eſt Eſau niſi oppreſſus : aliter namque Iacob lauro non ſplendeſceret coronatus. Principiis obſta : nam ſi ſemel locum tentationi permittat ignauia , non erit procliue à vitiorum liberari catena : ipſo in tentationis exordio ſolet agnoſci triumphis coronandus aut culparum vinculis opprimendus.

66. Improbi,quo remotius à virtute diſtent viam virtutis à ſe ſatagunt declinare ; imò ſemitam
Iſai. 30.v.11 prorſus auferre : *Auferte à me viam , declinate à me ſemitam , ceſſet à facie noſtra ſanctus Iſrael.* Hieronymus notitiam virtutis fugere deſideraſſe teſtatur:ſic enim criminibus addicebantur,vt delere cuperent ſcientiam,& ſuperinducere veritatis,honeſtatiſque ignorantiam.*Noli nobis*,ſcribit
Hieron. Hieronymus , *interdicere viam Ægypti , neque quæ recta ſunt,prædicer;ſed loquere quod nobis placet,vt pergamus in Ægyptum,quod cumulent peccata peccatis. Quid nobis ingeris, quod non libenter audimus ? Quid monſtras viam, per quam ingredi nolumus ? Quid frequenter ingeminas auribus noſtris: Hæc dicit Dominus ſanctus Iſraël ? Ceſſet à nobis iſta prædicatio.* Dei verbum ipſis in auribus moliuntur extinguere , ne demonſtrata virtutis via pulſet adfectum,neue honeſtas alliciat animum. Diſce ab improbis peccati ignorare viam , & primam delere ſemitam , vt illuſtriorem de vitio reportaris victoriam.

---

§. XVII.

Iniuſta rapina eſſe ſolet iuſtæ poſſeſſionis naufragium,& diuitiarum excidium.

67. Senec. *Iniurioſum eſt rapto viuere.* INiurioſum eſt , aiebat Seneca epiſtol.70. *rapto viuere.* Non ſolùm rapacitas eſt defraudato iniurioſa; ſed ipſi etiam rapienti inuenitur aduerſa : iniqua cupiditas , & ambitioſiſſima cæcitas ſæpè impingunt , & vbi deluſæ quærebant diuitiarum augmentum , imprudenter ſibi aſciſcere ſolent diuitiarum excidium. Quod rapitur , quod iniuſtè ab inualido aufertur , ad ſpeciem raptoris incrementum eſt ; ſed reapſe non ſolum conſcientiam vulnerat ; ſed etiam flammæ ad inſtar poſſeſſa deuorat : rapina eſt felicitatis venenum , iuſtæ aliàs poſſeſſionis excidium , honoris naufragium. *Nec poteſt amari rapacitas* , aiebat
Caſſiod. *Qui vult ſuam dignitatem continere, nouerit rapinam punire.*] Caſſiodorus 5.variat.15.*continenti Principi nulla redemptione placitura. Præſumenter ergo conueniat ad eum læſorum tumultus , ſperet remedium qualibet preſſus iniuria.* Preſſus iniuria clamare ſolet ad Principem , & quia rapacitas iuſto non poteſt placere , in raptores digna conſueuit ſæpè punitione ſæuire : reddere ablatum cogitur cæca cupiditas non ſemel auri iactura , & honoris etiam nota. Madian dum Iſraëlitas viribus intuetur deſtitutos , ardenter inuolat ſubſtantiam diripere , & hydropem ardentiſſimæ cupiditatis ſatiare: *Sicut erant in herbis , cuncta vaſtabant vſque ad introitum Gazæ, nihilque omnino ad vitam pertinens relinquebant in Iſraël.* Poſt improbos ſationis labores , dum iam lætarum ſegetum fœcunda ſpes arridebat , omnia Madianita voraci auiditate vaſtabat : *Ipſi & vniuerſi greges eorum veniebant cum tabernaculis ſuis, & inſtar locuſtarum vniuerſa complebant : innumera multitudo hominum & camelorum quidquid tetigerant , deuaſtantes.* Vides omne frumenti ſubſidium diripere , & à poſſeſſore violenter auferre. Tranſi modò ad cap. ſeptimum vbi miles ſomnium ſic refert commilitoni : *Videbatur mihi quaſi ſubcinericius panis ex hordeo volui, & in caſtra Madian deſcendere ; cumque perueniſſet ad tabernaculum , percuſſit illud , atque ſubuertit , & terræ funditus coæquauit.* Panis Madianitas deterit , & qui videbatur alimentum , eorum fuit felicitatis excidium. Iam quali tunc fortuna vterentur Madianitæ, textus deſcribit : *Madian & Amalec, & omnes orientales populi fuſi iacebant in valle* Iud.7.v.12.
vt locuſtarum multitudo : cameli quoque innumerabiles erant , ſicut arena , quæ iacet in littore maris. Non mirarer , ſi ferrei globuli eluctantibus flammis grandinati , & violenter æreis ex tubis exploſi caſtra adurerent , & in cineres nigros conuerterent ; at hordeaceus panis non videbatur præualens contra inuictam fortitudinem telum , nec innumeræ multitudinis diuitiarum excidium : cur ergo Gedeon ſpes audito ſomnio nutrit , & Madianita fortunam ſibi infauſtiſſimam coniicit? Iam textus explicuit. Nonne Madianita in modum locuſtarum hordeaceas triticeaſque meſſes abrodebat ? Nonne miſerorum Iſraëlitarum ſubſtantiam omnem raptor iniquiſſimus aſportabat. *Nihil omnino* , inquit , *ad vitam pertinens relinquebant in Iſrael :* ergo raptus panis , & iniuſtè ablatum frumentum fuit totius reliquæ poſſeſſionis excidium. Perit Amalecita non ferrea grandine exploſa; ſed panis ſubſtantia rapta , res ipſa poſſeſſa contra iniquum poſſeſſorem militabat , & ſubſtantiam reliquam conſumebat : habuit plurima Madianita , antequam Hebræos è terra naſcentibus diſpoliaret ; at dum iniquè aufert ingentiſſimam ſibi cladem aſciſcit. Huc voco Arias Montanum ad 6. Iudicum. *Fru-* Montan.
ctus ſpem , quam ſegetes , & ſata promittebant, vaſtabundus hoſtis importuna & infenſa irruptione , & vagatione prorſus adimebant. Ablatum , ademptumque frumentum non adeò grande fuit iniuriam patientis incommodum, vt raptoris detrimentum : pane vorato in veneno deperiit, qui antequam raperet , copioſis facultatibus fulſit.

Chriſtus Dominus , dum paſſionis tem- 68.
pore Adamum circumfert , & peccatoris perſonam agit , ſpinis diuitiarum in Scriptura , vt notum eſt , hieroglyphicis coronatur : *Plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper* Matth.27.v.29.
caput eius. Dum deteſtabili illo ſerto tempora cinguntur , membra antiquis veſtimentis nudantur : *Exuentes eum*, inquit. Eodem tempore exuitur , & tribulis coronatur. Et quid potuit remotius excogitari,quàm diuitiis fulgere , & ſimul nuditate fœdari? Nil mirum ſuſtineret nuditatis incommoda, ſi tunc non ſortiretur diuitiarum crementa ; at non benè conueniunt veſtimentis carere , & ſentibus exornari : cur ergo dum ſpinas aggerant, integumentis denudant ? Quia non poterat,inquit Drogo , non coniungi cum nuditate rapina,

Digitized by Google

rapinæ, & cum iniquitate miſeria. Nudus remanſit Adamus, dum ad vetitos ſibi fructus manum extendit, vt ab exordio conſtaret idem eſſe manum extendiſſe ad aliena, & amiſiſſe imprudenter propria. Accipe Drogonem: *Plectentes coronam de ſpinis ponunt ſuper caput eius, cùm de rapina pauperum ſpineas ei diuitias coacervantes caput eius ad regnum elationis efferunt.* Rapinas congerunt; ſed quæ promittebant felicitatis exundantiam, attulerunt nuditatis inopiam: rapina namque ignis ad inſtar omnia deuorat, & deuaſtat. Adde non ſatis eſſe non rapere, ſi quis raptores permittat. Certè rectoribus ac præſulibus æquali ſtudio curandum eſt impollutas manus habere, & miniſtrorum manus frænare: alioquin de alieno peccato miſeriam ſibi aggerant, & infelicitatem accumulant. *Inter glorioſas reipublicæ curas*, aiebat Caſſiodorus 3. variar. 20. *quas perpeti cogitatione Deo auxiliante reuoluimus, cordi noſtro eſt leuamen humilium, vt contra potentiam ſuperborum noſtræ pietatis opponatur obſtaculum, nec liceat quidquam*

Caſſiod. *Optimo regnante Principe nil licet audaciæ.* *apud nos audaciæ, cuius eſt propoſiti ſuperba calcare.* Addit: *Vt ſi præfectus vir magnificus Fauſtus ea quæ Caſtorius poſſidebat, vel titulis ingrauauit, vel priuata vſurpatione detinuit, mox ei prædium cum alio eiuſdem meriti vobis imminentibus à peruaſore reddatur, vt crudelibus damnis afflictæ pietatis noſtræ remedio conſulamus.* Optimus Princeps vigilanti ſolicitudine procurabat præfectorum manus continere: quia nonerat iniuriam à miniſtris illatam Principi adſcribi: qui prædium vnicum rapuit, duplex reddere cogitur, vt animaduertas quàm noſtra theſis ſit vera, rapinam ſcilicet eſſe iuſtè poſſeſſorum venenum, & impendioſiſſimum ac ſordidiſſimum lucrum.

69. Redeat iterum arcanum militis ſomnium: panem intuetur ex hordeo volui, & Madian

Iudic. 7. v. 13 caſtra ferire, & in fauillas conuertere: *Vidi ſomnium, & videbatur mihi quaſi ſubcineritius panis ex hordeo volui, & in caſtra Madian deſcendere: cùmque perueniſſet ad tabernaculum, percuſſit illud atque ſubuertit, & terræ funditus coæquauit.* Inquiramus, ſi placet, cur ſolùm panis Madianitarum tabernacula ſubuertat, cùm ibi non ſolùm Madianitarum; ſed Amalecitarum etiam & orientalium nationum ſtarent caſtra: ait namque textus: Madian autem & Amalec, & omnes orientales populi fuſi iacebant in valle, vt locuſtarum multitudo: ergo panis omnium caſtra euertat efficacia, & inuicta conſumat valentia: Nonne erit glorioſior triumphus omnia deuaſtare, quàm vnius Madian ſolummodò caſtra conſumere? Ergo gloriam dilatet triumphi non ſolùm Madianitas deterendo; ſed etiam reliquos deuaſtando. Ita profectò eſt factum; ſed Madian tabernacula expreſſa ſunt non ſine myſterio. Certè Madian alios vocauerat, illorumque impunitam audaciam tulerat; Iſraël namque ſolùm fuerat in Madian manibus traditus: *Tradidit illos in manu Madian.* Ergo qui vti certaminis Princeps ſecum alios adduxit & Hebræorum omnia deuaſtare permiſit, illata ab omnibus detrimenta perſoluit. Adeſt Oſtienſis Drogo huc vocatus: *A talibus rectoribus milites eorum poteſtatem accipiunt nocendi, & deuorandi pauperes, quod totum tamen redundauit in caput eius, cuius auctoritate ſe tuentur.* Amalecitæ orientaleſque nationes Madianitarum auctoritate ſe tuebantur, & illorum erant veluti ſtipendiarij milites. Ergo Madian omnia ab illis damna illata perſoluit, vt liqueat quæ à miniſtris detrimenta inferuntur, verti in eius caput, cuius auctoritate muniuntur, & obarmantur. Drogo.

Finiat theſim noſtram Caſſiodorus 12. variat. 1. *Auarus paruiſſe non creditur continentes, ſtultus prudentibus ſeruiſſe non creditur. Periclitamur fateor in actionibus veſtris, ſi vos mala intentione tractetis: quod nulli accidit veſtrum, alienum vitium, noſtrum celebratur opprobrium.* Si miniſtri Caſſiod. fœda deuenuſtentur rapina, præſul nequit non ſordeſcere raptoris nota, quando talis creditur Dominus, ac eſt ſeruus: miniſtrorum ſcelera regentis ſunt probra: quia aut electionis ſugillatur imprudentia, aut lucroſa creditur ignorátia.

---

§. XVIII.

Miſerabilis eſt, apud quem diu immorantur ſcelera, & incolæ ſunt peccata

V*itia*, aiebat Seneca de tranquillit. animæ 70.
cap. 7. *contacta nocent*: quid putas ſi diu Senec.
adæreant? Serpunt ſcelera, & flammæ ad inſtar, famæque in modum vires acquirunt graſſando, & graſſantur nouas vires acquirendo. Quoduis crimen rationis lucem infuſcat, diſcurſus rectitudinem deprauat, affectum adulterat, cui niſi obicem opportunè oppoſueris ſera pœnitentia imprudentiam otij damnabis. In ſtillicidiis humiliatur contignatio, & quod initio facilè potuit reparari ædificium ſi corruat, arduum impendioſumque admittet remedium. Scit culpa alienam poſſeſſionem ſe inuadere, & vti ſolet tyrannus, omnes vires atterit, roburque eneruat, vt imperium ſuum diutius, firminſque ſtabiliat: quæ initio erant vitia, iam natura ſunt adeò homini inuiſcerata, concarnataque, vt facilius fuerit membrum abſcindere, quàm inoritum vitium auellere. Hominis eſt deficere; ſed miſeri, & diuino auxilio deſtituti durare. Ecce Iſraëlitæ variis ſceleribus taminantur: quid tunc? Madianitis traduntur, qui non tranſitu noceant, ſed tabernacula ſua figentes quidquid ad vitam pertinens, prorſus deuaſtantes conſumant: *Apud eos figentes tentoria, ſicut erant in herbis, cuncta vaſtabant vſque ad introitum Gazæ.* Aliquid effugeret hoſtiles manus, ſi nocerent excurſu, & celeri rapiẽtes properarent volatu; at dum in modum ciuium familiam traducunt, dum tentoria figentes terram diu inhabitant, omnia deterunt, & peſtilenti diuturnitate conſumunt: *Nihil omnino*, addit textus, *ad vitam pertinens relinquebant in Iſraël, non oues, non boues, non aſinos: ipſi enim, & vniuerſi greges eorum veniebant cum tabernaculis ſuis, & inſtar locuſtarum vniuerſa complebant: innumera multitudo hominum & camelorum quidquid tetigerant, deuaſtantes.* Retulit textus tactus nocumenta: quia habitationis exprimi nequibant damna: qui ſolùm attactu omnia adurebant, quantum putas diuturna adeò cohabitatione corruperint, & vaſtauerint? *Non veloci ac temerario aliquo, breuique impetu illos irruere ſolitos ait*, ſcribit Arias Montanus; *ſed figentes tentoria, diutiuſque hærentes apud illos.* Dum diutius immorantur, adhuc

nec audire dicentem: Surgite poſtquam ſederitis. Ratio ſic vitiorum conſuetudine euigoratur, vt ferè exiincto lumine non ſplendeat: ſic conſcientia ſopitur, vt deliciis ſubornata non clamet, ſic induratur animus, vt ſimulactorum ad inſtar non ſentiat: ſic caligat oculus, vt non videat: inueteratus igitur peccator homine quodammodo exuitur, & cùm in ordine ad virtutem immedicabilis ſit impietas, non ſolùm impius, in ordine ad pœnam inuenitur ratione præditus: *Plerique luxuriam corporis nec albenti* Ambroſ. *erubuere canitie*, addit Ambroſius, *& vſque ad ſenectutis ætatem vitam produxere maculoſam: intimis enim concepta viſceribus lues culpæ proceſſu temporis coaceruatur.* Premitur adeò miſer homo ſub peccatorum faſce grauiſſimo, ad eamque miſeriam peruenit, vt nec poſſit onus ferre, nec velit excutere: ergo ſi aliquando vti fragilis delinquas caue ne ſedeas; ſed te citiſſimè expedi, & in virtutum caſtra prorumpe.

---

§. XIX.

Si auaritia inficiat Prælatos, miſerabilis vaſtitas conſumet ſubditos.

74. INter cæteras, quibus humanum genus peſtes aduritur, præcipuè eſt auaritia vitanda, quæ immeritè iactata rapitur, nec vllis iuſtitiæ ponderibus continetur. Cupidi oculus ad vniuerſa mundi nunquam ſatiatus extenditur, & ſemper ſatagit denuò rapere, & inexplebilem ſitim inutili labore conatur explere. Zacharias ab Angelo monitus egredientem amphoram armatam rapacibus miluorum vnguibus intuetur, & ad vniuerſam terram extendi illi ab Angelo Zachar. 5. v. 6. denuntiatur: *Hæc eſt amphora egrediens. Et dixit. Hæc eſt oculus eorum in vniuerſa terra.* Amphora milui alis munitur: quia rapacitas frequenter comitatur auaritiam, & auaritia iniquis plumis veſanæ cupiditatis adiuta vniuerſam peragrat terram. Adeſt Stephanus ad hunc locum in allegor. Tilman. *Sicut amphora os pa-* Stephan. *Auaritia nũquam expletur.* *tulum habet, & duas anſas, ſic auaritia non expletur; anſæ verò eius ſunt ſua retinere, rapere aliena.* Milueis alis auaritiæ munitur amphora, & clauſa conatur æquali ſtudio nihil generosè effundere, & rapta artificiosè celare. Verùm etſi auaritia ſit virtuti dehoneſtamentum, & aliorum facultati periculum; tunc præcipuè graſſatur effrænis, cùm præeminentes, & maiores obtinuit: tunc namque eſt irremediabile diuitiarum pacis ſalutis, & virtutis excidium. Ecce Dei populus Madianitis traditur: *Tradidit illos in manu Madian ſeptem annis:* Traditi omnibus fructibus denudãtur, & iniqua paupertate premũtur: Nihil omnino ad vitam pertinens relinquebant in Iſraël, non oues, non boues, non aſinos. Iam ſi quæras cur Madianitis ſubiecti omnibus ad vitam pertinentibus careant, cùm aliis traditi nec adeò luxerint oppreſſi, nec diuitiis omnibus denudati: reſpondebit Hugo Cardinalis, Madian auaritiæ vitio ſtuduiſſe, & ſic omnia ſitibunda ſemper rapacitate voraſſe: Hugo. *Per Madian ſignificantur dæmones de auaritia tentantes: auaritia enim propriè iniquitas; id eſt, inæqualitas dicitur.* Præmiſerat doctus interpres: *Madian interpretatur iniquitas, ſiue declinans iudicium.* Sub præfecto auaro adulterantur iudicia: quia pro æquitate ſunt dona: nihil eſt apud ſubiectos alicuius pretij, quod poſſidenti capTioſas non moliatur inſidias, & perſuadeat præfectis iniquas mentiri cauſas: nec ſolùm factioſis litibus impugnatur innocentia; ſed defenditur auro malitia.

75. *Ædificauit Melchias*, inquit Eſdras libro 2. cap. 3. *filius aurificis vſque ad domum Na hinæorum, & ſcuta vendentium contra portam iudicialem.* 2. Eſdræ 3. v. 30. Contra iudicialem portam inueniuntur, qui vendant ſcuta, quique muneribus peruertant iudicia. Profectò æquitas inſontes arguit, & iniquos condemnat; at qui pecuniarum exundant copia, ſibi emunt fortiſſima ſcuta, quibus & vis legum retundatur, & iuſtitia deprauetur: vbi auaritia gubernat, exulat veritas, exterminatur virtus, & quidquid ad mores pertinet, fugit. Adeſt Hugo de Foilero in allegor. Tilman. *Scuta vendunt, qui pro iuſtitia munera* Hugo. *accipiunt; ſed domum ſcuta vendentium contra portam iudicialem eſſe Scriptura dicit: illos enim qui iuſtitiam vendunt, conſcientia reprehendit, & contra portam iudicialem domus eorum poſita ſunt, quorum mens & conſcientia veritati contradicunt; hoc autem myſticè vel moraliter agitur, quoties aliquis vir Eccleſiaſticus cupiditate vincitur.* In ſontem veluti manu facta militare ſolent ab eo perpetrata furta, homicidia, adulteria, verùm, ſi aurum ſuppetat, & auaritia iudicem teneat, ſcutum emet, quo & homicidia tegantur, & adulteria inauxentur, & furta poſſideantur. Nihil eſt quod auaritia non vendat, veritatem ſupplicio tradit, & iniquitatem abſoluit. Econtra dum præfecti ſuperioreſque ab omni ſunt auaritia alieni, gaudent ſubditi tranquilliſſimè fortunati, & fortunatiſſimè diuitiis pleni.

76. Sponſus Eccleſiæ Sponſæ dilectiſſimæ eximias dotes commendans, ſic de oculis ac dentibus aiebat: *Oculi tui columbarum. Dentes tui* Cant. 4. v. 1. & 3. *ſicut greges tonſarum quæ aſcenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt inter eas.* Fœtus non referuntur tonſi, nec candidis velleribus diſpoliati, imò nitentes & opimi. Quod ſi quæras cur adeò exundent lucidiſſimis fœtibus quæ tonſæ, & ad ſpeciem depauperatæ: reſpondebit Gregorius cap. 4 in Cantic. nulla Gregor. oculos rapacitatis macula obſcurari, nulla dentes concupiſcentia teneri: *Simpliciter inter homines conuerſatur, quod ea quæ videt temporaliter concupiſcere dedignatur, & ſi quid tamen in hoc mundo placet, poſt concupiſcentias ſuas ire deteſtatur; ſed vehementer pulchrius & honeſtius eſt, quod cordis deſiderium illibatum retinere conatur, quod æternæ beatitudinis claritatem in mente retinet. Erecta contemplatur quod in his quæ interius videt, ſuauiter requieſcit & mundatur.* Dum nulla concupiſcentia ſordeſcit infecta, geminis refertur fœtibus fœcundata: non referuntur fœtus velleribus diſpoliati: quia dentes nulla inueniuntur cupidine obſcuri. Adſtipulatur Gillibertus ſermone 23. in Cantic. *Benè enim detonſæ & de lauacro aſcendunt quaſi nihil veteris vel ſarcinæ vel ſordis habentes.* Gilbert. Adamus cupiditate victus dum paradiſo præſidet, arborem denudauit, fulgebat ipſe rapta viriditate exornatus, cùm frutex ille ſorderet nudus: ergo dum Sponſæ dentes & oculi ſarcinam veteris hominis abiicientes omnem prorſus cupiditatem deponunt, paruuli agnelli vellere nitent candidiſſimo ornati, non algent nudi. Vbi auaritia ſuperiorem

periorem & præfectum non tangit, ſubiecti exundant diuitiis, & partis fruuntur copiis; at ſi hæc peſtis manus regentium inflammet, contactu adurunt, & quidquid optimum, rapiunt.

77. Iſaias ſuæ reipublicæ infelicitatem anxiis ſuſpiriis dolens & ænigmate accommodato depingens ſic aiebat: *Super quo percutiam vos vltra addentes præuaricationem: omne caput languidum, & omne cor mœrens: à planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas.* In eam calamitatem inciderat Hebræorum reſpublica, vt an poſſet duriùs premi, ad noſtram eruditionem immortalis interrogarit ſapientia, & quantumuis inflammata dubitauerit ira. In quo percutiam *vos vltra?* Quaſi dicat: Duris adeò flagellis vapulatis, vt videamini non poſſe in luctuoſius tempus venire, aut acerbiorem ſortem ſuſtinere: omnia namque membra variis infirmitatibus affligantur, & penitus abſumuntur: nec mirum quandoquidem omne caput languidum. O profundam nobis eruditionem! Profectò languor non adeò grauis videbatur infirmitas, & tamen dum capitis languor refertur, corpus omne variis morbis exeſum ac deuoratum exprimitur. *A planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas.* Ecquis hic capitis languor, cæteris membris extrema peſtis? Auaritia: nam dum hac luce inficiuntur capita, diſpereunt exeſa & arroſa corporis membra: cor mœſtitudo premit, manus debilitas, nuditas pectus, ac denique à capite languido tot tantæque in membra reliqua graſſantur peſtes, vt non videantur poſſe grauiori acerbiorique ſupplicio puniri, nec flammis ardentioribus deuaſtari: *In quo percutiam vos vltra.* Adeſt Ambroſius in Pſalm. 1. David. *Radix omnium malorum eſt auaritia, morbos excitat, dolores inſerit.* Addit poſt pauca: *Illa eſt quæ non paucorum; ſed omnium excitat ægritudines: omne caput in dolore, omne cor in mœſtitia, à pedibus vſque ad caput peccatorum vlcera: Omne caput in dolore, quando qui ſapienpientes æſtimantur, dolore cruciantur auaritiæ? ſenſus enim ſapientis in capite eius: quod referri poteſt etiam ad eccleſiæ preminentes.* Vbi capita auaritiæ languor poſſedit, peſtis graſſantiſſima inferiora membra conſumit: nil aliud videbis in toto corpore niſi iniuſtitiæ gemitus, rapacitatis iniuriam, violentiæ offenſam: exulat prorſus à corpore virtutis æquitatiſque ſalus, ſi auaritiæ morbus caput inuaſerit. Ergo nil ad vitam pertinens Iſraëlitis relinquitur, dum Madianitæ, hoc eſt cupiditati ſubiecti, & declinanti iudicium traditi.

Iſai. 1. v. 5.

Ambroſ.

78. Pſalmiſta peſtilentiæ cathedram dixit, quam nonnulli inſcenderunt: *Beatus vir,* inquit, *qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.* Itaque dum refert iuſtum à peſtilentiæ cathedra abſtinuiſſe, docet peſtilentiam ab aliquibus ſuggeſtibus emanaſſe. Et quæ hæc peſtis? ſanè auaritia. A tribunali, à ſuggeſtu, à cathedra nocentiſſima lues in proximos & ſubiectos graſſatur, ſi qui poſſedit cathedram, aut tribunal, auaritiæ peſtilenti morbo corripitur. Peſtis eſt Reipublicæ, & quidem nocentiſſima auari dignitas, præſidentis auctoritas, præfectorum ſublimitas: flammæ ad inſtar omnia conſumunt; aut ſi non largiatur poſſeſſa, poſſeſſores non ſemel duriori afficiunt iniuria. Huc voco Ambroſium ſupra laudatum: *Itaque graui odore terræ illius, ac flagitioſæ voraginis contrahitur quædam animarum peſtilentia, corruptoque ſalubrium cogitationum ſpiramine lues æſtuantium paſſionum miſeranda graſſatur. Hinc lethale ſe mentibus virus infundit, hinc ſubrepit ægritudo corporibus, languor animis: eſt enim malus languor erroris languor, auaritiæ languor:* Vt error à cathedra profluens mentes inficit, oppugnat veritatem, omnemque corrumpit virtutem; ita auaritia ſi altos eminenteſque poſſederit, lethale virus fouet, quod graſſatum omnium vites depaſcit, & omnium robur adurit.

Pſalm. 1. v. 1.

§. XX.

Calamitas eſt orationis ſchola, & oratio multorum, pœnitentium præcipuè, felicitatis eſt vena.

Erigi plus merentur, aiebat Caſſiodorus 2. var. 12. *quos ſortis ſuæ aduerſa preſſerunt.* Ipſa aduerſa condiri poſſunt in fortunata: ſi acri calamitatis flatu agitatus nouerit exanimatus non cedere; ſed erecto animo decertare: non ſit calamitas vigoris deliquium, ſed ad diuinam impetrandam opem incitamentum: pugnet de genu calamitate deiectus, & nouas reſumat vires, vt non ſolùm vindicarit illatam à dæmone iniuriam; ſed reportarit etiam victoriam: ſuccurrat nobis ipſa tempeſtas ad petendum celerius portum, ad eludendumque cura ſolertiori naufragium. Nouerimus clamare, vt poſſimus de ipſa miſeria nobis proſperitatem excudere. Non ſuſtinet Numinis pietas piis deſideriis afflictorum quid denegare, nec gratam vim paſſus nouit vnquam multorum fletui reſiſtere: *Ne eorum deſideriis abnegatis* (aiebat datus Caſſiod.) *vulnus geminetur afflictis, & quod nefas dictu eſt, qui dolorum nubila noſtra ſemper ſerenitate detergimus, nunc miſeris pias lachrymas denegare videamur.* Profectò oculos à multorum fletu cogitur Numen auertere, ſi nolit, quod exoratur, præſtare. Lachrymæ gratam vim inferunt omnipotentiæ, & flammas ſopiunt iuſtitiæ: non valet indignationis ardor in fletus: quia vnda aut prorſus extinguit, aut ſaltem impetum flammarum compeſcit. Bona eſt tempeſtas, quæ clamare cogit, vt fortunatus clamor, qui ad portum ducit. Iſraëlitæ duriſſima calamitate affliguntur, iniqua Madianitarum tyrannide oppreſſi, & omnibus ſubſidiis ad vitam pertinentibus denudati. Quid tunc? Quia recurrere nequibant ad arma, pro armis pœnitentiæ arripuerunt lamenta, & iam lamentis non ſolùm meliorem adipiſcuntur fortunam; ſed qui nuper penè attriti, celeberrimam de hoſte reportauere victoriam: *Humiliatus eſt Iſraël valde in conſpectu Madian, & clamauit ad Dominum poſtulans auxilium contra Madianitas qui miſit ad eos virum prophetam,* &c. Refertur oppreſſionis iniuria, vt plus clamoris agnoſcatur efficacia: felices qui ſunt clamare aduerſitatibus docti: quia clamoribus triumpho reſplenduerunt nobilitati. *Excitati ſentire atque dolentes demum clamare, medicumque ſuum malorum omnium expulſorem notiſſimum implorare, & appellare cœperunt,* ſcribit Arias Montanus, Felicitatibus oppleti grauiſſimum

79. Caſſiod. *Princeps nubila calamitatum detergit aſſectu.*

Caſſiod.

Digitized by Google

mum rationis letargum patiebantur; at iam variis multiplicibuſque inimicorum irruptionibus extenuari ſuam tandem agnouere miſeriam, & diuinam largis fletibus pulſarunt miſericordiam: quæ iam flentes coronare triumpho diſponit, ſi virtutis oblitos atterere ingenti clade decreuit.

80. Coruorum filij tunc à parentibus deſtituuntur, cùm plus indigebant illorum ad vitam alendam opera, & vigilanti ſolertia. Quid tunc? Ipſa inopia clamare docet, & clamor cibum
Pſal.145.v.9 cæleſtem adducit: *Qui dat iumentis eſcam ipſorum*, inquit Pſaltes, *& pullis coruorum inuocantibus eum*. Quid puras vtilius coruorum pullis? A parentibus deſtitui, aut ali? Certè ſi parentes ſolicitè illis conſulerent, cibo corruptibili innutriti creſcerent; at dum intra nidum implumes nec cibum poſſunt quærere, nec induſtria parentum viuere, clamant, & multorum clamor cælum pulſat, & iam rore cæleſti refecti, ipſo ſunt infortunio felicitati: *Proficientes pulli cor-*
Incognit. *uorum*, ſcribit Incognitus ad hunc locum, *qui ſimulacra colere videbantur parentum ſuorum, conuerſi ſunt ad Dominum*. Calamitas dum premit durior, pullorum oculos reluminat fortunatior: ſe contemplantur nudos, & à parentibus naturæ oſoribus deſtitutos: ergo ipſa calamitatis ſchola clamare docentur, & clamoribus cæleſti rore paſcuntur. *Corui*, præmiſerat Incognitus, *pullis editis prius eſcas non præbent, nec eos cibant, donec in eis pennæ creſcant, & per pennarum nigredinem ſimilitudinem proprij coloris ipſos ſuos filios agnoſcant; interim autem antequam pennas nigras habeant, pulli coruorum ſtant ore aperto, & rore cæli paſcuntur.* Qui ni deſerti, cibo corruptibili paſcerentur, ſuperno rore deſerti paſcuntur: eſtque illis fortunata miſeria, dum compellit ad clamores: quia multorum clamor, abiurantium præcipuè idola, cæleſtia citò impetrauere ſubſidia. Et quid clamantibus denegaret cæleſtis pietas, quando multorum orationis concordia grata compellit violentia? O quiſquis deſtitutus, clama: quia clamor anxius præcipuè culpas deteſtans, Numinis aures ſemper adinuenit patulas, & expertus eſt fortunatiſſimè pias.

81. Nondum ſeuerè decreuit punire, cui Dominus permiſit clamare; imò clamor ipſe Dominicæ benignitatis eſt argumentum, & proximæ felicitatis auſpicium: ille ſolùm verè miſerandus eſt, qui calamitate oppreſſus clamare non didicit: ſed infeliciter tacuit; at qui oppreſſus ærumna confugit ad opportuna lamenta non eſt tam miſerandus quàm inuidendus. Producamus huius veritatis clariſſimum teſtimonium. Diues in miſericordia Dominus tradita ſeruis diſponit exigere, & vſuræ honeſtæ rationem expoſcere: oblatus eſt quidam ſeruus ſic prodigè Domini diuitias profundens quaſi nunquam fuiſſet rationem redditurus, cùm ſupplicijs maneret ob prodigalitatem tradendus:
Matth.18. v.24. *Oblatus eſt ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta; cùm autem non haberet, vnde redderet, iuſſit eum Dominus eius venumdari, & vxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi.* Voluptatibus indulſerat, Domini ſubſtantiam comeſſationibus diſſipauerat; at dum rationem reddere cogitur, ſummis anxietatibus adurgetur: filios videt ſub haſta vendendos, vxorem dura ſeruitute premendam, ſeque in mancipiorum redactum numerum, vt iuſta ſeruitute oppreſſus ſoluere incipiat quæ indigna prodigalitate dilapidauerat, & imprudenter prodegerat. Quid tunc? Procidens ſibi tempus concedi exorat, & qui inducias ſolùm ſibi dari temporis poſtulabat, debitorum remiſſionem impetrauit, & lachrymis pluſquam ſperabat, obtinuit: *Procidens autem ſeruus ille orabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi; miſertus autem Dominus ſerui illius dimiſit eum, & debitum dimiſit ei.* Iam anguſtia liber, & ſibi creditis non ære; ſed clamore perſolutis in conſeruum incidit, à quo impatienter reculam ſibi debitam exegit, nec afflicto petentique ad ſolutionem tempus indulſit, Dominus ſeruo iraſcitur, iubetque tradi tortoribus, & puniri duris verberibus: *Iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus.* Profectò modò non ſic videbatur ira exaſperatus, vt initio indignatione commotus; prius namque non ſolum ad ſeruum; ſed etiam ad familiam totam extenderat mulctam; modò in ſeruum ſolummodo fulminauerat pœnam. Ad hæc: modò non vendi iubet; ſed verberari: initio lugebat non ſolùm diuerberandus; ſed viliſſimo pretio vendendus: ergo maiori Dominus tunc ira excanduit, & minori modò efferbuit. Et cur textus modò iratum proferat, & miſericordem initio referat? Satis dilucidè explicuit: initio minis terruit, ærumnis anxit, vt clamare compelleret: conceſſit tunc debitori lamenta: procidens namque orabat dicens: Patientiam habe in me; at modò verberibus traditur, nec vſus linguæ permittitur: non recurrit modò ad lamenta; ſed deteſtabili duritie, & ſilentio ſigillat ora: ergo modò grauiſſimam patitur iram, & immedicabilem ſubit pœnam: cùm antea in ipſo clamore iam potiretur miſericordiam. Adeſt Chryſoſtomus Chryſoſt.
apud D.Thomam: *Hoc autem non ex crudelitate iuſſit; ſed ex ineffabili affectione: vult enim eum terrere per has minas, vt ſupplicet, & non vendatur, quod & factum eſt.* Suam Deus erga hominem commendauit affectionem, cùm clamorem extorſit intentatis ſupplicijs miniſque fulminatis: nec enim volebat diù perire, cui indulgenter dedit clamare; at tunc iraſcitur, cùm linguæ non permittit vſum, & decernit graue ſupplicium. Redeat iterum Chryſoſtomus: *Non ſimpliciter dixit: tradidit eum; ſed iratus, quod non poſuit, quando iuſſit eum vendi.* Nequibat deſcribi iratus, quando ſeruo orationis relictus eſt vſus: ipſe namque lachrymoſus clamor erat debitorum ſolutio, & celerrima miſericordiæ impetratio; at vbi grandis inardeſcit indignationis flamma, orationem non fundit lingua: vt noueris infeliciſſimum eſſe, qui calamitate non edocetur orare; ſed improbo ſilentio tacere: vt econtrà felicitati eſſe proximum, qui nouit cælum pulſare continuis precibus, & vim inferre ſingultibus. Noluit Dominus Iſraëlitas conſumere; ſed ad pietatem formare: ideò etſi tradiderit Madianitis ad temporalia ſupplicia, illis non denegauit lamenta: Clamauit ad Dominum poſtulans auxilium contra Madianitas.

§. XXI.

Digitized by Google

§. XXI.

Dum in hac vita Dominus peccatum carpit, lætiorem adducere fortunam intendit.

82. Eccleſ. 7. v. 14. CONſidera opera Dei, aiebat Eccleſiaſtes *quod nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexerit.* Peccatorem arguere, & correctione frænate adfectionis argumentum eſt: vt deſpectus indicium impunita ſcelera reliquiſſe, nec fletum obiurgationibus excitaſſe. O quàm in peccatoris detrimentum peccare permittitur, & patientia toleratur. Quem diligit, caſtigat Deus: filios iugulat indulgenter, mancipia reſeruate ſolet iratè. Et quidem vulnera amorem ſæpè teſtantur, & affectionem loquuntur. Non diſtat à felicitate, qui preſſus luget angore; ille verò exulat à vera luce & lætitia, cui peccanti nulla acciderunt incommoda. Quàm diſertè Tertullianus aduerſus Gnoſtic. capite 7. *Opto occidi, vt filius fiam; ſolùm autem iugulat filios ſuos,* Sapientia filios iugulat: filius à patre punitur vtilitatis ſtudio, non indignationis odio. Non ſemel vernularum audacia, procaciaque deſpicitur, cùm in filio vel defectus leuiſſimus corrigatur: ergo Dominus, quos amat, corrigit, & dum corrigit ad lætiorem transferre ſtatum beneuolè intendit. En Hebræorum populus ingratitudinis metas transgreſſus variis criminibus ſorduit pollutus: ſeptem annos poſuit in perpetrandis delictis, quin Deus monitorem mitteret, aut carpentem delegaret: *Tradidit illos in manu Madian ſeptem annis.* Poſteà miſericordiæ memor impertiri opem calamitoſis decreuit, & iam qui illorum arguat ſcelera, prophetam mittit: *Humiliatus eſt Iſraël valde in conſpectu Madian, & clamauit ad Dominum poſtulans auxilium contra Madianitas, qui miſit ad eos virum prophetam, & locutus eſt: Hæc dicit Dominus Deus Iſraël: Ego vos feci conſcendere de Ægypto, &c. & noluiſtis audire vocem meam.* Profectò dum ignaua obliuione preſſi vitiis inſeruiebant, videbantur aſperè corrigendi, & dum afflicti clamant, ſolandi; & tamen prophetam delegat Deus, qui lachrymis & importunis precibus auxilium petentes arguat, cùm altiſſimo otio deditos, preſſoſque ignauo letargo nec monitore excitarit, nec perpetrata illis delicta obiecerit: auxilium orant, & corripientem impetrant: vt noueris in hac vita corrigi magnum adeò eſſe beneficium, vt lachrymarum fuerit partus, & diuinæ commiſerationis effectus: quo Deus Iſraëlitas tempore decreuit affligere, oblitus eſt quodammodo, qui ſcelera carperet delegare; at cùm iam compaſſione pulſatus, commiſeratione que motus tantis calamitatibus finem decreuit imponere, curauit etiam monitis delicta corrigere. Adeſt opportunè Arias Montanus: *Virum ad frequentem conuentum delegauit, qui cauſam ageret non ſingularem cuiuſpiam vel capitis vel tribus, vel illius tempeſtatis tantùm; ſed totius Iſraëlis, commemoratione acceptorum à Deo beneficiorum,* & ingrati, atque impij ipſorum erga Deum ſuum animi *& ſtudij.* Ecce populi agebat cauſam, qui prudenti obiurgatione carpebat vitia. Salute felicitateque caruerunt toto illo tempore, quo nullo frænante, nulloque prohibente permiſſi ſunt delinquere, & ſcelera nouis ſceleribus cumulare; at iam affiſit felicitas, cùm delinquentium aures indulgens ferire incepit ſeueritas: vt his exemplis eruditus lætiorem fortunam ſibi promittat quiſquis à Deo adflictatione correptus, & ſibi caueat permiſſus.

Tertullian. Sapientia filios iugulat.

Montan.

Zacharias vt populo lætiora denuntiet, correctionis flammas præmittit, quaſi ipſa per afflictiones correptio ſit fauſtum felicitatis auſpicium; imò & exordium: *Vram eos ſicut vritur argentum, & probabo eos ſicut probatur aurum: ipſe vocabit nomen meum, & ego exaudiam eum, dicam: Populus meus es: & ipſe dicet: Dominus Deus meus.* Non videntur concordare tot teneræ affectionis vocabula, & tot rigida flammarum tormenta: ſi vrit, quomodò diligit: & ſi tenerè diligit, quomodo adeò ſeuerè adurit? Ipſe reſpondet: *Vram illos ſicut vritur argentum:* qui argentum committit flammis, ſcoriam decoquit, vt ampliorem illi nitorem conciliet: vicinius eſt argentum ſplendoris gloriæ, dum viuidius purgatur ardore flammæ nec adeò celeriter oculos claritate perſtringeret, ni flammas examinatrices, purgatriceſque ſuſtineret: dum artifex aurum terra concretum patitur, nec purgandum ignibus tradit, etiam ſplendere contemnit; at cùm refulgere diſcupit anxius, ſatagit purgare viuidius. Adeſt Tertullianus iam laudatus: *Solum iugulat filios ſuos: an & torquet? audio enim & alibi dicentem: Vram illos ſicuti vritur argentum, & probabo illos ſicuti probatur aurum, vtique per tormenta ignium & ſuppliciorum, per martyria fidei examinatoria.* Subnectit ingenioſiſſimus Doctor: *Crudelem Deum, qui non intelligit, credit.* Qui non intelligit correctionis fructus, crudelitatis arbitratur fructum cruciatus; at politioris ſapientiæ particeps Deum credit iratum, cùm videt corrigendi peccatores oblitum. O quàm diligit, dum tribulationibus erudit, dum laboribus expolit! nam miſericordia iam proximare ſentitur, & ſtatus lætior iam exordiri videtur. 83.

Zachar. 13. v. 9.

Tertull.

Quærebat Sponſa dilectum, quem imprudenti ignauia fugauerat, & negligentia depulerat: in manus cuſtodum incidit, qui illam vulnerarunt, & vulneratam miſerunt: *Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt ciuitatem, percuſſerunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum.* Plus quærendi ſolicitudine, quàm inflicto vulnere angitur, filias Ieruſalem interrogat non vbi ſit medicus; ſed vbi latitarit Sponſus: *Adiuro vos filia Ieruſalem, ſi inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei, quia amore langueo.* Iam ſe difficultas non modica offert: ſi in eodem tractu & Sponſa & Ieruſalem filiæ verſabantur, cur ciuitatis cuſtodes alias non vulnerant, & ſponſam ſolùm cruentant? Eſt ne infortunatior, quæ titulo nobiliori ſplendidior? Imò vt citò lætiori ſorte luceat ſplendidior, luget anxietatibus plenior. Ipſam audi: *Paulùlum cùm pertranſiſſem eos, inueni, quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam:* Vulnerata inuenit, à cuſtodibus non vulneratæ vſæ non ſunt lætiori fortuna; imò ſorduerunt cæca ignorantia. Qualis eſt dilectus tuus? rogant: integra fruuntur ſalute 84.

Cantic. 5. v. 7.

Cantic. 3. v. 4

Digitized by Google

ſalute, palliis exornantur; ſed remanent felicitatis ignaræ, & à felicitate remotæ; at vulnus Sponſæ inflictum fuit lætum adinuentionis prænuntium, & felicitatis exordium. Ni ſponſus diſponeret inueniri, non ſineret ſponſam
Ambroſ. à bonis cuſtodibus vulnerari. Iam bonos illos fuiſſe cuſtodes, teſtatur in collectis Ambroſius: *Si bonos cuſtodes accipimus, vtique Angeli ſunt; quos verò Angelos tranſiuit, Verbum inuenit: ideò non multum interualli fuit, cùm tranſiuit ab his, & inuenit Ieſum.* Parum interualli fuit inter inflictos à cuſtode bono cruciatus, & dulces Sponſi amplexus: fruitæ non ſunt gratioſo Sponſi conſpectu, & ſuauiſſimo eloquio, quæ etſi ignorantiam incurrerint, non ſunt à bonis cuſtodibus reprehenſæ; at Sponſa cùm de ignauia carpitur, cùm de negligentia percutitur, iam Sponſo approximat, & iam lætiori ſorti propinquat.

85. Cùm populus Iſraëliticus Principum inſanias ſecutus multimodis diuinam iram exacerbaſſent, parum abfuit quin eos indelebili obliuioni traderetur; verùm cum intus eſſet, qui excitaret affectus, præualuit innata pietas, quantumuis in ſeipſam variis criminibus Iudaica militarit proteruitas. Quid tunc, vt iam ad commiſerationem ſe inclinatam monſtrarit? Miſit ſanctos homines, qui populo
2. Paral. 36. v. 15. delicta exprobrarent, & ſaluberrimis monitis ad pœnitentiam adducerent: *Mittebat Dominus Deus patrum ſuorum ad illos per manum nunciorum ſuorum de nocte conſurgens, & quotidie monens, eo quòd parceret populo, & habitaculo ſuo.* Iam lætius appetebat tempus, cùm Dominus monitores mitteret, qui populum reprehenderent, & ad dolorem verum peccatorum adducerent. *Mittebat*, exponit Lyra, *in quo apparet diuina miſeratio.* Magna Domini miſericordia elucebat, dum mittebat nuntios ea ſanctitate pollentes, vt poſſent populum audacter arguere, & ab inſano appetitu ſcelerum refrænare. O quàm ſe Dominus patrem indulgentiſſimum probat, dum quibus oculorum detergatur cæcitas, ærumnas ad peccatorem delegat: fauſta eſt filiorum orbitas, diuitiarum nuditas, afflictionis ac doloris acerbitas, ſi eis vti medicamine inſania temperetur, & lethargus abigatur. Culpæ reprehenſio iam eſt felicitatis initium, nec poteſt non arridere ſors fauſta, ſi correptio peccatorem feriat benignè duta.

86. Quærebat Maria viuentem cum mortuis, ardebat affectus viuida dilectionis flammâ, verùm adhuc intellectum aliqualis dubitationis premebat vmbra: viderat vacuum ſepulchrum, & cùm potuerit credere facinus omnipotentiæ, delictum exiſtimauit rapinæ: oculorum euidentia recedere ſuadebat; ſed amor loco illigabat: dum curioſus reſpicit, Angelos intuetur, qui feſtiuo ornatu fauſta nuntiabant, quique prudenti interrogatione eius dubitatio-
Matth. 20. v. 13. nem feriebant: *Mulier quid ploras?* Cauſam illa reddidit; & cùm adhuc verba cum Angelis faceret, Angelorum Dominum videt: *Hæc cùm dixiſſet, conuerſa eſt retrorſum, & vidit Ieſum ſtantem.* Ecce Angelorum correptionem à tergo ſequebatur felicitas, & iam lætiſſima appropinquabat proſperitas. Interrogarunt Angeli, vt vberiores lachrymas cierent, quæ ipſo dolore oculorum aciem reluminarent. Adeſt Oſtienſis Drogo de Sacram. Dominic. paſſion.
Equidem benè noueratis, ô piiſſimi Angeli, quid Drogo.
ploraret, & quem quæreret: quare illam commemorando iterum in fletus excitaſtis; ſed propè erat inſperata conſolationis gaudium: ideò tota vis doloris, & plorationis excurrat. Non inſperarat Magdalena, vt debuit reſurrectionis lætitiam, vocabat tenera dilectionis anxietas gaudium; ſed dubietas protelabat intuitum. Quid ergo? Carpunt Angeli dubietatem, vt iam maturarint Mariæ gloriam, dum reprehenſione deterſerint culpam. Ergo in beneficiis numera calamitatis preſſuram, monentis indignationem: nam quos Deus amat, ſic emendat.

§. XXII.

Non eſt opus ingenuum graui obiurgatione corripere; ſed eſt ſatis admiſſos errores oſtendere.

INuidioſa eſt contra eum querelà, ſcribit Caſ- 87.
ſiodorus 4. var. 44. *cui ſunt reuerentiæ iura* Caſſiodor.
ſeruanda: quia neſcio quid admiſſum graue creditur, vbi contra tales ſilentium non tenetur. Profectò ingenuitatis, nobilitatiſque iura ingenuos ac nobiles exigunt decentiùs tractari, & in ipſo correctionis modo reuerentiam quamdam à corripiente exhiberi. Homines ruſtici & ingenio difficili duriùs tractentur, vt ad virtutis ſemitam reducantur; at quos liberaliori mente exornauit natura, & excoluit dotibus eximiis Numinis magnificentia, opus non eſt aſperrimo ſupercilio ferire; ſed ſatis eſt vt meliora ſapiant, errores à ſe perpetratos oſtendere. Ecce Deus virum delegat prophetam, qui Iſraëlitas ſceleribus ferè immerſos virtutis veritatiſque portui reſtituat: *Miſit ad eos virum prophetam.* Quid expectas à prudentiſſimo propheta Iſraëlitis obiectum, & quali obiurgationis genere reprehenſum peccatum? Textum auſculta: *Et locutus eſt: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Ego vos feci conſcendere de Ægypto, & eduxi vos de domo ſeruitutis, & liberaui de manu Ægyptiorum, & omnium inimicorum, qui affligebant vos, eiecique eos ad introitum veſtrum, & tradidi vobis terram eorum, & dixi: Ego Dominus Deus veſter, ne timeatis deos Amorrhæorum, in quorum terra habitatis; & noluiſtis audire vocem meam.* Hucvſque & non amplius, vir diſertiſſimus, & diuina luce illuſtratus. Et quidem poſt beneficiorum ſummam ingratitudo videbatur exaggeranda, & cæcitas duriè carpenda; & tamen ſolùm errores oſtendit, cùm mederi criminibus ardentius ſtudet: & cur aſperis verbis non feriat, & obiurgatione dura carpat, quos ſic conſtabat à patriis legibus deſciuiſſe, & idolorum figmenta deteſtabili & affectata cæcitate adoraſſe? Quia prudentiſſimus cenſuit ſatis eſſe errores à populo admiſſos luce dilucidiùs monſtrare, quando ipſum nobilitatis ingenium dolorem citabat, & ad pœnitentiam tacitis vocibus compelle-
bat. Huc voco Arias Montanum ſic ſan- Montan.
tem: *Dolentibus, atque ſentientibus Iſraëlitis, medicumque verum appellantibus, non*

Digitized by Google

ſolùm conſilio, & monitu, expoſitioneque morbi & cauſæ; verùm auxiliis etiam & remediis efficaciſſimis adeſſe Deus benignè voluit: Quia voluit remediis efficaciſſimis morbo occurrere, decreuit morbos, & morborum cauſam ſatis comiter propalare, opus non eſſe ratus acerbiori obiurgatione ingenuos carpere; ſed ipſa errorum oſtenſione corripere: *Expoſitione morbi & cauſæ adeſſe Deus benignè voluit.* Vt diſcant Præſules, ſuperioreſque, dum ingenuos, & nobiles corrigunt, ab iratis verbis & ſupercilio abſtinere, & culpas oſtenſis vrbanè erroribus medicari.

88. In illo amœniſſimo Deique manu & ſolertia exculto topiario deliciabatur Adamus; verùm dum inſipidum fructum exambit, ferè innumeras plantas dulces, & ſatis fructuoſas amittit? Quid tunc? Suſtentato feruore delicti aduentat Dominus medelam morbo allaturus: tantiſper remedium diſtulit, quatenus feruor criminis detumeſceret: non traxit moras, ne diuturnitate vires acquireret, & medicinam repelleret. Ergo pro ſua immortali ſapientia opportunum tempus elegit, & Adamum quæritans, vbi eſſet, interrogauit: *Vocauitque Dominus Deus Adam, & dixit ei: Vbi es?* Interrogatione ſic perculſus timuit, vt iam & commiſiſſe peccata, & quæſiſſe fateatur
Gen.3.v.9. latibula: *Vocem tuam audiui*, inquit, *in paradiſo, & timui:* & cur timeat ſolùm interrogantem, nec igneo gladio impetentem? Si aliàs Dei voces audire conſueuerat, cur modò iam Deum timet, & ad metum vti pœnitentiæ exordium recurrit? Quia
Seleuc. vox illa, reſpondet Seleucienſis Baſilius quo eſſet in ſtatu oſtendebat, & errorem perpetratarum clarè monſtrabat. Audi Baſilium oratione tertia. Vt medicus rogat, & ad iudicium ferendum cùm acceſſiſſet, vt amicum increpitat: *Haccine*, inquit, *beneficentiæ mea refertur gratia? Hoccine pro adeptis animi grati munus? Hic reſponſionis hærere?* Corripuit Principem morbum oſtendendo, & amicè increpitando: nec opus fuit vt ingenuus tremefactus hæreret, ac delictum ſuum agnóſceret iacto fulmine, aut horriſono fragore. Ipſa ingenuitas pro acerba fuit reprehenſione, & elicuit lachrymas innatus rubor, vt poſſet carpentis rigor.

89. Dauid iniuriam perpeſſus à ruſtico Nabale & rege Saule diuerſimode ſtatuit vnum & alterum corrigere, præciſam chlamydis oram Sauli oſtendit, vt nouerit quàm fuerit ipſe fidelis, & quàm aulici adulatoreſque patulas eius aures mendaciis impleuerint,
1.Reg.24. v.12. & calumniis defœdauerint: *Pater mi, vide & agnoſce oram chlamydis tuæ in manu mea: quoniam cùm præſcinderem ſummitatem chlamydis tuæ, nolui extendere manum meam in te: animaduerte, & vide quoniam non eſt in manu mea malum, neque iniquitas, neque peccaui in te.* Quid tunc Saul? *Leuauit vocem ſuam, & fleuit, dixitque ad Dauid: Iuſtior tu es, quàm ego: tu enim tribuiſti mihi bona; ego autem reddidi tibi mala.* Comiter interpellatus, & reuerenter reprehenſus peccatum ſuum & agnouit, & fleuit. Tranſi modò ad Nabal, quem ob in ſe perpetratam culpam delere ſtatuit, & milites ſuos ferro obarmari iuſſit: *Accingatur vnuſquiſque gladio ſuo, accinctuſque eſt* 1.Reg.25.
Dauid enſe ſuo: Hæc faciat Deus inimicis v.13.
Dauid, inquit, & hæc addat, ſi reliquero de omnibus, quæ ad ipſum pertinent, vſque mane. Et cur Dauid mellitis verbis Nabalem ad culpæ ſuæ agnitionem non trahat expertus Saulem vrbanis blandiſque ſermonibus culpam ſuam agnouiſſe, & cognitam deploraſſe. Fallar ſi pro diuerſitate ingeniorum non fuerit actionum diuerſitas: Saul, vti Princeps, liberaliori ingenio erat præditus, & indole politiori exornatus: huic ergo ſatis erat errores demonſtrare, & commiſſa crimina reuerenter obiicere: nam ipſa ingenuitas criminis notitia coniuncta dolore adurebat animum, & carnificis ad inſtar non leue incutiebat tormentum; at Nabal vti ruſticus, erat difficiliori ingenio, inculta indole, & duriſſima barbarie: ergo huic ſeuera infligenda erat vindicta: nec enim quid prodeſſet vrbanitas; ſed ſeueritas. Itaque prudentiſſimus Dauid peccatum huius ſatagit graui vindicare ſupplicio; illius, reuerenti corrigere obſequio: *Facta præpoſiti*, ſcribit Gre- Gregor.
gorius apud Gloſſam, *oris gladio ferienda non ſunt, etiam cùm rectè reprehendenda videantur.* Adſtipulatur Abulenſis: *Dauid*, ſcribit Abulenſ.
quæſtione vigeſimaprima ad vigeſimumquartum primi Regum, *à principio vocauit Saulem regem ad exhibendum reuerentiam, cum illud nomen ſignificet maximum principatum; nunc autem vocauit eum patrem ad ſignandum dulcedinem.* Noluit durè carpere; ſed verbis dulciſſimis, & adulatoriis quodammodò reprehendere: quia nouit ſatis eſſe, vt corripiatur ingenuus, criminis notitia, & erroris euidentia. Nec mirum eſt Dauidem Chriſti Domini vmbram iſtiuſmodi ſe geſſiſſe, cùm Dominus hunc etiam obſeruarit ſtylum, & pro diuerſitate delinquentium diuerſum reprehenſionis exhibuerit modum.

90. Templum ingreditur, quod adeò polluerat cupiditas, vt nullatenus videretur orationis emporium; ſed nundinarum commercium: flagellum compingit, nec ſine furo- Ioan.2.v.15.
re æs nummulariorum euertit: *Cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoque & boues, & nummulariorum effudit æs, & menſas ſubuertit:* Zelo inflammatus rigidè negotiatores carpſit; cùm tamen alibi obmurmuranti Simoni ſolùm defectus obiecerit, nec ardenti reprehenſione puniuerit: *Intra-* Lucæ 7.v.44
ui in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti, oleo caput meum non vnxiſti, &c. Quàm blandè reprehendit Phariſæi mordicacitatem, quàm aſperè negotiatorum irreuerentiam; cùm tamen non minor videatur iniuria, eius ſanctitati, dignitatique detrahere, quàm domum eius negatione polluere. Quæ ergo diſcriminis cauſa fuit? Putauerim, carpſiſſe alibi plebeios, alibi Phariſæum nobilem, & dignitatis culmine conſtitutum. Huc voco Gregorium apud D.Thomam ad 7. Lucæ: *Sic Phariſæus retunditur.* Quaſi dicat Gregorius: Gregor.
Qui dociliori ingenio præditus non indiget vt

Digitized by Google

vt meliora ſapiat cruento flagello; ſed ſatis eſt, ſi errorem agnoueris: quia tunc ipſa ingenij docilitas vrit, & ipſa conſcientia corripit. Ergo propheta diſertiſſimus errores obijcit: nec flagra adhibuit.

§. XXIII.

A diuitiarum copia, & mundiali tumultu inuitus etiam receſſus eſſe ſolet ſupernæ lucis illicium, & felicitatis exordium.

91. STultum eſt vſque ad deuexam ætatem & morbidam ſenectutem ſe negare ſibi, nec à mundi ſtrepitu receſſiſſe; ſed alternis inutilium occupationum fluctibus agitari. *Non pudet te,* aiebat Seneca de breuit. vitæ cap. 4. *reliquias vitæ tibi reſeruare, & id ſolum tempus bonæ menti deſtinare, quod in nullam rem conferri poſſit. Quàm ſerum eſt tunc viuere incipere, cùm deſinendum eſt! Quæ tam ſtulta mortalitatis obliuio in quinquageſimum, & ſexageſimum annum differre ſana conſilia, & inde velle vitam inchoare, quo pauci perduxerunt.* Ea homines poſſidere ſolet veſania, vt eorum fragilitas nunquam cogitata deſeruiat virtutis auxilio, cum per imprudentiam diſſimulata auxilietur ſæpe naufragio: optant à tricis & ſæcularibus tumultibus ſe aliquando expedire; verùm pigri ambitioſique tunc ſe difficilius implicant, & nouis retinaculis alligant. Hinc Deus non ſemel pro ſua erga homines indulgentia acti calamitatis turbine agitatos vſque ad exilium, & rerum omnium penuriam trahit, quo violentis infortunij flatibus calamitatiſque voluminibus extra tumultus vel reluctanter iactati ſereniori luce fruantur, qua ſe ſibi reſtituant, & veram felicitatem agnoſcant. *Nobis,* aiebat Tertullianus in Apologetico capite 38. *ab omni gloria & dignitatis ardore frigentibus nulla eſt neceſſitas cœtus, nec vlla magis res aliena quàm publica.* Veræ lucis ambitoribus, ab inſaniſque mundialis cupiditatis ardoribus frigentibus nil aliud pretioſius eſt quàm ſecedere, & ſoli Deo, ſibique viuere. Docet ſolitudo bonos diſcipulos, quàm nitamur caducis, cumque rationis aures inquieto non interpellentur fragore, optima percipiunt conſilia, & antiqua auerſantur deliramenta. Ecce Hebræorum populus allophylis mixtus deteſtandis eſt allophylorum moribus deprauatus: Deus antiquis Patribus promiſſorum non immemor Iſraëlitas hoſtium manu ſic anxit, vt in antra & receſſus ſe recipere ac fugere humanam lucem compulerit: *Oppreſſi ſunt valde ab eis, feceruntque ſibi antra, & ſpeluncas in montibus, & munitiſſima ad repugnandum loca.* Arias Montanus dum Hebræam phraſim interpretatur, ait ſibi paraſſe latibula per cuniculos producta, à ſupernis tamen lucem accipientia. *Latibula ſiue ſpeluncas dicere poſſumus non adeo amplas; verùm cuniculorum modo productas, certiſque lucis lumen ſupernè accipientes; quæ quidem ſpeculandi magis, quàm latendi cauſa parata videntur.* En vbi mundiali ſplendore aditum omnem occludunt, ſupernè lucem accipiunt. Non ſolùm latentes hoſtilia fruſtrantur arma; ſed myſteria contemplantur cæleſtia, & iidem ipſi qui olim abundantes deſipuerunt adeò, vt ſacrilegis ſuffitibus, execrandis aris coluerint idolorum figmenta, iam monticolæ & exules lamentis cælum pulſant, & pœnitentiam contra aduerſam fortunam armant: *Clamauit ad Dominum poſtulans auxilium contra Madianitas.* Ab omni cœtu & tumultu exules lugubri ac pœnitenti clamore cæleſtes ſibi impetrarunt ſuppetias, qui diuitiis abundantes, copioſoque in populo prolapſi ſunt vſque ad idololatriæ veſanias: vt noueris quantum à ſeceſſu etiam inuito etiam exilio vtilitatis perceperint, & quantum ſibi fructus virtutis calamitoſi produxerint.

Senec.

Nonnulli viuere incipiunt, cùm deſinendum eſt.

Tertull.

Montan.

Dauid Pſalmo 101. ſe pellicano comparat, & vigilanti paſſeri in tecto aſſimilat: *Similis factus ſum pellicano ſolitudinis, factus ſum ſicut nycticorax in domicilio: vigilaui & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto.* Pellicanus immortali odio ardet in ſerpentes, amatque ſolitudinem, vbi filios parturiat, & alat: ſerpens eius fœtibus inſidiatur, & per arborem repens fallaci doloſitate ſolet occidere, & parentem grandi dolore ſauciare. Quid tunc? Pellicanus pallet macie, luget triſtitudine, emortuoſque fœtus effuſo è pectore non ſine violentia ſanguine aſpergit, quo demortui nouam concipiunt vitam, & ſerpentis eluſam torquent prudentiam. Adeſt Incognitus ad hunc locum: *Sciendum quod vt ait magiſter de proprietate rerum, & hic recitatur in Gloſſa, pellicanus naturaliter odit ſerpentes; ſerpens autem per arborem aſcendens pullos ſuos interficit: quod vt pellicanus percipit, per triduum pullos ſuos luget, deinde ſe in pectore proprio vulnerat, & aſperſione ſui ſanguinis filios ſuos mortuos viuificat.* Ecce in ſolitarium pellicanum non præualet ſerpenti aſtutia, nec doloſitatis inſania: dum pellicanus macie in deſerto ſordeſcit fœtibus vitam refundit, & aduerſus colubri inſidias potitur fructibus, quia remotiſſimis degit receſſibus. Adſtipulatur etiam Oſtienſis Drogo de Sacram. Domin. Paſſion. *Triſtis anima ſimilis fiat pellicano ſolitudinis, qui odit ciuitatem, conuenticula eorum de ſanguinibus, & macie ſolitudinis pallet, & ſicut nycticorax in parietinis Scriptura quærat ſibi eſcam tota nocte, & euolet in paſſerem ſuper tectum vigilantem, & canentem, quando veniat fur.* Qui tumultus & conuenticula pellicani ad inſtar fugit; veritatis cibum ab ſanctis Scripturis venatur, quo innutritus, illuminatuſque ſerpentinas verſutias non ſolùm fugit; ſed vincit: eſt namque receſſus vigiliarum patria, ibi reluminantur oculi, ibi ab Scripturis veritatis mentem ſalubre paſcit alimentum, ibi inuenit veræ felicitatis exordium; aſt inter medios populos ſæpiùs innubilatur veritas, viget cupiditas, ambitionis adurit flamma, & pudet ambitioni non inſeruire, nec cæteros imitari. 92.

Pſalm 101. v.7.

Incognit.

Drogo.

Saul in media aula impurato ſpiritu corripitur, & in Dauidem, quem præſentem agnouerat, haſtam eiaculatus, medicinæ pretium cædem obtulit: *Inuaſit ſpiritus Dei malus Saul & prophetabat in medio domus ſuæ;* Dauid autem pſallebat manu ſua, ſicut per ſingulos dies, tenebatque Saul lanceam, & miſit eam putans quòd configere poſſet Dauid cum pariete. Vides in aula ſpiritu nequam 93.

1 Reg. 18. v.10.

correptum delirantemque : tranſi modò ad ipſum, qui cum ſpeluncam fuiſſet ingreſſus, ibique tantiſper latitaſſet, culpas ſuas agnouit, & pœnitudine retractauit: *Leuauit Saul* 1 Reg. 24. v. 18. *vocem ſuam, & fleuit: dixitque ad Dauid: Iuſtior es tu, quàm ego.* Miraris hinc flentem, & alibi delirantem. Quod ſi diſcriminis cauſam inquiras, reſpondet textus in frequentia alibi aulicorum vixiſſe: *Prophetabat in medio domus ſuæ:* & alibi antrum etſi breui tempore inhabitaſſe: *Porro Saul exurgens de ſpelunca pergebat cœpto itinere.* Dum à curiæ diſtat tumultibus, dum graditur per montium anfractus, dum antris latitat, veritati recipiendæ inuenitur aptior, qui in aula nequam ſpiritu furebat cæcior: ecce in ſolitudine dolet, in curia furit: Lyra. *In hoc*, inquit Lyra, *confitetur ipſum Dauid eſſe dignum regno.* Hic Dauidem fatetur iuſtum, haſta olim tranſfodere ſatagebat vti doloſum: hic improbitatem obcæcatam largis nititur ſingultibus abolere, inuentus eſt medus in populis relitate. Certe refulgens ille flore marino purpuræ nigror, dum Saulem exornabat, veram oculorum lucem adimebat; aſt dum à Dauide præciditur, dum aduerſarij iam ornat manum, Saul deterſa mentis caligine veritatem agnoſcit, & culpam luget. Adeò vtile eſt vel inuitum inſolitum, & remotum à tumultu deſertum.

94. Cantic. 1. v. 9. Sponſus pulchritudine Sponſæ allectus ſic aiebat: Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis. Auicula hæc ſolitudinis eſt ſtudioſa: ergo in geminis Sponſæ genis duæ ſolitudines adumbrantur, alia qua ſpiritus longè à tumultu recedit, alia qua corpus etiam oculorum frequentiam fugit: gena dextera denotat animi à frequentia receſſum, corporis innuit ſiniſtra; vtraque tamen Sponſæ venuſtatem componit, & Sponſi oculos ad ſe trahit: *Stude*, inquit, Bernard. Bernardus ſermone 40. in Cantic. *ambas ſpecioſas habere has genas tuæ intentionis, vt imitator caſtiſſimæ volucris ſedeas ſecundum prophetam ſolitarius: quoniam leuaſti te ſuper te.* Addit ſtatim: *Sede itaque ſolitarius ſicut turtur, nihil tibi & turbis, nihil cum multitudine cæterorum; ipſumque etiam obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui, & concupiſcet rex decorem tuum:* Decoratur anima, dum nullo puluere circumcurſantium ſordeſcit, dum à tumultibus ſemota nitet: tunc leuat ſe ſuper ſe, & quæ veritatem non plenè agnouerat tumultibus impedita, iam dilucidiùs cognoſcere incipit eleuata. Grande vitio periculum à monte, à cauernis, à ſolitudine: vtque noueris, recogita lapillum illum ſine manibus è monte deſcendiſſe, & ſtatuam prorſus ſubuerſam, & detectam diſſipaſſe. Adde ipſum Dominum ſe ſolitudinis receſſuſque armis muniuiſſe, vt in arenam contra hoſtem deſcenderet, & triumphauerit.

95. Cùm iam Dominici triumphi tempus appropinquaret, in Gethſemani villam tendit, curiamque relinquit, ibi ſedere diſcipulos iubet, tribus tantùm aſſumptis, à quibus etiam, quantum iactus eſt lapidis, auulſus eſt, vt orationi vacaret, noſque erudiret: *Egreſſus ibat ſe-* Lucæ 22. v. 41. *cundum conſuetudinem in montem oliuarum, ſecuti ſunt autem illum & diſcipuli, & cum perueniſſet ad locum dixit illis: Orate ne intretis in tentationem, & ipſe auulſus eſt ab eis, quantum* Drogo. *iactus eſt lapidis.* Drogo Oſtienſis ſuprà laudatus ipſam à diſcipulis auulſionem lapidis iactum appellat, comparatque cum illo ſtatuam percutiente lapide hunc Domini non ſolum à tumultu ſed à diſcipulis etiam receſſum, atque vt olim ſtatua lapidis ictu corruit, ſic vitium concidiſſe hoc receſſu. Accipe eius verba: *Longè auulſus es à nobis: quia lapis eſt abſciſſus de monte ſine manibus, & factus eſt lapis, & percuſſit Goliam in fronte & ſtatuam in pedibus: iſte eſt iactus tuus longè à nobis.* Cæteris iactibus præſtantior eſt Chriſti receſſus ad vitium penitus euertendum, & dæmonem detriumphandum: nam dum ab hominibus degit remotus, durior in culpam dirigitur iactus. Et nota ſtatuam lapilli monticolæ ictu corruiſſe, in gigantemque paſtoralem peram ſolitudinis incolam arma miniſtraſſe; imò ipſum Dominum in ſolitudine prælium cum furiis gehennalibus inchoaſſe, vt conſtet omnibus eſſe virtutis officinam, qua dura in vitium conflantur arma, & præpilatiſſima tela. Ergo ſi liberiori cælo frui deſideras, fuge tumultum corpore & mente, aut ſaltem mente, ſi nequeas corpore. Ecce Iſraëlita ſibi munitiſſima ad repugnandum hoſtibus propugnacula ſolitudine ædificat, vtque hoſtiles adſultus eludat, à longè prudenti ſagacitate proſpectat.

---

§. XXIV.

Qui alios cupit ad pænitentiam adducere, omni ſtudioſè conetur vitio carere.

NOcet corrigenti non ſolùm criminis veritas; ſed etiam ſpecies criminis: nam 96. correctionis amittitur efficacia, ſi corrigens criminis obſcuretur vel vmbra: valuit Moyſes omni culpæ opinione immunis in violentum, iniuriumque Pharaonis miniſtrum: *Egreſſus eſt ad fratres ſuos, viditque afflictio-* Exodi 2. v. 11. *nem eorum, & virum Ægyptium percutientem quemdam de Hebræis; cumque circumſpexiſſet huc, atque illuc, & nullum adeſſe vidiſſet, percuſſum Ægyptium abſcondit ſabulo.* Sed qui trucem, & ad aliorum perniciem natum occidit feliciter, contumacem poſteà Hebræum non potuit ab iniuria reuocare; imò reprehenſione exacerbauit, & exacerbatum extimuit: *Egreſſus die altero conſpexit duos Hebræos rixantes, dixitque ei, qui faciebat iniuriam: Quare percutis proximum tuum? Qui reſpondit: Quis te conſtituit Principem, & iudicem ſuper nos? Num occidere me tu vis, ſicut heri occidiſti Ægyptium?* Quid tunc? *Timuit Moyſes:* & cur lites non dirimat Hebræorum, qui potuit anteà contumaciorem corrigere, & violentiam procaciſſimam caſtigare? Ægyptium potuit anteà felici manu interimere, & modò Hebræum monitis nequit prudentibus refrænare? Ecqua huius diſcriminis cauſa eſt? Fallar niſi ipſe aduerſarij interitus: anteà Moyſes nullius criminis polluebatur reatu, modò, etſi reuera pollutus non fuerit (quod non diſputo) inflicta Ægyptio contumaci pœna, denigrabatur tamen neſcio qua ſceleris vmbra: ergo dum criminis ſpecie inficitur, ad corrigendum iniurium prorſus eneruatur: &

Digitized by Google

& qua fronte corrigere poterat leuius inferentem damnum, qui grauius perpetrauerat homicidium? Non leges Moyſem in Ægypto aliúm tentaſſe corrigere: quia prudenter nouit ſe apud multos opinione criminis maculari. Adeſt Lippomanus. *Quaſi dicat: Tu es violentus & homicida, idcirco emenda te ipſum:* Dum potuit, qui inferebat iniuriam corrigenti homicidij obiiciſſe violentiam, non paruit conſilijs; ſed exaſperatus eſt monitis. Qui quod illi opponatur, habet, dignè tribunal iudicis non inſcendit: amat namque correctionis munus virum innoxium, & nec prauitatis vmbra obſcuratum. Cùm Deus populum ſuum ſtuderet ad cultiores mores allicere, virum miſit prophetiæ dono clarum, & moribus concinnis excultum: *Miſit ad eos virum prophetam, & locutus eſt: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael*, &c. virum ſanctum legat, vt populares defectus corrigat, nec aliter facilè vulgus arriperet pœnitentiam, ſi conſimilis culpæ in corrigente ſpectaret vmbram:

Lyra. *Dicunt communiter expoſitores noſtri*, inquit Lyra, *quòd fuit Angelus in ſpecie viri, & ille idem qui infra nominatur Angelus; Hebræi autem dicunt quod fuit Phinees filius Eleazari ſacerdotis.* Sacerdos omni virtute clarus, & ab omni ſceleris ſpecie alienus potuit vitia carpere, & carpendo ad pœnitentiam adducere; aliter correctio inflammare ſolet temeritatis audaciam, non inducere ad doloroſos pœnitentiæ gemitus, & vtiles doloris planctus. Profectò ſi Præſulem aut Prælatum poſſederit vitium, reprehenſionis euacuatur prorſus medicamentum; imò nec vmbratile adhibetur medicamentum: quia non audet Præſul proprium in alijs carpere vitium.

97. Nabucho vt erat ventoſiſſimus, in amplo arrogantiæ linteo phantaſiæ penicillo immenſatam depingit arborem, & quidem ſi pro vndis irrigantibus erat ſuperbia, mirum fuit ramos extra cælum non extendiſſe, & fructus

Daniel 4. v.7. vltra numerum non ampliaſſe: *Videbam, & ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia,* &c. Quid tunc? *Subter eam habitabant animalia, & beſtiæ, & in ramis eius conuerſabantur volucres cæli.* Mira res! Homines more ferino viuentes pacatiſſimè ſub arboris vmbra degunt: rapaciſſimæ volucres apertè exercent rapinas, quin vllas vereantur pœnas. Nabucho, qui rectoris locum obtinebat, trunci ad inſtar nec violentiſſimas frænat feras, nec iniuſtas audet prohibere rapinas; imò nidulos præbet rapacibus, vmbram ſæuientibus. Quod ſi quæras cur adeò obbruteſcat, vt culpas licenter viuere ſinat: reſpondebit Hugo ipſum ſorduiſſe eiſdem culpis infectum, & ob id ne propria argueret peccata, tacuiſſe mutum: furebat in ſubditos, horriſonis flammarum globulis tradebat innoxios, cultum ſoli Numini debitum ſuæ etiam imagini ventoſiſſimus arrogabat, & ambitionis temeritate inſaniens rapiebat. Ergo dum vitiis cingitur, non ſolùm caret ſuadela; ſed etiam lingua. Accipe

Hugo. Hugonem ad 6. Iudic. *Quia regis ad exemplum totus componitur orbis, ſub peccatis prælatorum quaſi ſub arbore requieſcunt peccata ſubditorum: non enim inuenitur, qui audeat reprehendere peccata ſubditorum, in quibus ſunt ipſi prælati: ipſi enim prælati nolunt reprehendere: quia in hoc condemnant ſe.* Non poterat Nabucho feros homines refrænare, dum conſtabat ipſum truculenta immanitate ſæuire: nequibat prohibere rapacitatis iniuriam, qui ad arrogandam ſibi diuinitatem armauerat temeritatis audaciam: ergo rapaces volucres pacatè in arboris ramis degunt, & feri homines impunè ſub vmbra peccantis viuunt.

Cordatiſſimus illius prodigi pater dum recepit, ſollicitè procurauit, ne vel vmbra remane- 98.

ret delicti: *Proferte ſtolam primam, & induite* Lucæ 15. v.22.

illum, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius. Chryſologus in ſtola prima innocentiæ gloriam recognoſcit ſermone 5. *Dedit ſtolam primam illam, quam Adam perdidit, immortalitatis gloriam ſempiternam:* & cur ſatis non fuerit ſecunda ſtola; ſed prima? Quia pedes, inquit, ad veritatem deprædicandam ornauit: *Et calceamenta in pedibus eius, vt eſſent calceati pedes in prædicatione Euangelij, vt eſſent beati pedes euangelizantium pacem.* Dum ad carpenda vitia deligitur, prima innocentiæ ſtola candicante exornatur, ne ſi vel in ſecundis eſſet, non auderet carpere vitia, aut perfectionis tradere documenta: facilè namque illi obiicerent vocati ad perfectionis excellentiam, ipſum ſecundam induiſſe ſtolam, priuſque quàm alijs tradiderit documenta, teneri ad opere complenda conſilia: niſi quam Adam perdidit, primam oſtentauerit innocentiam, audacter nequibit damnare culpam: eſt namque corrigentis puritas correctionis efficacia, & languet etiam erudita lingua, ni in doctore floreat virtutum ſchola.

Nato Domino lux fulgentiſſima idolo- 99.

latriæ tenebras depellit, & Magos eloquenti ſilentio docet: inuolant illi, nec eos tardat brumæ frigiditas, nec viarum aſperitas:

Vbi eſt, clamant, *qui natus eſt rex Iudæorum?* Matth. 2. v.2.

Vidimus enim ſtellam eius in oriente, & venimus adorare eum. Non potuit vel Magorum cæcitas radiis fulgentiſſimis non illuſtrari, & ad Dominum adorandum adduci. Et cur non detrectarint imperium, aut præſumpſerint protelare mandatum? Explicuit textus: *Vidimus*, inquiunt, *ſtellam eius:* vbi ſtella fulgentiſſima depellit tenebras, vbi abigit vmbras, vbi clariſſima luce refulget, & Magos

fructuoſiſſimè docet: *Gentibus*, inquit Pe- Damian.

trus Damianus ſermone primo, *quaſi brutis & iumentis in campis ſyluæ loquitur lingua ſine ſtella cælorum: lux itaque demonſtrat lucem:* pecudum more viuebant Magi, imò quo videbantur ſibi ſapientes, à vera ſapientia inueniebantur diſtantes; verùm dum cæleſtis lingua documenta cæleſtia tradit, & candore fulgentiſſimo nitet, non potuerunt non perſuaderi, quia ſingularem eius lucem nequiuerant non mirari. *Lux demonſtrat lucem.* Forſitan Solem non demonſtraret ſtella, ſi tenebris obſcurata, & caliginibus inuoluta: puriſſima lux traxit ad Solem, & iniquos potuit ducere, dum conſtabat expertem prorſus tenebrarum radiare: *Lux demonſtrat lucem:* Ergo qui vti cælorum linguæ ad erudiendos homines deſtinantur, clariſſimis fulgoribus adornentur: nec enim ni fuerint lux, lucem oſtendent; ſed inutili aëris percuſſione tinnient.

Ieremias copioſiſſimis lachrymis obſcu- 100.

ratum deplorat aurum: *Quomodo obſcuratum*

Digitized by Google

eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum. Præuidit hic propheticis oculis plures quæ populum calamitates manebant: inter quas annumeranda eſt illa grauiſſima, quam recedente Sole paſſus eſt populus Saluatore
Matth 27. v.45. moriente. A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram vſque ad horam nonam. Dum aurum obſcuritatem contrahit, & caligo populos replet. Non poterat vulgus à tenebroſis peccatorum ſordibus emundari, dum conſtabat Principes colorem optimum in obſcuritatem vertiſſe, & dignitatem adulteraſſe.
Damian. Adeſt citatus Damianus: *Quando obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, nec erat in eis qui faceret bonum, nec etiam vſque ad vnum: tunc ergo tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram.* Dum qui auri metallorum Principis ad inſtar Principatu gaudebant, colorem adulterarunt, & nitorem infuſcauerunt, caligo terram vniuerſam impleuit: nec enim poterant quidquam ad depellendas tenebras auri fulgores, dum colorem deturpauere caligines. Quicumque excelſa poſſidet & aliis præſidet, omni ſolicitudine ſatagat virtutum poſſidere ornamenta, nec leuiſſima famæ ſuſtineat nubila, ſi exambit aliis prodeſſe; alioquin caſſus erit ſæpiſſimè labor: quia quod verbis molitur adſtruere, conſtat deprauatis moribus diſſipare.

---

§. XXV.

Sæpè exigua nitorem perfectionis infuſcant, & gratiam auſteritatis dedecorant.

101. ETſi iuſtitiam colere & amare vniuerſis conueniat, eis præcipuè qui de ſtatu perfectionis gloriantur, nec vitiorum iugum ſuſtinere patiuntur: omnia decet ſub laude gerere, quibus placet illibatum virtutis ſplendorem ſeruare: cryſtallus leui halitu ſordeſcit obſcura, auri fulgor exiguo puluere hebetatur, & argenteus nitor luteo nidore corrumpitur. Quiſquis ſine næuo virtutis amat pulchritudinem oſtendere, vel minima tenetur vitare: ſæpè namque aniles nugæ, & iocoſa verba virtutis famam obſcurant, & obloquentium murmurationes colorant.
Damian. Adeſt Petrus Damianus lib.6. epiſtolar. epiſt. 32. ſic ad eremitas ſcribens: *Vir quidam à Mediolanenſi vrbe progrediens dum me quæreret, per vos tranſitum habuit; ſed & habitare vobiſcum, vt ipſe profeſſus eſt, ſub eo nomine concupiuit. Qui dum laſſus itinere moram velut quieſcendo protraheret; ſed ab explorationis veſtræ cuſtodia clauſos oculos non haberet, neſcio quos veſtrum aniles nugas, & otioſa deliramenta perpendit profundere, & cum laicis ſcurriles iocos, & ludibria vidit vrbana miſcere: vnde factum eſt, vt non modò nos noſtrumque propter vos contubernium omne contemneret; ſed & ipſum conuerſationis animum, quantum potuit, funditus amitteret.* Profectò aniles nugæ, vrbana ac iocoſa ludibria virtutum ſubſtantiam non euertebant; ſed nitorem adulterabant: ſæculares etſi in ſpumoſi maris tramite procelloſis fluctibus agitentur, ſæpeſæpius non ſogillantur; at ſi quis mundum fugiens aliquid mundialis conuerſationis reſeruet, auſteræ vitæ decus infuſcat, & inuidentium linguas obarmat. Ob hoc Gedeon dum ſe in antra recipere Madianitas euaſurus decernit, omnem paleam à frumento vigilanti ſolicitudine diuidit: *Cum Gedeon excuteret, atque purgaret frumenta in torculari, vt fugeret Madian, apparuit ei Angelus Domini.* Angelico probatur dignus colloquio: quia paleam miſceri non ſuſtinuit frumento: cùm in ſpeluncas & antra ſe recipere, vt vitia in Madianitis adumbrata fugere poſſit, prouidenter decernit, ſolerti ſtudio omnem paleam excutere ſatagit: eſſet enim reprehenſione digniſſimum, vt Madianitas fruſtraretur, ſpeluncas, antraque incolere, & cum frumento paleas portare: *Fecerunt*, inquit textus, *ſibi antra, & ſpeluncas in montibus, & munitiſſima ad repugnandum loca.* Huc tendebat Gedeon, & vti prudens portare ſatagebat frumenta nullis paleis immixta, & mixtione adulterata. *Quid eſt frumentum virga cædere*, inquit Rupertus libro in Ruper.
Iudices capite nono, *niſi rectitudine iudicij à vitiorum paleis virtutum grana ſeparare? Sed hæc agentibus Angelus apparet.* Paleæ leui flatu ventilantur, quæ niſi à frumento ſeparentur, eius venuſtatem infuſcant, & gratiam prorſus dedecorant. Ergo Gedeon paleas excutit, ſeipſum vrgens, ne deuenuſtet celebrem fugam, ſi ſecum aliquam portauerit paleam.

Sponſus, vt erat vineæ ſuæ amantiſſimus, 101.
ſeriò iubet vulpes paruulas capi, & occidi, ne ferax vinea fructus protulerit minus copioſos, aut immaturos: *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea noſtra* Cant. 2. v.15
floruit. Quaſi dicat: Ne noſtræ, quod aliorum vineis, accidat, paruulas vulpes diligenter abigite, aut ſtudioſè apprehendite: peſtilenti namque ore arrodunt pampinos, corrumpunt flores, faſcinant fructus. Profectò melius affectum erga vineam oſtendiſſet, ſi vulpes iam adultas, grandeſque capi imperaſſet; at dum exiguis capiendis impendit ſtudium, lædit ad ſpeciem affectum; imò eximiam erga vineam oſtendit ſolertiam, dum exiguis adeò ſolicitam impendit curam. Et quidem otioſum videbatur magnatum venationem vulpium iubere, quando in florenti Domini vinea magnæ vulpes non poterant inueniri; at vulpeculæ, quia exiguæ non ſemel diſſimulantur, & diſſimulatæ pulchritudinem demoliuntur: ob id Sponſus, dum florum nitorem amat, exiguas capi vulpeculas ſeriò imperat: nam etſi non arroſerint fructus flores deuenuſtant, & viridem pampinorum pompam dehoneſtant. Adeſt Bernardus ſermone Bernard.
63. in Cantica. Exigua vitia his vulpeculis explicans adumbrata: *Subit quidam animi rigor, & vigor lenteſcit, languor fingitur virium, horror auſteritatis intenditur, timor ſolicitat paupertatis, contrahitur animus.* Addit: *Deferueſcit nouitius feruor, ingraueſcit tepor faſtidioſus, refrigeſcit fraterna charitas, blanditur voluptas, fallit ſecuritas, reuocat conſuetudo.* Ecce quas vulpes abigere oportet, ſcilicet in operando teporem: nam licèt tepor opus prorſus non impediat, gratiam tamen operis deuenuſtat, ita vt iam auſteritatis vigor, caſtitatis candor, paupertatis affectus, antiquo non niteant decore, non quia corrumpantur decocti; ſed quia non alliciunt, vt olim, oculos pulchri.

Saul

103. Saul Dauidem adeò obſtinatè perſequebatur, vt in montibus deerrare compelleret: verùm qui captioſas tendebat inſidias, ipſis fraudibus captus eſt: 1. Reg 24. v. 6. Dauid namque occaſionem nactus opportunam, cùm tollere de medio potuiſſet, inimico pepercit, tãtillum vero chlamydis oræ abſcidit, vt fruſtulum teſtem fidelitatis haberet: *Præcidit oram chlamydis Saul ſilenter.* Nondum præciderat cùm dolor intimus corda quatit, & viſcera ferit: *Poſt hæc percuſſit cor ſuum Dauid, eo quòd abſcidiſſet oram chlamydis Saul.* Iam ſi quæras quæ doloris occaſio, reſpondebit Gregor. Gregorius apud gloſſam, deuenuſtaſſe exigua culpa factum ſæculis celebrandum, & admiratione plaudendum: *Si quando contra eos* (ſcilicet prælatos) *vel in minimo lingua labitur, neceſſe eſt, vt per afflictionem pœnitentiæ comprimatur.* Prædixerat: *Quaſi oram chlamydis ſilenter incidunt: quia dum prælati dignitati ſaltem innoxiè & latenter derogant, quaſi regis ſuppoſiti veſtem fœdant.* Veſtis tota fœdata eſt ſciſſura leuiſſima: ſatis namque fuit aliquid abſtuliſſe inimicum, vt integrum nitorem non ſeruauerit; ſed perdiderit. Quàm pulchra veſtis regia nitebat, marino conchylio rubens, quouſque gladius aduerſarij temerauit, & temerando corrupit. Quàm Dauid ſe vicerat, dum hoſtiliter ſe gerenti generosè pepercerat! at dum manus fruſtulo abſciſſo polluitur, eximius operis ſplendor aliquali næuo fœdatur. Adde defectus exiguos indies conſuetudine excreſcere, & aliquando in grauia etiam delicta trahere. Ob id fortaſſe vulpeculis exiguas culpas comparauit ſponſus: nam vt vulpecula temporum tractu fit vulpes, ita animus exigua modò culpa pollutus creſcit ſibi ipſi contrarius, & grandioribus irretitus.

104. Sunamitis illa acerbo dolore tacta Eliſæum adit contra mortis vim medicinam quæſitura: Propheta iubet Giezi ſtricta mortificatione præcingi, & crucis auſteritate obarmari: 4. Reg 4. v. 29. *Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade: ſi occurrerit tibi homo, non ſalutes eum: & ſi ſalutauerit te quiſpiam, non reſpondeas illi.* Accinctus & cruce Domini armatus mortem non repulit; ſed labor effectu caruit. Quærunt Patres cur Giezi tantũ laborem amiſerit. Rabbi Salomon apud Lyram reſpondet, quadam ſuperbia, iactantiaque intumuiſſe, & illius actionis decus deuenuſtaſſe: peccatis mortuus non reuixit, etſi Giezi ſtrictè cinctum cruceque armatum aſpexerit: quia iactantia & elatione quadam contaminatum agnouit. Audi Rabinum: R. Salomon. *Non erat vox, neque ſenſus: hoc fuit propter demeritum Giezi, qui non ſeruauit præceptum Eliſæi; ſed occurrentibus ſibi hominibus iactanter dicebat ſe miſſum ad ſuſcitandum mortuum.* Certè pœnitentiæ cingulo conſtringi, cruceque Domini macerari eximiam miniſtrabat ad depellendam mortem efficaciam, & ad peccatorem luci reſtituendum valentiam; at dum Giezi iactantiam ructat, dum abrumpit virtutis curſum, vt colloquia profanis miſceat, auſteræ vitæ quodammodò efficaciam eneruat: qui aſperitatis compungeretur aſpectu non doluit vanitate impeditus, ſed remanſit vt anteà mortuus. Nec ſolùm Giezi iocoſitate, inflatione, iactantiaque contra mortem conatur; ſed aduerſus ſe ipſum culpis, etſi exiguis, diſponitur: nam cùm Naaman lepra mundatus regrederetur, cupiditatis calcaribus agitatus inuolauit, & iam bona prophetarum nomine poſtulata mendax ſubripuit, & ſubripiens occultauit: priùs mortuo non infudit vitam iactantia; modo ſe infecit grauiſſima culpa. O quàm magnam ianuam ſceleri aperuit illa iactantia! Initio leui culpa fœdatur, ſed leui fœdatus maiora crimina amplectitur. Adeſt Chryſoſtomus apud gloſſam: Chryſoſt. *Curatur Naaman Syrus, & lepra Giezi perfunditur ſeruus; Syro fides attulit gloriam, & ſeruo perfidia intulit pœnam.* Ecce inuenitur iam perfidus, qui initio virtutis curſum acciderat iactabundus: vt noueris obſtare principiis, ne quæ exordio exigua, aut humeros terant adulta, aut diuexent coaceruata.

In pigritiis humiliabitur contignatio, inquit, 105.
Eccleſiaſtes, *& in infirmitate manuum perſtillabit domus.* Eccl. 10. v. 18. Ecce quæ exordio pigritia, infirmitas ſtatim proditur, & contignatio infirmitate humiliatur: perſtillat initio leuibus ſtillicidiis; ſed poſteà infirmata, & debilitata ſubſtructio corruit. Adeſt Petrus Damianus in allegor. Tilman. ad cap. 12. Matthæi. Damian. *Ponamus itaque vt otioſum verbum, ſi contra ſacra Scripturæ ſententias fas eſt dicere, leue ſit & exiguum omnino peccatum: Sed quid millio breuius, quid plumis leuius inuenitur? Verumtamen ſi plumarum, vel milliorum innumerabilis multitudo congeritur, neceſſe eſt vt ceruix portantis velut ſub graui laſſe immoderanter preſſa frangatur.* Quæ leuia videntur, dum vires imminuunt, ad maiora diſponunt, & quæ ſigillatim parui momenti, coniuncta intolerandi ſunt ponderis: *Ex humentibus quoque ſaxis,* addit Damianus, *tenuis quidem & rara gutta diſtillat; ſed ſi vas ſubeſſe ſpatio longiore permittitur, ita plenum, ac ſi profluens vnda decurreret, inuenitur.* Domus pulchritudo ſtillicidiis ſordeſcit, & quæ vndulæ exiguitate non premebatur, numero tandem conſternitur.

Summo ſtudio prouidit Deus, vt ingens illa 106.
arca, quæ ſeruandis mundi ſeminibus parabatur non ſolùm bitumine liniretur interiùs; ſed etiam extrinſecus: *Bitumine linies intrinſecus & extrinſecus:* Gen. 6. v. 14. ne ſi pateret vel leuiſſimæ vndulæ locus, nauigabilis ædificij decorem minueret, & artificem quodammodò dehoneſtaret. Adeſt apud Lippomanum ad illa verba 7. Geneſis: Incluſit illum Dominus Ambroſius: Ambroſ. *Claudenda fuit arca, & tuto ſepienda munimine, ne eam vaga diluuij fluenta penetrarent.* Si per arcæ rimulas guttulis locus pateret, nec animalibus eſſe potuiſſet auxilium; nec tam improbi laboris elogium; Damian. at dum nec leui guttulæ locus patet, clauſula animalium viget: *Parua, addit citatus Damianus, equidem cyniſes: ſed innumerabiles ſuperbi Pharaonis, & totius Ægypti ſuperauere virtutem:* Exiguis ipſa pertinacia cyniſibus ceſſit, nec potuit damnabilem ſuum conſeruare nitorem, dum paruit plurimis, & admiſit.

§. XXVI.

Quidquid Deo ſeruit, & homini prodeſt.

LVcroſum hominibus commercium eſt ſua 107.
Nomini honorando dicare: non amittunt; ſed veluti fideliſſimi nummularij menſis exponunt, ex quibus ſtipendia copioſiſſima ſugunt.

 Quod

Digitized by Google

Tertullian. *Quod homini proficit Deo ſeruit*, aiebat Tertullianus lib. de pœnit. cap. 2. nam cùm Deus nullo indigeat, & bonorum omnium fons ſit copioſiſſimus, & penes ſe clauſum habere theſaurum impotens, tantùm abeſt à non ſoluendo ſibi credita, vt etiam largiatur hominibus inſperata. Arnobius lib. 2. Deum appellat inexhauſtum fontem, qui ſua ipſa natura ſe ad fluendum vrget, & latices laticibus nouis impellit. Audi

Arnob. eius verba: *An vlla eſt religio verior, officioſior, potentior, iuſtior, quàm Deum Principem noſſe, ſcire Deo Principi ſupplicare, qui bonorum omnium ſolus caput & fons eſt?* Vt caput non ſolùm membris omnibus præſidet; ſed & præſidendo conſulit: vt fons inexhauſtis laticibus diuitatus ſeipſum vrget, vt fœcunda vndarum prodigalitate campos circumfuſus abluit, ita Deus bonorum omnium vena indeficiens mouet, exci-

Caſſiod. *Principis ornatus ſubiectorum eſt gloria.* tat, & ad accipiendum inuitat: Veſtra gloria eſt, aiebat Caſſiodorus 10. var. 8. noſter ornatus: nil Principem ornat, quod ad ſubiectorum gloriam copioſiſſimè non deſcendat: nam qui ex ſe liberaliſſimus officioſitate allicit, cenſum ſibi creditum vſuris honeſtiſſimis incrementat, & calamitates longiſſimè fugat. Ecce Dei Angelus ſedet ſub quercu Gedeoné inauguraturus in Principem, & ad generalem populi ſalutem obarmaturus in hoſtem: *Venit Angelus Domini, & ſedit ſub quercu, quæ erat in Ephra.* Sedit non ad laſſitudinem ſubleuandam; ſed ad miſeriam populi depellendam: *Vade* (Gedeonem alloquitur) *in hac fortitudine tua, & liberabis Iſrael de manu Madian.* Profectò cùm annoſa quercus nec inter plantas ſit nobilis, nec fructu celebris, nec venuſtate ſpectabilis, ſcrutari nos cogit textus, cur Angelus hanc plantam ſibi delegerit thronum, vt ab ea emanarit afflictorum remedium: eſtne æmulatus Spiritum illum, qui ſerpentem induit, & ad confuſionem inuehendam inter arboris folia delituit. Benè; ſed Tertullianus aliam innuit cauſam, cùm docet tres illos Angelos Abrahamo obiectos ſub quercu ſediſſe, & itineris moleſtias grato illo hoſpitio ad ſpeciem ſubleuaſſe. Accipe eius verba libr.

Tertull. aduerſus Praxeam capit. 16. *Apud Abraham ſub quercu refrigerauerit.* Qui à parente olim Iſraelitarum inuitatus ſub quercu refrigerauit, modò vt Iſraelitas refrigeret, ſedet ſub quercu: vt noueris quam proſint homini, quæ conſecrata ſunt Numini. Quæ arbor vmbram protendit, ad itineris moleſtiam leuandam, modo Angeli eſt thronus ad anxiam Gedeonis fugam prohibendam, & fortunam lætiſſimam aduocandam.

Succedat ſibi Gedeon hanc veritatem ſuis geſtis comprobans, mireque declarans: ne ingratitudinis notam ſubiret, caniſtrum panibus

Iudic. 6. v. 19 plenum affert, & Deo offert: *Ingreſſus eſt itaque Gedeon, & coxit hædum, & de farinæ modio azymos panes, carneſque ponens in caniſtro.* Vides caniſtrum panibus oppletum ad honorem Numinis conſecrari, & hoſtiam cœlo gratiſſimam ſolidam ſuper petram offerri. Tranſi modò ad cap. 7. vt audias militem ſomnium referentem

Iudic. 7. v. 13 commilitoni: *videbatur mihi quaſi ſubcineritius panis ex hordeo volui, & in caſtra Madian deſcendere, cumque perueniſſet ad tabernaculum, percuſſit illud, atque ſubuertit, & terræ funditus coæquaui*; Abulenſis ex Hebræo transfert: Videbatur mihi caniſtrum panis hordeacei volui. En caniſtrum panis oblatum Deo voluitur ad inferendam cladem ingentiſſimam aduerſario: vt noueris Gedeonem ſacrificiis pro armis vſum, cœlumque pro ſacrificiis perſoluiſſe trophæa. Accipe Abulenſem quæſt. 16. ad 7. Iudic. *In Hebræo habetur: Videbatur mihi caniſtrum panis* Abulenſ. *hordeacei volui, ſcilicet quòd in caniſtro erant multi panes, & rotabatur caniſtrum, & diſpergebantur panes.* Rotatum caniſtrum validè adeo Madianitarum caſtra percuſſit, vt euerterit radicitus, & aboleuerit penitus: *Non dimiſit aliquid*, addit Abulenſis, *de tabernaculo ereptum; ſed totum complanauit, ita vt nihil maneret de tabernaculi figura, vel ſtatu.* Ni Gedeon caniſtrum conſecraſſet, contra Madianitas panis caniſtrum nullatenus habuiſſet, etſi non habuiſſet, non detriumphaſſet; at panis pro gladio fuit ſomnij teſtante veridico coniectore: Non eſt hoc aliud niſi gladius Gedeonis: nec enim Deus poterat negare tributum, cùm religioſum accepit obſequium: Ergo ſi vis anxias depellere anguſtias, largis muneribus honora Numinis aras: nam quidquid Deo offertur, ingenti lucro hominis vtilitatibus applicatur.

Cùm Abrahamus lætiſſimis à Domino ſpe- 108.
bus recreatus eſſet, ſignum non incredulus petiuit; ſed prouidus: Dominus pro ſua benignitate petenti annuit, & varia ſibi ſacrificari animalia iuſſit: *Domine Deus vnde ſcire poſſum quòd* Gen. 15. v. 8 *poſſeſſurus ſim eam?* Audis indubiè futuræ poſſeſſionis ſignum requiri: quid Dominus reſponderit, accipe: *Sume*, inquit, *mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium: turturem quoque & columbam.* Profectò iuſſio à propoſito diſcordare videtur: Abrahamus namque vult indubia teſtimonia, quibus agnouerit fore hæreditatem illam ſibi applicandam, & hoſtiam Domino præparat offerendam: oblatio diuinam conteſtabatur maieſtatem, non hominis poſſeſſionem: quomodo ergo vt homo futuræ ſignum acceperit poſſeſſionis, iubetur ſacrificium inferre Numinis aris? Quia nihil ſic hominis applicabatur commodis ac quod Numinis expenditur ſacrificiis: aues Deo oblatæ libertatis extitere ſecuræ teſſeræ: quaſi dubitari non poſſint humana incrementa, vbi præuidentur & religioſa holocauſta: *Columba*, ſcribit Theodoret. Theodoretus quæſt. 65. *generationem aliam innuebat, quæ terram promiſſam accepit.* Oblatum Domino ſacrificium indubium erat felicitatis præſagium: idemque fuit animalia Domino conſecrare, & terrenam poſſeſſionem adire: ſemper namque accreſcit hominum incrementis, quod offertur Numinis oculis: oblata columba iam erat veluti promiſſæ telluris poſſeſſio, & cùm fuerit, quod offerebatur, exiguum, fuit quod accipiebatur peramplum, intentioni poſcentis congruit maximè iuſſio imperantis: nec enim aliud ſecurius ſignum humanæ potuit felicitatis exhiberi, quàm ad honorem Numinis mundam & decentem hoſtiam litari.

Cùm ligna de inaugurando ſibi rege diſcep- 109.
tarent, oliuæ obtulerunt imperium; at illa ambitionis ignara, & ſolùm laudis ſolidæ ambitioſa ſic reſpōdit: *Numquid poſſum deſerere pingue-* Iudic 9. v. 9.
dinem meam, qua & dij vtuntur, & homines? Vt etiam ſceptrum oblatum eſt; ſed & reſponſum ſimile exhibitum: *Numquid poſſum deſerere vinum meum, quod lætificat Deum & homines?* ficus non diſcordauit, etſi aliis verbis reſponſum

Digitized by Google

ſum ediderit: *Numquid poſſum deſerere dulcedinem meam, fructuſque ſuauiſſimos?* Non addidit; Quibus dij vtuntur & homines, cùm oliuæ vitiſque mentionem fecerint hominis & Numinis: & quæ diuerſitatis ſtyli, arcani equidem ratio eſt? Cur vitis hominis lætitiam Dei gaudio coniunxit, & oliua vſum Numinis hominis vſu ampliauit? Quia alterum quaſi alterius erat appendix: oleum ad honorem Numinis oblatum iam ad hominum etiam applicatum eſt vſum; imò ad morborum remedium: vinum etiam Deo exhibitum lætitiæ eſt hominum applicatum; at in ficu, nihil profertur diuinis vſibus productum, nec humanis legitur datum: quaſi nihil poſſit hominum vtilitatibus inſeruire, ni priùs didicerit honori Numinis exhiberi; nec poſſit quid Deo exhiberi vti religioſum obſequium, quin hominis referatur & commodum: vbi fructus Deo oblatus non legitur, nec homini adſcriptus auditur, & vbicumque Numini adſcriptus auditur, fructus applicatus homini legitur: *Qua & dij vtuntur & homines, id eſt, Deus*, ait Lyra, *in lucernis ardentibus in tabernaculo, quæ implebantur oleo oliuarum puriſſimo, & homines condimentis ciborum, & confectionibus medicinarum.* Duplex homini præſtabat officium, vnicum Domino oliuæ obſequium: ſemper namque honeſtis vſuris multiplicatur quidquid honorando Numini offertur.

Lyra.

---

§. XXVII.

In Domino fiducia fructus producit & animo dulciſſimos, & etiam ſaluti commodos.

110. SPes, in Dominoque fiducia labores lenit, & fructus dulciſſimos fidenti parit: fiducia eſt ſalutis fulcimentum, & ſi fas eſt dicere; vitæ ſubſtantia, & hominis ſubſiſtentia: vnde Chryſoſtomus ſerm. de fide, ſpe, & charitate ſic aiebat: *Spes ipſum hominem conſtruit*; torpet tota humanitas fiduciæ deſtituta vigore; ſpebus accenditur, & fulcitur. *Tolle ſpem*, aiebat Zeno Veronenſis ſerm. de ſpe, & fide, *artes, virtuteſque vniuerſæ ceſſabunt*: lucri humani ſpes docuit naues compingere, artes colere, labores contemnere; caruit tamen, vtpote cupiditate innixa, non ſemel fructibus; imò punita eſt inopinatis laboribus; at quæ Domino innititur, animæ corporique fructus copioſos parturit & maturos. Radix patientiæ ſpes eſt, patientia bonorum mater, & ita qui ſperat, forti decoratur patientia, & bonorum exundat copia: *Patientiæ radix ſpes eſt*, inquit Ambroſius in Pſalmum 118. Vrgent labores, ſpera: premunt ægritudines, ſpera: inceſſunt hoſtes, ſpera: hæc enim generalis malis omnibus medela eſt, quæ de optimi medici venit peritia nec viſa eſt vnquam fructibus caſſa. Sub quercu ad Ioas pertinente ſedet Angelus in Ephra: *Sedit ſub quercu, quæ erat in Ephra, & pertinebat ad Ioas.* Hugo Cardinalis Ioas interpretationem adjicit: ſcilicet *ſperantem*: vt noueris fiduciam alle xiſſe Angelum, & peperiſſe de hoſtibus triumphum. Accipe Hugonem: *Pertinebat ad Ioas, qui interpretatur ſperans: quia fructum non capiunt niſi ſperantes in crucem.* Qui non ſperat ſe copioſis fructibus priuat; qui ſperat adhuc immenſa ferè laborum mole oppreſſus, & ærumnarum afflictionibus diuexatus, non perit; ſed viuit: imò ipſis difficultatibus ſuam cumulatiùs felicitatem adornat, & adoratam æternat. *Bene dicitur eſſe in Ephra*, ſcripſerat Hugo, *quod interpretatur fructificans.* Ioas Ephra poſſedit: quia ſperans fructibus exundauit: vt noueris: quanta à ſpe fiduciaque promanauerint bona, dum audis de Madianitis fore reportanda trophæa.

Chryſoſt.

Zeno.

Ambroſ. *Spei radix patientia.*

Hugo.

111. Martyrij quodammodò genus eſt, horrendum præuidere ſupplicium, quando multiformis crudelitatis ſanguinolenta oſtentatio timorem gignit, & vel fortiſſimos horrore percellit, verùm qui in Domino confidunt, adauctis pœnis gloriantur: quia ſciunt nunquam veræ fiduciæ defuiſſe præmia, quantumuis videantur vndique adurgere pericula. Ecce in tres pueros horrendum obarmatur incendium: anhelantibus flammis, rugientique camino traduntur, & ne quid iraſcenti inſaniæ feritatis deeſſet, pice, & ſtuppa armatum irritatur incendium, æſtuantibus flammarum globulis aër nigreſcit; verùm puerorum fiducia vincit: *Ecce Deus noſter, quem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô rex, liberare.* Regias intentatis ignibus addiderunt manus, quaſi difficiliùs ſit furentis Principis deſæuientiſque potentiæ impios conatus eludere, quam flammarum æſtus fruſtrare. Denique vbi præcipitantur inſontes, flamma blanditur, & oſculis adulatur. Quòd ſi huius victoriæ requiras cauſam, adinuenies religioſam fuiſſe fiduciam: nec enim carere poterat triumphis, quæ tantis ac tam cęleſtibus fiducia innitebatur auxiliis. Adeſt Tertullianus aduerſus Gnoſticos capit. 8. *Trina fraternitas cùm dedicatio imaginis regiæ vrbem vrgeret officio, non ignorauerunt quid fides, quæ ſola in illis captiua non fuerat, exigeret, mortem ſcilicet aduerſus idololatriam.* Subnectit: *Itaque dixerunt a Deo conceptâ fiducia, quando vigore animi conditionales minas regis excutiunt: Non habemus neceſſitatem reſpondendi.* Audis fiduciam, oculis ſpecta victoriam: *Quos propterea*, addit Septimius, *Deus texit, ne poteſtatem eius mentiti viderentur.* Itaque fiducia cauſam puerorum in Numinis cauſam conuertit, quando iam omnipotentiæ efficacia, opinioque videbatur periclitari, ſi fiducia armatos anhelantibus flammis contingeret pueros exuri. Dum in Domino innixi projiciunt vitam, ne admiſerint criminis maculam, virtutibus adornati ab omnibus celebrantur, & ab ipſo rege ad ampliora munera promouentur: *Tunc rex promouit Sidrac, Miſach, & Abdenago in prouincia Babylonis*: vt iam liqueret religioſam fiduciam non ſolùm agere internæ cauſam ſalutis; ſed externæ etiam felicitatis. Inde prodierunt dignitatibus promouendi, vbi cenſebantur rugientibus æſtibus deuorandi.

Dan. 3. v. 17.

Tertull.

112. Ioſue virtutis cauſam ſolicitans cum religionis hoſte congreditur; & quidem non potuit impietas non cedere religioni; verùm cùm celeberrimus iam triumphus haberetur in manibus, Sol ad occaſum inuolabat ocyſſimis greſſibus; at ſtrenuus dux in Domino confidens prudenti ac religioſa temeritate Solis imperium retardare non metuit, & ſiſti medio in cœlo exertis vocibus imperauit: *Sol contra Gabaon ne moueâ-*

Digitized by Google

Ioſ.10.v.12. *mouearis, & Luna contra vallem Aialon: ſteteruntque ſol et Luna.* Quod nulla Ioſue poſſet humana efficacia, conſecutus eſt cœleſti fiducia: dum non dubitans, dum confidens ſyderibus imperat, ſibi victoriam accelerat: *Hac*, ſcribit Zeno Veronenſis ſerm. de fide, ſpe, & charitate: *vt curſus ſoliti contempta menſura Ieſu Naue deſiderio pareretur? Solis, Lunaque ſuos frænos induxit.* Fiducia, quæ honorauit omnipotentiam, Solis etiam gubernauit aurigam: fidenti homini ipſum obtemperauit Numen, vt ſimul humanis, copioſiſque ditaretur trophæis, & obſequiis gloriaretur etiam diuinis. Certè fiducia prophetiæ Spiritu futura agnoſcit, & quia didicit ſemper triumphare, inter ipſa pericula neſcit timere.

113. Ecce gigas ille, qui montis ad inſtar Iſraelitas omnes deterrebat, puerili manu proſternitur, quò durior fuerit ictus, dum ignobiliori, indoctiorique dextra lapis eſt iactus. Iam ſi quæras quid tantum Dauidi pepererit triumphum, reſpondebit dilucidè textus: *Ego*, inquit

1 Reg 17. v 45. David, *venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Iſrael, quibus exprobraſti hodie; & dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum à te.* Quidquid ſibi promiſit, impleuit; & pro arbitrio, ſi fas eſt dicere, modum delineauit victoriæ, & infligendę qualitatem expreſſit plagæ: non timuit bellicoſum imbellis, armatum inermis, puerulus militem: nec mirum: veniebat namque dignis ſpebus armatus, & Domini nomine communitus. *Hæc*

Zeno. (verba ſunt Zenonis ibi) *de armato Golia Dauid inermi triumphos attulit.* Hoſtiles vires militabant fiduciæ, & qui in Domino fidebat, iam hoſtem virulentiſſimum detriumphabat: fiducia mouit manum, direxit lapidem, diſtupit galeam, proſtrauit hoſtem, vt noueris in vera Dei fiducia armamentarium tibi contra aduerſarios omnes aperiri, cuius ſi prudenter volueris armis vti, glorioſiſſimis triumphis facillimè poteris coronari.

114. Et quidem totus eſt dæmon in euertenda fiducia, quam niſi labefactauerit, omnes ſuas technas fruſtratas dolet. Multiformes Iobo tetendit inſidias, eluctantes detruſit flammas, aduerſariorum aſciuit turmas, filiorum maturauit ruinas; verùm in fiducia armatum non poterat præualere; imò omnes artes ſuas dolebat eludi. Quid tunc? Iam non in hominem; ſed in fiduciam arma conuertit, quam ſi vulneraſſet, & victoriã ſine dubitatione tuliſſet. Fœminam inſtigat, vt vaniſſima fiducia illum inniti ſua-

Iob.2 v.8. deat: *Dixit illi vxor ſua? Adhuc tu permanes in ſimplicitate tua? Benedic Deo, & morere:* ad deſperationem impuliſſe teſtatur Origenes lib. 2. his verbis: *Dixit ad eum vxor eius: Quouſque ſuſtines? Quid ſperamus? Quid ſuſpicamur? Quid æſtimamus?* Vides telum contra ſpem contorqueri: quia iam experientia didicerat inimicus in bene ſperantem nec valere plagas, nec prodeſſe moleſtias, nec captioſas ſuccedere induſtrias; verùm Iob fiducia armatus adverſatium deuicit, & triumphum de furiis gehennalibus reportauit. *O malignitas aduerſarij*; addit

Origen. poſt aliqua Origenes, *O calliditas diaboli, o fallacia nequiſſima! quam blandè loquitur, quàm callide decipit, quam miſerabiliter ſatur, vt pronocet ſenſum, vt atterat mentem, vt exaggeret animum, vt perturbet præcordia, vt immutet conſcientiam, vt delaſſando atque fatigando, & debilem atq; deſperantem efficiendo ad blaſphemiam eum prouocaret.* In ſpem ac fiduciam conuertit inſidias, agnoſcens contra ſpebus bene munitum artes ſuas nihil valere, & ſolùm ad confuſionem ſibi & dolorem aggerandum præſtare.

---

§. XXVIII.

Ille dignitatis culmina dignè aſcendit, qui ſolicita perſpicacia ſub virtutis colore obrepentia vitia dignoſcit, ſtudioſeque diuidit.

NOn ſemel mala honeſti ſpeciem induerunt, & oculorum perſpicaciam fictis imaginibus hebetarunt: ſunt virtutibus plurima vitia confinia, & perditis ac turpibus rebus recti aliquando ineſt nonnulla ſimilitudo. Sic mentitur prodigus liberalitatem, cum interſit plurimum inter dandi doctum, & ſeruandi ignarum: multi projiciunt non donant, qui non vocandi ſunt erga alios generoſi; ſed pecuniæ ſuæ irati: negligens imitatur facilem, temerarius fortem: hæc ergo ſimilitudo amat conſtantis iudicij perſpicaciam, ne illi imponant ſpecie quidem vicina, re autem inter ſe maximè diſtantia; verùm licèt omnibus hæc iudicij prudentia ſit neceſſaria in his qui dignitatis apicem inſcenderunt, inuenitur neceſſariſſima, ne ſi præſtigiis illudantur, falſa pro veris habeant, & ſupplicio dignum præmiis afficiant ingenti virtutis detrimento, & ipſius regentis probro. 115.

Quàm bene Seneca epiſt. 45. *Tota illò mente pergendum eſt, vbi prouideri debet, ne res nos non verba decipiant: res fallunt, illas diſcerne: pro bonis mala amplectimur: optamus contra id, quod optauimus, pugnant vota noſtra cum votis, conſilia cum conſiliis... Sic iſta ſine noxa decipiunt, quomodo præſtigiatorum acetabula, & calculi, in quibus fallacia ipſa delectat.* Itaque vt præſtigiatores manuum agilitate illudunt oculos, & falſa pro veris adſtruunt, ſic etiam multi ſimulatis virtutibus quodammodo ludunt, & niſi ſolertiſſimè attendantur, imponunt. Hinc Deus, vt ad dignitatis apicem Gedeonem eueheat, priùs excutiendi frumenti labore exercet, & ipſo exercitio docet: *Cùm Gedeon filius eius excuteret, atque purgaret frumenta in torculari, vt fugeret Madian, apparuit ei Angelus Domini, & ait, Dominus tecum virorum fortiſſime.* Hugo Cardinalis animaduertit fuiſſe tunc ad dignitatem electum, cùm à granis paleas excuteret, & purgaret: *Gedeon excutit frumenta in torculari: quia Chriſtus in die iudicij ſeparabit grana virtutum à paleis vitiorum, hæc recondens in horreis ſuis, & illa expellens in ignem æternum.* Vt paleas granis inſertas fidele iudicij ventilabrum diuidit, ne pro paleis grana habeantur, aut pro granis paleæ honorentur: Sic prudentiſſimus Gedeon inter ſimulatas veraſque virtutes diſcernit, ne pro fructibus amplectatur paleas, aut pro paleis depretiauerit fructus: *Adulatio*, addit vbi ſupra Stoicus, *quàm ſimilis eſt amicitia, non imitatur tantum illam; ſed vincit, & præterit: apertis & propitiis auribus recipitur, & in præcordia ima deſcendit, eo ipſo gratioſa quo lædit. Doce quemadmodum*

Seneca. Hugo. Seneca.

Digitized by Google

modum hanc ſimilitudinem dignoſcere poſſim. O quam indignus probatur apice dignitatis, qui neſcit diſtinguere, & prout ius, ratioque exigit, actiones quaslibet æſtimare.

116. Moyſes populum in libertatem aſſerturus aduenerat, & ne Pharaonis pertinacia vllam queat excuſationem habere, ſtupenda aggreditur miracula perpetrare: Virga in terram proiecta veri colubri induit faciem, vt Chriſti Domini repræſentarit virtutem: *Verſa eſt in colubrum.* Ægypti Sapientes adſtant, & virgas præſtigiis in dracones ad ſpeciem conuertunt; *Verſa ſunt in dracones.* Ecce dulciſſimæ virgæ ſimilem oculis repræſentant ſpeciem. Quid tunc? Pharaonis oculi ſic gemina cæcitate premuntur, vt nec Magorum dracones crediderit fictos, nec Aaronis verum; imò Magorum dracones credidit veros, & Aaronis fabuloſum. O quàm non erat ſuſtinendus, ſed dignitatibus iure optimo exauguran dus, qui neſciebat internoſcere, & impreſſis notis inter ficta & vera diſtinguere. Dignus erat Moyſes imperio, quia quantumuis Magorum dracones Aaronis aſſimilarentur ſerpenti, veris certiſque notis ita inter ad ſpeciem ſimillima diſtinguebat, vt Magorum dracones clariſſimè videret fictitios, & Aaronis ſerpentem ſolidum. *Corpora videbantur Pharaoni & Ægyptiis*, ſcribit Septimius lib. de anima capite 57. *magicarum virgarum dracones.* Mirum non erat durè in Ægypto virtutem premi veritatemque exulare, quando qui dignitatis aſcenderat apicem, mendacia habebat pro veris, & vera æſtimabat pro mendaciis. Proh miſeram ſeruientium calamitatem, vbi euanidum, quia veri ſpeciem induebat præſtigiis videntem ludificabat! Quàm bene, & quam verè aiebat datus Stoicus: *Vitia nobis ſub virtutum nomine obrepunt, temeritas ſub titulo fortitudinis latet, moderatio vocatur ignauia: pro cauto timidus accipitur, in his magno periculo erratur: his certas notas imprime.* Oportet ſolerti mentis perſpicacia facta multorum attendere: nam plures ſatagunt non ſolida efficere; ſed coloratis imponere: magno hic omnes periculo errant; ſed præcipuè quibus facultas eſt honeſta præmiandi, & à virtute aliena puniendi.

Exod.7. v.10.

Tertullian

117. Ad occaſum Saulis regnum iure vergebat, cùm ſibi à Deo reuelatis plene non crederet, & pythones ad credendum conſuleret: Samuel Dei nomine verus propheta præcidendum regnum ſignis clariſſimis docuit: *Scidit Dominus regnum Iſrael à te hodiè.* Audit Prophetam, & quaſi illuſoria dixerit, honorari coram populo exambit: *Nunc honora me coram ſenioribus populi mei; & coram Iſrael.* Tranſi modo ad cap. 28. vbi per pythonem excitus ad ſpeciem Samuel apparet, & Sauli futura prædicit: *Intellexit Saul quòd Samuel eſſet, & inclinauit ſe ſuper faciem ſuam in terra, & adorauit.* Spectrum vt pluribus placet, adorat, qui prophetam non adorauit: cùm verum audit, Samueli non credit, & vt fidem adhibeat, quærit ſpectrum pallio velatum, & Samueli exteriori ornatu ſimillimum. Adeſt Tertullianus citato loco: *Ecce hodie eiuſdem Simonis hæreticos tanta præſumptio artis extollit, vt etiam prophetarum animas ab inferis mouere ſe ſpondeant: & credo quia mendacio poſſunt.* Subnectit: *Nec enim pythonico tunc ſpiritui minus licuit animam Samuelis effingere, poſt Deum mortuos conſulente Saule: abſit alioquin vt animam cuiuslibet Sancti, nedum prophetæ, à dæmonio credamus extractam.* Attentiùs percipe quæ ſubjicit: *Et ideo per quem viſurum ſe credidit, vidit, quia per quem vidit, & credidit.* Itaque pſeudo-Samuelem prophetiæ pallio videns obtectum, ſitienti aure auſcultat, & credit, & dum figmento credit, labentis regni excidium audiit: nec enim iam Numinis patientia debuit in throno hominem tolerare, qui Samueli eam reuerentiam non exhibebat, quam ſpectro Samuelis præſtabat: ſe inclinans pſeudoprophetam adorat, & dum plus æſtimat, quàm veritatem, præſtigias, ſe audit purpura denudandum, & æmulum, id eſt, contraria operantem ſceptris muniendum: eſt enim imperio dignus, qui inter imaginem & veritatem diſtinguit, vt debet exauguraari qui cæcis oculis non dignoſcit. O quoties, quod tunc ſemel, videmus accidere! Veris prophetis, fideliſſimis miniſtris non ea aliquando fides præſtatur, quæ ſpectris vaniſſimis exhibetur. Nonnulli Samuelis pallio teguntur, cùm Samuelis ſpiritu non teguntur: imponunt oculis, & poſſunt quidem mendaciis: ergo periit dignitas, à qua amplior honor impendebatur ſpectris, & minor ſolidis: *Saulis Theſaurus illic erat* (verba ſunt Septimij) *vbi & cor ipſius, vbi ſcilicet Deus non erat.* Dum cor pythonem Deo relicto quærit reperit ſpectrum, & dum ſpectro exhibet reuerentiam, appetentem audit ruinam.

1 Reg. 15. v.28.

1. Reg. 28. v. 14.

Tertull.

Coram Salomone duæ mulieres ſibi aduerſantes contendunt: quæuis eodem colore ſuam tuetur cauſam, & alterius criminatur iniuriam: non erat facilè rem dignoſcere, & indubium iudicium ferre: verùm Salomon machæram afferri imperat non diuiſurus infantem; ſed intentata diuiſione agniturus parentem: vera mater maluit iure cedere, quàm periculo filium exponere; quæ ſe matrem ſimulauerat, innocentis paruipendebat vitam, vt ſuam defenderet pertuicaciam: tunc ſapientiſſimus Salomon interrogauit pietatem, vt venaretur veritatem, quod & fecit veram & fucatam matrem agnoſcens: *Reſpondit rex, & ait: Da ei huic infantem viuum, & non occidatur: hæc eſt enim mater eius.* populus regem inter adeo ſimiles cauſas diſtinguentem à Domino electum agnoſcit, & gaudet: *Audiuit itaque omnis Iſrael iudicium, quod iudicaſſet rex, & timuerunt regem videntes ſapientiam Dei eſſe in eo ad faciendum iudicium* A Deo agnouerunt electum, dum vitia pro virtutibus non permiſit obrepere, nec virtutes vitiorum ſententiam ſubire. Quàm miſerum eſſet, ni rex pretioſum à vili ſeparaſſet, duplici æquitatis iniuria dimidium infantem à vera parente auferri, & nouercæ viruIentiſſimæ dari, at dum Dei ſapientia nec falſitatem coloratam remuneratar, nec virtutem fructibus priuat, Reipublicæ felicitatem portendit, & ſimulatis timorem incutit. *Nobile illud Salomonis iudicium* (inquit Ambroſius lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 8.) *& fraudem in ipſis cogitationibus occultis, & pietatem in maternis viſceribus deprehendit, vtique per Spiritus Sancti munus emicuit.* Regnum à Deo ſtabilitum oſtendit, dum vitium à virtute diſtinguit, dum æqualia præmia innocentiæ detrimento non diuidit, dum ius integrum virtuti ſeruat, & hypocriſin ſeuerè caſtigat. 118.

1 Reg. 3. v.27.

Ambroſ.

§ XXIX.

Digitized by Google

§. XXIX.

Chriſti Domini crux, paſſioque Angelorum eſt requies, & quaſi feriatio ab anxia ſolicitudine.

119. EA ardent erga hominis ſalutem ſupemi ſpiritus charitate, vt in ipſa natura afflictationis experte dum periclitatur humana ſalus videantur laborioſas pati moleſtias, & moleſtas ſubire anguſtias: amarè flent pacis Angeli, non quia defatigentur ſolicitudine; ſed quia vrgentur charitate. Faciliùs Seraphim prunæ ardentis ſuſtinebit iniuriam, quàm in prophetæ Iſa.6.v.6. labiis adſpiciat maculam: *Volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus: quem forcipe tulerat de altari.* Non timet manu premere flammam: quia plus angitur hominis delicto, quàm proprio aduſtionis tormento. *Videbatur* Hugo. *Iſaiæ*, inquit Hugo, *dum hoc adſpiceret, quòd vnus Angelus de altari holocauſti accipiebat lapidem vel carbonem ignitum, & tangebat labia eius illo lapide ignito, & immunditiam amouebat, & hoc eſt: Et volauit ſponte ad me purgandum.* Spontaneè eligit carbonis attactum, ne viderit in prophetæ labiis delictum; quaſi plus diſcrucietur hominis culpa, quàm ardentiſſima flamma. Ob id ipſum qui Moyſi oues agenti fuit obiectus, ſpinis acutiſſimis Angelus apparuit cinctus. Ita Exo 3.v.2. legunt Septuaginta: *Apparuit ei Angelus Domini*: nec mirum ipſa charitatis flamma duriſſimi ſentes irrigentur ad Angelum diſcruciandum, quando Dei populus in Ægypto non ſolùm externa adflictabatur captiuitatis iniuria; ſed interna ſceleris defœdabatur miſeria: nec enim Angelo (noſtro modo de puriſſimis quidem ſpiritibus loquor) licebat quieſcere, dum tam durè cogebatur Dei populus laborare. Dum excuſſo iugo cauis vndarum montibus exultat lætus, iam nube pulcherrimis lucis fulgoribus intertexta veluti regali throno cœleſtis quieſcit ſpiritus: *Tollenſque ſe Angelus Dei, qui præcedebat caſtra Iſrael, abiit poſt eos, & cum eo pariter columna nubis.* Itaque quaſi eandem ſubeat fortunam dum populus teritur flagris percuſſus, & Angelus ſordet ſenticoſis ſpiculis terebratus, & refulget throno excelſus, cùm Hebræus ſolida littoris calcat ſpoliis ditiſſimis redimitus. Iam ſi huius rationem quæras, inuenies Moyſem mediante virga, hoc eſt cruce & Hebræos ſicco veſtigio per vortices traduxiſſe, & Ægyptios cauis vndarum voluminibus ſuf- Seleucienſ. focaſſe. *Nec iſtius vindictæ curſus*, inquit Seleucienſis orat. 9. *antè potuit abrumpi, quàm virga percuſſum mare his iter, illis ſepulchrum fuerit, & mare continentis ad inſtar viam Abrahamitis aperuerit; ceteros fluctus hauſerit.* Itaque Angelus nec duris ſentibus liberari, nec ſplendoribus valuit fulgere, quouſque crux aliis exitium, & attulit aliis trophæum. Itaque iam Domini crux apparuerat, iam mare ſciderat, iam Ægyptios verberauerat: ergo qui ante crucem Angelus duris ſentibus affligebatur in rubo, iam poſt Domini crucem regali requieſcebat in throno; intuebatur namque ſua vota feliciſſimè expleta, & hominum extincta ligno peccata. Ergo vt homines cruci debent duras peccatorum confregiſſe catenas, ita & Angeli moleſtas deſideriorum ſopiſſe anguſtias.

Cùm Dei populus Madianitarum tyrannide 120. premeretur, inuolat Angelus fauſtiſſima prædicturus, & quaſi itinere defatigaretur laſſus ſub quercu ſedet: *Venit Angelus, & ſedit ſub quercu, quæ erat in Ephra, & pertinebat ad Ioas patrem familiæ Ezri*: quòd ſi huius conſeſſus rationem quæras, reſpondebit Hugo Cardinalis quercum antiquis ſacram vtpote Dominicæ crucis vmbram, Angelo requiem præbuiſſe, & laſſum quodammodò recreaſſe: *Hic ſedit ſub quercu, id* Hugo. *eſt ſub arbore crucis.* Angelus vtpote patronus populi ſollicito deſiderio inardeſcens eius exambiebat ſalutem, hac pia ambitione excruciabatur, quin anxietatis flammas poſſet ſopire, aut ſolicitudine liberari: apparuit Chriſti Domini crux, cuius efficacia Angelicis ſtudiis adulata eſt illorum perficiens deſideria, dum hominum depellit delicta. Ergo ſub hac iam quieſcit placidus, qui ſub Adamitica arbore defatigabatur afflictus. Huc voco Athanaſium de cruce, Athanaſ. *Crux interpres fuit Angelorum cum hominibus amicitiæ* & paſſione: *Crux Domini Angelos hominibus conſocianis, & interpres conciliatrixque eorum amicitiæ fuit.* Dominicæ crucis virtute homines Angelicos mores induunt, & ad caſtra Angelorum tranſeunt: Ergo iam Angeli veluti ſtudio ſolicitiſſimo liberati requieſcunt: quia vident perfectam cumulatius per crucem quam diſcupiebant, homini afferre incolumitatem. Sedet Angelus ſub quercu crucis ænigmate: quia crux facilè Madianitas deteret, & iugum Iſraelitarum confringet.

Virulentiſſima Phariſæorum inuidia dum 121. plus à Domino beneficiorum vndis mitigari debuiſſet, inſanius in incendium excreuit: contenti non ſunt gloriæ Dominum ligno affigere; ſed mortuum etiam inuidia præſagiente compellebantur timere: ingentis magnitudinis ſpeluncæ oſtio aduoluerunt lapidem, ne mortuus prodire poſſet in lucem. Proh cæca ſagacitas! Arduum ne erit, ſi poſſit mortem vincere, lapidem amouere? aut quid opus eſt graui ſaxo, ſi mortis tenetur vinculo? Verùm vbi inuidia & amentia, hic actionum ratio non debet quæri: quia conſtat inuidum ſine ratione operari. Verùm vt nouerint lapidem non obſtare Domino; ſed nec ſeruo, qui teſtabatur aduolutus inuidiam, reuolutus cœleſtis Spiritus deprædicabat potentiam: *Ecce terræmotus factus eſt magnus,* Matth 28. v.2. *Angelus enim Domini deſcendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem, & ſedebat ſuper eum, erat autem aſpectus eius ſicut fulgur, & veſtimentum eius ſicut nix.* Chryſologus ſerm. 75. huius ſeſſionis perſcrutatur myſterium: nam cùm Angelum nulla poſſit laſſitudo defatigare, nec ſeſſio potuit aliquod laſſitudinis leuamentum afferre: cur ergo ſedeat expers laboris natura? Reſpondet quo ſolet acumine, ſediſſe vt oſtenderet appuliſſe iam feliciter ad deſideratum portum, & ceſſaſſe anxietatis ſtudium: ſedit, quia peruenit ad terminum, non quia laſſitudo ſeſſionis depoſtularet ſuffragium: ſedit vt oſtenderet & ſua deſideria perfecta, & inferna per crucem, & mortem Domini ſubiugata. Accipe Chryſologum: *Sedebat ad docendam reſurre-* Chryſol. *ctionem, non ad laſſitudinem ſubleuandam; cœleſtis natura ignorat laſſitudinem, neſcit laborem; ſed factus eſt lapis vas Angelicæ ſeſſionis, doctrina cœleſtis cathedra, ſchola vitæ: qui à Iudæis ad mortis ianuam, ad cineris ſeruitium, ad triſte ſilentium*

fuerat

Digitized by Google

fuerat conſtitutus. Angeli ante Chriſti Domini
triumphum anxiis humanæ ſalutis deſideriis
diſcruciabantur afflicti, & afflictione angeban-
tur quaſi vexati: venit Chriſtus, & cruce velu-
ti acerrimo ariete mortis muros ſubruit, & in-
ferna diſſipauit? ergo deuicta morte, furiis ge-
hennalibus deriumphatis, natura humana
glorioſè in libertatem adſerta quieſcit Angelus
fortunatus, & ſedet ſplendidiſſimus. Ipſe lapis
qui funeſtum mortis erat aduolutus auxilium,
reuolutus tranſiuit in perennis gloriæ, ac im-
mortalitatis trophæum. Iam Angelo ſedenti
fit thronus, qui furentis fuerat liuoris titulus:
vt noueris per crucem & paſſionem Domini
Angelis allatam requiem, & hominibus ſalu-
tem: Factus eſt lapis vas Angelicæ ſeſſionis,
doctrinæ cœleſtis cathedra, ſchola vitæ.

122. Homo Angelorum conciliis Angelicæ etiam
ſuperbiæ infeliciter fuit particeps, dumque ſe
eleuare nititur ſuprà ſe, non ſolùm cadit; ſed
ruit: ſemper namque eſt miſera deiectio ſuper-
bientium eleuatio: iam Adamus pellitus orbi
vt metallo datur, iam Angelo moleſtum mini-
ſterium iniungitur, præſtare ſcilicet flamman-
tia arma in hominem, quam amabat: ſtabat An-
gelus ante paradiſi ianuam Domini obſequio
deuotus; ſed hominis miſeria quodammodò
Gen 3. v. 24. afflictus: *Eiecit Adam, & collocauit ante paradi-
ſum voluptatis cherubim, & flammeum gladium
atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vi-
tæ.* Acerbum erat Angelo iniunctum officium,
nec præcipienti diſplicebat acerbitas à charita-
te prognata: & cum exactiſſima obedientia
coniuncta. Itaque Angelus, qui diſcupiebat
hominem ad vitæ lignum adducere, & culpæ
mortiſque deformitatem depelli, cogebatur
viam impedire, & peccatori obuiare. Ergo ſta-
bat laborioſiſſimo mancipatus obſequio, &
moleſto addictus laborabat officio: quouſque
pendentis in cruce Domini lancea militis latus
aperuit, & largiſſimas vndas præter opinionem
Ioan. 19. v. 34. elicuit: *Vnus militum lancea latus eius aperuit, &
continuò exiuit ſanguis & aqua.* Hac ſaluberri-
ma vnda extincta eſt flammea rhomphæa, vnò
eodem die expeditè potuit latro paradiſum adi-
Luc 23. v. 43 re teſtante ipſo Domino: Amen dico tibi: *Ho-
die mecum eris in paradiſo.* Itaque iam per cru-
cem ablatum fuit, quod erat homini impedi-
mentum, & moleſtum Cherubini ceſſauit offi-
cium, vt Cherubim cruci debeat illas à chari-
tate exortas euaſiſſe moleſtias, & homo paradi-
ſeas potiri delicias. Adeſt Theophylactus ad
19. Ioannis: *Quia omne quod verſatur, niſi quid
obſiſtat, non abſiſtit à ſuo curſu, Dominus oſten-
dens quod rhomphæam illam ſiſtat, ſupponit in figu-
Theophil. ra latus framea militis: oſtendens nobis, quod ſicut
framea militis appulſa lateri ſtetit, ita & flamma
ſtabit, & non vltra interminetur, & verſione ſua
exterreat prohibendo ingreſſum in paradiſum.* So-
pita iam flamma copioſis è latere vndis opus
non erat Cherubino ante paradiſi fores ſtare, &
ingreſſum homini prohibere; imò iam qui ar-
cebat olim introitum, poſt Chriſti crucem in
aduentantis latronis ruebat complexum: vt
vterque & homo & Spiritus Dominicæ cruci
ſe debitorem agnoſcat: homo quia per illam
donatus eſt paradiſo: Angelus quia moleſto ſibi
iam quieſcit liberatus obſequio.

§. XXX.

*Qui vtilitatem amat Reipublicæ, nun-
quam permittet otioſos quos egregiis
dotibus agnouerit exornatos.*

SAlus reipublicæ tunc floret vegeta, vegeta- 123.
turque florida, cùm nec patitur ignauos
dignitatis luce fulgere, nec eximiis ornatos
dotibus latitare: proprio ſanè fruitur honore
quod eſt natura laudabile, nec deſunt probatæ
conſcientiæ faſces, etſi exteriùs dignitatis non
circumſtent ſplendores. Omnia bona ſuis con-
iuncta ſunt fructibus, etſi inſolitum non ſit à
præmio ſequeſtrari virtutem, nec inauditum
ſui præmiis indebitis prauitatem. Verùm quiſ-
quis cauſam fouebit communem, ſemper eliget
glorioſis virtutibus præditum, & naturæ doti-
bus commendatum. Profectò ſicut ars decus
eſt vrbium, ita conſummatus vir ornamentum
eſt ciuitatum: *Habetis euidens noſtrum in hac
parte iudicium,* ſcribit Caſſiodorus l. var. 13. de
candidato, *vt poſt illius apicis culmen ad alteram
conſcenderet dignitatem: nec paſſi ſumus otioſum,
quem merita non ſinebant eſſe priuatum: ſereni
Solis conſuetudinis æſtimandus, qui licèt ſuſceptum
diem peragat; alterum tamen eadem gratia cla-
ritatis illuminat* Si feriaretur Sol ab hemiſ-
phærio remotus, omnia premeret confuſo
caligo, & concors ſcinderetur elementorum
compago, at dum laborat veridicus fulgor,
quem nec liuoris nebula fuſcare, nec maleuo-
lentia nocendi artes potuit aliquando ſuadere,
omnia recto ordine diſponuntur, & inferiora
placida tranquillitate lætantur. Aſpice quàm
ſordet mundus, dum Sol ſuo quieſcit oc-
caſu, quàm omnia antiquam redeant ad gra-
tiam, cùm iterum regit aurigam: ergo non
aliter dum otio permittitur, magnificis gra-
tiarum dotibus clarus, mundus ſordeſcit obſcu-
rus, & caligo diſcutitur, ſi ad dignitatis apices
euehatur. In torculari abſcondebatur Gedeon
vir eximiæ fortitudinis & virtutis; & quidem
dum latebat abſconſus, populus Iſraelitarum
gemebat oppreſſus; at Deus vt tot calamita-
tatum ſedaret vortices, latere non permiſit;
ſed ad ſollicitas regiminis curas traxit: *Cùm* Caſſiod.
*Gedeon filius eius excuteret, atque purgaret
frumenta in torculari, vt fugeret Madian,
apparuit ei Angelus Domini, & ait: Dominus
tecum virorum fortiſſime.* Bene Angelus greſ-
ſus collocauit, dum ad certamina orna-
tum fortitudine virum elegit: opprimeret
namque dura calamitas, ſi deligeretur igna-
uus, & otiaretur fortiſſimus; at dum quan-
tumuis lateat, deligitur campo ſtrenuus, iam
Reipublicæ floreſcit ſtatus. Huc voco citatum
Caſſiodorum: *Amoris veſtri intuitu commoue-
mur, quoties in veſtrum cœtum deducitur, qui de
glorioſis virtutibus æſtimatur.* Reipublicæ mo-
uetur amore, qui promouet eximiis dotibus
cultum, nec latere permittit otioſum: vt è con-
tra immani agitatur odio, qui dignitatis lumi-
nibus decorauit ignauum, & malitioſa obliuio-
ne prætériuit ſtrenuum.

Magnus ille Elias, dum videt virtutem con- 124.

Digitized by Google

temni, impietatem præponi, ſolitudinem adit proteruiæ, peruicaciæque inuitè cedens: in ſpelunca degebat, cùm à Domino vocatur, & ad vngendum reges, initiandumque prophe-
1.Reg.19. v.9 phetam deligitur: *Manſit in ſpelunca, & ecce ſermo Domini ad eum, dixitque illi: Quid hic agis Elia?* Ille receſſus cauſam prodidit, zelo religioſo ſcilicet æſtuaſſe, & virtutis cauſam egiſſe. Quid tunc Dominus? *Vade*, inquit, *& reuertere in terram tuam per deſertum in Damaſcum, cumque perueneris illuc, vnges Hazael regem ſuper Syriam, & Iehu filium Namſi vnges regem ſuper Iſrael, Eliſæum autem filium Saphat, qui eſt de Abelmeula, vnges prophetam pro te*: Calamitoſis rebus ſubueniens illuſtrem virum zeli ardore poſſeſſum dignitatis Deus honore ſubuexit, vt actione gereret, quam poſſidebat meritis dignitatem: dedit itaque perſonam tantis honoribus parem, qui religionis ſemper adhæſit lateri, & qui militauit ſemper virtuti: nec ſine magno reipublicæ detrimento lateret Elias veritatis quæſtor, quem nec blandus Principis fauor traxit, nec inſanus rigor euicit. Dignitati deligitur, ne ſibi viuat, qui poterat cunctorum eſſe ſaluti, quique reipublicæ ſtuduit ſemper proſperitati. Adeſt Caietanus:
Caietan. *Vade & reuertere in viam tuam: ecce prouiſio ſuauis aduerſus idololatras.* Idololatria reprimitur, dum acerrimus religionis defenſor non permittitur otio; ſed regentis adurgetur imperio: vt iam Numinis imitentur prouidentiam qui florere cupiunt rempublicam: ſæpè namque digniores ad montes [illegible]grunt, ſeque in ſpeluncis quodammodò abdunt vitæ pacatiſſimæ ſtudio, tumultuoſæ tædio; verùm hi extrahendi ſunt, vtque exerceant dignitatem, vrgendi: nam dum deligitur virtutibus clarus, calamitatis temperatur infortunium, & reipublicæ ſtabilitur augmentum.

125. Petri error grauiſſimè ſugillatur: quia ad rempublicam moderandam electus ſtrenuos viros viuere diſcupiebat receſſibus, ſi non otioſos, à munere prorſus liberos: editiſſimi in montis vertice coram diſcipulis ſuis Chriſtus Dominus miram claritatem induit, & ad ſe non ſine voluptate oculos adſtantium allexit: aderant tunc Moyſes & Elias cum Domino colloquentes: Petrus loci tranquillitate oblectatus:
Luc.9.v.33. *Præceptor*, inquit, *bonum eſt nos hic eſſe. & faciamus tria tabernacula, vnum tibi, & vnum Moyſi, & vnum Eliæ.* Petri votum ſugillat Euangeliſta, quaſi ab ignorantia profectum: *Neſciens quid diceret.* Et quare? Quia deſiderare debuiſſet præſtantiſſimos illos viros egregiè laborare populis erudiendis, & criminibus extirpandis: ergo ne quis putet à pr[illegible]entia exortum conſilium, expreſsè Euangeliſta errorem ſuggillat, & ignorantiam animaduertit. *Neſciens quid diceret.* Sciret profectò ſi deprecaretur Dominum, vt ſplendidiſſimæ illius lucis eiacularetur radios, quibus depellerentur tetræ errorum caligines, & illuſtrarentur hominum cæcitates: ſapienter poſtularet, ſi vellet Eliam iterum deſcendere in prælium, & hominum punire delirium; at errauit egregiè, dum quos nouit aptiſſimos magiſterio, latitare voluit ſtrictiſſimo tabernaculo. Adeſt Chryſoſtomus: *Neſcie-*
Chryſ. *bat quid diceret: nec enim aderat tempus finis ſæculi*: probos viros à reipublicæ moderamine abstr[illegible]e nil aliud erat, quàm publicas res perire: ergo Petrus imprudenter finem maturat, cùm otiari virtutibus conſpicuos exoptat: acceleraretur namque mundi finis, ſi ſtrictis tabernaculis latitarent ignoti, Chriſtus, Ioannes, Didacus, & Petrus ipſe, qui tot virtutibus reſplendebant conſpicui. Non ſine regentis iniuria homo modis omnibus abſolutus latet obliuioni traditus: quærendus eſt quantumuis latitet: quia in vno homine multorum agitur cauſa, & generalitatis quæritur vita.

Chriſtus Dominus non tam artus recreandi 126.
cauſa, quàm vtiliſſima nobis prodendi exempla cum diſcipulis nauigans obdormiebat: ingens ſæuaque procella nauim vndequaque exagitans clariſſimis vndarum voluminibus deprimebat: recurrentes inuicem ventorum turbines ferebantur inſcapam, & tamdiu diſcipuli fatigantur, donec dormientem excitant, & imperare pro- Marc.4.v.38.
cellæ exorant: *Excitant eum, & dicunt illi: Magiſter non ad te pertinet quia perimus.* Excitus Dominus ventis imperat, & iam in tranquillitatem tranſit procella, & fruſtrantur imminentia naufragia: *Ceſſauit ventus, & facta eſt tranquillitas magna.* Expende amabo te, quantis difficultatibus iterantur dormiente Domino, quamque placidè omnia quieſcant Domino vigilante: vnus vir præſtantia inſignis, & virtutum cenſu grandis omnibus vitam attulit otiari non permiſſus, & diſcrimen tota nauis ſubibat, dum arcano ſomno vacabat deditus. Quid intereſſet laborarent omnes cum tempeſtate induſtrio dormiente, & quid noceret otiarentur tot exornato dotibus vigilante? Adeſt Seleucienſis Seleucienſ.
Baſilius oratione 22. *Aduerſus diſcipulos cum talis tempeſtas depræliaretur, Dominus dormiebat. Ecquod hoc tantum nauigantibus prælium? Somnus.* Dum gubernaculis aſſiſtunt non adeo periti, dum aurigant nauim non adeò induſtrij, dum omnibus ſapientior otiatur, & munere vacare permittitur, elati venti, horriſoni fluctuum ſonitus nauigium contorquent, collapſoſque cum velo rudentes frangunt, & diſcipulos angore ſuſpenſos pre[illegible]unt; at dum omnium ſolertiſſimus, dum præſtantior cæteris ad vigilandum obnixis precibus cogitur, dum ingeminatis vocibus ad excutiendum ſomnum compellitur, iam detumeſcunt fluctus, inſanientes coguntur vêti, & anxios placida recreat tranquillitas, ſi ob ſomnum dura exagitabat tempeſtas, tantum iuuat induſtrius otio non permiſſus, & tantum nocet obliuione ignaua prætereitus.

In montium receſſibus oues agebat fortis 127.
ille manu, qui quondam aſcitus impuratum ſpiritum fregit, & abire cantu [illegible]it, Saul habitaculum dæmoni conceſſit, & dolores ingentes habitationis mercedem tulit, cumque de quærendo ageretur medicamine, ſic vnus ait de regiis miniſtris: *Ecce vidi filium Iſai Beth-* 1.Reg.16. v.18.
lehemitem ſcientem pſallere, & fortiſſimum robore, & virum bellicoſum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum, & Dominus eſt cum eo. Miniſtri ſententiam comprobauit euentus: nam Dauid dæmonis fregit potentiam, & Sauli attulit medicinam; verùm cùm Saul in certamen cum Philiſtinis deſcenderet, tres Dauidis fratres adlegit, ipſumque ad agendas oues remiſit: *Tribus ergo maioribus ſecutis Saulem, abijt* 1.Reg.17. v.15.
Dauid, & reuerſus eſt à Saul, vt paſceret gregem patris ſui in Bethlehem. Vides robore fortiſſi

Digitized by Google

fortiſſimum, bellicoſumque manumiſſum, cùm eius fratres nec dilaudati robore, nec certaminis peritia celebres fuerint militiæ adſcripti, & ad certandum delecti. Quid tunc? Omnes Iſraelitæ viſo Philiſtæo arripiebant celerem fugam, nec detrectabant ſuuite notam: *Omnes Iſraelitæ cùm vidiſſent virum, fugerunt a facie eius timentes eum valde.* Otio Dauid permittitur, & dum permittitur, omnis populus adurgetur: venit ille à patre iuſſus, & à Numine ad ſalutem populi delegatus, & ipſo quo reliqui exanimabantur, torno aduerſarij ſupercilio territi, inflammatus in arenam proſilit bellicoſus, eaque dexteritate lapidem funda circumducit, & iacit, vt proſtrauerit aduerſarium, & ſeruitute exemerit populum: Præualuit Dauid aduerſus Philiſthæum in funda & lapide. Expende quàm imprudenter, Saul bellicoſum contra ipſum dæmonem expertus remiſerit, quamque prouidè Dominus ad certamina delegauerit; dum fortiſſimus robore in arenam deſcendit, contrarius cadit, dum otio relinquitur, reſpublica grandi detrimento agitatur. *Non Dauidem,* inquit Chryſoſtomus apud gloſſam, *immanitas hoſtis exterruit, non armorum enormitas fregit, aut ſuperbia verborum imminuit, ſed fortiorem cunctis virtus diuina conſtituit.* Subdit rationem Dauidis nomine: *Adeſt Dominus, adeſt inquam, qui me in prælium cogit.* Dum ſtrenuus cogitur, reſpublica triumphis fruitur, dum bellicoſus prætenitur, reſpublica calamitate adurgetur.

Chryſoſt.

---

§. XXXI.

Superior facilè ad virtutem ſubiectos trahit & interna puritate nitens, & externa mortificatione pollens.

128 VT vitia prauis irritantur exemplis, ſic etiam optimis erudiuntur virtutes factis: ſuffunduntur de iuſtorum habitu exceſſus, & tacita reprehenſione profanus carpitur cultus de modeſti conſpectu ornatus: *Propemodum mihi licebit in publicum prodeſſe,* aiebat Tertullianus de pallio cap. 5. *Soleo de qualibet margine vel area medicinas moribus dicere, quæ felicius publicis rebus, & ciuitatibus & imperiis bonas valetudines conferent, quam tua opera. Quippe ſi pergam ad acuta tecum, plus togæ læſerunt Rempublicam, quàm loricæ. Atqui nullis vitiis, nullis veternis parco, nulli petigini adulor, a ligo cauterem ambitioni.* Retunditur ambitio decenti ſqualore obiecto, ipſe habitus pro concione eſt; verùm non eſt ſatis, ſi totum negotium ſignis committatur externis, & careat philoſophus ſolidis. Vnde Sidon. lib. 9, epiſt. 9. monebat: *Non pallio aut clauæ velut Sophiſticis inſignibus gloriari, aut affectare de veſtium diſcretione ſuperbiam, nitore pompam, ſqualore iactantiam.* Itaque externa tantum veluti Sophiſticis argumentis tantiſper eludunt, non proſunt: externa internis debent concordare, vt admonitio vigoroſa efficacia valeat, & fructus nitidos proferat. Ecce Angelus peccati iugum de reorum ceruicibus inuolat excuſſurus, vtque Gedeoni perſuadeat manum cogere, & audacter in aduerſarios irruere, ſub quercu ſedet: *Venit autem Angelus Domini, & ſedit ſub quercu, quæ erat in Ephra.* Hugo Cardinalis teſtatur in quercu adumbrari crucem, & in Ephra fructus repromitti copioſos: Sedit ſub quercu, id eſt ſub arbore crucis. Addit: *Quæ bene dicitur eſſe in Ephra; quod interpretatur fructificans; quia crux affert fructus multiplices.* Angelus interna virtutum excellentia pollebat, vt tamen ad deiicienda vitia, & excutienda de ceruicibus probroſa Madianitarum iuga efficaciùs alliceret, cruci ſe quodammodo addixit, & iam multiplices affert fructus internus candor, & externus corporis rigor.

Tertull.

Plus toga Reipublicæ nocere ſolet, quàm hoſtis lorica.

Sidonius. Squalore nutritur aliquando iactantia.

Hugo

Crux multiplices affert fructus

Ioel vt plebem, quam truculentæ ad inſtar feræ dilacerauerant vitia ad virtutum concinnitatem adduceret, ſic prælatos ac maiores monebat: *Plange quaſi virgo accincta ſacco ſuper virum pubertatis tuæ: periit ſacrificium & libatio de domo Domini: luxerunt Sacerdotes miniſtri Domini, depopulata eſt regio.* Duo coniunxit & externas ſacci ſordes & internas puritatis virtutes: virgo plangit, & quaſi vidua pullis ſordeſcit: & quidem vtrumque opus erat ad erudiendum populum depellendumque vitium: eſſet namque parui momenti ſi quam interiùs virginitatis excellentiam colebat, exteriori pompa infamaret, & ornatu cultiori regeret: nec prodeſſet quid exteriùs oſtentare veſtem lugubrem, ſi interiùs diſcreparet animus, & diſcordaret affectus. Accipe Ruritium libr. 2. epiſtol. epiſtol. 31. *ſupereſt vt nunc* conuerſationem, quam protuliſtis in veſte, probetis in corde, & hæc commutatio inter indumentum veſtrum habeatur & animum, vt ſicut ille ſub candidis veſtibus habuit huculque nigredinem, ita nunc ſub pullis veſtibus opertum luce *candeſcat.* Dum animus candeſcit, & in pœnitentiæ argumentum ac corporeæ afflictationis indicium ſordeſcit veſtis, cauter adigitur ambitioni, & bellum infertur cupiditati: non audet ſubiectus frontoſa audacia vitium amplecti: quia interna ſuperioris virtute frænatur, & externa afflictione funditus. 129.

Ioel. 1. 9.

Ruritius.

Sponſa internos erga ſponſum affectus promens fatetur à ſe dilectum, & ardenter deſideratum: *Sub vmbra illius, quem deſideraueram, ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo: introduxit me in cellam vinariam: fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Ardebat interna flamma, vtque prudentiſſima externa voluit ſalubri ſordere vmbra: *Sub vmbra,* inquit, *illius, quem deſideraueram ſedi;* & qualis vmbra? Profectò crucis mortificationiſque: ergo non potuit copioſius deeſſe fructus interna ſacraque flamma æſtuanti, & externo mortificationis ſqualore pallenti. Accipe ſuprà Hugonem laudatum; *Hæc tantum debet eſſe ſedes Prælati: vnde Cantic. 2. ſub vmbra illius, quem deſideraueram, ſedi, id eſt crucis.* Dulciſſimos fructus potitur ſponſa, dum ſub crucis vmbra afflictata pallet, & viuida amoris flamma inardeſcit. Parum aliis profuiſſe interna flamma, ni adiuuaretur externa vmbra: & ſolùm vanitati inſeruiret externa vmbra, ni interna micaret flamma. Ergo qui in dignitatis apice conſtitutus vult alios ad virtutis ſemitas reuocare, & à vitiorum implicatiſſimis tricis ex- 130.

Cant. 2. v. 3.

Hugo. Prælati ſedes crux.

pedire, vtrumque ſtudeat amplecti, ſcilicet flammam & vmbram.

131. Profectò nonnulli alios nituntur corripere, & quamuis ſugillatiua proferant verba, nihil aut parum efficiunt: quia ipſis in verbis illorum relucet vanitas, vt ventoſitas quæ audientium animos non percellit; ſed ad deſpectum quodammodo cogit. Iob cùm amicis moleſta obiurgatione carperetur, reſpondit: *Numquid*
Iob.16.v.3. *habebunt finem verba ventoſa.* Amicorum verba externa charitatis vmbra fulgurabant; interna tamen vanitate ſordebant. Ergo Iobus vt quàm parum huiuſmodi reprehenſio proſit, erudierit ſequentes, ventoſitatem venatur, qua & fructus corrumpitur, & vis admonitionis fruſtratur. Adeſt Gregorius libro 13. moral.
Gregor. cap. 2. *Ventoſa verba ſunt, quæ inflationi temporali potius quàm rectitudini ſeruiunt; ſæpe autem*
Aliqui bona, ſed non bene dicunt. *mali etiam bona dicunt; ſed quia bene non dicunt, ventoſa verba proferunt: nam dicta eorum ſi quando ſana ſunt per ſententiam; inflata tamen ſunt per elationem.* Correctionis verba, vt fructuosè carpſerint vitium, debent de corde flammanti exire, & externa humilitatis luce fulgere: nam dum ad virtutes irritator à ſententia cognoſcitur moribus diſcrepare, quantumuis fulgeat externa virtutis vmbra, cenſetur illudere.

132. Fallat niſi vtrumque vti neceſſariſſimum
Cant.4.v.1. Sponſus dotes dilectæ commendans non edocuerit: *Capilli tui*, inquit, *ſicut greges caprarum, quæ aſcenderunt de monte Galaad: dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt inter eas.* Gemellis fœtibus exornatam non dixit, donec capillos conformari dentibus affirmauit: capilli imitantur aſcendentes capras, vti etiam dentes. Iam per capillos & dentes interna externaque deſignari, obuium ſatis eſt: dens externis occultatur labiis, capillus eſt capitis integumentum externum: ergo vbi in dentibus puritatis candor, & in capillis exterior ligatura conſpicitur, iam ſponſa geminis fœtibus exornatur.
Rupertus. Adeſt Rupertus ad hunc locum: *Capilli tui ſicut greges caprarum, quæ aſcenderunt de monte Galaad. Quis greges caprarum, vel quando greges caprarum apparuerunt de monte Galaad? Vtique greges caprarum rationalium tunc apparuerunt, quando cœperunt homines eiuſmodi eſſe de qualibus Apoſtolus dicit: Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis,* &c. Dum capillus externè afflictationes & mortificationes circumfert, dum dentes internam candoris puritatem conſeruant, mutuè fructificant: eſt namque vtrumque germanum, & fructificando vtiliſſimum. Hypocriſis externis tantùm fucis, & fabulis non erudit; ſed illudit: interna ſanctitas, ni externè reluceat, plures non trahet. Igitur Angelus crucem oſtendit, & niueum candorem intus cuſtodit, dum & in hoſtes diſcupit Gedeonem armare, & Madianitas vitiorum vmbras deterere.

133. Chriſtus Dominus hypocritarum ſimulationem carpens confert cum lucro diſpendium, teſtaturque eſſe laborioſum hoc, vt exiguiſſi-
Matth.23. v.6. mum illud: *Dilatant phylacteria ſua, & magnificant fimbrias.* Quomodo fimbrias dilatarint, refert Hieronymus, ſcilicet ſpinas ore interſerentes, miſcenteſque, quibus cruentarentur, tribulos, vt ſic greſſus modeſtiæ tenorem ſeruarent, & oculos intuentium in admirationem adducerent: *Faciebant grandes fimbrias*, ſcribit Hieronymus ad hunc locum, *& acutiſſimas in eis ſpinas ligabant, vt videlicet ambulantes & ſe-* Hieron.
dentes interdum pungerentur, & quaſi hac admonitione traherentur ad officia Domini, & miniſteria ſeruitutis eius. Vides quantam corporis afflictationem & auſteritatem affectarint: confer cum fructu: *Væ vobis*, clamat Dominus, *Scribæ,* Matth.23. v.15.
& Phariſæi hypocritæ: quia circuitis mare & aridam, vt faciatis vnum proſelytum. Quæres cur non reſpondeat auſteritati fructus in Phariſæis, cùm reſponderit in Baptiſta: namque cùm de camelorum pilis ſemiueſtitus apparuit, omnes ad ſe Ieroſolymitanos allexit: *Ipſe Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos: Eſca autem eius erant*
locuſtæ, & mel ſylueſtre. Tunc exibat ad eum om- Matt.3. v.4.
nis Ieroſolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem. Ecce præ hominum multitudine coanguſtabatur eremus, vt Ioannis ſequerentur doctrinam, cùm nec ſpinæ Phariſæorum, nec cruentati pedes ſortiti fuerint hanc efficaciam. Ecqua diſcriminis cauſa eſt? Quia Ioannes interiùs Angelus, exteriùs mira pœnitentia lucebat afflictus; at Phariſæi interna virtute prorſus vacui, & externa ſolùm laborioſa ærumnarum moleſtia attriti. Ergo dum externum ab internis diſcrepat parum iuuat; at interna virtus externis virtutum adminiculis fota duritiam emollit, & homines ad Baptiſtam audiendum trahit. Aptè Rabanus apud D. Thomam ad Matth. 13. Poteſt & habitus & guſtus eius qualitatem internæ conſeruationis exprimere: nam auſterioribus vtebatur indumentis, quia vitam peccantium increpauit. Vt increparet, habitum obiecit populis ſatis auſterum, & candorem interiùs cuſtodiuit intactum.

---

§. XXXII.

Cœleſti pane nobilitatus Numini probatur coniunctus, & cunctis ſpiritibus venerandus.

IOſephus etſi minor natu fratribus obſecutus, non colendus lucem viderit, ad eam tamen poſt panis ſomnium dignitatem peruenit, 134.
vt cœleſtia illum ſydera contenderint adorare, & officioſo luminis famulatu vereri, ad eam ob manipulum eſt celſitudinem eleuatus, vt non ſinè ſacra ambitione fuerit à ſyderibus
cultus: *Vidi per ſomnium quaſi Solem & Lunam, & ſtellas vndecim adorare me*, ſcilicet Gen.37. v.9.
pleno & ſplendenti manipulo inſtructum, & pane ſiligineo nobilitatum: nec mirum eſt coluerint aſtra, quem natura exornat diuina: tangunt Seraphim throno inſidentem; ſed non tranſmittunt cœleſtem ad interna viſcera panem; at homo regio cibo paſtus ſic diuinitati inuenitur immixtus: vt iam ſuperni ſpiritus eius generoſitatem intuiti non exigant humilitatis obſequium; ſed præſtare geſtiant offi-

Digitized by Google

Caſſiod. *Plus debet Numini, qui maiori ſuerit honore.*

officium : *Tantò diuinitati plus debemus*, aiebat, Caſſiodorus 8. var. 24. *quantò à cæteris mortalibus maiora ſuſcepimus. Numquid ſimile rependat Deo, qui potitur imperio?* Qui ad thronum euectus, ipſa inauguratione à cæteris quodammodò mortalibus ſeparatur, & ſi anteà ab illo exigebatur reuerentia, iam obſequioſa impenduntur officia: quia thronus, etſi naturam non variet, nobilitatem inſeruit. Ergo qui ad Dei menſam, & ad Dei thronum ſtantem agnum manducaturus aſcendit, ſe reliquis impaſtis præſtantiorem crediderit: vtque nouerit ad quantam fuerit dignitatem euectus, animaduertat, qualiter iam ſe gerant erga illum ſuperni ſpiritus. Ecce Gedeoni in torculari frumenta excutienti læta denuntiaturus inuolat Angalus, fortitudinem eius allaudans, virtutem commendans: *Cùm Gedeon excuteret atque purgaret frumenta in torculari, vt fugeret Madian, apparuit ei Angelus Domini, & ait: Dominus tecum virorum fortiſſime.* Miraberis Angelum nec acceſſum vt olim prohibuiſſe, nec nudari pedes poſtulaſſe. Certè olim qui flammanti rubo Moyſi apparuit Angelus, calceamenta ſoluere iuſſit, & accedere inuolantem prohibuit: *Ne appropies huc: ſolue calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Vides oues agentem arceri, cùm Gedeon nec ſoluerit calceamenta, nec prohibitus fuerit miſcere colloquia. Quod ſi rationem inquiras, eam reddam, Gedeonem ſcilicet pane nobilitatum, eoque veluti in diuinitatis participationem aſſumptum. Huc voco Euſebium Emiſſenum homilia quinta de Paſcha. *Sine corporali ſenſu præterita vilitate depoſita ſubitò nouam indutus eſt dignitatem.* Nouam indutus eſt dignitatem Gedeon antiqua depoſita vilitate: & ob id qui olim Angelus reuerentiæ exigebat officium, iam Gedeoni præſtat reuerentiæ obſequium. (Euſeb.)

135. Magi Deum Bethlehem natum adoraturi inuolant ſplendenti ſydere ducti: *Ecce ſtella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos.* (Matt. 2. v. 9.) Stellam fuiſſe Angelum teſtatur apud Dom. Thomam Rhemigius. (Rhemig.) *Dicunt fuiſſe Angelum, vt ipſe, qui apparuit paſtoribus, appareret & Magis.* Quaſi quantoque obſequio Magis inſeruierit Angelus expendit Chryſologus ſerm. (Chryſol.) 156. *Aliquando videt Magus, quia habet ſtellam, non habetur à ſtella, nec ipſe agitur curſu ſtellæ: ſed ipſe ſtellæ agit curſum, eius per cœlum ſic curſum dirigit, ſic moderatur inceſſum, ſic viam temperat, vt Magorum ſeruiat, & mutatur ad greſſum: nam ambulante Mago ſtella ambulat, ſedente Mago ſtat ſtella, Mago dormiente excubat ſtella.* Inquiramus, ſi placet, cur Angelus ſyderis ſpecie coruſcans, ſedente Mago ſtet, dormienteque excubet, cùm olim ille dux ſtrenuiſſimus ſolutis calceamentis adorauerit, & ſubmiſſo vultu colloquentis ſecum Angeli dignitatem oſtenderit. (Ioſ. 5. v. 15.) *Cecidit Ioſue pronus in terram, & adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad ſeruum ſuum?* Vt Dominum veneratur Angelum, cùm modò Angelus vti Domino Mago exhibuerit officium: nec mirum, nam ſtella extra præſepe radiabat, quando Magus ſpecum ingreſſus iam cœleſtem panem videbat. Adeſt Beda apud D. Thomam, & Cyrillus ad Lucæ 2. *Qui panis eſt Angelorum, in præſepio reclinatur? vt nos quaſi ſancta animalia carnis ſuæ frumento reficiat.* (Cyrillus.) Itaque dum Magus cœleſti cibo reficitur, Domino præ Angelis conſanguineus quodammodò habetur, & vti conſanguineo iam ſeruus miniſtrat, ſi olim à luteo ſolùm homine miniſterium exigebat. Tantam per ſacram ſynaxim adepti ſunt homines dignitatem, vt qui olim propinquare ſibi homines prohibebant, iam proximare homini Angeli exambiant. Ergo licèt Moyſes & Ioſue calceamenta ſoluerint coram Angelo, Gedeon non ſoluit, quia cœleſti frumento nobilitatus, & Numinis quodammodò conſanguineus. Adde non minori ad ſpeciem ſollicitudine inſeruire Angelos homini Euchariſtia nobilitato, ac ipſi Numini præcelſo ſplendenti throno.

Iſaiæ obijcitur Deus præcelſo eleuatoque throno inſidens, & nobiliſſimo Seraphinorum Satellitio reſplendens: ſic placida anxietate Seraphini intimiùs Deo accedere ſatagebant, vt libratis pennis celeri ſemper agilitate volarent: *Duabus volabant.* Iſaias polluta labia ſilentio dolet, & dolore ſordes abſtergit; volat Seraphim ignito calculo labia tangere, & attactu non viere; ſed ſacrare: Volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit *os meum.* Non lentiùs inuolat Seraphinus, vt Iſaiæ acceſſerit, ac inuolabat vt Numini propinquaret: aiebat ibi: *Duabus volabant.* Et hîc ait: *Et volauit ad me vnus:* duabus vtique ad minus alis. Quòd ſi inquiras, cur ſimili pernicitate Iſaiam verſus tendat, & throno accedere exambita. Theodoretus apud Leonem Caſtro rationem reddit, calculo ſignificari participationem corporis & ſanguinis Domini conteſtatus. Accipe eius verba: *ſignificari his verbis ait participationem corporis & ſanguinis Domini.* Ergo Seraphim, dum Iſaiam intuetur Dominici corporis ſanguiniſque participatione nobilitatum, non lentiori conatu inuolat vt prophetæ proximaret, ac inuolabat, vt excelſo throno ſedenti accederet. 136.

Iſa. 6. v. 5.

Theodor.

Iacobus fratris iram pauens non ignauus, ſed frænate diſcupiens prouidus verſus auunculi domum tendebat: itineris labor, noctis caligo, irrepens ſopor vianti perſuaſerunt feſſos artus tantiſper recreare, quò faciliùs poſteà fugam valeret arripere: oculos feliciſſimè mundo clauſit, diuinis aperuit: ibi namque vidit celebrem illam ſcalam, qua Angeli mira contentione aſcendebant, deſcendebantque: *Vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum, Angelos quoque Dei aſcendentes, & deſcendentes per eam & Dominum innixum ſcalæ.* Mira res Angelos verſus dormientem deſcendere, nec altorum exemplo allectos verſus ſcalæ innixum inuolare: ſi duo ſcalæ extrema adeò diuersè ſunt clauſa, vt cacumen Numine terminetur, & pars terram tangens Iacobo finiatur, quomodò ſimili æquoque ad ſpeciem ſtudio deſcendunt Angeli homini adſtituri, ac aſcendunt Domino approximandi: *Angelos*, inquit, *Dei aſcendentes, & deſcendentes per eam*, ne deſcendentes aliqua ſuggillarentur nota, Dei Spiritus appellauit, quo putaremus fuiſſe arcanum ſtu- 137.

Gen. 28. v. 12.

Rupertus.

Seneca.

dium,& infortunatum deſcenſum:iam ſi myſterium inquiras,Iacobi votum tibi explicabit: ait namque: *ſi dederit mihi panem ad veſcendum,& veſtimentum ad induendum,*&c.*erit mihi Dominus in Deum*:præuidit homines cœleſti pane cibandos; & fruitus gloria adhuc expetiuit cœleſtem menſam: nec illa conditio fuit dubitantis; ſed præuidentis. Adeſt Rupertus apud Lippomanum. *Panem ſcilicet vitæ æternæ, de quo dixit: Et panis, quem ego dabo vobis, caro mea eſt pro mundi vita.* Dum exultat in gloria, cœleſtis panis ſedere ſitit ad menſam: ergo Angeli dum agnoſcunt illo hominem alendum pane, iam venerabundi accedunt, & ſtudioſè ſi fas eſt dicere, ruunt, quaſi iam panis beneficio homo ille particeps diuinæ naturæ cum ipſo Domino poſſit de æqualitate contendere: vt repetat quod alio ſenſu aiebat Seneca: *Habentes polentam ipſi Ioui controuerſiam facimus.* Ergo panis beneficio in Deum quodammodo homo initiatur, & iam Angeli, ſi miniſtraturi Domino aſcendunt, etiam vt homini miniſtrauerint, deſcendere non refugiunt.

---

§. XXXIII.

Ea ſolum nobilitas apud Deum lucet ſplendida, quæ virtutibus probatur ornata.

138. Caſſiod.

Ea eſt indubitata nobilitas, quæ moribus reſplendet ornata.

SI iuſtitiam colere vniuerſos & amare præcipimus, ſcribit Caſſiodorus 5. var. 12. *quantò magis eos, qui noſtra proximitate gloriantur, quos omnia decet ſub laude gerere, vt regiæ poſſint fulgorem conſanguinitatis oſtendere: hæc eſt enim indubitata nobilitas, quæ moribus probatur ornata.* Nobilitas fœdis criminibus obſcurata ſplendidiori ſolet luce clarere; ſed apud iniquos rerum æſtimatores,apud præſtigiarum fallacia cæcos legis impatiens, & fræni impotens non ſemel æſtimatur excelſus, vt etiam ſæuus crudeliſque deprædicatur fortiſſimus: quia nobilitatis, magnitudiniſque menſura deſumitur ab ſcelerum & temeritatis procacia; at apud iuſtos rerum arbitros ille ſolùm habetur nobilis, qui virtute ſplendet inſignis. Audi Euripidem in Dictye. *Bonus vir mihi nobilis videtur; qui verò non iuſtus licèt à patre meliore, quàm Iupiter ſit, genus ducat, ignobilis mihi cenſetur.* Itaque vera ſolidaque nobilitas conſtat non tam ſanguine, quam virtute. Nobilis conſummatè non eſt,qui quam ducit à genere claritatem, actionibus non confirmat; ſed ſceleribus dehoneſtat. Certè vt genus ignobile egregiis refutatur virtutibus, ſic nobiliſſima proſapia obſcuris defœdatur ſceleribus. Seleucienſis Baſilius orat. 20. ſic de Chananitide aiebat: *Chananæa mulier; ſed animi probitate genus refutabat*: nobilibus ſe inſeruit, quæ honeſtis actionibus luxit: *Tutiſſima generis laus eſt*, ſcribit Aſtidamas apud Stobæum de nobil. capit. 86. *virum collaudare, qui iuſtus fuerit, & moribus optimus, ac eumdem vocare nobilem; ſed huiuſmodi vel vnum inuenire difficile eſt.* Ambitioſa generis laus placidis moribus reſplendere, & vel inuidorum linguas frænare. En Angelus in Ioas agro ſedet Gedeonis fortitudine allectus, & virtutibus inuitatus: *Venit Angelus Domini, & ſedit ſub quercu quæ erat in Ephra, & pertinebat ad Ioas patrem familiæ Ezri. Cumque Gedeon filius excuteret atque purgaret frumenta in torculari, vt fugeret Madian, apparuit ei Angelus Domini, & ait: Dominus tecum virorum fortiſſime.* Hugo Cardinalis ait Ioas vocari patrem, vtpote qui familiæ nobilior, & auctoritate ornatior. *Patrem, id eſt, honorabiliorem inter homines familiæ Ezri: vnde dicitur hic pater non generatione; ſed dignitate.* Itaque cùm Gedeon frumenta excutiebat, Ioas erat ſuperſtes, vt conſtat ex hoc capite verſu 30. Iam ergo pungit difficultas, ſcilicet cur Angelus apparuerit filio, non patri, quando eadem nobilitas in patre & filio. Certè parum obeſſe potuiſſet ſenium, vbi diuinum promittebatur auxilium: cur ergo prætermittitur parens, & quæritur filius? Textum conſule, & inuenies patrem Baal aram poſſediſſe: *Deſtrues aram Baal, quæ eſt patris tui*, Gedeonem verò, ne nobilem infami iugo ceruicem ſubderet, frumenta ſolicita vigilantia purgaſſe: vt *fugeret Madian*, inquit: ergo ille ſolùm ab Angelo ſalutatur, qui non ſolùm ſplendet nobilitatis ſtemmatibus; ſed virtutibus. *Per Madian*, ſcribit Hugo, *ſignificantur dæmones.* Ille deprædicatur ab Angelo nobilis, qui dæmonibus contradicit, præteritur, qui idolis ſeruit, vt noueris eam ſolum apud cœleſtes incolas æſtimari nobilitatem, quæ claritatem ſanguinis illuſtriorem reddit præconio virtutis. O quàm Ioas Princeps & familiæ pater à mundicolis non præteriretur, præcipuè in ipſius domo aut agro; at Angelus, licet ſub quercu Ioas ſederit, filium fortiſſimum, non patrem Baal ara obſcuratum, cœleſti alloquio honorauit.

Eurip.

Seleucienſ.

Aſtidamas.

Hugo.

Hugo.

Iam cœlorum fontes inhibiti, iam Numinis 139.
ira placabatur ſedata, cùm Noe coruum & columbam temporis indices mittit: *Dimiſit coruum, qui egrediebatur, & non reuertebatur, donec ſiccarentur aquæ ſuper terram.* Caietanus ex Hebræo legit: *Exiuit exeundo & redeundo.* Lippomanus putat egreſſum ab arca non diſceſſiſſe; ſed circa illam veluti pulſando oſtium reuolitaſſe. *Primo egreſſu circa arcam volitabat, ac ſi regredi vellet*: columba emiſſa reuerſa etiam eſt, locum à maculis liberum non experta. Quid tunc Noe? *Extendit*, inquit, *manum, & apprehenſam intulit in arcam.* Iam difficultas pungit, cur manum extenderit, non ad coruum; ſed ad columbam: præcipuè quia, vt Caietano placet, coruus ipſam feneſtram pulſabat, quaſi ingreſſum ambiens, & ambitioſè contendens: *Columba* (verba ſunt Caietani) *non ad ipſam feneſtram; ſed ad locum prope eam venerat; coruus autem ad feneſtram ipſam regrediebatur, & propterea de ſola columba dicitur, quod extenſione manus Noe ducta eſt ad ipſum Noe ad arcam.* Caietani verba difficultatem adaugent: nam ſi propinquior coruus, ſi columba ab arca diſtantior, cur extendit manum, vt columbam poſſederit, & cur coruum faſtidiuerit? Profectò coruus paſcit Eliam: cur ergo deſpiciatur reiectus, neque ad arcam intromiſſus; Reddit Rupertus apud Lippomanum rationem, coruum ſcilicet Hebraici populi fuiſſe ænigma, vt columbam Chriſtiani emblema: ergo

Gen. 8. v. 7.

Caietan.

Lippoman.

Caietan.

Digitized by Google

ergo coruus ſuam ſemper nobilitatem crocitabat, & aures tumidiſſima crocitatione offendebat; ſe oſtentabat primum, & qui de nigrore potuiſſet confundi, audebat de primatu ſemper gloriari. Ergo Noe, qui cum leonibus pardiſque pacatè vixerat, vaniſſimum coruum nullatenus ſuſtinebat: ob id ſtatim ac permiſit tempus, delegauit, & ſi fas eſt dicere, abiecit: redeunt columba & coruus; ſed Noe coruum introducere ſpreuit; columbam non ſine labore traxit: pluris namque apud Noe valebat columba candicãs, etſi extrema, quàm fuſcatus coruus, quantumuis primus: nec enim nobilitas & primatus, ni dignis fuerint moribus exornata, apud æquum æſtimatorem alicuius ſunt pretij inuenta. Accipe Rupertum: *Coruus emiſſus eſt, & iam non reuertitur: quia infidelis Iudæorum populus de Eccleſia prophetarum & patriarcharum eiectus foris vagatur, & veterum ſacrificiorum cadaueribus inhians de antiquorum Patrum carnali proſapia vana loquacitate gloriatur.* Omnibus erat coruus faſtidio, dum ſemper ſuorum implebat aures elogio: primus; verùm reiectus, quia virtutibus non ornatus: nam apud Deum parui æſtimatur nobilitas, quam virtutis non commendauerit claritas.

Rupert.

140. Deus limum ad imaginem ſuam efformans animalibus præficit: *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.* Piſcibus dominatur, & veri regis vmbram gerens terræ animantibus imperat; verùm excitatus ad inuidiam ſerpens vetitum pomum obiecit latere mentitus diuinitatem. Adam venenum hauſit, & iam de originis loco exterminatus ſugillatiuis verbis feritur: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Ecce qui dum puluis Dei ſimulacrum regio potiebatur imperio, iam quantumuis Princeps, limus & puluis audit de paradiſi amœnitate deiectus, & pellitus orbi vt metallo datus. Rex apud Deum ſorduit, qui puluis emicuit: vt luceat omnibus plus valere apud Deum puluerem, ſi diuinam induat imaginem, & minus regem ſerpentina malitia deprauatum, & maculis peccatorum obſcurum. Adeſt Clemens Alexandrinus libro ſecundo ſtromat. *Nobilitas oſtenditur in eo quod quæ ſunt pulcherrima, honeſtiſſimaque, eligat & exerceat: quid enim Adæ profuit talis eius nobilitas, & quod eius nullus eſſet pater mortalis? ipſe enim pater hominum, qui ſunt in generatione, turpia quidem prompto & alacri animo delegit, vxorem ſequens; vera autem, & honeſta neglexit, quo factum eſt, vt vitam immortalem mortali commutaret.* Adſtipulatur Tertullianus de pallio capite 3. *De originis loco exterminat* (Deus) *quippe deliquerat, pellitus orbi vt metallo datur*; vernulatum habitu rex ſordet abiectus: quia veneno ſerpentino pollutus: cùm puluis regium induerit ſplendorem, dum Domini geſtabat imaginem. O ſi penſaremus, quàm virtus pauperem egenumque ad thronum eleuet, ac in regem inauguret, quamque prauitas nobilitatis ſplendorem temeret; imò nobilitate peccatorem denudet! Qui de nobilitate, fumoſiſque maiorum imaginibus gloriatur, nouerit iuſtitiæ viuere, & æquitati parere; alioquin in vernularum cenſu numerandus, & à diuinis oculis reiiciendus. *Latere poteſt*, aiebat Caſſiod. 9. variat. 22 *forſitan vulgare hominum genus: neſciri non poteſt proles Senatus, quando benè noti*

Gen. 2. v. 7.

Gen. 3. v. 10.

Clem. Alex.

Tertullian.

Caſſiod.

ſunt, qui meritis aſſeruntur, & abundè cognoſcitur, quiſquis fama teſte laudatur. Addit de Sereno: *Propoſitum ſiquidem tuum celebrata dilatauit opinio faciens fidem generis morum pondere, non ætate.* Quantumuis trahatur ab Ioue nobilitas niſi aſſeratur moribus, fidem non facit: ingenuitas namque ſine virtute eſt moneta regia autoritate nudata! ſolùm benè ſunt noti, qui continuis moribus ſunt conſpicui. Ergo non Ioas idolorum cultor ab Angelo ſalutatur; ſed Gedeon, quia detrectans infame iugum inuiſitur.

§. XXXIV.

A Magnatibus honorari calcar eſt ad tentanda egregia facinora, & de hoſtibus reportanda trophæa.

PRoprio fruitur honore, quod probata conſtat virtute, & quantumuis deſint extrinſeca adſunt intrinſeca, veraque teſtimonia; verùm plurimum iuuat ad virtutem acrius accendendam, & laudabilem animi pertinaciam firmandam à magnatibus dilaudari, & à poſſidentibus faſtigia dignitatum extolli. Opportunè Caſſiodorus 1. variar. 3. *Omnium profectò capax poteſt eſſe meritorum, qui iudicem cunctarum meruit habere virtutum: quid enim maius quæritur, quàm hic inueniſſe laudum teſtimonia, vbi gratificatio non poteſt eſſe ſuſpecta: regnantis quippe ſententia iudicium de ſuis actibus ſumit, nec blandiri dignatur animus domini poteſtate munitus. Repetantur certè quæ à te noſtris ſenſibus infuderunt, vt tui laboris fructum capias, cum noſtris animis ſingula ſuauiter inhæſiſſe cognoſcas.* Non exiguus virtutis eſt fructus à Principe agnoſci, non modicum ad virtutes calcar eſt dilaudari. Qui iudicem meruit habere virtutum, capacior iam redditur meritorum: miniſtrant namque generoſo ardori flammas regnantium plauſus, & gratus magnorum aſpectus. Certè generoſus equus manuum plauſu viuidius ad volandum accenditur, & clamoribus pro alis inſtruitur. Ecce Gedeon fugam adoriri tentabat: *Vt fugeret*, inquit, *Madian*; ſed apparet Angelus, & dum fortiſſimum laudat, triumphis coronandum deprædicat: *Apparuit ei Angelus Domini, & ait: Dominus tecum virorum fortiſſime.* Laudibus non inflatur; imò populi calamitatem luget, & dum luget, ad depellendam auxilium cæleſte meret. Quid tunc? Illum cæleſtis nuntius placido dignatur aſpectu, & iubet hac fortitudine armatum inſurgere in inimicum: *Reſpexit ad eum Dominus, & ait: Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Iſrael de manu Madian.* In qua fortitudine? Fallar ni in ipſo aſpectu vires infundente, & animum ad egregia patranda facinora mirè incitante. Adeſt Hugo Cardinalis: *In hac fortitudine tua, quam ſcilicet modò confero tibi reſpiciendo, vel mittendo.* Ipſe gratus Angeli aſpectus veluti calcar fuit ad magna aggredienda, & iniecit nobiles igniculos ad difficillima ſuperanda. Aptè Caſſiodorus 1. variat. 13. *Debetis benè gerentibus, vt eos laudis veſtra comitetur aſſenſus: nam ſi equorum curſus hominum clamoribus incitatur, & ſonantium manibus agitur, vt à mutis animalibus velocitas appetatur, quantum inde homines ſtimulari poſſe credimus, quos ad laudis*

141.

Caſſiod. *Regnantis ſententia de actibus ſumitur.*

Hugo.

Caſſiodor. *Homo laudis naturaliter auidus.*

Digitized by Google

laudis auiditatem natos ſingulariter inuenimus? Plauſus incitat, Principis aſpectus obarmat, & dum quis ſe magnatibus probari cognoſcit, opinionem dignis fulcire facinoribus ardet.

142. Callidiſſimus ſerpens nunquam malitiæ ſuæ otium facit; at tunc maximè ſæuit, cùm hominem intuetur nobiliſſimis dotibus exornatum: ardentiſſimo liuore accenditur, dolet, ingemiſcitque tot in homine titulos proſperitatis intuitus, & tot diuinæ commendationis teſtes conſpicatus. Itaque obſidet, obſeruat, & oppugnat, ſi qua poſſit arte rationem irretire, & terris oculos concupiſcentiæ nebulis obſcurare, verùm in tanto deiiciendi hominem pruritu, ne verſutæ artes grandi eius confuſione fruſtrentur, obſeruat perſpicaciſſimè qua parte feliciùs malitiam ſuam cumulet, & teli expectationem infauſta felicitate perficiat. Ob id non Adamum, ſed Euam aggreſſus eſt, & obiectâ falſa diuinitate euertere adniſus: *Dixit ad mu-* Gen. 3. v. 1. *lierem: Cur præcepit vobis Deus: vt non comederetis de omni ligno paradiſi.* Et cur vtrumque eodem ictu ferire non contendit; ſed oblectamenta tentandi diuidit? Fortè quia vidit hominem ampliori honore à Numine nobilitatum, & quaſi contra tentamina honoribus ſuffulcitum. Gen. 1. v. 26. Audi quid Dominus dicat: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Dum audit titulum, ſerpens extimeſcit congreſſum: quaſi ipſa honoris nobilitas, & nobilitatis maieſtas cogat appetitum reprimere, & honoris ſplendorem honeſta ſolicitudine conſeruare. Tertull. *Limus ille* aiebat Tertullianus de reſurrect. carn. capite *6. iam tunc imaginem induens Chriſti futuri in carne, & non tantùm Dei opus erat; ſed & pignus.* Addit poſt pauca: *Artificis faſtigium recogitari oportèret, qui illam & eligendo dignam iudicaſſet, & tractando feciſſet.* Itaque ipſe tactus honor, nobileque diuinæ imaginis cognomentum erat ad virtutem calcar, & cogebat implere, quod tantis conſtabat titulis deſignari. Ergo ſerpens vti aſtutiſſimus aggreditur Euam, quam ſimilem vidit homini, & expreſſis verbis non Numini: vt iam ad noſtram eruditionem ſciremus quam honor ſuadeat virtutes, & quàm eludere debeat homo ſerpentis artes. Eua ad hominis ſimilitudinem producta eſt, Adamus ad Chriſti imaginem efformatus, & quamuis non fuerit in re diſcrimen, diuerſitas nos erudiuit in voce. Ergo ſi dæmon ipſe non audet expreſſis diuinæ imaginis titulis nobilitatum inuadere, ſibi non inuideat homo; ſed recogitet totum Deum illi occupatum ac deditum, & expendat limum ipſum ſordidum quidem elementum de attactu Domini tranſiſſe in carnem, & nobilitet rèfutaſſe antiquam originem: *Totiens honoratur* (verba ſunt Septimij) quotiens verba Dei patitur, dum tangitur, dum decerpitur, dum deducitur, *dum effingitur.* Si ergo terra honeſtè ambitioſa antequam vilitatem reſpuit de honore contactus, diſcat homo imaginem nobiliſſimam non offuſcare de tenebris appetitus.

143. Expendebam grande inter Abrahami filios diſcrimen: diſcupiuit vehementiſſimè Patriarcha generis poſteros derelinquere: cui Domi- Gen. 17. v. 15 nus *Sarai vxorem tuam non vocabis Sarai; ſed Saram, & benedicam ei: & ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus ſum, eritque in nationes, & reges populorum orientur ex eo.* Abrahamus promiſſis gratus in faciē cadit, & pro Iſmaële Dominum deprecatur: *Vtinam Iſmael viuat coram te:* promiſſa ſua Dominus extendit, & ex Iſmaële duces exoriundos promittit: *Duodecim duces generabit.* En ex Iſmaële Duces, ex Iſaaco prognati ſunt reges: nobilior fuit Saræ fructus, Agaris non adeò nobilis fuit prouentus: quòd ſi rationem inquiras, reſpondet textus Saram ampliori honore tunc donatam, & immutatione nominis magis celſam. Ergo dum à Domino plus honoratur: fructum nobiliorem enititur: iam domina ſterilitatem depulit, prolem regiam parturiuit: quia nominis immutatione à Domino ampliorem laudem accepit; *Anteà dicebatur Princeps mea*, ſcribit Hieronymus Hieron. apud Lyppomanum, *vnius tantum domus mater familias; poſteà verò dicatur abſolutè Princeps: ſequitur enim: Dabo tibi ex ea filium, & benedicam ei, & erit in gentes, & reges populorum erunt ex eo.* Statim ac Sara nobiliori donata eſt honore naturæ leges dedicit, & honoratiſſimos fructus prodidit: eſt enim à magnis honorari grandis ad virtutem ſtimulus, quando pudet honeſtè ambitioſi tituli infuſcare claritatem, & adulterare virtutem:

Chriſtus Dominus, vt ad ſolidas, veraſque 144. virtutes exercendas blandè homines cogeret, Matt. 6. v. 17 & ſine coactione ſuaderet, ſic aiebat: *Cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans; ſed patri tuo.* Chryſol. ſermone 7. expendit non dixiſſe Domino tuo, quando dominantis auctoritas ſolet exigere obſequium, & ſuadere ſeruis officium: dulcior quidem patris affectus eſt; ſed dominantis acrior eſt timor; nec ſolent homines ſic reſpondere beneficiis obſtricti, ac timore acerrimo excogitari: ergo non appellat filios; ſed ſeruos, vt hypocriſim abiurare, & ſimulationem doceat effugere; imò filiorum honore nobilitat, inquit Chryſologus, ne quid de labore periret; ſed virtus ſemper floreret: *Paterno*, inquit, *monuit affectu; ne quid nobis de labore iuſtiſſimo deperiret:* fortè ſi homines audirent ſeruuli, ingenuitatem deponerent, nec ſe criminibus infuſcare timerent; at dum vti filij honorantur, ne quid virtutis amiſerint perſuadentur: *ne quid de labore iuſtiſſimo deperiret.* Quo ſimulationem, mendaciumque ſeruulorum propria depellat, non vocat ſeruos ſed filios; vt dum ſe filios agnoſcunt, dedignentur ſeruorum maculis infici, & mendaci virtutum fuco obſcurari.

---

§. XXXV.

Cæleſti epulo innutrito ſatis non eſt adoriri fugam; ſed tenetur de vitiis reportare victoriam.

QVi athletico cibo innutriti, compellebantur terga indecorè non vertere; ſed triumphos glorioſiſſimè reportare. Audi Tertullianum ad Martyras cap. 13. *Athletæ ſegregantur in ſtrictiorem diſciplinam, vt robori ædificando vacent: continentur à luxuria, à cibis lectioribus, à potu iucundiore, coguntur, cruciantur, fatigantur, quantò plus in exercitationibus laborauerint, tantò plus de victoria ſperant.* Peculiaris erat athletarum cibus, quo eas vires acquirere ſatagebant, 145. Tertull. *Athletæ cruciatus de victoria ſperat.*

vt

Digitized by Google

vt inuicta poſſent aduerſarium fortitudine ſuperare, & tempora corona victoriæ indice redimiri. Qui in ſtrictiorem athletarum diſciplinam nondum ſegregatus, aduerſarium poterat aut recuſare, aut effugere; at athletis indecorum eſſet vertere aduerſario terga: quia officium promittebat ſpolia. Quod ſi athletis duro agreſtique cibo altis opus erat vincere, qua lege putas teneri, qui cæleſti epulo ſaginantur, & ſanguine diuino innutriuntur? Certè in diuinam naturam debent quodammodò transformari, & ad Deitatem tranſire. Quod ſi Deus hoſti non cedit; ſed vincit; qui participatione ſimilis contentus non ſit iugum aduerſarij excutere: quia debet victoriam de hoſtibus viriliter reportare. Ecce Gedeon frumentum excutit, vt iugum Madianitarum effugiat; ſed Dominus hoſtes adoriri iubet triumphumque ſpondet: *Cùm Gedeon excuteret atque purgaret frumenta in torculari, vt fugeret Madian, apparuit ei Angelus Domini, & ait: Dominus tecum virorum fortiſſime:* additque: *Percuties Madian quaſi vnum virum.* Non poterat cæleſti fortitudine non muniri, quem conſtabat pane mundiſſimo ali: nec ſatis erat pane robuſtorum alto ignobile non ſubire iugum, quia glorioſum tenebatur reportare trophæum: ergo iubetur hoſtem vincere, ne iniurius ſit alimento, ſi redimitus non fulſerit triumpho: *Per Dominus tecum*, ſcribit Hugo, *diuinitas; per virorum fortiſſime humanitas: & dicitur Chriſtus fortiſſimus, quia fortis fuit in tentatione poſt ieiunium Matthæi 4. contra diabolum, fortior fuit Iudæorum inſidias ſuſtinendo, fortiſſimus mortem in cruce ſuperando, & infernum ſpoliando.* Dum frumento innutritur, Deum ſibi immiſceat, nec ſatis eſt vtcumque eius fortitudinem imitari; ſed eam qua Chriſtus vti fortiſſimus hoſtem confregit, infernumque diſpoliauit, tenetur Gedeon referre. Qui tantummodò fortes, iugo ceruices non ſubdant: qui fortiores, captioſas tricas euadant; at qui fortiſſimi, coronari debent lauro, & ſubiugato nobilitari inimico. Ergo Gedeon frumento inſtructus non vtcumque fortis; ſed fortiſſimus appellatur: *Virorum*, inquit, *fortiſſime*, ne putet ſatis ſibi eſſe prouidam arripere fugam; ſed teneri ad reportandam victoriam.

Hugo. *Fortior vide ur qui humanas vincit inſidias, quàm qui diabolicas technas.*

146. Adeſt huius veritatis opportunus teſtis Elias. Fugiebat timidus Iezabelis inſidias, vtque ſecuriùs degeret, ſolitudinem deſerti petiuit; verùm itineris laboribus fatigatus, & ipſo religionis zelo quodammodò oppreſſus ſub iuniperum obdormiuit: *Proiecit ſe & obdormiuit in vmbra iuniperi.* Dormientem excitat Angelus, & quò reſumat vires, cæleſtem apponit cibum: *Ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge & comede: reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis, & vas aquæ.* Poſt acceptum ab Angelo paſtum ventre arido, ore ſicco ad altiora Dei montis ocyſſimus inuolauit, & in ſpelunca contemplatione immerſus delituit. Quid tunc? Dominus quodammodò illum carpit, & ad vngendos reges, & prophetam contra idololatriam remittit: *Cùm veniſſet illuc, manſit in ſpelunca, & ecce ſermo Domini ad eum, dixitque illi: Quid hîc agis Elia?* Inquiramus, cur voce quodammodò ſugillatiua prophetam Deus reprehendat, cùm anteà Angelus non reprehenderit: videt Dei miniſter dormientem, & excitat, & reprehendit Dominus

3.Reg.19. v.4.

vigilantem? Profectò Elias ſpeluncam incolens captioſas Iezabelis fruſtrarat inſidias, bellum fugerat antro deliteſcens, & in iuniperi vmbra obdormiens; verùm obdormiens, quia nondum cæleſti pane fuerat altus, & innutritus, ſolùm ab Angelo excitatur; at poſtquam cæleſti fuerat cibo recreatus, quia decertare non audeat, quodammodò reprehenditur: nec enim ſatis erat cæleſti epulo roboratum vitia fugere, quia debebat ſtrenuè dimicando ſuperare: ergo fugientem quia nondum paſtus, Angelus excitet; paſtum verò Deus in inimicos obarmet: *Vade & reuertere in viam tuam per deſertum in Damaſcum, cùmque perueneris illuc, vnges Hazael regem ſuper Syriam, & Iehu filium Namſi vnges regem ſuper Iſrael; Eliſæum autem filium Saphat, qui eſt de Abelmeula, vnges prophetam pro te. Et erit quicumque fugerit gladium Hazael, occidet eum Iehu, & quicumque fugerit gladium Iehu, interficiet eum Eliſæus.* Vt cæleſte honoretur ferculum, Dei aduerſariorum præcidendum prædicitur iugulum: nec enim ſatis erat pane cæleſti recreatum Eliam vitiis non tingi; ſed reportaris opus triumphis glorioſiſſimis coronari. *Ad ſui conſolationem nominat*, ſcribit Lyra, *ſibi tres perſonas promouendas ad idololatrarum deſtructionem.* Idololatras ſubiugare tenetur paſtus, fugiebat ieiunus. Lyra.

Dum populus duras Ægyptiorum catenas rumpit, & iam liber per vortices marinos incedit, nube Solaribus radiis intermicante ductor itineris præcedit Deus: *Dominus autem præcedebat eos ad oſtendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis.* Qui iugo olim depreſſus, & ob Pharaonis tyrannidem duriſſimis conditionibus diuexatus, iam miſeratione diuina iuſſu ſeſe proficiſci, & ne Solis circulus per diem vreret, aut per noctem deeſſet, ignis, nubiſque columna iter pandebat ignorum; verùm vbi perſequentium Ægyptiorum infeſtis mucronibus premi ſe vidit, præſentariæ exitum mortis expauit: etenim maris vndis magno clauſis obice detinebatur impeditus, & tergis inſiſtentium cruentis mucronibus agitatus: nullæ inerant naues, nulla transfretandi præſidia, cùm ſubitò ſciſſum prouidentia Numinis mare vitreos in muros dirigitur, & tranſitum Dei populi præſtolatur; at Pharao ſuperbia cæcus credidit mare obſecuturum potentiæ, vt obſequebatur virtuti; at ſera pœnitentia, & miſera notitia ſuum agnouit delirium; & effugere tentauit naufragium; verùm Dominus per nubis igniſque columnam reſpiciens viſu inimicos ſubuertit, & Hebræos trophæis ditiſſimis coronauit: *Ecce reſpiciens Dominus ſuper caſtra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis interfecit exercitum eorum.* Qui in Ægypto ſolùm diſcupiuerant fugam, modò iam anhelant victoriam; nec ſatis fuit nube ductis hoſtilia eludere arma; ſed reportare trophæa. Quòd ſi rationem inquiras, reſpondebit Drogo de Sacram. Domin. Paſſion. ea nube ſacram Euchariſtiam delineari, cuius accidentibus immenſa Numinis maieſtas regitur, & maieſtatis luce obſcuritas illuſtratur. Accipe Drogonem: *Quæ eſt nubes, quæ præcedit veros Iſraelitas, niſi veriſſimum & ſanctiſſimum corpus tuum, quod in altari ſumimus?* Ab Euchariſtia emanat virtus, qua oppreſſi inimici pereant, & qua veri Iſraëlitæ victores effulgeant.

147. Exod.13. v.21. Exod.14. v.24. Drogo.

Parum

Paratum erat Ægyptios fugere, niſi accidiſſet ſubmergere. Ergo quiſquis ſacro pane recreatis, qui gloriatis huius participationis frequentia, non ſolùm peccatorum maculas dedignare; ſed nitorem virtutum indue: vt pane pereat, qui mendacium cibo intulit, & qui hominem voluptate fraudi patrocinante feſellit.

148. Fortaſſis hanc Deus doctrinam arcano illo ſomnio Gedeonem edocuit, & tentaſſe ſolùm fugam reprehendit; in aduerſariorum caſtra deſ- Iudic.7.v.13 cendens ſic audit: *Vidi ſomnium, & videbatur mihi quaſi ſubcinericius panis ex hordeo volui, & in caſtra Madian deſcendere, cùmque perueniſſet ad tabernaculum, percuſſit illud atque ſubuertit, & terræ funditus coæquauit.* Non ſolùm intuetur Iſraëlitarum caſtra in libertatem aſſerta; ſed aduerſariorum caſtra pane prorſus debellata & contrita: ea eſt namque panis efficacia, vt prorſus veteratorem deſtruat, & ſerpentem cedere in hac menſa ſedenti cogat. Huc voco Tertullian. quod aliorſum aiebat Tertullianus lib. de anima capite 57. *Expugnatoria dominatione tractamus mortiferam lucem mentis humanæ, totius erroris artificem, ſalutis pariter animæque vaſtatorem.* Dominatur Chriſtianus per panem, vt olim nebulo dominabatur per cibum. Ita aie- Rupert. bat Rupertus libro tertio in Exodum: *Iniquam credulitatem parentum noſtrorum pia credulitate in nobiſmetipſis euacuemus.* Itaque vt vitam noxio illo cibo fraudulenta verſutia expunxit, ita Dei ſapientia mortem antidoto ſalubri depellit. Vt homo, qui comedendo à diuini ſimulacri honore ad puluerem ſe contumelia deiecerat, contrario cibo à pulueris contumelia de morte ad triumphum, & immortalitatem reſurgat: *Tentatus eſt homo à diabolo* (verba ſunt Ruperti) *& victus eſt, vt illius tentatoris fraudem vincat tali antidoto iuxta naturam morbi competenter vitæ ſuæ ſubueniat.* In Deum quodammodò tranſimus, dum veſcimur; quod ſi Deus inimicum captiuitate preſſit, & nos reportatis triumphis cogimur debellare.

---

§. XXXVI.

Solerti conuenit diligentia ſemel & iterum explorari, qui debet dignitatibus anteferri.

149. ARduum eſt inuenire virum omnibus numeris abſolutum, & omnigenis virtutum dotis exornatum, cùm tamen dignitas tales viros expoſcat: iracundia turbulentus, aut facili ingenio nudus, aut cupiditate inflammatus dignitatem inſcendit non ad miſerorum auxilium; ſed ad flebile cunctorum naufragium. Magno in hac re periculo erratur, & ob id nulla eſt examinis perſcrutatio ſuperflua; ſed omnis ſedula diligentia cordata. *Inter diuerſa mu-* Caſſiodor. *nera,* ſcribit Caſſiodorus 10. variar. 4. *quæ nobis cum regia maieſtate diuina tribuerunt, illud amplius permulcet animum noſtrum, quod nos ſapientiſſima domina trutina magnæ diſceptationis elegit, cuius prius ideo iuſtitiam pertulit, vt priùs ad eius prouectionis gratiam peruenirem: cauſas enim, vt ſcitis iure communi nos fecit dicere cum priuatis.* Addit Caſſiodorus: *Explorauit conſcientiam, cui erat regni traditura cenſuram: vt & illa domina cognoſceretur eſſe cunctorum, & me probatum producere dignaretur ad regnum.* Inaugurandum experiri, & prudenti ſolertia eius vitam actuſque explorare, congruit inaugurando, & reipublicæ, quando ipſo electionis teſtimonio creditur motibus bonis excultus, qui ad dignitatem lucet euectus. Reipublicæ patrocinatur, qui inexploratum non eligit: nam incauta electio multis eſſe ſolet periculo. Attende ſupernæ electionis formam: excutienti grana paleiſque denudanti Gedeoni apparet Angelus virorum appellans fortiſſimum: *Dominus tecum virorum fortiſſime:* ille vt erat ſolida humilitate fundatus, non intumuit laude ſuperbus; imò communem omnibus calamitatem obiecit, & laudantem ſapienter arguit: *Dixitque ei Gedeon: Obſecro, mi Domine, ſi Dominus nobiſcum eſt, cur apprehenderunt nos hæc omnia?* Antiquę felicitatis memor Dei refert magnalia, & præſentia luget condolens contribulium infortunia: Angelus licet quem experiebatur modeſtum, & cæteros miſeratum, ad dignitatis euehere non dubitarit faſtigium; nihilominus iterum ſolicitè inſpexit, & oculis attentis conſiderauit: *Reſpexitque ad eum Dominus, & ait: vade in hac fortitudine tua; & liberabis Iſraël de manu Madian.* In ducem Gedeonem electurus, fortitudinem ſemel & iterum explorauit: verùm hæc exploratio ipſi Angelo cui videatur iniuria, quandoquidem ipſa exploratio dubitationem arguit, & dubitatio ignorantiæ notam inurit: nec enim ſi omnia ipſi paterent conſpicua, explorationis expectaret ſuffragia: ergo non reſpiciat iterum quem ab exordio oculis lynceis adſpexit ne iterata exploratio Angelicæ ſit perſpicaciæ iniuria, & toties explorati ſit nota. O ſapientiam immortalem! Apprimè Angelus eligendum agnoſcit; verùm ad noſtram eruditionem certus iterum explorauit, ne electio in electoris electique probrum putaretur incauta, ſi ſolicitæ explorationis illam non commendaret prudentia. Ergo reſpicit iterum electores docens non improuida celeritate moueri; ſed decenti moroſitate deligendum ſemel & iterum explorare. In Hebræo habetur: *Vertit* Caietan. *Iehoua ad eum:* quæ ſic exponit hic Caietanus: *ſitus mutatio deſcribitur: inſinuatur enim quod ſedens Angelus non ſecundum recta linea proſpectum ante faciem ſuam habebat Gedeonem; ſed vel ad dexteram vel ad ſiniſtram, & propterea ſcribitur, quòd vertit proculdubio faciem verſus Gedeonem intuendo ipſum.* Penitiùs inſpicit, & ex omni parte conſiderat, quia ad cunctorum ſalutem deligendus non debet dignitatis apicem inſcendere inexploratus: & quidem hîc iam prudentis explorationis copioſus fructus demetitur, cùm à Gedeone triumphus lætiſſimus reportatur.

Poſtquam diuinum Numen verbo ſuo 150. cælum ſuſpenderat, poſtquam vaſtam telluris molem fundauerat, ad lucis creationem accingitur; loqui occupat, qui reliqua ſilentio arcano condiderat: *Dixitque Deus; Fiat lux, & facta eſt lux.* A tenebrarum incurſionibus ſeparat, & à macularum ſuſpicionibus purgat: *Et vidit Deus,* inquit, *lucem quòd eſſet bona, & diuiſit lucem à tenebris.* Oleaſter examinis huius Oleaſter. myſterium nos docet inquirere, & ad formandos mores penſare: *Animaduerte, & conſidera diligenter, quæſo, Chriſtiane lector, locum hunc,*

qualiter

Digitized by Google

qualiter non ſat fuerit Deo lucem pulcherrimam creare, niſi eam poſtquam condita, examinare. Profectò etſi alia opera examine indigere poſſent, non lux candidiſſimis luminibus micans, & oculos ad ſe radiorum lumine vocans: cur ergo qui cælum ſilentio ſuſpendit, ad lucis creationem maiori ad ſpeciem ſtudio incubuit, & poſt ſolicitam molitionem perſpicacia ſolertiſſima examinauit: *Numquid,* addit Oleaſter, *opus tuum Domine, malum eſſe poteſt, aut in eo defectus aliquis contingere, vt examine opus ſit? Et ſi alia opera tua examine indigerent, non tamen lux, quam puriſſimam, & ſpecioſiſſimam facere dignatus es, & ad quam omnia alia opera examinantur: Quid, quæſo, me docere vis in hoc examine?* Quid ſpecialius docere nos voluiſſe illo examine Oleaſter teſtatur, quam dum inquiro eruditionem, lucem inuenio ad apicem dignitatis euectam, & præſidendi officio poſteà donatam: *Fecit Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt praeeſſet diei, & luminare minus, vt præeſſet nocti:* lux exordio mundi producta dignitatis faſtigia cælis inſerta occupauit: ergo vt nos doceret ſuis factis Dominus, ad dignitatis apicem eleuandos debere ſemel & iterum explorari, etſi maiori ad ſpeciem attentione condiderit lucem, iam conditæ fidelibus ac perſpicacibus oculis iterum examinauit nitorem: *Et vidit Deus lucem quòd eſſet bona.* Ad hæc non ſtatim ac producta eſt, cælo inſeruit; ſed rotari inferiùs voluit, ne ſuprema teneret abſque experientiæ ſuffragio, & ſine meriti, ſi fas eſt dicere auxilio: vt hanc electores normam electionis ſecuti ne quem eleuent ſine explorationis examine, aut ſine decenti tempore. Adde non vertendum vitio, ſi poſt cordatam explorationem falſi delegerint, dandumque crimini, ſi explorationis deſint ſuffragia, quantumuis in electo inueniantur merita.

Ad lucem omnia examinantur.

151. Deus Iacobum fratri præpoſuit; noluit tamen ſine exploratione à parente benedici: iuſſerat Iſaac Eſau afferre edulium, vt benedictionis acciperet principatum: Iacob fratris perſonam induit, & patri exhibere officium ſolicitè feſtinauit: ſenex cogitabundus hærebat: quia vox contradicebat dicenti, & manus auxiliabatur ſine dolo ſimulanti. Quid tunc? *Dixit Iſaac: Accede huc, vt tangam te, fili mi, & probem vtrum tu ſis filius meus Eſau, an non?* Falſus eſt pater; ſed quia explorationis tentamina præceſſerunt, non eſt ſugillatus de ignauia; ſed apparuit fortior Numinis prouidentia. Profectò ſi crediidiſſet dicenti, nec indagatricem adhibuiſſet ſolertiam prudentiæ ſuæ ſine dubio intuliſſet notam; at dum cominus experitur, dum omnem adhibet ſolicitudinem imprudentis excuſat ſugillationem: alius profectò, vt putabatur electus eſt; hoc tamen non fuit ob electoris oſcitantis ignauiam; ſed ob arcanam Numinis diſpoſitionem: *Iſaac pro indaganda veritate,* ſcribit Lippomanus, *nihil negligit, non contentus auditu tactum expetit certius ſignum.* Ad principatum Iacobum eligens elector apparet deluſus: verùm quia nihil pro indaganda veritate omiſit; audire nequit ignauus; imò ſolertia illum publicauit prudentem, cùm error ad ſpeciem teſtabatur infelicem: fecit quod ſuum erat: tetigit expertus eſt, ſemel & iterum interrogauit: vt noueris prudentis ſolum eſſe eligendum ſolerti diligentia explorare, diuinæ verò prouidentiæ dignum eligere.

Gen 27. v.21.

Lippom.

Dominus Eccleſiæ principatum traditurus diſcipulis apparet in Tyberiadis mari piſcantibus: ibi nocturnos calloſque labores piſcium abundantia ſolatur, Petrus Dominum eſſe audiens arctè præcingitur, & audacter per vndas marinas fertur; diſcipuli reliqui naui appulerunt, Dominus piſces iubet extrahi, & Petrus qui captis piſcibus nauim vt celerior cæteris ad Chriſtum inuolaret, reliquerat, cæteris etiam ſolicitior ad piſces extrahendos aſcendit: *Aſcendit Simon Petrus & traxit rete in terram:* Dominus ſatis ſibi notum, & his factis condiſcipulorum collegio ſatis probatum repetitis adhuc interrogationibus amorem examinat, & quaſi neſciret, explorat: *Diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine:* agnos diligenti commendat: *Paſce agnos meos:* iterum amoris tentamina porriguntur, & agnelli paſcendi iterum commendantur: nec his ſtetit inquiſitio; ſed tertiò venata eſt amorem diligens exploratio: *Dicit ei tertio, Simon Ioannis amas me?* Hic committit oues, qui ſemel & iterum agnos: *Paſce oues meas.* Profectò non indigebat inquiſitione, cui omnia nuda & ſine ambagibus nota: cur ergo Petrum præ cæteris audentem, & præ cæteris ope commendabilem prolixa examinatione diſcutit, interrogationeque examinat? Ad hæc, cur differt oues commendare, quando & meritum non erat ambiguum, & tot virtutum approbabat electionem ſuffragium? O ſapientiam immortalem! Præſcribebat Dominus formam cordatæ electioni, & quamuis quæ in Petro erant, apprimè noſſet; voluit tamen externis actionibus omnibus anteire, & internis etiam virtutibus antecedere, Imò priùs in paſcendis agnis exercuit, vt experto maiora traderet, in quo electori eligendoque conſuluit, ne quis eligentis criminaretur affectionem, aut electi morderet audaci temeritate virtutem. Adeſt Auguſtinus apud D. Thomam: *Sciens Dominus interrogat.* Adſtipulatur ibi Chryſoſtomus: *Tertiò etiam interrogat, & tertiò iniungit eadem oſtendens quantum appretiat prælationem propriarum ouium, & quoniam hoc eſt maximè eius amoris ſignum.* Quamuis eligeretur digniſſimus, ni diligens præceſſiſſet exploratio, poſſet quis amorem electoris erga oues notare, & in eligendo incuriam ad ſpeciem, quodammodo arguere. Ergo Dominus diligenter examinat, & exiguis probatum excellentioribus ornat, quo prudentis formam electionis præſcribat. 152.

Ioan.21. v.11.

Auguſt.

Chryſoſt.

§. XXXVII.

A ſuis prouidenter arcet periculum à Deo electus, vt de hoſtibus reportarit trophæum.

EXtraneis exhibitum beneficium niſi ſuis prouiderit, an benefacientis vertetur probrum, quandoquidem largitas in dubium potentiæ argumentum ipſam ſugillat potentiam ni fuerit cognatorum ſubſidium. Naturæ legem videtur infringere, qui ſuorum oblitus ad alios munificentiam extendit: nec rationi congruit cognatos preſſos tranſire, & ad leuanda ignotorum 153.

Digitized by Google

Caſsiodor. *Reatus eſt eſſe ſub debito.* *Prudens ſe ipſum compellit.*

tum onera properare. *Reatus quidam eſt*, aiebat Caſsiodorus 12. variar. 10. *eſſe ſub debito, nec liber poteſt veraciter dici, qui probatur obnoxius reperiri: prudens ſe ipſe compellit, minus cautus eſt, qui vrgetur ab altero.* Sub debito eſſe reatus quidam eſt non ſolùm debentis; ſed à ſuis debitum depellere detrectantis. Profectò cùm diuina electio luci ac rationi ſemper ſit conſentanea, à Deo non videtur electus, qui feſtinat ad ſe non pertinentium exterminare prorſus iniurias, cùm ad ſe ſpectantium non bona patientia ſuſtineat maculas. Gedeoni grana excutienti obiicitur Angelus eius fortitudinem commendans, & à Deo electum ad excutiendum de Hebræorum ceruicibus durum Madianitarum iugum teſtificans: *Apparuit ei Angelus Domini, & ait: Dominus tecum virorum fortiſſime.* Additque: *Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Iſrael de manu Madian.* Quærunt interpretes, quæ fuerit hæc Gedeonis fortitudo, qua prædicitur detriumphator, & libertatis perhibetur aſſertor. R. Salomon, & R. Dauid Kimhi apud Abulenſem quæſtione 11. exiſtimant fuiſſe in primis curæ Gedeoni patrem ſuum à periculis liberaſſe, vtque iam in tuto poſito alimentum ferret in torculari grana excuſſurum manſiſſe. Hæc ergo eius prouida pietas parabat ad triumphum, & à Deo teſtabatur electum: nec enim ad alios in libertatem aſſerendos fortitudine deprædicaretur ſtrenuus, ſi patrem à periculo liberare fuiſſet oblitus. Audi Rabbinos: Rabbini. *Gedeon & Ioas pater ſuus erant in torculari excutientes grana, & Gedeon dicebat patri ſuo: Tu ſenex es, & impotens: venient hoſtes, & fugere nequibis: recede ergo priuſquam capiaris; ego autem manebo: quia ſum vir fortis, & licet veniant hoſtes, fugere potero: receſſit autem Ioas, & manente Gedeone apparuit Angelus dicens ei: Virorum fortiſſime.* Non apparuit Angelus iuxta Rabbinorum ſententiam, quouſque Ioas filio monente periculum anteuerrit; & ad loca tutiſſima feſtinauit. Quaſi tunc ſolum Gedeon debuiſſet eligi in populi Principem, cùm exemiſſet à periculo patrem. Fortiſſimus virorum deprædicatur, quia Iſraëlitas liberauit à damno, & parentem à periculo. Quod ſi Gedeon circumiens in vrceo interpretatus Chriſti Domini gerit figuram, quis credat ipſum prototypum cum Madianitis deprœliaturum non locaſſe priùs in tuto parentem, quàm aggrederetur hoſtem: ne quis filij audacter exiſtimaret reatum, matrem puriſſimam contraxiſſe vel debitum: nam, vt dicebamus ex Caſsiodoro, *reatus quidam eſt eſſe ſub debito, nec liber poteſt veraciter dici, qui probatur obnoxius reperiri.*

154. Saluator à Iudæa vadit Sidonem, & Tyrum impietatis quidem olim emporium; ſed iam lucis ſplendidiſſimæ acceſſu grande virtutis trophæum. Chananæa mulier de improba radice virtutis fructus ſplendidiſſimus probitate genus refutabat, & naturam fide euincebat: piis vocibus clamans Chriſti Domini teſtatur potentiam dum exorat confidentia laudabili medicinam: *Miſerere mei, Domine, fili Dauid.* O Matt. 15. v. 22. quot myriadibus Iudæorum ſaluti reſtitutis, ab iis ipſis, qui perſanabantur, illud Chriſtus Dominus ſæpiùs, audiuit: *Hic vnde ſit, neſcimus;* mulier verò Chananæa etiam ante curationem alata fide ad Euangeliſtæ quodammodò dignitatem peruenit. Quid tunc Dominus pro immortali ſua ſapientia? *Non reſpondit ei verbum;* verùm cùm Apoſtolorum chorus interceſſor apud Saluatorem interueniret: *Non ſum miſſus,* ait, *niſi ad oues quæ perierunt, domus Iſraël.* Baſilius Seleucienſ. vt erat acutiſſimus, orat. 20. putat curationem diſtuliſſe, ne Iudæus rationabilem ad ſpeciem obiicere poſſet calumniam, & colorare quodammodò æmulationis malitiam: nam ſi priùs Dominus quàm propriis, mederetur extraneis, à Deo nullatenus vociferaretur electum, nec diuinitate exornatum, quandoquidem ſi candidiſſima eſſet lux, lucis ingenium ſortiretur nec permitteret proximas vmbras radios eiaculatus ad pellendas diſſitiſſimas tenebras. *Ecce propter te*, inquit Baſilius Seleuc. Dei nomine, *luctu confertam deſpicio, commiſerationem tego, etſi luctus miſereor: vociferantem vt gentilem auerſor, tibi infidelitatis occaſionem praſcindens.* Iudæorum prius impietatem, & quam ſuſtineret repulſam conteſtatus eſt, ne factioſas poſſet aliquando cauſas colorare allegans medelam attuliſſe gentili, nec prouidiſſe propagini: ergo curationem Iudæo offert, Chananææ differt, ne aliqualis improbitati Iudaicæ excuſationis ſit color, & vociferentur à Deo non electum, qui oblitus proprios inuolauerit ad extraneos.

155. Dauid non ſine arcano myſterio priùs Saulem ab interna obſidione liberat, & poſteà cum gigante laudabili temeritate decertat: tranſlata à Saule gratia habitationem impuraro ſpiritui concedebat: dæmon eius animum nactus non obſcuras aduentus ſui notas dedit: erat ſanè commiſeratione digniſſimum regem videre ſatellitio, diuitiis, deliciiſque circumfuſum, & nihilominus interna, anxiaque triſtitudine oppreſſum, & oppreſſione duriſſima exagitatum: Dauid è paſcuis adductus, lyræque melos teli vice eiaculatus dæmonem abire compulit: erat namque intolerabile inuidiæ tormentum diuinas audire laudes & eximias in puero ſpectare virtutes: *Refocillabatur Saul, & leuius habebat:* 1 Reg. 16. v. 23. *recedebat enim ab eo ſpiritus malus.* Pugnæ cum dæmone certamen cum elatiſſimo ventoſiſſimoque gigante ſucceſſit: quaſi opus fuerit præludere cum dæmone ad decertandum cum ſuperbiſſimò homine: ſtabat gigas montis ad inſtar Iſraëlitas prouocans, & iniuriis Deum ipſum laceſſens: Dauid à patre ad fratribus prouidendum in campum venerat, cumque iam fratrum curam egiſſet ad cum gigante pugnam properauit: *Derelinquens ergo Dauid vaſa, quæ attulerat, ſub manu cuſtodis ad ſarcinas, cucurrit ad lo-* 1. Reg. 17. v. 22. *cum certaminis, & interrogabat ſi omnia rectè agerentur erga fratres ſuos, cumque adhuc ille loqueretur eis, apparuit vir ille ſpurius aſcendens, Goliat nomine.* Ecce à Deo conſtitutus, & ad populi ſalutem electus, priùs fratrum curam egit, quàm pro populo certamen ſubiret; imò quia ducturus regis filiam, Deo ſic prouidente prius generum perſanauit lyra, quàm gigantem proſterneret dextra: nec enim deceret iugum de contribulium ceruice priùs excuſſiſſe, & poſteà etſi futurum ſocerum perſanaſſe. Prudenti arcanaque diſpoſitione omnia peracta ſunt: quia futurus gener priùs Saulem ſocerum, quàm populum liberauit, priuſque attulit ſubſidium fratribus, quàm gigantem proſternens ſubuenerit contribulibus. Huc voco Baſilium Seleucienſ. Seleucienſ. orat. 15. *Militem ſuum producit in medium gratia*

ver è

Digitized by Google

verè regem factis declarans, dum pugnæ prouocationem ad ſe Dauid rapit, & oratione conſanciatum Saulis animum præſanat. Vtrumque diuinam teſtabatur electionem, Saulem ſcilicet præſanari, & gigantem proſterni: ſatis namque erat Dauid Saulis filiam fore ducturum, vt citiùs de eius ſalute ageret, & triſtitiam omnem depelleret: debito ordine omnia perficiens, ſe à Deo non obſcurè probat electum, & gigneret ſuſpicionem, ſi fratrum poſtpoſuiſſet ſalutem, & contribulium procuraſſet libertatem. Quaſi Dauid, quia futurus gener, antequam filiam duceret, iam ſalutem fuerat Sauli impertitus; quis credat Dei verbum futurus Sanctiſſimæ Virginis filius, priùs eius ſaluti non conſuluiſſe, & à culpæ etiam vmbra omnimodò liberaſſe. En Gedeon, quia teſte Hugone, ſignificat Chriſtum, parentem à periculo prorſus eximit, & poſtea contribulibus conſuluit. Quod ſi adumbratum in imagine, excellentius debet in prototypo reperiri, Chriſtus Dominus verus Gedeon, & virorum omnium fortiſſimus, prius parentem ſanctiſſimam exemit periculo, quàm ſalutem hoſte detriumphato attulerit populo; alioquin non videretur veritas ænigmatibus reſpondere, nec quod olim adumbratum, exprimere.

156. Cùm Deus immiſſi diuinitus ſomnij penicillo futuram Ioſephi dignitatem vellet exprimere, prius illi manipulos fratrum in reuerentiæ teſtimonium curuatis ceruicibus manipulum ſuum adorantes obiecit: Gen. 37. v. 7. *Putabam nos ligare manipulos in agro, & quaſi conſurgere manipulum meum, & ſtare, veſtroſque manipulos circumſtantes adorare manipulum meum.* Profectò Ioſephus, dum Ægypti prorex, non ſolum fratribus præbet alimenta; ſed reliquos liberat ab inopia: cur ergo Deus ſomnium non immutat, quo à ferè immenſis manipulis ſe adorari conſpiciat; ſed fratrum ſolùm manipulos illi obiectat. Fallar ni hoc ipſo ænigmate à Deo declarabatur electus, quandoquidem fratres exemit de periculo, & tulit alios etiam cibans de annorum ſterilitate trophæum: vt nouerit Ioſephus ſe à Deo ad inopiam depellendam promotum, priùs intuerit ſe fratribus auxiliari, & ſuppetias contra famis periculum ferre. August. Lippom. *De famis periculo*, ſcribit Auguſt. apud Lyppom. *liberandi erant.* Addit Lyppom. *Quo ſignificabatur Ioſeph à Deo præparatus honor.* Si videret Ioſeph priùs ſe aliis, quam fratrum manipulis propinquare, eſſet merè ſomnium, & non arcanum; at ne vel ab inuidis ignorari poſſit à Deo in proregem deſtinatum, priùs apparet pericula fratrum abigens, quàm famem externorum depellens. Itaque honor à Deo præparabatur, eligebaturque Ioſephus ad reportandum de fame triumphum, quando videbatur priùs à fratribus abigere detrimentum. Et quidem non videretur rationi conforme, ſi fratres vitæ experirentur periculum, vbi extranei inuenere contra mortem medicamentum. Quis ferat, aiebat alioſum Caſſiodorus 2. var. 19. in domeſticis præſidiis locum fuiſſe periculi, & ibi inuentum dulcis vitæ exitum, vnde naſci debuerat defenſionis auxilium. Profectò cum de Maria natum ſit omnibus defenſionis auxilium, non feram ibi innocentiæ accidiſſe naufragium.

§. XXXVIII.

Pietas erga parentes depellit infauſta, & affert fortunatiſſima.

157. Pietas erga parentes & ſolicita cura, omnis felicitatis eſt fœcundiſſima vena: vel reluctanti videtur aliquomodo omnipotentia præualere, qui nouit parentibus ſubuenire. Pietas eius eſt conditionis, vt niſi adfuerit, nec ſtabiliri valeat proſperitas, nec depelli poſſit calamitas. Iacob ab vtero diuinis decretis fratri præponitur, Eſau abiicitur; & tamen adeò erat efficax huius erga parentem grandæuum ſolicitudo, vt opus fuerit illi pio artificio, & artificioſo obſequio exhibitis edulijs benedictionem præripere, & diuina decreta religioſâ erga patrem pietate complere: *Affer mihi*, inquit, *cibos de venatione* Gen. 27. v. 25. *tua, fili mi, vt benedicat tibi anima mea: quos cùm oblatos comediſſet, obtulit ei etiam vinum, quo hauſto dixit ad eum, &c. benedicens illi ait: Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Nondum ager plenus refertur, quouſque per ipſum famelico ſeni conditum obſonium adminiſtratur; & dum famelico, ſenique parenti ſubuenitur, iam filij ager direſcit odoris fragrantia, & fructuum ingenti copia: *Sicut odor agri pleni.* Arcanum hic myſterium arbitratur Auguſt. apud Lippom. *Iſte dolus Iacob ne putare-* August. *tur fraudulentus dolus, & non in eo magna rei myſterium quæreretur, ſuperiùs prædixit Scriptura: Erat autem Iacob homo ſimplex.* Itaque etſi potuerit Deus ſine oblatis patri edulijs benedictionibus exornare, diſpoſuit tamen Iacobum benedictionem oblatis cibis adipiſci, vt conſtaret omnibus pietatem felicitate compleri, & abſque illa non cumulari. *Inobedientem filium*, aiebat Caſſiodorus 2. var. 14. *declinare pœnas* Caſſiodor. *non permittit humanitas.* Certè vbi pietas non *Filius inobediens pœnas ſibi aggerat.* floret, vbi erga parentes reuerentia non viget, nil poteſt inueniri fauſtum; ſed laborioſis ſupplicijs plenum: vt è contrà pietatis germana eſt felicitas, nec quid poteſt infauſtum contingere, ſi pietas aggrediatur depellere. Notauit Caſſiod. dato iam loco ciconiam ſua præſentia hyemis triſtitudinem abigere, & lætioris temporis gratam temperiem prænuntiare: nec enim poterat pietatis exemplum non afferre ſecum felicitatis exordium: *Ciconia redeuntis anni iugiter nuntiatrix, eijciens triſtitiam hyemis, lætitiam veris temporis introducens magnum pietatis tradit exemplum.* Ciconiæ, vt alias expendi, productior vita pietatis eſt fructus; verùm vt noſcas à pietare exoriri fauſta, lætiora ſemper nuntiat ciconia.

158. Gedeon ab Angelo deprædicatur fortiſſimus, nec iubetur fugere; ſed triumphare: *Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Iſrael de manu Madian.* Et quæ eius eſt fortitudo: Curaſſe ſcilicet excutere grana, non ſolùm ſibi, ſed & parenti, cuius ſic tuebatur vitam, vt maluerit, ne patet exponeretur periculo, plus laborare in excutiendo, & præparando frumento. Ita R. Salomon, & R. Dauid Kimhi apud Abulenſem R. Salomon. R. Dauid. quæſt. 11. *Gedeon & Ioas pater ſuus erant in torculari excutientes grana, & Gedeon dicebat patri ſuo: Tu ſenex es & impotens: venient hoſtes & fugere nequibis: recede ergo priùs quam capiaris; ego autem manebo, quia ſum vir fortis, & licet veniant hoſtes, fugere potero. Receſſit autem Ioas, & manente*

Digitized by Google

Gedeone apparuit Angelus dicens ei : virorum fortiſſime. Ipſo tempore, quo pietas luxit, & triumphus etiam arriſit : dum Gedeon ſaluti ſenis conſulit, dum non recuſat ad comportandos cibos laborem, & viſione fruitur Angelica, & vtitur lætiori fortuna.

159. Ioſeph fratribus ſuis ſomniata refert : ne celaret fratres ſecretum, nullatenus veritus inflammandum odium : vidit manipulos circumſtantes manipulum ſuum elatiorem nitidioremque humili officioſitate adorare, & dignitatem adoratione fateri: *Putabam nos ligare manipulos in agro, & quaſi conſurgere manipulū meum & ſtare, ve ſtroſque manipulos circumſtantes adorare manipulum meum.* (Gen. 37. v. 7.) Vel ſomniata dignitas fratrum irritauit inuidiam; verùm vt non putarent illuſæ imaginationis ſomnium; ſed arcanum ac cæleſte myſterium, iterum : *Vidi ait, Solem, Lunam, & Stellas vndecim adorare me.* Lippom. idem ſecundo ac primo ſomnio expreſſum teſtatur, ſcilicet patrem fratreſque ab ipſo in Ægypto alendos, & ſolerti cura ſeruandos; addidiſſe tamen Deum ſecundum ſomnium, vt dum vident patrem altum, nec liuore cæcutientes dubitare poſſint fratrem fortuna proſpera ad dignitatis apicem euchēdum: *Secundò idem myſterium alio ſomnio & clariori referens Deus quaſi admonere fratres videbatur ad reſipiſcentiam.* Expendamus (Lippom.) Lyppom. verba, ſi placet. Vt prænoſcerent fratres Ioſephi fortunam, eius contemplantur in alendis ipſis pietatem, intuentur ſe de famis periculo liberandos ſolerti fratris induſtria, & ſagaci prouidentia, verùm ſic tetro odij fumo obcæcabantur, vt quem videbant pium non arbitrarentur excelſum. Quid tunc Deus? Aliud immittit ſomnium, quo non ſolùm aluntur fratres, ſed parentes, vt nec inuidia poſſit tergiuerſari, dum conſtat ad parentum ſuſtentationem alimenta fratrem præbere : nec enim pius erga parentes poterat parata illi à liuore pericula non effugere, aut faſtigio dignitatis carere, quando parentes induſtria aluerit, & de famis periculo eripuerit: tantum valet religioſa erga parentes pietas, & in neceſſariis præbendis generoſa liberalitas.

160. Poſt vniuerſalem cataclyſmum iam Noe meliora ſperans terram exercere incepit, vineam plantauit, de cuius generoſo fructu inebriatus eſt, ab omnium oculis degebat remotus vt nudus; at vt nihil non rimatur, & ſæpè in ſui detrimentum malignitatis curioſitas, Cham deprehendit nudū, & denuntiauit fratribus vt parenti verteret probro: non laudauit miræ illius arcæ artificem, reliquiarum mundi conſeruatorem; ſed ſugillauit nudū; verùm ſi malignitatis perſpicacia tabernaculo conſpexit dormientem, etiam patris prophetia audiuit cum fratribus murmurantem. Quid tunc? Cham ſeruituti ſubiicit, & fratres etiam natura refragante præfert: (Gen. 9. v. 27.) *Benedictus Dominus Deus Sem, ſit Chanaan ſeruus eius : dilatet Dominus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem, ſitque Chanaan ſeruus eius :* Duobus ſubiicitur, qui natura non erat poſtremus; ſed medius. Hinc ſeruitus cœpit, hinc Sem, & Iapheth auctior fortuna auditur, & præuidetur: & meritò quidem, nec enim poterant non dilatari, & luminibus dignitatis fulgere, qui elegerunt, vt nudum patrem ornarent, nuditatis notam ſubire: ornamento priuantur, vt nudum veſtiant parentem; ſed quod largiuntur pallium, regium illis conciliauit ſceptrum. *Sicut irreuerentia paterna,* ſcribit Lyra, *meretur maledictionem, ita reuerentia benedictionem.* (Lyra.) Caietan. notauit extrema (Caietan.) oneratū maledictione, qui nudūm patrem intuitus non texit; ſed irriſit. *Infima ſeruitutis ſpecies ſignificatur, dicendo: Seruus ſeruorum erit fratribus ſuis, tamquam non ſat ſit ſeruire fratribus; ſed oportere etiam ſeruire ſeruis fratrum.* Chryſoſt. apud (Chryſoſt.) Lyppom. Scripturam ait retuliſſe impij pœnam, & piorum mercedem, vt & pœna exterreat, & benedictionis nos gratia alliciat : *Operæpretium fuerit audire nunc poſt pœnam, quam accepit is, qui nuditatem inuulgauit, quas retributiones & honores aſſecuti ſunt alij pro honore, quem patri impenderunt.* Honor patri impenſus nobilitauit filios, & regnum emeruit pallio, non tantùm in mundo; ſed etiam in cælo: ideò ait : Benedictus Dominus Deus Sem: quaſi iam ſpeciali titulo pietati debeatur, vt in vtroque mundo honoretur. Adeſt Gloſſa moralis & Lyra : *Vidit ſpiritu quòd* (Lyra. Gloſſa.) *cultus vnius Dei remanſurus erat in filiis Sem.* Speciali gratia ad veram religionem eligitur, qui peculiari pietate nudum patrem induiſſe deprædicatur. Timeant filij ingentiſſima in vtroque ſæculo detrimenta, ſi parentibus ſenio confectis inopiaque vexatis non ſubuenerint, & vel proprij alimenti diminutione, & aliquali diſpendio fouerint : gaudeant qui eligunt minus pompaticè incedere, vt habeant quo poſſint nudis parentibus ſubuenire.

Eccleſiaſticus vt felicitatis copioſam venam 161. (Eccli. 3. v. 10.) hominibus demonſtraret, aiebat : *In opere & ſermone, & omni patientia honora patrem tuum, vt ſuperueniat tibi benedictio ab eo, & benedictio illius in nouiſſimo maneat : benedictio patris firmat domos filiorum.* Non ſolùm in hoc loco promittitur humana proſperitas; ſed æterna etiam felicitas : firmatur domus filij parentem alentis aduerſus varias temporum facies, & diuerſas fortunæ ſortes. Adeſt Ianſenius ad (Ianſen.) hunc locum : *Honora patrem tuum in opere & ſermone, promptè ſcilicet illi obediendo, ſeruiendo, & ſubueniendo.* Subiicit poſt pauca : *ſignificat quanti Deus faciat vel benedictionem, vel maledictionem filiorum à parentibus profectam, cùm Deo faciente fiat, vt ad benedictionem parentum domus filiorum, hoc eſt eorum familia & res ſtabiliantur.* Quæ patribus rependuntur obſequia, felicitatis ſunt fulcra, nec poteſt quid calamitatis telum, in quem defendit exhibitum patri officium.

---

§. XXXIX.

Quo quis virtutibus inuenitur excultior, Reipublicæ probatur commodior.

DEo parere, aiebat Seneca de vita beata ca- 162. pite 16, *libertas eſt : ergo in virtute poſita* (Seneca.) *eſt vera felicitas.* (*Deo parere libertas eſt.*) Virtus felicitatis eſt mater, nec ſolùm qui illam excolit, nullo indiget, ſemper liber; tutus ac indemnis; ſed aliorum pellit etiam indigentiam, & propulſare nouit ærumnam : *Virtus,* addit Stoicus, *ad viuendum beatè ſufficit, perfecta illa & diuina.* Imò non ſolùm ſibi ſufficit; ſed omnibus prodeſt. Da mihi, qui, qua fas eſt, ſe veluti in Deum effingat, qui

qui virtutes ſtudioſiſſimè colat, & ego tibi lætioremiam pluribus arridere fortunā dicam. Sol quò à tenebrarum maculis purior, mundo inuenitur commodior: omnia, dum lucet, illuſtrat, & eius plauſus inuenitur multorum fructus. Luna dum caliginis ſocietatem non reſpuit, dum tumet mutuato ſuperba lumine, non arcet feras, nec humanas depellit anguſtias: vbi exorta candidiſſima lux emicat, ad homine dignos labores citat, fallaces vmbras depellit, & antra petere animalia nociua cogit. Hanc veritatem adſtruamus exemplo: Hebræorum populus tyrannico Madianitarum gemebat oppreſſus iugo, donec inuentus eſt Gedeon, qui fortunatiora tempora induceret detrito feliciter aduerſario: *Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Iſraël de manu Madian.* Ecqua Gedeonis fortitudo? Putauerim eſſe, Chriſti Domini imaginem virtutum penicillo expreſſiſſe, & excultis moribus adumbraſſe: *Gedeon,*

Hugo. ſcribit Hugo Cardinalis, *interpretatur circumiens in vtero, & ſignificat Chriſtum.* Ecce dum ſe in Chriſti Domini ſimulacrum omni virtutum cultura effingit, non ſolùm ipſe reportatis fulget trophæis; ſed & populus deletis radicitus aduerſariis: Ioas Gedeonis pater familiæ Princeps inter reliquos erat nobilior & honoratior, at quia ſe in virtutis normam non efformatat, calamitoſum populi ſtatum minimè depellebat; at Gedeon Chriſtum referens calamitoſis ſuppetias affert: vt videas quàm ſit omni reipublicæ commodus, qui probitatis inuenitur alumnus.

163. Poſtquam Noemiticæ mundo grauidæ tempus arcæ parturitionis attriſit, Noemus vir omni probitate conſpicuus, & benè prouidus coruum, & columbam emiſit; verùm ille cadaueribus inhians, prorſus eſt oblitus redire: quia ſe ſolum curabat paſcere. Columba redit pacis ſymbolum ore geſtans, & libertatem de-

Gen. 8. v. 11. nuntians: *Venit ad eum ad veſperam portans ramum oliuæ virentibus foliis in ore ſuo: intellexit ergo Noe quòd ceſſaſſent aquæ ſuper terram.* Quæramus, ſi placet, cur columba incarceratis grandi fuerit ſolatio, cùm emiſſus anteà coruus expectantium anguſtias læto non depulerit nuntio? verùm, ni fallor, iam textus cauſam innuit, dum columbam nullatenus fœdatam aſſeruit: *Cùm non inueniſſet vbi requieſceret pes eius, reuerſa eſt.* Columba Spiritus ſancti ænigma paſſa non eſt leui macula defœdari, nec cœnoſæ terræ inſidere: coruus voracitatis emblema dum fœtore paſcitur, detentis in arca opem afferre obliuiſcitur: quæ auis mundior, & cæteris fructuoſior, vt quàm vera ſit noſtra theſis, agnoſcas, opportuniorem ſcilicet eſſe cunctis, qui virtute inuenitur ornatior, & moribus optimis cultior. Adeſt apud

Chryſoſt. Lyppomanum Chryſoſtomus: *Vidiſti quanta auis gratitudo, quomodò rediens iuſtum docuit.*

Gloſſa. Adſtipulatur ibi Gloſſa Græca: *Duæ etiam aues ſymbola ſunt vitij & virtutis.* Columba virtutis ſymbolum hominum animantiumque inuenitur fuiſſe ſolatium; at coruus vitium nigredine referens reliquorum eſt ſalutis oblitus, quia cadaueribus putridis ſaginatus.

Cùm humanum genus ſordidis ſe criminibus defœdauerit, & diuinos oculos fœditate luxuriæ offenderit, in ſeipſum iram concitauit, & Domini ex ſe mitiſſimum ingenium ſæuire docuit: fœminæ dum ſplendidas, & ornatu florentes virorum oculis ſe obiiciunt, ſeruam libidini rationem tradunt: fluxa & caduca voluptas æternarum rerum votis anteferebatur, & adulterata indoles ſueta ire olim virtutis vias iam iniquitati mancipata deturpabatur, & cupiditati ſolùm obſequebatur; verùm in tanta hominum licentia Noe ſuam commendauit virtutem, dum nec frequenti exemplo allectus, nec improborum conſortio inuenitur contaminatus: *Noe inuenit gratiam coram Domino.* Huic Geneſ. 6. v. 8.

imperat Deus arcam compingat, & reliquias mundi prouidenter ſeruet: *Ponam fœdus meum tecum, & ingredieris arcam tu & filij tui, vxor tua & vxores filiorum tuorum tecum: & ex cunctis animantibus vniuerſæ carnis bina induces in arcam, vt viuant tecum.* Ecce cùm Noe viuunt ratione prædita, & nuda: hominis malitia non ſolùm homini ingens peperit detrimentum; ſed miſerandum creaturarum turbæ naufragium; at Noe dum iuſtitiam mirè excolit, hominibus, & animalibus affert incolumitatem: nec enim poterat omnibus non eſſe proficuus, qui tot virtutibus relucebat ornatus. Accipe Baſilium Seleucienſem oratione Seleuc.

ſexta: *Periculum creabatur, diluuium armabatur, & natura à ratione aliena cum rationali iudicabatur: nam vna cum homine, quæ hominis cauſa productæ fuerant, periclitabantur, & cadente Principe ſubiecti tollebantur.* Attende quæ annectit: *Natura auxilium naturæ Dominus Noemo tradens ait: Ingredere tu & domus tua in arcam, &c. Serua mihi conditionis nux reliquias. Te rerum earum cuſtodem facio: eſto manus meæ diſcipulus.* Ecce Noemus, quia legis cuſtos, & fictricis manus diſcipulus naturam redintegrat, & quæ aliter periret, conſeruat: portus fuit iuſtus periclitantibus, & in medio naufragio homines animaliaque Noemi reſeruabantur conſortio: quia coram Domino inuenit gratiam contulit omnibus vitam, & qui naturam indignis moribus refuderunt, diluuium creaturis omnibus inuexerunt: vt videas quàm omnibus commodus ſit virtutis aſſecla, probitatiſque norma: vt è contra fœditatibus ſordidus, quàm cunctis probetur eſſe nociuus.

Cadente Principe ſubiecti tolluntur.

Iſaias capite 60. duo coniunxit ſpecie diuerſa, etſi veritate conformia: *Qui ſunt iſti,* aie- 165. Iſaia 60. v. 8.

bat, *qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas?* Et quid columbæ cum nubibus? nubes namque plena fœcundo imbre diuagatur per aëra, tellurique virtutem communicat, qua & prata floreant, & flores vigeant, & fructus maturi prodeant: columba feneſtellis reſidens pullos nutrit, & gemitibus cuſtodit: quæ ergo ſimilitudo inter columbas & nu- Ruperc.

bes? Magna equidem ſi Ruperto credas apud Lippomanum ad Geneſ. 8. *De ſanctis Euangelij prædicatoribus per admirantem prophetam dicitur: Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas? Volant enim vt nubes pluuiam pacis mundo afferentes.* Adiungit: *Et illi quidem quiuis quaſi columbæ ſunt; ſed vna eſt columba Spiritus ſancti gratia, propter quam illi columbæ dicti ſunt.* Dum in ſe conantur Spiritus Sancti columbam effingere, nubium ad inſtar inſtillant cæteris pacem: columbæ ſimplicitas fertilitas mundo eſt: candor puritatis opportunam adducit

pluuiam, qua inebriata tellus ditiſſimam fructuum protruſerit copiam. O feliciſſimam terram, cui columba contigit optimis moribus micans, & incontaminata, ac niuea puritate candicans: ſortitur namque nubem contra Solis æſtus vmbraculum, contra ſterilitem auxilium: nec enim ſola terrena attulit nubes commoda; ſed etiam cæleſtia protendit nobis auxilia.

166. Adeſt veritatis huius fidelis teſtis Ioſephus, qui dum virtutum prata in eius animo oſtendit conſita, amico fœdere coniungit & benignos ſtellarum aſpectus, & copioſos telluris fructus: ferè extremus fratrum fratribus parturiuit ſalutem, dum coluit animitus ſanctitatem: ſeipſum manipulum eminentiorem cæteris intuetur, dum virtutibus Principe digniſſimis eruditur, dum fratres diſcupit ſilenter corrigere dum dedignatur ſibi illatas iniurias aſperrime vindicare, non ſolùm ſuis; ſed extraneis etiam inueniebatur vtilior: quia virtutum reſplen-
Gen. 37. v. 3. duit concinnitate exornatior: *Iſraël diligebat Ioſeph ſuper omnes filios ſuos, eo quod in ſenectute genuiſſet eum.* Erat ipſe in pueritia morum grauitate ſenex & de adoleſcentiæ periculo gratior
Peluſiota. virtutum reddebatur augmento. *Cum adhuc puer eſſet*, ſcribit Iſidorus Peluſiota apud Lyppomanum, *plurimis virtutibus ornatus erat.* Quem virtutes ornabant, dignitates etiam ambiebant, & dum virtutum omnium manipulum componit, incolumitatem omnibus affert. O quàm maximi æſtimandi ſunt ſancti, de quorum conſortio ſalus emanat Reipublicæ, & aditus præcluditur appetenti calamitati. Ergo Gedeon dum in aduerſa fortuna virtutem colit, iam ſalutem omnibus affert.

---

§. XL.

Non eſt inconſultè cuique ſpiritui fides præſtanda; ſed diligentia adhibenda.

167. Senec. *Aliquando blandus inimicus pro amico venit.*

DIſce *quemadmodum hanc ſimilitudinem dignoſcere poſſis*, aiebat Seneca epiſtol. 45. *venit ad me pro amico blandus inimicus:* vt proteruiæ eſt, fidem exploratis non præſtare; ita temeritatis eſt inexpertis adhibere: in his magno periculo erratur: quia non ſemel ipſa fallacia delectat, & delectatione infatuat: vita multorum mentitur, nec ſemel occurrit ſcopulus ſub aquis tectus, vbi ſperabatur
Tota vita mentitur. tranquillus curſus: *Ecce tota mihi vita mentitur*, addit Stoicus, *hanc coargue, hanc ad verum, ſi acutus es, redige.* Vt ad examinandam monetam Lydius lapis inuentus eſt, ita inueniri oportuiſſet ad ſpiritus diſcernendos veridicus Lydius: transfigurat namque ſe Sathanas in lucis Angelum, & ab illuſis exhibetur vti veritati poſſet mandacio obſequium. Prudens ne incurrat periculoſam fallaciam, cordatam molitur adhibere ſemper cautelam: nam ſi ſemel pro antidoto exhauriatur venenum, ardore inficit, & antequam vtilis adhibeatur medela, nociua ſolet animum adurere flamma. Gedeoni apparet Angelus eius fortitudinem allaudans, & ad prælium cum Madianitis adhortans: *Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Iſraël de manu Madian. Scito quod miſerim te.* Quid tunc Gedeon? *Da mihi ſignum quòd tu ſis qui loqueris ad me.* Diuino auxilio fultum Madianitas aggredi erat reportare trophæum; aliter grande ſibi conciliare periculum: ergo Gedeon, ne incurrat improuidus, ſignum petit ſapienter cautus. Adeſt Hugo Cardinalis ad hunc Hugo.
locum: *Nota quod non credidit ſtatim; ſed voluit probare quis eſſet. Sic fecit Ioſue, qui dixit Angelo tenenti gladium: Noſter es, an aduerſariorum? ſciebat enim non eſſe credendum omni ſpiritui: quia ſæpè transfigurat ſe Angelus tenebrarum in Angelum lucis.* Plures transfigurantur, & cùm intrinſecus ſint rapaces lupi, extrinſecus videntur agnelli: opus eſt ad diſcernendum certis notis, & cordatæ explorationis ſuffragiis, ne aut infidelitatis incurratur periculum, aut credulitatis incommodum. Gedeon ergo vti prudentiſſimus ſemel & iterum ſignum conſulit non de ſuſpicionis maleuolæ vitio; ſed de cordatæ explorationis ſtudio.

Poſtquam Dominus mortis imperium euerterat, & inferni ianuas Samſon veriſſimus elocauerat, piæ mulieres aduentant officia funeris impleturæ; verùm piam illatum mœſtitiam lætus depellit Angelicus cæleſti iubare aſpectus, & felicitatis cer- 168.
tiſſimus nuntius: *Scio quod Ieſum, qui crucifixus eſt; quæritis: non eſt hic: ſurrexit enim, ſicut dixit.* Matth. 28. v. 6.
A Domino anteà prædicta, ab Angelo denuntiantur modò completa: veſtis candor, vultus decor, luminis cæleſtis fulgor fidem dictis conciliabant; ſed nihilominus mulieres vocat Angelus, vt ſepulchrum oculis curioſis examinent, & indagatrici ſolertia explorent: *Venite, & videte locum, vbi poſitus fuerat Dominus.* Et quid opus eſt locum examinare, quando & lapidem reuolutum aſpiciunt, & teſtem veritatis cæleſtem audiunt? Profectò Angelus non ſugillat peruicaciam; ſed mulieres docet prudentiam: ne ſi citò crediderint, imprudentiæ ſubierint notam, etſi non ſuſtinuerint fallaciæ iniuriam. Rem teſtatur ex ſe difficilem, naturæ vires longè ſuperantem: ergo ne, vt olim, incurrant fœminæ incautè, opus eſt ſepulchrum ingredi, & attentis oculis reſurrectionis ſigna ſpectare. Innuit Chryſo- Chryſol.
logus ſermone 77. *Mulieres vocat Angelus ad videndum, vt ſacri corporis locus mundaret oculos, quos diabolo claudente vetita arboris maculauerat aſpectus: ingrediuntur ſepulchrum, vt conſepulta Domino totam fidei reſurgerent in ſalutem.* Opus erat ſalubrem fidem cordatè amplecti: & quia citò ſerpenti credens ſe ſuoſque poſteros fœmina perdidit incauta, conueniens erat, vt decenti examine reſurrectionem ab Angelo denuntiatam expenderet, diſpiceretque attentis oculis prouida: Mulieres vocat Angelus ad videndum: non timet explorationis tentamina, quia veritati profert conformia: oculos aſciſcit teſtes ad veracitatis elogium, & ad fidem præbendi exemplum: ne ſi inexplorato crediderint, ipſam fidem quodammodò leuitate infuſcarint.

Saul ab inimicis impetitus, & difficili rerum 169.
ſtatu

Digitized by Google

ſtagu ſummopere diuexatus, pythoniſſam adit, Samuelem ſibi excitari ardenter anhelans, & regia diſſimulata dignitate deſiderans: *Dixit ei mulier: Quam ſuſcitabo tibi? Qui ait; Samuelem mihi ſuſcita.* Impoſturæ impoſtura reſpondit, & pythoniſſa muliebri artificio Saulem appellans de fallacia ficta illi præſentauit corpora, veriſſima ſpectra. *Cum vidiſſet mulier Samuelem, exclamauit voce magna, & dixit ad Saul: Quare impoſuiſti mihi? tu enim es Saul.* Se ingenti voce conqueritur falſam, & dum excitat muliebri ingenio tragœdias, artes nititur colorare illuſorias: Saul formam reſurgentis interrogat: ad quem Pythoniſſa: Vir ſenex aſcendit, & ipſe amictus eſt pallio. Dum ſpectrum ſimilitudinem Samuelis refert, obturbatus incautuſque rex adhibere fidem non timuit: Intellexit Saul, quod Samuel eſſet, & inclinauit ſe ſuper faciem ſuam in terra, & adorauit. Extrinſeco deluſus pallio adorauit ſpectrum, & propheticum putauit ſpiritum. Erat, ſi Tertulliano credas libro de Anima capite 57. quod apparuit, mera Samuelis vmbra, & extrinſeca tantùm forma; at dum Saul externis tantùm fidens non recuſat fidem præſtare, inuentus eſt ſpectrum non ſine prudentiæ iniuria pro vero propheta audire. *Dubitauit* (dæmon) inquit Septimius, *ſi fortè tunc prophetam ſe Dei aſſeueraret, & vtique Sauli, in quo iam ipſe morabatur. Ne putes alium fuiſſe, qui phantaſma adminiſtrabat, alium qui commendabat, ſed eumdem ſpiritum & in pſeudoprophetide, & in apoſtata facilè mentiri, quod fecerat credi.* Vt ſe dæmon credi faceret, prophetalem deſumpſit ornatum, & impoſuit ingenter credulo: ſi cominus Saul inſpexiſſet, ſi ſoletti diligentia explorasset, abſque dubio cognoſceret ſub illo habitu latere non prophetæ animum; ſed pſeudoprophetæ figmentum; at dum citò credit prophetam, adorat dæmonem, ſuoque delicto nos edocet, quàm accuratè expediat res explorare, & prudenti dubitatione ac iudicio ſuſpenſo hærere? non eſt fides veris deneganda: ſed nec figmentis eſt adhibenda: ergo quouſque certis notis omni ſuſpicione purgentur, vera ſuſpendenda ſunt prudenter iudicia.

1. Reg. 28. v. 11.

Tertull.

170. Hanc veritatem imprudenti cautela; ſed nobis cauta doctrina docuit Thomas dum credere renuit oculis, ni experientiæ manuſque innitatur ſuffragiis. Apparuit Chriſtus Dominus obturbatis timore diſcipulis: deſeruerant illi vti homines officium; ſed magiſter quia Deus, feſtinauit adhibere remedium: reliqui Thomæ tunc abſenti ſe vidiſſe Dominum reportatis de inferno morteque trophæis redimitum gloria teſtantur: *Vidimus Dominum.* Quibus ille: *Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.* Iam certè diaboli poteſtas ceciderat, iam inferni carceres gemebant diſrupti, iam mortuorum vincula diſſoluta, iam ſepulchra vacua, iam mors obſtupuit, & reſurgente Domino ſuas leges perfractas ingemuit; & tamen Thomas vulnera in argumentum fidei repræſentari ſibi nimis callidus explorator depoſcit, & reſulcare audaci manu prætendit. Quod Chryſologus ſermone 84. non tribuit incredulitatis vitio; ſed arcano myſterio, aſſeritque prophetico ſpiritu cognouiſſe veſtigia vulnerum à Domino reſeruata ad certitudinis argumenta. Chryſologum audi: *Thomas non ſolum cordis ſui; ſed omnium hominum curabat incertum, & prædicaturus hæc in gentibus, quemadmodum tantæ fidei adſtrueret ſacramentum, executor ſtrenuus perquirebat. Certè prophetia magis, quàm cunctatio fuit: nam cur talia peteret, niſi à Domino ad indicium reſurrectionis ſuæ ſeruata ſola vulnera prophetali ſpiritu cognouiſſet?* Non probo nimiam Thomæ dubitantis cautelam; at dum prolixus ſcrutator delinquit, timere nos docet, ne dum extrinſecis facilè adhibemus fidem, hauriamus errorem: ipſe certè Dominus, qui ſplendidiſſimo gloriæ iubare potuit vulnerum veſtigia delere, maluit ad prudentis explorationis commendationem ſeruare: non eſt veritas pertinaci ſcrutatione tentanda; ſed in magni momenti rebus nec leuibus indiciis credenda: Certè prophetia magis; quàm *cunctatio fuit.* Dum Thomas prophetali ſpiritu reſeruata teſtatur vulnera ad credulitatis fomenta, docet quàm Dominus velit veritatem attentis oculis argumentiſque prudentibus explorari, vt fallacia nequeat incurri. Dum tangi patitur, dum palpari iubet, dum aſpici oculis perſpicacibus conſulit, nos erudit, ne fidem imprudenter præſtemus, & mendacium pro veritate amplectamur.

Ioan. 20. v. 25.

Chryſol.

Seneca epiſtol. 80. rem edocet intimiùs inſpici, nec externis ſolùm fidem præſtare: audi eius verba: *Equum empturus ſolui iubes ſtratum, detrahis veſtimenta venalibus, ne qua vitia corporis lateant, hominem inuolutum æſtimas?* Addit opportunè ſatis: *Mangones quidquid eſt quod diſpliceat, aliquo lenocinio abſcondunt. Itaque ementibus ornamenta ipſa ſuſpecta ſunt, ſiue crus alligatum, ſiue brachium adſpiceres, nudari iuberes, & ipſum tibi corpus oſtendi. Vides illum Scythiæ, Sarmatiæne regem inſigni capitis decorum? Si vis illum æſtimare, totumque ſcire qualis ſit, faſciam ſolue, multum mali ſub illa latet.* Multa ſub ſplendenti fuco abſconduntur, & euanida pro ſolidis æſtimabis, niſi nudentur. 171.

Ornamenta ſuſpecta ſunt.

§. XLI.

Sapiens conſulit conſcientiam laudatus, ne delinquat laudatione ſuperbus.

QVisquis prudentia eximius non omnibus laudatoribus credit: quia apprimè nouit plures falſis laudibus, & meris inflare audientem adulationibus: vnde Romani, ne imperatores ſplendidiſſima triumphorum pompa ſuperbirent, ſuggerentem ſtatuebant à tergo, qui crebrò ingereret: *Reſpice te.* Ita Tertullianus in apolog. cap. 33. *Hominem ſe eſſe etiam triumphans in illo ſublimiſſimo curru admonetur: ſuggeritur enim ei à tergo: Reſpice poſt te, hominem memento te.* Qui ſe claris oculis inſpicit plurima argumenta humilitatis inueniet, & cum vani- 172.

Tertull.

Digitized by Google

tatis aura illum tentat extollere, intus habet,
quo ſe valeat ſolidiùs firmare: nihil antiquis
frequentius, quam illud Delphi oraculum:
Noſce te ipſum. Qua conſideratione, vt inquit
Plutarch. Plutarchus contra Colotem, non tollitur vita;
ſed abſcinditur vitæ ſuperbia: audi eius verba:
His certè conſiderationibus non vitam tollebat;
ſed vecordiam ex vita exigebat, & faſtum, odio-
ſaſque & immodicas arrogantias, & iactantias.
Delirant ſanè plures, quia ſe tam magnos, quàm
audiunt, credunt; at ſapiens ad internam con-
ſcientiam recurrit, non ſolùm cùm adulatorem;
ſed cùm laudatorem etiam fideliſſimum audit.
Hinc mirè elucet Gedeonis prudentia: nam
cùm ab Angelo hominis & quidem grauiſſimi
facie perſonato miris elogiis commendaretur,
ad conſcientiam citò recurrit, & ſuperbiæ hu-
militatem obiecit: *Apparuit ei Angelus Domi-*
ni, & ait: Dominus tecum virorum fortiſſime. Et
iterum: *Vade in hac fortitudine tua, & liberabis*
Iſrael de manu Madian: ſcito quòd miſerim te.
Quid tunc Gedeon: *Obſecro, mi Domine, in*
quo liberabo Iſrael? Ecce familia mea infima eſt
in Manaſſe, & ego minimus in domo patris mei.
Se deiicit cùm ſe magnum audit: *Gedeon de*
Caietanus. *tribu Manaſſis*, ſcribit Caietanus, *citat pauper-*
tatem ſui millenarij. Audiebat eſſe fortiſſimum,
& ne inflaretur, ſe recordabatur minimum: au-
diebat nobilitate coruſcum; ſed opponebat
paupertate ſe preſſum: nam vti prudentiſſimus
recurrit ad propriam conſcientiam, ne ſuper-
biens laberetur fortè in inſaniam.

173. Moyſi apparet Deus, Deumque Pharaonis
Exod.7.v.1. conſtituit: *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis,*
Exod.3.v.12. ditiſſimis coronandum prædicit trophæis: *Cùm*
eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis
Deo ſuper montem iſtum. Verùm Moyſes in tan-
ta felicitatis gloria, & vera eius virtutis com-
mendatione ſeipſum conſiderat, & impedi-
mentum linguæ non ignorat: *Obſecro, Domine,*
non ſum eloquens ab heri & nudius tertius, & ex
quo locutus es ad ſeruum tuum, impeditioris, &
tardioris linguæ ſum. Si alius Moyſes eſſet, facil-
limè tantis prærogatiuis inflatus ſuperbiret, &
ſuperbiens rueret; at quia ſapientia vtebatur
magiſtra ſe agnouit hominem adhuc in natu-
ralibus imperfectum, cùm ſe auſcultabat diui-
num. *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis.* Profe-
ctò cùm ſuo illud ſermoni attexuit: *Non ſum*
eloquens, naturæ agnitione naturæ terminos ſu-
pergreſſus eſt, & tunc oſtendit iure mereri tot
laudes, cùm ſuas attendebat imperfectiones:
defectus agnitione ſubſtitit, & laudes ſubſi-
Gregor. ſtendo promeruit. *Moyſes*, ſcribit Gregorius
homil.8. ſuper Ezechielem, *alas depoſuit, qui*
eruditus omni ſcientia Ægyptiorum, mox vt ver-
ba Domini audiuit, verba ſe non habere deprehen-
dit, dicens: Domine non ſum eloquens ab heri, &
nudius tertius. Ni ad propriam recurriſſet con-
ſcientiam, ſingularem adeò obſcuraſſet glo-
riam, & inde probaretur indignus, vnde tumeſ-
cebat laudatus, at dum ſubſiſtit ſolidè, meretur
laudes, & auget etiam virtutes. Adde aliquando
verè humiles abiectam adeò de ſe opinionem
habere, vt neſcias quibus humilitatis præſtigiis
ipſum quod experiuntur, ignorent, ipſum quod
ad ſui commendationem intuentur, addubi-
tent. Redeat iterum noſter Gedeon in huius
veritatis commendationem.

174. Illi apparet Angelus fortitudinem eius ex-
tollens, & triumphos feliciſſimos nuntians:
Percuties Madian quaſi vnum virum, verùm ipſe Iudic.6.v.17
fide non ambiguus; ſed humilitate quodammo-
dò faſcinatus, dum ſe alloquentem audit, &
clariſſimis luminibus Angelũ cernit, putat nec
audire, nec ſpectare, vt etiam ei vti perfectiſſi-
mo humilitatis cultori congruat quod vanitatis
Pſalmiſta dixit conuenire ſequaci: *Aures ha-*
bent, & non audient: oculos habent, & non vide-
bunt. En Gedeon quaſi apertis oculis non vi-
deat, quod ad eius commendationem ſpectat,
ſignum petit eius rei ipſiſſimæ, quæ dubitari
nequibat, nec ſignis vti euidens indigebat: *Si*
inueni, inquit, *gratiam coram te, da mihi ſignum*
quòd tu ſis qui loqueris ad me. Si loquebatur,
quod præter ipſam locutionem erat locutionis
ſignum daturus. Mirum non eſſet, ſi ſub illa
humana ſpecie latere Angelum arbitratus ſi-
gnum peteret, quo poſſet clariùs experiri, quod
tunc ſolùm poterat ſuſpicari; verùm dum ſi-
gnum petit non ad cognoſcendum Angelum
latitantem; ſed ad cognoſcendum verba cum
ipſo facere, verba cum ipſo facientem, videtur
nugari prudentiæ iniurius, imò reſplendet hu-
millimus: vt noueris quam laudandis præſti-
giis humilitas ipſum, quod aſpicit, ignoret,
ipſum quod tangit, neſciat, vt ſecum locutum
fuiſſe prophetam ſibi perſuadeat, nec ſomnium
credat, prudentiſſimè ſignum requirat: adeò ſe
prophetæ alloquiis arbitrabatur indignum, vt
quod euidentia probabat expertum, exiſtimaret
ſomniatum. Adeſt Caietanus ad hunc locum. Caietan.
Libra verba & facta: verba ſonant ſignum non
alicuius rei occultæ; ſed manifeſtæ ipſi Gedeoni, vi-
delicet quòd tu loquens mecum: non dicit, quod
tu ſis Deus, vel Angelus Dei; ſed quòd tu loquens
mecum. Vt vaniſſimi ſuperbiſſimique homines
quam deluſi phantaſiis excellentiam aut digni-
tatem viderunt ſomniatam, ſolent ad faſtum
exiſtimare futuram & ſolidam, ita econtra qui-
bus honorabilis humilitas cordi eſt, quam ex-
cellentiam potiuntur certam, arbitrantur eſſe
ſomniatam, ſignoque indigent ad præſtandam
fidem rei euidenter manifeſtæ, & ſenſibus cun-
ctis indubiæ: *Signum non alicuius rei occultæ; ſed*
manifeſtæ ipſi Gedeoni, videlicet quòd tu loquens
mecum.

Petrus diſcipulis comitatus cum tempeſtate 175.
depræliabatur, permiſit magiſter ſcapham tan-
tiſper acerrimè aſpirantibus ventis concuti,
quo diſcipulorum patientia ſplendidior poſ-
ſet lucere; verùm opportuno tempore adſtitit,
& laturus opem tumentia æquoris tergora ve-
ſtigiis firmiſſimis preſſit: Petrus vt erat amore
feruentiſſimus, ſuper aquas gradi velociſſimè
exorat, & impetrat: Ambulabat ſuper aquam,
vt veniret ad Ieſum; verùm cùm fluctus tumore
depoſito gradientis oſcularetur veſtigia, & la-
pſum dediſceret, vt Chriſti diſcipulo deuota
exhiberet obſequia, ventus inſurgit vehemen-
tior, & gradientem turbat acrior: *Videns ven-* Matth.14.
tum validum timuit, & cùm cœpiſſet mergi, cla- v.29.
mauit. Quærunt Patres, cur permiſit magiſter
reflare ventum, & marinis vndis tingi diſcipuli
ornatum. Varias varij cauſas afferunt; noſtro
tamen inſtituto opportunam adducit Zeno
Veronenſis ſermone de timore, ſcilicet contu-
liſſe hoc non parum, vt crederet Petrus ſe ſuper
fluctus aliquando ambulaſſe, & veſtigiis vn-
das firmis preſſiſſe. Accipe Zenonis verba: Zeno.

Petrus

Digitized by Google

Zeno. *Petrus æſtu marino fertur non naufragus; ſed viator: timet profundum intercipere non timentem.* Attende quæ annectit: *Nec tamen in totum diſſimulat, ne pedibus ſe ambulaſſe non credat:* Petrus dubitare non potuit maris vndas calcaſſe; quandoquidem ſine ſcaphæ ſubſidio ad magiſtrum inuolauit non enatans; ſed pedibus carpens viam; ea tamen eſt Petri humilitas, vt aliquo ſigno indigeat, vt credat: nam quod laudabile ad ipſum pertinet, etſi indubium, & manifeſtiſſimum putabit incertum: ni tincta fluctibus veſtis miraculi memoriam ingeſſerit, ſuadebit ſibi Petrus ſomniaſſe non cœleſti fauori ingratus; ſed laudandis humilitatis præſtigiis honeſtè illuſus. Ergo mirum non eſt, ſi Gedeon locutionis petiuerit ſignum, cùm Petro ſimile humilitatis ſortiatur ingenium.

§. XLII.

Virtute ornatior ſemper inuenitur humilior. deſtitutus dotibus intumeſcit. ſemper ſuperbior.

176. EA homines ab exordio tenuit ſuperbia, vt naturæ affectionem putes: neſciunt tumorem abjicere, imò aliquando ipſa ad ſpeciem renuntiatione moliuntur augere: quaſi ſatis non fuerit ſuperbire tumendo; ſed etiam à tumore declinando: hæc veluti irremediabilis peſtis ad ſe trahere ſolet medicamentum, & in tumoris vertere auxilium: Tertullian *Ecce lutulentus pedibus Diogenes,* ſcribit Septimius in apologet. cap. 46. *ſuperbos Platonis toros alia ſuperbia deculcat.* De ipſa pedum humilitate innutriebat ſuperbiam, & ipſo faſtus deſpectu intumeſcebat elatior, & efferebatur ſuperbior. Adde ad eam amentiam homines deueniſſe, vt iam contenti non ſint ſe æquare Deo; ſed in Deo initiandi ſibi arrogauerint facultatem: *Damus ad Alexandri ſcripta, vt Deum ſe eſſe ſcirent* (ita Plutarchus in apophthegm.) Plutarch *Permittimus, inquit, Alexandro, ſi velit, Deum appellari.* Vides Damin cum Alexandro de ſuperbia certamen: alter ſibi diuinitatem arrogauit, alter initiandi Deos ſibi potentiam præſumpſit; verùm etſi hic affectus omnium hominum naturæ ſit quodammodo inuiſceratus, quibus nulla tumoris cauſa ſæpè inuenitur intimior; inſanire ſolet tumidior, & tumeſcere inſanior, qui non frugi, cùm eximiis virtutibus, & naturæ dotibus exornatur, ipſo morum pondere decenter deprimatur; & in omne modeſtiæ argumentum formetur. Ecce Gedeon ob eximiam animi fortitudinem in Principem Iſraelitarum electus non cunctatur ſe minimum confiteri, & ad opus ineptum, ſi fas eſt dicere, reputari: *Apparuit ei Angelus Domini, & ait: Dominus tecum virorum fortiſſime.* Quid tunc Gedeon? *Ecce familia mea infima eſt in Manaſſe, & ego minimus in domo patris mei.* Angelus, qui adulari neſcit, fortitudine appellat eximium: *Virorum*, inquit, *fortiſſime*: & Gedeon ſe ad prælium arbitratur ineptum. Audi Caietanum: Caietan. *Viri nomine non intelligas virum communiter; ſed virum eximium.* Itaque Gedeon eximia lucebat nobilitate & virtute, verùm ipſo ſanguinis, & virtutis ſplendore nobiliter obcæcatus nihil in ſe videbat, quod illud mereretur elogium, aut poſſet conſequi præmium. *Ego paruus in domo patris mei*, addit Caietanus, *nec ſociorum diuitiæ, nec auctoritas propria perſonæ ſuppetit tanto operi.* Imparem ſe officio arbitrabatur fortiſſimus, & trophæis hoſtilibus facilè redimendus. *Humilitatem prætendit*, inquit Hugo, Hugo. *propter quod ſublimari meretur.* Dum ſublimari meretur, ſubmiſſiùs de ſe ſentit, modeſtiùs loquitur, & opus veluti compulſus aggreditur: tumeret ſanè ſuperbus, ſi virtute ſorderet nudus.

177. Iſa.6 v.2. Iſaias de Seraphinis loquens ſic aiebat: *Seraphim ſtabant ſuper illud: ſex alæ vni, & ſex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* Extenti inuolant, ſe inuolantes extendunt, & decenter ambitioſo deſiderio Domino aſſiſtunt: ſtabant inquit veluti miniſtrantes & ſtudioſè aſſiſtentes, verùm qui eo habitu Seraphinos deſcripſit Cherubinum diuerſo retulit: *Quomodò cecidiſti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? Corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes. Qui dicebas in corde tuo: In cœlum conſcendam ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti.* Iſa.14. v.12. Cherubim dedignatur ſtare, ambit ſedere, cùm Seraphim libratis alis conetur ſemper ſeruire, & ingens arbitretur præmium adſtare. Et cur Cherubim non adſtet, aut cur Seraphim in teſtamenti monte ſolium non procuret? Iam reſpōdet Bernard. ſer. 3. de verbis Iſaiæ: Bernardus. *Ad quid ergo tu qui mane oriebaris, Lucifer in veritate non ſteiſti, niſi quia Seraphim non fuiſti? Seraphim quippe ardens vel incendens interpretatur, tu verò habuiſti miſer lucem; ſed ardorem nō habuiſti:* Ecce virtute deſtitutus, quia luce aliquali clarus, cum Deo ipſo contendit, & vincere ſi fas eſt dicere cupit. Dignus non erat, qui admitteretur ad ſtandi obſequium, & ideò exambiuit thronum; at Seraphim, quia dignitate nobilior, quia virtute ornatior, inuenitur etiam demiſſior, non præſumpſit ſedere; ſed anhelo ſtudio adnititur inuolare; at qui vna tantum naturæ ornabatur ala, aſpernatur inuolare, & vult regali throno ſuper reliquos eminere: hoc namque propriiſſimum eſt meritis deſtituti, ſuper reliquos efferri, & immodicè ſuperbire. Adde indignum eis aliquando præſtigiis vanitatis eludi, vt ipſam humilitatis materiam in ſuperbiæ conuertat cauſam, dum putat defectu aliorum virtutem ſuam faſcinari, faſcinatamque impediri.

178. Cùm Dominus coram electis diſcipulis in montis vertice gloriam ſuam oſtenderet, & ſpectaculo miro oblectaret, videret ex textu hominem miſerabili filij caſu afflictum ad diſcipulos alios acceſſiſſe, & vt depellerent furias, ſatis obnixè rogaſſe: Luc 9. v.37 *Factum eſt autem in ſequenti die deſcendentibus illis de monte occurrit illis turba multa, & ecce vir de turba exclamauit dicens: Magiſter, obſecro te, reſpice in filium meum, quia vnicus eſt mihi: & ecce ſpiritus, apprehendit eum, & ſubitò clamat, & elidit, & diſſipat eum cum ſpuma, & vix diſcedit dilanians eum, & rogaui diſcipulos tuos vt eijcerent illum, & non potuerunt.* Itaque non Ioanni, Iacobo, Petroue filium, vt videtur, obtulit; ſed ad alios curandum attulit: illi patris infidelitate tardati, aut alia arcana cauſa impediti dæmonem depellere non valuerunt, cumque impotentiam ſuam deberent in humilitatis occaſionem penſare, cœperunt tunc de

Digitized by Google

maioritate contendere: *Intrauit autem cogitatio in eos, quis eorum maior eſſet.* Ecqua huius cogitationis occaſio, dæmonem ſcilicet non depuliſſe: nam illorum quiſque virtutem ſuam ob ſociorum defectus impeditam credebat, & retardatam putabat. Adeſt Theophylactus ad hunc
Theophil locum: *Morbus inanis gloriæ Apoſtolos inuaſit: Mihi videtur ortum id inter illos, eo quòd dæmoniacum non ſanarint: veriſimile enim, quod ſuper hoc contenderint, dicentibus ſingulis quod non propter ſuam; ſed alterius cuiuſdam infirmitatem puer ille ſanatus non fuerit, & inde accenſa lis eſt, quis eorum maior eſſet.* Cùm à Domino delegati dæmonia pellunt, de primatu contendiſſe non in-
Luc.10.v.17 ueniuntur: *Domine etiam dæmonia ſubyciuntur nobis in nomine tuo, & ait illis: Videbam Satanam ſicut fulgur de cœlo cadentem. Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici:* modò decertant, quia non reportarunt triumphum, nec potuerunt deuiciſſe aduerſarium: tunc ſuperbiunt, cùm minus poſſunt, & ne cogantur ſuam imbecillitatem fateri, ſocios aggrediuntur ſuſpicionibus denigrare: experientia namque compertum eſt de ſe modeſtiùs ſentire, qui eximiis potuiſſent dotibus plauſum quærere; tuncque ſuperbiùs homines intumeſcere, cùm aut nullam habent cauſam, aut habent humiliationis materiam.

179\. Deus Abrahami hoſpitium ingreſſus vti fideliſſimo amico, in cuius pectus tutò deſcendant, ſecreta communicat: tunc qui nihil ſibi petierat, aliorum calamitates depellere, ſubmiſſis ac
Geneſ.18. v.27. deuotiſſimis precibus aggreſſus eſt: *Quia ſemel cœpi, loquar ad Dominum meum, cùm ſim puluis, & cinis.* Vides Abrahamum naturæ terminos humilitate tranſgreſſum. Tranſi modò ad Phariſæum, qui templum petiit non tam oraturus,
Luc.18.v.11. quàm exprobraturus Deo: *Gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum raptores, iniuſti, adulteri.* Quàm de ſe præſumit! Ecce mundi criminatio eſt oratio Phariſæi, & bellum ingerit Deo gratiarum actionis exordium. Oculis atque ore obuerſus cum Domino ſermocinabatur, & ſe in nubes raptum iri præſumebat, vt cum Deo miſceret colloquia, & veluti cum æquali faceret verba. Iam ſi quæras cur Phariſæus ſuperbiæ fuerit metas tranſgreſſus, cùm è contra Abrahamus humilitatis diſcipulus ſe vſque ad puluerem deiecerit, &, ſi fas eſt dicere, exinaniuerit? Reſpondebit Baſilius Seleucienſis
Seleucienſ. oratione 28. Phariſæum virtutibus caruiſſe, Abrahamum verò eximiis dotibus veluti ex pleno radiaſſe. Audi eius verba: *Primates Sanctorum dignitatem aliquam ſupra naturam conſecuti, tunc vel maximè humilitatem reſpiciunt: ſic & Moyſes morum Abrahami ſucceſſor, habito cum Deo colloquio honoratior ſe ipſum vt vilem abiecit.* Primates honoratioreſque humillimè de ſe ſentiunt, & veluti ineptos carpunt; et Phariſæus ſuperbiam ructat, & ventoſiſſimus blaterat: quia nec ornatur meritis, nec virtutis fulget prærogatiuis. Itaque raro hæc regula fallit: quos videris ſupercilio turgidos, & tumore inflatos, dotibus reputa deſtitutos, & cogita meritis prærogatiuiſque exultos, quos videris intra humilitatis ac modeſtiæ limites ſine fictione contentos.

§. XLIII.

Ea debet cœleſtis menſæ conuiua ſanctitate reſplendere, vt cenſeatur inter cœleſtes Spiritus habitare.

Regius apparatus, aiebat Caſſiodorus 12. 180.
var. 18. *ſicut negligentibus affert periculum, ſic ſtrenuè laborantibus præſtat ornatum; quia præmium eſt vita domino videnti ſeruire, cui nec culpa celari, nec bonum poſſit abſcondi.* Caſſiod. *Præmium eſt Principibus inſeruire.* Strenuè debent regio apparatui incumbere, quos & Maieſtatis dignatio ſibi prælegit ſeruire: qui dominantis incurioſus non timet aſpectum, irrogatæ iniuriæ admiſit delictum: quia dignitas cenſetur deſpecta, dum nulla ad eius promerendam gratiam cura videtur adhibita. Quod ſi ſeruis accuratum adeò iniungitur miniſterium, quale & conuiuis ſtudium; quando faciliùs donatur ſeruo, quod diſplicet in amico? *Calix* Pſ.22.v.5.
meus inebrians, aiebat Pſaltes, *quàm præclarus eſt*: Non ſolùm de inſita & congenita vita; ſed de bibentium corona. Huc voco quod aiebat Tertullianus de reſurrect. carn. c. 16. *Calix bene ſibi* Tertullian.
conſcius & de diligentia miniſtery commendatus, de coronis quoque potatoris ſui inorabitur, aut aſpergine florum honorabitur, & gladius bene de bello cruentus, & melior homicida laudem ſuam conſecratione penſabit. Calix hîc belli ſolùm coronatis exhibetur, & melioribus homicidis initiandis miniſtratur. Itaque qui calice diuino potatur, & coronis redimitur: *Vina*, aiebat Poeta, *coronant*: & quidem qui hoc vino potandus, & coronis eſt redimiendus: malè accedit, qui gladium bene de bello paſſionum cruentum non portat, & melior veteris hominis homicida laudem ſuam conſecratione compenſat: Coronatus debet accedere: qui panem hunc ſacra ambitione didicit eſurire. Certè de potatoris ſui coronis honoratur: & quidem ſi deficiant coronæ potatori, deſpicitur. Gedeon iam triumphis inauguratur, iam cum Angelis miſcet colloquia, cùm cœleſti approximat menſæ. *Percuties*, aiebat illi Angelus, *Madian quaſi vnum virum.* Quid tunc? Carnes & panes azymos iubetur offerre: *Tolle carnes & azymos panes, & pone ſuper petram illam.* Antequam cœleſtis menſa explicetur, iam Gedeon cœleſti honoratur alloquio, & promiſſo coronatur indubiè triumpho: erat namque decens, vt degeret cum Angelis, antequam tremendis accederet ſacrificiis. Azymos panes euchariſtiæ imaginem prætuliſſe, docet Interlinearis. *In carne Chriſti totius* Interlin.
mundi deleta ſunt peccata. Itaque vel vt cœleſtis menſæ imagini accedat, Angelo inuenitur ſuppar, inimicis terribilis, & illorum triumpho nobilis. Nec vacat myſterio hœdum coctum cum pane reportaſſe, & ius ſuper ſilicem effudiſſe, debebat namque vt manu panem tangeret, bene de cupiditatibus cruentum gladium, vt aiebat Tertullianus, habere, & de inimicorum cæde gloriari: *Caro hœdi ad culpam facti refertur*, inquit Iſidorus lib. in Iud. cap. 3.
ius ad illecebras cupiditatum. Culpam occiderat, Iſidor.
cupiditates omnes vacuarat Angelo collocutus, & tunc cœleſti gaudet pane donatus: vt hinc noueris quanta debeat ſanctitate pollere, qui euchariſtiæ menſæ admititur propinquare.

181. Iob.39.v.28. Iob de aquila illa, quæ ſolùm ad Domini præceptum eleuari didicit, agens ſic aiebat: *In petris manet, & in præruptis ſilicibus commoratur, atque inacceſſis rupibus:* inde contemplatur eſcam, & vbicumque cadauer fuerit, *ſtatim adeſt.* Et cur vt eſcam, aquila cæliuaga contempletur, præruptis ſilicibus immoratur? Nonne ſatius eſſet, terræ proximare, & altiuagas alas ſubmittere? Quia quam contemplatur, eſca, inquit Gregorius lib. 31. moral. cap. 22. *eſt Euchariſtia.* Gregor. *Cadauer à caſu dicitur, & non immeritò corpus Domini propter caſum mortis cadauer vocatur.* Bene, ſed quid neceſſum eſt in arduis ponere nidum, & in inacceſſis rupibus habitaculum? Reſpondeat ipſe Gregorius cap. 19. *In arduis nidum ponere dicitur: quia deſideria terrena deſpiciens, ſpe iam de cœleſtibus nutritur. In arduis nidum ponit: quia habitationem mentis ſuæ in abiecta & infima conuerſatione non conſtruit.* Itaque aquila, quæ cæteras aues viſus acie tranſgreditur, non ſolùm humana prætereuolat deſideria, ſed & humanæ conuerſationis vitat cœlo commorans offendicula. Inacceſſas rupes Angelos interpretatur hic Doctor: *Qui ſunt, ait, prærupti ſilices, niſi illi fortiſſimi Angelorum chori?* Dum ergo aquila contemplatur eſcam, dum Chriſti corpus ibi latere cognoſcit; ſe Angelicis choris inſerit. quaſi neceſſum fuerit priùs inter Angelos habitare, quàm cœleſtem eſcam ambire. Commorata in cœlis Angelorum ſe interſerens choris eſcam contemplatur, quaſi opus ſit ad adſpiciendum Euchariſtiam, cœleſtem intraſſe gloriam. *Inde contemplatur eſcam.* Gregorium audis cap. 20. *id eſt ex illis choris Angelicis tendit oculum mentis ad contemplandam gloriam supernæ maieſtatis.* O nos miſeros, qui in terra reptamus, & tremendo altari accedimus, quando aquila pleniori luce illuſtrata nititur priùs inter Angelos habitare, quàm cæleſti epulo præſumat accedere.

182. Iſa.1.v.19. Iſaias dum ſacram Euchariſtiam promittit, ad inſtar niuis dealbandos homines proteſtatur: *Si fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur, & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus velut lana alba erunt. Si volueritis & audieritis me bona terræ comedetis.* Certè Angelus, qui reſurrectionis teſtis & nuntius niuem induit teſtante Matthæo: Match.28. v.3. *Erat aſpectus eius ſicut fulgur, & veſtimentum eius ſicut nix* & quem ad tantæ celebritatis indicium Angelus induit cādorem, vult Iſaias induat homo, vt comedat panem? Per terram caro intelligitur, teſte Tertulliano de reſurr. carnis cap. 26. Ergo dum caro cibus promittitur, & comedentis caro niuea refertur. Tertullian. *Bona terræ,* inquit Septimius, *odetis, bona carnis intelligentur quæ illam manent in regno Dei reformatam, & Angelificatam, & conſecuturam.* In Euchariſtia, quæ in cœlis clariùs, homines accipiunt occultiùs: ergo dum bona terræ cœleſtis comedunt, & cœleſtis curiæ induere ornatum iubentur: homo ergo decoctis peccatorum ſordibus, eliquatiſque ſcelerum fæcibus, niueos candores debet imitari, vt poſſit ad cæleſtia bona comedenda ſedere. Si ergo caro in cœlo, vt Deum videat, angelificatur, dicente Domino: *Erunt ſicut Angeli Dei:* & in terra, vt ad menſam ſedeat opus eſt angelificetur: vt agnoſcas quanta debeas ſolicitudine ſtudere puritati, quantaque vigilantia niti.

183. Redeat iterum Iſaias cap. 33. *Iſte,* inquit, *in excelſis habitabit, munimenta ſaxorum ſublimitas eius, panis ei datus eſt.* Iſai. 33.v.16. Et quid neceſſum fuit ſaxorum munimenta, & ſublimitatem referre, vt panis tribuatur? Bene eſt quòd ad videndum regem in decore ſuo (addit namque Propheta: *Regem in decore ſuo videbunt oculi eius:*) referatur ſublimis, quando ad ſecretiora palatij Regis ſolum admittitur familiaris; at panis & egeno datur, & miſero liberalis manus largitur: cur ergo ſublimitas requiratur ad panem, vt ad videndum exigitur regem? Quia hic panis eſt Euchariſticus teſte gloſſa Morali: Gloſſa. *Panis ei datus eſt, id eſt Chriſtus, qui eſt panis viuus.* In ſaxorum ergo munimentis, hoc eſt in Angelorum caſtris priùs habitare refertur, cui Euchariſticus panis tribuatur: Gregor. *Munimenta ſaxorum,* ſcribit Gregorius citatus cap. 20. *ſublimitas noſtra eſt, cùm mente choris, caſtriſque cæleſtibus iungimur, & inſidiantes malignos ſpiritus ſtantes in arce cordis quaſi ſubter poſitos expugnamus: tunc nobis panis datur.* Dignè hac menſa vtitur, qui caſtris Angelicis aſſociatur, qui adeò procellæ flatibus neſcit quaſſari, aut tempeſtate moueri, vt ſaxorum poſſit munimentum conſtitui. Certè Angeli ſtabiliſſima ſaxa, verùm aliquando impetu ſuperbiæ ceciderunt elocata, & quaſi violenter auulſa; at qui hoc pane nutritur, iam non ſolùm debet ſaxorum, hoc eſt Angelorum ſtabilitatem referre; ſed ſaxis ipſis munimenta ſecuritatis præſtare: quaſi difficiliùs futurum ſit (per hyperbolem dictum accipe) hoc innutritum pane ad ima deuolui quam Angelum deturbari. Adde panem euchariſticum, vt dignè ſumentibus eſt ſalutis antidotum, indignè accipientibus præſentiſſimum eſſe venenum. Sublimitas panem comedentis eſt munimentum ſaxorum; at qui indignè comedit, iam non ſolùm non firmus; ſed omnino probatur euerſus; imò non adeò funditus ad ſpeciem euertitur pugnante omnipotentia, ac contradicente Euchariſtia.

Pharao ille nequiſſimus ingenuum populum 184. ſæua tyrannide in eam adegerat ſeruitutem, vt mancipiorum ſuſpiraret vitam, & pro magno ambiret abiectiſſimorum fortunam. Et quæ in vitiorum curia alia potuit ſors eſſe iuſtis? Verùm iuſtitiæ oculus iniuſtè afflictorum labores contemplatus Moyſem quaſi omnipotentia obarmat, & titulo Deitatis honorat: *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis.* Exo.7.v.1. Comprehenſa virga elementis imperabat, & naturæ leges, vt afflictis ac pauperibus ſubueniret, duplici miraculo confundebat. Et quidem non adeò inſolitum potentiam leges violare naturæ, vt infringere ad ſubueniendum inopiæ: tandem Pharao duriſſimis flagellis tantiſper eruditus populum permiſit abire; verùm citiſſimè virtutis egit pœnitentiam, & coacta manu Hebræorum libertatis in luctum vertit lætitiam: per medios maris vortices temerarius incedit, cùm nubes priora dimittens Hebræorum tergora defendebat, & ſe Ægyptiorū præſentiæ pro munitiſſimo muro obiectabat: *Columna nubis priora dimittens poſt tergum ſtetit inter caſtra Ægyptiorum, & caſtra Iſrael.* Adhuc nube repreſſa non deſiſtit inſania cupiditate agitata; ſed verſus nubem contendit, & infeliciſſimis Hebræorum ſpoliis inhians cæciſſimam viam carpit; hic temeritatis tandem perſoluit pœnas, & profundas naufragus intrauit vndas: *Reſpiciens Dominus ſuper* Exod.14. v.21.

caſtra

caſtra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis interfecit exercitum eorum Verùm cur Deus è nube eiaculetur fulmina,& ſuſcitarit naufragia, qui toties in Ægypto delere potuiſſet virga? Drogo Oſtienſis de Sacram. Dominic. paſſion. nubem hanc Euchariſtiam deſignaſſe teſtatur: ergo dum refractarius cum omnipotentia luctatur, adhuc patientia ſuadente viuit; ſed miſeranda incurrit naufragia cùm indignus vel Euchariſtiæ ſymbolo accedit: media inter oppoſita caſtra nubes Pharaonis tardabat greſſum, at ille temeritatis audacia nubi non recuſabat accedere virtutes deſiderans ſubiugare: ergo qui virga omnipotentiæ æmula non perierat, Euchariſtiæ ſymbolo propinquus periit: vt nouerimus quanta exhibenda ſit Euchariſtiæ reuerentia: *Quæ eſt nubes*, inquit Drogo, *quæ præcedit veros Iſraelitas,niſi veriſſimum & ſanctiſſimum corpus tuum, quod in altari ſumimus, in quo velatur nobis altitudo diei, immenſitas maieſtatis tuæ.* Ecce perit nubi proximus, qui non perierat virga ſæpius durè percuſſus: quaſi certius fuerit excidium, quàm reluctari omnipotentiæ, indignè approximare Euchariſtiæ. Drogo.

§. XLIIII.

Durum eſt expectare tormentum.

185. ANimus dum ſibi futura depingit bona, aut timore præcauet mala, ſic ſolet longa expectatione cruciari, vt malit boni expectationem præſcindi, & ipſo detrimento timorem ſolui: tranſit deſiderij flamma in incendium, & timoris angor vertitur in prolixum martyrium: *Cognoſcite Quirites*, ſcribit Caſſiodorus 10. var. 17. *quali vos Princeps veſter firmitate dilexerit, vt tentatus aſperis reb. non vos pateretur eſſe ſollicitos? nec volumus amplius vota veſtra differri,quos ſemper optamus in ſumma reipublica celebritate lætari.* Dum differuntur vota, producuntur etiam tormenta: nec tantùm ſpei dilatio viget; ſed ipſum expectare moroſa detentione diſtorquet. Ecce Gedeon benignitatem Angeli expertus exorat obnixè, vt aduentum eius præſtoletur: *Si inueni, inquit,gratiam coram te, da mihi ſignum quod tu ſis qui loqueris ad me, nec recedas hinc, donec reuertar ad te, portans ſacrificium & auferens tibi. Qui reſpondit: Ego præſtolabor aduentum tuum.* Aduentum præſtolatur: ſed vbi? ſub quercu ſcilicet: *ſedit ſub quercu.* Quòd ſi Hugonem, quid per quercum adumbretur, inquiras, reſpondebit Domini crucem: *Hic ſedit ſub quercu, id eſt ſub arbore crucis.* Dum præſtolatur aduenturum, crucem patitur: nec enim poterat non pati moleſtiam ardens natura, dum Gedeon in parando ſacrificio non exiguam protraxit moram. Quid aliud ageret aliger, velociſſimuſque ſpiritus niſi crucem ſuſtinere,dum compulſus eſt expectare? Apud Angelum pollere gratia Gedeonem fuit opus, vt ad præſtolandum alliceret, quamuis mora ipſa & præſtolatio in ipſius præſtolantis commodum cederet: *Nec recedas hinc, donec reuertar ad te portans ſacrificium,& offerens tibi.* Sibi ipſi ad ſpeciem expectat; ea tamen expectandi moleſtia eſt, vt non modica luxerit expectantis beneuolentia, & impetrantis radiauerit gratia. Crucis ſcholam ingreſſus eſt prius Angelus, vt quaſi præluderet; & ſe ad præſtolandum aptaret: quaſi grauius tormentum ſit expectare, & leuius crucem adire. Caſſiodor. Hugo.

186. Cùm Dei populus inuiſis retro portentis Pharaonis tyrannidem euaſiſſet, ea exarſit cæca vindictæ libidine, vt exercitum cogeret, & fugientium tergis violentus inſiſteret; verùm Dominus virga mare percuſſum ſcindit, & iam aqua murorum induit ingenium, vt Abrahamitis concedat tranſitum: *Erat aqua quaſi murus à dextra eorum & læua.* Naturali curſu prohibita ſtat aqua durata in muros, & neſcias quod illi grauius tormentum, an virga percuti, an vitreos in montes dirigi. Adhæc quid opus fuit vndas naturam quodammodò deſueſcere, quando poterant præuium tranſitum gradientibus miniſtrare. Zeno Veronenſis ſerm. 3. de Exodo putat mirè Dei eluxiſſe potentiam, dum labili vndæ potuit ſuadere pene immenſi populi tranſitum, etſi celerem præſtolari. Accipe eius verba: *Subitò diuina prouidentia ſcinditur mare, aqua dextra læuaque gelido ſtupore frenata vitreos diriguntur in muros, præſtolantes tranſitum Dei populi.* Innata vnde adurgebantur natura, & ſuperuenientium fluctuum impellebantur violentia: & nihilominus læua dextraque conſtipabantur in muros, vt Dei populi tranſitum præſtolatæ diuinam oſtenderent prouidentiam, & quodammodò aliam à ſe factam ſuam oſtentarent naturam: non ſic mirum fuit ſcindi, vt tantum populi tranſitum præſtolari: fluctus murorum patientiam induit, & naturam ſaxeam expectans mirè oſtentauit: *Gelido ſtupore frenata vitreos diriguntur in muros*: & hoc totum non ad tranſitum exhibendum; ſed ad tranſitum præſtolandum: *Præſtolantes tranſitum Dei populi, vt perſequentibus mare ſint*: Si Dei populus portum appulerit, iam fluuius maris potietur honores, Ægyptiorum naufragio auctus, & ingenti ſpoliorum copia ditiſſimus; huius verò magnitudinis poſſeſſio differtur, quouſque contraria ripa teneatur. Ergo vt aqua ſtet ſuſpenſa, dum incrementi ambitioſa, opus eſt quodammodò antiqua denudetur natura, & ſaxorum induat ingenia. Exo.14.v.22 Zeno.

187. Cùm Dominus deperditam illam ouem inquireret itinerere defatigatus ad Iacobi fontem deuenit: ibi ſedebat hora ſexta ſuæ paſſioni reſpondenti, & paſſionem quodammodò mature anti: *Fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſupra fontem*: hora erat *quaſi ſexta.* Ad crucis dolores hîc alludi tradit Auguſt. tract. 15. in Ioannem: *Fatigatur Ieſus, & fatigatur ab itinere, & ſedet, & iuxta puteum ſedet, & hora ſexta fatigatus ſedet. Omnia iſta innuunt aliquid.* Quæramus quod teſte Auguſtino innuunt, ex Chryſoſtomo apud D. Thomam: *Seſſio*, inquit, *propter laborem facta eſt, & vt expectaret.* Vbi diſcipulos, vbi mulierem Samaritanam expectans deſcribitur, & fatigatus refertur: & quæ durior crux Chriſto Domino Samaritidis ſalutem ſitienti, quàm expectare incedentem mollitie, & ad ſalutem accedentem tardiſſimè? Etiam ſedens defatigatur, atteſtante Euangeliſta: *Fatigatus ex itinere ſedebat ſic*, id eſt, ſic defatigatus: nec enim ipſa ſeſſio eſſe quibat defatigationis leuamentum, quandoquidem expectandi non adimebat martyrium: *Quia ſedebat*, inquit Chryſoſtomus, *vt expectaret*: ea eſt expectandi moleſtia, vt dum præſtolatur, anguſtias paſſionis Dominus videatur ſubire, & dolores ingentiſſimos Ioan.4.v.6.

Digitized by Google

ſimos pati. O quàm durum eſt actuoſo ſolicitoque, longo expectationis interuallo detineri, & detentum diſcruciari! *Hora erat quaſi ſexta*: quaſi idem fuerit expectaſe, & acerbam mortem ſubire

188. Fortaſſis Baptiſta expectandi nobis difficultatem declarauit, quando ad mortem intrepidus diſcipulos ad Chriſtum Dominum delegauit ſolicitus: quia inuehebatur in vitia, carcerem prædicationis tulit mercedem: in ipſa dæmonem proculcauit ac vicit, & manus pedeſque cùm ferreis onerarentur catenis, lingua conſulebat diſcipulis. O quantam de Ioannis ſanctitate diſcipuli opinionem habebant, dum incarcerato & afflicto adſtabant! homines namque ſolùm fortunato aſſiſtunt, ſeque à calamitoſis auertunt; verùm hi Ioannis diſcipuli, dum incarceratum ſolantur, ad Chriſtum Dominum remittuntur: nec enim poterant Chriſto non propinquare, qui didicerant afflicto, incarceratoq́, ſubuenire. Ergo Ioannes diſcipulos mittit, Chriſtum interrogans, an per ſe fuerit ad infernorum carcerem deſcenſurus, an alius à Patri-

Mat. 11. v. 3. bus expectandus: *Cùm audiuiſſet in vinculis opera Chriſti, mittens duos ex diſcipulis ſuis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Non dubitauit de Chriſti Domini dignitate; ſed ſciſcitatus eſt de ad inferna deſcenſione; verùm inquiramus, ſi iuuat, cur Baptiſta inſtantis mortis non obruitur periculo, & adeò ſolicitè ſatagat huic ſatisfacere deſiderio? Nonne conducibilius eſſet legatos ad Herodem mittere, & cauſam ſalutis agere? Certè ſi vinculis expediatur, per ſe quibit ſcire, quod per diſcipulos modò ſtatuit interrogare. Ergo vitæ priùs egerit cauſam, & poſteà per ſe ipſum quæſtionis huius ſibi ſollicitabit notitiam. Profectò Ioannes mortis arctatur periculo, non expectandi angitur deſiderio, priuſque ſatisfacere ſatagit deſiderio, quàm vitæ occurrat periculo: Si Chriſtus non deſcendat, fors adhuc erit Patribus expectandum; ſi deſcendat, ergaſtulum citiſſimè videbatur diſrumpendum; ergo Ioannes, qui non deterrebatur mortis inſtantia, angebatur ad ſpeciem expectationis moleſtia. Adeſt op-

Gloſſa & Thomæ. portunè Gloſſa Diui Thomæ: *Conſiderandum eſt, quòd non ideò Hieronymus & Gregorius dixerunt, quòd Ioannes aduentum Chriſti in infernum prænuntiaturus eſſet, quia eius prædicatione aliqui non credentes conuerterentur ad fidem.* Attentiùs accipe quæ ſequuntur: *Sed vt iuſtis in expectatione Chriſti manentibus ex vicino aduentu conſolationem afferret.* Grauiori Ioannes dolori geſtit occurrere, & ob id priùs curat expectantes ſolari, quàm periculum mortis auerti? quaſi nil acriùs duriuſque inueniatur, quàm prolixa expectationis moleſtia, his, qui vehementis deſiderij aduruntur flamma.

§. XLV.

Miniſtri ſanctitas ſacrificium commendat, & gratiam citius implorat.

189. HOnorem ſuum ſemper æqualiter retinet, quod non aliunde gratiam mutuatur; ſed à ſeipſo ſortitur: ſacrificium minus non eſt, etiamſi malè geratur: quia caligo offerentis innubilare nequit lucem ſplendidiſſimam Solis: nihilominus miniſtri claritas morumque concinnitas decorem addit, dum reuerenter exercet. Opportunè Caſſiodorus 10. var. 12. *Reuerentiam plerumque actio videtur accipere de claritate perſonæ; hæc autem tunc ſunt gradibus diſtincta, cùm diuerſis fuerint attributa: nam honorem ſuum ſemper æqualiter retinet, quidquid probè geſſerit Conſularis:* Diſtincta videntur ſacrificia à diuerſis miniſtris peracta, non quia interna virtute efficaciaque ob indignum miniſtrum careant, aut ob dignum maiori floreant; ſed quia de ſeruientium claritate auctoritas dominantis auguſtiori relucet pompa, & de offerentis virtute celerior deſcendit gratia. Gedeon vt auſpicato aggrediatur certamen, ſacrificium Numini offerri decernit, & Angelicis manibus præſentari Domino diſcupit: *Ne recedas hinc, donec reuertar ad te portans ſacrificium, & offerens tibi.* Angelo præſentabat, vt ſacrificium Domino offerret, & quamuis de ſacrificij non dubitaret valore, puris Angelicis que manibus Domino prudenter exambiebat offerri: quia nouerat & hoſtiam de miniſtri puritate honorari, & celerius gratiam obtineri. Adeſt Hugo Cardinalis: *Portans ſacrificium: ad notandum quod ante omnia ſacrificandum eſt Domino.* Addit poſt aliqua: *Obtulit ei ſacrificium ſuum, non quia vellet ei ſacrificare; ſed quia volebat illum eſſe miniſtrum ſacrificij ſui, quem credebat Deo acceptum.* Gedeon non dubitabat fore ſacrificium de virtute prototypi acceptum; Angelum tamen adeſſe voluit miniſtrum, vt de miniſtrantis puritate decentius offerretur Domino, & citiùs remuneraretur reportato de hoſtibus triumpho.

Caſſiod. *Perſona claritas commendat actionem.*

Hugo.

Samuel Dauidem inauguraturus in regem 190.
Bethlehem intrat: ciuitatis ſeniores mirati ſunt aduentaſſe prophetam, ſic forſitan orationi vacabat ab humanis oculis ſemotus, vt admirationem ingeſſerit viſus: *Venit in Bethlehem, & admirati ſunt ſeniores ciuitatis occurrentes ei: dixeruntque: Pacificuſne eſt ingreſſus tuus?* An bona Reipublicæ ſolicitaturus aduenerit, rogant. Quid tunc Samuel? ſe ad immolandum Domino veniſſe teſtatur, & adſtituros virtute candicare molitur: *Et ait: Pacificus: ad immolandum Domino veni, ſanctificamini, & venite mecum, vt immolem.* Quàm felix erat Reſpublica, vbi ſacrificij miniſter mundari non indigebat, & vbi ſanctitatis candor adſtantes etiam ornabat. Sanctificari voluit, quos vocauit ad ſacrificium, vt ob illorum etiam puritatem Reipublicæ citiùs adhiberetur remedium. Opus erat Principe, qui moribus ſuis ſibi debitam regiam oſtenderet dignitatem, quique abigeret inuicta fortitudine hoſtes, & paterno affectu ſeruaret ciues: ergo ſacrificium eligitur per ſanctiſſimi Prophetæ manus cœlis offerendum, & de adſtantium virtutibus commendandum. Innuit Gregorius lib. 6. cap. 16. 1 Regum: Pacificus ingreſſus doctorum eſt, cùm ad eos veniunt, qui non ſunt pro culpa feriendi; ſed pro iuſtitia prædicandi: qui ergo promotum iuſtum venerat, reſpondit dicens: Pacificus? ad immolandum Domino veni, ſanctificamini, & venite mecum, *vt immolemus.* Vt, quod magnum Numinis donum eſt, dignus Princeps daretur Reipublicæ, aduentat oblaturus Domino dignam hoſtiam, & puris manibus offerri deſiderat, vt maturauerit gratiam. Vigilanter, addit Grego-

1. Reg. 16. v. 4.

Gregor.

rius

Digitized by Google

tius, eſt diſcutiendum, quod dicitur: Sanctificamini, & venite mecum: ſi enim interesse ſacrificiis non audent ni ſanctificati, quid de ſacrificantibus cenſendum? ſanctificare enim purgare eſt: quantum ergo puros decet eſſe Pontifices, vbi inuitatæ ad ſacrificium non niſi ſanctificatæ admittenda ſunt plebes? *Mentis ſanctificatio charitas.* ſanctificatio quippe corporis pudicitia eſt, ſanctificatio mentis charitas & *humilitas.* A ſacerdote pudico, humili, & charitate inflammato, etſi ſacrificium non offeratur dignius, offertur ſemper decentius

191. Etſi plures ſacerdotes Herodis tempore Numini offerrent ſacrificium, Zachariæ ſolùm apparet Angelus lætiora promittens, & afflictis temporibus leuamen præbens: *Luc. 1. v. 8.* *Factum eſt* autem cùm ſacerdotio fungeretur in ordine vicis ſuæ ante Deum ſecundum conſuetudinem ſacerdotij, ſorte exiit, vt incenſum poneret ingreſſus in templum Domini, & omnis multitudo populi erat orans foris hora incenſi: apparuit autem illi Angelus Domini ſtans à dextris *altaris incenſi.* Sorte exiit, & quidem feliciſſimè, iam enim ad ſuam Deus maturauerat miſericordiam, vt tot ſæculis opprimentem exterminaret mœſtitiam. Sorte exiit, quia fauſtiſſima populo ſors fuit, vt Zacharias offerret Numini incenſum, quo libertatis & ſalutis citiùs impetratent à Domino beneficium: Zacharias oblato ſacrificio, & virtutum digniſſimo elogio diuinam interpellabat iuſtitiam, & exigebat miſericordiam. *Chryſol.* *Hinc eſt*, aiebat Chryſologus ſerm. 86. *quòd Zacharias in hora incenſi, hoc eſt* in extremo tempore legalium cæremoniarum prophetali ſpiritu incenſum infert, offert preces, *deſideria ingerit.* Attentiùs audi quæ ſubdit: *Vota commendat,* tempus admonet, promiſſa repetit, exigit *Chriſtum*: Sacerdotes plures in ordine vicis ſuæ incenſum obtulerant; & tamen illis nec à dextris apparet Angelus, nec prædictus lætâ aduentauerat nuntius; at dum incenſi fragrantia puriſſimis offertur manibus, Chriſtum exigit, & impetrat de figurati ſacrificij energia, & de ſacerdotalium morum elegantia: *vota commendat*: & quare? Quia prophetali ſpiritu incenſum infert. Iam homine quodam modò exutus, & in Angelum translatus: *Apparuit ei Angelus*, addit Chryſologus ſermone 87. *cùm iam defecerat totus homo.* Forſitan ni totus defeciſſet homo, Angelico ipſe non dedignaretur aſpectu: nec citò adeo populus incenſi ſacro potiretur ſuffragio; at dum decenter ſacrificium offertur, & celeriter gratia impetratur.

192. Iacob dum fratrem fugit, fraternam ſe diuitiis anteponere charitatem oſtendit, & ſcalam Angelicis ſcatentem ſpiritibus vidit; vtque ſuam gratitudinem teſtaretur, aram conſtruxit, & oleum fudit: *Gen. 28. v. 18.* *Tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum fundens oleum deſuper.* Fratris eluſit iram; non tamen repreſſiſſe fertur audaciam. Tranſi modò ad Geneſ. 35. *Geneſ. 35. v. 1.* vbi erigere aram iubetur: *Fac altare Deo, qui apparuit tibi, quando fugiebas Eſau fratrem tuum:* Et iam inimicos omnes videbis timore concuſſos, nec fugientem perſequi auſos: *non ſunt auſi perſequi recedentes*: nec ſolùm hoſtis timore frænatur; ſed Iacob promiſſo ob luctamen ſibi nomine iam inſignitur: *Appellauit eum Iſrael, dixitque ei: Ego Deus omnipotens, creſce, & multiplicare.* Vides quanta obtinuerit hic ſacrificio, cum tanta ad ſpeciem non impetrauerit anteà ſimili obſequio. Ecqua diſcriminis cauſa eſt? Putarem in cauſa fuiſſe maiori hic cura ſe ad ſacrificium paraſſe, & munditie excellentiore luxiſſe. Audi quid dicat: *Abiicite Deos alienos, qui in medio veſtri ſunt, & mundamini.* Dum omnes ſtudioſè mundantur, dum idolorum etiam veſtigia altiſſimè ſub terebintho infodiuntur, iam augetur gratia, & inardeſcens aduerſariorum ſopitur ira. Vtrobique beneficia plurima obtinuit à Domino ſacrificium; at vbi ſanctitatis candor plus lucet, & Numen abundantiùs beneficia etiam impertit: vbi de ſeruientium candore creuit dominantis fama, de Domini etiam liberalitate famulorum creuit fortuna; vt diſcant qui altaribus proximant, quanta debeant puritate nitere, ſi ſibi populoque beneficia cœleſtia exambiant celeriter impetrare. Huc voco citatum Gregorium: *Gregor.* *Summi viri in continuo munditiæ ſuæ ſtatu ſemper debent permanere, & ad formam ſuæ puritatis alios trahere.* Mundus erat Iacobus, & mundos volebat adſtantes, vt ſacrificio celerrimè reprimere quiret hoſtes: *Chryſoſt.* *Non ſolùm veſtium nitore puritatem declarate*, ſcribit Chryſoſtomus apud Lippomanum; *ſed cum abiectione idolorum purificatis cogitationibus mentis redeamus ad Bethel.* *Lyppomas.* Addit Lippomanus: *Auxit, redeunti per viam adfuit, actus, ſtudia, conatus direxit.* Vbi ſacrificium omni puritate Domino offertur ſolerti Numinis cura ſeruatus augetur, & auctus ab hoſtium incurſionibus cuſtoditur.

§. XLVI.

Dei ſeruis exhibitum obſequium, probatur Domino ſacrificium.

193. QVod ſeruorum Dei fami leuandæ exhibetur edulium, aut quod præſtatur officium, iam quodammodò tranſit in Numinis holocauſtum: cultui namque Numinis applicatur, quod ob eius reuerentiam miniſterium eius ſeruulis exhibetur. *Caſſiodor.* *Vos præſtitiſſe cognoſcitur*, aiebat Caſſiodorus 10. var. 8. *quod noſtris laudibus applicatur.* Dei habetur cultus, quod eius miniſtris impenditur, ſeruiſque tribuitur: amat Deus miſerorum calamitatem depelli, fami ſubueniri, & qui eius vota diligenter impleuit, iam ſe Dominum amare ardenter probauit: *vt cognoſcamus nos* (verba ſunt citati Caſſiodori) *à pietate veſtra reuera diligi, facitis vota compleri.* Charitatis index eſt Dei miniſter cibatus, & egenus veſtitus. Quiſque iuſtus Dei templum eſt, & dum aliquid offertur ipſi indigenti, conſecratum putatur altari. Gedeoni apparet Angelus humana forma, & ſpecie peregrini: lætiora promittit, & ingenuus, ne ingratitudinis notam ſubeat, parari ſibi prandium vt expectet, ſubnixè exorat: *Da mihi ſignum quòd tu ſis qui loqueris ad me, nec recedas hinc, donec reuertar ad te portans ſacrificium, & offerens tibi*: hœdum paneſque viro illi obtuliſſe, vt ipſe comederet, teſtantur Patres & Interpretes: *obtulit ei*, ſcribit Hugo, *id eſt, præſentauit ad comedendum: quia* *Hugo.* *potiùs putabat illum eſſe hominem, quàm Angelum,*

vel

vel credebat illum eſſe prophetam Domini: Adſtipulatur Caietanus: Caietan. *Hinc habetur quod non in ſacrificium; ſed in prandium parauit hæc: non enim carnes cocta portabantur ad ſacrificandum.* Itaque Gedeon factis videtur contradicere votis: nam homini offert, quæ ara non admittebat, & ſacrificare ad ſpeciem diſcupit: ergo ſi ſacrificium offerre diſcupit, homini non auferat, aut ſi offert homini, ſacrificium non dicat. Profectò Gedeon vtrumque coniunxit: *portans ſacrificium, & offerens tibi*: nam Deo ſacrificium dicandum erat, quod ob eius reuerentiam prophetæ miniſtroque eius exhiberi conſtabat: *Obtulit ei, id eſt, præſentauit ad comedendum.* Quod miniſtro Domini ad comedendum obtulit, dicatum Domino appellare ſacrificium non renuit.

194. Ad patris domum redibat ille prodigus, quia reſipuit fortunatus: redibat in mercenariorum cenſu numerandus: quia bene ſecum actum putabat, ſi filij exauguratus honore vernaculatum donaretur mercede; verùm pientiſſimus pater, ne videret crimina vidit filium, & ſeruos Luc.15.v.23 ſuos iuſſit menſam adornare famelico: *Adducite vitulum ſaginatum, & occidite, & manducemus & epulemur.* Chryſologus vitulum illum gratiſſimum Deo ſacrificium putat fuiſſe ſermone quinto. *Hic eſt* vitulus, qui in epulum noſtrum quotidie ac iugiter immolatur; verùm iam premit difficultas: ſi hic eſt vitulus, qui quotidie ac iugiter in altari immolatur, quomodò redeunti filio ad cibum offertur? Certè quod applicatur famelico, non dicatur ſacrificio, ergo ſi vitulus dedicatus eſt ſacrificio, non apponatur famelico; imò hic vitulus, inquit Chryſologus, dum patris filio famelico offertur, quodammodò altaribus immolatur: Dei miniſtri immolant, quod fameſcenti cibando applicant, & quod filio egenti præſtitum, Chryſol. iam audit altaribus conſecratum: *Hic eſt vitulus, qui in epulum noſtrum quotidie ac iugiter immolatur.* Si vis Numinis vota adimplere, ſtude pauperibus ac ſeruis Dei ſubuenire: conſecrat namque charitas holocauſtum, quod ad pauperis leuamen probatur exhibitum.

195. Marc.12. v.42. Pia anicula miniſtris Dei obtulit, quod inopia illi permiſit: *Cum veniſſet vidua vna pauper, miſit duo minuta, quod eſt quadrans.* Hieronymus apud gloſſam ad capit. 6. Iſaiæ putat hæc duo minuta forcipem fuiſſe altari ſacratam amplectendis prunis; imò ipſam prunam Hieronym. fuiſſe: *Hæc ſunt duo minuta, quæ mittit paupercula in Dei dona*; verùm tanti Doctoris pace, ſi forceps altari applicatur, ſi manibus Angelicis tenetur, quomodò eſſe poteſt minutum, quod gazophylacio immittitur? Muliercula Dei miniſtris alendis largitur minuta, Iſaias intuetur forcipem & prunam altari ſacratas: ergo longè diſtat altari dicatum à minutis in gazophylacium miſſis. O attende, amabo te: iam illa duo minuta altari ſunt conſecrata, vbi alendis Domini miniſtris ſunt præſtita: eleemoſyna gratiam de altari trahit, purificantemque prunam apprehendit: iam Angelus habet inſtrumentum ad ignitum calculum de altari ſumendum, quo hominis purgentur peccata, vbi inueniuntur in gazophylacio minuta? nam quod Deo ſeruit, & homini proficit; & ſacris altaribus deputatur, quod miniſtris Domini offertur.

Dum in cœlum tenderet Elias, Eliſæus indiuiduus comes, & fidelis diſcipulus eo abſentiæ dolore ardebat, vt veſtimenta ſcinderet, 196. 4.Reg.2. v.12. quo flammam pectus halaret: *Apprehendit veſtimenta ſua, & ſcidit illa in duas partes.* Magiſter prouidentiſſimus, qui geminato ſpiritu diſcipulum ſatagebat ornare, & nudum immiſſo pallio curauit etiam veſtire: *Leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat ei.* Drogo Oſtienſis putat hoc pallium Chriſti corpus in altari oblatum præfiguraſſe. Audi eius verba de ſacrament. Domin. Paſſion. *Remanſit ei pallium tuum in memoriam tui, vt præſentia abſentia tua dolorem eius ſemper & augendo leniat, & leniendo augeat: Hoc ſumite, ait, in meam commemorationem, hoc eſt ſacramentum corporis tui, quod ſumimus in tui commemorationem, donec venias: pallium tuum eſt caro tua.* Veneror Drogonis ſententiam; verùm palij figura veritati non videtur accommoda: Chriſti namque Domini caro Patri in altari offertur, & honorando dicatur; Eliæ pallium legatur in inditatis ſubſidium, & in egeſtatis remedium. Quæ ergò inter ſacramentum & pallium ſimilitudo, quando ſic diſtant, vt ſacramentum offeratur Numini, pallium relinquatur homini. Ita ſanè reſpondet Drogo; verùm ea eſt inter obſequium Dei miniſtris exhibitum & ſacrificium Domino conſecratum conformitas, vt pallium ſit ſacrificium: quod Dei ſeruo, quod offerebatur nudo, quodammodò applicabatur iam holocauſto, & dum propheta fouetur veſtitus; veſtitur nudus, iam Dominus videtur cultu honoratus: eſt enim eleemoſyna pro ſacrificio, & bene collocata largitas pro holocauſto: ad ſacerdotis honorem aſcendunt quodammodò qui miſeris miſericordiam impendunt, & calamitoſis ſuccurrunt.

Adamus ad Dei imaginem conditus prærogatiuis omnibus fulgebat nobilitatus: Dei 197. erat ſacerdos, à quo acceperunt poſteri dignitatem. Ita illum vocat Tertullianus de reſurrectione carnis capite nono *Liberalitatis* Tertull. *ſuæ hæredem, religionis ſuæ ſacerdotem, teſtimonij ſui militem.* Sed videamus quomodò Adamus munus adeò nobile non exercuerit, cùm Abelus Numinis aram nobilitarit: *Abel* Gen.4.v.4. *obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum.* Abel ſacerdotis munus videtur implere; at Adamus tanto muneri inuentus non eſt ad ſpeciem aliquando ſatisfeciſſe: cur dicendus eſt ſacerdos, qui nec ſacrificium obtuliſſe refertur, nec aris acceſſiſſe narratur? Forſan hic latet arcanum myſterium: Adamus ſeipſum quodammodò decurtat & imminuit, vt coſtam, qua viuat Eua, largiatur, dicente Scriptura: Gen.2.v.21. *Tulit vnam de coſtis eius, & repleuit carnem pro ea, & ædificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* Adamus de ſuo tribuit, vt viuat alter, Abelus pingues offert agnos, vt honoretur Dominus, & vterque ſacerdotis nobilitatur honore, & honorem implet munere, alter non habenti erogando, alter omnium auctori offerendo. Iure ergo Tertullianus Adamum ſacerdotis titulo honorat, *religionis ſuæ ſacerdotem*: quia etſi non obtulerit in ara, exercuit ſacerdotium in coſta, vt iam omnes noſcerent Dei imagini oblatum pro ſacrificio quodammodò reputari, & offerentem ſacerdotis

Digitized by Google

honore fulgere. O ſi bene ambitioſus exerceres miſericordiam, ſi Dei ſeruulis ſubuenires: profectò ſi non gloriareris munere, reſplēderes ſaltem ſacerdotis honore: vtque hanc veritatem ab ſcriptura veneris, animaduerte prohibuiſſe Deum miniſtros ſuos aliquid accipere ad egeſtatis remedium ab eo, cui negauit ſacerdotium: quaſi non videatur ſacerdotio mulctatus, ſi Dei ſeruis fuerit miſericordiam largitus.

198. Ieroboam ſacerdotis honorem ambitioſus geſtiebat rapere, & regiæ dignitati immiſcere. Deus Prophetam mittit, qui delinquentem carpat, & altare voce ſubuertat: rex portentis in admirationem adductus Prophetam inuitat,

3.Reg.13. v.7. cibareque exoptat: *Locutus eſt autem rex ad virum Dei: Veni mecum domum, vt prandeas.* Quid tunc Propheta? *Mandatum eſt mihi in ſermone Domini præcipientis: Non comedes panem, neque bibes aquam*: & cur Deus miſericordiæ opera prohibeat, & Prophetæ exhiberi officia vetuerit? Putauerim cibo potuque Prophetam interdictum, ne rex ille, quam malè ambierat ſacerdotis dignitatem potiri aliquomodo videretur, dum Dei ſeruus menſa hono-

Abulenſ. ratur: *Aſcendit ipſe rex ad immolandum factus Pontifex*, ſcribit Abulenſis quæſtion. 31. ad 12. lib. 3. Reg. Additque quæſtione 6. ad hoc caput: *voluit rex ſatisfacere ſibi in aliquo*: rex aliquomodo deſiderio ſuo videretur ſati feciſſe, ſi Dei virum inueniretur cibaſſe: ergo qui interdictus eſt ſacerdotio, hoc etiam interdicebatur officio: eſt enim ſeruis Dei ſubuenire Deo quodammodò ſacrificium offerre.

---

§. XLVII.

Contrariis non ſemel Deus diſpoſitionibus vtitur ad omnipotentiæ pompam, & ad homini ingerendam fiduciam.

199. NAtura aptas ſemper diſpoſitiones requirit, & niſi opportuna medicamenta adhibeantur, ægritudines non pelluntur: frigus frigore innutritur, non pellitur, calor caloribus poteſt, nec febricitantem deſerit: neſcit ars niſi contrariis curare: quia reſiſtente diſpoſitione humana peritia non didicit præualere: *Contrariis*

Caſſiodor. *rebus*, ſcribit Caſſiodorus 8. var. 20. *plerumque medicina ſuccedit: nam dum calor vitalis adhibitus fuerit, frigus peſtiferum tunc recedit. Nubila ipſa ventorum ſpiratione terguntur, & aquilo faciem cœli tranquillam reddit, quam auſtralis aura turbauerit.* Itaque natura præuiis diſpoſitionibus ad formam vtitur, & medicina contrariis cum morborum peſtibus depræliatur; at vbi humanæ deficiunt vires, ibi Numinis elucet potentia, & potentiæ apparet omnibus energia. Vt hinc eius alumni maiorem foueant pectore fiduciam, & hoſtes extimeſcant efficaciam. Gedeon ſacrificium offert Deo carnes & panes azymos, quos Angelus ſupra petram ponere, & iure imperat madefacere: *Tolle carnes & azymos panes, & pone ſupra petram illam, & ius deſuper funde.* Paruit Gedeon, & iam Angelus flammam de ſilice exuſcitat, & omnia ſubitò flamma deuorat: *Cùm feciſſet ita, extendit Angelus Domini ſummitatem virgæ, quam tenebat in manu, & tetigit carnes & panes azymos, aſcenditque ignis de petra, & carnes azymoſque panes conſumpſit.* Profectò Angeli imperium aduerſari videtur voto: nam ſi diſcupit ſacris flammis omnia conſumi, cur iure imperat humectari? Aqua aptior videbatur ad ignem extinguendum, quàm augmentandum, & tamen Angelus vult iure carnes paneſque aſpergi, vt celeriter faciat igne conſumi. Recole quid petierit Gedeon, videbiſque quàm aptè hoc Angelus dederit ſignum: iubebatur Ierobaal in ferè innumeros Madianitas irruere: Obiecit ille exiguum ſuorum numerum, ſignumque petiuit, quo certior factus rem ad ſpeciem ſummè periculoſam adiret: ergo vt nouerit non ſolùm diſpoſitionibus non opportunis; ſed etiam contrariis rem è ſententia cedere, cùm diuinum adeſt auxilium, humidas carnes flamma ea celeritate vorauit, qua poſſet ſicciſſimas. *Quæret* Abulenſ.
aliquis, ſcribit Abulenſis quæſt. 25. *quare iuſſit Angelus quòd funderetur ius deſuper? Reſpondendum quòd ad hoc fuerunt duæ rationes: prima fuit, quia Angelus voluit dare experientiam de ſe quod eſſet Angelus; eſſet autem tantò maior experientia, quantò eſſet maius miraculum; & quia quanto magis madeſierent carnes & panes, tanto erant minus diſpoſita ad combuſtionem, voluit ea madefieri.* Non videbatur exiguus Iſraelitarum numerus aptus ad reportandum de tantis tamque munitis aciebus triumphum: ergo Anlus Dei perſonam gerens, vt fiduciam augeat, contrariis veluti opportunis diſpoſitionibus vtitur, & ipſum ignis impedimentum vorabat vt pabulum.

Lapis non impulſu excuſſus; ſed veluti caſu 200.
rotatus inſanam illam molem, quam audax temeritas, & temeraria Nabuchodonozoris finxit audacia, in fauillam redegit; imò & fauillas ipſas extinxit: reſpuit lapis auxilium impulſus, non ſolùm vt ſuam efficaciam oſtenderet; ſed vt quam caduca ſint, quamque leuia quæ arbitramur ſolidiſſima, demonſtraret: rex qualis fuerit lapis, à ſe non cognouit, à Daniele audiuit: *Abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus,* Dan.2.v.34.
& percuſſit ſtatuam. Nondum hoc prodigio ſibi redditus inſanam molem ex auro conſtruit eius contemptum ardentiſſimis ignium globulis puniturus: tres pueri, quibus virtus eximia, elegerunt fornace horrendè perſtrepente aduri, quàm indigna adeò adoratione fœdari: rex furore percitus voraciſſimis tradi ignibus iubet, miniſtri plus adulatione, quàm obedientia patentes momento rem peregerunt; verùm flamma, quia nullum inuenit culpæ delictum præbere geſtiebat obſequium, pedes compedibus diuexatos reuerenter lambebat, & deoſculata adorabat: tunc rex quartum Dei filium deprædicat, & diuinum prorſus exclamat: *Species quarti ſimilis filio Dei.* In- Dan.3.v.25.
quiramus ſi placet, cur modò agnouerit Deum, qui non agnouit lapillum? Ipſe equidem ſubuertit ſtatuam, & ignis repreſſit iram: ſi ergo vel ſuperbia cæcus Nabucho in forace Dei filium agnouit, cur lapilli virtutem non intellexit? Audi quid textus edoceat; *Fecit*, inquit, *medium fornacis quaſi ventum roris flantem*: ecce ardentem flammam frigidam conuertit in vndam,

&

Digitized by Google

& iam roſcidos recreat ardentiſſimus æſtus vt poſſet placidiſſimus auræ flatus: ergo dum vidit contrariis diſpoſitionibus cauſiſque pro opportunis vti non potuit de potentia dubitare: hic Deus ſuorum remunerauit fiduciam, & oſtentauit mire potentiam, dum flammam vertit in vndam. Adeſt Zeno Veronenſis, ſerm. 8. de

Zeno.

tribus pueris: *Vbi in caminum miſſi, vbi ſubmerſi ſunt flammis, ſtatim inuiſibili rore incendia temperantur, mors refugiens mutat officium.* Addit: *Rex non inuiderat pueris, ſi non eos præcepiſſet ardere.* Vbi rex vidit mortem mutare officium, inueniritque vitæ ſcaturiginem, vbi ad redigendos in cinerem homines naptha, ſtuppa, & alia rigidam obarmabant fornacem, non potuit Hebræorum Numinis non deprædicáre potentiam, cui nihil obſtat contrarium, nihilque non obedit opportunum. Et quid timeat, qui Deo innititur, quando aquæ lapideſcunt Petro calcante, quando Ierichuntini muri labuntur, tuba clangente, quando in medio mari Pharao adurit ur, quando in horrendo incendio fides puerorum refrigeratur? Nil timeat, cui à Deo auxilium eſt: quia eius dextera nil patitur aduerſum, nec experitur contrarium.

201\. Elias ille magnus, vt veri Dei religionem ſtabiliret, & vel pertinaciter cæcos ſplendenti veritati luce illuſtraret, ad ſacrificium accingitur: Baalis prophetæ tempus terunt: nec ènim figmenta potuerunt prodeſſe aut famæ, aut ſaluti: tunc Elias ligna ex ſe viridia ter aqua veluti natare cogit, & natantia cœleſtibus citiſſimè flammis adurit:

3 Reg 18. v 38.

Cecidit ignis Domini, & vorauit holocauſtum, & ligna, & lapides puluerem quoque & aquam. Non potuit vel obſtinata populi cæcitas ac cæciſſima pertinacia Numinis non deprædicare virtutem, & amplecti religionem: *Cùm vidiſſet omnis populus, cecidit in faciem ſuam, & ait: Dominus ipſe eſt Deus.* Aqua ignis interitus ignis erat paſtus, & quo videbatur extinguenda, lucebat flamma mirè innutrita: ergo Dei virtus ſic vel rudi populo innotuit, vt exertis vocibus potentiam eius deprædicarit.

Abulenſ.

Sic, ait Abulenſis citatus, *manifeſtè cognita fuit poteſtas Dei.* Fortaſſis dum ipſe Elias timore obturbatus ſe in ſpeluncam recepit, ſugillatiua Numinis interrogatione

3.Reg.19. v.9.

carpitur, & latenter reprehenditur: *Ecce ſermo Domini ad eum, dixitque illi: Quid hic agis Elia?* Quaſi dicat; Regina, rexque armati potentia vitæ tuæ inſidiantur: tu inermis, & omni prorſus auxilio hominum deſtitutus; verùm latere non debueras fugiens pericula, qui glorioſa expertus fueras aqua contradicente trophæa: ſi vidiſti armatum aquæductum in ardorem ardore conſumi: ſi expertus es mediis oppoſitis rem Deo auxiliante ſuccedere, cur timeas & timore auxiliatori tuo notam inuras? quaſi defendi non poſſis in mediis periculis, & in mediis ſeruari naufragiis. Innuit gloſſa moralis:

Gloſſa.

Quid hic? Quaſi dicas: Non eſt adhuc tempus perfectæ quietis: ſed laboris pro ſalute proximorum, cùm neceſſitas hoc requirit: & in hoc arguit. Non eſt periculum inconſultè adeundum? ſed nec iuuante Domino extimeſcendum, quando ipſi omnia ſunt æqualia: quia omnia omnimodè ſunt ſubiecta: ergo Dei ductum ſequere: nam quamuis humanè prudens videatur ratio obuiare, diſces experientia omnia pro Dei voluntate inſeruire. Quis crederet, ſi humanis oculis meritetur, Gedeonem de fuga cogitantem, ferè inermem poſſe tubarum clangore innumeros hoſtes proſternere, & triumphum ante certamen lucernis ſplendidiſſimis celebrare? at vbi iubenti Domino obſecutus eſt, inuenit aërem pro globulis eſſe, & pro exploſis flammantibus pilis ferire.

§. XLVIII.

Nil patiaris apud te manere ex his, quæ ſemel decreuiſti Domino conſecrare.

Vota Deo facere libertatis eſt, implere religionis: qui oblata integrè illibatéque non offert, dum videtur virtutis egiſſe pœnitentiam ipſam afficit iniuria virtutem: odit Deus rapinam in holocauſto, & graui vindicare ſolet ſupplicio: monetæ integritas fides eſt publica: quòd ſi tantillum mutiletur, in regem eiuſque auctoritatem peccatur. Hinc monetæ corruptores puniuntur acerrimè: quia licèt imminutum aut eraſum ſit leuis momenti, leuis non inuenitur piaculi quando & regia auctoritas labefactatur, & poteſtas clarè contemnitur: 202.

Quia ſic omnia grata redduntur, aiebat Caſſiodorus 12. var. 18. *Si in nulla parte peccetur: res vna ſubtracta cuncta deformat, & totum deeſſe creditur, vbi vel minima querelæ aſperitas commouetur.*

Caſſiodor. *Res vna ſubtracta cuncta deformat.*

Omnia deformantur ſubtractionis delicto; & imminutionis piaculo. Quid e conſecratis ſubtrahere ſic Numinis exaſperare ſolitat iram, vt ſi non puniat, ſortiri non videatur omnipotentiam: Deum namque plures non credunt, quem iniuſtis & raptoribus iratum non experiuntur: *ſua ſibi patientia detrahit* aiebat libro de patientia cap. 2. Tertullianus,

Tertul.

plures enim Dominum idcirco non credunt: quia ſæculo iratum tamdiu neſciunt. Diuina longanimitas, patientiaque eſt diuinitatis indubium teſtimonium, & euidens argumentum; at ſi aliquid poſſet poteſtatis opinionem minuere, eſſet rapinam è ſibi oblatis non vindicare, nec ſacrorum violatores punire. Integrè vota reddenda ſunt, ne quę ad promerendam offerebantur gratiam, ſubtractione dignam inflammauerint iram. Ecce Gedeon hœdum coquit, panes apparat, ius ſecernit; ſed vt gratum fuerit Numini ſacrificium, iubet Angelus non ſolùm carnes, paneſque offerre; ſed ius etiam penitus ſuperfundere. *Tolle carnes, & azymos panes, & pone ſuper petram illam, & ius deſuper funde.* Profectò excitandis flammis ius cenſeri potuit impedimentum, & ipſi holocauſto obſtaculum: nonne celerius, viuidiuſque ignis panes & carnes conſumeret iure non madefactos; ſed ſiccos? Cur ergo Angelus iubet ius fūdere, & ardoribus obuiare? O attende quid dato ſigno prætenderit Angelus, animos ſcilicet Gedeoni adjicere de Numinis futuro auxilio, & Gedeo-

Digitized by Google

ni gratiam conciliare de religioſo holocauſti obſequio: ergo ad hoc opus erat, ne quid ex iis, quæ offerre decreuerat, apud ipſum remaneret; ſed Domino integrè conſecraret: cuncta namque defœdarentur ſe vna ſubtracta, & timeri potiùs potuiſſet ira, quàm ſperari miſericordia: quia ſignum dabat Angelus acceptationis diuinæ ſolerti curauit ſtudio, ne votis ſuis impedimentum apponeret, ſi vel ſtillam iuris ſeruaret. Audi Abulenſem quæſtione vigeſimaquinta
Abulenſ. *voluit, vt omnia quæ Gedeon tulerat, in Dei ſacrificium cederent, & ſic fecit ius carnium ſuper carnes & panes fundi.* Ni ius funderet, quæ offerre decreuerat, integra ſacris non præſentarentur altaribus, & dum inueniebantur imminuta, forſitan ſupernis non adurerentur ignibus repudiata: ergo Angelus vt certum exhibeat propitiationis diuinæ ſignum, ſolicitat ſacrificium completum, docetque, ſi quid deſit, oblationis adulterari gratiam; imò prouocari Numinis iram: quod adeò verum eſt, vt nihil ſolicitiùs curent dæmones, quàm ex oblatis diripere, & reliqua direptione fœdare.

203. Abrahamo tanta promittit diuina largitas, vt ſignis firmari exigat, non ad dubitationem aliquam depellendam; ſed ad liberalitatem mirè exagerandam: *Domine Deus vnde ſcire* Gen.18.v.8. *poſſum, quòd poſſeſſurus ſim eam?* Deus ſibi ſacrificium parari iubet: eſt namque humanæ felicitatis fauſtum præſagium oblatum Domino ſacrificium, quando cum magna vſura humanis vtilitatibus applicatur, quod nullo indigenti offertur: *Sume*, inquit, *mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium: turturem quoque & columbam*: paruit diligentiſſimus alumnus: cuncta iam erant ritè diſpoſita ſacrificio, cùm nocturnæ ac rapaces volucres irruunt, quid è ſacrificio rapere exambientes, & ſacratis paſci deſiderantes: *Deſcenderunt volucres ſuper cadauera, & abigebat eas Abraham.* Abrahamus ſtudioſa ſolicitudine incumbit volucribus abigendis, & volucres vel exiguis fruſtulis ſuffurandis. Profectò dæmones volucribus adumbrati pertinaci ſtudio diſcupiunt Abrahami felicitatem impedire, & Numinis fauorem auertere, ad idque toto conatu irruunt in hoſtias, ſiquid decerpere queant: nam ſi decerpſerint, putant hoſtiam non futuram felicitatis præſagium; ſed infelicitatis fomentum: quæuis enim particula detracta reliqua viderentur deformia. Ergo Abrahamus prudentiſſimè inuigilat, vt ſacrificij integritatem cuſtodiat, & dæmon verſutiſſimè irruit, vt quid de ſacrificio diripiat:
Hugo. *In ipſo orationis ſacrificio*, inquit Hugo, *ingerunt ſe importunæ cogitationes rapere vel violare cupientes; ſed manu ſanctæ diſcretionis debemus cuſtodire, quod foris offerimus, ne maligni ſpiritus, & peruerſæ cogitationes rapiant.* Curet ſolicita diligentia integrè offerre, quod ſpopondit Dominicis altaribus conſecrare, alioquin quod merebatur gratiam, exacerbabit votum Numinis iram.

204. Eccl.35. v.14. Eccleſiaſticus afferentes Deo munera inſtruens ſic aiebat: *Noli offerre munera praua: non enim ſuſcipiet illa: & noli inſpicere ſacrificium iniuſtum, quoniam Dominus iudex eſt.* Iniuſtum ſacrificium vocari puto, cui deeſt aliquid: hanc interpretationem textus Græcus innuit, dum ſic reddit: *Ne decurtes munera*, id eſt, quod ſemel decreuiſti offerre, hilariter & promptè tribue, ne ſi pœnitentiam honeſtæ liberalitatis egeris, in ipſo obſequio indignationem tibi concilies, & inde odij iuſtiſſimam incurras vindictam, vbi conaberis propitiationis mereri gratiam, deflorata decurtataque munera aut indicant inuitum obſequium, aut retractatum ſtudium, cumque hoc ſit virtutis pœnitentia, non poteſt Dominum non afficere iniuria. Ergo ne decurtes, quod obtuliſti, alioquin in ipſa virtutis religioniſque materia, ex qua moliebaris excudere obſequium, elaborabis tibi imprudenter ſupplicium. Adde aliquando ſomniaſſe quid imminutum detractumque ex Domino oblatis infeliciſſimum eſſe augurium, & infauſtum prorſus præſagium.

Duo Pharaonis ſerui ſomnia vident euentibus congrua, & clara euentuum præſagia: pincernarum Principi vitis frondoſa objicitur dulciſſimis vuis dideſcens, quas ille Principi offerre exoptans expreſſit, & gratiam ſibi accipientis conciliauit: *Tuli vuas, & expreſſi in calicem, quem tenebam, & tradidi poculum Pharaoni.* Huic Ioſephus coniector veraciſſimus felicitatem prænuntiat: *Reſtituet te in gradum priſtinum*: Magiſter piſtorum ſic refert: *Et ego vidi ſomnium, quòd tria canistra farinæ haberem ſuper caput meum, & in vno caniſtro, quod erat excelſis, portare me omnes cibos, qui fiunt arte piſtoria, aueſque comedere ex eo.* Huic Ioſephus calamitatem prædicit: *Auferet Pharao caput tuum.* Quod ſi rationem inquiras vtriuſque euentus, ea ſe mihi offert, pincernam ſcilicet, quas regi dicare voluit, ne quid maneret, vuas compreſſiſſe: Et expreſſi, inquit, & pincernatum magiſtrum non ſolùm permiſiſſe auibus aliquid; ſed caniſtris tuliſſe foraminatis, ex quibus aliquid decidere poſſet: dum ergo ex oblatis quid deeſt, non potuit donum gratum Principis inuenire conſpectum, quia obſcuratum ſordeſcebat officium: *ſunt qui interpretentur* (verba ſunt Lippomani) *tria caniſtra foraminata.* Dum per foramina aliquid decidit, iam non offertur integrum, & dum non offertur integrum, nequit placere Principi gratum. Ergo ſi quid obtuliſti Domino, ne imminuas: nam re vna ſublata cætera decorem amittunt, & gratiam decoris perdunt. Concludat theſin Caſſiodorus 3. variarum 7. *Licèt vbique decet iuſtitiam cuſtodiri, in illis rebus maximè neceſſaria eſt, quæ diuinis obtutibus offeruntur, ne putemus ignorare Deum, vnde accipiat, ſi fraudatis oblationibus acquieſcat.*

205.

Gen.40. v.11.

Lippoman.

Caſſiodor.

§. XLIX.

Eam exigit puritatem oblatum Domino ſacrificium, vt Angelus etiam ad ſpeciem vereatur attactum.

206. MAgna debet ſolicitudine perfici quod debet Principis oculis præſentari: incautus delin

delinquit qui ſpurcis panem regiæ menſę apponendum manibus tangit, nec timet fœdare attactu, quod puriſſimum in Principis debet apponi conſpectu. *Profeſſio veſtra*, aiebat de Sacerdotibus Caſſiodorus 8. var. 24. *vita cœleſtis eſt: noluit ad mortalium vota humilia & errores deſcendere.*

Caſſiodor. *Sacerdotis vita cœleſtis ſit.*

Profectò qui offerendo Domino venerabile Euchariſtiæ ſacramentum dicantur, omni debent puritate candicare, & ſanctitate florere, quando ipſa ad altare proximitas omnem puritatis conſulit pompam, & ſummi candoris gratiam. Interfectorum propter Dei verbum ſubtus altare animæ collocantur, & quamuis proprio ſanguine laureatæ, adhuc nouis albiſſimiſque ſtolis rutilauere veſtitæ: *Vidi ſubtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter teſtimonium, quod habebant, &c. & datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ.*

Apoc. 6. v. 9.

Et quid opus erat ornari ſtolis albis, qui vitam propter veritatem gladio exponentes veſtibus gloriabantur ſanguineis. Quid glorioſius, quàm de effuſo mira fortitudine ſanguine lauros rigare, & coronas ſibi rubentes attexere? Si datæ non ſunt albæ ſtolæ, quando ſunt empyreum ingreſſæ, cur modò veſtimentis ornentur albis, qui effulgent celſiſſimis thronis? Iam Euangeliſta explicuit: *Vidi*, inquit, *ſubtus altare.* Super altare Chriſti Domini corpus offertur, vtque noueris quàm excellentem puritatem requirat, animæ etiam gloria conſecratæ albis induuntur, & nouis, ſi fas eſt dicere, candoribus illuſtrantur: non augentur in cœlo merita, nec veſtimenta mutantur; at ad noſtram eruditionem his vtitur ſymbolis Scriptura, vt ad Domini altare ſumma acceſſeris reuerentia. Opportunè Rupertus hîc: *Notandum quod non dictum ſit tantummodò: datæ ſunt illis ſtolæ; ſed ſtolæ albæ: nam ſtolas quidem habebant, id eſt illam, propter quam interfecti fuerant, verbi Dei, ſiue teſtimonij iuſtitiam; ſed illæ ſtolæ nondum albæ erant.*

Rupert.

Rubentibus propter verbum Dei ſanguine intertexris mira virtute ſtolis induebantur; at vt diſcas quanta debeas altaribus accedere puritate, dum altari approximant, maiorem quodammodo puritatem affectant, & quàm venerandum ac tremendum altaris ſit ſacrificium, his ſymbolis mirè demonſtrant.

207. Hanc doctrinam textus luculenter confirmat: nam cùm Gedeon pro lætis nuntiis ſacrificium Domino præparaſſet, & ab Angelo offerendum tuliſſet, iubet cœleſtis nuntius ſupra petram conſtituere, nè terra maledictis pollueretur obnoxia; ſed dignius luceret petra ſerpentinis dentibus dura: *Tolle carnes & azymos panes, & pone ſupra petram illam, & ius deſuper funde*: paruit expromptiſſimè Gedeon, & Angelus vt cœleſtes flammas ſuſcitet, ſacrificium tangit non manu; ſed virga: *Extendit Angelus Domini ſummitatem virgæ, quam tenebat in manu, & tetigit carnes, & panes azymos, aſcenditque ignis de petra & carnes azymoſque panes conſumpſit.* Et cur Angelus, qui Petri latus percuſſit, qui Lot manum, vt extraheret de periculo, apprehendit, carnes tetigiſſe recuſet? Docuitne homines pudicitiam? Sit ita; ſed docuit etiam eximiam ſacrificio altaris reuerentiam: Angelus de ſe puriſſimus, & nulla maculæ vmbra vnquam attaminatus; at dum penſat fideli iudicij trutina quam ipſe puritatem habeat, quantamque tremendum illud ſacrificium requirat, deuota veretur humilitate contingere, & ignem virga non manu adnititur ſuſcitare. Et fortaſſis illa erat virga Ieſſe ſemper florida, & chariſmatis cœleſtibus exornata; fortaſſis erat illa, de qua Propheta: *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion*: illa erat fortaſſis, in qua Chriſtus pependit, vt ad altare acceſſurus internæ puritati crucis Dominicæ mortificationem adderet, & manu quaſi cruci incarnata contingeret. Huc voco quod aiebat Chryſoſtomus homilia 60. ad populum; *Quo non oportet igitur eſſe puriorem tali fruentem ſacrificio? Quo ſolari radio non ſplendidiorem manum carnem hanc diuidentem, os quod igni ſpirituali repletur, linguam, quæ tremendo nimis ſanguine rubeſcit? Cogita quali ſis inſignitus honore, quali menſa fruaris: quod Angeli videntes horreſcunt, neque liberè audent intueri propter emicantem inde ſplendorem.* Chryſoſt.

Nouit Angelus opus eſſe manu radiis ſolaribus puriori ad contingendam hoſtiam Dominici corporis vmbram: ergo dum tangit virga, docet quanta tractari debeat adumbratum reuerentia.

Magis ſtella apparet Solares radios claritatis lumine euincens: Angelus namque eam ſpeciem induit, vt Magos ſtellis deditos faciliùs traheret: ita apud Diuum Thomam Rhemigius: *Dicunt fuiſſe Angelum.* 208.

Rhemig.

Quàm ſapienter ſe Angelus geſſit, dum Magorum ſe ingeniis accommodauit: eſt enim laudabilis regentis prudentia rem perficere ſubiectos oblectando, non vim inferendo: ergo ſtella ducit, & ſupra tugurioli culmen aëre proximiori ſuſpenſa puerulum Chriſtum oſtendit. O quàm oſtendit Deum, quam Chriſti Domini humilitatem honorat lux ſplendida decenter demiſſa, & nobilitas depoſito faſtu generosè detecta: *Ecce ſtella*, inquit, *quam viderant in Oriente, antecedebat eos, vſque dum veniens ſtaret ſupra vbi erat puer.* Et cur propius non accedat? Cur vel contingere tuguriolum non audeat? cur quæ velut ardentiſſima fax viam demonſtrat, cum Magis non ingrediatur, quando nouum non eſt recurrere Sydus ad Solem? Iacebat Dominus in præſepio verus panis hominibus in vitæ cibum paratus, ſicque cœleſtem veretur Angelus panem, vt accedere non audeat fulgentiſſima etiam luce exornatus, & tota Solis claritate veſtitus: *Qui panis eſt Angelorum in præſepio reclinatur*, ſcribit Beda apud Diuum Thomam ad Lucæ caput ſecundum, *vt nos quaſi ſancta animalia carnis ſuæ frumento reficiat.* Beda.

Panis in tuguriolo aſſeruatur, eaque veneratione Angelus fulgentiſſima luce reſplendens tuguriolum honorat, vt foris remaneat, nec tamen pro reuerentia contingat: hoc enim denotare videtur Euangeliſta cùm ait: *Stetit ſupra vbi erat puer*: non inſedit culmine; ſed ſtetit veluti arbitratus ſplendorem ſuum non dignum, qui tuguriolum tangeret: *Opus fuit ſtella*, aiebat Chryſoſtomus hom. 7. in Matth. *quæ ſuper ipſum prorſus tugurioli culmen inſiſteret.* Stella rhetorico ſilentio, qualis panis ille eſſet, monſtrabat: ergo vt Magi ante conſpectum eius prociderent, ſtat locum reuerita, & ſi olim Angelus Moyſi aiebat: Ne appropies huc: terra enim,

in qua ſtas, terra *ſancta eſt*; iam Angelus appropinquare non audet; ſed decenti diſtantia reuerentiam Magis oſtendit.

209. Iſaiæ objicitur thronus prorſus regalis eximia arte & materia compoſitus; inſidebat Deus regnantis habitu, omnipotentis aſpectu adſtabant Seraphini throno inſiſtentes, & Domino famulantes: *Seraphim ſtabant ſuper illud.* Vt Iſaiæ thronus, Ezechieli quadriga objicitur nobiliſſimis animalibus vecta, & cœleſti auriga ducta: *Similitudo quatuor animalium.* Tranſi mente ad Apocalypſis cap. 5. vbi cùm throno inſederit agnus, in facies ſuas pronunt animalia, Angeli ſubmiſſis vultibus adorant, & fauſtis, repetitiſque acclamationibus agnum celebrant: *Cumque aperuiſſet librum, quatuor animalia, & viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram agno habentes ſinguli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum, & cantabant canticum nouum,* Quàm multa hic noſtræ eruditioni arcana! Ecce Angeli non in throno; ſed in throni circuitu: *Audiui*, inquit, *vocem Angelorum multorum in circuitu throni.* Quæ alibi animalia gradiebantur, hic cernua adorant: nouus auditur cantus, nouuſque concentus: profectò omnia iſta non cogunt ad indagandum profundiora myſteria. Et cur qui alibi throno inſiſtebant; hic ambire thronum, ſi dicere fas eſt, non audeant? cur animalia profundioris hic reuerentiæ ediderint ſigna? Profectò antequam aduentaſſet agnus, throno inſidebat Deus; nec tamen exhibita iſta referebantur officia, nec adnotabantur obſequia; & aduenienre agno omnia ad ſpeciem reuerentiùs tractantur, & ſuſpiciuntur: nec mirum: viſus namque eſt agnus quaſi occiſus ſtans patri oblatus, & pro hominibus in altari appoſitus; eaque reuerentia ſupremi etiam Angeli Dominum ſub ſpecie ſacrificij geſtiunt honorare, vt non audeant thronum attingere. Adeſt Lyra: *Dicitur hic agnus ratione immolationis.* Adſtipulatur Andreas Cretenſis apud gloſſam: *Agnus ille cernitur veluti occiſus, hoc vitam & ſpeciem illius poſt mortem & immolationem exprimit.* Vbi Dominicum intuentur ſacrificium, ad noſtram eruditionem maiora venerationis exhibent ſigna, reuerentiæque teſtimonia: & qui audebant antea Deum inſidentem throno alis contingere, agni throno verentur accedere: denotantes qua puritate candicare debeat ſacris altaribus dedicatum, quando ipſi Angeli vereantur acceſſum.

Iſa. 6. v. 2. — Ezech. 1. v. 5. — Apoc. 5. v. 8. — Lyra. — Cretenſis.

§. L.

Non ſemel initiare ſolet diſtantia, quod exaugurabat affinitas, & præſentia.

210. EAdem perſona diuerſos non ſemel æſtimationis ſortitur gradus pro diuerſitate aut diſtantiæ aut præſentiæ; magnum ſæpiùs habetur, quod remotiùs à noſtris ſenſibus elongatur. Quod frequenter conſpicitur, aut faſtiditur aut depretiatur: neſcio quàm arcanam maieſtatem elaborare ſolet diſtantia, quæ fugit rerum præſentia: Moyſi iuxta tranſlationem ſeptuaginta Angelus flammanti rubo aſpiciendus objicitur: *Apparuit ei Angelus Domini in igne flammæ ex rubo.* Inuolabat nobilis paſtor examinaturus prodigium; ſed accedere prohibitus iam intueri non audet; ſed depreſſis oculis conteſtatur diuinitatem loquentis? *Cernens Dominus quòd pergeret ad videndum, &c. & non audebat aſpicere contra Deum.* Hilarius apud Lippomanum animaduertit non ſine lepore differentiam: *Qui Angelus eſt*, inquit, *cùm videtur, idem, cùm auditur, eſt Dominus.* Eadem eſt perſona, quæ apparuit; at dum oculis hominis mortalis objicitur, quodammodo exauguratur; at dum arcano receſſu tegitur, dum oculos auerſatur, iam æſtimatione maior habetur: Cùm auditur acceſſum prohibet: *Ne appropies huc*: & qui erat aſpectus Angelus, oculos arcens inuenitur iam Dominus. Nec diſſimilis caſus in noſtro textu: Angelus apparet Gedeoni, miſcet colloquia, & tempora lætiora pronuntiat: vti gratus offerre parat Domino ſacrificium, quo ritè peracto Gedeonem alloquens diſparuit, & oculorum perſpicaciam eluſit: Angelus Domini euanuit ex oculis eius. Quid tunc? *Videns*, inquit, *Gedeon, quod eſſet Angelus Domini ait: Heu mi Domine Deus, quia vidi Angelum Domini facie ad faciem.* Idem erat, qui colloquia ante miſcuit, & modò euanuit: verùm dum oculis objiciebatur mortalibus, habebatur humanus, oculos fugiens iam deprædicatur diuinus, quaſi ipſa præſentia aut diſtantia diuerſos gradus æſtimationis contulerit: diſtantia hominem ad ſpeciem initiauit in Angelum; præſentia verò Angelum conuertit in hominem. Adeſt Abulenſis quæſtione 28. *Cognouit Gedeon hunc eſſe à Deo miſſum, & eſſe Angelum: quia facto ſacrificio euanuit.* Dum non fugiebat oculos, vt vir iuſtus honorabatur; at dum receſſit, Angelus habitus eſt: ea eſt namque humani ſenſus prauitas, vt quidquid attigerit, quodammodò imminuat, & ſi fas eſt dicere, faſcinet.

Exod. 3. v. 2. — Hilarius. — Abulenſ.

Chriſtus Dominus egregius mortis & tartarorum triumphator diſcipulis ad Emmaus caſtellum contendentibus ſe coniungit, colloquia cum viatoribus miſcet, adeoque flammantia verba illorum inſtillat auribus, vt rigentia corda calore cœleſti fota gelu diſſoluerint, & cœleſtem ardorem non ſine oblectamento acceperint. Ecquis hoc ait? Ipſi profectò ſibi inuicem colloquentes: *Dixerunt ad inuicem: Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis ſcripturas?* Cœleſtis calor nondum oculorum depulit tenebras; imò detenti ſuſpicabantur peregrinum, quem ſibi videbant proximum: *Oculi eorum tenebantur ne eum agnoſcerent.* Tandem vt quò ibant, occidente iam Sole peruenerunt, inter anxias etiam timoris anguſtias charitatis officia (erant enim diſcipuli) exercere ſatagunt, & cum ad ſpeciem renuente contendunt. Quàm non perfunctoriè; ſed amicus exhibere curabant miſericordiam, quando accepturi vincere variis rationibus adniſi ſunt repugnantiam: Dominus, qui vt viuidiùs inſtarent, abiturum ſe finxerat ciuili paruit inſtantiæ, & officium charitatis non repulit: menſæ aſſident dapibus quidem non refertæ; ſed vir 211.

Luc. 24. v. 3

Digitized by Google

virtutibus exornatæ: Chriſtus panem accipit, vt porrigat, & cùm porrexiſſet, euanuit: *Aperti ſunt oculi eorum, & cognouerunt eum, & ipſe euanuit ex oculis eorum*: modò agnoſcunt Dominum, quem putauerunt peregrinum: quòd ſi rationem quæras, iam textus ſubiunxit, ſcilicet euanuiſſe, & aſpectum oculorum fruſtraſſe: ille qui modo diſtat, viatoribus proximauit, ſed forte ipſa proximitas, ipſa allocutio, ipſa confabulatio quaſdam offundebat oculis tenebras, ne venerarentur magnum, quem ſibi adſpiciebant proximum. *Neque clauſis oculis ambulabant*, ſcribit

August. Auguſtinus apud D. Thomam; *ſed inerat aliquid, quo non ſinerentur agnoſcere quod videbant*. Et quid erat hoc aliquid? Iam reſpondet: *Quod videbant*. Ipſa viſio erat quodammodò viſionis impedimentum, quaſi familiaritas loquentis

Richard. celaret perſonam, & minueret reuerentiam. Adſtipulatur Richardus de Sancto Victore in allegoriis Tilmani: *Dominus, qui erat Dei ſapientia, ab oculis intuentium euaneſcit, quando ex contemplatione & admiratione diuinæ ſapientiæ animo innoteſcit*. Innoteſcit, dum fugit; imo fugere ſolet, vt innoteſcat: tunc enim ſolum conſpicui hominis, magnique viri eximiæ dotes agnoſcuntur, cùm iam eo abſente deſiderantur: qui quaſi vnus ex reliquis habebatur in via, Dominus eſt habitus in abſentia: offundit namque ipſe aſpectus neſcio quas depretiationis tenebras, quibus turbatus oculus non didicit prærogatiuas laudabiles venerari: quia ipſa præſentia impeditus nequit agnoſcere. Certè qui ambitioſo æſtimationis ſibi acquirendæ deſiderio tanguntur, ſe debuiſſent ſubtrahere, & conſpectum hominum fugere, alioquin dum vbique interſunt, dum immiſcentur omnibus, dum magnatum adſtant liminibus, dum crudis ſalutationibus alliciunt ſerulos, magnitudini ſuæ offundunt caliginem, qua impediti adſtantium oculi nequeunt excellentiam agnoſcere, nec perſonam dignè æſtimare.

212. Chriſto Domino poſt diuturna ieiunia famelico tentator accedit, & quaſi homini duriſſimos lapides in cibum delicatiſſimum vertere

Matt. 4. v. 4. perſuadet: *Dic vt lapides iſti panes fiant*. Hic ipſe dæmon Chriſtum à longè conuitus adorat, & quem antea interrogatione Dei dubitauerat filium: *Si filius Dei es*, exertis modò vocibus confitetur à Patre genitum: Videns Ieſum à longè cucurrit, & adorauit eum, & clamans voce magna dixit: *Quid mihi, & tibi Ieſu fili Dei altiſſimi*. Inquiramus, ſi iuuat, cur modò filium non dubitauerit, nec in deſerto agnouerit: cur hic tremens & adorans prolabatur deiectus, qui in deſerto ad ſpeciem imperabat ſuperbus & ambitioſus? Certè dum in ſolitudine degenti conceditur proximior acceſſus, clariori notitiæ opportunior eſt locus: cur ergo ibi accedens addubitat: *Accedens tentator dixit ei: ſi filius Dei es*, cùm hic proximè adeò non acce-

Marci 5. v. 5 dens agnoſcat: *Videns Ieſum a longè cucurrit, & adorauit eum?* Ipſa dubitatio eſt ſolutio; dum accedit, ipſo acceſſu depretiat quem debuiſſet reuereri; dum prohibetur approximare, ipſa diſtantia veluti edocetur colere: à longè adorat, accedens tentat: voluit namque Dominus ſuis nos factis erudire, & ad ſapientiam excolere. O quàm te dæmon depretiabit, ſi illi liberum concedas acceſſum! adorabit te, ſi illum arceas, & diſtare longiùs compellas: nam dum à longè vidit, adorauit. Huc voco, quod aiebat Chryſol. Chryſol.

ſermone 11. *Acceſſit tentantis dolo, non obſequentis affectu: acceſſit peiùs impudens, quam receſſit*. Quaſi dicat Chryſologus: Callidiſſimus ac fraudulentus ſuos dolos nequit dæmon prorſus diſſimulare, & obtegere, at peiùs impudens inſanit in præſentes, quàm in diſtantes: minus impudens diſtat, magis impudens approximat: & quod erga mores accidit dæmoni, hoc ſæpè ſæpiùs in ferenda de rebus ſententia contingit homini. Quem videt præſentem, cui accedit facilè, & quocum colloquia miſcet frequenter, non ſolitat magni habere; ſed neſcio quibus dubitationis nebulis obſcuratè, at quem à longè videt, quem diſtantem agnoſcit, elogiis celebrat, adorationibus colit, nec veretur diſtantis confiteri excellentiam: quia in diſtantem non conſueuit armare inuidiam.

Notauit hoc Apuleius libro de Deo Socratis 213.

agens de luna ſoli proxima, & ab eo diſtanti: *Varia ignium facie*, inquit, *quantò longius abeſt à* Apuleius.

Sole, tanto largius illuminata pari incremento itineris & luminis. Prodeſt Lunæ ad ſplendendum diſtantia, & nebulas quodammodo offundit illi præſentia. Angelus, dum Gedeonem alloquitur, habetur nuntius humanus; cùm diſcedit, iam nuntius celebratur ſupernus.

§. LI.

Quod nos Domino reconciliat, felicitate & ſalute donat.

QVisquis felicitatem ſuſpirat, impedimen- 214.

ta felicitatis depellat: nec enim placida poterit quiete gaudere, qui ſibi Principem agnoſcit iratum: tunc ſolùm pectore foueri poteſt lætitia, cùm inter ſeruum, & dominum indignationis inueniri nequiuit cauſa: felicitatis teſſera eſt Principem habere propitium, vt ſumma calamitas pati offenſum. Quod ſi in humanis rebus hæc ſunt indubia, in cæleſtibus ſunt certiora: qui Deum ſortitur inimicum, nullum pacis, aut veræ quietis potietur commodum: tunc ſolum arridebit proſperitas cùm depulſa indignationis cauſa Numinis inceperit fauere benignitas. Ipſum, quod nos reconciliat Deo fulcit ſalutem, & firmat felicitatem. En Deus deſtructa Baalis ara iubet altare erigi, & holocauſta Numini conſecrari. *Ædificauit Gedeon altare Domino, vocauitque illud Domini pax vſque in præſentem diem*. Dum Gedeon populo profutura diſcupit, eius Deus ſtudium fouens, aram ſibi conſecrari præcepit, vt obſequij gratiam augeret. Vt repetere poſſit Caſſiodorus, Caſſiodor. *Obedientia virtutum cumulus.*

quod aiebat 3. variar. 26. *Quamuis prudentia tua ſit, vtilitati publicæ deputatis ferre præſidium; tamen admonitio noſtra ſe cumulat, vt ſecurius fiat, vbi ſe reuerentia noſtræ iuſſionis accommodat*. Altare conſtituit Gedeon publicis vtilitatibus conſulens, & præcipienti Numini parens, & cùm altare conſtituit ad pacem Domini conciliandam, iam feliciſſimis auſpiciis promittit ſibi victoriam. *Pax*, ſcribit Abulenſis quæſt. 31. Abulenſ.

ſignificat tranquillitatem & ſecuritatem à malis: & eſt ſenſus, quòd nullum malum eueniret Gedeoni. Iam Gedeon dum pacem cum Domino init, calamitatem prorſus depellit, & altare Numini

Digitized by Google

conſecratum illi erat arx ad hoſtiles adſultus eludendos,& ad triumphos reportandos.

215. Cùm Hebræorum populus tyrannica lege veluti obſidione validiſſima premeretur, natus eſt Moyſes gratiarum manibus factus, & ad pulchritudinis commendationem totus excultus; parentes non ſolùm naturæ;ſed etiam formæ eloquentia perſuaſi quævis deuorare pericula ſunt aggreſſi: puerum menſibus tribus abſcondunt; verùm cùm iam infans ipſe, quia non didicerat timere, ſe non vereretur vagitu prodere,fluentis committunt,& capſula prouidenter componunt: eo tempore Principis filia ſe foras proruperat, & leuandi animi cauſa ad fluuium cum famulabus deſcenderat: plures per crepidinem aluei gradiebantur;ſed non ſic diſerta fœmina oblectamento incumbebat, vt ſubditi pueruli non ſubueniret periculo, & præ cæteris perſpicacibus oculis videret naufragium: *Puella eius gradiebantur per crepidinem aluei,quæ cùm vidiſſet fiſcellam in papyrione, miſit vnam è famulabus ſuis.* Exod.2.v.5. O virilem Principibus eruditionem! In ipſo otio miſeris tenentur conſulere, & ſubiectorum periculis prouidere: fœmina Principis filia citò vidit, & viſu periculum depulit: capſulam adaperiens infantem elegantiſſimum eſt contuita: quem de Hebræis eſſe non dubitauit, quia ex ſigno circumciſionis agnouit: *De infantibus Hebræorum eſt hic.* Theodor. Audi Theodoretum quæſtione 3. in Exodum: *Ex Circumciſione cognouit illud.* Verùm non facilis modò contra parentes inſurgit quæſtio: cur ſcilicet filium geſtiuerint circumcidere, cùm deſideraſſent celare. Certè ſi non circumciſus, à lege videri potuit exemptus, quandoquidem Ægyptiorum maſculi lege illa non mulctabantur, nec liqueret an Moyſes fluentis traditus ab Ægyptiis vel ab Hebræis fuerit progenitus. Ergo filium parentes non circumcidant,quò periculum ſecuriùs auertant. Ergo vt auertant periculum, imprimunt circumciſionis ſignaculum: erat circumciſio fœderis inter Deum & homines teſſera,erat reconciliationis certiſſima nota dicente Domino ad Abrahamum: Gen.17. v.10. *Hoc eſt pactum meum, quod obſeruabitis inter me,& vos,& ſemen tuum poſt te: circumcidetur ex vobis omne maſculinum, & circumcidetis carnem præputij veſtri,vt ſit in ſignum fœderis inter me & vos.* Ergo parentes dum reconciliari Domino ſatagunt, thronum puero diſponunt: fors confuſis fluctibus periiſſet,niſi reconciliationis teſſeram reportaſſet; at dum fluenta Dei calcat amicus,omni periculo inuenitur ſeruatus. Huc voco quod aiebat Euſebius apud Lyppomanum: *Seruatus eſt igitur Moyſes per ſymbola communis ſalutis.* Ipſa obſeruatæ legis ſymbola felicitatis fuerunt exordia: & qui videbatur fluctuum periturus naufragio, per fluctus acceſſit throno.

216. Tertullianus libro de pœnitentia capite 1. communem diluuij ſtragem arbitratur ob pœnitentiæ carentiam accidiſſe: qui in arcam ingreſſi ſunt,per lignum,quod nos Deo reconciliauit, calamitatem euaſerunt, & creaturarum dominium ſibi iterum inſtaurarunt. Gen.9.v.1. *Benedixit Deus Noe, & filiis eius, & ait ad eos: Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ.* Qui in ligno reconciliationis cum Deo ſymbolo ferebantur,felicitatem adepti in integrum reſtituti ſunt;at reliqui cùm nihil haberent, quod illos Deo coniungeret, & eius indignationem ſopiret, miſeram ſuſtinuerunt procellam,& immaturè finierunt vitam. *Itaque vniuerſam vitæ conſeruationem*(verba ſunt Septimij) Tertull. *ſine gubernaculo rationis transfretantes imminentem ſæculo procellam vitare non norunt.* Perierunt, qui reconciliationis abiecerunt remedium; qui eo vſi, feliciter euaſerunt naufragium:vt ſi felicitatis, ſalutiſque ſitienter diſcupis incrementa, quæras reconciliationis auxilia.

217. Zachæus publicanorum Princeps opulentus & diues Dominum ſuſcepit hoſpitio, & obſequioſam præſtans illi ſeruiturem, lucratus eſt ſibi felicitatem: teſtatur Dominus: *Hodie ſalus domui huic facta eſt.* Luca 19. v.9. Profectò domus videbatur anteà exundare proſperitate & ſalute: & quid Zachæo deſit,cui copioſum aurum, & publicanorum imperium: ſi modò ſalus fit,ergo anteà non erat: & quid modò ſalutem inuexit, & proſperitatem adduxit? Subiecit textus: *Eo quòd & ipſe filius ſit Abrahæ.* Quouſque Zachæus inter Abrahæ filios eſt recenſitus,felicitate, ſed perſonata, fuit vſus: modò incipit ſolidam obtinere ſalutem: quia meruit modo diuinam propitiationem: & quidem veram permanſuramque felicitatem nec nobilitas potuit dare, nec diuitiarum copia fulcire: *Salus*,ſcribit Beda apud D.Thomam, Beda. *quæ olim Iudæorum domos implebat, hodie populo nationum illuxit, eo quod & ipſe populus filius ſit Abrahæ credendo in Deum.* Virtus, quæ Zachæum Domino conciliauit,domui,ac familiæ eius ſalutem, & felicitatem veram parturiuit: & quam dare non poterant euanida ſæculi commoda, adduxerunt feliciſſima cum Domino fœdera.

218. Pincernarum Princeps vitem ſpectat vuarum feraciſſimam, quas in Pharaonis calice expreſſas offert,& iam optimus coniector vicinam felicitatem prædicit: *Recordabitur Pharao miniſterij tui, & reſtituet te in gradum priſtinum, dabiſque ei calicem iuxta officium tuum, ſicut ante facere conſueueras.* Gen.40. v.13. Hugo. Hugo Charenſis in vite agnoſcit Chriſtum, ad quem peccator conuertitur: *Vitis Chriſtus eſt Ioannis 15. Ego ſum vitis vera,hanc vidit gentilis ad fidem conuerſus.* Dum gentilis ad fidem conuerſus Domino reconciliatur, felicitatem iam exorditur: idem fuit virtutem amplecti, & ſibi fortunam proſperam conciliare;at piſtorum magiſter dum vanitatem ſectatur, vitam & diuitias amiſit, vt liqueat omnibus eſſe quod nos reconciliat Deo, fœcundam ſalutis venam, & Numini offenſos calamitatum vrgere copiam: viris Chriſtus dum oculos allicit, dum manus ad opera honeſta impellit,imbres felicitatum effundit. Antiquo honori reſtitutus lætatur, qui iucundis lachrymis pœnitentiæ perfunditur, & dolore ſalubri vigeruit. Gedeon aram conſecrat, illamque pacem appellat: *Domini pax:* & cum pacem cum Deo ſortitur, hoſtes innumeros non veretur,imò hoſtium numerus excreuit ad gloriam,& Gedeonis tranſmiſit ſæculis famam.

§. LII.

Digitized by Google

§. LII.

Nonnulli ſibi adulantur in futurum ſpebus, quò liberiùs modo deſœdentur criminibus.

Senec.

Omniū vita ſpectat in craſtinum.

219\. MVltos inuenies, qui non viuunt; ſed victuri, & hoc in criminis auxilium proponunt: ſperant de ſe optima, diſponunt in poſterum exercendas virtutes; cùm tamen noxias amauerint prauitates: oſtentant fiduciam; ſed cum ipſa fiducia componunt appetitus inſaniam. Quàm bene Seneca epiſtol.45. *Oſtendas omnibus magno temporis impendio quæri ſupernacua, & multos tranſiſſe vitam, dum vitæ inſtrumenta conquirunt, recognoſce ſingulos, conſidera vniuerſos: nullius non vita ſpectat in craſtinum. Quid in hoc ſit mali, quæris: infinitum: non enim viuunt; ſed victuri ſunt: omnia differunt.* Quia honeſtatem proſequi odio non poſſunt, differunt tædio: in ſuffragium temeritatis ſpem vocant, & vt procaciùs delinquant, ſe ad meliora tranſituros ſperant. Itaque ipſum antidotum deteſtabili peritia in venenum conuertunt. Ecce Ioas ipſo nomine profert confidentiam: *Ioas*, inquit Hugo Cardinalis, *interpretatur ſperans.* Audis ſperantem, recognoſce delinquentem. Filium eius Gedeonem iubet Deus patris ſui aram Baal dicatam euertere, eoque tauro vti ad excidium, qui à Ioas nutriebatur ad holocauſtum: *Tolle taurum patris tui, & alterum taurum annorum ſeptem, deſtrueſque aram Baal, quæ eſt patris tui, & nemus, quod circa aram eſt, ſuccide.* Ioas ſperabat, & delinquebat, & fortè ipſam ſpem ad criminis detorquebat fomentum, & ad delicti ſtultum ſolatium. *Iſta ara*, ſcribit Abulenſis quæſtione 34. *erat Ioas patris Gedeonis; hoc autem quia fortè ipſe eam conſtruxerat.* Sperabat, & aras dæmoni conſtruebat, & vt præſens tempus profunderet, ſibi promittebat bene collocare futurum: *Etiamſi attenderemus*, aiebat citatus Seneca; *tamen nos vita præcurreret; nunc verò cunctantes quaſi aliena tranſcurrit, & vltimo die finitur, omnis perit.* Perit vita, dum abuſi nos fallimus confidentia, quæ non ſemel detorquetur ad criminis ſuppetias ferendas, & virtutes expugnandas.

Abulenſ.

Seneca. *Vita noſtra quaſi aliena nos fugit.*

210\. Ad Galat. 2.v.20.

Apoſtolus homines exemplo ſuo inſtituens & erudiens ſic ad Galatas ſcribens aiebat: *Viuo iam non ego; viuit verò in me Chriſtus.* Preme illud *iam*: quaſi dicat: Non mihi impono ſolis ſpebus deluſus; ſed honeſtis facinoribus conſectatus: non differo in poſterum, nec tamquam ſemper victurus viuo, non eorum more, quibus ſua fragilitas nunquam ſuccurrit, qui obſeruant nunquam quantum iam vitæ tempus fuerit elapſum; ſed velut ex pleno & abundanti profundunt, cùm interim ille ipſe dies quo longiora ſibi ſpatia promittunt, vltimus & extremus ſit. Non ego ita; ſed ſpem factis ſuffulcio, & in operum honeſtum fomitem voco. Iam mortuus ſum mundo, vt viuam cælo; nec ex illis ſum, qui ſibi promittunt in extremo vitæ tempore victuros ſe cælo, quò liberius & effrænatius vixerint mundo. Adeſt Bernardus in allegor. Tilmani: *Felix mors, quæ ſic alienum ſeruat ab hoc ſæculo; ſed neceſſe eſt, vt qui non viuit in ſe, viuat Chriſtus in illo: & hoc eſt, quod ait Apoſtolus; Viuo autem iam non ego. Ac ſi diceret: Ad alia quidem omnia mortuus ſum: non ſentio, non attendo, non curo; ſi quæ verò ſunt Chriſti, hæc viuum inueniunt & paratum.* Multis arduum eſt illud *iam* Apoſtoli: promittunt namque ſibi Apoſtolicam perfectionem, Angelicam vitam, à curis omnibus vacationem; non tamen audent illud *iam* annectere; ſed volunt in futurum diſponere: renuntiare ſæculo volunt; ſed à quinquageſimo, aut ſexageſimo anno, nec pudet illos ſibi ipſis vitæ reliquias reſeruare, & id ſolum bonæ menti deſtinare tempus, quod in nullam rem conferri poſſit. Tunc viuere volunt incipere, cùm deſinendum eſt. O ſtultam mortalitatis obliuionem: ad id vſque tempus ſana differuntur conſilia, ad quod paucorum peruenit vita.

Bernard.

Hanc cæcitatem fortiſſimus ille Samſon incurrit, & iure ſoluit: poſt multa doloſæ fraudis, muliebriſque malitiæ argumenta non timuit; ſed ſecretum imprudentiſſime reſerauit: *Dalila dormire eum fecit ſuper genua ſua, & in ſinu ſuo reclinare caput, vocauitque tonſorem, & raſit ſeptem crines eius, & cœpit abigere eum, & à ſe repellere:* Samſon catenis innexus de libertate præſumpſit, & ſe diſrupturum vincula, cùm iam non poterat, ſpopondit: *De ſomno conſurgens dixit in animo ſuo: Egrediar ſicut ante feci, & me excutiam.* Ecce non renuit vinculis illigari, imò conſuluit ipſe ligaturis conſtringi, de futura vinculorum diſſolutione non dubius, & ſecuritate falſus: ſi dubitaſſet, ſi futuram victoriam non adeò certè ſibi promiſiſſet, forſitan maiori ſolertia vitaſſet periculum, & fugeret detrimentum; at vti cæcus non renuit duris conſtringi compedibus: quia futuris ſibi mentitus; adulatuſque eſt promiſſionibus: *Egrediar ſcilicet à vinculis*, ſcribit Lyra, *ipſi enim ligauerat ipſum ad experiendum certitudinaliter, ſi raſo capite poſſet vincula rumpere, quod cum non poſſet, Philiſthæi inuaſerunt eum ſecuri.* Ni ipſe pro certo haberet illud egrediar, illud *me excutiam*; curaſſet diſcriminis occaſionem vitare, ſibique conſulere; at dum cæcus in poſterum de vinculis promiſit ſibi victoriam, duram ſuſtinuit catenam: *Captus animus*, ſcribit Gregorius apud Gloſſam, *per exteriora deſideria vagatur*: ſimul coniunxit liberè vagari, & ſtrictè premi; ſed premi de præſenti, & vagari de futuro: per deſideria liber vagatur; ſed vinculis captiuus tenetur. O vtinam vnicus Samſon oculos amiſiſſet; at plures ſunt qui eius exemplo cæcutiunt, & ſupplicio non ſapiunt: manus vinculis tradunt, colla catenis innectunt, & captiuitatem ſuam firmant, dum in poſterum libertatem ſperant. 221.

Iudic. 16. v.20.

Lyra.

Tertullianus de pœnitentia capite 7. timens ne ipſo remedio laboretur, & ad peccandum anſa capiatur, ſic ait: *Hucuſque Chriſte Domine, de pœnitentia diſciplina ſeruis tuis diſcere vel audire contingat, quouſque etiam delinquere non oportet audientibus, vt nihil iam de pœnitentia nouerint, nihil eius requirant: piget ſecundæ; imò iam vltimæ ſpei ſubtexere mentionem, ne retractantes de reſiduo auxilio pœnitendi ſpatium adhuc delinquendi demonſtrare videantur.* Subnectit opportunè: *Abſit vt aliquis ita interpretetur, quaſi eo ſibi etiam nunc pateat ad delinquendum, quia patet ad pœnitendum, & redundantia clementiæ cæleſtis libidinem faciat humanæ temeritatis.* Humana 222.

Tertull.

mana temeritas non ſemel fouetur, quo debuiſſet prorſus fræuari, & inardeſcit, quo debuiſſet extingui: ipſa Numinis clementia detorquetur ad perpetrandum peccata, adeóque obdureſcimus, vt audacter inuolemus ad culpam, quia incertam nobis in futurum promittimus pœnitentiam. Iam has diabolici furoris technas, & ſubdolas technarum fallacias depinxit Matthæus, dum Chriſtum Dominum ad noſtram eruditionem cum diabolo depingit congredientem, & detriumphantem.

223. Diabolus cum ſubdolo aſtu acceſſiſſet in panem lapides verti conſulens, tentationis expectatione fruſtratus eſt; verùm non deſtitit; ſed quia victus, acriùs ad ſpeciem pugnauit; ſtatuto ſupra pinnaculum templi Domino ſic aiebat: *Mitte te deorſum: ſcriptum eſt enim: quia Angelis ſuis mandauit de te, & in manibus tollent te.* Ecce præſentaneum conſulit præcipitium, & ad præcipitium ſuadendum, futurum promittit Angelorum ſuffragium: *In manibus*, inquit, *tollent te*; ſanè tuentem, & temerè per aëra volitantem: de futuro auxilio tentationem adornat, & lapſus ſuffulcit ſpebus: quaſi facilè poſteà poſſit reparari, quod audacter modò conſtat moliri: *In manibus tollent te*, & ob id non eſt cur verearis te deorſum mittere, & gloriam tuam tibi ſuadenti parere. Quid tunc Dominus? *Non tentabis Dominum Deum tuum*: vt iam declararet apertiſſimam hanc eſſe dæmonis tentationem, & ſolùm affectarè cæcis coloratam exiſtere fraudem. *De Scripturis ipſis diuinis laqueum fidelibus parat*, ſcribit Ambroſius apud D.Thomam: *vtitur teſtimoniis Scripturarum, non vt doceat; ſed vt fallat: vnde ſequitur: Scriptum eſt enim, quia Angelis ſuis mandauit de te, &c.* Ecce vt ad ruinam impellat, promittit Angelorum cuſtodiam, & de ipſo auxilio diuino ſatagit conciliare homini ſcandalum. O! diaboli conſilium auerſare, Septimij iam citati admonitionem amplectere: *Habes iam*, inquit, *quod non merebaris: amiſiſti enim, quod acceperas, ſi tibi indulgentia Domini accommodat, vnde reſtituas, quod amiſeras: iterato beneficio gratus eſto.*

Matthæi 4. v.6.

Ambroſ.

§. LIII.

Qui vitia oppugnare aggreditur, prouida contra pericula defenſione muniatur.

224. Caſſiod. *Proxima eſt pronectibus ſemper inuidia.*

P*Ronectibus quidem proxima eſt indubitanter inuidia*, aiebat Caſſiodorus 10. variar. 11. *ſed tolerantia melius vincitur, quæ contentione ſemper augetur: ſupra cæteras enim virtutes amicam ſapientibus ama patientiam; erectus ex nobis ſuſtinendo potiùs quàm vindicando laudaberis: iam vince.* Inuidia virtutis ac felicitatis vmbra obſcurare nititur, quas refulgere miratur: nunquam tentat imitari laudanda; ſed perſequi ſibi odioſa: ad conſeruandam ſine inimicis fortunam alia & excellentiori fortuna eſt opus: quia dum cæca furit ambitio, ſibi dolet quodammodò ereptum, quod aliis ad gloriam cognouerit applicatum; verùm etſi aliquando virtute ornatus & felicitate conſpicuus captioſas poſſit, quod arduum eſt, aduerſantium technas effugere, qui vitia perſequitur, cogitur ſemper ſubire. Solerti ſtudio muniri indiget, & aduerſus pericula armari quiſquis decreuit impietati ac vitio bellum inferre: nam cùm plurimos ſortiatur patronos, quiſque laborat pro viribus illatam vindicare iniuriam, & ſecuram vitio exhibere tutelam: patientia neceſſaria eſt ſcandala deleri cupienti: quia vndique confuſis impetetur turbinibus, & niſi prouidentiæ anchora fundatus, acriter adſpirantibus ventorum agitabitur flatibus. Gedeonem iubet Deus Baal aram euertere, nemuſque ſuccidere: *Deſtrue aram Baal, quæ eſt patris tui, & nemus quod circa aram eſt, ſuccide.* Quid tunc? Decem viros eximiæ fortitudinis vocat, & obſecuturus feſtinat: *Aſſumptis ergo Gedeon decem viris de ſeruis ſuis, fecit ſicut præceperat ei Dominus.* Quærit Hugo Cardinalis cur decem elegerit viros: reſpondetque ad defenſionem ſui prouidenti conſilio elegiſſe, & aduerſus quæ iam coniiciebat pericula, armaſſe. *Aſſumptis igitur decem viris, qui defenderent eum, ſi opus eſſet.* Inſurgebat in figmenta, tollebat ſcandala, & vti prudentiſſimus quæſiuit auxilium, quia præuidit à ſuis inferendum ſibi bellum: cum vnico ſocio ad hoſtilia caſtra deſcendit: decem viris munitus eſt, cùm aram euertere Baalis tentauit, quaſi grauius vrgeat periculum ſcandala debellantem, quàm exercitus hoſtium adeuntem. O quanta obiiciuntur crimina criminum expunctori, quàm fictitiæ parantur inſidiæ, quàm manufactæ colorantur calumniæ! Ferrum minatur vitæ, maliloquium derogat famæ: nihil eſt à diſcrimine tutum, & ob id Zelotypus ad patientiam poteſt confugere, & ſibi patronos iam prouidere.

Hugo.

Sponſus virtutum Sponſæ oblectatus fragrantia aiebat: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij.* Iterum progreſſiones eius examinans luci comparat, & iam aciebus ornatam nuntiat: *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa, & Sol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata?* Quæres cur dum rectitudinem eius ac fragrantiam deprædicat, armis munitam non dixerit, & cùm luci comparat, denuntiant? Ibi aiebat veluti in admirationem raptus: *Aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi*; non tamen addidit: terribilis vt caſtrorum acies; at arma protulit, cùm auroræ micanti iubari comparauit: *Quaſi aurora conſurgens, caſtrorum acies ordinata.* Ecqua diſcriminis ratio eſt? An quia inuidia non adeò rabidè inſidiatur aſcendenti, vt progreſſionibus altiora dignè occupanti. Dum aſcendere incepit, & deſertum quodammodo inhabitauit, inuidiæ in ſe non concitauit furorem, rabiem non inflammauit; at dum celſior lucet, dum altiora occupat, dum ſingularitate rutilat, iam opus eſt ordinatis aciebus defendi, & vndique armis circummuniri. Aurora ſingulariter lucet, Luna vnica ſplendet, Sol alium non patitur: ergo dum ſingularitatem affectat, opus eſt inſidias multorum ſubeat. Benè; ſed inſtituto noſtro locum adaptemus. Dum virga fragrans aſcendit, aliorum vitia non carpit; at dum auroræ imitatur ingenium, tenebras excutit, caliginem noctis euincit. Sole exoriente tortuoſus coluber antra petit, & replicatis orbibus latet: ergo dum fugat feras, dum depellit vmbras, tot iam aduerſarios ſortitur, vt ordinatis aciebus prouidenter armetur. Adeſt Balduinus in allegor. Tilmani: *Aurora finis eſt noctis, &* 225.

Balduin.

Digitized by Google

& initium lucis; nox autem vitam peccatoris, lux
ſignificat vitam iuſti: aurora ergo fugat tenebras,
& lucem nuntiat Dum aduerſatur tenebris, dum
ſceleribus contradicit, in bellum iam proui-
dentet armatur: quia quamuis virtute flagrans
ſæuos non ſuſtinuerit hoſtes, tenebrarum ini-
mica hoſtiles patietur acies. Quiſquis diſcripit
peccatorum tenebras illuſtrare, varia cogitur
pericula ſuſtinere.

226. Moyſes in ipſo peccatorum emporio cole-
bat virtutem, & ipſa Ægyptiaca in curia, quod
rariſſimum eſt, honeſtatis fuſcabat nullatenus
ſplendorem: hoc in ſtatu non erat tyranno
inuiſus, nec aulicos offendebat odioſus, verùm
cùm quadam die ad inuiſendos fratres exiret,
& truciſſimam belluam hominis facie ad perni-
ciem hominum notam, Hebræum diuexantem
vidiſſet, zelo inflammatus interemit, fas eſſe
ratus de medio tollere iuſtis aduerſantem, &
Exod.2.v.12 Dei cultores prementem: *Percuſſum Ægy-*
ptium abſcondit ſabulo. Ægyptij interitus eos in
Moyſem fluctus odij ac furoris exciuit, vt
opus fuerit prouidam arripere fugam, & deſ-
pexiſſe coronam: *Audiuit Pharao ſermonem*
hunc, & quærebat occidere Moyſem. qui fugiens de
conſpectu eius moratus eſt in terra Madian. Mira
res hominem in palatio innutritum, & in re-
gem adoptatum ob homunctionis necem eo
timore concuti, vt fugeret, & ſe in tuta recepe-
rit non ignauè; ſed prouidè. Et cur Pharao in-
ſano adeò odio ſufflammetur, qui anteà Moyſis
virtutibus non ita exaſperabatur? Facilis ſolu-
tio: quia Moyſes iam tollebat virtutis ſcan-
dala, iam zelo iuſtitiæ armabatur in vitia: ergo
dum zelator curat, Pharaonem exaſperat. Adeſt
Euſeb. Euſebius apud Lyppomanum. Interfecit Moy-
ſes Ægyptium, non furori cedens, neque ira
exaſperatus; ſed zelo erga Deum inductus; cæ-
terum quidquid in gratiam Dei fit, pietas ac
religio eſt. Ecce religionis zelotypus; vitiorum
oſor fuga ſibi conſulit, quia iam iniquorum
iram timet: facilè quis propriæ ſtudere ſtude-
re virtuti permittitur; at ſi in aliena inuehatur
vitia, multorum in ſe concitabit odia.

227. Diſcipulis cum tempeſtate deprælian̄tibus
apparet Dominus per marinos fluctus ince-
dens: Petrus vt erat feruentior, petiit inceſſus
Dominicos imitari, & oratione ſortitur, quod
Matt.14.v.9 naturæ legibus negabatur: *Deſcendens Petrus*
de nauicula ambulabat ſuper aquam, vt veniret ad
Ieſum. Vento exagitatur tantiſper; non tamen
veluti martyrio cinctus ac præparatus in maris
vndas deſcendit. Videamus qualiter ſe geſſe-
rit, dum præcepto Dominico parens rete com-
mittit fluctibus, & de cœno extractis magnis
Ioan.21.v.6. exundat ſagena piſcibus: *Dicit eis: Mittite in*
dextram nauigij rete, & inuenietis. Miſerunt ergo,
& iam non valebant illud trahere præ multitudi-
ne piſcium. Quid tunc? Petrus ſe arctè præcin-
git, & ad magiſtrum contendit: *Tunica ſuc-*
cinxit ſe: erat enim nudus, & miſit ſe in mare.
Cinctus rete extrahit, & ad littoris ſoliditatem
perducit: *Aſcendit Simon Petrus & traxit rete*
in terram plenum magnis piſcibus. Inquiramus,
ſi placet, cur Euangeliſta tam accuratè hic Pe-
trum cingulo conſtrictum referat, cùm alibi
Chryſol. non ſine myſterio omittat. Chryſologus in
cingulo putat iam præparari ad martyrium, &
quaſi diſponi animo ad ſufferendum tormen-
tum. Audi eius verba ſermone 78. Tunica ſe
præcinxit qui præcingendus erat martyrij paſ-
ſione dicente Domino: Alius te præcinget, &
ducet quo tu non vis. Itaque iam exorditur
martyrium, & prænuntiat infligendum tormen-
tum. Et quare? Iam Chryſologus ſubdit: *Vt*
eccleſiam ſæculi iactatam procellis, & eos, quos
Euangelico rete ad ſupernam lucem rapiunt, &
eleuant de profundo, ad Dominum ſecum fideli
labore perducant. Cùm ipſe vndas calcare, ſæcu-
lum deſpicere ſtuduit: præcinctus non refertur;
at cùm magnos piſces de antiquis ſordibus
molitur extrahere, cùm extractos adlaborat ad
ſoliditatem littoris ducere, iam arctiſſimo di-
uexatur cingulo, & peruerſorum affligitur odiò.
Nunquam ſine magnis laboribus de cœnoſo
luto piſcis præcipuè magnus auellitur: quia fe-
licitati propriæ inuidens pertinax, & cæcus re-
nititur.

Hanc fortaſſe veritatem, etſi liuoris penicil- 228.
lo, expreſſit optimè diues ille, qui aquæ ſtillam
conſanguinitatis iure exigebat in inferno: non
potuit obtinere titulo cognationis, quod me-
rito ſolùm debebatur virtutis, verùm vt non
minus deſæuiat in Lazarum, ad fratres ſuos
purpuratos quidem, & diuitiis opulentos mo-
litur remittere: *Rogo te pater, vt mittas eum* Luc.16.v.27
in domum patris mei: habeo enim quinque fra-
tres, vt teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc Chryſol.
locum tormentorum. Chryſologus pietatis larua
obtectum inardeſcere docet odium: nec mo-
ueri fraternæ ſalutis deſiderio; ſed eximiè diſ-
cruciandi Lazari ſtudio: *Sub ſpecie pietatis*, ſcri-
bit ſermone 23. *ad priſtina vulnera, ad præteri-*
tos gemitus Lazarum vult redire, quem prima pe-
titione ad ſuos denocare non potuit cruciatus. Antè
dixit: *Mitte ad me*; modò dicit: *Mitte ad fra-*
tres meos. Vult potentium crimina carpat, &
ſeuerus corrigat: quia ſcit tot tantiſque labo-
rum fluctibus exagitandum, vt gemitus anti-
quos repetat, & iterato deſpectus ſubeat. Ma-
gna tutela opus eſt in ſcandala inuecto, & in
crimina piè irato. Ergo ſapienter Gedeon ad
ſui defenſionem ſocios procurat, cùm ad ſcan-
dala abolenda de Domini imperio properat.

---

§. LIV.

Dei Honoris Zelotypus vitij arma in vir-
tutis vertet auxilia: quia non ſemel
improbus virtutum auxilia in vitio-
rum conuertit arma.

NObilis virtutum alumnus pro virtute cer- 229.
tat, & dextera manu vitium non ſemel ob-
truncat: ſtat in acie contra improuiſos cupidi-
tatum adſultus, adeóque animosè congreditur;
vt hoſtilis & callida aſtutia, & aſtura calliditas
ad decertantis gloriam vincatur. *Vis*, aiebat
Tertullianus lib. de ſpectaculis cap. 29. *& pugi-* Tertullian.
latus, & luctatus? præſtò ſunt non pauca; ſed mul-
ta. Aſpice impudicitiam deiectam à caſtitate, per-
fidiam cæſam à fide, ſæuitiam à miſericordia con-
tuſam, petulantiam à modeſtia adumbratam: &
tales ſunt apud nos agones, in quibus ipſi coronà-
mur. Vis autem & ſanguinis aliquid? Habes
Chriſti. Glorioſum & ſæculis celebrandum
certamen, in quo impudicitia luget à caſtitate
deiecta, perfidia à fide excluditur ſuperata; ſæ-
uitia

titia à charitate contuſa. O quàm iucundum eſt ſapienti ipſius voluptatis faſtidium, quam dignum criminibus deuictis trophæum! Verùm etſi hæc ita ſint, tunc glorioſiùs pleniuſque vitium triumphatur, cùm eius arma virtuti inſeruire coguntur, & ad militandum pro virtute degenerantia nobiliter applicantur: nam tunc ipſa criminis inſtrumenta virtuti opitulantur auxilia. Hæc eſt cumulatæ victoriæ ſumma, hæc triumphi celebranda ſæculis gloria. Quod noſter textus apprimè edocet, cùm Gedeonis facinora refert. Iſraëlitæ quas ipſi ſibi peccando elaborabant, continuis afflicti cladibus premebantur: eo illorum amentia deuenerat, vt vero relicto Numine artis induſtriæ adorarent opera, & colerent ritibus deteſtandis figmenta; verùm Deus plus illorum calamitati compatiens, quàm in delinquentes indignatione excandeſcens ſæpè remedia prouidit, & virtutis patronos acerrimos excitauit: fuit inter alios Gedeon ſatis decantatus, & cognitus, quem Deus iuſſit Baalis aram euertere, & euerſionis inſtrumenta præſcripſit: *Tolle taurum patris tui, & alterum taurum annorum ſeptem, deſtrueſque aram Baal, quæ eſt patris tui, & nemus quod circa aram eſt, ſuccide.* Interpretes quibus fuerint hi tauri vſibus applicati interrogant, reſpondentque fuiſſe impio ſacrificio dicatos, ad idque ſolicita cura innutritos. Ita Caietanus: *Alebatur pro ſacrificio proſperitatis iuxta ſuperſtitiones ethnicorum.* Adſtipulatur Abulenſis quæſtione 33. *Tolle taurum patris tui, non quod non haberet pater ſuus niſi vnum taurum, ſiue bouem; ſed quia ille erat aliquis ſpecialis, ſeruatus ad aliquem vſum, ſcilicet ad idololatriam: & alterum taurum annorum ſeptem: iſte taurus erat totius populi, qui erat excellens & ſeruatus ad idololatriam.* Itaque cùm Gedeon fortiſſimi (ſic enim eum appellauerat Angelus: *Dominus tecum virorum fortiſſime*) elogium implet non ſolum Baalis euertit aram; ſed tauris ipſis idololatriæ dicatis vtitur ad reportandam de idololatria victoriam. Profectò quibus vti Princeps abundabat, non erat difficile bobus aliis euertiſſe aram, expunxiſſeque idololatriam; voluit tamen Deus tauris idolo dicatis ſuffodi, vt ipſa criminis inſtrumenta in religionis conuerterentur auxilia. Nec ſolùm altaris euerſio hoc nos edocuit; ſed ipſum ſacrificium, & ſacratis nutriendis ignibus pabulum demonſtrauit. Accipe quæ Dominus ſubdit: *Ædificabis altare Domino Deo tuo in ſummitate petræ huius, ſuper quam antè ſacrificium poſuiſti, tolleſque taurum ſecundum, & offeres holocauſtum ſuper ſtruem lignorum, quæ de nemore ſucciderts.* Dum ligna de ſucciſo nemore præſcribuntur, dum taurus impinguatus offertur, aliquid nobis arcanum latere innuitur. En taurus pinguiſſimus laboris inſcius delicatè ſemper ſaginatus anhelantibus petit flammis aduſtus: vt diſcas iniquorum non inuidere proſperitati; ſed attendere ſemper fini. Iam ſi aliorſum hæc volueris expendere ſacramenta, Dei admirare miſericordiam, qui taurum idololatriæ dicatum, & deliciis ſemper deditum glorioſo coronauit fine, & aris immolari voluit pro religione. Benè; ſed theſim noſtram proſequamur. Ecce ipſa ligna, quæ prætendebant turpiſſimæ libidini vmbras, iam ſacras innutriunt flammas: in virtutis caſtra tranſiuit, quidquid contra virtutem in aciebus criminis militauit. *Iſta ligna*, ſcribit Abulenſis quæſtione 37. *erant de nemore illo, quod erat apud altare Baal, & Gedeon debebat totum nemus ſuccidere, & cremare in holocauſto taurorum.* Non ſolùm idololatria luxit expuncta, armiſque denudata; ſed ad maiorem criminis ignominiam, quæ pro mendacio fuerant inſtrumenta, extiterunt contra mendacium clariſſima teſtimonia: ipſis expenſis, quibus idololatria ſibi parauerat ſacrificia, imprudenter aluit ingentiſſima detrimenta. Tauri idololatriæ dicati aram euerterunt, & idololatriam intrepidè proculcarunt. O quoties quod iniquis artibus procuratur, in procurantis diſcrimen vertitur!

Caietan. — Abulenſ. — Abulenſ.

Cùm Dominus quatriduanum Lazarum properaret excitaturus, lapidem iuſſit à circumſtantibus elocari: *Tollite lapidem.* Lapidem audis à monumento ſublatum; non tamen reuolutum; at cùm mortis infernorumque egregius detriumphator ſurrexit, lapis ab Angelo non ſolum elocatur; ſed etiam reuoluitur: *Angelus Domini deſcendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem, & ſedebat ſuper eum.* Quæres cur alibi dicatur ſublatus, & alibi ad thronum Angeli reuolutus? Verùm res ipſa dubitationi reſpondet: in Lazaro mors luxit deuicta; ſed in Domino glorioſiùs doluit triumphata: ergo ſi homo abſtulit, lapidem Spiritus cæleſtis reuoluit, vt non ſolùm vacuum appareret ſepulchrum; ſed vt ipſe lapis reuolutus, iam contra mortem infernumque exiſteret inſtrumentum. Adeſt Chryſologus ſermone 74 *Non dixit, voluit, ſed, reuoluit; reuoluit lapidem, qui aduolutus probauit mortem, & reuolutus extitit reſurrectionis aſſertor.* Ecce contra ipſam mortem mortis armis vtitur Angelus, & ad tanti triumphi illuſtriorem pompam, reuoluit contra pertinaces funeſtam petram. In Lazaro, quia non adeo anguſtus fuit triumphus, mors eſt depulſa; non tamen eius arma contra ipſam inueniuntur conuerſa; at Angelus vt clariorem Domini publicaret victoriam, non ſolum oſtendit ſepulchra vacua; ſed contra mortem mortis conijcitur auxilia.

230. Ioan. 11 v. 39 — Matt. 28. v. 2. — Chryſol.

Iam Euangeliſta vtrumque oſtendit, dum tenebras refert offuſas meridie, & lucem ſplendeſcere nocte: *A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram vſque ad horam nonam.* Vides malitiam candidiſſimum diem in teteras ac miſeras tenebras conuertiſſe, eoque proceſſiſſe ſceleris auſum, vt tempus dicatum luci inſeruire cogat caligini: *Tenebræ*, inquit, *factæ ſunt:* & à quo hæ tenebræ elaboratæ? Certè à virulentiſſimo Hebræorum liuore, dum cruce veluti candelabro poſitam extinxerunt ſplendidiſſimam lucem. Adeſt apud D. Thomam Origenes: *Sub Chriſto factæ ſunt tenebræ ſuper omnem Iudæam tribus horis, quoniam propter peccata ſua priuati ſunt à lumine Dei Patris, & a ſplendore Chriſti, & ab illuminatione Spiritus ſancti.* In prauitatis officina tempus dicatum lumini, deprauatum ſeruit caligini; & quod erat auxilium oculis, tempus fuit fomentum peccatis: ſpatia lucis facta ſunt tempora tenebrarum, & in cæcitatis conuertuntur auxilia, quæ contra cæcitatem obarmari debuiſſent tempora; verùm ne minus virtuti liceret, quàm impietati, Dominus à mortuis reſurgens immutat tempora, vt ſicut dies malitiæ artificio tranſierat in noctem, iam nox virtutis merito glorioſè degeneratit in diem. Accipe eumdem Euangeliſtam: *Veſpere autem Sabbathi quæ luceſcit in prima*

231. Matt. 27. v. 45. — Origen.

prima Sabbathi, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre ſepulchrum. Chryſologus, vt erat perſpicaci ingenij acumine ſerm. 75. notauit veſperam non illuceſcere; ſed lucem finire: quomodo ergo modò parturire dicitur lucem, quæ parere ſolitabat caliginem. Chryſol. Audi elegantiora Chryſologi verba: *Audiſtis Euangeliſtam dicentem: Veſpere Sabbathi, quæ luceſcit in prima Sabbathi. Quid hic intelligit humanus ſenſus? Quid hic humana ſapit ſapientia? Veſpera quæ luceſcit. Veſper finit, non inchoat diem, nec lucem parturit; ſed tenebras. Sed hic elementorum auctor elementorum vices mutat, vt in reſurrectione Domini totum diuinum ſentias, nihil humanum.* Pietas cum impietate certabat, & quia virulentiſſimus liuor tempus luci adſcriptum applicuerat caligini, virtus tempus dicatum caligini adſcripſit nouo ordine luci; vt quidquid anteà cæcitatis fuerat auxilium, iam conuerteretur in claritatis fomentum, quandoquidem de ingenio prauitatis, quod erat lucis fomentum, degenerauit tempus in tenebrarum auxilium.

---

§. LV.

Etiamſi Reſpublica extremis calamitatibus affligetur, vitio cultus expenſis ſumptuoſis præſtatur.

232. Seneca. *Nulla ætas vacat à culpa.* ERras mi Lucili, aiebat Seneca epiſtola 97. *ſi exiſtimas noſtri ſæculi eſſe vitium luxuriam, & negligentiam boni moris, & alia quæ obiicit ſuis quiſque temporibus: hominum ſunt iſta, non temporum: nulla ætas vacabit à culpa.* Vtinam iſta fuiſſent non hominum; ſed temporum nam cùm diuerſa tempora temporibus diuerſis ſuccedant, ſors non reperiretur in vno, quod lugebatur in altero; at cùm errores hominum ſint, nulla ætas vacauit à culpa, quia omnis ætas humanam tulit naturam; verùm vt hominum peruerſitatem, & in peccando obſtinationem mireris, ſibi aliquando deficient, ne vitiis deſint: mirum non eſt florenti fortuna, & arridenti proſperitate indulgere genio, mancipari què vitio; at tunc ſumptuoſis expenſis, ſolertiſſimiſque ſtudiis vitio libidinique obſequuntur cùm reſpublicæ concuſſæ ac debilitatæ miſerabili clade agitantur. Gedeonem iubet Deus Baalis aram euertere duobus tauris, altero parentis, populi altero: *Tolle taurum patris tui, & alterum taurum annorum ſeptem, deſtrueſque aram Baal, quæ eſt patris tui, & nemus, quod circa aram eſt, ſuccide.* Qualis hic alter taurus fuerit, quærunt interpretes, cuique ara vocetur Ioas, & alter illi adſcribatur taurus. Abulenſ. Abulenſis putat aram Ioas vocari, quia ipſi præbebat ſacrificiis expenſas, & taurum Baalis figmento conſecrarat. Accipe eius verba quæſtione trigeſimaquarta. *Iſta ara erat Ioas patris Gedeonis; hoc autem quia fortè ipſe eam conſtruxerat, vel in aliquo prædio ſuo erat, vel ipſe tribuebat impenſas ad ſacrificandum in ara illa.* Itaque ne ſacrificia idolo deficerent, Ioas impenſas exhibebat eo ipſo tempore quo Iſraëlitis nondum licebat viuere, nec vel herbas, quibus poſſent viuere, poſſidere. Audi textum: Cum ſeuiſſet Iſraël, aſcendebat Madian, & Amalec, cæterique orientalium nationum, & apud eos figentes tentoria, ſicut erant in herbis, cuncta vaſtabant, vſque ad introitum Gazæ, nihilque omnino ad vitam pertinens relinquebant in Iſraël, non oues, non boues, non aſinos. Rebus ferè omnibus ad vitæ alimentum pertinentibus deſtituti, lucifugæ, & montium cauernis clauſi, ne deeſſent ſacrificia, exhibebant impenſas, & qui fame luridi, inueniebantur ad crimina ſumptuoſi. Iam qualis alter taurus fuerit, exponit ipſe Abulenſis quæſtione trigeſimatertia: *Iſte taurus erat totius populi, qui erat excellens, & ſeruatus ad idololatriam, vt ait hiſtoria ſcholaſtica: & vocatur annorum ſeptem, quia ſeruatus fuerat magno tempore, vt impinguaretur nimis ad idololatriam.* Ipſi macti nec herbis adhuc victitantes, ipſi fame luridi taurum ſtudiosè impinguabant, nec ſine ſumptu nutriebant. O quàm ſolertiùs inuigilabant ad ſacrandi tauri cuſtodiam, quàm ad gregis proprij tutelam: vt videas quàm vera ſit noſtra theſis, ſcilicet in mediis inopiæ & calamitatis fluctibus non recuſare humanam cæcitatem ad vitia ſumptus, & vitam propriam præſcindere, ne deſinat, quod offerat vitiis habere.

Prodigus ille à patre ſeiunctus in eam deuenit calamitatem, vt ſorderet nudus, tabidus, ſitibundus, hoc ipſo tempore, quo à ſe diſceſſerat, quo defecerat ſibi ipſi, quo in vltimam deuenerat calamitatem, ad paſcendos porcos delegatur: *Poſtquam omnia conſummaſſet facta eſt fames valida in regione illa, & ipſe cœpit egere; & abiit, & adhæſit vni ciuium regionis illius, & miſit illum in villam ſuam, vt paſceret porcos.* Chryſologus qualis fuerit porcorum paſtus, perquirens teſtatur ſermone quinto pauiſſe dæmones pretioſo thure, pinguibus victimis, copioſo ſanguine: *Vt paſceret porcos, id eſt dæmones, qui dicunt Domino: ſi eiicis nos, mitte nos in porcos; vt paſceret dæmones thure, victimis, ſanguine.* Mirum Chryſologi ingenium; verùm præſenti materiæ non congruens: nam ſi omnia conſumpta, ſi prodigum fames adurgebat valida: vnde illi cenſus, vt Sabæa emeret thura, vt aras ſplendentibus pecudibus oneraret, & ſanguine copioſo perfunderet. Nil mirum ita dæmones paſceret, antequam in extremam adeò calamitatem veniret; iam verò inopia impeditus vnde habebat impenſas ad ſacrificia, & pecudes ad holocauſta? Iam Chryſologus reſponderat ſermone primo. Porcorum deficit & eſurit in ſaginam: ſibi deficit famis tormento diſcruciatus, vt luceat erga dæmones ſumptuoſus: non audis porcos eluiſſe: *Porci,* inquit, *manducabant*; at ipſe fame peribat: quia cæcus ſtudebat, vt indulgeret libidini propriæ defeciſſe ſaluti. 233. Lucæ 15. v. 14. Chryſol.

Notauit Tertullianus humanam ſalutem eis in rebus Dominum conſtituiſſe, quæ faciles & paratæ: *Euntes docete omnes gentes, iubet Apoſtolis, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Aqua vult intingi, vt morem Domino gerant, & obaudiant: qualiter verò idolis ſacrificarint, textum conſule, inueniesque obruiſſe victimas, conſtruxiſſe ſuperbas aras, profudiſſe aurum, quo execrandum 234. Matth 28. v. 19.

dum perfecerint ſacrilegium : *Surgentes mane*,
inquit de populo, *obtulerunt holocauſta, & ho-
ſtias pacificas.* Ecce qui pane ad ſufficientiam
tantum victitabant,qui carnes carnibus priuati
diſcupiebant, iam habent in medio deſerto-
rum, quas idolo offerant victimas, & carnium
quas profuderint copias. Quòd ſi quæras vtri-
Tertullian uſque rationem, reſpondebit Tertullianus lib.
de baptiſmo capite ſecundo idolorum ſolem-
nia,quia idolorum,ſplendidiſſimo ſemper ſum-
ptu peracta, humanæque ſalutis ſacramenta,
quo non ab hominibus reſpuerentur, ſumpti-
bus ſemper exigua: *Idolorum ſolemnia vel ar-
cana de ſuggeſtu, & apparatu, deque ſumptu fi-
dem & auctoritatem ſibi extruunt. Proh miſera
incredulitas, quæ denegat Deo proprietates ſuas
ſimplicitatem, & poteſtatem.* Deo denegatur vel
ad tinctionem aqua, offeruntur idolo ſum-
ptuoſiſſima ſacrificia: rident, & paruipendunt
homines in aquam deſcendere, cùm reſur-
gant ſine pompa, ſine apparatu, ſine ſumptu
mundiſſimi, & geſtiunt idolorum ritibus ma-
gno diſpendio fabuloſè initiari, & mendacio
ingenti ſumptu inſeruire : deſerto Iſraëlitæ
vagantur, taxata annona victitantes, gomor
ſcilicet per ſingula capita, quantum ſufficit ad
manducandum : carnibus carent;at vt ido-
lo ſeruiant victimis, & holocauſtis abun-
dant.

235. Vt Patres volunt, Balthaſar ab inimicis pre-
mebatur obſeſſus : cingebant hoſtes ciuita-
tem vrgentiſſima obſidione, & militum in-
numera multitudine, & cùm tempus vrge-
ret, Balthaſar diſſertiſſimis menſis, delicatiſſi-
mis vinis, & ſaporatiſſimis ferculis optima-
Daniel. 5. v. 1. tes recreat; imò blanditur pellicibus : *Bal-
thaſar rex fecit grande conuiuium optimatibus
ſuis mille :* ſacra vaſa inferuntur concubina-
rum contactu temeranda; imò viſu veluti te-
tris nebulis, ne ſplendeſcerent, impedimen-
da: *Bibebant in eis rex, optimates eius, vxores,
& concubinæ illius, bibebant vinum, & lauda-
bant deos ſuos aureos, & argenteos, æreos, & fer-
reos, &c.* in deorum honorem eis ſumptibus
conuiuium inſtruxit, vt potuerit videri ab ho-
ſtibus non obſeſſus; ſed reportatis triumphis
de hoſtibus coronatus : *Ebrietatis inſtrumen-
ta fecit diuini miniſterij inſtrumenta*, ſcribit
Theodor. Theodoretus oratione quinta, *præcepitque vt
quæ ſuam explebant laſciuiam, per hæc vino frue-
rentur.* Pellices infames impotenti eius libidi-
ni addictæ in tam calamitoſo tempore delica-
tis vinis, dapibuſque exundabant, & qui vitæ
ſuæ debuiſſet prouidere, maluit victimis in-
temperantiæ conſulere : vrgebant hoſtes, lu-
gebat ciuitas,ipſe improuidus Balthaſar, dum
arripere fugam detrectat, mortem impruden-
ter ſibi ſolicitat; verùm in tam difficili rerum
ſtatu maluit deficere ſibi prudenti; quàm ſibi
deficere intemperanti. Nihil defuit pellici-
bus, & propudioſis ſcortis:vt alerentur opipa-
rè,vt deliciarentur inſanè, vt inebriarentur in-
temperanter, quando & reipublicæ libertas
ingenti diſcrimine periclitabatur, & commu-
nis facultas impetebatur inſidiis, & diripieba-
tur ab aduerſariis. Mirabile dictu, omnes ci-
uitatis familiæ acerrimo concutiebantur ti-
more, & omnes iamiam diſpoliati lugebant li-
bertate, & in extremo adeo ciuitatis confli-
ctu opipare intemperantiæ apparabantur men-
ſæ,& à Balthaſare extra ſe prorſus acto ſolicitè
quærebantur delitiæ. Nullæ expenſæ inſa-
num prodigumque eius retardarunt animum,
cùm hoſtes totum populum munimine de-
ſtitutum opprimerent iam captiuum.

---

§. LVI.

*Hominem dæmones luxuriæ voluptate
ſubornant,vt ſemper captiuum ad
plura delicta trahant.*

EA eſt callida noſtri aduerſarij verſutia, 236.
verſuta prudentia, vt affectuum perſpi-
caciſſimus explorator his innectat hominem
quibus nouit fortiùs illigari, validiùs con-
ſtringi, firmiuſque teneri: vt piſces feræque
obiecto capiuntur oblectamento, & glutiunt
ſimul ferrum viſcera transfigens, & oblecta-
mentum palatum demulcens; ſic homines vo-
luptate allecti, luxuriaque ineſcati deuorant
quidquid voluptati iniectum, quidquid luxu-
riæ vicinum : *Voluptas bonum pecoris eſt*, aiebat Senec.
Seneca capite 92. Sed cùm homines cùm in *Voluptas*
honore eſſent, non intellexerint, ſeque ani- *brutorum bonum.*
mantibus exæquarint, illos vti pecora obie-
cta voluptate dæmon ad barathrum trahit,
& iam brutalis natura detrimentum ſuum
ardenter ſit, & ſolicite ſatis quærit. Itaque
noſter aduerſarius hominis amentiam volu-
ptate ſubornat, vt ſubornatam ad quam par-
tem maluerit, trahat. Ob id humanis mor-
bis mederi deſideranti curandum primò eſt
has voluptatis dulces fallacias, & charas de-
licias præcidere, vt intellectus ſibi reſtitutus
æquam poſſit ſententiam ferre : Deus Gedeo-
nem iubet Baalis aram ſuffodere, & vicinum
nemus præcidere: *Deſtrues aram Baal, quæ eſt
patris tui, & nemus, quod circa aram eſt, ſuc-
cide : & ædificabis altare Domino Deo tuo in
ſummitate petræ huius.* Et quid intererat ad euer-
tendam aram nemoris eradicatio, aut ſucci-
ſio? Plurimum ſanè, reſpondet Abulenſis Abulenſ.
quæſtione trigeſimaquarta, ibi enim homines
voluptati, luxuriæque vacabant; qua volupta-
te ſic trahebantur allecti, vt quoduis crimen
deuorarent cæciſſimi : *Erant ligna plantata
apud altare, & iſtud erat quaſi generale in alta-
ribus gentilium, quod apud illa plantarent ar-
bores denſas, vt expletis ſacrificiis vacarent li-
bidini inter illas arbores.* Deteſtanda illa ſacrifi-
cia ſolertiſſimè procurabant : quia ſacrificiis
peractis voluptatibus fœdiſſimis indulgebant:
ergo opus fuit has, quibus humana mens ineſ-
cabatur, exterminare delicias,vt reſpueret ſa-
crilegas vanitatis ineptias. *Quæ idololatriæ ſo-
lemnitas*, aiebat Tertullianus libro de idolola- Tertull.
tria cap. 1. *ſine ambitione cultus & ornatus? In
illa laſciuiæ & ebrietatis cùm plurimum, victus
& ventris, & libidinis cauſa frequentatur.* Ho-
mines, vt ventri ac libidini indulgerent, ar-
denter diſcupiebant idolorum ſolemnia re-
peti, & faſtu vaniſſimo celebrari. Illa ſolem-
nia architectati ſunt homines, quæ eorum
adularentur libidini, famularenturque volu-
ptati. Ergo præcidenda erat voluptas & libi-
do,vt Baalis ſolemnitates ceſſarent : nam ratio
voluptate

Digitized by Google

voluptate non adulterata æquam ſententiam fert pro veritate & virtute.

237. Balac plurima excogitat, quibus populi virtutem eneruet, & religionem euitet, aras montium iugis editiſſimas conſtruit, ſolemnitates inſtituit, ariolum ingenti pretio conducit: nec tamen votis excogitata reſpondent: *Non eſt augurium in Iacob, nec diuinatio in Iſrael.* Balaam cum maleficiis, figmentiſque nihil ſperaret prodeſſe, adiecit deteſtandum conſilium, ſcilicet vt ornatas pulchellaſque fœminas immitteret, quarum aſpectus homines allicerent, & iam libidine per oculos immiſſa ſubornatis, quoduis ſcelus facilè ſuaderent: quod & factum eſt: *Fornicatus eſt populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad ſacrificia ſua; at illi comederunt, & adorauerunt deos earum.* Nil profecerant dæmonis artes, nil idolorum cultus, nil arioli cæca cupiditas, quouſque ſeruam Hebræi rationem libidini tradiderunt voluptatibus ſubornati, & deliciis illecti; vt vbi Iſraëlitarum animos voluptas poſſedit, facilè à vera Numinis religione detruſit, auertitque. Nec his temporibus veternoſas illas artes oblitus eſt dæmon: ſerpentino aſtu homines inflammat, fœminas inſtigat, vtque homicidia, periuria, furta perpetrare non detrectauerint, deliciis voluptatis ſubornat. Tolle libidinem, & ſcelera cuncta ceſſabunt: tolle voluptatem, & virtutes grata ſemper viriditate florebunt: quouſque homines dæmon his illiciis ineſcatos habet, grauiora cautus perpetrare non iubet; at quem vidit voluptati deditum, libidinis captiuum, ad ſcelera vrget retro ſæculis inaudita, & ſuadet facillimè deteſtanda. En Dei populus nec arioli beneficiis, nec Balac doloſis artibus ad idololatriam potuit adduci, quouſque huius criminis proxeneta libido, dum delicias offert rationem aufert. Adeſt Oleaſter hic ad mores: *ſunt vitia quædam ſic colligata, vt quam primum vnum admittas, aliud te inuadere neceſſum ſit: trahit luxuria & libidinis ardor hominem ad omnia, quæ vult, etiamſi maxima vitia ſint & peccata.* Intemperantia ipſo, quo oblectat, dirè nocet, & inter appetitus adulationes, titillationeſque vitia alia diſſimulata introducit, & introductis hominem inſeruire compellit; adeoque obbruteſcit homo, vt ad à dæmonis votum expromptè imperanti pateat, ne voluptate deſtitutus per breue etiam interuallum lugeat. Eſt luxuria vitiorum mater, cauſa criminum, homicidij ars, furandi impulſus, ac denique quæuis patrandi ſcelera vehemens, & vrgens pruritus. Ni omnes voluptatis, luxuriæque cauſas præcideris, rarò in criminoſum hominem præualebis. Ecce Deus totum iubet nemus prorſus ſuccidi; alioquin proderit nil aut parum aram Baalis à Gedeone fortiſſimo euerti. O quàm ſeipſos fallunt, qui noxias has appetitus illecebra permittentes, ſpondent ſibi manus à cæde abſtinere, rapinam fugere, periurium vitare, mendacium non effutire: nam dum libido regnat, miſer homo captiuus ſeruit, & quibuſlibet iuſſis paret.

Num. 23. v. 23.

Num. 25. v. 2.

Oleaſt.

Prodigus ille, cuius nunquam ſatiata libido eſt: inter ipſas calamitatis ærumnas non meliora ſapuit; ſed hero indigniſſimo adhæſit: hic ad paſcendos porcos remiſit: *Miſit illum in villam ſuam, vt paſceret porcos:* Noluit pater nos lares repetere; ſed regionem illam adhuc ærumnis prementibus habitare; imò ne deſereret, veritus non eſt porcorum gregibus inſeruire. Chryſologus dæmones in porcis adoraſſe teſtatur: itaque ſe ſcelere deteſtando idololatriæ non metuit polluere, nec dæmonibus recuſauit ſacrificare. Audi Chryſologi verba ſermone quinto: *Hinc eſt quod adhærebat primario regionis illius, à quo mittebatur in iſtud ſæculum, hoc eſt in vnam multarum ſuperſtitionum villam, vt paſceret porcos, id eſt, dæmones, qui dicunt Domino: ſi eiicis nos, mitte nos in porcos; vt paſceret dæmones thure, victimis, ſanguine.* Porcis addictus, & porcorum eſuriens lutulentam ſaginam dæmonibus offerre non timuit hoſtiam: latitabant in porcis dæmones, & prodigus, ne ſe à porcis ſeiungeret, veritus non eſt execrandis ſe ritibus applicare: videbat dæmones immundis veluti conuiſceratos pecudibus; aſt ad eas infelix deuenerat calamitatis anguſtias, vt nullo modo inſeruire poſſet porcis quin ſacrificaret & furiis, & ſacrificia offerebat furiis, ne ſeiungeretur à porcis. Ergo dæmones adorat, figmenta colit, mendacia amplectitur: quia libidine ſubornatus duxit rationem appetitus ſeruam, & miſerando tradidit errori captiuam: *Vt paſceret dæmones thure, victimis, ſanguine.* A libidine non eſt difficilis ad ſacrilegos ritus tranſitus, plures miſerabiliter à religione exciderunt allecti oblectamento luxuriæ, & ineſcati libidine. Colebat olim prodigus vnicum patrem, vnicum verebatur Deum; at religionis primarius vtpote callidiſſimus & veteratus paſcendis porcis addixit, vt colendis dæmonibus præpararet: eſt enim laſciuia veluti falſitatis antiſtes, temeritatis calcar, audaciæ igniculus, & vitiorum omnium theſaurus. Succidat ergo Gedeon nemus libidinis officinam, vt Baalis penitus euerterit aram; aliter euerſa etiam ara pullulabit idololatriæ dementia.

238.

Lucæ 15. v. 15.

Chryſol.

---

§. LVII.

Difficillimo negotio celatur, quod ſeruorum interuentione perficitur.

Res quælibet, etſi ſilentio tranſacta propriam linguam, qua vel ſurdis vociferetur ſortitur: ſumma etiam cautela, ſummaque circumſpectione peractum neſcio quibus ſtimulis efflat, & ſui ignorantiam nunquam permittat; verùm etſi hoc ita ſit difficiliùs tamen ſilentium ſeruatur, ſiquid opera ſeruulorum perficitur: neſcio qua tacendi impatientia laborent, quo ſecretum prodendi titillentur ſemper prurirtu, vt tacendi nullatenus compotes inueniantur, & vel ſacra- 239.

mento ſugillata & occluſa manifeſtare probentur. Ecce Deus Gedeonem iubet aram Baalis euertere, lucumque libidinis emporium ſuccidere: ille cognatos ſibi impedimento futuros prudenter veritus rem totam tenebrarum auxilio perfeciſſe decernit, ad idque electorum ſeruorum induſtria vtitur: *Aſſumptis ergo Gedeon decem viris de ſeruis ſuis fecit ſicut præceperat ei Dominus: timens autem domum patris ſui, & homines illius ciuitatis, per diem noluit id facere; ſed omnia nocte compleuit.* Ea actuoſa ſolertia rem peregit, vt repetere poſſit Caſſiodorus, quod aiebat vndecimo variarum prima: *Bella feruentia ſub quiete diſponit, ſilentioſè geritur publicum bonum. Non audis prædici, quod palam videtur aſſumi, & temperamento mirabili diſſimulando peragit, quod accelerandum eſſe cognoſcit.* Silentioſè res geſta eſt; ſed non potuit peracta latere quæ vt fieret, perſpicaciam malitiæ latuit: *Cum ſurrexiſſent*, inquit, *viri oppidi eius mane, viderunt deſtructam aram Baal, lucumque ſucciſum, & taurum alterum impoſitum ſuper altare, quod tunc ædificatum erat.* Cæſar idololatras dolore perculit, ſtupore impleuit, & auctorem ſolerti diligentia ſcrutari ſuaſit: *Quis hoc fecit? Cúmque perquirerent auctorem facti, dictum eſt: Gedeon filius Ioas fecit hæc omnia.* Mira res! altiſſima nocte, profundiſſimo ſilentio, tenebrarum ſuffragio ara euertitur, nemuſque ſucciditur, & tamen auctor certiſſimus proditur: *Dictum eſt: Gedeon filius Ioas fecit hæc omnia.* Inquiramus, ſi placet, quis prodiderit, vt illi inquiſierint quis fecerit. Certè aliqua tauri vſtulati remanſerunt veſtigia, & quamuis oculos ſecuris ictus lateret, cum nemus ſcindebat, vel ſurdorum aures percuſſit. Diſcere potuerunt auditu, quod remoto celabatur conſpectu: expectauit Gedeon confuſas noctis caligines; ſed eludere non potuit aures; at licet hoc ita eſſe potuerit, certius eſt rem omnem, quorum opera eſt vſus, ſeruorum aliquem denunciaſſe, & rem totam inquirentibus aperuiſſe. Adeſt Abulenſis quæſtione quadrageſimaprima: *Diligenter inquiſierunt per præſumptiones & teſtes: dictumque eſt: Gedeon filius Ioas fecit hæc omnia. Iſtud dictum fuit à teſtibus.* Ipſi ſerui qui teſtes fuerant, rem aperuerunt, & quidem grandi prodigio tribuendum fuiſſet, ſi res decem ſeruorum opera perfecta inquiſitione fruſtraretur occulta: ipſi ſeruuli, quorum opera indiget actio, aut tacendi impatientes produnt, aut muneribus corrupti, quod occultabatur, aperiunt. Quiſquis voluerit rem aliquam altiſſimo ſilentio premere: diſcat ſeruorum operæ renunciare: nam ſi interueniat ſeruus, nullus celari poterit actus.

Caſſiod.

Diſſimulando ſæpe peragitur, quod accelerandum cognoſcitur.

240. Sunamitis filius emoritur ſuper matris genibus nullo vidente: illa maternum dolorem preſſit, filium clauſit, & ad Dei virum ſe contulit: Deus mortem ipſum celarat prophetam: *Dominus celauit à me, & non indicauit mihi.* Vides à matre pueri mortem ſolerter tectam, à Domino prophetæ arcanè non reuelatam; & tamen omnibus hæc mors nota fuit: quod ſi rationem quæras, inuenies prophetam Giezi opera ad miraculum vſum: *Tolle baculum meum in manu tua, & vade: ſi occurrerit tibi homo, non ſalutes eum.* Giezi baculum tulit; puerum verò non excitauit. Rationem reddit Rabbi Salomon apud Lyram: quia ſcilicet omnibus ſibi occurrentibus contra prophetæ præceptum iactanter dicebat ſe miſſum ad filium Sunamitidis excitandum: *Iactanter dicebat ſe miſſum ad ſuſcitandum mortuum.* Animaduerte quàm votis fuerit contrarius effectus: mater vt honori filij conſuleret, ipſi parenti mortem occultauit, Deus non reſerauit prophetæ; & quod ſummo ſtudio premebatur occultum, viatoribus, & per viatores diſtantibus narrabatur apertum: nam dum ſerui interuenit opera, nulla ad celandum prodeſſe potuit induſtria. Vel non ſciſcitantibus, vt ſe iactaret miſſum, referebat omnibus mortuum, quo factum eſt, vt irrita fuerit omnis cautela: quia Giezi erat impotentiſſima lingua.

4 Reg. 4. v. 28.

R. Salomon.

Prodigus ille poſtquam delinquendo delictorum pœnam non modicam expertus eſt, 241.
ad patrem rediuit, pater alatus cucurrit, & amplexus in dulciſſimos proruit: ſeruos iubet primam afferre ſtolam, parare menſam, condire vitulum: res adeò omnibus aperta erat, vt ſymphoniarum cantus nullum dubitare permitteret; redit hoc ipſo tempore filius ſenior de agro, & nouitate impulſus, quid hoc eſſet, ſcire vehementer deſiderauit. Quid tunc? Non vicinos rogat, non ciues interrogat; ſed ad ſeruum accurrit, ab eoque quærit; *Vocauit vnum de ſeruis, & interrogauit quid hæc eſſent?* Nondum rogatus fuerat, cùm rem omnem aperuit, & lætitiæ cauſam narrauit. *Iſque dixit illi: Frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulum ſaginatum, quia ſaluum illum recepit.* Quàm frater ſciendi rem omnem probabatur ſolicitus, cùm non ciues, non vicinos, non patrem ipſum; ſed ſeruum eſt percontatus: *Vocauit*, inquit, *vnum de ſeruis, & interrogauit, quid hæc eſſent: iſque dixit.* Et quando ſeruus tacuit; quando non dixit? Quàm parum referre diſtulit! quàm an dicere, vel tacere expediret, non dubitauit! Fortaſſis ipſe geſtiebat narrare: & quid mirum fuit ſciſcitanti reſpondere? Profectò ego non miror ſeruum dixiſſe; ſed interrogantem non præoccupaſſe. Auguſtinus apud Diuum Thomam in ſeruo illo putat prophetarum aliquem adumbratum: *Interrogauit quid hoc eſſet, id eſt, ſumit ad legendum aliquem prophetarum.* Propheta occulta reſerat, ignota euulgat, abſtruſiora reuelat: ergo in hoc ſeruus & propheta conueniunt: ea namque eſt maligna aliquorum ſeruorum perſpicacia, vt omnia lynceis oculis indagauerint, & ſcita ſtatim profuderint.

Lucæ 15. v. 26.

Auguſt.

Hinc eſt quòd Samuel dum regis vnctionem celat; ſerui notitiam diligentiſſimè vitat: Saul quæſiturus aſinas ſeruulo aſſociatus exerrat: deuenit tandem ad Samuelem, qui benignè exceptum inuitauit, & de amiſſis aſinis ſolicitudinem dum inuentas refert, ſopiuit. Altera die Saulem in regem inauguraturi in extremam ciuitatis partem 242.

Digitized by Google

tem deſcendunt, ibique tantiſper ſubſiſtunt:
1.Reg.9. v.27 *Cùm deſcenderent in extrema parte ciuitatis, Samuel dixit ad Saul: Dic puero, vt antecedat nos, & tranſeat; tu autem ſubſiſte paulisper, vt indicem tibi verbum Domini.* Quod fuerit verbum ſequentis capitis declarauit exordium: *Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput eius, & deoſculatus eſt eum.* Quærunt Patres cur propheta noluerit Saulem coram ſeruo vngere, quandoquidem ſeruus ille indiuiduus extiterat comes, prudentiſſimus conſiliarius, & ſi fas eſt dicere, amicus: reſpondentque rem oportere tunc celari, opportuniori tempore aperiendam, & coram omni populo declarandam: ergo ſummo ſtudio curauit propheta, ne ſeruus verbum aliquod audiret, neue aliquod vnctionis veſtigium videret; alioquin nec vnctio extitiſſet ſecreta, nec opportuno tempori reſeruata. *Secreta namque diuina*, ſcribit
Gloſſa. Gloſſa moralis, *ante tempus à Deo diſpoſitum non ſunt aliis publicanda, propter quod Samuel ſecretum de regno ſibi commiſſum à Deo reuelare noluit Sauli in præſentia ſui pueri.* Si in præſentia ſui pueri Saulem ſacro oleo perfuſum ad regalis throni faſtigium inaugurâſſet, ſecretum nullatenus cuſtodiſſet: nam ſeruus quantumuis ſacramento obſtrictus iuramento obligatus eas ad ſecretum publicandum pateretur anguſtias, vt ſui ferè non eſſet compos, quouſque proferret in publicum, quod latere oportebat ſecretum. Ergo Gedeon quantumuis tenebrarum ſuffragia ad ſecretò rem peragendam quæſierit, eludere non potuit notitiam: quia ſeruorum aſciuit operam.

---

§. LVIII.

Sæpè cognati virtutis fuerunt impedimenta, & religionis obſtacula.

243. Tertull. PRincipale crimen generis humani, ſcribit Tertullianus libro de idololatria capite primo, *ſummus ſæculi reatus, tota cauſa iudicij idololatria: nam etſi ſuam ſpeciem tenet vnumquodque delictum, & ſi ſuo quodque nomine iudicio deſtinatur, in idololatriæ tamen crimine expungitur.* Vt exigui riuuli nomen quod in proceſſu ſibi fecerunt, tumidiſſimos maris fluctus intrantes amittunt, ita vitia alia, quæ propriis ſuis notis diſtinguebantur, ſi ad idololatriam confluant, iam de huius magnitudine criminis propria nomina amittunt, & in nomine cæteris vitiis deteriori deperdunt. Itaque principale crimen generis humani idololatria eſt: vt è contra principale virtutis obſequium religio, quæ Deo ſeruit, & homini proficit. Cumque adeò hæc lippitudine non laborantibus oculis nota fuerint, admirationem ingerit, quod textus noſter animaduertit, Gedeonem ſcilicet virum fortiſſimum, qui pauciſſimis militibus ſtipatus ferè immenſam aduerſariorum copiam audacter aggreſſus eſt, cognatos ſuos extimuiſſe, & illorum oculos prouidenter vitaſſe. Iuſſerat illum Dominus idololatriam proculcare, & Baalis aram prorſus euertere, & quamuis hoc facinus conſentaneum fuerit religioni & virtuti, vir fortiſſimus extimeſcit, & tempus non ignauè; ſed prouidè differt. *Timens domum patris ſui & homines illius ciuitatis, per diem noluit id facere; ſed omnia nocte compleuit.* Et quid eſt quod per diem facere timet? Lucum libidinibus fœdiſſimis patrocinantem ſuccidere, tauros ſacratos ſigmento in holocauſtum offerre, deteſtandam Baalis aram ſuffodere. Profectò ſi contraria perpetrare diſponeret, mirum non eſſet cognatorum iram timere, & nocturni ſuffragia temporis expectare; at ſi conatur ſummum generis humani crimen depellere, ſi virtutibus ſatagit inſeruire, cur ſuos extimeſcat, qui ſanguinis titulo, cognationis iure opitulari tenebatur religioſo, & obſtitiſſe ſceleſto. Proh in quantos noſtra natura errores deuenit! Cognati affineſque, qui debuiſſent ſuos ad virtutem fouere, & ad religionem allicere, ſic aliquando inſaniunt, vt delinquentem nullatenus carpant, & virtutibus ſtudentem cohibeant. Ecce Gedeon patris ſui domum non verebatur, dum Baalis nidore deteſtando fumabat ara, dum patrocinatur libidini nemoris vmbra, dum taurus non ſine impenſis innutriebatur idolo ſacrandus, & mendacij altaribus offerendus; at cùm in vitia obarmatur, cùm veritatis ac religionis cauſam tuetur, iam prouidus cognatorum veretur iurgia, & lucifugus præſtolatur nocturna tempora: eſt enim ferè de more cognatis criminoſis, nebulonibus, ac perditiſſimis patrocinari; modeſtis verò, compoſitis, & excultis moribus contraire. *Nouerat Gedeon*, ſcribit Arias Montanus, *fraternæ familiæ naturam......pro tauro ab ipſis iam deſtinato, atque pro Numinis luco, & ara propugnaturos intellexerat.* Quæ ſibi Numen inſpirauerat, cognatos, affineſque celauit: quia nouerat illorum ingenia ad virtutes impediendas procliuia, vt ad fouendum vitium exprompta: ob id ſilentioſè rem peregit, & religionem ſanciuit.

Chriſtus Dominus vtri naturæ Dominus 244.
pro voluntatis arbitrio naturæ leges mutabat, & in mutatione ſaluti hominis ſtudebat: turbæ morborum ſequebantur depulſorem, peritiſſimum ægritudinum medicum; nec labori parcebant, ſed vſque ad deſertorum inuia ſic conatibus inuolabant: *Et* Marci 3. v.20.
veniunt, inquit Marcus, *ad domum, & conueniunt iterum turba, ita vt non poſſent neque panem manducare.* Cognati accurrunt, vt illum teneant, & miracula patrare prohibeant: *Et cùm audiſſent ſui, exierunt tenere eum: dicebant enim, quoniam in furorem verſus eſt. Et ſcribæ, qui ab Ieroſolymis deſcenderant, dicebant: Quoniam Beelzebub habet, & quia in Principe dæmoniorum eiicit dæmonia.* Celeriùs inueniuntur cognati Domino obſtitiſſe, cùm Scribæ ardentiſſimis liuoris flammis aduſti referantur poſteà maliloquij, & murmurationis tenebris obſcuraſſe: quaſi plus timendum fuerit, quàm ab aduerſariis, à conſanguineis. Iam cognatorum ſtudium fuiſſe Chriſti Domini impedire virtutes, teſtatur Euthymius ad hunc locum: *Cùm audiſſent domeſtici eius multam conuenire turbam, exierunt, vt eum cohiberent, ac*

prohiberent, ne amplius ſanaret: fortaſſis autem erant hi fratres ex Ioſeph, aut aliàs cognati. Ecce cognati moliuntur impedire virturem, cùm ad præcipitandum Dominum ad ardui montis preduxerint apicem: *Duxerunt illum vſque ad ſuperficiem montis, ſuper quem ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum.* Non diſſimili ſtudio conantur impedire, & præcipitare: inſtigant ſæpè cognati, affineſque ad ſcelera perpetranda, cùm virtutis ac religionis exterminare moliantur ſtudia: non ſemel apud cognatos & affines quod ad perfectionem ſpectat, habetur inſania, & quidquid ad politiorem morum pertinet cultum, audit delirans amentia. Redeat Euthymius hic: *Dicebant: In exceſſum verſus eſt, dicebant quidam inuidi quòd deſiperet: quia ſe totum ad dandas ſanitates tradiderat, humanitatem ducentes furorem, & miſericordiam facientes crimen.* Quàm hi cognati timendi erant, apud quos miſericordia putabatur inſania, & humanæ ſtudere ſaluti dementi applicabatur furori. Nec rarò videbis ſi quis ſe ieiuniis, & miſericordiæ impendat operibus à cognatis, & affinibus ſugillari, & inſani ad inſtar haberi, cùm ipſi inflamment odium, diuitiarum ſuadeant diſpendium, & impellant non ſemel ad vindictæ præcipitium.

Lucæ 4. v. 29.

Euthym. Sæpè humanitas ſugillatur vt crimen.

245. In patriam ſuam deuenit Dominus cæleſtem inſtillaturus doctrinam, ſed eius ciues cognatique admirationis cauſam in detractionis occaſionem verterunt: *Scandalizabantur,* inquit Matthæus, *in eo: Ieſus autem dixit eis: Non eſt propheta ſine honore niſi in patria ſua, & in domo ſua. Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem illorum.* Cognati quem impendere cogebantur honorem, arbitrati ſunt ſeruitutem, & ne dum de eadem radice pullulans nobilis ramus virtutum fructum producit copioſum, illorum amplius ſugillaret deſidiam, & condemnaret ignauiam, totis viribus moliuntur impedire, & peſtilenti lingua geſtiunt abrodere: *Extendit adhuc,* aiebat Chryſologus ſermone 49. *curioſitatem ſuam carnalis iſta æmulatio, cui ſemper eſt inimica cogitatio; nec patitur Chriſtum virtutibus & ſapientia Deum credi; ſed proximorum, parentum, fratrum, affinium documento hominem tantum aſſerit, geſtit, optat intelligi.* Concludit Chryſologus ſermonem: *Ecce qualiter carnales ſapiunt ciues, ecce qualiter mundani parentes ſentiunt & honorant.* Hoc eſt non rarò cognatorum ſtudium, impedire virtutes, criminari honeſtas actiones, abrodere famam, & innubilare gloriam. Adde oportere ſæpeſæpius cognatis occultare virtutes, cùm illorum oculi non degeneres auerſentur actiones. Cognati non ſemel vident correctione digniſſima, & diſſimulant quaſi vidiſſent honeſta; at ſi ſciuerint quæ ad pietatem pertinent, geſtiunt animitus impedire, aut ſin minus, retardare.

Matt. 13. v. 55.

Chryſol.

246. Abrahamum iubet Deus ancillam eiuſque filium domo detrudere, quod etiam conſulit Sara: *Eiice ancillam hanc & filium eius, non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac.* Quærunt Patres huius exilij cauſam: alij dicunt Iſmaëlem ad idololatriam fratrem prouocaſſe, alij quaſi deſpiciendo illuſiſſe; at cùm non ſolùm filius fuerit eiectus, ſed etiam mater depulſa, iterum ſuboritur dubium, cur ſcilicet mater fuerit cum filio eiecta. Lyppomanus teſtatur matrem Iſmaëlis ſpectaſſe agnouiſſeque cum Iſaaco ludum, tantumque abfuiſſe à filio carpendo, vt ipſa incitarit, & imprudentiſſima fouerit. *Quaſi dicat* (verba ſunt Lyppomani) *ancilla hæc cum ſuo filio immemor ſuæ conditionis irridet filium meum.* Audis Agarem filium non frænaſſe, nec irridentem cohibuiſſe. Tranſi modò ad prudentem Abrahami cautelam, dum iubetur de filio parare hoſtiam: intempeſtæ noctis ſilentio conſurgit, conducit ſeruos, Saræ facinus nullatenus indicat: *De nocte conſurgens ſtrauit aſinum ſuum ducens ſecum duos iuuenes, & Iſaac filium ſuum.* Dum Scriptura tam accuratè refert Abrahami actiones, & de Sara tacet, imperium diuinum ab Abrahamo Saræ prorſus celatum nos docet. Sed videamus quæ occultationis extiterit cauſa, quando videbatur communicanda notitia: ſi Sara lucet omnium virtutum ornamentis exculta, ſi Religioni ſemper dicata, cur illi celetur filij holocauſtum, quando Agarem non latuit irriſorium filij ludibrium? Si Agar non ignorans permiſit quæ tenebatur corrigere, Sara & ſi nouerit, non tardabit filium in ſacrificium offerri. O miram Abrahami prudentiam! Timuit optimus pater, ne Sara impediret ſacrificium, etſi Agar non impediuerit iocum: quia nouerat diuerſis oculis adſpici à cognatis parentibuſque ad voluptatem, & delicias ſpectantia, & ad religionem pietatemque pertinentia. Ob id ergo quæ religionis erant, celauit, quamuis ab Agare iocoſa non ignorata cognouerit. Adeſt Baſilius Seleucienſis oratione 7. *Subſidium ſilentio comparans totus erat in his, quæ Deus imperarat: facinus tam audax Saram celat, neque ad matrem effert mandata. Quamobrem? Illa quidem, inquit, amans Dei eſt, ego quidem eius animum ſuſpicio; at ingenium vereor. Intueor matris in Deum propenſionem; at metuo affectum in liberos.* Adiungit: *Vereor, ne pueri furto materiam ſubtrahat obſequendi Deo iubenti:* prudentiſſimus vir timuit, ne impediretur ſacrificium: hæc enim ſunt quæ à cognatis ſolent impediri, cùm bonis moribus aduerſantia ſoleant non ſine culpa diſſimulari.

Gen. 21. v. 10

Lyppom.

Gen. 22. v. 3

Seleucienſ.

§. LIX.

Sic iniurias altari temploque illatas diuina vindicta vlciſcitur, vt ſi diſſimulet, diuinitate quodammodò exaugurari putetur.

QVod ad cultum Numinis pertinere cognoſcitur, opus eſt ſumma veneratione tractetur: menſura deuotionis de magnitudine Domini venit, & tanta debet eſſe alacritas animi, quanto prudens fuerit meditatio rei: nam ſi prudentes viri quidquid ad ſodales pertinet, quidquid ad amicos ſpectat, ſtudioſè gerunt, & ſolicitè tractant, quanta debet circumſpectione peragi, quod ad omnium conſtat dominatorem pertinere. *Sancto templo,* ſcribebat Theodericus tertio variarum 49. *reuerentiam habuiſſe videamur:* nec mirum eſt ſumma à Chriſticolis veneratione templa adorari, 247.

quand o

Digitized by Google

quando ab Ethnicis figmentis conſecrata ſumma conſtat veneratione muniri. Audi Senecam lib.7. quæſtion.natural cap.30. Egregiè Ariſtoteles ait nunquam nos verecundiores eſſe debere, quàm cùm de diis agitur. Si intramus templa compoſiti, ſi ad ſacrificium acceſſuri vultum ſubmittimus, togam adducimus, ſi in omne argumentum modeſtiæ fingimur, quanto hoc magis facere debemus, cùm de ſyderibus, de ſtellis, de Deorum *natura diſputamus?* Expende illud: In omne argumentum modeſtiæ *fingimur.* Quaſi dicat Stoicus: nos veluti de nouo excudimus, omnique virtute formamus ea ſolicitudine, eo ſtudio, quo decet omnipotentis conſpectum adituros, & diuinis obtutibus præſentandos. Hinc diſces qualiter debeant diuina tractari, quando tanta exigit vel figmentorum limina adire. Profectò Deus benignitatem de patientia commendat, & quàm ardenter hominum ſitiat ſalutem, dilucidè oſtendit ingratitudines tolerando, ſcelera ſuſtinendo, ſacris altaribus templiſque irrogatas iniurias diſſimulando. Verùm vt aiebat Tertullianus, ſi Deus ſua patientia ſibi detrahere potuiſſet, tunc maximè incurreret periculum, cùm templo altarique illatum diſſimularet opprobrium? *Sua ſibi patientia detrahit*, ſcribit lib. de patient.cap.5. Itaque diuina patientia ibi maximè elucet, vbi templo ariſque iniuriam conſtat inferri. Quod ſi in hoc tolerando ſummum patientiæ eſt exemplum, etiam ſummum delinquenti probatur imminere periculum. Maxima adeò aris temploque illata offenſa ab Ethnicis credebatur, vt qui illam ſeuerè non vindicaret, frui diuinitate non putaretur. Adeſt noſter textus mirè hanc veritatem confirmans: nam cùm Gedeon de Domini præcepto Baalis aram euertiſſet, ſuccidiſſet lucum libidinis ſanè emporium, res ea ita acriter ciues commouit, vt facto impetu Gedeonem ad diſcerpendum ſibi tradi tumultuoſis vocibus flagitauerint: *Produc filium huc, vt moriatur: quia deſtruxit aram Baal; & ſuccidit nemus?* Quid tunc Ioas? Mirum init conſilium, vt ardentes animorum æſtus ſopiret, & filio parceret: *Numquid vltores eſtis Baal,* reſpondit, *vt pugnetis pro eo? Qui aduerſarius eſt eius, moriatur antequam lux craſtina veniat: ſi Deus eſt, vindicet ſe de eo, qui ſuffodit aram eius.* Quaſi dicat! Aut Baal diuinitate caret, aut non: ſi careat, cur vindicatis iniuriam irrogatam figmento, illatamque mendacio? ſi non careat, quid Deo opus eſt veſtro furore, quando ipſe acerrimis ac duriſſimis illatis ſupplicijs ſe vindicabit? Itaque iniuriam hanc vindicare aut ſuſtinere erat impotentiæ, aut potentiæ indicium, quando cenſeri non debebat Numen tantæ iniuriæ oblitum, & ad vindictam ignauum. Hanc fuiſſe argumenti Ioas efficaciam tradit Abulenſis quæſt.41 *Videbatur argumentum iſtud concludere ex vtraque parte, ſcilicet quia aut erat Deus Baal, aut non: ſi non erat, non erat pugnandum pro eo, qui nullum honorem merebatur: ſi autem erat Deus, ipſe poterat ſe ipſum defendere, & non oportebat quòd aliquis pugnaret pro eo.* De diuinitate ferebatur iudicium, & illatam altari non vindicare iniuriam, erat impotentiæ apud Ethicos argumentum: quaſi nequiret ſe non vindicare, quem conſtaret diuinitate pollere. Adſtipulatur Tertullianus in apologet. cap. 29. & apud gloſſam: *Si Angeli aut dæmones ſubſtantiæ peſſimi ſpiritus beneficium aliquod operantur, ſi perditi conſeruant, ſi damnatis liberant, ſi denique (quod in conſcientia veſtra eſt) mortui viuos tuentur, iam vtique ſuas primo ſtatuas, & imagines, & ædes tuerentur.* Profectò argumentum Ioas efficax non erat, quando ipſa patientia diuinitatis probatur eſſe energia: *Deum ipſum oſtendens*, aiebat datus Tertullianus cap. 2. *patientiæ exemplum*; verùm vt noſcas quam ſummè delinquat, qui aræ templove inferre iniuriam temerarius præſumit, ſcito huius criminis vindictam aut patientiam eſſe apud Ethnicos diuinitatis, aut non diuinitatis indicium.

Qui ingreditur templum modeſtia vultu proferat teſtimonium.

Tertull.

Abulenſ.

Tertull.

Nabuchodonozor ſtatuæ à ſe confictæ cultum ſacrilegum exigebat; verùm tres illi pueri Domino conſecrati maluerunt flammis exuſti cineraſcere, quàm turpiſſima mendacia adorare: excepit ignis blandior, quos iactabat furor ardentior; cumque Nabucho clarè agnoſceret ſe non poſſe vindicare aris ſuis illatam iniuriam; detumuit, & Iſraelitarum verum Deum agnouit: *A me poſitum eſt decretum, vt omnis populus, tribus, & lingua quæcumque locuta fuerit blaſphemiam contra Deum Sidrach, Miſach, & Abdenago, diſpereat, & domus eius vaſtetur: nec enim eſt alius Deus, qui poſſit ita ſaluare.* Iam Hebræorum Deum excelſum prædicat, ſeque regem tantummodum appellat, qui cæca ambitionis libidine actus ſe Deum præſumpſerat, & diuinum cogitauerat. Quod ſi vtriuſque diſcriminis rationem inquiras, ſcito agnouiſſe Deum, quia ſibi dicatorum vindex acerrimus ardentiſſimas in miniſtros, adulatoreſque regios ejaculatus eſt flammas, ſeque agnouiſſe hominem, cùm illatas ad ſpeciem imagini ſuæ vindicare nequiuit iniurias: quaſi nec cæca temeritas iam deinceps poſſet diuinitatem ſibi arrogare, aut omnipotentiæ Hebræorum Numinis contradicere. *Hoc nomen*, ſcribit Theodoretus orat.3. *experientia didicit: cum enim multorum, qui dij vocabantur, templa euertiſſet, & penetralia prædatus eſſet; araſque demolitus, eos quoque qui ipſorum ſacris initiati fuerant, occidiſſet, nullius diuinæ efficaciæ accepit experientiam: cùm verò furore inſaniſſet, qui ſe Deo dicarant, ſenſit & infinitam Dei virtutem, & ineffabilem illius, longanimitatem.* Itaque deos alios, qui diuinitatis potiebantur honore exaugurauit, & ſolum Hebræorum Deum prorſus diuinum agnouit: quia expertus fuerat deos alios iniurias templis, ariſque ſibi dicatis illatas nullatenus vindicaſſe; at Hebræorum Deum dicatos ſibi ſeruos ab iniurijs defendiſſe. *Nec eſt alius Deus*, inquit. Quaſi dicat: Ego me Deum ſomniaueram; verùm cùm imaginis meæ deſpectum vindicare nequiui, experientia diuinitate me carere cognoui: *Hoc nomen experientia didicit.* Itaque apud Ethnicos ſic ratum fixumque erat iniurias aris templiſque factas Numinis animum exulcerare, & ad vindictam acerrimam cogere: vt ſi aliter accidere viderent, non longanimem, ſed diuinitate carentem indubiè exiſtimarent. Et certè illorum fallacia noſtra eſt doctrina: Deus noſter, vltra quem non eſt alius, ingratiſſimas nationes ſuſtinet, ludibria artium, & opera manuum ſuarum adorantes, nomen cum familia ipſius perſequentes, luxuriam, auaritiam, iniquitatem, malignitatem quotidie inſoleſcentem; & hæc diuinæ longanimitatis ac patientiæ illuſtriſſima exempla, & diuinitatis indubia

248.

Dan.3.v.96

Theodoret.

ſunt teſtimonia ; at vt noueris quàm graue ſit in dicatas Numini aras templaque delinquere, recogita apud antiquos Numen ad vindictam prorſus compellere, aut opinione diuinitatis exaugurare.

249. Deum lego ſerpentina lingua obſcuratum, inſimulatum inuidiæ, Euam diuinitatis ambitione delirantem, Adamum pluſquam decebat maritum, vxoris voci obedientem; non tamen video aliquo cœleſti ſigno indignationem ſuam declaraſſe Deum; imò audio Adamum flebili voce quæritantem, & humanos veluti affectus iam ediſcentem; cùm tamen Caino minus decenter ſacrificia tractanti iram ſuam oſtenderit, & indignationem indubio ſigno declarauerit: *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius; ad Cain verò & ad munera illius non reſpexit.* Hieronymus in quæſtionibus ſuper Gen. ex Theodotione legit: *Inflammauit Dominus ſuper Abel, & ſuper ſacrificium eius; ſuper Cain verò, & ſuper ſacrificium eius non inflammauit.* Chryſoſtomus apud Lippomanum putat Cainum minùs reuerenter ſacrificium obtuliſſe, & in ipſum Deo dicatum ſacrificium peccaſſe: *De frugibus terræ ſacrificium: quaſi diceret: Qualiacumque obueniebant, nulla ad delectum adhibita opera vel diligentia.* Itaque Cainus Dei aram, ſacrificiumque non deuotè excoluit; ſed incurioſus deſpexit, vtque iam liqueret omnibus, quàm ſit dignus pœna, qui hac ſe contaminat culpa Deus qui Adamum delinquentem in ſe quæſiuit, Cainum in loco aræ conſecrato delinquentem iuſtè deſpexit, & diuinitatem ſuam deſpectu mirabiliter comprobauit. Ergo time in templo, in ara, in ſacrificio diuinam maieſtatem offendere, ne cogaris vltionem grauiſſimam experiri.

Gen. 4. v. 5.

Hieronym.

Chryſoſt.

§. LX.

Illuſtriora ſunt omnia quæ virtus excudit, quàm quæ venuſtiſſimæ originis imperturbata ſeries ad poſteros deriuauit.

250. Felici hæreditate proueniunt filiis glorioſa atauorum ſtemmata, relucet namque collectum in poſteris quidquid gloriæ acquiſitum eſt ab antiquis: nobiliſſimo prognatus ſanguine ipſis in cunabulis ad virtutem incitatur exemplis, & ſanguinis inflammatur igniculis: *Anitios quidem penè Principibus pares*, ſcribit Caſſiodorus 10. var. 11. *ætas priſca progenuit, quorum nominis dignitas ad te ſanguinis fonte perducta collectis viribus hilarior inſtaurata rutilauit: quis ergo relinqueret in poſteris minus honoris, quos tam diu conſtat fuiſſe præcipuos? Accuſarentur ſæcula, ſi talis potuiſſet latere familia.* Dum puriſſimus ſanguinis fons per claros traduces deriuatur ad poſteros, illos ſuſpiciendos ſæculis ornat, & honoribus adaugendis initiat; at licèt glorioſa ſint promanantia de maiorum claritate vocabula, digniora ſunt quæ elaborantur virtute nomina. Grandius elogium eſt maiorum claritatem ſplendidiore lumine vincere, quàm acceptam ſolùm repræſentare: *Decet*, addit ibi Caſſiodorus, *etiam priores ſuos vincere, qui ad noſtra meruerunt tempora peruenire.* Iniuriam maioribus irrogat, qui deriuatam non auget gloriam, & incrementare nititur famam. Gedeon de familiæ Principe natus hæreditariam moribus aſſerebat nobilitatem; ſed antiquum mutauit nomen Baalis aræ euerſor, & publicæ ſalutis digniſſimus inſtaurator: *Ex illo die vocatus eſt Gedeon Ierobaal, eo quòd dixiſſet Ioas: Vlciſcatur ſe de eo Baal; qui ſuffodit aram eius.* Antiquum nomen claritatem originis commendabat; at nobiliter deleuit, dum ſplendidiùs virtute adauxit, *Hierobaal*, ſcribit Hugo, *id eſt fortitudo Baal, quaſi fortis contra Baal, à Hieres, quod eſt vir, ſiue virtuoſus, & Baal.* Alio nomine præfert claritatem, alio virtutem, & vti dignus rerum æſtimator, qui maiorum claritatem portabat in venis, laudem ſuam ipſis prædicebat vocabulis. Huc voco quod aiebat Caſſiodorus 9. var. 7. *Perpetua fruitur laude, cui eſt honor in nomine.* Ierobaalis nomen decentiſſimè ornabat atauorum generoſitatem, dum reſpondentem origini teſtabatur virtutem. Quàm felix fuit Gedeon atauis regalibus natus! quam fortunati maiores, dum reſplenduit eximia virtute ab illis progenitus.

Caſſiodor. *Accuſarentur ſæcula, illuſtris lateret familia.*

Cui eſt honor in nomine perpetua fruitur laude

Natus eſt Dominus de regia Dauidis ſtirpe, & licèt omnimodò declinarit iactantiam, non potuit ſui luminis denegare notitiam: Magi eloquenti ſyderis lingua edocti regem inclamant, & adoraturi inuolant: *Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum?* Qui præſepi natus, in cruce occubuit ſuſpenſus: nec iam ſolùm appellatur rex; ſed Ieſus & Nazarenus; imò dum variis litteris exaratur titulus, ad alias etiam gentes crucifixi extenditur thronus: *Erat autem ſcriptum: Ieſus Nazarenus rex Iudæorum.* Addit Ioannes: Et erat ſcriptum: Hebraicè, Græcè, & Latinè. Quòd primum nato Domino audiebatur, erat nomen regium; in cruce Ieſu Nazareni anteferturr vocabulum: vt & antiquum cuſtodiret ſplendorem, & nouo titulo adaugeret maiorum lucem. Qui Hebræorum natus eſt rex, iam ad Latinos Græcoſque dilatauit imperium, vt auctum ſtabilitumque perennaret propria virtute, quod deriuatum florebat maiorum ſanguine. *Significat ſuperſcriptio triplici ſermone figurata Dominum eſſe regem*, ſcribit Theophylactus apud Diuum Thomam. Adſtipulatur ibi Auguſtinus: *Tres linguæ ibi præ cæteris eminebant, Hebræa propter Iudæos in lege Dei gloriantes, Græca propter gentium Sapientes, Latina propter Romanos, multis & penè omnibus tunc gentibus imperantes.* Aptiùs ibi Lyra: *Monſtrabatur iam tunc regnum ipſius, non vt ipſi putabant, deſtructum; ſed potius augmentatum.* Parum erat regio reſplenduiſſe ſanguine, ni celebriori ſanguinem adornaſſet & nomine: rex naſcitur, Ieſus Nazarenus & Princeps moritur: vtque noueris quantò firmius ſit partus virtute honor, quàm à maioribus deriuatus ſplendor, expende Chriſti inimicos non tentaſſe Ieſu Nazareni delere titulum; ſed regis tantùm elogium: *Dicebant ergo Pontifices Iudæorum: Noli ſcribere Rex Iudæorum:* Apud mundiales parum valet virtutis honor, natalium æſtimatur plurimi ſplendor. Et ob id fortaſſe Ieſum Nazarenum non moliebantur delere; ſed regium ſanguinem infuſcare; at diuina prouidentia Ieſu Nazareni nomen intactum ab inſidiis odij ac liuoris ſeruauit, vt liqueret omnibus firmius eſſe; quod virtus aſciuit, & maleuolentiæ patere, quod decus ſanguinis deriuauit. 251.

Matt. 2. v. 2.

Ioan. 19. v. 20.

Theophil.

Auguſt.

For

252. Fortaſſis ad noſtram eruditionem hoc in Apocalypſi arcanis ſymbolis expreſſit Ioannes, librum intuetur ſigillis muniriſſimum, induſtriéque clauſum: lugebat Euangeliſta tot ſacramenta occultari, nec ab hominibus ſciri; verùm lachrymæ omni vi valentiores iam à leone reportandum audire merentur triumphum, reſerandumque librum: *vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid aperire librum.* Oculos expandit iam lachrymis liberos, & agnum aſpicit, cui & ſenum plauſus impenditur, quique ab omnibus acclamatur: *Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* Qui initio leo, iam agnus, & cur regium nomen agni titulo commutauerit: nonne leo animalium imperator regio micat ſanguine, & deriuato ſemper honore? Ita ſanè; verùm hanc gloriam dedit origo, quam supernus agnus decenter candidiſſimis luminibus occultauit: non amiſit leonis gloriam; ſed agnus adauxit famam: natus eſt regia de ſtirpe: *Leo,* inquit, *de tribu Iuda*; ſed natiuitatem honorauit virtute, & ampliori nobilitauit honore: *Per leonem de tribu Iuda*, ſcribit Ambroſius hîc, *Chriſtus intelligitur, qui ex tribu Iuda, & progenie Dauidorum eſt.* Addit poſt aliqua: *Agnus non occiſus; ſed tamquam occiſus viſus eſt: quia mortem in tranſitu guſtauit: & paulò poſt reſurgens iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.* Itaque agnus, quam à Dauide accepit nobilitatem, illuſtriorem reddidit propria virtute: ergo vocatus eſt agnus non expuncta leonis prærogatiua; ſed adaucta virtutis fama: dum mortem conterit, dum diabolum deuincit, dum homines liberat, dum librum munitum Sigillis aperit, iam agni ſortitur elogium, & leonis nobiliter obſcurat vocabulum: maluit ab actione dignoſci, quam titulum ab humana ſolum origine mutuari.

Apoc. 5. v. 5.

253. Ioannes naſcitur vtriuſque parentis nobilitate ditatus: de nomine puero imponendo agitur, & cognati originis ſtigmatibus cupiunt inſigniri, & prodente nobilitatem vocabulo prædicari: *Vocabant eum nomine patris ſui Zachariam.* Matet non quia diſpliceret cognationis titulus; ſed vt ampliori haberetur honore natus, Ioannis nomine contendebat inſigniendum: *Vocabitur Ioannes.* Cognati myſterij inſcij cognationem opponebant, quaſi quod antiquum, id ſolum fuerit approbandum: Et dixerunt ad illam: Quia nemo eſt in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. Profectò antiquitas eſt honoranda & ſequenda, dum à recto tramite non declinans, & dum cœlo gratior non lucet nouitas; at nihil obſtinato adeò animo ſequendum eſt, vt non poſſis deuiare, & noua ingenij ac virtutis inuenta prodere. Audi Caſſiodorum 9. var. 7. *Velle noſtrum antiquorum Principum eſt voluntas, quos in tantum deſideramus imitari, quantum illi iuſtitiam ſunt ſecuti. Illa eſt enim reuerenda priorum auctoritas, quæ à recto tramite non declinat: ſequendi enim neceſſitatem reliquit poteris, qui iuſtitiam ſuis miſcuerit conſtitutis.* Cùm antiquorum placita ita ſunt virtuti æquitatique immixta, vt nequeas antiquitatem deſerere, ni æquitati iniuriam decreueris irrogare, non licet deflectere; ſed antiquitatem colere; at vbi ſine iuſtitiæ damno, ſine veritatis detrimento noua poſſunt reperiri, nullus cogitur ſententiam veterum adorare. Itaque cognati Ioannis proſapiæ ſplendorem citabant, & nouitatem fugiebant; verùm ipſe Ioannes ab Spiritu Sancto edoctus maluit virtute propria nomen ſibi elaborare, quàm antiquorum laudem referre. Adeſt Theophylactus ad hunc locum: *Elizabeth vt propheiiſſa indicauit nomen: Ioannes ſit nomen eius? fortaſſis autem Ioannes ipſe ſibi ipſi indidit nomen, matrique ſuæ communicauit donum propheticum.* Vidit Ioannes poſſe ſibi nomen indere, & à parentibus nobiliter deriuatum oſtendere; ſed vt diuino Spiritu plenus maluit virtute partum elogium, quàm tranſmiſſum à maioribus nobilitatis indicium. Vt hinc diſcamus nobilitatem inaurare virtute, & honeſta ſuperbia præferre dignis actionibus elaboratum vocabulum, quàm à clara antiquitate receptum.

Luc. 1. v. 60.

Caſſiod. *Reuerenda antiquorum eſt auctoritas, ſi à recto tramite non declinat.*

Theoph.

§. LXI.

Qui Dei mouetur Spiritu, contentus non eſt per ſe ſolum in vitia irruere; ſed ſocios ſatagit congregare.

Illud eſt improbis improbitatis ſtudium, vt quo vitia ſua pleniùs cumulent, patrandis criminibus ſocios ſolicitè aggregent: *Dixit alter ad proximum ſuum: Venite faciamus lateres, & coquamus eos igni: habueruntque lateres pro ſaxis, & bitumen pro cæmento, & dixerunt: Venite, faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum.* Nullus eorum contentus fuit ambitioni & vanitati inſeruire; ſed ad vanitatis ambitioniſque cumulum operam ac induſtriam multorum ſibi adniſus eſt aggregare. Profectò non adeò diligenti ſtudio virtutis ſtudioſi ſolitant ſocios quærere, & contra crimen armare. Iam hoc lugebat Seneca libr. 7. natural. quæſtion. cap. 32. *Tot familiæ Philoſophorum ſine ſucceſſore deficiunt. Academici & veteres & minores nullum Antiſtitem reliquerunt. Quis eſt qui tradat præcepta Pyrrhonis? Pythagorica illa inuidioſa turbæ ſchola præceptorem non inuenit. Sextiorum noua & Romani roboris ſecta inter initia ſua cùm magno impetu cœpiſſet, extincta eſt.* Itaque ſolicitè non curarunt virtutis ſectatores inſtituere alumnos, hæredes reliquiſſe, qui virtuti eſſent ſubſidio, vitiiſque obſtaculo, quando vitiorum aſſeclæ contenti non ſunt vitia ſectari, niſi ſectatores reliquerint, & proſelytos ſtudioſiſſimè adlegerint. *At quanta cura laboratur,* addit Stoicus, *ne cuius pantomimi nomen intercidat? ſtat per ſucceſſores Pyladis, & Batylli domus: harum artium multi diſcipuli ſunt, multique doctores.* Inſanus furor æternare fatagit vitium, per ſucceſſiones varias traducere, & multos huius ſcholæ diſcipulos conciliare: ergo ne hanc virtus iniuriam ſemper patiatur, Deus ipſe zelatoribus norma, Trinitatis perſonis veluti ad pugnam vocatis in vitium irruit: *Venite igitur, deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnuſquiſque vocem proximi ſui.* O quàm Numinis deſcenſu confunditur tumoris ſuperbientis elatio! & quæ poteſt aſcenſum cogitare procacia ſi deſcendentis humiliter Numinis efficaciſſima intueatur 254.

Gen. 11. v. 3.

Seneca.

tueatur exempla. Deſcendit Deus humiliter, vt hominem confunderet aſcendentem inaniter, & ne virtus inhonorata erubeſceret, ſi quiuis ad fulciendum vanitatis tumorem proximum aſciuit, etiam quælibet Trinitatis perſona ad ſuffulciendam virtutem alias ſollicitè allexit. *Quid volunt ſibi verba hæc?* rogat Chryſoſtomus apud Lippomanum: *opus ne habet cooperatione Dominus ad correctionem, & ſubſidio ad idolorum deſtructionem? Abſit: ſed ſicut iam dixit ſcriptura, deſcendit Dominus, docens nos per hoc quod euidenter malitia illorum vidit excellentiam; ita & hic dicit: Venite.* Eſſet virtuti probrum, ni ſe inuitantium numerus audiretur, quando pro vitio tantus exhortantium ſe numerus audiebatur: ſi ergo excellens malitia ſocios requirit, virtus etiam excellens virtutis ſocios ſolerter exambit.

255. Adeſt noſter textus in huius veritatis confirmationem. Gedeon Dei ſpiritu indutus buccina clangit, & qui anteà decem ſocios ad Baalis aram ſuffodiendam elegerat, plures iam vocat: Aſſumptis Gedeon decem viris de ſeruis ſuis fecit ſicut præceperat ei Dominus: Contentus non eſt per ſe ſolum religioni inſeruire; ſed ſocios ſibi ſolicitat aggregare, vt iam virtutem ſuam de ſociorum virtute cumulatiùs adornet, & ornatiùs nobilitet; ſed ſi in exordio vocauit decem, iam Spiritu Dei abundantiùs indutus ampliauit numerum, & clangens buccina copioſum contra Madianitas congregauit exercitum: *Spiritus Domini induit Gedeon, qui clangens buccina conuocauit domum Abiezer, vt ſequeretur ſe, miſitque nuntios in vniuerſum Manaſſem, qui & ipſe ſecutus eſt eum, & alios nuntios in Aſer, & Zabulon, & Nephthali, qui occurrerunt ei.* Expende quanta ſolicitudine, quàm indefeſſa & vigilanti ſolertia ſocios ad certamen commoueat, & cornu inflans, & nuntios ad diſtantiores delegans: promiſerat illi Angelus reportandam victoriam: *Ego ero tecum, & percuties Madian quaſi vnum virum*; at noluit ſibi ipſi inuidere, & virtutis gratiam adulterare; ſed quia ſciebat de congregatis ad victoriam reportandam ſocus augeri triumphum, & nobilitari trophæum, perſonuit buccina, vt illuſtriori coronaretur victoria. *Decebat eum,* inquit Theodoretus libro in Iudices quæſtione 13. *qui talem gratiam erat adeptus, non ſolùm pium eſſe; ſed aliis quoque pietatis eſſe magiſtrum.* Diuino alloquio honoratus familiares ad virtutis opera aſciuit; at ampliori ſpiritu indutus, vicinos, & diſtantiores vocauit: vt noſcas quàm omnibus ſit vtiliſſimus homo diuino ſpiritu afflatus, & quàm dum viuidiori exæſtuat nobiliter flamma, multorum exambiat ad virtutem propagandam conſortia: puderet namque Gedeonem, ſi minùs ſolertei cauſam peregiſſet virtutis, ac ſolent impij cauſam agere iniquitatis.

256. Elias ille magnus colloquio nobilitatus Angelico: poſt paſtum ab eo acceptum in deſertum tetendit, & in ſpelunca delituit: *Ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi Surge & comede:* Cibo animoſior factus, ore ſicco, ventre atido deſertórum incola eſt: ibi diuini alloquij particeps factus Eliſæum initiaturus inuolat, nec iam extimeſcit: *Profectus ergo inde Elias reperit Eliſæum filium Saphat arantem in duodecim iugis boum, & ipſe in duodecim iugis boum arantibus vnus erat: cumque veniſſet Elias ad eum, miſit pallium ſuum ſuper illum; qui ſtatim relictis bobus cucurrit poſt Eliam.* Quæres cur Elias priùs Eliſæum ad prophetalem ſpiritum non reduxerit, vt poſteà ſolitudinis latebras pacatè incoluerit; ſed ipſe textus dubio reſpondet, dum diuerſitatem colloquij refert: magnus erat Elias, cùm Iezabel fugit, vt qui dignus Angelico colloquio & aſpectu; tunc vero nondum cum Domino collocutus, & ſibilo diuino aſſuefactus; at poſteà iam liberiori luce fruitus, & vti cum Domino colloquia miſcens perfectiori virtute ornatus: ergo dum perfectior, ſibi non viuit; ſed aliis prodeſſe exambit: nec enim poterat Dei collega mores diuinos non imitari, & hominum ſalutem non ſitire: Si vis dijudicare, quàm ipſe Elias ſe ipſo perfectior fuerit, dum terram adſpicientes quærit, vt à terrenis reuocet ac cœleſtibus erudiat, ac erat dum ſpecubus, antriſque latitabat; animaduerte anteà Angelico ſolùm colloquio fruitum, & poſteà diuina familiaritate nobilitatum: Angelicos mores induit Angelorum ſocius, dum ſolitudinem ſibi ipſi viuens inhabitat; at cùm altiorem obtinuit gradum, iam aliorum ſaluti incumbit, nec ſolummodò ſibi viuit. Et quidem ſi humano ſolùm iudicio ſententiam ferres, putares in montis receſſu mirabiliorem, & perfectiorem; falleteris tamen non bonus cenſor: erat enim Elias mirabilior terrenis rebus deditos ad perfectionem adducens, & contra idololatriam impellens, quàm turbulentos mundi tumultus fugiens, cùm alios contra vitium ſibi ſocios aſciuit, tunc nobiliori colloquio diuino ſcilicet reſplenduit honoratus, & perfectionem cumulauit obſequentiſſimus: *Statim ceſſauit,* ſcribit Rabbanus apud gloſſam de Eliſæo, *terrenis lucris inhiare, ſæcularibus deſiderijs deſeruire, & ſic aliis verbum vitæ prædicauit.* Si Elias in montibus ieiunus, aridusque deliteſceret, lex Sanctum ſortiretur Prophetam; at dum ſe ſæcularibus quodammodo intrudit, vt fermenti ad inſtar ad ſpiritus perfectionem plurimos attrahat, iam non vnus Elias reſplendet; ſed Eliſæus etiam virtutis diſcipulus & magiſter futurus lucet. Itaque Elias poſtquam ad maiora conſcendit, poſtquam Deum clariùs audiuit, alios contra idololatriam armare ſtatuit, vti etiam Gedeon ſpiritu ſuperno indutus clangit buccina, vt cieat alios ad prœlia.

§. LXII.

Quiſquis ſuperioris aſcendit faſtigium, non fidat tantùm ſuæ electionis conſcientiæ; ſed ſatagat apud alios florere ſanctitatis notitia.

POmpa eſt meritorum regale iudicium: quia cui poteſtas ſumma, adulationis obſcurari non ſolet nebula. *Deliberatio iudicis,* aiebat Caſſiodorus 12. var. 13. *probatos viros debet publicis actionibus adhibere, vt facilè poſſit impleri, quod ſub ſterilitate temporis videtur inquiri.* Temporum difficultas, & afflictæ Reipublicæ calamitas virum exoptat omnigenis virtutum dotibus exornatum, & depellendis calamitatibus oppoɾtunum. Omnes iuſtitiam colere, & obſeruare 257.

Margin notes: Chryſoſt. — Theodor. — 3. Reg. 19. v. 5. — 3. Reg. 19. v. 19. — Rabbanus. — Caſſiodor.

ſeruare tenentur; præcipuè tamen illi, qui diuinis honoribus eliguntur, vt ſupernæ gratiæ electione ſint digni, dum à terrena fuerint cupiditate ſemoti; verùm qui magnis facinoribus à Domino probatur electus, contentus non ſit propriæ ſolùm conſcientiæ teſtimonio, ſi apud alios poſſit honeſto approbari iudicio. Ecce Gedeon à Domino deſignatur ingentiſſimam hoſtibus cladem illaturus; ſed ne incurrat incautus ſignum petit diuinæ electionis prouidus: meruit exaudiri, quia prudenter inuentus eſt poſtulare: iam manum cogit, iam parat exercitum, vt animosè irruat in aduerſarium, ſed iterum ad cœleſtia ſigna recurrit, & prodigia iteratà petit; *Dixit Gedeon ad Deum: ſi ſaluum facis per manum meam Iſrael, ſicut locutus es, ponam hoc vellus lanæ in area, ſi ros in ſolo vellere fuerit, & in omni terra ſiccitas, ſciam, quòd per manum meam, ſicut locutus es, liberabis Iſrael. Factumque eſt ita.* Multi ſunt interpretes in diſputando an Gedeon aliqua fuerit incredulitatis nota obſcuratus, cùm tot à Domino poſtulauerit ſigna victoriæ reportandæ teſtimonia. Diuus [Iſidor.] Iſidorus libr. in Iudices capit. 4. Gedeonem ab incredulitatis nota liberat his verbis: *Quærit fortaſſe aliquis vtrùm quaſi incredulus eſſe videatur, qui frequentibus iam fuerat indiciis informatus. Abſit, non enim ille ambiguus erat; ſed nimirum futura myſteria præuidebat.* Itaque ſignum petiuit prouidus, non incredulus. Rem [Caietan.] clariùs edocuit Caietanus ſic ſcribens: *Non pro ſeipſo; ſed pro populo petiit Gedeon huiuſmodi ſignum, & propterea, non peccauit, nec tentauit Deum; ſed pro vtilitate populi, vt ſecurus ſequeretur eum ad bellum, petiit ſignum: inſinuatur in primis ex eo quòd fuit petitio ſigni congregato iam exercitu, deinde quòd ipſe Gedeon repetit indubiè Deum hoc dixiſſe: non ergo vt ipſe noſſet, qui iam nouerat; ſed vt populus ſciret, ſignum petiit.* Conſcius ipſe erat ſuæ electionis; verùm non fuit contentus propria conſcientia; ſed apud alios voluit teſtatam manifeſta facerent ſigna, vt rem ad ſpeciem difficilem aggrederentur animoſius, conſtantiuſque, dum clarè agnoſcunt Gedeonem tanto ſe muneri non ingeſſiſſe; ſed à Deo electum & impulſum exercitum comparaſſe: & quidem ad noſtram eruditionem dum ſignum exorat, oſtendit à Deo electum externis actionibus ſuam debere electionem teſtatam facere, & ſplendentibus, miriſque virtutibus ſuffulcire. Singulari ſatis eſt probata conſcientia, dignitate prædito opus eſt etiam populari notitia. Ergo Gedeon non peccat, dum ad tantum electus munus vult apud populum virtutis electioniſque opinione fulcire, nec interno ſolùm conſcientiæ teſtimonio gaudere.

158. Oues agebat Moyſes in Arabiæ montibus ſecuriùs, placidiuſque inter pecudes degens, quàm inter aulicos ac inuidos viuens; verùm ipſa dignitatis repulſa ad dignitatem fuit teſſera: nam Deus hominis moribus delectatus in populi ducem, & Deum Pharaonis delegit. tantumque aberat ab electi animo relictæ Ægypti memoria, vt ne illam repeteret, extrahere ſtudioſè moliretur imperia: ipſa honeſta reluctantia erat electi, eligentiſque non modicæ gloriæ: [Exod 4. v 1.] tandem mandatis obſequens ait: *Non credent mihi, neque audient vocem meam, ſed dicent: Non apparuit tibi Dominus.* Populi opponit duritiem, non vt illorum criminetur incredulitatem; ſed vt deuictis impedimentis expeditiùs perfecerit legationem: Quid tunc Dominus iubet in terram virgam projici, & in ſerpentem conuerti: *Proiecit & verſa eſt in colubrum.* Ecce Moyſes ſignum petit non incredulus, ſed prouidus, non dubitans de iubentis potentia, ſed auferens credituris obſtacula: ipſe electionis ſuæ ſatis conſcius erat, curauit verò vti prudentiſſimus indubia apud alios ſuæ electionis teſtimonia: quia nouerat ſatis non eſſe gubernatori electionis ſuæ priuatam notitiam, niſi apud alios virtutis ſortiatur famam. *Timebat Moyſes*, ſcribit [Græcus.] Græcus apud Lippomanum, *ne apud filios Iſrael mendax & vaniloquus haberetur, cùm Deum ſibi apparuiſſe diceret, propterea miracula facere iubetur mutante Deo virgam in ſerpentem, vt poſthac non ſponte veniſſe; ſed Dei iuſſu crederetur.* Adſtipulatur Lippomanus: [Lippom.] *Quaſi dicat: Ego nunc certus ſum me diuinitus vocatum ad liberandum Iſraelẽ: & ſatis eruditus ſum quid eis concionari, quaſq; promiſſiones Dei ipſis inculcare debeam: & quamquam Seniores, vt promittis, credituri ſint propter promiſſiones ad Patriarchas dictas, non tamen fortaſſe populus:* nouerat Moyſes electionem requirere non ſolùm bonam conſcientiam; ſed apud alios etiã legitimæ dignæq; inaugurationis notitiam. Ergo qui ex ſe erat prõptus ad exercendã virtutẽ, ſignum petiuit ad conciliãdam ſibi opinionem: eſt enim apprimè neceſſaria ritè gubernatur is. Ob id Gedeon vellus roſcidum petiuit in ſignum, non ſuæ electionis incertus; ſed notitiæ apud alios ſummè neceſſariæ percupidus.

159. Dei amicos dura non ſemel ſolent pulſare infortunia: imò Deo acceptos declarare ſolent acerba. Adeſt teſtis Lazarus Dei amicus, quem etſi delicatum & humanis commodis circũfuſum, peſtilens morbus inuaſit, vitamque immaturè præcidit, & ne vt dicebã, à Dei amicis has alienas calamitates putares, Euangeliſta, qui prodidit fœtidum, appellauit etiam amicum. Notauit Baſilius Seleucienſis orat. 40. [Seleucienſ. *Non ſemel Deo charis acerba contingunt.*] *Multi mortales*, inquit, *cùm viros Deo acceptos acerbum quiddam pati viderint verbi cauſa aut in valetudinẽ prolapſos, aut in paupertatem, aut aliquid eiuſmodi, animo offenduntur, ignari quòd hæc infortunia ſint amicorum Dei vel maximè: nã & Lazarus erat ex amicis Dei, & æger erat.* Itaque idem erat & amicus & ægrotus; verùm ſi terrea, mortaliſque conditio aſciuit cauſas infirmitatis, virtus amicitiaq; cum Deo maturauit cauſas reſurrectionis. Aduẽtauit Dominus mortẽ depulſurus, & cùm poſſet diuinitatis ſuæ conſcius imperio mortẽ abigere, voluit à patre ſe delegatũ miraculis peregrinis oſtendere: [Ioan.11. v 41.] *Ieſus eleuatis ſurſum oculis dixit: Pater gratias ago tibi, quoniam audiſti me; ego autem ſciebam, quia ſemper me audis; ſed propter populũ, qui circumſtat, dixi: vt credant quia tu me miſiſti.* Bene Chriſtus ſciebat ſe vnctũ, & miſſum; at externis ſignis apud alios voluit innoteſcere veritatẽ, & teſtatiorem fieri eius à patre electionem; nos ſic edocẽs quàm ſit neceſſaria bona apud alios opinio, & digna electionis æſtimatio. [Seleucienſ.] *Veram orationis cauſam ponit*, ſcribit clarus Baſilius, *ne me Deo aduerſari arbitrentur, ne dicant: Non eſt hic à Deo, vt patefaciam de ſententia tua opus fieri.* Quamuis Chriſtus gratias publicè non ageret, opus de Patris ſententia fieri dubitari non poſſet; contẽtus tamen non fuit propria conſciẽtia; ſed apud populum florere voluit ſanctitatis notitia: vt iam nos ſuo exemplo inſtrueret ad curandũ de bono

nomine

Digitized by Google

nomine omnibus quidem neceſſario, præcipuè tamen ad dignitatis culmina elatis, & ad generalitatem ſpectantia munera euectis. Hinc alia & quidem ſuperiorib. gubernatoribus præfectiſque apprimè neceſſaria eruditio obſeruari debet: ſunt namque plures ſic ſuæ dignitati, eiuſque ſplendori addicti, vt non ſemel quidquid auctoritati non congruit, deſpiciant, & aliquando nõ exigui momenti cauſas paruipendant. Ecce dum Chriſtus orat, ſuæ ad ſpeciem dignitati detrahit, quandoquidẽ dum alterius quærit ſubſidiũ, mortem non videtur depellere poſſe imperium, maluit tamen omnium proſpexiſſe ſaluti, quàm ſuæ tantùm attendere dignitati: vt diſcant faſtigia occupantes ſic dignitatis agere cauſas, vt vulgi deſpiciant nunquam querelas: imò aliquando vt generalitatis vitent querelam, dignitatis obliuiſci ſapienter cauſam. *Hoc iterum dicam, quòd anteà ſæpè*, ſcribit Baſilius Seleuciẽſis (Seleucienſ.) orat. 42. *Deum non tam quid è dignitate ſua ſit, quàm quid è ſalute noſtra, neq; tam vt grande quiddã loquatur, quàm vt id, quod nos attrahere queat, conſiderare. Quo nomine ſublimia & magna parcè & latenter loquitur; humilibus verò, & abiectis circumfluit eius oratio.* Ad ſpeciem dignitatis ſuæ tantiſper ſplendorem orans innubilat; ſed ne criminentur tumidum Deique aduerſarium maluit ſuæ ad ſpeciem dignitati detrahere, quàm iniquæ ſuſpicioni occaſionem præbere.

ſ. LXIII.

Qui ſuo non proſpexit generi, à Deo electus non videtur ad triumphos reportandos, & aduerſarios terendos.

260. AMor generis, erga maiores ſtudium à natura probatur innatum, quando laudabilis ambitio eſt in ſuis non ſubire notam, qui ſemper diſcupit augere facinoribus famam: ſibi proſpicit, qui generis quærit ſolicitè claritatem, & inuidet ſibi, qui ſuorum, ſi potuit, indecoram maculam non vitauit, & felicitatem ſuffulſit. Ad depellendam prauitatem electo in ſuis non cógruit ſuſtinere, quod in aliis adnititur vindicare: *Qualem ſuo ſanguini æſtimandus eſt ſociaſſe*, aiebat Caſſiodorus (Caſſiodor.) 9. var. 7. *qui nunquam improbum, vel communioni ſuæ decreuit adiungere: & ideò licèt primæuus venias ad honorem poſt tanti viri iudiciũ, ineptum eſt te dicere non probatum*: omnibus habetur probatus, à iudicio prouidẽtiſſimi electus; quia hæc duo ſibi maximè contrariantur, cognatum ſcilicet maculatum generi adiungere, & ſe à maculati communione retrahere. *Cur magis*, addit Caſſiodorus, *eorũ iudicia non ſequamur, vbi ſemper ſtudioſè ſibi proſpiciunt, etiã qui in aliis actibus frequenter excedunt?* ſibi proſpicit, ſuæque electionis confirmat teſſeram, qui in ſuis ignauè nullo tẽpore admiſit culpam. Adeſt ad huius veritatis confirmationem Gedeõ, qui diuinis ad reportandos de hoſtibus triumphos electus oraculis cecinit buccina, & ſuos in aduerſarios armauit. Verùm antequam Madianitarum culpas deleturus contenderet, vellus cœleſti rore exundare petiuit: *Dixit Gedeon ad Deum: Si ſaluum facis per manum meam Iſrael, ſicut locutus es, ponã hoc vellus lanæ in area: ſi ros in ſolo vellere fuerit, & in omni terra ſiccitas, ſciam quòd per manum meam, ſicut locutus es, liberabis Iſrael.* Et quid roſcido velleri cum reportando de hoſtibus triumpho? Multum & arcanum ſanè in vellere Abrahamiticum ſignari populum Patres teſtantur: ergo dum Gedeon vult electionẽ ſuam ad triũphos teſtatam facere, priùs ſatagit vellus rore cœleſti madere: nec enim crederetur criminib. culpiſque in Madian adũbratis aduerſari, ſi conſtaret conſanguineos ſuos à maculis nõ arcere. Dehiſcente præ nemia ſiccitate tellure vult placido illapſu cœleſtem rorem in vellus infundi, vt iam conſtet ſe à Deo electum cõtra inimicos armari: *Ros in vellere*, ſcribit Auguſtinus ſer. 108. (Auguſt.) de tempore, *fides erat in Iudæa*: ſuos priùs virtutibus exornare, vt contra hoſtes poſſit in bellum animosè prodire, ne ſuſpicione aliqua electionis laboraueril priuilegium, ſi ſuos criminis inficiat contagium. *Quid ergo vellus*, ſcribit Iſidorus (Iſidor.) lib. in Iudices c. 4. *compluitum, & area ſicca ſignificat, niſi quod primo vna gens Hebræorum habebat gratiæ myſterium, totus orbis vacuus erat.* Vt à Deo electus armaretur in aduerſarium, priùs ſolicito ſtudio curauit conſanguineis ſuis gratiæ adquirere priuilegium, ne à Deo deſtinatus non putaretur, ſi in ſuis gratiæ carentiam ſuſtinuiſſet, nec anxia ſolicitudine procuraſſet. Nec hoc ſemel in Gedeone. 261.

Illum iubet Deus Baalis aram ſuffodere, & patris ſui taurum in ſacrificium dicare: *Tolle taurũ patris tui, & alterum taurum annorum ſeptem, deſtrueſque aram Baal, quæ eſt patris tui*: priùs paternam hæreditatẽ ab idololatriæ contagio purgat, quam contra aduerſarios procedat: priùs patris ſui taurum iugulat, quàm plebis taurum ſacris altaribus offerat, ne ordo rationis videretur inuerſus, ſi prius quàm propriis, prouidiſſet extraneis. Vterque taurus ſacrificiis applicatur; ſed priùs paternus offertur. Ita Abulenſis (Abulenſ.) q. 38. *Illi duo tauri pertinebant ad idololatriam: quia primum eorum dedicatum tenebat Ioas pater Gedeonis ad idololatriam: ſecundum verò totus populus conſecrauerat.* Addit q. 41. *Dicendum quòd illum taurum primò immolauit, & cremauit Gedeon, deinde circa auroram finito illo impoſuit taurum alterum ſeptem annorum ſuper ignes altaris.* De paternis tauro nihil remanere permiſit, ne patrem pollutum ſuſtineret idololatria, qui à Domino delegabatur ad de hoſtibus reportanda trophæa. 262.

Balaam à Balac conductus, & amplis muneribus, & honoribus inſtigatus nunquam potuit in populum maledicta congerere; imò compulſus eſt virgæ ac ſyderis victorias prædicere: *Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga de Iſrael, & percutiet duces Moab, vaſtabitque omnes filios Seth*: (Numer. 24. v. 17.) Vbi victoria prædicitur omnis vmbra maledictionis vitatur: non potuit Balaamus hæc duo coniungere, populum ſcilicet maledicere, & victoriam ſyderis prænuntiare: aliter namque ſydus illud ad reportandos de inimicis triũphos à Deo nõ videretur electũ, ſi in genere ſuo maledictionis diſſimulauerit probrũ: lingua Balaami nunquam potuit execratoria verba formare: quia cæleſtẽ victoriã ſyderis debebat prædicere: ingeneraret namq; non exiguam veritatis ſuſpicionem, ſi virga ſuos priùs non defenderet & in alios omnipotentiã vibraret: Iratus Balac contra Balaam comploſis manibus ait, *Ad maledicendũ inimicis meis vocaui te, quibus è contrario, tertiò benedixiſti*: Ad maledicendum conduxit: quia ſperabat, ſi Iſraeliticum genus maledictionibus contingeret faſcinare, triumphos etiam ſyderis impe

Digitized by Google

impedire; at Deus è contrario, vt omnibus nota eſſet futura victoria, omnia impediuit maledictionis auguria. Huc voco Rupertum apud Gloſſam ad illa verba: *Cuius fortitudo ſimilis Rhinocerotis*, ſic ſantem: *Omnia dæmonum regna deijciens*
Rupert. *vnum ſuum regnum quaſi verè vnicornis fundauit in gloria.* Vtrumque neceſſum erat, & regnum ſuum à maledictione liberum priùs in gloria fundare, & dæmonum poteſtates euertere. A ſuis depulit maledictionis initiam, cùm de hoſtibus prænunciatur reportaturus victoriam.

263. Aduentauit Chriſtus Dominus triũphos de virulentiſſimis dæmonibus reportaturus: illi ingenioſa malignitate ſub ſpecie adorationis adnituntur eius diuinitatẽ obſcurare, & ipſis adulationibus tegere: *Quid nobis & tibi Ieſu fili Dei?*
Matth. 8. v. 29. *Veniſti huc ante tem; us torquere nos.* Chryſologus ingenij perſpicacia obtectam malignitatem venatus putat eo tetendiſſe has dæmonis voces, vt Chriſtus à Deo non crederetur delegatus, nec habeteretur diuinus. Audi eius verba ſerm. 17. *Ne*
Chryſol. *Deus intelligatur, ſoluta arte contendit.* Sed quæ hæc callidiſſima dæmonis ars, ſubdola aſtutia, & doloſitas ſerpentina? *Veniſti*, inquit, *ante tempus torquere nos.* Primum Dominici aduentus ſtudiũ ſtatuit fuiſſe non ad reparandum hominem; ſed ad abigendum dæmonem: quod ſi audientibus perſuaſerit, & propoſitum obtinuiſſe gaudebit. Itaque Chriſtus Dei Filius de hominum progenie natus cum hominibus cognationem habebat, cum dæmonibus inimicitiam: à Deo electus miſſus eſt cognati ſibi hominis ſalutem procurandam, & tyrannidem dæmonis depellendam: ergo verſutiſſimus inimicus inuertit ordinem, & exteris vocibus conteſtatur primum Chriſti Domini ſtudium non fuiſſe prouidere cognato; ſed aduerſari inimico, vt electionẽ infamet, & electum etiã obſcuret. Quod agnoſcens Dominus carpſit & malignitatis linguam occluſit. Pulchrè Tertullianus lib. 4. con-
Tertullian tra Marcion, cap. 6. *Increpuit illum Ieſus planè vt inuidioſum, & in ipſa confeſſione petulantem, & malè adulantem, & quaſi hæc ſumma gloria Chriſti, ſi ad perditionem dæmonum veniſſet, & non potius ad hominum ſalutem.* Quid opportunius? A Deo Deo electus priùs didicit cognatis honeſtè prouidere, quàm aduerſariis reſiſtere, & detriũphare: ambitioſus prætetire ſolet ſuorum curam, & inhiantet geſtire victoriam: ergo dæmon, vt Dei aduentum non diuinum; ſed humanum perſuadeat audientibus, clamat totum eius ſcopum fuiſſe deuiciſſe inimicos, & quaſi obliquè tutatum fuiſſe cognatos. Verùm vt petulantiſſimus cohibetur, vt ſubdolus, & fraudulentus frænatur, vt conſtat omnibus Chriſtum potiori ſtudio attendiſſe hominis ſibi cognati ſaluti, & ob id fuiſſe congreſſum cum hoſte.

264. Maria cùm Dei mater eligitur, & ad veternoſi ſerpentis caput conterendum ſignatur in montana pergit beneficium impertitura cognatæ.
Luc. 1. v. 40. *Intrauit in domum Zachariæ, & ſalutauit Elizabeth.* Ildelphonſus à filio teſtatur edoctam: *De*
Ildephonſ. *conceptu*, inquit, *honorem deferre didicit cognatis.*
Ambroſ. Adſtipulatur Ambroſius ad hunc locum: *Religioſa pro officio, feſtina pro gaudio in montana perrexit.* Expende illud *pro officio*, quaſi pietate cogeretur ad officioſè conſulendum cognatæ, quæ ſingulari adeò de dæmonibus deſignabatur victoriæ: nec enim à Deo videretur electa, ni cognatis exhibuiſſet officia. Ergo Gedeon vti à Deo deſignatus priùs prouidit patri, & poſtea bellum intulit audacter hoſti.

§. LXIV.

Nunquam deeſt, qui felicitatis tempore aliquid ſugat; ſed deeſt, qui indigentiæ tempore impendat.

Felicitas plures ſibi aduocat, & conciliat amicos, verùm tunc non perſonæ plauditur; ſed 265.
fortunæ falluntur homines mendacio illuſi, & illuſionibus faſcinati: & cùm ſe ab omnibus laudari, & extolli audiunt, non agnoſcunt illud in gratiam fieri fortunæ: omnes feliciſſimo adhærere geſtiunt, ſed aliquid ſugendi percupidi, non obſequendi ſtudioſi: *Si perpendere te voles*, aiebat Seneca.
Seneca epiſt. 80. *Sepone pecuniam, domum, dignitatem, intus te ipſe conſidera; nunc qualis ſis, aliis credis.* Credunt multi quales ſint, dum ab adulatoribus audiunt; at ſi ſeponeretur fœlicitas, ſine dubio pateret veritas: circa euerſos ſolitudo eſt, circa felices, concurſus: omnes iſti quos amicos deluſus exiſtimas, ſuæ cupiditati adulantur, dum tuæ felicitati blandiuntur. Quẽ felicem palpant, quem diuitem cingunt, miſerum auerſarentur, & fugerẽt. Huius veritatis mirum emblema ſine crimine adeſt Gedeon, qui geminum in vellere ſignum à Domino poſtulauit, ſcilicet compluntum vellus cœleſti rore exundare, & poſteà ſiccitate maxima areſcere; & cùm vellus idem fuerit in vtraque fortuna, magna circa illud inuenitur differentia: *Ponam hoc vellus lanæ in area: ſi ros in ſolo vellere fuerit, & in omni terra ſiccitas, ſciam quòd per manum meam, ſicut locutus es, liberabis Iſrael. Factumque eſt ita.* Itaque vellus diuitiis abundabat, cùm tellus ſiccitate ſordebat: quid tunc? *De nocte conſurgens*, addit textus, *expreſſo vellere concham rore impleuit:* ſomnum interrumpit Gedeon, relinquit quietẽ, vt alta nocte ad vellus accedat, vt inuiſat: poſteà, vt varia ſunt tempora, vellus nec ſtilla roris fruitur; ſed ſiccitate exuccum, & aridum premitur: *Fuit ſiccitas in ſolo vellere; & ros in omni terra:* hîc iam non audies Gedeonem de nocte ſurrexiſſe, velleri proximaſſe: & quidem congruum videbatur, vt qui antea nocte perrexerat, modò etiam eadem ſolicitudine ſurgeret, & vellus inuiſeret: cur ergo anteà quietem interrupit, vt proximaret, & modò non ſurrexit nocte, vt accederet? Ratio facilis: anteà ſurrexit; ſed vt concham rore impleret, modò exucco opus erat aliquid impertiri: ergo cùm ſiccum ſordeſcit vellus, non audies de concha Gedeonem aliquid impendiſſe; ſed de exundanti concham pleniſſimè cumulaſſe. Quod etſi arcana contineat alia myſteria theſis, tamẽ noſtræ poteſt adaptari doctrinæ: ad felicem omnes inuolant; ſed vt impleant conchas, vt exprimant, vt ſugant; ac ſiccitatis tempore iam non ſolùm non accedunt officioſi; ſed ignorantiam affectare ſolent ingrati: *Multi illum comitantur* ſcribit Seneca de remediis fortuit. *mel muſca ſequuntur, cadauera lupi, frumenta formica, prædam ſequitur iſta turba, non hominem.* Fauo muſcæ adhærent; ſed dum melle diffluit, vt mella ſugant; at ſi iam prorſus exuccus & aridus, ad illum non inuolabunt: ſed pertranſibunt. Ergo velleri roſcido Gedeon accedit, vt concham impleat: ſiccum pertranſit, quia implere non poteſt concham.

Digitized by Google

266. Ioanni Chriſtus obiicitur toto ſolis iubare reſplendens: manum eius ornabant ſeptem fulgidiſſimæ ſtellæ: Apoc. 1. v. 16. *Habebat in dextera ſua ſtellas ſeptem, & de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat, & facies eius ſicut ſol lucet in virtute ſua.* Vides plurima & candidiſſima ſydera adſtare lucenti: tranſi modò ad Matthæi 2. inueniesque vnicam tantùm ſtellam tuguriolo adſtitiſſe, & officium Domino miniſtraſſe: Math. 2. v. 9. *Ecce ſtella, quam viderant in oriente, antecedebat eos, vſque dum veniens ſtaret ſupra vbi erat puer.* Inquiramus, ſi iuuat, cur vnica tantum ſtella modò adſiſt, cùm tot in Apocalypſi adſtiterint: Certè vtrobique eadem erat perſona, eadem dignitas, & eadem ſanguinis claritas. Si ergo ſtellæ geſtiunt in Apocalypſi deuoto officio Domino miniſtrare, cur non exambiant præſepi reclinato ambitu deuoto inſeruire? Status diuerſitas ſtellarum attulit aut multitudinem aut paucitatem: ſtellæ lucem mutuantur à Sole: ergo cùm Sole reſplendet, plures accedunt ſtellæ non ſolùm vt debitum exhibeant officium, ſed vt ſplendoris acquirant etiam augmentum; at vbi fortuna diuerſam induit faciem; vbi iam non in medio candelabrorum aureorum; ſed pannis viliſſimis tectus & præſepi ignobili reclinatus, vna nec ſine miraculo adeſſe inuenitur ſtella: quia hic neceſſium eſt miniſtrare fulgorem, cùm alibi ſtellæ ſuxerint claritatem: ſtellas nulla potuit ingratitudinis aut cupiditatis obſcurare nebula, vt quæ exſtiterint ſupernorum Angelorum figura; at ad noſtram eruditionem ſic diſpoſita res eſt, vt Sole veſtito ſeptem adeſſent, & ſplendore externo carenti vnica tantùm ſtella, nec ſine miraculo miniſtrarit. Chryſol. Audi Chryſologum ſermone 156. *Apparuit ſtella non volens; ſed iuſſa: non cæli nutu, ſed dominatus impulſu, non lege ſyderum, ſed nouitate ſignorum.* O quàm inſolitum ac nouum erat tuguriolo latenti, externo carenti faſtu ſtellam miniſtrare fulgorem, & immotam ad præſtandam lucem! Quod ſi velis idem expendere in Magis & in turbis Chriſtum vſque ad deſertorum inuia comitantibus, videbis nullis obſtaculis impeditam turbam, quominus Chriſto pane exundanti adſtiterit obſequioſa, & vt obſequatur, ſi fas eſt dicere, importuna: Ioan. 6. v. 1. *Abiit Ieſus trans mare Galilææ, quod eſt Tyberiadis, & ſequebatur eum multitudo magna, quia videbant ſigna quæ faciebat ſuper his qui infirmabantur.* Vides ferè innumeram multitudinem inuolaſſe: tranſi modò ad Magos, qui vt tuguriolo accederent, opus fuit noui ſyderis luce prolectari, & ſi fas eſt dicere, impelli. Quod ſi diuerſitatis cauſam inquiras, inuenies Magos aduentaſſe, vt offerrent: *Apertis theſauris ſuis obtulerunt ei*; at turbam *vſque ad deſerta contendiſſe, vt acciperent.* Miraculo & quidem inſolito, ſæculiſque retro inuiſo opus fuit vt Magi infantiam Domini remuneraturi domum intrarent, nil fuit impedimento, vt turbæ vſque ad deſertorum confragoſa contenderent. Adeſt Seleucienſ. Baſilius Seleucienſis orat. 33. *Affluebant, cui collubitum erat, ſequebantur: morbidus eximebatur è morbo, patuerunt fontes benignitatis, & omnes fruebantur, imprudentes igitur in deſertas vſque terras iter contenderunt.* Dum morbidus ſalutem ſperat, dum famelicus ſaturitatem exoptat, accurrunt ad benignitatis fontem, cùm Magos cucurriſſe quid grandius miraculo fuerit. Ita Chryſologus ſerm. 156. *Plus cæleſti de Magis, quàm de ſtella ſignum eſt.* Chryſol. Signum peregrinum fuit nouum ſydus aëre ſuſpenſum radiare; ſed maius prodigium Magûm pauperi munera oblaturum accurrere: nam, vt benè aiebat Zeno Zeno. ſermone de fide, ſpe, & charit. *Tolle ſpem, torpet humanitas tota.* Humanam naturam homines videntur exuere, ſi non expectent quid ſugere. O quoties neceſſarium tibi erit adſtare, refricare memoriam, limina terere, importunis precibus faſtidium parere, ſi alterius indigneris auxilio, cùm omnes ad te ocyſſimis alis inuolarint, dum ridente fortuna alicuius vtilitatis alliciebantur emolumento.

Chriſtus Dominus paſſioni proximus in Gethſemani contendit, ibi diſcipulos ſemel, 267. & iterum admonet compatiantur afflicto: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem: ſuſtinete hic,* Matth. 26. v. 38. *& vigilate mecum.* Citò paruerunt diſcipuli, cùm Eliſæus laudabili pertinacia fuerit magiſtrum ſecutus, & vſque ad raptum ſtudioſiſſimè comitatus: remanentes diſcipulos ſemel & iterum expergefacit, & vigilare ſecum expoſcit: *Venit ad diſcipulos ſuos, & inuenit eos dormientes, & dicit Petro: ſic non potuiſtis vna hora vigilare mecum? Vigilate, & orate.* Itaque vt indulgeant ſomno, aſſiſtere recuſant magiſtro. Tranſi modò ad Marci 4. vbi diſcipuli Marci 4. dormientem excitant, & ingeminatis clamo- v. 31. ribus interpellant. *Erat ipſe in puppi ſuper ceruical dormiens, & excitant eum, & dicunt illi: Magiſter non ad te pertinet, quia perimus?* Qui oculos nolebant diducere à ſomno, accurrunt, & accedunt magiſtro: & quare? Quia hic periculum auertere conabantur, alibi afflicto opus erat adeſſe, & quodammodò moleſtias eius ſubire. Ergo cùm indigent Magiſtro, non patiuntur dormire, cùm eis ipſe indiget, nec repetitis exhortationibus ſuſtinuerunt inuigilare. *Ad portum*, ſcribit Baſilius Seleucienſis, orat. 22. Seleucienſ. *qui in ſcapha erat, accurrunt:* non tam magiſtrum quærunt, quàm portum. Et vt videas quàm alius à diſcipulis ſit magiſter, ipſe ſemel excitatus accurrit, diſcipulus adhuc poſt excitationes plurimas dormit. Ergo Gedeon arcanè de nocte non ſurgit, cùm vellus areſcit; ſurgit tamen, & accedit, cùm concham implet.

§. LXV.

Maria vti Dei mater ſpeciali ſemper priuilegio refulget, & creaturas reliquas honoribus antecedit.

INdiſcreti hominum mores, confuſique va- 268. garentur, ſi aut culpa formidinem, aut virtus præmia non haberet; ſed licèt vtraque ſuis finibus, propriaque terminatione claudantur; nefas eſt dubitare de meritis eius, cuius electionem ipſum Numen ad ſapientiæ prodidit pompam, & ad oſtentandam decreuit omnipotentiam: *De illo nefas eſt ambigi*, aiebat Caſſiodorus 9. variar. 22. Caſſiod. *qui meruit eligi iudicio principali: non enim quicquam aut odio decernimus, aut pellecti aliqua gratificatione laudamus: electio noſtra* de

Digitized by Google

Electio laudabilis de meritis venit.

de meritis venit, & tantò quis regali animo proximatur, quantò bonis ſtudiis ſocietate coniungitur. Electio Principis electum omni criminis macula carere teſtatur: quia in eligentis verteret probrum, ſi quid in electo ſugillaretur obſcurum. Quod ſi ita eſt caducis in rebus, quid ſentiendum erit de diuinitatis conſiliis? Certè quæ ſpeciali electione Virgo ſemper nobilitata refulſit, omni culpæ contagio carere licuit: vt repetere poſſit Aurelius: *Propoſitum ſiquidem tuum celebrata dilatauit opinio faciens fidem generis morum pondere, non ætate.* Attendenda quæ ſubdit: *Neque enim fas erat, vt quem familia tanta produxerat, ſententia noſtra in eo corrigendum aliquid inueniret. Semen generis morum fructibus reddidiſti.* O quàm aptè hæc congruunt Mariæ! Fas non erat, vt quam Trinitas tota ſumma ſolertię ſtudioſitate produxerat, & ſumma conſiliorum prouidentia ſibi delegerat, næuo aliquo obſcuraretur, qui ad ſpeciem artificis denigraret ſapientiam, & obſcuraret peritiam. Hinc dignoſces cur Gedeon vellus mundiſſimum cæleſti rore petierit perfundi, cùm reliquam terram conſtabat areſcere: *Dixit Gedeon ad Deum: ſi ſaluum facis per manum meam Iſrael, ſicut locutus es, ponam hoc vellus lanæ in area: ſi ros in ſolo vellere fuerit, & in omni terra ſiccitas, ſciam quod per manum meam ſicut locutus es, liberabis Iſrael.* Quærunt Patres, cur Gedeon, qui nullatenus dubitare debuiſſet, hoc ſignum à Domino poſtularit. Iſidorus libro in Iudices, capite 4. reſpondet ſignum non petiiſſe ambiguum; ſed futuri myſterij gnarum. Accipe eius verba: *Quærit fortaſſe aliquis, vtrùm quaſi incredulus eſſe videatur, qui frequentibus tam fuerat indiciis informatus. Abſit: non enim ille ambiguus erat; ſed nimirum futura myſteria præuidebat, quæ etiam promdus diligentiſſimè explorabat, vt amplius crederet myſterium, dum intellexiſſet oraculum.* Agnouit Gedeon de mundiſſima Virginis carne in vellere illo adumbrata carnem à Domino deſumendam, vtque priùs Virgo, quàm ipſe, triumphos ageret de aduerſariis, ſic voluit à reliquo orbe vellus diſtare, vt cùm orbis totus ſqualeſceret ſiccitate, cæleſti exundaret rore. *Denique*, addit Iſidorus, *quando totus orbis infructuoſo cultu gentilis ſuperſtitionis arebat: tunc erat ros ille cæleſtis viſitationis in vellere.* Vellus ſemper à reliqua terra differre cognoſcitur: nec mirum eſt, cùm ad Virginis vmbram delectum fuiſſe noſcatur. Adeſt Chryſologus, ſermon. 143. *Singulis gratia ſe eſt largita per partes; Mariæ verò ſimul ſe totam dedit gratiæ plenitudo: Omnes, inquit Euangeliſta, de plenitudine eius accepimus, vnde & Dauid dicit: Deſcendit ſicut pluuia in vellus: vellus cùm ſit de corpore, neſcit corporis paſſiones: ſic Virginitas cùm ſit in carne, vitia carnis ignorat.* De terra eſt vellus; ſed ſic à reliqua terra differt, vt fœda telluris ſiccitas adulletur velleris vbertati: nec enim Maria potuit vnquam cæleſti rore carere, aut terræ maledictione ſiccari.

De glorioſa familia natus, moribus debet eſſe ſemper eximius.

Iſidor.

Chryſol.

Maria omnem carnis labem ignorat.

269. Vidit Nabucho proceram arborem ramis protenſam, ibique cacumen agentem, vbi ambitio nequiuit aſcendere; imò nec ſuperbia potuit præſumere; verùm elatio dum debitos ſibi terminos molitur prætumpere, probatur ſibi ſtragem luctuoſiſſimam maturare: Sanctus, vigilque de cælo deſcendit, & dormientem, vaniſque illuſum phantaſiis digno ſupplicio puniuit. Ecce arbor foliis pulcherrimis denudatur, fructibus interdicitur, ac denique duris ictibus præciſa proſternitur; verùm in tam luctuoſa generalique ſtrage radix nec ferro tangitur, nec cæleſti indignatione percellitur. Audi vigilis ſententiam: *Succidite arborem, & præcidite ramos eius, excutite folia eius, & diſpergite fructus eius.* Addit: *Veruntamen germen radicum eius in terra ſinite.* Nabucho vti etiam Adamus, dum ambitionis ſomno oppreſſus aſcenſiones vaniſſimo in corde diſponit, præciſus & nudatus luget; at radix intacta à clade ſeruatur, vt ſpecialiſſimo ſemper fulſerit priuilegio, quæ reparando ſeruabatur excidio. Adeſt noſter Pereira, libro 5. in Danielem: *Arbor illa viſa Regi in ſomno proceriſſima & ampliſſima pulcherrimis frondibus, floribus, & fructibus ornata ſecundum myſticum ſenſum adumbrauit miram ſtatus primi hominis ante peccatum felicitatem; eadem mox bonis ſuis omnibus, atque ornamentis ſpoliata, & exciſa; ſeruata tamen radice vnde rurſus creſcere, florere ac fructificare poſſet, ſignificauit eiuſdem primi hominis miſerrimum ſtatum, poſtquam lapſus eſt in peccatum, quo omnis eius poſteritas vitiata & perdita eſt.* Addit interpres eruditiſſimus: *Fuit tamen radix, & germen eius ſeruatum; intelligo autem per radicem Beatiſſimam Virginem Mariam peccato Adami nullatenus infectam: ſic enim ipſam appellauit Iſaias, capite 11. Egredietur virga de radice Ieſſe.* Cùm rex eſſet Nabucho, non intellexit, & comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis; verùm eo ipſo tempore, quo omnes ab ipſo propagati rami ſciſſi marceſcebant & nudi, radix ſingulari priuilegio ab omni ictu ſeruabatur intacta, & ad producendum germen ſanctiſſimum vegeta: *Per germen radicis*, addit ibi Pereira, *Chriſtum Dominum interpretor, qui arborem humanæ naturæ vitio Adami deſtructam & corruptam, non tantum in priorem, qua condita fuerat, dignitatem; ſed in multo etiam ampliorem ac florentiorem reparauit.* Per Chriſtum ad floridiorem pompam arbor eſt reſtituta, quæ fuerat per Adamum protſus deiecta; verùm in vniuerſali illa ſtrage radix ſeruata eſt, quia germen fœcundiſſimum prolatura: nec enim fas erat, vt quæ fructu adeò nobili lætabatur, hoſtili ferro dæmonis tangeretur.

Dan.4. v.11.

Pereira.

270. Sponſus ipſo in vitæ ſponſæ exordio fragrantiæ eius ſanctitatis recreatus dicebat: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij.* Ecce per deſertum, quo deſcendebat Adamus, aromatica virgula aſcendit: nec inuenies aliquo inſtanti vixiſſe, & mira fragrantia ſenſus non recreaſſe. Petrus Damianus, ſermone 1. in Epiphan. Domini notat priùs referri myrrham, & poſteà thuris fragrantiam, redditque rationem, myrrham ſcilicet præſeruationem deſignare, quæ ni præcederet, odorem adeo ſuauem non exhalaret. Accipe eius verba. *In cantico amoris hæc duo in ipſa iunguntur: vbi dicitur: Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij?*

Cant. 3. v. 6.

Damian.

Digitized by Google

ru? *Myrrha arcet vermes à corporibus mortuorum, & ipſa corpora conſeruat à corruptione:* ſubnectit: *Per myrrham ergo carnis integritas deſignatur; thus verò mentis exprimit deuotionem: benè ergo hæ duæ ſpecies in ſtella & virga noſtra iunguntur: quia in Virgine Maria carnis integritas & mentis deuotio ſemper indiuiſa manſerunt.* Itaque vt nunquam virginitatis laus Chriſti Domini parenti defuit in corpore, ita nec deuotio in mente; imò ſemper hæc duo inſeparabili amicitia inueniuntur coniuncta, myrrha videlicet & thus: nec enim vel per vnicum inſtans animæ defuit fragrantia, vt nec corpori Virginei candoris gloria. Et totum hoc in deſerto, vbi corruiſſe Adamum, omneſque eius poſteros tradit Gloſſa D. Thomæ ad Matth. 4. *Deſertum eſt inter Ieruſalem, & Iericho, vbi morabantur latrones.* Addit: *Vnde & homo cùm deſcendiſſet à Ieruſalem in Iericho, incidiſſe dicitur in latrones gerens figuram Adæ, qui à dæmonibus victus eſt.* En vbi omnes in Adamo deſcenderunt, aſcendit virga myrrha præſeruata, & fragrantia ſemper plena, vtque Mariæ priuilegium dilucidiùs agnoſcas, animaduerte ea temeritatis procacia inſaniſſe dæmonem, vt in hoc deſerto præſumpſerit Chriſtum tentare, caſumque ſuadere; at nũquam potuit virgæ aſcendentis obliquare rectitudinem: quia à primo inſtanti myrrhæ iam ſecum habebat præſeruationem: hanc adeò fœtidiſſimi infernorum vermes myrrham perhorreſcunt, vt non præſumant accedere; imò ſe fortunatos putẽt, ſi contingat effugere: *Myrrha arcet vermes* Ergo ne aliquo inſtanti hæc regia virga maculæ verme abroderetur, myrrha prouidentiſſimè præſeruatur. In deſerto virga obtinuit à Deo laudem, vbi Adamus, & in eo omnes poſteri feliciter ſunt adepti miſerationem. Adde Chriſtum non pati Mariæ vmbram cæleſtis iræ minis percelli, etſi Chriſti Domini imaginem ob alienam culpam patiatur cæleſtem indignationem ſubire. (Gloſſ.)

270. Aduentabat Moyſes verus homo Dei nomine populum redempturus; filius eius culpa ſordeſcebat fœdatus, cùmque tota familia ad diuerſorium perueniſſet, ecce Dominus ſtricto gladio mortem Moyſi ſolùm non Sephoræ intentat: *Cùm eſſet in itinere in diuerſorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.* (Exod. 4. v. 24) Et cur non Sephoram? Fors Moyſes, quia Chriſti perſonam geſſit, alieni peccati iram in ſe & ſuſtinuit & ſoluit; at Sephora quia matrem Virginem adumbrabat, nec incurrit periculum, nec minans ſuſtinuit ferrum. Gregor. apud Lauretum Ceruatienſem in Sephora pulchritudinem placantem intelligit: *Sephora, id eſt pulchritudo, vel placans fuit vxor Moyſis.* Maria vera animi pulchritudine Deum placauit: ergo in placantem nunquam ſtringitur ferrum, nec vel vmbratile potuit ſollicitare periculum. (Gregor.)

§. LXVI.

Sine Virginis ope hoſtis difficulter vincitur, eius auxilio facillimè debellatur.

271. QVi inimicos glorioſo cupit triumpho proſternere auxilium diſcat puriſſimæ Virginis implorare. Hanc vti ineluctabile ſibi fatum perhorreſcunt dæmones, hanc diffugiunt virulentiſſimi hoſtes: qui ſine Mariæ auxilio in campum proſilit, inauſpicato contendit: hæc eſt enim ſacra, non fabuloſa Bellona, quæ inuictos inſpirat animos, & vires largitur ad triumphos, vt repetere poſſit quod aliorum Caſſidorus de illa decantanda regina 11. var. 1. ſtylo florenti ſcripſit: *Pertulit à matre protectus, quod vix pati potuiſſet deſtitutus: ſub hac autem Domina quæ tot reges habuit, quot parentes iuuante Deo noſter exercitus terret externos, qui prouida diſpoſitione libratus nec aſſiduis bellis atteritur, nec iterum longa pace mollitur.* Profectò ſub Mariæ auxilio vel exiguus exercitus terret hoſtes innumeros, nec poſſunt ſacræ Bellonæ reſiſtere, qui alias hoſtes præſumerent detriumphare. Beatam te, repetit ibi Caſſiodorus, domina, laude multiplici, cui diuino beneficio neceſſitas tollitur cuncta certaminis, quando aduerſa Reipublicæ aut cæleſti felicitate vincis, aut tuis imperiis ſpontanea largitate coniungis: Exultate Gothi pariter ac Romani dignum miraculum quod omnes loquantur: ecce præſtante Deo felix domina quod habet eximium vterque ſexus impleuit: nam & glorioſum regem nobis edidit, & latiſſimum imperium animi fortitudine vindicauit. (Caſſiod.) Sine Mariæ ope fracta cladibus regna difficulter ad felicitatem reuocantur antiquam, eius tamen protectione ampliorem citò ſortiuntur gloriam. Hinc eſt quòd Gedeon de victoria oraculo confirmatus, & iam cæleſti ſigno non dubius, adhuc ad felicitatis cumulum ſignum petit, & vellus complutum ad diuinæ propitiationis teſtimonium requirit: *Dixitque Gedeon ad Deum: ſi ſaluum facis per manum meam Iſraël, ſicut locutus es, ponam hoc vellus lanæ in area: ſi ros in ſolo vellere fuerit, & in omni terra ſiccitas, ſciam quod per manum meam, ſicut locutus es, liberabis Iſraël.* Iam quæres cur Gedeon aliis ſignis inſtructus velleris ſignum petierit, & in vellere vniuerſalem ſalutem omnibus expectarit. Cui dubio reſpondet Ephræm de laudibus Virgin. adumbrari ſcilicet in vellere: (Ephrem.) *Maria vellus Gedeonis.* Et annuit Proclus in (Proclus.) Concilio Epheſino, capite 7. *Vellus mundiſſimum, ex quo paſtor ouem induit:* Sciebat fortiſſimus Gedeon iuuante Maria omnia fortunatè ſuccedere, & ſine eius ope non adeò cumulatè felicitatem radiare: & ob id non ambiguus, ſed prouidus vellus cæleſti rore petiuit exundans vt eius ſtillicidiis irrigata Reipublicæ floreret proſperitas, & aduerſarios premeret duriùs calamitas. Adeſt Auguſtinus, libro 1. de mirabilibus ſacræ Scripturæ, capite 5. & apud gloſſam. *Ros prius demonſtrabat in ſolo vellere oſtenſus quòd diuina miſeratio, quæ tunc Iſraël in fragili & molli populo fuerat, ignitas gentium iras ſicut aqua ignem poſſit extinguere.* Ipſe Auguſtinus adſtipulatur ſibi ſermone 108. de tempore. (Auguſt.) *Licèt Gedeon fortis eſſet & fidens, plenora adhuc de Domino futuræ victoriæ documenta quærebat dicens: ſi ſaluum facis per manum meam populum Iſraël, ſicut locutus es, ponam hoc vellus lanæ in area: ſi ros in ſolo vellere fuerit, & in omni terra ſiccitas, ſciam quod per manum meam, ſicut locutus es, liberabis Iſraël.* Fauſtiſſima quærit de futura victoria auſpicia, dum ad

Digitized by Google

ad Virginis recurrit myſteria : quia ſine Maria nec calamitas depellitur,nec felicitas reuocatur.

273. Moyſes ad Pharaonis peruicaciam puniendam delegatus, & ad aſſerendam libertatem populi miſſus, imperium extrahere adnititur, linguæ balbutiem allegans.obſecro Domine, non ſum eloquens ab heri & nudius tertius:Dominus ſe promittit ſuppleturum defectus: *Ego ero in ore tuo:*adhuc inſtat,& excuſationis cauſas colorat: *Obſecro, inquit, Domine, mitte quem miſſurus es.*
Exod 4 v.10 Contentioſus adhuc poſt diuinũ auxilium ſibi promiſſum inſiſtit, & tempus diſceptationibus extrahit.Quid tunc pro ſua benignitate Dominus? Virga imbecillem manum inſtruit: *Virgam quoque hanc ſume in manu tua, in qua facturus es ſigna,* & iam omnes excuſationis cauſas exterminat. Et quidem Moyſes licèt antea tanta diuinis iuſſis obiecerit,iam obſequentiſſimus paret:*Abiit Moyſes,*&c.Quæramus cur quouſque illi virga conceſſa fuerit, aggredi certamen diſtulerit,curque nullas iam cauſas exinceps allegauerit.Profectò qui diuino potiebatur auxilio, nullo impediri quibat obſtaculo. Adhæc poſt conceſſam ſibi virgam non reluctari, geminatâ culpa potuit videri,quandoquidem plus ad ſpeciem iuſto fidebat baculo,& omnipotentiæ minus auxilio. O vtiliſſimam nobis eruditionem. Sciebat Moyſes in virga Virginem figurari, & quouſque eius cõtra inimicos ope ſe vidit tueri, mandatum inſtitit protelare,non de diuino auxilio dubius; ſed ſuperni myſterij conſcius, & celeritatis anxius. Audierat illud: *Ego ero in ore tuo:*audierat populũ educendũ;at non ignauus; ſed prouidus virgæ expectauit auxilium:quia in
Bernard. virga Virginis agnouit myſterium.Ita Bernardus
Maria virga Moyſis. ſerm.3.*ſuper Miſſus eſt*,Mariam virgam Moyſis appellans:*Maria virga Moyſis.*Et quidem illum ſua non fefellit opinio: nec enim victoriæ cumulatiùs reſplenduit triumphus,quouſque virga percuſſum mare Ægyptiis ſepulchrum fuit,
Seleucienſ. & Iſraëliris ſecurum iter.Ita Baſil.Seleuc.orat.9. *Nec vindicta,* inquit, *curſus antè potuit abrumpi, quàm virga percuſſum mare his iter illis ſepulchrum fuerit,& mare continentis inſtar viam Abrahamitis aperuerit, ceteros fluctus hauſerint.* Itaque myſterium præuidens Moyſes excuſationis colorauit cauſam,quouſque pro armis accepit virgam, vt iam nobis oſtenderet ſine Mariæ ope differri triumphos,proterique eius auxilio ſine difficultate aduerſarios. Adde citiùs inimicorum ardorem non ſemel cohiberi de protectione Virginis, quàm de ipſo auxilio Numinis.

274. Laban de idolorum rapina acri indignatione commotus Iacobum propria repetentem proſequitur; verùm Deus fideliſſimus ſuorum protector vrgentiori periculo adfuit, & inſanientem
Gen.31.v.24 repreſſit:*Vidit in ſomnis dicentem ſibi Deum: Caue ne quidquam aſperè loquaris contra Iacob.*Labanus licèt furorem repreſſerit,à perſequendo non deſtitit;imò ocyſſimus inuolauit. Tranſi modò ad 35.Geneſis,vbi cum luctuoſiſſimam ſtragem Iacobi filij Sichimiris intuliſſent, & finitimarum gentium iracundiam vehementiſſimè exulceraſſent, Deus Iacobo conſulit Bethel aſcendat, & vbi priùs ſcalam viderat,habitet:*Aſcende Be-*
Gen.35.v... *thel,& habita ibi.*Paruit Iacob,adeòque magnum obedientia timorem inimicis incuſſit, vt non ſolùm non præſumpſerint vincere;ſed nec auſi fuerint fugientes perſequi:*Terror Dei inuaſit omnes per circuitum ciuitates, & non ſunt auſi perſequi recedentes.* Et quare auſi nõ ſunt recedentem perſequi, cùm Labanus nec Domini minis fugientem & nepotem deſtiterit inſectari? Certè Labanus carebat idolis;ſed gentes Sichimitis affinibus,& cognatis;cúmque frequẽtius ſit vindicare illatam homini iniuriam,quàm tueri Numinis cauſam,alios terrore detentos fuiſſe,alios verò nec intentatis flagellis gradum retardaſſe, nos compellit ad inquirendum arcanum, & ad abſtruſum eruendum myſterium.Putauerim locum,ad quem modò tetendit Iacobus,quia vmbra Virginis munitus,protectuſque,adeò hoſtibus terribilem,horribilem,& inacceſſum fuiſſe, vt nullatenus attentauerint illuc verſus promouere gradum:quia in ipſo acceſſu ſummum ſibi arbitrabantur periculum: proſequatur Labanus adhuc poſt Dei monita, fugientes; at nationes finitimæ non audebunt: quia Iacob modò ad ſcala munitum locum ſe conferebat,& ad ſcalæ vmbram totis artubus infernus timet,& timore horribili pauet.*Facta eſt Maria,*ſcribit Augusti- Auguſt.
nus ſerm.11.de natiu.Domini,*ſcala cæleſtis: quia per ipſam Deus deſcendit ad terras, vt per ipſam homines aſcendere mereantur ad cælum.*Conſonat Damaſc.orat.1.de natiu.& orat.1.de dormitione: Damaſcen.
Eodem modo tu quoque mediatricis munere perfuncta, deſcenſuſque Dei ſcala effecta, per quam ipſe infirmam noſtram maſſam aſſumpſit: hinc Angeli quidem ad eum deſcenderunt, vt videlicet Domino ac Deo inſeruirent; homines autem Angelica vitæ ratione vſi in cælum ſublimes rapiuntur. Vbi Iacob ad ſcalæ locum contendit, adeò ſecurum iam tenet aſylum, vt Angelorum copioſa manus aduerſariis timorem ſemper incutiat,& ſolicito ſtudio confugientes ſemper cuſtodiat.

§. LXVII.

Facilè ſuſpicioni accedimus ad aliorum notam, cùm non ſic accedamus ad famam.

Citiſſimè opinioni accedimus,nec illam coarguimus;hoc tamen ſolùm contingere ſolet eis in rebus, quæ aliquam vitæ aut famæ offundunt caliginem, non in eis, quæ afferunt & parturiunt honorem,imò opinionem huiuſmodi coarguimus, examinamus, diſcutimus, & Thomæ ad inſtar nec oculis credimus. Oppor- 275.
tunè Seneca,lib.2. de ira,c.23. *Non criminatio-* Seneca. *Suſpicionibus impellimur.*
nibus tantùm; ſed ſuſpicionibus impellimur,& ex vultu riſuque alieno peiora interpretati innocentibus iraſcimur. Non ſemel innocens peruerſus audit,nullo alio teſtimonio,niſi ſuſpicionis delirio:nec rebus tantum ſed ſomniis credimus in his quæ famam denigrant, cùm aliquando miraculis non credamus in his quæ mores hominum cohoneſtant. *Tollenda,* addit Seneca,c.24.
ex animo ſuſpicio,& coniectura falllaciſſima irritamenta: ille me parum humanè ſalutauit, ille inchoatum ſermonem citò abrupit, ille ad cœnam non vocauit, illius vultus auerſior viſus eſt: non deerit ſuſpicioni argumentatio, ſimplicitate opus eſt, & benigna rerum æſtimatione; nihil niſi quod in oculos incurret, manifeſtumque erit, credamus. O vtinam non crederemus vaniſſimis ſuſpicionibus ad notam, aut crederemus etiam ad famam;verùm ea eſt mortalium conditio, vt ſine teſte fidem faciat quidquid dehoneſtat,cùm non effecerit, quod nobilitat. Huius veritatis producamus non obſcurum teſtimonium: Gedeonem iubet Deus Baalis aram euertere,nemuſque ſuccidere,paruit ex promptè,& ne aliqua pateretur impedimenta, tenebrarum expectauit ſuffragia! *Suſpicio ſemper eſt argumentatrix.*

Digitized by Google

cautè mandatum peregit;verùm cùm ſolis luce
ciues euerſam aram,lucumque ſucciſum depre-
hendiſſent,ſacrilegij,vt putabant,auctorem ſtu-
dioſiſſimè perquirunt,& dum inquirunt, fuiſſe
Gedeonem neſcio à quo audiunt : *Dixerunt ad
inuicem : Quis hoc fecit? Cumque perquirerent au-
ctorem facti,dictum eſt:Gedeon filius Ioas fecit hæc
omnia.* Ecce neſcio quis rumor ſine auctore, &
ſine teſte Gedeonem condemnat,& ſacrilegum
ad ſpeciē ſugillat;verùm etſi nullus teſtis apertè
rem aſſeruerit , ſic ciues auctorem ſceleris Ge-
deonem firmiter crediderunt , vt produci ad
ſupplicium exegerint , & ipſius parentem tu-
multuoſis clamoribus vrſerint.Dixerūt ad Ioas:
*Produc filium tuum huc,vt moriatur, quia deſtru-
xit aram Baal,& ſuccidit nemus.* Vides quam aſ-
ſeueranter auctorem delicti fuiſſe iam affirmēt,
cùm à teſte nullo perceperint : ſolum namque
dictum fuit ſine fide,ſine teſte:*Cùm perquirerent
auctorem facti, dictum eſt : Gedeon filius Ioas fecit
hæc omnia.*Tranſi modò,ſi placet,ad verſum 36.
huius capitis,vbi Gedeon à Domino electus,&
ad triumphos deſignatus miraculū petiuit non
ambiguus ; ſed prouidus : *Dixitque Gedeon ad
Deum : ſi ſaluum facis per manum meam Iſraël,
ſicut locutus es , ponam hoc vellus lanæ in area : ſi
ros in ſolo vellere fuerit , & in omni terra ſiccitas,
ſciam quòd per manum meam,ſicut locutus es,libe-
rabis Iſraël.* Annuit Dominus ſapienter poſtu-
lanti:*Factumque eſt ita.* Poſt roris in vellere mi-
raculum reperi adhuc exorat prodigium:*Ne ira-
ſcatur furor tuus contra me , ſi adhuc ſemel tenta-
uero ſignum quærens in vellere* paruit nunc etiam
benigniſſimus Dominus*: Fecitque Dominus no-
cte illa, vt poſtulauerat, & fuit ſiccitas in ſolo vel-
lere,& ros in omni terra.*Quærunt interpretes:cur
Gedeon,qui iam ab Angelo ſacrificij ſigno fue-
rat edoctus,vnum & alterum miraculum velle-
ris poſtulauerit. Caietanus ſolito acumine re-
ſpondet non petiiſſe ſignum,vt ipſe Numini fi-
dem præſtaret;ſed vt ſibi populus crederet. Ac-
Caietan. cipe Caietanum : *Non pro ſe ipſo; ſed pro populo
petiit Gedeon huiuſmodi ſignum , & propterea non
peccauit , nec tentauit Deum ; ſed pro vtilitate po-
puli, vt ſecurus ſequeretur illum ad bellum , petiit
ſignum.* Addit : *Ad ſatisfaciendum populo experi-
mentum iterum in vellere petiit : fortè enim oppo-
nebant aliqui quòd caſu acciderat primum ſignum.*
Itaque vt à Deo crederetur electus,bis miracu-
lum populi intuetur obrutus : nec enim primo
ſigno fidem præſtiterunt ; ſed adhuc dubitatio-
ne hæſitarunt: citò Gedeon habitus fuit eorum
opinionibus ſacrilegus & euerſor ; prodigium
ſatis non fuit , vt credatur inimicorum trium-
phator:alibi euerſorem ſolùm teſtabatur rumor,
alibi victorem futurum atteſtabatur miraculum;
verùm atteſtanti miraculo non credunt victo-
riam,cùm rumori crediderint culpam. Proh ho-
minum ad credendum dedecus promptitudi-
nem, & decus difficultatem ! non fidunt mira-
culo , vt opus credant egregium , qui rumore
tantùm perſuaſi crediderunt opus, vt putabant
ipſi ſacrilegum : *Ad ſatisfaciendum populo ex-
perimentum iterum in vellere petiit : fortè enim
opponebant aliqui quòd caſu acciderat primum
ſignum.* Non oppoſuerunt quòd rumor erat
malè fundatus ; oppoſuerunt tamen quòd mi-
raculum erat incertum.

276. Dominus naſcitur,lucis origo in lucem pro-
ditur , & iam Magi candidiſſimis noui ſyderis
ſplendoribus erudiuntur, vt ad puerum inuola-
rint diuinum : *vbi eſt,qui natus eſt rex Iudæorum?* Matth. 2. v. 2.
*vidimus enim ſtellam eius in oriente , & venimus
adorare eum.* Noui ſyderis miraculo opus fuit,
vt exiſtimarent diuinum, quem oculis aſpicie-
bant humanum : denique ipſo ſydere ducti do-
mum intrant , & puerum fœcunda cælitus pu-
riſſimæ matris vbera lambentem humillimè
adorant. *Ecce ſtella,quam viderant in oriente,an-
tecedebat eos , vſque dum veniens ſtaret ſupra vbi
erat puer. Videntes autem ſtellam gauiſi ſunt gau-
dio magno valde, & intrantes domum inuenerunt
puerum cum Maria matre eius.*Et cur non inue-
niant cum Ioſepho etiam eius nutritio ? Imò
cæleſti diſpoſitione factum eſt,inquit Rabbanus
apud D.Thomam,ne ibi tunc Ioſephus adeſſet,
vt omnis Magis præcideretur occaſio exiſtimā-
di puerum illum Ioſeph filium. *Diuino autem* Rabban.
*nutu factum eſt , quòd abierat Ioſephus , ne aliqua
malæ ſuſpicionis occaſio daretur gentibus.* Expen-
damus Rabbani ſententiam,quæramuſque quo-
modò Magi potuerint exiſtimare ſolum modò
humanum, & à Ioſepho & Maria progenitum,
quem cæleſte ſignum inſoliti iubaris eloquen-
tia atteſtabatur diuinum?Profectò quantumuis
adeſſet Ioſephus,ſuſpicionem nequibat gigne-
re , quando adſtans ſtella non ceſſabat lumini-
bus vocaliſſimis proclamare pueruli diuinita-
tem.Sed eſto Ioſephi præſentia aliquam ſuſpi-
cioni anſam præbuerit,certè non poſſent Magi
claro adeò lumine eruditi & ſuaſi erga veritatē
errare. O miram nobis eruditionem ! Opus fuit
ingenti miraculo,vt Magus Chriſtum exiſtima-
ret diuinum:& fortaſſe ſatis eſſet vel leuiſſimæ
ſuſpicionis occaſio,vt arbitraretur humanum:ſi
conſiſterent ſimul aliquod etſi leuiſſimum ad
ſuſpicionem veſtigium,& ſtella Deitatis clariſ-
ſimum argumentum ; forſan Magus ſuaderetur
faciliùs apparenti ſuſpicionis argumento,quàm
vero ſtellæ miraculo. Ergo abeat Ioſephus , ne
vlla detur ſuſpicionis occaſio : quia hominibus
ſuadentur faciliùs minus decora ſuſpicione le-
uiſſima,quàm illuſtria nouitate miraculoſa:*Di-
uino nutu factum eſt,quòd abierat Ioſeph,ne aliqua
malæ ſuſpicionis occaſio daretur gentibus.*

Laborabant Apoſtoli cum tempeſtate , cùm 277.
Dominus opem laturus graditur in ſalo ſicut in
ſolo*: Quarta autem vigilia noctis venit ad eos am-* Matth. 14. v. 25.
*bulans ſuper mare.*Ambulantem ſtupendo prodi-
gio vident , & phantaſma eſſe ſibi perſuadent:
*Turbati ſunt dicentes. Quia phantaſma eſt.*Domi-
nus perturbationem voce ſopiuit , ſeque eſſe
clariſſimè aſſeruit:*Locutus eſt eis dicens : Habete
fiduciam : ego ſum.nolite timere :* vox illum prode-
bat,& miraculum confirmabat;verùm Petrus,vt
fidem præbeat , exigit ſtupendum miraculum:
Domine, ſi tu es,iube me ad te venire ſuper aquas.
Hoc Petrum petiiſſe, vt an eſſet Chriſtus, emi-
nus experiretur decent interpretes. Adeſt Eu- Euthym.
thymius ad hunc locum : *Peruenire ad illum ſu-
per aquas quærit,vt hinc certior efficeretur,an ipſe
eſſet Chriſtus.* Itaque vt Chriſtum eſſe crederet,
ſecundum miraculum poſtulauit nimiùm cu-
rioſus,qui ad credendum phantaſma nullo fun-
damento fuerat innixus ; ſed malè fundata ſo-
lùm ſuſpicione ſuaſus. Et quidem phantaſma
fluctibus gradi erant meræ præſtigiæ , at vndas
calcare Chriſtum erat clariſſimum argumentum
potentiæ : ergo Petrus vt diuinum credat, indi-
get ſtupendo miraculo,qui præſtigiatorem cre-
diderat ſuſpicionis ſolùm delitio. Quid vſita-
tius ? Quid verius ?

INDEX

Digitized by Google

INDEX

Locorum Sacræ Scripturæ, quæ in hoc opere illuſtrantur.

C, caput indicat, illiuſque ordinem primus numerus, ſecundus numeros eius capitis marginales.

Ex Veteri Teſtamento.

Ex Geneſi.

Cap. 1. v. 2 Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, & ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas. cap. 2. num. 24. pag. 147. cap. 4. num. 94. pag. 346

3 Dixitque Deus: Fiat lux: & facta eſt lux. c. 6. n. 150. p. 550

5 Factum eſt veſpere & mane dies vnus. c. 2. n. 114. p. 180

9 Dixit Deus: Congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt, in locum vnum, & appareat arida. Et factum eſt ita. c. 1. n. 310. p. 108

10 Congregationes aquarum appellauit maria. c. 1. n. 174. p. 96

14 Dixitque Deus: Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem ac noctem, & ſint in ſigna & tempora. c. 3. n. 103. p. 256

16 Luminare maius, vt præeſſet diei. c. 5. n. 115

20 Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram. c. 1. n. 54. p. 22

24 Producat terra animam viuentem in genere ſuo. c. 5. n. 33. p. 442

25 Fecit Deus beſtias terræ iuxta ſpecies ſuas & iumenta, & omne reptile in genere ſuo. c. 5. n. 33. ibid.

26 Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli &c. c. 1. n. 54. p. 22. c. 2. n. 34. 41. & 115. p. 151. 155. & 180. c. 4. n. 168. p. 372. c. 6. n. 142. p. 548

Cap. 2. verſ. 2. Requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere quod patrarat: & benedixit diei ſeptimo, & ſanctificauit illum. c. 2. n. 114. p. 180

7 Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ: & factus eſt homo in animam viuentem. c. 2. n. 41. p. 158. c. 6 n. 140. p. 547

16 De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas cap. 3. num. 165. pag 277

17 In quocumque die comederis ex eo, morte morieris. c. 1. n. 184. p. 64. c. 2 n. 183. & 186. p. 203. & 204 c. 3. n 165. p. 277

18 Non eſt bonum eſſe hominem ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. cap. 2. n. 115. p. 180. c. 4. n. 211. p. 386. c. 5. n. 119. p. 472

19 Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus cæli adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea. cap. 1. n. 274. & 371 p. 96. & 130. c. 2. n. 73. p. 166

21 Immiſit Dominus Deus ſoporem in Adam, & tulit vnam de coſtis eius, & repleuit carnem pro ea. cap. 1. n. 371 p. 130. c. 2. n. 115. p. 180. c. 3. n. 193. p. 287. c. 6. n. 197. p. 565

22 Ædificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem. c. 2. n. 175. p. 200. c. 4. n. 92. p. 345

Cap. 3. v. 1. Sed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem. c. 2. n. 34. & 73. p. 151. & 166. c. 3. n. 148. 165. 207. 210. 225 & 237. p. 271. 277 292. 295. 299. & 300

2 Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno paradiſi? c. 6. n. 142. p. 548

3 Præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud. c. 1. n. 201. p. 71

4 Nequaquam morte moriemini: ſcit enim Deus quòd in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, &c. c. 1. n. 201. p. 71. c. 2. n. 186. p. 204. c. 3. n. 5. p. 222. c. 5. n. 158. p. 487

6 Vidit igitur mulier quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro ſuo, &c. cap. 1. num. 195. & 245. pag. 68. & 85. cap. 2. num. 34. 100. 107. & 183. p. 151. 174. 177. & 203. c. 3. 34. p. 151. cap. 4. n. 270. & 323. p. 409. & 427

Index locorum

7 Conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata.c.1.n.201.p.71

8 Cùm audiſſet vocem Domini Dei deambulantis in paradiſo ad auram poſt meridiem, abſcondit ſe Adam, & vxor eius. c.1.n.354.p.123.c.3. n.108.p.258

9 Vocauitque Dominus Deus Adam, & dixit ei: Vbi es? c.1. num.354. p. 123. 243. p.85. c.6. n.88. p.518.

10 Vocem tuam audiui in paradiſo, & timui. c.2.n.107.p.177.c.6.n.88.p.519

14 Quia feciſti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & beſtias terræ, ſuper pectus tuum gradieris.c.1.n.163.p.58.c.2.n.163. p.196

18 In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ: ſpinas & tribulos germinabit tibi,&c.c.5.n.149.p.484.c.6.n.42. p.513

19 In ſudore vultus tui veſceris pane, donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es: quia puluis es,&c. c.5.n.114.p.470. c.2. n.34. p.151

20 Vocauit Adam nomen vxoris ſuæ Eua eo quod mater eſſet cunctorum viuentium. c.4.n.160.p.369

21 Fecit Dominus Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas,& induit eos.c.1.n.151. & 184.p.54.& 64

23 Hoc nunc os ex oſſibus meis. c.4. n.160. p.369

24 Eiecitque Adam,& collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubim,& flammeum gladium, atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.c.1.n.152.p.54.c.2. n.19.p.144.c.3.n.243.p.305.c.6.n.122. p.541

Cap.4.v.3. Factum eſt poſt multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino.c.1.n.258.p.90

4 Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui,& de adipibus eorum: & reſpexit Dominus, &c. c.1. n.210. & 258. p.74. & 90.c.6.n.197.& 249.p.565.& 584.

5 Iratus eſt Cain vehementer, & concidit vultus eius.c.1.n.258.p.90

6 Dixit Dominus ad eum: Quare iratus es? c.2.n.175 p.200

12 Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus ſuos: vagus, & profugus eris ſuper terram.c.1.n.134.& 195.p.48. & 68

14 A facie tua abſcondar,& ero vagus,& profugus in terra. c.5.n.73.p.457

15 Poſuit mihi Dominus ſemen aliud pro Abel,quem occidit Cain. c.1.n.31.p.14. c 4.n.26.p.323

23 Occidi virum in vulnus meum. c.4. n.26. p.323

25 Vocauit nomen eius Seth dicens: Poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abel. cap.1. n.50.p.21

Cap.5.3. Vixit Adam centum triginta annis,& genuit ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, vocauitque nomen eius Seth. c.1. n.50. ibid.

Cap. 6. 2. Videntes filij Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ,acceperunt ſibi vxores ex omnibus,quas elegerant c.1 n.134. p.48.c.2.169.p.198.c.3.n.49 p.238.c.4. n.294.p.417.c.5.n.15 p.436

8 Noë inuenit gratiam coram Domino. c.6. n.164. p.555

14 Bitumine linies intrinſecus, & extrinſecus. c.6.n.106.p.535

18 Ponam fœdus meum tecum,& ingredieris arcam tu & filij tui, vxor tua, & vxores filiorum tuorum. c.6.n.164.p.555

Cap.8.7. Dimiſit coruum, qui egrediebatur, & non reuertebatur,donec ſiccarentur aquæ ſuper terram.c.6.n.139.p.546

11 Venit ad eum ad veſperam portans ramum oliuæ virentibus foliis in ore ſuo: Intellexit ergo Noë quod ceſſaſſent aquæ ſuper terram. c.5. n.79. p.459. c.6.n.163. p.555

Cap.9.1. Benedixit Deus Noë, & filiis eius, & ait ad eos: Creſcite, & multiplicamini,& replete terram, &c. c.6.n.216.p.572

26 Benedictus Dominus Deus Sem: ſit Chanaan ſeruus eius,dilatet Dominus Iaphet, & habitet in tabernaculis,&c. c.6.n.160. p.554

Cap.11.3. Venite faciamus lateres,& coquamus eos igni, habueruntque lateres pro ſaxis, & bitumen pro cæmento.c.2.n.55.p.160. c.6.n.254.p.585

7 Venite igitur, deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnuſquiſque vocem proximi ſui. cap. 6. n.254.p.585

Cap. 13. 10. Eleuatis Lot oculis vidit omnem circa regionem Iordanis quæ vniuerſa irrigabatur, antequam Dominus ſubuerteret Sodomam, &c. c.2.n.81.p.169

Cap. 14. 16. Reduxit omnem ſubſtantiam & Lot fratrem ſuum.c.2.n.80.p.168

18 Benedictus Abram Deo excelſo, qui creauit cælum & terram: & benedictus Deus excelſus, &c. c.5. n.14.p.436

22 Leuo manum meam ad Dominum Deum excelſum poſſeſſorem cæli & terræ,quod à filo ſubtegminis,&c. c.1.n.322.p.112

Cap.15.5. Suſpice cælum,& numera ſtellas, ſi potes: & dixit ei: ſic erit ſemen tuum. c.1.n.152.& 324.p.54.& 113

8 Domine Deus vnde ſcire poſſum,quod poſſeſſurus ſum eam. cap.6. n.108. & 203. p.536. & 568

9 Sume mihi vaccam triennem, & capram trimam,& arietam annorum trium: turturem quoque & columbam. c.1.n.82.p.31. c.4 n.305.p.420.c.6.n.108.p.536

12 Cum ſol occumberet, ſopor irruit ſuper Abraham, & horror magnus & tenebroſus inuaſit eum.c.5.n.177.p.494

17 Cùm ergo occubuiſſet ſol, facta eſt caligo tenebroſa & apparuit clibanus fumans,& lampas ignis tranſiens,&c. c.1.n.181.p.64

18 In die illa pepigit Dominus fœdus cum Abraham dicens:ſemini tuo dabo terram hanc à fluuio Ægypti.c.1.n.182. ibid.

Cap.16.11. Ecce concepiſti,& paries filium,vocabiſque nomen eius Iſmaël. c.3.n.254. p.309

Cap.17.10 Hoc eſt pactum meum,quod obſeruabitis inter me & vos, & ſemen tuum poſt te: Circumcidetur ex vobis omne maſculinum. c.6.n.215.p.572

15 Sarai vxorem tuam non vocabis Sarai; ſed Saram,& benedicam ei,& ex illa dabo tibi filium

Digitized by Google

filium cui benedicturus ſum.c.6.n.143. p.548
Cap. 18. 1. Apparuit ei Dominus in conualle Mambre ſedenti in oſtio tabernaculi ſui in ipſo feruore diei: cumque eleuaſſet oculos, apparuerunt ei tres viri ſtantes. c.4.n.90.117.p.345 & 353
4 Requieſcite ſub arbore, ponamque buccellam panis, & confortate cor veſtrum. c.2.n.118.p.181
9 Vbi eſt Sara vxor tua. c.4. n.251. p.401
10 Quo audito Sara riſit poſt oſtium tabernaculi.c.4.n.251.ibid.
21 Deſcendam & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me opere compleuerint, an non eſt ita vt ſciam.c.1.n.350.p.122
23 Nunquid perdes iuſtum cum impio.cap.2. n.135.p.187.c.3.n.212.p.294
27 Quia ſemel cœpi, loquar ad Dominum meum, cùm ſim puluis & cinis. cap.6. n.179.p.560
19.1. Venerunt duo Angeli Sodomam veſpere. c.1.n.350. p.122.c.3. n.212.p.294. c.4.n.117.p.353
16 Diſſimulante illo apprehenderunt manum eius, & manum vxoris eius, ac duarum filiarum eius.c.3 n 83.p.249
26 Reſpiciens vxor eius poſt ſe verſa eſt in ſtatuam ſalis. c.3.n.83.ibid.
33 Ingreſſa eſt maior, dormiuitque cum patre, c.3 p.212.p.294
Cap. 21.9. Cum vidiſſet Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Iſaac filio ſuo. c.4. n.66.p.336
10 Eiice ancillam hanc & filium eius: non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac. c.6.n.246 p.582
17 Exaudiuit Deus vocem pueri.c.4.num.66. p.336
23 Iura per Deum ne noceas mihi, & poſteris meis; ſed iuxta miſericordiam, quam feci tibi, facies mihi,&c. c.1.n.303.p.105
Cap. 22. 2. Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, Iſaac, & vade in terram viſionis, atque ibi offeres eum in holocauſtum,&c.c.2.n.224.p.217.c.3.n.84. & 100.p.250.& 255.c.5.n.26.p.440
3 De nocte conſurgens ſtrauit aſinum ſuum ducens ſecum duos iuuenes, & Iſaac filium ſuum. cap.3. n.100.c.6.n.246. p.582
4 Die autem tertio eleuatis oculis vidit locum procul, dixitque ad pueros ſuos. c.3.n.84.p.250. c.5.n.41. p.445
5 Expectate hic cum aſino. c.2.n.62.p.162. c.5.n.41 p.445
11 Ecce Angelus Domini de cælo clamauit dicens: Ne extendas manum tuam ſuper puerum, neque facias illi quidquam. c.3 num.254.p.309.c.4.n.117. p.353
16 Per me metipſum iuraui, dicit Dominus, quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me. cap.1. n.57.& 305.p.23 & 106.
17 Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli,& velut arenam, quæ eſt in littore maris: poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum. c.3.n.72.p.245.c.4. n.189.p.379.c.5.n.155.p.486
Cap. 23. 17. Confirmatus eſt ager quondam Ephronis, in quo erat ſpelunca duplex reſpiciens Mambre, tam ipſe quam ſpelunca,&c. c.2.n.118.p.181
Cap.24.17. Paululum aquæ mihi ad bibendum præbe de hydria tua c.4.n.279.p.412
19 Cùm ille bibiſſet, adiecit: Quin & camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant. c.4.n.279.ibid.
55 Maneat puella ſaltem decem dies apud nos & poſteà proficiſcetur.c.4 n.186.p.378
56 Nolite me detinere: quia Dominus direxit viam meam.c 4.n.186.ibid.
Cap.25.9. Sepelierunt eum Iſaac & Iſmaël filij eius in ſpelunca duplici. c.2. n.118. p.181
23 Maior ſeruiet minori. c.4.n.190 p.379
25 Plantam fratris tenebat manu, & idcirco appellauit eum Iacob.c.6.n.65 p.521
30 Da mihi de coctione hac rufa: quia oppido laſſus ſum. Cui dixit Iacob: Vende mihi primogenita tua.c.1.n.306.p.106
32 En morior, quid mihi proderunt primogenita? c.4.n.303.p.420
34 Abiit paruipendens quod primogenita vendidiſſet. c.2.n.69.p.164
Cap.27.9. Pergens ad gregem affer mihi duos hœdos optimos, vt faciam ex eis eſcas patri tuo, quibus libenter veſcitur.cap.1. n 90 & 227.p.34.& 80
14 Parauit illa cibos, ſicut velle nouerat patrem illius.c.1.n.273.p.95
15 Pelliculas hœdorum circumdedit manibus & colli nuda protexit, deditque pulmentum,& panes, quos coxerat, tradidit. c.1. n.180.p.63
21 Dixit Iſaac: Accede huc, vt tangam te fili mi, & probem vtrùm tu ſis filius meus Eſaü, an non. c.6.n.151.p.551
22 Vox quidem vox Iacob eſt, ſed manus manus ſunt Eſaü. c.3. n.161.p.275
25 Affer mihi cibos de venatione tua fili mi: vt benedicat tibi anima mea: quos cùm oblatos comediſſet,&c. c.3.n.161.p.275. c.6.n.157.p.553
28 Det tibi Deus de rore cæli,& de pinguedine terræ abundantiam frumenti,& vini. c.4.n.132.p.359
29 Seruiant tibi populi, & adorent te tribus: eſto Dominus fratrum tuorum. cap. 4. n.190.p.379
34 Auditis Eſaü ſermonibus patris irrugiit clamore magno c.2.n.69. p.164
36 Numquid non reſeruaſti & mihi benedictionem? c.1.n.90. p.34
39 Cum eiulatu magno fleret, motus Iſaac dixit ad eum: In pinguedine terræ,& in rore cæli deſuper erit benedictio tua. c.4. n.315 p.424
40 Viues in gladio tempuſque veniet, cùm excutias & ſoluas iugum de ceruicibus tuis. c.4.n.315.p.424.c.5.n.45.p.446
Cap. 28. 12. Vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque Dei aſcendentes,&c. c.1.n.376.p. 31.c.2.n.174. p.200.c.4.n.171.p.372.c 5 n.54.& 55. p.450.451. c 6 n.137.p 545
13 Terram, in qua dormis, tibi dabo,& ſemini tuo, eritque ſemen tuum quaſi puluis terræ,

terræ, dilataberis ad occidentem, &c. c.4. n.150.p.365
14 Benedicentur in te, & in ſemine tuo cunctæ tribus terræ. c.2.n.86.p.170
18 Tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo,& erexit in titulum fundens oleum deſuper. c.6.n.192.p.564
20 Vouit etiam votum dicens: ſi fuerit Deus mecum, & cuſtodierit me in via, per quam ego ambulo,&c. cap.1.n.327.& 232.p.114.& 81.c.5.n.94.p 464
Cap.29.35. Quarto concepit & peperit filium, & ait: Modo confitebor Domino, & ob hoc vocauit eum Iudam. c.‥n.18 p.10
Cap.31.19. Rachel furata eſt idola patris ſui. c.1.n.279.& 311.p.97.& 108.c.5.n.59. p.452
24 Vidit in ſomnis dicentem ſibi Deum: Caue nequidquam aſpere loquaris contra Iacob. c.6.n.274.p.593
26 Deluſa ſolicitudo quærentis eſt.c.3.n.226. p 299
29 Et nunc valet manus mea reddere tibi malum: ſed Deus patris veſtri heri dixit mihi,&c. c.4.n.260.p.405
42 Niſi Deus patris mei Abraham, & timor Iſaac affuiſſet mihi: forſitan nudum me dimiſiſſes.c.5.n 141 p.481
44 Veni & ineamus fœdus, vt ſit in teſtimonium inter me & te c.1.n.,0-.p 107
45 Ego ſum Deus Bethel vbi vnxiſti lapidem, & votum vouiſti mihi: nunc ergo ſurge,& egredere de terra hac.c.5.num.54. p.450
Cap. 32. 1. Fuerunt ei obuiam Angeli Dei: quos cùm vidiſſet, ait: Caſtra Dei ſunt hæc.c.3. n.11. p 225
23 Traductis omnibus,quæ ad ſe pertinebant, manſit ſolus. c.1.n.21.p.11
24 Ecce vir luctabatur cum eo vſque mane. c.1.n.21.38. & 295 p.11.16.102. c.2. 11.174. p 141.200.c.3. n.181.p.283. c.4.n.112.122.173.& 195.p 352.355. 373.& 381
25 Qui cùm videret quòd eum ſuperare non poſſet, tetigit neruum femoris eius, & ſtatim emarcuit. c.4.n.173. p.373. c.2. n.174. p.200
26 Dimitte me:iam enim aſcendit aurora,&c. c.4.n.122.& 132 p.355.& 359
28 Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum; ſed Iſraël: quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quanto magis, &c. c.1 n.34.38. & 295. p.15.16. & 102. c 5.n.172.p.492. c.6.n 53. p.517
29 Dic mihi quo appellaris nomine. Et benedixit ei in eodem loco. c 1.n.21.38. & 39.p 11.16.17. c.4 n.150 p.365
30 Salua facta eſt anima mea.c.2 n.86 p.170
Cap.33.2. Diuiſit filios Liæ & Rachel, ambarumque famularum,& poſuit vtramque ancillam & liberos earum in principio. c.5.n.172.p.492
Cap.35.1. Aſcende Bethel,& habita ibi,facque altare Deo,qui apparuit tibi,quando fugiebas Eſaü fratrem tuum cap.1.n.228. & 232. p.80.81. c.3.n.173. p.280.c.4. n.150.160.p.365.405.c.5.n.12.p.435. c.6.n.192.& 274 p.564.& 593
2 Conuocata omni domo ſua ait: Abiicite Deos alienos, qui in medio veſtri ſunt, & mundamini, ac mutate veſtimenta veſtra. c.3.n.226.p.299.c.6.n.36.p 511
4 Dederunt ei omnes Deos alienos, quos habebant, & inaures,quæ erant in auribus eorum: at ille infodit ea ſubter terebinthum. cap.3.n.226. & 173 p.299. & 280.c.5.n.59.p.452
5 Cùm profecti eſſent,terror Dei inuaſit omnes per circuitum ciuitates,& non ſunt auſi perſequi recedentes. cap.3. n.173. p.280
11 Appellauit eum Iſraël: dixitque ei: Ego Deus omnipotens,creſce, & multiplicare.c.6.n.192.p.564
Cap.37.3. Iſraël diligebat Ioſeph ſuper omnes filios ſuos,eo quòd in ſenectute genuiſſet eum.c 6.n.166 p.556
4 Oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui.c 3.n.178.p.282
7 Putabam nos ligare manipulos in agro, & quaſi conſurgere manipulum meum & ſtare,&c. c.1. n.385. p.135. c.2. n.158. 194.217.p.194 206. & 215.c.3.n.178. p.282.c.4 n.106.& 168.p.350.& 372. c.6.n.64.156. & 159. p. 521. & 553. & 554
8 Numquid rex noſter eris, aut ſubiiciemur ditioni tuæ? Hæc ergo cauſa ſomniorum,atque ſermonum,&c. cap.2. n.74. p.167
9 Vidi per ſomnium quaſi Solem,& Lunam, & ſtellas vndecim adorare me. c 1.n.335. p.117.c.2.n.194. p.206.c.6. num.134. p.544
19 Ecce ſomniator venit, venite occidamus eum.c.1 n.318.p 111
28 Vendiderunt eum Iſmaëlitis viginti argenteis,qui duxerunt eum in Ægyptum.c.4. n.146.p 363
Cap. 38.7. In ipſa effuſione infantium vnus protulit manum, in qua obſtetrix ligauit coccinum dicens: Iſte egredietur prior.c.1.n.58.92.& 294.p.25.35.102. c.2. n.75.p.167. c.3.n.87.p.251
Cap.39.13. Fugit & egreſſus eſt foras. c.2.n.57. p.161.c.4.n.146. & 298.p.363.& 418
16 In argumentum ergo fidei retentum pallium oſtendit marito reuertenti domum. c.4.n.98.p.347
40.11. Tuli vuas, & expreſſi in calicem quem tenebam, & tradidi poculum Pharaoni. c.6.n.205.p.568
13 Tres propagines tres adhuc dies ſunt, poſt quos recordabitur Pharao miniſterij tui, & reſtituet te in gradum priſtinum.c.3. n.177.p.281.c.6.n.217.p 572
16 Et ego vidi ſomnium quòd tria caniſtra farinæ haberem ſuper caput meum, & in vno caniſtro, quod erat excelſius, &c. c.6.n.38.& 205.p.512 & 568
41.3. Aliæ quoque ſeptem emergebant de flumine fœdæ confectæque macie. cap.1. n.157.p.56
6 Aliæ quoque totidem ſpicæ tenues, & percuſſæ vredine oriebantur. cap.1. n.158. p.55
9 Confiteor peccatum meum. cap.2.n.128. p.185
33 Nunc ergo prouideat rex virum ſapientem &

Digitized by Google

& induſtrium, & præficiat eum terræ Ægypti, qui conſtituat præpoſitos, &c. c.3.n.253.p.308. c.6.n.64.p.521
46 Triginta annorum erat quando ſtetit in conſpectu regis Pharaonis.c.2.n.158.p.194
57 Omnes prouinciæ veniebant in Ægyptum, vt emerent eſcas & malum inopiæ temperarent c.4 n.169.p.372
42.6. Cùm adoraſſent eum fratres ſui, & agnouiſſet eos quaſi ad alienos duriùs loquebatur. cap.2. n.217. p.215. c.4.n.169. & 216.p.372.& 388.c.3.n.179.p.282
43. 11. Sumite de optimis terræ fructibus in vaſis veſtris, & deferte viro munera. c.3. n.179. p.282
15 Introduc viros domum, & occide victimas, & inſtrue conuiuium. c.4 n.216.p.388
33 Sederunt coram eo primogenitus iuxta primogenita ſua, & minimus iuxta ætatem ſuam, & mirabantur nimis. cap.2. n.82.p.169
34 Maior pars venit Benjamin, ita vt quinque partibus excederet.c.4.n.73.p.338
44.2. Scyphum meum argenteum, & pretium, quod dedit tritici, pone in ore ſacci iunioris c.1.n.82 p.169
16 Quid reſpondebimus Domino meo, vel quid loquemur, aut iuſtè poterimus obtendere,&c. c.1.n.98.c.2.n.82. ibid.
32 Ego propriè ſeruus tuus ſim, qui in meam hunc recepi fidem, & ſpopondi dicens: Niſi reduxero eum, peccati reus ero in patrem meum omni tempore.c.1.n.233. p.82
45.3. Non poterant reſpondere fratres nimio terrore perterriti. Ad quos ille clementer: Accedite, inquit, ad me.c.1.n.98.p.36
47.10. Emit igitur Ioſeph omnem terram Ægypti vendentibus ſingulis poſſeſſiones ſuas præ magnitudine famis,&c.c.6. n.61.p.510
49.8. Iuda te laudabunt fratres tui: manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui.c.1 n.89.p.33
13 Zabulon in littore maris habitabit, & in ſtatione nauium pertingens vſque ad Sidonem c.4 n.176.p.374
50.20. Vos cogitaſtis de me malum; ſed Deus vertit illud in bonum.c.3.n.36.p.234

Ex Exodo.

Cap. 1. v.9. Ecce populus filiorum Iſraël multus, & fortior nobis eſt, venite ſapienter opprimamus eum, ne fortè multiplicetur,&c. c.3.n.112.p.260
11 Ædificauerunt vrbes tabernaculorum Pharaoni,c.3.n.126 p.263
13 Oderant filios Iſraël Ægyptij, & affligebant, illudentes eis, atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum,&c. c.2. n.55 p.160
16 Dixit rex Ægypti obſtetricibus Hebræorum, quarum vna vocabatur Sephora, altera Phua præcipiens eis,&c. c.3.n.147. p.271.c.4. n.291.p.415
22 Quidquid maſculini ſexus natum fuerit, in flumen proiicite: quidquid fœminini, reſeruate.c.2.n.56.p.160.c.3 n.198 p.289. c5.4.c.46. & 162.p.445.547. & 489. c.6.n.25. p.509
2. 2. Videns eum elegantem abſcondit tribus menſibus. c.2. n.84. p.170. c.5.n.154. p.486
5 Puellæ eius gradiebantur per crepidinem aluei, quæ cùm vidiſſet fiſcellam in papyrione miſit vnam, &c. c.2. num.210. p.212.c.6.n.215.p.572
6 Cernens in ea paruulum vagientem, miſerta eius ait: De infantibus Hebræorum eſt.c.2.n.84.p.170
8 Perrexit puella & vocauit matrem ſuam, ad quam locuta filia Pharaonis: Accipe, ait puerum iſtum, & nutri mihi. cap.3. n.163. p.276
10 Adoptauit in locum filij.c.5.n.46.p.447
11 Egreſſus eſt ad fratres ſuos, viditque afflictionem eorum, & virum Ægyptium percutientem quemdam de Hebræis. c.6.n.96.p.532
12 Percuſſum Ægyptium abſcondit ſabulo. c.6.n.226 p.575
14 Quis te conſtituit Principem, & iudicem ſuper nos? Num occidere me tu vis, ſicut heri occidiſti Ægyptium? cap.5. n.182 p.495.c.6.n.91.p.532
15 Audiuit Pharao ſermonem hunc, & quærebat occidere Moyſem. c.5. num.182. p.495
3.1. Cùm minaſſes gregem ad interiora deſerti, venit ad montem Dei Horeb. cap 3. n.187.p.285
2 Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi: & videbat quod rubus arderet, & non comburereiur. c.1.n.131. p.47 c.2.n.72.p.166.c.3.n.187.p.285. c.6.n.119.p.540
3 Vadam & videbo viſionem hanc magnam. c.4.n.213.p.387
5 Ne appropies huc. Solue calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt. cap. 2.n.101.& 198. p.175.& 208.c.3.n.181.& 215.p 283. & 295.c.4.84.92.& 149.p.342.345. & 365 c.6.n.34.134 & 210.p.511.544. & 570
7 Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui propter duritiem eorum qui præſunt operibus. c. 2. n.165.p 197 c 3 n.125.p.263
10 Sed veni, & mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum filios Iſraël de Ægypto. cap.4. n.149.& 180. p.365. & 376
3. 2. Hoc habebis ſignum quòd miſerim te: Cùm eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo ſuper montem iſtum. cap.1. n.121. p.44. c.2. n.25.35. p.147. & 152. c.5. n.154. p.486. c.6. n.173 p.558
14 Ego ſum qui ſum.c.5.n.144.p 482
21 Spoliabitis Ægyptum.c.3.n.126.p.263
4.1. Non credent mihi, neque audient vocem meam, ſed dicent: Non apparuit tibi Dominus. c.2.n.218.p.215.c.3.n.257. p.309. c.4. n.180. p. 376.c.6. n.258. p.587
3 Proiice eam in terram. Proiecit & verſa eſt in colubrum c.1.n.174.p.61 c.3 n.150. & 187. p.271. & 285.c.6.n.258.p.587
4 Apprehende caudam eius.c.3.n.150.p.271

10 Non

10 Non ſum eloquens ab heri, & nudius tertius, & ex quo locutus es ad ſeruum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ ſum.c.1.91.218.p.34. & 77.c.3.n.135. p.267.c.4.n.69.& 84.p.337. & 341
14 Iratus Dominus in Moyſem ait: Aaron frater tuus Leuites ſcio quòd eloquens ſit: ecce ipſe egredietur in occurſum tuum. c.1.n.91.p.34
17 Virgam quoque hanc ſume in manu tua,in qua facturus es ſigna. c.4. n.200. p.382. c.6.34.& 213.p.511.& 571
14 Aaron frater tuus Leuites ſcio quòd eloquens ſit: ecce ipſe egredietur in occurſum tuum, videnſque te lætabitur corde. c.2.n.74.p.167
20 Reuerſus eſt in Ægyptum portans virgam Dei in manu ſua c.3.n.257.p.309
21 Dixit ei Dominus reuertenti in Ægyptum: vide vt omnia oſtenta, quæ poſui in manu tua, facias coram Pharaone. c.4. n.13. p.319
24 Cùm eſſet in itinere in diuerſorio, occurrit ei Dominus,& volebat occidere eum.c.1. n.132.p.47. c.2.n.11. & 131. p.142.& 186.c.6 n.271.p.592
25 Tulit igitur Sephora acutiſſimam petram, & circumcidit præputium filij ſui,tetigitque pedes eius, & ait: ſponſus ſanguinum tu mihi es. c.1.n.132.p.47
31 Credidit populus. c.4.n.153.p 367
5.1. Hæc dicit Dominus Deus Iſraël: Dimitte populum meum,vt ſacrificet mihi in deſerto.c.5.n.145.p.482
2 Quis eſt Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Iſraël? Neſcio Dominum, & Iſraël non dimittam.c.4.n.116.p.353
3 Præfecti operum inſtabant dicentes:Complete opus veſtrum quotidie,vt priùs facere ſolebatis, quando dabantur vobis paleæ. c.5.n.53.p.450
14 Flagellatique ſunt. c.4. n.43.p.329
21 Fœtere feciſtis odorem noſtrum coram Pharaone.c.1.n.322.p.112
7.1. Ecce conſtitui te Deum Pharaonis,& Aaron frater tuus erit propheta tuus. cap.1. n.121.230.& 383.p 44.81.& 134.c.2. n.74.& 101.p.167.& 175.c.4.n 153.& 200. p.367. & 382. c.6. n.173. & 184. p 558. & 561
10 Tulit Aaron virgam coram Pharaone, & ſeruis eius, quæ verſa eſt in colubrum. c.3.n 210.p.293.c.4.n.116.p.353.c.6. n.116. p.539
12 Proiecerunt ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in dracones. c.1.n 17
13 Deuorauit virga Aaron virgas eorum. c.1. n.17.& 128. p.10 & 46
20 Eleuans virgam percuſſit aquam fluminis coram Pharaone,& ſeruis eius,quæ verſa eſt in ſanguinem c.3.n. 245.p.305
8.8. Vocauit Pharao Moyſem & Aaron, & dixit eis: Orate Dominum,vt auferat ranas à me,& à populo meo,&c. cap.1. n.230. 240.& 271.p.81 84. & 94
17 Extendit Aaron manum virgam tenens, percuſſitque puluerem terræ,& facti ſunt ſciniphes in hominibus,&c c.2.n.141. & 151. p.189.& 192.c.3. n.238.p.303. c.4.n.138.p.160
18 Fecerunt ſimiliter malefici incantationibus ſuis, vt educerent ſciniphes, & non potuerunt.c.1.n.199.p.70.c.3.n.238.p.303
9.2. Ecce manus mea erit ſuper agros tuos, & ſuper equos & aſinos, & camelos, & boues,& oues peſtis valde grauis.c.2.n.71. p 165
8 Tollite plenas manus cineris de camino, & ſpargat illum Moyſes in cælum coram Pharaone,ſitque puluis ſuper omnem terram Ægypti.c.1.n.271.p.94
19 Mitte ergo iam nunc,& congrega iumenta tua,& omnia quæ habes in agro, &c. c.4. n.33.p.326
25 Percuſſit grando in omni terra Ægypti cuncta quæ fuerunt in agris ab homine vſque ad iumentum,&c. c.4 n.57.p.334
26 Miſit Pharao ad videndum, nec erat quidquam mortuum de his,quæ poſſidebat Iſraël. c.2.n.71.p.165
10.5. Ecce ego inducam cras locuſtam in fines tuos, quæ operiat ſuperficiem terræ, ne quidquam eius appareat. c.1.n.322.p.112
11.2. Dicet omni plebi,vt poſtulet vir ab amico ſuo, & mulier à vicina ſua vaſa argentea & aurea. c.1.n.246.& 322 p.86.& 112
12.3. Tollat vnuſquiſque agnum per familias, & domos ſuas, &c. immolabitque eum vniuerſa multitudo filiorum Iſraël ad veſperam. cap.1.n.137. p.49.c.2.n.124. p.183
7. Sument de ſanguine eius,ac ponent ſuper vtrumque poſtem, & in ſuperliminatibus domorum.c.5.n.126.p.475
29 Factum eſt in noctis medio percuſſit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti à primogenito Pharaonis, qui in ſolio eius ſedebat. c.3.n.21.p.228
35 Petierunt ab Ægyptiis vaſa argentea, & aurea, veſtemque plurimam. c.2.n.198. p.208.c.4. n.146. p.363
13.19. Tollens ſe Angelus Dei, qui præcedebat caſtra Iſraël,abiit poſt eos.c.2.n.35. p.152
21. Dominus præcedebat eos ad oſtendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis. cap.1. n.297. p.103.c.2.n.31. & 222.p.150. & 216. cap.3. n.81. p.248. c.6. n.147. p.549
14. 5. Nuntiatum eſt regi Ægyptiorum, quod fugiſſet populus, immutatumque eſt cor Pharaonis,&c. c.2.n.71.p.165
6 Iunxit currum, & omnem populum ſuum. c.1.n.67.p.26
14 Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.c.3.n.12.p.225
15 Dixit Dominus ad Moyſem: Quid clamas ad me? Loquere filiis Iſraël, vt proficiſcantur,tu autem eleua virgam,&c. cap.3. n.102. & 220 p.256. & 297. c.4.n.69. p.337
19. Tollens ſe Angelus Dei, qui præcedebat caſtra Iſraël, abiit poſt eos, & cum eo pariter columna nubis. c.2.n.25. & 99. p.147.& 174.c 4.n.306.p.421.c.6.n.184. p.561
20 Erat nubes tenebroſa, & illuminans noctem.c.1.n.75. & 185.p.29 & 65
21 Cùm extendiſſet Moyſes manum ſuper

Digitized by Google

mare abſtulit illud Dominus. c.1.n.169. p 60 c.2.n.64.& 49. p.163.& 158
22 Erat aqua quaſi murus à dextera eorum & læua. c.6.n.41. & 186.p.513.& 562
23 Perſequentes Ægyptij ingreſſi ſunt poſt eos,& omnis equitatus Pharaonis,currus eius, & equites per medium maris. cap.2. n.178. p.201
24 Iam aduenerat vigilia matutina,& ecce reſpiciens Dominus ſuper caſtra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis, &c. c.1.n.75.p.29.c.4.n.236.& 159.p.395. & 404.c.5.n.145.p.482.c.6.n.147.p.549
25 Dixerunt Ægyptij: Fugiamus Iſraëlem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos. Fugientibuſque Ægyptiis,&c. c.1. n.185.p.65 c.4.n.116.p.353.c.5.n.140. p.480
26 Ait Dominus ad Moyſem: Extende manum tuam ſuper mare, & reuertantur aquæ ad Ægyptios. cap. 4. num. 306. p.421
27 Cùm extendiſſet Moyſes manum contra mare, reuerſum eſt primo diluculo ad priorem locum,&c. c.1.n.289. p.101
28 Ne vnus quidem ſuperfuit ex eis.c.1.n.312. p.112
15.9. Dixit inimicus: Perſequar, & comprehendam: diuidam ſpolia,implebitur anima mea, euaginabo gladium meum. c.5. n.131.p 476
19 Filij Iſraël ambulauerunt per ſiccum in medio eius.c.3. n.220.p.297
16.3. Sedebamus ſuper ollas carnium,& comedebamus panem in ſaturitate. c.4. n.43. p.329
13 Veſpere aſcendens coturnix cooperuit caſtra. c.3.n.31.p.232
14 Cumque operuiſſet ſuperficiem terræ, apparuit in ſolitudine minutum, &c. c.1. n.296.p.103
17.9. Elige viros, & egreſſus pugna contra Amalec: cras ego ſtabo in vertice collis, habens virgam Dei in manu mea. cap. 1. n.87. p.32
20.13. Non occides. c.5.n.45.p.446
21.5.Si dixerit ſeruus:Diligo Dominum meum, & vxorem ac liberos,non egrediar liber, offeret eum Dominus diis.cap.2.n.205. p.210
24.12. Dixit Dominus ad Moyſem:Aſcende ad me in montem,& eſto ibi.c.4 n.84.p.342
32.1. Surge,fac nobis Deos,qui nos præcedant. c.2.n.31.& 203.p.150.& 209.c.3.n.40. & 174.p.235.& 281
2 Tollite inaures aureas de vxorum,filiorumque & filiarum veſtrarum auribus, & afferte ad me.c.3.n.175.p.281
3 Fecit populus, quæ iuſſerat,deferens inaures ad Aaron. c.2.n.203.p.209
4 Fecit ex eis vitulum conflatilem,dixeruntque: Hi ſunt dij tui Iſraël. c.1. n.230. p.81.c.2. n.32.p.150.c.3.40.46.& 82. p.235. 237. & 249. cap.4. num.117. p.353
5 Cras ſolemnitas Domini eſt. cap.4. n.221. p.390
6 Sedit populus manducare,& bibere,& ſurrexerunt ludere. c.1.n.47. & 384.p.20. & 135.c.2.n.32.p.150
10 Dimitte me, vt iraſcatur furor meus. cap.2. n.161.p.195
13 Multiplicabo ſemen veſtrum ſicut ſtellas cæli, & vniuerſam terram hanc, de qua locutus ſum,dabo ſemini veſtro. cap.1. n.327.p.114
17 Audiens Ioſuë tumultum populi vociferantis dixit ad Moyſem:vlulatus pugnæ auditur in caſtris. c.1. n.348. p.121
19 Vidit vitulum & choros iratuſque valde proiecit de manu tabulas,& confregit eas ad radicem montis. c.3. n.197.p.288
20 Arripiens vitulum,quem fecerant,combuſſit,& contriuit vſque ad puluerem,quem ſparſit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Iſraël.c.1.n.194.& 276.p.68.& 96. c.2.n.32.p.150
24 Egreſſus eſt hic vitulus.c.1.n.133.p.47
25 Videns Moyſes populum quòd eſſet nudatus:ſpoliauerat enim eum Aaron propter ignominiam ſordis,&c. c.1.n.135. & 340.p.48.& 118
27 Ponat vir gladium ſuper femur ſuum: ite & redite de porta vſque ad portam per medium caſtrorum, & occidat, &c. c.1. n.194.& 282.p. 68.& 98
28 Ceciderunt in die illa quaſi viginti tria millia hominum. c.3.n.46.p 237
32 Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis dele me de libro tuo,quem ſcripſiſti. c.4.n.84.p.342
33.2. Mittam præcurſorem tui Angelum, vt eiiciam Chananæum, &c. non enim aſcendam tecum: quia populus duræ ceruicis es. c.3.n.92.p.345
5 Dixitque Dominus ad Moyſem: loquere filiis Iſraël: Populus duræ ceruicis es, &c. c.1.n.135.p 48
18 Oſtende mihi gloriam tuam. c.1. n.333. p.116
22 Cum tranſibit gloria mea,ponam te in foramine petræ. c.1.n.333.ibid.
28 Fuit ibi cum Domino quadraginta dies & quadraginta noctes, panem non comedit,& aquam non bibit,&c. c.1. n.218. p.77. c.5.n.124.p.474
29 Cùm deſcenderet Moyſes de monte Sinaï, tenebat duas tabulas teſtimonij, ignorabat quod cornuta eſſet facies ſua. c. 1. n.334.p.116
30 Ignorabat quòd cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Domini.c.2.n.225. p.218

Ex Leuitico.

Cap.16.v.9. Duos hircos ſtare facies coram Domino in oſtio tabernaculi teſtimonij. c.1.n.127.p.45

Ex Numeris.

Cap.10. v.29. Dixit Moyſes Hobab filio Raguel Madianitæ cognato ſuo:Proficiſcimur ad locum, quem Dominus daturus eſt nobis,&c. c.1. n.259. & 284.p 90. & 99
31 Tu noſti in quibus locis per deſertum caſtra ponere debeamus, & eris ductor noſter. c.1.n. 268.& 326.p.94.c.2 n.31.p.150

32 Cùm nobiſcum veneris, quidquid optimum fuerit ex opibus, quas Dominus traditurus eſt nobis. c.1.n.231.p.81

11.5. Quis dabit nobis ad veſcendum carnes? Recordamur piſcium quos comedebamus in Ægypto gratis,&c. cap.1.n.253. p.88.c.3.n.31.p.232

8 Circuibat populus,& colligens illud frangebat mola,ſiue terebat in mortario,coquens in olla, & faciens ex eo tortulas. c.1.n.253.p.88

14 Non poſſum ſolus ſuſtinere omnem hunc populum.c.1.n.114.p.41

16 Duces eos ad oſtium tabernaculi fœderis, facieſque ibi ſtare tecum, vt deſcendam & loquar tibi,&c. c.1.n.114. ibid.

31 Ventus egrediens à Domino arreptas trans mare coturnices detulit. cap.3. num.31. p.232

12.1. Locuta eſt Maria & Aaron contra Moyſem propter vxorem eius Æthiopiſſam. c.2.n.145.p.190

10 Apparuit candens lepra quaſi nix. cap 4. n.328.p.429

14 Separetur ſeptem diebus extra caſtra, & poſteà reuocabitur.c.2.n.145.p.190

13.34. Ibi vidimus monſtra quædam filiorum Henac. c.4.n.102.p.349

14.9. Sicut panem ita eos poſſumus deuorare: receſſit ab eis omne præſidium: Dominus nobiſcum eſt,&c. c.4.n.102.ibid.

25.1.Fornicatus eſt populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad ſacrificia ſua; at illi comederunt,&c. c.6.n.237.p.579

8 Perfodit ambos ſimul. c.2.n.63.p.162

17.5. Quem ex his elegero, germinabit virga eius,& cohibebo à me querimonias filiorum Iſraël,quibus contra vos murmurant. c.2.n.49.p.158.c.5.n.100.p.466

8 Inuenit germinaſſe virgam Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis,&c. c.2. n.49. ibid.c.5.n.100. ibid.

10 Refer virgam Aaron in tabernaculum teſtimonij, vt ſeruetur ibi in ſignum rebellium filiorum Iſraël.cap.1.num.128. p.46

20.8. Loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas. c.2.n.52. & 132. p.159. & 186

11 Cùm eleuaſſet Moyſes manum percutiens virga bis ſilicem egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ ita vt populus biberet, & iumenta. c.2.n.52. & 132. ibid.c.3.n.36. & 245. p.234. & 305

12 Non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis. c.3.n.245 p.305

25 Tolle Aaron & filium eius cum eo, & duces eos in montem Hor, cúmque nudaueris patrem veſte ſua,&c. c.1. num.33. p.15

21.5. Tædere cœpit populum itineris ac laboris locutuſque contra Deum & Moyſem ait: Cur eduxiſti nos de Ægypto,&c. c.1.n.256 p.103

22.2. Stetit Angelus Domini in via contra Balaam qui inſidebat aſinæ,& duos pueros habebat ſecum. c.1.n.370.p.129

4 Ita delebit hic populus omnes, qui in noſtris finibus commorantur,quomodò ſolet bos herbas vſque ad radices carpere.c.2. n.82.p.169

6 Noui quòd benedictus ſit,cui benedixeris, & maledictus in quem maledicta congeſſeris. c.4. n.14.p.320

23 Cernens aſina Angelum ſtantem in via euaginato gladio auertit ſe de itinere, & ibat per agrum. c.1.n.370.p.129

26 Angelus ad locum anguſtum tranſiens, vbi neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram poterat deuiare,&c.c.3.num.228. p.300

23.1. Ædifica mihi ſeptem aras, & para totidem vitulos,eiuſdemque numeri arietes. c.1.n.228. p.80

23 Non eſt augurium in Iacob, nec diuinatio in Iſraël. c.6.n.237.p.579

24.17. Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga de Iſraël, & percutiet duces Moab, vaſtabítque omnes filios Seth. c.5.n.82. p.460.c.6.n.262.p.588

27.15. Prouideat Dominus Deus ſpirituum omnis carnis hominem, qui ſit ſuper multitudinem hanc. cap. 1. num. 32. p.15

31.1. Locutus eſt Dominus ad Moyſem dicens: vlciſcere priùs filios Iſraël de Madianitis, & ſic colligeris ad populum tuum.c.1.n.273.p.95

33.55. Sin nolueritis interficere habitatores terræ, qui remanſerint, erunt vobis quaſi claui in oculis,&c. c.2.n.54. p.159.c.3. n.44.p.236

56. Aduerſabuntur vobis in terra habitationis veſtræ: & quidquid illis cogitaueram facere, vobis faciam. cap.2. numero 67. p.164

Ex Deuteronomio.

Cap.4.v.11. Acceſſiſtis ad radicem montis,qui ardebat vſque ad cælum, erantque in eo tenebræ, & nubes, & caligo, locutuſque eſt Dominus,&c. c.2.n.60.p.162

6.13. Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſeruies. c.4.n.188.p.379

11.20. Scribes ea ſuper poſtes,& ianuas domus tuæ,vt multiplicentur dies tui,& filiorum tuorum in terra,&c. c.5.n.126.p.475

20.5. Siquis eſt homo, qui ædificauit domum nouam, & non dedicauit eam, vadat & reuertatur in domum ſuam,ne fortè moriatur,&c. c.3.n.174.p.281

10 Siquando acceſſeris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primum pacem: ſi receperit,& aperuerit tibi portas.c.4.n.269. p.408

32.11. Sicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans expandit alas ſuas, & aſſumpſit eum,&c. cap.3. n.213.p.294. c.4 n.147. p.364

33.16. Benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat ſuper caput Ioſeph, & ſuper verticem Nazaræi inter fratres ſuos. cap. 2. n.177.p.201

34.8. Fleuerunt eum filij Iſraël in campeſtribus Moab triginta diebus. cap.2.n.112. p.179

Ex

Digitized by Google

Ex Ioſue.

Cap.1. v.13. Mementote ſermonis quem præcepit vobis Moyſes famulus Domini.c.4. n.156.p.367
16 Omnia quæ præcepiſti nobis, faciemus, & quocumque miſeris, ibimus. c.4. n.156. ibid.
2.4. Tollens mulier viros abſcondit.c.1.n.356. p.124
5.15. Cecidit Ioſuë pronus in terram, & adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad ſeruum ſuum? c.6. n.135. p.545
6.20. Clangentibus tubis,&c. muri illico corruerunt.c.2.n.65.p.163
25 Rahab meretricem, & domum patris eius & omnia quæ habebat fecit Ioſuë viuere, & habitauerunt in medio Iſraël, &c. c.1. n.356 p.124
7.4. Aſcenderunt tria millia pugnatorum. c.1. n.26.p.13
8.1. Tolle tecum omnem multitudinem pugnatorum,& conſurgens aſcende in oppidum Hai,&c. c.1.n.26.ibid.
9.14 Fecitque Ioſuë cum eis pacem, & inito fœdere pollicitus eſt quòd non occiderentur. c.5.n.42.p.445
10.11. Cùm fugerent filios Iſraël, & eſſent in deſcenſu Bethoron,Dominus miſit ſuper eos lapides magnos de cælo. c.4. n.235. p.395
12 Tunc locutus eſt Ioſuë Domino in die quâ tradidit Amorrhæum in conſpectu filiorum Iſraël,dixitque: Sol contra Gabaon ne mouearis,&c. c.4.n.235.p.395. c.6.n.112. p.537
11.1. Quæ cùm audiſſet Adoniſedec rex Ieruſalem, quod ſcilicet cepiſſet Ioſuë Hai,& ſubuertiſſet eam, &c. c.5.n.42. p.445
15.19. Terram arentem & auſtralem dediſti mihi,iunge & irriguam,cap.1. num.249. p.87

Ex libro Iudicum.

Ea tantùm loca, quæ alibi præter loca propria explicantur.

Cap.1.v.4. Percuſſerunt in Bezec decem millia virorum. c.1.n.336.p.117
6 Cæſis ſummitatibus manuum eius ac pedum adduxerunt eum in Ieruſalem. c. 2. n.77.p.168
14 Dixit ei Caleb: Quid habes? c.2.num.85. p.170
16 Filij Cinæi cognati Moyſis aſcenderunt de ciuitate Palmarum cum filiis Iuda in deſertum ſortis eius,&c.c.1. num.23. & 326.p.12.& 113.c.2.n.31.p.150
19 Montana poſſedit: nec potuit delere habitatores vallis quia falcatis curribus abundabant. c.3.n.374. p.131
22 Domus Ioſeph aſcendit in Bethel,fuitque Dominus cum eis, c.1. n.46. 48. & 80. p.19.20. & 30
34 Arctauit Amorrhæus filios Dan in monte, nec dedit eis locum, vt ad planiora deſcenderent,habitauitque in monte Ares. c.3.n.254.p.302
2.6. Dimiſit Ioſuë populum, & abierunt filij Iſraël vnuſquiſque in poſſeſſionem ſuam. cap.1.n.171. pag 60
7 Seruierunt Domino cunctis diebus eius. c.2.n.152.p.192
11 Surrexerunt alij, qui non nouerant Dominum & opera quæ fecerat cum Iſraël. c.2.n.37. p.153
16 Suſcitauit Dominus Iudices, qui liberarent eos de vaſtantium manibus. cap.2. n.153.p.195
17 Citò deſeruerunt viam, per quam ingreſſi fuerant patres eorum. cap.1. num.349. p.121
3.10. Fuit in eo ſpiritus Domini, & iudicauit Iſraël, egreſſuſque eſt ad pugnam. cap.3. n.117.p.262
15 Miſerunt filij Iſraël per illum munera Eglon regi Moab.c.3.n.180.p.283
16 Fecit gladium ancipitem habentem in medio capulum,&c. c.3.n.259 p.303
31 Poſt hunc fuit Samgar filius Anath, qui percuſſit de Philiſthiim ſexcentos viros vomere, &c. c.4. n.6. p.317.c.5. n.64. p.454
4.3. Clamauerunt filij Iſraël ad Dominum:nongentos enim habebat falcatos currus, & per viginti annos vehementer oppreſſerat eos.c.5.n.61.& 150.p.454.& 484
4 Erat Debbora propheris vxor Lapidoth, quæ iudicabat populum in illo tempore, & ſedebat ſub palma.c.4.n.46.p.330
5 Sedebat ſub palma, quæ nomine illius vocabatur inter Rame, & Bethel in monte Ephraim,&c. c.5.n.98. p.465
6 Miſit, & vocauit Barac filium Abinoen de Cedes Nephthali, dixitque ad eum: Præcepit tibi Dominus Deus Iſraël, &c. c.1. n.115 p.41.c.4.n.86.p.343.c.5.n.91.p.463
7 Ego adducam ad te in loco torrentis Ciſſon Siſaram Principem exercitus Iabin, & currus eius, atque omnem multitudinem, &c. cap.5. num.34. & 181. p.443. & 495
9 In manu mulieris tradetur Siſara. cap. 1. n.189.p.66
10 Accitis Zabulon & Nepthali aſcendit cum decem millibus pugnatorum. c.5. n.29. p.441
15 Perterruit Dominus Siſaram,& omnes currus eius, vniuerſamque multitudinem in ore gladij ad conſpectum Barac. cap. 4. n.130.p.358
17 Erat pax inter Iabin regem Aſor,& domum Haber Cinæi. c.1.n.189.p.66.c.5.n.86. & 143. p.461. & 482
20 Dixit Siſara ad eam: Sta ante oſtium tabernaculi, & cùm venerit aliquis interrogans te,& dicens,&c.c.5.n.15.157.& 167. p.436.487.& 491
21 Poſuit ſupra tempus capitis eius clauum, percuſſumque malleo defixit in cerebrum vſque ad terram. c.4.n.97.p.347
5.2. Qui ſponte obtuliſtis de Iſraël animas veſtras ad periculum, benedicite Domino. c.5.n.25.p.440
5 Duces Iſſachar fuerunt cum Debora,& Barac veſtigia ſunt ſecuti c.4.n.224 p.391
20 De cælo dimicatum eſt contra eos: ſtellæ manentes in ordine & curſu ſuo aduerſus Siſaram pugnauerunt. c.4.n.210. & 235. p.386 395. c.5.n.76.p.458

6. 1. Fecerant filij Iſraël malum in conſpectu Domini,&c. c. 5. n. 163. p. 489
2 Oppreſſi ſunt valde ab eis, cap. 1. num. 159. p. 56
3 Cùm ſeuiſſet Iſraël, aſcendebat Madian & Amalec, cæterique orientalium nationum,&c. c. 1. n. 159. ibid.
19 Ingreſſus eſt itaque Gedeon, & coxit hædum,& obtulit. c. 1. n. 227. p. 80
25 Tolle taurum patris tui, & alterum taurum annorum ſeptem, deſtrueſque aram Baal, quæ eſt patris tui, &c. c. 1. n. 355. p. 124
7. 3. Reuerſi ſunt de populo viginti duo millia virorum,&c. c. 3. n. 137. p. 268
5 Qui lingua lambuerint aquas, ſicut ſolent canes lambere, ſeparabis eos ſeorſum,&c. c. 1. n. 64. p. 25
12 Madian autem & Amalec, & omnes orientales populi fuſi iacebant in valle, &c. c. 6. n. 69. p. 523
13 Videbatur mihi quaſi ſubcinericius panis ex hordeo volui,& in caſtra Madian deſcendere,&c. c. 3. n. 136. p. 267. c. 4. n. 308. p. 421. c. 6. n. 67. & 107. & 148. p. 522. 535. & 550
14 Non eſt hoc aliud niſi gladius Gedeonis, filij Ioas,&c. c. 3. n. 136. & 194. p. 267. & 287
20 Tenuerunt ſiniſtris manibus lampades, & dextris ſonantes tubas, clamaueruntque. c. 4. n. 139. p. 361
21 Caſtra conturbata ſunt,& vociferantes, vlulanteſque fugerunt. c. 4. n. 139. ibid.
24 Miſit Gedeon nuntios in omnem montem Ephraim dicens: Deſcendite in occurſum Madian, & occupate aquas, &c. c. 5. n. 109 p. 468
8. 1. Quid eſt hoc quod facere voluiſti, vt nos non vocares, cùm ad pugnam pergeres contra Madian? c. 5. n. 44. & 109. p. 446. & 468
9. 1. Abiit Abimelech filius Ierobaal in Sichem ad fratres matris ſuæ, &c. cap. 2. n. 199. p. 208
14 Dixerunt omnia ligna ad rhamnum: veni, & impera ſuper nos. c. 2. n. 199. ibid.
49 Certatim ramos de arboribus præcidentes ſequebantur ducem. c. 5. n. 84. p. 461
14. 3. Dixit Samſon ad patrem ſuum: Hanc mihi accipe, quia placuit oculis meis. c. 4. n. 322. p. 427
5 Apparuit catulus leonis ſæuus, & rugiens, & occurrit ei c. 5. n. 36. p. 443
6 Irruit ſpiritus Domini in Samſon, & dilacerauit leonem quaſi hœdum in fruſta diſcerpens. c. 3. n. 256. p. 309. c. 5. n. 36. p. 443
15. 4. Perrexit,& cepit trecentas vulpes, caudaſque earum,&c. c. 3. n. 152. p. 272
16. 1. Vidit ibi mulierem meretricem. cap. 4. n. 322. p. 427
2 Cùm audiſſent Philiſthiim, & percrebuiſſet apud eos intraſſe vrbem Samſon,&c. c. 4. n. 174. p. 373
3 Conſurgens apprehendit ambas portæ fores cum poſtibus ſuis,&c. c 4. n. 174. ib.
19 Dormire eum fecit ſuper genua ſua, & in ſinu ſuo reclinare caput, &c. c. 3. n. 199. p. 289
20 De ſomno conſurgens dixit in animo ſuo: Egrediar ſicut ante feci c. 6. n. 221. p. 573
21 Cùm apprehendiſſent Philiſthiim, ſtatim eruerunt oculos eius, & duxerunt, &c. c. 1. n. 375. p. 131
17. 6. Impleuit vnius filiorum ſuorum manum, & factus eſt ei Sacerdos. c. 3. n. 142 p. 269

Ex 1. Regum.

Cap. 1. v. 1. Habeto nos fœderatos, & ſeruiemus tibi. c. 3. n. 44. p. 236
2. 36. Futurum eſt, vt quicumque remanſerit in domo tua, veniat, vt oretur pro eo, & offerat nummum argenteum,&c. cap. 2. n. 144. p. 190
4. 7. Timuerunt Philiſthiim dicentes: Venit Deus in caſtra. c. 3. n. 19 p. 227
9 Confortamini,& eſtote viri Philiſthiim, ne ſeruiatis Hebræis. c. 3. n. 19. ibid.
17 Fugit Iſraël coram Philiſthiim, & ruina magna facta eſt in populo: inſuper & duo filij tui mortui ſunt. c. 1. n. 150. p. 66
5. 3. Ecce Dagon iacebat pronus in terra. c. 1. n. 141. p. 50. c. 3. n. 79. p. 248
4 Caput Dagon & duæ palmæ manuum eius abſciſſæ erant ſuper limen: porro Dagon ſolus truncus remanſerat in loco ſuo. c. 1. n. 141. p. 50
4 Caput Dagon,& duæ palmæ manuum eius abciſſæ erant ſuper limen: porro Dagon ſolus truncus remanſerat in loco ſuo. c. 1. n. 141. p. 50
10 Miſerunt arcam Dei in Accaron. c. 1. n. 293. p. 102
24 Cùm audieritis ſonitum clamoris gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium: quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam. c. 4. n. 136. p. 360
7. 5. Dixit Samuël: Congregate vniuerſum Iſraël in Maſpha, vt orem pro vobis Dominum. c. 5. n. 65. p. 455
9. 20. Cuius erunt optima quæque Iſraël? Nonne tibi, & domui patris tui? c. 3. n. 140. p. 269
27. Cùm deſcenderent in extrema parte ciuitatis Samuël dixit ad Saül: Dic puero vt antecedat nos & tranſeat. c. 4. n. 79. p. 340. c. 6. n. 241. p. 580
10. 1. Tulit autem Samuël lenticulam olei, & effudit ſuper caput eius,& oſculatus eſt eum. c. 6. n. 241. p. 580. c. 4. n. 79. p. 340. c. 3. n. 140. p. 269
3 Cùmque abieris inde & vltra tranſieris &c. venies in collem Dei, vbi eſt ſtatio Philiſthinorum,& cùm ingreſſus fueris,&c. c. 4. n. 9. p. 345
11. 1. Habeto nos fœderatos & ſeruiemus tibi. c. 5. n. 89. p. 462.
2 In hoc feriam vobiſcum fœdus, vt eruam omnium veſtrum oculos dextros. cap. 3. n. 19 p. 227
13. 5. Philiſthiim congregati ſunt ad præliandum contra Iſraël triginta millia curruum,& ſex millia equitum. c 5. n. 176. p. 493
11 Quia vidi quòd populus dilaberetur à me & tu non veneras iuxta placitos dies; porrò Philiſthiim congregati fuerant in Machmas,&c. c. 4. n. 51. p. 332

12.

Digitized by Google

12 Neceſſitate compulſus obtuli holocauſtum.c.4.n.12 p.319

13 Dixitque Samuel ad Saül: ſtultè egiſti, nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi.c.4.n.12.ibid.

19 Porro faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Iſraël: cauerant enim Philiſthiim, vt exacueret vnuſquiſque,&c.c.3. n.18.p 227

14.13. Aſcendit Ionathas manibus & pedibus reptans, & armiger eius poſt eum. cap.1. n.37.p.16

14 Erant inter aſcenſus, per quos nitebatur Ionathas tranſire ad ſtationem Philiſthinorum, eminentes petræ, &c. c.5.n.72. p.457

15 Factum eſt miraculum in caſtris. c 3.n.18. p 227

24 Maledictus vir, qui comederit panem vſque ad veſperam.c.1.n.275.p.96

27 Intinxit in fauum mellis, & conuertit manum ſuam ad os ſuum. c.1.n.275. ibid.

29 Vidiſtis ipſi quia illuminati ſunt oculi mei, eo quòd guſtauerim paululum de melle iſto. c.1. n.100.p. 37

44 Morte morieris Ionatha. c.1 n.100. ibid.

15.9. Pepercit Saül, & populus Agag, & optimis gregibus ouium & armentorum.c.5. n.164. p.489

16 Sine me, & indicabo tibi quæ locutus ſit Dominus ad me nocte. cap 3. num.69. p.244

22 Numquid vult Dominus holocauſta,& victimas,& non potiùs, vt obediatur voci Domini? Melior eſt enim obedientia, quàm victimæ.c.3.n.240.p.304

24 Peccaui, quia præuaricatus ſum ſermonem Domini, & verba tua, timens populum, & obediens voci eorum. cap.1. num 99. p. 37

27 Conuerſus eſt Samuël, vt abiret; ille autem apprehendit ſummitatem pallij eius, quæ & ſciſſa eſt. c.4. n.123.p.355

28 Scidit Dominus regnum Iſraël à te hodie. c.6.n.217.p.572

30 Peccaui; ſed nunc honora me coram ſenioribus populi mei, & coram Iſraël. c.3.n.240 p.304

32 Oblatus eſt ei Agag pinguiſſimus & tremens.c.2.n.77.p.168

16.1. Imple cornu tuum oleo,& veni, vt mittam te ad Iſaï Bethlehemitem: prouidi enim in filiis eius mihi regem.c.1.n.53. p.22. c.2.n.160. & 199 p 195.& 208. c.3.num.61. & 140 p.241.& 269. c.4. n.88.p 344

4 Venit in Bethlehem, & admirati ſunt ſeniores ciuitatis occurrentes ei,dixeruntque: Pacificuſne eſt ingreſſus tuus, &c. c.6 n.190. p.563

5 Pacificus: ad immolandum Domino veni: ſanctificamini, & venite mecum, vt immolem.c.6.n.190.ibid.

7 Ne reſpicias vultum eius, neque altitudinem ſtaturæ eius, quoniam abieci eum. c 3.n.61. p.241

11 Dixit Samuel ad Iſaï: Numquid iam completi ſunt filij? Qui reſpondit: Adhuc reliquus eſt paruulus, & paſcit oues. c 1. n.142.p.51.c.2.n.160.p.162

13 Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius, & directus eſt ſpiritus Domini à die illa, &c. cap 1. n.40.p.17. c.3.n.258.p.310

17 Ait Saül ad ſeruos ſuos: Prouidete ergo mihi aliquem benè pſallentem, & adducite eum ad me.c.5.n.169.p 491

18 Ecce vidi filium Iſaï Bethlehemitem ſcientem pſallere,& fortiſſimum robore,& virum bellicoſum, &c. c.1. n.66. p.26. c.3. n.258.p.310.c.6.n.127.p.542

19 Miſit Saül nuntios ad Iſaï dicens: Mitte ad me Dauid filium tuum, qui eſt in paſcuis.c.1.n.72.p.27

23 Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu ſua,& refocillabatur Saül,& leuius habebat: recedebat enim ab eo ſpiritus malus c.2.n.204.p.210.c.3.n.96.& 219. p.254. & 262.c.5. num.57. p 451. c.6. n.155.p.552

17.4. Egreſſus eſt vir ſpurius de caſtris Philiſthinorum nomine Goliat de Get, altitudinis ſex cubitorum & palmi, &c. cap.1. n.222. p.78

8 Stans clamabat aduerſus phalangas Iſraël: Eligite ex vobis virum, &c. c.1. num.53. & 222 p.22. & 78

15 Tribus ergo maioribus ſecutis Saulem, abiit Dauid & reuerſus eſt à Saül vt paſceret gregem patris ſui in Bethlehem. c.1.n.72.p 27.c.6.n.127.p.542

22 Derelinquens ergo Dauid vaſa,quæ attulerat, ſub manu cuſtodis ad ſarcinas cucurrit ad locum certaminis, &c. c.6. n.155. p.552

24 Omnes Iſraëlitæ cùm vidiſſent virum, fugerunt à facie eius. c.1.n.37. & 142.p.16. & 51

32 Ego ſeruus tuus vadam,& pugnabo aduerſus Philiſthæum. cap.2.n.173. p.199.c.3. n.155. & 259 p.273. & 311. cap.4.n.142. p. 362

33 Non vales reſiſtere Philiſthæo iſti, nec pugnare aduerſus eum: quia puer es; hic autem vir bellator eſt ab adoleſcentia ſua. c.1.n.53.p.22.c.4.n.73. p.338

34 Paſcebat ſeruus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo vel vrſus,& tollebat arietem de medio gregis, &c. c.3.n.114.& 248. p 261 & 360.c.4.n.199.p.382

36 Leonem & vrſum interfeci ego ſeruus tuus: erit igitur & Philiſthæus hic incircumciſus quaſi vnus ex eis,&c. c.1.n.142.p.51. c.2.n.51.p.158.c.3.n.24.p.229.c.4.n.199. p.382

38 Induit Saül Dauid veſtimentis ſuis. cap.4. n.48. p.331

39 Non poſſum ſic incedere. cap.4. num 25. p. 323

40 Elegit ſibi quinque limpidiſſimos lapides de torrente,&c.c.1.n.74.& 88.p.29.& 33. c.3.n.17.& 134.p.227.& 267.c 4 n.100. p. 348

41 Tulit vnum lapidem, & funda iecit, & circumducens percuſſit Philiſtheum in fronte.c.5.n.68.p.456

42 Cùm inſpexiſſet Philiſthæus,& vidiſſet Dauid,deſpexit eum: erat enim adoleſcens. c.1.n.16.p.9

44 Veni ad me & dabo carnes tuas volatilibus

Digitized by Google

cæli, & beſtiis terræ. c.5.n.35. & 135. p.443. & 478

45 Ego venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Iſraël, quibus exprobraſti hodie. c.6.n.113.p.538

46 Dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum à te. c.3. n.17.p.227.c.5.n.35.p.443 c.6.n.113. p.538

48 Cùm ſurrexiſſet Philiſthæus, & veniret, & appropinquaret contra Dauid, feſtinauit Dauid, & cucurrit ad pugnam. c.1.n.16. p.9.c.2.n.20.p.145

49 Percuſſit Philiſthæum in fronte eius, & cecidit in faciem ſuam ſuper terram. c.4. n.261 p.405

50 Præualuit Dauid aduerſus Philiſthæum in funda & lapide, percuſſumque Philiſthæum interfecit. c.1. n.167.p.59

18.4. Expoliauit ſe Ionathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam Dauid. c 5.n.27. p.440

7 Percuſſit Saül mille, & Dauid decem millia c.5.n.110.p.469

10 Poſt diem autem alteram inuaſit ſpiritus Dei malus Saül, & prophetabat in medio domus ſuæ; Dauid autem pſallebat manu ſua. c.1.n.378 p.132.c.2.n.162. p.196.cap.3.n.219.p.297. cap.4.n.32. p.325. c.6.n.93. p.531

11 Tenebat Saül lanceam, & miſit eam putans quòd configere poſſet Dauid cum pariete: & declinauit Dauid à facie eius ſecundò. c.2.num.204.p.210. c.3.n.24. & 155.p.229. & 273

17 Dixit Saül ad Dauid: Ecce filia mea maior Merob ipſam dabo tibi vxorem: tantummodò eſto vir fortis, &c. c.3.n.145. p 270

21 Dabo eam illi, vt fiat ei in ſcandalum, & ſit ſuper eum manus Philiſthinorum. c.1. n.178.p.62. c.4.n.307.p.421

22 Mandauit Saül ſeruis ſuis: loquimini ad Dauid clam me dicentes: Ecce places regi, & omnes ſerui eius diligunt te, &c. c.5.n.165.p.490

23 Num parum videtur vobis generum eſſe regis? Ego autem ſum vir pauper, & tenuis. c 3.n.65.p.443

25 Non habet rex ſponſalia neceſſe, niſi tantum centum præputia Philiſthinorum. c.1.n.225.p.79

19.1. Locutus eſt Saül ad Ionathan filium ſuum, & ad omnes ſeruos ſuos, vt occiderent Dauid. c.4.n.38.p.327

4 Opera eius bona ſunt tibi valde, & poſuit animam ſuam in manu ſua, & percuſſit Philiſthæum, &c. c.1.n.85 p.32

8 Factus eſt ſpiritus Domini malus in Saül; ſedebat autem in domo ſua. c.3.n.188. p.286

11 Tulit Michol ſtatuam, & poſuit eam ſuper lectum, & pellem piloſam caprarum poſuit ad caput eius, & operuit eam veſtimentis, &c. c 4.n.289.p.415

12 Miſit Saül ſatellites ſuos in domum Dauid vt cuſtodirent eum, & interficeretur mane. Quod cùm annunciaſſet, &c. c.1. n.178 p.62 c.2.n.20.p.145. c.4.n.307. p.421

14 Miſit Saül apparitores, qui raperent Dauid. c.3.n.186.p.285

23 Abiit in Naioth in Ramatha, & factus eſt etiam ſuper eum ſpiritus Domini, & ambulabat ingrediens, & prophetabat. c.3. n.188.p.286

20.31. Omnibus diebus, quibus filius Iſaï vixerit ſuper terram, non ſtabilieris tu, neque regnum tuum. c.2.n.162.p.196

32 Filius mortis eſt. c.4.n.263.p.406

33 Arripuit Saül lanceam, vt percuteret eum. c.2. n.162. p.196

21.7. Doeg Idumæus potentiſſimus paſtorum. c.1.n.71.p.27

8 Dixit Dauid ad Achimelech: ſi habes hic ad manum haſtam, aut gladium? Quia gladium meum, & arma mea non tuli mecum. c.3.n.186.p.285

9 Ecce hic gladius Goliath Philiſthæi, quem percuſſiſti in valle terebinthi. Et ait Dauid: Non eſt huic alter ſimilis. cap.1. n.192.p.67

22.7. Audite nunc filij Iemini: numquid omnibus vobis dabit filius Iſaï agros, & vineas, & vniuerſos vos faciet tribunos, &c. c.3.n.139.p.268

9 Reſpondit Doëg Idumæus, qui aſſiſtebat, & erat primus inter ſeruos Saül: Vidi, inquit, filium Iſaï in Nobe. c.1.n.112. & 267.p.40. & 93

24.5. Præcidit oram chlamydis Saül ſilenter. c.1.n.301.p.105.c.6.n.103.p.535

6 Percuſſit cor ſuum Dauid, eò quòd abſcidiſſet oram chlamydis Saül. c.1. n.301. p.105

8 Confregit Dauid viros ſuos ſermonibus, & non permiſit eos, vt conſurgerent in Dauid. c.6.n.28.p.509

12 Vide & cognoſce oram chlamydis tuæ in manu mea: quoniam cùm præſcinderem ſummitatem chlamydis tuæ, nolui extendere, &c. c.4.n.25.p.323

17 Leuauit Saül vocem ſuam, & fleuit. cap.1. n.241.p.84.c.4.n.61. p.335.c.6.n.93. p.531

18 Iuſtior tu es, quàm ego. c.4 n.61. & 263. p 335. & 406

21 Quia ſcio quòd certiſſimè regnaturus ſis, & habiturus in manu tua regnum Iſraël, iura mihi in Domino, &c. cap.1. n.241. & 304. p.84. & 106. c.4.n.263. p.406. c.5.n.27. p.440

22 Iura mihi in Domino, ne deleas ſemen meum poſt me, neque auferas nomen meum de domo patris mei. c.1. n.378. & 167.p.132.& 128

25.8. Inueniant pueri tui gratiam in oculis tuis: in die enim bona venimus: quodcumque inuenerit manus tua, &c. c.1.n.198. p.70

10 Quis eſt Dauid, & quis eſt filius Iſaï? Hodie increuerunt ſerui, qui fugiunt dominos ſuos. cap.1.n.198. p.70.c.2.n.167. p.197.c.3.n.51.p.238.c.5.n.117.p.471

13 Accingatur vnuſquiſque gladio ſuo: accinctuſque eſt Dauid enſe ſuo. cap.2. n.167. p.197.c.6. n.89.p 530

15 Homines iſti boni ſatis fuerunt nobis, & non moleſti, nec quidquam aliquando periit, omni tempore, quo fuimus con-

uerſati, &c. cap.1 num.357. pag.125
22 Hæc faciat Deus inimicis Dauid, & hæc addat, ſi reliquero de omnibus, quæ ad ipſum pertinent vſque mane mingentem ad parietem. c.4. n.60. p.335. c.6. n.89. p.530
25 Ne ponat, oro, Dominus meus rex cor ſuum ſuper virum iſtum iniquum Nabal, &c. c.5. n.117. p.471
27.10. Dicebat ei Achis: In quem irruiſti hodie? Reſpondebat Dauid contra meridiem Iudæ. c.3. n.206. p.292
28.4. Congregati ſunt Philiſthiim, & venerunt, & caſtrametati ſunt in Sunam: congregauit autem & Saül, &c. cap.5. n.176. p.493
11 Dixit ei mulier: Quem ſuſcitabo tibi? Qui ait: Samuelem mihi ſuſcita. cap.6. n.169. p.556
13 Deos video aſcendentes de terra. cap.1. n.384. p.135
14 Intellexit Saül, quòd Samuel eſſet, & inclinauit ſe ſuper faciem ſuam in terra, & adorauit c.6. n.117. p.539
17 Faciet tibi Dominus, ſicut locutus eſt in manu mea, & ſcindet regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo Dauid. c.3. n.69. p.244
19 Dabit Dominus Iſraël tecum in manus Philiſthiim: cras autem tu & filij tui mecum eritis. c.1. num.241. p.84. c.3. n.240. p.304
20 Statim Saül cecidit porrectus in terram: extimuerat enim verba Samuëlis. cap.1. n.241. p.84. c.3. n.240. p.304
29.2. Dauid & viri eius erant in nouiſſimo agmine cum Achis. c.1. n.69. p.27
30.1. Amalecitæ impetum fecerant ex parte auſtrali in Siceleg, & percuſſerant Siceleg & ſuccenderant eam igni, &c. c.1. n.69. ibid.
31.3. Vulneratus eſt vehementer à ſagittariis. c.3. n.28. p.231

Ex 2. Regum.

1.10. Stans ſuper eum occidi illum. c.6. n.26. p.509
23 Saül & Ionathas amabiles & decori in vita ſua, in morte quoque non ſunt diuiſi, &c. c.1. n.187. p.66
2.23. Audire contempſit, & noluit declinare. Percuſſit ergo eum Abner, &c. Omneſque, qui tranſibant per locum illum, &c. c.5. n.138. p.479
4.2. Principes latronum. c.1. n.362. p.126
11.4. Miſſis Dauid nuntiis tulit eam. c.3. n.24. p.229
12.8. Hæc dicit Dominus Deus Iſraël: Ego vnxi te in regem ſuper Iſraël, & ego erui te de manu Saül, &c. c.2. n.51. p.158
13 Dixit Dauid ad Nathan: Peccaui Domino: dixitque Nathan ad Dauid: Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum. cap.1. n.99. p.37. c.2. n.110. p.178
15 Deprecatus eſt Dauid Dominum pro paruulo, & ieiunauit Dauid ieiunio, & ingreſſus ſeorſum, &c. c.5. n.137. p.479
13.2. Erat Amnon amicus nomine Ionadab filius Semmaa fratris Dauid, vir prudens valde, qui dixit ad eum: Quare ſic attenuaris macie, &c. cap.4. num.53. p.333
14.1. Intelligens Ioab filius Saruiæ, quòd cor regis verſum eſſet ad Abſalon miſit Thecuam, & tulit inde mulierem ſapientem, &c. c.1. num.248. p.87. c.2. n.135. p.187
15.1. Fecit ſibi Abſalon currus & equites, & quinquaginta viros, qui præcederent eum. c.1. n.286. p.100
12 Populus currens augebatur cum Abſalon. c.1. n.286. ibid.
16.2. Remanſit in Ieruſalem dicens: Hodie reſtituet mihi domus Iſraël regnum patris mei. c.4. n.226. p.392
12 Dimitte eum, vt maledicat iuxta præceptum Domini, ſi fortè reſpiciat Dominus afflictionem meam, &c. c.1. n.194. p.68
16 Cùm veniſſet Chuſai Arachites amicus Dauid ad Abſalon, locutus eſt ad eum: ſalue rex. c.1. n.364. p.127
23 Conſilium Achitophel, quod dabat in diebus illis, quaſi ſi quis conſuleret Deum: ſic erat omne conſilium Achitophel. c.5. n.120. p.473
17.1. Dixit ergo Achitophel ad Abſalon: Eligam mihi duodecim millia virorum, & conſurgens perſequar Dauid hac nocte. c.5. n.120 ibid.
2 Irruens ſuper eum, quippe qui laſſus eſt, & ſolutis manibus, percutiam eum. cap 4. n.209. p.385
18.9. Adhæſit caput eius quercui, & illo ſuſpenſo inter cælum & terram mulus, cui inſederat, pertranſiuit. c.1. n.286. p.100
17 Tulerunt Abſalon, & proiecerunt eum in ſaltu in foueam grandem, & comportauerunt ſuper eum aceruum lapidum, &c. c.2 n.119. p.181
18 Præcepit, vt docerent filios Iuda arcum, ſicut ſcriptum eſt in libro iuſtorum. c.3. n.28. p.231
19.33. Veni mecum, vt requieſcas ſecurus mecum. c.1. n.325. p.113
20.8. Ioab veſtitus erat tunica ſtricta ad menſuram habitus ſui, & deſuper accinctus gladio dependente vſque ad ilia in vagina, &c. c.3. n.144. p.270
16 Num ſanguinem hominum iſtorum, qui profecti ſunt, & animarum periculum bibam? c.1. n.315. p.110
24.1. Addidit furor Domini iraſci contra Iſraël. c.5. n.22. p.439
14 Coarctor nimis; ſed melius eſt vt incidam in manus Domini. c.1 n.187. p.66
15 Aut ſeptem annis veniet tibi fames in terra tua, aut tribus menſibus fugies aduerſarios tuos, &c. cap.1. n.66. & 187. p.26. & 66

Ex 3. Regum.

1.32. Dixit Rex Dauid: Vocate mihi Sadoc Sacerdotem, & Nathan prophetam, &c. c.2. n.110. p.178
2.7. Filiis Berzellai Galaaditis reddes gratiam, eruntque comedentes in menſa tua. c.1. n.325. p.113
3.19. Mortuus eſt filius mulieris huius nocte: dormiens quippe oppreſſit eum, & conſurgens intempeſtæ noctis ſilentio, &c.

Digitized by Google

cap.4. num. 252. pag.401.
27 Audiuit itaque omnis Iſraël iudicium, quod iudicaſſet rex,& timuerunt regem videntes ſapientiam Dei eſſe in eo ad faciendum iudicium. c 6. n.117.p.539
9.11. Dedit Salomon Hiram viginti oppida in terra Galilææ, & egreſſus eſt Hiram de Tyro, vt videret oppida,&c. c.1.n.358. p.125
14 Miſit quoque Hiram ad regem Salomonem centum viginti talenta auri. c.1.n.358. ibid.
10.10. Dedit regi centum viginti talenta auri. c.1.n.358. ibid.
13 Rex Salomon dedit Reginæ Saba omnia quæ voluit,& petiuit ab eo exceptis his quæ vltro obtulerat ei munere regio. c.1.n.252.p.88
12.7. Si hodie obedieris populo huic, & ſeruieris, & petitioni eorum ceſſeris,locutuſque fueris ad eos verba lenia, &c. c.4.n.201. p.383
16 Quæ nobis pars in Dauid, vel quæ hæreditas in filio Iſaï? Vade in tabernacula tua Iſraël. c 4.n.268.p.408
18 Miſit rex Roboam Aduram,qui erat ſuper tributa, & lapidauit eum omnis Iſraël,&c. c 4.n. 268.ibid.
28 Excogitato conſilio fecit duos vitulos aureos, & dixit eis:Nolite vltra aſcendere in Ieruſalem, &c. c.5. n.66.p.455
13.1. Ecce vir Dei venit de Iuda in ſermone Domini in Bethel. Ieroboam ſtante ſuper altare,& thus iaciente. cap.2. n.111. & 260.p.178
4 Et exaruit manus eius, quam extenderat contra eum,nec valuit retrahere eam ad ſe.c.2.n.180.p.202
7 Locutus eſt autem rex ad virum Dei: Veni mecum domum,vt prandeas.c.6.n.198. p.566
9 Mandatum eſt mihi in ſermone Domini præcipientis: non comedes panem,neque bibes aquam. c.6 n.198. ibid.
22 Quia non obediens fuiſti ori Domini, & non cuſtodiſti mandatum, quod præcepit tibi Dominus Deus tuus,&c c.2. n.89. p.171
24 Inuenit eum leo in via, & occidit, & erat cadauer eius proiectum in itinere: aſinus autem ſtabat iuxta illum, &c. c.1. n.351. p.115. c.2.n.89. p.171
15.32. Cùm aſcenderet Dauid ſummitatem montis in quo adoraturus erat Dominum, ecce occurrit ei Chuſai Arachites, &c. c.4. n.209.p.385
17.1. Viuit Dominus Deus Iſraël,in cuius conſpectu ſto, ſi erit annis his ros & pluuia niſi iuxta oris mei verba.c.2.n.221.p.216
4 Coruis præcepi,vt paſcant te. cap.1.n.111. p. 40
6 Corui deferebant ei panem & carnes mane: ſimiliter panem & carnes veſperi.c.3. n 131.p.266
12 Viuit Dominus Deus tuus quia non habeo panem,niſi quantum pugillus capere poteſt farinæ,&c c.1.n.136.p.48
14 Hæc dicit Dominus Deus Iſraël: Hydria farinæ non deficiet,nec lecythus olei minuetur. c.1.n.136. & 360.p.48. & 125
15 Abiit & fecit iuxta verbum Eliæ. c.4.n.76. p.339
21 Expandit ſe atque menſus eſt ſuper puerum tribus vicibus..c.2.n.65. p.163
23 Oſcitauit puer ſepties. c.1. n.158.p.56
18.38 Cecidit ignis Domini, & vorauit holocauſtum & ligna & lapides, puluerem quoque & aquam. cap.1. n.115. p.45.c.6. n.200. p.566
19.5. Ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: ſurge,& comede: reſpexit & ecce ad caput ſuum ſubcineritius panis, & vas aquæ. c.6. n.146. & 256.p.549. & 586
8 Proiecit ſe, & obdormiuit in vmbra iuniperi.c.6.n.146.p.549
9 Manſit in ſpelunca, & ecce ſermo Domini ad eum, dixitque illi: Quid hic agis Elia? c.6.n.124. & 201.p.541.& 567
11 Egredere, & ſta in monte coram Domino & ecce Dominus tranſit,& ſpiritus grandis,& ſubuertens montes,&c. c.1.n.44. p.19
12 Poſt ignem ſibilus auræ tenuis, quod cùm audiiſſet Elias, operuit vultum ſuum pallio,& egreſſus ſtetit in oſtio ſpeluncæ,&c. c.1.n.44.ibid.
15 Reuertere in viam tuam per deſertum.c.1. n.29.p.14
16 Eliſæum filium Saphat, qui eſt de Abelmeula, vnges prophetam pro te. cap.1. n.29. ibid.
19 Profectus ergo inde Elias reperit Eliſæum filium Saphat arantem in duodecim iugis boum, & ipſe in duodecim iugis boum, &c. c.6. n.256.p.586
21.2. Locutus eſt Achab ad Naboth dicens: Da mihi vineam tuam, vt faciam mihi hortum olerum. c.4.n.76.p.339
22.30. Dixit itaque rex ad Ioſaphat:ſume arma & ingredere prælium,& induere veſtibus tuis:porro rex Iſraël mutauit habitum,&c. c.4.n.240. p.397

Ex 4. Regum.

1.2. Cecidit Ochozias per cancellos cœnaculi ſui, &c. Ite, conſulite Beelzebub Deum Accaron,&c. c.4.n 247.p.400
10 Deſcendit ignis de cælo,& deuorauit eum, & quinquaginta,qui erant cum eo.cap.1. n. 115.p.45
2.2. Viuit Dominus & viuit anima tua, quia non derelinquam te. c.4. n.121. p.355
6 Dixit ei Elias: ſede hic: quia Dominus miſit me vſque in Iordanem, c.4. n.121. ibid.
9 Poſtula à me quod vis, vt faciam tibi, &c. Fiat in me duplex ſpiritus tuus. cap. 4. n.282.p.413
10 Rem difficilem poſtulaſti; attamen ſi videris me,quando tollar à te,erit tibi quod petiſti. c.4.n.7. p.317
12 Pater mi,pater mi, currus Iſraël, & auriga eius. Et apprehendit veſtimenta ſua, & ſcidit illa in duas partes. c.1. n.77. & 86. p.29.& 32.c.6.n.195.p.565
13 Leuauit pallium Eliæ. c.4.n.282.p.413.c.6. n.196.p.565
14 Percuſſit aquas, & diuiſæ ſunt huc atque illuc,

Digitized by Google

illuc, & tranſiit Eliſæus. cap.5. num.77. & 148.p.458.& 484
4. 6. Cùm plena fuiſſent vaſa, &c. c.1. n.360. p.125
13 Ecce ſedulè in omnibus miniſtraſti nobis, quid vis,vt faciam tibi? Numquid habes negotium,&c. c.1.n.59.p.24
16 Noli mentiri ancillæ tuæ. c.1.n.105.p.39
24 Mina & propera, ne mihi moram facias in eundo.c.4.n.184 p.377
27 Dominus celauit à me, & non indicauit mihi.c.6.n.240.p.580
28 Numquid petiui filium à Domino meo? Numquid non dixi tibi: Ne illudas me? c.1.n.105.p 309
29 Tolle baculum meum in manu tua,& vade: ſi occurrerit tibi homo non ſalutes eum, &c. c.1. n.117.& 158.p.42.& 56.c.5. n.77.p.458.c.6.n.104.& 240. p.535. & 580
31 Giezi præceſſerat ante eos, & poſuerat baculum ſuper faciem pueri, & non erat vox,neque ſenſus.c.6.n.60.p.520
34 Orauit ad Dominum,& aſcendit,& incubuit ſuper puerum, poſuitque os ſuum ſuper os eius, &c. cap.2. n.65. & 192. p.165.& 206
5.26. Accepiſti argentum,& accepiſti veſtes,vt emas oliueta,& vineas,& oues,& boues, & ſeruos,& ancillas. c.6. n.60.p.520
27 Lepra Naaman adhærebit tibi, & ſemini tuo vſque in ſempiternum, & egreſſus eſt ab eo leproſus quaſi nix. c.4.n.328. p.429
6.15. Conſurgens diluculo miniſter viri Dei egreſſus vidit exercitum in circuitu ciuitatis,& equos,& currus. c.3.n.10 p.224
17 Aperuit Dominus oculos pueri,& vidit, & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum. cap.3.n.10. p.224.c 4.n.179. p.375
9.13. Feſtinauerunt itaque, & vnuſquiſque tollens pallium ſuum, poſuerunt ſub pedibus eius in ſimilitudinem tribunalis.c.1. n.381.p.134
22 Adhuc fornicationes Iezabel matris tuæ & veneficia eius multa vigent.c.1.n.339. p.118
23 Conuertit Ioram manum ſuam,& fugiens ait ad Ochoziam. c.1.n.339. ibid.
30 Porro Iezabel introitu eius audito depinxit oculos ſuos ſtibio, & ornauit caput ſuum,& reſpexit per feneſtram,&c. c.5. n.16.p.457
33 Præcipitate eam deorſum, & præcipitauerunt eam, aſperſuſque eſt ſanguine parietis,& equorum vngulæ conculcauerunt eam.c.1.n 339.p.118.c.5.n.16.p.457
13.17. Percuties Syriam in Aphec, donec conſumas eam. c.4.n.185.p.377
18 Cùm percuſſiſſet tribus vicibus,& ſtetiſſet, iratus eſt vir Dei contra eum. c.4.n.185. ibid.
17.3. Factus eſt ei Oſee ſeruus,reddebatque illi tributa. c.3.n.119.p.262
4 Cùm deprehendiſſet rex Aſſyriorum Oſee quòd rebellare nitens miſiſſet nuntios, &c c.3.n 119. ibid.
18.14. Omne quod impoſueris mihi, feram. c.3.n.121.p.263
19.35. Factum eſt in nocte illa venit Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia. c.5.n.13.p.436
20.1. In diebus illis ægrotauit Ezechias. c. 3. n.34.p.233 c.5.103.p.466
2 Morieris tu,& non viues.c.3.78.p.248
3 Fleuit itaque Ezechias fletu magno. cap.3. n 78.ibid.
5 Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas,& ecce ſanaui te.c.3.n.78. ibid.
7 Afferte maſſam ficorum,quam cùm attuliſſent, & poſuiſſent ſuper vlcus eius,curatus eſt. c.3.n.34.p.233
10 Vis vt aſcendat vmbra decem lineis, an vt reuertatur totidem gradibus? c.5. n.78. p.459
12 In tempore illo miſit Berodac filius Baladam rex Babyloniorum litteras & munera ad Ezechiam. c.4.n.243.p.398
17 Ecce dies venient,& auferentur omnia quæ ſunt in domo tua, & quæ condiderunt patres tui vſque in diem hanc in Babylonem. c.4.n.243. ibid.
23.14. Contriuit ſtatuas, ſuccidit lucos, repleuitque loca eorum oſſibus mortuorum. c 6.n.37.p.512
17 Quis eſt ille titulus, quem video? cap.1. n.331.p.115.c.2.n 89.p.171
18 Sepulchrum eſt hominis Dei. c. 1.n.331. p.115
25.12. Reliquit vinitores & agricolas;columnas autem æreas, quæ erant in templo Domini,& baſes,& mare æreum,&c. c.6. n.58.p.519

Ex 2. Paralipomenon.

9.12. Rex Salomon dedit Reginæ Saba cuncta quæ voluit, & quæ poſtulauit, & multò plura,quàm attulerat ad eum. c.1. n.358. p.125
36.15. Mittebat Deus Patrum ſuorum ad illos per manum nuntiorum ſuorum,de nocte conſurgens,& quotidie monens,&c.c.6. n.85.p.529

Ex 2. Eſdræ.

Ædificauit Melchias filius aurificis vſque ad domum Nathinæorum,& ſcuta vendentium contra portam iudicialem. c.6.n.75.p.525

Ex Tobia.

2.8. Recordatus Tobias ſermonum Angeli protulit de caſſidili ſuo partem iecoris, poſuitque ſuper carbones viuos.c.2.n.134. p.187
5.14. Numquid poteris perducere filium meum ad gabellum in Rages ciuitate Medorum? c.5.n.113.p.470
6.2. Ecce piſcis immanis exiuit ad deuorandum eum. c.2.n 213.p.213
4 Apprehende branchiam eius, & trahe eum ad te. c 4.n.193.p.381
11.8. Statim lini ſuper oculos eius ex felle iſto piſcis, quod portas tecum: ſcias enim quoniam mox aperientur oculi eius, &
vid

Digitized by Google

videbit pater tuus, &c. cap. 2. n.127. p.184

Ex Iudith.

4.9. Induerunt ſe Sacerdotes ciliciis,& infantes proſtrauerunt contra faciem templi Domini, & altare Domini operuerunt cilicio.c.5.n.151.p.485

8.11. Qui eſtis vos qui tentatis Dominum? Non eſt iſte ſermo, qui miſericordiam prouocet; ſed potiùs qui iram excitet. c.3.n.97 p.254

33 Nolo vt ſcrutemini actum meum,& vſque dum renuntiem vobis, nihil aliud fiat niſi oratio pro me ad Dominum Deum noſtrum.c.5.n.166.p.277

10.3. Lauit corpus ſuum,& vnxit ſe myro optimo,& diſcriminauit crinem capitis ſui, & impoſuit mitram ſuper caput ſuum, &c. c.4. n.324.p.427

18 Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, vt non pro iis pugnare contra eos debeamus.c 4.n.297.p.418

13.3. Erat Iudith ſola in cubiculo; porrò Holofernes iacebat in lecto nimia ebrietate ſopitus. cap.4. n.250. & 374.p.401. & 427

10. Percuſſit bis in ceruicem eius, & abſcidit caput eius, & abſtulit conopæum eius à columnis,&c. c.3.n.98.p.254

Ex Eſther.

Cap.3. v.2. Cuncti ſerui regis, qui in foribus palatij verſabantur,flectebant genua,&c. Solus Mardochæus non flectebat genu, neque adorabat eum c.3.n.157.p.274

5 Quod cùm audiſſet Aman,& experimento probaſſet, quòd Mardochæus non flecteret genu, &c. c.3.n.157. ibid.

8 Eſt populus per omnes prouincias regni tui diſperſus, & à ſe mutuò ſeparatus,nouis vtens legibus,&c. c.1.n.319.p.111

Ex Iob.

Cap. 1. verſ.8. Numquid conſideraſti ſeruum meum Iob,quòd non ſit ei ſimilis in terra: homo ſimplex & rectus, & timens Deum,&c. c.4.n.65. p.336

12 Ecce vniuerſa, quæ habet in manu tua ſunt.c.4.n.196 & 275.p.381 & 411

14 Nuntius venit ad Iob, qui diceret: Boues arabant, & aſinæ paſcebantur iuxta eos. c.5.n.43.p.446

15 Irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia. c.5. n.43.& 164.p 446.& 489

16 Ignis Dei cecidit è cælo,& tactas oues,pueroſque conſumpſit, & effugi ego ſolus, vt nuntiarem tibi. c.2.n.123. p.183.c.5. n.164.& 180. p.489. & 495

17 Chaldæi fecerunt tres turmas, & inuaſerunt camelos & tulerunt eos,nec non & pueros percuſſerunt gladio.cap.3.n.114. p.261

19 Ventus vehemens irruit à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus,quæ corruens oppreſſit liberos tuos. cap. 4.

&

num. 214. pag. 387

20 Tunc ſurrexit Iob,& ſcidit veſtimenta ſua. c.4.n.239.& 298.p.396.& 418

2.7. Egreſſus ſathan à facie Domini percuſſit Iob vlcere peſſimo à planta pedis vſque ad verticem eius.c.1.n.162.p.57

8 Teſta ſaniem radebat ſedens in ſterquilinio. c.4.n.275.p.411

9 Dixit illi vxor ſua: Adhuc tu permanes in ſimplicitate tua? Benedic Deo & morere. c.1.n.158.& 162.p.56.& 57.c.2. n.30.p.149.c.6.n.114 p.538

10 Quaſi vna de ſtultis mulieribus locuta es. c.1.n.156.p.55

3.5. Obſcurent eum tenebræ,& vmbra mortis. c.2.n.147.p.191

6 Noctem illam tenebroſus turbo poſſideat. Non computetur in diebus anni, nec numeretur in menſibus.c.1.n.286.p.100

8 Maledicant ei,qui maledicunt diei,qui parati ſunt ſuſcitare Leuiathan. c.3.n.91. p.252

25 Timor, quem timebam, euenit mihi, & quod verebar, accidit. c.5.n.179.p.494

7.1. Militia eſt vita hominis ſuper terram. c.2. n.146.p.190

8.3. Numquid Deus ſupplantat iudicium, aut omnipotens ſubuertit quod iuſtum eſt? c.1.n.144.p.52

14 Sicut tela aranearum fiducia eius: innitetur ſuper domum ſuam,& non ſtabit: fulciet eam,& non conſurget. c.4. num.55. & 134.p.333. & 360

9.23. Si flagellat, occidat ſemel, & non de pœnis innocentum rideat.c.1.n.213.p.75

28 Verebar omnia opera mea,ſciens quia non parceres delinquenti.c.5.n.104.p.467

10.14. Si peccaui, & ad horam pepeciſti mihi, cur ab iniquitate mea mundum me eſſe non pateris? c.1. n.104. p.38. c.2. n.58. p.161

16 Reuerſus mirabiliter me crucias.c.2.n.104. p.176

17 Inſtauras teſtes tuos contra me, & multiplicas iram tuam, & pœnæ militant in me. c.2. n.171. & 190.p.199.& 205

18 Quare de vulua eduxiſti me, qui vtinam conſumptus eſſem,nec oculus me videret: fuiſſem quaſi non eſſem,&c. cap.1. n.101. p.37

12.17. Adducit conſiliarios in ſtultum finem, & iudices in ſtuporem,baltheum regum diſſoluit.c.2.n.8.p.140.c.4.n.208.p.385

19 Ducit Sacerdotes inglorios, & optimates ſupplantat. c.2.n.78. p.168

15.34. Ignis deuorabit tabernacula eorum,qui munera libenter accipiunt. c.4. n.242. p.398

16.3. Numquid habebunt finem verba ventoſa? c.6.n.131.p.544

19.20. Pelli meæ conſumptis carnibus adhæſit os meum, & derelicta ſunt tantummodò labia circa dentes meos, &c. cap. 4. n.229. p.393

26.5. Ecce gigantes gemunt ſub aquis. cap.3. n.210.p.297

30.3. Egeſtate & fame ſteriles, qui rodebant in ſolitudine ſqualentes calamitate & miſeria, & mandebant herbas,&c. c.1.n.93. p.35

31.9. Si

Digitized by Google

31.9. Si deceptum eſt cor meum ſuper muliere, & ſi ad oſtium amici mei inſidiatus ſum.c.4.n.254.p.402
39.19. Numquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo eius hinnitum? Numquid ſuſcitabis eum quaſi locuſtas? c.1.n.338.p.118
23 Super ipſum ſonabit pharetra,vibrabit haſta & clypeus. c.1.n.302.p.116
24 Feruens & fremens ſorbet terram,nec reputat tubæ ſonare clangorem,&c. cap.1. n.299.p.104 c.5.n.139.p.480
25 Vbi audierit buccinam,dicit Vaph: procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & vlulatum exercitus. c. 5. n. 90. p.462. c.1.n.299.p.104
27 Numquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponit nidum ſuum? c.1. n.352. p.123 c.3.n.27. p.234.c.4. n.126.p.356
28 In petris manet, & in prærupris ſilicibus commoratur, atque inacceſſis rupibus, &c. c.1. n.140. p.50. c.4. n.126. p.356. c.6.n.181.p.561
30 Vbicumque cadauer fuerit, ſtatim adeſt. c.1.n 78.p.29
40.13. Oſſa eius velut fiſtulæ æris, cartilago illius quaſi laminæ ferreæ,ſub vmbra dormit,in ſecreto calami, &c. cap.1. n.353. p.123
41 10. De ore eius lampades procedunt ſicut tædæ ignis accenſæ, de naribus eius procedit fumus, ſicut ollæ ſuccenſæ,&c. c.6. n.27.p.509
25 Omne ſublime videt, & ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. c.4.n.201.p.385

Ex Pſalmis.

1.1. Beatus vir,qui non abiit in conſilio impiorum & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit. cap.1.n.55. p.15.c.6.n 71.& 78.p 524.& 526
3 Erit tamquam lignum,quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo. c.4.n.223. p.391
4.3. Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? c.1.n.105.p 39
13 Domine vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos c.3.n.8.p 225
7.16. Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit. cap.1. num.179. p.63
17 Conuertetur dolor eius in caput eius. c 5. n.48.p.448
8.4. Videbo cælos tuos opera digitorum tuorum,lunam & ſtellas,quæ tu fundaſti. c.1. n.106 p.309
10 Adiutor in opportunitatibus, in tribulatione. c.3.n.23.p.229
10.7. Similis factus ſum pellicano ſolitudinis, factus ſum ſicut nycticorax in domicilio, &c. c.6.n.92.p.531
17.11. Aſcendit ſuper Cherubim,& volauit.c.2. n.17. p 144
18.5. In ſole poſuit tabernaculum ſuum,& ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo c 4.n.280.p.412
19 Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem. c.2.n.68. p.164
22.5. Calix meus inebrians quàm præclarus eſt.c.6.n.180.p.560
23.7. Attollite portas Principes veſtras,& eleuamini portæ æternales. cap. 4. n.103. p.349
8 Quis eſt iſte rex gloriæ? Dominus fortis & potens,Dominus potens in prælio c.4. n.103.ibid.
24.12. Legem ſtatuit ei in via,quam elegit c.1. n.215. p.76
26.12. Mentita eſt iniquitas ſibi. c.4.num.42. p.329
31.10. Multa flagella peccatoris; ſperantem autem in Domino miſericordia circumdabit. c.4.n.43 ibid.
34.2. Apprehende arma & ſcutum,& exurge in adiutorium mihi: effunde frameam, & conclude,&c. c.4.n.127.p.357
36 1. Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem: quoniam tamquam fœnum, &c. c.4. n.58. p.334
14 Gladium euaginauerunt peccatores,intenderunt arcum ſuum, vt deiiciant pauperem & inopem, &c. c.1.n.176.p 62
37.6. Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ. c.2. n.59. p.161
41.11. Dum confringuntur oſſa mea, exprobrauerunt mihi,qui tribulant me inimici mei. c.4. n.228.p.393
43.14. Poſuiſti nos opprobrium vicinis noſtris, ſubſannationem,& deriſum his,qui ſunt in circuitu noſtro c.2.n.182.p.202
20 Humiliaſti nos in loco afflictionis,& cooperuit nos vmbra mortis. cap.2. n.148. & 26. p.191. & 148
47.7. In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis. c 4. n.56.p.334
48.19. Confitebitur tibi, cùm benefeceris ei. c.1.n.145.p.52
50.19. Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies. c.5.n.107. p.467
51.10. Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Dei. c.2 n.199. p 208
54.7. Volabo & requieſcam. cap.4. num.316. p.424
57.7. Deus conteret dentes eorum in ore ipſorum, molas leonum confringet Dominus.c.6.n.56.p.518
74.4. Liquefacta eſt terra, & omnes qui habitant in ea: ego confirmaui columnas eius. c.1.n.76.p.29
77.27. Pluit ſuper eos ſicut puluerem carnes, & ſicut arenam maris volatilia pennata. c 4. n.285. p.414
30 Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum,& ira Dei aſcendit ſuper eos c.1.n.253.p.88
49 Miſit in eos iram indignationis ſuæ, indignationem,& iram,& tribulationem, immiſſiones per Angelos malos. c.3. n.22. p.229
64 Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt, & viduæ eorum non plorabantur: & excitatus eſt, &c. c.3. n.109. p.259
80.12. Iſraël non attendit mihi. c.3. num.45. p.236
13 Dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum

Digitized by Google

tum ibunt in adinuentionibus ſuis. c.3. n.45. ibid.
88.44. Quis eſt homo,qui viuit, & non videbit mortem? Eruet animam ſuam de manu inferi.c.2.n.125.p.183
91.13. Iuſtus vt palma florebit c.2.n.116.p.180
92.5. Domum tuam decet ſanctitudo Domine in longitudinem dierum.c.3.n.171.p.280
93.12. Beatus homo,quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. cap.1. n.236.p.83
105.9. Increpuit mare rubrum, & exiccatum eſt, & deduxit eos in abyſſis, ſicut in deſerto. c.3.n.200.p.190
21 Mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum. cap. 2. n.32.p.150
37 Immolauerunt filios ſuos,& filias ſuas dæmoniis, & effuderunt ſanguinem innocentem,ſanguinem filiorum ſuorum,&c. c.2.n.56.p.160
109.2. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum. c.4 n.258.p.404
4 Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.c.2.n.113.p.179
113.5. Os habent, & non loquentur; ſimiles illis fiant,qui faciunt ea. c.3. num.107. p.258
133.1. Ecce nunc benedicite Dominum omnes ſerui Domini, qui ſtatis in domo Domini.c.6.n.71.p.524
136.1. Super flumina Babylonis illic ſedimus, & fleuimus,dum recordaremur tui Sion. c.3.n.71.p.245
146.9. Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.c.6. n.80.p.527

Ex Prouerbiis.

Cap.5.v.3. Ne attendas fallaciæ mulieris:fauus enim diſtillans labia meretricis; & nitidius oleo guttur eius,&c. cap.4. n.272. p.409
9.2. Immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum & propoſuit menſam ſuam. c.1.n.280. p.98
13.16. Aſtutus omnia agit cum conſilio.cap.3. n.153. p.272
14.13. Riſus dolore miſcetur.c.5.n.180.p.495
27.6. Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula odientis.c.2. n.218. p.215
31.15. De nocte ſurrexit,dedítque prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis. c.1. n 375. p.131

Ex Eccleſiaſte.

Cap.1.v.18. In multa ſapientia multa eſt indignatio. c.1.n.168 p.94
4.9. Melius eſt duos eſſe ſimul, quam vnum: habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ,&c. c.1.n 97. p.36
7.14. Conſidera opera Dei, quod nemo poſſit corrigere,quem ille deſpexerit.c.6.n.82. p.528
10.18. In pigritiis humiliabitur contignatio,& in infirmitate manuum perſtillabit domus. capite 6. numero 105. pag. 535

Ex Canticis Canticorum.

Cap.1.v.1. Oſculetur me oſculo oris ſui: quia meliora ſunt vbera tua vino. c.3.n.14. p.216
5 Decolorauit me Sol: filij matris meæ pugnauerunt contra me,poſuerunt me cuſtodem in vineis. c.3. n.14. ibid.
9 Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis. c.6. n.94.p.532
2.2. Similis eſt dilectus meus capreæ,hinnuloque ceruorum.c.1.n.365.p.127
3 Sub vmbra illius,quem deſideraueram ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Introduxit me in cellam vinariam. cap.6. n.130.p.543
9 En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum. cap.1. n.365.p.127
12 Flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis aduenit: vox turturis audita eſt in terra noſtra. c.5. n.156. p.478.c.6. n.42.p.513
13 Surge, propera, amica mea columba mea formoſa mea, & veni: iam enim hyems tranſiit, imber abiit & receſſit,&c. cap.3. n.160.p.275
15 Capite nobis vulpes paruulas,quæ demoliuntur vineas: nam vinea noſtra floruit. c.3.n.150.p.271.c.6.n.102.p.534
3.3. Num quem diligit anima mea, vidiſtis? Paululum cùm pertranſiſſem eos,inueni quem diligit anima mea. cap.4. n.130. p.358
4 Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ. c.4. n.82. & 132. p.341. & 359. c.6. n.84. p.528
5 Adiuro vos filiæ Ieruſalem per capreas ceruoſque camporum,ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, &c. cap.4. n.132.p.359
6 Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij? c.6.n.225.& 270.p.574. & 592
7 En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël, omnes tenentes gladios,& ad bella doctiſſimi,&c. c.1.n.65.& 376.p.25. & 131.c.4.n.111. p.351
4.1. Oculi tui columbarum. Capilli tui ſicut greges caprarum, quæ aſcenderunt de monte Galaad. c.6.n.76.& 132.p.525. & 544
2 Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus,& ſterilis non eſt inter eas.c.6. n.76.p.525
3 Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce. c.4.n.135.p.360
5 Duo vbera tua ſicut duo hinnuli capræ gemelli,qui paſcuntur in liliis.c.5.n.156. p.486
8 Veni de Libano, ſponſa mea, veni coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum,&c. c.4.n.145. & 320. p.363. & 426
5.2. Ego dormio & cor meum vigilat: Vix
dilecto

Digitized by Google

dilecti mei pulſantis: Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea. cap.5. num.217.p.295.c.4.n.183.p.377.c.5. n.178. p.494

3 Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos. cap.3.n.217.p.295.c.4. n.36.& 183.p 327.& 377

6 Peſſulum oſtij mei aperui dilecto meo; at ille declinauerat, atque tranſierat.cap.4. n.183.p.377

7 Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt ciuitatem: percuſſerunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum,&c. cap.2.num.156.p.194.cap.6.num.84. p.528

8 Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ſi inueneritis dilectum meum, vt annuntietis ei quia amore langueo. c.2.n.156. p.194.c.4. n.135.p.360

6.9. Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis,&c. cap.6. num.225. p.574

7.4. Naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum. cap.3. num.104. p.257

8 Aſcendam in palmam,& apprehendam fructus eius. c.1.n 93.p.35

8.10. Ego murus, & vbera mea ſicut turris, ex quo facta ſum coram eo, quaſi pacem reperiens.c.4.n.113.p.352

Ex Sapientia.

Cap.15. v.7. Figulus mollem terram premens laborioſè fingit ad vſus noſtros vnumquodque vas. c.4.n.159.p.368

9 Cura eſt illi non quia laboraturus eſt, nec quoniam breuis illi vita eſt; ſed concertatur aurificibus,&c. c.4. n.159.ibid.

Ex Eccleſiaſtico.

1.6. Radix ſapientiæ cui reuelata eſt, & aſtutias illius quis agnouit? cap.3.num.149. p.171

3. 10. In opere, & ſermone, & omni patientia honora patrem tuum, vt ſuperueniat tibi benedictio ab eo, & benedictio illius,&c. c.6.n.161.p.554

35.14 Noli offerre munera praua: non enim ſuſcipiet illa,& noli inſpicere ſacrificium iniuſtum: quoniam Dominus iudex eſt. c.6.n.204 p.568

37.9. A conſiliario ſerua animam tuam: priùs ſcito quæ ſit illius neceſſitas, & quid ipſe animo ſuo cogitet. cap 4.num.205. p.384

40.1. Graue iugum ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum vſque in diem ſepulturæ in matrem omnium c.6. n.42.p.513

Ex Iſaia.

Cap.1. v.4. Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequam, filiis ſceleratis, dereliquerunt Dominum. c.2.n.188. p.204

5 Super quo percutiam vos vltra addentes præuaricationem. Omne caput languidum, & omne cor mœrens, &c. cap.6. n.77. p.526

19 Si fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur, & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt. cap.6. n.182.p.561

3.1. Ecce dominator Dominus exercituum auferet à Ieruſalem, & à Iuda validum & fortem, &c. capite 2. numero 159. pagina 195

7 Non ſum medicus, & in domo mea non eſt panis, neque veſtimentum, nolite me conſtituere Principem populi. cap 1. n.52.& 214.p.22.& 75.cap.3.n.242. p.305.c 5.n.99.p.465

12 Populum meum exactores ſui ſpoliauerunt, & mulieres dominatæ ſunt eis. c.3.n.60.& 128.p.241.& 264

6.1. Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum, & ea, quæ ſub ipſo erant, replebant templum.c.1.n.94. p.35.c 3.n.9.p.224.c.4 n.19.p.321

2 Seraphim ſtabant ſuper illud: ſex alæ vni, & ſex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius,&c. cap.1. num 237.& 367.p.83. & 128.c.3.n.9.22.170.& 218.p.224. 229.279.& 296. c.4. num.37.& 180. p.327.& 376. c.6. n.136.177.& 209. p.545.& 559.& 570

6 Volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari. c.1.n.207.p.73.c.6.n.119. p.540

7.12. Non petam,& non tentabo Dominum. c.1.n.244.p.85

18 In die illa ſibilabit Dominus muſcæ, quæ eſt in extremo fluminum terræ Ægypti, & api quæ eſt in terra Aſſur.c.6.n.49.p.516

8.21. Cùm eſurierit iraſcetur, & maledicet regi ſuo & Deo ſuo, & ſuſpiciet ſurſum. c.4.n.67 p.337

9. 6. Vocabitur nomen eius admirabilis conſiliarius. c.2.n.9. p.141

10.33. Ecce dominator Dominus exercituum confringet laguncuiam, in terrore, & excelſi ſtatura ſuccidentur,&c.c.1.n.40. p.17

11.1. Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini. cap.1.num.40. ibid

6 Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit, vitulus & leo, & ouis ſimul morabuntur. cap.3.num.56. p.240

8 Delectabitur infans ab vbere ſuper foramine aſpidis,& in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manum ſuam mittet.cap.5. n.153.p.485

14.12. Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? Corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes, &c. cap.4. n.161.p.369.c.6 n.172.p.558

13 In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, &c. capite 1. numero 94. pag.35. & cap.3. num.64. p.242

Digitized by Google

Index locorum

14 Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo. capite 4. numero 158. p.368

16.3. Ini conſilium, coge concilium, pone quaſi noctem vmbram tuam in meridie, abſconde fugientes, & vagos ne prodas. c.5.n.121. p.473

18. 2. Ite Angeli veloces ad gentem conuulſam & dilaceratam ad populum terribilem, poſt quem non eſt alius, ad gentem expectantem, & conculcatam. c.2. n.97. & 102. p.174 & 175

21. 11. Cuſtos quid de nocte, cuſtos quid de nocte? c 5.n.182. p.495

27. 1. In illa die viſitabit Dominus in gladio ſuo duro, & grandi, & forti ſuper Leuiathan ſerpentem veſtem, &c. c.3. num.63. 93. & 111. p.242.253 & 260

28. 15. Audite verbum Domini viri illuſores, qui dominamini ſuper populum meum, qui eſt in Ieruſalem, &c. c.3. num.54. p.239

30. 11. Auferte à me viam, declinate à me ſemitam, ceſſet à facie noſtra ſanctus Iſraël. c.6. n.66. p.522

33. 15. Qui ambulat in iuſtitiis & loquitur veritatem, qui proiicit auaritiam ex calumnia, & excutit manus ſuas, &c. c.4.n.128. p.357

16 Iſte in excelſis habitabit, munimenta ſaxorum ſublimitas eius, panis ei datus eſt. c.6. n.183. p.561

38. 14. Sicut pullus hirundinis ſic clamabo, meditabor vt columba. cap.4. num.70. p.337

50.11. Ecce vos omnes accendentes ignem accincti flammis ambulate in lumine ignis veſtri, & in flammis, quas ſuccendiſtis. c 4. n.64. p.336

51. 22. Ecce tuli de manu tua calicem ſoporis, fundum calicis indignationis meæ non adiicies, &c. cap.3. num.113. p.260

52.2. Solue vincula colli tui captiua filia Sion. c.3.n.88.p.251

60. 8. Qui ſunt iſti qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas. cap. 6. n.165. p.555

Ex Ieremia.

Cap.6. v.14. Curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia dicentes: Pax, pax, & non erat pax. cap. 5. num. 87. p.462

7. 11. Dedi dilectam animam meam in manu inimicorum eius: facta eſt mihi hæreditas mea quaſi leo in ſilua. cap. 2. numero 185. p.203

10. 1. Iuxta vias gentium nolite diſcere, & à ſignis cæli nolite metuere. c. 4. n.231. p.203

12. 9. Numquid auis diſcolor hæreditas mea mihi? Numquid auis diſtincta per totum? venite congregamini omnes beſtiæ terræ. c.4. n.238. p.396

29.8. Non vos ſeducant prophetæ veſtri, qui ſunt in medio veſtrum, & diuini veſtri, & ne attendatis ad ſomnia, &c. cap.3. n.192. p.287

22 Ponat te Dominus ſicut Sedeciam, & ſicut Achab, quos frixit rex Babylonis in igne, pro eo quod fecerint ſtultitiam in Iſraël. c.4.n.156.p.403

44.16. Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te; ſed facientes faciemus omne verbum, &c. c.2.n.216.p.214

48.10. Maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter. c.5.n.105. p.467

Ex Threnis.

4. 1. Quomodò obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij, &c. cap. 6. num. 100. p.533

Ex Ezechiele.

Cap. 1. v. 5. Similitudo quatuor animalium. c.6.n.209.p.570

8 Pennas per quatuor partes habebant. c. 4. n.19. p.321

10 Facies leonis à dextris ipſorum quatuor & facies aquilæ deſuper ipſorum quatuor. c.1. n.78. p.29

24 Audiebam ſonum alarum quaſi ſonum aquarum multarum, quaſi ſonum ſublimis Dei, cùm ambularent, &c. c.3.n.216. p.295

25 Cùm fieret vox ſuper firmamentum, quod erat ſuper caput eorum, ſtabant, & ſubmittebant alas ſuas. c 3.n.216. & 218. p.295.296

16.22. Et poſt omnes abominationes tuas, & fornicationes non es recordata dierum adoleſcentiæ tuæ, &c. cap.6. num. 50. p.516

17.3. Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis, & varietate, &c. cap.1. num.139.pag.50. c.2. n.69. p.164.c.3.n. 213.p.294.c.6. num.51.p 516

19.5. Cùm vidiſſet quòd infirmata eſt, & periit expectatio eius, tulit vnum de leunculis ſuis, leonem conſtituit eum, &c. c.4. n.18 p.321

23.7. In immunditiis eorum polluta eſt. c.6. n.25.p.509

28.12. Tu ſignaculum ſimilitudinis: tu Cherub extentus & protegens. c. 1. n.102. p.38

29. 3. Ecce ego ad te Pharao rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum. cap.3. numero 86. capite 250

19 Ecce ego dabo Nabuchodonoſor regem Babylonis in terra Ægypti, vt accipiat multitudinem eius, & deprædabitur. c.3. n.86. ibid.

33. 3. Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat, occidebatis. cap.4. n.231. p.394

34.4. Quod perierat, non quæſiſtis, ſed cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia, & diſperſæ ſunt oues meæ. cap.4. n.155.p.367

Ex

Digitized by Google

Ex Daniele.

Cap.2. v. 33. Pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis. cap.2. num.33. p.151

34 Abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus, & percuſſit ſtatuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus,& comminuit eos.c.3. num. 134.146.& 235. p.267.270.& 302.c.5.n.68.p.456.cap.6.num.200. pag.566

35 Contrita ſunt pariter ferrum, teſta, æs, argentum, & aurum, & redacta quaſi in fauillam æſtiuæ areæ. c.2. n.90. p.172. c.5.n.49. p.448

46 Danielem adorauit,& hoſtias & incenſum præcepit vt ſacrificarent ei.cap.1.n.120. p.43

49 Poſtulauit à rege, & conſtituit ſuper opera prouinciæ Babylonis Sidrach,Miſach, & Abdenago. cap.1. num. 120. ibid.

3.1. Nabuchodonoſor fecit ſtatuam auream altitudine cubitorum ſexaginta, latitudine cubitorum ſex, &c. cap.1. n.379. p.133.c.2.n.33.p.151

5 In hora qua audieritis ſonitum tubæ,& fiſtulæ,& citharæ,ſambucæ,& pſalterij, & vniuerſi generis muſicorum, &c. cap.1. n.226. p.79

6 Cadentes adorate ſtatuam auream, quam conſtituit Nabuchodonoſor rex. cap.5. n.49. p.448

7 Cadentes omnes populi tribus & linguæ adorauerunt ſtatuam auream,quam conſtruxerat Nabuchodonoſor rex. cap.1. n.319.p.111.c.4.n.267.p.408

16 Mittemini in fornacem ignis ardentis. c.5. num.49 p.448

17 Ecce Deus noſter, quem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô rex, liberare. c.6.n.1 1. pag.537

23 Viros illos qui miſerant Sidrach, Miſach, & Abdenago, interfecit flamma ignis. c.5.n.24. p.439

47 Effundebatur flamma ſuper fornacem cubitis quadraginta nouem,& erupit,& incendit, quos reperit,&c. cap.1.n.183. p.64

49 Angelus Domini deſcendit cum Azaria & ſociis eius in fornacem. c.1.num.350. p.122

50 Fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem.c.6.n.200.p.566

92 Et ſpecies quarti ſimilis filio Dei. cap.4. n.27.p.324.c.6.n.200.p.566

96 A me poſitum eſt decretum,vt omnis populus,tribus, & lingua quæcumque locuta fuerit blaſphemiam,&c.c.6.n.248. p.583

99 Signa & mirabilia fecit apud me Deus excelſus. c.2.n.39.p.154

4.7. Videbam, & ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia. c.4.n 217.p.388. c.6.n 97.p.533

8 Magna arbor & fortis. cap.4. num.58. pagina 3 4

9 Folia eius pulcherrima & fructus eius nimius: ſubter eam habitabant animalia, & beſtiæ,&c. c.4. n.224. & 267. p.391. & 408. cap.5.n.62.p.454.c.6.num.97. p.533

10 Ecce vigil & ſanctus de cælo deſcendit, &c. cap.4.num.27.& 217.pag.324. & 388

11 Succidite arborem & præcidite ramos eius, excutite folia eius, & diſpergite ramos eius. c.2.n.70. & 93. pag.165.& 173. cap.4. num.27. pag.324. cap.6.n.269. p.591

12 Germen radicum eius in terra ſinite. c.2. num.90. pag. 172. cap.6. num. 269. p.591

22 Eiicient te ab hominibus, & cum beſtiis feriſque erit habitatio tua: fœnum vt bos comedes,&c. c.1.n.379. p.133.c.4. n.317. p.419

24 Quamobrem, rex, conſilium meum placeat tibi,& peccata tua eleemoſynis redime.c.1.n.379.p.133

27 Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, & in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei, &c. cap. 2. numero 140. p.189

28 Tibi dicitur Nabuchodonoſor rex. cap.3. n.58. p.241

30 Ex hominibus abiectus eſt, & fœnum vt bos comedit, & rore cæli corpus eius infectum eſt,&c. c.1.n.153.& 166.p.54. & 59

31 Poſt finem dierum ego Nabuchodonoſor oculos meos ad cælum leuaui, & ſenſus meus redditus eſt mihi,&c c.1.n.153. p 54.c.2.n.39.p.154

5.1. Baltaſſar rex fecit grande conuiuium optimatibus ſuis mille. cap. 6. num. 235. p.578

5 Apparuerunt digiti quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum in ſuperficie parietis aulæ regiæ, &c. c.5.n.125. p.474

6 Tunc facies regis commutata eſt, & cogitationes eius conturbabant eum, & compages renum eius ſoluebantur. cap. 4. n.286. p.414

7 Exclamauit itaque rex fortiter, vt introduceret magos,Chaldæos, & aruſpices. c.4. n.246.p.399

8 Ingreſſi omnes ſapientes regis non potuerunt neque ſcripturam legere, nec interpretationem indicare regi. cap.3.n.205. p.292

11 Eſt vir in regno tuo, qui ſpiritum deorum ſanctorum habet in ſe. c.3. n.205. ibid.

16 Si vales ſcripturam legere,& interpretationem eius indicare mihi, purpura veſtieris,&c. c.6. n.33.p.510

17 Munera tua ſint tibi, & dona domus tuæ alteri da.c.6. n.33. ibid.

26 Numerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud: appenſus es in ſtatera, & inuentus es minus habens, &c. cap.4. n.327 p.426. c.1. n.316. p.110.cap.2. n.139. p.188

28 Diuiſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis, & Perſis. cap.4. num.286.p.414

6.22. Deus meus miſit Angelum ſuum,& concluſit ora leonum. c.1. n.350.p.122.c.3. n.252. p.308
23 Eductus eſt Daniel de lacu, & nulla læſio inuenta eſt in eo. cap.1. numero 183. p.64
10 Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei iudicium ſedit, &c. capite 3. numero 94. p.253
13.6. Iſti frequentabant domum Ioakim, & veniebant ad eos omnes, qui habebant iudicia,&c. c.4. n.257. p.403
20 Nos in concupiſcentia tui ſumus, quamobrem aſſentire nobis, & commiſcere nobiſcum. c.1.n.203.p.72
22 Ingemuit Suſanna, & ait: Anguſtiæ ſunt mihi vndique: ſi enim hoc egero, mors mihi eſt, &c. c.5. n.37. p.444
14.30. Miſerunt eum in lacum leonum, & erat ibi diebus ſex. c.1. n.183. p.64
31 Porrò in lacu erant leones ſeptem, & dabantur eis duo corpora quotidie, & duæ oues,& tunc non data ſunt eis, &c. c.1. n.179. p.63

Ex Oſea.

Cap.1.v 2. Abiit, & accepit Gomer filiam Debelaim, & concepit & peperit ei filium, & dixit Dominus ad eum,&c. c.3.n.52. p.238
2.2. Iudicate matrem veſtram.cap.1.num.253. p.88
5 Vadam poſt amatores meos, qui dant panes mihi,& aquas meas,lanam meam,& linum meum,&c. cap.1. n.251.pag.88. c.2.n.208.p.211
8 Ego dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicaui ei & aurum, quæ fecerunt Baal,&c. c.1.n.251. pag.88
4.2. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt. c.3. n.209. p.293
8.7. Culmus ſtans non eſt in eo, germen non faciet farinam. cap. 6. num. 63. p.521
12.3. In fortitudine ſua directus eſt cum Angelo. c.2. n.11. p.141
4 Inualuit ad Angelum, & confortatus eſt: fleuit, & rogauit eum. cap.1 num.21. pag.11 cap.2. num.86. pag.170. cap.4. n.112. p.352

Ex Ioele.

Cap.1.v.9. Plange quaſi virgo accincta ſacco ſuper virum pubertatis tuæ: periit ſacrificium & libatio de domo Dauid,&c. c 6 n.128. p.542
3.10. Infirmus dicat: quia fortis ego ſum.c.1. n.223. p.78

Ex Amos.

Cap.5. v 11. Idcirco pro eo quod diripiebatis pauperem & prædam electam tollebatis ab eo, & domos quadro lapide ædificabatis. c 5 n.97 p 465

Ex Iona.

Cap.1.v.2. Vade in Niniuem ciuitatem grandem, & prædica in ea. cap.4. num.52. p.332
3 Surrexit Ionas, vt fugeret in Tharſis. c.2. num.42. p.155
6 Dormiebat ſopore graui. cap.4. num.175. p.374
12 Dixit ad eos: Tollite me, & mittite in mare. c.4. n.63. & 166. p.336.& 371. c.5.n.142. p.481
2.1. Præparauit Dominus piſcem grandem, vt deglutiret Ionam, & erat Ionas in ventre piſcis tribus diebus, &c. c.1. n.212. p.75
2.2. Orauit Ionas ad Dominum Deum ſuum de ventre piſcis. capite 4. numero 175. p.374

Ex Michæa.

Cap.3. v.1. Audite Principes Iacob, & duces domus Iſraël: Numquid non veſtrum eſt ſcire iudicium, &c. cap.2. num.195. p.207
2 Violenter tollitis pelles eorum deſuper eis, & carnem eorum deſuper oſſibus eorum, &c. cap.2. num.197. p.207. c.4. n.230. p.393

Ex Zacharia.

Cap.5. verſ.6. Et dixit: Hæc eſt oculus eorum in vniuerſa terra. cap.6. numero 74. pagina 525
7 Ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier vna ſedens in medio amphoræ. cap.3. num.115. pag.261. cap.6. n.12. p.504
8 Et dixit: Hæc eſt impietas. cap.3. n.115. p.261
9 Ecce duæ mulieres egredientes, & ſpiritus in alis earum,& habebant alas quaſi alas milui,&c.c.3.num.42.p.236.c.5.n.160. p.488
11 Vt ædificetur ei domus in terra Sennaar, & ſtabiliatur, & ponatur ibi ſuper baſem ſuam. cap.3. num 32.& 42.p.232. & 236
11.3. Vox vlulatus paſtorum: quia vaſtata eſt magnificentia eorum. c.1.n.42.p.18
16 Carnes pingium comedet, & vngulas eorum diſſoluet. cap.4.num.154.p 367
17 O paſtor, & idolum, derelinquens gregem. cap. 2.num. 195. cap.4. num.154. ibid.
13.9. Vram eos ſicut vritur argentum, & probabo eos ſicut probatur aurum: ipſe vocabit nomen meum,&c. cap.6.num.83. p.528

Ex Malachia.

Cap.2. v.6. In pace, & in æquitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate. c.2.n.94. p.173
7 Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius: quia

Digitized by Google

Angelus Domini exercituum eſt. cap. 2. n.43 & 94. p.155. & 173
3.1. Statim veniet ad templum ſuum dominator, quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti, quem vos vultis. c. 2. n. 10. & 23. p. 141. & 146
2 Ipſe quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum, & ſedebit conflans, & emundans argentum, &c. c. 2. num. 10. & 21. ibid.
3 Et erunt Domino offerentes ſacrificia in iuſtitia: & placebit Domino ſacrificium Iuda, & Ieruſalem, &c. cap. 2. num. 21. p. 146

Ex 1. Machabæorum.

Cap. 1. v. 30. Poſt duos annos dierum miſit rex Principem tributorum in ciuitates Iuda, & venit in Ieruſalem, &c. cap. 3. num. 123. p. 263
35 Ædificauerunt ciuitatem Dauid muro magno & firmo, & turribus firmis, & facta eſt illis in arcem, &c. cap. 3. num. 30 p. 232
3. 12. Accepit ſpolia eorum, & gladium Apollonij abſtulit Iudas, & erat pugnans in eo omnibus diebus. cap. 3. num. 120 p. 262

Ex 2. Machabæorum.

Cap. 8. v. 16. Conuocatis Machabæus ſeptem millibus qui cum ipſo erant, rogabat, ne hoſtibus reconciliarentur, &c. c. 5. n. 88. p. 462
24 Facto ſibi adiutore omnipotente interfecerunt ſuper nouem millia hominum, &c. c. 5. n. 23. p. 439
12. 43. Facta collatione duodecim millia drachmas argenti miſit Ieroſolymam offerri pro peccatis, &c. c. 1. n. 124. p. 45

EX NOVO TESTAMENTO.

Ex Matthæo.

Cap 2. verſ. 1. ECce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam. cap. 1. n. 126. p. 45
2. 2. Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum? Vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. cap. 1. num. 15. & 25. & 269. pag. 9. 12. & 94. cap 3. num. 13. & 208. p. 225. & 293. cap. 4. num. 71. 170. & 233. pag. 358. 372. & 394. cap. 5. num. 17. 47. & 92. p. 437. 447. & 463. c. 6. n. 99. & 251. & 276. p. 533. 584. & 595
3 Audiens autem Herodes rex turbatus eſt. c. 1. n. 15. p. 9
8 Ite, & interrogate diligenter de puero. c. 1. n. 25. p. 12
9 Ecce ſtella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, vſque dum veniens ſtaret ſupra vbi erat puer. cap. 1. n. 25 p 12. cap. 3. num. 66. pag. 243. cap. 6. n. 135. & 208. 266. & 276. pag. 545. 569. 590. & 595
10. Videntes ſtellam gauiſi ſunt gaudio magno valde. c. 1. n. 25. p. 12
11 Intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius, &c. c. 4. n. 266. p. 407. c. 5. n. 17. p. 437
12 Reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam. c. 3. num. 13. & 190. p. 225. & 286
13 Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph dicens: Surge & accipe puerum, & matrem eius, &c. cap. 3. num. 252. pag. 308. cap. 5. num. 37. & 50. p. 444. & 449
20 Vade in terram Iſraël: defuncti ſunt enim qui quærebant animam pueri. c. 5. n 173. pag. 457
22 Audiens quòd Archelaüs regnaret in Iudæa pro Herode patre ſuo timuit illò ire. c. 5. n. 173. ibid.
3. 4. Ipſe Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum & zonam pelliceam circa lumbos ſuos, &c. cap. 6. num. 113. pagina 538
16 Vidit ſpiritum Dei deſcendentem ſicut columbam & venientem ſuper ſe. cap. 2. 24. & 119. p. 147. & 181 c. 3. num. 237. p 303
17 Et ecce vox de cælis dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. c. 2. n. 24. & 119. p. 147. & 181. c. 3. n. 237. p. 303. c 4. n. 118. p. 354
4. 3. Accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant. cap 3. num. 225. p. 298. cap 5 n. 146. p 485. c. 1. n. 359. p. 125. c. 3. n. 41. p. 235. cap. 6. n. 211. p. 571
5 Aſſumpſit eum diabolus in ſanctam ciuitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi, & dixit ei, &c. cap. 3. num. 232. pag. 301
6 Mitte te deorſum: ſcriptum eſt enim quia Angelis ſuis Deus mandauit de te, &c. cap. 3. num. 250. pag. 307. c. 6. num. 123. p. 574
8 Oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me. c 1 n. 359. p. 125. c. 2. num. 200 p. 208 c. 4. n. 203. & 244. p. 384. & 398
10 Dominum Deum tuum adorabis. cap. 4. n. 188. p 379
11 Reliquit eum diabolus, & ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei. c. 4. n. 178. p. 375
18 Ambulans IESVS iuxta mare Galilææ vidit duos fratres Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius

mittentes rete in mare, &c. cap. 4. n.7. pag. 317
19 Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum. cap. 1. n. 215 p.76.
5.13. Vos eſtis ſal terræ, vos eſtis lux mundi. cap. 2. num. 149. pag. 191. c. 3. n. 103. p. 256
26 Amen dico tibi non exies inde, donec reddas nouiſſimum quadrantem. c. 2. n. 125. p. 183
6.10. Adueniat regnum tuum. cap. 2. num. 61. pag. 162
13 Et ne nos inducas in tentationem. cap. 2. n. 61. ibid.
17 Cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans. c. 6. n. 144. p. 548
7.15. Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. c. 3. num. 143. p. 269. c. 4. n. 20. p. 322
8 5. Acceſſit ad eum Centurio rogans eum. c. 1. n. 65. p. 25
6 Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. c. 3. num. 203. p. 291
24 Ipſe verò dormiebat. cap. 5. numero 58. p. 452
25 Quid timidi eſtis, modicæ fidei? cap. 2. n. 109. p. 178
26 Tunc ſurgens imperauit ventis & mari & facta eſt tranquillitas magna. c. 1. n. 169. p. 60. c. 2. n. 13. p. 142
28 Cùm veniſſet trans fretum in regionem Geraſenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia de monumentis, &c. 1. c. num. 146. pag. 52. cap. 3. numero 230. pag. ,00
29 Quid nobis & tibi Iesv fili Dei? veniſti huc ante tempus torquere nos. c. 6. n. 263. p. 589
9.9. Vidit hominem ſedentem in telonio Matthæum nomine, & ait illi: ſequere me. c. 1 n. 215. p. 76. c. 3. n. 127. p. 263. c. 4 n. 8. p. 317
16 Reſpondens vnus de turba dixit: Magiſter attuli filium meum ad te habentem ſpiritum mutum, &c. cap. 3. num. 202. p. 290
10.16. Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum: eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. c. 3. n. 236. p. ,02
11.3. Cùm audiſſet in vinculis opera Chriſti, mittens duos ex diſcipulis ſuis ait illi: Tu es qui venturus es, &c. cap. . . n. 188. p. 204
10 Hic eſt de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, &c. cap. 2. n. 93. p. 173
12 Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. cap 4. num. 163. p. 370
12.39. Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ſic erit filius hominis in corde terræ. cap. 2. num. 179. p. 01
13.24. Simile factum eſt regnum cœlorum homini, qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo. c. 1 n. 155. p. 55
25 Cùm dormirent homines, venit inimicus eius, & ſuperſeminauit zizania in medio tritici & abiit. cap. 1. n. 155. & 202. p. 55. & 71. c. 2. n. 91. p. 172
29 Vis imus, & colligimus ea? Et ait: Non. c. 2. n. 91. p. 172
30 Colligite primùm zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum. ibidem.
31 Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis. c. 4. n. 58. p. 334
55 Scandalizabantur in eo: Iesvs autem dixit eis: Non eſt propheta ſine honore niſi in patria ſua, &c. cap. 6. num. 245. p. 582
14.4. Non licet tibi habere eam. cap. 3. n. 58. p. 241
8 Illa præmonita à matre ſua: Da mihi, inquit, hic in diſco caput Ioannis Baptiſtæ. c. 3. n. 25. p. 229
9 Acceptis quinque panibus, & duobus piſcibus aſpiciens in cœlum benedixit & fregit, & dedit diſcipulis panes. cap. 3. n. 130. p. 265
16 Domine, ſi tu es, iube me ad te venire ſuper aquas. c. 5. n. 21. p. 438
19 Dedit diſcipulis ſuis panes, diſcipuli autem turbis. capite 2. numero 193. pagina 206
22 Compulit Iesvs diſcipulos aſcendere in nauiculam, & præcedere eum trans fretum. cap. 1. num. 27. p. 13. c. 4. n. 190. p. 376
24 Nauicula in medio mari iactabatur fluctibus. c. 4. n. 300. p. 419
25 Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans ſuper mare. c. 2. n. 109. p. 178. c. 6. n. 277. p. 595
26 Turbati ſunt dicentes: Quia phantaſma eſt. c. 6. n. 277. p. 595
28 Domine, ſi tu es, iube me ad te venire ſuper aquas. c. 4. n. 108. & 225. p. 350. & 391. c. 6. n. 277. p. 595
29 Deſcendens Petrus de nauicula ambulabat ſuper aquam, vt veniret ad Ieſum. cap. 1. num. 27. & 285. pag. 13. & 99. cap. 4. num. 192. pag. 380. cap. 5. n. 102. pag. 466. cap. 6. num. 41. 175. & 227. pag. 513. 558. & 575
30 Videns autem ventum validum timuit, & cùm cœpiſſet mergi, clamauit. cap. 1. num. 300. pag. 104. cap. 2. num. 38. p. 153. cap. 3. num. 107. pag. 258. cap. 4. n. 22. & 108. pag. 322. & 350. c. 5. num. 102. p. 466. c. 6. n. 175. p. 558
31 Apprehendit eum. c. 2. n. 138. p. 188
15.22. Ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa clamauit dicens ei: Miſerere mei Domine fili Dauid. c. 1. n. 147. & 247. p. 20. & 86. c. 4. num. 165. p. 370. c. 6. n. 154. p. 552
24 Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſraël. cap. 1. n. 109. p. 40. c. 4. n. 20. p. 322. c. 6. n. 47. & 154. p. 515. & 552
26 Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus. cap. 1. n. 109. & 147. p. 40. & 52. c. 4. n. 165. p. 370
27 Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum. c. 1. n. 147. p. 52

Digitized by Google

30 Acceſſerunt ad eum turbæ multæ habentes ſecum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos, &c. cap.1. n.147. ibid.
16.13. Tu es Petrus,& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. cap.1. num.52. pag.22
23 Vade Sathana: ſcandalum es mihi: quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt; ſed ea, quæ hominum. cap.4.n.203. & 225.p.384. & 391
17. 4. Bonum eſt nos hic eſſe: ſi vis faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum,& Eliæ vnum. cap.1.n.88.p.33 c.5.n.130. p.476
5 Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite: c.1.n.119. p.43.c. 2.n.79.& 200.p.168. & 208.c.4. n.118. p.354
14 Domine miſerere filio meo,quia Lunaticus eſt & male patitur: nam ſæpè cadit in ignem,& crebrò in aquam. c.3.num.77. p.247
26 Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies ſtaterem,&c.c.2. n.213. p.213. c.3. n.159. & 246.p.275. & 306
18.24. Oblatus eſt ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta,&c. c.4.n.226 p.392. c.6.n.81 p.527
19. 14. Oblati ſunt ei paruuli, vt manus eis imponeret, & oraret. cap.5.num.81. pagina 460
15 Cùm impoſuiſſet eis manus,abiit inde.c.3. n.249.p.307
20. 19. Tertia die reſurget. cap.2. num.150. p.192
20 Acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi, cum filiis ſuis adorans & petens aliquid ab eo. cap.1. num.70. & 247. pag.27. & 86
21 Dic vt ſedeant hi duo filij mei vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo. cap.3. num.141. p.269. cap.4. n.314. p.424
22 Neſcitis quid petatis. cap.1. num.283. pagina 98
21.9. Clamabant dicentes: Hoſanna filio Dauid. c.2.n.79 p.168
12 Menſas nummulariorum,& cathedras vendentium columbas euertit. cap.2. n.155. p.193
13 Domus mea domus orationis vocabitur vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. c.3.n.46
14 Acceſſerunt ad eum cæci & claudi in templo,& ſanauit eos. cap.1.n.272.p.95.c.2. n.155.p.193
19 Nuſquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum, & areſacta eſt continuò ficulnea. c.1.n.168.p.59
22. 3. Simile factum eſt regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo, & miſit ſeruos ſuos vocare inuitatos, &c. c.2.n.130. p.185
7 Rex cùm audiſſet, iratus eſt, & miſſis exercitibus ſuis perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum ſuccendit. c.4.n.287. p.415
9 Exi in vias, & ſepes, & compelle intrare. c.1. n.262.p.91
12 Ille obmutuit. c.2. n.189.p.205
13 Dixit rex miniſtris: Ligatis manibus, & pedibus eius mittite eum in tenebras exteriores. c.2. num.189. p.205. c.4.n.28. & 277. p.324. & 411
21 Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo. capite 4. numero 266. p.407
36 Magiſter quod eſt mandatum magnum in lege. c.1.n.270. p.94
23.3. Dicunt enim,& non faciunt. c.3. n.224. p.299
4 Alligant onera grauia & importabilia,& imponunt in humeros hominum; digito autem ſuo nolunt ea mouere. c.1.n.204. p.72.c.3.n.224.p.299
6 Dilatant phylacteria ſua, & magnificant fimbrias. c.6.n.133.p.544
15 Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ qui circuitis mare, & aridam, vt faciaris vnum proſelytum. cap.6. n.133. ibid.
25.10. Clauſa eſt ianua. cap.4. num.277. pagina.411
11 Nouiſſimè verò veniunt & reliquæ virgines dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. c.4 n.277. ibid.
20 Accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta dicens: Domine quinque talenta tradidiſti mihi,&c. c.5.n.93. p 463
32 Separabis eos ab inuicem, ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis, & ſtatuet oues quidem à dextris, &c. cap.4. num.217. p.388
37 Quamdiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. cap.5. num.31. p. 442
26. 14. Tunc abiit vnus ex duodecim, qui dicebatur Iudas Iſcariotes, ad Principes Sacerdotum, & ait illis,&c. c.4. n.220. p.389
15 Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi conſtituerunt ei triginta argenteos. c.2.num.154.& 184 p.193. & 203
22 Vnus veſtrum me traditurus eſt. c.3.n.201. p. 290
38 Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem: ſuſtinete hic,& vigilate mecum. cap.6. n.267. p.590
40 Venit ad diſcipulos ſuos, & inuenit eos dormientes, & dicit Petro: ſic non potuiſtis vna hora, &c. cap.4. num.225. pag.392. c.4. n.323. p.427. c.6. n.267. p.590
43 Inuenit eos dormientes: erant enim oculi eorum grauati. cap. 5. num.67. pagina 455
50 Amice ad quid veniſti? cap. 3. num.55. p.240
52 Conuerte gladium tuum in locum ſuum. cap. 3. numero 156. & 184. pag. 275. & 285
57 Tenentes Ieſum duxerunt ad Caïpham Principem Sacerdotum, vbi Scribæ, & ſeniores conuenerant,&c. cap.1. n,285. pag.99

Digitized by Google

27. 3. Videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus eſſet, pœnitentia ductus retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum. c. 1. n 314. p. 110. c. 3. n. 45. & 132. p. 236. & 266

7 Conſilio inito emerunt ex illis agrum figuli in ſepulturam peregrinorum. c. 3. n. 1. 132. p. 266

9 Acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiauerunt à filiis Iſraël, &c. capite 3. numero 132. ibid.

28 Exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei. cap. 1. num. 313. pag. 109. cap. 4. num. 45. & 284. pagina 330

29 Plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput eius, & arundinem in dextera eius. cap. 3. num. 39. pag. 235. cap. 4. num. 45. & 284. pag. 330. & 414. cap. 6. n. 24. & 68. p. 508. & 522

31 Exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum veſtimentis eius, & duxerunt eum, vt crucifigerent. cap. 4. num. 284. p 414

42 Si Rex Iſraël eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei. cap. 5. num. 131. pagina 476

45 A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram vſque ad horam nonam. cap. 6. num. 100. & 231. p. 533. & 576

53 Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt. cap. 3. num. 232. pagina 301

28. 1. Veſpere autem Sabbathi, quæ luceſcit in prima Sabbathi, venit Maria Magdalenæ, & altera Maria videre ſepulchrum. cap. 4. num. 73. pag. 338. c. 6. num. 231. pag. 576

2 Ecce terræmotus factus eſt magnus: Angelus enim Domini deſcendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem, &c. cap. 4. n. 80. p. 341. c. 6. n. 121. & 230. p. 540. & 576

5 Scio quòd Ieſum, qui crucifixus eſt, quæritis. c. 6. n. 168. p. 556

6 Venite & videte locum vbi poſitus erat Dominus. Et citò euntes dicite diſcipulis eius, quia ſurrexit. c 5. num. 159. pag. 488. c. 4 n. 292. p. 416. c. 6. n. 168. pag. 556

13 Dicite quia diſcipuli eius nocte venerunt, & furati ſunt eum. cap. 6. num. 57. pagina 518

19 Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, &c. cap. 6. num. 234. p. 577

Ex Marco.

Cap. 1. verſ. 4. Prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. c. 2. n. 27. p. 148

5 Egrediebatur ad eum omnis Iudææ regio, & Ieroſolymitæ vniuerſi, & baptizabantur ab illo in Iordanis flumine. cap. 2. num. 23. p. 146

3. 20. Et veniunt ad domum, & conuenit iterum turba, ita vt non poſſent neque panem manducare. cap. 6. num. 244. pagina 581

21 Et cùm audiſſent ſui, exierunt tenere eum: dicebant enim quoniam in furorem verſus eſt. c. 6. n. 244. ibid.

4. 37. Facta eſt procella magna venti, & fluctus mittebat in nauim, ita vt impleretur nauis. cap. 1. num. 116. pag. 42. cap. 5. n. 15. p. 226

38 Erat ipſe in puppi ſuper ceruical dormiens, & excitant eum, & dicunt illi: Magiſter, non ad te pertinet, quia perimus. cap. 1. num. 116. pag. 42. cap. 3. num. 110. p. 259. cap. 4. num. 68. pag. 337. cap. 6. num. 126. & 267. pag. 542. & 590. cap. 5. num. 134. pag. 478

5. 2. Exeunti ei de naui ſtatim occurrit de monumentis homo in ſpiritu immundo, &c. cap. 1. num. 130. 173. & 220. pag. 46. 61. & 78

3 Domicilium habebat in monumentis, & neque catenis iam quiſquam poterat eum ligare. cap. 1. num. 130. 173 & 220. p. 46. 61. & 78. c. 4. n. 61. p. 335. c. 5. n. 70 p. 456. c. 6. n. 72. p. 524

6 Videns Ieſum à longè cucurrit, & adorauit eum. c. 2. n. 212. p. 213

7 Quid mihi, & tibi IESV fili Dei Altiſſimi? Adiuro te per Deum, ne me torqueas. c. 5. n. 51. p. 449. c. 6. n. 54. & 212. p. 517. & 571

9 Legio mihi nomen eſt, quia multi ſumus. c. 6. n. 54. p. 517

22 Venit quidam de Archiſynagogis nomine Iairus, & videns eum procidit ad pedes eius, & deprecabatur eum multum, &c. cap. 4. numero 187. & 248. pag. 378. & 400

27 Cùm audiſſet de IESV venit in turba retro, & tetigit veſtimentum eius. cap. 4. n. 142. p. 362. c. 2. n. 50. p. 158

28 Dicebat enim quia ſi vel veſtimentum eius tetigero, ſalua ero. cap. 2. numero 50. pag. 158

31 Vides turbam comprimentem te, & dicis: Quis tetigit veſtimenta mea? c. 4. n. 167. p. 550

6. 24. Dixit matri ſuæ: Quid petam? At illa dixit: Caput Ioannis Baptiſtæ: cúmque introiſſet, &c. cap. 5. numero 122. p. 473

25 Cùm introiſſet ſtatim cum feſtinatione ad regem petiuit dicens: Volo vt des mihi in diſco caput Ioannis Baptiſtæ. cap. 4. n. 143. p. 362

7. 24. Surgens abiit in fines Tyri, & Sidonis, & ingreſſus domum neminem voluit ſcire, & non potuit latere: mulier enim, &c. c. 4. n. 16. p. 320

8. 33. Comminatus eſt Petro dicens: Vade retro me Sathana: quoniam non ſapis quæ Dei ſunt, ſed quæ ſunt hominum. cap. 2. n. 14 p 143

9. 16. Reſpondens vnus de turba dixit: Magiſter attuli filium meum ad te habentem ſpiritum mutum, &c. c. 2. n. 15. & 28. p. 143. & 148. c. 5. n. 118. p. 472.

17 Dixi diſcipulis tuis, vt eiicerent eum, & non potuerunt. cap. 1. num. 197. & 379. p. 69.

Digitized by Google

pag.69. & 153. cap.6. num.71. p 524
18 O generatio incredula, quamdiu apud vos ero, quamdiu vos patiar? cap.1.n.256. p 89.c.2.n.15.p.143
22 Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti. c.2. n.9. p.141. cap.4. num.114. p.352
23 Continuò exclamans pater pueri cum lachrymis aiebat: Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. c.4.n.114.p.352. c.2.n.9.p.141
24 Comminatus eſt ſpiritui immundo dicens illi: Surde, & mute ſpiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo. cap.2. num.15. pagina 143
25 Exclamans & multum diſcerpens eum exiit ab eo, & factus eſt ſicut mortuus, ita vt multi dicerent, quia mortuus eſt. c.3. n.249. p.507
26 IESVS autem tenens manum eius, eleuauit eum, & ſurrexit. cap.3. num.249. ibid.
12. 42. Cùm veniſſet vidua vna pauper miſit duo minuta, quod eſt quadrans. cap.6. n.195.p.565
14. 40. Inuenit eos dormientes: erant enim oculi eorum grauati. cap. 3. num. 191. p.287
50 Tunc diſcipuli eius relinquentes eum omnes fugerunt. cap. 4. num. 314. pagina 424

Ex Luca.

Cap 1. v. 8. Factum eſt autem cùm Sacerdotio fungeretur in ordine vicis ſuæ ante Deum, ſecundum conſuetudinem Sacerdotij, &c. c.6. n.191.p 564
13 Vxor tua Eliſabeth pariet tibi filium. c.4. n.171. p.372
20 Ecce eris tacens, & non poteris loqui. c.3. n.182. p.284
28 Et nomen Virginis Maria. cap. 1. n.274. p.96
32 Dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob. c.4. n.171. p.372
Exurgens Maria in diebus illis abiit in montana cum feſtinatione in ciuitatem Iuda, &c. c.1. n.283. p.98
40 Intrauit in domum Zachariæ & ſalutauit Eliſabeth. c.6.n.264.p.589
60 Vocabant eum nomine patris ſui Zachariam. c.6.n.253.p.585
61 Et dixerunt ad illam: Quia nemo eſt in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. c.6. n.253. ibid.
2. 7. Pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio. c.3.p.211 p.293
10 Dixit illis Angelus: Nolite timere: ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, &c. c.4. n.47.p.331. c.5.n.17.p.437
13 Subito facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis, laudantium Dominum & dicentium, &c cap.1. n.19. p.10
16 Venerunt feſtinantes, & inuenerunt Mariam & Ioſeph, & infantem poſitum in præſepio. c.5.n.17.p.437
48 Fili quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. cap.5. n.174. p.492
49 Quid eſt quod me quærebatis? Neſciebaris, quia in his quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe. capite 5. numero 174. ibid.
4. 29. Duxerunt illum vſque ad ſupercilium montis, ſuper quem ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum. cap. 3. n.182. p.284. c.6.n.244. p.581
5. 3. Aſcendens in vnam nauim, quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere puſillum. c.3. n.15. p.226
4 Laxate retia veſtra in capturam. c.3. n.159. & 246. p.275. & 506
6 Concluſerunt piſcium multitudinem copioſam, rumpebatur autem rete eorum, & annuerunt ſociis, &c. cap.3.num.15. p.226
7. 2. Centurionis cuiuſdam ſeruus malè habens erat moriturus, qui illi erat pretioſus, & cum audiſſet de IESV, &c. c.1. n.221. p.78
3 Cùm audiſſet de IESV, miſit ad eum ſeniores Iudæorum. cap.1.n.247. & 342. p.86. & 119
4 Dignus eſt, vt hoc illi præſtes: diligit enim gentem noſtram, & ſynagogam ipſe ædificauit nobis. c.1.n.63.p.25
6 Domine noli vexari: non enim ſum dignus, vt ſub tectum meum intres cap.1. n.13.p.12
16 Propheta magnus ſurrexit in nobis. cap. 3. n 130. p.265
44 Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti, oleo caput meum non vnxiſti. cap.4. num.124. p.356. cap 6. n.90. p.530
50 Quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit? c.1 n.369. p.129
8. 10. Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei; cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant. cap.1. num.369. ibid.
23 Nauigantibus illis obdormiuit, & deſcendit procella venti in ſtagnum, & complebantur, & periclitabantur, &c. cap.2. n.219. p.216
51 Cùm veniſſet domum, non permiſit intrare ſecum quemquam niſi Petrum, & Iacobum & Ioannem, & patrem, &c. c.3. n.169. p.279
9. 28. Aſſumpſit Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & aſcendit in montem, vt oraret. c 3. n,169 ibid.
30 Erant Moyſes & Elias viſi in maieſtate: & dicebant exceſſum eius, &c. cap.1.n.112. p.43.c.2.n.29.p.149
33 Præceptor, bonum eſt nos hic eſſe, & faciamus tria tabernacula, vnum tibi, & vnum Moyſi, & vnum Eliæ. c 6. n.125. p.542
37 Magiſter, obſecro te, reſpice in filium meum: quia vnicus eſt mihi, &c. cap.6. n.178. c.559
53 Non receperunt eum. cap. 1. num. 206. p.73
54 Cùm vidiſſent autem diſcipuli eius Iacobus, & Ioannes dixerunt: Domine vis dicimus, vt ignis deſcendat de cælo, &c. c.1.

Digitized by Google

capite 1. numero 106. ibid.
10. 17. Reuerſi ſunt ſeptuaginta duo cum gaudio dicentes: Domine etiam dæmonia ſubiiciuntur nobis. cap. 1. num. 41. & 197. p.1 . & 69. c.5. n.127. p.475. c.6. n 178. p.559
30 Homo quidam deſcendebat ab Ieruſalem in Iericho,& incidit in latrones,&c. c.1. num.108.p.39.c.2.n.208.& 214.p.211. & 213 c.6 n.50. p.516
31 Accidit vt Sacerdos quidam deſcenderet eadem via, & viſo illo præteriit. cap. 1. n.108. p 309
34 Appropians alligauit vulnera eius infundens oleum & vinum,& imponens illum in iumentum ſuum,&c. c.2.n.214.p.213. c.4.n.28.p.324
40 Domine non eſt tibi curæ, quòd ſoror mea,&c. c.1. n.122.p.44
11. 1. Domine doce nos orare. cap.4. num.68. p.337
7 Iam oſtium clauſum eſt, & pueri mei mecum ſunt in cubili: non poſſum ſurgere, & dare tibi. cap. 4. num 29. pagina 324
21 Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea, quæ poſſidet; ſi autem fortior eo ſuperueniens,&c. cap.6. n.55. p 518
25 Cùm venerit, inuenit eam ſcopis mundatam, & ornatam. c 6.n.46. p.515
31 Regina auſtri ſurget in iudicio cum viris generationis huius, & condemnabit illos,quia venit à finibus terræ,&c. cap.4. n.75. p 339
12. 17. Quid faciam, quia non habeo, quò congregem fructus meos? cap.4 n.204. p 384
18 Deſtruam horrea mea, & maiora faciam. cap 1. num. 261. pag.91. cap. 4. n. 204. p.384
20 Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te. c.1. n.261. p.91. c 4. n.41. & 204. p.329. & 384
50 Baptiſmo habeo baptizari, & quomodò coarctor,donec perficiatur. cap.4. n.301. p.419
13.7. Ecce tres anni ſunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio:ſuccide ergo illam,&c.c.2.n.220. c.4. n.310. p.422
18 Cui ſimile eſt regnum Dei, & cui ſimile æſtimabo illud? Simile eſt grano ſinapis, quod acceptum homo,&c. cap.4. n.311. ibid.
21 Simile eſt fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſata tria, donec fermentaretur totum. cap. 4. num. 311. ibid.
14.16. Homo quidam fecit cœnam magnam,& vocauit multos, & miſit ſeruum ſuum hora cœnæ dicere inuitatis, &c. cap. 4. n.222 p.390
18 Cœperunt omnes ſimul excuſare: primus dixit ei: Villam emi, & neceſſe habeo exire, & videre illam, &c. cap 4. n.222. ibid.
19 Iuga boum emi quinque, & eo probare illa, rogo te, habe me excuſatum. cap.4. n.287.p.415.c.2.n.206.p.210
21 Exi citò in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc. c.1.n.262.p.91.c.2.n.189. p.205
24 Nemo virorum illorum, qui vocati ſunt, guſtabit cœnam. c.2. n.189. p.205
15.4. Vadit ad illam, quæ perierat,donec inueniat eam,& cùm inuenerit eam, imponit in humeros ſuos gaudens. c.4.num.312. p.423.c.6.n.47.p.515.c.2.n.17.p.144. c.3.n.105.p.257
12 Pater da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit. Et diuiſit illis ſubſtantiam. cap. 1. numero 257. & 241. pag. 90. & 84
13 Profectus eſt in regionem longinquam, & ibi diſſipauit ſubſtantiam ſuam viuendo luxurioſè. cap.2. n.202. & 212. p.209. & 213.c.3.n.196. p.288
14 Poſtquam omnia conſummaſſet, facta eſt fames valida in regione illa,& ipſe cœpit egere. c.6.n.233.p.577
16 Cupiebat implere ventrem de ſiliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat. cap. 6. num. 32. pag. 510. cap.4. n.40. p.328
17 Ego hic fame pereo. cap.4. n.40. p.328
18 Surgam & ibo ad patrem meum,& dicam ei: Pater, peccaui in cælum & coram te. cap.2. n.18. & 166. p.144. & 176.c.4. n.302.p.419.c.6.n.65.p.521
19. Iam non ſum dignus vocari filius tuus,fac me ſicut vnum de mercenariis tuis. c.2. n.18.p.144.c.3.n.74.p.246
20 Vidit illum pater ipſius, & miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum eius. cap.4. num. 302. p.419. c.5. n.95. p.464
22 Dixit pater ad ſeruos: citò proferte ſtolam primam, & induite illum,&c. c. 2. n.98. p.173. c. 3. num.106. p.258.c.4. n.265. p 406. c.5 n.95.& 116. p.464. & 471. c.6. n.99. p.533
23 Adducite vitulum ſaginatum,& occidite, & manducemus,& epulemus. c.6.n.194. p.565
28 Indignatus eſt,& nolebat introire. cap.2. n.170. p.198
29 Ecce tot annis ſeruio tibi, & nunquam mandatum tuum præteriui,& nunquam dediſti mihi hœdum,&c. c.1. num.146. & 257. p.52. & 90. c.5. n.106. p.467. c 6.n.52.p.517
16.19. Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura & byſſo. c.1. n.49. p.21. c.3. n.73.p.246
21 Nemo illi dabat; ſed & canes veniebant, & linguebant vlcera eius. cap.1. n. 379. p.133
22 Factum eſt autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. c.1.n.366. p.128
23 Eleuans oculos ſuos cùm eſſet in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in ſinu eius. c.1. n.366. ibid.
24 Mitte Lazarum vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam quia crucior in hac flamma. cap. 1. num.110.123. 205.& 243.p.40. 44.72.& 85.c.2.n.126.168,187.& 221.p 184.198. 204.

Digitized by Google

204. & 216. c.3. num.47.76.101. & 103. p.237.247.256.c.4.17.164.p.321.& 370. c.5.n.111.& 168.p.469. & 490. c.6.n.30. p.510

25 Fili recordare quia recepiſti bona in vita tua. c.1. n.49.p.21.c.3, n.47.p.237.c 4. n.164. p.370

26 Inter nos & vos chaos magnum firmatum eſt, vt hi, qui volunt hinc tranſire ad vos non poſſint. cap. 2. n.126.p.184.cap.3. n.103.p 256

27 Rogo te pater, vt mittas eum in domum patris mei. c 1.n.149.264.& 292.p.54. 92.102.c.3.n.73.p.246.c.4.n.9.p.318. c.6.n.228. p.575

28 Habeo enim quinque fratres, vt teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum. cap.1.n.264.& 292.p.92. & 102. c.3.n.73. p.246. c.4. n.9.p.318. c.6.n.228.p.575

29 Habent Moyſem & prophetas, audiant illos. c.1.n.264.92

30 Non pater Abraham; ſed ſiquis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. cap. 1. num. 289. & 330. pagina 101. & 115

18.10. Duo homines aſcenderunt in templum, vt orarent, vnus Phariſæus, & alter publicanus. cap. 5. numero 112. p.470

11 Gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, iniuſti, adulteri. c.6.n.179.p.560

13 Publicanus à longè ſtans nolebat nec oculos ad cælum leuare; ſed percutiebat pectus ſuum dicens, &c. c.3.num.134. p.263

18 Videbam Sathanam ſicut fulgur de cælo cadentem. c.1.n 163.p.58

36 Cùm audiſſet turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc eſſet. cap 4. n.105. p 349

43 Sequebatur illum magnificans Deum. c.4. n.105. ibid.

19.1. Ingreſſus perambulabat Iericho.c.4.n.87. p.344

3 Quærebat videre Ieſum quis eſſet, & non poterat præ turba, quia ſtatura puſillus erat: & præcurrens, &c. cap. 3. n.233. p.301

4 Præcurrens aſcendit in arborem ſycomorum, vt videret eum, quia inde erat tranſiturus. cap. 4. num. 185. p.377. cap.5. n.74. p.457

5 Zachæe feſtinans deſcende: quia hodie in domo tua oportet me manere: & feſtinans deſcendit, & excepit illum gaudens. cap.2.n.65. p.163

9 Hodie ſalus domui huic facta eſt, eò quòd & ipſe filius ſit Abrahæ cap.1. num.49. p.21. c.4. n.82. p.341. cap.6. num.217. p.572

24 Auferte ab eo mnam. cap. 4. numero 29. p.324

22.30. Ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. c.1. num.41. c.5.n.67. p.455

40 Orate, ne intretis in tentationem. cap. 5. n.67. ibid.

41 Egreſſus ibat ſecundum conſuetudinem in montem oliuarum; ſecuti ſunt autem illum & diſcipuli, &c. cap. 6. num.395. p.532

42 Auulſus eſt ab eis, quantum iactus eſt lapidis, & poſitis genibus orabat. c.5.n.68. p.456

61 Conuerſus Dominus reſpexit Petrum, & recordatus eſt Petrus. Et egreſſus foras fleuit amare. c.2. num.14. & 105. & 38. p.143.176.148

23.25. Ieſum tradidit voluntati eorum. cap.2. n.184. p.205

39 Si tu es Chriſtus, ſaluum fac temetipſum & nos. c.1.n.161.p.57

41 Et nos quidem iuſtè: nam digna factis recipimus; hic verò nihil mali geſſit. c.2. n.19.p.144

42 Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum. cap.1. n.161. & 208.cap.2. num.19. p.144. c.4.num.281. p.412. c.5. n.28.p.441

43 Hodie mecum eris in paradiſo.c.1.n.208. p.73. c.2. n.19. p.144.c.4.n.281. p.412. c.6.n.122.p 541

24.32. Dixerunt ad inuicem: Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis ſcripturas? c.6. n.211. p.570

Ex Ioanne.

Cap.1. v.29. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi c.1.n.277.p.97

39 Erat autem Andreas frater Simonis Petri, vnus ex duobus, qui audierant à Ioanne, & ſecuti fuerant eum. cap.1. n.281.p.98

47 Ecce verè Iſraëlita, in quo dolus non eſt. c.2.n.226.p 218

48 Cùm eſſes ſub ficu. c.2.n.226. ibid.

2.3. Vinum non habent. c.1.n.208.p.73

5 Nondum venit hora mea. cap.1. num. 208. ibid.

15 Cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis omnes eiecit de templo, oues quoque, & boues, &c. cap.2. n.47. p.15 . c.3.n.156. & 184. p. 273. & 284 cap.6. num. 90. p.530

17 Recordati ſunt verò diſcipuli eius, quia ſcriptum eſt: Zelus domus tuæ comedit me. c.3. n.156.p.273

3.1. Erat homo ex Phariſæis Nicodemus nomine Princeps Iudæorum. c.1. num. 272. p.95

2 Hic venit ad Ieſum nocte, & dixit ei: Rabbi ſcimus quia à Deo veniſti magiſter.c.1. n.272.& 290. p.95 & 101

14 Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis. c.3.num.210.p.295

4.6. Fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſupra fontem: hora erat quaſi ſexta. cap. 6. n.186. p.562

15 Domine, da mihi hanc aquam, vt non ſitiam, neque veniam huc haurire. cap. 1. n.214. p.89.

6.1. Abiit IESVS trans mare Galilææ, quod eſt Tyberiadis, & ſequebatur eum multitudo magna, quia videbant ſigna, &c. cap. 6 n.266. p.590

6.Vnde

Digitized by Google

6 Vnde ememus panes, vt manducent hi? c.4.n.101.p.383
9 Eſt puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos,& duos piſces.c.3.n.130. p.265
11 Accepit Iesvs panes,& cùm gratias egiſſet diſtribuit diſcumbentibus, ſimiliter & ex piſcibus,quantum volebant. cap.1. n.109. p.40
12 Colligite quæ ſuperauerunt fragmenta,ne pereant. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum. c.4.n.264.p.426
14 Illi ergo homines cùm vidiſſent quòd Ieſus fecerat ſignum, dicebant, quia hic eſt verè propheta,&c. cap.3. num.130. p.265
15 Iesvs ergo cùm cognouiſſet,quia venturi eſſent, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum,&c. c.4.n.151. p.366
37 Omne, quod dat mihi pater,ad me veniet, & eum,qui venit ad me,non eiiciam foras c.2.n.142.p.189
7.32. Audierunt Phariſæi turbam murmurantem de illo hæc,& miſerunt Principes,& Phariſæi miniſtros,&c. c.2 n.209.p.211. c.3.n.221.p.297
8.6. Iesvs inclinans ſe deorſum digito ſcribebat in terra c.3.n.70.p.244.c.5.n.127. p.475
10.2. Videt lupum venientem, & dimittit oues & fugit, & lupus rapit, & diſpergit oues. c.4.n.231.p.394
4 Oues vocem eius audiunt, & proprias oues vocat nominatim, & educit eas. & cùm proprias oues emiſerit. cap.3. num.222. p.297
11.20. Martha vt audiuit, quia Iesvs venit, occurrit illi. c.2.n.36 p.153.c.4 n.295. p.417
28 Magiſter adeſt, & vocat te. cap.5. n.83. p.461
33 Infremuit ſpiritu. c.5.n.11.p.435
36 Lachrymatus eſt Iesvs Dixerunt ergo Iudæi: Ecce quomodò amabat eum. Quidam autem dixerunt,&c. c.5 n.32. p.442
39 Tollite lapidem. Domine iam fœtet: quatriduanus eſt enim. cap. 2. num. 122. p.182.c 4.n.23.p.323.cap.6.num.230. p.576
41 Iesvs eleuatis ſurſum oculis dixit: Pater gratias ago tibi, quoniam audiſti me. cap.5 num.11. pag.435. cap.6.n.259. p.587
42 Ego autem ſciebam quia ſemper me audis; ſed propter populum,qui circumſtat,dixi. c 6. n. 259. p.587
43 Lazare veni foras. c.5. n 170. p.491
13.26. Ille eſt, cui ego intinctum panem porrexero. c.3.n.201.p.290
27 Poſt buccellam introiuit in eum Sathanas: & dixit ei Iesvs: Quod facis,fac citiùs. cap.3. num.201. pag.290. cap.4.n.301. pag.4 9
19.16. Tradidit eis illum vt crucifigeretur.c.1. n.329
20 Erat autem ſcriptum Iesvs Nazarenus rex Iudæorum. Et erat ſcriptum Hebraïcè, Græcè,& Latinè. cap.6. num.251. p.584
21 Noli ſcribere rex Iudæorum. c.2. num. 28. p.148
23 Acceperunt veſtimenta eius, & fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem. c.2.n.68.p.164
28 Sitio. c.4.n.225.p.391
31 Iudæi ergo,quoniam paraſceue erat,vt non remanerent in cruce corpora Sabbatho, erat enim magnus dies ille Sabbathi. c.1. n.211.p.75
33 Vnus militum lancea latus eius aperuit,& continuò exiuit ſanguis, & aqua. cap. 6. n.122.p.541
20.11. Maria ſtabat ad monumentum foris plorans.c.2.n.87 p.171
12 Vidit duos Angelos in albis ſedentes.c.5. n.55.p.451
13 Mulier quid ploras. c.6. n.86.p.529
14 Hæc cùm dixiſſet conuerſa eſt retrorſum, & vidit Ieſum ſtantem. c.6.n.86. ibid.
19 Cum ergo ſerò eſſet die illo vna Sabbathorum & fores eſſent clauſæ, vbi erant diſcipuli congregati,&c. cap.4. num.78. p.340
25 Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum, &c. cap.6. num.170. p 557
21.5. Pueri numquid pulmentarium habetis? c.4 n.120.p.354.c.6.n.40.p.513
6 Miſerunt ergo & iam non valebant illud trahere præ multitudine piſcium. cap. 4. n.83.& 198. p.342. & 382 cap.6.n.40. & 227. p.513. & 575
8 Alij diſcipuli nauigio venerunt trahentes rete piſcium. c.4. n.83. p.342
11 Aſcendit Simon Petrus, & traxit rete in terram. c.4.n.83.p.342.cap.6.num.152. p.551
16 Diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine tu ſcis,quia amo te: Dicit ei: Paſce agnos meos. c.4. n.78.p.340. c 6.n.152. p.551
7 Tunica ſuccinxit ſe: erat enim nudus, & miſit ſe in mare: alij autem diſcipuli nauigio venerunt. cap.4. num.198. & 227. p.382.& 392

Ex Actis Apoſtolorum.

Cap.1.13. Statuerunt duos, Ioſeph, qui vocabatur Barſabas, qui cognominatus eſt Iuſtus,& Matthiam,& orantes dixerunt,&c. c.11 n 55. p.23
39 Duxerunt illum in cœnaculum,& circumſteterunt illum omnes viduæ flentes, & oſtendentes ei tunicas & veſtes, quas faciebat illis Dorcas. c.2. n.120.p.182
3.4. Reſpice in nos: In nomine Ieſu Chriſti Nazareni, ſurge,& ambula. c.6 n 57. p.518
7 Alleuauit eum, & protinus conſolidatæ ſunt baſes eius & plantæ. cap. 2. n. 154. p.193
4.4. Multi eorum qui audierant verbum, crediderunt, & factus eſt numerus virorum quinque millia. cap.2. n 193.p.206
32 Multitudinis credentium erat cor vnum,& anima vna. c.1.n.3 p.3

7.30.

Digitized by Google

7.30. Apparuit illi in deſerto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi. cap.2.n.72. p.166

9.4. Quid me perſequeris? cap.3.num.229. p.300

17 Saule frater, Dominus miſit me IESVS, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, vt videas,&c. c.3.n.229.p.300. c.5. n.29. p.441

12.4. Cùm apprehendiſſet, miſit in carcerem tradens quatuor quaternionibus militum cuſtodiendum,&c.c.2.n.138.p.188

6 In ipſa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus. c.1.n.130.p.46

Ex Epiſtola ad Romanos.

Cap.1.v.22. Obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt,& mutauerunt gloriam, &c. c.1.n.237.p.83

28 Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant ea quæ non conueniunt. c.4. n.11.p.319

2.5. Secundum duritiam tuam,& impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ. c.4. n.61.p.335

4.16. Ideò ex fide, vt ſecundum gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini. cap.4 n.189. p.379

8.3. De peccato damnauit peccatum in carne. c.3.n.55.p.233

6 Prudentia carnis mors eſt,prudentia autem ſpiritus vita & pax: quoniam ſapientia carnis inimica eſt Deo. cap 4. num.50. p 332

16.20. Deus pacis conterat Sathanam ſub pedibus veſtris velociter.c.1.n.83.p.31

Ex 1. ad Corinthios.

Cap.1. v.27. Infirma mundi eligit, vt fortia quæque confundat. c.3.n.133.p.266

3.15. Si cuius opus manſerit, quod ſuperædificauit, mercedem accipiet: ſi cuius opus arſerit, detrimentum patietur. c.2.n.143. p.189

4.21. Vultis veniam ad vos in virga, an in charitate, & ſpiritu manſuetudinis. cap.3. n.244. p.305

8.1. Scientia inflat, charitas verò ædificat. c.1. n.268 p.94 c.4.n.137.p.360

9.22. Omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos c.2.n.191.p.205

27. Caſtigo corpus meum, ne cùm aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. cap.4. n.126.p.356

10 4. Bibebant de ſpiritali conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus. c.2.n.52. p.159. c.3. n.36. p.234

14.19. Volo quinque verba ſenſu meo loqui, vt & alios inſtruam. c.1. n.74.p.29

Ex 2. ad Corinthios.

Cap.2.v.17. Non ſumus ſicut plurimi adulterantes verbum Dei; ſed ex ſynceritate; ſed ſicut ex Deo coram,&c. cap. 2.n.80. p.168

5.14. Charitas Chriſti vrget nos æſtimantes hoc, quoniam ſi vnus pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſumus.c.5. n.53.p.450

6.2. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Abiiciamus ergo opera tenebrarum. c.4.n.236. p.395

11.4. Ipſe Sathanas transfigurat ſe in Angelum lucis. c.1.n.203.p.72

9 Virtus in infirmitate perficitur. c.1. n.302. p.105

12.14. Non quæro quæ veſtra ſunt; ſed vos: nec enim debent filij parentibus theſaurizare; ſed parentes filiis, &c. cap.6. n.59.p.519

16 Cùm eſſem aſtutus, dolo vos cœpi. cap.3. n.151. p.272

Ad Galatas.

Cap.2.v.20. Viuo ego, iam non ego; viuit verò in me Chriſtus. c.6.n.220 p.573

4.22. Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla & vnum de libera. Sed qui de ancilla,&c. c.3.n.50.p.238

Ad Coloſſenſes.

Cap. 3. v. 5. Mortificate membra veſtra; quæ ſunt ſuper terram. c.4.n.322. p.427

Ad Theſſalonicenſes.

Cap 2.v.3. Aduerſatur,& extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur. c.4.n.158. p.368

Ex 1. ad Timotheum.

Cap.6.v.9. Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociua, &c. c.3. n.158. p.274

Ex 2. ad Timotheum.

Cap.2. v.5. Non coronabitur, niſi legitimè certauerit. c.4.n.196.p.381

Ad Hebræos.

Cap.1.v.4. Tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit: cui enim dixit aliquando,&c.c.2. n.18. p.144

6.18. Abundantius volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilij ſui interpoſuit iuſiurandum, &c. c.2. n.113.p.179

7.3. Sine patre, ſine matre, ſine genealogia neque initium dierum, neque finem vitæ habens aſſimilatus autem filio Dei, &c. c.2.n.113. ibid.

11.20. In parabolam accepit. c.2.n.224.p.217

Ex 1.Ioannis.

Cap.2.v.15 Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt. cap.6.num.31. p.510

Digitized by Google

Index locorum ſacræ Scripturæ.

Ex Apocalypſi.

Cap.1. verſ.16. Habebat in dextera ſua ſtellas ſeptem, & de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat, & facies eius ſicut Sol lucet in virtute ſua. c.1. n.36. p.16. c.3.n.243. p.305.c.5. n.64.p.454.c.6. n.266. p.590

5.3. Nemo poterat neque in cælo, neque in terra, neque ſubtus terram aperire librum. c.1.n.308. p.107

5 Ecce vicit leo de tribu Iuda radix Dauid, aperire librum, & ſoluere ſeptem ſignacula eius. c.1.n.131.& 235.p.47.& 82. c.6. n.252. p.585

6 Vidi & ecce in medio throni & quatuor animalium, & in medio ſeniorum agnum ſtantem tamquam occiſum, &c. c.1.n.61. 103. & 172. p.24. 38. & 61. c.3.n.68. p.244

7 Venit & accepit de dextera ſedentis in throno librum, & cum aperuiſſet librum, &c. c.1.n.265. & 308.p.93.& 107

8 Cùm aperuiſſet librum, quatuor animalia, & vigintiquatuor ſeniores ceciderunt coram agno habentes ſinguli citharas, &c. c.6. n.209. p.570

9 Dignus es, Domine, accipere librum, & aperire ſignacula eius: quoniam occiſus es, &c. c.1.n.291. p.101

12 Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem & diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam. c.1. n.61.p.24.c. 6.n.252. p.585

6.2. Et vidi, & equus albus, & qui ſedebat ſuper illum, habebat arcum, & data eſt ei corona, & exiuit vincens, vt vinceret. c.2.n.22. p.146

9 Vidi ſubtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter teſtimonium, quod habebant, &c. cap.6.n.206. p.568

9.8. Habebant capillos ſicut capillos mulierum. c.4.n.290.p.415

12.1. Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim. c.3. n.97.p.254.c.4.n.119. & 212. p.354.& 387

4 Ecce draco magnus rufus, habens capita ſeptem & cornua decem, & in capitibus eius diademata ſeptem, & cauda eius trahebat, &c. cap.1.num.102.p.38. cap.4.n.21. & 152. p.322. & 366.c.5. n.63.p.454

6 Mulier fugit in ſolitudinem. cap.4. n.119. & 178. p.354. & 375

9 Proiectus eſt draco ille magnus. c.4. n.21. p.322

14 Datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum locum, vbi alitur per tempus, & tempora, &c. cap.1. n.137.p.49.c.3.n.97. p.254.c.4.n.101. 147. 178. & 319. pag.348.364. 375. & 426

15 Miſit ſerpens ex ore ſuo poſt mulierem aquam tamquam flumen, vt eam faceret trahi à flumine. c.1.n.137.p 49

17.1. Veni, oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ ſedet ſuper aquas multas. c.6.n.41.p.513

3 Vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam, plenam nominibus blaſphemiæ, &c. c.6.n.41. ibid.

4 Habens poculum aureum in manu ſua plenum abominatione, & immunditia fornicationis eius. c.4.n.271.& 293.p.409. & 417

6 Vidi mulierem ebriam de ſanguine ſanctorum. c.4.n.201.p.383

19.11. Cum iuſtitia iudicat & pugnat. cap.1. n.36. p.16

12 Oculi eius ſicut flamma ignis, & in capite eius diademata multa. c.1.n.36.& 150. p.16. & 54

14 Exercitus qui ſunt in cælo, ſequebantur eum in equis albis veſtiti byſſino albo, & mundo. c.1.n.36.& 150. ibid.

15 De ore eius procedit gladius ex vtraque parte acutus, vt in ipſo percutiat gentes. c.1.n.150. p.54

20.1. Vidi Angelum deſcendentem de cælo habentem clauem abyſſi, & catenam magnam in manu ſua, &c. c.3.num.64. p.242

21.19. Fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioſo ornata; fundamentum primum Iaſpis, &c. cap.4. n.96. pag.347

INDEX

Digitized by Google

INDEX

Rerum, & Verborum notabilium, quæ in hoc primo in Iudices commentariorum Tomo continentur.

C, caput indicat, eiuſque ordinem primus numerus; ſecundus, qui, N, litteræ adiunctus numerum eiuſdem capitis marginalem, P, paginam denotat.

A

Abſcondi.

VERITAS ſolùm erubeſcit abſcondi. c. 3. num. 207. pag. 292

Improbi ea arte ſe aliquando, ne deprehendantur, abſcondunt, vt inuenire nequeat induſtria, aut indagare prudentia. c. 1. n. 351. toto §. p. 122

Abſentia.

Vbi agnoſcitur virtutis præſtantia, deligendi non officiat abſentia. cap. 4. n. 148. toto §. p. 364

Accelerare.

Diſſimulando ſæpè peragitur, quod accelerandum cognoſcitur. c. 6. n. 239. p. 579

Actio, Actus.

Cumulata malitia eſt perduci ad impotentiam honeſtæ actionis. c. 2. n. 176. toto §. p. 200

Perſonæ claritas commendat actionem. cap. 6. n. 189. p. 563

Regnantis ſententia de actibus ſumitur. cap. 6. n. 141. p. 547

Aditus.

Patet facilior mendaci ad Principem aliquando aditus, veridico eſt difficilior acceſſus. c. 3. n. 204. toto §. p. 291

Optimus Reipublicæ adminiſter nunquam denegat aditum; ſed omnibus apertum exhibet oſtium. c. 4. n. 77. toto §. p. 339

Adminiſter.

Optimus Reipublicæ adminiſter ſtudioſiùs curat munus implere, quàm ſibi plauſum, aut commodum eluctari. c. 1 n. 113. toto §. p. 41

Optimus Reipublicæ adminiſter nunquam denegat aditum; ſed omnibus apertum exhibet oſtium. c. 4. n. 77. toto §. p. 339

Admonitor.

Prudentes admonitorem venerantur vt Angelum, imprudentes oderunt vt inimicum. cap. 2. num. 108. toto §. pag. 177

Aduerſarius.

Exaggeratior calamitas ludibrio haberi, & Aduerſariorum furori tradi. c. 2. n. 181. toto §. p. 202

Princeps populi eſt ſalus, dum priùs armatur in vitia, & poſteà in aduerſarios apprehendit arma c. 3. n. 95. toto §. p. 253

Teterrimus noſter aduerſarius aliis armis fugatur; ſed cruce Chriſti confoditur. c. 4. n. 258. toto §. p. 404

Aduerſitas.

Angelorum ſolicitudine diffugiunt ſæpiſſimè aduerſa, & aſciſcuntur felicia. c. 3. num. 90. toto §. p. 251

Sapiens inter aduerſa conſiſtit intrepidus. c. 5. n. 20. p. 438

Imprudenter ſibi parat excidia, qui molitur iuſtis aduerſa. c. 5. n. 48. toto §. p. 448

Non ſemel Deo charis acerba contingunt. c. 6. n. 259. p. 587

Adulatio.

Hiſtorici ferè ſemper viuentibus adulantur, nec exactè veritati obſequuntur. c. 3. n. 67. toto §. p. 243

Qui blandiuntur, lædunt. c. 6. n. 5. p. 500

Ægritudo.

Ægra corpora exigua etiam mergit acceſſio. c. 1. n. 15. p. 9

Salutis initium eſt ſenſiſſe ſe ægrotum. cap. 3. n. 29. p. 231

Æmulatio.

Princeps curet dignos ſic muneribus ac laudibus exornare, vt caueat diſcordiam æmulationis ingerere. c. 5. n. 108. toto §. p. 467

Ætas.

Nulla ætas vacauit à culpa. c. 1. n. 351. p. 122. c. 6. n. 232. p. 577

Æterna.

Magis apud homines valent caduca, minus æterna. cap. 2. numero 71. toto §. pagina 166

Index Rerum,

Affectus.

Optima Politice, vbi non diſtribuit magiſteria pro libito affectus; ſed ſudor cathedratum acquirit gradus. cap. 1. num. 263. toto §. p.92

Superior ſit ab omni affectionis ſuſpicione remotus, vt omnibus poſſit eſſe proficuus. c.2. n.40. toto §. p.154

Miſerrimus eſt qui temporalium caret vſu, & inardeſcit affectu: felix qui caret affectu, & potitur vſu. cap. 6. num. 29. toto §. pagina 509

Affinitas.

Non ſemel initiare ſolet diſtantia, quod exaugurabat affinitas, & præſentia. cap.6. n.210. toto §. p.570

Afflictio.

Lenis eſt afflictio, cui ſpatium determinatum taxatur, duriſſima cui nunquam tempus adſcribitur. cap. 4. num. 325. toto §. pagina 428

Alienus.

Plures circa propria inueniuntur cæci, circa aliena acutiſſimè inoculati. c.1.n.368. toto §. pag. 129

Alieno plures ſudore viuunt. cap. 6. num.44. p.514

Altare.

Sic iniurias altari illatas diuina vindicta vlciſcitur, vt ſi diſſimulet, diuinitate quodammodò exaugurari putetur. c.6.n.247. toto §. p.582

Altitudo.

Non rarò alta poſſidentes ſunt crimini tributarij, humiles de vitijs triumphant glorioſi. c.3. n.231. toto §. p.301

Ambitio, Ambitioſus.

Ea reſpublica facilè inimicos detriumphat, quæ periculoſas ambitionis, aut ſeditionis leges ignorat. c.1.n.39. toto §. p.17

Nulla ambitionis vmbra procurauerit deturpari; qui ad eligendum diuino oraculo deſiderat inſtrui. c.1.n.43.p.18

Ea ſolet eſſe aliquorum ambitio, vt domus familiæque contempſerint detrimenta, vt Principum aut magnatum frequentarint palatia. c.1.n.68. toto §. p.26

Illos minus tangere ſolet ambitionis pruritus, quibus maior meritorum ornatus. c.1.n.89. toto §. p.33

Nil poſſeſſum delectat, quia ad vlteriora ſemper ambitio hiat. c.1.n 249.p.87

Vitio aliquando miniſtris vertitur ambientium non expedire negotia, cùm ambitores ipſi extiterint ſibi obſtacula. cap. 1. num. 255. toto §. p.89

Prudens ſolum de morte cogitat, dum finis appetit, quantumuis ad dignitatem aſcitus, imprudens dignitates ſuſpirat, etiam in ipſo occaſu ambitioſus. cap.1. num.259. toto §. pag.90

Ea mortales premit cæcitas & ambitio, vt non tam curent vitam moribus excolere, quàm gloriam nominis æternare. c.1.n.377. toto §. p.132

Honeſta ambitio eſt virtutibus ſibi nomen facere. c.1.n.377. ibid.

Non tam grande ambitioni ſupplicium eſt propriis commodis diſpoliari, quàm ipſis inimicos augeri. c.2.n.67. toto §. p.164

Qui ambitionis aſcendit artibus, inuenitur nociuus, vt qui à Deo ad apicem dignitatis eligitur, omnibus probatur beneficus. c.2.n.196. toto §. p.207

Ambitioſi aut eliduntur, aut cadunt. c.2.n.207. p.210

Non ſunt vera iudicia, quæ timiditate aut ambitione non libera. c.3.n.67.p.245

Non ſemel qui indignior, ſolet tumere ambitioſior, vt benemeritus lucere demiſſior. cap.4. n.157. toto §. p.368

Non ſemel gloriæ ambitio virtuti inſeruit, & ad magna facinora inducit. c.4. n.313. toto §. p.423

Amentia.

Ea eſt hominum amentia, vt in ipſis quærant ſecuritatem periculis, & commoda ſuſpirent in detrimentis. cap.3. num.38. toto §. p.234

Amicitia, Amicus.

Cognati amicique recedent, ſi premat calamitas; aderunt, ſi fulgeat felicitas. c.1. n.284. toto §. p.99

Propriam vtilitatem obligationi præferens, qui in amicum recipiatur indignus: fidelis æſtimationem meretur, etſi contrarius. c.1.n.361. p.126

Nonnulli amicorum cauſis nimium patrocinantur. c.2.n.40. p.154

Multi non carent amico, cùm caruerint amicitia. c.2.num.100.p.174

Improborum amicitia calamitatum eſt vena, nobilitatis nota & criminis officina. cap.3. n.53. toto §. p.239

Amicitia etiam in egeſtate ſeruanda. c.3.n.158. p.274

Omnia cum amico deliberanda; ſed de ipſo priùs. c.3.n.169.p.279

Florentes amicorum turba circumdat. cap. 4. n.224. p.391

Inde amici fugiunt vnde probantur. cap. 4. n.224. ibid.

Non ſemel amicorum vxores fuerunt ſcandala dum grato vultu miniſtrant oblectamenta. c.4.n.253. toto § p.402

Sapiens amicum quærit. c.4. n.253. ibid.

Magna virtus amicitia. ibidem.

Inuentu difficilis eſt firmus amicus. c.4.n.253. ibid.

Sæpè nihil intereſt inter amicorum vota, & inimicorum ſtudia. cap.4. numero 241. pagina 397

Qui ob peccatum alicui ſubiicitur, eius ſæpè proximos & amicos ſuſtinere cogetur. cap.6. n.44. toto §. p.514

Amor.

Quod teneriùs amatur, diligentiùs cuſtoditur. c. 2.n.63.p. 62

Deus quos teneriùs amat, duriùs educat. cap. 2. n.88. p.171

Nimius corporis amor eſt anxietatis occaſio. c.3. n.33.p.233

Amor etiam quæ cenſet impoſſibilia, ſolet expaueſcere detrimenta. cap.5. n.171. toto §. p.491

Amor ſe intra ſe cohibere non valet. c.5.n.171. ibid.

Ancilla.

Ancillarum filij ad malum procliues. c.3.n.50. p.238

Angelus.

Digitized by Google

Angelus.

Iuſtè Angelus appellatur concionator vitia feriens, nec munus aliò detorquens. c. 2. n. 7. pag. 140

Sacerdos dum ſapientia, ſanctitateque culpæ aut vitæ à proximis arcet periculum, Angeli meretur elogium. cap. 2. num. 92. toto §. p. 173

Angeli præ illorum filiis hominibus procurat ſalutem. c. 2. n. 127. p. 184

Angelorum ſolicitudine diffugiunt ſæpiſſimè aduerſa, & aſciſcuntur felicia. c. 3. num. 90. toto §. p. 251

Angelum monitorum habemus. cap. 3. n. 90. ibid.

Chriſti Domini crux paſſióque Angelorum eſt requies, & quaſi feriatio ab anxia ſolicitudine. c. 6. n. 119. toto §. p. 540

Animal.

Animalia non ſemel docent cuſtodire concordiam. c. 5. n. 128. p. 475

Animus.

Vbicumque ſis, aliquid ſalutare animo verſa. c. 1. n. 18. p. 10

Idem color animo & ingenio. cap. 3. num. 38. p. 234

Noſter animus in motu eſt. cap. 4. num. 299. p. 418

Animus eruditur ad labores patientia. cap. 5. n. 147. p. 483

Antiqui.

Antiquorum merita nos ſuſtentant. c. 1. n. 303.

Illa eſt reuerenda antiquorum auctoritas, quæ à recto tramite non declinat. cap. 6. n. 253. p. 585

Anxietas.

Nimius corporis amor eſt anxietatis occaſio. c. 3. n. 53. p. 233

Apoſtolus.

Qui Apoſtolorum loco ſufficitur, totum ſe proximi vtilitatibus impendiſſe tenetur. c. 2. n. 191. toto §. p. 205

Appetitus.

Vitiorum ante oculos habere ſupplicia, accendit contra appetitus in arma. c. 1. n. 191. toto §. pag. 67

Ardor.

Quæ diuini ardoris igne proferuntur micantia verba, citò auditorum inflammant corda. c. 4. n. 133. toto §. p. 359

Arma.

Princeps populi eſt ſalus, dum priùs armatur in vitia, & poſteà in aduerſarios apprehendit arma. c. 3. n. 95. toto §. p. 253

Ad reportandos de hoſtibus triumphos plus ſæpè valent prudentis conſilia, quàm ferocientis militis arma. cap. 4. num. 207. toto §. p. 385

Teterrimus noſter aduerſarius aliis armis fugatur; ſed cruce Chriſti confoditur. cap. 4. n. 258. toto §. p. 404

Arma orationis ſemper victricia. c. 5. num. 64. p. 454

Vitiorum arma parum valent in corporis afflictatione munitos, & aſperitate obarmatos. c. 5. n. 147. toto §. p. 483

Dei honoris zelotypus vitij arma in virtutis vertet auxilia: quia non ſemel improbis virtutum auxilia in vitiorum conuertit arma. c. 6. n. 229. toto §. p. 575

Artes.

Sublata ſpe artes ceſſabunt. c. 2. n. 100. p. 174

Artificium.

Artificium promerendi eſt morigerè ſubiici. c. 4. n. 59. p. 334

Aſpectus.

Fœminæ pulchellæ aſpectus eſt honeſti vigoris faſcinum, virtutis delirium. c. 4. n. 294. toto §. pag. 417

De fœminæ aſpectu ſcintillæ in caſtitatem conflantur. c. 4. n. 296. p. 418

Vitandus fœminarum aſpectus. c. 5. num. 157. p. 487

Aſperitas.

Qui ſibi lenis, inuenitur cæteris aſper, & è contra. c. 3. n. 224. p. 299

Prudens ſuperior aliquando diſtrictionis vtatur gladio, aliquando leuiori ad virtutem incitarit ſtimulo. cap. 3. num. 241. toto §. p. 304

Vitiorum arma parum valent in corporis afflictione munitos, & aſperitate obarmatos. c. 5. n. 147. toto §. p. 483

Aſtutia.

Laudabilis aſtutia obarmetur in culpam: quia impia ſagacitas obarmatur in gratiam. cap. 3. n. 148. toto §. p. 271

Aſylum.

Sæpè calamitas orationis eſt magiſterium, & virtutis aſylum. c. 4. n. 65. toto §. 336

Athleta.

Athleta cruciatus de victoria ſperat. c. 6. n. 145. p. 548

Attentio.

Dei verbum magna attentione eſt auſcultandum, & reuerenter audiendum. c. 3. n. 214. toto §. p. 294

Auaritia.

Auaritia gloriæ tinea. c. 1. n. 309. p. 107

Pro lege & ſalute ſuorum laborat ſuperior auaritia non pollutus, legi verò refragatur infectus. c. 2. n. 151. toto §. p. 192

Aurum auaris imperat. c. 3. n. 176. p. 281

Auaritia diſcordiæ mater, & radix inopiæ. cap. 5. n. 128. p. 475

Miſerrimus eſt, qui temporalium caret vſu, & inardeſcit affectu: felix qui caret affectu, & potitur vſu. cap. 6. num. 29. toto §. pagina 509

Auaritia ſemper eget. c. 6. n. 29. ibid.

Si auaritia inficiat Prælatos miſerabilis vaſtitas conſumet ſubditos. cap. 6. num. 74. toto §. p. 525

Auctor.

Fructus prodit auctorem. c. 3. n. 48. p. 237

Qui aliis fuerunt auctores ad culpam, non ſemel carnifices deputantur etiam ad pœnam. c. 6. n. 23. toto §. p. 508

Auctoritas.

Illa eſt reuerenda antiquorum auctoritas, quæ à recto tramite non declinat. c. 6. num. 253. p. 585

Audacia.

Milites ſolùm de virtute fortes, de faſtu inueniuntur audaces. c. 1. n. 62. p. 25

Audacia nos in periculum impellit. c. 4. n. 172. p. 373

Diuina ſine audacia perſcrutanda. c. 6. n. 9. p. 502

Optimo regnante Principe nil licet audaciæ. c. 6. n. 68. p. 522

Digitized by Google

Index Rerum,

Auditor.

Concionatorem nobilitant non ſubtilitatis,ingeniique plauſus; ſed pœnitentiæ in auditoribus fructus. c.2.n.76.toto §. p.167

Augmentum.

Sæpè Reipublicæ potentiores miſerorum incommodo ſuorum ſolitant conſulere augmento. c.1.n.381.toto §. p.134

Auis.

Vt aues laqueo, ſic homines capiuntur auro. c.3.n.161. p.275

Aulicus.

Aulici de moribus noti. c.1.n.276. p.96

Frequentiſſimum eſt aulicis & vulnus infligere,& manum prorſus abſcondere.c.3.n.143. toto §. p.269

Aurum.

Non indiget auro,qui viuit exiguo.c.2.n.152. p.192

Vt aues laqueo ſic homines capiuntur auro.c.3. n.161. p.275

Aurum auaris imperat. c.3.n.176.p.281

Aurum negligitur, ſi conſcientiæ puritas adamatur. ibidem.

Non ſemel dolor infligitur,vt aurum auferatur. c.5.n.60. p.453

Auſteritas.

Sæpè exigua nitorem perfectionis infuſcant,& gratiam auſteritatis dedecorant. c.6. n.101. toto §. p.534

Auxilium.

Sanctorum conſortium magnum contra calamitates auxilium, & magnum felicitatis præſagium. cap. 4. num. 215. toto §. pagina 388

B

Baculus.

Dauidis baculus crucis typus. c. 4. n. 100. p.348

Bellum.

Bello fugere ferè ſemper inglorium, ſtrenuo viro vincere, aut cadere dignum. c.1.n.186. toto § p.65

Laudabilius eſt bellum pati honeſtè reſiſtendo, quam pace frui iniquis iuſſis obtemperando. c.5.n.85.toto §.p.461

Beneficentia.

Ingratitudo beneficentiæ exilium eſt.c.2.n.29. p.149

Deus non inuitatus benefacit,à nobis compulſus punit. c.2.n.172.toto §.p.199

Olim maiorum beneficientia ornabat ſubiectos. c.5.n.60 p.453

Beneficium.

Cùm ob exigua geſtiamus erga homines videri gratos, ob beneficia ingentia videri negligimus erga Deum ingratitudine obſcuros.c.2. n.29.toto §. p.149

Ingens beneficium à laboribus, vitæque periculis liberari; ſed grandius à culparum labibus expediri. c.2.n.35. toto §. p.152

Deus parcus eſt in beneficiis collatis recenſendis, largiſſimus in præſtandis. c.2. num.48. toto §. p.157

Turpis fœneratio eſt beneficium collatum recenſere. c.2.n.48. ibid.

Magnum Dei beneficium eſt, ſi peccatum ſequatur pœna, nec in longa differatur ſæcula mulcta. c.2.n.88.p.171

Nouit differre, qui beneficia diſcupit venditare. c.4.n.177. p.374

Beneficia Dei malè ſæpè interpretamur. cap.5. n.29. p.441

Tardum beneficium ingratum eſt. cap.5. n.91. p.463

Dei beneficiorum memoria in vitium arma.c.6. n.8. p.501

Benemeritus.

Non ſemel benemeritus ſolet lucere demiſſior, vt qui indignior,tumere ambitioſior. cap.4. n.157. toto §. p.368

Benignitas.

Cùm Deus in hac vita punit peccata ad ſpeciem videtur iratus; ſed reuera probatur benignus. c.2. n.218. toto §. p.215

Blandus.

Qui blandus ſibi indulget, frequenter in alios dirius deſæuit. c.1.n.204. toto §.p.72

Superior ſecum ſit ſeuerus, cum ſubditis blandus. c.3.n.224. p.299

Bonus.

Vir bonus nobilis eſt. c.3.n.53.p.239

Breuiarium.

Oratio eſt Euangelij breuiarium.c.3.n.99.p.255

Breuitas.

Futura breuitas cogitanda. c.4.n.219. p.389

C

Caduca.

Magis apud homines valent caduca, minus æterna. c.2.n.72. toto §. p.166

Cæcitas.

Plures circa propria inueniuntur cæci, circa aliena acutiſſimè inoculati. c.1.n.368.toto §. p.129

Qui à Deo relictus ruinæ ſuæ non ſentiebat diſpendia, meliori luce vtens doloroſa fundit ſuſpiria. c.2.n.103. toto §. p.176

Non eſt fortuna quæ cæcutiat; ſed nos cæcutimus,dum arbitramur eſſe fortunam. cap.4. n.232. p.394

Cæſar.

Cæſaris vxor non ſolùm carere debet macula; ſed calumnia. c.4.n.255. p.403

Calamitas.

Calamitas de patientia ſæpè lenitur, de impatientia exaſperatur. c.1. num. 160. toto §. p.57

Cognati amicique recedent, ſi premat calamitas,aderunt,ſi fulgeat felicitas. cap.1.n.284. toto §. p.99

Etſi iuſtorum multiplici calamitatum genere erudiuerit vitam, poſt mortem Deus nominis curat ſtudioſiſſimè famam. cap.1. n.328. toto §. p.114

Sæpè à republicæ potentioribus manat imbecillo calamitas, & miſerorum incommodo ſuorum ſolitant conſulere augmento. cap.1. n.381. toto §. p.134

Ad repellendam calamitatem minus valet vel ſtrictiſſimum naturæ vinculum,quàm ſuſpiriorum ac lachrymarum ſuffragium.c.2.n.83. toto §. p.169

Exaggeratior calamitas ludibrio haberi, & aduerſariorum furori tradi. c.2. n.181. toto §. p.202

Improborum amicitia calamitatum eſt vena,nobilitatis

Digitized by Google

bilitatis nota,& criminis officina. c 3. n.53. toto §. p.239
Magna calamitatis pars eſt cauſam ignorare, vt remedij illam ſcire. c.3. num.75. toto §. p.246
Oratio non ſolùm eſt criminum medela; ſed etiam calamitatum temporalium eſt medicina. c.3.n.99. toto §. p.255
Oratio eſt calamitatis depultrix,& fortunæ conciliatrix. c.3. n.107. toto §. p.258
Sæpè calamitas orationis eſt magiſterium, & virtutis aſylum. cap.4. num.65. toto §. pagina 336
Sanctorum conſortium magnum contra calamitates auxilium, & magnum felicitatis præſagium. cap. 4. numero 215. toto §. pagina 388
Mendaces calamitatum ſunt architecti. cap. 4. n.288. p 415
Sublimium dignitas inualidorum calamitas.c.5. n.60. p.453
Non exigua ſubiectis calamitas denunciatur, dum ſuperior inops ad pompam dignitatis eligitur. cap. 5. numero 96. toto §. pagina 464
Dum peccatores ſomniatis confictiſque proſperitatibus ſibi imponunt, in duras, vetaſque calamitates incurrunt. cap.5. num.132. toto §. p. 477
Sæpè calamitas fuit felicitatis initium. c.6.n.4. p.499
Calamitas eſt orationis ſchola, & oratio multorum,pœnitentium præcipuè, felicitatis eſt vena. c.6.n.79. toto §. p.526

Calliditas.

Mulier diabolo callidior. cap.4. num. 270. pagina 409

Calumnia.

Cæſaris vxor non ſolùm carere debet macula; ſed calumnia. c.4.n. 255.p.403

Captiuitas.

Libido captiuitatis præſagium. cap.3.num.57. p.240
Vbi vitia ſibi ſuppetias ferunt,longum captiuitatis tempus producunt. c.3. n.111. toto §. p.260

Caro.

Cordis vigilat prudentia, cùm carnis dormit inſania. c.3.n.217.p.295
A carnis abſtineat proſſus delicijs,qui reſplendere exambit ſancti Spiritus priuilegiis. c.4. n.89. toto §. p.344

Caſtitas.

Caſtitas cultores ſuos æternis coronat lauris,& temporalibus cumulat non ſemel diuitiis.c.1. n.537. toto §. p.117
Caſtitas & longiſſimæ vitæ vena, & immortalitatis eſt officina. cap. 2. num. 112.toto §. p.179
Caſtitas æternitatis ſocia. cap.2. n.112. toto §. ibid.
Caſta fœmina nec amat nec amatur. c. 4. n.95. p 336
De fœminæ aſpectu ſcintillæ in caſtitatem conflantur. c.4.n.296.p.418

Cathedra.

Optima Politice, vbi non diſtribuit magiſteria pro libito affectus; ſed ſudor cathedrarum acquirit gradus cap.1.num.263.toto §. pag.92

Cauſa.

Nonnulli ſuorum cauſis non ſtudent ignaui, cùm extraneas curare ſoleant diligentiſſimi. c.1.n.166. toto §. p.39.
Nonnulli amicorum cauſis nimiùm patrocinantur. c.2.n.40.p.154

Cautela.

Omni ſe muniat ſtudiosè cautela, qui contra vitium inſtruit certamina.c.4.n.125. toto §. p.356
Securior degit fragilitas cauta ſolicitudine armata,quàm fortitudo ſi deſtituta.c.1.n.373. p.130

Celeritas.

Celeritatis, promptitudiniſque beneficio putatur gratia,quod non ſemel exigebat iuſtitia. c.5.n.91. toto §. p.463

Celſum.

Quæ videntur celſa, inueniuntur ſemper prærupta. c.4.n.19.p.321

Certamen.

Omni ſe muniat ſtudiosè cautela, qui contra vitium inſtruit certamina.c.4.n.125. toto §. p.356

Charitas.

Fraterna charitas & concordia validiſſima in hoſtes arma, & ſerpentinæ fraudis incantamenta. c.1.n.79. toto §.p.30
Quò quis Deo coniungitur ſtrictior, alios non ſolum iuſtos; ſed perfectos deſiderabit ardentior. c 4.n.81. toto §. p.341
Quæ in Paſſione Domini charitatis flamma relucet,vel duriſſimos ad opera virtutis compellit. c.5.n.52.toto §.p.449
Mentis ſanctificatio charitas. cap.6. num.190. p.563

Chriſtus.

Chriſti Domini tactus à futura ruina præſeruat. c.3. n.249.p.307
Chriſti Domini crux paſſioque Angelorum eſt requies, & quaſi feriatio ab anxia ſolicitudine. c.6.n.119.p.540

Cicatrix.

Superior curam agat honeſtæ cicatricis. cap.4. n.104. p.349

Claritas.

Perſonæ claritas commendat actionem. cap.6. n.189.p.563

Clementia.

Regiam dignitatem dedecorat crudelis ſæuitia, nobilis commendat clementia. cap.1.n.165. toto §. p.58
Clementia decor eſt maieſtatis. c.1.n.165.ibid

Cogitatio.

Vbicumque ſis, aliquid ſalutare animo verſa. c.1.n.18.p.10

Cognati.

Indecens videtur infami legi ſubiicere, ſiquis cognatos poſſit prouidenter extrahere. c. 1. n.273. toto §. p.95
Cognatis præ reliquis eſt exhibendum officium in his præcipuè quæ pertinent ad virtutis augmentum. cap.1. num.278. toto §. p. 97
Cognati amicique recedent, ſi premat calamitas,adeſſent,ſi fulgeat felicitas.c.1.num.284. toto §. p.99
Ad repellendam calamitatem minus valet vel ſtrictiſſimum naturæ vinculum, quàm ſuſpirioſum ac lachrymarum ſuffragium.

cap. 2. num. 83. toto § pag. 169

Non ſemel grauius à vicinis, quàm à remotis vrget periculum, & à coniunctis ſanguine detrimentum. cap. 5. num. 39, toto §. pagina 444

Sæpè cognati virtuti fuerunt impedimenta, & religionis obſtacula. cap. 6. num. 243. toto §. p. 581

Vide *Conſanguinitas.*

Colloquium.

Securè degit eius in domo vitium, ſi fœmina publicum non erubeſcat, nec miſcere colloquia cum viris fugiat. cap. 5. n. 15. toto §. p. 436

Color.

Idem color animo & ingenio. c. 3. n. 38. p. 234

Columba.

Columba ab exordio pacis præco, ſerpens diuinæ imaginis prædo. c. 3. n. 207. p. 292

Commodum.

Non tam grande ambitioni ſupplicium eſt propriis commodis diſpoliari, quàm ipſis inimicos augeri. c. 2. n. 67. toto §. p. 164

Quod ſæpè in ſeipſam detrimentum imprudens architectata eſt malitia, vertit in commodum prouidentia. cap. 3. num. 33. toto §. p. 233

Ea eſt hominum amentia, vt in ipſis quærant ſecuritatem periculis, & commoda ſuſpirent in detrimentis. cap. 3. num. 38. toto §. p. 234

In grande vergit reipublicæ commodum exactoribus carere, & venali illorum indulgentiæ obuiari. cap. 3. num. 122. toto §. pagina 263

A Deo electus ſuperior proprio labore ſubiectorum procurat commoda; imò aliquando ſuo illorum arcet pericula. c. 3. n. 218. toto §. p. 296

Communis.

Homines olim in commune rebus fruebantur. c. 5. n. 128. p. 475

Compendium.

Grande compendium laudibus ſucceſſiſſe maiorum. c. 4. n. 3. p. 314

Concedere.

Generoſus non ſolum curat rogata concedere; ſed vota aggreditur vincere. c. 4. num. 278. toto § p. 412

Concionator.

Non diſſimili gloria fulget, qui ſanis doctrinis expugnat vitia, & qui hoſtilia armis euertit caſtra. c. 1. n. 73. toto §. p. 28

Iuſtè Angelus appellatur concionator vitia feriens, nec munus aliò detorquens. c. 2. n. 7. p. 140

Magnum Dei beneficium eſt concionator vitia carpens, grande flagellum aures ſuauitate demulcens. cap. 2. num. 25. toto §. pagina 147

Concionatorem nobilitant non ſubtilitatis ingeniique plauſus; ſed pœnitentiæ in auditoribus fructus. c. 2. n. 76. toto §. p. 167.

Dei verbum magna attentione eſt auſcultandum, & reuerenter audiendum. c. 3. n. 214. toto §. p. 294

Concordia.

Fraterna charitas & concordia validiſſima in hoſtes arma, & ſerpentinæ fraudis incantamenta. c. 1. n. 79. toto §. p. 30

Concordia regnorum fulcrum. c. 1. n. 79. ibid.

Animalia non ſemel docent cuſtodire concordiam. c. 5. n. 128. p. 475

Confinium.

Accuratiùs debent muniri, quos vitiorum confinio conſtiterit propinquare. cap. 4. n. 172. toto §. p. 373

Conſanguinitas.

Optima Politice dignos deligit; minùs laudabilis conſanguineos ſolùm præponit. cap. 3. n. 138. toto §. p. 268

Apud bonum Principem minus valent conſanguinitatis iura, plus virtutum merita. cap. 4. n. 15. toto §. p. 320

Conſcientia.

Conſcientia in diſſimulationem corrumpitur. c. 1. n. 181. p. 63

Aurum negligitur, ſi conſcientiæ puritas adamatur. c. 3. n. 176. p. 281

Conſcientia ianitores adhibuit. cap. 4. num. 77. p. 339

Sapiens conſulit conſcientiam laudatus, ne delinquat laudatione ſuperbus. c. 6. num. 172. toto §. p. 557

Qui ſuperioris aſcendit faſtigium, non fidat tantùm ſuæ electionis conſcientiæ; ſed ſatagat apud alios florere ſanctitatis notitia. c. 6. n. 257. toto §. p. 586

Conſecrare.

Nil patiaris apud te manere ex his quæ ſemel decreuiſti Domino conſecrare. cap. 6. n. 202. toto §. p. 567

Conſiliarius.

Primum Magnatum debet eſſe ſtudium, incorruptum & ſapientem ſibi deligere conſiliarium. c. 4. n. 202. toto §. p. 383

Conſilium, Conſulere.

Nil auſpicatur feliciter, qui Deum non conſulit. c. 1. n. 1. p. 1

Ad virtutes ſalubribus dirigimur monitis; ſed tendimus lætiores exemplis. cap. 1. num. 24. toto §. p. 12

Improbus refugit mutuari conſilium. c. 4. n. 157. p. 368

Ad reportandos de hoſtibus triumphos plus ſæpè valent prudentis conſilia, quàm ferocientis militis arma. cap. 4. num. 207. toto §. p. 385

Quiſquis ſaluti ſtudet conſulere, geſtiat ſuperbum faſtum deponere. cap. 4. n. 237. toto §. p. 396

Culpis aſſuetus, inſtante periculo non ſibi benè conſulit perturbatus. cap. 4. n. 245. toto §. p. 399

Non ſemel vt maiorum obſeruentur conſilia, diuina contemnuntur præcepta. c. 5. num. 45. toto §. p. 446

Nonnullis opportuna occaſio elabitur, dum prolixius quid faciendum ſit, conſulitur. c. 5. n. 119. toto §. p. 472

Pauci ſua conſilio diſponunt. c. 5. n. 119. ibid.

Monſtroſa conſilia mulieres concipiunt. cap. 5. n. 157. p. 487

Non ſemel qui aliis fuerunt auctores ad culpam, carnifices deputantur etiam ad pœnam. c. 6. n. 23. toto §. p. 508

Conſortium.

Quo quis degit in fœminæ conſortio ſecurior, eo mortem incurrere ſolet periculoſior. c. 4. n. 249. toto §. p. 365

Quærere

Digitized by Google

Quærere laboris conſortem inuenitur humanum, aſciſcere gloriæ ſocium habetur ſemper diuinum. c.1.n.118.toto § p.43

Sanctorum conſortium magnum felicitatis præſagium, & magnum contra calamitates auxilium. c.4.n.215.toto §. p.388

Conſuetudo.

Conſuetudo in naturam tranſit. cap 2.n.211. p.212

Culpis aſſuetus inſtante periculo non ſibi bene conſulit perturbatus. c.4. n.245. toto §. p.399

Conſuetudo peccandi excludit naturam.cap.6. n.71.p.503

Contemptus.

Contemptus corporis vera libertas eſt, cap.4. n.43.p.329

Continentia.

Continentia eſt fidei teſtimonium. c.4. n.304. p.420

Contrarius.

Contrariis non ſemel Deus diſpoſitionibus vtitur ad omnipotentiæ pompam, & ad homini ingerendam fiduciam.c.6.n.199.toto §. p.566

Conuinci.

Propria voce conuinci grauiſſimus pudor eſt. c.2.n.1.p.137

Cor.

Cordis vigilat prudentia, cùm carnis dormit inſania. c.3.n.217.p.295

Quæ diuini ardoris igne proferuntur micantia verba,citò auditorum inflammant corda.c.4. n.133.toto §. p.359

Facilè imminens vitium propellitur, difficulter ſi iam corda poſſidet,abigitur. cap.3 n.247. toto § p.306

Neſcio quo impulſu corda euentum ſolitant præſagire,& quodammodò prænuntiare.c.5. n.175. toto §. p.493

Corona.

Quercea corona redemptæ de periculo vitæ index. c.3.n.251.p 308

Corpus.

Non ſemel quæ vires adduntur corpori, adduntur etiam & crimini. c.1.n.219.toto §. pag.78

Nimius corporis amor eſt anxietatis occaſio. c 3.n.33. p.233

Corporis voluptates malè dulces ſunt.c.4.n.40. p.328

Contemptus corporis vera libertas eſt c.4.n.43. p.229

Correctio.

Praua niſi ad regulam non corriguntur. cap.1. n.24 p.12

Prudentes admonitorem venerantur vt Angelum,imprudentes oderunt vt inimicum. c.2. n.108.toto § p.177

Duriſſima probatur malitia, quam nulla potuit corrigere pœna. cap. 2. num. 186. toto §. p.204

Vitia omni ſecreto ſunt corrigenda, & correctio cunctis celanda. cap.3.num.199.toto §. p.289

Correptio.

Non eſt opus ingenuum graui obiurgatione corripere; ſed eſt ſatis admiſſos errores oſtendere. cap 6. numero 87. toto §. pagina 529

Crimen.

Non ſemel quæ vires adduntur corpori, adduntur etiam & crimini. c.1. n.219. toto §. p.78

Sic nonnulli deſipiunt criminum famulatui addicti, vt libertatem repudient, & ſeruitutem anhelent. cap. 2. num. 201. toto §. p.209

Felicitas & otium fœcundi parentes criminis, & progenitores erroris. cap.3. n.20. toto §. p.228

In curia crimina ſecuriùs degunt, & impugnantium vires certiùs eludunt. cap.4.n.30. toto §. p.325

Non ſemel dicatum virtuti tempus, vanitati ac crimini ſoluitur,cùm vanitati adſcriptum ratò aut nunquam virtuti ſoluatur.c.4.n.219. toto §. p 389

Criminum ſtimulus eſt libido.cap.4.num.297. p.418

Curet iuſtus in ſemine crimen delere, vt dæmonis nequitia ſummo ſtudio curat virtutis ſemina opprimere. cap. 6. num. 62. toto §. p.520

Nonnulli ſibi adulantur in futurum ſpebus quo liberiùs modò deſœdentur criminibus. c. 6. n.219. toto §. p.573

Vide *Culpa*, *Delictum*, *Peccatum.*

Crux.

Qui ſub crucis degerit vmbra, non poterit carere victoria. c.4.n.99. toto § p.348

Dauidis baculus crucis typus. cap.4. num. 100. ibid.

Teterrimus noſter aduerſarius aliis armis fugatur;ſed cruce Chriſti confoditur.c.4.n.258. toto §. p 404

Chriſti Domini crux,paſſióque Angelorum eſt requies, & quaſi feriatio ab anxia ſolicitudine. c.6.n.119.toto §. p.540

Crux Angelorum cum hominibus amicitiæ interpres. c.6 n.120. ibid.

Crux multiplices affert fructus. c.6. num.128. p.543

Prælati ſedes crux. c.6.n.130. ibid.

Culina.

Culina fœdum patrimonij exitium.c.6.num.11. p.503

Culpa.

Plures iuſtitiæ ſeueritatem commendant,ſi culpa puniatur aliena,abrodunt,ſi pœnas dederit propria. c.1.n.143. toto §. p.51

Nulla ætas vacauit à culpa. cap. 1. num. 351. p.122

Ingens beneficium à laboribus vitæque periculis liberari; ſed grandius à culparum labibus expediri. cap.2. num.35. toto §. pagina 152

Sacerdos dum ſapientia ſanctitateque culpæ aut vitæ à proximis arcet periculum, Angeli meretur elogium.cap.2.num.92.toto §. p 173

Dæmon eſt, qui ſuam alteri culpam adſcribit. c.3. n.77.p.247

Laudabilis aſtutia obarmetur in culpam; quia impia ſagacitas obarmatur in gratiam. cap.3. n.148. toto § p 271

Ægrè patitur Deus dicatum ſibi locum culpis inſici, aut vel alieno crimine maculari. c.3. n.171. toto §. p.279

Culpis aſſuetus inſtante periculo non ſibi benè conſulit

conſulit perturbatus. c.4. num.245. toto §. p.399.

Quæ fœmina non reſpicit videri, nequit à culpa excuſari. c.4.n.249.p.400

Non ſemel qui aliis fuerunt auctores ad culpam, carnifices deputantur etiam ad pœnam. c.6. n.23. toto §. p.508

Nulla ætas vacauit à culpa. c.6.n.232.p.577

Vide *Crimen, Delictum, Peccatum.*

Cultus.

Quidquid Deo ſeruit, & homini prodeſt. c.6. n.106. toto §. p.535

Etiamſi reſpublica extremis calamitatibus affligetur, vitio cultus expenſis ſumptuoſis dicatur. c.6.n.232.toto §. p.577

Cupiditas.

Nulla cupiditatis aut ambitionis vmbra procurauerit deturpari, qui ad eligendum diuino oraculo deſiderat inſtrui. c. 1. n.43. toto §. p.18

Mulieris ingenium auerſatur ſæpè poſſeſſa ſimulato quidem faſtidio, & vero acquirendi voto. c 1.n.249.toto § p.87

Nil poſſeſſum delectat: quia ad vlteriora ſemper cupiditas hiat. c.1.n.249. ibid.

Dulce eſt cupiditates viciſſe. c.1.n.259.p.90

Alia vitia plurimos, inſana diuitiarum vota ſubiugauere vniuerſos. c.1.n.317.toto §. p.110

Cura.

Stultiſſimus inuenitur, qui ad ſalutem aliena confidit cura, ſi propria reſoluatur ignauia. c.5.n.166.toto §. p.490

Curia.

In curia crimina ſecuriùs degunt, & impugnantium vires certiùs eludunt. cap 4.n.30. toto §. p.325

Curioſitas.

Nulla eſt perſpicacia quàm quid non poſſit latere, & eius curioſitatem fruſtrari. c.1.n.347. toto §. p.121

Ferè nulla in totum poſſunt latere ignorata: quia curioſitas ſemper intenta. cap.1. n.365. toto §. p.127

Natura humana vt ſecretum inueſtigandi eſt auidiſſima, ſic effundendi percupida. cap.3. n.167. toto §. p.278

Curſus.

Laudem meretur ſurſus, etſi aliquando acciderit lapſus. c.3.n.255. p.309

D

Dæmon.

DÆmon in malefactis fugit notitiam, cùm homines in illis oſtentent pompam. c.1 n 100 toto §. p.71

Dæmon eſt qui ſuam alteri culpam adſcribit. c.3.n.77.p.247

Tota Dæmonis cura homines à IESV ſocietate ſeparare. c.3 n.230.p.300

Vt Dæmon ſomniis vti ſolet in virtutem pro armis, ita in vitium Deus pro armis vtitur ſomniis c.3.n.189 toto § p.286

Studioſiſſima Dæmones diligentia ſatagunt ad orationem viam impedire, & orationis tempora ſuffurari. c.5.n.64.toto §. p.454

Nequitia Dæmonis ſummo ſtudio curat virtutis ſemina opprimere; curet iuſtus in ſemine crimen delere. c.6.n.62.toto §. p.520

Hominem Dæmones luxuriæ voluptate ſubornant, vt ſemper captiuum ad plura delicta trahant. c.6.n.236. toto §. p.578

Dæmon Virginem non tentauit. c.5.num.146. p.483

Vide *Diabolus.*

Damnum.

Nunquam ſeruant pernicioſa modum. cap. 1. n.14. p.8

Dare.

Ingenuo viro petere moleſtum, vti dilargiri iucundum. c.1.n.239.p.84

Vt ingenuo viro iucundum eſt liberaliter dilargiri, ita duriſſimum mendicare. c.4.n.274. toto §. p.410

Dauid.

Dauidis baculus crucis typus. c.4.n.100.p.348

Debitum.

Plus debet Numini, qui maiori lucet honore. c.6.n.134.p.544

Reatus eſt eſſe ſub debito. c.6.n.153.p.551

Defectus.

Plus apud homines valet leuis defectus ad notam, quàm plurima virtus ad famam. cap.1. n.196. toto §. p.69

Defenſor, Defenſio.

Legis defenſor ſi illam temeret, grauiùs delinquit. c.3.n.224.p.299

Qui vitia oppugnare aggreditur, prouida contra pericula defenſione muniatur. c.6.n.224. toto §. p.574

Deformitas.

Res vna ſubtracta cuncta deformat. c.2.n.202. p.209

Defunctus.

Magna defunctorum in Eccleſia felicitas poſſe Dominico Sacramento expiari, quo reatus facilè conſtat abſolui. c.2.n.121.p.182

Seuerè à Deo punitur, qui quod ad defunctorum expiationem pertinet, protelare cognoſcitur. c.2. n.129. toto §. p.185

Delatio.

Delata diligentiſſimè examinanda. cap.3.n.70. p.244

Deliciæ.

A carnis abſtineat prorſus deliciis, qui reſplendere exambit ſancti Spiritus priuilegiis. c.4. n.89. toto §. p.344

Delictum.

Oppoſitum parentis exemplum filij condemnat delictum. c.2. n.165. toto §. p.197

Hominem dæmones luxuriæ voluptate ſubornant, vt ſemper captiuum ad plura delicta trahant. c.6. n.236. toto §. p.578

Dementia.

Demens eſt, qui craſtinum ſibi promittit. cap.5. n.138. toto §. p.478

Deſiderium.

Optimus Princeps ambitionis ſuperat vota, & euincit deſideria. c.2 n.172. p.199

Grande peccatori ſupplicium, ſi improbum nanciſcatur infelix votum. c 3. n 43. toto §. p.236

Generoſus non ſolùm curat rogata concedere; ſed vota aggreditur vincere. c 4. n.278. toto §. p 412

Vehemens deſiderium moras non ſuſtinet, ſed in opus prodire geſtit. cap.4. n.299. toto §. p.418

Detrimentum.

Quod ſæpè in ſeipſam detrimentum imprudens

Digitized by Google

dens architectata eſt malitia, venit in commodum prouidentia. c.3.n.33.toto §. p.253
Amor etiam quæ cenſet impoſſibilia, ſolet expaueſcere detrimenta. cap.5. n.171. toto §. p. 491

Deus.

Nil auſpicatur feliciter,qui Deum non conſulit. c.1. n.1.p.1
Bona electio res Dei eſt. c.1.n.51.toto §.p.21
Deus aſcendentibus manum porrigit. cap. 1. n.100.p.39
Legis non ſemel iniuria homini ſeruatur promiſſum,cùm aliquando violetur nulla occaſione cogente Numini votum.cap.1.n.229. toto §.p.80
Dei fauor eſt, ne attulerit præſumptionis naufragium, reprimere proſperitatis exceſſum. c.1.n.298. toto §. p.104
Et ſi iuſtorum multiplici calamitatum genere erudiuerit vitam,poſt mortem Deus nominis curat ſtudioſiſſimè famam.c.1.n.328 toto §. p.114
Deus parcus eſt in beneficiis collatis recenſendis, largiſſimus in præſtandis. c.2.n.48. toto § p.157
Deus quos teneriùs amat,duriùs educat. cap.2. n.88. p.171
Qui purè ſyncereque Dei gloriæ, & proximorum vtilitati deſeruit, metas quodammodò naturæ humanæ tranſiluit.c.2.n.100. toto §. p.174
Seuerè à Deo punitur, qui quod ad defunctorum expiationem pertinet,protelare cognoſcitur. c.2.n.129.toto §. p.185
Deus non inuitatus benefacit,à nobis compulſus punit. c.2.n.172.toto § p.199
Cùm Deus in hac vita punit peccata, ad ſpeciem videtur iratus; ſed reuera probatur benignus. c.2.n.218.toto §. p.215
Non ſemel Deus incipientibus omnia mollit, & poſtea rerum difficultates ad profectus conſummationem oſtendit. c.3.n.12. toto §. p.225
Sibi ipſi probatur offenſior,qui inuenitur Numini durior. c 4. n.59. toto §. p.334
Quo quis Deo coniungitur ſtrictior; alios non ſolùm iuſtos; ſed perfectos deſiderabit ardentior. c.4 n.81. toto § p.341
Deus precibus quaſi violentatur. cap.4. n.122. p.355
Magnis Deus præparat triumphis, quem laborioſis exercet præliis.c.4.n.191.toto §.p.380
Grata Deo pulchritudo virtus eſt. cap.3. n.80. p.248
Sæpè Deus inſtrumentis parum ad ſpeciem aptis mundi confundit ſapientiam, & ſuam oſtentat miris operibus efficaciam. cap. 3. n.133. toto §. p.266
Ægrè patitur Deus dicatum ſibi locum culpis infici,aut vel alieno crimine maculari.cap.3. n.171. toto §. p.279
Vt dæmon ſomniis vti ſolet in virtutem pro armis, ita in vitium Deus pro armis vtitur ſomniis. c.3. n.189. toto §. p.286
Qui Dei ſpiritu agitur, magna & aliis inacceſſa ſemper aggreditur. c.3.n.255.toto § p.309
Dei beneficiorum memoria in vitium arma.c.6. n.8.p.501
Dum in hac vita Dominus peccatum carpit, lætiorem adducere fortunam intendit. cap. 6. num. 82. toto §. pag. 528
Quidquid Deo ſeruit, & homini prodeſt.c.6. n.106. toto §. p. 535
In Deo fiducia fructus producit & animo dulciſſimos, & etiam ſaluti commodos. cap.6. n.110.toto § p.537
Ea ſolùm nobilitas apud Deum lucet ſplendida, quæ virtutibus probatur ornata. cap. 6. n.138.toto §.p.546
Deo parere libertas eſt. c.6.n.162. p.554
Contrariis non ſemel Deus diſpoſitionibus vtitur ad omnipotentiæ pompam,& ad homini ingerendam fiduciam, cap.6. n.199. toto §. p.566
Quod nos Deo reconciliat, felicitate, & ſalute donat. c.6.n.214.p.571
Dei honoris zelotypus vitij arma in virtutis vertet auxilia: quia non ſemel improbus virtutum auxilia in vitiorum conuertit arma. c.6.n.229.toto §. p.575
Qui Dei mouetur ſpiritu,contentus non eſt per ſe ſolum in vitia irruere; ſed ſocios ſatagit congregare. c.6.n.254. toto §. p.585
Qui ſuo non proſpexit generi, à Deo electus non videtur ad triumphos reportandos, & aduerſarios terendos. c.6. num.260.toto §. p.588

Diabolus.

Pax diabolo bellum eſt,c.1. n.79. p.30. & c.6 num.53.pag.517
Vide *Dæmon.*

Difficultas.

Non ſemel Deus incipientibus omnia mollit, & poſteà rerum difficultates ad profectus conſummationem oſtendit.c.3.n.12.toto §. p.225

Dignitas.

Dignitatibus ante preces debet ornari, quem conſtat virtutibus refulgere. c.1.n.56.p.23
Regia obſcuratur dignitas, ſi hoſtile illam temerauerit ferrum, aut quid eius ceſſerit in ſpolium. c.1.n.138.toto §.p.49
Regiam dignitatem dedecorat crudelis ſæuitia,nobilis commendat clementia.c.1.n.165. toto §. p.58
Felix reſpublica vbi repulſam patiuntur ſæpè dignitates. cap. 1.n.255.p.89
Prudens ſolum de morte cogitat,dum finis appetit,quamtumuis ad dignitates aſcitus,imprudens dignitates ſuſpirat, etiam in ipſo occaſu ambitioſus. c.1.n.259. toto §. p.90
Qui à Deo ad apicem dignitatis eligitur,omnibus probatur beneficus, vt qui ambitionis inſcendit artibus, inuenitur nociuus. cap. 2. n.196.toto §.p.207
Impuritas repulſam patitur dignitatis.c.3.n.61. p.241
Optima Politice dignos deligit, minus laudabilis conſanguineos ſolùm præponit. cap.3. n.138 toto §. p.268
Non poteſt non florere Reſpublica,vbi dignitas non tam tribuitur generis nobilitati, quam animorum virtuti. c.4.n.85.toto §.p.343
Non adeò reſplendet dignitas de adſtantium pompa,vt de leuata calamitoſi miſeria.cap 4. n.104. toto §. p.349
Munera dignitate prædito oblata ſæpiſſimè inſidiæ probantur honori,& pericula dignitati. c.4. n.141. toto §. p.397
Nomina dignitatis indicia. c.5.n.15.p.436

Sublimium

Index Rerum,

Sublimium dignitas inualidorum calamitas. c.5.n.60. p.453

Qui vult ſuam dignitatem continere, nouerit rapinam punire. c.6.n.67. p.522

Ille dignitatis culmina dignè aſcendit, qui ſolicita perſpicacia ſub virtutis colore obrepentia vitia dignoſcit, ſtudioſéque diuidit. c.6.n.115.toto §. p.538

Solerti conuenit diligentia ſemel & iterum explorari, qui debet dignitatibus anteferri. c.6.n.149. toto §. p.550

Dilatio.

Seuerè à Deo punitur, qui quod ad defunctorum expiationem pertinet, protelare cognoſcitur. c.2.n.129.toto §.p.185

Læſio permittitur, cùm medicina differtur. c.2. n.208. p.211

Felicitati ſuæ detraxit, quiſquis inuitantem occaſionem in futurum tempus miſit. cap. 4. n.140. toto §. p.361

Dilatio anxia mora animum expectantis ſuſpendit. c 4. n.177. p.374

Nouit differre, qui beneficia diſcupit venditare. c.4. n.177. ibid.

Nonnulli ſibi adulantur in futurum ſpebus quo libetiùs modò defœdenrur criminibus. c.6. n.219. toto §. p.573

Diſcere.

Mirum eſt ſi doctus non dedignetur addiſcere & aures aliis præbere. c.1.n.268.toto §.p.94

Diſcordia.

Princeps curet dignos ſic muneribus ac laudibus exornare, vt caueat diſcordiam æmulationis ingerere. c.5.n.108.toto § p.467

Auaritia diſcordiæ mater, & radix inopiæ. cap.5. n.128. p.475

Diſertus.

Omnia bona cumulat lingua diſerta. c.4.n.133. p.359

Diſſimulatio.

Diſſimulando ſæpè peragitur, quod accelerandum cognoſcitur. c.6.n.239. p.579

Conſcientia in diſſimulationem corrumpitur. c.1.n.181. p.63

Diſpoſitio.

Contrariis non ſemel Deus diſpoſitionibus vtitur ad omnipotentiæ pompam, & ad homini ingerendam fiduciam. cap.6. n.199. toto §. p.566

Diſtantia.

Non ſemel initiare ſolet diſtantia, quod exaugurabat affinitas & præſentia. cap.6.n.210. toto §. p.570

Diſtrictio.

Lenis patientia diſtrictionem præcedat. cap. 4. n.59. p.334

Prudens ſuperior aliquando diſtrictionis vtatur gladio, aliquando leuiori ad virtutem incitarit ſtimulo. c.3. n.241. toto §. p.304

Diuina.

Diuina ſine audacia ſunt perſcrutanda. c.6.n.9. p.502

Diuitiæ.

Alia vitia plurimos, inſana diuitiarum vota ſubiugauere vniuerſos. c.1.n.317. toto §.p.110

Caſtitas cultores ſuos temporalibus cumulat non ſemel diuitiis, & æternis coronat lauris. c.1.n.337.toto §. p.117

Alienæ diuitiæ torquent. c.2.n.67. p.164

Locuples eſt qui ex rationis præſcripto viuit. cap.2.num.152.pag.192

Durius eſt ibi extremis adurgeri miſeriis, vbi lautis maiores exundanere diuitiis. c.3.n.71. toto §. p.245

Apud ſæculum pluris æſtimantur diuitiis copioſi, quàm dotibus virtutum præclari. cap.4. n.262.toto §. p.405

Peccatum comitatur non ſemel ſalutis & diuitiarum diſpendium, vt virtutem non ſemel incolumitas & aurum. c.6.n.39.toto §.p.512

Iniuſta rapina eſſe ſolet iuſtæ poſſeſſionis naufragium, & diuitiarum excidium. c.6 n.67. toto §. p.522

A diuitiarum copia & mundiali tumultu inuitus etiam receſſus eſſe ſolet ſupernæ lucis illicium, & felicitatis exordium. c.6.n.91. toto §. p.531

Doctrina, Doctus.

Non diſſimili gloria fulget, qui ſanis doctrinis expugnat vitia, & qui hoſtilia armis euertit caſtra. c.1.n.73.toto §.p.28

Mirum eſt ſi doctus non dedignetur addiſcere, & aures aliis præbere. c.1.n.268.toto §.p.94

Norma doctrinæ eſt factis docere. cap.2. n.23. p. 146

Dolor.

Pœnitentia ſine dolore pudoris diſpendium, mœrore coniuncta ſceleris probatur excidium. c.1.n.95.toto §.p.35

Qui à Deo relictus ruinæ ſuæ non ſentiebat diſpendia, meliori luce vtens doloroſa fundit ſuſpiria. c.2. n.103. toto §.p.176

Peccator doloris artifex. c.3.n.43.p.236

Non leuis dolor eſt cogi ad exhibendum extraneis, quod parabatur dilectis. c.4.n.162. toto §. p.372

Qui cedit voluptati, & obnoxius manet dolori. c.4. n.283. toto §. p.413

Voluptas & dolor rationi aduerſi. c.4. n.283. ibid.

Non ſemel dolor infligitur, vt aurum auferatur. c.5.n.60. p.453

Etſi aliquando inimicus indulgeat, non erit ad vtilitatis commodum; ſed ad doloris augmentum. c.5.n.161.toto §.p.488

Donum.

Mirum eſt à populo ſoluta integra ad Principem peruenire, vt dilargita à Principe incorrupta ad accepturos deſcendere. c.3.n.129. toto §. p.265

Quæ obſequioſa à fœminis ſæpè exhibentur officia, inſidioſa probantur dona. c.4.n.270. toto §. p.409

Dos.

Virginis dos verecundia. c.4.n.317.p.425

Deſtitutus dotibus ſemper inuenitur ſuperbior, virtute ornatior ſemper inuenitur humilior. c.6.n.172. toto §. p.557

Duratio.

Videtur ferè non fuiſſe, quod exiguo tempore reperitur duraſſe. c.1.n.101.toto §.p.37

Grauius ipſa morte lentum ac diuturnum tormentum. c.1.n.209. toto §.p.74

Duritiés.

Ita induratur peccator, vt rationem non admittat. c.2.n.201.p.209

E

Eccleſiaſticus.

Vulgus ſub peccati iugo gemit captiuum, ſi Eccleſiaſticus diuitiarum ſolum curet augmentum.

augmentum. c.6. n.58. toto §. p.519
Profeſſio eccleſiaſtici vita cæleſtis eſt.c.6.n.58. ibid.

Educatio.

Securam vitio molitur ſtragem,qui pueros erudit ad ſalutem. c.5.n.152.toto §. p.485
Nonnulli parentes ſera educationis filiorum pœnitentia affliguntur. ibid.
Qui in egeſtate nititur refulgere, non poterit non peccare. c.1.n.133.toto §.p.47
Amicitia etiam in egeſtate ſeruanda.c.3.n.158. p.274
Facile ex glorioſis geſtis oritur elationis tinea, & ipſis eſt indecora parentibus nota. cap. 5. n.101. toto §. p.466

Electio.

Diuinæ electionis eſt in optimi prædeceſſoris locum ſufficere, qui dignis poſſit munus actionibus adimplere. c.1.n.28.toto §. p.13
Qui ad eligendum diuino oraculo deſiderat inſtrui,nulla ambitionis,aut cupiditatis vmbra procurauerit deturpari. c.1.n.43. toto §. p.18
Bona electio res Dei eſt. c.1.n.51. toto §. p.21
Qui à Deo ad apicem dignitatis eligitur, omnibus probatur beneficus, vt qui ambitionis aſcendit artibus, inuenitur nociuus. cap.2. n.196.toto §. p.207
Electio de ſcientia proueniens laudabilis. c. 3. n 153.p.266
Optima politice dignos deligit,minus laudabilis conſanguineos ſolùm præponit. cap. 3. n.158.toto §. p.268
A Deo electus ſuperior proprio labore ſubiectorum procuret commoda; imò aliquando ſuo illorum arcet pericula. c.3.n.218.toto §. p.296
Electio de meritis venit. c.4.n.85.p.343
Qui à Deo eligitur, propriam ſpernit gloriam, vt à ſuis depulerit maculam. c.4. num.129. toto §. p.357
Vbi agnoſcitur virtutis præſtantia, deligendi non officiat abſentia. c.4.n,148 p.364
A ſuis prouidenter arcet periculum à Deo electus,vt de hoſtibus reportarit trophæum.c.6. n.153. toto §. p.551
Qui ſuo non proſpexit generi, à Deo electus non videtur ad triumphos reportandos, & aduerſarios terendos.c.6.n.260.toto § p.588
Electio laudabilis de meritis venit. c.6.n.268. p.591

Eleemoſyna.

Quæ quis honeſtè egit in vita ad miſerorum auxilium,æternum potitur in morte elogium. c.2.n.117. toto §. p.180
Non adeò reſplendet dignitas de adſtantium pompa,vt de leuata calamitoſi miſeria cap.4. n.104. toto §. p.349

Elephas.

Elephas gratitudinis exemplum.c.5.n.10 p.435

Elogium.

Quæ quis honeſtè egit in vita ad miſerorum auxilium,æternum potitur in morte elogium. c.2.n.117.p.180

Emendatio.

Felix cuius emendationi Deus inſtat. c.2.n.35. p.152

Error.

Indecorum prorſus eſt magna minimis obſcurare & leui errore glorioſè patrata perdere. cap.1.num.309. toto §. pag.107
Felicitas & otium fœcundi parentes criminis, & progenitores erroris. cap.3. n.20. toto §. p.228
Satis eſt ingenuo admiſſos errores oſtendere, nec illum opus eſt graui obiurgatione corripere. c.6.n.87.toto §. p.529

Euchariſtia.

Magna defunctorum in Eccleſia felicitas poſſe Dominico Sacramento expiari, quo reatus facilè conſtat abſolui. c.2. num.121. toto §. p.182
Qui tremendis adſtant Euchariſtiæ myſteriis, non ſolùm mundentur à culpa; ſed etiam à cogitationum fallacia. c.6.num.35.toto §. p.511
Cæleſti pane nobilitatus,Numini probatur coniunctus, & cunctis ſpiritibus venerandus. c.6.n 134. toto §. p.544
Cæleſti epulo innutrito ſatis non eſt adoriri fugam; ſed tenetur de vitiis reportare victoriam. c.6.n.145.toto §.p.548
Ea debet cæleſtis menſæ conuiua ſanctitate reſplendere,vt cenſeatur inter cæleſtes ſpiritus habitare. c 6.n.180.toto § p.560
Eam exigit puritatem oblatum Domino ſacrificium, vt Angelus etiam ad ſpeciem vereatur attactum. c.6. n.206. toto §.p.568

Exactor.

In grande vergit Reipublicæ commodum exactoribus carere, & venali illorum indulgentiæ obuiari. c.3.n.122 toto §.p.263
Exactores parcendo grauant. c.3.n.122.ibid.

Examen.

Delata diligentiſſimè examinanda. c.3.num.70. p.244
Solerti conuenit diligentia ſemel & iterum explorari, qui debet dignitatibus anteferri. c.6.n.149. toto §. p.550
Ad [illegible] omnia examinantur. c.6.n.150

Excidium.

Vnius honor multorum inueniri ſolet excidium. c.4 n.44.p.329
Imprudenter ſibi parat excidia, qui molitur iuſtis aduerſa. c.5. n.48. toto §. p.448

Exemplum.

Ad virtutes ſalubribus dirigimur monitis; ſed tendimus lætiores exemplis. cap.1. num.24. toto §. p.12
Norma doctrinæ eſt factis docere. c.2.num.23. p.146
Oppoſitum parentis exemplum filij condemnat delictum. c.2. n.165. toto §. p.197
Virtus nondum reſplenduit cumulatè perfecta, quouſque & opportunitate, & exemplo in contrarium vocantibus conſtitit imperturbata. c.2. n.218. toto §. p.215
Exempla ſunt pro miraculis ad mouendum.c.3. n.222. p.297

Exercitus.

Lenones & laſciui ab exercitibus expungendi. c.3.n.95.p.253

Exiguus.

Non ſemel exigua tecula magnam obſcurauit gloriam,& impediuit æternam. cap.4.n.120. toto §. p.354

Exordium.

Virtus in exordio micat non ſemel feruentior; ſed paulatim tempore elanguet remiſſior.c.1. n.293. toto §. p. 102

Exordia pariunt aut famam, aut notam. cap. 1. n.273.p.95

Extraneus.

Nonnulli extraneas curare ſolent diligentiſſimi cum ſuorum cauſis non ſtudent ignaui. c. 1. n. 106. p. 39

Non leuis dolor eſt cogi ad exhibendum extraneis, quod parabatur dilectis. c. 4. num. 162. p. 369

F

Facinus.

NOn ſemel gloriæ ambitio virtuti inſeruit, & ad magna facinora inducit. c. 4. n. 313. toto §. p. 423

Nonnulli opportunè importuneque ſuas ſuorumque laudes interſerunt, & facinora produnt. c. 5. n. 111. toto §. p. 469

Fallere.

Fœmina ad mendacium inuenitur exprompta, & ad fallendum parata. cap. 4. n. 288. toto §. p. 415

Non ſemel fœminæ dum ad ſpeciem gratiùs blandiuntur, firmiuſque promittunt, fallere certiùs diſponunt. cap. 5. num. 157. toto §. p. 487

Fama.

Plus apud homines valet leuis defectus ad notam, quam plurima virtus ad famam. cap. 1. n. 196. toto §. p. 68

Etſi iuſtorum multiplici calamitatum genere erudiuerit vitam, poſt mortem Deus nominis curat ſtudioſiſſimè famam. cap. 1. n. 318. toto §. p. 114

Ea mortales premit cæcitas & ambitio, vt non tam curent vitam moribus excolere, quàm gloriam nominis æternare. c. 1. n. 377. toto §. p. 132

Facilè ſuſpicioni accedimus ad aliquam notam cùm non ſic accedamus ad famam. c. 6. n. 275. toto §. p. 594

Familia.

Ea ſolet eſſe aliquorum ambitio, vt domus familiæque contempſerint detrimenta, vt Principum, aut Magnatum frequentarint palatia. c. 1. n. 68. toto §. p. 26

Nonnulli ſuorum cauſis non ſtudent ignaui, cùm extraneas curare ſoleant diligentiſſimi. c. 1. n. 106. toto §. p. 39

Accuſantur ſæcula, quibus illuſtris latet familia. c. 6. n. 250. p. 584

De glorioſa familia natus, moribus debet eſſe ſemper excultus. c. 6. n. 268. p. 591

Faſcinum

Fœminæ pulchellæ aſpectus eſt honeſti vigoris faſcinum, virtutis delirium c. 4. n. 194. toto §. p. 417

Faſtigium.

Qui elabitur à perfectionis faſtigio, demergi ſolet grandi vitiorum naufragio. cap. 4. n. 19. toto §. p. 321

Faſtus.

Milites ſolum de virtute fortes, de faſtu inueniuntur audaces. c. 1. n. 62. toto §. p. 25

Prudens ſuperior vitabit in præcipiendo, quidquid ſuperbiæ redolet faſtum, ne exacerbatit contra obedientiam ſubiectum. c. 4. n. 152. toto §. p. 366

Quiſquis ſaluti ſtudet conſulerè, geſtiat ſuperbum faſtum deponere. c. 4. n. 237. toto §. p. 396

Faſtoſa magnorum potentia grandi inualidorum ſæpè innutritur iniuria. c. 5. n. 60. toto §. p. 453

Fauor.

Dei fauor eſt, ne attulerit præſumptionis naufragium, reprimere proſperitatis exceſſum. c. 1. n. 298. toto §. p. 104

Grandis Numinis fauor eſt peccandi occaſiones arcere: nam ſi occaſio inuitet, fragilitas humana non tardè corruet. c. 2. n. 57. toto §. p. 161

Felicitas.

Nil auſpicatur feliciter, qui Deum non conſulit. c. 1. n. 1. p. 1

Cognati, amicíque recedent, ſi premat calamitas; aderunt, ſi fulgeat felicitas. c. 1. n. 284. toto §. p. 99

Felix, cuius emendationi Deus inſtat. c. 2. n. 35. p. 152

Felicitas & otium fœcundi parentes criminis, & progenitores erroris. c. 3. num. 20. toto §. p. 228

Miſer eſt nimium felix. c. 3. n. 20. ibid.

Nimia fœcunditas ad maturitatem non peruenit. c. 3. n. 62. p. 242

Angelorum ſolicitudine diffugiunt ſæpiſſimè aduerſa, & aſciſcuntur felicia. c. 3. num. 90. toto §. p. 251

Felicitati ſuæ detraxit, quiſquis inuitantem occaſionem in tempus futurum miſit. cap. 4. n. 140. toto §. p. 361

Sanctorum conſortium magnum felicitatis præſagium, & magnum contra calamitates auxilium. c. 4. n. 215. toto §. p. 388

Deſpicabilis eſt, & à ſociorum numero diſpungendus, qui ſe ſubtraxit tempore laboris, & accurrit ſolùm felicitatis. c. 4. n. 224. toto §. p. 391

Florentes amicorum turba circumdat. cap. 4. n. 224. ibid.

Felicitas ſæpè in miſeriam tranſit. cap. 4. n. 241. p. 397

Sæpè calamitas fuit felicitatis initium. c. 6. n. 4. p. 499

Pietas erga parentes depellit infauſta, & affert fortunatiſſima. c. 6. n. 157. toto §. p. 553

Quod nos Deo reconciliat, felicitate, & ſalute donat. c. 6. n. 214. toto §. p. 571

Numquam deeſt, qui felicitatis tempore aliquid ſugat; ſed deeſt, qui indigentiæ tempore impendat. c. 6. n. 260. toto §. p. 588

Fides.

Fidem homines venerantur. c. 1. n. 229. p. 80

Iuramentorum fides eſt religioſè ſeruanda, & ſemper fideliter cuſtodienda. c. 1. num. 303. toto §. p. 105

De fide publica reparatur, ſi quid à priuatis amittitur. c. 3. n. 218. toto § p. 296

Continentia eſt fidei teſtimonium. c. 4. n. 304. p. 420

Generis fidem mores faciunt. c. 6. n. 138. p. 546

Non eſt inconſultè cuique ſpiritui fides præſtanda; ſed diligentia adhibenda. c. 6. n. 167. toto §. p. 556

Fiducia.

Iuſti ita incerti ſunt, vt confidant, ita confidunt vt ob ſecuritatem non torpeant. c. 4. n. 109. toto §. p. 351

In

In Domino fiducia fructus producit & animo dulciſſimos, & etiam ſaluti commodos. c.6. n.110. toto §. p.537

Filius.

Filius inobediens pœnas ſibi aggerat.c.6.n.157. p.553

Sapientia filios iugulat. c.6.n.82.p.528

Stabilem procudit filiis fortunam,qui legis impleri exactè procurat formam. cap.4.n.187. toto §. p.378

Ancillarum filij ad malum procliues.c.3.n.50. p.238

Non ſemel nutriuntur filij à parentibus vltionis deſiderio,& inimicorum odio, c.3.n.25. toto §. p.229

Ex matribus facilè filiorum præuidetur ingenium & ex filiis maternum agnoſcitur inſtitum. c.3.n.48.toto §. p.237

Oppoſitum parentis exemplum filij condemnat delictum. c.2.n.165.toto §. p.197

Finis.

Quiſquis ſceleris ſedulè meditatur extrema, in virtutem exinceps non capiet arma. cap. 1. n.181. toto §. p.65

Fœmina.

Viget in fœminis ad perendum acutiſſimum ingenium,& mirum ſæpè artificium.c.1.n.245. toto §. p.85

Prudens fœmina omnem accuratè pudicitiæ vitabit notam; imò iniquæ etiam ſuſpicionis audaciam. c.4.n.95. toto §. p.346

Caſta fœmina nec amat,nec amatur. c.4. n.95. ibid.

Quæ non reſpuit videri, nequit à culpa excuſari. c.4. n.249. p.400

Quo quis degit in fœminæ conſortio ſecurior, eò mortem incurrere ſolet periculoſior. c.4. n.249. toto §. ibid.

Quæ obſequioſa à fœminis ſæpè exhibentur officia,inſidioſa probantur dona. c.4.n.270. toto §. p.409

Fœmina ad mendacium inuenitur exprompta, & ad fallendum parata. cap.4.n.288. toto §. p.415

Fœminæ pulchellæ aſpectus eſt honeſti vigoris faſcinum,virtutis delirium.c.4.n.294.toto §. p.417

De fœminæ aſpectu ſcintillæ in caſtitatem conflantur. c.4.n.296.ibid.

Fœminæ dum domi abſconditæ fugiunt oculos, & glorioſos potiuntur triumphos. c.4. n.317. toto §. p.425

Securè degit eius in domo vitium, ſi fœmina publicum non erubeſcat,nec miſcere colloquia cum viris fugiat. cap.5. n.15. toto §. p.436

Non ſemel fœminæ dum ad ſpeciem gratiùs blandiuntur, firmiuſque promittunt, fallere certius diſponunt. cap.5. num.157. toto §. p.487

Vitandus fœminarum aſpectus. c.5.n.157.ibid.

Fœneratio.

Turpis fœneratio eſt beneficium collatum recenſere. c.2. n.48. p.157

Fortitudo.

Milites ſolum de virtute fortes, de faſtu inueniuntur audaces. c.1.n.62.toto §.p.25

Contra fortunam fortitudine pugnandum.c.1. n.154. p.55

Securior degit fragilitas cauta ſolicitudine armata,quàm fortitudo,ſi deſtituta. c.1.n.373. toto §. p.130

Fortior videtur, qui humanas vincit inſidias, quàm qui diabolicas technas. cap.6. n.145. p.548

Fortuna.

Contra fortunam fortitudine pugnandum eſt. c.1.n.154.p.55

Suam apud ſæculum merita ſortiuntur etiam fortunam: aliquando remunerantur exiguo magna, & ampliſſimo præmio exigua. cap.1. n.365. toto §. p.127

Plures adſpirante fortuna obſcurantur abuſi quia odium ſibi conflant antiquæ obſcuræ ſortis nullatenus recordati. c.2.n.32. toto §. p.150

Ad fortunæ miſſilia ſinum expandimus. cap.2. n.215. p.214

Superuacuis fortunam ſatagimus obfirmare & felicitatem ſtabilire. c.3. n.107. p.258

Stabilem procudit filiis fortunam,qui legis impleri exactè procurat formam.c.4.num.187. toto §. p.378

Non eſt fortuna quæ cæcutiat; ſed nos cæcutimus dum arbitramur eſſe fortunam. cap. 4. n.232. p.394

Felix,qui de fortuna triumphat.c.5.n.56.p.451

Lætiorem Deus adducere fortunam intendit, dum in hac vita peccatum carpit. c.6. n.82. toto §. p.528

Fragilitas.

Securior degit fragilitas cauta ſolicitudine armata,quàm fortitudo, ſi deſtituta, c.1. n.373 toto §. p.130

Grandis Numinis fauor eſt peccandi occaſiones arcere: nam ſi occaſio inuitet, fragilitas humana non rarò corruet. cap.2. n.57. toto §. p.161

Frons.

Frons populo conueniat. c.4.n.211.p.386

Fructus.

Miſerum eſt laborum priuari fructibus,& diuexari laboribus. c.1.n.154.toto §.p.55

Concionatorem nobilitant non ſubtilitatis ingeniique plauſus; ſed pœnitentiæ in auditoribus fructus. c.2.n.76. toto §. p.167

Creſcit peccandi reatus,quando nullus peccandi fructus. c.2.n.161. toto §. p.195

Fructus prodit auctorem. c.3.n.48. p.237

Non minus aliquando virtutis fructus deperdit elationis ſuperbia, quàm libidinis ſpurcitia. c.6.n.48. toto §. p.515

Fuga.

Bello fugere ferè ſemper inglorium, ſtrenuo viro vincere,aut cadere dignum. c.1.n.186. toto §. p.65

Furari.

Iniurioſum eſt rapto viuere. c.6. n.67. p.522

Furor.

Cum furore percitis leniùs agendum.c.3.n.219. p.296

Furor armatus vt defendat voluptatem, oppugnare ſolet virtutem. c.6. n.16. p.505

G

Gaudium.

IVſti internis gaudiis exultant pleni, etſi externo cortice ſordeſcant horridi: iniqui intus marceſcunt horridi, exteriùs reſplendente

Digitized by Google

fulgidi. c. 1. n. 332. toto §. p. 116

Solus gaudet, qui imperat ſenſibus. c. 4. n. 59. p. 328

Generoſus.

Generoſus non ſolùm curat rogata concedere; ſed vota aggreditur vincere. c. 4. num. 278. toto §. p. 412

Genus.

Generis fidem mores faciunt. c. 6. n. 138. p. 546

Qui ſuo non proſpexit generi, à Deo electus non videtur ad triumphos reportandos, & aduerſarios terendos. c. 6. n. 260. toto §. p. 588

Gloria, Glorioſus.

Non diſſimili gloria fulget, qui ſanis doctrinis expugnat vitia, & qui hoſtilia armis euertit caſtra. c. 1. n. 74. toto §. p. 28

Aſciſcere gloriæ ſocium habetur ſemper diuinum, quærere laboris conſortem inuenitur humanum. c. 1. n. 118. toto §. p. 43

Ad recuperandam mundialem gloriam omnis dulceſcit moleſtia, cùm torpeat ad virtutem recuperandam ignauia. c. 4. n. 35. toto §. p. 316

Non ſemel exigua recula magnam obſcurauit gloriam, & impediuit æternam. c. 4. n. 120. toto §. p. 354

Qui à Deo eligitur, propriam ſpernit gloriam, vt à ſuis depuleret maculam. c. 4. num. 129. toto §. p. 357

Non ſemel gloriæ ambitio virtuti inſeruit, & ad magna facinora inducit. c. 4. n. 313. toto §. p. 423

Iuſti in aliorum factis ſolum intuentur glorioſa & neſciunt prorſus obſcura. c. 5. num. 29. toto §. p. 441

Gloriæ pars eſt virtuti quod patitur. c. 5. n. 34. p. 443

Facile ex glorioſis geſtis oritur elationis tinea, & ipſis eſt indecora parentibus nota. cap. 5. n. 101. toto §. p. 466

Gratia.

Laudabilis aſtutia obarmetur in culpam: quia impia ſagacitas obarmatur in gratiam. cap. 3. n 148. toto §. p. 271

Citiùs gratia Principum promeretur muneribus, quàm virtutibus. c. 3. n. 176 toto §. p. 281

Tunc cumulatè reſplendet triumphus, cùm obſequioſa humilique gratiarum actione, honoratur Deus. c. 5. n. 10. toto §. p. 435

Celeritatis promptitudiniſque beneficio putatur gratia, quod non ſemel exigebat iuſtitia. c. 5. n. 91. toto §. p. 463

Miniſtri ſanctitas ſacrificium commendat, & gratiam citiùs implorat. c. 6. n. 189. toto §. p. 563

Gratitudo.

Cùm ob exigua geſtiamus erga homines videri gratos, ob beneficia ingentia videri negligimus erga Deum ingratitudine obſcuros. c. 2. n. 29. toto §. p. 149

Elephas gratitudinis exemplum. c. 5. n. 10. p. 435

Gula.

Ventri deditus bruti ad inſtar eſt. c. 1. n. 170. p. 60

Culina fœdum patrimonij exitium. cap. 6. n. 11. p. 503

H

Habitatio.

VBi viget iuſtitia, ibi habitatio ſecura. cap. 3. n. 95. p. 253

Hiſtoricus.

Hiſtorici ferè ſemper viuentibus adulantur nec exactè veritati obſequuntur. c. 3. n. 67. toto §. p. 243

Homo.

Plus apud homines valet leuis defectus ad notam, quàm plurima virtus ad famam. cap. 1. n. 196. toto §. p. 69

Homines aliquando malitia dæmonem ad ſpeciem vincunt, quando ille fugit notitiam, cùm ipſi in malefactis oſtentent pompam. c. 1. n. 200. toto §. p. 71

Legis non ſemel iniuria homini ſeruatur promiſſum, cùm aliquando violetur nulla occaſione cogente Numini votum. cap. 1. n. 229. toto §. p. 80

Fidem homines venerantur. c. 1. n. 229. ibid.

Sic cæcutiunt homines vt ea ipſa quæ ſeueritas poſſet decreuiſſe ſupplicia, ſibi exambierint vt commoda. cap. 2. num. 53. toto §. pagina 159

Magis apud homines valent caduca, minus æterna. c. 2. n. 72. toto §. p. 166

Homines ad vitia ſemper propenſi, virtutes aliquando colunt adacti. c. 2. n. 211. toto §. p. 212

Hominibus pluris eſt vitium vtilitati coniunctum, quàm diuinum ſine humana vtilitate præceptum. c. 2. n. 215. toto §. p. 214

Ea eſt hominum amentia, vt in ipſis quærant ſecuritatem periculis, & commoda ſuſpirent in detrimentis. c. 3. n. 38. toto §. p. 234

Hiant homines ad venenum. c. 3. n. 43. p. 236

Nil homines diu colunt. c. 3. n. 111. p. 260

Vt aues laqueo, ſic homines capiuntur auro. c. 3. n. 161. p. 275

Natura humana, vt ſecretum inueſtigandi eſt auidiſſima, ſic effundendi percupida. cap. 3. n. 167. toto §. p. 278

Homo laudis auidus. c. 4. n. 313. p. 423. cap. 6. n. 141. p. 547

Quidquid Deo ſeruit, & homini prodeſt. c. 6. n. 106. toto §. p 535

Hominem dæmones luxuriæ voluptate ſubornant, vt ſemper captiuum ad plura delicta trahant. c. 6. n. 236. toto §. p. 578

Honor.

Honores ſolent mores ſæpè mutare. c. 1. n. 304. p. 106

Honor ſublimis de liberalitate cenſetur. cap. 2. n. 191. p. 205

Vnius honor multorum inueniri ſolet excidium. c. 4 n. 44. p. 319

Qui cæteris vtilior, eſt & honoratior. c. 4. n. 129. p. 357

Munera dignitate prædito oblata ſæpiſſimè inſidiæ probantur honori, & pericula dignitati. c. 4 n. 241. toto §. p. 397

Plus debet Numini, qui maiori lucet honore. c. 6. n. 134. p. 544

A magnatibus honorari calcar eſt ad tentanda egregia facinora, & de hoſtibus reportanda trophæa. c. 6. n. 141. p. 547

Dei honoris zelotypus vitij arma in virtutis vertet auxilia: quia non ſemel improbus virtutum auxilia in vitiorum conuertit arma. c. 6. n. 229. toto §. p. 575

Hoſtis.

Sibi hoſtis eſſe probatur, qui vires oratione non abſtulit inimico; nam oratio eſt calamitatis

mitatis depultrix, & fortunæ conciliatrix. c.3.n.107.toto §.p.258

Ad reportandos de hoſtibus triumphos plus ſæpè valent prudentis conſilia, quàm ferocientis militis arma. c.4.num.207.toto §. p.385

Sine Virginis ope hoſtis difficulter vincitur, eius auxilio facillimè ſuperatur. c.6.n.272. toto §.p.592

Humanitas.

Sæpè humanitas ſugillatur vt crimen. cap.6. n.243.p.581

Humilitas.

Vera humilitas honeſtæ altitudinis vena, improba ſuperbia abiectionis eſt officina cap.3. n.62. toto §. p.242

Vel eximiæ virtutes Dei vocem audienti humilitate vileſcunt. c.3.n.216.p.295

Non tam alta poſſidentes ſunt criminis tributarij, humiles de vitiis triumphant glorioſi. c.3 n.231. toto §.p.301

Non ſemel qui indignior, ſolet tumere ambitioſior, vt benemeritus lucere demiſſior. c.4. n.157. toto §. p.368

Virtute ornatior ſemper inuenitur humilior, deſtitutus dotibus intumeſcit ſemper ſuperbior. c.6.n.172.toto §.p.557

I

Iactantia.

SQualore nutritur aliquando iactantia.cap.6. n.128.p.543

Ianitor.

Conſcientia ianitores adhibuit.c.4.n.77.p.339

Idololatria.

Idololatria ſummum crimen.c.6.n.243.p.581

Ignauia.

Cunctis inuenitur ignauia vnius,virtus neglecta. c.1.n.2 p.3

Indecorum eſt virtute ab imbecillioribus vinci: nam illorum præſtantia ignauiæ ſemper eſt nota. c.4 n.71.toto §.p.338

Iuſti ita incerti ſunt vt confidant,ita confidunt, vt ob ſecuritatem non torpeant.cap.4.n.109. toto §. p.351

Poſt mortem viuunt ſtrenui, mortem ſuam anteceſſerunt ignaui. cap.1. num.170. toto §. p.60

Non ſemel morti proximus ignauo oculos tradit ſomno,qui euanido dicauit oblectamento. c.4.n.321. toto §. p.426

Ignorantia.

Vt inglorium eſt religioſis viris pietatem à ſæcularibus edoceri, ſic eſt glorioſum vel ad debellandam malitiam felici malitiæ ignoratione ductari. c.1.n.337.toto §.p.117

Ferè nulla in totum poſſunt latere ignorata: quia curioſitas ſemper intenta. c.1.n.365. toto §.p.127

Miſerum eſt non ſolum vitiis ſe tradere; ſed pugnare in vitia neſcire. cap.3.n.16. toto §. p.226

Magna calamitatis pars eſt cauſam ignorare, vt remedij illam ſcire cap.3.num.75.toto §. p.246

Imbecillus.

Sæpè à Reipublicæ potentioribus manat imbecillo calamitas,& miſerorum incommodo ſuorum ſolitant conſulere augmento. cap.1. n.381. toto §. p.134

Indecorum eſt virtute ab imbecillioribus vinci: nam illorum præſtantia ignauiæ ſemper eſt nota. c.4.n.71.toto §.p.338

Imitatio.

Praua niſi ad regulam non corriguntur. cap.1. n.24.p.12

Impatientia.

Calamitas de patientia ſæpe lenitur, de impatientia exaſperatur. cap.1.num.160. toto §. p.57

Impedimentum.

Sæpè cognati virtutis fuerunt impedimenta & religionis obſtacula. cap.6.num.243. toto §. p.581

Imperare.

Odium ſibi excitat, qui iuſtis reſultat imperiis. c.3. n.241. p.304

Vel ſeruis modeſtè imperandum eſt.c.4.n.153. p.367

Bene imperat, qui generaliter præſtare feſtinat. c.4.n.167.toto §. p.371

Impetus.

Vitiorum impetus difficillimè regitur.c.1.n.14. pag.8

Impoſſibile.

Amor etiam quæ cenſet impoſſibilia, ſolet expaueſcere detrimenta. c.5.num.171.toto §. p.491

Impotentia.

Eximia perfectio eſt perduci ad impotentiam ſceleris, vt cumulata malitia ad impotentiam honeſtæ actionis. c.2.num.176.toto §. p.200

Miſer ſubditorum ſtatus, ſi impetet truculenta ſæuitia,nec ſe valeat rueri impotentia.cap.4. n.227.toto §. p.392

Improbus.

Improbi ea arte ſe aliquando, ne deprehendantur, abſcondunt, vt inuenire nequeat induſtria, aut indagare prudentia. c.1.num.351. toto §.p.122

Improborum amicitia calamitatum eſt vena, nobilitatis nota, & criminis officina. cap.3. n.55. toto §. p.239

Improbus refugit mutuari conſilium. cap.4. n.157.p.368

Impuritas.

Impuritas repulſam patitur dignitatis. cap.3. n.61.p.241

Inanis.

Circa inania inſanimus. c.1.n.377.p.132

Incipientes.

Non ſemel Deus incipientibus omnia mollit, & poſteà rerum difficultates ad profectus conſummationem oſtendit. c.3.n.12.toto §. p.225

Inclinatio.

Cordatus ſuperior ſtudet ea præcipere, ad quæ ſubiectos faciliùs nouerit inclinari.c.1.n.214. toto §.p.75

Inconſtantia.

Nil homines diu colunt. c.3.n.111.p.260

Indigentia.

Semper deeſt qui indigentiæ tempore impendat, non qui felicitatis tempore aliquid fugat. c.6.n.260.toto §p.588

Indignus.

Non ſemel qui indignior, ſolet tumere ambitioſior,vt benemeritus lucere demiſſior. c.4. n.157.p.368

Index Rerum,

Indoles.
Fugere probrum bonæ indolis ſpecimen eſt. c.4. n.317. p.425
Indulgentia.
Qui blandus ſibi indulget, frequenter in alios durius deſæuit. c.1.n.204. toto §. p.72
Infamia.
Indecens videtur infami legi ſubiicere, ſi quis cognatos poſſit prouidenter extrahere. cap.1. n.273. toto §. p.95
Infauſtus.
Infauſta denunciandi prurita nonnulli anteuerunt tempora,& præſagiunt aliis ingrata. c.5. n.180. toto §. p.495
Infirmitas.
Salus vitiis indulget, infirma valetudo abſtinet. c.4. n.6. p.317
Infelix.
Non eſt infelix, qui ipſo adoleſcentiæ flore infirmitate præciditur; ſed qui hoſtili ferro obtruncatur. c.5.n.136.toto §. p.478
Ingenium.
Viget in fœminis ad petendum acutiſſimum ingenium, & mirum ſæpè artificium. cap.1. n.245. toto §. p.85
Mulieris ingenium auerſatur ſæpè poſſeſſa ſimulato ſæpè faſtidio,& vero acquirendi voto. c.1.n.249. toto §. p.87
Concionatorem nobilitant non ſubtilitatis ingeniique plauſus; ſed pœnitentiæ in auditoribus fructus. c.2.n.76. toto §. p.167
Idem color animo & ingenio. c.3.n.38. p.234
Ingenuus.
Ingenuo viro petere moleſtum, vt dilargiri iucundum. c.1.n.239. toto §. p.84
Vt ingenuo viro iucundum eſt liberaliter dilargiri, ita duriſſimum mendicare. c.4. n.274. toto §. p.410
Non eſt opus ingenuum graui obiurgatione corripere; ſed eſt ſatis admiſſos errores oſtendere. c.6. n.87. toto §. p.529
Ingratitudo.
Cùm ob exigua geſtiamus erga homines videri gratos, ob beneficia ingentia videri negligimus erga Deum ingratitudine obſcuros. c.2.n.29. toto §. p.549
Ingratitudo beneficentiæ exilium eſt. c.2.n.29. ibid.
Ingratitudo magnum crimen. c.6. n.10.p.503
Inimicus.
Non tam grande ambitioni ſupplicium eſt propriis commodis diſpoliari, quàm ipſis inimicos augeri. c.2.n.67. toto §. p.164
Non ſemel nutriuntur filij à parentibus vltionis deſiderio,& inimicorum odio. c.3.n.25. toto §. p.229
Plus deterendis Chriſti inimicis valet ſimplicitas ſapientia deſtituta, quam ſapientia ſimplicitate priuata. c.3.n.236.toto §.p.302
Sæpè nihil intereſt inter amicorum vota,& inimicorum ſtudia. c.4.n.241. p.397
Etſi aliquando inimicus indulgeat, non erit ad vtilitatis commodum; ſed ad doloris augmentum. c.5.n.161.toto §.p.488
Aliquando blandus inimicus pro amico venit. c.6. n.167. p.556
Iniquus.
Iniqui intus marceſcunt horridi, exterius reſplendent fulgidi: iuſti internis gaudiis exultant pleni, etſi externo cortice ſordeſcant horridi. c.1.n.332.toto §. p.116
Initium.
Sæpe calamitas fuit felicitatis initium, c.6.n.4. p.499
Iniuria.
Diuino zelo inflammatus, vt patienter in ſe tolerare diſcit offenſam, ſic in Deum vendicare geſtit iniuriam. c.3.n.154.toto §. p.272
Non ſemel grauiorem ſuſtinet iram irrogata ſacris locis irreuerentia, quàm ipſi Numini illata iniuria. c.3. n.180. toto §. p.283
Faſtoſa magnorum potentia, grandi inualidorum ſæpè innutritur iniuria. c.5.n.60.toto §. p.453
Sic iniurias altari temploque illatas diuina vindicta vlciſcitur, vt ſi diſſimulet, diuinitate quodammodò exaugurari putetur. c.6.n.147. toto §. p.582
Iniuſtitia.
Potentia ſemper de iniuſtitia ſuſpecta eſt. c.2. n.40. p.154
Innouare.
Veterum facta innouanda. cap.5. n.45. toto §. p.446
Inopia.
Non exigua ſubiectis calamitas denuntiatur dum ſuperior inops ad pompam dignitatis eligitur. c.5.n.96. toto §. p.464
Inſidiæ.
Munera dignitate prædito oblata ſæpiſſimè inſidiæ probantur honori,& pericula dignitati. c.4.n.241. toto §. p.416
Quæ obſequioſa à fœminis ſæpè exhibentur officia, inſidioſa probantur dona. c.4.n.270. toto §. p.409
Fortior videtur qui humanas vincit inſidias, quam qui diabolicas technas. c.6. num.145. p.548
Inſtrumentum.
Sæpè Deus inſtrumentis parum ad ſpeciem aptis mundi confundit ſapientiam, & ſuam oſtentat miris operibus efficaciam. c.3. num.133. toto §. p.266
Inuenire.
Nunquam inuenitur, quod per viam ſuam non quæritur. c.1. n.234. toto §. p.82
Inuidia.
Deterior eſt inuidus, quàm à dæmone inhabitatus. c.1.n.167.p.59
Magnus inuidia non tangitur. c.6.n.8.p.504
Proxima eſt prouectibus ſemper inuidia. cap.6. n.224. p.574
Ira.
Grauius ferè ſemper iraſcitur, qui contra propoſitum commouetur. cap.2.n.172. toto §. p.599
Non ſemel grauiorem Numinis ſuſtinet iram irrogata ſacris locis irreuerentia, quàm ipſi Numini illata iniuria. c.3.n.180 toto §.p.283
Vt Numinis fugiatur ira, vel maxima ſalutis amplectenda ſunt detrimenta. cap.5.n.139. toto §. p.480
Luxuria iracundiæ eſt mater. c.6. n.3. p.499
Iter.
Vitia non ſolùm deterenda; ſed ad illa etiam itinera præoccupanda. c.3.num.277. toto §. p.299
Tutius per plana itur. c.3.n.231.p.301
Iudicium.
Non ſunt vera iudicia, quæ timiditate, aut ambitione

Digitized by Google

bitione non libera. c.3.n.67.p 243

Iugum.

Qui nimis duris prægrauatur tributis opportunam occaſionem nactus iugum rumpet,& in prægrauantem ardebit. cap.4.n.266. toto §. p.407

Iuramentum.

Iuramentorum fides eſt religioſè ſeruanda, & ſemper fideliter cuſtodienda. c.1.num.303. toto §. p.105

Iuſtitia.

Vbi viget iuſtitia,ibi habitatio ſecura.c.3.n.95 p.253

Plures iuſtitiæ ſeueritatem commendant,ſi culpa puniatur aliena,abrodunt ſi pœnas dederit propria. c.1.n.143.toto §.p.51

Celeritatis promptitudiniſque beneficio putatur gratia, quod non ſemel exigebat iuſtitia. c.5.n.91. toto §. p.463

Cui iuſtitia committitur, malis moribus non grauetur. c.6.n.14.p.504

Iuſtus.

Etſi iuſtorum multiplici calamitatum genere erudiuerit vitam, poſt mortem Deus, nominis curat ſtudioſiſſimè famam.c.1.num.228. toto §. p.114

Iuſti internis gaudiis exultant pleni, etſi externo cortice ſordeſcant horridi; iniqui intus marceſcunt horridi,exteriùs reſplendent fulgidi. c.1.n.332. toto §. p.116

Iuſtorum mors euaneſcit in vmbram, iniquorum vita in veræ mortis tranſit ſubſtantiam. c.2. n.146. toto §. p.190

Iuſti ita incerti ſunt,vt confidant,ita confidunt, vt ob ſecuritatem non torpeant, c.4.n.109. toto §. p.351

Iuſti in aliorum factis ſolum intuentur glorioſa,& neſciunt prorſus obſcura. c.5.num.29. toto §. p.441

Imprudenter ſibi parat excidia, qui molitur iuſtis aduerſa. c.5.n.48.toto §.p.448

Curet iuſtus in ſemine crimen delere,vt dæmonis nequitia ſummo ſtudio curat virtutis ſemina opprimere. c.6. n.62. toto §. p.520

Non ſemel Deo charis acerba contingunt. c.6. n.259. p.587

Iuuentus.

Iuuentus mollis eſt. c 5. n.152. p.485

Magna Reipublicæ ſalus maturis,prudentibuſque hominibus gubernari: grande naufragium ab immaturis,& iuuenibus regi.cap.2. n.157. toto §. p.194

L

Labor.

QVærere laboris conſortem inuenitur humanum, aſciſcere gloriæ ſocium habetur ſemper diuinum. c.1.n.118.toto §.p.43

Miſerum eſt laborum priuari fructibus,& diuexari laboribus. c.1.n.148. toto §.p.53

Ingens beneficium à laboribus vitæque periculis liberari; ſed grandius à culparum labibus expediri c.2.n.35. toto §. p.152

A Deo electus ſuperior proprio labore ſubiectorum procurat commoda; imò aliquando ſuo illorum arcet pericula.c.3.n.218.toto § p.296

Senſus volaticis oblectationibus fallit, & duriſſimis laboribus terit.c.4.n.39.toto §.p.328

Facilè peccatores amittunt vel venti flatibus, quod magnis ſibi compara uere laboribus. c.4.n.54. toto §. p.333

Deſpicabilis eſt,& à ſociorum numero diſpungendus, qui ſe ſubtraxit tempore laboris, & accurrit ſolum felicitatis. c.4. n.224. toto §. p.391

Verum robur labore colligitur.c.4.n.325.p.428

Pro virtute labor etſi aliquando periculum afferat, ſolum eſt ad plauſum, cùm careat diſcrimine ad detrimentũ.c.5.n.34.toto §.p 443

Animus eruditur ad labores patientia. cap. 5. n.147. p.483

Lachryma.

Ad repellendam calamitatem minus valet vel ſtrictiſſimum naturæ vinculum,quàm ſuſpiriorum ac lachrymarum ſuffragium. c.2.n.83. toto §. p.169

Læſio.

Læſio permittitur, cùm medicina differtur. c.2. n.108. toto §. p.177

Lapſus.

Laudem meretur curſus, etſi aliquando acciderit lapſus. c.3.n.255.p.309

Qui elabitur à perfectionis faſtigio, demergi ſolet grandi vitiorum naufragio. c.4. n.19. toto §. p.321

Laqueus.

Vt aues laqueo, ſic homines capiuntur auro. c.3.n.161.p.275

Laſciuus.

Lenones & laſciui ab exercitibus expungendi. c.3. n.95. p.253

Nulla eſt perſpicacia,quam quid non poſſit latere,& eius curioſitatem fruſtrari.c.1.n.347. toto §. p.121

Ferè nulla in totum poſſunt latere ignorata:quia curioſitas ſemper intenta. c.1. n.365. toto §. p.127

Laus.

Laude adæquè videtur dignum pœnis malos afficere,& templa muneribus exornare. cap.1. n.124. p.45

Magnus virtutis ſtimulus laus parentum.cap.2. n.165.p.197

Sæpè laudantur amiſſa in præſentium contumeliam. c.3.n.204.p.291

Laudem meretur curſus, etſi aliquando acciderit lapſus. c.3.n.255.p.309

Grande compendium laudibus ſucceſſiſſe maiorum. c.4.n.3.p.314

Laudabilia ſæpè ſordeſcunt, ni congrua ſede potiantur. c.4.n. 105.toto §. p.349

Homo laudis auidus. c.4. num.313. p.423.c.6. n.141.p.547

Nonnulli opportunè importunéque ſuas ſuorumque laudes interſerunt, & facinora produnt. c.5.n.111.toto §.p.469

Qui laude inuenitur dignus, nunquam alienæ laudis inuenitur auarus. c.5.n.115. p.471

Non minus laude eſt dignus,qui ſcriptis mores informat,ac qui aduerſarios fortiter pugnando debellat. c.5.n.123.toto §. p.474

Sapiens conſulit conſcientiam laudatus,ne delinquat laudatione ſuperbus. c.6.num.172. toto §. p.557

Perpetua fruitur laude, cui eſt honor in nomine. c 6.n.250.p.584

Lectio.

Peccatis occaſio tollitur,ſi otium lectione vtili reſe

reſecatur. c.3.n.214. p.294

Lenitas.

Leniùs non ſemel curandum eſt, dum actiùs deſæuit vitium, ne auxilietur irritatione remedium. c.2.n.12. toto §. p.142

Cum furore percitis leniùs agendum.c.3.n.219. p.297

Qui ſibi lenis,inuenitur cæteris aſper & è contra. c.3.n.224.p.299

Prudens ſuperior aliquando diſtrictionis vtatur gladio,aliquando leuiori ad virtutem incitatur ſtimulo. c.3.n.241. toto §.p.304

Lenis patientia diſtrictionem præcedat. cap.4. n.59. p.334

Leno.

Lenones & laſciui ab exercitibus expungendi. c.3.n.95.p.253

Lex.

Lex tranquillitatis eſt vita. c.1.n.143.p.51

Indecens videtur infami legi ſubiicere,ſiquis cognatos poſſit prouidenter extrahere.cap.1. n.272 toto §. p.95

Pro lege & ſalute ſuorum laborat ſuperior auaritia non pollutus; legi verò refragatur infectus. c.2.n.152.toto §.p.192

Legis defenſor,ſi illam temeret, grauiùs delinquit. c.3.n.224.p. 299

Stabilem procudit filiis fortunam,qui legis impleri exactè procurat formam.c.4.num.187. toto §. p.378

Principis ſolus dicendus eſt proprius, qui legibus probatur eſſe tranquillus c.4.num.15. p.320

Liberalitas.

Deus parcus eſt in beneficiis collatis recenſendis,largiſſimus in præſtandis. c.2.num.48. toto §. p.157

Honor ſublimis de liberalitate cenſetur. cap.2. n.191.p.205

Ingenuo viro petere moleſtum, vt dilargiri iucundum. c.1.n.239.toto §. p.84

Vt ingenuo viro iucundum eſt liberaliter dilargiri,ita duriſſimum mendicare.c.4.n.274. toto §. p.410

Libertas.

Sic nonnulli deſipiunt criminum famulatui addicti,vt libertatem repudient, & ſeruitutem anhelent. c.2.n.201.toto §. p.209

Contemptus corporis vera libertas eſt.c.4.n.43. p.329

Libido.

Libido regnorum depopulatrix, ac dedecoris eſt nutrix. c.3.n.57. toto §. p.240

Libido captiuitatis præſagium. c.3.n.57.ibid.

Criminum ſtimulus eſt libido. c.4.num.297. p.418

Non minus aliquando virtutis fructus deperdit elationis ſuperbia, quàm libidinis ſpurcitia. c.6.n.48. toto §. p.515

Libido omnia deuorat. c.6.n.48. ibid.

Lingua.

Omnia bona cumulat lingua diſerta. c.4.n.133. p.359

Locus.

Ægrè patitur Deus dicatum ſibi locum culpis infici,aut vel alieno crimine maculari. cap.3. n.171. toto § p 279

Non ſemel grauiorem Numinis ſuſtinet iram irrogata ſacris locis irreuerentia, quam ipſi Numini illata iniuria.c.3.n.180.toto §.p.283

Ardorem ſæpè inſpirant contra peccata, dum ſacra inuiſuntur loca.c.3.n.185.toto §.p.284

Vt nullus eſt locus, in quo vitium non aggrediatur virtutem, nullus etiam ſit, in quo virtus non aggrediatur improbitatem. cap. 3. n.209.toto §. p.293

Laudabilia ſæpe ſordeſcunt, ni congrua ſede potiantur. c.4.n.115. toto §. p.353

Loquacitas, Loqui.

Natura humana vt ſecretum inueſtigandi eſt auidiſſima, ſic effundendi percupida. cap.3. n.167. toto §. p.278

Aliqui bona; ſed non benè dicunt. c.6. n.130. p.543

Lucrum.

Nulli tuto ſecretum committitur, præcipuè ſi gratia aut lucrum de proditione ſperatur.c.3. n.162. toto §. p.276

Ludibrium.

Exaggeratior calamitas ludibrio haberi, & aduerſariorum furori tradi. c.2. n.181. toto §. p.202

Lux.

Ad lucem omnia examinantur.c.6.n.150.p.550

Luxuria.

Luxuria iracundiæ eſt mater. c.6.n.3. p.499

Hominem dæmones luxuriæ voluptate ſubornant, vt ſemper captiuum ad plura delicta trahant. c.6. n.236. toto §. p.578

M

Macula.

QVi à Deo eligitur, propriam ſpernit gloriam, vt à ſuis depulerit maculam. c.4. n.129.toto §.p.357

Magiſter, Magiſterium.

Optima politice, vbi non diſtribuit magiſteria pro libito affectus; ſed ſudor cathedrarum acquirit gradus. c.1.n.263. toto §. p.92

Ille præ aliis veritatis ac virtutis magiſter eſt deligendus,qui triumphis & virtutibus emicat laureatus. c.1.n.288.toto §.p.100

Magnanimus.

Magnanimi eſt mediocria malle, quàm nimia. c.3.n.62.p.142

Magnates, Magnus.

Indecorum prorſus eſt magna minimis obſcurare, & leui errore glorioſè patrata perdere. c.1.n.309.p.107

Primum Magnatum debet eſſe ſtudium incorruptum & ſapientem ſibi deligere conſiliarium. c.4.n.202.toto §.p.383

Magnus inuidia non tangitur. c 6.n.8. p.501

A magnatibus honorari calcar eſt ad tentanda egregia facinora, & de hoſtibus reportanda trophæa. c.6.n.141.toto §.p.547

Maieſtas.

Decet maieſtatem per ſeipſam remunerare, & per alios decet punire.c.4.n.24.toto §.p.323

Maiores.

Glorioſos maiorum conſeruant titulos virtute ſimiles,amittunt degeneres. c.1.n.47.toto §. p. 20

Durius eſt ibi extremis adurgeri miſeriis, vbi lautis maiores exundauere diuitiis c.3.n.71. toto §. p.245

Grande compendium laudibus ſucceſſiſſe maiorum. c.4. n.3. p.314

Non ſemel vt maiorum obſeruentur conſilia,

diuina contemnuntur præcepta. cap.5. n.45. toto §. p.446
Olim maiorum beneficentia ornabat ſubiectos. c.5.n.60.p.453

Mala.

Glorioſius eſt Principi appetentia mala impedire, quàm iam experta repellere. c.3.n.251. toto §. p.308

Malitia, Malus.

Laude adæquè videtur dignum pœnis malos afficere, & templa muneribus exornare. cap.1. n.124. toto §. p.45
Homines aliquando malitia dæmonem ad ſpeciem vincunt, quando ille fugit notitiam, cùm ipſi in malefactis oſtentent pompam. c.1.n.200. toto §. p.71
Vt inglorium eſt religioſis viris pietatem à ſæcularibus edoceri, ſic eſt glorioſum vel ad debellandam malitiam felici malitiæ ignoratione ductari. c.1. n.337. toto §. p.117
Cumulata malitia eſt perduci ad impotentiam honeſtæ actionis, vt eximia perfectio ad impotentiam ſceleris. c.2.n.176.toto §.p.200
Duriſſima probatur malitia, quam nulla potuit corrigere pœna. c.2.n.186.toto §.p.204
In eam peccatores deuenerunt ſæpius amentiam, vt mala ſua non ſolùm noluerint fugere, ſed ambitioſè ſuſpirauerint æternare. c.3. n.29.toto §. p.231
Quod ſæpè in ſeipſam detrimentum imprudens architectata eſt malitia, vertit in commodum prouidentia. c.3.n.33.toto §. p.233

Manus.

Frequentiſſimum eſt aulicis vulnus infligere, & manum prorſus abſcondere. c.3. num.143. toto §. p.269
Manum admoueat operi, qui ſubiectos cupit parere virtuti. c.3. n.222. toto §. p.297
Aureum eſt ſæculum, ſi præfecti manus contineant. c.5 n.96. p.464

Maria.

Facillimo negotio Virginis ope adipiſcitur, quod alias nec magnis laboribus obtinetur. c.4.n.309. toto §. p.422
Maria ſanctiſſima inuiſo ſæculis triumpho de originali reſplenduit, & eximiis ſemper gratiæ prærogatiuis emicuit. cap.5.n.80.toto §. p.459
Maria infauſtum dæmoni fatum eſt: citiùs aliquando perit vel cum eius vmbra præliatus, quam cum ipſa omnipotentia congreſſus. c.5.n.143.toto §.p.482
Salus per Mariam velociſſima. c.5.n.143.ibid.
Dæmon Virginem non tentauit. cap.5.n.146. p.483
Maria vti Dei mater ſpeciali ſemper priuilegio refulget, & creaturas reliquas honoribus antecedit. c.6.n.268.toto §.p.591
Maria omnem carnis labem ignorat. c.6.n.268. ibid.
Sine Virginis ope hoſtis difficulter vincitur, eius auxilio facillimè debellatur. c.6.n 272. toto §. p.592
Maria virga Moyſis. c.6.n.273.p.593

Maritata.

Non carent maritatæ glorioſo triumpho, ſi vt fas eſt, inſeruierint matrimonio. c.4. n.304. toto §. p.420

Maturitas.

Nimia fœcunditas ad maturitatem non peruenit. c.3.n.62. p.242

Mater.

Ex matribus facilè filiorum præuidetur ingenium, & ex filiis maternum agnoſcitur inſtitutum. c.3.n.48.toto §. p.237
Matres ſunt media pars liberorum. cap.3.n.48. ibid.

Matrimonium.

Non carent maritatæ glorioſo triumpho, ſi vt fas eſt, inſeruierint matrimonio. c.4. n.304. toto §. p.420

Medicina.

Pernicioſa eſt immatura medicina. cap.2.n.12. p.142
Superioris reſplendet plurimum excellentia, dum animi morbos ſanat faciliori medicina. c.2.n.63. toto §.p.162
Læſio permittitur, cùm medicina differtur. c.2. n.108.p.177
Oratio non ſolùm eſt criminum medela; ſed etiam calamitatum temporalium eſt medicina. c.3.n.99. toto §. p.255

Mendacium, Mendax.

Patet facilior mendaci ad Principem aliquando aditus, veridico eſt difficilior acceſſus. cap.3. n.204. toto §. p.291
Fœmina ad mendacium inuenitur exprompta, & ad fallendum parata. cap.4.n.288.toto §. p.344
Mendaces calamitatum ſunt architecti. cap.4. n.288. ibid.

Mendicare.

Vt ingenuo viro iucundum eſt liberaliter dilargiri, ita duriſſimum mendicare. c.4. n.274. toto §. p.410

Merces.

Vitia mercede ſolicitant. c.3.n.116.p.261

Meritum.

Illos tangere minus ſolet ambitionis pruritus, quibus maior meritorum ornatus. c.1.n.89. toto §. p.33
Antiquorum merita non ſuſtentant. c.1.n.303. p.105
Suam apud ſæculum merita ſortiuntur etiam fortunam: aliquando remunerantur exiguo magna, & ampliſſimo præmio exigua. cap.1. n.356.toto §. p 124
Apud bonum Principem minus valent conſanguinitatis iura, plus virtutum merita. cap.4. n.15.toto §. p.310
Artificium promerendi eſt morigerè ſubiici. c.4. n.59. p.334
Electio de meritis venit. c.4. n.85. p.343. c.6. n.268.p.591
Creſcere debet in illo meritum, qui ad illuſtrius promouetur officium. c.4.n.197.toto §.p.382

Metus.

Temperantiæ neruus eſt metus. cap.2. n.186. p.204

Michaël.

Michaël Balaamo obuiat armatus. cap.3.n.228. p.300

Miles, Militia.

Redditum militari virtuti præmium ingens eſt ad militarem virtutem accendendam motiuum. c.1.n.34.toto § p.15
Milites ſolùm de virtute fortes, de faſtu inueniuntur audaces. c.1.n.61.toto §. p.25
Muri ciuitatis milites. c.1. n.73. p.28
Plurimum debemus militibus, per quos nobis
contin

Digitized by Google

contingit otium, & certaminis ignoramus periculum c.1.n.84.toto §. p.31
Bello fugere ferè ſemper inglorium ſtrenuo viro vincere aut cadere dignum. cap.1.n.186. toto §. p.65
Validius animoſiuſque ibi pugnatur, vbi virtus militiáque remunerata videtur. cap.4.n.177. toto §. p.374
Ad reportandos de hoſtibus triumphos plus ſæpè valent prudentis conſilia, quàm ferocientis militis arma. c.4.n.207.toto §.p.385
Militia ſi rectè geritur, felicitatis eſt vena, & ſalutis officina. c.3.n.7. toto §. p.223

Minimus.

Indecorum prorſus eſt magna minimis obſcurare, & leui errore glorioſè patrata perdere. c.1.n.309.toto §.p.107

Miniſter.

Vitio aliquando miniſtris vertitur ambientium non expedire negotia, cùm ambitores ipſi extiterint ſibi obſtacula. c.1. n.255. toto §. p.89
Sumptuoſior miniſtrorum pompa non indubia eſt ſubiectorum miſeria. cap.4. n.44. toto §. p.329
Miniſtri turbam candidatorum ad ſpectaculum trahunt. c.6. n.9. p.502
Miniſtri ſanctitas ſacrificium commendat, & gratiam citiùs implorat. cap.6.n.189.toto §. p.563

Miraculum.

Miraculum eſt Principes veritatem gratis oculis aſpexiſſe. c.3.n.208.p.293

Miſer, Miſeria.

Quæ quis honeſtè egit in vita ad miſerorum auxilium, æternum potitur in morte elogium. c.2. n.117. toto §. p.180
Miſer eſt nimiùm felix. c.3.n.20. p.228
Durius eſt ibi extremis adurgeri miſeriis, vbi lautis maiores exundauere diuitiis. c.3.n.71. toto §. p.245
Sumptuoſior miniſtrorum pompa non indubia eſt ſubiectorum miſeria. c 4.num.44.toto §. p.329
Non adeò reſplendet dignitas de adſtantium pompa, vt de leuata calamitoſi miſeria. cap.4. n.104. toto §. p.349
Miſer ſubditorum ſtatus, ſi impetet truculenta ſæuitia, nec ſe valeat tueri impotentia. cap.4. n.227. toto §. p.392
Felicitas ſæpè in miſeriam tranſit. cap.4.n.241. p.397
Nonnulli ſunt ante tempus miſeri. c.5. n.183. p.496

Miſſilia.

Ad fortunæ miſſilia ſinum expandimus. cap.2. n.215. p.214

Modeſtia.

Sacerdos modeſtiæ exemplar. c.3.n.180.p.283
Qui ingreditur templum, modeſtiæ vultu proferat teſtimonium. c.6.n.247.p.582

Modus.

Nunquam ſeruant perniciosa modum. c.1.n.14. pag.8

Modeſtia.

Ad recuperandam mundialem gloriam omnis dulcefcit moleſtia, cùm torpeat ad virtutem recuperandam ignauia. c.4.n.35.toto §.p.326

Molles.

Molles ſuppliciis ſeruantur. c.4.n.191.p.380

Monimentum.

Diſcat virtutis amator à peſſimis vitiorum omnia abolere veſtigia, vt illi virtutum deterunt monimenta. c.3.n.195. toto §. p.288

Mora.

Vehemens deſiderium moras non ſuſtinet, ſed in opus prodire geſtat. c.4.n.299.toto §.p.418

Morbus.

Superioris reſplendet plurimum excellentia, dum animi morbos ſanat faciliori medicina. c.2.n.63.toto §. p.162

Mores.

Aulici de moribus noti. c.1.n.276. p.96
Honores ſolent mores ſæpè mutare. c.1.n.304. p.106
Ea mortales premit cæcitas & ambitio, vt non tam curent vitam moribus excolere, quàm gloriam nominis æternare. c.1.n.377.toto §. p.132
Ea morum puritate Sacerdos niteat, ſi aliis cupit vtilem inſpirare doctrinam, vt naturam oculis repræſentet Angelicam. c.2.num.20. toto §. p.145
Pudicitia eſt flos morum. c.4.n.89. p.344
Periculum ſibi ſolicitat, qui peſtiferis moribus ardentibus proximat. c.4.n.144.p.363
Vita inter bonos & publicos mores temperanda eſt. c.4.n.237. p.396
Non minus laude eſt dignus, qui ſcriptis mores informat, ac qui aduerſarios fortiter pugnando debellat. c.5.n.123 p.474
Cui iuſtitia committitur, malis moribus non grauetur. c.6.n.14.p.504
Ea eſt indubia nobilitas, quæ moribus probatur ornata. c.6. n 138. p.546
Generis fidem mores faciunt. ibid.
De glorioſa familia natus, moribus debet eſſe ſemper excultus. c.6.n.268.p.591

Mors.

Poſt mortem viuunt ſtrenui, mortem ſuam anteceſſerunt ignaui. c.1.n.170.toto §. p.60
Grauius ipſa morte lentum ac diuturnum tormentum. c.1.n.209. toto §. p.74
Prudens ſolùm de morte cogitat, dum finis appetit, quantumuis ad dignitates aſcitus; imprudens dignitates ſuſpirat, etiam in ipſo occaſu ambitioſus. c.1.n.259.toto §.p.90
Iuſtorum mors euaneſcit in vmbram, iniquorum vita in veræ mortis tranſit ſubſtantiam. c.2 n.146.toto §. p.190
Quò quis degit in fœminæ conſortio ſecurior, eò mortem incurrere ſolet periculoſior. c.4. n.249. toto §.p.400
Non ſemel morti proximus ignauo oculos tradit ſomno, qui euanido dicauit oblectamento. c.4. n.321. toto §. p.426
Nil mali patitur, qui mortem contemnit. c.6. n.18. p.506

Mortificatio.

Sapientia non tam eſt prolixæ ſpeculationis fructus, quàm virtutis, mortificationiſque partus. c.1.n.234. toto §. p.82
Vitiorum arma parum valent in corporis afflictatione munitos, & aſperitate obarmatos. c.5.n.147.toto §. p.483
Superior facilè ad virtutem ſubiectos trahit & interna puritate nitens, & externa mortificatione pallens. c.6 n.128. toto §. p.543

Motus.

Noſter animus in motu eſt. c.4. n.299. p.418

Digitized by Google

Mulcta.
Magnum Dei beneficium eſt ſi peccatum ſequatur pœna, nec in longa differatur ſæcula mulcta. c.2.n.88. toto §. p.171
Mulier.
Mulieris ingenium auerſatur ſæpè poſſeſſa ſimulato faſtidio,& vero acquirendi voto. c.1. n.249. toto §. p.87
Mulier diabolo callidior. c.4.n.270. p.409
Mulier vt ſerpens fugienda. c.5.n.157. p.487
Monſtroſa conſilia mulieres concipiunt. cap.5. n.157. ibid.
Munditia.
Templa nimis munditia decet. c.3.n.172. p.280
Mundus.
Non poteſt mundus ſine Numine ſtare. cap.3. n.90. p.251
Munus.
Diuinæ electionis eſt in optimi prædeceſſoris locum ſufficere, qui dignis poſſit munus actionibus adimplere. c.1.n.28. toto §. p.13
Optimus Reipublicæ adminiſter ſtudioſiùs curat munus implere, quàm ſibi plauſum, aut commodum elucrari. c.1.n.113. toto §. p.41
Sit aliquando munus vitij venenum, virtutis auxilium, cùm ſæpè criminis auxilium, & virtutis fuerit venenum. c.3. n.158. toto §. p.274
Citiùs gratia Principum promeretur muneribus, quàm virtutibus. c.3.n.176. toto §. p.281
Munera dignitate prædito oblata ſæpiſſimè inſidiæ probantur honori,& pericula dignitati. c.4.n.241. toto §. p.397
Munus eſt videre Principem. c.5. n.139. p.480
Murus.
Muri ciuitatis milites. c.1.n.73. p.28
Virtus pro muro eſt. ibidem.

N

Negotium.
Vitio aliquando vertitur ambientium non expedire negotia, cùm ambitores ipſi excitetint ſibi obſtacula. c.1.n.255. toto §. p.89
Vt opportunum temporalibus negotiis tempus vana ſuperſtitione ſeruatur, ita virtuti religioſa ſuperſtitione obſeruetur. cap.4.n.231. toto §. p.394
Nimius.
Magnanimi eſt mediocria malle, quàm nimia. c.3.n.62. p.242
Nimia fœcunditas ad maturitatem non peruenit. c.3.n.62. ibid.
Nobilis, Nobilitas.
Nobilis, ingenuuſque meliùs ad virtutem allicitur oſtenſo præmio, quàm intentato ſupplicio. c.1. n.148. toto §. p.53
Non adeò nobilis maiora ſibi impendi ſemper exambit officia, cùm nobilior non ſic magna requiſierit obſequia. cap. 1. n. 225. toto §. p.79
Improborum amicitia nobilitatis eſt nota. c.3. n.53. toto §. p.239
Vir bonus nobilis eſt. ibidem.
Ea ſolùm nobilitas apud Deum lucet ſplendida, quæ virtutibus probatur ornata. c.6.n.138. toto §. p.546
Generis fidem mores faciunt. c.6.n.138. ibid.
Illuſtriora ſunt nomina, quæ virtus excudit, quàm quæ vetuſtiſſimæ originis imperturbata ſeries ad poſteros deriuauit. c.6. n.250. toto §. p.584
De glorioſa familia natus moribus debet eſſe ſemper excultus. c.6.n.268 p.591
Nomen.
Ea mortales premit cæcitas & ambitio, vt non tam curent vitam moribus excolere, quàm gloriam nominis æternare. c.1.n.377. toto §. p.132
Honeſta ambitio eſt ſibi virtutibus nomen facere. c.1.n.377. ibid.
Vitia virtutum nomine obrepunt. c.4 n.49. p.331
Nomina dignitatis indicia. c.5. n.15. p.436
Illuſtriora ſunt nomina quæ virtus excudit, quàm quæ vetuſtiſſimæ originis imperturbata ſeries ad poſteros deriuauit. c.6. n.250. toto §. p.584
Perpetua fruitur laude, cui eſt honor in nomine. c.6. n.250. ibid.
Norma.
Norma doctrinæ eſt factis docere. c.2.num.23. p.146
Nota.
Plus apud homines valet leuis defectus ad notam, quam plurima virtus ad famam. cap.1. n.196. toto §. p.69
Prudens fœmina omnem accuratè pudicitiæ vitabit notam; imò iniquæ etiam ſuſpicionis audaciam. c.4. n.95. toto §. p.346
Facilè ſuſpicioni accedimus ad aliorum notam, cùm non ſic accedamus ad famam. c.6.n.275. toto §. p.594
Notitia.
Qui ſuperioris aſcendit faſtigium, non fidat tantum ſuæ electionis conſcientia; ſed ſatagat apud alios florere ſanctitatis notitia. c.6. n.257. toto §. p.586
Nouitas.
Laudabilis nouitas, quæ virtutem promouet,& vetuſtatem depellit. cap.5. num.75. toto §. p.458
Numen.
Non poteſt mundus ſine Numine ſtare. cap. 3. n.90. p.251
Nuntius.
Infauſta denuntiandi pruritu nonnulli anteuertunt tempora,& præſagiunt aliis ingrata. c.5. n.180. toto §. p.495
Nutrix.
Nutrix morata eſt eligenda. c.5.n.152. p.485

O

Obedientia.
Prudens ſuperior vitabit in præcipiendo quidquid ſuperbiæ redolet faſtum, ne exacerbarit contra obedientiam ſubiectum. c.4.n.152. toto §. p.366
Laudabilius eſt bellum pati honeſtè reſiſtendo, quà pace frui iniquis iuſſis obtemperando. c.5. n.85. toto §. p.461
Deo parere libertas eſt. c.6. n.162. p.554
Obedientia virtutum cumulus. c.6.n.214. p.571
Oblectamentum.
Non ſemel amicorum vxores fuerunt ſcandala, dum grato vultu miniſtrant oblectamenta. c.4.n.255. toto §. p.402
Non ſemel morti proximus ignauo oculos tradit ſomno, qui euanido dicauit oblectamento. c.4.n.321. toto §. p.426

Obliga

Obligatio.

Propriam vtilitatem obligationi præferens, qui in amicum recipiatur indignus; fidelis æſtimationem meretur etſi contrarius. c.1.n.361. toto §. p.126

Obſequium.

Dei ſeruis exhibitum obſequium, probatur Domino ſacrificium. c.6. n.193. toto §. p.564

Obſtaculum.

Non ſemel per tarditatis vitium incurrit obſtaculum, quod ſapienter conſtat fuiſſe diſpoſitum. c.4.n.182.toto §.p.376

Occaſio.

Grandis Numinis fauor eſt peccandi occaſiones arcere: nam ſi occaſio inuitet, fragilitas humana non rarò corruet. c.2.n.57.toto §.p.161

Mirabilius eſt occaſionem, quàm ignem vincere. c.2.n.57. ibid.

Peccatis occaſio tollitur, ſi otium lectione vtili reſecatur. c.3.n.214. p.294

Vigilantis eſt occaſionem obſeruare. c.3.n.242. p.305

Felicitati ſuæ detraxit quiſquis inuitantem occaſionem in tempus futurum miſit. c.4.n.140. toto §. p.361

Qui nimis duris prægrauatur tributis, opportunam occaſionem nactus iugum rumpet, & in prægrauantem ardebit. c.4.n.266. toto §. p.407

Nonnullis opportuna occaſio elabitur, dum prolixiùs quid faciendum ſit, conſulitur. c.5. n.119. toto §. p.472

Oculi.

Fœminæ dum domi abſconditæ fugiunt oculos, & glorioſos potiuntur triumphos. cap.4. n.317. toto §. p.425

Occupatio.

Perfecti etſi variis exteriùs ſint occupationibus implicati, precibus interiùs ac virtuti vacant adſcripti. c.1.n.18. toto §. p.10

Sapiens ſe occupationibus commodat, non tradit. c.1. n.18. ibid.

Odium, Odioſus.

Nonnulli odium ſibi conflant adſpirante fortuna abuſi: quia antiquæ obſcuræ ſortis nullatenus recordati. c.2. n.32. toto §. p.150

Odium ſibi excitat, qui iuſtis reſultat imperiis. c.3. n.241. p.304

Singularitas quia plurimis ſemper odioſa, quantum fas erit, à prudentibus ſemper fugienda. c.4 n.211. toto §. p.386

Offenſus.

Sibi ipſi probatur offenſior, qui inuenitur Numini durior. c.4. n.59. toto §. p.334

Officium.

Non adeò nobilis maiora ſibi impendi ſemper exambit officia, cùm nobilior non ſic magna requiſierit obſequia. c.1.n.225 toto §. p.79

Cognatis præ reliquis eſt exhibendum officium in his præcipuè quæ pertinent ad virtutis augmentum. c.1.n.278. toto §. p.97

Creſcere debet in illo meritum, qui ad illuſtrius promouetur officium. c.4.n.197.toto §.p.382

Quæ obſequioſa à fœminis, ſæpè exhibentur officia, inſidioſa probantur dona. c.4.n.270. toto §. p.409

Omnipotentia.

Contrariis non ſemel Deus diſpoſitionibus vtitur ad omnipotentiæ pompam, & ad homini ingerendam notitiam. c.6.n.199.toto §.p.566

Opera.

Omnia perficit pertinax opera. c.1.n.245.p.85

Opinio.

Opinionis ornamenta appetenda. c.5. n.111. p.469

Opportunus.

Vt opportunum temporalibus negotiis tempus vana ſuperſtitione ſeruatur, ita virtuti religioſa ſuperſtitione obſeruetur. c.4. n.232. toto §. p.394

Optimus.

Inter homines pro ſummo eſt optimus. cap.5. n.96. p.464

Opus.

Manum admoueat operi, qui ſubiectos cupit parere virtuti. c.3.n.222.toto §. p.297

Vehemens deſiderium moras non ſuſtinet; ſed in opus prodire geſtit. c.4.n.299.toto §.p.418

Oratio.

Cuiuſque oratio vitæ ſimilis eſt. c.2.n.25.p.147

Oratio non ſolùm eſt criminum medela; ſed etiam calamitatum temporalium eſt medicina. c.3.n.99. toto §. p.255

Oratio eſt Euangelij breuiarium. c.3.n.99.ibid.

Oratio eſt calamitatis depultrix, & fortunæ conciliatrix. c.3.n.107. toto §. p.258

Sæpè calamitas orationis eſt magiſterium, & virtutis aſylum. c.4.n.65.toto §.p.336

Studioſiſſima dæmones diligentia ſatagunt ad orationem viam impedire, & orationi tempora ſuffurari. c.5.n.64. toto §.p.454

Arma orationis ſemper victricia. c.5. n.64.ibid.

Oratio excellens hoſtia. c.6.n.4 p.499

Oratio multorum, pœnitentium præcipuè felicitatis eſt vena. c.6.n.79. toto §. p.526

Os.

Oris venuſtas habenti & adſpicienti periculoſa. c.4.n.149.p.400

Ornatus.

Principis ornatus ſubiectorum eſt gloria. cap.6. n.106.p.535

Ornamenta ſuſpecta ſunt. c.6.n.171. p.557

Otium.

Felicitas & otium fœcundi parentes criminis, & progenitores erroris. c.3.n.20. toto §. p.228

Peccatis occaſio tollitur, ſi otium lectione vtili reſecatur. c.3. n.214. p.294

P

Palatium.

EA ſolet eſſe aliquorum ambitio, vt domus familiæque contempſerint detrimenta, vt Principum, aut Magnatum frequentarint palatia. c.1.n.68. toto §. p.26

Parentes.

Felices poſteri, quibus parentum virtus aſciſcit auxilia, & generosè repudiata legauit præmia. c.1.n.325. toto §. p.112

Oppoſitum parentis exemplum filij condemnat delictum. c.2. n.165. toto §. p.197

Magnus virtutis ſtimulus laus parentum. cap.2. n.165. ibid.

Non ſemel nutriuntur filij à parentibus vltionis deſiderio, & inimicorum odio. c.3. n.25. toto §. p.229

Nonnulli parentes ſera educationis filiorum pœnitentia affliguntur. c.5. n.152. p.485

Parens publicus ſit benignus. c.6.n.4. p.499

Pietas erga parentes depellit infauſta, & affert fortuna

Digitized by Google

fortunatiſſima. c.6.n.157.toto §. p.553

Parſimonia.

Non indiget auro,qui viuit exiguo. c.2.n.152. p.192

Paſſio Domini.

Quæ in paſſione Domini charitatis flamma relucet, vel duriſſimos ad opera virtutis compellit. c.5. n.52.toto §. p.449

Chriſti Domini crux paſſioque Angelorum eſt requies, & quaſi feriatio ab anxia ſolicitudine. c.6.n.119.toto §. p.540

Pati.

Gloriæ pars eſt virtuti quod patitur. c.5. n.34. p.446

Patientia.

Calamitas de patientia ſæpè lenitur, de impatientia exaſperatur. c.1.n.160.toto §. p.57

Diuino zelo inflammatus,vt patienter in ſe tolerare diſcit offenſam, ſic in Deum vindicare geſtit iniuriam. c.3.n.154. toto §. p.272

Lenis patientia diſtrictionem præcedat. cap. 4. n.59. p.334

Vim facimus diuinæ patientiæ.c.4.n.62.p.335

Animus eruditur ad labores patientia.c.5.n.147. p.483

Spes radix patientiæ. c.6.n.110. p.537

Paupertas.

Qui ſub ſpontanea paupertate degit,facilè virtutes colit, & alios ad colendam virtutem trahit. c.4.n.6. toto §.p.317

Nullus de paupertate contendit. c.4. n 6. ibid.

Paupertas virtutis cognata. c.4.n.7. ibid.

Pax.

Columba ab exordio pacis præco, ſerpens diuinæ imaginis prædo. c.3.n.207. p 292

Ni vitium prorsùs depellatur,pax & tranquillitas non fulcitur. c.5.n.56 toto §. p.451

Laudabilius eſt bellum pari honeſtè reſiſtendo, quàm pace frui iniquis iuſſis obtemperando. c.5.n.85.toto §. p.461

Pax diaboli bellum eſt. c.6.n.53. p.517

Peccator, Peccatum.

Qui in egeſtate nititur refulgere, non poterit non peccare. c.1.n.133.toto §.p.47

Peccatores ſuis artibus pereunt,& quod in alios maligniſſimè architectantur,in ſe præter opinionem moliuntur. c.1.n.175. toto §. p.62

Nihil eſt peccatori ſe vilius. c.1.n.312. toto §. p.109

Grandis Numinis fauor eſt peccandi occaſiones arcere: nam ſi occaſio inuitet, fragilitas humana non rarò corruet.c.2.n.57.toto §.p.161

Magnum Dei beneficium eſt, ſi peccatum ſequatur pœna, nec in longa differatur ſæcula mulcta. c 2.n.88.toto §. p.171

Creſcit peccandi reatus,quando nullus peccandi fructus. c.2.n.161.toto §. p 195

Ita induratur peccator,vt rationem non admittat. c.2. n.201. p.209

Peccati via ſubiectis aſpera, ſuperiori inuenitur aſperrima. c.2.n.207. toto §.p.210

Cùm Deus in hac vita punit peccata,ad ſpeciem videtur iratus,ſed reuera probatur benignus. c.2.n.218. toto §. p 215

In eam peccatores deuenerunt ſæpiùs amentiam, vt mala ſua non ſolum noluerint fugere; ſed ambitiosè ſuſpirauerint æternare. c.3.n.29. toto §. p.231

Grande peccatori ſupplicium,ſi improbum nanciſcatur infelix votum.c.3 n.43.toto §.p.236

Peccator doloris artifex. c.3.n.43. ibid.

Ardorem ſæpè inſpirant contra peccata, dum ſacra inuiſuntur loca. c.3. num.185. toto §. p.284

Peccatis occaſio tollitur,ſi otium lectione vtili reſecatur. c.3.n.214. p.294

Magnum peccati ſupplicium elabi in reprobum ſenſum. c.4.n.10.toto § p 318

Facilè peccatores amittunt vel venti flatibus, quod magnis ſibi compararuere laboribus. c.4.n.54. toto §. p.333

Maria ſanctiſſima inuiſo ſæculis triumpho de originali reſplenduit, & eximiis ſemper gratiæ prærogatiuis emicuit. c.5. n.80. toto §. p.459

Dum peccatores ſomniatis confictiſque proſperitatibus ſibi imponunt,in duras veraſque calamitates incurrunt.c.5.n.131.toto §.p.477

Peccatum comitatur non ſemel ſalutis, & diuitiarum diſpendium,vt virtutem non ſemel incolumitas & aurum.cap.6.num.39.toto §. p.512

Qui ob peccatum alicui ſubiicitur, eius ſæpè proximos & amicos ſuſtinere cogetur.cap.6. n.44 toto §. p.514

Conſuetudo peccandi excludit naturam.cap.6. n.71. p.524

Dum in hac vita Dominus peccatum carpit,lætiorem adducere fortunam intendit. cap. 6. n.82. toto §. p.528

Pecunia.

Pecunia iam non ſolum didicit vitia defendere, ſed auſa eſt nobilitate. cap. 2. n. 44 toto §. p.156

Perfectio, Perfectus.

Perfecti etſi variis exteriùs ſint occupationibus implicati,precibus interiùs,ac virtuti vacant adſcripti. c.1 n.18.toto §.p.10

Eximia perfectio eſt perduci ad impotentiam ſceleris,vt cumulata malitia ad impotentiam honeſtæ actionis. c.2.n.176. toto §. p.200

Virtus nondum reſplendent cumulatè perfecta quouſque & opportunitate & exemplo in contrarium vocantibus conſtitit imperturbata. c 2.n.218 toto § p 215

Qui elabitur à perfectionis faſtigio,demergi ſolet grandi vitiorum naufragio. c.4.num.19. toto § p.321

Quò quis Deo coniungitur ſtrictior, alios non ſolùm iuſtos; ſed perfectos deſiderabit ardentior. c.4.n.81.toto §.p.341

Magnus ſuperioris quæſtus ſubiectorum perfectio. c 6. n.59. p 519

Sæpè exigua nitorem perfectionis infuſcant,& gratiam auſteritatis dedecorant. c.6. n.101. toto §. p.534

Periculum.

Ingens beneficium à laboribus, vitæque periculis liberari; ſed grandius à culparum labibus expediri. c.2.n.35.toto §.p.152

Sacerdos, dum ſapientia, ſanctitateque culpæ aut vitæ à proximis arcet periculum, Angeli meretur elogium. cap. 2. num. 92. toto §. p.173

Ea eſt hominum amentia, vt in ipſis quærant ſecuritatem periculis,& commoda ſuſpirent in detrimentis. c.3.n.38.toto §. p.234

A Deo electus,ſuperior,proprio labore ſubiectorum procurat commoda; imò aliquando ſuo illorum arcet pericula.c.3.n.218.toto §.p.296

Digitized by Google

Periculum ſibi ſolicitat, qui peſtiferis moribus ardentibus proximat. c.4 n.144. p.363
Audacia nos in periculum impellit. c.4.n.172.
Munera dignitate prædito oblata ſæpiſſimè inſidiæ probantur honori,& pericula dignitati. c 4. n.241. toto §. p.397
Culpis aſſuetus,inſtante periculo non ſibi benè conſulit perturbatus. c.4. num.245. toto §. p.399
Quo quis degit in fœminæ conſortio ſecurior, eò mortem incurrere ſolet periculoſior. c.4. n.249. toto §. p.400
Oris venuſtas habenti, & adſpicienti periculoſa. c.4.n.249.ibid.
Pro virtute labor etſi aliquando periculum afferat, ſolum eſt ad plauſum, cùm careat diſcrimine ad detrimentum. c.5. n.34. toto §. p.443
Non ſemel grauius à vicinis, quàm à remotis vrget periculum,& à coniunctis ſanguine detrimentum. c.5 n.39.toto §.p.444
A ſuis prouidentet arcet periculum à Deo electus,vt de hoſtibus reportarit trophæum.c.6. n.153. toto §. p.553
Qui vitia oppugnare aggreditur, prouida contra pericula defenſione muniatur.c.6.n.224. toto §. p.574

Perſona.

Perſonæ claritas commendat actionem. cap.6. n.189. p.563

Perſpicacia.

Nulla eſt perſpicacia, quam quid non poſſit latere,& eius curioſitatem fruſtrari. c.1.n.347. toto §. p.121

Petere.

Ingenuo viro petere moleſtum, vt dilargiri iucundum. c.1.n.239.toto §.p.84
Viget in fœminis ad petendum acutiſſimum ingenium,& mirum ſæpè artificium.c.1.n.245. toto § p.85

Pietas.

Pietas erga parentes depellit infauſta, & affert fortunatiſſima. c.6.n.157. toto §. p.555

Plauſus.

Optimus Reipublicæ adminiſter ſtudioſiùs curat munus implere, quàm ſibi plauſum aut commodum eluctari. c.1. num.113. toto §. p.41
Concionatorem nobilitant non ſubtilitatis ingeniique plauſus; ſed pœnitentiæ in auditoribus fructus. cap.2. num.76. toto §. pagina 167
Virtus ſecum affert decus & plauſum.c.4.n.54. p.333
Plauſus virtutis fomentum eſt.c.4.n.313.p.423

Pœna.

Laude adæquè videtur dignum pœnis malos afficere, & templa muneribus exornare. c.1. n.124. toto §. p.45
Eccleſiæ ſuffragia valent plurimum, vt Purgatorij ſoluatur pœna. c.2. num.133. toto §. p.187
Magnum Dei beneficium eſt, ſi peccatum ſequatur pœna, nec in longa differatur ſæcula mulcta. c.2.n.88.toto §.p.171
Quæ apud nos reputantur ſæpiſſimè exigua, grauiſſima in Purgatorio ſoluuntur pœna. c.2. n.139. toto §. p.188
Duriſſima probatur malitia, quàm nulla potuit corrigere pœna. c.2.n.186. toto §. p.204
Non ſemel qui aliis fuerunt auctores ad culpam,carnifices deputantur etiam ad pœnam. c.6.n.23. toto §. p.508

Pœnitentia.

Pœnitentia ſine dolore pudoris diſpendium; mœrore coniuncta ſceleris probatur excidium. c.1.n.95. toto §. p.35
Pœnitentia homines excudit ad ſpeciem ipſis Angelis ſuperiores. c.2.n.16.toto §. p.143
Concionatorem nobilitant non ſubtilitatis,ingeniique plauſus; ſed pœnitentiæ in auditoribus fructus. c.2.n.76.toto §.p.167
Oratio multorum, pœnitentium præcipuè, felicitatis eſt vena. c.6.n.79.toto §.p.516
Qui alios cupit ad pœnitentiam adducere,omni ſtudioſè conetur vitio carere. cap.6.n.96. toto §. p.532

Politice.

Optima Politice, vbi non diſtribuit magiſteria pro libito affectus; ſed ſudor cathedrarum acquirit gradus. c.1.n.263.toto §.p.92

Pompa.

Qui in egeſtate nititur refulgere, non poterit non peccare. c.1. n.133. toto §. p.47
Sumptuoſior miniſtrorum pompa non indubia eſt ſubiectorum miſeria. c.4.num.44.toto §. p.329
Non adeò reſplendet dignitas de adſtantium pompa,vt de leuata calamitoſi miſeria.cap.4. n.104.toto §. p.349

Populus.

Mirum eſt à populo ſoluta integra ad Principem peruenire,vt dilargita à Principe incorrupta ad accepturos deſcendere. c.3. n.129. toto §. p.265
Frons populo conueniat. c.4.n.211.p.386

Poſſeſſio.

Iniuſta rapina eſſe ſolet iuſtæ poſſeſſionis naufragium,& diuitiarum excidium.cap.6.n.67. toto §. p.522

Poſteri.

Felices poſteri,quibus parentum virtus aſciſcit auxilia, & generoſè repudiata legauit præmia. c.1.n.323.toto §.p.112

Potentia.

Potentiores ſua ſe potentia tuentur,infirmiores vel ob leuiora acriùs peccata puniuntur. c.1. n.129. toto §. p.46
Sæpè à Reipublicæ potentioribus manat imbecillo calamitas, & miſerorum incommodo ſuorum ſolitant conſulere augmento. c. 1. n.381.toto §. p.134
Potentia ſemper de iniuſtitia ſuſpecta eſt. c.2. n.40. p.154
Faſtoſa magnorum potentia grandi inualidorum ſæpe innutritur iniuria. cap.5.num.60. toto §. p.453
Poteſt quantum vult,qui ſolùm vult quæ licitè poteſt. c.5.n.60. ibid.
Sola potenti liceant laudanda. ibidem.

Preces.

Dignitatibus ante preces debet ornari, quem conſtat virtutibus refulgere. c.1.n.56. toto §. p.23
Deus precibus quaſi violentatur. c.4.num.122. p.355
Qui accepit poſt preces,gratis non tulit. cap.4. n.274. p.410

Præcipere, Præceptum.

Cordatus ſuperior ſtudet ea præcipere, ad quæ ſubiectos

Digitized by Google

ſubiectos facilius nouerit inclinari. cap. 1. n.214. toto §. p.75
Hominibus pluris eſt vitium vtilitati coniunctum, quàm diuinum ſine humana vtilitate præceptum. c.2. n.215. toto §. p.214
Non ſemel vt maiorum obſeruentur conſilia, diuina contemnuntur præcepta. cap.5.n.45. toto §. p.446

Præda.

Aliquorum præfectura eſt publica præda. c.4. n.44. p.329

Præfectus.

Aureum eſt ſæculum, ſi præfecti manus contineant. c.5.n.96. p.464

Prælatus.

Prælati debent plura ſubiectis. c.2.n.191.p.205
Priuata ſtudia in Prælato penitus agnoſcantur excluſa: quia iam non priuatus; ſed omnibus adæquè promotus. c.4.num.167.toto §. p.371
Si auaritia inficiat prælatos, miſerabilis vaſtitas conſumet ſubditos. cap.6. num.74. toto §. p.525
Prælati ſedes crux. c.6. n.130. p.543

Prælium.

Magnis Deus præparat triumphis, quem laborioſis exercet præliis. c.4. num.191. toto §. p.380

Præmium.

Redditum militari virtuti præmium ingens eſt ad militarem virtutem accendendam motiuum. c.1.n.34.toto §.p.15
Dignitatibus ante preces debet ornari, quem conſtat virtutibus refulgere. c.1.n.56.tot.§.p.23
Nobilis ingenuuſque melius ad virtutem allicitur oſtenſo præmio, quàm intentato ſupplicio. c.1.n.148.toto §.p.53
Felices poſteri quibus parentum virtus aſciſcit auxilia, & generoſè repudiata legauit præmia. c.1.n.323.toto §. p.112
Suam apud ſæculum merita ſortiuntur etiam fortunam: aliquando remunerantur exiguo magna, & ampliſſimo præmio exigua. cap.1. n.356.toto §. p.124
Decet maieſtatem per ſeipſam remunerare; & per alios decet punire. cap.4.num.24.toto §. p.323
Validiùs, animoſiuſque ibi pugnatur, vbi virtus militiaque remunerata videtur. c.4.num.177. toto §. p.374
Princeps curet dignos ſic muneribus ac laudibus exornare, vt caueat diſcordiam æmulationis ingerere. c.5.n.108.toto §.p.467
Præmium eſt Principibus inſeruire. c.6.n.180. p.560

Præſagire.

Neſcio quo pulſu corda euentum ſolitant præſagire, & quodammodò prænuntiare. cap.5. n.175. toto §. p.493
Infauſta denuntiandi prurito nonnulli anteuertunt tempora, & præſagiunt aliis ingrata. c.5. n.180. toto §. p.495

Præſentia.

Non ſemel initiare ſolet diſtantia, quod exaugurabat affinitas & præſentia. cap.6. n.210. toto §. p.570

Præſeruare.

Glorioſius eſt Principi appetentia mala impedire, quàm iam experta repellere. c.3.n.251. toto §. p.308

Præſes.

Bonus Præſes Reipublicæ ſalus. c.2.n.6. p.139

Præſumptio.

Dei fauor eſt, ne attulerit præſumptionis naufragium, reprimere proſperitatis exceſſum. c.1. n.298. toto §. p.104

Princeps.

Principis fructus cunctorum quies. c.1.n.113.p.41
Princeps Dei eſt ſimulacrum. c.1. n.165.p.58
Optimus Princeps ambitionis ſuperat vota, & euincit deſideria. c.2. n.172. p.199
Principes virtutibus ſibi emunt victorias vitiis fabricauere catenas. c.3.n.85. toto §. p.250
Princeps populi eſt ſalus, dum prius armatur in vitia & poſtea in aduerſarios apprehendit arma. c.3.n.95. toto §. p.253
Mirum eſt à populo ſoluta integra ad Principem peruenire, vt dilargita à Principe incorrupta ad accepturos deſcendere. c.3.n.129. toto §. p.265
Citiùs gratia Principum promeretur muneribus, quàm virtutibus. c.5.num.176. toto §. p.481
Patet facilior mendaci ad Principem aliquando aditus, veridico eſt difficilior acceſſus. cap.3. n.204. toto §. p.291
Eos non ſemel Princeps vti veridicos ſuſpirat, à quibus audiendi verum nullum periculum. c.3.n.204. ibid.
Miraculum eſt Principes veritatem gratis oculis aſpexiſſe. c.3.n.208.toto §.p.293
Glorioſius eſt Principi appetentia mala impedire, quàm iam experta repellere. c.3.n.251. toto §. p.308
Apud bonum Principem minus valent conſanguinitatis iura, plus virtutum merita. cap.4. n.15. toto §. p.320
Principis ſolus dicendus eſt proprius, qui legibus probatur eſſe tranquillus. cap.4.n.15. ibid.
Decet maieſtatem per ſeipſam remunerare, & per alios decet punire. c.4. num.24. toto §. p.323
Princeps curet dignos ſic muneribus ac laudibus exornare, vt caueat diſcordiam æmulationis ingerere. cap.5. num.108. toto §. p.467
Munus eſt videre Principem. c.5.n.139.p.480
Niſi propitio Principe nihil floret. c.5. n.139. ibid.
Princeps nubila calamitatis detergat aſpectu. c.6.n.79.p.526
Optimo regnante Principe nil licet audaciæ. c.6. n.68. p.522
Principis ornatus ſubiectorum eſt gloria. c.6. n.106. p.535
Qui vtilitatem amat Reipublicæ, nunquam permittet otioſos, quos egregiis dotibus agnouerit exornatos. c.6. n.123. toto §.p.541
Cadente Principe ſubiecti tolluntur. c.6.n.164. p.555
Præmium eſt Principibus inſeruire. c.6.n.180. p.560

Principium.

In vitia pugnandum eſt, dum recenter exorta: nam ægrè expugnantur adaucta. c.1.num.14. toto §. p.8
Virtus in exordio micat non ſemel feruentior; ſed paulatim tempore elanguet remiſſior. c.1.n.293.toto §. p.102

Facilè imminens virium propellitur; difficulter ſi iam corda poſſedit,abigitur. c.3.n.147. toto §. p.306

Priuatus.

Priuata ſtudia in prælatis penitus agnoſcantur excluſa: quia iam non priuatus; ſed omnibus adæquè promotus. c.4.num.167.toto §. p.371

Priuilegium.

A carnis abſtineat prorſus deliciis,qui reſplendere exambit ſancti Spiritus priuilegiis.c.4. n.89. toto §. p.344

Probrum.

Fugere probrum bonæ indolis ſpecimen eſt. c.4.n.317.p.425

Proditio, Proditor.

Proditor grauior peſtis. c.1.n.12.p.7

Nulli tutò ſecretum committitur, præcipuè ſi gratia aut lucrum de proditione ſperatur. c.3.n.162. toto §. p.276

Profectus.

Non ſemel Deus incipientibus omnia mollit, & poſteà rerum difficultates ad profectus conſummationem oſtendit. c.3.n.12.toto §. p.225

Proficuus.

Superior ſit ab omni affectionis ſuſpicione remotus,vt omnibus poſſit eſſe proficuus.c.2. n.40. toto §. p.154

Promiſſum.

Legis non ſemel iniuria homini ſeruatur promiſſum,cùm aliquando violetur nulla occaſione cogente Numini votum. cap.1.n.229. toto §. p.80

Propoſitum.

Qui contra propoſitum commouetur, grauiùs ferè ſemper iraſcitur.c.2.n.172.toto §.p.199

Proprius.

Plures circa propria inueniuntur cæci, circa aliena acutiſſimè inoculati.c.1.n.368.toto §. p.129

Principis ſolus dicendus eſt proprius, qui legibus probatur eſſe tranquillus. c.4. num.15. p.320

Proſperitas.

Dei fauor eſt, ne attuleſit præſumptionis naufragium, reprimere proſperitatis exceſſum. c.1.n.298.toto §. p.104

Dum peccatores ſomniatis confictiſque proſperitatibus ſibi imponunt,in duras,veraſque calamitates incurrunt. c.5.num.132. toto §. p.477

Prouidentia.

Quod ſæpè in ſeipſam detrimentum imprudens architectata eſt malitia, vertit in commodum prouidentia. c.3. num. 33. toto §. p.233

Eximium ſuperiorem cudit rationabilis tolerantia,& ſagaciſſima prouidentia. c.3. n.103. toto §. p.256

Proximus.

Qui purè ſyncereque Dei gloriæ & proximorum vtilitati deſeruit, meras quodammodò naturæ humanæ tranſilit.c.2.n.100.toto §. p.174

Qui Apoſtolorum loco ſufficitur,totum ſe proximi vtilitatibus impendiſſe tenetur. cap.2. n.191.toto §. p.205

Qui ad proximorum ſalutem à Domino deſtinatur, inter confinia vitiorum non læditur. cap.4. num. 144. toto §. pag.363

Prudens, Prudentia.

Prudens ſolùm de morte cogitat,dum finis appetit, quantumuis ad dignitates aſcitus, imprudens dignitates ſuſpirat etiam in ipſo occaſu ambitioſus. cap.1. num. 259. toto §. p.90

Prudentes admonitorem venerantur vt Angelum,imprudentes oderunt vt inimicum.c.2. n.108. toto §. p.177

Prudens ſeipſum compellit. c.3.n.122.p.263

Cordis vigilat prudentia, cùm carnis dormit inſania. c.3.n.217.p.295

Qui humanam ſtudioſè colit prudentiam, rationis ac virtutis deſerit normam. c.4. n.49. toto §. p.331

Ad reportandos de hoſtibus triumphos plus ſæpè valent prudentis conſilia,quàm ferocientis militis arma. cap. 4. num. 207. toto §. p.385

Singularitas, quia plurimis ſemper odioſa, quantum fas erit, à prudentibus ſemper fugienda. c.4. n.211. toto §. p.386

Prudens faciet exprom ptus, quod velit, nolit, efficere tenetur coactus. c. 5. n.25. toto §. p.440

Prudens ſeipſum compellit. c.6. n.153.p.551

Pudicitia.

Pudicitia eſt flos morum. c.4.n.89.p.344

Prudens fœmina omnem accuratè pudicitiæ vitabit notam, imò iniquæ etiam ſuſpicionis audaciam. cap.4. num. 95. toto §. pagina 346

Pudor.

Propria voce conuinci grauiſſimus pudor eſt. c.2.n.1.p.137

Secretum eſt pudoris gymnaſium. cap.4. n.95. p.346

Puer.

Securam vitio molitur ſtragem,qui pueros erudit ad ſalutem. c.5. n.152. p.485

Pugnare.

Validiùs, animoſiuſque ibi pugnatur, vbi virtus militiaque remunerata videtur. cap. 4. n.177. toto §. p 374

Pulchritudo.

Grata Deo pulchritudo virtus eſt. c.3.num.60. p.241

Fœminæ pulchellæ aſpectus eſt honeſti vigoris faſcinum,virtutis delirium. cap.4 n.294. toto §. p.417

Punire.

Laude adæquè videtur dignum pœnis malos afficere,& templa muneribus exornare.cap.1. n.124. toto §. p.45

Potentiores ſua ſe potentia tuentur, infirmiores vel ob leuiora acriùs peccata puniuntur. c.1.n.129. toto §. p.46

Plures iuſtitiæ ſeueritatem commendant,ſi culpa puniatur aliena; abrodunt,ſi pœnas dederit propria. c.1.n.143.toto §. p.51

Qui blandus ſibi indulget, frequenter in alios duriùs deſæuit. c.1.n.204.toto §.p.72

Seuerè à Deo punitur, qui quod ad defunctorum expiationem pertinet, protelare cognoſcitur. c.2 n.129. toto §. p.185

Deus non inuitatus benefacit, à nobis impulpulſus punit. cap.2. num.172. toto §. pagina 199

Cùm Deus in hac vita punit peccata, ad ſpeciem

ciem videtur iratus; ſed reuera probatur benignus. capite 2. numero 218. toto §. pagina 215

Decet maieſtatem per ſe ipſam remunerare, & per alios decet punire. cap. 4. n. 24. toto §. p. 323

Punctum.

Punctum eſt, quod viuimus. c. 4. n. 219. p. 389

Purgatorium.

Quæ in Purgatorio acri ſoluerentur flammarum ſupplicio, facillimo fideles poſſunt impedire remedio. c. 2. n. 125. toto §. p. 183

Eccleſiæ ſuffragia valent plurimum, vt Purgatorij ſoluatur pœna. cap. 2. num. 133. toto §. p. 187

Quæ apud nos reputantur ſæpiſſimè exigua, grauiſſima in Purgatorio ſoluuntur pœna. c. 2. n. 139. toto §. p. 188

Puritas.

Eam exigit puritatem oblatum Domino ſacrificium, vt Angelus etiam ad ſpeciem vereatur attactum. c. 6. n. 206. toto §. p. 568

Purpura.

In purpura ſæpè verſat ſolicitudo. c. 3. n. 231. p. 301

Q

Quercus.

QVercea corona redemptæ de periculo vitæ index. c. 3. n. 251. p. 308

Quies.

Principis fructus cunctorum quies. c. 1. n. 113. p. 41

R

Rapina.

INiuſta rapina eſſe ſolet iuſtæ poſſeſſionis naufragium, & diuitiarum excidium. c. 6. n. 67. toto §. p. 522

Qui vult ſuam dignitatem continere, nouerit rapinam punire. c. 6. n. 67. ibid.

Ratio.

Locuples eſt, qui ex rationis præſcripto viuit. c. 2. n. 152. p. 192

Ita induratur peccator, vt rationem non admittat. c. 2. n. 201. p. 209

Firmum eſt quod ratio commendat. cap. 4. n. 39. p. 328

Qui humanam ſtudioſè colit prudentiam, rationis ac virtutis deſerit normam. c. 4. n. 49. toto §. p. 331

Voluptas & dolor rationi aduerſi. cap. 4. n. 283. p. 413

Reatus.

Magna defunctorum in Eccleſia felicitas poſſe Dominico Sacramento expiari, quo reatum facilè conſtat abſolui. c. 2. num. 121. toto §. p. 182

Superior in veſtigando reatu non ſit perſequax. c. 4. n. 152. p. 366

Reatus eſt eſſe ſub debito. c. 6. n. 153. p. 551

Receſſus.

A diuitiarum copia & mundiali tumultu inuitus etiam receſſus eſſe ſolet ſupernæ lucis illicium, & felicitatis exordium. c. 6. num. 91. toto §. p. 531

Reconciliare.

Quod nos Deo reconciliat, felicitate & ſalute donat. c. 6. n. 214. toto §. p. 571

Regula.

Praua niſi ad regulam non corriguntur. cap. 1. num. 24. p. 12

Religioſi.

Vt inglorium eſt religioſis viris pietatem à ſæcularibus edoceri, ſic eſt glorioſum vel ad debellandam malitiam felici malitiæ ignoratione ductari. cap. 1. num. 337. toto §. pagina 117

Remedium.

Leniùs non ſemel curandum eſt, dum acriùs daſæuit vitium, ne auxilietur irritationi remedium. c. 2. n. 12. toto §. p. 142

Quæ in Purgatorio acri ſoluerentur flammarum ſupplicio, facillimo fideles poſſunt impedire remedio. cap. 2. num. 125. toto §. pagina 183

Magna calamitatis pars eſt cauſam ignorare, vt remedij illam ſcire. cap. 3. n. 75. toto §. p. 246

Reſiſtentia.

Laudabilius eſt bellum pati honeſtè reſiſtendo, quàm pace frui iniquis iuſſis obtemperando. c. 5. n. 85. toto §. p. 461

Reſpublica.

Vitia præ hoſtibus oppugnauere reſpublicas. c. 1. n. 145. p. 51

Felix reſpublica, vbi repulſam patiuntur ſæpè dignitates. c. 1. n. 255. p. 89

Magna reipublicæ ſalus maturis prudentibuſque hominibus gubernari, grande naufragium ab immaturis, & iuuenibus regi. cap. 2. n. 157. toto §. p. 194

In grande vergit Reipublicæ commodum, exactoribus carere, & venali illorum indulgentiæ obuiari. cap. 3. num. 122. toto §. pagina 263

Non poteſt non florere Reſpublica, vbi dignitas non tam tribuitur generis nobilitati, quàm animorum virtuti. c. 4. num. 85. toto §. p. 343

Qui vtilitatem amat Reipublicæ, nunquam permittet otioſos, quos egregiis dotibus agnouerit exornatos. c. 6. num. 123. toto §. p. 541

Quo quis virtutibus inuenitur excultior, Reipublicæ probatur commodior. c. 6. num. 162. toto §. p. 554

Rex.

Regia obſcuratur dignitas, ſi hoſtile illam temerauerit ferrum, aut quid eius ceſſerit in ſpolium. c. 1. n. 138. toto §. p. 49

Regiam dignitatem dedecorat crudelis ſæuitia, nobilis commendat clementia. cap. 1. n. 165. toto §. p. 58

Regnantis ſententia de actibus ſumitur. cap. 6. n. 141. p. 547

Robur.

Verum robur labore colligitur. c. 4. num. 325. p. 428

Rogare.

Generoſus non ſolùm curat rogata concedere; ſed vota aggreditur vincere. cap. 4. num. 278. toto §. p. 412

Ruina.

Qui à Deo relictus ruinæ ſuæ non ſentiebat diſpendia, meliori luce vtens doloroſa fundit ſuſpiria. cap. 2. num. 103. toto §. pagina 176

S

Sacerdos.

EA morum puritate Sacerdos niteat, ſi aliis cupit vtilem inſpirate doctrinam, vt naturam oculis repræſentet Angelicam. cap.2. n.20. toto §. p.145

Sacerdos dum ſapientia, ſanctitateque culpæ aut vitæ à proximis arcet periculum, Angeli meretur elogium. cap. 2. num. 92. toto §. p.173

Sacerdoris profeſſio vita cæleſtis eſt. c.2.n.92. p.173.c.6.n.206.p.568

Sacerdos modeſtiæ exemplar. cap.3. num.180. p.283

Sacrificium.

Miniſtri ſanctitas ſacrificium commendat, & gratiam citiùs implorat. c.6. n.189. toto §. p.563

Dei ſeruis exhibitum obſequium probatur Domino ſacrificium. cap.6. num. 193. toto §. p.564

Eam exigit puritatem oblatum Domino ſacrificium, vt Angelus etiam ad ſpeciem vetetur attactum. c.6.n.206.toto §.p.568

Saculum.

Suam apud ſæculum merita ſortiuntur etiam fortunam: aliquando remunerantur exiguo magna, & ampliſſimo præmio exigua. c.1. n.356.toto §. p.124

Apud ſæculum pluris æſtimantur diuitiis copioſi, quàm dotibus virtutum præclari. c.4. n.262.toto §. p.405

Aureum eſt ſæculum, ſi præfecti manus contineant. c.5.n.96.p.464

Accuſantur ſæcula, quibus illuſtris latet familia. c.6.n.250.p.584

Sauitia.

Regiam dignitatem dedecorat crudelis ſæuitia, nobilis commendat clementia.c.1.num.165. toto §. p.58

Miſer ſubditorum ſtatus, ſi imperet truculenta ſæuitia,nec ſe valeat tueri impotentia.cap.4. n.227. toto §. p.392

Sagacitas.

Laudabilis aſtucia obarmetur in culpam: quia impia ſagacitas obarmatur in gratiam.cap.3. n.148. toto §. p.271

Salus.

Magna Reipublicæ ſalus,maturis prudentibuſque hominibus gubernari, grande naufragium ab immaturis,& iuuenibus regi. cap.2. n.157.toto §. p.194

Saluris initium eſt ſea ſiſſe ſe ægrotum. cap. 3. n.29. p.231

Salus vitiis indulget,infirma valetudo abſtinet. c.4.n 6.p.317

Qui ad proximorum ſalutem à Domino deſtinatur, inter confinia vitiorum non læditur. c.4.n.144. toto §. p.363

Quiſquis ſaluti ſtudet conſulere, geſtiat ſuperbum faſtum deponere. c.4.n.237.toto §. p.396

Qui prodigit honeſtè ſalutem, & conſeruat vitam & reportat ſæculis decantandam victoriam. c.5.n.20. toto §. p.438

Vt Numinis fugiatur ira,vel maxima ſalutis amplectenda ſunt detrimenta. c.5.n.139.toto §. p.480

Salus per Mariam velociſſima. c.5.n.143.p.482

Stultiſſimus inuenitur, qui ad ſalutem aliena confidit cura, ſi propria reſoluatur ignauia. c.5. n.166. toto §. p.490

Peccatum comitatur non ſemel ſalutis & diuitiarum diſpendium, vt virtutem non ſemel incolumitas & aurum. c.6.n.39.toto §.p.512

In Deo fiducia fructus producit & animo dulciſſimos & etiam ſaluti commodos. cap. 6. n.110. toto §. p.537

Quod nos Deo reconciliat, felicitate, & ſalute donat. c.6. n.214. toto §. p.571

Sancti.

Sanctorum conſortium magnum felicitatis præſagium, & magnum contra calamitates auxilium. c.4. n.215. toto §. p.388

Sanctificatio.

Mentis ſanctificatio charitas. c.6.n.190. p.563

Sapiens, Sapientia.

Sapiens ſe occupationibus commodat,non tradit. c.1.n.18.p.10

Sapientia non tam eſt prolixæ ſpeculationis fructus quam virtutis mortificationiſque partus. c.1.n.234. toto §.p.82

Sapientia eſt ars. c.1.n.234.toto §.ibid.

Sæpè Deus inſtrumentis parum ad ſpeciem aptis mundi confundit ſapientiam, & ſuam oſtentat miris operibus efficaciam. cap.3. n.133. toto §. p.266

Non ſemel per tarditatis vitium incurrit obſtaculum, quod ſapienter conſtat fuiſſe diſpoſitum. c.4. n.182. toto §. p.376

Sapiens amicum quærit. c.4.n.253.p.402

Sapiens inter aduerſa conſiſtit intrepidus. c.5. n.20. p.438

Sapienti ſemper addiſcendum reſtat. c.5. n.78. p.459

Sapientia filios iugulat. c.6.n.82.p.528

Sapiens conſulit conſcientiam laudatus, ne delinquat laudatione ſuperbus. c. 6. n.171. toto §. p.557

Scandalum.

Non ſemel amicorum vxores fuerunt ſcandala, dum grato vultu miniſtrant oblectamenta. c.4.n.253. toto §. p.402

Non ſemel qui aliis auctores fuerunt ad culpam,carnifices deputantur etiam ad pœnam, c.6.n.23.toto §. p.508

Scelus.

Quiſquis ſceleris ſedulè meditatur extrema, in virtutem exinceps non capiet arma. cap. 1. n.181. toto §. p.63

Magnum ſcelus eſt fœdari ſcelere, qui carere debet omni ſceleris opinione. c. 2. num. 92. p.173

Eximia perfectio eſt perduci ad impotentiam ſceleris, vt cumulata malitia ad impotentiam honeſtæ actionis. c. 2. n.176. toto §. p.200

Qui quanta vitiis ſoluantur tributa, expendit, ſceleris iugum excutere ardenter ſatagit.c.3. n.116.toto §. p.261

Scelera in ipſis cunabulis reſecanda. c. 6. n.62. p.520

Miſerabilis eſt apud quem diu immorantur ſcelera, & incolæ ſunt peccata. c.6. num.70. toto §. p.523

Vide *Culpa, Crimen, Peccatum.*

Scientia.

Electio de ſcientia prouenienslaudabilis. c. 3. n.133. p.266

Digitized by Google

Scriptor.

Non minùs laude eſt dignus, qui ſcriptis mores informat, ac qui aduerſarios fortiter pugnando debellat. c.5.n.123. toto §.p.474

Secretum.

Nulli tutò ſecretum committitur, præcipuè ſi gratia aut lucrum de proditione ſpetatur. c.3. n.162. toto §.p.276

Natura humana vt ſecretum inueſtigandi eſt auidiſſima, ſic effundendi percupida. cap.3. n.167. toto §. p.278

Vitia omni ſecreto ſunt corrigenda, & correctio cunctis celanda. c.3. num.199. toto §. p.289

Secretum eſt pudoris gymnaſium. c.5. num.95. p.346

Difficillimo negotio celatur, quod ſeruorum interuentione perficitur. c.6. n.239. toto §. p.579

Securitas.

Securior degit fragilitas cauta ſolicitudine armata, quàm fortitudo ſi deſtituta. c.1.n.373. toto §. p.130

Ea eſt hominum amentia, vt in ipſis quærant ſecuritatem periculis, & commoda ſuſpirent in detrimentis. cap.3. num.38. toto §. pagina 234

Iuſti ita incerti ſunt, vt confidant, ita confidunt, vt ob ſecuritatem non torpeant. cap.4.n.109. toto §. p.351

Sedes.

Laudabilia ſæpè ſordeſcunt, ni congrua ſede potiantur. c.4.n.115. toto §. p.353

Seditio.

Ea reſpublica facilè inimicos detriumphat, quæ periculoſas ambitionis, aut ſeditionis leges ignorat. c.1.n.39. toto §.p.17

Felix Reſpublica, vnde abeſt ſeditio. c.1.n.73. p.28

Semen.

Nequitia dæmonis ſummo ſtudio curat virtutis ſemina opprimere, curet iuſtus in ſemine crimen delere. c.6.n.62. toto §. p.520

Senſus.

Magnum peccati ſupplicium elabi in reprobum ſenſum. c.4.n.10. toto §. p.318

Senſus volaticis oblectationibus fallit, & laboribus duriſſimis terit. c. 4. num. 39. toto §. p.328

Solus gaudet, qui imperat ſenſibus. c.4. n.39. ibid.

Sententia.

Regnantis ſententia de actibus ſumitur. cap.6. n.141.p.547

Serpens.

Serpens habetur prudens, dum ambagibus tortuoſis procedit. c.3.n.207. toto §.p.292

Serpens ab exordio diuinæ imaginis prædo. c.3. n.207. ibid.

Seruitus, Seruus.

Sic nonnulli deſipiunt criminum famulatui addicti, vt libertatem repudient, & ſeruitutem anhelent. c.2.n.201. toto §. p.209

Vel ſeruis modeſtè imperandum eſt. c.4.n.153. p.367

Dei ſeruis exhibitum obſequium probatur Domino ſacrificium. c.6. n.193. toto §. p.564

Difficillimo negotio colatur, quod ſeruorum interuentione perficitur. c.6. n.239. toto §. p.579

Seueritas.

Superior ſecum ſit ſeuerus, cum ſubiectis blandus. c.3.n.224.p.299

Similitudo.

Glorioſos maiorum conſeruant titulos, virtute ſimiles, amittunt degeneres. c.1.n.47. toto §. pag.20

Simplicitas.

Plus deterendis Chriſti inimicis valet ſimplicitas ſapientia deſtituta, quàm ſapientia ſimplicitate priuata. cap. 3. num. 236. toto §. p.302

Singularitas.

Singularitas quia plurimis ſemper odioſa, quantum fas erit, à prudentibus ſemper fugienda. c.4.n.211. toto §. p.386

Societas, Socius.

Quærere laboris conſortem inuenitur humanum, aſciſcere gloriæ ſocium habetur ſemper diuinum. c.1.n.118. toto §. p.43

Tota dæmonis cura homines à IESV ſocietate ſeparare. c.3. n.230. p.300

Deſpicabilis eſt, & à ſociorum numero diſpungendus, qui ſe ſubtraxit tempore laboris, & accurrit ſolum felicitatis. c.4.n.224. toto §. p.391

Sol.

Sol ſtellas ſplendore perfundit. c.5.n.15.p.436

Solatium.

Solatium eſt dura pro virtute pati. c.5. num.70. p.456

Solicitudo.

In purpura ſæpè verſat ſolicitudo. c.3. n.231. p.301

Somnium.

Vt dæmon ſomniis vti ſolet in virtutem pro armis, ita in vitium Deus pro armis vtitur ſomniis. c.3.n.189. toto §. p.286

Somnus.

Non ſemel morti proximus ignauo oculos tradit ſomno, qui euanido dicauit oblectamento. c.4. n.321. toto §. p.426

Sors.

Nonnulli odium ſibi conflant adſpirante fortuna abuſi, quia antiquæ obſcuræ ſortis nullatenus recordati. c.2.n.32. toto §.p.150

Speculatio.

Sapientia non tam eſt prolixæ ſpeculationis fructus, quàm virtutis, mortificationiſque partus. c.1.n.234. toto §.p.82

Spes.

Sublata ſpe artes ceſſabunt. c.2.n.100. p.174

Humana ſpes calamitati ſæpè auxiliatur. cap.3. n.110. p.259

Dilatio anxia mora animum expectantis ſuſpendit. c.4.n.177. p.374

Spes radix patientiæ. c.6.n.110. p.537

Durum eſt expectare tormentum. c. 6. n.185. p.562

Nonnulli ſibi adulantur in futurum ſpebus, quo liberiùs modò defœdentur criminibus. c.6.n.219.p.573

Spiritus.

Qui Dei ſpiritu agitur, magna & aliis inacceſſa ſemper aggreditur. cap. 3. num.255. toto §. p.309

Non eſt inconſultè cuique ſpiritui fides præſtanda; ſed diligentia adhibenda. c.6.n.167. toto §. p.556

Qui Dei mouetur ſpiritu, contentus non eſt per-

Digitized by Google

ſe ſolum in vitia irruere; ſed ſocios ſatagit congregare. c.6.n.254. toto §. p.585

Spontaneus.

Prudens faciet expromptus, quod velit nolit, efficere tenetur coactus. cap.5.n.25. toto §. p.440

Squalor.

Squalore nutritur aliquando iactantia. cap.6. n.128.p.543

Status.

Miſer ſubditorum ſtatus, ſi imperet truculenta ſæuitia,nec ſe valeat tueri impotentia.cap.4. n.227.toto §. p.392

Stimulus.

Magnus virtutis ſtimulus laus parentum.cap.2. n.165. p.197

Prudens ſuperior aliquando diſtrictionis vtatur gladio,aliquando leuiori ad virtutem incitarit ſtimulo. c.3.n.241.toto §. p.304

Criminum ſtimulus eſt libido. c.4. num. 297. p.418

Studium.

Priuata ſtudia in prælatis penitus agnoſcantur excluſa: quia iam non priuatus; ſed omnibus adæquè promotus.c.4 n.167.toto §.p.371

Sæpè nihil intereſt inter amicorum vota,& inimicorum ſtudia. c.4.n.241.p.397

Studium liberale virtuti viuere. c.5. num.132. p.477

Stultitia.

Sultitia res abiectiſſima. c.2.n.181.p.202

Stultiſſimus inuenitur qui ad ſalutem aliena confidit cura, ſi propria reſoluatur ignauia. c.5.n.166. toto §. p.490

Subiectio.

Deo non ſubiecto durum eſt ſubiici.c.1.n.214. p.75

Artificium promerendi eſt morigerè ſubiici.c.4. n.59. p.334

Subiectus.

Peccati via ſubiectis aſpera; ſuperiori inuenitur aſperrima. c.2.n.207. toto §. p.210

Sumptuoſior miniſtrorum pompa non indubia eſt ſubiectorum miſeria.c.4.num.44. toto §. p.329

Prudens ſuperior vitabit in præcipiendo quidquid ſuperbiæ redolet faſtum, ne exacerbarit contra obedientiam ſubiectum. c. 4. n.152. toto §. p.366

Miſer ſubditorum ſtatus, ſi imperet truculenta ſæuitia,nec ſe valeat tueri impotentia.cap 4. n.227. toto §. p.392

Non exigua ſubiectis calamitas denunciatur, dum ſuperior inops ad pompam dignitatis eligitur. c.5.n.96.toto §. p.464

Miſerabilis vaſtitas conſumet ſubditos, ſi auaritia inficiat Prælatos. c.6. num. 74. toto §. p.525

Sudor.

Alieno plures ſudore viuunt. c.6.n.44.p.514

Suffragium.

Quæ in purgatorio acri ſoluerentur flammarum ſupplicio, facillimo fideles poſſunt impedire remedio. c.2.n.125.toto § p.183

Eccleſiæ ſuffragia valent plurimum, vt purgatorij ſoluatur pœna. c.2. num.133. toto §. p.187

Sumptus.

Etiamſi reſpublica extremis calamitatibus affligeretur, vitio cultus expenſis ſumptuoſis præſtatur. c.6.n.232. toto §. p.577

Superior.

Cordatus ſuperior ſtudet ea præcipere, ad quæ facilius ſubiectos nouerit inclinari. cap. 1. n.214. toto §. p.75

Qui aliis debet moderari,non debet vitiis patere. c.1.n.337. toto §. p.117

Eximium ſuperiorem cudit rationabilis tolerantia,& ſagaciſſima prouidentia. c.3.n.163 toto.§.p.256

A Deo electus ſuperior proprio labore ſubiectorum procurat commoda; imò aliquando ſuo illorum arcet pericula.c.3.n.218.toto.§. p.296

Manum admoueat operi, qui ſubiectos cupit parere virtuti. c.3.n.222.toto §.p.297

Superior ſecum ſit ſeuerus,cum ſubiectis blandus. c.3.n.224.p.299

Prudens ſuperior aliquando diſtrictionis vtatur gladio,aliquando leuiori ad virtutem incitarit ſtimulo. c.3.n.241.toto §.p.304

Superior ſit ab omni affectionis ſuſpicione remotus,vt omnibus poſſit eſſe proficuus. c.2. n.40.toto §.p.154

Superioris reſplendet plurimum excellentia, dum animi morbos ſanat faciliori medicina. c.2.n.63.toto §. p.162

Pro lege & ſalute ſuorum laborat ſuperior auaritia non pollutus, legi verò refragatur infectus. c.2.n.152.toto §.p.192

Magna Reipublicæ ſalus maturis, prudentibuſque hominibus gubernari, grande naufragium ab immaturis, & iuuenibus regi. c.2. n.157.toto §.p.194

Peccati via ſubiectis aſpera;ſuperiori inuenitur aſperrima. c.2.n.207.toto § p.210

Superior curam agat honeſtæ cicatricis. c.4.n. 104.p.349

Prudens ſuperior vitabit in præcipiendo quidquid ſuperbiæ redolet faſtum, ne exacerbarit contra obedientiam ſubiectum. c.4.n.152. toto §.p.366

Superior in veſtigando reatu non ſit perſequax c.4.n.152. ibid.

Benè imperat, qui generaliter præſtare feſtinat. c.4.n.167.p.371

Non exigua ſubiectis calamitas denunciatur, dum ſuperior inops ad pompam dignitatis eligitur. c.5.n.96.toto §. p.464

Superior ſit ad vniuerſa ſolicitus. c.5. n.108. p.467

Magnus ſuperiori quæſtus ſubiectorum perfectio.c.6.n.59.p.519

Superior facilè ad virtutem ſubiectos trahit, & interna puritate nitens, & externa mortificatione pallens. c.6.n.128.toto §.p.543

Qui ſuperioris aſcendit faſtigium, non fidat tantum ſuæ electionis conſcientia; ſed satagat apud alios florere ſanctitatis notitia. c.6. n.257.toto §.p.586

Superbia.

Improba ſuperbia abiectionis eſt officina, vera humilitas honeſtæ altitudinis vena.c.3.n.62 toto §.p.242

Superbia teſta fragilior. c.3. n.234 p.302

Non minus aliquando virtutis fructus deperdit elationis ſuperbia,quàm libidinis ſpurcitia.c.6. n.48.toto §. p.515

Superbiæ

Digitized by Google

Superbiæ aſcenſus deſcenſus eſt.c.6.n.50.p.516

Deſtitutus dotibus intumeſcit ſemper ſuperbior, virtute ornatior ſemper inuenitur humilior. c.6.n.172.p.557

Superſtitio.

Vt opportunum temporalibus negotiis tempus vana ſuperſtitione ſeruatur, ita virtuti religioſa ſuperſtitione obſeruetur.c.4.n.232. toto §. p.394

Supplicium.

Nobilis ingenuuſque meliùs ad virtutem allicitur oſtenſo præmio, quàm intentato ſupplicio. c.1.n.148. toto §. p.53

Vitiorum ante oculos habere ſupplicia accendit contra appetitus in arma.c.1.n.191.toto §. p.67

Sic cæcutiunt homines, vt ea ipſa quæ ſeueritas poſſet decreuiſſe ſupplicia,ſibi exambierit vt commoda. cap. 2. num. 53. toto §. p.159

Non tam grande ambitioni ſupplicium eſt propriis commodis diſpoliari, quàm ipſis inimicos augeri. c.2.n.67.toto §.p.164

Quæ in Purgatorio acri ſoluerentur flammarum ſupplicio, facillimo fideles poſſunt impedire remedio. c.2.n.125.toto §.p.183

Grande peccatoris ſupplicium, ſi improbum nanciſcatur infelix votum. c.3.n.43. toto §. p.236

Magnum peccati ſupplicium elabi in reprobum ſenſum. c.4.n.10.toto §. p.318

Molles ſuppliciis ſeruantur. cap. 4. num. 191. p.380

Voluptatem non ſolùm manet in poſterum ſupplicium; ſed admixtum habet etiam tormentum. c.4.n.283. toto §. p.413

Suſpicio.

Superior ſit ab omni affectionis ſuſpicione remotus,vt omnibus poſſit eſſe proficuus. c.2. n.40. toto §. p.154

Potentia ſemper de iniuſtitia ſuſpecta eſt. c. 2. n.40. ibid.

Prudens fœmina omnem accuratè pudicitiæ vitabit notam; imò iniquæ etiam ſuſpicionis audaciam. c.4.n.95.toto §.p.346

Facilè ſuſpicioni accedimus ad aliorum notam, cùm non ſic accedamus ad famam. cap. 6. n.275. toto §..p.594

Suſpicio ſemper eſt argumentatrix. c.6.n.275. ibid.

Suſpicionibus impellimur. c.6.n.275. ibid.

T

Tactus.

Chriſti Domini tactus à futura ruina præſeruat. c.3. n.244. p.307

Tarditas.

Non ſemel per tarditatis vitium incurrit obſtaculum, quod ſapienter conſtat fuiſſe diſpoſitum. c.4. n.182.toto § p.376

Tardum beneficium ingratum eſt. c.5.num.91. p.463

Temerarius.

Temerarius fortis habetur. c.6. n.126.p.539

Temperantia.

Temperantiæ neruus eſt metus. c. 2.num.186. p.204

Templum.

Laude adæquà videtur dignum pœnis malos afficere, & templa muneribus exornare. cap. 1. n.124.toto §. p.45

Templa nimis munditia decet. c.3. num.172. p.280

Ardorem ſæpè inſpirant contra peccata, dum ſacra inuiſuntur loca.c.3.n.185.toto §.p.284

Qui ingreditur templum, modeſtiæ vultu proferat teſtimonium. c.3.n.247.p.306

Ægrè patitur Deus dicatum ſibi locum culpis inſici, aut vel alieno crimine maculari. c.3. n.171.toto §. p.279

Sic iniurias templo illatas diuina vindicta vlciſcitur, vt ſi diſſimulet diuinitate quodammodò exaugurari putetur. c.6.n.247.toto §. p.582

Temporalia.

Miſerrimus eſt qui temporalium caret vſu, & inardeſcit affectu: felix qui caret affectu, & potitur vſu. c.6. n.29. toto §. p.509

Tempus.

Videtur ferè non fuiſſe, quod exiguo tempore reperitur duraſſe. c.1.n.101.toto §.p.37

Virtutis via citò deſeritur, in vitiorum tramite prolixum tempus inſumitur.c.3.n.80.toto §. p.248

Non ſemel dicatum virtuti tempus vanitati ac crimini ſoluitur, cùm vanitati adſcriptum, raròaut nunquam virtuti ſoluatur.c.4.n.219. toto §. p.389

Deſpicabilis eſt,& à ſociorum numero diſpungendus, qui ſe ſubtraxit tempore laboris, & accurrit ſolùm felicitatis. c.4. n.224. toto §. p.391

Vt opportunum temporalibus negotiis tempus vana ſuperſtitione ſeruatur, ita virtuti religioſa ſuperſtitione obſeruetur. c.4. n.232. toto §. p.394

Lenis eſt adflictio, cui ſpatium determinatum taxatur, duriſſima, cui nunquam tempus adſcribitur. c.4.n.325.toto §. p.428

Nunquam deeſt qui felicitatis tempore aliquid ſugat; ſed deeſt, qui indigentiæ tempore impendat. c.6.n.260.toto §.p.588

Tentatio.

Tentatio prodit virtutem. c. 3. n.1. p.220

Dæmon Virginem non tentauit.c.5.n.146.p.483

Terminus.

Lenis eſt afflictio, cui ſpatium determinatum taxatur,duriſſima, cui nunquam tempus adſcribitur. c.4.n.325. toto §.p 428

Teſtimonium.

Continentia eſt fidei teſtimonium. c.4. n.304. p.420

Timor.

Non ſunt vera iudicia, quæ timiditate, aut ambitione non libera. c.3.n.67. p.243

Dei verba cum timore excipienda. c. 3. n.215. p.295

In luce timemus. c.6.n.6.p. 500

Timor premit, quia non coarguitur. c.6. n.6. ibid.

Titulus.

Glorioſos maiorum conſeruant titulos virtute ſimiles,amittunt degeneres.c.1.n.47.toto §. pag.10

Toga.

Plus toga reipublicæ nocere ſolet, quàm hoſtilis larua. c.6.n.128.p.545

Tolerantia.

Eximium ſuperiorem cudit rationabilis tolerantia,

tantia,& ſagaciſſima prouidentia. c.3.n.103. toto §. p.256

Vide *Patientia.*

Tormentum.

Grauius ipſa morte lentum ac diuturnum tormentum. c.1.n.109. toto §. p.74

Ipſi auctores ſumus tormentorum noſtrorum. c.4.n.63.p.336

Voluptatem non ſolum manet in poſterum ſupplicium; ſed admixtum habet etiam tormentum. c.4. n.283. toto §. p.413

Tributum.

Qui quanta vitiis ſoluantur tributa, expendit, ſceleris iugum excutere ardenter ſatagit.c.3. n.116. toto §. p.261

Mirum eſt à populo ſoluta integra ad Principem peruenire,vt dilargita à Principe incorrupta ad accepturos deſcendere. c.3. n.129. toto §.p.265

Qui nimis duris prægrauatur tributis,opportunam occaſionem nactus iugum rumpet, & in prægrauantem ardebit. c.4.n.266. toto §. p.407

Triumphus.

Ea reſpublica facile inimicos detriumphat,quæ periculoſas ambitionis, aut ſeditionis leges ignorat, c.1. n.39. toto §.p.17

Magnis Deus præparat triumphis, quos laborioſis exercet præliis. c.4. num.191. toto §. p.380

Ad reportandos de hoſtibus triumphos plus ſæpè valent prudentis conſilia, quàm ferocientis militis arma. c.4. num.207. toto §. p.385

Non carent maritatæ glorioſo triumpho, ſi, vt fas eſt,inſeruierint matrimonio. c.4.n.304. toto §. p.420

Fœminæ dum domi abſconditæ fugiunt oculos,& glorioſos potiuntur triumphos.cap.4. n.317.toto §. p.425

Tunc cumulatè reſplendet triumphus,cùm obſequioſa,humilique gratiarum actione honoratur Deus. c.5. n.10. toto §. p.435

Trophæum.

A ſuis prouidenter arcet periculum à Deo electus, vt de hoſtibus reportarit trophæum. c.6. n.153. toto §. p.551

Tumultus.

A mundiali tumultu inuitus etiam receſſus eſſe ſolet ſupernæ lucis illicium,& felicitatis exordium. c.6. n.91. toto §. p.531

Turba.

Nullus ſe turbæ tutò committit. c.3. num.233. p.301

Tyro.

Tyro citò ad ictum leuem palleſcit.

V

Vanitas.

NOn ſemel dicatum virtuti tempus vanitati ac crimini ſoluitur, cùm vanitati adſcriptum ratò,aut nunquam virtuti ſoluatur. c.4. n.219. toto §. p.389

Venenum.

Hiant homines ad venenum. c.3. n.43. p.236.

Ventus.

Facilè peccatores amittunt vel venti flatibus, quod magnis ſibi comparauere laboribus. c.4. n.54. toto §. p.333

Venuſtas.

Oris venuſtas habenti,& aſpicienti periculoſa. c.4. n.249. p.400

Verbum.

Dei verbum magna attentione eſt auſcultandum, & reuerenter audiendum. c.3. n.214. toto §. p.294

Dei verba cum timore excipienda. c.3. n.215. p.295

Quæ diuini ardoris igne proferuntur micantia verba,citò auditorum inflammant corda.c.4. n.133. toto §. p.359

Verecundia.

Virginis dos verecundia. c.4.n.317.p.425

Veritas.

Hiſtorici ferè ſemper viuentibus adulantur,nec exactè veritati obſequuntur. c.3.n.67.toto §. p.243

Patet facilior mendaci ad Principem aliquando aditus,veridico eſt difficilior acceſſus.c.3. n.204. toto §. p.291

Veritas ſolùm erubeſcit abſcondi.cap.3.n.207. p.292

Miraculum eſt Principes veritatem gratis oculis aſpexiſſe. c.3.n.208.p.293

Via.

Virtutis via citò deſeritur, in vitiorum tramite prolixum tempus inſumitur.c.3.n.80.toto §. p.248

Vicinus.

Non ſemel grauius à vicinis, quàm à remotis vrget periculum, & à coniunctis ſanguine detrimentum. c.5.n.39.toto §. p.444

Victoria.

Principes virtutibus ſibi emunt victorias, vitiis fabricàuere catenas. cap. 3. num.85. toto §. p.250

Qui ſub crucis degerit vmbra, non poterit carere victoria. c.4. n.99. toto §. p.348

Qui prodigit honeſtè ſalutem,& conſeruat vitam, & reportat ſæculis decantandam victoriam. c.5.n.20.toto §.p.438

A magnatibus honorari calcar eſt ad tentanda egregia facinora, & de hoſtibus reportanda trophæa. c.6. n.141. toto §. p 547

Cæleſti epulo innutrito ſatis non eſt adoriri fugam; ſed tenetur de vitiis reportare victoriam. c.6.n.145.toto §. p.548

Athleta cruciatus de victoria ſperat.c.6.n.145. ibid.

Videre.

Quæ non reſpuit videri, nequit à culpa excuſari. c.4.n.249. p.400

Virgo videri trepidet. c.5. n.15. p.436

Iuſti in aliorum factis ſolùm intuentur glorioſa,& neſciunt prorſus obſcura. c.5.num. 29. toto §.p.441

Qui non videt vera, videre ſolet conficta. c.5. n.132.p.477

Munus eſt videre Principem. cap.5. num.139. p.480

Vide *Oculi.*

Vigilare.

Vigilantis eſt occaſionem obſeruare.c.3.n.242. p.307

Vigilatur ſæpè in pluma vti in catena.c.5.n.64. p.454

Vilis.

Nihil eſt peccatori ſe vilius. c.1.n.312. toto §. p.109

Vindicta.

Digitized by Google

Vindicta.

Sic iniurias altari temploque illatas diuina vindicta vlciſcitur, vt ſi diſſimulet, diuinitate quodammodo exauguraτi putetur. c.6.n.247. toto §. p.582

Violentia.

Deus precibus quaſi violentatur. c.4.num.121. p.355

Vires.

Non ſemel quæ vires adduntur corpori, adduntur etiam & crimini. c.1.n.219. toto §. p.78

Vim facimus diuinæ patientiæ. c.4.n.62.p.335

Virginitas, Virgo.

Virginitas ſeipſam timet. c.4.n.95. p.346

Virginis dos verecundia. c.4.n.317.p.425

Virgo videri trepidet. c.5.n.15. p 436

Virgo Maria.

Facillimo negotio Virginis ope adipiſcitur, quod alias nec magnis laboribus obtinetur. c.4 n.309. toto §.p.422

Vide *Maria.*

Virtus.

Vnius virtus neglecta cunctis inuenitur ignauia. c.1.n.2.p.3

Ad virtutes ſalubribus dirigimur monitis; ſed tendimus lætiores exemplis. cap.1.num.24. toto §.p.12

Virtus anteire cupit. c.1. n.24. ibid.

Redditum militari virtuti præmium ingens eſt ad militarem virtutem accendendam motiuum. c.1.n.34.toto §. p.15

Glorioſos maiorum conſeruant titulos virtute ſimiles, amittunt degeneres. c.1.n.47.toto §. p.20

Dignitatibus ante preces debet ornari, quem conſtat virtutibus refulgere. c.1.n.56.toto §. p.23

Milites ſolùm de virtute fortes, de faſtu inueniuntur audaces. c.1.n.62.toto §. p.25

Virtus pro muro eſt. c.1. n.73. p.28

Nobilis ingenuuſque meliùs ad virtutem allicitur oſtenſo præmio, quàm intentato ſupplicio. c.1.n.148.toto §.p.53

Quiſquis ſceleris meditatur extrema, in virtutem exinceps non capiet arma. cap.1. n.181. toto §. p.63

Plus apud homines valet leuis defectus ad notam, quàm plurima virtus ad famam. cap.1. n.196. toto §. p.68

Sapientia non tam eſt prolixæ ſpeculationis fructus, quàm virtutis, mortificationiſque partus. c.1. n.234. toto §. p.82

Cognatis præ reliquis eſt exhibendum officium in his præcipuè quæ pertinent ad virtutis augmentum. c.1.n.278. toto §. p.97

Ille præ aliis veritatis ac virtutis magiſter eſt deligendus qui triumphis & virtutibus emicat laureatus. c.1.n.284.toto §. p.99

Virtus in exordio micat non ſemel feruentior; ſed paulatim tempore elanguet remiſſior c.1. n.293. toto §. p.102

Felices poſteri, quibus parentum virtus aſciſcit auxilia, & generoſè repudiata legauit præmia. c.1.n.323.toto §.p.112

Honeſta ambitio eſt virtutibus ſibi nomen facere. c.1.n.377. p.132

Homines ad vitia ſemper propenſi, virtutes aliquando colunt adacti. c.2.num.211.toto §. p.212

Virtus nondum reſplenduit cumulatè perfecta quouſque & opportunitate, & exemplo in contrarium vocantibus conſtitit imperturbata. c.2.n.218.toto §.p.215

Magnus virtutis ſtimulus laus parentum.cap.2. n.165. p.197

Tentatio prodit virtutem. c.3. n.1. p.220

Virtutis via citò deſeritur, in vitiorum tramite prolixum tempus inſumitur. c.3.n.80.toto §. p.248

Grata Deo pulchritudo virtus eſt. c.3.num.80. ibid.

Principes virtutibus ſibi emunt victorias, vitiis fabricauere catenas. cap.3. num.85. toto §. p.250

Virtus ſolidæ comes eſt voluptatis. cap.3.n.85. ibid.

Sit aliquando munus vitij venenum, virtutis auxilium, cùm ſæpè criminis auxilium, & virtutis fuerit venenum. c.3. num.158. toto §. p.274

Citiùs gratia Principum promeretur muneribus, quàm virtutibus. c.3. num.176. toto §. p.281

Diſcat virtutum amator à peſſimis vitiorum omnia abolere veſtigia, vt illi virtutum deterunt monimenta. cap.3. num.195. toto §. p.288

Vt nullus eſt locus, in quo vitium non aggrediatur virtutem, nullus etiam ſit, in quo virtus non aggrediatur improbitatem. cap. 3. n.209. toto §. p.293

Vel eximiæ virtutes Dei vocem audienti humilitate vileſcunt. c.3.n.216. p.295

Manum admoueat operi, qui ſubiectos cupit parere virtuti. c.3.n.222.toto §. p.297

Prudens ſuperior aliquando diſtrictionis vtatur gladio, aliquando leuiori ad virtutem incitarit ſtimulo. cap.3. num.241. toto §. p.304

Qui ſub ſpontanea paupertate degit, facilè virtutes colit, & alios ad colendam virtutem trahit. c.4.n.6.toto §.p.317

Virtutis cognata paupertas. c.4 n.7. p.317

Apud bonum Principem minus valent conſanguinitatis iura, plus virtutum merita. c.4. n.15. toto §. p.320

Virtus per abrupta incedit. c.4.n.19.p.321

Ad recuperandam mundialem gloriam omnis dulceſcit moleſtia, cùm torpeat ad virtutem recuperandam ignauia. c.4. num.35. toto §. p.326

Qui humanam ſtudioſè colit prudentiam, rationis ac virtutis deſerit normam. c.4. n.49. toto §. p.331

Vitia virtutum nomine obrepunt. c.4.num.49. ibid.

Virtus ſecum affert decus & plauſum. c.4.n.54. p.333

Sæpè calamitas orationis eſt magiſterium, & virtutis aſylum. c.4 n.65.toto §.p.336

Indecorum eſt virtute ab imbecillioribus vinci: nam illorum præſtantia ignauiæ ſemper eſt nota. c.4.n.71.toto §. p.338

Non poteſt non florere reſpublica, vbi dignitas non tam tribuitur generis nobilitati, quàm animorum virtuti. c.4. n.85.toto §. p.343

Virtus ſui magnum decus eſt. c.4. n 85. ibid.

Vbi agnoſcitur virtutis præſtantia, deligendi non officiat abſentia. c.4.n.148.toto §.p.364

Digitized by Google

Validius animoſiuſque ibi pugnatur, vbi virtus militiaque remunerata videtur. cap 4. n. 177. toto §. p. 374
Non ſemel dicatum virtuti tempus vanitati ac crimini ſoluitur, cùm vanitati adſcriptum, tatò aut nunquam virtuti ſoluatur. cap. 4. n. 219 toto §. p. 389
Vt opportunum temporalibus negotiis tempus vana ſuperſtitione ſeruatur, ita virtuti religioſa' ſuperſtitione obſeruetur. cap. 4. n. 237. toto §. p. 394
Magna virtus amicitia. c. 4. n. 253. p. 402
Apud ſæculum pluris æſtimantur diuitijs copioſi, quàm dotibus virtutum præclari. c. 4. n. 261. toto §. p. 405
Fœminæ pulchellæ aſpectus eſt honeſti vigoris faſcinum, virtutis delirium. c. 4. num. 294. toto §. p. 417
Non ſemel gloriæ ambitio virtuti inſeruit, & ad magna facinora inducit. c. 4 n. 313. toto §. p. 423
Plauſus virtutis fomentum eſt. c. 4. n. 313. ibid.
Pro virtute labor, etſi aliquando periculum affectat, ſolum eſt ad plauſum, cùm careat diſcrimine ad detrimentum. c. 5. n. 34. toto §. p. 443
Gloriæ pars eſt virtuti quod patitur. c. 5. n. 34. ibid.
Quæ in paſſione Domini charitatis flamma relucet, vel duriſſimos ad opera virtutis compellit. c. 5. n. 52. toto §. p. 449
Solatium eſt dura pro virtute pati. c. 5. num. 70. p. 456
Laudabilis nouitas quæ virtutem promouet, & vetuſtatem depellit. c 5. n. 75. toto §. p. 458
Studium liberale virtuti viuere. c. 5 n. 132. p. 477
Peccatum comitatur non ſemel ſalutis & diuitiarum diſpendium, vt virtutem non ſemel incolumitas & aurum. c. 6. num. 39. toto §. p. 512
Virtus ſemper ſolida & munita eſt. c. 6. n. 39. ib.
Non minus aliquando virtutis fructus deperdit elationis ſuperbia, quàm libidinis ſpurcitia. c. 6. n. 48. toto §. p. 515
Nequitia dæmonis ſummo ſtudio curat virtutis ſemina opprimere, curet iuſtus in ſemine crimen delere. c. 6. n. 62. toto §. p. 520
Ille dignitatis culmina dignè inſcendit, qui ſolicita perſpicacia ſub virtutis colore obrepentia vitia dignoſcit, ſtudioſeque diuidit. c. 6 n. 115. toto §. p. 538
Superior facilè ad virtutem ſubiectos trahit, & interna puritate nitens, & externa mortificatione pallens, c. 6. n. 128. toto §. p. 543
Ea ſolùm nobilitas apud Deum lucet ſplendida, quæ virtutibus probatur ornata. c. 6. n. 138. toto §. p. 546
Quò quis virtutibus inuenitur excultior, Reipublicæ probatur commodior. cap. 6. n. 162. toto §. p. 554
Virtute ornatior ſemper inuenitur humilior: deſtitutus dotibus intumeſcit ſemper ſuperbior. c. 6. n. 172. toto §. p. 557
Dei honoris zelotypus vitij arma in virtutis vertet auxilia: quia non ſemel improbus virtutum auxilia in vitiorum conuertit arma. c. 6. n. 219. toto §. p. 575
Sæpè cognati virtutis fuerunt impedimenta, & religionis obſtacula. c. 6. n. 245. toto §. p. 581
Illuſtriora ſunt nominia, quæ virtus excudit, quàm quæ vetuſtiſſimæ originis imperturbata ſeries ad poſteros deriuauit. c. 6. n. 250. toto §. p. 584

Vita.

Vita honeſta nunquam præciſa. c. 2. n. 4. p. 138
Caſtitas & longiſſimæ vitæ vena, & immortalitatis eſt officina. cap. 2. num. 112. toto §. p. 179
Iuſtorum mors euaneſcit in vmbram, iniquorum vita in veræ mortis tranſit ſubſtantiam. c. 2. n. 146. toto §. p. 190
Punctum eſt quod viuimus. c. 4. n. 219. p. 389
Vita inter bonos & publicos mores temperanda eſt. c. 4. n. 237. p. 396
Qui prodigit honeſtè ſalutem, & conſeruat vitam, & reportat ſæculis decantandam victoriam. c. 5. n. 20. toto §. p. 438
Nonnulli viuere incipiunt, cùm deſinendum eſt. c. 6. n. 91. p. 531
Tota vita mentitur. c. 6. n. 167. p. 556
Sacerdotis vita cæleſtis ſit. c. 6. n. 206. p. 568
Omnium vita ſpectat in craſtinum. c. 6. n. 219. p. 573
Vita noſtra quaſi aliena nos fugit. c. 6. n. 219. ibid.

Vitium.

In vitia pugnandum eſt, dum recentet exorta: nam ægrè expugnantur adaucta. cap. 1. n. 14. toto §. p. 8
Vitiorum impetus difficillimè regitur. c. 1. n. 14. ibid.
Non diſſimili gloria fulget, qui ſanis doctrinis expugnat vitia, & qui hoſtilia armis euertit caſtra. c. 1. n. 73. toto §. p. 28
Vitia præ hoſtibus oppugnauere reſpublicas. c. 1. n. 143. p. 51
Vitiorum ante oculos habere ſupplicia, accendit contra appetitus in arma. c. 1. num. 191. toto §. p. 67
Alia vitia plurimos, inſana diuitiarum vota ſubiugauere vniuerſos. c. 1. n. 317. toto §. p. 110
Lenius non ſemel curandum eſt, dum actiùs deſæuit vitium, ne auxilietur irritationi remedium. c. 2. n. 12. toto §. p. 142
Pecunia iam non ſolum didicit vitia defendere, ſed auſa eſt nobilitare. c. 2. n. 44. toto §. p. 156
Homines ad vitia ſemper propenſi, virtutes aliquando colunt adacti. c. 2. num. 211. toto §. p. 212
Hominibus pluris eſt vitium vtilitati coniunctum, quàm diuinum ſine humana vtilitate præceptum. c. 2. n. 215. toto §. p. 214
Miſerum eſt non ſolum vitiis ſe tradere, ſed pugnare in vitia neſcire. c. 3. n. 16. toto §. p. 226
Virtutis via citò deſeritur, in vitiorum tramite prolixum tempus inſumitur. c. 3. num. 80. toto §. p. 248
Principes virtutibus ſibi emunt victorias, vitiis fabricauere catenas. c. 3. n. 85. toto §. p. 250
Multis vitiis ſubiectus premitur, qui ab vno vincitur. c. 3. n. 89. toto §. p. 251
Princeps populi eſt ſalus, dum prius armatur in vitia, & poſtea in aduerſarios apprehendit arma. c. 3. n. 95. toto §. p. 253
Vbi vitia ſibi ſuppetias ferunt, longum captiuitatis tempus producunt. c. 3. n. 111. toto §. p. 260
Qui quanta vitiis ſoluantur tributa, expendit, ſceleris iugum excutere ardenter ſatagit. c. 3. n. 116. toto §. p. 261
Vitia mercede ſolicitant. c. 3. n. 116. ibid.

Sic

Digitized by Google

Sit aliquando munus vitij venenum, virtutis auxilium, cùm ſæpè criminis auxilium, & virtutis fuerit venenum. c.3. n.158. toto §. p.274
Vt dæmon ſomniis vti ſolet in virtutem pro armis, ita in vitium Deus pro armis vtitur ſomniis. c.3.n.189. toto §.p.286
Diſcat virtutis amator à peſſimis vitiorum omnia abolere veſtigia, vt illi virtutum deterunt monimenta. c.3.n.195.toto §.p.288
Vitia omni ſecreto ſunt corrigenda, & correctio cunctis celanda. c.3. n.199.toto §.p.289
Vt nullus eſt locus, in quo vitium non aggrediatur virtutem, nullus etiam ſit, in quo virtus non aggrediatur improbitatem.c.3.n.209 toto §. p.293
Vitia non ſolùm ſunt deterenda; ſed ad illa etiam itinera præoccupanda. c.3.n.227.toto §.p.299.
Nonnulli alta poſſidentes ſunt crimini tributarij, humiles de vitiis triumphant glorioſi. c.3.n.231.toto §.p.301
Facilè imminens vitium propellitur; difficulter, ſi iam corda poſſedit, abigitur.c.3.n.247.toto §.p.306
Salus vitiis indulget, infirma valetudo abſtinet. c.4.n.6. p.317
Vitia amamus, expedire nos non poſſe prætendimus. c.4.n.10.p.318
Qui elabitur à perfectionis faſtigio, demergi ſolet grandi vitiorum naufragio. c.4.n.19. toto §. p.321
Vitia virtutum nomine obrepunt.c.4.n.49.p.331
Omni ſe muniat ſtudioſè cautela, qui contra vitium inſtruit certamina. c.4. n.125.p.356
Qui ad proximorum ſalutem à Domino deſtinatur, inter confinia vitiorum non læditur. c.4.n.144.toto §.p.363
Accuratiùs debent muniri, quos vitiorum confinio conſtituent propinquare. cap.4.n.172. toto §. p.373
Securè degit eius in domo vitium, ſi fœmina publicum non erubeſcat, nec miſcere colloquia cum viris fugiat. c.5.n.15.toto §.p.436
Vitium nil pacatum habet. c.5. n.20.p.438
Ni vitium prorſus depellatur, pax & tranquillitas non fulcitur. c.5.n 56. toto §.p.451
Vitiorum arma parum valent in corporis afflictatione munitos, & aſperitate obarmatos. c.5.n.147..toto §. p.447
Secum iam vitio molitur ſtragem, qui pueros erudit ad ſalutem. c.5.n.152.toto §.p.449
Adulta vitia difficulter præciduntur.c.5.n.152. ibid.
Vitia nunquam bona fide manſueſcunt. c.6. n.62.p.520
Omni ſtudioſè conetur vitio carere, qui alios cupit ad pœnitentiam adducere. c.6. n.96. toto §. p.532.
Ille dignitatis culmina dignè inſcendit, qui ſolicita perſpicacia ſub virtutis colore obrepentia vitia dignoſcit, ſtudioſeque diuidit. c.6.n.115.toto § p.538
Cæleſti epulo innutrito ſatis non eſt adoriri fugam; ſed tenetur de vitiis reportare victoriam. c.6 n.145.toto §.p 548
Qui vitia oppugnare aggreditur, prouida contra pericula defenſione muniatur.c.6.n.224. toto §.p.574
Dei honoris zelotypus vitij arma in virtutis vertet auxilia: quia non ſemel improbus virtutum auxilia in vitiorum conuertit arma. c.6.n.229.toto §.p.575
Etiamſi reſpublica extremis calamitatibus affli-ctetur, vitio cultus expenſis ſumptuoſis præſtatur. c.6.n.231.toto § p.577
Qui Dei mouetur ſpiritu, contentus non eſt per ſe ſolum in vitia irruere; ſed ſocios ſatagit congregare. c.6.n.254 toto §.p.585

Vltio.

Non ſemel nutriuntur filij à parentibus vltionis deſiderio, & inimicorum odio. cap.3.n.25. toto §.p.229
Vide *Vindicta*.

Vmbra.

Qui ſub crucis degerit vmbra, non poterit carere victoria. c.4 n.49.toto §.p.331

Vnio.

Vnio ſiue ad bonum, ſiue ad malum ferè inuictas ſortitur vires, & aduerſariorum eludit artes. c.6.n.53.toto §.p.517

Voluptas.

Virtus ſolidæ comes eſt voluptatis. c.3. n.85. p.250
Voluptuoſi frequenter ſunt ſegnes c.3.n.185. ibid.
Senſus volaticis oblectationibus fallit, & duriſſimis laboribus terit.c.4 n.39.toto §.p.328
Voluptatem non ſolum manet in poſterum ſupplicium; ſed admixtum habet etiam tormentum. c.4.n.283. toto §.p.413
Corporis voluptates malè dulces ſunt.c.4.n.40. p.328
Voluptas & dolor rationi aduerſi. c.4.n.283. p.413
Qui cedit voluptati, & obnoxius manet dolori. c.4.n.283.ibid.
Vulgus voluptatis ſectator. c 6.n.1 p.498
Voluptati indulgere omnium calamitatum origo. c.6.n.4.p.499
Voluptas per numinis dedecus quæritur. c.6. n.39.p.512
Voluptas brutorum bonum. c.6.n.236 p.578

Votum.

Legis non ſemel iniuria homini ſeruatur promiſſum, cùm aliquando violetur nulla occaſione cogente Numini votum. c.1.n.229. toto § p.80
Grande peccatori ſupplicium, ſi improbum nanciſcatur infelix votum. c.3.n.43.toto §. p.236
Sæpè nihil intereſt inter amicorum vota, & inimicorum ſtudia. c.4.n.241.p 397
Generoſus non ſolùm curat rogata concedere, Sed vota aggreditur vincere.c.4.n.278.toto §. p.412
Nil patiaris apud te manere ex his quæ ſemel decreuiſti Domino conſecrare. c.6. n.202. toto §.p.567

Vox.

Vel eximiæ virtutes Dei vocem audienti humilitate vileſcunt. c.3.n.216. p.295

Vſus.

Miſerrimus eſt qui temporalium caret vſu, & inardeſcit affectu; felix qui caret affectu, & potitur vſu. c.6.n.29.toto §. p.509

Vtilitas.

Propriam vtilitatem obligationi præferens, qui in animam recipiatur, indignus; fidelis æſtimationem meretur, etſi contrarius.c.1.n.361. toto §.p.126

Qui

Digitized by Google

Qui Apoſtolorum loco ſufficitur,totum ſe proximi vtilitatibus impendiſſe tenetur. cap.2. n.191. toto §. p.205
Hominibus pluris eſt vitium vtilitati coniunctum, quàm diuinum ſine humana vtilitate præceptum. c.2.n.215.toto §. p.214
Qui cæteris vtilior,eſt honoratior. c.4.n.129
Non ſemel inuenitur, qui vt exiguæ ſuæ vtilitati conſulat,totam periclitari Rempublicam ſtultiſſimè ſinat. c.5.n.128.toto §.p.475
Etſi aliquando inimicus indulgeat, non erit ad vtilitatis commodum; ſed ad doloris augmentum. c.5.n.161.toto §.p.488
Qui vtilitatem amat Reipublicæ, nunquam permittet otioſos, quos egregiis dotibus agnouerit exornatos.cap.6.num.123.toto §. p.541

Vulgus.

Vulgus voluptatis ſectator. c.6.n.1.p.498
Vulgus ſub peccati iugo gemit captiuum,ſi eccleſiaſticus diuitiarum ſolum curet augmentum. c.6. n.58. toto §. p.519

Vulnus.

Frequentiſſimum eſt aulicis vulnus infligere,& manum prorſus abſcondere. c.3. num.145. toto §. p.269

Vultus.

Vultus non diſſidet facilè à corde. c.2. n.165. p.197

Vxor.

Non ſemel amicorum vxores fuerunt ſcandala, dum grato vultu miniſtrant oblectamenta. c.4.n.253.toto §.p.402
Cæſaris vxor non ſolùm carere debet macula; ſed calumnia. c.4.n.255.p.405
Non carent maritatæ glorioſo triumpho, ſi, vt fas eſt, inſeruierint matrimonio. c.4.n.304. toto §. p.420

Z

Zelus.

Diuino zelo inflammatus, vt patienter in ſe tolerare diſcit offenſam,ſic in Deum vindicare geſtit iniuriam.c.3.n.154.toto §.p.272
Quò quis Deo coniungitur ſtrictior, alios non ſolùm iuſtos; ſed perfectos deſiderabit ardentior. c.4.n.81.toto §. p.341
Dei honoris zelotypus vitij arma in virtutis vertet auxilia: quia non ſemel improbus virtutum auxilia in vitiorum conuertit arma. c.6. n.229. toto §. p.575

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

1-6-2